Digitized by Google

CE LIVRE A ÉTÉ DONNÉ A LA
BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
ET UNIVERSITAIRE
DE LAUSANNE

par legs, par Edward GIBBON
historien
22 mars 1794.

Digitized by Google

Digitized by Google

CE LIVRE A ÉTÉ DONNÉ A LA
BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
ET UNIVERSITAIRE
DE LAUSANNE

par legs, par Edward GIBBON
historien
22 mars 1794.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DESIDERII
ERASMI
OPERVM
OMNIVM

TOMVS NONVS.

Digitized by Google

3A
975
/9
Ris. A
①

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
OPERA OMNIA
EMENDATIORA ET AVCTIORA,

AD OPTIMAS EDITIONES, PRAECIPVE QVAS IPSE ERASMVS POSTREMO CVRAVIT, SVMMA FIDE EXACTA,

DOCTORVMQVE VIRORVM NOTIS ILLVSTRATA.

TOMVS NONVS,

QVI APOLOGIARVM PARTEM PRIMAM
COMPLECTITVR.

LVGDVNI BATAVORVM,
Curâ & impensis PETRI VANDER AA, MDCCVI.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Præpotent. Ordd. Holl. & West-Frisiæ.

Digitized by Google

CONTENTA
HVJVS VOLVMINIS.

Epiſtola Apologetica ad M. Dorpium *pro Moria*, Pag. 1
Apologia ad Jac. Fabrum Stapulenſem. 17
Jacobi Fabri *Diſputatio adverſus ſuperiorem Annotationem Deſ. Eraſmi.* 67
Ad Jacobum Latomum *de linguis.* 79
Ad Atenſem *pro declamatione Matrimonii.* 105
Apologia de In principio erat ſermo. 111
Apologiæ tres ad Notationes Eduardi Lei. 123
Apologiæ variæ ad Jacobum Lopim Stunicam. 283
Adverſus Sanctium Caranzam. 401
Apologiæ de loco, Omnes quidem reſurgemus. 433
Apologiæ aliquot in Natalem Beddam. 442
Apologia adverſus debacchationes Petri Sutoris. 737
Appendix de ſcriptis Jod. Clithovei. 811
Declarationes adverſus cenſuras Theologorum Pariſienſium. 813
Apologia ad Phimoſtomum *de divortio.* 955
Apologia ad Juvenem Gerontodidaſcalum. 967
Apologia ad Monachos *quoſdam* Hiſpanos. 1015
Apologiæ ad Albertum Pium *Carporum Principem.* 1093
Ad Epiſcopum Baſileenſem *de eſu carnium & hominum conſtitutionibus.* 1197
De libero arbitrio *Diatribe ſeu collatio.* 1215

Digitized by Google

PRAEFATIO
IN VOLVMINA NONVM ET DECIMVM
OPERVM DES. ERASMI,
Quibus ejus APOLOGIAE *continentur.*

POST longas moras, quas ægrè quidem tulerunt *Eraſmianorum Operum* amantes, ſed quæ etiam Bibliopolæ ipſi invito, dum Indices exſpectat, tædium & detrimentum crearunt non exiguum, prodit tandem ultimum Volumen Operum *Eraſmi*. Nullam ipſe partem lucubrationum ſuarum, majore cum faſtidio, conſcripſit; quia homo, ut ex ceteris ejus Scriptis ſatis liquet, paci & concordiæ natus, coactus eſt, per multos annos, bellum fermè internecinum à non uno adverſariorum genere ſibi illatum propulſare. Hoc enim in laudem *Eraſmi* noſtri meritò poſſimus dicere, neminem mortalium, nominatim certè, ab eo priorem laceſſitum fuiſſe. In vitia quidem nonnullorum ordinum, & ea quæ optimi quique ejus ævo in Republica Chriſtiana emendata voluiſſent, oratione invectus eſt; ſed nominibus diligenter, niſi provocatus Scriptis jam editis, pepercit.

Colloquia, quæ avidiſſimè ejus ætate lecta ſunt & hâc noſtrâ etiamnum ſumma cum voluptate leguntur, ſale quidem adſperſerunt nonnullos eorum, qui minutas quaſdam cærimonias, aliáque ejuſmodi inania commenta, pro Religione venditabant; ſed neminem nomine appellavit. Attamen ex hoc volumine liquebit pro innoxiis illis Colloquiis, imò verò utiliſſimis omnium Dialogorum, Apologias optimo viro ſcribendas fuiſſe. Verſione, Adnotationibus & Paraphraſibus in Novum Teſtamentum nemini nocere, omnibus prodeſſe conatus eſt, éſtque in iis, cur ei Poſteritas omnis gratias habeat; quas doctiſſimi quique viri in Scriptis ſuis ei dudum egerunt, & porrò agent, dum aliquis honor erit Sacris Litteris & bonæ menti. At hoc Volumen, me tacente, ſatis oſtendit quot in ſe crabrones, utiliſſimis Operibus, concitarit. Fateor homines iniquos & importunos ſatis acriter tandem ab eo fuiſſe repulſos, & ſub finem vitæ, cùm lædi famam ſuam videret ab iis, de quibus bene meritum ſe eſſe putabat, aliquando paullò commotiorem fuiſſe, & ea ſcripſiſſe quæ alioqui numquam emiſiſſet homo mitis ingenii & quietis amantiſſimus. Sed quis non ignoſcat ſeni aſſiduis laboribus, in uſum Reipublicæ Litterariæ exantlatis, defatigato & cum infirma valetudine perpetuò luctanti, nec eò ſeciùs de omnibus bene mereri pergenti; ſi dicteriis & ſcommatibus malignorum & iniquorum adverſariorum aliquantò acriùs repoſuerit? Quis indignetur viro, qui ferventibus acerrimis contentionibus, ac præliis fermè quotidianis, cùm ab iis abhorreret, ſéque ex acie ſubducere ab utriſque vulneratus conaretur, indignationem nonnullam in eos teſtatus eſt, qui inter tela verſari invitum volebant? Quod ſi in quibuſdam modum non ſatis ſervarit, hoc quoque humanæ imbecillitati tribuamus & ignoſcamus; cùm omnes, in multis, aliorum indulgentia indigeamus. Quamvis autem, in hiſce Apologiis, commotior ſubinde videatur, quàm in aliis Operibus, attamen quiſquis eas leget paullò ſtudioſiùs inveniet paſſim ἐυτράπελον, hoc eſt, amabile illud ingenium, jocoſum & amœnum, quódque ridere, quàm ringi, multò mallet, & adverſarios, jocando potiùs quàm mordendo, ad ſaniorem mentem, æquiúſque de ſe ſentiendum reducere conaretur. Strinxit, fateor, calamum in Catholicos & Romanæ Sedi addictos Scriptores; ſtrinxit & in eos, qui ab ea ſeceſſionem fecerant, ſed ab utriſque, ut dixi, laceſſitus; & ita in iis concertationibus ſe ſe geſſit, ut nihil præter neceſſaria ad famam ſuam tuendam proferre ſibi videretur, nec ſtudio partium tranſverſum agi, ut putabat, ſe pateretur. Certè quodcumque de ſingulis ejus Scriptis feratur à nobis judicium, ita perſonam, quam ſibi impoſitam eſſe à magno rerum humanarum Chorago exiſtimabat, ſuſtinuit: ut partes quæ tum contendebant, nec nunc ſtudiis minoribus certant, hominem quantumvis

Digitized by Google

utrimque laceratum ad se trahere conentur; quod ex multis utrarúmque partium Scriptis ostendere facilè possemus. Vituperamus, carpimus, erroris, dissimulationis, aut timiditatis doctissimum virum arguimus; nec eò secùs nostrum esse volumus. Cùm scribit in eos, quos Judaïsmum revocare voluisse ait, tum alii apertè sibi hominem favere dictitant. Cùm verò invehitur in eos, qui secessionem fecerunt, clamitant continuò adversarii suum esse. Utrique faventi plaudunt, dissentienti indignantur. An igitur, inquies, neutris partibus addictus fuit? Imò verò utrisque, dum & hos & illos ad mitiora & æquiora judicia, consiliáque revocare nititur, & pacem non iniquam, gratiámque reconciliare conatur. Non diffiteor irritos fuisse ejus, hac in re, laboret, nec cum illo multos postea sensisse; sed si boni animi omnes ei gratiam habeamus, condonemúsque ceteris viri meritis, si quid minùs in ejus Libris placeat, æquum de eo judicium feremus, quod nulla ætas possit nobis exprobrare, optimi verò & doctissimi viri semper sint laudaturi.

De hac hujus Voluminis Editione, paucis agendum nobis supereſt. Itaque præterquàm quòd quæ antehac excusa erant emendatiora multò nunc & elegantioribus typis expressa reponuntur, quemadmodum cetera omnia; huic Editioni accessere I. Apologia *Martini Lydii* pro *Erasmo*, opposita eorum calumniis, qui eum Arianismi accusabant &c. II. *Index Expurgatorius* in Opera *Erasmi*, ut Catholici qui nolunt ea legere, quæ à Congregatione examini Librorum Romæ aut Madriti præfecta damnantur, prætermittere, si ita videatur, ea possint. Notatæ sunt paginæ Editionis Basileensis, unà cum hujusce paginis, ut qui habent vetera Exemplaria in quibus loca censurâ notata detracta sunt, aut atramento deleta, qualia multa occurrunt, videre hinc facilè queant quid in suis Exemplaribus desit, si modò ea legendi potestatem eis fecerint ii, quibus eam negare, aut concedere jus est adtributum. Ne quis autem putet propterea bonis omnibus, in Ecclesia Romana, invisum post fata *Erasmum* fuisse, obstant cùm testimonia primo ejus Operum Volumini præfixa, tum etiam quæ hîc III. loco occurret oratio funebris in ejus obitum conscripta à *Guilelmo Insulano*, Juliacensi, qui Aquisgrani Præpositus Canonicorum S. Adalberti fuit. Subjuncta est etiam Epistola *Erasmi*, quam Bibliopola seriùs accepit, nec tamen omittendam esse meritò credidit. IV. Index generalis omnium operum *Erasmi*, excepto Epistolarum Volumine, cui peculiares sui indices sunt adjecti, iique denuo magnâ diligentiâ confecti.

Cùm autem Nonum Volumen Operum *Erasmi* jam satis crassum esset, & omnium quidem crassissimum, ita aucta est ejus moles, additionibus memoratis & Indice Universali, ut satius duxerimus, ordine *Erasmi*, ad lucubrationes quod adtinet, servato, id in duo Volumina partiri; quæ ratio est cur pro IX Voluminibus Frobenianis, nunc X, in hac Editione habeantur. Quod monendum existimavimus, ne quid mutatum in ordine ab *Erasmo* ipso constituto quispiam fortè morosior criminaretur. Quin & XI. Volumina ex hisce nostris possunt conflari, quia Volumen III. quo Epistolæ continentur, additionibus nostris, imaginibúsque Clarorum Virorum æri incisis, insertisque ita auctum est, ut crassius pænè sit, quàm ut uno integumento vestiri possit; quamobrem id in priorem & posteriorem partem, titulis duobus editis, distinximus.

Si hæc nonnihil Operum *Erasmi* pretium augeant, at usum multò commodiorem, faciliorem, & fructuosiorem reddent. Pauci enim sunt, quibus vacet quæ digna sunt, in hujusmodi Libris, quæ memoriæ mandentur adnotare, aut in Adversaria referre; plerique satis habent recordari apud quem Scriptorum ea legerint, nec tamen loci ita meminerunt, ut invenire facilè possint, præsertim in tot voluminibus. Ideò Bibliopola nullis pepercit sumtibus, ut copiosos *Erasmo* Indices adderet; estque profectò cur propterea ab hominibus litterarum amantibus gratiam sibi haberi ac referri suo jure exspectet. Quam testatam ii demum facient qui hæc *Erasmi* opera sibi comparabunt, quibus, me judice, nulla paullò locupletior Bibliotheca, nemo paullò elegantioris ingenii vir potest carere.

Scribebam Amstelodami, Calendis Januariis anni MDCCVII. DESI-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI, ROTERODAMI, EPISTOLA APOLOGETICA AD MARTINVM DORPIVM THEOLOGVM.

Deſ. Eraſmus Roterodamus Martino Dorpio Theologo Eximio S. D.

Non fuit reddita nobis Epiſtola tua, ſed tamen exemplar, haud ſcio quo modo exceptum, amicus quidam exhibuit *Antuerpiæ*. Deploras *Moriam* parum feliciter editam, ſtudium in reſtituendo *Hieronymo* noſtrum magnopere comprobas: ab Editione Novi Teſtamenti deterres. Quibus litteris tuis, mi *Dorpi*, tantum abeſt, ut quicquam fuerim offenſus, ut poſthac mihi cœperis eſſe multo carior, cum ſemper fueris cariſſimus, adeo ſincere conſulis, mones amice, objurgas amanter. Habet nimirum hoc Chriſtiana caritas, ut etiam cum ſævit maxime, tamen genuinæ ſuæ dulcedinis guſtum obtineat. Multæ mihi quotidie redduntur ab eruditis viris litteræ, quæ me decus *Germaniæ*, quæ ſolem, quæ lunam faciunt, & ſplendidiſſimis titulis onerant verius quam ornant. Harum, emoriar, ſi ulla unquam me perinde delectavit, ut illa *Dorpii* mei jurgatrix Epiſtola. Vere dictum eſt à *Paulo*, caritatem non peccare, ſive quid adulatur, ſtudet prodeſſe, ſive ſtomachatur, non aliud agit. Atque utinam liceret per otium ad tuas litteras reſcribere, quo tanto amico ſatisfaciam. Vehementer enim cupio, quicquid ago, te approbante fieri, cujus ingenio pene cœleſti, cujus eruditioni ſingulari, cujus judicio longe acerrimo tantum tribuo, ut malim unius *Dorpii*, quam mille cæterorum calculis approbari. Verùm adhuc à navigatione nauſeabundus, & mox equitatione feſſus, ad hæc, in componendis ſarcinulis occupatus, ſatius eſſe duxi quomodocunque reſpondere, quam amicum in iſta relinquere opinione, ſive hanc ex teipſo conceperis, ſive inſtillaverint alii, qui te ad eam Epiſtolam ſcribendam ſubornarunt, quo ſub aliena perſona ſuam agerent fabulam.

Primùm igitur, ut ingenue dicam, editæ *Moriæ* propemodum me pœnitet. Is libellus nonnihil mihi peperit gloriæ, vel ſi mavis, famæ. At ego nihil moror gloriam cum invidia conjunctam. Quamquam ô Superi, quid eſt hoc totum, quod vulgo gloriam vocant, niſi nomen inaniſſimum ex Paganiſmo relictum? Quod genus non pauca reſederunt apud Chriſtianos, dum immortalitatem appellant, famam poſteris relictam, & virtutem qualiumcunque litterarum ſtudium. In omnibus edendis libris hic unicus ſemper mihi fuit ſcopus, ut mea induſtria aliquam adferrem utilitatem. Id ſi minus aſſequi poſſem, certe ne quam adferrem noxam. Proinde cum magnos etiam viros videamus litteris ſuis abuſos, ad affectus ſuos digerendos, dum alius cantat ineptos amores ſuos, alius adulatur iis quos captat, alius injuria laceſſitus ſtylo referit, alius ipſe ſui tibicen eſt, & in efferendis propriis laudibus quemvis *Thraſonem*, quemvis *Pyrgopolinicem* ſuperat: ego tamen quamvis ingenio tenui, & perquam exigua doctrina præditus, tamen huc ſemper ſpectavi, ut, ſi poſſem, prodeſſem: ſin minus, ne quem læderem. *Homerus* ſuum in *Therſiten* odium moleſta carminis hypotypoſi ultus eſt. *Plato* quam multos nominatim perſtrinxit ſuis Dialogis? Cui pepercit *Ariſtoteles*, qui nec *Platoni* pepercit, nec *Socrati*? Habuit ſuum *Demoſthenes Æſchinem*, in quem ſtylo debaccharetur. Habuit ſuum *Cicero Piſonem*, habuit *Vatinium*, habuit *Saluſtium*, habuit *Antonium*. Quam multos nominatim & ridet & carpit *Seneca*? Quod ſi recentiores expendas, & *Petrarchæ* in Medicum quendam, *Laurentio* in *Poggium*, & *Politiano* in *Scalam* ſtylus teli vice fuit. Quem ex omnibus mihi dabis tam modeſtum, qui non amarulentius in aliquem ſcripſerit? Ipſe *Hieronymus*, vir tam pius & gravis, aliquoties non ſibi temperat, quin in *Vigilantium* incandeſcat acrius, in *Jovinianum* inſultet immoderatius, in *Ruſinum* amarulentius invehatur. Semper hic eruditis mos fuit, quicquid dolet aut delectat, chartis ceu fidis ſodalibus committere, in harum ſinum omnes pectoris æſtus effundere. Imo deprehendas quoſdam, non alio conſilio libros ſcribendos ſuſcipere, quam ut in his obiter animi ſui motus inſulciant, atque hac ratione tranſmittant in poſteros. At ego in tot jam editis Voluminibus, cum tam multos candidiſſime laudarim, quæſo, cujus unquam denigravi famam, cui vel leviſſimam adſperſi labem? Quam gentem, quem ordinem, quem hominem nominatim taxavi? Quid, ſi ſcias, mi *Dorpi*, quoties ad id faciendum fuerim nulli tolerandis contumeliis provocatus? Semper tamen vici dolorem animi mei, magiſque rationem habui, quid poſteritas eſſet judicatura de nobis, quam quid illorum mereretur improbitas. Si res ipſa perinde fuiſſet nota ceteris, ut erat mihi, nemo me mordacem judicaſſet, ſed æquum, ſed modeſtum etiam, ac moderatum. Verùm ita mecum cogitabam, quid aliis cum noſtris privatis affectibus? aut quî noſtra hæc nota poterunt eſſe vel procul diſſitis vel poſteris? Ego non quod illis, ſed quod me dignum eſt fecero. Præterea nullus eſt tam inimicus, quem non optem, ſi fieri poſſit, in amicum redire. Cur ei rei præcludam viam? Cur hîc ſcribam in hoſtem, quod aliquando fruſtra nolim ſcriptum in amicum? Cur notabo carbone, cui ſuum candorem, etiamſi promereatur, non poſſim reſtituere? Malo in hanc peccare partem, ut vel parum meritos prædicem, quam ut meritos vituperem. Nam ſi quem falſo laudaris, candori tribuitur: ſin quantumlibet etiam ignominia dignum ſuis pinxeris coloribus, non illius factis, ſed tuo morbo adſcribitur. Ut ne dicam interim quod ut ex injuriis mutua talione reciprocantibus, ingens bellum aliquoties exoritur: ſic ex maledictis viciſſim ultro citroque regeſtis, periculoſiſſimum incendium non raro naſcitur: & ut parum Chriſtianum eſt injuriam injuria penſare, ita parum generoſi pectoris eſt, dolorem ſuum fœminarum exemplo convitiis ulciſci.

Hujuſmodi rationibus ipſe mihi perſuaſi, ut ſemper innoxias & incruentas haberem litteras, nec eas ullius mali nomine contaminarem. Nec aliud omnino ſpectavimus in *Moria*, quam quod in cæteris Lucubrationibus, tametſi via diverſa. In *Enchiridio* ſimpliciter Chriſtianæ vitæ formam tradidimus. In libello *de Principis inſtitutione* palam admonemus, qui-

Digitized by Google

bus rebus Principem oporteat esse instructum. In *Panegyrico* sub laudis prætextu, hoc ipsum tamen agimus oblique, quod illic egimus aperta fronte. Nec aliud agitur in *Moria* sub specie lusus, quam actum est in *Enchiridio*. Admonere voluimus, non mordere: prodesse, non lædere: consulere moribus hominum, non officere. *Plato* Philosophus tam gravis largiores in compotationibus invitatiunculas approbat, quod arbitretur quædam vitia per hilaritatem vini posse discuti, quæ severitate corrigi non possent. Et *Flaccus* existimat jocosam quoque admonitionem non minus atque seriam conducere: *Ridentem*, inquit, *dicere verum*, *Quid vetat*? Neque non perspectum est hoc sapientissimis olim viris, qui saluberrima vitæ præcepta ridendis ac puerilibus in speciem Apologis proponere maluerunt, quod per se subaustera veritas, voluptatis illecebra commendata, facilius penetrat in animos mortalium. Nimirum hoc est illud mel, quod apud *Lucretium* Medici pueris medentes absinthii poculo prælinunt. Nec in alium usum veteres illi Principes hoc morionum genus in aulas suas induxerunt, quam ut horum libertate leviora quædam vitia citra ullius offensam & aperirentur, & emendarentur. Fortasse *Christum* in hoc album vocare non conveniat: verum si licet cœlestia cum humanis ullo modo conferre, nonne hujus Parabolæ confine quiddam habent cum veterum Apologis? Et jucundius illabitur, & acrius insidit in animos Euangelica veritas, hujusmodi lenociniis commendata, quam si nuda produceretur: id quod in opere *De doctrina Christiana* divus *Augustinus* copiose persequitur. Videbam quam esset mortalium vulgus stultissimis opinionibus corruptum, idque in singulis vitæ institutis, & remedii votum erat verius quam spes. Proinde videbar mihi reperisse rationem, ut delicatis animis hac arte tanquam obreperem, & cum voluptate quoque mederer. Et sæpenumero conspexeram festivum hoc & jocosum admonendi genus, multis felicissime cedere. Quod si respondebis, personam quam induxi leviorem esse, quam ut sub illius prætextu de rebus seriis disputetur, hanc culpam fortassis agnoscam. Inepti reprehensionem non admodum deprecor, amarulenti deprecor: quanquam & illud probe tueri possem, si non alia ratione, certe tot gravissimorum hominum exemplo, quos in ipsius libelli Præfatiuncula recensui. Quid autem facerem? Diversabar id temporis apud *Morum* meum, ex *Italia* reversus, ac renum dolor compluſculos dies domi continebat, & mea Bibliotheca nondum fuerat advecta, tum si maxime fuisset, non sinebat morbus quicquam in gravioribus studiis acrius agitare. Cœpi per otium *Morias* encomium ludere, nec in hoc sane ut ederem, sed ut morbi molestiam hoc velut avocamento levarem. Operis incœpti gustum amiculis aliquot exhibui, quo jucundior esset risus cum pluribus communis. Quibus cum vehementer placuisset, institerunt uti pergerem: obsecutus sum, & in hoc negotii septem plus minus dies impendi: qui sane sumtus mihi pro argumenti pondere nimius etiam videbatur. Deinde quorum instinctu scripseram, eorundem opera deportatus in *Galliam* libellus, formulis excusus est, sed ab exemplo non solum mendoso, verum etiam mutilo. Porro quam displicuerit, vel illud satis est argumenti, quod intra pauculos menses plus septies fuerit typis stanneis propagatus, idque diversis in locis. Demirabar ipse, quid ibi cuiquam placeret.

Hanc, mi *Dorpi*, si ineptiam vocas, habes reum confitentem, aut certe non reclamantem. Ad hunc modum & per otium, & amiculis obsecundans ineptivi, idque semel duntaxat in vita. Quis autem omnibus horis sapit? At ipse fateris, cæteras lucubrationes meas ejusmodi esse, ut juxta piis atque eruditis omnibus magnopere probentur. Qui sunt isti tam rigidi censores, vel potius Areopagitæ, qui homini vel unam ineptiæ culpam nolint condonare? Quæ tam insignis morositas, ut unico ridiculo offensi libello, tot vigiliarum superiorum gratia repente scriptorem spolient? Quot ineptias aliorum proferre possem, hac multis partibus ineptiores, etiam in magnis Theologis, dum rixosas & frigidissimas quæstiones commenti, de nugacissimis nugis perinde ac pro focis & aris inter se digladiantur. Atque isti tam ridiculas fabulas, & vel ipsis *Atellanis* ineptiores citra personam agunt. Ego certe verecundius, qui cum ineptior esse vellem, Stultitiæ personam obtexui: & quemadmodum apud *Platonem Socrates* obtecta facie laudes amoris recitat, ita ipse fabulam hanc personatus egi. Scribis ab istis ipsis, quibus argumentum displicet, & ingenium, & eruditionem, & eloquentiam probari, verum eosdem offendi nimis libera mordacitate. At isti reprehensores plus etiam tribuunt mihi, quam velim: quanquam nihil moror hanc laudem, præsertim ab his profectam, quibus ego nec ingenium esse puto, nec eruditionem, nec eloquentiam: quibus si pollerent, mi *Dorpi*, crede mihi, non tantopere jocis offenderentur salutaribus magis quam ingeniosis aut eruditis. Obsecro te per Musas, quos tandem oculos, quas aures, quod palatum adferunt isti, quos offendit in eo libello mordacitas? Primum quæ potest illic esse mordacitas, ubi nullius omnino nomen perstringitur præterquam meum? Cur non venit in mentem, quod toties inculcat *Hieronymus*, ubi generalis est de vitiis disputatio, ibi nullius esse personæ injuriam? Quod si quisquam offenditur, non habet quod expostulet cum eo qui scripsit: ipse si volet, secum agat injuriarum, utpote sui proditor, qui declararit hoc ad se proprie pertinere, quod ita dictum est de omnibus, ut de nemine sit dictum, nisi si quis volens sibi vindicet. An non vides me toto Opere sic à nominibus hominum temperasse, ut nec gentem ullam acrius taxare voluerim? Etenim ubi cuique nationi peculiarem philautiam recenseo, *Hispanis* adscribo militiæ laudem, *Italis* litteras & eloquentiam, *Anglis* lautas mensas, & formam, & cæteris item ejusmodi quædam, quæ quisque in se dicta, vel agnoscat non illibenter, vel certe cum risu audiat. Ad hæc, cum juxta argumenti susceptı rationem, per omnia mortalium genera volvar, & in taxandis singulorum vitiis versor, quæso, quid usquam aut dictu fœdum occurrit aut virulentum? Ubi flagitiorum sentinam aperio? ubi secretam illam vitæ humanæ moveo Camarinam? Quis nescit, quam multa dici potuerint in malos Pontifices, in improbos Episcopos & Sacerdotes, in vitiosos Principes, breviter in quemvis ordinem, si ad *Juvenalis* exemplum, non puduisset ea mandare litteris, quæ multos non pudet facere? Tantum festiva quædam & ridicula magis quam fœda recensuimus, sed ita recensuimus, ut obiter & maximis de rebus nonnunquam admoneamus, quod illos scire magnopere referat.

Scio tibi non esse vacuum ad hujusmodi nugas descendere, sed tamen si quando dabitur otium, fac attentius excutias ridiculos illos *Moriæ* jocos: nimirum comperies non paulo magis quadrare ad Euangelistarum & Apostolorum dogmata, quam quorundam splendidas, sicuti putant, & magnis dignas magistris disputationes. Atque ipse quoque in tuis litteris non diffiteris, pleraque vera esse, quæ illic referuntur. Verùm existimas non expediisse, auriculas teneras mordaci radere vero. Si putas nullo pacto libere loquendum esse, nec unquam promendam esse veritatem, nisi cum non offendit, cur Medici pharmacis medentur amaris, & ἱερὰν πικρὰν inter laudatissima ponunt remedia? Quod si illi faciunt, corporum medentes vitiis, quanto magis par est nos idem facere in sanandis animorum morbis? *Obsecra*, inquit *Paulus*, *argue*, *increpa*, *opportune*, *importune*. Apostolus vult omnibus modis insectanda esse vitia, & tu nullum vis ulcus attingi? præsertim cum id ea moderatione fiat, ut ne possit quidem quisquam lædi, nisi qui studio læserit scipsum. Quod si ulla est ratio, citra ullius offensam medendi vitiis hominum, hæc una, ni fallor, est omnium maxime

Digitized by Google

me accommoda; cum neque nomen cujuſquam editur, deinde cum temperatur ab iis vitiis, à quorum commemoratione quoque bonorum abhorrent aures. Etenim quemadmodum in Tragœdiis quædam atrociora ſunt, quam ut oculis ſpectatorum conveniat exhiberi, & narraſſe ſufficiat: ita in hominum moribus quædam obſcœniora ſunt, quam ut verecunde poſſint narrari. Poſtremo cum illa ipſa quæ narrantur ſub ridicula perſona, per luſum & jocum efferuntur, ut omnem offenſam ſermonis hilaritas excludat. An non videmus quantum aliquoties apud ſeveros etiam tyrannos valeat jocus commodus, & in tempore dictus? Quæſo te, quæ preces, quæ ſeria oratio potuiſſet Regis illius animum tam facile placare, quam militis jocus? *Imò*, inquit, *niſi lagena nos deſtituiſſet, longe atrociora fueramus in te dicturi.* Arriſit Rex, & ignovit. Nec ſine cauſa tam diligenter de riſu præcipiunt duo ſummi Rhetores *M. Tullius* & *Quintilianus.* Tantam vim habet lepos & jucunditas ſermonis, ut etiam in nos apte tortis dicteriis delectemur, id quod de *C. Cæſare* litteris eſt proditum. Proinde ſi fateris vera quæ ſcripſi, ſi feſtiva magis quam obſcœna, quæ ratio commodior excogitari poterat medicandi communibus hominum malis? Primum ipſa voluptas illectat ad legendum, & illectum remoratur. Nam in cæteris alias res alii venantur. Voluptas ex æquo blanditur omnibus, niſi ſi quis ſtupidior eſt, quam ut litteratæ voluptatis ſenſu tangi poſſit. Porro qui illic offenduntur, ubi nullius editur nomen, ii mihi videntur haud multum abeſſe à muliercularum affectibus: quæ ſi quid in malas fœminas dictum fuerit, ſic commoventur, quaſi ea contumelia ad ſingulas pertineat. Rurſum ſi quid laudis tribuatur probis mulieribus, ſic ſibi placent, quaſi quod unius aut alterius eſt, id pertineat ad omnium laudem. Abſit hoc ineptiæ genus à viris, at multo magis ab eruditis viris, maxime vero à Theologis. Si quid hîc offendo criminis, à quo ſum immunis, non offendor, ſed ipſe mihi gratulor, qui vacem iis malis, quibus multos obnoxios eſſe video. Sin eſt tactum ulcus aliquod, & ſum ipſe mihi oſtenſus in ſpeculo, nec hîc quicquam eſt cauſæ, cur offendi debeam: ſi prudens ſum, diſſimulabo quod ſentio, nec ipſe mei veniam proditor: ſi probus, admonitus cavebo, ne mihi tale convitium poſthac in os nominatim poſſit impingi, quod illic ſine nomenclatura notatum video. Cur non ſaltem hoc donamus huic libello, quod vulgaribus iſtis comœdiis tribuunt & idiotæ? quam multa, quanta cum libertate jaciuntur illic in Monarchas, in Sacerdotes, in Monachos, in uxores, in maritos, in quos non? Et tamen quia nemo nominatim inceſſitur, arrident omnes, & ſuum quiſque morbum aut fatetur ingenue, aut diſſimulat prudenter. Violentiſſimi quoque tyranni ferunt ſcurras & moriones ſuos, cum ab iis aliquoties manifeſto convitio feriuntur. Non ultus eſt Imp. *Flavius Veſpaſianus* exprobatam ſibi cacantis faciem. Et quinam ſunt iſti tam delicatis auribus, qui *Moriam* ipſam non ferunt in communem hominum vitam ſine ullius nominis inuſtione ludentem? Nunquam exploſa fuiſſet vetus comœdia, ſi ab edendis nominibus illuſtrium virorum abſtinuiſſet.

At tu quidem, optime *Dorpi*, ita propemodum ſcribis, quaſi totum ordinem Theologicum *Moriæ* libellus à nobis alienaſſet. Quid opus fuit, inquis, Theologorum ordinem tam acriter laceſſere? meamque deploras fortunam. Olim, inquis, tuas lucubrationes magno ſtudio legebant omnes, te præſentem videre geſtiebant, nunc *Moria*, veluti *Davus*, interturbat omnia. Scio te nihil per calumniam ſcribere, nec ipſe tecum tergiverſatorem agam. Quæſo, laceſſitum Theologorum ordinem putas, ſi quid dictum fuerit in ſtultos aut malos Theologos, eoque indignos nomine? Atqui ſi placet iſta lex, univerſum mortalium genus infenſum habeat, qui quid dixerit in ſceleratos homines. Quis unquam fuit tam impudens Rex, qui non fateatur, Regum nonnullos eſſe malos, & hoc honore indignos? Quis Epiſcopus tam inſolens, quin idem de ſuo fateatur ordine? An unus ordo Theologorum, in tanto numero nullum habet ſtupidum, nullum indoctum, nullum rixoſum, ſed tantum *Paulos*, *Baſilios*, & *Hieronymos* nobis exhibet? imo contrà fit, ut quo quæque profeſſio præclarior eſt, hoc pauciores habeat qui reſpondeant. Plures invenies bonos naucleros, quam bonos Principes: plures Medicos bonos, quam bonos Epiſcopos. Atqui ea res haud pertinet ad contumeliam ordinis, ſed ad laudem paucorum, qui in pulcherrimo ordine ſeſe pulcherrime geſſerunt. Rogo, die mihi, cur magis offenduntur Theologi, ſi modo ſunt qui offendantur, quam Reges, quam Primates, quam Magiſtratus, quam Epiſcopi, quam Cardinales, quam ſummi Pontifices? denique quam Negotiatores, quam Mariti, quam Uxores, quam Jureconſulti, quam Poëtæ? nullum enim omnino mortalium genus præteriit *Moria*, niſi quod non uſqueadeo deſipiunt, ut in ſe quiſque dictum exiſtimet, quod in genere dictum ſit in malos? Divus *Hieronymus* ſcripſit ad *Euſtochium* de virginitate, atque in eo libro malarum virginum mores ita depingit, ut nullus *Apelles* magis poſſit oculis exponere. Nunquid offenſa eſt *Euſtochium*? nunquid ſuccenſuit *Hieronymo*, quod virginum ordinem dehoneſtaſſet? ne tantulum quidem: at quamobrem tandem? nempe quod virgo prudens non exiſtimaret ad ſe pertinere, ſi quid dictum eſſet in malas, imo gaudebat admoneri bonas, ne in tales degenerarent: gaudebat admoneri malas, ut tales eſſe deſinerent. Scripſit ad *Nepotianum* de vita Clericorum, ſcripſit ad *Ruſticum* de vita Monachorum, ac miris coloribus pingit, miris ſalibus taxat utriuſque generis vitia. Nihil offenſi ſunt ad quos ſcripſit, quod ſcirent horum nihil ad ſe pertinere. Cur non alienatus eſt *Guilielmus Montjoius*, inter optimates aulicos non infimus, quod multa luſerit *Moria* in proceres aulicos? Nempe cum ipſe ſit vir & optimus, & prudentiſſimus, arbitratur id, quod res eſt, quod in malos ac ſtultos dictum eſt primates, nihil ad ſe pertinere. Quam multa luſit in malos & laïcos Epiſcopos *Moria*? Cur nihil hiſce rebus offenſus eſt Archiepiſcopus *Cantuarienſis*? Nempe quia vir omni virtutum genere abſolutus, nihil horum ad ſe pertinere judicat. Quid ego tibi pergam commemorare nominatim de ſummis Principibus, de cæteris Epiſcopis, de Abbatibus, de Cardinalibus, de viris eruditione claris, quorum neminem adhuc ſentio vel pilo factum alieniorem *Moriæ* gratia? Nec adduci poſſum, ut credam ullos Theologos irritatos hoc libello, niſi forte pauculos aliquot, qui vel non intelligant, vel invideant, vel natura ſint adeo moroſa, ut nihil omnino probent. Habet enim id, quod in confeſſo eſt, hoc hominum genus admixtos quoſdam, primum ingenio judicioque adeo infelici, ut ad nullas omnino litteras ſint appoſiti, nedum Theologicas. Deinde poſteaquam pauculas *Alexandri Galli* regulas edidicerint, ad hæc paululum ineptiſſimæ Sophiſtices attigerint, poſt ex *Ariſtotele* decem tenuerint propoſitiones, nec has intellectas, poſtremo ex *Scoto* aut *Ocam* totidem edidicerint quæſtiones, quod ſupereſt, ex *Catholico*, *Mammetrecto*, & conſimilibus Dictionariis, velut ex Copiæ cornu petituri, mirum quam criſtas efferant, ut nihil eſt arrogantius imperitia. Iſti ſunt qui contemnunt divum *Hieronymum*, ut Grammatiſten, quia non intelligant. Iſti Græcas, Hebraïcas, imo & Latinas rident litteras. Et cum ſint quovis ſue ſtupidiores, ac ne ſenſu quidem communi præditi, putant ſe totius arcem tenere ſapientiæ. Cenſent omnes, damnant, pronuntiant, nihil addubitant, nuſquam hærent, nihil neſciunt. Et tamen iſti duo tresve magnas ſæpenumero commovent tragœdias. Quid enim eſt inſcitia vel impudentius, vel pertinacius? Hi magno ſtudio conſpirant in bonas litteras, ambiunt in ſenatu Theologorum aliquid eſſe, & verentur, ne ſi renaſcantur bonæ litteræ, & ſi reſipiſcat

Digitized by Google

ſcat mundus, videantur nihil ſciſſe, qui antehac vulgo nihil neſcire videbantur. Horum ſunt illi clamores, horum illi tumultus, horum conjuratio in viros melioribus addictos litteris. His non placet *Moria*, quia non intelligunt neque Græce, neque Latine. In hujuſmodi non Theologos, ſed Theologiæ hiſtriones, ſi quid forte dictum ſit acerbius, quid hoc ad magnificentiſſimum bonorum Theologorum ordinem? Nam ſi pietatis ſtudio commoventur iſti, cur *Moriæ* potiſſimum ſuccenſent? Quam impia, quam ſpurca, quam peſtifera ſcripſit *Poggius*? At hic ut auctor Chriſtianus paſſim habetur in ſinu, in omnes pene verſus linguas. Quibus probris, quibus maledictis clericos inſectatur *Pontanus*? At hic ut lepidus ac feſtivus legitur. Quantum obſcœnitatis eſt in *Juvenale?* At hunc quidam putant concionatoribus etiam utilem eſſe. Quam maledice ſcripſit in Chriſtianos *Cornelius Tacitus*? quam inimice *Suetonius*? quam impie derident immortalitatem animarum *Plinius* & *Lucianus*? At hos tamen eruditionis gratia legunt omnes, & merito quidem legunt. Solam *Moriam*, quia ſalibus aliquot luſerit, non in bonos Theologos, & eo dignos titulo, ſed ineruditorum frivolas quæſtiunculas, & ridiculum Magiſtri noſtri titulum, ferre non poſſunt. Ac duo tresve nebulones, Theologico ſchemate perſonati, mihi conantur hanc movere invidiam, quaſi Theologorum ordinem læſerim & alienarim. Ego tantum tribuo Theologicis litteris, ut eas ſolas ſolcam appellare litteras. Ita ſuſpicio venerorque hunc ordinem, ut huic uni nomen dederim, ac voluerim adſcribi. Quanquam pudore prohibeor, quo minus mihi tam eximium titulum aſſeram, quippe qui non ignorem, quæ dotes & eruditionis & vitæ Theologico nomini debeantur. Neſcio quid homine majus profitetur, qui Theologum profitetur: Epiſcoporum ea dignitas eſt, haud mei ſimilium. Nobis ſatis eſt *Socraticum* illud didiciſſe, quod nihil omnino ſcimus, & qua poſſumus operam noſtram juvandis aliorum ſtudiis conferre. Equidem neſcio ubinam lateant iſti duo tresve Theologorum Dii, quos ſcribis mihi parum eſſe propitios. Ipſe compluribus in locis ſum verſatus ab edita *Moria*, in tot Academiis vixi, in tot frequentiſſimis urbibus, nullum unquam Theologum mihi ſenſi iratum, niſi unum aut alterum ex iſtorum numero, qui omnibus bonis litteris ſunt hoſtes. Nec ii tamen unquam verbo mecum expoſtularunt. Quid in abſentem muſſitent, non admodum obſervo, tot bonorum judicio fretus.

Ni vererer, mi *Dorpi*, ne cui videar arrogantius, quam verius hæc dicere, quam multos tibi poſſem recenſere Theologos, vitæ ſanctimonia celebres, eruditione præcellentes, dignitate præminentes, aliquos ex his etiam Epiſcopos, qui me nunquam magis amplexi ſunt, quam poſt editam *Moriam*, & quibus ille libellus magis arridet, quam mihi ipſi. Horum ſingulos titulis ac nominibus ſuis hoc loco referrem, niſi vererer ne tantis etiam viris, *Moriæ* cauſa, futuri ſint iniquiores tres iſti Theologi, imo unum duntaxat eſſe puto apud vos iſtius auctorem tragœdiæ. Nam rem propemodum conjecturis aſſequor. Quem ſi vellem ſuis depingere coloribus, nemo miraretur ejuſmodi viro diſplicuiſſe *Moriam:* imo mihi non placeret, niſi talibus diſpliceret, quamquam nec mihi placet. At iſto certe nomine minus diſplicet, quod talibus ingeniis non placet. Plus apud me ponderis habet ſapientum & eruditorum Theologorum judicium, qui tantum abſunt, ut me ſugillent mordacitatis, ut moderationem etiam & candorem meum laudibus vehant, qui procax per ſe argumentum citra procaciam tractarim, & in re jocoſa ſine dente luſerim. Etenim ut ſolis reſpondeam Theologis, quos ſolos audio offendi, quis neſcit quam multa vulgo quoque dicantur in mores malorum Theologorum. *Moria* nihil attingit iſtiuſmodi, tantum jocatur in otioſas illorum diſceptatiunculas: nec has ipſas tamen ſimpliciter improbat, verùm eos damnat, qui in his ſolis Theologicæ rei puppim (ut ajunt) & proram collocant: quique logomachiis, ut divus appellavit *Paulus*, ejuſmodi ſic occupantur, ut nec Euangelicas, nec Propheticas, nec Apoſtolicas litteras vacet legere. Atque utinam, mi *Dorpi*, pauciores eſſent huic obnoxii crimini. Poſſem tibi producere, qui annum egreſſi octogeſimum, tantum ætatis in hujuſmodi tricis perdiderint, nec unquam contextum Euangelicum evolverint, id quod à me compertum ipſi quoque demum confeſſi ſunt. Ne ſub *Moriæ* quidem perſona ſum auſus dicere, quod tamen non raro multos audio deplorantes, Theologos & ipſos, ſed vere Theologos, hoc eſt, viros integros, graves, eruditos, & qui *Chriſti* doctrinam penitus ex ipſis imbiberint fontibus. Ii quoties apud eos ſunt, apud quos fas liberas animi voces depromere, deplorant hoc recentius Theologiæ genus mundo invectum, & vetus illud deſiderant. Quid enim eo ſanctius, quid auguſtius, quid æque reſipiens ac referens illa cœleſtia *Chriſti* dogmata? at hoc, ut omittam barbari factitiique ſermonis ſordes & portenta, ut omittam omnium bonarum litterarum inſcitiam, ut imperitiam linguarum, ſic *Ariſtotele*, ſic humanis inventiunculis, ſic profanis etiam legibus eſt contaminatum, ut haud ſciam an purum illum ac ſincerum *Chriſtum* ubique ſapiat. Fit enim, ut dum ad humanas traditiones nimium avertit oculos, minus aſſequatur archetypum. Hinc ſæpenumero coguntur Theologi cordatiores aliud apud populum dicere, quam vel apud ſe ſentiant, vel apud familiares loquantur: & aliquoties non habeant quod reſpondeant conſultoribus, cum perſpiciunt aliud docuiſſe *Chriſtum*, aliud humanis traditiunculis imperari. Quæſo, quid commercii *Chriſto* & *Ariſtoteli?* Quid ſophiſticis captiunculis cum æternæ ſapientiæ myſteriis? Quorſum tot quæſtionum labyrinthi? inter quas quam multæ ſunt otioſæ, quam multæ peſtilentes, vel hoc ipſo quod contentiones & diſſidia pariunt? At ſunt veſtiganda quædam, ſunt & decernenda quædam, non abnuo: ſed è diverſo permulta ſunt quæ rectius ſit omittere quam inquirere, & ſcientiæ pars eſt quædam neſcire: permulta de quibus ſalubrius eſt ambigere quam ſtatuere. Poſtremo ſi quid ſtatuendum eſt, id velim reverenter, non arroganter: & ex divinis Litteris, non ex commentitiis hominum ratiunculis ſtatui. Nunc neque quæſtiunculârum ullus eſt finis, in quibus ipſis tamen quanta familiarum & factionum diſſenſio? & quotidie decretum ex decreto naſcitur. Breviter eo redacta res eſt, ut negotii ſumma non tam ex *Chriſti* præſcripto, quàm ex Scholaſticorum definitionibus, & Epiſcoporum qualiumcunque poteſtate dependeat. Quibus rebus ſic involuta ſunt omnia, ut ne ſpes quidem ſit mundum ad verum illum Chriſtianiſmum revocandi. Hæc aliaque permulta perſpiciunt ac deplorant ſanctiſſimi, idemque doctiſſimi viri, quorum omnium præcipuam cauſam in audax hoc & irreverens recentium Theologorum genus rejiciunt.

O ſi tibi liceret, mi *Dorpi*, tacitis oculis animi mei cogitationes intueri, nimirum intelligeres quam multa prudens hoc reticeam loco. At horum aut nihil attigit *Moria*, aut certe leviſſime attigit, ne quem offenderem. Atque eandem cautionem in omnibus ſervare curavi, ne quid obſcœne ſcriberem, ne quid peſtiferum moribus, ne quid ſeditioſum, aut quod cum ullius ordinis injuria conjunctum videri poſſet. Si quid ibi dictum eſt de Divorum cultu, ſemper reperies aliquid adſcriptum, quod palam teſtetur nihil aliud taxari quam ſuperſtitionem non recte colentium Divos. Item ſi quid in Principes, ſi quid in Epiſcopos, ſi quid dicitur in Monachos, ſemper addo, quod declaret illud in ordinis injuriam non eſſe dictum, ſed in corruptos & ſuo indignos ordine, ne quenquam bonum læderem, dum malorum inſector vitia. Ac rurſus dum hoc ago, ſubtractis omnium nominibus, effeci quod in me fuit, ne vel mali poſſent offendi. Poſtremo dum ſalibus & jocis, fictaque ridicula perſona tota peragitur fabula, curatum eſt ut triſtes etiam & moroſi boni conſulant.

Jam

Digitized by Google

Jam illud non ut mordacius dictum notari ſcribis, ſed ut impium. Nam quo, inquis, pacto ferant piæ aures, quod futuræ vitæ felicitatem dementiæ ſpeciem vocas? Obſecro te, optime *Dorpi*, quis tuum candorem docuit ſubdolum hoc calumniandi genus? ſive, quod magis arbitror, quis aſtutus ad hanc mihi ſtruendam calumniam tua abuſus eſt ſimplicitate? Ad hunc modum ſolent iſti calumniatores peſtilentiſſimi duo verba decerpere, eaque nuda, nonnunquam & immutata nonnihil, prætermiſſis his quæ durum alioqui ſermonem leniunt & explicant. Notat ac docet hanc aſtutiam in ſuis Inſtitutionibus *Quintilianus*, ut noſtra quam commodiſſime referamus, additis confirmationibus, & ſi quid eſt quod mitiget, quod extenuet, quod alioqui cauſam adjuvet: contra quæ ſunt adverſariorum ea deſtituta his omnibus recitemus, idque verbis, quam fieri poteſt, odioſiſſimis. Hanc artem iſti non ex *Quintiliani* præceptis, ſed ex ſua malevolentia didicerunt: qua ſæpenumero fit, ut quæ magnopere placitura fuerint, ſi ſic referantur, ut ſcripta ſunt, aliter recitata vehementer offendant. Relege quæſo te locum, ac diligenter inſpice quibus gradibus quoque ſermonis progreſſu huc perventum ſit, ut felicitatem illam dementiæ ſpeciem eſſe dicerem. Ad hæc obſerva, quibus verbis id explicem: videbis illic eſſe, quod vere pias aures etiam delectet, tantum abeſt ut quicquam ſit quod offendat. In tua recitatione offendiculum eſt, non in meo libello. Etenim cum hoc ageret *Moria*, ut univerſum rerum genus ſtultitiæ nomine complecteretur, doceretque totius humanæ felicitatis ſummam à ſtultitia pendere, per omne mortalium genus pervagata eſt, uſque ad Reges ac ſummos Pontifices. Deinde perventum eſt ad ipſos Apoſtolos, atque adeo *Chriſtum*, quibus ſtultitiam quandam tributam reperimus in ſacris Litteris. Neque vero periculum eſt ne quis hîc imaginetur, Apoſtolos aut *Chriſtum* vere ſtultos fuiſſe: ſed quod in his quoque fuerit infirmum quiddam, & noſtris tributum affectibus, quod ad æternam illam ac puram ſapientiam parum ſapiens videri poſſit. Verùm hæc ipſa ſtultitia vincit omnem mundi ſapientiam: quemadmodum & Propheta omnem mortalium juſtitiam pannis confert fœminæ menſtruo fluxu contaminatæ: non quod bonorum juſtitia polluta ſit, ſed quod ea quæ apud homines puriſſima ſunt, quodam modo impura ſint, ſi ad illam ineffabilem Dei puritatem conferantur. Et ut ſapientem propoſui ſtultitiam, ita ſanam inſaniam, & cordatam amentiam facio. Quoque mollius eſſet, quod de ſanctorum fruitione ſequebatur, præmitto tres *Platonis* furores, è quibus feliciſſimus ſit amantium, qui nihil aliud ſit quam ecſtaſis quædam. At piorum ecſtaſis nihil aliud eſt quam guſtus quidam futuræ beatitudinis, qua toti abſorbebimur in Deum, in illo magis quam in nobis ipſis futuri. At hunc *Plato* furorem vocat, cum quis extra ſe raptus, in eo eſt quod amat, eoque fruitur. Non vides quam diligenter paulo poſt diſtinxerim ſtultitiæ & inſaniæ genera, ne quis ſimplicium in verbis noſtris labi poſſet?

Verùm de re non pugno, inquis, à verbis ipſis abhorrent piorum aures. At cur non offenduntur eædem aures iſtæ, cum *Paulum* audiunt dicentem, *Quod ſtultum eſt Dei?* & *ſtultitiam crucis*? Cur non divum *Thomam* in jus vocant, qui de *Petri* ecſtaſi ſcribit in hunc modum: *Dum pie deſipit, ſermonem incipit de tabernaculis.* Sacrum illum & felicem raptum deſipientiam vocat, & tamen iſta canuntur in Templis. Cur mihi non olim ſcripſere dicam, quod in precatione quadam *Chriſtum* magum dixerim & incantatorem? Divus *Hieronymus* Chriſtum *Samaritanum* appellat, cum fuerit *Judæus*. *Paulus* eundem & *peccatum* vocat, quaſi plus dicas quam peccatorem. *Maledictum* vocat. Quam impium convitium, ſi quis maligne velit interpretari: quam pia laus, ſi quis, ut *Paulus* ſcripſit, ita accipiat? Ad conſimilem modum, ſi quis *Chriſtum* prædonem appellet, ſi quis adulterum, ſi quis temulentum, ſi quis hæreticum, nonne futurum ſit, ut boni omnes obturent aures? At ſi quis commodis verbis hæc afferat, & ſermonis progreſſu paulatim huc lectorem veluti manu deducat, quemadmodum triumphans per crucem, prædam ab inferis abductam Patri revexerit: quemadmodum *Moſi* Synagogam, velut uxorem *Uriæ*, ſibi adjunxerit, ut ex ea naſceretur pacificus ille populus: quo pacto caritatis muſto temulentus, ſemetipſum nobis impenderit, quemadmodum novum doctrinæ genus invexerit ab omnium & ſapientum & inſipientum placitis longe diverſiſſimum: quis, quæſo, poterit offendi, præſertim cum horum vocabulorum ſingula nonnunquam reperiamus in arcanis Litteris in bonum uſurpata ſenſum? Nos in *Chiliadibus* (nam id obiter venit in mentem) Apoſtolos *Silenos* appellavimus, imo *Chriſtum* ipſum *Silenum* quendam diximus. Accedat iniquus interpres, qui hoc tribus verbis odioſius explicet, quid intolerabilius? At legat pius & æquus quæ ſcripſi, probabit allegoriam. Demiror autem nec illud animadverſum ab iſtis, quam cautim efferam iſta, quamque correctione ſtudeam mitigare: ſic enim propono: *Sed poſteaquam ſemel ἡ λεοντὴν induimus, age doceamus & illud, felicitatem Chriſtianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud eſſe quam inſaniæ ſtultitiæque genus quoddam. Abſit invidia verbis, rem ipſam potius expendite.* Audis-ne? Primum quod *Moria* de re tam arcana diſputat, id mitigo proverbio, quod jam leonis exuvium induerit. Nec ſimpliciter appello ſtultitiam aut inſaniam: ſed *ſtultitiæ inſaniæque genus*, ut piam ſtultitiam, & felicem intelligas inſaniam, juxta diſtinctionem, quam mox ſubjicio. Nec hoc contentus, addo *quoddam*, ut appareat figuram ſubeſſe, non ſimplicem eſſe ſermonem. Nec his contentus, offenſam deprecor, quam verborum ſonus poſſit gignere, & admoneo ut magis obſervent quid dicatur, quam quibus dicatur verbis: atque hæc quidem in ipſa ſtatim propoſitione. Jam vero in ipſa rei tractatione, quid eſt omnino quod non pie, quod non circumſpecte ſit dictum, ac reverentius etiam quam ut conveniat *Moriæ*? Sed ibi malui pauliſper obliviſci decori, quam non ſatisfacere dignitati rei, malui rhetoricen offendere, quam lædere pietatem. Ac poſtremo peracta probatione, ne quem moveret, quod de re tam ſacra *Stultitiam*, hoc eſt, jocoſam perſonam fecerim loquentem, & hanc deprecor culpam hiſce verbis: *Verum ego jamdudum oblita mei, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶ. Quanquam ſi quid petulantius aut loquacius à me dictum videbitur, cogitate & Stultitiam & mulierem dixiſſe.* Vides ut nuſquam ceſſarim omnem offendiculi anſam præcidere. Verùm iſta non perpendunt, quorum aures præter propoſitiones, concluſiones, & corollaria nihil admittunt. Quid, quod præfatione præmunierim libellum, qua conor omnem præcludere calumniam? neque quicquam addubito, quin ea candidis omnibus faciat ſatis. Quid autem facias iſtis, qui vel ob ingenii pertinaciam ſibi ſatis fieri nolint, vel ſtupidiores ſint quam ut ſatisfactionem intelligant? Nam quemadmodum *Simonides* dixit, *Theſſalos hebetiores eſſe, quam ut poſſint à ſe decipi*: ita quoſdam videas ſtupidiores, quam ut placari queant. Ad hæc, non mirum eſt invenire quod calumnietur, qui nihil aliud quærit niſi quod calumnietur. Quod ſi quis eodem animo legat divi *Hieronymi* libros, centum locos offendet qui calumniæ pateant: nec deerit in omnium Chriſtianiſſimo doctore, quod ab iſtis hæreticum poſſit appellari: ne quid interim dicam de *Cypriano*, de *Lactantio*, deque cæteris conſimilibus. Denique quis unquam audivit ludicrum argumentum in Theologorum vocari cognitionem? Quod ſi placet, cur non eadem opera quicquid à Poetis hodie ſcribitur aut luditur, ad hanc excutiunt legem? quot illic reperient obſcœna, quot veterem Paganiſmum olentia? Verùm hæc quoniam inter ſeria non habentur, nemo Theologorum exiſtimat ad ſe pertinere. Neque tamen poſtulem iſtorum exemplum mihi patrocinari. Ego nec joco ſcriptum à me velim, quod ullo pacto Chriſtianorum

Digitized by Google

norum officiat pietati, modo detur qui quod ſcriptum
A eſt intelligat, modo detur æquus & integer, quique cognoſcere ſtudeat, non affectet calumniari. At ſi quis iſtorum habeat rationem, qui primum nullo ſunt ingenio præditi, minore judicio, deinde nihil omnino bonarum litterarum attigerunt, ſordida tantum iſta, perturbataque doctrina infecti potius quam eruditi: denique infenſi omnibus, qui ſciunt, quod ipſi neſciant, nec aliud ſecum adferentes propoſitum, quam calumniandi, quicquid illud ſit, quod forte utcunque intellexerint, is nimirum nihil omnino ſcripturus eſt, ſi vacare velit calumnia. Quid, quod iſtorum nonnullos gloriæ ſtudium ad calumniandum adducit? Nihil enim glorioſius inſcitia cum ſcientiæ perſuaſione conjuncta. Proinde cum vehementer ſi-
B tiant famam, nec eam poſſint bonis rationibus aſſequi, malunt *Epheſium* illum juvenem imitari, qui incenſo fano totius orbis celeberrimo nobilitatus eſt, quam inglorii vivere. Et cum ipſi nihil lectu dignum poſſint edere, toti ſunt in hoc, ut celebrium virorum lucubrationes carpant. De aliis loquor, non de me, qui nihil omnino ſum, ac *Moriæ* libellum ipſe ne pili quidem facio, ne quis putet hac re commoveri nos. Quid autem mirum, ſi tales, quales modo diximus, propoſitiones aliquot eligant, ex magno decerptas opere, quarum alias faciunt ſcandaloſas, alias irreverentiales, alias male ſonantes, alias impias & hæreſim ſapientes? non quod hæc mala reperiant illic, ſed quod ipſi ſecum adferant. Quanto placabilius erat, &
C Chriſtiano candore dignius, eruditorum hominum induſtriam favore alere? & ſi quid forte fortuna fuerit elapſum incogitantius, aut connivere, aut comiter interpretari, quam inimice quærere quod reprehendas, & ſycophantam agere, non Theologum? Quanto felicius mutua collatione, vel docere, vel diſcere: &, ut *Hieronymianis* utar verbis, *in Scripturarum campo ſine noſtro dolore ludere?* At in iſtis mirum quam nihil ſit medium. Quoſdam Auctores ſic legunt, ut quantumvis manifeſtum inciderit erratum, vel frivolo prætextu defendant: in quoſdam adeo ſunt iniqui, ut nihil tam circumſpecte dici poſſit, quod non aliqua ratione calumnientur. Quanto præſtiterat dum hæc agunt, dum viciſſim & lacerant, & lacerantur, ſimul & ſuum per-
D dentes otium, & alienum, Græcas, aut Hebraicas, aut certe Latinas litteras diſcere? quarum cognitio tantum adfert momenti ad divinarum ſcientiam Litterarum, ut mihi ſane videatur vehementer impudens, earum rudem Theologi nomen ſibi vindicare.

Proinde, *Martine* optime, pro mea in te benevolentia, non te deſinam adhortari, quod antehac ſæpius feci, ut ſtudiis tuis ſaltem Græcarum litterarum cognitionem adjungas. Rara quædam eſt ingenii tui felicitas. Stylus ſolidus & nervoſus, ac fluens & exuberans, animum arguit non ſanum modo, verum etiam fœcundum. Suppetit ætas non tantum integra, ſed virens adhuc & florida: & vulgatum iſtum ſtudiorum curſum jam feliciter abſolviſti. Crede mihi, ſi iſtis
E tam præclaris initiis Græcanicæ litteraturæ colophonem addideris, auſim tum mihi, tum aliis omnibus magnum quiddam de te polliceri, & quod antehac nemo recentium Theologorum præſtiterit. Quod ſi in hac es opinione, ut amore veræ pietatis putes omnem humanam eruditionem eſſe contemnendam, & arbitraris ad hanc ſapientiam majore compendio perveniri, transfiguratione quadam in *Chriſtum*, cæteraque omnia, quæ digna cognitu ſint, plenius in fidei nomine perſpici quam in hominum libris, facile tuæ ſubſcripſero ſententiæ. Quod ſi, ut nunc habet humanarum rerum ſtatus, veram Theologicæ rei cognitionem tibi promittis abſque linguarum peritia, præſertim ejus, in qua pleræque ſunt traditæ divinæ Litteræ, tota nimirum erras via. Atque utinam hanc rem perſuadere tibi tam poſſim quam cupio: nam cupio non minus quam & te diligo, & tuis ſtudiis faveo: porro tum diligo effuſiſſime, tum faveo impenſiſſime. Quod ſi tibi non poſſum approbare, ſaltem illud amici precibus dones velim, ut periculum facias. Nihil recuſabo ſupplicii, niſi fateberis amicum ac fidum fuiſſe conſilium. Si quid meretur hic meus in te amor, ſi quid valet patria communis, ſi quid tribuis huic, non auſim dicere, doctrinæ, ſed certe laborioſæ in bonis litteris exercitationi, ſi quid tribuis ætati, nam quantum ad annos attinet, ego tibi pater eſſe poſſem, ſine me hoc vel gratia, vel auctoritate, ſi minus argumentis, abs te impetrare. Ita demum mihi videbor eloquens, quod tu mihi ſoles tribuere, ſi hanc rem perſuaſero. Quod ſi æſſequor, futurum eſt ut uterque gaudeamus, ego dediſſe conſilium, tu paruiſſe. Et qui nunc es omnium cariſſimus, hoc nomine non paulo futurus es carior, quod te tibi reddiderim cariorem: ſin minus, vereor ne natu jam grandior, ac rerum uſu doctior, & meum probaturus iis conſilium, & tuam damnaturus ſententiam: quodque fere ſolet uſu venire, tum intelligas errorem tuum, cum ſerum erit mederi. Poſſem tibi permultos enumerare nominatim, qui cani jam cœperint in his litteris repueraſcere, quod tandem animadvertiſſent ſine his mancum ac cæcum eſſe litterarum ſtudium. Verùm hac de re nimis jam multa: ut ad tuam redeam Epiſtolam. Quoniam exiſtimas hac una ratione leniri poſſe Theologorum invidiam, & veterem inſtaurari favorem, ſi quaſi παλινῳδῶν, *Sophiæ* laudem opponam *Moriæ* encomio, vehementer hortaris & obſecras ut ita faciam. Ego, mi *Dorpi*, qui neminem contemno niſi meipſum, quique cupiam, ſi liceat, univerſos mortales habere placatos, nec hoc laboris gravarer ſuſcipere, niſi proſpicerem futurum, ut ſi quid apud pauculos iniquos & indoctos ortum eſt invidiæ, non ſolum non exſtinguatur, verum etiam magis exacerbetur. Proinde ſatius eſſe duco, μὴ κινεῖν τὸ εὖ κείμενον κακὸν, ἢ ταύτης καμαρίνας μὴ ἅπτεσθαι. Rectius, mi fallor, tempore langueſcet hæc excetra.

Nunc ad alterum Epiſtolæ tuæ partem venio. Operam meam in *Hieronymo* reſtituendo magnopere comprobas, & ad conſimiles hortaris labores. Hortaris tu quidem jam currentem, quanquam non tam hortatoribus opus eſt ad hanc rem, quam adjutoribus: tantum eſt in negotio difficultatis. Verùm nolo poſthac mihi quicquam credas, niſi hîc veracem deprehenderis. Iſti, quos tantopere offendit *Moria*, nec *Hieronymi* probabunt Editionem, nec iſti multo ſunt æquiores *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, *Nazianzeno*, quam nobis, niſi quod in nos licentius debacchantur, quanquam aliquoties irritatiores, nec illis indigna luminibus verentur effutire: bonas litteras metuunt, & ſuæ timent tyrannidi. Atque ut intelligas, me non temere hoc divinare, cum opus eſſet inſtitutum, & fama jam percrebuiſſet, accurrere quidam graves, ut habentur, viri, & inſignes, ut ſibi videntur, Theologi, per omnia ſacra Typographum obteſtantes, ne quid Græcitatis aut Hebraiſmi pateretur admiſceri: ingens in eis litteris eſſe periculum, nec quicquam eſſe fructus, ad ſolam curioſitatem eſſe paratas. Et ante hoc tempus cum apud *Britannos* agerem, forte fortuna incidit mihi compotatio cum *Franciſcano* quodam, primi nominis *Scotiſta*, qui plebis judicio multum ſapere, ſuo nihil neſcire videtur: huic cum expoſuiſſem, quid in *Hieronymo* conarer, vehementer admiratus eſt eſſe quicquam in hujus libris, quod à Theologis non intelligeretur: homo uſque adeo indoctus, ut demirer ſi tres verſus in omnibus *Hieronymi* lucubrationibus recte intelligat. Addebat homo ſuavis, ſi quid in *Hieronymi* Præfationibus addubitarem, *Britonem* omnia luculenter expoſuiſſe. Quæſo, mi *Dorpi*, quid iſtis facias Theologis, aut quid preceris, niſi forte fidelem
F medicum, qui cerebro medeatur? Et tamen hujus farinæ ſunt aliquoties, qui in Theologorum conſeſſu fortiſſime vociferantur, hi de Chriſtianiſmo pronuntiant. Timent & horrent ceu rem periculoſam ac peſtilentem, quam divus *Hieronymus*, quam *Origenes* etiam ſenex magnis ſudoribus ſibi paravit, quo vere Theologus eſſet. At *Auguſtinus* jam Epiſcopus, jam ſenex

Digitized by Google

ſenex in *Confeſſionum* libris deplorat, quod juvenis ab eis litteris abhorruiſſet, quæ ſibi in exponendis ſacris Litteris magno uſu eſſe potuiſſent. Si periculum eſt, non metuam hoc diſcriminis, quod viri tam ſapientes effectarunt: ſi curioſitas, nolim eſſe ſanctior *Hieronymo*, de quo quam bene mereantur iſti, qui quod ille fecit, curioſitatem vocant, viderint ipſi. Exſtat pervetuſtum Pontificii ſenatus decretum, de conſtituendis Doctoribus, qui Linguas aliquot publice traderent, cum de Sophiſtica, de *Ariſtotelis* Philoſophia perdiſcenda nuſquam unquam quicquam ſit cautum: niſi quod iſta in decretis vocantur in dubium, utrum fas ſit ea diſcere, nec ne, atque horum ſtudium à multis ac magnis Auctoribus improbatur. Cur quod Pontificum auctoritas juſſit, negligimus: de quo dubitatum eſt, imo quod improbatum, id ſolum amplectimur, quanquam idem iſtis evenit in *Ariſtotele*, quod in divinis Litteris: adeſt ubique Nemeſis illa contemti ſermonis ultrix: paſſim & hic hallucinantur, ſomniant, cæcutiunt, impingunt, meraque portenta proferunt. His egregiis Theologis debemus quod ex tam multis Scriptoribus, quos in Catalogo recenſet *Hieronymus*, tam pauci ſuperſint, quia ſcribebant quod Magiſtri noſtri non intelligerent. His debemus quod divum *Hieronymum* ſic habemus depravatum ac mutilum, ut aliis plus prope negotii ſit in reſtituendo, quam ipſi fuerit in ſcribendo.

Jam vero quod tertio loco ſcribis de Novo Teſtamento, ſane demiror quid tibi acciderit, aut quonam interim perſpicaciſſimos ingenii tui oculos averteris. Nolis quicquam à me mutari, niſi ſi quid forte ſit apud Græcos ſignificantius: & negas in hac, qua vulgo utimur, Editione quicquam eſſe vitii. Nefas eſſe putas, rem tot ſeculorum conſenſu, tot Synodis approbatam, ullo pacto convellere. Obſecro te, ſi vera ſcribis, eruditiſſime *Dorpi*, cur frequenter aliter citat *Hieronymus*, aliter *Auguſtinus*, aliter *Ambroſius*, quam nos legimus? Cur *Hieronymus* multa reprehendit, & corrigit nominatim, quæ tamen in hac habentur Editione? Quid facies, cum tam multa conſentiunt, hoc eſt, cum ſecus habent Græcorum codices, cum ad horum exemplar citat *Hieronymus*, cum idem habent vetuſtiſſima Latinorum Exemplaria, cum ipſe ſenſus multo rectius quadrat? num his omnibus contemtis, tuum ſequeris codicem, fortaſſis à ſcriba depravatum? Neque vero quiſquam aſſeverat in divinis Litteris ullum eſſe mendacium, quandoquidem & hoc adductum eſt abs te: neque totum hoc, de quo cum *Hieronymo* digladiatur *Auguſtinus*, quicquam ad rem pertinet. At illud ipſa res clamitat, & vel cæco (quod ajunt) poteſt eſſe perſpicuum, ſæpe vel ob imperitiam interpretis, vel ob oſcitantiam Græca male reddita eſſe: ſæpe germanam ac veram lectionem ab indoctis librariis fuiſſe depravatam, id quod quotidie videmus accidere, aliquoties mutatam à ſemidoctis, parum attentis. Uter magis favet mendacio, qui hæc corrigit ac reſtituit, an qui citius ferat addi mendam, quam tolli. Quandoquidem ea depravatorum natura eſt, ut menda mendam gignat. Et ſunt fere ejuſmodi, quæ mutamus, ut ad emphaſim pertineant magis, quam ad ſenſum ipſum, quanquam ſæpenumero magna ſenſus pars eſt emphaſis. Verum non raro tota aberratum eſt via, quod quoties accidit, quæſo te, quo confugit *Auguſtinus*, quo *Ambroſius*, quo *Hilarius*, quo *Hieronymus*, niſi ad Græcorum fontes? Id cum ſit Eccleſiaſticis quoque decretis comprobatum, tamen tergiverſaris, & ſtudes refellere, vel potius elabi diſtinctiuncula. Scribis eo ſeculo Græcorum codices emendatiores fuiſſe Latinis: nunc contra eſſe, nec fidendum illorum libris, qui deſciverint ab Eccleſia *Romana*. Vix adducor, ut credam te hoc ex animo ſcribere. Quid ais? non legemus eorum libros qui deſciverunt à fide Chriſtiana? Cur igitur *Ariſtoteli* tantum auctoritatis tribuunt Ethnico, cui nihil unquam fuerit cum fide commercii? Tota *Judæorum* gens à *Chriſto* deſcivit, nihil igitur ponderis habebunt apud nos Pſalmi & Prophetæ, illorum ſermone ſcripti? Jam mihi recenſe capita omnia, in quibus Græci à Latinis diſſentiunt orthodoxis: nihil reperies, quod ex Novi Teſtamenti verbis natum ſit, aut quod huc pertineat. Tantum de vocabulo *hypoſtaſeos*, de proceſſione Sancti Spiritus, de conſecrandi ceremoniis, de paupertate Sacerdotum, de poteſtate Romani Pontificis controverſia eſt. At nihil horum ex falſatis approbant Exemplaribus. At quid dices, ubi videris ſic interpretatum *Origenem*, ſic *Chryſoſtomum*, ſic *Baſilium*, ſic *Hieronymum*? Num eo quoque ſeculo falſaverat aliquis Græcorum codices? Aut quis unquam deprehendit Græcorum codices vel uno in loco falſatos fuiſſe? Poſtremo cur falſare velint, cum hinc non tueantur ſua dogmata? Adde huc, quod ſemper in omni doctrinæ genere Græcorum codices emendatiores fuiſſe, quam noſtros, fatetur & *M. Tullius*, quanquam alioqui Græcis iniquior. Nam diſtinctio litterarum, apices, & ipſa ſcripturæ difficultas, in cauſa eſt, quo minus facile queant vitiari: aut ſi quid fuerit vitiatum, facilius poſſit reſtitui. Porro quod ſcribis, ab hac Editione non eſſe recedendum, tot videlicet Conciliis approbata: more vulgarium Theologorum facis, qui quicquid ullo modo in publicum uſum irrepſit, Eccleſiaſticæ tribuere ſolent auctoritati. At mihi vel unam profer Synodum, in qua ſit hæc Editio comprobata. Nam qui comprobavit, quæ cujus ſit, nemo novit? Nam *Hieronymi* non eſſe, vel ipſæ teſtantur *Hieronymi* præfationes. Sed eſto, comprobarit Synodus aliqua, num ita comprobavit, ut nihil omnino liceat ex Græcorum fontibus emendare? Num mendas etiam omnes comprobavit, quæ variis modis potuerunt irrepere? Num hujuſmodi verbis conceptum fuit decretum à patribus? *Hæc Editio cujus ſit auctoris neſcimus, ſed tamen eam approbamus: nec obſtare volumus, ſi quid ſecus habent Græci codices, quantumvis emendati: ſi quid ſecus legit* Chryſoſtomus, *aut* Baſilius, *aut* Athanaſius, *aut* Hieronymus, *etiamſi illud magis quadraverit ad ſenſum Euangelicum: & tamen hos ipſos auctores in ceteris magnopere comprobamus. Quin etiam quicquid in poſterum, quocunque modo, vel à ſemidoctis & audaculis, vel ab imperitis, ebriis, oſcitantibus Librariis fuerit vitiatum, depravatum, additum, omiſſum, eadem probamus auctoritate, neque cuiquam volumus licere, mutare ſcripturam ſemel inductam.* Ridiculum decretum inquis. At hujuſmodi neceſſe eſt fuiſſe, ſi nos auctoritate Synodi deterres ab hac induſtria. Poſtremo quid dicturi ſumus, ubi viderimus nec hujus Editionis Exemplaria conſentire? Num & hanc pugnantiam approbavit Synodus, præſcia videlicet, quid quiſque mutaturus eſſet?

Atque utinam, mi *Dorpi*, tantum eſſet otii Romanis Pontificibus, ut hiſce de rebus ſalutares ederent conſtitutiones, quibus caveretur, de reſtituendis bonorum Auctorum monumentis, de parandis & reponendis emendatis Exemplaribus. Verum in eo conſilio ſedere nolim iſtos falſiſſimo nomine Theologos, qui huc tantum ſpectant, ut quod ipſi didicerunt, id ſolum habeatur in pretio. Quid autem iſti didicerunt, quod non ſit ineptiſſimum & idem confuſiſſimum? Quibus ſi contingat tyrannis, futurum eſt, ut antiquatis optimis Auctoribus, inſulſiſſimas iſtorum nænias pro oraculis habere cogatur mundus, quæ uſque adeo nihil habent bonæ eruditionis, ut ego ſane malim vel mediocris eſſe cerdo, quam iſtius generis optimus, ſi nihil melioris acceſſerit doctrinæ. Iſti ſunt, qui nolint quicquam reſtitui, ne quid ignoraſſe videantur. Hi nobis fictam Synodorum auctoritatem objiciunt: hi magnum Chriſtianæ fidei diſcrimen exaggerant: hi periculum Eccleſiæ, quam iſti ſcilicet humeris ſuppoſitis fulciunt, rectius plauſtrum fulturi: & hujuſmodi fumos ſpargunt apud vulgus indoctum ac ſuperſtitioſum: apud quod cum pro Theologis habeantur, nolint ullam opinionis ſuæ jacturam facere. Verentur ne, cum

per-

Digitized by Google

perperam divinas citant Litteras, id quod ſæpenumero faciunt, Græcæ aut Hebraicæ veritatis auctoritas in os jaciatur, & mox appareat eſſe ſomnium, quod velut oraculum adducebatur. Divus *Auguſtinus* vir tantus, ad hæc Epiſcopus, non gravatur vel ab anniculo Epiſcopo diſcere. Iſti tales malunt omnia ſurſum ac deorſum miſcere, quam committere, ut quicquam videantur ignorare, quod ad abſolutam pertineat eruditionem. Quanquam nihil hîc video, quod magnopere pertineat ad fidei Chriſtianæ ſinceritatem: quod ſi maxime pertineret, hoc certe magis eſſet elaborandum. Neque vero periculum eſt, ne protinus omnes deſciſcant à *Chriſto*, ſi fors auditum fuerit, repertum eſſe in ſacris Libris, quod vel ſcriba depravarit indoctus aut dormitans, vel interpres, neſcio quis, parum apte verterit. Aliis ex rebus hoc periculum eſt, quas hoc loco prudens ſubticeo. Quanto Chriſtianius fuerit, ſemotis contentionibus, quod quiſque poſſit, in communem uſum libenter conferre, idque candide amplecti, ſimulque & citra faſtum diſcere quod neſcias, & citra invidiam docere quod ſcias. Quod ſi qui ſunt illiteratiores quam ut quicquam recte docere poſſint, elatiores quam ut quicquam diſcere velint, hos, quoniam pauculi ſunt, valere ſinamus, & bonarum, aut certe bonæ ſpei mentium potius habeamus rationem.

Oſtendi quondam meas Annotationes rudes adhuc, & adhúc à follibus, quod ajunt, calentes viris integerrimis, ſummis Theologis, doctiſſimis Epiſcopis: hi fatebantur ex illis qualibuſcunque rudimentis ſibi plurimum lucis affulſiſſe ad divinarum Litterarum cognitionem. Porro quod admones, ſciebam *Laurentium Vallam* ante nos hoc laboris occupaſſe, quippe cujus Annotationes primus curarim evulgandas, & *Jacobi Fabri* in *Paulinas* Epiſtolas Commentarios viderам: atque utinam ab his ſic eſſet elaboratum, ut noſtra induſtria nihil foret opus. Equidem *Vallam* plurima laude dignum arbitror, hominem Rhetoricum magis quam Theologum, qui hac diligentia ſit uſus in ſacris Litteris, ut Græca cum Latinis contulerit, cum non pauci ſint Theologi, qui nunquam univerſum Teſtamentum ordine perlegerint: quamquam ab hoc aliquot locis diſſentio, præſertim in his quæ ad rem Theologicam pertinent. Porro *Jacobus Faber* Commentarios illos jam tum habebat in manibus, cum nos hoc operis moliremur: ac parum commode evenit, ut nec in familiariſſimis colloquiis alterutri noſtrum in mentem venerit, de ſuo meminiſſe inſtituto. Nec ante cognovi quid agitaſſet ille, priuſquam Opus formulis excuſum prodiſſet. Et hujus conatum vehementer approbo, quanquam ab hoc quoque locis aliquot diſſentimus inviti, cum tali amico libenter ὁμόψηφοι futuri per omnia, niſi veri magis quam amici eſſet habenda ratio, præſertim in ſacris Litteris. Sed mihi nondum ſatis liquet, cur hos duos objicias, num ut à re velut occupata deterreas? At apparebit me poſt tantos etiam viros non ſine cauſa laborem hunc ſuſcepiſſe. An hoc ſignificas, nec iſtorum induſtriam probari Theologis? Equidem quid *Laurentio* ad vetem illam invidiam acceſſerit, non video. *Fabrum* audio probari ab omnibus. Quid, quod nec omnino ſimile negotium molimur? *Laurentius* tantum annotavit locos aliquot, idque, ut apparet, in tranſcurſu, levique, quod dici ſolet, brachio. *Faber* in *Paulinas* duntaxat Epiſtolas edidit Commentarios, eaſque ſuo more vertit: tum ſi quid diſcrepabat, obiter annotavit. Nos univerſum Teſtamentum Novum ad Græcorum Exemplaria vertimus, additis è regione Græcis, quo cuivis promtum ſit conferre. Adjecimus ſeparatim Annotationes, in quibus partim argumentis, partim veterum auctoritate Theologorum docemus, non temere mutatum, quod emendavimus, ne vel fide careat noſtra correctio, vel facile depravari poſſit quod emendatum eſt. Atque utinam præſtare potuiſſemus, quod ſedulo ſumus conati. Nam quantum ad Eccleſiæ negotium attinet, nihil verebor has meas vigiliolas cuivis Epiſcopo, cuivis Cardinali, cuivis etiam Romano Pontifici dicare, modo talis ſit, qualem habemus. Poſtremo non dubito futurum, quin tu quoque ſis edito Libro gratulaturus, qui nunc ab edendo dehortaris, modo vel paululum eas deguſtaris litteras, ſine quibus hiſce de rebus recte judicari non poſſit. Vide, mi *Dorpi*, ut eodem officio geminam inieris gratiam: nimirum alteram apud Theologos iſtos, quorum nomine diligentiſſime functus ſis tua legatione: alteram apud me, cui tam amica admonitione teſtatiorem feceris amorem tuum. Tu viciſſim boni conſules noſtram æque liberam ſatisfactionem, & ſi ſapis, noſtro conſilio potius accedes, qui tuam unius rem ago, quam iſtorum qui tuum ingenium, eximiis rebus natum, non ob aliud ſtudent in ſuam trahere factionem, quam quo tanti ducis acceſſione ſuas communiant copias. Sequantur illi meliora ſi poſſint: ſin minus, tu tamen quod eſt optimum ſequere. Quod ſi non potes illos reddere meliores, id quod velim te adniti, ſaltem illud cave, ne te reddant deteriorem. Porro fac, ut qua fide cauſam iſtorum apud me egiſti, eadem meam agas apud iſtos. Placabis homines, quoad fieri poteſt, & perſuadebis me, quod facio, non in eorum facere contumeliam, qui haſce litteras neſciunt, ſed in publicam omnium utilitatem, quæ nemini non patebit, ſi velit uti: neminem urgebit, ſi malit carere: tum eo eſſe animo, ut ſi quis exoriatur qui rectiora docere poſſit aut velit, ipſe primus futurus ſim, qui noſtra reſcindam & abrogem, & illius ſubſcribam ſententiæ. *Joanni Paludano* multam ex me ſalutem dicito, cum quo fac ut hanc de *Moria* litem partiaris propter commentarios illi dicatos à *Liſtrio* noſtro. Doctiſſimo *Nevio*, humaniſſimo D. *Nicolao de Beveris*, Præpoſito divi *Petri*, fac me diligenter commendes. *Menardum* Abbatem, quem tam magnificis ornas præconiis, nec dubito quin, qua es fide, veriſſimis, vel tua cauſa diligo, venerorque; neque negligam in litteris meis, ſimulatque inciderit commoditas, ejus honorificam facere mentionem. Bene vale, mortalium cariſſime *Dorpi*. *Antuerpiæ*, Anno 1515.

DESI-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI

APOLOGIA

AD JACOBUM FABRUM STAPULENSEM.

ARGUMENTUM APOLOGIÆ SEQUENTIS.

IN *versu Psalmi octavi*, Minuisti eum paulo minus ab Angelis, *quem* Paulus *in Epistola ad* Hebræos *Cap. secundo*, Christo *accommodat*, Erasmus *annotarat ex* Hieronymi *sententia, apud Hebræos esse, non* ab Angelis, *sed* à Deo. *Caterum Septuaginta vertisse* ab Angelis, *sed in utraque lectione obstare scrupum, quod nec à Deo paululum videatur imminutus, qui mortale corpus assumserit, nec ab Angelis, cum plurimum interfit inter mortale & immortale, imo infra infimos homines fuisse diminutum, incolumi semper* Christi *dignitate, qui plus malorum passus sit, quam quisquam hominum. Eum autem scrupum tolli, si* paulo minus, *quod Græcis est βραχύ τι, ad temporis modum referatur, quo* Christus *versatus est in terris usque ad resurrectionem, quemadmodum interpretantur omnes Græci Theologi.* Faber *contendit, non posse legi, nisi* à Deo. *Caterum falsum & impium esse sermonem, &* Christo *Deoque indignissimum, si quis dicat, Deum ab Angelis diminutum, aut infra homines, quod tamen hactenus Latina pariter ac Græca legit Ecclesia, & universi utriusque Linguæ doctores sequuntur, nisi quod unus* Hieronymus *annotavit,* à Deo *legi Hebræis, licet non improbans alteram lectionem.*

Desiderius Erasmus Roterodamus Jacobo Fabro Stapulensi, insigni Philosopho, S. D.

CUM essedum conscenderem, eruditissime *Faber*, *Lovanium* commigraturus, id enim malui, quam Principem in *Hispanias* comitari, commodum submonuit me quidam amiculus, Commentarios in *Paulum* iterum abs te editos, in quibus mecum prolixa disputatione conflictareris, simulque locum indicavit, nempe Epistolæ ad *Hebræos* Caput secundum. Ego lætus illico librum à Bibliopola mihi curavi. Interea dum vehor, ita ut fit quoties nova res subito objicitur, præsertim si quid ad nos attinet, avide lego tuam illam Apologiam, vel pugnam potius, qua tanto calore, tantaque vehementia pro tuis aris ac focis dimicas, ut non sat habeas, quod à tuis rebus erat interversum, recepisse, sed ultro etiam in meas possessiones incursas: sicque tuas tueris copias, ut parum tibi sit nostram aciem profligasse, verùm ipso victoriæ successu gestiens, in mea castra procurris populabundus ac ferox, velutique geminis trophæis insignis, simul & tuis receptis, & mihi detractis opimis spoliis. Legi vero, vir optime, nullo quidem stomacho, sed tamen, ut ingenue quod res est fatear, non omnino nullo animi dolore, non quod gravate feram admoneri, aut etiam reprehendi ab amico, præsertim autem ab amico tali, tam erudito, tam integro: sed quod optarim te in ea conflictatione cum homine, ut scribis, peramico paulo amicius fuisse versatum, neque id sane perinde mea causa, atque tua, vel aliorum potius. Neque enim ipse quicquam addubito, quin tu sive tuopte judicio negotium hoc sumseris, sive alieno impulsu susceperis, simplici puroque animo id feceris. Verùm ut sunt plerique mortalium ad deteriora suspicaces, fortasse non deerunt qui interpretentur nonnullos æmulationis stimulos inter nos intercessisse, & fortassis *Hesiodium* illud in nos torquebunt, *Fabrum invidere fabro*, atque eo magis quod casu in idem incidimus argumentum, præsertim cum illic legent quædam odiosius & acerbius, ac τραχυτέρον abs te dicta, quam vel res ipsa, vel nostra postulabat amicitia, nonnulla extra id quod instituteras, velut adscita studio, quæ mox suis locis indicabimus. Atque adeo jam nunc accipio nonnullos offendi, quod hoc loco nonnihil desiderare se dicant tuam illam sinceritatem ac simplicitatem, toties à me quoque prædicatam, quæ tuam eruditionem hactenus unice commendavit, & ab invidia, quæ semper eximiam virtutem solet impetere, magna ex parte vindicavit. Quibus hîc videris tui dissimilis, & (ut ajunt) *in fabro fabrum requirunt*. Etenim cum tot jam editis Voluminibus, semper hactenus innoxius & incruentus fuerit stylus tuus, admirantur me potissimum tibi visum idoneum, in quem primum calami tui mucronem stringeres, cujusque sanguine, ingenii tui telum huc usque purum inquinares, præsertim à me non solum non lacessitus, sed toties etiam prædicatus. Quoniam autem hoc habet pura Christianaque caritas, quam *Paulus* ἀνυπόκριτον appellat, ut amicorum incommodis magis etiam commoveatur quam suis, nolim ullam esse datam ansam, ut quisquam hominum de *Fabro* deterius sentiat. Quod si juxta *Pauli* doctrinam semper abstinendum non tantum à malis, verum etiam ab omni specie mali, quod quidem licet, id certe multo maxime præstandum est in tractandis arcanis Litteris, quæ, quantum fieri potest, talibus animis tractandæ sunt, qualibus sunt proditæ: neque convenit, illic humanos affectus obstrepere, ubi divinum est, ubi cœleste est omne quod geritur, neque congruum est in his Libris parum modestos & integros videri, qui soli omnium vere modestos ac probos reddunt. Id cum omnibus, tum nobis præcipue fuit animadvertendum hac ætate, in qua jam sit indecorum φιλοτιμεῖσθαι, aut νεανεύειν, tum hac fama, quam tibi jam olim tot editæ Lucubrationes tuo merito peperere, mihi nuper, & si tua minorem, meis tamen meritis longe majorem, mea qualiscunque industria conciliavit. Utrique igitur velimus nolimus velut in proscenio consistimus, totius pene orbis oculis in nos conjectis, neque clam nobis est, quam sint fastidiosa multitudinis judicia, non profecto minus quam oculi spectatorum, quibus vix placent etiam optima. Quo magis curandum, ut scenæ theatroque serviamus, neque quicquam committamus, quod vel ut indecorum exsibiletur, vel ut juvenile rideatur. Atque haud scio, an optimum fuerit in hoc theatrum non descendere. Certe posteaquam Deus aliquis huc nos protraxit, superest, ut pro viribus nos fabulæ susceptæ attemperemus.

At ipse, inquies, lacessisti, qui prior à me tot locis

Digitized by Google

cis dissenseris. Si contumelia est dissentire, nihil deprecor, nec recuso quamtumvis iniquam talionem. Sin hoc in omni professionis genere semper liberum fuit, in hisce duntaxat rebus, quæ ad religionis nostræ dogmata proprie non pertinent, nec mihi fraudi vitiove veri par est. Et tamen hoc ipsum vide, quæso, quam non fecerim affectate, imo quam invitus, tum autem quam honorifice. Quid enim mihi faciundum fuisse censes, cum tu jam Editionem occupasses, & viderem non pauca mutata abs te perperam, neque me præteribat, quantum obtineres auctoritatis apud patres simul & populum studiosorum? Res evidentior erat, quam ut excusari posset, & liber jam erat evulgatus. Quid facerem? Paterer Lectorem impune labi? sinerem errorem inolescere? Id, opinor, nec ipse dicturus eras, præsertim cum publica utilitas cum nulla tui nominis nota esset conjuncta. Quandoquidem in hujusmodi labi & hallucinari nonnunquam, adeo humanum est, ut hactenus nemini mortalium licuerit effugere, perpaucis exceptis, quorum litteras non ut humanas excutimus, sed ut divinas veneramur. Neque tua rursus Editio ad hoc laboris capessendum nos impulit, ut quisquam cavillari possit, tui reprehensionem à nobis studio quæsitam. Quin jam Opus absolveram, jam cum Typographis transegeram, priusquam tua prodissent in vulgus. Quæ simulatque prodierunt, sæpe mecum admiratus sum, quinam evenerit, ut in tam crebris, tam prolixis, tamque familiaribus colloquiis, quibus *Lutetiæ* fueramus conflictati, ne casu quidem inciderit ulla mentio, quid vel meum vel tuum studium parturiret ac moliretur. Quod si in tempore sensissem, fortassis ipse destitissem ab instituto, & si quid forte nobis paratum fuisset, quod Operi tuo conduceret, impartissem amico: non quod istud ingenium, quoties in suo campo versatur, meis egeat auxiliaribus opibus, sed quod tu cum in examinationibus illis, sic enim vocas, versareris, nec in tua proprie arena esses, nec in tuo foro, in quo ipse quamlibet cætera inferior, nec tibi videor adspernandus, ni fallor. Cæterum rebus in eum locum adductis, non exegisses, opinor, tantam tui nominis habendam esse rationem, ut in sacris Libris plus apud me valeret amici studium, quam ipsa veritas, & publicam utilitatem unius famæ posthaberem, etiamsi, ut diximus, id citra famæ tuæ dispendium fieret. Imo sic de tuo ingenio, deque moribus tuis judicabam, ut crederem *Erasmum* amicum vel hoc nomine fore amicissimum, si publicam utilitatem, cui tu tantum vigiliarum impenderas, nostra quoque opella adjuvissem, præsertim cum sic vero succurrerem, ut ne tantulum quidem læderem amici existimationem, adeoque non obscurarem illius gloriam, ut si qua fieri posset, lucis etiam aliquid adderem. Scis enim ipse, si tamen nostra legisti, quam amice abs te dissentiam, multa interim dissimulans ac prætercurrens, quædam quoad licet excusans ac leniens, nihil insectans aut naso suspendens, nusquam immorans aut urgens, etiamsi nonnulla erant tam manifesti lapsus, ut alius fortassis suæ gloriæ, quam Christianæ modestiæ tenacior convitiis fuerit exagitaturus, præsertim cum ista tanta cum auctoritate præcipias. Nec his contentus, age, quoties *Fabrum* cum honoris præfatione nomino? Quoties meis fulciendis, tuam auctoritatem reverenter adduco? id vivo tribuens, quod non omnibus defunctis tribuitur, cum à rogo livor omnis emori soleat. Idque facio locis aliquot, ubi nihil opus erat tui nominis patrocinio, velut in frontispicio Epistolæ ad *Colossenses*, cum tot Auctoribus evicissem, *Colossenses*, ad quos scribit *Paulus*, in Insula *Rhodo* non esse, ex superfluo tuam auctoritatem adjungo. Rursus hoc ipso in loco, quo mecum tam affectate digladiaris, quam ego affectate honorificam tui nominis mentionem ingero. Atque in hanc sane partem malui videri affectatior, quam in alteram istam, quæ nescio quo consilio tibi magis placuit.

Super hæc omnia, vide quam nihil fucate, nihil ex insidiis fecerim, aut molitus sim, quam simpliciter pureque omnia. Primum cum adornarem Editionem, ac mox in ipso jam Operis cursu, præmonui te litteris, fore, ut in edendis meis aliquot locis abs te dissentirem, sed amanter. Comprobabas institutum vel hoc argumento, quod in litteris ad me tuis, quibus laboribus nostris applaudebas, nulla fieret hujusce rei mentio. Rursus alteris ac tertiis litteris reddidi tibi facti mei rationem, admonens futurum, ut si qua ex his quæ nos annotaveramus in tuis, proxima Editione mutare velles, ego item in proxima mearum Annotationum Editione loci castigati mentionem omitterem. Quod sicubi nobis non accederes, excusationem tuam, si recte dissentires, scripsi me libenter accepturum, & si quid ipse lapsus essem, admonitionem tuam beneficii loco habiturum. Atqui cum tam multi obtigerint, qui litteras ad me tuas efflagitarint etiam, quorum de numero sunt eximium illud religionis ac nobilitatis decus, *Stephanus Poncherius* Episcopus *Parisiensis*, & ille Litterarum unicus antistes *Gulielmus Budæus*, nunquam tamen verbum ullum abs te factum, aut quid displiceret, aut quid probares. Ipse interim pro mea simplicitate tuum animum ex meo æstimans, nihil aliud suspicari potui, quam ingenium tuum gravioribus studiis intentum. Quin de hac quoque proxima Editione mirum ubique silentium, quæ jam sesquiannum per omnes regiones volitat, me uno omnium inscio, cujus maxime intererat scire, ut propemodum ridere libuerit illud in me satyricum, *Dedecus ille domus sciet ultimus.* Ego securus omnium, & omnia tranquilla credens traducebar ignarus, & cou caudam trahens obambulabam, & hodie sic ornatus incederem, risuique essem impune, ni me mihi forte fortuna Bibliopola quispiam, amicus magis quam litteratus, indicasset. Ac prorsus tale quiddam mihi accidit, quale solet his qui se proscriptos legunt, priusquam proscriptionem timuerunt. In bello forsitan laudi ducitur hostem occupasse celeritate, oppressisse inopinantem, obrepsisse improviso, ex insidiis adortum esse incautum, & ante prælium inferre, quam pugnæ suspicionem præbueris. At longe alia militiæ, alia sacrorum studiorum ratio. Quamquam egregii duces ne dignantur quidem dolis uti adversus hostem, viribus non arte gerentem bellum. Nec hoc dixerim, quod suspicer id artificio tuo curatum, sed quod verear ne quis minus candidus quam nos sumus, in hanc partem interpretetur. Verum quando posterioris Editionis mentio nos admonuit, non nihil demiror & illud, quî factum sit, ut cum nostra Editio fuerit absoluta *Basileæ* in officina *Frobenii*, Anno ab orbe redemto 1516. tua annum habeat 1515. Si prior est tua, aut si æqualis, quo modo meam citat? si posterior, quo cursu nostræ antevertit, quæ prior à linea discesserat? Quod certe aut Typographorum errore factum sit oportet, qui cum crebro peccent, faciunt ut nostra quoque commissa probabiliter in ipsos rejiciamus: aut tui studiosus quispiam antevertendum putavit, ne quid videreris ex meis Lucubrationibus in tuas sumsisse mutuo. Atque ita dum sedulo tuæ gloriæ consulit, aut non meminit, aut non sensit, illic prioris Editionis nostræ factam abs te mentionem. Verùm id quocunque casu acciderit, mea quidem haud magni refert. Neque enim sum adeo gloriæ vel inops vel jejunus, ut in hujusmodi velim μικρολογεῖν.

At ipse, inquis, stimulos ad respondendum addidisti. Fateor, hortatus sum, si quid esset operæ pretium, ut libere dissentires, sed ita dissentires, ut ego abs te dissenseram, ut civiliter, non criminaliter tuam causam ageres, abesset nasus, abesset procacitas. Quod etiamsi ipse non ubique præstitissem, cum non deesset voluntas, tuum tamen erat præstare, quod nos voluissemus, quippe vir tanto melior, ac non melior tantum, verum etiam annis aliquot major, etiamsi ipse quinquagesimum jam excessi. Cæterum si par pari referendum duxisti, erat nimirum tuæ humanitatis, quam ego tuæ gloriæ non minimam partem esse puto, meam civilitatem non æquare solum, sed etiam vincere, juxta præ-

Digitized by Google

præceptum *Heſiodi* χ λώιον remetiendo, præſertim cum ea res tibi foret in manu, ne quod apud eundem mox ſequitur poſſis prætexere αἶνε δύνηαι. In eruditione aut eloquentia, quoniam id haud eſt in nobis ſitum, non eſt ſemper turpe vinci: at in humanitatis officiis, & ſuperari turpe eſt, & ſuperare pulcherrimum, propterea quod hîc tantum quiſque præſtat quantum animo collibuerit, neque plus requiritur facultatis, ſed plus bonæ mentis. Ego ſic admiſceo *Fabri* mei mentionem, ut celebrandi nominis tui videri poſſim affectaſſe occaſionem, tam effuſus in tui laudes, quam parcus in reprehendendo, ut facile liqueat, affectus eſſe mei, quod te prædico: neceſſitatis, quod diſſentio. Jam etiamſi quid alicubi per humanam incuriam effluxit, quod naſum corrugare poſſit, ſi modo Chriſtiana caritas naſum haberet, non ſolum ab omni convitio tempero, verum etiam cavi pro mea virili, ne quid effutirem, quod in contemtus aut molevolentiæ ſuſpicionem rapi poſſet. Quod ſi hoc ipſum te offendit, ullam eſſe tui nominis in meis libris mentionem, age ut primum licebit, prorſus abolebitur tui commemoratio, ſi, quemadmodum *Alexander* Magnus non niſi *Apellis* penicillo pingi voluit, nec niſi *Lyſippi* manu fingi, ita tu non ſuſtines à quovis Scriptore nominari. Sed qui factum iſtud tuum benigniſſime velit interpretari, cauſari fortaſſe poterit, tibi hanc anſam eſſe quæſitam celebrandi nominis mei, quo vel hac parte mihi vicem officii reponeres. At ſi quid iſtiuſmodi venabaris, tot erant loci, in quibus indicavi lapſum tuum, quos ſi mutaſti (nondum enim contuli præter unum & alterum) gratitudinis erat, hoc quicquid eſt officii, non ſolum agnoſcere, verum etiam verbis exaggerare: ſi non mutaſti, cum ſint omnino mutandi quidam, aut contemtûs eſt non legere, quod ad te pertineat, aut pertinaciæ nolle corrigere, quod intelligas eſſe corrigendum. Si in his recipis admonitionem meam, cur nec agnoſcis, nec mutas? Si non recipis, cur non refellis abs te diſſentientem, & tua palam ingenueque corrigentem? Hîc erat tibi nominandus *Eraſmus*, ſi quid ejuſmodi captabas ipſa re ultro præbente occaſionem. Si qua gratia debetur vel honorifice prædicanti, vel amice ſimpliciterque monenti, bellum profecto mihi repoſitum eſt præmium, egregium amicitiæ noſtræ monumentum proditum abs te eſt poſteritati. Cur uno duntaxat in loco tibi ſuccurrit *Eraſmus*, amicus & peramicus? An hoc uno in loco tantum abs te diſſentio? Cur ſic urges, ſic inſtas, ſic immoraris, ſic exquiris & excutis, ut non oblata, ſed quæſita videri poſſit occaſio? Atque adeo ut propius accedam ad rem, cur ibi fingis pugnam, ubi nulla mihi tecum pugna eſt? imo ubi pro te facio, id quod mox aperiam. Ego veros lapſus aut lenio aut tego, tu ubi in re tranquillitas eſt, tuis verbis gravem excitas tempeſtatem. Neque dubito quin meam civilitatem hac quidem in parte ſatis tecum agnoſcas. Cæteris autem malim eam parum probari, quam dum eam nimium diligenter approbare nitor, partem aliquam ejus laudis amittere: quando bona civilitatis pars eſt, non imputare civilitatem. Ac Deum omnium conſcium teſtor, libenter & hoc diſſimulaturus eram, niſi quædam inculcaſſes odioſiora, quam ut mihi integrum eſſet diſſimulare, quæ mox proferentur. Lenitatis ac moderationis eſt diſſimulare convitia, ſed *uſque ad aras*, ut ajunt. Impietas eſt, ad impietatis crimen eſſe mutum. Non quod tu id palam intendas, ſed tamen adſpergis nonnulla, quæ ſicunde interpretem iniquiorem nacta fuerint, efficient ut videaris me non ſolum ſtupidum & ἀγεφύμαλον facere, verum etiam impium. Quorum ut prius illud leviter fero, ita poſterius haud arbitror diſſimulandum. Accedit his & illud incommodi, quod hîc nec ipſe tuam cauſam agere poſſum, ſi maxime velim. Etenim ſi candidius incipiam interpretari, quæ videntur inclementius abs te ſcripta, non effugiam quin videar ipſe mihi blandiri. Vide quo me dejeceris anguſtiæ. Atqui hæc ita habere, mox, ut dixi, demonſtrabimus. Ea res, mi *Faber*, tametſi nonnihil moleſta fuit, tamen non ita multum apud me valuit, ut veterem meam de te opinionem mutarim, qua ſemper te virum Litteris ac pietate cum primis inſignem eſſe judicavi, ſed tamen admonuit, hominem eſſe te, ne quid ipſe dicam aut ſuſpicer inhumanius. Et haud ſcio an quicquid iſtud eſt ſtomachi, tuorum affectibus dederis. Nam ut optimis nonnunquam Principibus, ita mitiſſimis ingeniis hoc vitii ſolet adhærere, quod ſe duci patiantur alieno inſtinctu. Neque enim me clam eſt, quam multos habeas impendio tui ſtudioſos, nec ſecus addictos tibi, quam ſi in tua verba juraſſent, qui tua non ſecus atque oracula venerantur. Hi fortaſſe nefas eſſe ducunt, uſquam abs te diſſentire, & protinus ad lapides provocant, ſi quis verbo refragetur. Atque iſtorum ſane ſtudio non illibenter ignoſco, quod à caritatis ac benevolentiæ radice proficiſcitur. Cæterum aut omnino non novi te, aut virum arbitror prudentiorem ac prorſus meliorem, quam ut tuis Commentariis tantum auctoritatis deferri poſtules, quantum nec *Auguſtinus* poſtulat ſuis, nec *Ambroſius* aut *Hieronymus* ſuis, præſertim cum ipſe in hac tua defenſione præſidium humanæ auctoritatis omne ſubmoveas, quoties de veri inveſtigatione agitur.

Sed jam tempus eſt ut Apologiæ tuæ altera reſpondeam Apologia, quæ mihi ſic temperanda eſt, ut ita meam tuear exiſtimationem, ne quid lædam amici vel famam vel animum, quoad fieri poterit. Et quanquam facilis erat defenſio, ubi cauſæ nulla pene eſt controverſia, tamen hîc non paulum negotii mihi addidit tua diſputatio, multis verborum laciniis undique diffluens, ſive quod hic tuus eſt mos, ſive quod ita ibi viſum fuit, in hoc ceu theatro ſpecimen edere, quantum polleres eloquentiæ viribus & orationis ubertate. Proinde cum non mediocris ſit negotii, vel recenſere quæ ſunt abs te diſſerta, quanto difficilius fuerit ſingula refellere? Uſque adeo omnia dilatas & exaggeras, ac pene juxta proverbium, *ex muſca facis Elephantum*. Quis enim non ipſo ſtatim in limine exſpectet magnificam aliquam tragœdiam, ut audierit te in exordio tam religioſe implorantem cœleſtis auxilium Numinis, ac rurſus in calce diſputationis tam accurate perorantem uſque ad *per omnia ſæcula ſeculorum*. Deinde juxta Rhetorum præcepta, credo quod tibi videreris agere cum homine Rhetorico, proponis quid conveniat cum adverſario, & quid in controverſia relinquatur, veluti committens hinc atque hinc inſtructas acies. Tum perinde ac ſi apud Areopagitas de capite agatur, ita ad ſingulas capitis partes mea dicta ſubſcribis: credas *Demoſthenem* adverſus *Æſchinem* proferre teſtimonia. Ut igitur carptim reſpondeam, idque paucis, nec ad omnia, ſed ad ea potiſſimum, quæ mihi parum æquus Lector, tui vero ſtudioſior, in meam calumniam torquere poſſit, ne ſimul & moleſtus ſim Lectori, & plus ſatis operæ mihi pereat in hoc negotio neceſſario quidem illo, ſed inamœno, ſummam cauſæ proponis hunc in modum: *Verum hanc* (inquis) *ſententiam noſtram in hoc loco non acceptat amicus noſter* Eraſmus, *neque beati* Hieronymi, *ſexti verſus octavi Pſalmi, quem ſic interpretatur*: Minues eum paulo minus à Deo, gloria & decore coronabis eum, *approbat interpretationem*. Obſecro te νὴ ϯ ἀλήθειαν, nonne hîc protinus controverſiam fingis, ne dicam fabricaris, ubi concordia eſt: & prælium inducis, ubi pax eſt: & defenſionem paras, cum nemo vocet in jus, & nullo actore temetipſum reum agis? Relege totum eum locum in Annotationibus meis, excute, veſtiga, num ullum uſquam inſit verbum rejicientis *Hieronymi* tuamque ſententiam: tantum recenſeo duplicem lectionem, alteram *Hieronymi*, cui tu ſubſcribis, alteram Septuaginta, &, ut quidam aſſerunt, *Chaldæorum*, quam & olim Græcorum, & nunc Romana ſequitur Eccleſia magno orbis conſenſu, cui ſubſcribunt tot orthodoxi noſtræ reli-

Digitized by Google

religionis Doctores, non minus eruditione quam vitæ sanctimonia macti spectatique. Equidem existimabam id licere, præsertim in Annotationibus, diversas diversorum opiniones recensere, ac meam etiam, si visum esset, opinionem interponere, hac lege, ut nihilo secius liberum foret suum cuique judicium, neque cujusquam sententiæ præjudicaretur. Cum enim viderem, eam esse libertatem commentariorum, ad quam sæpenumero provocat Divus *Hieronymus*, & hoc colore causam tuetur suam, arbitrabar multo magis idem jus mihi tribuendum in Opere, quod præter humiles ac pene Grammaticas quasdam annotatiunculas nihil profiteretur, præsertim cum semel, imo non semel, sed crebrò tester, me Annotationes scribere, non dogmata. *Hieronymus* aliquoties & hæreticorum recenset opiniones, nec rejicit sententias, nec indicat Auctores: hic primum in jus trahatur, si non licet referre, quid senserint alii. At hîc duas recenseo sententias, quarum neutra sit hæretica, imo utraque probata viris orthodoxis, & recenseo neutram convellens, aut labefactans, tantum indico, quis scrupus obstrepere videatur utramvis sequenti lectionem: nimirum hic, quod *Christus Jesus*, quantum ad humanam naturam & vitæ in terris actæ speciem, non solum longe diminutus videatur infra Deum, verum etiam infra Angelos & homines pleroſque. Deinde tento rationes aliquot, quibus ea difficultas possit explicari, nihil interim vel hîc asseverans, sed quod est commentantis, ac multo potius annotantis officium, Lectori cogitandi materiam suppeditans. Proinde non solum neutram rejicio sententiam, quod tu ais, sed tuæ videor etiam favere, ut quam primo recitem loco, ac *Hieronymiana* auctoritate corroborem, indicans unde petere possit, si quis plenius super ea cupiat edoceri, cum alteram, cui tu non faves, nudam & inermem producam. Imo periclitor, ne cui videar hoc loco tui nominis mentionem affectatius induxisse. Quorsum enim attinebat, te hujus sententiæ auctorem nominare, cum haud me præteriret, ante tot annos sic ex Hebraica veritate vertisse *Hieronymum*, & eundem sic in commentariis suis annotasse? si tamen hos *Hieronymo* tribuis, quos tamen mirum est in commentariis tuis abs te non fuisse citatos, cum illic tantopere contenderes docere, *à Deo* legendum esse. Neque enim, opinor, te tam indiligentem, ut scribens in Psalmos, non curaris inspicere quid tantus Auctor dixisset. Hæc cum ita habeant, mi *Faber*, neque enim potest negari, vide te quæso, quam non civiliter proponas, non contentus assumere, quod tuam rejecerim sententiam, sed quo res esset dictu odiosior, addis etiam *Hieronymianam* interpretationem à me non approbari, cui tamen faveo, aut certe non adversor.

Nec id satis erat. Subjicis quod his quoque est odiosius: *Scripta*, inquis, *ejus in Annotationibus hujus loci interdum subjicimus, quo facilius legentes & ejus mentem, & meæ assertionis, &* Hieronymianæ *interpretationis, imo Propheticæ intelligentiæ defensionem intelligant.* Videlicet hæc eo tendunt, ut non solum omnes tui studiosos, hoc est, omnes, ut ita dixerim, *Fabristas* in me concites, verum etiam omnes, quibus *Hieronymi* sacrosancta est auctoritas, imo Christianos universos, qui Propheticæ intelligentiæ defensori favent adversus hostem. Si tu *Hieronymiana* interpretationis, & Propheticæ intelligentiæ defensor es, necessum est ut sit qui oppugnet. Hunc igitur hoc loco me facis, cum nihil sim minus. Atque hoc quidem est tuæ disputationis vestibulum, in quo puto te videre, quam parum amicabiliter agas cum amico, tuis enim verbis utor. Adversarium facis, qui tuæ sententiæ patrocinor. Nam finge, quod tu vis, nihil aliud legi posse, nisi *Minorasti eum paulo minus à Deo. An paulum descendit, qui Deus descendit ad hominem? cum humana natura infinitis partibus inferior sit divina*, eamque difficultatem, cum tu parum pudenter dissimules, ego citra tui notam amolior, quod tuæ interpretationi videbatur obstare. Et cum id faciam, adversarium me fingis, & Propheticæ intelligentiæ impugnatorem. Sic lectore de summa causæ edocto, singulas annotationis partes vellicas ac vexas, quasi singulos dedissem aphorismos, cum quædam obiter ac velut è superfluo admiscerem, quædam assumam argumentantis jure, non auctoritate definientis. Insidiosum videlicet & callidum oppugnationis genus, præsertim apud eos, quibus res parum est cognita. Quod si, quemadmodum in judiciis causa cadere solet, qui litem perperam intendit, itidem fieret in disputationibus, jam hæc causa mihi perorata erat.

Nunc pergamus ostendere, quam cætera huic amicæ propositioni respondeant. Ingenue fateris, admonuisse te apud Hebræos haberi scriptum: *Minuisti eum paulo minus à Deo.* Quid audio? fateris, perinde quasi hoc tibi crimen intenderim? Imo si primus hoc admonuisses, gloriari poteras, & ipse laudem hanc lubens tibi tribuissem. Quanquam quid erat ingenuitatis fateri, quod libris editis vulgatum inficiari nullo modo poteras? Mox velut alterum accusationis caput proponens, fateris esse in *Hieronymianis* Commentariis, quod illinc citaram, nisi quod ille idem dixit apertius. Nam id etiam obiter admonendus erat Lector. Atque hîc sane non solum ingenuus videri vis, qui fatearis, quod palam exstat in editis Voluminibus, verum etiam civilis & amicus, sic enim scribis: *Et id tribuimus amico, & sic habet veritas.* Quid est hîc, quod largiris amicitiæ nostræ? Si cum hoste fidei ageres, quid aliud poteras, quam fateri verum esse, quod negari nec debet, nec potest? Jam ceu tertium accusationis caput facis, quod scripserim, te hac in parte à *Thoma* dissentientem, multis argumentis contendisse, *à Deo* legendum esse, non *ab Angelis*, idque dividis, partim agnoscens factum, sed ut recte factum defendens, partim factum inficians. *Et probe*, inquis, *mea sententia.* At quis intendit hoc perperam abs te factum? Nec hîc erat inficiandum quicquam, nec erat quod inficiari posses, nimirum Libris evulgatis protinus tibi reclamaturis. Aio te multis argumentis contendere, non malis argumentis, nec sententiam tuam refellens, nec argumenta tua vellicans, tantum Lectori commonstro, unde posset petere, si desideraret argumenta, simul ipse prolixam recitationem parum congruam annotatori declino. In altera parte defendenda, more Rhetorum duplici uteris statu, primum negans te à *Thoma* dissensisse, deinde, ut id dones, contendis licere. Primum an non dissentit, qui diversum sentit, nisi norit quid ille sentiat, à cujus opinione dissentit? An ideo non sum dissimilis *Petro*, quia nesciam qua ille sit forma? An nobis non dissentit alicubi *Plato* à *M. Tullio*, cum ille nescierit quid hic sensurus esset? Certe nobis à *Thoma* dissentis, quoties diversum ab illo sentis, qui utriusque opinionem cum altera pugnantem cernimus. Nec hîc attinebat anxie defendere, quod à *Thoma* dissenseris, nisi quod credo factum, quo gratiam inires apud hujus sodales, & apud eosdem me vocares in invidiam. Ego nemini unquam vitio verti, quod à quoquam dissenserit, quantumlibet magni nominis Auctore, modo id faciat reverenter erga eos, quibus hoc honoris debetur: in quibus ego sane & *Thomam* numero, primum eruditionis, deinde etiam sanctimoniæ nomine. Sed negas te tum consuluisse quid ille sentiret, magis autem quid dicerent eloquia, sic enim loqueris. Atqui operæ pretium erat, cum scriberes Commentarios in *Paulum*, excutere quid ille sensisset, haudquaquam, ut opinor, adspernandus Auctor: à quo quanquam & ipse locis aliquot dissentiam, tamen id facio aliquanto civilius ac reverentius, quam tu recenses, *Neque Erasmus*, inquiens, *ipse, ut qui toties eum coarguat.* Miror non dixisse te, qui toties eum explodat, atque exsibilet, quo fiat etiam atrocius. Neque consentaneum est, *Thomam* non consuluisse, quid dicerent sacræ Litteræ, cum illa scriptis proderet. Neque rursus id odiose aut suspicioſe dictum est à me, quod à *Thoma* dissentires: alioqui si quid tale voluissem, edi-

dissem

dissem potius ab *Augustino* dissentire te, nec dubito quin ab *Hilario*, ni pars ea Commentariorum intercidisset. Dixissem à *Chrysostomo*, dixissem à *Theophylacto*, dixissem ab omnibus orthodoxis, uno excepto *Hieronymo*, eoque incerto, dixissem à publica totius Ecclesiæ consuetudine tot jam seculorum usu comprobata, si te invidia voluissem onerare. Nihil horum. Simpliciter ostendi quemadmodum tua sententia consentiret cum *Hieronymiana*, ita eandem abs *Thomæ* opinione dissentire: cæterum *Thomæ* sententiam, *Chrysostomi Theophylactique* interpretationi congruere, præterquam quod illi simpliciter ad humanam naturam referre videntur, hic ad corpus assumtum duntaxat arbitratur pertinere, Lectori commonstrans, neutri sententiæ suos deesse Auctores. Hîc vero *Thomæ* causam sic agis, ut non putes absolvendum, nisi persuaseris, illum simpliciter errasse, & credidisse sic haberi apud Hebræos. At mihi videtur *Thomas* nec tam supinus & oscitans, ut cum ederet Commentarios in hunc locum, nec *Hieronymianam* interpretationem consuluerit, nec ejusdem in hunc Psalmum commentationem excusserit. Imo vero propius est, illum hac in parte plus tribuisse publicæ Ecclesiarum omnium consuetudini, & orthodoxorum Auctorum tanto consensui, quam unius *Hieronymi* ex ignota barbaraque lingua annotamento: præsertim cum is paucis verbis sic indicaverit quid haberetur apud Hebræos, ut alteram tamen lectionem nec rejiceret, nec insectaretur, id quod tu graviter facis. Atqui utinam *Hieronymi* magis placuisset exemplum. Etenim si *Hieronymianam* modestiam hîc imitari voluisses, rectius tuæ famæ, mi *Faber*, consuluisses, nec hanc amico suscitasses tragœdiam.

Quod si *Thomas* divinum illud & è cœlo delapsum octaplum Opus vidisset, forsitan ausus fuisset publicam lectionem immutare: tanto enim apparatu mihi citas Scriptorem, ut ne quid aliud dicam, recentem, ac si proferres oraculum è tripode redditum. Ego ut hominis istius studium insectari nolim, ita nolim rursus illius auctoritate admodum gravari. Etenim quod attinet ad Operis utilitatem, jam editum erat *Basileæ* Psalterium tribus Linguis, idque satis, opinor, feliciter & emendate. Nec est unde præsidium petamus, nisi ab his Linguis, si quid nos in Psalmis torqueat. Nam ut fontes nemo potest contemnere, ita Septuaginta Interpretum omnibus semper fuit gravissima auctoritas, nec quod *Hieronymus* Latine vertit ex Hebraica veritate, rejicit Ecclesia, etiamsi publicitus non utitur. Quid autem refert, si posthac Psalterium in sexcentas Linguas transfusum nobis proponas? Etenim quod ad auctoritatem attinet, haud ita multum interest, *Suevicum*, an *Hibernicum*, an *Gothicum* Psalterium mihi proferas, an *Arabicum*, *Armeniacumve*. Et cum res plurimum habeat fumi, plurimumque ostentationis, vix ullum hîc fructum video, nisi forte, ut hoc Volumine discamus tot Linguas, prædicaturi *Christum* apud eas Nationes. Nam si studemus ut hac ratione inter barbaros spargatur evulgeturque Christiana religio, propius ad rem faciebat, Euangelicam historiam, & Apostolicas Epistolas totidem Linguis producere quam Psalterium. Jam de Annotationibus, quas ex Cabbalisticis, & Talmudicis & Rabbinis *Judæorum* adducit: primum paucas, deinde plerasque etiam frigidas, in præsentia non disputabo pluribus, hoc tantum fatebor, mihi quicquid usquam adhuc hauriri video ex apocryphis *Hebræorum* libris, maxima ex parte aut suspectum haberi, aut videri frigidum, nec magnopere facere ad nostrum *Christum*. Porro quod ad eruditionem hominis pertinet, primum quam Græce Latineque calluerit, ex ipsius Præfationibus facile deprehendet, quisquis utramque Linguam perdidicerit. Jam qualis sit in cæteris, aliis conjectandum relinquo. Quorsum igitur attinebat, ut illius Præfationem tot Linguis legeremus, velut hoc argumento protinus crediturí, illum has callere Linguas? At hoc Opus non probant modo, verum etiam

A suspiciunt ac mirantur duo Prædicatorii sodalitii Fratres. Non adducam huc illud è trivio; *mutuum mutuli*. Ista comprobatio plus habebit ponderis apud eruditos, si comprobatum sit, istos, qui Opus hoc comprobarunt, intellexisse quod probant. Neque enim arbitror hanc tyrannidem in litterariam etiam politiam esse recipiendam, ut hic, aut ille librum suo arbitratu nunc creta, nunc carbone notet, etiamsi nihil intelligat: nam quid aliud est auctoritas sine judicio, quam tyrannis? Et tamen hîc ut *Augustini* tui studium non improbo, quod favorem promereatur, quisquis quocunque modo conetur illustrare sacras Litteras: ita tuum candorem, mi *Faber*, amo, proboque, sed miror cur hunc uni *Erasmo* non præstiteris, præsertim toties amico, tum huc provocatus.

B Sed hæc pluribus fortasse, quam sat est. Illud haud dum scio, nunquid ad me pertineat, quod ais, falsum tibi videri, Angelos nullis malis attingi posse: cum & peccato fuerint obnoxii, & pœnam horreant Quasi vero *Christum* cum impiis Angelis conferam, aut cum malum dico, de peccatis aut pœnis sentiam admissorum. De his malis illic ago, quibus humana natura est obnoxia: & mihi satis est, quod Angelus mori non potest, sitire non potest, crucifigi non potest. Neque vero, ut dixi, cum malis Angelis *Christum* arbitror conferendum, sed cum his potius, quorum felicitas jam in tuto est, de quibus & absolute dictum verum arbitror, nullis malis attingi posse. Atque hactenus quidem
C non admodum cruenta fuit velitatio, dum nunc impetis, nonnunquam concedis ac parcis adversario. At in his quæ sequuntur, nihil inter nos convenit, perstrepunt classica, crudescit pugna, omni machinarum genere premor & urgeor miser. Quo me vertam? quem Deûm aut hominum implorem imbecillis, inermis, & hujus militiæ rudis miles, cum tantus ac tam exercitatus bellator cominus urgeat? Jam non *de asini*, quod dici solet, *umbra certamen est*, de capite agitur, ferro petuntur vitalia, atque ut aptius dicam, mihi sane περὶ τῶν κρεῶν δρόμος. Ut piaculum admissum insectaris, quod scripserim: *Verùm sive legas* à Deo, *sive* ab Angelis, *idem manet scrupus*. Quis, inquis, relinquitur scrupus si constat legendum esse *à Deo*? Si istud usque adeo constat,
D doctissime *Faber*, & si altera lectio falsa, impia, hæretica, & divinæ Scripturæ adversa, quin hoc persuades orbi Christiano? quin Synodum imploras, ut tantus error ex omnibus Ecclesiæ codicibus aboleatur? quin *Ambrosii*, *Hilarii*, *Augustini*, *Chrysostomi*, *Theophylacti*, & ne persequar omnes, universorum orthodoxorum, uno excepto *Hieronymo*, vicem deploras, qui per omnem ætatem sic legerint, sic scripserint, sic docuerint? *Christus*, ut ais, *nec paulum nec multum fuit immiNutus ab Angelis*, & tamen hæc vox in omnibus Christiani orbis Ecclesiis auditur, hæc in scholis, hæc in sacris concionibus publicitus resonat. O rem horrendam, si tam certo verum est, quam tu firmiter asseveras, *Christum nec paulum, nec multum ab Angelis fuisse diminutum*. Atqui si tuam adspernatus sententiam huic adhæsissem, tamen haud merebar objurgari, si Septuaginta Interpretum auctoritatem, quæ *Hilario*, *Ambrosio*, *Augustino*, ac pene Doctoribus omnibus olim sacrosancta fuit, quam ipsi etiam Apostoli non dedignantur aliquoties sequi, & si quid huic addit momenti, Editio Chaldaica, si utriusque orbis Græcanici & Romani publicum in hac re consensum, si consuetudinem
F tot seculorum auctoritate comprobatam, unius *Hieronymi* annotationi anteponerem: pudens non impius videri poteram, si minus ausus fuissem à totius orbis populo pariter ac senatu dissentire, unius *Hieronymi* secutus suffragium, licet alias gravissimum. Certe non fugit Ecclesiasticos proceres, quid verterit aut admonuerit divus *Hieronymus*, & tamen tot jam ætatibus diversam sequuntur lectionem, idque tum publicitus, tum magno consensu. Nam quod hunc enarrans Psalmum, ceu classico hortaris ad eluendas è codicibus mendas, quid sibi velit non satis intelligo: neque enim id sentis opinor, lectionem hanc errore librariorum indu-

Digitized by Google

ctam fuiſſe, ut mendum appellari debeat. Quicquid habent Hebræi, certe *ab Angelis* tradiderunt nobis Septuaginta, idque hactenus conſtanter ſequitur Eccleſia, haudquaquam opinor factura, ni judicaſſet neutram lectionem cum impietate conjunctam eſſe, quod tu magnopere, & ſine fine contendis: niſi forte impium non eſt palam ac ſerio mentiri de *Chriſto*, eaque publice in divino cultu ac Templis canere, quæ Propheticæ intelligentiæ, quæ divinis Litteris (quæ tibi neſcio cur ubique peculiari vocabulo dicantur eloquia) ἐν ἁγμίτῃ repugnant. Si tam conſtaret quam tu conſtanter aſſeveras, apud Hebræos nihil aliud accipi poſſe, quam Deum, tamen ſi quid novaſſet Spiritus Sanctus, ſive per Interpretes Septuaginta, ut plerisque viſum eſt, ſive per Eccleſiam: quicquid id erat, non arbitror cuiquam Chriſtiano contumelioſe rejiciendum, quod nec ipſe *Hieronymus* auſus eſt facere, duobus tantum verbis indicans, quid legerent Hebræi, non damnans quod vertiſſent Septuaginta.

At conſtat, inquis, quod *Paulus* ſic adduxerit. Primum apud me certe non conſtat, hanc Epiſtolam à *Paulo* ſcriptam Hebraice, etiamſi plerique id opinentur. Deinde ſi nuſquam *Paulus* ſequitur Editionem Septuaginta, donabo fortaſſis non videri probabile hîc voluiſſe ſequi. Quod ſi compertum eſt, ut eſt, eum aliis locis frequenter uti ea, prodigioſum non ſit, ſi idem hîc feciſſet, præſertim cum in Actis Apoſtolorum cum Hebræis agens *Eſaiæ* locum non juxta Hebraicam veritatem, ſed juxta Septuaginta Editionem adducat, *Vade ad populum iſtum, & dic ad eos, aure audietis & non intelligetis*, &c. Sed hoc mox propius, & ſuo loco diligentius excutiemus. Interim quod inſtitueram perſequar. Nihil video cauſæ, *Faber* eruditiſſime, cur mihi impingendum putaris, quod utramque lectionem recenſeo, neutra rejecta; nihil enim aliud hîc de nobis queri potes. Et favebam & faveo tuæ, *Hieronymique* ſententiæ, ſed mihi tum non eſt viſum, ſic alteram recipere, ut alteram velut impiam & hæreticam repudiarem, quæ talis non eſt viſa ſacroſanctis Eccleſiæ Doctoribus, & in primis *Auguſtino*, qui hunc locum non veretur ad hunc interpretari modum. Nam ipſius verba ſubſcribam, ſi forte requiris: *Quandoquidem & Angeli ſunt opera manuum Dei, etiam ſuper Angelos conſtitutum accipimus unigenitum Filium, quem minutum paulo minus ab Angelis per humilitatem carnalis generationis atque paſſionis audivimus & credimus.* Imo nec ipſe *Hieronymus* (cujus unius auctoritate niteris) cum alias frequenter, tum quartum ediſſerens Caput Epiſtolæ ad *Galatas*, dubitat hanc ſequi lectionem, ita ſcribens: *Quod autem ait*: Sicut Angelum, ſicut Chriſtum Jeſus ſuſcepiſtis me, *& Angelo Chriſtum oſtendit eſſe majorem, quem ſecundum diſpenſationem corporis minorem Pſalmiſta cantaverat, dicens*: Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. Proinde *Hieronymi* auctoritas ejusdem auctoritate poterat refelli, qui tribus verbis duntaxat annotavit, apud Hebræos haberi *à Deo*, idque in eo opere, de quo docti vehementer addubitant, num ejus ſit cui inſcribitur. At idem in his libris, de quibus nullus ambigit quin ipſius ſint, eam lectionem amplectitur, quam tu ut *Chriſto* indignam jubes explodi. Ut ſileam interim quod mea adducens, pro eo, quod modeſtius ſcripſeram, *videtur idem manere ſcrupus*, tu recitas *idem manet ſcrupus*, quaſi nihil interſit inter dubitantem, inquirentemque, & aſſeverantem, inter veſtigatorem, & dogmatiſtem. Ego delectum lectionis ſuo cujusque judicio relinquens, aperio difficultatem, quæ videbatur obſtare intelligentiæ. Nam cum utique verum ſit quod legimus, *Chriſtum* diminutum, aut ſecundum divinam naturam imminutus intelligatur oportet, aut ſecundum humanam. Si ſecundum divinam, non fuit ullo pacto inde diminutus, in quo ſemper fuit æqualis: ſi juxta humanam aſſumtam, opinor non mediocre intervallum eſſe inter Angelicam felicitatem, & humanæ vitæ calamitatem. Neque enim arbitror, ob id tantum dici dejectum, quod humanam naturam aſſumſerit, ſed quod omnia ferme hujus vitæ incommoda, qua de re mox aliquanto copioſius diſſeremus. Quanquam ſunt hîc & alia abs te dicta, ut mihi videtur, parum attente, quæ tamen non ſit operæ pretium diligentius refellere: velut illud, quod ſic mecum agis, quaſi ego ſenſerim ſcrupum in hoc eſſe ſitum, *a Deo* legendum ſit, an *ab Angelis*: cum palam explicem, in hoc eſſe ſcrupum, quomodo Filius Dei dici poſſit *paululum imminutus à Deo*, cum humanæ naturæ, cujus aſſumtione diminutus dicitur, ad divinam aſſumentem nulla ſit proportio: aut quomodo *paululum imminutus ab Angelis*, cum non mediocre ſit intervallum inter Angelos immortales, & carnem morti obnoxiam, juxta quam *Chriſtus* dicitur eximaniſſe ſe.

Deinde quod adducis, *Quis enim in nubibus æquabitur Domino, aut quis erit ſimilis Deo in filiis Dei*, non hoc docet, quod tu parum dialectice colligis, Angelos eſſe multo inferiores Deo. Neque enim quisquis æqualis aut ſimilis negatur, is protinus eſt multo inferior. Quandoquidem fieri poteſt, ut primo proximus ſit, qui tamen aliquanto ſit impar: veluti qui triginta natus ſit annos, non eſt quidem æqualis annos nato triginta unum, nec tamen multo eſt minor. Unde liquet & illud quam abſurde colligas: *Dilucidum igitur eſt*, inquis, *non idem eſſe, ſive legatur*, paulo minus à Deo, *aut* ab Angelis. Nam hujusmodi floſculis omnis tuus ſcatet ſermo. Neque enim ſimpliciter dictum eſt mihi nihil intereſſe, utro modo legatur, ſed nihil intereſſe, quod attinet ad *paululum* ſive *paulo minus*. Quæ ſententia ſi minus tibi probabatur, erat ſolidioribus argumentis refellenda, priusquam tanta cum auctoritate adverſum nos ferres ſententiam. Quanquam hujusmodi permulta mihi diſſimulanda ſunt, ne cui vel moleſtus ſim loquacitate, vel argutior videar quam candidior.

Verùm hîc obiter me flagellas, fortaſſis non omnino ſine cauſa, ſed tamen paulo ſuperciliosius, mi *Jacobe*, ſiquidem ſcriptis reſpondet animus. Refutas enim ac rejicis velut impium, quod dixerim, aliquid intelligi poſſe de homine aſſumto, quod quæ in *Chriſtum* Deum & hominem competunt, non oporteat de altera natura enuntiari. Quo quidem in loco multa repetis de ſumma unitate hypoſtaſeos *Jeſu Chriſti*. Adduci non poſſum, ut credam te uſque adeo male ſentire de *Eraſmo*, ut me putes adeo ſtupidum, aut indoctum, ut nunquam legerim apud Theologos, *Jeſum Chriſtum* unam eſſe Perſonam, eundem Deum & hominem: & quanquam quædam in illum competunt ratione divinæ naturæ, quædam humanæ, tamen utroque nomine de illo prædicari, propter hypoſtaſeos unitatem, (ſi ita permittis me loqui) adeo ut recte Deus dicatur fleviſſe, doluiſſe, ac mortuus eſſe, & Dominus gloriæ crucifixus, rurſus homo dicatur æqualis Deo Patri. Hæc ſi me non docuiſſent ſacri Doctores *Hieronymus*, *Hilarius*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, certe ex tertio libro Theologicarum Sententiarum, quibus nihil eſt vulgatius, didiciſſe poteram, niſi forte credis & has mihi nunquam lectas. Itaque vehementer ineruditum me judicas, ſi credis hoc me latuiſſe, quod neminem fugit, qui vel primoribus labris prima Theologiæ rudimenta attigerit. Rurſum vehementer impium, ſi cum id ſciam, exiſtimes me velle dirimere Perſonæ ſive hypoſtaſis, quæ eſt *Chriſtus Jeſus*, unitatem. Quod ſi neutrum horum arbitraris, quid eſt quod tam prolixa agis diſputatione, & verbis pene tragicis inſectaris? Refutamus, inquis, & rurſum aliquanto poſt. Si igitur in illo Pſalmorum loco filium hominis, & id, quod ipſum refert, intelligeremus de homine aſſumto, & non de hypoſtaſi contra conſuetudinem divinarum Scripturarum, & intelligentiam Spiritus, irrationabiliter faceremus, quod nequaquam eſt admittendum. Non dubito quin tibi recognoſcenti minus placeant iſta, quam ea ſcribenti pridem calor quidam & fervor animi commendabat. Nam more hominum fit, ut quæ commentanti veniunt in mentem, nobis veluti partus ingenii noſtri impendio blandiantur: neque enim ejuſdem eſt gignere & judicare.

Pri-

Digitized by Google

Primum non versabar illic in hoc, ut traderem rationes enuntiandi. Et quanquam scio, de rebus divinis circumspecte & religiose loquendum, tamen anxie ac putide non puto oportere; præsertim apud te, qui captiones istiusmodi verborum sophisticasque λογομαχίας soles negligere, certe quid sentirem satis intelligebas ex iis quæ præcesserant, cum ajo, *Thomas refert hunc locum ad humanitatem Christi, qua minor Angelis factus sit, non juxta animam, sed juxta corpus assumtum.* At quod hîc dixi referri ad humanitatem *Christi*, paulo post commutatis verbis dico intelligi de homine assumto. Quid enim aliud est assumtus homo in *Christo*, nisi humanitas *Christi*, ut interim explicandæ rei gratia humanitatis vocabulo abutamur. Quid aliud est intelligere locum Psalmi de ea, quam intellectu quod dictum est ad eam referre? Quod si nullo modo permittis nobis sic loqui, cur non & prior ille locus aures tuas offendebat, quo sic loquor, *referri ad humanitatem Christi?* Nihilo magis enim dici convenit, *humanitatem à Deo diminutam*, quam *hominem assumtum a Deo diminutum.* Neque enim cum alterutri naturæ quippiam tribuimus, ita tribuimus quasi sit sola in *Christo*, sed quasi cum altera ὑποστατικῶς conjuncta, vel unita potius, (ut & sic interim loquamur) sed tamen eidem *Christo* varia tribuentes alio atque alio respicimus, haudquaquam plures ex uno dissecto facientes, sed pro diversitate rerum non eodem referentes, quod tribuimus. Veluti *Nepotianus* in eodem *Heliodoro* diligebat avunculum, venerabatur Episcopum, imitabatur Monachum, non ex uno plures faciens, sed in uno diversa considerans. Quid autem vetat quippiam enuntiare de altera natura, quod idem simpliciter in *Christum* competat? Age, si dicam, *Humanitas Christi nos docuit humana contemnere. Divinitas evehet ad æterna.* Rursum, *ab homine discamus modestiam ac tolerantiam, à Deo petemus immortalitatem*, quæso num cujusquam offendentur aures? Imo quid vetat, etiamsi singulis quæ in *Christo* sunt substantiis (nam hoc verbo usus est hîc *Augustinus*) tribuamus, quod idem in *Christum* competat? *Caro Christi plagis afflicta est pro commissis nostris, Anima Christi doluit pro nostris malis, Divinitas Christi vicit mortem.* Nec minus, opinor, pie dixerim his modis, & fortassis efficacius, quam si dicam, *Christus secundum carnem afflictus est, Christus secundum animam doluit, Christus secundum Divinitatem vicit mortem.* Nec enim offensurus sit, opinor, te qui *hominem assumtum* dixerit pro *humanitate*, sive *humana natura assumta*, quandoquidem hanc sermonis formam, & publicus Latinorum usus approbat, nec veretur uti solenniter Ecclesia, nec refugiunt sacri Doctores. Nam quî minus dicamus *assumsit hominem*, quam *exsuit hominem*? Pro his *cœpit esse homo*, & *desiit esse homo.* Fateor non appositè dici, *Christus est humanitas*, cum recte dicatur *homo*, quod *humanitas* naturæ sit vocabulum, *homo* suppositi, quando hoc verbi recentioribus Theologis arridet, veteribus inaudita vox. Tibi, ut videtur, impense placet *hypostaseos* vocabulum, olim *Hieronymo* suspectum, odio opinor *Arianorum*, à quibus ea vox profecta videbatur. Cæterum *hominis* nomen utroque modo usurpatum reperies apud Auctores probatissimos frequenter ita loquentes, *Christus juxta hominem filius virginis, juxta hominem mortalis*, & *juxta hominem assumtum*, pro eo quod est, *juxta humanam naturam.* Et chorus Ecclesiasticus canit, *Tu ad liberandum suscepturus hominem.* Hoc quoque durius est, quod dixit *Augustinus* Libro *De Trinitate* secundo, Cap. sexto: *Sicut assumtus est filius hominis*, pro eo quod est, sicut assumta est natura humana. Si *filius hominis* Christi nomen est, certe *Augustinus* pro una natura posuit, non pro hypostasi, quod tu putas esse sacrilegium. Idem Epistola tertia ad *Volusianum*, *Sic autem quidam reddi sibi rationem postulant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi.* Nonne *hominem* dixit, pro natura humana? Idem Epistola LVII. *Neque enim ipso die in cœlo futurus erat, homo Christus Jesus*; an non dixit, *homo Christus*, pro eo quod erat, Christus secundum humanam naturam? Ac mox: *Restat igitur, ut si secundum hominem dictum est, hodie mecum eris in paradiso.* Quin ibidem subinde repetuntur hæc verba, *secundum hominem, secundum Deum.* Atque is sermonis color adeo solennis est apud sacrosanctos Theologos, ut vix reperias aliter locutos. Quanquam totum hoc, quod hactenus disputatum est, non pertinet proprie ad sensum meum, neque enim illic tam hominem assumtum dixi naturam humanam in Christo, quam ipsam naturæ humanæ assumtionem. Opinor & hanc sermonis formam agnosci ab omnibus qui Latine sciunt. Conferam exemplum, quo quod loquor fiat apertius. Si quis laudet quempiam quod prudentissime se gesserit, & alter quispiam non satis intelligenti interpretetur, ac dicat, *De bello vitato sentit*, is non dicit bellum vitatum esse prudens, sed in hoc sitam esse prudentiæ laudem, quam illi tribuebat, quod bellum vitarit. Rursum cum dicimus, *Exprobrat epotum dolium*, non ipsum dolium opprobrat, sed dolii epotationem. Et, *cruciat hunc amissus liber*, pro eo quod est, excruciat hunc amissio libri. Ita cum hîc Propheta dicat, *Christum à Deo fuisse diminutum*, ostendo eam diminutionem nihil aliud fuisse quam assumtionem humanæ naturæ. Atque ad hunc modum locutus est divus *Hieronymus*, enarrans Epistolæ ad *Ephesios* Caput quartum: *Sed sic*, inquit, *unum & Dei & hominis filium confitemur, ne dispensationem assumti hominis, qua salvati sumus, ex parte credentes, in parte truncemus.* Arbitror jam satis demonstratum, nec in verbis meis esse, quod pias aures ullo pacto debeat offendere. Et tamen si quid etiam fuisset simplicius, aut parum circumspecte dictum, cum, ut eleganter ab *Hilario* dictum est, *sensus non sermonis fiat crimen*, non erat hoc tui candoris, tot verbis, imo convitiis insectari; præsertim in Annotationibus. Alioqui quam multa, quæso, reperiemus in *Ambrosii*, *Hieronymi*, *Augustini*, *Gregorii* Libris, quæ liceret ad istam rationem calumniari. Quis enim nunc laturus sit, si quis in *Christo* mixturam iuducat naturarum, aut compositionem? ut unum hoc exempli gratia producam. Atqui is in Epistola tertia, quam scripsit ad *Volusianum*, quoties id facit? *Quomodo*, inquit, *Deus homini permixtus sit.* Ac rursum, *In illa ergo persona est mixtura animæ & corporis, in hac persona mixtura est Dei & hominis.* Mox item, *Cum enim verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus.* Iterum paulo post, *Ac per hoc verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quam animæ & corporis.* An non iniquum sit ex *mixtura* vocabulo, tragœdias excitare, cum intelligamus illum recte sentientem, mixturæ nomine abusum pro unione. Olim crassius forte loquebantur Theologi, nunc quidam fortasse loquuntur subtilius, at vivunt ac sapiunt crassius. Nisi forte Deum morosum quempiam & captiosum facimus, & hominum quorundam similem, cum qualibus nemo libens habeat commercium, de quo difficillimum sit verba facere, ut non offendas, ut non capiaris. Inter vere pios, facile de verbis oportet convenire, quoties de re controversia non est, præsertim cum & frequenter excuset divus *Hilarius*, quod rerum hujusmodi sublimitatem nullus hominum sermo satis explicet, nec de iis veteres eodem balbutiant modo, imo ne nunc quidem satis inter Theologos conveniat. *Augustinus* in Commentariis suis *Dominicum hominem* appellarat *Christum.* Atque eum sermonem post corrigit ac vitat. Si hoc tanto accidit viro, docendus eram, non objurgandus, si mihi simile quippiam usu venisset, præsertim aliud agenti, maxime si tibi liquebat, quid sentirem. Neque enim ego de *Christi* hypostasi aliud sentio atque tu. Atque hæc excusarem, si quid etiam excidisset, quod vere reprehendi posset.

Verum ut ad alia pergamus. Negas inter nos versari

sari quæstionem, *utrum forma servi in Christo, sive homo assumtus parum vel multum sit imminutus à Deo*, tuis enim verbis utar, *sed an filius hominis imminutus sit à Deo, & id etiam quippiam parum*. Inter nos sane nulla quæstio versabatur, nec ego hominem assumtum dixi imminutum à Deo. Tuus iste sermo est, non meus, id quod modo satis declaratum est. Nam si *imminutum* sic accipias, ut sit participium, Divinitas potius videri possit imminuta quæ descendit ad hominem, quam humana natura, quæ evecta est ad consortium Divinitatis. Sin ita ut sit nomen, & perinde valeat ac si dicas, inferior Deo, non negabis, opinor, humanam naturam in *Christo* longe inferiorem fuisse divina natura. Quod si donas, consequetur, *Christum*, quatenus erat homo, longe inferiorem fuisse Deo Patre, &, ut *Augustinus* audet loqui, *etiam seipso quatenus erat Deus*. Quod si multo fuit inferior, videbatur excutiendum, quomodo Prophetæ dicatur *imminutus paululum*. Rursus si mihi dabis humanam naturam, quatenus est doloribus & morti obnoxia, longe esse infra dignitatem ac felicitatem Angelicam: consequetur, *Christum*, quatenus erat homo mortalis & naturæ incommodis obnoxius, aliqua ex parte fuisse inferiorem Angelis, certe juxta corpus. Id si verum est, nimirum manet in utraque lectione par difficultas, quam tuum agens negotium sic conor explicare, ut βραχύτι ad tempus pertineat, non ad modum dignitatis. Quod si recipimus, ut receptum est ab orthodoxis aliquot, & magni nominis Theologis, nihil fuerit in utraque lectione absurdum, & liberum erit utram voles sequi. Nec hîc cuiquam præco, nec hanc aut illam sententiam vel approbo, vel rejicio, quod tu tamen toties inculcas à me factum. *Sive isto*, inquis, Minuisti eum paulo minus ab Angelis, *quem posteriorem interpretandi modum approbare videtur Erasmus*. Ac rursum, *Nam juxta Septuaginta Editionem ait*, Minuisti eum paulo minus ab Angelis, *quam etiam approbat interpretatione*. Jam illud videbatur mihi parum prudenter abs te factum, quod cum βραχύτι ad temporis modum relatum, omnem explicet difficultatem, tu perinde quasi jam eviceris, eo referri non posse, ita triumphum agis, ita nobis insultas. Atque id quidem post conaris oppugnare, sed quam efficaciter mox videbimus. Certe cum hoc in ambiguo reliquisses, non erat cur hujusmodi convitiis veluti prostrato jam & jacenti insultares: *Subruetur igitur*, inquis, *Propheta, quomodocunque sive* à Deo, *sive* ab Angelis *interpretemur, quare hic sermo seipsum elidit, & falsum esse ex omni parte manifestat*. Jam illud magnis tragœdiis exagitas, quod scripseram, *Christum cum ob humanam naturam assumtam, tum ob humanæ conditionis susceptæ incommoda, non solum infra Angelos, verum etiam infra abjectissimos homines fuisse dejectum*. Atque hîc tu miro supercilio, *hunc*, inquis, *sermonem animose refutabimus, tanquam impium & Christo Deoque indignissimum, tanquam Spiritui adversantem, & litteræ quæ occidit adhærentem*.

Hujusmodi multa sunt, mi *Faber*, in tua ista præclara & amica disputatione, quæ me compulerunt ad purgandam famam abs te tam atrociter petitam. Absit ut ego sciens quippiam in te scribam istiusmodi. Quod si quid humanitus excidisset parum consentiens cum doctrina *Christi*, tuum erat, amicum errantem amice monere: nunc hæc omnes prius scire voluisti quam me, quem nec Epistolio, nec per amiculum quempiam dignatus es submonere: cum tamen Episcopus *Parisiensis*, cum hîc Regis sui nomine legatione fungeretur, inter colloquia narrarit audisse ex te, quod cum fatereris te multis in locis recte monitum à me, in nonnullis tamen scripto conflictaturus sis mecum. At si vera est Typographi inscriptio, jam tuum hoc Opus erat editum. Inscitiam, errorem, aut si quid aliud est humanum, impingi mihi facile patiar, at impietatem & indignitatem in Deum, cæteraque hujusmodi impingi mihi pati nec possum, nec debeo. Neque tamen vices referam, ut tam asperam criminationem criminatione repellam. Efficiam ut quod non minus scite quam pie dixit optimus ille *Cyprianus*, *pudor Christianus potius quam dolor loqui videatur*. Mihi in præsentia sat fuerit, tantæ impietatis crimen à me depulisse: nec luto repetam, qui me luto consperserit, contentus absterssisse: ne rursus aliam mihi labem contrahain, dum labem contumaciter eluo, fiatque ut dignus etiam videar hac contumelia, si contumeliam contumelia retaliaro. Equidem illud arbitrabar ad *Christi* gloriam pertinere, si illius humilitatem, quam sponte nostra causa subiit, quam maxime exaggerassem, præsertim cum *Paulus* ausus sit dicere, *exinanivit semetipsum*, & à Propheta *vermis*, sive ut quidam vertunt, quorum est *Ambrosius*, *scarabeus* appelletur, & hujusmodi habitu pingatur ab *Esaia*: & cum ipse in Euangelio dicat, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Et alibi se comparet grano sinapis condendo in terram, multaque id genus alia, quæ summam *Christi* humilitatem nobis declarant. Quicquid enim hîc accumulatur, hoc nobis illius erga nos ineffabilem caritatem commendat. Nec hoc sentio, quod videris interpretari, *Christum* aut simpliciter inferiorem, aut ita fuisse Angelis hominibusve inferiorem, ut esset deterior, sed tamen aliqua parte fuisse his inferiorem. Certe mihi videtur hoc nomine multum descendisse, ac dejecisse sese infra Angelos, quod assumserit corpus & animam morti, cruciatui, doloribusque obnoxiam. Hæc opinio si impia est, si Deo *Christoque* indignissima, si spiritui adversatur, si litteræ quæ occidit adhæret, ut tu prædicas, fateor errorem meum. Ita hactenus sensi, libenter tamen mutaturus opinionem, ubi fuero meliora doctus. Deinde quod non contentus nostram assumere naturam Dei Filius, omnes pene hujus vitæ calamitates in se recepit, labores, dolores, sudores, famem, sitim, lachrymas, tædium, probra, vincula, flagra, crucem, cum plurimi mortales his malis careant, qui tamen his malis digni sunt, videbatur mihi aliqua ex parte descendisse, & infra infimos homines: non quod interim desineret esse summus ac felicissimus, sed quod hæc nostra mala sua sponte ut homo in se reciperet. Nec enim arbitror ad rem pertinere, si quæ plurima de *Christi* dignitate congeris, coner refellere. Latissimus erat campus omnia persequi, quæ *Christi* declarant sublimitatem: ac rursus recensere, quæ testentur ejusdem humilitatem, sive, ut *Paulus* loquitur, exinanitionem. Scis plura esse in divinis Libris, quæ nobis verbi Dei inexplicabilem magnitudinem prædicent: verùm si his quoque multo plura essent, nos tamen illius celsitudinem haud unquam vel oratione, vel animo possimus assequi. Sunt item innumera loca, quæ mire declarant, quo se humilitatis sermo divinus nostra causa dejecerit: nec hanc partem ulla mens humana satis explicet, aut etiam cogitatione percipiat. Et quanquam utrobique est mirabilis *Christus*, tamen haud scio, an hæc portio magis ad nos pertineat, quod illa magnitudinis admiratio potius ad futuram vitam pertinere videatur. Tibi placet *Christi* sublimitatem attollere laudibus, alii fortassis magis cordi est, in humilitatis assumtæ contemplatione versari: & tamen difficile dictu sit, utrius studium magis pium fit, hoc fortasse fuerit interim salubrius. Et haud scio an ipse hac sese nobis spectari malit, qua se nobis potissimum exhibuit, post majestatis gloriam exhibiturus. Certe *Paulus* gloriatur se inter suos nihil scire, nisi *Jesum Christum*, & hunc crucifixum, hoc est, non sublimem illum, sed humilem. Nec ob id illico tuus erit adversarius, qui hac parte *Christum* contempletur, nec tu illius, quem magis capit sublimitatis admiratio. Uterque unum eundemque *Christum* veneramini, sed alter altera ex parte: nec tu celsitudinis ac majestatis admirator, officis humilitatis laudibus: nec hic humilitatis contemplator, quicquam illius sublimitati detrahit: quod utraque res in *Christum* competat, ob divinam naturam, in qua semper fuit Deus, & ob humanam infirmitatem, quam dignatus est assumere in tempore. Infra Angelorum naturam diminutum *Christum*, ob corpus doloribus & morti obnoxium, ausi sunt dicere ante nos viri probatæ tum sanctitatis, tum eru-

eruditionis, à quibus tu primus & ſolus omnium diſſentis, etiamſi in cauſa ſimili illos excuſas, ut potes, ſed tamen ut lapſos eſſe velis: me atrociter objurgas, quod non ſolum idem auſus ſim dicere, verum etiam quod adjecerim, *infra abjectiſſimos etiam homines diminutum fuiſſe.* Is ſermo videtur graviter offendiſſe tuas aures, perinde quaſi deroget celſitudini *Chriſti*, cum magis attollat illius ſublimitatem, quando bonitatem ejus, & ſapientiam nobis exaggerat, quibus ille nobis non minus magnus eſt, quam ſua potentia. Tu clamas, *Chriſtum* Dei Filium infinitis partibus excellere omnem creaturam. Ego cum iſtuc maxime fatear & amplectar, aio eundem *Chriſtum* virginis filium aliquando infra Angelorum ſortem noſtra cauſa deſcendiſſe; nec id ſolum, verum etiam infra multorum hominum ſortem deſcendiſſe, qui non ſolum naturam aſſumſerit, ſiti, fami, laſſitudini, probris, dolori, mortique obnoxiam, verum etiam tot humanæ vitæ injurias, hoc eſt, noſtris peccatis debitas pœnas in ſe receperit. Atque ut ſic auderem loqui, divus *Paulus* mihi fiduciam tribuit, qui Epiſtola ad *Philippenſes* videtur hujuſmodi gradus in *Chriſto* ſubnotare, cum dejecti exemplum nobis proponens ait, *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Hactenus indicat, quatenus infra Angelos deſcenderit. Mox aperit, quatenus ſe dejecerit infra homines: *humiliavit ſemet ipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Pauci homines ad mortem uſque ſe humiliant, pauciores ad mortem crucis. Tu ſic faves *Chriſto*, ut nolis eum eſſe dejectum niſi paululum, idque à Deo: at *Paulus* exinanitum dicit, ut vel ipſo verbo ſtatim intelligas, eum multum eſſe dejectum. Deinde fatetur *Paulus*, ob hoc ipſum exaltatum, quod ſeſe plurimum humiliaverit: *propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen ſupra omne nomen.* Sic exaltatus eſt, ut nihil accederet divinæ gloriæ: ſic humiliatus eſt, ut eidem nihil deceſſerit: & tamen vere humiliatus eſt, vere exaltatus eſt. Si qui ſemet humiliat, ſeſe dejicit: & qui humiliatus eſt, aliquo modo inferior eſt: alioqui, nec humiliatus dicetur: & ſi ob id humiliatus dicetur, quod veluti ſervus obedierit uſque ad mortem, & mortem crucis, & ad eas pœnas deſcenderit, quas nemo mortalium aut paſſus eſt, aut fortaſſe pati poſſit, quid habet impietatis hic ſermo, ſi dicatur infra abjectiſſimos etiam homines abjeciſſe ſe? Grave onus paupertas, ille voluit eſſe pauperrimus. Dura res dolor, ille ſummos in ſe recepit cruciatus. Acerbiſſima rerum mors, & mors adacta, denique talis mors, & hanc in ſe recepit. Morte quoque acerbior eſt ignominia, conſpui, & probris obrui voluit. Quod humanam aſſumſit naturam, hactenus æqualis fuit cæteris hominibus: quod pauper, quod in ſummis laboribus vixit, hactenus infra multos homines fuit: quod mortalis erat, hoc nobis erat æqualis: quod talem mortem pro nobis delegit, infra vulgus hominum ſeſe dejecit. Nec ea res quicquam, opinor, detrahit dignitati *Chriſti*, qua ſemper eſt Patri æqualis, non profecto magis, quam illius felicitati derogat, ſive, ut quidam loquuntur, beatificæ fruitioni, quod in anima pariter ac corpore ſummos pati voluit cruciatus. Nec enim ob id *Chriſtum* facimus infelicem, quod & carere voluit his commodis, quibus hominum vulgus ſe felices putant, & noſtræ conditionis incommoda perpeti, eaque perferre, ob quæ vulgus infelices vocat. Etiamſi tuus *Ariſtoteles* iſta partem aliquam felicitatis & infelicitatis, atque adeo pluſquam dimidium, facit. Ac ne quid forte cavilleris, cum plerique recentiores humiliationem, ſive exinanitionem *Chriſti* non ad dolores ſuſceptos, ſed ad naturam hominis aſſumtam referant, me perperam hoc de meo addidiſſe: primum vides ipſum *Paulum* inſignite diſtinguere naturam à malis ſuſceptis, non ſolum hoc loco, quem modo citavimus, verum etiam in Epiſtola ad *Hebræos*, cum ait: *Eum autem, qui modicum quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.* Ac paulo inferius, *In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* Audis non naturæ, ſed paſſionis mentionem. Quod ſi quis attentius excutiat *Ambroſianam* interpretationem, comperiet hanc quoque humiliationem non tantum ad naturam aſſumtam, verum etiam ad ſuſceptas naturæ contumelias referre. Siquidem hunc ediſſerens locum, quem paulo ante citavimus, ait, *Chriſtus igitur ſciens in forma Dei ſe eſſe, æqualem ſe oſtendit Deo, ſed ut humilitatis legem doceret, Judæis ſe comprehendentibus non ſolum non repugnavit, ſed ſemetipſum exinanivit, hoc eſt, poteſtatem ſuam ab opere traxit, ut humiliatus otioſa virtute infirmari videretur, formam ſervi ſuſcipiens, dum tenetur, & ligatur, & verberibus agitur, uſque ad crucem factus obediens Patri, cui ſe æqualem ſciebat, non ſibi defendit æqualitatem, ſed ſubjecit ſe. Hanc patientiam & humilitatem imitari nos docet, ut non ſolum æqualibus nos non anteponamus, verum etiam inclinemus nos, auctoris noſtri ſecuti exemplum.* Ac mox, *Servi autem formam accepiſſe dicitur, dum quaſi peccator humiliatur. Servi autem ex peccato fiunt, ſicut* Cham *Filius* Noe, *qui primus merito nomen ſervi accepit.* Atque hactenus quidem audis *Ambroſium*, mecum haud obſcure facientem. Is *Chriſti* humiliationem exaggerat, quo inſignius ſit exemplum, quod nobis in ſe expreſſit, quodque nominatim juſſit imitari: *Diſcite à me, quod mitis ſum & humilis corde.* Tu *Chriſtum* paululum quiddam humiliatum eſſe vis, homo miſericors, opinor, qui nolis *Chriſtum* durius accipi. Jam quæ ſequuntur apud *Ambroſium*, dilucidius etiam pro me faciunt, *Non enim*, inquit, *mihi ſicut quibuſdam videtur, ſic formam ſervi accepiſſe, dum homo natus eſt.* Ego ad utrumque retuli *Chriſtum diminutum*, iſte tantum ad vitæ noſtræ contumelias referri vult. Divus *Auguſtinus* quanquam magis ſpectare videtur aſſumtam hominis naturam, tamen paſſionis mentionem adjungit, cum ait, *Quem minutum paulo minus ab Angelis per humilitatem carnalis generationis atque paſſionis audivimus & credidimus.* Quandoquidem carnalem generationem, appellat naturam hominis aſſumtam: paſſionem, naturæ contumelias. Ac paulo ſuperius: *De quo propter infirmitatem carnis, quam ſapientia Dei geſtare dignata eſt, & paſſionis humilitatem rectè dicitur: Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Rurſus duo conjungit, naturam aſſumtam, & afflictionem: & paſſioni nomen humilitatis accommodat, quam tu vis exaltationem dici: etiamſi non inficior, *Chriſti* humilitatem eſſe glorioſam: *Quandoquidem*, ut inquit *Hilarius*, *illius humilitas noſtra nobilitas eſt, illius contumelia honor noſter eſt.* Vides mihi nec hac in parte Scriptorum illuſtrium deeſſe patrocinium? Quo ſi maxime deſtituerer, non arbitror flagitium, ſi quid ipſe novi commentus fuiſſem, præſertim cum id probabiliter ex *Pauli* verbis colligatur, & ad *Chriſti* gloriam faciat, non ad contumeliam: ad noſtram ſalutem conducat, non ad perniciem. Proinde ſi ſententiam meam tibi probavi, non arbitror æquum eſſe tantopere offendi te, quod dixerim, *illum dejeciſſe ſe infra abjectiſſimos homines.* Et fortaſſe *dejiciendi* verbum tibi contumeliam ſonat. Dicitur *deſcendiſſe*, dicitur *humiliatus*, dicitur *diminutus*, dicitur *inferior*, dicitur *minor*, denique *Paulo* dicitur *exinanitus*, & cur eſt quod nos offendat *dejiciendi* verbum, aut ſi quod aliud eſt huic ſimile? Neque puto te tam rudem Latini ſermonis, ut exiſtimes, *abjectos* aut *dejectos* tantum dici, qui ſuo merito malis obnoxii ſunt. Cum enim ait *Ovidius*, *Quamvis abjectus & infra te quoque ſim:* non mores ſuos accuſat, ſed ſortem duram & gravem indicat. Abſit enim, ut, non dicam me, ſed quemquam Chriſtianorum huc impietatis, vel potius amentiæ prolapſum exiſtimes, ut *Chriſto* vitium, aut indignitatem, aut ignominiam adſcribat, & animi malis cum abjectiſſimis, hoc eſt, ſceleratiſſimis hominibus conferat. An non laborioſos pauperes, contemtos juxta mundum abjectos dicimus? & an non vere aliqua

in parte humiles abjectique sunt? Cum sic abjectis hominibus *Christum* similiter abjectum compono, nisi quod, quæ illi sæpe adacti necessitate patiuntur, hic volens nostra causa tulit. Non eum cum latronibus confero, sed cum martyribus: & si illum cum suis latronibus conferam, quod indigniora quam illi passus sit, cum illis vera crimina non opprobrarentur, hic innocens tot probris affectus sit, non opinor me impie facturum.

At dicis, Ista, quæ *Christus* in se volens recepit, mala non sunt, nec reddunt deteriorem, sed potius meliorem: atque hoc loco nonnihil à *Peripateticis* tuis desciscens ad *Stoicos* provocas: *Si etiam Philosophos*, inquis, *interrogemus, an vir fortis ut victoriam pariat populique salutem, quod ad flagra, ad vulnera, ad ipsam denique mortem sciens volensque descendat, an, inquam, inferior abjectiorque habeatur? Dicent procul dubio quod multo etiam superior, multoque honorabilior.* Et in eandem sententiam de martyribus philosopharis. Primum ad quod genus malorum pertineant, quæ juxta tuum *Aristotelem* non sinunt hominem adipisci perfectam felicitatem, nihil mea refert, mihi satis est, esse in aliquo malorum genere. *Socrates* nihilo deterior erat cum cicutam biberet, cum compedes gestaret in carcere, quam cum aureus staret in foro, & tamen illic aliquo modo dejectus erat, hic evectus & honoratus. Si quis Rex, mendici pannis tectus, famem, exsilium, carcerem ultro subeat, quo consulat Reipublicæ, nonne recte dixeris, hunc à regia fortuna dejecisse se infra abjectissimos etiam homines? At hoc ipso major est, inquis, quod ad ista descenderit. Si quo modo fateris descendisse, aliquo modo inferiorem fatearis oportet. Sed alia ratione inferior est, alia melior & honoratior. Si sortem & cruciatus attendas, & cum pristina gloria conferas, multum se dejecit: si virtutem animi, multo seipso melior est. Martyr hac parte, qua ad jussum Regis cervicem porrigit & tyranno se submittit, hac est inferior, cum pietate sit illo longe superior. Et quemadmodum martyr in suppliciis amore *Christi* & ejus exemplo sese humiliat, ita ejusdem exemplo gloria & honore coronatur, ut qui socius fuerit dejecto, idem socius sit evecto & regnanti. Neque tamen nos usquam *Christum* abjectum, aut abjectiorem diximus, quod tu repetis in hac argumentatione, neque quisquam illi abjectionem aut improperium objicit, quod, ut ais, infidelium est ac *Judæorum*. Imo utrumque in illo adoramus & exosculamur, & quod exaltatus est super omnia, & quod nostra causa sic sese dejecit. In altero videmus quid nobis sit imitandum, in altero quid sperandum. Adoramus sublimem sedentem ad dextram Patris, & eundem adoramus vagientem in cunis, adoramus consputum, adoramus infami sententia damnatum, adoramus etiamnum crucis & plagarum pro nobis susceptarum servantem vestigia. Cur tibi solum placet exaltationis vocabulum? cum ne possit quidem exaltari, qui non aliquo modo fuerit inferior. Si recte inferior dicitur, in imo subsellio sedens vir optimus, eo qui summo thoro recumbit nequissimus, an non aliquo modo inferior est, qui tot humanæ vitæ injurias in se recepit? Nec enim quisquis aliquo modo inferior est, statim & simpliciter est inferior.

Non loquor, inquis, *de homine assumto, sed de Jesu Christo, qui est Deus ac Filius Dei.* Atque ego de eodem loquor homine, & hominis filio, & homine crucifixo, tot mala pro nobis passo. Si *Jesus Christus* tantum est Dominus & Filius Dei, quî intelligitur diminutus? Si idem est hominis filius, & hactenus seipso minor, quid absurdi sit huc referre diminutionem? Et haud scio, an probabilius sit, *Christum* & *Christi* nomen, sic enim loqueris, cum duas significet naturas, pro una duntaxat accipi, non pro duabus, ut tu vis, aut (quod est absurdius) è duabus composito, etiamsi cum filius hominis diminutus dicitur, quoniam comparatio ad duo refertur, sermo videtur ad utranque naturam respicere, assumentem & assumtam. Alioqui cum dico, *Christus assumsit humanam naturam*, utrum *Christi* vocabulum pro utraque natura positum videtur, an pro altera, nempe divina? Et cum *Augustinus* ait, *Dei Filius assumsit filium hominis*, cum utrumque sit hypostaseos vocabulum, tamen apparet utrumque pro altera natura accipi. Proin tu videris, an quæcunque aliquo modo duo significant, statim in enuntiationibus pro duobus accipiantur. Nisi forte cum *album* dico, quoniam ea vox substantiam significat, simulque colorem inhærentem, album recte pro utroque dicetur accipi. Aut quia *Pater* in divinis duas significat personas, alteram in recto, alteram in obliquo, protinus pro duabus accipietur. Aut quia *cæcus* significat oculis captum, atque obiter etiam visum, pro utroque accipietur. Et tamen quod hactenus à me dictum est, argumentando duntaxat est dictum, ut eo pervenirem quo tendebam, βραχύ τι ad tempus esse referendum. Tu perinde nos oppugnas, quasi hîc esset disputationis meæ cardo. Sed operæ pretium est audire quanto molimine excusas, quod *Christus* in Psalmis dixerit se vermem, & non hominem, opprobrium hominum & abjectionem plebis. Nam hunc forte locum adduxeram. Quasi vero periculum esset, ne *Christus* crederetur vere fuisse vermis, nisi te famæ suæ patronum esset nactus. Nihil offendit pias aures, quod vermis dicitur, non magis quam quod lapis dicitur; aut agnus, aut leo, aut vitis, aut granum sinapis, aut aliud simile. Atque hic putas tibi *Tenediam* bipennem repertam, qua omnes hujusmodi nodos dissecces, si omnia, quæ in hanc formam de *Christo* leguntur in divinis Litteris, non ad veritatem, sed ad *Judæorum* pertineant existimationem, sive, ut tu loqueris, æstimationem, vixque totum illum Psalmum, qui derelictionem, dejectionem, & confusionem sonat, secundum æstimationem & judicium Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum esse intelligendum. Atqui si sic accipi poterat, cur non mea verba sic interpretabaris? *Christum* æstimatione *Judæorum* fuisse diminutum infra abjectissimos homines? Minus est, abjectum esse infra homines, quam appellari vermem, quam probrum, quam rejectamentum? Et si hæc pie possunt intelligi, cur in meis suspicaris impietatem? Sed tamen tu videris an verum sit quod ais, totum illum Psalmum ad existimationem *Judæorum* pertinere, nisi forte quod inibi legitur, *Foderunt manus meas, & pedes meos:* Item illud, *Omnes videntes derisserunt me*, & cætera, existimationis sunt, non veritatis. Quid, quod recentiores etiam Theologi negant *Christum* moriturum fuisse, ni Divinitas humanum corpus aliquo modo dereliquisset. Quod si verum est, non opinione, sed re fuit derelictus. Cum autem constet, appellatione vermis nihil aliud significari, quam summam *Christi* humiliationem, eaque humiliatio sita sit in malis, quæ nostra causa assumsit: si vere mala nostra recepit, & passus est, vere fuit humiliatus, & hactenus vere vermis. Certe quod cæsus est flagris, quod consputus, quod vinctus, quod accusatus, quod damnatus, quod probris affectus, quod inter sceleratos crucifixus, veritatis est, non existimationis *Judæorum*, & tamen ob hæc vermis dicitur, ob hæc dicitur humiliatus ac diminutus, ob hæc exinanitus? Sed immerenti ista tulit. Fateor, verùm ista hoc sunt indigniora, si accidant immerenti. Atque aliquanto inferius hoc agis, ut quod vermis appelletur, ad nos pertineat, non ad *Christum*, quod vermis terrenus sit, *Christus* autem cœlestis dicatur apud *Paulum*, & tamen divus *Augustinus* hunc enarrans locum, ausus est ad ipsum *Christum* referre: *Quare*, inquit, *vermis? quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus.* Atque hæc cum vere in *Christum* competerent, non juxta hominum existimationem, quomodo tibi existimatione tantum vermis dicitur? Tametsi hoc quidem in loco, quod apud *Augustinum* sequitur, mihi non admodum probatur, qui sic interpretatur, non hominem dictum quod Deus esset: *Quare*, inquit, *non homo? quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Id enim argutius videtur dictum quam verius. Nec enim ideo *Christus* homo non erat quod Deus esset, nec absque tropo dictus est non homo. Tametsi sic propemodum argu-

argutatur & *Ambroſius* enarrans apud *Lucam Petri* negationem, quaſi ſic dixerit *Petrus*, *non novi hominem*, quod Deum agnoſceret. Sed ut ad rem redeam. Idem *Auguſtinus* ediſſerens primum Caput Euangelii *Joannis* ſcribit hunc in modum: *Si enim ipſe Dominus dicit*, Ego autem ſum vermis & non homo, *quis dubitat hoc dicere quod ſcriptum eſt in Job? Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* putredinis appellationem ad nos referens, vermis ad *Chriſtum*. Neque vero *Paulus* ideo *Chriſtum* cœleſtem vocat, quod corpus terrenum non haberet, ſed quod à contagio terreni *Adæ* abeſſet. Quandoquidem illic duos fecit *Adam*, alterum peccandi principem, alterum innocentiæ principem. Certe divus *Auguſtinus* non veretur *Chriſto* terreni cognomen tribuere Epiſtola 147. ad *Conſentium*, *Dominus*, inquiens, *ad hoc terrenus factus eſt cum eſſet cœleſtis, ut vos qui terreni erant, faceret cœleſtes.* Quod ſi ſolus *Chriſtus* cœleſtis eſt, cæteri omnes terreni: igitur *vermis* appellatio in martyres, non juxta exiſtimationem malorum, ſed vere competet juxta tuam interpretationem. Quod ſi hîc quoque valere vis κρησφύγελον opinionis, cur addis Scribarum & Phariſæorum? An apud iſtos tantum paſſi ſunt martyres, aut apud hos tantum contemti?

Jam commentum quod adducis de *non homo*, cum addis: *Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui ſic homo eſt, quod omnium hominum maxime homo, & vere homo*, quale ſit diſpiciamus. Hîc ſi tibi res eſſet cum homine ſophiſtico, vide quo pacto tueri poſſis *Chriſtum* omnium maxime vere hominem eſſe, cum juxta tuum *Ariſtotelem*, magis & minus non cadat in ſubſtantiam, ut *Chriſtus* magis homo dici poſſit, etiamſi melior cunctis hominibus dici debeat. Non referam hoc loco par pari, ut ſummo (quod ajunt) jure tecum contendam, & de voculis caviller, poſteaquam mihi ſatis liquet quid ſenſeris. Jam opprobrium hominum & abjectionem plebis, cur vereris *Chriſto* accommodare, ſed in alios homines detorques, cum *Paulus* non vereatur eum peccatum & maledictum dicere? Hæc verba ſi pie dicuntur de *Chriſto*, quæ impietas eſt dicere, *Chriſtum infra homines diminutum*, modo id ſentiatur quod de *Chriſto* ſentire cum primis eſt pium? Si verbis offenderis, his magis offendi oportuit: ſi ſententia, nihil hîc eſt impium, niſi ſi quis impie interpretetur. Si dixiſſem *Chriſtum* humiliaſſe ſe infra humillimos homines, non abhorreres, opinor: cur vociferaris impietatem, ſi dixi abjectum infra abjectiſſimos homines, cum recte humiliatus dicatur, qui ſe humiliarit, & nihil aliud ſit abjectus quam humiliatus? Quod ſi vocis novitas ſola te offendit, uſus eſt ea ante nos de *Chriſto Auguſtinus*, hunc Pſalmi locum exponens: *Quare*, inquit, *ergo ſic ſe abjecit, ut diceret vermis?* At dices, abjecit ſe oratione, fateor; ſed vera tamen, opinor, non vana aut ficta, unde conſequitur vere fuiſſe abjectum. Jam quod ſcribis, *Chriſtum* opinione *Judæorum* fuiſſe derelictum à Patre, non ſolum frigidulum eſt, verum etiam ab omnium veterum interpretum ſententia diſſentiens: quaſi hoc *Chriſtus* illic queratur Patri, quod *Judæi* male de ſe ſentiant, pro quibus paulo ante oraverit. Et haud ſcio an præſtiterit, mi *Faber*, ulcus hoc exiſtimationis in totum non tangere, ne cui minus incipiat diſplicere *Marci* cujuſdam, aut *Marcionis*, opinor, hæreſis, qui, ut auctor eſt *Auguſtinus*, docuit *Chriſtum* non vere, ſed putative paſſum. Jam quod me rogas, quî conveniat eum, qui eſt primogenitus omnis creaturæ, & ſupra omnem creaturam, dici vermem, & eum dici non hominem, de quo dicit Apoſtolus: *Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*, rectius ab ipſo Propheta ſciſciteris, imo ab ipſo *Chriſto*, qui ſe per os Prophetæ vermem dixit. Neque vereor ne ob id mihi ſuccenſeat *Chriſtus*, ſi ipſius utar verbis in eum ſenſum, in quem ille dixit, ſi qua fides tot orthodoxis interpretibus. Atque inter hos eſt divus *Hieronymus*, unus multorum inſtar, qui exponens ſecundum caput Epiſtolæ *Pauli* ad *Titum*, palam *Chriſtum* vermem appellat, & amplius auſus, peccatum & maledictum audet dicere. Quod autem *Pauli* teſtimonio doces *Chriſtum* hominem dici, fateor, riſi ſedulitatem tuam: quaſi vero periculum fuiſſet, ne quis alioqui *Chriſtum* negaſſet hominem, niſi unum *Pauli* locum nobis objeciſſes, cum ipſe toties in Euangelio ſe vocet filium hominis. Porro quæ citas è divinis Libris, docens *Chriſtum* non fuiſſe vere derelictum, non minus faciunt pro me quam pro te. *Non ſprevit Deus, neque deſpexit deprecationem pauperis.* At qui deprecatur, quoniam implorat opem, aliquouſque videtur derelictus: alioqui quid implorat ſi nihil deſiderat? Ac mox: *Et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* Quid clamat, qui nulla re deſtitutus eſt? aut quomodo liberantur, qui nullo pacto ſunt derelicti? Et ne ſingula perſequens fiam loquacior, & illud quod addis, *Nam & virgo* Maria *aderat, & dilectus diſcipulus, & Magdalene, & mulieres* Jeſum *ſequutæ, quæ multa compaſſione & Deo & Angelis grata pietate flebant ſuper eum: virginis autem cor gladio paſſionis ejus confoſſum eſt, & anima ejus tranſverberata*: pro nobis facit. Cui compatiuntur? quem miſericordia proſequuntur? nam id, opinor, dicis pietatem, licet vulgate magis quam erudite. Num verbum Dei Patri ſemper æquale? an hominem pro omnibus dira patientem? Quem flebant? num excelſiorem creaturis omnibus? an abjectum & infra latrones? & ſi idem unuſque eſt *Chriſtus*, in quem hæc tam diverſa competunt? Vides ut hæc noſtræ ſententiæ adſtipulentur etiam, non ſolum nihil officiant: ut ne illud excutiam, quod *Chriſtus* apud *Lucam* ſeipſum *viride lignum* appellat, innocentiæ magis eſſe quam dignitatis. Quod miror cur adducendum putaris, niſi forte periculum erat, ne quis noſtrum *Chriſtum* ſceleroſum hominem judicaret. Aut ſi propoſitum erat colligere quæ illius dignitatem indicant, cur è tam multis paucula quædam adducis? Si volebas refellere quæcunque *Chriſti* humilitatem ſonare videntur, cur vix unum aut alterum locum attingis? Vides igitur, totum hunc locum tibi extra cauſam eſſe declamatum.

Poſt hæc pergis excutere, an quod ad hæc mala deſcenderit *Chriſtus*, ob id *fuerit in ſe diminutus.* Belle me hercle proponis, quaſi à me uſquam ſit dictum, illum *in ſe fuiſſe diminutum*: quanquam hoc *in ſe*, quid ſibi velit non ſatis intelligo. Si *in ſe* accipis, pro vere, dicam *in ſe fuiſſe diminutum*, qui vere fuerit diminutus. Fateris aſſumta natura humana, ſuſceptiſque cruciatibus *Chriſtum* fuiſſe diminutum. Vere autem eam aſſumſit, vereque fuit afflictus, vere igitur fuit diminutus. Sin cum *in ſe* dicis, ſentis abſolute, ſimpliciter, & per ſe, fateor abſolute ſummum, & ne nihil videar ex tuis libris hauſiſſe, pluſquam infinite ſummum. Jam nec illud ſatis intelligo, quid ſibi velit quod negas, *Chriſtum* in Euangelio ſeipſum dicere vermem, ſed lucem mundi, ſed viride lignum, aliaque quæ dignitatis ſunt, niſi forte innuis Prophetæ verba non ſatis apud nos habere ponderis, & par eſſe ut Euangelicæ cedant auctoritati? An ut *Chriſtum* credamus recte vermem dici, non ſatis eſt nobis quod à Propheta vermis ſit dictus? Quaſi vero non bona pars Euangelicæ hiſtoriæ *Chriſti* nobis humilitatem decantet: aut quaſi Propheta non alias adoret, ac ſtupeat ejus ſublimitatem, quem hîc vermem appellat, & rejectamentum plebis. Cum legis cunas, cum præſepe, cum legis vagientem, cum circumciſum, cum fatigatum, cum ob famem accurrentem ad ficum, cum aſſumtum ac tentatum à Diabolo, cum legis filium hominis, cum legis non habentem ubi caput ſuum reclinet, cum interim nec vulpibus ſua deſint latibula, nec avibus nidi, cum lachrymantem legis & infrementem, cum indigna audientem, denique cum totam paſſionis hiſtoriam recenſes, quæſo quid aliud legis, quam Filium Dei infra omnes homines diminutum, ut ſupra omnia exaltaretur. Cum legis deformatum, deſpectum, noviſſimum virorum, cum agnum coram tondente ſe obmuteſcentem, an paululum quiddam diminutum legis? Quæ omnia cum *Chriſto* tribuantur non offenſa illius ineffabili dignitate, qua ſem-

per fuit hominibus pariter atque Angelis adorandus, (*neque enim*, ut inquit *Hilarius*, *poteſtatis dignitas amittitur*, *dum carnis humilitas adoratur*, *quod ob diverſas naturas diverſiſſima in eum competant*) nihil erat cur celſitudinis admirator, humilitatis commemoratione offendatur. Neque enim ideo non vere ſervus dictus eſt, quod vere Dominus fuerit omnium. Si miniſter eſt qui ſordido etiam miniſterio fungitur, ille lavans diſcipulis pedes, aliquo pacto miniſter erat, at nihilo ſecius eorundem Dominus. Jam non video quid tibi velis, cum collectionem meam calumniaris, quaſi parum argute ratiocinet: *Et quod*, inquis, *nulla proportio ſit naturæ humanæ ad Deum, id non efficit quod inde dicatur vermis, alioqui & Cherubim vermes appellandos, quod nec ad hos ulla ſit Dei proportio.* Quæſo te, ſic argumentor uſquam? Imo ut doceam infra abjectiſſimos homines diminutum *Chriſtum*, adduco Prophetæ teſtimonium. Quid autem attinebat argumento probare, quod ipſe per Prophetam loquitur *Chriſtus?* Jam quod ſubjicio, *nulla enim proportio humanæ creaturæ ad Deum*, eo pertinet quod præceſſerat, *Chriſtum non paulum imminutum à Deo*, quod tu nolebas. Siquidem eas partes ſic tracto, ut nunc ad hanc, nunc ad illam reſpiciam. Dic mihi, νὴ τὸ φίλιον, utrum iſtuc eſt amice diſputare cum amico, an cavillari potius?

Verum his omiſſis, ad id quod erat inſtitutum recurrat oratio. Ad eandem rationem tuebor quod impugnas. *Humanæ naturæ ad divinam nulla eſt proportio. At Chriſti*, inquis, *ad divinam naturam eſt proportio, nempe identitatis & æqualitatis.* Simulatque proportionis facta eſt mentio, video me plane τὸ ἵππον εἰς πεδίον provocaſſe: quare tecum hoc quidem loco non admodum pugnabo cum homine in diſciplinis mathematicis pene detrito. Verùm ut demus æqualitatis eſſe proportionem aliquam, quis unquam audivit proportionem identitatis? aut quis unquam propoſuit proportionem infiniti ad infinitum? Etenim ut *Ariſtoteles* negavit finiti ad infinitum eſſe proportionem, ita ſenſit nec inter infinita duo eſſe proportionem, ſi quid credimus interpretibus. Porro quod apud *Paulum* legimus, *Chriſtum* æqualem Deo, non opinor conſtitui proportionem, ſed negari minorem ac majorem poteſtatem. Sed ut hæc arguta magis quam ad rem noſtram facientia mittamus, utere tuo arbitratu proportione vel identitatis, vel æqualitatis. Utrum hanc ſolam in *Chriſto* vis eſſe, an præter hanc aliam quampiam? Si ſolam, nec à Deo fuerit diminutus *Chriſtus*, quod tu tamen non negas, modo id ſit paululum quiddam. At juxta identitatis proportionem, ne tantulum quidem fuit diminutus. Proinde quî verum eſt, quod ipſe dicit in Euangelio, *Pater major me eſt?* Ubi audis minor & major, alia quædam propoſitio ſit oportet quam æqualitatis. Si tu ex Euangelii loco, *ego & Pater unum ſumus*, recte colligis proportionem æqualitatis, quî minus ego ex Euangelii loco, *Pater major me eſt*, colligo proportionem inæqualitatis? Ea ſi ſumitur ex comparatione rerum in infinitum inter ſe diſtantium, aut profer ex tua mathematica, quænam ſit iſta proportio, aut mecum fatere nullam eſſe proportionem. Quod ſi juxta hanc comparationem *Chriſtus* dicitur minor Patre, aut finitis gradibus minor eſt, aut infinitis. Non opinor dices finitis, quum ipſe fatearis, inter creaturam & creatorem nullam eſſe proportionem. Sin infinitis, quomodo tu defendis, eum paululum quiddam fuiſſe diminutum, cum paulo minus ſive paulum contendas, non ad temporis ſpatium, ſed ad dignitatis modum eſſe referendum? An tibi quod infinitum & immenſum eſt, paululum quiddam dicitur? Ego impius qui juxta hanc rationem ſcripſerim, non paululum, ſed plurimum imminutum à Deo? Opinor, ſi unquam alias, hîc te medium teneri, nec tamen urgebo moleſtius, nec inſultabo capto, etiamſi id mereri videbatur, qui alteri de nihilo ſtruit calumniam. Nec excutiam interim hæc tua verba (ne te retaxare videar, non me tueri) quibus agis, filii hominis ad Deum eſſe proportionem identitatis. Si filii hominis, quatenus eſt filius hominis, ad Deum eſt æqualitatis proportio, cedo qua ratione minor eſt? Si quatenus Deus eſt, æqualis Deo dicitur, quid novi dicitur, aut quis iſtuc negat? Non enim digladior interim cum iis, qui volunt, in Euangelio ſic Patrem majorem Filio dictum, ut tamen Filius non ſit Patre minor: mihi ſatis eſt quod *Auguſtinus* non veritus eſt dicere, Filium Patre inferiorem, & inferiorem ſeipſo. Atque id ſane cum aliis locis compluribus, tum in Epiſtola tertia ad *Voluſianum*. Ad hoc, Libro *De Trinitate* primo, Capite ſeptimo. Rurſum ejuſdem Libri Capite undecimo. Atque iterum Libri ſecundi Capite nono.

Item quod ſcribis, ob id quod Verbum & Filius Dei divinæ eſt conditionis, ejuſdemque cum Deo naturæ: nam creatura non eſt, perinde ac neque Deus. Hîc rurſus diſtinguis Filium Dei à Deo, dicisque eum non magis eſſe creaturam quam ipſum Deum, opinor Patrem, ut *Pauli* modo loquutus videaris. Atqui Pater nullo modo creatura eſt, Filius Dei ſi nullo modo eſt creatura, conſequetur nec hominem eſſe. Ad hæc, ſi Filius Dei non eſt creatura, loquor juxta communionem idiomatum, quomodo dicitur diminutus Filius Dei? quod ne tu quidem negas. At *Joannes* non veretur dicere, *Verbum caro factum eſt*. Et *Paulus* non veretur eum dicere *factum ex ſemine David*. Et rurſum, *miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege*. Hîc audis factum carnem, factum ex ſemine, & vereris aliquo pacto dicere creaturam? Tametſi diſputationis hujus periculum nihil ad me pertinet. Ego enim *Chriſtum* creaturam eſſe neque ajo, neque nego: tu iſtuc de tuo addidiſti. Sed inquies, *Auguſtinus*, *Hilarius*, & *Ambroſius*, negant *Chriſtum* eſſe creaturam. Quid ſi iidem alibi vocant creaturam? Quid enim ſentit *Auguſtinus*, cum ait in ſermone natalitio: *Admirabile myſterium, quia creator mundi voluit eſſe creatura.* Rurſus enarrans *Chriſti* ſermonem in monte habitum: *Voluit eſſe creatura, qui eſt creator.* Idem Epiſtola quinquageſima ſeptima. Proinde quod ad Verbum attinet, creator eſt *Chriſtus*; *omnia enim per ipſum facta ſunt*, quod vero ad hominem, creatura eſt *Chriſtus*. Liberius etiam divus *Hieronymus* ediſſerens eum *Pauli* locum, qui eſt in Epiſtola ad *Epheſios* Capite ſecundo: *Ipſius enim ſumus factura*, inquit, *creati in Chriſto Jeſu. Et quia ſemel ad nomen creaturæ venimus, & ſapientia in Proverbiis Solomonis, dicit ſe creatam initium viarum Dei: multique timore ne Chriſtum creaturam dicere compellantur, totum Chriſti myſterium negant, & dicunt, non Chriſtum in hac ſapientia, ſed mundi ſapientiam ſignificari. Nos libere proclamamus, non eſſe periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem, tota ſpei noſtræ fiducia profitemur, maxime cum ex duobus verſiculis qui præcedunt, ipſa ſapientia promittat ſe eſſe dicturam, quæ poſt ſecula ſunt. Cum autem Chriſtus ſecula fecerit, & quæ deinceps loquitur, ea ſint quæ poſt ſecula dicturam ſe eſſe promiſerat, ad incarnationis myſterium, non ad naturam Dei referenda ſunt quæ ſequuntur.* Hactenus *Hieronymus*. Audis *Chriſtum* quatenus incarnatus eſt, creaturam recte dici. Simul illud obiter admonendus es, *Chriſtum* Hieronymo ſic vermem dici, ut dicitur homo, & crucifixus, non opinione *Judæorum*, ſed re ipſa, quod tibi videtur impium & blaſphemum. Itidem *Damaſcenus*: *Chriſtus*, inquit, *eſt creatus & increatus, paſſibilis & impaſſibilis.* Atque idem rurſus: *Non ſcandalizatur ad nomen creaturæ, qui ſe ſervum, aut vermem, aut granum, natum de virgine nominat.* Quid, quod nec is qui congeſſit Sententias Theologorum, tractans hanc quæſtionem Libro tertio diſtinctione XI. negat *Chriſtum* recte dici creaturam, ſed ſimpliciter dici non vult, hoc eſt, ſecundum hominem dici vult, ſecundum Deum non dici. Porro quod alias negant, creaturam eſſe *Chriſtum*, cum adverſus *Arianos* dimicant, ſic negant eſſe creaturam, quemadmodum *Arius* eſſe volebat, qui ſolum Patrem verum Deum, ſolum Patrem vere increatum docebat. Quid, quod ipſe tui oblitus, quem hîc creaturam negas, alibi creaturam facis, cum ais: *Hominis qui Chriſtus eſt, nulla intelligitur diſtantia, cum eam ad Deum habeat approximationem*

Digitized by Google

nem & unionem, qua creatura ad Deum nulla poteſt eſſe major. Si *Chriſtus* nullo modo creatura dicitur, quid agitur hoc ſermone? niſi forte naturam humanam creaturam eſſe fateris, *Chriſtum* ut hominem creaturam eſſe non vis? Quod ſi tuo exemplo de verbis cavillandum eſt, quid ſentis cum ais, *Chriſtum unionem habere ad Deum?* An *Chriſtus* hîc tibi naturam humanam ſignificat? Et licebit ita loqui, *Deus Chriſtum aſſumſit*? Alioqui quo modo *Chriſtus* unitur Deo, cum ſit ipſe Deus? Et ubi eſt in quo nos ridebas, qui videmur *Chriſti* nomen pro altera natura uſurpare? Etiam atque etiam te rogo, *Faber*, vide quantam feneſtram aperueris in teipſum, qui ſic odioſe mecum de verbis cavilleris.

Deinde quid ſentis cum ais, *Verbum & Filium Dei divina eſſe conditionis*, cum conditum eſſe negent omnes Chriſtiani, certe quatenus eſt Verbum & Filius Dei? Quis enim dixit Filium Dei conditum? Non quod interim me fugiat, te conditionem pro ratione naturaque uſurpaſſe, ſed oſtendere volui, quam facile ſit de verbis in alium cavillari, ſi tuum mihi placeret exemplum. Atque hîc rurſum diſſecas Filium Dei, & Deum, quaſi Filius Dei Deus non ſit: ut ne quid notem omnino fugiendam amphibologiam, ſi uſquam erat fugienda in hiſce verbis, cum ais: *Nam creatura non eſt, perinde ac neque Deus.* Videris enim dicere, Filium nec creaturam eſſe, nec Deum. Quod ſi tu more Rhetorum, vel tuo potius, tibi permittis de Deo loqui, cur nos tam moleſte taxas circumſpectius loquentes te? Sin à nobis recentium Theologorum anxietatem exigis, cur tu nec veterum eruditionem, nec recentium præſtas argutiam? An ignorabas, quam iniquam in ſeſe legem ſtatuat, qui aliorum cenſor eſſe velit? Verùm hujuſmodi perſequi, nec animus eſt, nec otium. Fatcor *Chriſtum* quædam eſſe & non eſſe, cum idem ſit Patri æqualis juxta divinam eſſentiam, Patre minor juxta naturam humanam. At quod minor eſt Patre, aut, ſi pateris ſic nos loqui, ſeipſo, quæro utrum finitis partibus minor eſt, an infinitis? Non dices finitis: quod ſi infinitis, non impie dicemus, opinor, *Chriſtum* juxta naturam aſſumtam nullam habere proportionem ad Divinitatem. Quod ſi evinco, ubi eſt quod tu tantopere aſſeveras, à ſolo Patre fuiſſe diminutum, atque id ſane perpuſillum? Niſi forte ſophiſticis argutiis hîc mecum acturus es, ut quemadmodum qui quinque nummos habet, is & unum habet: ita qui multum ſit diminutus, idem & paulum diminutus dici poſſit. Quod ſi libeat ad iſtum argutari modum, *Chriſtus* nec exaltatus dicetur, nec diminutus: quid enim majeſtatis accedit ei, qui ſemper æqualis eſt Patri, aut quid diminui potuit, cujus Divinitati nihil deceſſit, humanitas etiam evecta eſt? Verùm hæc ad vivum exigere, non eſt hujus inſtituti, cum ſatis interim habeam, impietatis notam à me depellere. Porro quantum è tua perpetua diſputatione colligitur, nec tua magni refert, utrum *Chriſtus* Angelis dicatur inferior, an hominibus, hoc eſt, utrumque æque putas impium, quod ſemper fuerit pro ſua dignitate utriſque pariter adorandus. Sed inferiorem Angelis quantum ad humanam naturam & afflictionem fecerunt, ut ipſe fateris, *Athanaſius*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, & *Auguſtinus*, niſi forte aliud cenſes imminutum eſſe, aliud inferiorem. Sed hos viros, quoniam non putaſti convitiis inſectandos, ſic excuſas, ut dicas eos Septuaginta interpretatione deceptos, & ratos ſic eſſe apud Hebræos, ſimpliciter erraſſe. Eſto, neſcierint quid legerent Hebræi, homines Græci, Latinique: cæterum quî factum eſt, ut tantam impietatem, quantam vis ineſſe in hac interpretatione, non ſenſerint tanti Chriſtianæ religionis proceres? Cur unus ego male audio velut auctor hujus ſententiæ, qui eam nec primus protuli, & tantum recenſeo, nec defendo? Imo qui diverſæ ſententiæ magis favere videor, ſi ſum in alterutram propenſior? An tantum admiſi facinus, quod non totus ac protinus iverim in tuam ſententiam, & altera probata, alteram explodam atque everberem, ac pene lapidibus inſecter? Quid enim aliud quam *lapides loquitur*, juxta dictum *Plautinum*, qui iſtiuſmodi verba intonat? *Chriſto* Deoque indigniſſimum, & Spiritui adverſantem, & Prophetæ mentem ſubruentem. Ac rurſum illud: *Et ſic*, inquis, *qui non littera, ſed ſpiritu ducuntur, exponunt fideles.* Quid igitur? qui ſecus exponunt, carne ducuntur, & infideles ſunt? Quis non metuat hæc verba potius quam ullos lapides? Atqui hujuſmodi dictis, & his etiam atrocioribus oneras amicum tuum in hac benevola tua diſputatione, amico animo ſuſcepta. Quis poſterorum mihi vitio vertiſſet, ſi laxis, quibus immerentis caput impetis, te relapidaſſem? & tamen Chriſtianæ modeſtiæ memor admonuiſſe te ſat habui: quanquam, ut dixi, non ſatis intelligo quid ſenſeris cum ais, *Chriſto Deoque indigniſſimum.* Si Deum Patrem intelligis, de hoc non ſum loquutus: ſin Filium, quomodo conjunctione ſeparas Deum à *Chriſto*? Si me ſtupidum, ſi lapidem, ſi belluam, ſi peponem, ſi bliteum, ſi quidvis aliud facias, nec admodum commovebor, nec admodum refragabor, ignoſce mihi, unum hoc convitiorum genus ferre non poſſum. Quis enim ferat ea quæ ſcribis in hunc modum? *Et ſi tum propter hæc, tum propter alia improperia multa, non negem Chriſtum Dominum multum abjectum & diminutum Judæorum opinione & adverſarii ſermone, cui mea ſententia non pertinaciter hæret, non tamen ita res in ſe habebat.* Quocunque animo tu hæc ſcripſeris, quomodo putas interpretaturos qui legent? Me amicum, cum *Judæis* male de *Chriſto* ſentientibus conjungis, cum tu interim *Chriſti* defenſor ſtes inter pios homines, & ais, *Chriſtum* meo ſermone dejectum ac diminutum, ac ſi pertinaciter hæream, videris denuntiare periculum: meque adverſarium appellas, qui hac in re pro te faciebam, niſi forte *Chriſti* facies adverſarium, & quo ſit odioſius, Satanam appellabis. Hæc, mi *Faber*, non recenſerem, niſi quo liqueret omnibus quam invitus ad hanc Apologiam deſcenderim, cujus ingenium à nulla re magis abhorret, quam ab hujuſmodi conflictationibus. Et addis, *Ecce ſuam paſſionem vocat exaltationem, non dejectionem, nec in malam notam humiliationem.* Quorſum hæc? (pene dolor antevertens effutierat, ſed reprimam me.) Egon' dejectionem aut humiliationem in malam notam *Chriſto* tribui, quem ut fontem omnis gloriæ adoro? Et hujuſmodi benevolis & candidis dictis tua diſputatio reſperſa eſt? Quis vero non exoſculetur tam amicam cum amiciſſimo conflictationem? Atque hæc mea præconia ne intercíderent, mediis commentariis tuis admiſcuiſti, & quaſi id parum eſſet, ne verbulo quidem nos admonendos putaſti, ne ſi reſciſſem, in tempore me purgarem, neu priuſquam virus late ſerpſiſſet, adhiberem antidotum. Sic enim interpretabuntur poſteri, tua fortaſſis lecturi. Non hîc inſectabor, quam parum erudite, imo quam impie colligas, *Chriſtum* non fuiſſe humiliatum ſupplicio crucis, quod corpore exaltatus ſit à terra, hoc eſt, in crucem ſuffixus, cum *Paulus* hanc vocet humiliationem, quemadmodum ante demonſtravimus. Imo Filius ſic humiliatus illuſtravit Patrem, & Pater viciſſim reſurrectione illuſtravit Filium. Gloriam merebatur humilitas, etiamſi noſtra gloria crux eſt *Chriſti*, niſi forte cum *Paulus* ait: *Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen ſupra omne nomen*, &c. rurſum illum adegit in crucem. Verùm ut ad id, quod cœpimus, redeamus: Si *Athanaſium*, *Chryſoſtomum*, *Auguſtinum*, imo Doctores omnes excuſatos haberi vis, quod auctoritatem Septuaginta, qui à *Chriſto* fuerunt alieni, ſequuti ſint, cur mihi blaſphemiæ crimen impingitur, qui virorum orthodoxorum ſequar auctoritatem, imo qui illorum ſententiam tantum recenſeam? Si ſacrilegum eſt dicere, *diminutum infra homines Chriſtum*, quod hominibus ſemper fuerit adorandus, non aberit à ſacrilegio, *Chriſtum diminutum* dicere *infra Angelos*, ſive *ab Angelis* (nihil enim hîc refert quibus verbis rem eandem explicemus) quod his ſemper fuit adorandus. Quod ſi pie vereque dicitur ab Angelis diminutus ob carnis noſtræ fragilitatem, & hujus vitæ incommoda, quæ noſtra cauſa in ſe recepit, quod his nullus Angelorum ſit obnoxius, opinor haudquaquam impie dici, *Chriſtum* ad tempus infra pleroſque, imo omnes homines diminutum, qui plus afflictio-

flictionum in ſe receperit, quam hominum quiſquam unquam ſit paſſus, aut perpeti poſſit. Quorſum vero pertinet illud, quod ex tribus unum facis, & *Athanaſium, Chryſoſtomum*, ac *Theophylactum*, unius hominis vice ſupputas? Finge ſolum *Athanaſium* hoc dixiſſe, an unius eſſet levis auctoritas? Quod ſi numero ſuffragiorum pondus accedit, hanc opinionem nemo non ſequitur, uno excepto *Hieronymo*, quanquam & ipſe ſequitur, videlicet locum hunc ſubinde adducens juxta Editionem Septuaginta.

Tandem deſcendis ad illud quod propoſita prius diſputationis meæ ſumma, ſtatim in initio labefactatum oportuit. Proinde mihi videtur, inquam, illud, *paulo minus*, quod Græce eſt βραχύτι, non ad dignitatis imminutæ modum eſſe referendum, ſed ad temporis modum, quo verſatus eſt *Chriſtus* in terris, quaſi dicas, ad breve tempus diminutus eſt ab Angelis. Huc videlicet tendebat diſputationis meæ ſumma, ut docerem βραχύτι, quod Interpres reddidit, *paulo minus*, non ad humiliationis, ſed ad temporis modum eſſe referendum. Id ſi tu non videbas, quid cæcius? ſin videbas & diſſimulabas, quid impudentius? Nam operæ pretium fuerit aliquantiſper repetere, quibus rationibus ſuperius mecum egeris: *Nam ingenue colligitur*, inquis, *Filius hominis imminutus eſt infra abjectiſſimos etiam homines, & abjectiſſimi homines imminuti ſunt multum ab Angelis, igitur & filius hominis multo fortius imminutus eſt ab Angelis. Si multum, non igitur parum (ſunt enim hæc pugnantia) quod nihilominus juxta adverſantis ſententiam intendit Propheta. Nam juxta Septuaginta Editionem ait*: Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, *quam etiam approbat interpretationem. Et ſi multum imminutus ab Angelis, tanto fortius multum à Deo: ſubruetur igitur Propheta, quomodocunque ſive* à Deo, *ſive* ab Angelis *interpretemur. Quare hic ſermo ſeipſum elidit, & falſum eſſe omni ex parte manifeſtat.* Hactenus tua recenſuimus, in quibus ut negligam ſermonis ineptias, & prodigioſam balbutiem, cogor non Dialecticen modo, in cujus ſtudio per omnem vitam tibi ſudatum eſt, verum etiam ſenſum communem deſiderare. Ego colligebam, *Chriſtum non parum fuiſſe diminutum, ſed pauliſper, hoc eſt, multum, ſed ad breve tempus, atque ita lectionem utramque conſtare, ſive legas* à Deo, *ſive* ab Angelis. Tu ex his novo ſyllogiſmo ratiocinaris, me ſenſum Prophetæ ſubruiſſe, utrocunque modo legatur. Quis non miretur acumen iſtud pluſquam *Chryſippeum*, quis effugiat κερατινον τουτον, intento cornu utrinque minantem? quis non fateatur, iſtam operam tot annis in Dialectices ſtudium pulchre tibi collocatam? Talibus argumentis doces amicum impie loquutum. Ob iſtam diſputationem Deum è cœlo devocabas, ob eandem omnis lucis infuſori gratias agis, in ſecula ſeculorum. Hîc iterum atque iterum appello conſcientiam tuam, mi *Faber*, cum hæc tecum recognoſcis, ecquid tui te pudet? Si iſta tibi ſerio ſcripta ſunt, non dicam, ubi eſt tua philoſophia? cujus fortaſſe me rudem putas, ſed ubi mens hominis? Si joco, dic mihi per Gratias, ſiccine ludis in amicum? Si ex animo ad iſtum ratiocinaris modum, quid fingi poteſt delirantius? Si me derides, ubi eſt illa noſtra peramica amicitia? Non eadem, opinor, decent *Fabrum* & circulatorem. Uſque adeo nihil referre putas quid charris tuis illinas? Uſque adeo male ſentis de hujus ſeculi ingeniis, ut iſtas ineptias vel ferant, vel non ſentiant? Quis hîc non fatebitur, optimo jure tua verba in teipſum retorquenda? *Quare hic ſermo ſeipſum elidit, & falſum eſſe omni ex parte manifeſtat?* Verùm interim hoc meo jure nolim uti: mihi ſat eſt, te tibi oſtendiſſe, ne pergas poſthac ad eundem nugari modum: ſi tamen hoc nugari eſt, hujuſmodi verborum præſtigiis amicum impietatis accuſare, & Prophetici ſenſus facere ſubverſorem. Quid autem tibi vis cum ais, *juxta adverſantis*, hoc eſt, meam ſententiam, Prophetam in hiſce verbis, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, ſenſiſſe *Chriſtum* multum ab Angelis fuiſſe diminutum? cum palam eloquar ſenſiſſe, ad breve tempus fuiſſe diminutum: porro multum an parum fuerit imminutus, non hîc agebatur. Neque rurſus ſimpliciter tibi donarim, quod tu ceu confeſſum aſſumis, abjectiſſimos homines infra Angelos multum eſſe diminutos. Nam fieri poteſt, ut abjectiſſimus homo, ut hîc accipio abjectiſſimum, ſit aliqua ratione major Angelis.

Jam ipſe finem facturus eram refellendi, ſi tu impetendi finem facere poſſes. Quaſi hactenus parum ineptieris, pergis ac ſubjicis: *Et non minus eadem ratione propriæ aſſertioni adverſatur, id quod ſubnectit hoc modo.* Ne ab Angelis quidem paululum fuit imminutus, qui uſque ad famem, ac ſitim, uſque ad flagra, ad crucem, uſque ad mortem denique deſcenderit. *Si non ab Angelis paulum quidem fuit diminutus, quomodo approbatur in Propheta legendum eſſe*: Minuiſti eum paulo minus ab Angelis? *Pugnant-ne paulo minus, & non paulo minus? paululum & non paululum?* Ut hîc geſtis, ut exſultas, ut tibi places? Quam ridiculum teipſum præbes dum me derides? Quis negat, *paulum* & *non paulum* inter ſe pugnare? Iſtuc opinor, non vidiſſes, niſi tot annos verſatus eſſes in *Ariſtotele*, quod vel cæco, ut ajunt, ſit perſpicuum. Atqui non pugnant alicubi *paululum* & *diu*: non pugnant *diu* & *non multum*. Neque enim hæc conjungo, *Chriſtus paululum fuit diminutus*, & *non paululum fuit diminutus*, ſed *Chriſtus multum fuit diminutus ab Angelis, at non diu*: aut *Chriſtus pauliſper fuit imminutus præ Angelis, at non paululum*. Hoc erat tibi refellendum priuſquam iſtam inires ovationem, ne quis Græcum illud poſſet objicere, περὶ τοῦ νίκης ἐπινίκιον. At tu perinde quaſi tibi debellatum eſſet, incipis laſcivire facetiis, homo feſtivus ac ſalſus: *Verùm id*, inquis, *libens tribuerim, filium hominis non paulum fuiſſe diminutum ab Angelis, quandoquidem ab Angelis nullo pacto diminutus fuit.* At non ſentis interim, dum maxime negare vis filium hominis fuiſſe diminutum ab Angelis, te fateri diminutum ab Angelis. Si dixiſſes, *filius hominis non fuit diminutus paulum ab Angelis*, fortaſſe conſiſtere poterat, *non omnino fuiſſe diminutum*: verùm cum ais, *non paulum diminutus eſt*, propoſitionem reddis affirmativam, quod negatio *non*, nihil agat in prædicatum, *diminutus eſt*, ſed in adverbium, *paulum*. Neque enim refert hîc quo loco ſit negatio, ſed quo referatur. Quod ſi contendis ad utrumque referri, reclamabunt tibi omnes qui Latine intelligunt, niſi forte cum dico, *Petrus non parum te amat*, accipi poſſit, te nec multum nec parum à *Petro* diligi: aut ſi dicam, *hic non multum dedit*, accipi queat, nihil dediſſe. Secus eſſet ſi diceres, *Chriſtus ne paululum quidem fuit imminutus*: negares enim ullo modo fuiſſe imminutum. Vides quam circumſpectum eſſe oporteat, qui paret alterum irridere, multo magis qui paret impietatis criminari. Verùm his tricis omiſſis redeamus ad id quod ſero tandem incipis convellere, nimirum illud quod ſcripſeram, βραχύτι ad temporis modum referendum, quo *Chriſtus* verſatus eſt in terris uſque ad reſurrectionem. Ac primum vide, mi *Faber*, quam nec hîc quicquam aſſeverem, ſed veluti tentans ac veſtigans loquar. Proinde mihi videtur, inquam. Quam opinionem (ut dixi) demiror cur tantopere putaris impugnandam, cum adeo non officiat tuæ ſententiæ, ut adjuvet etiam, niſi forte libuit tibi tota hac diſputatione nuſquam à me non diſſentire. Siquidem ut jam eviceris legendum eſſe *paulo minus à Deo*, non *ab Angelis*, altera te circumſtat difficultas, & nihilo ſecius in vado hæres, quomodo paulum deſcendiſſe dici queat, qui Deus ad humanam naturam, & ad humanæ naturæ injurias, & ſi mavis *Hilarii* verbum, contumelias deſcenderit. Quæ difficultas ſi tibi non eſt animadverſa, acumen iſtud tuum ſolitum in te deſidero: ſi diſſimulas, ingenuitatem requiro. Impius tibi videor, ſi ſcrupum hunc indico, ſi excutiendum propono? qui niſi tollitur, nec tua ſtabit interpretatio. Tot teſtibus, tot argumentis docui, non paulum ſed multum fuiſſe diminutum. At finge me præſidiis omnibus nudatum, uno tantum telo tecum agere, quod ipſe *Paulus* mihi porrigit, dicens, *exinanivit ſemetipſum*: quo te vertes? qua techna elaberis? An ſic interpretaberis, *exinanivit*, id eſt, paulu-

lum

lum quiddam humiliavit? At quis iſtam interpretationem non ſtatim explodat, exſibilet, & tota *Anticyra* dignam judicet: ſi quicquam omnino dignum *Anticyra*: perinde quaſi ſermonem hunc, *voluptas exſtinguit animi vigorem*, ſic interpretetur aliquis, voluptas paululum minuit animi vigorem: aut ſi quis internecionem exercitus, paucorum interitum exponat. Quid ſonet *exinanire* Latinis, ſatis eſt cognitum: *Quintus Curtius* uſurpavit pro exhaurire. At *Paulo* dictum eſt ἐκένωσεν, id eſt, *inanivit*, &, ut ita loquar, *in nihilum redegit*, ut nullo verbo magis potuerit ſummam *Chriſti* humiliationem attollere, & diminutionis hyperbolen exprimere. Tu contra laboras, ut quam minimum fuerit humiliatus, ἢ παντοῖος γενόμενος, quidquid inſignem humiliationem ſonat, ad hominum impiorum exiſtimationem detorques. Ego contra, ut exemplum humilitatis in *Chriſto* inſigne eſſe volo, ſic veriſſimum fuiſſe contendo, quanquam nihil erat cur in his anguſtiis ipſe te torqueres, ſi noſtrum βραχύ τι ſequi quam calumniari maluiſſes. Siquidem iſte qui te urgebat nodus propemodum explicatur hac mea, imo veterum Græcorum interpretatione.

Atque hîc Græcorum ſimul & Hebræorum præſidiis me aggrederis. De Hebræis mox videbimus: interim quod à Græcis adfers adverſus opinionem meam, cujuſmodi ſit diſpiciamus: *Non crediderim*, inquis, *nam βραχύ τι apud Græcos, & Linguæ quidem peritos Græcos, non temporis, ſed potius dignitatis æſtimationiſque modum dicit.* Euſtathius *enim id* Homericum *exponens Iliados*, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα, ait, Εἰ γὰρ περὶ ἓξ ταλάντων ἡ Ἑλλήνων ἐστί, βραχύ τι ἐστί. Atque hac auctoritate ſatis exiſtimas probatum βραχύ τι Græcis ad tempus referri non poſſe. Primum illud mihi ſubridiculum videtur; te ad *Euſtathium Homeri* interpretem confugere, quo doceas, βραχὺ pro *puſillo* poni, cum id ex quibuſvis Auctoribus demonſtrare ſit promtiſſimum. Nec enim opinor id abs te factum ambitioſius, ne videlicet neſciremus te in *Homeri* Rhapſodiis verſari. Atqui *Euſtathius* ut *Homeri* interpres legitur, non ut auctor recte loquendi, perinde quaſi ego docere volens Latine dici, *fregit navim*, exemplum proferam è *Beroaldi* aut *Badii* commentariis potiuſquam è *Cicerone* aut *Terentio*. Quamquam quid omnino erat neceſſe probare, quod nemo neque neſcit, neque negat? Cæterum ut obiter excuſem accuſantem, ſuſpicor iſtud non lectum tibi, ſed aliunde ex annotamentis ſublectum. Sed quî conſequitur, βραχὺ, ſive *puſillum*, ſi quando ad æſtimationem pertineat, non poſſe idem ad tempus; aut aliud quidvis accommodari? ut ſi recte dicatur, *paululum nummorum*, non poſſit recte dici *paululum temporis?* Aut ſi Latine dicamus, *brevem veſtem*, non poſſit Latine dici, *brevem diem?* Sic enim tu ratiocinaris, qui me paulo poſt in *Anticyras* mittis, quod tibi parum dialectice colligere quiddam videor, qua de re ſuo dicetur loco. Ego nec hîc, nec uſquam imitabor, quod à Chriſtiana modeſtia videatur alienum. Tantum hoc loco dialecticam iſtam deſidero, quam tu annis (ni fallor) plus viginti vel didiciſti, vel docuiſti, deſidero mathematicum acumen. Et vide, obſecro, te cariſſime *Faber*, quo te calor iſte diſputationis abripuerit. Doces nos διδασκαλικῶς ceu ſumta ferula Græce loqui, & leges novas præſcribens ais, *ſi tempus ſignificandum ſit, potius dicendum* ἐπ' ὀλίγον: *ſic enim fere loqui Philoſophos: aut* μικρὸν; *quod etiam in Euangelio tempori accommodatur.* Ut ne caviller quod Philoſophos recte loquendi auctores facis; quis negat μικρὸν & ὀλίγον temporis moram ſignificare, ſi χρόνον vel addas, vel ſubaudias? Sed eadem aurum, aut agrum, aut ſi mavis aſinum ſignificabunt, ſi quid horum vel addas, vel ſubaudias. Quæſo te, quid dicturi ſunt eruditi graveſque viri, qui hæc in tuis libris legerint, præſertim eo in loco, quo amicum impietatis reum facis? Quem naſum, quos ronchos, quas ſannas tollent quidam, qui ſolent & bene dicta calumniari? Si quid hujuſmodi privatim ad me ſcripſiſſes, celaſſem honoris tui gratia, nunc ceu rem lectu dignam, & tibi gloriæ futuram ſtudio vulgaſti.

A Nec his contentus, pergis, & ais, *Septuaginta ſi tempus intelligi voluiſſent, dicturos fuiſſe* ἠλάττωσας ταχὺ, *quod* ταχὺ *ſonet parvam moram.* Quid ego audio? qui ſenſerit aliquem hominem ad breve tempus vixiſſe, Græce dicet ταχὺ ἔζησεν, hoc eſt, *cito vixit*, an potius *cito mortuus eſt?* Sic enim tu vertendum putas, *Minuiſti eum cito ab Angelis.* Pudet horum, mi *Faber*, ita me Deus amet, vel tuo nomine, & utinam in iſtam arenam, quæ proprie, ut dixi, tua non eſt, aut non deſcenderes tam libenter, aut non tantopere immorareris, fortaſſis in rebus majoribus felicior. Fac *Euſtathium* docuiſſe, βραχὺ ad tempus non pertinere; id quod non docuit, num exiſtimas *Athanaſium* aut *Chryſoſtomum* B minus calluiſſe Græce quam *Euſtathium*, viros uſque ad eloquentiæ Græcanicæ miraculum celebres? Ego nihil dubitem horum utrumvis vel tribus *Euſtathiis* opponere. Age, quid ſi tibi profero locum ex ipſo *Luca*, ubi palam βραχύ τι ad tempus refertur, num erit etiam quod tergiverſeris? En ipſum accipe ſic loquentem in Actis Apoſtolicis Capite quinto, ἐκέλευσεν ἔξω βραχύ τι τοὺς ἀποστόλους ποιῆσαι. Num hîc putabis ita vertendum, *juſſit foras Apoſtolos paulo minus aliquid facere?* Nihil hîc prætexi poteſt, quin βραχύ τι ad breve temporis ſpatium pertineat, in quem ſenſum vetus Interpres tranſtulit, & nos vertimus: *juſſit ut paulisper ſecederent foras Apoſtoli.* Nec ipſe ſenſus patitur, C alio detorqueri quam ad tempus. I nunc & præcipe nobis, βραχύ τι Græcis ad tempus referri non poſſe. Septuaginta in eum ſenſum non uſurpaſſe, *Athanaſium*, *Chryſoſtomum*, *Theophylactum*, *Auguſtinum*, atque ipſum adeo *Hieronymum*, nam hac quidem in parte nobiſcum facit, βραχύ τι perperam ad tempus retuliſſe. Vides, optime *Faber*, quanto conſultius ſit aliquoties prudenter dubitare, quam fortiter aſſeverare, quam in partem tu mihi nonnunquam aliquanto videre vehementior, plus ſatis abhorrens ab Academicis. Atque idem *Lucas*, qui ſine controverſia ſcripſit Acta, nonnullis creditus eſt hujus interpres Epiſtolæ. Quid, quod hoc ipſo in loco *Paulus* ſatis indicat ſe de temporis modo ſenſiſſe; cum ſubjicit? *Eum autem* D *qui modicum quam Angeli minoratus eſt; videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Quod homo eſſe cœpit, nunquam eſſe deſiit, atqui cito deſiit eſſe mortalis. An tibi paululum diminui videtur, qui uſque ad ſupplicium mortis deſcendit? quod ſi nec tu dicis, ut opinor, quo tandem referes βραχύ τι, niſi ad tempus, quo tot tantique Græci Scriptores retulerunt? Neque enim tibi magnopere profuerit, hæc verba *propter paſſionem mortis* in tua translatione è ſuo loco in alium tranſtuliſſe, ne poſſent ad ſuum referri participium. Sic enim tu legis: *Videmus tamen Jeſum, qui paulo minus à Deo minoratus eſt, gloria & honore coronatum, propter paſſionem mortis.* Nihil enim non torques, nullum non moves lapidem, E quo filiam iſtam tuam, novam opinionem tuearis: atqui vide ne tuus partus tibi plus ſatis blandiatur. Quid, quod etiam velut *Ariſtarchus* quiſpiam loquendi regulam nobis præſcribis, ſi Muſis placet: *Cæterum*, inquis, *cum vocabula* multum *&* parum, *& ſimilia junguntur vocabulis auctionem diminutionemve deſignantibus, nequaquam ſignificare ſolent tempus. Hîc autem* paulo minus *jungitur vocabulo*, minuiſti, *quod imminutionem ſignificat, ſecus autem eſſet ſi jungeretur particulæ deſignanti tempus.* Quod ego audio enthymema? Solœciſmus igitur erit ſi dixero: *Extuliſti me paulisper tuis laudibus:* quanquam ingenue fateor, Latinis quædam peculiariter ad tempus pertinere, quod genus ſunt, *paulisper*, *aliquantisper*: alia non item, F ut *multum*, *parum*, niſi tempus addas: atqui non eſt eadem apud Græcos diſtinctio, & ſicuti nobis addendum eſt temporis vocabulum, ita Græcis ſæpenumero apponitur, frequenter etiam ſubauditur, quod nos quoque nonnunquam imitamur, ita loquentes, *brevi veniam*, nimirum *tempore*, non quod hoc factum velim in præſenti loco, ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι, ſed quod exiſtimem, nomen neutri generis adverbii vice

Digitized by Google

vice positum eodem modo, sicut paulo ante ex ipsius *Pauli* verbis docuimus.

Jam quod ex Hebræorum auctoritate producis, paucis excutiamus. Locos aliquot citas ex Hebræorum libris, in quibus *Meat* non ad temporis modum, sed ad aliud quippiam referatur. Ingenue fateor, me in hisce litteris judicem esse non posse, neque te puto eo progressum, ut postules nos hac in re auctoritati tuæ cedere: nec Hebræi, nescio cujus, quem nobis objicis, tam gravis est apud nos auctoritas, ut nefas sit ab eo dissentire, & tu tot locis productis, tantum doces, *Meat* aliquando ad aliud quam ad tempus pertinere, at non doces ad tempus pertinere non posse. Neque mirum sit aut novum, vocem ad multa communem, ad alia quoque nonnunquam referri quam ad unum aliquod. Quid si quis tibi proferat locum ubi palam ad tempus refertur, quid facies tuæ novæ regulæ? En tibi Psalmo xxxvi. *Et adhuc pusillum & non erit peccator.* Hebræis est *Meat*, nec potest accipi secus quam de brevitate temporis. Item Psalmo cviii. *Fiant dies pauci*, pro *pauci* Hebræis est *Meatim*, an negabis hîc *Meat* ad temporis brevitatem pertinere? Rursus Psalmo ii. *Cum exarserit in brevi ira ejus*, an non Hebræis est *Bimeat*? Nec dubito quin triginta loca possint colligi, si cui vestigandi non desit otium; quando hæc è Psalmis duntaxat occurrerunt; nam is liber Hebraice excusus mihi forte tum aderat: quanquam ad labefactandam præceptionem tuam vel unus sufficere possit locus. Quod si convenit tam anxie disputare de verbis, quærendum erat quid Latinis sonaret, *paulo minus*, profecto nihil aliud quam *prope*, aut *propemodum*. Sic enim usurpavit *Suetonius* in *Nerone: Talem principem paulo minus quatuordecim annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit.* Ac rursum in *Tiberio: Et cito mortem etiam obiturus, quod paulo minus evenit.* Iterum in eodem: *Verum liberatus metu, civilem admodum inter initia, ac paulo minus privatum egit.* Vides Auctori tam gravi, *paulo minus* nihil aliud esse quam *pene*, & consimili figura *Apulejus* dixit, *minimo minus*, pro *penissime*: quomodo Græci dicunt μικροῦ δεῖν, cum paululum abesse significant quo minus fiat aliquid. Cum sis tantus sermonis Græci & Hebræi *Aristarchus*, ut loquendi leges præscribas mundo, cum sic offendaris voculis, ut his *Christum* dejici dicas, demiror hanc vocem in tua interpretatione tibi non esse mutatam: cum omnem sensum Prophetæ invertat, nisi forte idem sonant *pene diminui*, & *paulum diminui*, cum hîc aliquantulum intelligatur diminutus, illic intelligatur non fuisse diminutus, etiamsi parum abfuit ut diminueretur. An forte quemadmodum *Augustinus* negat *Balaam* divinum ad asinæ sermonem obstupuisse, quod monstris assuevisset, ita nec tu istiusmodi sermonis portentis quicquam offenderis? Multa sciens prætereo, ne bis molestus sim lectori, si res per se molestas & inamœnas prolixa disputatione reddidero molestiores: velut illud, quod cum indico *Thomam* propemodum sensisse cum *Chrysostomo*, quod admoneat, *paulo minus* bifariam accipi posse, vel ut pertineat ad quantitatem, vel ut pertineat ad durationem, sic illum excusas, quasi ego hoc in illius odium adduxerim. Et ni suspicionem hanc excluderet mihi spectata sinceritas tua, subolebat nonnihil cum hæc scriberes, tibi *Thomistam* aliquem in consilio fuisse, qui *Thomam* aliquanto civilius tractes quam *Athanasium* aut *Chrysostomum*.

Verùm ut ad reliquas Apologiæ, hoc est, criminationis tuæ partes respondeam: Ais à me scriptum: *Sunt qui* Lucam *putent interpretem fuisse, quam opinionem si recipimus, is interpres in jus vocari non potest.* Quid hîc est, mi *Faber*, quod te offendit? an quod dixerim, quosdam in hac fuisse opinione? an non id palam testatur Præfatio, quam in hanc Epistolam habent nostri codices? Eam ut donemus non esse *Hieronymi*, certe sive *Bedæ* est, sive *Isidori*, sive alterius, apparet hominis esse non omnino indocti, & publico Christianorum usu compro-

batur: ne interim ex aliis argumenta proferam, cum idem quod in hoc argumento legitur, referat *Eusebius* Ecclesiasticæ Hist. lib. vi. Cap. xi. ex auctoritate *Clementis Alexandrini*, nec dissimulat *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum illustrium. Atqui cum incertus sit Interpres, qua fretus auctoritate tanto supercilio pronuntias, non esse *Lucam*? an quia sequutus est Editionem Septuaginta? Quid mirum si hoc faciat *Lucas* Interpres, cum idem aliquoties faciat *Paulus* & in aliis Epistolis, in quibus ipse sui interpres est? Et tamen feci tibi liberum utrum eam opinionem recipere velles, an non. Quod si non recipis, nihil est quod mecum litiges. Certe verum est (si ea vera est opinio) Interpretem in jus non esse vocandum, nisi forte *Lucam* in jus trahendum putas. Et tamen subjicis: *Cæterum non oportet hic auctoritatem scribentis, quicunque is fuerit, sed veritatem facere victoriam.* Ex animo-ne, *Faber* optime, tibi dicuntur ista, an joco? Quicunque fuerit auctor aut interpres hujus Epistolæ, nihil-ne habebit momenti auctoritas, ne si *Paulus* quidem ipse fuerit, aut interpres *Lucas?* quid hîc senseris, ipse videris, certe nulli obscurum esse potest, quid his verbis expresseris. Verùm hîc non urgebo te tuis dictis, quando satis conjecto, te sensisse non magnopere referre quis fuerit interpres, cum tibi constet *Lucam* non fuisse.

Post hæc illud exagitas, quod ex annotationibus eorum, qui litteras Hebraicas profitentur, indicarim *Eloim* apud illos utroque numero poni, tum πολύσημον esse vocem. Idque tibi non omnino displicebat cum scriberes in hunc Psalmum. Quandoquidem pluralitatem numeri trahis ad tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Hanc vero novam regulam, quam opinor Hebræus aliquis suppeditavit, nec approbo, ne refello. Certe nullus Hebræorum negat, *El* proprium esse Deo, *Eloim* nunc poni pro *El*, nunc pro Deo, adjuncto consortio, sicut in condendo mundo, *faciamus*, inquit, *hominem:* nunc pro Angelis, nunc pro Primatibus aut Judicibus, nunc pro Diis. Hoc tantum volunt interesse inter *Eloim* & *Malachim*, quod *Malachim* dicantur Angeli, quoties ad functionem aliquam mittuntur, *Eloim*, quoties dignitas & eminentia declaratur. Ais autem Septuaginta, quoties *Eloim* usurpatur absque nota pluralitatis, semper vertisse *Deum*. Id si verum est, & hoc loco vertissent *Deum*, cum absit ea nota, quemadmodum ais. Certe nomino, quem hîc sim sequutus, & cui tu quoque, ni fallor, plurimum tribuis. At is eadem docet in Operis nuper editi libro tertio, citatis aliquot divinæ Scripturæ testimoniis. Vide vero ut vera tuus sermo sese elidat. Ais Septuaginta sic ubique vertisse, & hîc fatere secus vertisse, perinde ac si dicas, Cygnum totum esse candidum, & idem fatearis Cygnum rostro esse nigro. Mirum vero non esset, si nos pingues in hujusmodi subtilitatibus laberemur: te tantum dialecticum sic allucinari mirum est, præsertim cum hujusmodi erratula in amici scriptis rigidus censor insecteris. Mihi igitur probabile est Septuaginta vidisse, & hîc *Eloim* posse numero multitudinis accipi, attamen quoniam *Deum* non sunt ausi dicere, nec visum est ponere *Deos*, *Angelos* verterunt.

Existimo nihil à me prætermissum, quod non diluerim argumentis clarissimis, & in quo non tibi quoque satisfecerim. Verùm quoniam omnis disputatio tua carebat ordine, quod singulas annotationis meæ partes ut incidebant convelleres, & mihi necesse fuit in respondendo tuum ordinem sequi, fortassis lectori sermo videbitur confusior, & ob id parum dilucidus, non alienum fuerit, ceu per Epilogum, rei totius summam in compendium contrahere. Primum igitur demonstratum est, de summa rei mihi tecum nullam esse controversiam, imo dum mecum pugnas, te tibi ipsi adversari. Recenseo duplicem lectionem, quarum utraque tantis nititur Auctoribus, ut non putarim hanc aut illam contumelioſe repudiandam, & alias quoque probe utramque consistere: si modo *Eloim* Hebræis utriusque numeri est, & modo *Deum*, modo *Deos*, modo *Judices*, modo *Angelos* sonat, quemadmodum an-

no-

notatum est ab iis, qui litteras Hebraicas profitentur: quanquam id partim annotatum est & à Magistro Sententiarum, ut vocant, libro primo, Distinctione tertia, si forsitan hujus auctoritas te magis commovet. Nam quod tu tantopere demiraris, cum *Eloim* bis centies septuagies quinquies, ac rursum bis centies septuagies quater positum reperiatur numero singulari, qua fronte quis audeat posthac numero multitudinis accipere, viciſſim ipse demiror, qua fronte tu audeas ista præcipere. Quid enim vetat sic alicubi usurpari, etiam si bis millies aliter sit usurpatum? nisi forte quia *puer* in Litteris divinis plus sexcenties ætatem significat, nefas esse ducis eandem vocem pro famulo usurpare. Neque minus frivolum est, quod addis de particula *Col*, quæ nisi acceserit, negas *Eloim* plurali numero posse intelligi, quod ea locis aliquot addatur. Atqui in eo Psalmorum loco, quem ipse *Christus* adducit apud Joannem, *Ego dixi Dii estis*, numero multitudinis vertit etiam *Hieronymus*, & tamen *Col* abest hac certe in parte. Rursum, *Deus stetit in synagoga Deorum*. Item, *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*. Iterum, *abjicite Deos alienos*. Sed quid ego hæc? Toties legis in Veteri Testamento *Deos*, nec apponitur tuum illud *Col*, quam tu vis ita pluralitatis esse notam, ut ni adjiciatur, merito in jus trahendus sit, qui *Eloim* secus verterit quam *Deum*. Perspicuum igitur est, hæc quæ adducis, haud scio quem, sed non optimum auctorem sequutus, quisquis fuit, nihil obstare quominus hoc loco *Eloim* numero multitudinis accipiatur, & aliud sonet quam *Deum*. Cæterum quoniam obstabat in utraque lectione, adverbium *paulo minus* sive *paululum*, magis autem in ea quam tu solam vis esse, quod ut donemus non multum esse intervalli inter Angelicam naturam & corpus mortale, tamen fatendum est, inter divinam naturam adsumentem & humanam adsumtam immensum esse discrimen: nec potest *Christus* minor Patre dici, nisi juxta harum inter se comparationem: eam difficultatem amolior, interpretans, *paulo minus* ad breve tempus, ut plurimum diminutus intelligatur, sed *paulisper*, maxime, si diminutionem sive humiliationem susceptis vitæ nostræ malis metiamur, quod facit *Ambrosius*, & mihi magis probatur. Porro βραχύ τι ad temporis modum referri posse, tametsi per se liquebat Græcæ Linguæ gnaris, ex ipso *Luca* docui, imo ex ipso *Paulo*, atque adeo ex hac ipsa Epistola docui, si tibi levis est *Chrysostomi* cæterorumque Græcorum auctoritas.

Atque hactenus quidem quæ inter nos versantur, ad summam causæ pertinent, cætera aut de tuo addidisti, aut arripuisti ex his quæ obiter à me in ipso disputationis cursu sunt dicta, vel augendæ rei, vel fulciendæ gratia: quorum illud erat præcipuum, quod adjeceram, *Christum & infra abjectissimos homines fuisse diminutum*. In quibus verbis adeo nihil est; quod Christo sit indignum, ut magnopere hic sermo faciat ad *Christi* gloriam, ad *Pauli* mentem, cui dictus est *exinanitus*: ad Prophetarum oracula, quibus *vermis & non homo* dictus est: ad nostram salutem, quibus expediebat humilitatis exemplum quam maxime insigne, minimeque fictum exhiberi per eum, qui ipsa est veritas: præsertim cum hujusmodi exaggeratio humiliationis nihil officiat illius celsitudini, quod ut idem mortalis & immortalis, afflictissimus & felicissimus dici potuit, ita summus & infimus dici potuit diversa ratione, nimirum ob diversissimas naturas in eadem hypostasi unitas, & maxime ob summos cruciatus, quos supra mortales omnes in se recepit: ad quos ego sane, juxta divi *Ambrosii* sententiam, quæ de *Christo* exinanito dicuntur referri malim, quam ad naturam adsumtam: propterea quod si hæc ad carnem adsumtam simpliciter referantur, cum & hodie *Christus* homo sit, juxta hanc rationem dici possit in immensum à Deo diminutus. Quæ cum ita habeant, nemini potest obscurum esse, contumelias quibus me petis, cum ais, & hunc sermonem, videlicet indicans cæteros ejusdem esse notæ, *Christo*, Deoque indignissimum, Litteræ quæ occidit adhærentem, Spiritui qui vivificat adversantem, subvertentem

A Prophetæ intelligentiam, dejicientem *Christum* una cum impiis *Judæis*, aliasque id genus, neque dignas esse quæ vel abs te vel in me dicerentur, nec admodum sapere mitissimum illum *Christi* spiritum, qui vivificat, non lancinat: & medetur erroribus humanis, non lacerat, præsertim pie & ex orthodoxorum Patrum sententia loquentem. Jam quod ea, quæ in Propheticis litteris eximiam *Christi* humiliationem declarant, partim ad impiorum hominum opinionem detorques, partim nobis accommodas: tum idoneis argumentis, tum gravissimis Auctoribus docuimus vere in ipsum *Christum* competere. Deinde quæ verbosissime persequeris de dignitate *Christi*, demonstratum est nihil obstare summæ ejusdem humiliationi. Neque enim ideo
B *Christus* non aliqua ratione minor Angelis fuit, quod ab Angelis jubetur adorari, ut nec ideo nulla ratione parentibus ipse fuit superior, quod eis subditus fuisse dicitur apud *Lucam* Euangelistam. Quod si ideo non potest aliquo pacto Angelis inferior dici, quod nullus Angelorum excitarit mortuos, sanarit ægrotos, ut interim taceam & per Angelos edita fuisse miracula, consequetur *Christum* discipulis suis fuisse minorem, quod ut ipse facturos testatur, majora his fecerint. Etenim quod adjicis de auctoritate, *Christus* quoque suorum operum auctoritatem Patri transscribit: *opera Patris mei facio: ut mandavit mihi Pater, sic facio*: &, *sermo quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris*: &, *mea doctrina non est mea*. Rursum quod negas, *Christum* dici *creaturam*,
C etiamsi nusquam à me dictus est, declaravi summis viris fuisse dictum creaturam. Itidem quod æqualitatis proportionem asseris in *Christo*, & ob id *vermem* dici non posse, evici in eodem & alteram esse proportionem, juxta quam non à me, sed à Propheta dictus sit vermis. Etenim quod velut absurdissimum colligebas, *Cherubim quoque ad Deum collatos vermes dici posse*, nihil equidem repugnarim, præsertim si hoc nominis illis tribuant Prophetarum libri. Quanquam hujusmodi permulta in ipso disputationis cursu dissimulavi, quod genus illud, *cruciatus corporis tantos esse posse, ut non queant inveniri majores*. Quantumvis exaggeres corporis cruciatus, certe acerbiores reddentur, si paribus animi
D cruciatibus conduplicentur. Porro quod vehementer exsecrabaris, *hypostaseos* nomina pro altera natura accipi, primum docui istud nusquam à me factum, nisi quod tu huc mea detorques, ac depravas: quod etiam sicubi feciſſem, veterum orthodorum exemplo facturum fuisse. Nisi forte cum divus *Augustinus* Libro *De Trinitate* secundo, Capite sexto, scribit hunc in modum: *Quia non sic est adsumta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut adsumtus est filius hominis*, non accipit filium hominis pro altera natura. Quanquam obiter & illud ostendi, tutius esse *hypostaseos* vocabula pro altera natura accipi, quam quod tu vis, pro utraque, nimirum pro divina humanæ unita, licet duas naturas significent. Ex supervacuo probatum
E est hoc quoque, non solum de singulis naturis, verum etiam de quavis trium in *Christo* substantiarum, sive rerum aliquoties posse enuntiari, quod idem per *hypostaseos* vocabulum de *Christo* possit enuntiari. Arbitror ex his liquere, quam tu non satisfeceris, cum abunde satisfeciſſe tibi videaris per syllogismos, in quibus abunde multum est convitiorum, efficacium argumentorum nihil. Sed reliqua persequamur.

Jam in his quæ sequuntur, sic urges nos ac premis, ut necesse habeam fateri, cautius ac circumspectius fuisse loquendum, si judices tam iniquos eram sortiturus. Sed imposuit mihi, primum argumentum humilius annotationum, & in hoc genere Veteribus semper usurpata libertas: non exspectabam tam oculatum & iniquum cavillatorem. Arbitrabar hæc non
F lecturos, nisi mei similes. Verum ut simplicitatis crimen agnosco, ita amentiam quam impingis deprecor. Primum enim in ea sum sententia, ut existimem eos commentarios nec esse *Hieronymi*, nec ab homine collectos. Cur igitur, inquies, citas *Hieronymi* nomine? aliquo

Digitized by Google

titulo citandi erant, & illic aliud agebatur, quam de illorum auctore. Et scis *Hieronymum Paulo* tribuere hujusmodi quamdam, ut ita dicam, vafritiem, quod quædam ad suum torqueat negotium; & nonnunquam apud illum pugnent verba sacræ Scripturæ, quæ suis locis non pugnant, quemadmodum in Epistola ad *Titum Epimenidis* profanum dictum ad *Christi* trahit negotium. Et in Actis, quod *Aratus* de *Jove* dixit, *Paulus* ad Deum trahit, & ibidem profanum & impium aræ titulum commutatis aliquot verbis detorquet in argumentum fidei. Etenim quum inscriptio sic haberet, DIIS ASIÆ ET EUROPÆ, AFRICÆQUE, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS, tamen is ita torquet, ut narret sibi conspectam aram, quæ titulum haberet, IGNOTO DEO, sicut auctor est *Hieronymus*, enarrans Epistolam *Pauli* ad *Titum*. Neque te fugit, opinor, quam Veteres ferme omnes sibi indulgeant in allegoriis, præsertim *Ambrosius*, *Origenes*, & *Hieronymus*, in quibus labi negant periculosum, si modo ad pios mores accommodentur. Et tamen vide quanto alio tu mea verba detorques, atque ego sensi, atque etiam explicui, si quis Latine sciat: Non enim dixi, hæc *non competere in Christum*, sed *non videri admodum probari Hieronymo, quod proprie Christo tribuantur:* tu, ut apparet, *proprie*, perinde valere putas, ac si dixissem *vere*. Ego sentio ea *proprie* tribui *Christo*, quæ sic tribuantur, ut in neminem alium competant: neque enim primus Psalmus ideo non competit in quemvis hominem pium, quod eum sacri Doctores de *Christo* interpretentur. Quod jus si hîc quoque nobis permittas, verum fuerit, hæc *proprie* non esse tribuenda *Christo*, quæ juxta tropologiam & in cæteros homines competant. Nihil autem est, mea quidem sententia, in eo Psalmo, quod citra hæresim in omnes pios non possit accommodari. Videtur enim illic juxta sensum infimum, Propheta mirari singularem Dei erga nos beneficentiam, qui cum sit excelsior cœlis, tamen hominum in terris agentium curam agat, tantoque dignetur honore, ut hominem universis animantibus præfecerit, ad verbum pene referens quod est in Genesi, *Replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram*, ac propemodum cœlitibus æquaverit raris animi dotibus. Etenim cum ait, *quid est homo*, videtur humilitatem humanæ conditionis intelligere. Cum addit, *Minuisti illum paulum ab Angelis*, ostendit quo subvectus sit munere divino. Nam quod nos interpretamur de homine diminuto, id illic apparet dictum in diversum sensum. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, hoc est, pene illum æquasti Angelis. Dices, somnium adfers. Imo sic olim somniavit *Arnobius*, haud pessimus auctor, qui totum hunc Psalmum non ad *Christum*, sed ad *Christi* membra accommodat. Certe quod sequitur, *Omnia subjeciisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres*, &c. non videtur in *Christum* proprie competere, sed in nos potius. Quid enim magni si *Christus* præfectus sit pecudibus, piscibus & volucribus? Et vides interpretem Epistolæ ad *Hebræos* hucusque adduxisse testimonium Psalmi, *Omnia subjeciisti sub pedibus ejus*, omissis iis quæ non æque commode faciebant ad id quod tum agebat, & absolutum fecisse, quod illi commemoratione sequenti videtur adstringi, oves & boves. Alioqui quî convenit, ut sentiens de imperio *Christi*, quo regnat super omnem creaturam terrestrem ac cœlestem, ea tantum nominatim recenseat quæ sint infima pars imperii? Neque vero me fugit, hæc ad allegoriam trahi ab interpretibus, nec eam sane rejicio, licet aliquanto coactiorem, nimirum à coactis. Hujusmodi quippiam cum id temporis cogitarem, & hoc agerem, ut omnia tentans, & velut hostiatim pulsans lectori variam cogitandi commentandique materiam subministrarem, id quod annotatoris est officium, visum est hoc civiliter indicare: sunt enim quædam quæ magis indicanda sunt quam explicanda: quod à vetustissimis Theologis factitatum videmus, ac ne recentiores quidem prorsus eadem loquuntur in Scholis, & inter eruditos privatim: aut si eadem dicunt, non eodem dicunt modo. Cæterum hujusmodi exagitare verbis, & apud imperitum ac malignum vulgus traducere, mihi parum civile videtur, nedum amicum. Quod si sermonis habitum animadvertas, quo hæc loquor, facile apparet quærentis esse & tentantis, non asseverantis. *Videtur*, inquam, *non admodum probasse*. Videntur quæ non sunt ejusmodi, sed tamen speciem aliquam præbent. Atque hoc quoque mitigo, addens *non admodum*, hoc est, non usquequaque. Sed inquies, ubi species ista, quæ faciat ut hoc videatur? Primum sic auctorem nominat, ut pondus probationis in eum rejicere videatur. Deinde quid magni est, si *Paulus* hunc locum super *Christo* interpretetur, cum ipse *Hieronymus* totum eum Psalmum ad *Christum* trahat? Id paucis ac cunctanter monui lectorem, ut excuteret si quid illic esset excutiendum. Neque vero ulla dubitatio est, an hic Psalmus in *Christum* competat, sed an proprie, hoc est, in solum *Christum* competat, sic ut ad cæteros homines accommodari non possit, cum tamen totus ille Psalmus juxta communem sensum ad humanum genus pertinere videatur, cui Deus subjecit quicquid rerum aut animantium terra producit: & tamen is animi divinitate cœlestia contemplatur. Certe divus *Augustinus* sic de *Christo* exponit, ut nobis etiam attemperet in *Christo* renatis. Magnum vero piaculum, si id duobus verbis lectorem admonitum esse volui.

Jam ut illud attingam obiter, admiscens hujus versiculi interpretationem, *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Cæterorum*, inquis, *hominum non est nisi quædam Dei memoria, &, ut sic dicam, absentia quædam, quod id insinuat*: quid est homo, quod memor es ejus? *Siquidem memoria absentium est. Filii autem hominis, id est, Christi, jam visitatio & præsentia unionis, & tanta quidem unionis, ut ea sit hypostatica, & qua nulla major esse potest. Quod & id insinuat*, aut filius hominis, quoniam visitas eum, *& hujusmodi Dei visitatio, præsentia, unio, non hominem minuit, sed sic etiam elevat super omnia, ut paulo minutus sit à Deo: & minui paulo minus a Deo, est super omnia alia exaltari, & omnia alia illi subjecta esse*. In eo enim, *ait Apostolus*, quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei, præter eum qui subjecit ei omnia; *Et de illa visitatione, unione, & a Divinitate apprehensione circa finem hujus capitis subdit Apostolus:* Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, *quod quidem* semen Abrahæ *alio loco interpretatur, qui est Christus*. Hactenus tua recensuimus. Primum quid sibi vult hic sermo, *Cæterorum hominum non est nisi quædam Dei memoria*. Utrum sentis homines esse memores Dei, an Deum esse memorem hominum? Deinde utrum sentis homines absentes, an absentem Deum? Sed hac amphibologia periculosior est illa, quæ tibi superius excidit, cum ais: *Verbum & Filius Dei, divinæ est conditionis, ejusdemque cum Deo naturæ. Nam creatura non est, perinde ac neque Deus*. Utrumque enim potest accipi, Deum Patrem non esse creaturam, aut Filium Dei non esse Deum. Ad hæc cum ais, *filii hominis, id est, Christi, esse visitationem*, utrum intelligis *Christum* visitasse hominem, an visitatum à Deo? Quod si visitationem appellas adsumtionem humanæ naturæ, quomodo *Christum* dicis visitatum? An quemadmodum pie dicimus, *Deus adsumsit hominem:* ita recte dicemus, *Deus adsumsit Christum?* Atqui hic ipsissimus est sermo, ob quem paulo ante vapulabam abs te: non quod sic locutus sim, sed quod sic locutum putaras. Rursus cum ais, *non minuit hominem*: nonne *hominem*, quod est hypostaseos vocabulum, pro humana accipis natura, quod ante fieri vetuisti? Ad hæc cum ais, de illa visitatione, unione, & apprehensione à Deo, demiror te in nostro sermone *nodum*, ut ajunt, *in scirpo quærere*, cum tibi permittas sic balbutire de rebus ineffabilibus. Quis enim sic unquam locutus est, *apprehensio a Deo*, ne quid insecter intolerabilem ubique βατολογίαν. Præterea cum pergis, & ais, *hac unione Christum paulum imminutum a Deo, sed ita ut exaltatus sit super omnia:*

Digitized by Google

si hoc erat exaltari ſuper omnia, viſitari à Deo: & viſitatus eſt, qui aſſumtione unitur: mox ut incarnatum eſt verbum, *Chriſtus* exaltatus fuit ſuper omnia. Ubi eſt igitur quod ait *Paulus: Jeſum paululum imminutum à Deo, & mox ob paſſionem gloria & honore coronatum?* Atque iterum, *propter quod exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen*, &c. non ob nativitatem, ſed ob crucis ſupplicium exaltatum declarans. Inſuper cum ais, *apprehendit ſemen Abrahæ, qui eſt Chriſtus*, nonne videris *Chriſtum* apprehenſum dicere? Opinor enim hîc apprehendi tibi, nihil aliud eſſe quam aſſumi. Item quod ſequitur: *ſed nec ullum alium hominum apprehendit*, ſubaudis, opinor, *quam Chriſtum*. Perſpicis, ut puto, quanta ſit cavillandi materia, ſi quis tuo exemplo velit cavillari. Quanquam *Auguſtinus*, unde iſtius interpretationis occaſionem mutuatus es, non ait *Chriſtum* viſitatum à Deo, ſed ceu duos facit homines, veterem peccatorem, cujus tamen meminerit Deus, huc quoque porrecta illius beneficentia, qua proſpicit & brutis animantibus; ac novum, ad pietatem renaſcentem: atque in hoc dicit hominis eſſe viſitationem. Hîc quoque ſciens ac prudens ad multa conniveo, ne quod coactus facio, videar cupide facere.

Sed jam plane juxta Græcorum proverbium, ἐπὶ τὰ Μανδραβύλλα res noſtræ procedunt. Nam crimen unum aliud crimen excipit, & ſemper gravius. Siquidem annotationis meæ coronidem graviter oppugnas, in qua ſubjeci: *& de auctore ejus adeo fuit dubitatum, ut ſero recepta ſit à Romana Eccleſia: quandoquidem in hanc unam omnium, nihil commentatus eſt* Ambroſius: *&* Hieronymus *ait, à nonnullis non fuiſſe receptam, ob id quod in ea nonnulla recitarentur, quæ apud Hebræos non inveniantur.* Hîc vero trifariam me criminaris. Primum ſtultitiæ, qui hæc adjecerim, cum ad rem inſtitutam nihil attinerent: deinde vanitatis, qui dixerim ſero receptam, quæ ſemper fuerit recepta: tertio inſcitiæ, imo, ut tu loqueris, inſaniæ, & tantæ inſaniæ, ut totis *Anticyris* egeat, quod irata dialectica ridicule collegerim, ideo ſero fuiſſe receptam à Romanis, quod in hanc unam nihil ſit commentatus *Ambroſius*. Verùm ut ad ſingula paucis reſpondeam: Si hæc coronis ad id, quod agebatur, nihil pertinebat, cur tu meam ſtultitiam imitari voluiſti, qui excutias quæ ad tuam cauſam nihil attineant? Propoſitum erat tuam tueri ſententiam, id jam abſolveras, quorſum attinebat longius evehi? niſi forte erat animus meas annotationes omnes excutere. Finge me ſubito mihi excidiſſe, & ſuperiorum omnium oblitum, atque, ut Græcis eſt in proverbio, *ab aſino delapſum, repente in alio* (quod ajunt) *fuiſſe mundo*, quid iſtud ad tuam cauſam attinebat? Poſteaquam eviceras quod volebas, erat tuæ civilitatis hanc amiculi tui delirationem diſſimulare ac tegere, non ſævis verbis exagitare, ac voluminibus vulgatis traducere. Nullus eſt ferme mortalium, cui id aliquando non accidat. Nec deerant cauſæ, quibus hoc civilitatis datum oportuit, etiam ſi noſtra non poſtulaſſet amicitia: unus geminum negotium ſuſtinebam, *Hieronymi* caſtigationem, & Novi Teſtamenti, utrumque difficillimum. Res compluribus prælis accelerabatur, & valetudinem meam non ignoras. Mirabantur illi me tantum potuiſſe ſcribere quantum vel legiſſe laborioſum fuiſſet: mirabar ego viciſſim, illos è ſchedis notatis verius quam deſcriptis poſſe quicquam excudere. Et vides me in ipſo ſtatim opere pollicitum tumultuariæ Editionis recognitionem. Hæc certe judicem æquiorem promerebantur, præſertim te tam amicum, ſi quid alicubi deliraſſem. Sed tamen ne me credas omnino deliraſſe, cum illa ſubjicerem, exiſtimabam nonnihil ad rem pertinere. Etenim propoſita difficultate, quæ utrinque urgebat, tentabam exitum, ſi qua liceret invenire: ac videbar aliquam oſtendiſſe rimam, ſi demonſtraſſem, βεβχύ τι ad temporis modum pertinere. Quod ſi cui iſta non ſatisfacerent, ne quid intentatum relinquerem, & illud admonere volui, diu de hujus Epiſtolæ auctore fuiſſe dubitatum, præſertim apud Latinos. Quod ſi eſſet dubitatum, & merito dubitatum, certe levius torqueret nos ejus auctoritas, & liberius eſſet ad ejus interpretationem reſpondere: nec adeo neceſſe foret univerſam culpam in miſerum Interpretem rejicere. Verùm hîc ſcio ita videbor ſtultitiæ crimen deprecatus, ut impietatis incurram, quaſi ſtudeam elevare pondus Epiſtolæ, cujus auctoritas orthodoxis omnibus ſacroſancta eſt. Bona verba, doctiſſime *Faber*. Imo magno emtum cupiam, ut Eccleſia *Chriſti* ejuſmodi complures haberet Epiſtolas, quocunque auctore ad nos profecta eſt. Quod ſi mihi penitus conſtaret, quid Eccleſia de ea cenſeret, promtiſſime accederem ejus judicio: atque adeo nunc ſi parum eſt certum mihi, quo animo hanc Epiſtolam receperit Eccleſia, tamen illud certiſſimum eſt, quicquid illa decrevit, me toto pectore ſequi velle: & ſi quid etiam ſecus videretur, ſemper animi mei ſenſum illius judicio ſubmittere: modo ne protinus Eccleſiæ calculum interpreteris, quicquid cuivis Theologo, aut fortaſſe non Theologo viſum fuerit. Si vere judicavit hanc eſſe *Pauli*, atque ita nos jubet credere, credo & clamo eſſe *Pauli*. Sin recepit ut dignam quæ legatur à Chriſtianis, cujuſcunque auctoris ſit, rem amplector, de auctore nihil diſputo. Si vult hujus auctoritatem parem eſſe cum cæteris *Pauli* Epiſtolis, nihil refragor, ſequor lubens quocunque me vocarit Eccleſiaſtica auctoritas. At impium eſt, inquis, de his dubitare, cum jam ubique receptiſſima ſit Pauli nomine. Si impium eſt convellere, quod publicus Eccleſiæ comprobavit uſus, quid receptius, quid decantatius ea lectione, quam tu ut falſam ac mendoſam, & *Chriſto* indignam inſectaris, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis?* Tibi licebit errorem vocare, quod tam multis ſeculis Eccleſia legit & ſequitur, quod omnium pene orthodoxorum auctoritas magno conſenſu approbat: & mihi non licebit civiliter addubitare, quo animo Eccleſia hanc Epiſtolam receperit, præſertim cum eam ſerius ac cunctantius receperit? Objicis mihi Synodi auctoritatem; profer Synodum, quæ nominatim hanc pronuntiarit eſſe *Pauli*. Quod ſi feceris, tuo telo te repetam, & locum hunc tibi viciſſim impingam Synodi auctoritate comprobatum, quem tu non veritus es, ut impium & *Chriſto* indignum inceſſere. Nihil eſt enim quod ad Hebræos confugias: ut donemus Hebraice ſcriptam, certe nullus auſus eſt dicere ſe hanc Hebraice ſcriptam vidiſſe, quæ *Lucæ* tempore jam interciderat, ut complures autumant. Quæcunque Synodus hanc approbavit, eadem hanc approbavit lectionem, quam tu falſam & impiam eſſe contendis. Niſi forte dicturus es, Synodo fuiſſe codicem emendatum, in quo ſcriptum fuerit, *paulo minus à Deo*, ac poſtea ſubito libros omnes Græcos & Latinos fuiſſe depravatos. Quod ſi tu poſſis ita perfricare faciem, ut hæc dicas, haud tamen ſcio an quiſquam tam ſtultus futurus ſit ut credat. Ego de auctore duntaxat aio dubitatum. Fieri poteſt ut *Paulina* non ſit, & tamen *Paulinis* etiam melior. Et addo, cunctantius receptam à Romanis. Verùm hoc tu fortiter rejicis, & negas fuiſſe dubitatum. Æquum eſt, mi *Faber*, mihi dari veniam, hac in re divi *Hieronymi* ac divi *Auguſtini* auctoritatem ſequenti. Certe apud *Hieronymum* crebra hujus rei mentio, qui ſic aliquoties adducit ex hac teſtimonia, ut pene liberum faciat adverſus quem agit, ſeu velit recipere, ſeu nolit: ſed ad manum eſt interim unus atque alter locus, qui ſatis ſit ad abſolvendum me mendacii crimine. Is enim ediſſerens *Hieremiæ* Caput trigeſimum primum, *Hoc*, inquit, *teſtimonio* Paulus *Apoſtolus, ſive quis alius ſcripſit Epiſtolam, uſus eſt, ad Hebræos*, & tamen hîc agit *Hieronymus* cum orthodoxis. Si conſtabat eſſe *Pauli*, ridicule adjecit: *ſive quis alius ſcripſit Epiſtolam.* Idem in Epiſtola ad *Dardanum: Illud*, inquit, *noſtris dicendum eſt, hanc Epiſtolam, quæ inſcribitur* ad Hebræos, *non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Græci ſermonis Scriptoribus quaſi* Pauli *Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam vel* Barnabæ, *vel* Clementis *arbitrentur, & nihil intereſſe cujus ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſuetu-*

de non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis *eadem libertate susci-*
piunt. Et tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus
temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque utriusque abutuntur testimo-
niis, non ut interdum de apocryphis facere solent? quippe qui
& Gentilium litterarum non raro utantur exemplis, sed
quasi Canonicis & Ecclesiasticis. Hactenus *Hieronymi* verba recensuimus. Nemo nescit, quam violentus sit *Hieronymus* cum pugnat. Hîc cum omnibus modis agat, ut huic Epistolæ plurimum sit auctoritatis, tamen fatetur suo seculo non fuisse receptam à Latinis inter Canonicas, ut jam non solum de auctore Epistolæ, verùm de dõctrina dubitarint. Quod si nullus de ea dubitavit præter *Ebionitas*, *Marcionitas*, & horum similes Hæreticos, ut ais: consequitur, Latinos ferme omnes hæreticos fuisse, & quidem pessimos. Porro quod *Hieronymus* scribit, se utrumque suscipere, quasi nec Latinus sit, nec Græcus, non de Synodi auctoritate, sed de Scriptorum ordine loquitur, quibus hic mos est, ut quicquid undecunque liceat arripere, ad suum trahant negotium. Quandoquidem in argumentorum agmine valent & Apõcryphorum & Ethnicorum testimonia. Rursum cum ait: Quasi Canonicas, satis fatetur, illas non vere Canonicas fuisse. Idem exponens *Matthæi* Cap. XXVI. ita scribit: *Nam &* Paulus *in Epistola quæ inscribitur* ad Hebræos, *licet de ea multi Latinorum dubitent.* Non dixit *multi Hæreticorum*, sed *multi Latinorum.* Item enarrans *Esaiæ* Cap. L. *Dicitur*, inquit, *& in Epistola, quæ fertur* ad Hebræos. *Origenes* Homilia in *Matthæum* XXVI. sic adducit hujus Epistolæ testimonium, ut non ausit tamen ab adversario flagitare, ut *Pauli* videatur, ac propemodum remittit, ut sit eo loco, quo liber apocryphus qui inscribitur *Secreta Esaiæ.* Quod si tibi *Origenes* est hæreticus: certe non hac parte notatus est ab *Hieronymo*, quod libros Canonicos rejecerit. At Ecclesia comprobat *Origenem* in iis, in quibus ab *Hieronymo* non est notatus. Rursum *Augustinus* Libro *De Civitate Dei* XVI. Cap. 22. citaturus hanc Epistolam præfatur in hunc modum: *de quo in Epistola, quæ inscribitur* ad Hebræos, *quam plures Apostoli* Pauli *esse dicunt: quidam vero negant*, &c. non dixit, orthodoxi dicunt esse Apostoli *Pauli*, hæretici negant: sed *plures dicunt, quidam negant*, numerum distinguens, non fidem. Atque idem *Augustinus*, cum alias *Pauli* testimonia solitus sit adducere cum honorifica ejus nominis præfatione, ex hac ferme sic allegat: *Scriptum est in Epistola* ad Hebræos, *Sic intellectum est in Epistola* ad Hebræos, Et, *de illo etiam in Epistola legitur, quæ inscribitur* ad Hebræos, ut appareat nec *Augustino* de auctore satis constitisse. Tibi constat ab Apostolo scriptam, constat Hebraice scriptam, de solo interprete non constat, quod in hunc visum est omnem conferre culpam, & istud impune fore putares. Atqui quisquis is fuit, qui in hanc addidit argumentum, *hanc*, inquit, *Epistolam fertur Apostolus* ad Hebræos *conscriptam Hebraica lingua misisse, cujus sensum & ordinem retinens* Lucas, *Græco sermone composuit.* En quam hic cunctanter loquitur, quam suspenso incedit gradu. Cur è duobus, quæ pariter hic refert, alterum tibi constat, alterum rejicitur? Atque illud obiter adjiciam, si Epistola Hebraice scripta exstabat, quorsum addit: *cujus sensum & ordinem retinens* Lucas. Si jam intercidérat Hebraica: mirum est tantam tantis de rebus Epistolam, tam cito intercidisse, cum *Hierosolymis* esset frequens Ecclesia. Vides omnino fuisse, qui de hujus auctore dubitarint, nec admodum constitisse, fuisse Hebraice scriptam. Nec mirum te nihil addubitare, hominem adeo credulum, ut insulsissimam rabulæ cujuspiam Epistolam, qua jubet versiculos, *gloria Patri*, &c. accini singulis Psalmis, plane credas esse divi *Hieronymi*, tantum quod titulum habeat *Hieronymi:* qui *Pauli* ad *Senecam* inscriptas Epistolas, vere credas esse *Pauli:* qui frigide confictum ad *Laodicenses* Epistolium, adjunxeris reliquis illius Epistolis ceu γνήσιον ac germanum. Cæterum parum tutum est his credere, qui tam facile credunt. Malim ego judicio ac delectu credere, quam omnia credere. Atqui divus, inquis, *Hieronymus* hanc citat *Pauli* titulo, & alicubi contendit esse *Pauli.* Citat nomine *Pauli*, quod à plerisque legebatur hoc titulo: nec erat ubivis de auctore digladiandum. Contendit alicubi esse *Pauli*, sed non hac in re tantum vafer, & à seipso dissentiens *Hieronymus*, quem facile crediderim huic favisse Epistolæ, ut eruditæ pariter ac piæ: & ut non omnino abhorruit à *Platonis* & *Origenis* sententia, vulgus aliquando fallendum esse, modo suo fallatur bono, ita voluisse credi *Pauli*, quo majori cum fructu legeretur. Cæterum quid apud se senserit, incertum, imo si quis illius omnia legat attentius, non usque adeo incertum. *Origenes* Ecclesiasticæ Hist. Lib. VI. non negat, à multis assertum, eam Epistolam non esse *Pauli*, licet ipse dissentiat. Porro sermonis politiem, alii putarunt additam à *Clemente* Apostolorum discipulo, & Romanæ urbis Episcopo: alii rursus à *Luca* Euangelista. *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum diligenter admonet, multum esse congruentiæ *Clementis* Epistolæ quam scripsit ad *Corinthios*, & ei quæ sub nomine *Pauli* fertur *ad Hebræos.* In *Cajo* vero hæc scribit, *Epistolas*, inquit, *Pauli tredecim enumeratis, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non ejus esse.* Huic *Caji* sententiæ propemodum subscribens *Hieronymus* addit, *Sed & apud Romanos usque hodie quasi* Pauli *Apostoli non habetur.* Hactenus *Hieronymus.* Ego sane de auctore nihil interim pronuntio, mihi sat habeo, si non mentior, olim de auctore fuisse dubitatum, & dubitatum à nonnullis orthodoxis, quosdam etiam negasse esse scriptam à *Paulo*, quod modo tot auctorum, inter quos *Augustinus* ac *Hieronymus*, testimonio docuimus, cum tu asseveres hoc nullos fecisse fideles, sed tantum *Ebionitas*, *Marcionitas*, *& id genus pessimorum Hæreticorum*: sic enim loqueris, quasi parum esset hæreticos dici, nisi addidisses pessimos, ut ne quid interim caviller de sermonis vitio, quo cum volueris diversum hæreticorum genus intelligi, idem genus expressisti, cum ais *id genus pessimorum Hæreticorum*, pro *id genus Hæreticõs*, etiamsi jam parum concinne cohæret *pessimos.* Eandem veniam merebar, cum ajo, sero receptam à Latinis: & hac in re *Hieronymum* auctorem sequutus, qui quod non nescis, alicubi scribit, Epistolam ad Hebræos non recipi à Latinis, nec Apocalypsim à Græcis. Quod si ætate *Hieronymi* non recipiebatur à Romanis, sero recepta est, utpote post annos ferme quingentos. Tu fortiter asseveras, ab orthodoxis semper receptam, à solis hæreticis refutatam. Istuc facile auferes, si modo *Hieronymus* illic Latinorum nomine sentit hæreticos tantum. Nec tamen protinus refutat, qui non recipit, nam non recipit etiam is qui nondum pronuntiat. Hæretici rejiciunt hanc Epistolam, ceu parum piam, & fateor partim horum argumenta esse quæ recitat *Hieronymus.* Nam & hoc addis, quorum sententiæ absit, ut quisquam subscribat Christianus, etiamsi fieri potuit, ut ob locos aliquot prima sermonis specie suspectos, quasi quibusdam hæreticis favere videantur, etiam orthodoxis nonnullis aliquandiu suspecta fuerit. Quod si tibi constat esse *Pauli*, si constat à sacra Synodo comprobatam, cur audes vel jota convellere, idque tum primus, tum solus mortalium? Interpretem, inquis, accuso, non auctorem. Quasi vero Synodus aliam viderit interpretationem, quam hanc qua utitur Ecclesia. Quod si sic legit Synodus, & Epistolam approbavit, mirum ni & hanc approbavit lectionem, quam tu ut mendosam & impiam jubes eradi.

Porro crimen insciticæ, quod mihi extremo loco impingis, adeo leviter commovit, ut juverit etiam, ac voluptati risuique fuerit. Variis salibus eludis hanc meam argumentationem. *Ambrosius* nihil in hanc Epistolam commentatus est, igitur aut non est recepta, aut sero recepta à Romana Ecclesia. *Sane*, inquis, *eodem jure dicam Epistolam* Jacobi, *duas* Petri, *& reliquas sero ab Ecclesia Romana fuisse receptas, quandoquidem* Ambrosius *nihil in eas est commentatus. Quam rem si hac ratione pertinaciter defendere voluero,* ex-

explodar, irridebor, tota dignus videbor Anticyra. Excute omnes meas annotationes, in quibus abs te dissentio, & optimo jure dissentio, & vide num usquam ejusmodi salibus ludam in te. Uno tantum in loco, ubi lapsus erat manifestarius, ac plane pudendus, nisi tam esset omnium hominum commune labi, nihil aliud adscribo, quam *demiror ei viro tam profundum obrepsisse somnum.* Non aliud comperies usquam dictum in te asperius. Atqui quî potui humanius, quam manifestissimum lapsum *somnum obrepentem* appellare, nec omitto tamen interim honoris præfationem, quo mitigem admonitionem, addens *ei viro.* Equidem non jacto dialecticam, etiamsi puer eam utcunque didici. Quod si nec *Aristoteles* mihi lectus fuisset, nec *Boetius*, quorum utrumque, ne quid aliud dicam, certe legi, tamen vel *Ciceronis* nostri *Topica*, vel *Quintiliani Institutiones* me tantum docere poterant, non consequi necessario: *Ambrosius* non est in eam commentatus, ergo Romana Ecclesia non recepit. Neque enim tam stupide colligo, quam tu proponis, declarans vere dictum à *Terentio*, *Nihil tam esse rectum, quin male narrando possit depravari.* Sic enim à me scriptum est, *& de auctore ejus adeo fuit dubitatum, ut sero recepta sit à Romana Ecclesia, quandoquidem in hanc unam omnium nihil commentatus est Ambrosius.* Neque enim non esse receptam colligo ex eo, quod *Ambrosius* in eam non scripsit, ut tu putas, sed conjecturam adglutino conjecturæ, juxta proverbium, *linum lino connectens*, quo firmior esset *συναθροισμός.* Etenim ubi res à conjecturis pendet, & desunt argumenta necessaria, coacervatis probabilibus argumentis ratiocinari mihi fas est, opinor, præsertim cum nihil asseverem. Sero fuisse receptam, ut docui, testatur *Hieronymus*, à Romanis inquam. Siquidem hîc Romanam Ecclesiam voco, non catholicam omnium, ut nunc vocamus, sed ipsos Romanos, ut vocat *Cyprianus.* Item de auctore dubitatum fuisse, palam est, & paulo ante significaram, inesse locos aliquot, qui nonnullos offendissent, & ad cæteras conjecturas velut in acervum adjicio *Ambrosium* Latinum, cum in omnes cæteras scripserit, in hanc unam non scripsisse. Nec est simile, *Ambrosius* non scripsit in Epistolas *Petri*, ergo sero sunt receptæ. Et cum *Ambrosius* Latinus in omnes *Paulinas* Epistolas scripserit, hac una præterita omnium maxima & disertissima, probabilius est & illum de auctore dubitasse, quod ex aliis quoque argumentis colligitur. Verùm illud fuerit similius, *Dionysius* nominatim recenset ac numerat Ecclesiæ sacramenta, & unius matrimonii non meminit: ergo probabile est, aut matrimonium id temporis nondum inter sacramenta connumeratum, aut *Dionysium*, septimum sacramentum ignorasse, aut si quid his inferre potes probabilius. Sit enim hoc exempli gratia propositum. Aut si Rex omnibus officiis suis donaret aliquid uno præterito, certe *εἰκὸς* esset Regem huic non perinde ut cæteris favere. Hæc argumentatio tametsi non colligit necessario, tamen ubi res à conjecturis ducitur, non est, opinor, usque adeo explodenda, ut totam *Anticyram* postulet, præsertim cum multæ simul conjecturæ sese vicissim fulciant. Sic enim jocaris in amicum, homo festivus, & meris leporibus ac Gratiis concretus. Alioqui quis feret istam collectionem, quam recensét præter Rhetores, & *Boetius*, *Quî potuit non amasse si rapuit?* Aut hanc: *si mater est, diligit filium.* Aut quî ipse tueberis hanc, qua hoc ipso in loco uteris, *Hæc Editio fuit ante* Hieronymum, *ergo ante* Hieronymum *fuit recepta à Romanis.* Quasi vero nihil interesset inter edi & recipi. Aut hanc mox ibidem, *utitur hac* Hieronymus *adversus hæreticum, ergo recepta fuit a Romanis.* Ista ratione sic colligam, *utitur testimonio Euangelii Nazarenorum adversus hæreticos, ergo fuit ab Ecclesia receptum.* Aut Paulus *utitur* Epimenidis *&* Arati *testimonio, ergo recepti sunt horum libri ab Ecclesia. Theologi passim utuntur* Aristotelis *libris adversus hæreticos, receptus est igitur ab Ecclesia.*

Conjecturæ, quas aliquot adduxeram, satis erant idoneæ, non ut inde quicquam affirmem, sed ut lectorem admoneam esse quod excutiat. Quamquam ut ingenue fatear, si tum aut monitus fuissem abs te, aut ipse per otium rem propius attentiusque perspexissem, aut omisissem hoc loco hujus rei mentionem, aut aliquanto circumspectius induxissem. Verùm hujusmodi lapsus, quos aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura, alias libenter farciemus, dabimusque sedulo operam, ne quam ansam præbeamus calumniosis, quando video te quoque cætera tam candidum & humanum, hæc tam odiose exagitare: idque cum ad tuam causam, ut ais, nihil attineant. Et tamen videri vis coactus ad hanc disputationem descendisse, cum totius rei summa in hoc sit, quod legendum esse contendis *a Deo*, & non *ab Angelis.* Id cum ego non refellam, quid supererat quod te cogeret adversus nos scribere? Deinde si maxime refellissem tuam sententiam, si minus ipse merebar istam civilitatem, tamen tui ingenii fuerat ab atrocibus dictis temperare vel aliorum gratia: ne quis aut de tuis moribus, aut de mea doctrina deterius sentiat. Atque utinam mihi licuisset hoc respondendi labore supersedere, & hanc operam jucundioribus in rebus collocare. Nunc toties urges dictis adeo sævis, idque in medio voluminis editi, ne vel casu possit intercidere, ut silentium conscientiæ crimen videri possit. Stomacho ut potui temperavi, & ut ingenue libereque meam defendi innocentiam, ita à contumeliis cohibui calamum, perpetuo cohibiturus, si per te licebit: quod si quid offendit hoc ipsum quod respondeo, non mihi debes imputare, sed iis potius, qui tui ingenii simplicitate ad hanc fabulam agendam sunt abusi, quo commissis nobis inter nos, ipsi nostro dolore suam pascerent voluptatem. Scis verissime dictum ab *Aristotele*, *improbitati tantum occasione esse opus*: neque nescis, quanto plures sint improbi, quam probi, juxta Græci sapientis apophthegma. Complures hoc ingenio nati sunt, ut vel gratis malis gaudeant alienis, atque ita demum sibi melius esse credant, si male sit aliis. Nonnullis omnes sunt invisæ litteræ, plerisque bonæ. Neminem fere non offendit novitas. Hi omnes ad occasionem inhiant, mi *Faber*: quo magis erat cavendum ne ea à nobis illis porrigeretur, & *ex ipso*, quod ajunt, *bove lorum ministraretur.* Cum enim utilitatis publicæ respectu provinciam invidiosam utrique susceperimus, consultum erat partes nostras concordia & syncretismo, quod ajunt, fulcire. Quod si senserint nos inter nos mutuis collidi dissidiis, non solum conduplicabimus invidiam, verum etiam omnem studii nostri fructum tot vigiliis expetitum amittemus. Et enim qui nunc magnis clamoribus insectantur, quod in Oratione Dominica, pro *dimitte nobis debita nostra*, mutare sim ausus, *remitte nobis debita*, quid dicturos existimas, si conspexerint nos ceu par gladiatorum in arena commissos multis vulneribus invicem confodere, & *Balatronem* ac *Nomentanum* referre, qui apud *Horatium* alternis dicteriis in sese debacchantur, ridentibus interim convivis. En, inquient, egregios correctores, quibus auctoribus oporteat novari tot seculis comprobatam Editionem. Quî fidemus illis si inter ipsos non convenit? Ita fiet ut fabula mundi simus, & in conciliabulis, in foris, in compotationibus, in aulis, in tonstrinis, in essedis, & navibus, *Erasmi Fabrique* nomen obambulet. Tot exantlatis laboribus, hoc præmii denique feremus. Quare te rogo, carissime *Faber*, per amicitiam nostram, hactenus à me sincere pureque cultam, per studiorum amorem, quo communiter ambo ducimur, etiamsi tu felicius, quocunque casu hoc accidit, redi ad tuum ingenium, redi ad tuos mores. Nos hactenus te non læsimus, ne sic quidem provocati. Sine me mei similem esse. Id fiet, si tu sis tui hac in parte dissimilis, ac veterem illum *Fabrum* præstes, quem hactenus & coram, & litteris omnibus præstitisti. Quod factum est dissimulari non potest, Liber est editus, excusari potest. Ipse modis omnibus faveho purgationi, quemvis prætextum accipiam. Excidit unum hoc parum attento, effluxit calore quodam, humanum est, aut huc perpulit instigator improbus, impositum est simplici-

Digitized by Google

plicitati tuæ. Quod si nihil horum placet, vel in *Atten* aliquam, hujus mali causam rejiciamus, quemadmodum apud *Homerum* facit *Agamemnon*. Præstat recurrere quam pergere cursum male institutum. Odi ipse, ita me Deus amet, hanc meam necessitatem, vel potius infelicitatem, qua coactus sum ad hoc scripti genus descendere. Non deerat quod agerem, & quavis in re malim horas meas collocare. Si litteris ad me privatim scriptis effudisses stomachum tuum, aut dissimulassem, aut privatim me tibi purgassem: si ingenii crimen intendisses, neglexissem calumniam. Nunc cum Libris evulgatis me tuum facis adversarium, ubi pro te facio, & ita facis adversarium, ut tu *Christi* dignitatem attollas, ego dejiciam: tuus sermo sanctus ac pius sit, meus *Christo* Deoque indignissimus: tuus Christianorum & eorum qui spiritu ducuntur, meus Judæorum & infidelium ac litteræ occidenti adhærentium, cum hæc non contentus semel dixisse, toties inculces & infulcias tota disputatione, quid quæso factum oportuit? An debebam istas tuas notas tacitus agnoscere, præsertim cum ipse non solum nihil istiusmodi cogitassem, verùm ne in verbis quidem lapsus essem? Quod si tibi videor liberius meam egisse causam, cogita nihil esse liberius innocentia. Si qua videbuntur indulta dolori, cogita quam multa dolori non permiserim. Videor mihi satis moderationis præstitisse, si contumeliam, & talem contumeliam argumentis refello, non convitiis. Meus stylus nullius adhuc cruore imbutus est: patere mihi hanc laudem esse perpetuam. Hactenus utcunque frenos injeci justo dolori, homo sum, quid in posterum ferre possim, incertus. *Furor fit læsa sæpius patientia.* Aut si tibi cordi est nos impetere, ejusmodi criminibus urge, in quibus dissimulandis aut excusandis lenitas laudi ducitur. Hoc ejus generis est, ut si me purgem, cogar amicum lædere: sin obticescam culpam agnoscere, pro qua depellenda pulchrum est & mortem oppetere. Si ista est propria & inevitabilis studiorum conditio, ut necesse sit, aut excutiendis aliorum Libris alienam famam incessere, aut dum te purgas, nunc cum hoc, nunc cum illo digladiari, valebunt mihi potius. Aut mutus dormio, aut mihi cano & Musis. Quid enim est tam circumspecte scriptum, quod non queas aliqua ex parte cavillari? Quid rursum est tam incogitanter scriptum, quod non aliquo prætextu possit defendi? Quod si certum est omnia veterum scripta tueri pariter, omnia recentium ad istum calumniari modum, prorsus abstinendum est à calamo. At quanto rectius est, veteres sic revereri, ut non desit judicium: recentiores sic excutere, ut non absit candor. Cum homines hominum scripta legimus, ad multa connivendum est, quædam commodius interpretanda. Alioqui quid magni sit, in meis, qui nihil sum, commentariolis reperire, quod iniquus interpres ad calumniam detorqueat, cum plurima sint in *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Cypriani*, *Augustini*, & *Gregorii* scriptis, quæ sub iniquo judice, nullo pacto defendi possint? Nam quo tandem colore tueberis (ne nullum exemplum proferam) quod divus *Ambrosius* excusans *Petri* negationem scripsit: *Nam qui dixit*, nescio hominem, *æquum erat ut interrogatus utrum esset ex discipulis hominis, diceret non sum. Itaque non Christi discipulum se negavit, sed hominis negavit esse discipulum. Ituque &* Petrus *&* Paulus *hominem negaverunt, quem Dei Filium fatebantur.* Obsecro si scriptorem hîc suis verbis urgeas, quid magis impium dici poterat, quam *Christum* non esse hominem, idque auctoribus *Petro* & *Paulo*? Huic affine est quod scribit *Augustinus* in Psalmo VIII. *Quare* vermis? *quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus. Quare* non homo? *quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Quis ferret ideo *Christum* negari hominem esse, quod Deus sit? Rursum quod scripsit in opere *De Trinitate*, Apostolos *Christo* adscensuro in cœlum, *hoc tantum credidisse, quod viderunt*, nonne blasphemia videatur in sanctos Apostolos, quasi nondum Deum esse credidissent, cum *Petrus* tanto ante confessus sit Filium Dei vivi, & *Thomas* apertius Dominum ac Deum suum agnovisset? Hæc & hujusmodi permulta si pie scripta credimus, si commode interpretamur in tantis auctoribus, cur tam morosi & iniqui sumus in recentiorum libris? Balbutiunt ut possunt de rebus divinis eloquentissimi, & sermo noster ad unguem exigitur? At non idem tribuimus, inquies, *Erasmo* quod *Augustino*. Certe quo ille major, hoc mihi fortasse minus auctoritatis, sed tamen plus veniæ tribuendum erat. Quanquam hoc ipsum viris eruditis indignum arbitror, Scriptorum auctoritatem annis metiri, non rebus.

Sed ut quo cœperat pergat oratio. Si fidei sinceritas constat, inhumanum est in verbis excitare tragœdias. Quid, quod non solum ab humanitate alieniſſimum est, verum etiam impium, & cum Christiana caritate pugnans, omissis tuis rebus, in alienis scriptis obambulare, & *Momum* quendam, seu potius sycophantam agere, haud animadvertentem, quam iniquam legem interim in teipsum statuas: nisi forte putas omnia tibi tam circumspecte ubique dicta, ut nihil omnino possit reprehendi, cum in hac una disputatiuncula tam multa sint, quæ vel æquum lectorem offendant. Nisi forte bellum tibi spectaculum videtur *Hieronymus* cum *Ruffino* tot libris dimicans, aut cum *Augustino* conflictans, etiamsi cum hoc postea rediit in gratiam, sed non prius quam omissa disputatione. Adeo nullus est qui velit ingenio cedere, juxta *Martialis* sententiam. Aut nisi magnificum facinus esse credis, quod decem *Pici* conclusiones expugnavimus, vel vexavimus magis, ac tam felix ingenium à juvandis sacris Litteris avertimus, ac probas pertinacem illam & odiosam insectationem, qua jam annos complures adversus *Reuchlini* libellum, nescio quem, obscurum belligerantur tot Scholæ Theologorum, totusque Prædicatorum populus? Mihi pro nostra amicitia vehementer molestum fuit, quod te quoque à crabronibus istis impeti sentirem. Nam *Basilea* legi Epistolam, qua Cardinalis *Senogallensis* tuam agebat causam adversus eos qui calumniabantur te, Psalmo trigesimo annotasse ex sententia Cardinalis *Nicolai Cusæ*, animam *Christi* apud inferos passam esse cruciatus, & sic agebat causam tuam, ut satis haberet, si te ab hæreseos nota liberaret. Quin & ipse audivi viros eruditos ac magnos inquirentes in tuos commentarios, quosdam etiam annotasse quædam calamo. Quod si probas istam morosam & iniquam diligentiam, quæso quis erit aut finis aut fructus? Nusquam non erit quod calumnietur, quisquis in hoc librum sumit in manus ut calumnietur. Si nullus est veterum, qui non alicubi cum venia legendus sit, in recentiores tam inique exquirere, livor est, non diligentia. Connivemus ad id quod *Hieronymus* non fortiter solum defendit, sed contumelioſe etiam propugnat, posse Sacerdotem esse, qui ante baptismum maritus, baptizatus priore defuncta duxerit alteram: & eorum sententiam, qui hoc defendunt, quod nunc & Pontificum leges, & Theologorum Scholæ præcipiunt, *Cainam* hæresim appellat: ut ex multis unum locum exempli gratia proferam. Non est fraudi sanctissimo viro *Ambrosio*, quod enarrans prioris ad *Corinthios* Epistolæ Caput septimum, affirmat viro jus esse repudiata uxore adultera ducere alteram: negans idem jus esse uxori. Ipsius verba subscribam: *Quia viro licet ducere uxorem, Si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur, sicut mulier, Caput enim mulieris vir est.* Ridiculum vero planeque frigidum, quod sententiarum coacervator sic excusat *Ambrosium*, ut dicat hæc verba à falsariis esse subdita: cum & librorum summus consensus sit, & congruat stylus. Non officit *Cypriani* merito nobis sacrosanctæ memoriæ, quod constanter censuerit rebaptizandos baptizatos ab iis, quos inquinaret hæreseos suspicio. Atqui hæc una res *Donatistas* & *Rogatianos* fecit hæreticos, cum in cæteris essent orthodoxi vel ipso confitente *Augustino*. Nullus *Augustinum* in jus vocat, quod scripserit, *Jesu* matrem ea nocte qua captus est, & mox passus est filius, nonnihil in fide

fide vacillaſſe, licet levius cæteris Apoſtolis. Locus eſt in Quæſtionibus Veteris ac Novi Teſtamenti, quæſt. 73. ſi quis requiret; ſi cui non vacabit, ipſius verba ſubſcribam: *Quod autem*, inquit, *adjecit dicens*, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes, *hoc utique ſignificavit, quia etiam* Maria, *per quam geſtum eſt myſterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret, ita tamen, ut in reſurrectione firmaretur.* Nemo ſcribit illi dicam, quod *Petro* Apoſtolorum principi etiam poſt Spiritum Sanctum datum, tribuit malitioſam ſimulationem, & perverſum onerandi Gentes ſtudium. Sic enim ſcribit enarrans Epiſtolam ad *Galatas: Petrus autem cum veniſſet Antiochiam, objurgatus eſt à Paulo, non quia ſervabat conſuetudinem Judæorum, in qua natus atque educatus erat, quamquam apud Gentes eam non ſervaret: ſed objurgatus eſt, quia Gentilibus eam volebat imponere.* Idem Libro *De agone Chriſtiano* Cap. xxx. factum hoc *Petri* ſuperſtitioſam ſimulationem appellat, & cæteris illius peccatis diffidentiæ, pugnæ & abnegationis admiſcet. Atque adeo paulo poſt in eodem Capite durius etiam pravam *Petro* tribuit ſimulationem: *Hos*, inquiens, *Eccleſia catholica materno recipit ſinu, tanquam* Petrum *poſt fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tanquam eundem poſt pravam ſimulationem*, Pauli *voce correctum.* Atque hæc adeo non retractavit, ut poſt *Hieronymum* ad palinodiam provocarit, qui pravitatem noluerit *Petro* tribuere, quam ne tum quidem credibile eſt in eo fuiſſe, cum *Chriſti* doctrinam nondum intelligeret. Quicquid enim unquam peccavit *Petrus*, non deſtinata malitia peccavit, ſed aut affectu ſedulo, licet errante, aut ſubito terrore, aut humana fragilitate. Quod idem de *Paulo* ſentiendum exiſtimo. Nemo *Chryſoſtomum* in jus vocat, quod Virgini Matri tribuerit ejuſmodi affectum, quo matrum vulgus imperioſum in liberos ex illis famam ac laudem captat. Is enim ediſſerens *Matthæi* Caput XII. inter cætera ſcribit in hunc modum: *Quamvis & ex facto matris nonnihil importunitatis quoque acceſſit. Conſidera igitur tam matris quam fratrum importunitatem. Nam cum debuiſſent intrare, atque cum turbis ſimul audire, aut ſaltem exſpectare foris ſermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam ac oſtentatione commoti, foras eum in præſentia omnium evocaverunt:* cæteraque quæ ſequuntur in hanc ſententiam. Idem enarrans *Joannis* Euangeliſtæ Caput II. ut clarius ita durius eadem prædicat, hiſce verbis de *Maria* proprie loquens: *Optabat enim ut jam hominum gratiam conciliaret, & ipſa clarior filii gratia efficeretur, & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu. Quemadmodum & fratres ejus cum dixerunt*; oſtende teipſum mundo, *cupidi ejus miraculis ſibi famam comparare.* Ac paulo poſt idem agens: *Siquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebant, ſed more matrum* Maria *jure omnia ſe filio præcepturam cenſebat, cum tanquam Dominum colere & revereri fas eſſet.* Hactenus *Chryſoſtomus.* Jam vero quid commemorem id quod eſt omnium Veterum commune, ſoli *Chriſto* tribuentium perpetuam immunitatem à peccato originis? Grave crimen, ſiquidem hoc tam contumelioſum eſt in Virginem Matrem, quam videri volunt *Scotidarum* familiæ.

Neque vero referimus hæc, hoc agentes ut Veterum lapſus vulgo traducamus, ſed ut declaremus, quam ſit iniquum in recentiorum ſcriptis nihil non excutere, detorquere ad calumniam quæ ſimplici pioque dicuntur animo; Hoc hæreſim ſapit, hoc male ſonat, hoc ſcandalo eſſe poſſet, hoc ſuſpectum eſt, hoc parum reverenter dictum in magiſtros noſtros. Quin potius ea lex nobis placet inter omnes, quam divus *Auguſtinus* in omnibus ſcriptis ſuis ratam eſſe vult. Sic enim loquitur Libro *De Trinitate* I. Cap. III. *Proinde quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum: ubi pariter hæſitat, quærat mecum: ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, ubi meum, revocet me: ita ingrediamur ſimul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum eſt*, Quærite faciem ejus ſemper. *Et hoc*, inquit, *placitum, pium atque rutum coram Domino Deo noſtro, cum omnibus interim qui ea quæ ſcribo legunt, & in omnibus ſcriptis meis; maximeque in his ubi quæritur unitas Trinitatis.* Quanto conſultius hoc, mi *Faber*, quam mutua reprehenſione & noſtrum & aliorum perdere ſtudium, imo juxta *Paulum*, dum invicem mordemus & mordemur, alium ab alio confici? Equidem arbitror ne *Chriſto* quidem eſſe gratum, ſic ſuam defendi dignitatem, ut Chriſtiani famam indigne laceremus. Pacis auctor eſt, concordia ſuorum potiſſimum oblectatur: ſive quid eſt officii, ſive quid eſt contumeliæ, in ſe admiſſum ducit quod in fratrem admiſeris. E quamlibet levi ſcintilla diſſidium naſcitur, at ſemel natum late ſpargit incendium. Accurrunt hinc atque hinc, qui favent, qui amant, qui oderunt, qui invident, hic frigidam, ut ajunt, ſuffundit, ille oleum camino adjicit, bellum repente fit, quod erat monomachia, nec finis donec res in rabiem exeat. Fit interim jactura cariſſimæ poſſeſſionis, quam ego in amicis ſitam arbitror. Mihi ſuccenſent tui, tibi fortaſſe nonnulli meorum indignantur. Quanto placabilius erat, communicatis invicem amicis conduplicato lucro diteſcere? Si fieri poteſt, ut, quemadmodum ait *Hieronymus*, in Scripturarum campo ſine noſtro dolore ludamus, age mutua conflictatione vel doceamus aliquid, vel diſcamus. Sin hoſtis eſt tibi, qui quocunque modo abs te diſſenſerit: ſi talibus ſaxis petitus, excedo campo, hac lege non congredior, gladiatorum iſta pugna eſt, non Theologorum. Eſt humanus error, eſt & Chriſtiana correptio. Ego ſic lapſus tuos correxeram, ut gratiam etiam me ſperarem initurum. Et apud me ſane iniret, qui ſic admoneret. Neque vererer ipſum *Hieronymum* ſi viveret, ſi ſic lapſus fuiſſet, itidem admonere: nec dubitarem, quin is boni conſulturus eſſet. Ignoſcendus error, ſi nimium bene de te ſenſi. Siquidem tu maluiſti regerere crimen, quam emendare monitus erratum. Ego tantum adnotaram in voculis aliquot eſſe lapſum te, nihil ultra exaggerans: tu ubi nihil commiſſum eſt, impietatis crimen impingis. Sic caritatis officium officio penſas. Divus *Auguſtinus* non dedignatur revocari cum lapſus eſt, tu cum nondum Epiſcopus ſis, imo nec in Theologorum, opinor, ſenatum allectus, turpe putabas, ſi proxima Editione quædam mutaſſes: ac maluiſti tam multos tecum errare, quam tuum errorem agnoſcere? Nondum contuli ſingula, ſed tamen in aliquot incidi loca, in quibus demiror quid tibi volueris, ut ex animo loquar, mi *Faber*. In Epiſtola ad *Coloſſenſes* Capitulo II. indicaram te lapſum in verbo καταβραβεύετω: cumque rem *Hieronymi*, & Græcanicorum ſcholiorum, poſtremo & *Ambroſii* auctoritate demonſtraſſem, ſubjicio: *Ex his ſatis liquet, quantum abſit à vero* Jacobi Stapulenſis *hominis alioqui eruditi, hoc in loco ſententia.* Vide num qua ſit hîc inſectatio, num quid ſimile tuis, refutamus animoſe, ut *Chriſto* Deoque indigniſſimum. Quin ultro excuſo lapſum tuum, addens, *Verum hunc in errorem induxit* Valla, *qui putat* καταβραβεύειν *eſſe ad brabium evocare, ſive brabium oſtentare.* Et tamen ne ſic quidem admonitus putaſti locum hunc mutandum, etiamnum legitur in tua tranſlatione, *Nullus vos ad brabium vocet volens.* Adhuc mordicus tenes tuam coactiſſimam enarrationem, ab omnium Veterum interpretatione diſſentientem, tantum addis in examinatione: *Nemo vos brabio fruſtret, aut nemo vos ad brabium vocet. Sunt enim qui vocabulum* καταβραβεύετω *hic poſitum hoc potius ſignificare putant: juxta quorum intelligentiam interpretati ſumus.* Primum nihil intereſt, utrum *fruſtrare brabio* dicas, an *intervertere brabium?* Deinde tantum valet apud te *Laurentii* auctoritas, ut hunc unum, quam Theologos veteres omnes, & in his *Hieronymum*, ſequi malueris? præſertim cum *Valla* nullius auctoritate confirmet, quod dicit. Jam illud mihi vide te rogo, cum iſta tractares, cum publicam mundi lectionem

Digitized by Google

hem mutare velles, indignum tibi visum est dispicere, quid legeret *Ambrosius*, quid annotasset *Hieronymus*, harum rerum haudquaquam incuriosus, quid prodidissent Græci interpretes? An res tam seria, tibi tam levi brachio neglectimque videbatur agenda? Nec hæc dixerim, optime *Faber*, quo te criminer, sed ut in posterum reddam attentiorem. Quandoquidem & in Commentariis, quos in Psalmos edidisti, mallem paulo diligentius observasses, quid sensissent superiores interpretes, quorum maxima turba est. Rursus in Epistola ad *Ephesios* Capitulo IV. ubi pudendo lapsu, ex κυβεία κυκείαν nescio quam feceras, quoniam nullo modo poteras tergiversari, in translatione quidem pro *turbatione* reposuisti *nequitiam*, cæterum in expositione reliquisti *turbationem*, nec mutas ridiculam & coactam interpretationem. In examinatione vero pristinam annotationem sustulisti, nec tamen exponis, quid sibi velit κυβεία, perinde quasi *nequitia*, Græcam vocem exprimat. Si nihil hîc erat annotandum, cur annotaras in priore Editione? Si erat, cur hîc prætermittis? Si non placebat quod ego adduxeram, quin tu melius aliquid adferebas? Jam non postulo ut agnoscas monitorem, sed in docendo requiro ingenuitatem, etiamsi hîc magis eram tibi nominandus, quam illic ubi nihil ad te pertinent quæ scribo. Quid istuc, quæso, pudoris est, ne dicam supercilii? Usque adeo ne turpe putas παλινῳδεῖν; Ad hæc in Epistola ad *Philippenses* Capite II. ubi pro προαιρεύσομαι vertisti, *ex deliberatione positurus est animam*, cum ego citra tui nominis notam indicarim Græci participii vim, tu tamen perticinaciter adamas tuum illud *ex deliberatione positurus*. At primum quis unquam dixit *ex deliberatione* pro *consulto?* Deinde cum Græce sit προαιρεύσομαι participium indefinitum, quî possit esse *positurus?* Magis vertendum erat, *tradita* sive *periculo exposita vita*. Rursus quis hominum dixit *ponere*, pro *periculo exponere?* Nam quod *Christus* ait: *Ego animam meam pono: ponere* dixit pro *deponere*.

Sed quemadmodum in Annotationibus meis prudens plura dissimulavi, quo paucis annotatis te rederem cautiorem, plura indicaturus, si fors hoc à me litteris tuis flagitasses: ita non est animus hîc omnia persequi. Sed tamen erat tuæ fidei, cum rursus evulgares opus, eradere quædam, quæ docti nec sine risu, nec sine stomacho lecturi sunt. Quod genus est illud in Epistolæ ad *Ephesios* Capitulo VI. *Adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus*, ubi doces legi posse *in cœlestes*, id est, adversus cœlestes, cum Græce sit ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: quasi vero præpositio ἐν, ullo pacto Græcis sonare possit *adversus*, quemadmodum facit εἰς. Hæc, mi *Faber*, cum scribis, quid aliud, quam te ipsum pueris quoque deridendum propinas? Huic simile est, quod κατ' ὀφθαλμοδουλείαν, vertis *ad oculum servitio*, quasi non multo Latinius Interpres vertisset *ad oculum servientes*. Item quod in Epistolæ prioris ad *Corinthios* Capite VII. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου, & vertis & annotas, *decipit figura hujus mundi*, non attendens παράγει neutrum esse Verbum, quod vel ex aliis locis poteras colligere, præsertim cum toties legas in Euangelio, ὕπαγε ὀπίσω, *vade retro*. An non istud erat mutandum, præsertim cum id solus produxeris, omnibus retro Scriptoribus tuæ sententiæ refragantibus? Et tamen vides, quam nec hîc exagitem te in Annotationibus meis, cum optimo jure possim. Rursum ejusdem Epistolæ Cap. V. συναχθέντων, reclamantibus omnibus tum Græcis tum Latinis, atque ipsa etiam Græca Grammatica, vertis & annotas vertendum esse, *condolentibus vobis* pro *congregatis vobis*. Quid hoc lapsu fœdius, & tamen hoc loco vide quam honorifice quamque reverenter abs te dissentiam. Nihil hîc in homine tui studiosissimo desiderare potes, nisi quod tecum non sentit, & quod tui nominis mentionem facit, quando alioqui nec amantius, nec honorificentius fieri potuit. Et tamen ut fieret, res ipsa compellebat. Id ita esse facile perspiciet cordatus lector, qui tua cum meis attentius contulerit. Atque adeo, quoniam non est quibuslibet copia voluminum, mea subscribam: *Faber*, inquam, *Stapulensis amicus noster, hunc locum mutavit, volens* συναχθέντων *deduci a* συνάχθομαι, *cujus in hac quidem parte non subscribo judicio, etiamsi alias eruditissimo pariter ac diligentissimo viro lubens assentior*. Hactenus annotatio mea. Lapsus excusari non potest: ac ne tegi dissimularive possit, abs te ipso curatum est. Et quanquam in divinis Libris nullus error non magnus est, hujus voculæ mutatio præterquam quod inanem & frigidum sensum inducit, tollit id, quod graves probatique interpretes annotandum duxerunt, nempe *Paulum* cum esset Apostolus ab ipso *Christo* institutus, haud tamen sibi sumere, ut solus veluti suo nomine sententiam pronuntiet, sed eam à communi Ecclesiæ consensu vult proficisci: secus quam hodie faciunt Episcopi quidam, meram tyrannidem exercentes in suos, cunctaque gerentes, non ex publico consilio, sed ex animi libidine. Deinde monebat hic locus, propalam convincendum & emendandum, si quis id forte commeritus fuerit, non privatim aut clanculum: partim ut hujus unius exemplo cæteri deterreantur à peccando, partim ne quis oppressum aut injuste damnatum queat calumniari. Hanc tam salubrem admonitionem sustulit tuum *condolentibus*. Ergo cum operæ pretium esset indicare lapsum tuum, & id publica suaderet utilitas, quî fieri potuit amantius, aut honorificentius, aut sincerius quam à me factum est? I nunc & tuam istam benevolam disputationem, si libet, cum mea reprehensione componito, si modo hæc reprehensio dici debeat. Nihil hîc aceti, nihil puris, nihil stomachi, nihil ostentationis. Sic medeor errori, ut foveam amicum: cum tu amicum nec lapsum, nec contra te facientem, toties aceto perfundas in unica disputatiuncula. Neque vero tanta erat tua auctoritas, ut hanc meam civilitatem aliquis possit metum interpretari: aut tanta felicitas, ut præmii spe videri possim adulatus. Caritatis erat hic pudor, non assentationis aut timoris. Sed ut pergamus, in Epistola ad *Corinthios* II. Capite VI. quis oro te laturus est voces istas nihil omnino significantes, *secundorum & adversorum?* & tamen nec admonitus mutasti. Rursum ejusdem Epistolæ Capite X. Cum ridicule ex uno adverbio sive mavis præpositione ὑπερέκεινα, duas voces feceris, ὑπὲρ ἐκεῖνα (neque enim aliter dicitur ὑπερέκεινα quam ἐπέκεινα, quod ἐπὶ sæpe polleat idem quod ὑπὲρ) verterisque *quæ supra illa vestra sunt:* non mutas versionem, tantum in examinatione quod ante magis arridebat, *quæ ultra vestra sunt*, vertis in, *quæ ultra vos sunt*, & Græce loquendi regulam de ὑπὲρ, quoniam aliquis opinor admonuit, palam esse falsam, cum ὑπὲρ κεφαλῆς, Græci dicant pro ὑπερέχω τὴν κεφαλῆς, omisisti in proxima Editione. Quod omisisti laudo, quod unguibus ac dentibus alterum illud retines, cum plane ridiculum sit omnibus qui Græce sciunt, non laudo. Atque item in Epistolæ ad *Ephesios* Capitulo V. cum unus omnium & Græcorum & Latinorum, ex *luxuria* facis *insalubritatem*, nonne ex Apostolo Medicum facis? Ac ne id quidem admonitus mutandum putasti. At finge ἀσωτίαν dici à σῴζω, etiamsi juxta Etymologicos à σέσωται dicitur, non continuo significabit ἄσωτος *insalubrem*, sed *perditum:* & *perditi luxu* dicuntur etiam *Terentio*. Tu videris *luxuriosum* pro *libidinoso* sive *effœminato* accipere. Deinde versus ad jocos, certamen vocabuli relinquis Grammaticis, quasi cum hæc excutis, non sumas tibi partes Grammatici, & addis bellam facetiam, *Grammaticos diligentius exquirere vocabulorum origines, quam Philosophi caput Nili*, opinor ut eximas te à Grammaticorum numero, & in Philosophorum ordinem asseras. An Grammatici te in suum recipiant gregem nescio, & an Philosophi de *Nili* capite torqueant sese, tu videris: unum hoc scio magis ad rem pertinere,

Digitized by Google

tinere, an *Paulus* hîc intellexerit *luxum* frugalitati & ſobrietati contrarium, an *inſalubritatem* Medicorum curam, quàm unde *Nilus* caput ſuum proferat. Rurſum in Epiſtola ad *Titum*, ἐν κηρύγμαϊι ὃ ἐπιςεύθην ἐγὼ, quod tu vertis *cui creditus*, ſive *commiſſus ſum ego*: non ſolum monitus non corrigis tam pudendum errorem, verum etiam conduplicas in poſteriore Editione, teſtans te reliquiſſe veterem tranſlationem, & addens idem pollere, *quæ credita eſt mihi*, & *cui creditus ſum ego*. Hîc appello, mi *Faber*, conſcientiam tuam, cum iſta ſcriberes, non cogitabas quo riſu lecturi eſſent eruditi? An idem pollet Græcis, ὃ ἐπιςεύθην & ᾧ ἐπιςεύθην. Atqui ipſe legis, ὃ ἐπιςεύθην. Quanquam etiamſi quis legat ᾧ ἐπιςεύθην oſtenderam tamen eundem eſſe ſenſum, ſed Græcis duntaxat. Aut nihil refert Latinis, utrum dicas, *commiſſus eſt mihi Petrus*, an *commiſſus ſum Petro?* ſic enim doces. Quod tam inſignite lapſus eſſes, ego ſomnum obrepentem vocavi. Cæterum quod amice monitus iſta non corrigis, rogo quo tandem appellabo nomine? Jam eodem in loco carmen illud: *Gnoſius uſque loquax, mala beſtia, viſcera pigra.* Profecto demiror tibi tam obſtinate placere. Præterea in Epiſtola ad *Corinthios* priore, Capite XII. quid opus erat annotare ἢ ὃς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν ἐκκλησίᾳ, verti poſſe, *& ſuos quidem poſuit Deus in Eccleſia?* cum palam ſit ὃς illic uſurpatum pro τὺς, non pro ἐὺς, qui ſermonis typus cum plus decies ſit obvius in Novo Teſtamento, non debebat tibi videri novus.

Hujuſmodi permulta cum eſſent in tuis Commentariis, & quædam indicaſſem, erat tuæ vigilantiæ in poſteriore Editione cætera ex teipſo perpendere, & ridendi materiam adimere naſutis. Atque iſta qui indicat, & indicat amice, putas hoſtem, & tali dignum gratia, qualem mihi in tua diſputatione retuliſti. Atque utinam in totum ab iſta vertendi, annotandique provincia temperaſſes, quæ, ut dixi, non erat tui negotii. Majora poteras, hæc quantumvis humilis eſt, tamen utriuſque Linguæ peritiam poſcebat. Qua quidem in re quantum valeas, nihil attinet dicere, cum ſcripta tua palam teſtentur. Rurſum in Epiſtola ad *Philippenſes* Capite I. admones, οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας, οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης, potius vertendum fuiſſe, *qui*, quam *quidam*: nec animadvertis, eſſe articulum præpoſitivum diſtribuentem, non οἳ poſtpoſitivum accedente tono: ut ne dicam interim, nullum omnino ſenſum exſiſtere, ſi legas, *qui*. Jam illud tibi perpetuum eſt in examinationibus, quod quicquid Codex tuus Græcus habuit, *Paulo* incunctanter adſcribis. Quaſi vero non alicubi varient Græci Codices, aut nuſquam depravati ſint, cum in belliſſimo quodam Exemplari ſic compererim ſcriptum in Epiſtola ad *Corinthios* II. δεόμενοι ἡμῶν τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆ διακονίας τῆ εἰς τὺς ἁγίυς δέξαωδ ἡμᾶς· ἐν πολλοῖς τῆ ἀντιγεάφων ἕτως εὕρηται, καὶ ὰ καθὼς ἠλπίσαμεν. Videlicet compluribus verbis ex marginali ſpatio, in medium contextum tranſlatis ab illiterato ſcriba. Quod quo perſpicuum ſit & his qui Græce neſciunt, vertam, *Orantes, ut gratiam & communicationem miniſterii in ſanctos acciperemus nos; in multis Exemplaribus ſic invenitur, & non quemadmodum ſperavimus.* Palam eſt hæc verba, *in multis Exemplaribus ſic invenitur*, ab alio quopiam in margine fuiſſe annotata. Parum igitur tutum, ſtatim fidere Codici tuo, nec protinus erat pronuntiandum, niſi circumſpectis omnibus. Hæc, mi *Faber*, atque hujuſmodi innumera, ſi curaſſes proxima Editione corrigenda, conſuluiſſes honori tuo, atque interim meo quoque, vel quod amicorum communia ſint omnia, vel quod in ſimili negotio tam inſignis error tuus mihi quoque fidem abrogat apud imperitiores. Nunc adeo nihil horum tibi curæ fuit, ut videri poſſis non ob aliud iſtam Editionem acceleraſſe, niſi ut amicum inceſſeres. Sic enim omnino video quoſdam interpretaturos. Quidni enim huetorqueant reprehenſionem tuam tam verboſam & accuratam, qui laudes etiam meas, quibus me in calce diſputationis ornas, vel potius meum caput demulces, ſiniſtre interpretantur? En, inquiunt, tribuit vigilantiam, tribuit eloquentiam, Linguarum peritiam, ſedulitatem erga litterarum ſtudioſos, bonum virum nuſquam audet dicere, hoc eſt, induſtriam & ingenium modo prædicat, cum præcipua laudum pars ſit vita moreſque laudati. Poſtremo non Theologum me vocas, ſed Theologiæ profeſſionis adſertorem. Quid aliud eſt, inquiunt, Theologiæ profeſſionem aſſerere, quam arrogare ſibi ac vindicare? Atqui nihil eſt quod mihi minus aſſeram quàm Theologiæ profeſſionem, etiamſi pridem ita perpellentibus amicis quibuſdam, nomen dedi ordini Theologico. Ubi in ſcriptis jacto nomen Theologi? Quis unquam vel in familiaribus colloquiis audivit me, mihi hoc nomine placentem? At tuas laudes quam plena, ut ajunt, manu effundo? quam non parce? quam candide? Sed tu fortaſſe metuebas, ne præſtare cogereris quod mihi tribuiſſes, juxta vetus proverbium, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. Verùm hîc ipſe nihil queror, plus ſatis eſt quod largiris: tantum moleſtum eſt, iſtis datam eſſe anſam, ut hujuſmodi nobis obganniant. De laudibus meis non ſoleo gloriari, noſtram amicitiam in omnibus litteris, in omni confabulatione, jactare ſoleo. Hanc ut apparet gloriam aliquis mihi invidit, cujus oratio te ad amicam iſtam diſceptationem incitavit. En, inquiunt, fruere tuo *Fabro*, habes amicum, cujus ſinceritatem, cujus modeſtiam, cujus ſanctimoniam, nunquam ſatis prædicaſſe tibi videbaris. Tot tuas Annotationes unica notatione retaliavit, vere, ut ipſe inquit, abunde. Sed expoſtulationis & querimoniarum jam finis eſto. Quod factum eſt, his rationibus infectum fieri non poteſt. Supereſt ut utrique communi malo, quantum licet, medeamur. Si tibi dolet quod reſponderim: mihi magis dolet quod huc ſim coactus. Malebam hac operam vel falſis laudibus ornando amico impendere, quam veris rationibus refellendo: & me duntaxat purgavi, non ſum inſectatus tua: qua quidem in re, mi *Faber*, nolim te quid poſſim experiri. Si poſthac ſenſero te talem qualem ſemper tum habui, tum prædicavi, caſum hunc unum vel fatis, vel Eridi, vel *Aræ Homericæ*, vel alii cuilibet Deorum aut hominum imputabo: ſin pergis inceſſere amicum non amice, cogar & ipſe meam de te mutare ſententiam. Sed bona verba potius. Confido te facturum, quod & ipſe opto maxime: & magis ex re utriuſque: denique *Chriſto* longe gratius futurum eſt. In hanc partem habebis me per omnia facilem ac faventem, in altera qualis ſim futurus neſcio. Bene vale, *Faber* eruditiſſime, & ſi pateris, etiam amiciſſime. *Lovanio* 5. Auguſti, Anno 1517.

APOLOGIAE AD JAC. FABRUM FINIS.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QUONIAM *perpendebamus non omnibus ſuppetere, unde ſibi magna volumina redimant: aut ſi ſuppetit, incommodum eſt circumferre, ſtuduimus & hac parte conſulere ſtudioſis, adjectis locis ex utriuſque Libris decerptis, circa quos hac Apologia verſatur, videlicet annotatione* Eraſmi *in ſecundum Caput Epiſtolæ ad* Hebræos, *& Fabri ex eodem loco hujus annotationis inſectatione, ſi quis aut diligentior, aut parum credulus, cauſam omnem propius & exactius velit expendere. Bene vale, lector optime.*

Annotatio Deſiderii Eraſmi Roterodami in ſecundum Caput Epiſtolæ ad Hebræos, ex ipſius Opere decerpta, quam Jacobus Faber Stapulenſis *impugnat.*

MINUISTI *eum paulo minus ab Angelis.*] Admonet hoc loco *Jacobus Faber Stapulenſis*, apud Hebræos haberi: *minuiſti eum paulo minus à Deo.* Atque ita prorſus indicavit *Hieronymus* Pſalmo octavo pro *Angelis*, qui illis vocantur מלאכים haberi אלהים. *Thomas* refert hunc locum ad humanitatem *Chriſti*, qui minor Angelis factus ſit, non juxta animum, ſed juxta corpus adſumtum, per quod mortalis & doloribus obnoxius erat, cum Angeli nullis malis attingi poſſint. Cujus equidem ſententiam approbo, niſi quod prudenter accipiendum eſt, quod dixit *Chriſtum* ſecundum animam humanam non fuiſſe inferiorem Angelis. Nam ſi nullus doloris ſenſus ad ullam animæ partem pertinebat, non potuit eſſe acerbiſſimus in *Chriſto* dolor, quem ipſe tamen *Thomas* vult proximum fuiſſe cruciatibus damnatorum apud inferos. Ac *Faber* hoc loco diſſentiens à *Thoma*, multis argumentis contendit, *à Deo* legendum eſſe, non *ab Angelis*, quæ recenſere longius ſit, nec admodum neceſſarium cum liber exſtet, formulis ſemel atque iterum excuſus. Verùm ſive legas, *à Deo*, ſive *ab Angelis*, videtur idem manere ſcrupus. Etenim ſi de adſumto intelligas homine, quemadmodum neceſſe eſt, non paululum fuit imminutus à Deo, imo infra abjectiſſimos etiam homines, quemadmodum ipſe de ſe teſtatur in Pſalmis, *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Nulla enim proportio naturæ humanæ ad Divinitatem. Ne ab Angelis quidem paululum fuit diminutus, qui uſque ad famem ac ſitim, uſque ad flagra, ad crucem, uſque ad mortem denique deſcenderit. Proinde mihi videtur illud, *paulo minus*, quod Græce eſt βραχύ τι, non ad dignitatis imminutæ modum eſſe referendum, ſed ad temporis modum, quo verſatus eſt *Chriſtus* in terris, quaſi dicas, *ad breve tempus diminutus eſt ab Angelis:* quemadmodum interpretatur *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*. Neque vero refellit hujus partis ſenſum, id quod ſequitur, *Gloria & honore coronaſti eum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, & oves & boves*, &c. Siquidem prius illud pertinet ad *Jeſu* vitam actam in terris & paſſionem: hoc poſterius ad glorificationem, ad quam ut homo ſubvectus eſt. Neque vero prorſus hoc fefellit *Aquinatem*, qui indicat, *paulo minus*, bifariam accipi poſſe, vel ut pertineat ad quantitatem, ſic enim loquitur, vel ut pertineat ad durationem. *Stapulenſis* in jus trahit interpretem Epiſtolæ, qui quidem quiſnam fuerit incertum eſt, ut parum probabile ſit ipſam Epiſtolam à *Paulo* fuiſſe conſcriptam, ſane ſunt qui *Lucam* putent interpretem fuiſſe. Quam opinionem ſi recipimus, is interpres in jus vocari non poteſt, præſertim cum apud Hebræos hæc vox אלהים *heloim* πολύσημον habeatur, quippe quæ utrovis numero, ſingulari aut plurali *Deum*, aut *Deos* declaret, nonnunquam *Angelos*, aut homines etiam admiratione dignos, interdum Principes aut Judices, ut illic: *Principi populi tui non maledices.* Et Exodi Capite XXI. *Offerat eum dominus Diis & applicabitur ad oſtium.* Quo loco Hebræi *Diis* interpretantur Judicibus, & Chaldaica interpretatio ſic extulit, *Adducat eum magiſter ſuus ad judicem.* Quemadmodum annotavit & *Capnion* noſter in Rudimentis Hebraicis. Verùm hæc ad præſens inſtitutum proprie non attinent, niſi quatenus exigit lectionis ratio, proinde paucis indicaſſe ſat eſſe duximus: alioqui erant in hac Epiſtola diligentius excutienda permulta, quæ non niſi verboſa diſputatione poſſint explicari: unum illud addam, *Hieronymum* videri non admodum probaſſe, quod hæc proprie tribuantur *Chriſto*, cum ait, *Hunc locum Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos ſuper Chriſto interpretatur.* Et de auctore ejus adeo fuit dubitatum, ut ſero recepta ſit à Romana Eccleſia. Quandoquidem in hanc unam omnium nihil commentatus eſt *Ambroſius.* Et *Hieronymus* ait, à nonnullis non fuiſſe receptam ob id, quod in ea nonnulla citarentur quæ apud Hebræos non inveniantur.

ERASMI ANNOTATIONIS FINIS.

JACOBI FABRI
DISPUTATIO
ADVERSUS SUPERIOREM ANNOTATIONEM
DES. ERASMI ROTERODAMI,
EX EJUSDEM FABRI COMMENTARIIS IN SECUNDUM CAPUT EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.

VULGATA Editio: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.*] Sic habet interpres *Pauli*: verùm id ex Septuaginta deſumſit, & non interpretatus eſt quod dicebat *Paulus.* Nam certum eſt *Paulum* hanc Epiſtolam Hebraice ſcripſiſſe, & in forma verbum Hymnologiæ *Davidicæ* adduxiſſe, ubi Deus habetur: ut in expoſitione Pentapli Pſalterii, ſuper octavum Pſalmum, quantum Deus conceſſit, monſtravimus. Ergo quod dicitur *ab Angelis*, interpretis eſt, non *Pauli*: ſed *Pauli*, *à Deo.* Quare ſententiam *Pauli* ſervantes, *à Deo* diximus. Adde quod & pugnare videtur, quod omnia ſubjecerit ſub pedibus ejus, & quod nihil dimiſerit Deus non ei ſubjectum, & minor ſit Angelis: & tota *Pauli* ex interpretatione *ab Angelis*, ſubruitur ratiocinatio: non igitur recte videtur interpretatus. Dirigendus igitur hic interpres, etſi Editio Septuaginta Interpretum, cauſam ei erroris præbuerit excuſabilem. Interpres *Pauli* ἠλαττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, ubi potius vertendum fuerat ὑπὸ τ Θεόν.

Verùm hanc ſententiam noſtram hoc in loco non acceptat amicus noſter *Eraſmus*, neque beati *Hieronymi* ſexti verſus octavi Pſalmi (quem ſic interpretatur, *Minues eum paulo minus à Deo, gloria & decore coronabis eum*) approbat interpretationem. Sed Tralatio Septuaginta, quæ ſic habet, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, magis ei placet, & rectius hîc haberi *ab Angelis*, quam illic *à Deo.* Quanquam in Annotationibus illius Pſalmi plurimas rationes adduximus, quas credidimus poſſe

Digitized by Google

posse sufficientem ejus rei facere fidem, nihilominus nulla malevolentia, sed sola tutandæ veritatis gratia sententiam foventes, Dominum nostrum; ob cujus honorem hoc defensionis munus suscepimus, supplices orabimus, quo sic dicendis adspiret, ut noster sermo sine offensione currens, amico amicabiliter ac vere respondeat, & aperta veritatis luce omnibus prosit ad pietatis ædificationem. Scripta ejus in Annotationibus hujus loci interdum subjiciemus, quo facilius legentes & ejus mentem, & meæ assertionis, & *Hieronymiane* interpretationis, imo Propheticæ intelligentiæ defensionem intelligant. Quod si negotii arduitas nos cogat esse prolixiores, non satis annotationis habita ratione, boni consulant lectores, id necessitati tribuentes. Primum igitur dicit me admonuisse, apud Hebræos haberi, *minuisti eum paulo minus à Deo.* Id ego ingenue fateor. Deinde subdit: *Atque ita prorsus indicavit* Hieronymus, *Psalmo octavo, pro Angelis qui illis vocantur* Malachim *haberi* Eloim. Apertius *Hieronymus*, cujus verba sunt hæc: *In Hebræo pro eo quod est* ab Angelis, *qui dicuntur* Malachim, *Deum habet, hoc est* Elohim. Et id tribuimus amico, & sic habet veritas. Mox subnectit: Thomas *refert hunc locum ad humanitatem* Christi, *qui minor Angelis factus sit, non juxta corpus adsumtum, per quod mortalis & doloribus obnoxius erat. At* Faber *hoc loco dissentiens à* Thoma, *multis argumentis contendit* à Deo *legendum esse.* Neque id inficias eo, me contendisse multis argumentis, *à Deo* legendum esse, & probe, mea sententia. Et quid *Thomas* sentiret, neque me contemsisse, neque tunc consuluisse, sed quid sentire viderentur eloquia. Neque ego in placita *Thomæ* juravi, neque *Erasmus* ipse, ut qui toties eum coarguat, imo & in eo loco, quem hîc citat: quod ratione *Thomæ* videretur *Christus* animo impassibilis, nullisque doloribus obnoxius fuisse, quod nequaquam putat *Erasmus*, neque equidem puto. Nam illi adsertioni id adversatur, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, imo & id falsum arbitror, Angelos nullis malis attingi posse: quia juxta eloquium, *Et in Angelis suis reperit pravitatem*, & illi dant aut daturi sunt pœnas: ut & clamant in Matthæo, *Quid tibi & nobis Jesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos.* Et Petrus: *Angeli fortitudine & virtute cum sint majores, non portant adversum se exsecrabile judicium.* Sed & Angeli, æterna Dei visione beati, si adversi fuissent (poterant enim) & ipsi obnoxii pœnarum acerbitati fuissent, & majorum quidem quam sint mortalium animæ capaces: & hanc contra se durissimam tulissent sententiam, *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Hac igitur ratione passibilitatis, parum colligitur *Christum* minorem factum Angelis, & maxime, quo ad passiones corporis, de quibus ait *Thomam* duntaxat locutum, cum pœnæ corporis tantæ esse possint, quantæ eæ quæ sunt animæ: quare neque tantæ, quantarum Angeli sunt capaces. Quod igitur piaculum contraxissem si dissentissem à *Thoma*, nisi telis valentioribus uso? Quanquam & ipse non dissensi, ut quem nunquam hac in re legissem, sed in ejus sententiam non incidi. Neque *Thomam* arguo: nam ex suppositione commentabatur legendum esse, *minuisti eum paulo minus ab Angelis*, sicque putabat Hebraice haberi. Verùm illi qui Hebraice norunt, etsi alioqui *Thomæ* addicti, non solum ratione doctrinæ, sed & habitus & vitæ professione, ab eo hoc in loco dissentiunt, & *Hieronymo*, & deinde nobis accedunt: quod manifestissime is intelliget, cui curæ fuerit illam Psalterii nobilem octaplum legere, quam insignis vir multarum Linguarum, utpote Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicæ gnarus, *Augustinus Justinianus*, Episcopus *Nebiensis*, Ordinis Prædicatorii, hac nostra tempestate edidit.

Subsequenter adjicit *Erasmus: Verùm sive legas* à Deo, *sive* ab Angelis, *idem manet scrupus.* Sed quomodo? Si certe constet, & definitum sit legendum esse *à Deo*, nullus amplius relinquitur scrupus, nequaquam legendum esse *ab Angelis.* Nam si parum minutus est à Deo, Angeli autem multum (sicut scriptum est: *quis enim in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo in filiis Dei?*) recte fit, ut is qui parum minutus est à Deo, non minutus sit ab Angelis, neque quidem parum, neque multum, imo multo major, quandoquidem Angeli multo minores sunt Deo. Quod & de *Christo* veteres Hebræi super id Esaiæ: *Ecce intelliget servus meus. Exaltabitur & elevabitur & sublimis erit valde*, fatentur exponentes id de *Messiah*, id est, de *Christo* Domino, hoc pacto: *Ecce prosperabitur servus meus Messiah, exaltabitur plusquam Abraham, & elevabitur plusquam Moses, & sublimis erit valde plusquam Angeli superiores.* Dilucidum igitur est non idem esse, legatur *paulo minus à Deo*, aut *ab Angelis.* Sed attendamus qua ratione dicat eundem manere scrupum: *Videtur*, inquit, *idem manere scrupus. Etenim si de adsumto homine intelligas, quemadmodum necesse est, non paululum fuit imminutus à Deo: imo infra abjectissimos etiam homines, quemadmodum ipse de se testatur in Psalmis. Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Id primum quod dicitur: *etenim si de adsumto homine intelligas, quemadmodum necesse est*, refutamus: nam neque de adsumpto homine intelligimus, neque intelligi necesse est, sed intelligimus de *Christo* Domino, qui est Filius Dei, quemadmodum facer *Paulus* statim in principio dicit: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et de ejus imminutione alio loco ait: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens & habitu inventus ut homo*, quemadmodum & ipsemet Dominus ait apud *Joannem Nicodemo* hoc pacto de seipso loquens: *Nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.* Ergo cum dicitur, *quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus à Deo:* absurdum esset *filium hominis* aliter accipi, quam sacra continent eloquia, & relativum *eum* illic filium hominis bis referentem, non accipi pro hypostasi, sed pro natura una hypostaseos, pro homine, inquam, adsumto, quem beatissimus *Paulus* formam servi appellat. At quis unquam *Christum* & *Christi* nomen, pro natura una accepit, & si eorum quæ de ipso enuntiantur, quædam ei ratione unius naturæ competant, & quædam alterius ratione? ut id apud Joannem, *Ego & Pater unum sumus*, ratione divinæ. Id vero apud Marcum, *Oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus & summis Sacerdotibus & Scribis, & occidi, & post tres dies resurgere*, ratione humanæ. Si igitur in illo Psalmorum loco *filium hominis*, & id quod ipsum refert intelligeremus de homine adsumto, & non de hypostasi, contra consuetudinem divinarum Scripturarum & intelligentiam spiritus irrationabiliter faceremus, quod nequaquam est admittendum. Cæterum quod subnectitur, *non paululum fuit imminutus à Deo, imo infra abjectissimos etiam homines.* Non versatur quæstio, utrum *forma servi* in *Christo*, sive homo adsumtus, parum vel multum sit imminutus à Deo, sed an *filius hominis*, sive (quod est apud *Paulum*) *Christus Jesus*, qui *exinanivit semetipsum formam servi accipiens*, imminutus sit à Deo, & id etiam quippiam parum. At quid *filius hominis*, quid *Christus Jesus*, nisi Dei Filius, Deo coæqualis atque consubstantialis, *qui* (ut inquit Apostolus) *cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Quis igitur non dicet eum paululum imminutum fuisse à Deo ob formam servi acceptam, in qua humiliavit semetipsum, semper manens quod erat, vere Deus, semper exsistens, & insuper vere homo, quod non erat. Quomodo igitur stabit quod in contrarium adductum est, *non paululum imminutum fuisse à Deo, infra abjectissimos etiam homines?* Nequaquam sane id fieri potest. Verùm & hunc sermonem, *Christum* scilicet *non paululum imminutum fuisse à Deo, imo infra abjectissimos etiam homines*, animose refutabimus tanquam impium, & *Christo* Deoque indignissimum, tanquam Spiritui adversantem, & litteræ,

quæ occidit adhærentem. Cæterum id prorsus Prophetæ adversatur, quomodocunque ipsum interpretemur, sive hoc modo, *minuisti eum paulo minus a Deo*, sive isto, *minuisti eum paulo minus ab Angelis*, quem posteriorem interpretandi modum approbare videtur *Erasmus*. Nam ingenue colligitur, filius hominis imminutus est infra abjectissimos etiam homines, & abjectissimi homines imminuti sunt multum ab Angelis, igitur & filius hominis multo fortius imminutus est ab Angelis: si multum, non igitur parum (sunt enim hæc pugnantia) quod nihilominus juxta adversantis sententiam, intendit Propheta: nam juxta Septuaginta Editionem ait: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, quam etiam approbat interpretationem. Et si multum imminutus ab Angelis, tanto fortius multum à Deo. Subruetur igitur Propheta, quomodocunque sive *à Deo* sive *ab Angelis* interpretemur. Quare hic sermo seipsum elidit, & falsum esse omni ex parte manifestat.

Et non minus eadem ratione propriæ adsertioni adversatur id quod subnectit, hoc modo: *Nec ab Angelis quidem paululum fuit diminutus, qui usque ad famem ac sitim, usque ad flagra, ad crucem, usque ad mortem denique descenderit.* Si non ab Angelis paululum quidem fuit diminutus, quomodo approbatur in Propheta legendum esse, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis?* pugnant-ne paulo minus & non paulo minus, paululum & non paululum? Verùm id libens tribuerim, filium hominis, de quo loquitur Propheta, qui usque ad famem ac sitim, usque ad flagra, ad crucem, usque ad mortem: denique voluntarie pro omnium salute descendit, non paululum fuisse diminutum ab Angelis, quandoquidem ab Angelis nullo pacto diminutus fuit, sed ut Propheta ait, & cum Propheta verus hujus loci interpres *Hieronymus*, imminutus fuit, & id quidem parum, à Deo. *Sed id*, inquit, *de seipso testatur in Psalmis cum ait: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Nequaquam id vult quod hîc objicitur, quod nec etiam ipsi *Judæi* de puro homine Psalmum intelligentes, tribuerunt, qui id exponunt, *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*, æstimatione hominum dictum, ut totum Psalmum ubi derelictionem, dejectionem, & confusionem *Christi* sonare videtur, secundum æstimationem & judicium Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum intelligamus. Et cum *Christus* in cruce clamat, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, id æstimatione Scribarum & Pharisæorum dictum est, quemadmodum scriptum est: *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Ecce æstimatione eorum derelictus erat à Deo. Sed se revera non fuisse derelictum, aperit in eodem Psalmo dicens: *Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis, Nec avertit faciem suam a me, & cum clamarem ad eum exaudivit me.* Rursum, cum in eodem Psalmo ante dicebat: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberasti eos. Ad te clamaverunt & salvi facti sunt, in te speraverunt & non sunt confusi.* Si ex hoc intelligunt, eum se dicere confusum, id etiam judicio & æstimationi hominum tribuendum est. Quod ex *Esaia* cognoscitur, in ejus persona dicente, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Dominus Deus meus auxiliator meus, & ideo non sum confusus.* Quis igitur non videt id quod versus illos XXI. Psalmi continuo sequitur, *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*, æstimatione illorum perfidorum *Judæorum* dictum fuisse, de quibus continenter subjungit, *Omnes videntes me, locuti sunt labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, quoniam vult eum.* Et non omnino universaliter hoc intelligitur, sed universaliter de illis *Christo* Deoque odibilius *Judæis* tam perfidis Scribis quam Pharisæis eorumque compluribus qui aderant. Nam & virgo *Maria* aderat, dilectus discipulus, *Magdalena* & mulieres *Jesum* secutæ, quæ multa compassione & Deo & Angelis grata pietate flebant super eum: Virginis autem cor gladio passionis ejus confossum est, & anima ejus transverberata: manifestum est igitur rationem infidorum illorum, qui *Christi* crucifixores fuerunt, illa fuisse dicta. Et quomodo convenit, eum qui est primogenitus omnis creaturæ & supra omnem creaturam, dici vermem, & eum dici non hominem, de quo dicit Apostolus: *Unus enim Deus & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, qui sic homo est, quod omnium hominum maxime vere homo, & perfectione humana supra omnem hominem & insuper hominum veritas. Neque *Christus* sua sententia in Euangelio loquens, se dicit vermem & non hominem, sed inquit: *Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plusquam Jona hic. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.* Et apud Joannem, *Ego sum lux mundi.* Et procedens ad passionem, mulieribus flentibus super eum comparabat se ligno viridi, *Judæos* autem & filios eorum, ligno arido, dicens: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros:* & subdit, *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Et iterum apud Joannem, *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum.* Hîc ex sententia & in veritate se dicit hominem: æstimatio igitur erat humana, & cæcorum *Judæorum* quod dicitur *ego sum vermis & non homo*, qui eum non pluris æstimabant quam vermem, non pluris quam non hominem, cum esset plusquam *Jona*, plusquam *Salomon*, lux mundi, etiam Angelis superior, & homo cæteris etiam hominibus simul & verior & melior. At esto quispiam contendat hæc verba, *Ego sum vermis & non homo*; de Salvatore dici, & commiserationem erga Patrem prætendere. Hæc certe commiseratio erga Patrem potius pro genere humano efflagitaretur ab eo, quam pro seipso, qui hæc volens pro omnibus redimendis patiebatur. Oblatus est enim (ut ait Propheta) quia ipse voluit: & nomenclaturæ hæ, *vermis & non homo*, magis humano generi quam *Christo* competunt, nisi hæ sumantur juxta *Dionysium* Areopagitam secundum divinam quandam anagogen & transcendentem intelligentiam, in qua nihil infimum, nihil humile cogitari potest. Et quod nuncupatio *vermis* magis humanum genus deceat, dilucidum est: nam & terrenum est, & è limo terræ, de quo & vermes plasmatum, & rediens in terram depastio vermium. At *Christus* non terrenus. *Primus*, inquit eloquium, *Adam de terra terrenus, & secundus de cœlo cœlestis.* Sed nec rediit in terræ corruptionem & in vermium depastionem, sicut scriptum erat: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et quod *non homo*, magis etiam humano generi accommodabile sit, non ab re videtur: nam quid est homo, nisi in carne creatura ad imaginem & similitudinem Dei efformata. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* modo universi (saltem quos prævia benedictio non protexit) imaginem Dei & similitudinem in se corruperunt. Quare jam quodammodo non homines, comparati jumentis insipientibus; & illis jam facti similes, & ideo Deo dissimiles, ergo si *Christus* hæc ad commiserationem dicebat, potiore jure pro suo futuro corpore, quam pro seipso, qui corporis sui caput est, dicebat. Et quod nulla proportio sit humanæ naturæ ad Deum, id non efficit, quod inde dicatur *vermis*, aut *non homo*. Nam ea ratione & Cherubim & Seraphim vermes dicantur, cum ipsorum ad Deum nulla sit proportio, & licet id verum sit, quod humanæ naturæ ad Deum nulla sit proportio, filii tamen hominis, de quo hîc agitatur sermo, est proportio. Nam identitatis & æqualitatis. *Ego*: inquit, *& Pater unum sumus.* Et alibi Apostolus. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem homi-*

Digitized by Google

hominum factus, & habitu inventus ut homo. Sed nunc id videamus, utrum quod usque ad famem ac sitim, usque ad flagra, ad crucem, usque ad mortem denique descenderit, sic in se Dominus dejectus & diminutus fuerit. Et si tum propter hæc, tum propter alia improperia multa non negem *Christum* Dominum multum abjectum & diminutum *Judaorum* opinione, & adversarii sermone, cui (mea sententia) non pertinaciter hæret, non tamen ita res in se habebat. Verum ut ipse opera faciens, quæ omnes videntes convertebant in stuporem, non ideo erat major; sic nec omnia illa patiens, ideo erat minor, sed & forte dicendus major: *Oportet*, inquit, *exaltari filium hominis. Et si exaltatus fuero, omnia trahaam mecum.* Ecce suam passionem vocat exaltationem, non dejectionem, nec in malam notam, humiliationem. Sed cum hæc paterctur, nunquid minus erat Rex Angelorum ac hominum? quemadmodum *Pilato* dicenti, *ergo Rex es tu*, ipse respondere dignatus est, *tu dicis, quia Rex sum ego.* Verùm hæc omnia pro nobis miseris juxta oracula pati debebat, & videri admirandus super omnes, & videri abjectus & humiliatus, quemadmodum in *Esaia* scriptum est, *sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros adspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.* Si etiam Philosophos interrogemus, an vir fortis ut victoriam pariat, populique salutem, quod ad flagra, ad vulnera, ad ipsam denique mortem sciens volensque descendat, an, inquam, inferior abjectiorque habeatur? Dicent proculdubio, quod multo etiam superior, multoque honorabilior. Et an glorioli martyres in tormentis crudelissime excogitatis, pœnas acerbissimas fortissime tolerantes, ideo minores erant, & infra abjectissimos etiam homines? Imo majores & gloriosiores ipsis Regibus, purpura, ostro, auro, gemmisque fulgentibus, quorum jussu torquebantur. Quid igitur dicendum putabimus de glorioissimo, invictissimoque Rege nostro, qui sua fame, siti, flagris, cruce, ac denique morte, maximam omnium fecit victoriam, & potestates hominibus superiores devicit, captivavit, elisitque funditus, qui & omnes homines salvos fecit se sequi volentes? *Judæi* & infideles illa ei improperant, ut ejus abjectionem & improperium: nos autem qui misericordia ejus fideles sumus, nequaquam, sed exaltationem & gloriam ducimus, & vere quidem ducimus. *Nos autem*, inquit divinus *Paulus, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem atque sapientiam.*

At nunc sequentia videamus. Subdit itaque: *Proinde mihi videtur, illud* paulo minus, *quod Græce est βραχύ τι, non ad dignitatis imminutæ modum esse referendum, sed ad temporis modum, quo versatus est Christus in terris, quasi dicas, ad breve tempus diminutus est ab Angelis.* Sed quo pacto ad temporis modum, quo *Christus* versatus est in terris, & eo tempore, quo versatus est in terris, diminutus est ab Angelis? cum *Paulus* dicat: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Si omnes Angeli jubentur adorare eum in orbem terrarum introductum, non igitur eo tempore, quo versatus est in in terris, diminutus est ab Angelis: & nonne etiam Angeli ipsum in paupere tugurio exsistentem, & in præsepe supra pauxillum fœni jacentem, vocant Dominum? ut ait apud *Lucam* Angelus ad pastores: *Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus, & hoc vobis signum. Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Non erat ergo imminutus ab Angelis, quo tempore versatus est in terris, ut qui adoratur ab Angelis, & Dominus appellatur. Sed an vocabulum, quod *paulo minus* Latinus interpres vertit, apud Hebræos, & quemadmodum Propheta scripsit, notet tempus, inquirendum est. Illic veritas & Hebraica littera vocabulum habet *Meat*, quod nequaquam significare tempus solet, ut alibi apud eundem Prophetam Psalmo XXXVI. *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas:* ubi hîc dicitur *modicum*, Hebraice habetur *Meat*, quod opponitur ad multum, & id quod dicitur *divitias multas*, & perspicuum est non significare tempus. Et cum in Geneseos XXIV. dicitur: *Panxillum aquæ mihi absorbendum præbe de hydria.* Et XLIII. *Revertimini & emite nobis panxillum escarum.* Et eodem numero, *Deferte viro munera modicum mellis & modicum resinæ:* ubi his in locis dicitur *panxillum* & *modicum*, semper Hebraice habetur dictio *Meat*, nequaquam tempus significans. Manifestum igitur quod & in illo octavi Psalmi versiculo, quem juxta Editionem Septuaginta verterunt, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, eadem dictio *Meat* non significat tempus. Quare neque βραχύ τι, neque *paulo minus*, quæ dictionem illam *Meat*, illa apud Græcos, ista apud nos interpretantur, tempus indicabunt. Cæterum cum vocabula *multum*, *parum*, & similia, junguntur vocabulis auctionem diminutionemve designantibus, nequaquam significare solent tempus: hîc autem *paulo minus* jungitur vocabulo *minuisti*, quod imminutionem significat: secus autem esset si jungeretur particulæ designanti tempus. Sed & interpretes Hebræorum, nihil in expositione hujus versus de temporis conditione intelligunt, ut *David Kimchi* commentatus apud eos expositor, exponens id, *Minuisti eum paulo minus ab Elohim, ab Elohim*, inquit, *id est, ab Angelis, ob id quod hominis anima Angelica conditionis est. Nam corpus non est, perinde ac neque Angeli, & imminutio ipsis provenit, quia cum corpore est.* Ecce quomodo hæc imminutionis paucitas, Hebræorum etiam sententia, non tempus, sed dignitatis imminutæ modum respicit, & inter Hebræos ejus sententia qui circa Linguæ Hebraicæ & vocabulorum Hebraicorum proprietatem suo tempore probatur fuisse vigilantissimus. Verùm ipse carnaliter & passibiliter de simplici homine hunc locum intelligebat, quem si vivificasset gratia *Christi* & intelligentia spiritus, ut hunc octavi Psalmi sextum versiculum de Verbo & filio Dei imminuto ob carnis, id est, humanitatis adsumtionem intellexisset, non interpretatus fuisset hic *Elohim*, id est Malachim, sed potius ita in analogia dixisset: *Minuisti eum paulo minus ab Elohim*, id est, à Deo, ob id quod Verbum & Filius Dei divinæ est conditionis ejusdem quod cum Deo naturæ. Nam creatura non est, perinde ac neque Deus & imminutio ipsa provenit, quia cum humanitate est, atque in eadem hypostasi cum creatura. Et sic, qui non littera sed Spiritu ducuntur, exponunt fideles. At Septuaginta dicentes, ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, id volunt, & βραχύ τι, quod dicimus *paulo minus*, significare temporis modum parvumque tempus. Non crediderim, nam βραχύ τι apud Græcos & Linguæ quidem peritos Græcos, non temporis, sed potius dignitatis æstimationisque modum dicit. *Eustathius* enim id *Homericum* exponens Iliados Jota, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα, ait, εἰ δὲ καὶ περὶ τῶν τάλαντα τῶν Ἑλλήνων ἐστί, βραχύ τι ἐστί: *Si*, inquit, *de talento Græcorum est, exiguum quippiam est.* Ecce βραχύ τι quid exiguum æstimatione, valore, dignitate significans. Et equidem arbitror Septuaginta, si tempus indicare voluissent, potius dixisse ἐπ' ὀλίγον, quod apud Philosophos frequenter *paucum tempus* significat, aut μικρὸν, quod manifeste in sacris Litteris *parvum tempus* significare dignoscitur, ut id apud Joannem: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me*, ecce in hoc loco ubi dicitur μικρὸν, nos habemus *modicum*. Aut dixissent ἠλάττωσας ταχὺ, quod quidem vocabulum ταχὺ cognoscitur parvam moram designare: ut Psalmo XXXVI. *Sicut fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident:* quod hîc dicitur *velociter* & *cito*, Septuaginta dicunt ταχὺ, si autem dixissent, ἠλάττωσας αὐτὸν ταχὺ παρ' ἀγγέλους, sic verti potuisset, *Minuisti eum cito ab Angelis*, atque ita præbuissent temporis intelligentiam. Verùm nec sic dixerunt, nec temporis intelligentiam insinuare voluerunt, quam nec apud Hebræos inveniebant. Sed quid dicemus de *Chrysostomo*

Digitized by Google

& *Vulgario?* Id ſane, optimum & doctiſſimum *Chryſoſtomum* ſecutum fuiſſe *Athanaſium*, *Vulgarium* vero ſecutum utrumque, qui tres non niſi unus ſunt, & Septuaginta præbuiſſe erroris cauſam, cum dixerint *ab Angelis*, ubi *à Deo* erat dicendum. *Athanaſius*, & deinde *Chryſoſtomus* & *Vulgarius*, crediderunt, ſic, id eſt *ab Angelis*, ex Hebræo haberi, & accommodarunt, utcunque potuerunt, litteræ Septuaginta Interpretum, intelligentiam. Et cum illam imminutionem ab Angelis ut dignitatis modum dicit accommodare *Chriſto* non poſſent, preſſi difficultate intelligentiæ, ad id ut dictio βραχύτι breve tempus ſignificaret, confugerunt, ut *Chriſtus*, diminutus ab Angelis brevi tempore, ut quo mortalem degeret vitam diceretur. Quod neque oportebat, neque verum eſt, ut jam quoque ſupra oſtenſum eſt ſufficienter, & aperte inſuper Euangelia & Prophetæ declarant. Nam *Chriſtus* verſatus in terris nunquam dixit ullum ſe majorem niſi Patrem (*vado*, inquit, *ad Patrem*, *quia Pater major me eſt*) ut vel ſic intelligamus eum duntaxat imminutum & parum quidem *a Deo*, non autem *ab Angelis*. Et *Joannes* præcurſor Domini de *Chriſto* cum in terris verſaretur dicebat, *Qui de ſurſum venit*, *ſuper omnes eſt*, *qui de terra eſt*, *de terra loquitur*. Si ſuper omnes, certe ſuper Angelos, & nequaquam imminutus ab Angelis. Et *Eſaias*, *Parvulus enim*, inquit, *natus eſt nobis*, *& filius datus eſt nobis*, *& factus eſt principatus ſuper humerum ejus*, *& vocabitur nomen ejus admirabilis*, *conſiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri ſeculi*, *princeps pacis*. Et iterum: *Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emanuel*, quod interpretatur Matthæus, *nobiſcum Deus*. Ecce igitur nomina *Chriſti* vel in cunis vagientis, ex primo oraculo, *conſiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri ſeculi*, *princeps pacis*, & ex ſecundo, *filius virginis*, & *nobiſcum Deus*: non eſt igitur nomen ejus in terris id, *minor Angelis*, ſive *minutus ab Angelis*, ſed *Deus nobiſcum*, & Angelorum Deus ac Dominus, cui ſit honor & gloria.

Quod autem inſuper adjicitur, *Neque vero refellit hujus partis ſenſum*, *id quod ſequitur*, gloria & honore coronaſti eum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, *ſiquidem illud pertinet ad Jeſu vitam actam in terrris & paſſionem*, *hoc poſterius ad glorificationem*, *ad quam ut homo ſubvectus eſt*. Et ſi ſecunda particula illi intelligentiæ etiam non adverſaretur, veritas tamen (ut jam abunde monſtratum eſt) illius particulæ eam intelligentiam, quam nihilominus prætendit defendere, id eſt *Chriſtum* in hoc mundo minoratum fuiſſe ab Angelis, prorſus eliminat penituſque refellit. Et ſi quis diligenter perpendere velit, autumo & ſequentem & præcedentem particulam illi intelligentiæ, qua diceretur *filius hominis imminutus ab Angelis*, adverſari: præcedentem quidem, qua dicitur: *quid eſt homo quod memor es ejus*, *aut filius hominis quoniam viſitas eum:* nam cæterorum hominum non eſt niſi quædam Dei memoria, &, ut ſic dicam, abſentia quædam, quod id inſinuat, *quid eſt homo quod memor es ejus*: ſiquidem memoria abſentium eſt: filii autem hominis, id eſt, *Chriſti*, jam viſitatio & præſentia unionis eſt, & tantæ quidem unionis, ut ea ſit hypoſtatica, & qua nulla major eſſe poteſt, quod & id inſinuat, *aut filius hominis quoniam viſitas eum*. Et hujuſmodi Dei viſitatio, præſentia, unio non hominem minuit, ſed ſic etiam elevat ſuper omnia, ut paulo minus minutus ſit à Deo. Et minui paulo minus à Deo, eſt ſuper omnia alia exaltari, & omnia alia illi ſubjecta eſſe. *In eo enim*, ait Apoſtolus, *quod omnia ei ſubjecit*, *nihil dimiſit non ſubjectum ei*, *præter eum qui ſubjecit ei omnia*. Et de illa viſitatione, unione, & à Divinitate apprehenſione, circa finem hujus Capitis ſubdit Apoſtolus: *Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Quod quidem *Abrahæ ſemen*, alio loco interpretatur, *qui eſt Chriſtus:* ſed nec ullum alium hominum apprehendit: proinde dicit *Paulus* ad Galatas: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, *& ſemini ejus; non dicit & ſeminibus*, *ſed quaſi in uno*, *& ſemini tuo qui eſt Chriſtus*. Et cum Deus Angelos nuſquam apprehenderit, neque ea ſit ad eos divinæ viſitationis appropinquatio, qua major eſſe non poteſt, intelligitur jam quædam Dei ab Angelis diſtantia, hominis autem, qui *Chriſtus* eſt, nulla, cum eam ad Deum habeat approximationem & unionem, qua creaturæ ad Deum & cum Deo nulla poteſt eſſe major: præcedens igitur particula manifeſte declarat iis qui Spiritus intelligentiam ſequi poſſunt, non eſſe conſequenter legendum: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, ſed legendum *à Deo*. Sed etiamſi in hoc mundo gloria & honore coronatus eſt, & omnia ei ſubjecta fuerunt, nonne ſecunda particula illius octavi verſus etiam primæ particulæ refellit intelligentiam, qua interpretatur: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*? Sed nonne is, qui à Deo in hoc mundo Rex gentium, heres & poſſeſſor terminorum terræ conſtituitur, gloria & honore coronatur? cum autem *Chriſtus* in hoc mundo talis fuerit (*Ego*, inquit, *conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus*, *prædicans præceptum ejus*) certe in hoc mundo gloria & honore præ omnibus etiam Regibus terræ à Deo coronatus eſt. Cui enim Regum terræ aliquando dixit Deus, *poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, *& poſſeſſionem tuam terminos terræ*? Quod ſi tunc mortalium oculorum infirmitas cognoſci non permittebat, cognoſcebant tamen Angeli & Prophetæ & ſancti Dei. *Exſulta ſatis*, inquit *Zacharias*, *filia Sion*, *jubila filia Hieruſalem*, *ecce Rex tuus veniet tibi*, *juſtus & ſalvator*. Et *Johannes*, *& vidimus gloriam ejus*, *gloriam quaſi unigeniti à Patre*. Qui pauper adſpectui hominum apparebat, ſed dives ſuper omnes adſpectibus Angelorum ac ſanctorum. Quæ ut vidit *Petrus*, in ſua gloria, aut potius gloriæ ſuæ adumbratione transfiguratum facie tanquam Sole fulgida, & veſtimentis candidioribus nive, præ admiratione gloriæ in ἐκστάσει factus, dixit, *Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis faciamus hîc tria tabernacula*, *tibi unum*, *Moyſi unum*, *& Heliæ unum*. Et cum *Chriſtus* in terris clamaret, *Pater clarifica nomen tuum*, *venit vox de cœlo dicens*, *& clarificavi*, *& iterum clarificabo*: quæ univerſa gloriam & honorem ejus in terra ſignificant, exſuperantem etiam omnem gloriam, & omnem honorem omnium Regum terræ. Et cum fuerit Rex à Deo conſtitutus in tanto honore, clarificatione, & gloria, quidni intelligamus conſtitutum fuiſſe ſuper opera manuum ejus, & omnia fuiſſe ei in terra ſubjecta? Quod ſatis innuit divinus *Chriſti* præco apud *Joannem* dicens, *Pater diligit Filium*, *& omnia dedit in manu ejus*. Et *Paulus* in hac Epiſtola, *non enim*, inquit, *Angelis ſubjicit Deus orbem terræ futurum*, *de quo loquimur*; ſed vult orbem terræ futurum ei ſubjectum eſſe, de quo ſcriptum eſt, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, &c. & is proculdubio eſt *Chriſtus*. Et orbis terræ futurus, intelligitur orbis, à *Chriſti* Domini adventu, ut ait *Eſaias*, & *vocabitur princeps pacis*, *pater futuri ſeculi*. Et non ſolum orbis terræ ſubjectus fuit *Chriſto*, ſed & omnia illi fuiſſe ſubjecta ipſe mirificis in terra operibus declaravit, cæcos à nativitate illuminando, ſurdis auditum reparando, claudis greſſum, mortuos ſuſcitando, & imperioſa voce *Lazarum* ab inferis revocando, naturas rerum tranſmutando, ut aquam in vinum, quatuor millia hominum præter parvulos & mulieres ex panibus ſeptem & paucis piſciculis ſaturando, Dæmonia ſubjiciendo, mari & ventis imperando, & in omnia ſe habere poteſtatem manifeſtando. Et hæc quidem omnia, dum verſatur in terra. Quis Angelorum cæcos natos illuminavit, quis illuminare poteſt, mortuos ſuſcitare, creaturas tranſmutare, imperare inferis propria auctoritate, legem dare mari, ventis, & procellis? Quis ſeptem panibus & duobus piſciculis tantam hominum multitudinem ſaturare? Nullus certe, neque hominum neque Angelorum, ſed ſolus *Chriſtus*, qui hæc omnia in terris potuit & fecit, ut vel ſic intelligatur pro eo tempore, quo verſabatur in terris, non fuiſſe imminutus ab Angelis, ſed Angelis ſuperior, cui à Patre omnia tradita ſunt, eique ſubjecta omnia: pugnat igitur poſterior illa ſexti verſus octavi Pſalmi particula illi prioris intelligentiæ, qua diceretur, *Minuiſti eum paulo*

Digitized by Google

lo minus ab Angelis. Legendum igitur & vere legendum *à Deo.*

Quod subjungit, *Neque vero hoc fefellit Aquinatem, qui indicat* paulo minus *bifariam accipi posse, vel ut pertineat ad quantitatem (sic enim loquitur) vel ut pertineat ad durationem. Thomas* (mea quidem sententia) eo magis venia dignus, quo magnos sequebatur Auctores, *Athanasium* dico atque *Chrysostomum*, ex quorum lectione hanc sibi effinxit duplicem vocabuli acceptionem, quamvis eam nulla ratione fulserit. Effinxit autem, similiter & alii, ut hujus loci, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, quem sic omnino haberi apud Prophetam putabant, ingentem & pene inextricabilem effugerent expositionis difficultatem. Verùm (ut jam dilucide ostensum est) non modo non effugerunt, sed nova se difficultate implicuerunt. Et quid aliud potuisset *Thomas*, alioqui vir bono ingenio, qui ea temporum infelicitate natus est, in quibus bonæ litteræ omnes & Latinæ & Græcæ & Hebraicæ tanquam sepultæ & emortuæ, ignotæ jacebant: in tanta tamen temporum caligine, pleraque non aliis sui temporis deterius, imo melius & vero vicinius vidit. Si verò *Athanasius*, *Chrysostomus* & *Thomas* intellexissent Prophetam in propria Hebraicaque Lingua habuisse, *Minuisti eum paulo minus à Deo:* non ita maligno erant ingenio, quin toto animo amplexati fuissent, Deo ex corde de tam magnifica Deoque digna intelligentia gratias exsolventes, ut & suscipiunt alacriter omnes qui intelligentiæ spiritus sunt amatores, qui & *Christo* Deoque pro tam magnifica dignaque Prophetæ intelligentia gratias ex corde similiter agunt. Adjicit præterea: *Sunt qui* Lucam *putent interpretem fuisse. Quam opinionem si recipimus, is interpres in jus vocari non potest.* Non sane recipimus, *Lucam* fuisse hujus Epistolæ interpretem, cum omnes hanc sentiant incerto auctore fuisse translatam, tum quia *Lucas* spiritualis erat, quem minime latebat sensus Spiritus, cui ut Spiritum Dei habenti & Euangelium commissum est exscribendum. Cæterum non oportet hîc auctoritatem scribentis, quicunque is fuerit, sed veritatem facere victoriam. Sed dicit, *interpres in jus vocari non potest, præsertim cum apud Hebræos hac vox* Elohim *habeatur, quippe quæ utrovis numero, singulari aut plurali, Deum aut Deos declaret.* Non eo inficias apud Hebræos vocabulum *Elohim* homonymum esse, quod πολύσημον ἢ πολλαχῶς λεγόμενον jure dici potest, sed & vocabulum habemus homonymum atque polysemum ei respondens, *Deus* & *Dei*, loco cujus qui bene vertunt, si simpliciter, & sine pluralitatis notâ, dicatur, semper ponunt *Deum*, aliquo casu singulari: cum verò sumitur cum pluralitatis nota, ut *col Elohim*, semper efferunt plurative, ut *omnes Dii*, aut *omnes Deos*, quemadmodum in Psalmo xcv. *Quoniam omnes Dii gentium Dæmonia.* Et Psalmo xciv. *Quoniam Deus magnus Dominus super omnes Deos.* Cum igitur sine nota pluralitatis inveniatur à Propheta *David* positum in Psalmis bis centies septuagies quinquies, & bis centies septuagies quater interpretatum inveniatur singulari numero *Deus*, qua fronte igitur in octavo Psalmo *Elohim* sine pluralitatis nota repertum non vertit singulari numero, *Deus*, ac dixit *a Deo*? Quomodo is interpres in jus vocari non potest? Cur toties alibi in Psalmis ubique *Deus*, nusquam autem *Dii* aut *Angeli*, hîc vero *ab Angelis*? Certe *à Deo* dicere debuerat, nisi merito vellet in jus vocari. Et quod Translatio Chaldaica (quæ verius Paraphrasis quam Translatio dici posse videtur) habeat *ab Angelis*, nihil obest, neque id sufficienti argumento est, cum pleraque alia aut errore Paraphrastæ, aut posteriorum depravatione, à fideli rejicienda, perversa aut vitiata contineat, & cum jam lucida veritate perspectum sit legendum esse *à Deo*, non *ab Angelis.*

Dicit insuper: *Unum illud addam*, Hieronymum *videri non admodum probasse, quod hæc proprie tribuantur Christo, cum ait: Hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos super Christo interpretatur.* Imo equidem oppositum crediderim, eo ipso scilicet, quod sacer Hieronymus dicit, *Hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos super Christo interpretatur*, ipsum sacrum Ecclesiæ doctorem admodum & omnino approbasse, quod hæc proprie *Christo* tribuantur. Nunquid enim credi consentaneum est, quia Apostolus hunc locum de *Christo* interpretatur, idcirco *Hieronymum* sensisse hunc locum non proprie *Christo* esse tribuendum? Id profecto credere, amentia esset. Et si id non sentiret *Hieronymus* propter Apostolum, sentiret tamen hunc Psalmum proprie de *Christo* esse ex ipsius *Christi* testimonio, ex hoc Psalmo prophetiam super se citantis. Cum enim pueri Hebræorum clamarent in Templo ac dicerent in Laudem Salvatoris, *Osianna filio David*, & principes Sacerdotum & Scribæ indignati dicerent ei, *Audis quid isti dicunt, Jesus dixit eis: Utique, nunquam legisti, quia ex ore infantium & lactentium perfeciti laudem?* qui est tertius hujus octavi Psalmi versus: is autem, de quo agitur, ejusdem est sextus.

Et calci Annotationis suæ adjungit, *Et de auctore ejus adeo fuit dubitatum, ut sero recepta sit à Romana Ecclesia: quandoquidem in hanc unam omnium, nihil commentatus est* Ambrosius. *Et* Hieronymus *ait, à nonnullis non fuisse receptam, ob id quod in ea nonnulla vitarentur, quæ apud Hebræos non inveniantur.* Id, inquam, calci adjectum, ad id, de quo agitur, momenti nihil habet: nam id in quæstione non versatur, quisnam fuerit Epistolæ auctor, sed an prima particula texti versus octavi Psalmi probe fideliterque reddita sit ab interprete sic efferente: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, an potius vertere debuerit: *Minuisti eum paulo minus a Deo*, quem sane posteriorem modum debuisse, si fidelis esse voluit interpres, jam satis superque monstratum est. Et quanquam ita est, non tamen satis constat id verum esse, sic de hac Epistola dubitatum fuisse, ut sero recepta sit à Romana Ecclesia: nam ea Latina tralatio, qua utitur Ecclesia, *Hieronymi* præcessit tempora, & *Hieronymus* adversus *Jovinianum* de *Enoch*, citat in hac Epistola Apostolum dicens: *de quo* Paulus *Apostolus in Epistola ad Hebræos plenissime docet:* quæ si non fuisset recepta, non utique adversus hæreticum revincendum, ipsius uteretur testimonio: *Sero*, inquit, *recepta est à Romana Ecclesia, quandoquidem in hanc unam omnium nihil commentatus est* Ambrosius. Id certe nullo argumento esse potest, ipsam Epistolam sero fuisse à Romana Ecclesia receptam, sive commentatus fuerit *Ambrosius*, quod nescitur, sive non commentatus. Qua enim argumentationis lege efficitur, *Ambrosius* nihil est in hanc Epistolam commentatus, ergo non est recepta, aut sero recepta à Romana Ecclesia: sane eodem jure dicam Epistolam *Jacobi*, duas *Petri*, & reliquas sero fuisse à Romana Ecclesia receptas, quandoquidem nihil in eas *Ambrosius* est commentatus: quam rem si hac ratione pertinaciter defendere voluero, explodar, irridebor, tota dignus videbor *Anticyra.* Verùm etiam certò cognoscitur argumento, ante *Ambrosium* receptam ab Ecclesia fuisse: quoniam *Ambrosius* in suis scriptis ejus utitur testimonio, ut in Epistola LXXXII. quæ est ad *Vercellensem* Ecclesiam, circa medium, inquit: *Unde nos Apostolus* Paulus, *eorum vult esse imitatores, qui per fidem & patientiam possederunt repromissiones Abrahæ:* & ad *Clementianum* circa principium de Apostolo loquens: *Et licet*, ait, *ad Hebræos ipse dixerit, quia testamentum non valet, nisi mors intercedat testatoris.* Hoc Epistolæ ad Hebræos Capite IX. illud Capite VI. & innumera Epistolæ ad Hebræos, tunc in Ecclesia receptæ ac approbatæ reperiantur testimonia, tum in *Ambrosii*, tum in *Hieronymi* opusculis. Et etiam in primitiva Ecclesia, ut in *Dionysii* divinis nominibus, si desiderantur antiquiora. Et si fuerunt aliqui qui hanc refutantes Epistolam diffiterentur esse *Pauli*, nequaquam ii fuerunt *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, quandoquidem hujus Epistolæ utuntur auctoritate, non *Athanasius*, non *Chrysostomus*, qui in eam commentati sunt, non ulli fideles, sed illi fuerunt *Ebionitæ*, *Marcionitæ*, & id genus pessimorum hæreticorum, quorum nonnulli negabant *Christum* fuisse Deum, alii verò negabant fuisse hominem: quorum omnium

ex

ex hac Epistola manifeste convincebatur insania, qui & falso calumniabantur, non autem *Hieronymus*, qui illorum verba recitat, quod nonnulla in ea citarentur, quæ apud Hebræos non inveniantur. Nam (si non injuria interpretis id factum sit) nihil prorsus autumo in ea citatum, quod apud Hebræos inveniri non possit, & omnium fide probari, ut nullus posthac diffidat hanc sanctam & divinam Epistolam, etsi solum per interpretem eam habeamus, ex *Paulo* fuisse, & eminentissimam vitæ atque spiritus continere intelligentiam, omni populo fideli & toti mundo vel maxime necessariam, quam & sacrosanctæ Synodi & canones Ecclesiastici approbavere.

Et hîc nostræ disceptationis cum viro quidem peramico, benevole susceptæ finem facimus. Quam eo libentius suscepi, quo materia ipsa discussione visa est A dignissima, & ad eum virum, qui mihi carissimus est, & quod auget dilectionis affectum, qui doctissimus est, vigilantissimus, eloquentissimus, & clarus Theologicæ professionis assertor, plurium linguarum probe gnarus, ac de re litteraria universa quam optime meritus. Qui puto, boni consulet, quod ad plenius agnoscendam veritatem, & eam quidem veritatem, in qua errare periculosum, & probe nosse pulcherrimum est, nostra hactenus cura insudarit, præsertim cum ipse nobis stimulum respondendi addiderit, quem etiam oratum velim, ut pro fœcundiore ingenio & dicendi gratia ad nostra adjiciat, si illi non satisfeciisse videbor, quamvis & rear hac in parte feciisse satis, vel abunde. Idque præstante Domino nostro *Jesu Christo*, veri, luciisque infusore, qui magnus est super omnia Deus. Cui sit honor & gloria in secula. Amen.

JACOBI FABRI STAPVL. DISPVTATIONIS IN ANNOTAT. DES. ERASMI ROTERODAMI FINIS.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA

Rejiciens quorundam suspiciones ac rumores, natos ex dialogo figurato, qui
JACOBO LATOMO
Sacræ Theologiæ Licentiato inscribitur.

LIBER PRIMVS.

QVO minus mihi supereſt ætatis, amice lector, hoc parcius uti, & circumspectius collocare decreveram. Nunc huc transversum adigit necessitas, ut aliquam temporis partem depellendis quorundam obtrectationibus impertiam, in quibus mihi prorsus evenit, quod in *Lerneo* malo *Herculi*, pro una reciſa, protinus aliæ complures suppullulant. Edidit hisce diebus *Jacobus Latomus* Theologus Dialogum de tribus linguis, & ratione studii Theologici: in quo quoniam locis aliquot à me dissentit, sic interpretatur nimis prona mortalium suspicio, quasi libellum eum in me scripserit, figurate me petens, perinde quasi retiarius dicat, piscem peto, non te peto. Anceps animi, fateor, eram, utrum negligerem ejusmodi suspiciones hominum, ut temere nascentes ac sponte frequenter evanescentes: an horas aliquot huic negotio darem, præsertim cum palam sit hinc segetem ac materiam obtrectandi multis suppeditari, & studiorum vitiari sinceritatem. Mihi prius consilium magis arridebat. Hoc potius visum est amicis, quibus tamen hactenus obsequar, ut paucis & carptim respondeam locis, qui potissimum pariunt suspicionem. Neque vero personas fictas ad id subornabo, neque magna prætexam nomina, quemadmodum ille fecit: neque enim dignas arbitror hujusmodi nænias, quæ summatibus viris dedicentur, sed simplici sermone cum candido lectore confabulabor. Sceleratissimum impetendi genus est, sic velut ex insidiis hominem perstringere, ut vulnus sentiat, nec tamen detur defendendi sui facultas. A quo crimine cum oportuerit *Latomum* vel suis moribus, vel ipsa professione Theologiæ defensum esse, præsertim cum à me nulla data sit causa, cur veterem amicitiam mecum initam mutaret: tamen efficiam, ut idem ipsa re magis etiam fiat perspicuum.

1. Quis enim non illico videat, in me non quadrare quæ ipsa statim operis Præfatione assumit? videlicet esse qui tam impense quibusdam studiis faveant, ut alia recepta, atque longo usu probata damnent, idque non obscure, sed editis atque evulgatis Libris. Siquidem quemadmodum fateor adnixum me, ut Linguarum peritia, sermonis mundicies, ac veterum auctorum cognitio receptis accederet studiis: ita nunquam damnavi cujusquam studia sive recepta, sive non recepta: licet aliquoties admonuerim, quid in nonnullis vel corrigi, vel adB jungi cupiam: alioqui vel unum proferant, quem oratione mea à suis studiis, quibus addictus erat, avocarim: ego proferam, quos desciscere parantes animarim ut pergerent.

2. Jam vero multo minus in me competit quod sequitur, Scholasticas Exercitationes Universitatum reprobantes, Doctores Scholasticos ob styli humilitatem ac jejunitatem rejicientes. Quæso te, qui monet ut Diatribæ Scholasticæ sobriæ sint, & ad eruditionem ac bonos mores spectent potius, quam vel ad quæstum, vel ad inanem ostentationem, is-ne damnat Exercitamenta Scholastica? An rejicit Doctores Scholasticos, qui fatetur in eis esse permulta digna cognitu? An hoc est rejicere, alicubi ab illis dissentire, cum & ipsi dissentiant C inter sese: & ii qui neotericis impense favent, sibi permittant, ut non raro tum à recentioribus, tum à veteribus dissentiant? An hoc est rejicere, monere ut cum his veterum lectio misceatur? An illud expetunt, ut affectus & orationis politiem jubeam è *Scoto* & *Holcot* petere?

3. Quænam hæc est injuria bonorum virorum, aut quæ certa pernicies adolescentiæ quam adfert *Latomus?* Ubi vero sic aufero mala, ut lædam bona? aut ubi sic revello zizania, ut simul & triticum auferam? Nisi forte mendas, quas è Libris quibusdam tollere conatus sum, bona vocant ac triticum. Et tamen si cui id usu veniisset, ut dum lapsis studiis studet opitulari, calore quodam in diversam D partem nonnihil feratur, veluti si quis sic exitialia bella deteſtetur, ut propemodum ab omni bello deterreat, huic nec argumenta defutura sint, nec exempla magnorum virorum, quibus sese tueri posset.

4. Neminem vero tam suspicioſum arbitror, qui putet ad me pertinere, quod inibi de *Bartholo* & *Baldo* sequitur, quos ille, quo animo incertum, optimos Juris duces appellat, in quibus tamen utinam præter linguæ politiem nihil desideraretur.

5. Non inficias eo, me Theologiæ candidatos ad fontes divinorum Voluminum & veteres interpretes invitasse, quod cernerem permultos his neglectis, frigidis quæstiunculis insenescere, vel immori magis. Sed ubi prorsus eos avoco à *Thomis*, à *Scotis*, à *Bonaventuris*, ab *Alexandris?* An ab his prorsus avocat, qui veteres præfert, quos præfert auctoritas Ecclesiastica, quos præter summam eruditionem, & eloquentiæ dos, & vitæ sancti-

Digitized by Google

ſanctimonia, ſpirans adhuc in illorum libris, nobis commendat?

6 Proferant locum vel in ludicro quopiam argumento, ubi ſcripſerim, eam vitæ partem prorſus perire, quæ his Auctoribus impenditur. Qui hæc in me dicta interpretantur, nonne Scholas omnes, quibus induſtria mea qualicunque profui, non obfui, nonne juventutem, nonne Juriſconſultos ac Theologos omnes in me concitare moliuntur?

7 Fateor ingenue, in Methodo mea Fontes Lacunis, veteres recentibus prætuli. *Latomus*, aut certe is, quem ille loquentem facit, contra neotericos veteribus prælegendos autumat, hoc eſt, prius legendos: nam id ſentit, opinor. Verum hoc ex eorum genere eſt, in quibus *Paulus* vult ſuo quemque judicio frui, ſed id poſterius expendetur. Ego *Latomum* meliorem virum judico, quam ut voluerit hæc in amicum immerentem torquere: prudentiorem, quam ut ingenii ſui fœturam talibus primitiis voluerit auſpicari.

8 Atque hactenus quidem attigimus Præfationis locos, eos duntaxat, unde ſuſpicio quorundam nata videri poterat.

9 Jam ut reliqua quoque percurram, mea nihil refert, quid quiſque de Dialogi perſonis ſuſpicetur: neque enim ullam video cauſam, cur Linguarum ac Rhetorices ſtudioſus, *Petrus* dicatur potius quam *Marcolphus:* cur Scholaſticæ Theologiæ ſtudioſus, *Joannes* ſit potius quam *Bartolemæus:* & totius Theologiæ rudis, *Albertus* ſit potius quam *Annibal.* Neque meum eſt divinare quis ſit *Neſtor* ille facundus, qui primas habet in hoc Dialogo: cuique tantum tribuitur, ut quicquid ille pronuntiarit, pro oraculo recitetur. Nam quæ facit *Joannem* cum *Petro* diſſerentem, joco quam ſeriis videntur propiora.

10 Tametſi videtur parum meminiſſe decori, quod ut in Comœdiis, itidem & in Dialogis cum primis ſpectari ſolet, cum *Petrum* Rhetorices ſtudioſum non ſatis Latine loquentem facit: *Certum eſt poſthac unum hoc aliis omiſſis acturum:* pro eo quod erat, *certum eſt agere:* tametſi ne meri quidem Rhetores tam ſtupidi ſunt, quam ille *Petrum* facit: ut deſit quod ad hujuſmodi cavillationes reſpondeant.

11 Eludit enim quod ex Pontificum Decretis citetur, id quod proprie Decretum non ſit, ſed unius Pontificis ſententia, nimirum *Auguſtini*, quaſi non liceat è Vitis Cæſarum aut Pontificum citare, quod in unius cujuſpiam Cæſaris aut Pontificis Vita ſit proditum: aut non recte citetur ex Vita *Alexandri*, quod in ejus Libri Præfatione ſcriptum ſit, *aut in iis qua mortem* Alexandri *ſint conſequuta:* Totum hoc opus titulum habet, *Decreta Pontificum*, niſi malumus, ut quidam faciunt, *Decretum* vocare. Quid autem prohibet *Decretum* vocari, quod *Ambroſio*, quod *Auguſtino* aut *Hieronymo* viſum eſt, cum Philoſophorum ſententiæ *dogmata*, hoc eſt, *decreta*, vocentur?

12 Belle vero corrigit ſuam citationem *Petrus*, *Dicere volebam*, inquit, *hoc* Auguſtini *verbum canoni inſertum*, *& ut barbari loquuntur*, *canonizatum.* Quod ſi gravius eſt auctoritas *Auguſtini*, etiam horum judicio qui neotericis nihil non tribuunt, & is nec ſolus, nec uno in loco teſtatur, Linguarum peritiam non parum adferre momenti ad cognitionem & enarrationem Scripturæ divinæ, cur in hoc Dialogo tam exiguum habet pondus, cum ſeni, neſcio cui, tanta tribuatur auctoritas?

13 Jam ut verum ſit quod *Panormitanus* negat, opus hoc vel à Papa, vel à Synodo generali comprobatum, certe publico Scholarum ac totius orbis uſu receptum eſt: atque huic ab aliis Theologis tantum tribuitur, ut cum adornarem Editionem *Hieronymi*, ſerio monerent, ne quid rejicerem aut mutarem in hujus Libris, quod eſſet à *Gratiano* citatum. Neque vero Theologicæ gravitatis eſt, ut ubi pro nobis facit, ibi inoffenſe ſcripſerit *Auguſtinus:* ubi ſecus, cum judicio ſit legendus, ac leviter nos moveat illius ſententia.

14 Nam plane ludit cavillis *Joannes*, cum ait, *Juxta rationem Decreti*, *quod prodidit* Clemens V. *in Concilio* Viennenſi, *de trium Linguarum doctoribus parandis*, *conducendos ſalario publico*, Gothos, Wandalos, *aut extremos* Garamantas. Siquidem illic pro tempore conſulitur iis Gentibus, quæ tum & late regnabant, & *Chriſti* doctrinam neſciebant, & à noſtris litteris nimium abhorrebant, cum id temporis *Gothi* ac *Wandali* nobiſcum una *Chriſtum* profiterentur. Quod ſi *Wandali*, aut *Gothi*, aut *Dani* hac tempeſtate eſſent ab Euangelica doctrina alieni, fortaſſis non admodum ridiculum fuerit in hoc illorum linguam perdiſcere, quo ſermonis commercio poſſent ad *Chriſtum* pellici, ſi modo tam avidi ſimus propagandæ fidei Chriſtianæ, quam videri volumus. Sed eſto, nihil ibi cautum ſit de lingua Latina aut Græca: ſi Linguas barbaras expedit diſcere ad propagandam *Chriſti* doctrinam, multo magis expedit Hebraice, Græce, Latineque diſcere, ad intelligendum *Chriſti* doctrinam: quæ niſi intellecta propagari non poteſt. Quorſum autem attinebat illic cavere de Græca Lingua ac Latina, cum utraque ſatis eſſet propagata? nihil enim me movet quod admonet gloſſema, pro Græca eraſa, ſuppoſitam fuiſſe Linguam Arabicam. Nec adferam in medium, quod Hebræa Chaldaicaque Lingua, cum ſint inter ſe confines, cumque utraque prodita ſint veteris Inſtrumenti volumina, non ſolum hunc habent uſum, ut apud barbaras nationes prædicetur *Chriſtus*, verum etiam ut de Scripturis judicemus. Fortaſſis idem dici poteſt de Arabica. Poſtremo non habet hoc *Clementis* Decretum, ut noſtri Libri vertantur in illorum Linguas, verum hoc *Joannes* ſubornatus addidit de ſuo. Sed ut finiam, in hoc ſermone fortaſſis ad me quoque pertinet, quod de Linguis diſcendis adducit *Petrus*. Ad harum enim ſtudium non uno in loco ſum adhortatus veræ doctrinæ candidatos, nec adhuc hujus conſilii me pudet, aut pœnitet.

15 Porro cavillum, quod ſequitur de tribus Linguis in cruce *Chriſti* dedicatis, fieri poteſt ut aliquis in me contortum ſuſpicetur: propterea quod in Annotationibus meis ſcripſerim, has tres Linguas vel hoc nomine commendatas eſſe debere Chriſtianis omnibus, quod ſolæ omnium in cruce Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſint dedicatæ: de ſanguine nihil memini. Et ut ingenue dicam, puduit me joci, quem adfert illic de titulo qui fuerit ſupra crucem, qui non potuerit adſpergi ſanguine *Chriſti*. Quaſi quod affixum fuiſſet ad caput *Jeſu* in ſumma cruce, non potuerit attingi ſanguine crucifixi: neque enim eſt Græce *ſupra crucem*, ſed *ſuper crucem*, ἐπὶ σαυρῷ, quo modo & pili capitis dicuntur *in capite*, ſive *ſuper caput* eſſe.

16 Nam de lanceis militum, & omnibus Linguis in cruce conſecratis, quæ nugatur illic, ſophiſtam agens, nec referre libet, & piget refellere. Quod ſi ridiculum exiſtimamus dicere, tres Linguas in cruce Domini fuiſſe conſecratas, rideatur vir ille non ridendus, mea ſententia, qui hoc ante me dixit: rideatur Chriſtianorum quorundam pietas, qui titulum hunc tribus Linguis utcunque depictum, amore *Chriſti* crucifixi venerantur. Quod ſi lignum crucis conſecratum dicitur contactu ſacroſancti corporis, quid prohibet quo minus & hic titulus, pars crucis, conſecratus habeatur? Nec ideo quodvis lignum dicatum habetur, quod crux Domini noſtri fuerit lignea: nec eadem eſt ratio, de militum lanceis, quibus nunc homines innoxios jugulant, & Linguis quibus concredita ſunt divinæ Scripturæ myſteria. Hoc loco niſi me moveret pudor Chriſtianus, declararem quam non expediat hujuſmodi cavillis ineptire in eo libro, in quo fingitur veræ Theologiæ tyro. Sed miror interim ubi ſit ſenex ille modeſtus, qui non fert eos qui vel turpiter lapſum, ludos deliciaſque faciant. Tum quod hic nullam facit differentiam inter has tres Linguas & cæteras quaslibet, multum diſſentit ab *Hilario*, qui his potiſſimum putat ſacramentum voluntatis Dei, & beati regni exſpectationem prædicari. Atque hinc factum, ut *Pilatus* his tribus Lin-

Digitized by Google

guis Regem Judæorum Dominum *Jesum Christum* esse præscriberet.

17 Excusatius errant, qui quod sequitur suspicantur ad me pertinere nonnihil. Siquidem in libello *De ratione studii Theologici*, quoniam ad Linguarum studium invitarem Theologiæ candidatos, ne quis desperatione perculsus resiliret, addo paucis annis tantum Linguarum percipi posse, quantum ad judicandum satis sit, præsertim cum oratio divinorum Voluminum simplex sit ac facilis, quod ad sermonis negotium attinet: tum quod magna ex parte juvemur aliorum industria. Postremo duas Linguas, Græcam ac Latinam, citius percipi, si non desit præceptor idoneus, & animus discendi cupidus, quam solam Latinam. Hic cavillans cum septem annos contriverit in Lingua Latina, totidem annos assignat discendæ Græcæ, quasi vero parum actum esset, si adolescens ante decimum octavum annum ex utriusque Linguæ Scriptoribus, Latini Græcique sermonis peritiam hausisset, aut quasi non satis superesset ætatis ad Theologiam perdiscendum, cum divus *Augustinus*, & item *Ambrosius* tanto serius ad Theologiæ studium sese converterint: & *Augustino* certe tribuimus absolutam Theologiæ scientiam: ut omittam interim, quod nec omnes Theologiæ nati sunt, quidam ludis litterariis destinantur, quidam aliis disciplinis. Nec ab omnibus Theologis Linguas exigo, sed ab iis duntaxat, qui possunt assequi: cæteris permitto, ut aliena juventur industria, tantum ne obstrepant, neve invideant felicioribus. At interim nobis non venit in mentem, quod quædam compendia dispendia sunt: neque enim faber, qui parandis instrumentis horas aliquot impendit, serius absolvit opus, quam qui non satis apparatis illis, mox ad opus accingitur.

18 Nam quod ceu confessum assumit, discendis Linguis fieri ut res, de quibus dicturi sumus, ignoremus, ut donemus ex *Homero*, *Pindaro*, *Theocrito*, *Hesiodo*, *Euripide*, *Sophocle*, *Herodoto*, *Thucydide*, *Xenophonte*, *Demosthene*, *Plutarcho*, *Luciano*, nihil disci rerum quæ dignæ sint cognitu: quid si Græce discens, *Aristotelem* Græcum, & hujus Græcos interpretes legas, nihil-ne rerum disces? Atqui hunc magna invidia nostri, ut putant, doctissimum appellitant quidam, mirum cur non & sanctissimum vocent, quo magis eum commendent, quasi quisquam usquam sic insaniat, ut neget *Aristotelem* doctissimum fuisse Philosophum. Cum Euangelium legis, cum Epistolas Apostolorum legis, an nihil discis? Hæc si Græca legas, nonne simul cum sermone res disces? Idem sentiendum de *Chrysostomo*, de *Basilio*, deque cæteris Græcis interpretibus. Quid si Medicus *Hippocratem* & *Galenum* Græce legat, nihil-ne discet præter sermonem? Et sane fieri potest, ut sunt rerum humanarum vices, ut olim in publicis Scholis nemo profiteatur *Aristotelem* nisi Græce, nemo *Galenum* aut *Hippocratem* nisi Græce. Id si fiat, nihilo deterius agetur, opinor, cum earum disciplinarum studiosis, quas nunc sæpenumero profitentur, qui neque Græce sciunt, neque Latine: & hoc confidentius profitentur, quo minus dijudicant.

19 Sunt qui putant non carere stropha quod sequitur de *Cicerone* & *Theodoro Gaza*, qui vir tantus cum esset, tamen parum idoneus visus sit, qui de *Hieronymi* lingua pronuntiaret. Nam hujusmodi quippiam dicere videor in Vita *Hieronymi*. Quanquam *Albertus* ille, quisquis est, si tamen huc alluserit, non animadvertit me illic non loqui de sermonis elegantia, sed de facundia ac phrasi, de qua judicare sit difficillimum. Qui locum volet relegere, comperiet verum esse quod dico. Nec ob id solum rejicio *Gazam*, quod homo Græcus non posset exacte pronuntiare de phrasi Linguæ peregrinæ, verum etiam multo magis, quod Græcus natus iniquior esset Latinis, qui *Ciceronem* tam inimice sit insectatus, quod illi fuit cum tota Græcorum gente commune. An usquam exigo à futuro Theologo tantum Græcitatis, ut inter *Æschinem* ac *Demosthenem*, inter *Lysiam* & *Isocratem* dictionis arbitor sedeat? Neque enim continuo *Ciceronianus* est, quisquis Latine loquitur, sed qui phrasim *Ciceronis* refert. Hac ratione dissolvitur, quod adjicit de *Cicerone*, qui parum recte judicarit de Græcorum eloquentia: quanquam hoc nemo putat ad me pertinere, qui nihil usquam, quod sciam, scripserim ejusmodi.

20 Jam an Jurisconsultis, Medicis, ac Mathematicis opus sit Græcanica litteratura, nec meum est, nec hujus est loci disserere. Illud extra controversiam est, fœde lapsos esse, qui hactenus in harum disciplinarum professione versati sunt, idque potissimum ob Græcarum litterarum imperitiam. Ad hæc ut donemus fieri posse, ut medendi artem calleat, qui artis nomen, aut libri, quem profitetur, titulum non intelligat, quemadmodum vulgo ex *Therapeutica* faciunt *Therapenticam*, tamen indecorum est, & apud eruditos fidem abrogat professori. Nec ideo non fœdus est barbarismus quod assuevimus. Si rem spectes, æque ridiculum est pro *Therapeutica* sonare *Therapenticam*, ac si quis pro *mensa* sonet *mensam*, proque *candela candelam*.

21 Porro si qua barbara vocabula diplomatis aut decretalibus Pontificum Epistolis admixta sunt, ferenda sunt potius quam approbanda: nec horum tanta nobis debet esse ratio, ut protinus conducendus sit, qui barbare loqui doceat. Tametsi libro *Decretalium* primo tit. *De rescriptis*. c. *Ad audientiam*, cautum est, ut diplomata velut adulterata falsataque suspecta habeantur, in quibus manifestus solœcismus & constructionis vitium fuerit deprehensum. Et ante paucos annos *Romæ* ex ærario Pontificis eruditis aliquot salarium dari solitum est, qui è Pontificum litteris solœcismos tollerent. Quod si ideo dicenda est barbaries, quod in Pontificum rescriptis aut edictis voces aliquot reperiantur vulgatæ magis quam Latinæ, multo magis Græca Romanaque lingua discenda est, quod in his Latina ferme omnia, Græca permulta.

22 Atque ut insaniat, qui contendat protinus esse sanctum, quod Græcum sit aut Latinum, ita vehementius insaniat, qui quicquid barbarum sit aut solœcon, illico sanctum esse pronuntiet. Quis autem neget, legem bonam ac sanctam barbare scribi posse, cum Euangelia vulgo legantur Gallice ac Germanice? At non ideo bona lex est, quod barbara sit, & tamen parum decorum sit, si eruditus apud eruditos loquens solœcisses. *Augustinus* solœcismum excusat, sed apud imperitam plebeculam, quæ tum uteunque Latine loquebatur, nec passim tamen, sed quoties id quod parum Latine dicitur, aut dilucidius est, aut caret amphibologia. At non idem jus facit scribenti libros, aut apud eruditos loquenti. Imo divus *Hieronymus* de fidei rebus differens adversus *Rufinum* ac *Jovinianum*, exprobrat eis sermonis vitia, quo magis illis fidem abroget in rerum judicio, qui sint in sermone tam oscitantes atque incogitantes.

23 Neque mihi per omnia displicet *Joannis* consilium, desidiæ nostræ rem agentis, ut quicquid Græcitatis admixtum sit in Jure Civili, in libris Medicorum, in Theologia, id per conductum aliquem eradatur, ac Latinæ voces substituantur. Sed hic obstrepet scrupus, quem ipse paulo ante movit, de Bullis Pontificiis, in quibus fas non est quicquam immutare, atqui in his quoque complures Græcæ voces admixtæ sunt. Idem opinor dicendum de canone Missæ, sic enim vocant, in quo non paucæ dictiones Græce pronuntiantur, quas conductitius ille Græculus mutare non audebit: ut contemnamus *Kyrie eleeson*, & *Christe eleeson*. Quid si Græculo illi conductitio mundus nolit fidere, malitque suis oculis quam alienis cernere? Quid si Græce peritus rem ignoret? Ac fere fit, ut sermonis intellectus ex ipsa rerum cognitione pendeat. Neque enim Medicorum libros recte vertet, qui rei medicæ prorsus ignarus, tantum Græce Latineque sciat. Neque satis est simplex Linguarum peritia, ut recte vertas *Ptolemæum* aut *Euclidem*. Quid si quædam voces ignoret? Quid si quædam sint aneipites, ut unica reddi non possint? Quid

Digitized by Google

Quid si peculiarem habeant emphasim, quæ in aliam Linguam non queat transfundi? Quid si senes jam, totam ætatem assueti Græcis vocabulis, cum primis Medici, nolint novas voces edisсere? Quid si Latina vox obscurior sit quam Græca? quod accidit frequenter in iis vocabulis, quæ sunt arti cuipiam peculiaria. Postremo quid si Latinæ voces, quas conductus ille substituit, fuerint depravatæ, nec adsit ad manum Græculus ille consultor? Quid si voces sint hujusmodi, ut multorum seculorum consensu in jus Romanæ civitatis cooptatæ sint, ut *Philosophia*, *techna*, *Elephas*, *Rhinoceros*, *Platanus*, & hujus generis plus quam trecenta millia, quæ sæpenumero nec ad plenum intelliguntur, nec recte sonantur aut scribuntur, si prorsus Græce nescias? cujus rei non est cur longius petantur argumenta, cum hic ipse libellus abunde multa suppeditet, toties Scholasticos suo fraudans spiritu, ex *otiantibus* reddens *claudicantes*, & *tegnas* nobis pro *technis* ingerens, aliaque non pauca his similia. Nisi fortassis nihil ad rem arbitramur pertinere, quo modo quidque sonetur aut scribatur, cum aliquoties unius syllabæ scriptura totum sensum evertat.

24 Cæterum sermonem qui sequitur, in quo *Socraticis* isagogis conatur evincere, nihil esse necesse ad artis cognitionem scire Linguam, in qua primum prodita sit ars, quod cum calceis sit opus omnibus, nihil tamen necesse est ut omnes discant calceolariam, fateor, legi non sine voluptate. Verum ut nemo cogit quenquam esse pistorem, aut sutorem, aut fabrum, ita nemo depellit opifices hos è civitate: quemadmodum quidam conati sunt Linguarum professionem ex hac Academia depellere.

25 Nam quod subjicit de Mathematica, Metaphysica, Musica, non satis intelligo quid sibi velit, nisi forte sentit has artes omnibus esse necessarias, quemadmodum sutoriam aut pistoriam.

26 Atque ab his disciplinis rursum subito devolvitur ad Pictoriam, Fabricam, ac Bombardicam; ac sic ratiocinatur, quasi ad artis cognitionem pertineat, scire qua voce *Germanus* aut *Hispanus* artis repertor, artis suæ instrumenta solitus sit sua Lingua nominare: & tamen si ars Bombardica Græco sermone prodita esset, ac voces tam multas ejus Linguæ haberet admixtas, quam habet Musica & Medicina, ejusque utilitas tanta esset, ac tam late pateret, quam patet usus Medicinæ aut Theologiæ: denique si in ejus artis libris tot inessent loca depravata, dubia, mutila, non intellecta, quot sunt in nostris libris: non dubito quin ejus artis professores, vel ipso hujus artis præcipuo, *Joanne Poppæ ruterio* teste, Græcam Linguam amplexuri sint, quam nos adeo non amplectimur, ut explodamus. Ut ne quid excutiam interim ἀνόμοιον ὁμοίωσιν, qua *Joannes* συνεχίζων utitur. Nam Pictoriam aut Bombardicam vel mutus possit discere, Philosophiam aut Theologiam non item. Nec est ulla disciplinarum quæ magis pendeat à Linguis quam Theologia, si modo sacrorum Voluminum enarrationem ad Theologiam arbitramur pertinere, & pium esse judicamus in eruendis arcanæ Scripturæ mysteriis philosophari, quæ frequenter in ipsis litteris & apicibus latent. Quid multis? si negari potest, post veterum industriam præsidio Linguæ Græcanicæ multos locos esse restitutos, qui antehac in vulgatis codicibus habebantur depravati: multos explanatos, in quibus antehac hallucinati sunt magni nominis interpretes: multis lucem additam, qui antehac amphibologiæ nubilo fuerant obducti: fatebor Theologiæ candidatis recte negligi Græcanici sermonis cognitionem.

27 Porro quod ad Medicinam attinet, agat qui volet cum *Nicolao Leoniceno*, cum *Ambrosio Nolano*, cum *Guilhelmo Coppo*, cum *Thoma Linacro*, tempestate nostra hujus artis sine controversia principibus.

28 Jam ut demus, *Accursium* peritiorem esse Juris quam sit *Politianus*, qui nihil tale professus est, aut *Budæus*, qui per omnes auctorum ac disciplinarum ambages circumagi maluit, quam uni studio addictus esse: quid vetat aliquem exsistere sermonis utriusque peritum, qui *Bartholum* & *Baldum* Juris prudentia superet? qualem ego proferre possim unum aut alterum, si libeat, quibus in promtu est digito indicare, in quam innumeris locis primores illi Juris duces turpissime delirent. Denique vel Jurisperitorum civilitatem imitari par erat, qui cum suo *Bartholo* plurimum tribuant, tamen *Politiano* gratiam habent, quod per eum quædam rectius intellexerint. Nec ideo vocant in jus *Budæum*, quod indicarit quosdam locos à Juris professoribus hactenus perperam & lectos & intellectos.

29 Quod si fora sic corrupta sunt, ut nihil recipiant nisi barbarum sit, non est istud refellere Græci Latinique sermonis utilitatem, sed accusare mores horum temporum. Quod si mundus resipuerit, hoc Procuratorum & Advocatorum genus, quod nunc in pretio est, & inauratur, tum esurierit satis. Neque dissimilis ratio fuerit Medicorum ac Theologorum. Ætate *Platonis* aut *Ciceronis* istis Advocatis nullus fuisset habitus honos, nunc regnant. Fortasse sic invertentur rerum humanarum vices, ut rursus frigeant: etiamsi sunt inter hos non postremæ auctoritatis, quibus & usui est, & ornamento, quod utramque litteraturam vulgatis studiis adjunxerint.

Nam illud quis non intelligat joco dictum, cum ita colligit ὁ σοφιστὴς ἀσυλλογιστής? Nemo non tenetur servare legem *Christi*, nemo hanc intelligit, nisi Græce & Hebraice peritus, neque servari potest nisi intellecta, omnes igitur oportet Græce & Hebraice discere. Quasi nihil interfit inter cognitionem Christianæ legis, quæ laico satis sit ad salutem, & quæ in tractatore divinorum Voluminum desideretur, aut quasi viva voce tradi non queat, quod sufficiat ad salutem consequendam: sic enim *Petrum* & *Joannem* alicubi differentes facit, ut illud *Demonactis* dictum subinde veniat in mentem inter legendum, ὁ μὲν τὸ τεῖχον ἀμέλγει, ὁ δὲ τὸ κόσκινον ἀναλίθευσι.

30 Ad hæc cum *Laurentius* miratur quenquam Theologum profiteri, aut sacram Scripturam tractandam suscipere, qui Linguarum sit ignarus, non de quovis Theologo sentit, sed de consummato: neque de quovis tractatore, sed qui se credat nihil non explicaturum. Quod cum recentiores quidam faciant qui nusquam hærent, veteres non sunt ausi polliceri, ne illi quidem qui Linguas calluerunt. Non enim tam asseverant quam vestigant ac disputant: ac subinde fatentur se non assequi quod quærunt, vel hoc utilitatis capientes è Linguarum cognitione, quod scrupulum sentiant, quod loci difficultatem intelligant: etiamsi mihi per se non videtur abesse ab arrogantiæ specie, Theologum profiteri, cum mundanæ sapientiæ professores, Philosophi quam sophi dici maluerint. Quod si quis volet patrocinari *Thomæ*, aut *Remigio*, aut *Lyrano*, aut *Hugoni*, ne causam horum cum *Chrysostomi* causa misceat, quod hic facit *Joannes*, sed illos potius defendat, ubi fortiter asseverantes quod non intelligunt, in manifestum errorem impingere dicuntur, idque ob inscitiam Græcanicæ Linguæ. Id si non possunt, quorsum attinet argutari de voluminibus Græcorum aut Hebræorum depravatis? Neque quisquam rejicit interpretes, quibus defuit Linguarum præsidium, sed eos rejicimus, qui his solis addicti, opiniones eorum pro oraculis ducunt, cum constet illos in multis hallucinari. Alioqui quis negat aliquid recte scribi posse in Libros divinos, etiam ab hoc qui præter Britannicam nullam Linguam noverit? Et tamen hoc ipsum debetur veteribus Linguarum peritis, quod cæteri non tam passim labuntur, lapsuri frequentius, si suo Marte rem gerere cogerentur. Jam an Euangelium *Matthæi* primum sit Hebraice conscriptum, non est hujus argumenti disserere: mihi probabilius fit, Græca Lingua fuisse conscriptum: quanquam haud nesciam, id locis aliquot dicere *Hieronymum*, etiamsi nusquam ipsa re testetur, sibi conspectum codicem, cum in *Matthæo* multa sint

loca, in quibus archetypi desiderabatur auctoritas, præsertim cum putet, alicubi in Græcorum codicibus nonnihil omissum, alicubi nonnihil additum. Ex Euangelio *Nazarenorum* frequenter refert quædam, sed à nostro Euangelio diversa: idem facit *Origenes*. Ac *Hieronymus* alicubi scribit, Euangelium, quod *Matthæi* titulo legitur à *Nazareis*, ipsis archetypum videri. Porro quid respondendum sit ad ea quæ prodidit *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, alias discutietur.

31 Sed donemus, hoc Euangelium Hebraice fuisse scriptum, donemus ætate *Chrysostomi* exstitisse, num continuo causa communis illi cum *Thoma* & *Remigio*? Certe hoc calculo vincit *Chrysostomus*, quod si non è fonte, certe è proxima lacuna hauserit, quod *Origenis*, qui Hebraice novit, quod innumerabilium Græcorum commentariis sit adjutus: denique ut causa sit communis, hos errasse constat, illum non constat, quod ad Linguarum negotium attinet: imo ex hoc aliorum lapsus restituimus. Adde quod fieri potest, ut alicubi lapsus sit *Chrysostomus* in his commentariis, verum error coargui non potest, quod nusquam exstet id unde res convinci potuisset. Præterea fieri potest, ut si peritus fuisset Hebraice, & archetypum consuluisset, quædam aut aliter, aut plenius explicuisset quam nunc facit.

32 Porro Græcis, qui sine litterarum Hebraicarum peritia, Veteris Testamenti libros nobis enarrarunt, veniam dandam censeo, qui quod potuerunt præstiterunt, sed horum omnium doctissimus non sibi satisfecit, donec Hebræorum Chaldæorumque litteras vel senex addidicisset: & tamen illi, quibus non vacavit eas litteras discere, habuerunt Hebræos in consilio, & eorum libris adjuti sunt qui noverant Hebraice. Nusquam autem ratiocinati sunt, nihil referre, Linguarum gnarus sit interpres, an ignarus. Atque interim *Joannes* ille, quisquis est, sic Græcorum interpretum & *Hilarii* causam agit, ut *Hieronymum* indefensum relinquat. Etenim si recte senserunt qui præter Translationem Septuaginta nihil spectandum judicabant, despipuit *Hieronymus*, cujus tamen hac in parte gravis est auctoritas, qui tantum sudorum ac vigiliarum exhauserit, ut nobis Vetus Testamentum ex Hebræorum fontibus redderet, illis veritatem tribuens, horum Versionem palam suggillans, nonnunquam & mendacium appellans, multa resecans obeliscis, multa addens, pleraque aliter transferens. Nam *Origenis* exemplum fortassis rejecturi sunt, etiamsi nemini plus tribuendum arbitror, exceptis dogmatibus aliquot. Quod si *Hieronymus*, Hebræorum Exemplaria sequutus, perperam dissensit à Septuaginta, cur Romana Ecclesia hujus interpretationem amplectitur? certe in nonnullis voluminibus, ut omnem cavillandi ansam præcludam.

33 Quod si post *Christum Judæi* suos codices depravarunt, parum sanus fuit *Hieronymus*, qui ex horum fontibus Vetus Testamentum emendaverit. Ac mirum quid Ecclesiæ venerit in mentem, quæ putarit hujus emendationem aliquid habere ponderis. Quod si *Hieronymus* alicubi queritur, à *Judæis* impiis quosdam libros fuisse depravatos, non ideo tamen perculsus est, quo minus ausus sit ex veterum & emendatorum codicum auctoritate restituere, quod parum recte verterant Septuaginta.

34 Porro *Chrysostomus* Homilia quinta super *Matthæum*, quem locum adducit *Latomus*, nequaquam accusat Hebræorum codices, sed interpretes quosdam, *Symmachum*, opinor, *Theodotionem* & *Aquilam*, quibus anteponit Septuaginta, quod illi nondum agnito *Christo*, simpliciter vertisse videntur, quod assequi potuerunt: contra, hos qui post prædicatum Euangelium *Christi*, tamen obstinate perstiterunt in *Judaismo*, in suspicionem vocat, quasi *Christiana* religionis odio studioque *Judaismi*, quædam data opera perperam verterint, & quædam Prophetarum mysteria nobis voluerint esse celata. Siquidem agit illic *Chrysostomus* de עלמה

A *alma*, quam cum Septuaginta verterint *virginem*, quidam contrà recentiores interpretes adferebant, qui *puellam*, non *virginem* transtulissent: palam est igitur hic non agi de veritate codicum Hebraicorum, sed de fide interpretum. Nec mirum si *Chrysostomus* Interpretes Septuaginta suspectis & impiis præfert interpretibus. Sed idem, opinor, Septuaginta quoque post habuisset, si quis orthodoxus Linguarum & sacræ Scripturæ peritus, ex emendatorum codicum collatione Vetus Testamentum nobis restituisset, cujusmodi nobis fuit *Hieronymus*. Quod si quis ideo nolit aliquid corrigi in divinis Voluminibus, ne videatur usquam errasse Ecclesia, is mihi respondeat velim: Ecclesia habebat Editionem Novi Testamenti, antequam emendaret *Hieronymus*. Si in priore Editione nihil erat erroris, cur *Damasus* jubet emendari? sin erat, consequitur Ecclesiam uti, quo possit esse melius, ne quid de errore loquar. Mihi satis esse videtur, quod Ecclesia non errat in his quæ ad salutis necessitatem pertinent. Quod si post mille annos de multis definiit Ecclesia, quæ prius ut dubia varie disputabantur, si non parum multa dogmata accesserunt priscis ignota, quid vetat hac etiam in parte veterum eruditioni nonnihil accedere? Nec enim quisquis hoc agit, quælibet sequitur Exemplaria, nec uni fidit codici, sed in his habito delectu, non tantum fidit collationi codicum, sed circumspicit quid apud Græcos ac Latinos probatissimus quisque interpres legerit, quid interpretetur, & quomodo inter se consentiant: & tamen ne sic quidem adimit cuiquam judicandi jus, nisi tam manifestus sit error, ut impudentissimum sit tergiversari. Non ausus est Novum Testamentum *Origenes* emendare, neque nos in vulgatis Exemplaribus vel apicem ullum erasimus: ille suas conjecturas attulit in medium, nos præter conjecturas tot probatissimis Auctoribus rem fulcimus. Verum hæc alias à nobis ut tempestivius, ita copiosius dicentur.

35 Jam ut donemus, Græcorum aut Hebræorum codices æque depravatos ac nostros, num continuo spes omnis nobis ademta fuerit farciendi, quod in nostris depravatum esse comperitur? Quasi non frequenter accidat, ut è pluribus mendosis Exemplaribus, sed non similiter mendosis, reperiatur vera germanaque lectio. In *Thomæ* libris insunt errores: in *Augustini*, in *Hieronymi*, in *Cypriani*, in *Petri Lombardi*, in *Scoti*, in *Lyrani* libris insunt errores, & tamen ex his, adhibito judicio, venamur Theologicas veritates.

36 Porro locus, quem *Latomus* adducit ex prioris ad *Corinthios* Epistolæ Cap. xiv. nihil contra meum facit institutum, & pro ipsius argumentatione non multo plus. Nec enim illic damno quod in nostris habetur Exemplaribus, sed ostendo variam lectionem, quam constat & apud vetustissimos fuisse. Ac verto quidem quod in Græcis codicibus, quos ego viderim, consentiebat, præterque *Theophylactum* interpretantur & Græcorum scholia: sed in Annotationibus admoneo, secus legere *Ambrosium*, atque ex illius Latina lectione divino quid Græce legerit, videlicet pro ἀγνοείτω, ἀγνοήσεται. Rursus *Origenes* legisse videtur ἀγνοεῖται, quod hujus interpres verterit, *qui ignorat*, *ignoratur*. At contendat aliquis hanc esse veriorem lectionem. Esto, sed ego tum Latinos codices emendandos susceperam, Græcos vertendos tum non emendandos, præsertim ubi non solum consentiunt, verum etiam interpretes habent sibi suffragantes in suis commentariis.

37 Denique concedit hoc *Joannes*, utilem esse laborem eorum, qui conantur sacræ Scripturæ libros quam purgatissimos reddere. Recipit *Hieronymi* & *Augustini* consilium, ut ad Hebræorum Voluminum ac Græcorum fidem conferantur emendandi, sed hactenus recipit ut humanum esse dicat, quodque falli possit: quippe quod non demonstrationibus, sed conjecturis innitatur. Fatemur hominum esse consilium, sed insignium hominum: fatemur rem conjecturis agi, sed in qua secus agi non possit. Atqui hæc conjectura, cum tam

Digitized by Google

tam multa concurrunt, puta Græcorum codicum consensus, veteres interpretes, Latinorum vetusti codices, commentarii principum fidei nostræ, sensus ipse maxime congruens ei loco, jam plusquam probabilis redditur conjectura. Denique parum valeat hæc regula, modo dent ipsi certiorem, eam cupidissime amplectemur. Nisi forsitan ad apocalypseos præsidia nos revocabunt, quam ego satis confido non defuturam Christianis, si modo cogat necessitas, & nostris præsidiis destituamur.

38 Jam quod ait, fateri hos qui Latinos codices utili labore student emendare. Non inficias eo, nec inficiari possum meum esse sermonem, ut qui in Annotationibus aliquoties Latinam Editionem præferam Græcorum lectioni, quam hodie reperimus in illorum codicibus: & tamen nihilo secius verum est, plurimos locos in nostris ex illorum libris vel restitutos, vel illustratos esse.

39 Quin & illa quæ sequuntur, existimant ad me pertinere, quod in *Methodo* persuadere studens, utilem esse Linguarum cognitionem, dixerim esse verba quædam, quorum proprietas & emphasis ne possit quidem ab interprete reddi nisi longo verborum ambitu. Id cum manifestius sit quam ut negari possit, sic Sophistes eludit *Joannes: Nihil igitur agunt*, inquit, *interpretes, qui cum nihil prosint, fallunt nos, id curantes efficere, quod præstari non possit*: perinde ratiocinans, quasi omnes peregrini sermonis voces ejusmodi sint, ut harum emphasis reddi non possit: aut quasi nihil omnino prosit, qui cum summam totius argumenti nobis tradat, quædam ut potest, non ut vult, reddit, quod supereſt, curiosis excutiendum relinquens fontium præsidio: aut quasi quisquam interpres sit tam arrogans, ut id se præstaturum polliceatur. Non fallit autem, qui non pollicetur quod præstari non possit. An ideo nihil attulit utilitatis *Hieronymus* & *Augustinus*, quod quasdam difficultates non potuerint explicare?

40 Certe quæ mox sequuntur, non video quid ad me pertinere videri possint. Neque enim unquam scripsi, quisquis Linguas calleat, eum protinus intelligere mysteria sacrorum Voluminum, sed magnum adminiculum esse perveniendi ad eam cognitionem, quam ostendi plurimis rebus parari, non solum Linguarum præsidio. Verum ut non protinus assequitur intima mysteria, qui Linguas callet: ita cæteris paribus, longius abest à mysterio qui Linguas nescit.

41 Neque meum est reddere rationem, unde deprehenderit *Petrus Lombardus*, divinam essentiam nec generare, nec generari. Nam si vidit ille primus, non continuo certum est, illum hoc ex verbis sacræ Scripturæ comperisse. Siquidem ut nihil aliud, fieri potuit, ut Angelus quispiam illi patefecerit: neque enim omne mysterium pendet à sermonis emphasi: certe quædam hinc pendere, satis docent manifesti lapsus magnorum Theologorum, qui fontes vel non noverunt, vel non consuluerunt.

42 Cæterum quod his proximum est, quidam suspicantur ad me pertinere, propterea quod in *Methodo* bonam Theologiæ partem faciam ipsam pietatem, non quod quisquis pius est, continuo Theologus sit, ut nunc Theologos appellamus, sed quod vere Theologus non sit, nisi qui quod legit ac loquitur, amet quoque. Et juxta *Platonem*, *qui vehementer ardet amore sapientiæ, nec omnino caret ea, nec omnino potitur.* Ante nos *Augustinus* docuit, ut ad studium sacrarum Litterarum animum adferamus purum, & à vitiis, quoad fieri potest, liberum. *Paulus* prophetiam, quæ mysterium enarrat. Scripturæ, inter Spiritus dona commemorat. Nec satis est intelligere mysticas litteras, nisi & sapias. Imo mihi persuaderi non potest, sacram illam sapientiam descendere in pectus vitiis ac fœdis cupiditatibus inquinatum, præsertim cum legam, *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quod si probatur à Rhetoribus definitio, *Orator vir bonus est dicendi peritus*, cur nobis displiceat hæc, *Theologus est vir pius, de divinis loquendi peritus*: &, *Theologia est pietas, cum ratione de divinis rebus loquendi conjuncta?* Quas si recipimus, nimirum pars Theologiæ erit pietas. Quod si judicio *Fabii, non inflammat alios nisi qui ardet ipse, non concitat dolorem, nisi qui dolet ipse*: ita non afficit Theologus, nisi sit ipse affectus, non afflat nisi afflatus. Ac mihi quidem parum Theologicum videtur, ut ingenue dicam quod sentio, de rebus divinis absque affectu loqui. Sed argutatur Sophistes, Theologiam esse velut organum ac vehiculum, quo perveniatur ad pietatem, quam assequuto, nihil opus sit organo.

43 Proinde consequi, ut Scripturarum cognitio & impiis sit inutilis, nec piis necessaria, quasi qui pietatem sit assequutus, non habeat quo proficiat. Impiis est necessaria Theologia, ut impii esse desinant: piis utilis est, ut in his alatur & crescat pietas donec venerit id quod perfectum est. Interea necesse est ut quisque eorum quæ à tergo relicta sunt oblitus, in ea quæ à fronte sunt feratur, strenui cursoris exemplo. Nam in via Dei resistere tutum non est. Quod si semper est properandum, semper opus habemus vehiculo Scripturarum. Ad hæc cum pietas sit affectus, quo Deum diligimus propter ipsum, & proximum propter Deum: ut non amatur nisi quadantenus cognitum, ita non cognoscitur nisi quadantenus adamatum. Itaque fit, ut vicissim altera res ex altera & nascatur, & alatur, & augescat. Neque enim *Paulus*, ut opinor, ideo *Christum* vocat finem Legis, ut citat *Latomus*, quod per hunc Lex abrogetur, sed quod perficiatur: neque enim desinit esse homo, qui vir factus, desierit esse puer. Rursus nec ideo dicit caritatem esse finem præcepti, quod caritas reddat Legem inutilem, sed quod per Euangelicam caritatem Lex *Mosaica* perficiatur, quæ sine hac frigida erat, & imbecillis ac diluta. Quod si pietas animi non sit pars Theologiæ, sed tamen quiddam ad Theologiæ cognitionem adjuvans (nam facilius discitur quod amatur) non absurde dixerit mea sententia, qui bonam Theologiæ partem faciat pietatem, non alio typo sermonis, quam quo pecuniam perniciem hominum vocamus, quod ad perniciem adducat; & dedecus domus vocamus, qui dedecus adferat. Postremo si fatetur absurdum, quod argumentatione collectum est, sacras Scripturas & impiis inutiles esse, & piis supervacaneas, quale videtur quod huic adhæret, nec linguas esse necessarias? Hactenus quæ in priori Dialogo quidam suspicantur ad me pertinere perstrinximus, breviter quidem, si spectes ea quæ dici ex adverso poterant: sed nimium prolixe, si quis expendat quam inutile sit argumentum. Proinde tum me jam hujus operæ pœnitet, tum tui miseret, optime lector, si quis tamen has leget nænias. Malueram decuplum operæ collocare in ea re, quæ mihi scribenti vel hoc nomine fuisset jucundior, quod lectori nonnihil bonæ frugis esset allatura: sed necessitati serviendum, cui, juxta Græcorum proverbium, ne Dii quidem repugnant.

LIBRI PRIMI FINIS.

Digitized by Google

DES. ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA
REJICIENS QUORUNDAM SUSPICIONES AC RUMORES NATOS EX DIALOGO FIGURATO, QUI
JACOBO LATOMO
SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATO INSCRIBITUR.

LIBER SECUNDUS.

ITAQUE quando cœpimus, idem faciemus in secundo Dialogo, quod in priore factum est. Nam hîc quoniam admirabilem quendam senem loquentem facit, secluso Rhetore, graviora quædam, opinor, tractabuntur, ac seria.

44 Primum hoc mihi cum sene convenit, quod generosæ indolis adolescens ducendus est, verum non *quasi homo*, quemadmodum ille loquitur, sed *ut homo*: nam pecudes trahuntur potius quam ducuntur. Et arbitror adolescentes etiam homines esse.

45 Porro quod censet, non esse cuiquam obtrectandum vel lingua, vel calamo, utinam illius sententia tam omnibus arrideret, quam mihi semper probata est. Non enim auditi fuissent hisce diebus molesti clamores in quosdam etiam nominatim, in quosdam ita presso nomine, ut nihil referret tacuisse nomen: non passim in conciliabulis, in conviviis, in clancularíis colloquiis, mendaciſſimis sycophantiis sine fine latratum fuisset in famam quorundam, quibus melior gratia debebatur: nec hujus pestis contagium tam multos corripuisset, qui huc sese ob longe alias artes discendas contulerant: nec tanto plausu legerent quidam non infimæ classis viri, scripta quorundam non minus insulsa quam mordacia, nec minus inepta quam virulenta. Ego adversus unum duntaxat scripsi, sed compulsus, nec tamen adversus hunc, sed pro me potius scripsi: denique ita scripsi, ut nihilo secius inter nos constet amicitia Christiana. Neque vero contumeliosum arbitror, nominatim à quibusdam dissentire: alioqui valde displicuisset seni illi *Aristoteles*, qui nominatim citat innumeros, quorum sententiam rejicit, *Platonis* ideas etiam irridet: displicuisset *Plato*, qui quem Sophistam non perstringit odiose, idque nominatim.

46 Et haud scio an magis ingenuum sit, ac longius ab exemplo leviſſimi mimi dissidens, nominare à quo dissentias, quam sic notare rem, ut auctor tam intelligatur, quam si nomen editum esset, & tamen elabente reprehensore, præripiatur defendendi sui facultas ei qui tactus est. Quod si dubius apud quosdam sit auctor, majore periculo suspicio per multos obambulat, & alterius erratis nigrescit innoxius. Neque continuo leviſſimi mimi in morem ludos facit, qui pudendum lapsum joco perstringit, modo is sit auctor, ut huic non debeatur ea reverentia, quæ viris eruditione pariter ac sanctimonia probatis debetur. Refert enim aliquoties studiorum communium quibusdam detrahi falsam & immodicam auctoritatem, ut postea neque soli terantur manibus, neque sine delectu judicioque legantur. Postremo cogit frequenter quorundam improbitas, ut nomina celebrium virorum cogamur edere, quæ malueramus premere: veluti cum in Novum Testamentum meum, quod non in suggillationem veteris Editionis, sed in utilitatem studiorum ediderám, cum undique tam odiose clamaretur, aut id fore præscirem, vel hoc augurio, quod non deessent qui nondum natum Opus incesserent: coactus sum, quo me adversus hujusmodi calumnias utcunque munirem, indicare locos, in quibus *Augustinus*, *Thomas*, *Hugo*, *Lyranus* palam essent lapsi, ne persuaderent eum laborem sine causa mihi susceptum esse, simul & me mea mercede, & lectorem suo fructu fraudantes.

47 Cæterum quod ad disciplinas attinet, ut nullus unquam audivit, me mihi ullius disciplinæ scientiam vindicantem, ita neque scripto, neque dicto disciplinam ullam honestam unquam vituperavi: quanquam alicubi per occasionem admonui, quid in quarundam disciplinarum traditione mihi displiceret.

48 Sed operæ pretium est senis illius vafriciem animadvertere, qui cum Poeticen non improbaret, tamen huc cuniculis quibusdam evadit, ut hujus artis principes è Christiana Republica relegandos censeat.

49 Præter cæteros iniquus *Homeri Lucianique* fabulis, quas impias, impuras, ac superstitiosas appellat. Quanquam ne id quidem ad me pertinere puto, qui carmine tradiderim, quibus rudimentis primum imbui velim pueritiam: & nusquam non caveam ne quid turpitudinis rudis ætas combibat una cum litteris: etiamsi non desint qui suspicentur oblique notatum, quod opinor in Libello *De institutione puerorum* admoneam fabulas ex *Homero* discendas, Græcitatem ex *Luciano*! Quorum fabulas si ideo vocat impias, quod Diis indigna scribant, hoc nomine cariores esse par est Christianis, qui Deos traducant quos nos exsecramur. *Lucianus* passim Deos irridet, unde & ἄθεος dictus, quo minus ab hoc periculum est, ne ex hujus fabulis puer Ethnicorum imbibat superstitionem. Hac gratia magis erat ab *Aristotele* cavendum, qui non raro Deorum meminit, ac serio meminit: sæpius *Plato*, quem nemo tamen vetat legi: tot Historiographi procul ablegandi, qui religiose Deos prædicant, idque passim. Cæterum impuras cur vocet non video, nihil enim obscœni reperies apud *Homerum*, ne apud *Lucianum* quidem, in his certe Dialogis, quos nos vertimus. Quod si cautum voluit pudicitiæ juventutis, *Catullus*, *Juvenalis* & *Martialis*, carmina Priapeja potius erant interdicenda. Legitur *Averrois* impie blasphemus in *Christum*, legitur *Plinius* palam irridens immortalitatem animarum, basim nostræ religionis, legitur *Suetonius* pessime sentiens de gente Christiana, legitur *Tacitus* prolixis conviciis incessens nostram professionem, & solus *Homerus* ac *Lucianus* hîc nominatur? Quis autem sic prælegit *Homerum* aut *Lucianum*, ut vera videri velit quæ de Diis confingunt? nisi forte periculum putamus, ne pueri lectis apologis, vulpem & leonem vere putent colloquutos. Quod si quid incidit in Poetis lasciva aut obscœnum, qualia multa sunt & in divinis Libris, admonui, prudentis esse præceptoris, aut præterire, aut sic tractare, ne quid luis ad puerilem animum perveniat, & quibus rationibus id fieri posset, ostendi. Ego periculosius esse puto, *Poggii* facetias, aut *Pontani* Dialogos prælegi pueris, quibus ille senex non perinde infensus videtur. Arbitror libellos quosdam *de modo confitendi*, periculosius legi à pueris, quam *Homeri* fabulas, si tantopere metuimus horum pudicitiæ. *Plato* non ejicit, sed cum honore deducit *Homerum* è sua civitate, sed in qua voluit uxores esse communes,

Digitized by Google

nes, & in qua nullus adhuc hominum habitavit. Opparim & ipse nihil in Poetis admixtum esse, quod pudicitiam vitiare posset. Sed ita sunt res humanæ, *nihil est abrosum parte beatum*. Magis inficiunt juvenum animos lascivæ cantiones, quas quotannis novas evulgant quidam hoc majore pernicie, quod passim à toto vulgo discantur: in has magis convenisset senem illum dedoctum chori.

50 Jam sophisma quod sequitur, nescio Poeticum ne dicam, an alio nomine, quod senex ille non sine lachrymis refert, sibi compertum, generosos aliquot adolescentes à fide Christiana defeciſſe, quod Ethnicorum antiquitatem plus satis admirarentur. Quis non sentiat hoc esse commentitium? Fortassis reperias parum sinceræ fidei, qui res Ethnicorum supra modum admirentur, verum qui hac occasione à fide defeciverit, neminem, opinor, comperies: citius reperias, quos immodicum Philosophiæ studium huc discriminis adegerit.

51 Atque hîc *Marullum* nominat, qui nec mihi satis probatur, sed oblitus quod paulo ante dixerit, nullius nomen esse perstringendum. Idque ut excusatius facere videatur, addit rem libris editis esse manifestam. Quo argumento me liberat omni crimine, qui nullius errores attigi nominatim, nisi qui libris editis eos fecisset omnibus notissimos.

52 Sub hæc indicans, qui Poetæ aut Oratores, cæteris ejectis, sint prælegendi pueris, *Juvencum*, *Paulinum*, *Prudentium* commemorat, tum *Lactantium* ac *Cyprianum*: perinde quasi ex *Juvenco* multum sit fructus ei, cujus lingua formanda est: aut ex *Paulino*, qui unum aut alterum carmen scripsit: aut quasi *Prudentius* ab alio quam à Theologo prælegi possit: quamquam nec hi vel leguntur, vel prælegantur ab istis, quibus invisus est *Lucianus* & *Homerus*: aut quasi horum lectio sit apta primis illis ac rudibus annis, quos oportet illecebra quædam ad serias disciplinas invitare. Porro *Lactantius* præterquam quod parum idoneus est, qui tradatur ætati primæ, magnos habet errores admixtos de fide catholica. Demiror cur senex ille non magis recensuerit *Ciceronem*, aut *Quintilianum*, aut *Senecam*, qui non solum absunt ab obscœnitate, verum etiam saluberrimis præceptis vitam instituunt, & ad honesta cohortantur.

53 Quod sequitur, non sine causa quidam suspicantur ad me pertinere, quod in libello, ut opinor, *De institutione puerorum*, scripserim utriusque Linguæ rudimenta à principibus Poetis auspicanda, *Homero*, ac *Virgilio*, idque juxta *Fabii* consilium. Desiderat autem senex ille prudentiam in iis quibus hoc visum est. Et graviter addit, Christianum Grammaticum, quasi non sit eadem loquendi ratio Christianis & Ethnicis, aut quasi hac in parte non hi sint nostris multis nominibus præferendi. Quod si nefas est, adolescentibus Poetas aut Oratores Ethnicos prælegere, vocetur in jus *Augustinus*, qui *Licentium* ad suas Musas revocat, cum legeret amatorias *Ovidii* fabulas. Reprehendatur *Hieronymus*, qui claris adolescentibus, quos instituendos susceperat, Poetas & Oratores Ethnicos enarravit. Quod quidem criminis vice objectum à *Ruffino* adeo contemnit vir sanctus, ut non dignatus sit diluere.

54 Quin & illud, quod ex his colligit senex ille, suspicantur ad me pertinere, non convenire ut destinatus Theologiæ, præludat in tractandis fabulis, similibus, & allegoriis, quod tamen admonuisse videor in *Methodo*: sed de fabulis agens addo, *præsertim iis quæ ad bonos mores faciunt*. Quod si periculum tantum existimant, in Rhetorum schematis, aut Poetarum fabulis præludere, &, ut ait, in Ethnicis Auctoribus, cur non præludunt solum; verum pene consenescunt in *Aristoteleticis* libris, cum & is Ethnicus fuerit? Cur tam diu versantur in *Averroe*, qui plus quam Ethnicus fuit? Nec hujus admonitionis me pœnitet, neque tamen est animus conflictari cum eo, cui diversa mens est.

55 Mox redit ad quæstionem superioris Libri, distinguens perfectam pietatem ab imperfecta, quasi hîc cuiquam contingat perfecta pietas. Deinde distinguit Theologiam qua sapimus Deum, & qua docemus Deum, ex una duas faciens. Mox addit, *non protinus Theologum esse, quisquis pius sit, eum datur sancta rusticitas*: quasi quisquam unquam hoc dixerit. Etiamsi mihi rusticus aut idiota non videtur appellandus, cujus piam ac puram mentem fidei lumen illustrat, & cujus cordi illucescit æterna lux *Christus*. Nec usquam à me dictum est, nihil aliud esse, Theologum esse, quam ardere, rapi, amare: quod si maxime dixissem, non admodum me pœniteret. Verum ut *Seneca* & *Plutarchus* negant esse Philosophos, qui præcepta vivendi memoriter recitare possint, sed qui quod præcipit Philosophia, in habitum ac vitam ipsam trajiciunt: ita nolebam Theologum talem esse, qualos nimis multos ipse vidi, qui sacras Litteras tantum intellectu complecteretur, sed qui sentiret, quique penitus afficeretur iis quæ legeret in libris arcanis. Alioqui quorsum attinebat tam multa commemorare, quæ judicarem ad Theologiæ cognitionem opus esse.

56 Jam quæ multis verbis disputat de Linguis, nihil ad me faciunt. Quis enim negat, eandem artem à diversarum nationum ac linguarum hominibus posse deprehendi, nimirum ex rebus ipsis animadversis? Non est tamen consilium quenquam ad primas illas nationes relegare, cum Linguarum adminiculo brevius huc pervenire liceat. Mihi satis est quod constat, multos esse lapsos in sacris Litteris ob sermonis imperitiam. Neque quenquam in desperationem adducimus, imo senibus etiam auctores sumus bene sperandi. Postremo quibus non licet, aut non vacat, iis permittimus ut aliena subleventur industria. Porro quæ media, quæ infima, quæ summa faciant, ipsi viderint. Sæpe quæ videntur infima, magis sunt necessaria. Neque nos ita Linguas pronuntiavimus Theologo necessarias, ut non possit esse Theologus absque Linguarum peritia, sed quod in tractandis atque eruendis divinæ Scripturæ mysteriis non sine periculo, nec inoffense versatur Theologus Linguarum præsidio destitutus. Neque enim satis tutum est alienis oculis fidere, nec semper ad manum est quem recte consulas. Postremo ne sentis quidem aliquoties esse consulendum, nisi sermonis emphasis te admoneat. Ad hæc ut donemus huic aut illi non esse necessarias, certe in genere necessariæ sunt. Quin etiam si singulis Theologis necessarium est pro viribus cavere, ne labantur in tractandis Litteris mysticis, nec id absque Linguarum auxilio satis caveri potest, videtur singulis etiam adnitendum ut Linguas perdiscant. Denique nemo nescit sæpe necessarium dici, quod vehementer ad rem pertinet.

57 Nec enim *Augustinus* eo quem adduxi loco, necessariam vocat Linguarum cognitionem, sed magno remedio testatur esse, adversus signa ignota propria, etiamsi mox addit, opus esse, quod propemodum perinde valet, quasi necessarias dixeris. Porro quod senex ita diluit auctoritatem *Augustini*, quasi hactenus dixerit opus duabus Linguis præter Latinam, ut sicubi hæsitatum fuerit in Latinorum Exemplarium varietate, tum demum ad Hebræos aut Græcos libros confugiatur, cæterum cum ea varietas hodie sublata sit, sublatam item Linguarum necessitatem: primum respondeo, nostros quoque codices non mediocriter variare, tum alias complures esse causas, cur in divinis Litteris cogamur hæsitare, vel ob depravatum locum, vel ob amphibologiam, vel ob obscuritatem ac difficultatem, vel ob interpretis ofcitantiam. Itaque quacunque de causa contigerit hæsitare in divinis Libris, opus est ad fontes recurrere. Et quoniam quotidie depravantur codices, & subinde novæ difficultates exsistunt, operæ pretium est, monstratum ab *Augustino* remedium semper ad manum habere.

58 Neque rursus ideo non succurrit usquam Lingua archetypa, quod alicubi quædam sermonis incommoda casu reperiuntur communia.

59 Nec

59 Nec admodum istis suffragatur, quod *Augustinus* disjunctim loquitur, quasi liberum nobis faciat, è tribus unum eligendi: sed quoniam non omnibus omnia contingunt, varia demonstrat remedia, ne prorsus remedio careamus. Primo loco monet, ut Linguarum peritos consulamus: at non erunt quos consulamus, si, quod quidam moliuntur, Linguarum professores explodemus. Deinde scribenti, aut enarranti non semper ad manum est quem consulat: neque tutum cuivis fidere, etiamsi adsit. Postremo *Augustinus* non agit hîc de tota versione, aut de idiomate, aut emphasi Linguæ peregrinæ, nec de codicum depravationes, sed de paucis vocibus peregrinis, quæ nonnunquam Latinæ Editioni sunt admixtæ. Ego multo plures adfero causas, cur dixerim Linguas esse necessarias: ut omittam interim quod *Augustinus*, ut erat Linguarum omnium præsidiis parum instructus, ita sublevat alios quoad potest, in illis sibi parcens, ut fit hominum more. Neque verum arbitror quod ait senex, nunc plures esse quos consulas, quam olim fuerint, nisi loquatur de temporibus, quæ præcesserunt nos centum aut ducentis annis, idque in litteris Græcis. Hæc cum videret *Augustinus*, nec satis fideret huic remedio, protinus adjecit, *aut Lingua eadem, si otium est & ingenium, ediscenda. Augustino* negotiis Episcopalibus occupato venia debebatur, qui id non fecerit. Sed cui tandem otium erit, si adolescenti, imo puero ad Theologiam destinato, neque quicquam aliud agenti, non erit otium? Quod si nemo negat, hoc remedium longe tutissimum esse, cur non hoc potissimum amplectimur? Nam tertium remedium his temporibus prorsus sublatum est, cum non sint plures interpretes, nisi forte dixeris in Epistolas *Pauli*.

60 Jam quod *Augustinus* Hebraismi ignarus, scripserit in Genesim & in Psalmos, enarravit ut potuit, idque veterum commentariis adjutus, qui norant Hebraice. Postremo, si quis illa velit exactius excutere, fortassis eveniet quod illi minatur *Hieronymus*. Ad hæc ut demus nusquam lapsum, fortasse multa prætermisit, & hæc enarraturus, si calluisset Hebraice. Certe non sine lapsus periculo versatur in enarrandis divinis Libris, qui Linguarum ignarus id agit. Nec ideo tamen reprehendimus eos, qui modeste, quod possunt, docent, parati meliora sequi si quis adferat. Quod si tibi persuadet, Linguas non esse necessarias, quod *Augustinus* ausus sit in Genesim aut Psalmos scribere: cur aliis non persuadeat esse necessarias, quod clari Doctores ob Linguarum ignorantiam, in tractandis arcanis Libris lapsi sint, nec id infrequenter?

61 Jam ut donemus, *Augustinum* multa utriusque Testamenti, & enarrasse melius, & inspexisse penitius, quam fecerint alii multi polyglotti, qui fortassis ut Linguarum peritia superabant *Augustinum*, ita cæteris adminiculis erant inferiores: ipse tamen *Augustinus* si Linguas calluisset, & plenius & inoffensius egisset id quod egit. Nisi forte quicquid scripsit, non humana cura, sed divino afflatu scripsit.

62 Sub hæc quæ sequuntur, non video quid adversum me faciant. Quomodo primi illi conceperint Euangelium, aut quomodo Linguis omnium sit prædicatum, aut ad quam regulam hæc quatuor Euangelia comprobata sint, non disputo. Certe ut nunc res habent, à Græcis ac Latinis codicibus petenda est Euangelica doctrina. Nam de codicum depravatione quod adducit, jam ante responsum est. Nec ideo non confert alicubi peritia Linguarum, sicubi perperam quod scriptum est, interpretantur hæretici, codicibus interim iisdem utentes cum orthodoxis, cum fatear pleraque non pendere à Linguis. Mihi satis est, quod Linguarum præsidio quædam aperiuntur, quæ fallebant antea.

63 Jam quod confert lumen, sive gratiam, qua divinæ naturæ participes reddimur, lumini naturali, quo disciplinarum humanarum assequimur cognitionem, accipio collationem. Proinde quemadmodum in disciplinis humanis amplectimur adminicula, quæ lumen naturæ provehant aut excitent: itidem hîc quoque faciendum erat, neque enim veritas Euangelica sic adjuncta est gratiæ, ut disciplinas, quibus ad hanc præparatur animus, excludat. Alioqui quorsum attinebat Theologum futurum tot annos in *Aristotelica* Philosophia desudare? Ut ne repetam interim qnod ante dictum est, aliud esse, sic tenere veritatem Euangelicam, ut satis sit ad salutem: aliud in tractandis Litteris mysticis, cum auctoritate versari. Quanquam illud interea periculi video, ne dum hanc regulam inculcamus, quam ego tamen non improbo, quisque sibi gratiam eam arroget. At veteres orthodoxi, Scripturarum testimoniis potissimum agendum existimabant. Nam ubi tuto nitemur ista regula, cum *Ambrosius* & *Augustinus*, ne quid dicam de cæteris, hac adjuti gratia, si quisquam alius, interdum excidant à veritate Euangelica?

64 Porro quod ait, singulis aliquid deesse, sed totum corpus nunquam destitui veritate, id verum arbitror in iis quæ pertinent ad necessitatem salutis. Absit autem ut Ecclesiam suam destituat Deus: cujus haud dubie ipse per se doctor erit, si desit homo, cujus ministerio doceatur. Verum hæc ratio non excusat eos, qui nolunt ab homine discere quod nesciunt, sed maledice carpunt, quod nec legunt, nec intelligunt, eo quod pudeat videri quicquam nescire. Ab his excitatur schisma in corpore, non ab his qui Linguarum præsidio student prodesse bonis disciplinis.

65 Quod si pes est Linguarum peritia, inepte faciunt qui membrum tam necessarium resecare moliuntur. Neque enim ad me pertinet, quod admonet senex, ne pes aut manus putet se esse aurem vel oculum: cum toties tester, me infimam Theologiæ functionem mihi sumsisse in Annotationibus, perinde quasi verram Templi Dominici solum.

66 At quod addit de dono Linguarum ex *Paulo*, nihil ad nostrum negotium pertinet. Neque enim nunc quisquam Linguas profitetur, nisi interpretans quod sonat, neque res est afflatus, sed humanæ industriæ. Neque vero quisquam dicit, ad interpretationem divinorum Voluminum sufficere nudam Linguarum peritiam, imo ne ad humanarum quidem disciplinarum interpretationem ea sufficerit, & tamen *Paulus* non rejicit horum operam, modo adsint qui dijudicent & enarrent. Et tamen debemus (opinor) *Trapezontio*, qui nobis *Chrysostomum* tradidit, cum is non fuerit Theologus. Ego mihi non arrogo Theologiæ scientiam, & tamen non arbitror me usque adeo rudem Theologiæ, ut non potuerim vertere Euangelia & Epistolas Apostolicas, præsertim tot veterum commentariis adjutus.

67 Jam an Linguarum neglectus partim in causa fuerit, ut Christianismus in arctum contraheretur, in præsentia non disputo, etiamsi fatear ingenue, potissimam causam esse vitia eorum qui præsident Reipublicæ Christianæ: certe illud verum esse puto, quod alicubi scripsi, disciplinarum interitum ac depravationem, neglectumque, nos Linguarum neglectui ferre acceptum.

Nec ideo verum non est, posterioribus seculis Auctores ac disciplinas quasdam neglectas aut interisse ob neglectum Linguarum, si *Plinii* temporibus quædam artes frigebant, quod essent honestæ magis quam ad quæstum idoneæ. Etiamsi *Plinius* illic potissimum agit de agricultura. Nam has etiam artes ille liberales appellat, ut ingenuo cive quondam dignas habitas, atque utinam nunc quoque habeantur.

68 His nondum absolutis, senex pergit Theologo futuro viam ac rationem commonstrare, sed in qua nihil fere illi mecum convenit, nisi quod probat, à Novi Testamenti libris incipiendum: quanquam hanc ego non interpretor esse contumeliam, si cum ego sedulo quod optimum esse judicavi suaserim, ille doceat quod rectius esse credit.

69 Verum interim studio brevitatis omissis iis, quæ ad

Digitized by Google

ad me nihil attinent, demiror cur *Origeni* potiſſimum A tribuat ſpiritualem illam ac ſubtilem Theologiam, cum nemo diligentius ſe geſſerit in hiſtoria, ſive ſpectes Linguarum ſtudium, ſive collationem Interpretum, ſive enarrationem, quam in Homiliis habet maxime popularem.

70 Ad hæc demiror cur hoc *Auguſtino* tanquam peculiare tribuat, quod in utraque Theologia ſit citra offenſam verſatus, niſi forte putat illum ſolum nuſquam nec in hiſtoria, nec in allegoriis erraſſe. Quod ut illi dicere proclive fuerit, ita tueri difficillimum.

71 Deinde quod is mordicus tuetur litteram, quaſi hanc evertat *Origenes*. Non protinus evertit litteram, qui eam frigidam atque inſipidam dicat, niſi acceſſerit B ſenſus ſpiritualis.

72 Sed in hoc quod ego inter Interpretes primas tribui *Origeni*, prorſus à me diſſentit ſenex, vix indulgens, ut ab adulto Theologo legatur. Certe ſcientiam Scripturarum ſummam nemo non tribuit *Origeni*, at in his libris quos habemus illius, pauciſſima ſunt loca ſuſpecta: nam Homilias in *Lucam*, ſatis conſtat *Origenis* non eſſe. Et fortaſſe ſi quis ſupputet exacte, plures inveniantur errores in *Petro Lombardo*, quem ſtatim objicimus tirunculo Theologiæ, quam in *Origenicis* libris, qui quidem apud nos exſtant.

73 Nec eſt in *Origene* quicquam fucatæ eloquentiæ, ut hinc inſidias metuamus, ſermo totus ſimplex eſt & C eccleſiaſticus. Dogmatum autem venena non exſtant, niſi apud *Hieronymum*, cujus officio factum eſt, ut errata illius noverit orbis, bene dicta non noverit.

74 Verum cum ſenex viſus ſit paulo ante, craſſam Theologiam collocare in littera, ſubtilem illam ac ſpiritualem in allegoria, cujus immodicum uſum impingit *Origeni*, tamen velut immemor ſui, meam vellicat ſententiam, qui craſſæ Theologiæ deſtinatum voluerim in Poeticis ac Rhetoricis ſchematis per ætatem præludere, ſed interim neſcio quo pacto confundit ſenex ſchemata cum locis communibus.

75 Ait enim, *qui de virtutibus & vitiis populariter diſſerat, qui fidem prædicet & adſtruat toto pectore, interim* D *ſcire parvipendens quid ſit fides, in quo ſubjecto, cujus objecti, veri-ne an falſi, Dei an hominis, nihil ad rem pertinere putet: Caritatem hominibus inculcet, nec curet cujus ſubjecti vel objecti, quouſque tendatur, quis ejus ordo, aut an aliquis ſit ejus ordo, parvipendat: tantum ſummis orationis & animi viribus agat, ut auditores ſint pii, fidi, amantes, hoc demum cenſent conſummatum eſſe Theologum.* Hactenus feſtivi ſenis verba recenſuimus. Hîc appello te, candide Lector, quiſquis ſuſpicaris hæc ad me pertinere, qui vult futurum Theologum primis annis præludere in ſchematis ob allegorias Theologicas, & in locis communibus ob exhortationes Theologicas, num is monet ut cætera omnia parvipendat? Aut num is E conſummatum Theologum putat, qui nihil aliud quam ad pietatem ac fidem adhortetur? An quiſquam eſt vel Rhetor tam ſtupidus, ut ad populum de caritate dicturus, nihil habeat quod addat, ubi ſemel dixerit, *habete caritatem*? An *Chryſoſtomus* cum verſatur in locis communibus meminit *Scoticarum* definitionum, objecti & ſubjecti, ſimiliumque, quæ ut doceant, nihil tamen faciunt ad concitandos affectus? An ipſe cum in *Methodo* jubeo in Euangelicis litteris obſervari, quantum *Chriſtus* ubique tribuat fidei, & caritati, addere debui magiſtralem fidei definitionem? oſtendere, quid illic poſitum ſit loco generis, quid loco differentiæ, quid loco proprii? adferre opiniones de fidei ſubjecto & objecto? quæ ut demus in Scholis utiliter tradi, certe apud populum non poſſint non videri frigida, præſertim cum verſeris in locis communibus, in quibus hoc agit concionator, ut inflammet magis quam doceat. Adferre debui *Scoticam* caritatis definitionem, quam populus ne intelligat quidem? admonere, propoſita ſubtili rerum diſtinctione, ut ſuam quiſque pecuniam pluris faciat, quam alienam, ſuam vitam anteponat alienæ, ſuam famam priorem habeat aliena, ſuum commodum alieno?

Obſecro, *Chriſtus* & Apoſtoli cum toties nos ad fidem & caritatem adhortantur, ineptire & tantum clamare dicuntur, quod nihil iſtarum ſubtilitatum admiſceant adhortationi? At ſunt qui ſe in hujuſmodi locis ſatis vehementes videri putant, ſi quantum poſſint, intonuerint triginta millia Diabolorum. Si fas eſt quod ſentio dicere, non admodum habita eſt hoc loco ratio decori, præſertim cum ſenem inducat tantæ gravitatis & auctoritatis.

76 Sed reſtat intueri, quibus rationibus ille inſtituat Theologum ſpiritualem ac ſpeculativum. Huic primum vult penitus infigi Chriſtianæ religionis dogmata. Quod ſi factum erit, quid eſt cur *Origenis* libros metuat?

77 Ad hæc mediocrem Grammaticæ cognitionem arbitratur eſſe ſatis. Cæterum in vera Dialectica vult ad vivum, ut ait, exerceri, ſignificans obiter falſam aliquam eſſe Dialecticen: notans (opinor) vulgatam tradendæ Dialectices rationem, cum mihi non permittant aliquid de perverſa tradendæ Theologiæ ratione ſubmonere. Naturalis Philoſophiæ generalia duntaxat putat diſcenda, nec tam diſcenda quam deguſtanda: cum ego non ſolum in octo libris, quos ille ſentit, ſed in aliis quoque verſari velim Theologiæ deſtinatum. Mathematicas diſciplinas ſat habet attingi, præter Arithmeticam. Moralem Philoſophiam ac ſupernaturalem gnaviter addiſcendam autumat, atque his inſtructus ad ſpeculandas Theologiæ ſubtilitates accingetur. Hanc equidem inſtitutionem non reprehendo, licet à mea diverſam. Nam ego mihi ſcopum propoſui Theologi, qui non minus ſapiat *Chriſti* doctrinam quam intelligat, cujuſque tota eruditio non ad quæſtum aut oſtentationem, ſed ad veram pietatem ſpectet. Hic ſenex hoc potius ſpectaſſe videtur, ut ingens ſit numerus eorum, quos Bacalaureos & Magiſtros ac Licentiatos vocant: & ob id eas diſciplinas potiſſimum commemorat, quæ ex more traduntur in Scholis. Atque id egiſſe potius apparet, ut optimum videretur, quicquid in Scholis hodie receptum eſt, quam ut quid ſit optimum præſcriberet. Et fortaſſis ita referebat ſenis. Mihi hîc neque ſeritur, neque metitur, niſi quod omnium commodis impenſe faveo. Nec enim hac in re cuiquam obſto, imo ſi queam efficere, longe plures ambiant hos titulos, quam nunc ambiunt. Neminem ab hoc ſtudiorum curſu ſum dehortatus, nonnullos ſum adhortatus. Quod ſi quando numerus is decreverit, non conveniebat, ut ipſius verbis dicam, ex non cauſa cauſam facere, cum frequenter id accidat, vel ob inopiam rei familiaris, vel alias ob res, poſtremo vel caſu. Subit autem & illud admirari, cur cum tantum tribuat Dialecticæ, Rhetorices ne meminerit quidem, quæ tamen Dialecticæ ſic eſt germana, ut quorundam judicio ſit eadem, ſed aliter tradita, præſertim cum hæc inter liberales ſeptem recenſeatur, quarum profeſſores magiſtri vocantur.

78 Sed interim de libris utriuſque Teſtamenti nulla mentio, cujus rei mihi præcipua cura fuit in *Methodo*. Verùm ne prorſus hujus rei videatur oblitus, permittit, ſi detur commoditas, ut quotidie paulum temporis impendat legendis ſacris Libris, ac primum eos perlegat, ſed leviter: deinde ſucciſivis operis, ſingulis diebus aliquantam portionem ediſcat. Quod ſi incidat interim in quo hæſitet, Gloſſas conſulat potius quam ſe in tranſlationibus ac Linguis torqueat: quaſi è Gloſſis omnia poſſint hauriri, aut quaſi tranſlatio noſtra, aut Linguarum peritia, nihil adferat lucis, quod Gloſſæ non F præſtent. Porro non ſatis intelligo, quo modo poſſit hic adjuvari aliorum induſtria, niſi tranſlationes contulerit, & Linguarum præſidia quærat. Nihil enim me movet odioſum torquendi verbum, quaſi dicat, ne ſe diſcruciet. Vult illa minutiora negligi, ſed ad quæ maximi Theologi ſæpe reſiſtunt, nonnunquam & impingunt.

79 Atque ita demum permittit, ut veterum Interpretum, *Origenis*, *Ambroſii* & *Auguſtini* libros attingat, ſed poſteaquam in Scholaſticis Auctoribus ſit diligenter verſatus, quos adeo præfert veteribus, ut in his ve-

Digitized by Google

lit Theologum versari priusquam utriusque Testamenti libros attingat. Ad id hae causa commovetur, quod periculum sit, ne si prius legat *Cyprianum*, *Hilarium*, *Hieronymum* & *Ambrosium*, quam *Scotum*, aut *Durandum*, aut *Holcot*, postea non possit hos absque nausea legere. Non rejicio senis rationem, sed me movebat alia quædam ratio, quod viderem periculum, ne si Theologus in his argutis, & ab affectu vacuis, simulque infantibus Auctoribus consenuisset, ad veteres illos aut nunquam veniret, aut sero veniret, aut frustra: id quod olim *Lutetiæ* multis scio usu venisse, quorum nonnullos novit *Jacobus Latomus*. Itaque senex dissentit à nobis, ego à sene, suam uterque rationem secutus, quarum utra plus habeat momenti, aliis expendendum relinquo.

80 Ne in hoc quidem mihi satis convenit cum sene, quod cum ego monuerim, opinor, ex veteribus optimos primum esse legendos, & hos ipsos cum judicio, ne decepti titulo, nebulonis alicujus nænias pro oraculis amplectamur: senex putat nihil esse periculi, si inter *Hieronymi*, *Ambrosii*, aut *Augustini* Opera, suppositium aliquid occurrat, quod oculatus ille Theologus nullius auctoritate commoveatur, nihil non expendens ad suam regulam, quam secum ubique circumfert. Nec tantum honoris, probatissimis licet Auctoribus, habendum putat, ut eis ubique fides habeatur, sed hactenus tantum illis deferendum, ut sicubi lapsi comperiantur, vel detorto ad alium sensum sermone, illos excusare conemur, videlicet reverentiæ causa. Sed interim senex ille non videtur meminisse, quod in seriis disputationibus Theologi urgent auctoritate *Augustini* aut *Hieronymi*, & paucis verbis ex Opere supposititio adductis, colligunt hæreticum esse, quod hic aut ille scripserit: si non cum periculo citantis, certe cum periculo ejus adversus quem agitur: quanquam & citantis periculo, si rerum vices in ipsius caput recidant. Hîc prudens ab exemplis tempero, ne quos offendam, *incedens per ignes suppositos cineri doloso*, quemadmodum inquit *Flaccus*. Non attingam interim quod regula Scholasticorum, ad quam senex omnia vult exigi, non eadem est apud omnes, & periculum est ne quisque se regulam habere putet, & falsam persuasionem pro regula habeat.

81 Post hæc senex exspatiatur in locum communem, sic adhortans ad audiendos Doctores, quasi nos solam lectionem probemus: aut quasi non alicubi monuerimus, ut utrumque alteri misceamus, vivæ vocis energiam mutis (ut ajunt) magistris præferentes. Sed tamen ubi non datur idonei præceptoris copia, proximum est è libris petere quod discas. At hæc cum datur, tamen quantulum est hoc quod accipimus à doctore, præ his quæ lectione nobis ipsi tradimus? Bellum vero, quod *Hieronymum* nobis objicit, qui tres (opinor) menses *Nazianzeno* familiariter sit usus, quique *Didymum* viderit, cum tot annos vacarit lectioni. Tum addit: *Idem scribit* Paulino, *quem non mittit ad legendum textum Euangelii*, *aut* Origenem, *sed ad audiendum præceptorem provocat*: quasi nos dum ad lectionem eorum invitamus, qui non traduntur in Scholis, aut neglectim traduntur, ab audiendis doctoribus avocemus. Cur non potius adduxit tot locos, in quibus *Hieronymus* ad evolvendos sacros Libros & interpretes provocat? An non satis apparet, senem hoc egisse, ut semper Scholæ differtæ forent auditoribus? Non improbo quod agit, sed senilius erat hoc aliis rationibus agere. Cur non *Bernardum* adduxit, qui quercus & fagos habuerit præceptores? Cur non *Antonium*, qui in nemore didicit, unde postea succurrit fidei Christianæ? Cur non *Ambrosium*, qui *Origene* præceptore muto tam doctus evasit? Cur non *Augustinum*, qui lectione tantus evasit, nisi quod dies aliquot *Ambrosium* audierit apud populum concionantem? Quid si me tum potiora, tum plura doceat lectio, quam frigidus ille, aut oscitans, aut fortassis indoctus doctor?

82 Sub hæc addebat facundus ille senex: se sua ætate vidisse nonnullos, qui in manifestos errores incidissent ob neglectos vel spretos Doctores Scholasticos. Quid viderit senex tam oculatus, alii viderint. Ego puto facilius esse commemorare, qui ob nimium dilectos Doctores Scholasticos in manifestos errores inciderint. Atque ita nominat Doctores Scholasticos, quasi & idem sentiant omnes, & omnes liberi sint ab errore, cum qui *Thomam* sequuntur, & à *Scoto*, & à *Gersone* dissentiant, eosque pene pro hæreticis habeant.

83 Sed incipit nobis æquior esse senex, qui juxta *Gersonis* sententiam permittit, ut Theologus cursim & succisivis horis attingat Historicos, Oratores ac Poetas, tantundem pene tribuens iis, quantum utriusque Testamenti libris tribuerat.

84 Cæterum bene monet, ne speculativus Theologus crassiorem illum contemnat, sed oratione styloque juvet potius: cum hodie plerique contra faciant, oratione pariter ac stylo lacerantes, qui pro sua portione conantur rem litterariam adjuvare.

85 Certe illud vix absque risu legere potui, quod omissis tot vitiis aliis, tantum jactantia & avaritia senem offendat in Theologo. Neque satis scio, an illud senserit, Theologorum vulgus his vitiis potissimum affine esse solere. Nam nemo fuit unquam tam iniquus mei judex, ut pecuniæ studium mihi impegerit. Fuerunt complures, qui neglectum exprobrarent. Gloriabundus nescio quare magnopere videar, qui fere in omni litteraria functione mihi postremas sumserim, & in iis quæ suscepi, sic versatus sim, ut neque me cuiquam prætulerim, nec adhuc à quoquam sim superatus, atque utinam superer à multis.

86 Nec sine voluptate legi potest, quod ideo nolit Theologum diutius versari in præceptis Rhetorices, quod hæc ars aut cito discitur, aut nunquam: quasi *Fabius* cito dixerit, decem dierum spatium. Sed addit, in puerilibus Declamatiunculis, quasi facilis res sit declamatio, aut quasi in hoc genere non eruditissimi viri, senes etiam, versati sint: aut quasi *Quintiliani Senecæque* declamationes, puerorum sit lectio. Nec enim audio hos, qui me perstrictum putant, quod unam aut alteram ediderim Declamationem, quas ita patiar dici pueriles, si senex ille eas vicerit. Postremo, quasi proposita quæstione, in utramque partem argumentari, non sit declamare: aut quasi hæc ipsa senis oratio, non sit declamatio quædam. Quin & illud suaviter dictum est, ideo non discendam eloquentiam, quod hæc (ut ait *Augustinus*) ultro sequatur reginam suam sapientiam, individua comes, non adscita, sed neque rejecta, nativa tamen & gravis. Verùm hinc periculum video, ne quis sapientiam adimat Scriptoribus, in quibus nihil omnino videtur hujus nativæ & gravis eloquentiæ, sed jacent, frigent, ac jejuna sunt ferme omnia. Rursum ab exemplis tempero, ne cui stomachum moveam, quando video quosdam adeo morosos, ut nec benedicta, nec maledicta ferre possint. Quod si cui tantopere displicet Rhetorica, cum inter liberales disciplinas etiam ab ipsis recenseatur, per me quidem licebit, ut hujus vice supponat sycophanticen, ne septem non sint.

Porro tantam hanc veterum & recentium collationem in aliud tempus reservo, præsertim cum à me non in totum damnentur recentiores, nec in totum probentur veteres. Multi tamen suspicantur, in hac senis collatione subesse nonnulla, quæ videantur affinia schemati, quod Græci vocant συκοφαντισμόν: mihi vix persuaderi potest.

87 Quod genus illud esse putant, quod ex *Ruffini* calumniatoris auctoritate suggillat *Hieronymum*, qui sic aliorum hæreticas opiniones admiscuerit suis commentariis, ut Lector vix dignoscat, illius sint, an aliorum. Nam quod hoc nomine præfert recentiores, quod omnia definiant, cum veteres differant magis quam definiant, malim ego docte prudenterque differentem, aut etiam ambigentem, quam fortiter, aut etiam temere definientem, præsertim cum illorum decreta non consentiant alicubi, sæpe pugnent ex diametro.

88 Quis autem unquam ideo negavit aut dubitavit esse peccatum originis, quod in primo libro περὶ ἀρχῶν, hujus non

Digitized by Google

non meminerit *Origenes?* Certe hinc errorem ſuum non hauſit *Pelagius.*

89 Quod ſi quis diſſerendi gratia colligat, quædam apud priſcos ambigua fuiſſe, quæ nunc certiora videri volunt quidam, ipſis pene dixerim Euangeliis, quæ tandem invidia conflatur neotericis? Intelligis, optime Lector, quam tenere ſenex ille deamarit neotericos, quibus omnia timeat, etiam tutiſſima.

90 Aut quis affirmavit, matrimonium non eſſe ſacramentum, propterea quod *Dionyſius* in Hierarchiis cæterâ commemorans, hujus non meminerit? Quod ſicubi talia recenſemus ex veteribus inter diſſerendum: cur illis ſuſpecti ſumus potius, quam illi nobis, cum undique petitis argumentis oppugnent & illa, de quibus vel dubitare hæreticum ſit.

91 Porro quod ideo vult perdiſci Philoſophiam, ut Philoſophorum errores refellantur, cur non & *Platonicam* in Scholas invehunt? Quanquam aliud eſt tenere dogmata Philoſophorum, aliud univerſam imbibiſſe Philoſophiam. Nam dogmata vel paucis tradi poſſunt: ut hîc cauſa non ſit, cur futurus Theologus tot annorum ſtudio ſeſe conficiat in *Ariſtotele.* Quod ego ſane non ex animo, ſed diſſerendi gratia dictum haberi volo. Ad hæc ratio, quam adducit ſenex, fortaſſis *Hieronymi* temporibus habebat locum, nunc cum Philoſophis nihil nobis negotii eſt, niſi velimus ipſi. Quod ſi eſt, eadem de cauſa perdiſcendi erunt Poetæ, quo falſam Deorum ſuperſtitionem, quam illi tradunt, refutemus.

92 Sed utcunque habent hæc, illud mihi vix ferendum videtur, quod *Paulum* apud *Athenienſes* facit ita prædicantem *Chriſtum*, ut inter diſſerendum de relativo & abſoluto, de natura & proprietate ſit facta mentio, licet *Scotum* aut *Thomam* non legiſſet, cum *Paulus* ipſe teſtetur ſe non prædicaſſe Euangelium doctis humanæ ſapientiæ verbis, ne fidei gloria, Philoſophiæ præſidiis tribueretur. Nec eſt probabile, illum ſtatim craſſis adhuc *Athenienſibus* aperuiſſe myſterium, quod *Chriſtus* idem Deus fuerit & homo, & quînam id fieri potuerit, cum *Paulus* apud hujuſmodi nihil noverit, niſi *Jeſum Chriſtum*, & hunc crucifixum: quaſi vero neceſſe ſit, omnium, quæ fide credimus, rationem ſcire. Certe ſatis liquet ex *Luca* narratione, quod *Paulus* illic agat de Deo Patre, qui condiderit univerſum hominum genus. Cæterum ubi perventum eſt ad *Chriſtum*, virum eum nominat, per quem Deo viſum ſit orbi ſuccurrere per fidem, cujus fidei pignus ſit, quod virum illum ſuſcitarit à mortuis. Porro non paſſim, neque ſtatim prædicatum fuiſſe Deum & hominem, ne quid offenderentur rudes adhuc, nec tanti myſterii capaces animi, docent *Origenes* & *Chryſoſtomus*, atque ipſum etiam Euangelium, in quo diſcipuli primum prohibentur prædicare *Jeſum Chriſtum.*

93 Hujus generis eſt & illud quod ſequitur, non potuiſſe fieri ut Apoſtoli fidei ſuæ rationem redderent, niſi prædicantes Verbum incarnatum, ſimul explicuiſſent, quid perſona, quid natura, quid ſingularis proprietas, quid communis natura, & quot omnino ſint unionum genera: quaſi Apoſtoli philoſophicis rationibus mundo perſuaſiſſent, ac non potius ſimplici ſermone, ne evacuaretur gloria crucis *Chriſti*, tum miraculis & vitæ ſanctimonia, poſtremo morte, quæ teſtis eſt efficaciſſimus. Verum, ut donemus, *Paulum* adverſus Philoſophos Philoſophiæ præſidiis uſum, ſi ideo nobis hæc diſcenda ſunt his temporibus, quod ille tum uſus ſit, magis ad rem pertinere videtur, *Ciceronis* libros evolvere, quibus ex Græcorum Philoſophorum fontibus adverſus *Epicureos* aſſerit immortalitatem animarum, quam *Ariſtotelicos.* Poſtremo quemadmodum ante ſublevabat Theologiæ candidatum Græculi conducti opera, ne cogeretur Linguis ediſcendis diſtorqueri: ita fortaſſis hîc ſublevari poterat, ſi per conductum quempiam Philoſophum hujuſmodi definitiones aut diſtinctiones in compendium redactæ Theologo futuro traderentur, ne cogatur tot annorum immenſis vigiliis ſibi parare totius Philoſophiæ cognitionem. Quam & hoc dixerim, non quod ita ſentiam, ſed ut clavum clavo pellam. Illud ſerio dicam, an Apoſtoli ſint uſi Philoſophorum argumentationibus non liquet, cum liqueat eos Poetarum teſtimoniis uſos: certe *Petrus*, qui primus omnium promiſcuæ multitudini prædicavit *Chriſtum*, referente *Luca*, nihil hujuſmodi ſuæ admiſcuit orationi. Poſtremo quid aliis videatur neſcio, mihi certe gratulor, quod ex Euangelicis & Apoſtolicis litteris ac veteribus doctoribus, *Chriſti* fidem hauſerim: nam meum animum alioqui leviter commoverent quorundam argutæ rationes, quas multi putant inevitabiles eſſe. Sive id recte ſentio, ſive ſecus, meum animum ſimpliciter, ut habet, aperio.

94 Poſt hæc oſtendit quæſtiones quaſdam, quas nos ut curioſas fortaſſe taxavimus alicubi, ſuum uſum habere alicubi: veluti cum quæritur, *an divina natura irrationali creaturæ, aut inanimato potuerit hypoſtatice uniri*, id per ſe ſuperfluum cum videatur, tamen habere locum, ubi de *Chriſti* ſepultura loquentes excutimus, utrum divinitas fuerit unita corpori exanimi, an ſeparata. Quid, ſi quis dicat, ne hoc quidem ita vehementer ad Chriſtianam Theologiam pertinere, præſertim cum id certo nec probari poſſit, nec refelli, ac ne hîc quidem conſentiant Theologorum judicia?

95 Item exquirere, *num divina ſimplicitas prorſus omnem compoſitionem excludat, formæ & materiæ, actus & potentiæ, ſubjecti & accidentis*, fortaſſis illius videbitur, de quo ſcriptum eſt: *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Neque vero quiſquam damnat, ſi hæc ſobrie tractentur in Scholis, ſed magna oſtentatione quidam hæc ad populum diſputant, & complures dormitantes ad cætera, ad hæc ferme ſola expergiſcuntur. Præterea, ut hæc exempla huic aut illi parum videantur idonea, certe nemo negat, ne ipſe quidem ſenex, quædam à Theologis tractari, quæ nihil ad veram Theologiam faciant. Et qui hæc tam argutis rationibus trahere poteſt ad utilitatem rei Theologicæ, ſolas Linguas, Poeticen ac Rhetoricen, trahere non poteſt.

96 Neque vero reprehendimus, quod *Ariſtotelis* Philoſophiam ad uſum Theologicæ cognitionis accommodamus, ſed quod pluſquam totum *Ariſtotelem* in mediam Theologiam invexerimus, quodque hujus auctoritati pene plus tribuant quidam quam Euangeliis. Utinam *Ariſtotelica* Dialectica ſimus contenti, ſed huic quantum adjecimus auctarium, & adjicimus quotidie? Verum, hîc non admodum urget ſenex, permittit ut è neotericis nobis deligamus quemlibet, modo ne cum veteribus habeamus commercium. Quem demiror, cur non vel *Auguſtino* dederit locum in hoc catalogo. Nam illud diſſimulo, quod indefiniti proloquii proferens exemplum, perinde eſt, inquit, ac ſi quis veteres diceret hæreticos, quaſi recentiores nihil haberent hæreſeων.

97 Nam quod *Pici* nobis adfert exemplum, qui ſex totos annos impenderit *Thomæ*, *Scoto*, & *Alberto*, deplorat ille temporis hujus jacturam: ſiquidem totam illam Epiſtolam declamationem eſſe non ſententiam, palam admonet in calce, ne quis ſimplicior falleretur. Sed quod deplorat *Picus*, idem audivi ſummos Theologos deplorantes, non quod pœniteret in Scholaſtica Theologia verſatos, ſed quod dolerent, in hac, & tam diu, & ſola ſe fuiſſe verſatos. Illud interim non poſſum non admirari, cum ſenex mira clementia ſublevet Theologiæ deſtinatum, ut nec Grammatica, nec Linguis, nec Oratoribus, nec Poetis velit diſcruciari, imo nec lectione divinorum Voluminum, nec veterum Interpretum, ne horum quidem, quos ſacroſanctos habet Eccleſia: ſimulatque ventum eſt ad neotericos inclementiſſime obruit miſerum juvenem, exigens ut nihil hujus generis non evolvat, *Petrum Lombardum*, *Alexandrum*, *Thomam*, *Scotum*, *Bonaventuram*, *Guilhelmum Pariſienſem*, *Armachanum*, *Altiſiodoranum*, *Holcot*, *Petrum de Alliaco*, *Gerſonem*, *Occam*, *Durandum*, *Aymonem*, *Gabrielem*, *Lyranum*, *Carrenſem*, *Ægidium*, *Adrianum*, *Tartaretum*, *Bricotum*, breviter omnes, qui in hoc genere Theologiæ & verſati ſunt, & verſantur,

& verſaturi ſunt. Nullius omnino libri gratiam facit, cum univerſa hominis ætas non ſufficiat his evolvendis. Saltem indulſiſſet, ut hoc temporis, quod juveni perit luſu, quod ſomno, quod compotationibus, quod obtrectationibus, id Linguis, Rhetoribus, ac Poetis impartiret.

98 Jam tametſi veritas ubique ſuum nativum habet decus, tamen ego malim egregiam formam, vel nudam, vel ſimplici mundicie, quam ſordibus conſpurcatam: malimque gemmas ex aureo vaſe, quam è terquilinio legere: malim egregium cibum munda patina quam immunda apponi. Verum hæc alias à nobis diſſerentur.

99 Porrò ut *Thomæ* inter neotericos plurimum alicubi tribuo, ita uſquam mihi dictum arbitror, quod ſolus legendus ſit. Nam quod cavillatur, non poſſe fieri, ut quis recentiores Auctores vel inter ipſos conferat, vel cum veteribus componat, niſi qui legerit omnes: viciſſim ab ipſo percunctabitur aliquis, num ipſe veteres omnes evolverit, quibus anteponit neotericos: deinde an neotericos etiam omnes evolverit, quod nullus, opinor, quantumvis inexhauſtæ lectionis audebit profiteri. Ad hæc, qui poteſt Poetam cum Poeta conferre, quod ille facit, niſi Poetas evolverit? Denique quid vetat, è guſtu judicare quædam, etiam ſi non perſpexeris omnia, præſertim cum paſſim damnent Theologi quidam, quod omnino non legerint, quorum aliquot nominatim recenſere poſſim.

100 Sub hæc cauſas reddens, quare neoterici coacti ſint *Ariſtotelis* Philoſophiam in Theologiam invehere, confert exemplum quorundam, qui præter veterum morem in tractandis Scripturis divinis, Grammatica quædam adferre conantur. Verum hæc cum dicit, non videtur, nec *Auguſtinum*, nec *Hieronymum*, nec *Origenem* inter veteres numerare, qui frequenter & tropum indicant, & verbi vim explicant, & ſermonem ordinant.

101 Verum an in *Thoma* & *Alberto* tantum veræ Theologiæ reperire liceat, quantum in veterum quocunque, etiamſi his detrahas quod à veteribus ſunt mutuati, quodque ex *Ariſtotele* invexerunt, prolixius eſt, quam ut paucis explicari poſſit: itaque præſtat hoc alteri tempori ſervare.

102 Quod ſi ideo totam Metaphyſicen perdiſcendam cenſemus, quod *Auguſtinus* adduxerit nonnihil de partibus ſeu potentiis animæ rationalis, deque hujus actibus, ad explicanda myſteria Triadis divinæ, multò magis erit diſcenda tota Aſtrologia, cum Aſtrorum in divinis Libris crebra fit mentio. Sed Philoſophiæ non ſum iniquior, modo ſobrie moderateque admiſceatur. Quod ſi de hac paucis admonuimus in *Methodo*, putabam non referre ut à me commendaretur, quod per ſe plus ſatis eſſet commendatum.

103 Jam quod divinæ Legis ſeriem per multos gradus deducit ad Scholaſticos, non arbitror mea referre.

104 Niſi quod ſatis contumelioſe notat veteres orthodoxos, quorum fuſus ac rhetoricus divina tractandi modus vergebat in perniciem Reip. Chriſtianæ, niſi neoterici cum ſuis gymnaſiis ſuccurriſſent: quaſi poſt nata gymnaſia, imo ex ipſis gymnaſiis non exſtiterint errores: aut quaſi nunc in judiciis non adferantur, quæ ad cauſam non attinent. Nam hîc mutati patrocinii confert exemplum.

105 Poſtremo loco cum recenſet diverſa Sophiſtarum genera, tametſi quidam ſuſpicaciores exiſtimant ſubeſſe varias ſtrophas, tamen illud mihi perplacuit, quod liberis convitiis inſectatur Sophiſticen, quam tamen in publicis Scholis adoleſcentes coguntur ediſcere, & ob quam taxatam *Baſilea* cum adeſſem, tantus tumultus à Theologis concitatus eſt, ut minimum abeſſet, quin ad manus veniretur. Sed quid ſibi velit ænigma de Medico ſophiſtico, aliis relinquo conjectandum, quando mea referre non poteſt.

106 Arriſit & illud, quod inter ſpeculativæ Theologiæ Sophiſtæ vitia commemorat, quod Poetas & Oratores parvi pendant, ſatis teſtans, eos Theologo magni pendendos eſſe, licet antehac diſſimularit.

107 Non aſſentior autem ſuſpicioni quorundam, qui totam imaginem, qua ſenex jam velut affatus nomine, repente ſic mutato ſtylo, ut alium pro ſene loqui dicas, depingit craſſæ Theologiæ Sophiſtam, exiſtimant in me tendere, cum tam multa ſint illic, quæ in me non hæreant. Nam non admodum contumelioſum eſſe duxerim, ſi quis me inter craſſos Theologos numeret, cum ipſe me inter nullos numerem. Neque enim novam Theologiam polliceor, quod quidem mihi ſatis invidioſe, ſed mendaciter impingunt: ſed veterem nimis hactenus neglectam pro virili reſtituo, & hanc receptam qua poſſum adjuvo.

108 Sapientiam nunquam mihi arrogavi, tantum abeſt ut totam apud me putem habitare: diſtinctiones & æquivocationes in Litteris ſacris nequaquam damno, ſed eos qui malis diſtinctionibus elabuntur, quos eoſdem paulo ante damnavit ſenex.

109 Quis autem tam inſanus eſt uſquam, ut Theologiam eandem faciat cum Rhetorica?

110 Illud dixi, fateor, quædam eſſe in Litteris ſacris, quæ ſi extra bonarum litterarum adminicula tractentur, frigeant ac jaceant: atque id ita eſſe, proclive ſit docere, ſi quis exigat probationem. Porro, parum homine dignam, vehemens *νεωτέρων* de ſuo adjecit.

111 Cæterum adverſus eos, qui nihil non tribuunt argutiis *Scoticis*, Poeticen ac Rhetoricen non facientes pili, in veterum commendationem adduxi, quod veteres illi Theologiæ principes, *Cyprianus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Victorinus*, *Hieronymus*, non è *Stoa* aut *Lyceo*, ſed è Rhetorum Scholis nobis profecti ſunt. Quod autem confirmat, nos haud dubie dicturos idem de *Paulo*, ni is præveniens negaſſet eam eſſe ſitam in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ut non evacuetur crux *Chriſti*, primum vatem ſe facit: deinde quod *Paulus* de Philoſophorum oratione dixit, torquet ad Rhetores, etiamſi *Pauli* ſermo propior eſt rhetorico, quam philoſophico: & in hoc *Auguſtinus* ſchemata Rhetorum demonſtrat, Dialecticorum argutias non indicat.

112 Mox quod ſequitur, in quem dictum ſit alii divinent, in me dictum videri non poteſt, apud quem Linguæ & Rhetorica uſquam facit utramque paginam, qui fatear Linguas eſſe prima rudimenta, non faſtigium, & Rhetoricen, progymnaſma tantum eſſe ad Theologiam.

113 Quis autem hoc nomine tollit *Origenem* in cœlum, quod Rhetor ſit, & Linguarum peritus: ac non potius, quod nemo Scripturas divinas interius introſpexerit, nemo diligentius tractarit?

114 Quid autem piaculi, ſi hoc nomine placeat Liber, quod purus, caſtus & elegans ſit? An ipſe impurum, impudicum, & inelegantem mavult? Quid autem flagitii, ſi colitur aut defenditur homo bonarum litterarum nomine? An potius defendendus, qui malas colit litteras? Quid autem mirum, ſi rejicitur Liber quia barbarus, niſi fuerit, cujus utilitas excuſet ſermonis barbariem? Barbarus eſt Apoſtolorum ſermo, nemo tamen horum ſcripta rejicit.

115 Quam hîc non ſenilis orationis impetus, dicas Poetam ſuo furore lymphatum: ſed pergit ſenex: *Malunt*, inquiens, *dum loquuntur non intelligi, quam à Latinitate vel tranſverſum unguem deflectere*: quaſi ſtatim dilucidius ſit, quod barbarum eſt, aut quaſi qui Latine loquuntur, potius debeant habere rationem male loquentium, ut in illorum gratiam dediſcant Latine, diſcantque barbare: quam hi loquentium emendate, ut in illorum gratiam dediſcant barbare, ac diſcant Latine. Quanquam neminem adhuc vidi tam moroſe Latinum, quin ſe frequenter ad auditorum captum accommodet.

116 Deinde falſus homo Linguam Hebræam, Latini ſermonis ſtudioſus, duplici nomine facit invidioſam, primum quod eam *Hieronymus* barbaram vocet, qua-

Digitized by Google

quasi *Plautus* non vocarit & Romanum sermonem, barbarum: deinde quod *Hieronymus* huic non sine jactura Latinæ dictionis dederit operam, quasi non idem usu veniat in Græcis Auctoribus diutius versanti.

117 Pergit: *Hic*, inquit, *parum placet, quod dicendi flavius in rebus divinis & Ecclesiæ dogmatibus alveo & ripis coerceatur, quod non libere cuivis quidvis licuit asserere vel negare: his displicent leges & canones, & pœne contra hæreticos & schismaticos decreta, dicunt non rationibus, sed terroribus defendi dogmata Ecclesiæ: ὡς νεανικῶς ταῦτά γε ἐγίγνων*, quanquam hîc nihil video quod ad me pertineat. Ut recte coerceatur hæreticorum pertinacia, Episcoporum sæveritate, aut ministerio profani magistratus, certe Theologorum est docere. Et *Augustinus* in Epistolis nullo pacto probat, ut hæretici cogantur tantum, non doceantur. Neque raro, neque indiligenter intercedit pro *Donatistis*, sævissimis non hæreticis modo, verum etiam latronibus, ne lævirentur à præfectis in illorum corpora. Postremo non protinus hæreticum est quod nobis non placet, quando sæpe fieri videmus, ut quod huic sapit hæresim, illi non sapiat: & quod hæc Schola damnarit, ab aliis probetur.

118 Cur autem negetur hoc Scriptoribus horum temporum, quod sibi postulat divus *Thomas*, cui hoc minus debetur venia, quo doctior est? Cur negetur libertas commentariorum in recensendis opinionibus, quam non solum appellat *Hieronymus*, sed qua nemo recentiorum non utitur.

119 Cur autem pro dogmate postulent expendi, quod disputandi gratia proponitur in medium? Cur in hoc laborantibus ut prosint, non detur eadem venia, quæ nulli Scriptori non datur? Fortassis qui hæc dicunt, putant se Deos esse, ut venia nusquam egeant.

120 Admonui quodam loco, ut in Litteris divinis ea potissimum tractemus quæ nos transforment in *Christum*, potius quam sine fine digladiemur in hujusmodi quæstionibus, *utrum peccatum mera privatio sit, an commutet quiddam accidens anima*. Illud potius agendum Theologo censeo, ut omnes oderint horreantque peccatum: id, ut videtur, hunc senem male habet, ac sic agit, quasi peccatum nullo pacto dici possit ens: aut quasi consequens sit, si Deus sit omnium bonorum auctor, & peccati non sit auctor, quia mali sit privatio, idcirco nos debere sine fine in hujusmodi quæstiunculis conflictari potius quam ea curare, quæ nos cœlo dignos reddant. Obsecro, Lector optime, utrum potius censes, in *Ciceronis* libris versari, in Apologis præludere, aut Poetarum fabulis, an hujusmodi figuratos Apologos legere? Si verum esset, quod quidam suspicantur: & si Christianus pudor tam parum valeret apud me quam apud quosdam, declarassem qualem in se provocassent artificem, efficeremque ut intelligerent, hanc meam lenitatem non ab hominum metu, sed à Christiana mente profectam esse. Sed quod mihi compertum est, est alter quidam ex meris dolis, technis, fucisque compositus, consutus, conflatus: ad mendacia, ad obtrectationes, ad glorias, ad sycophantias natus, factus sculptusque: qui nihil non machinatur, ut sibi celebre nomen paret apud posteros, & alios sui memores faciat, male merendo de iis, qui de omnibus studeant bene mereri, videlicet via ad parandam famam mire compendiaria, sed omnium sceleratissima. Non dico quis sit, neque cujas sit, neque ubi gentium agat, nec dicturus sum, nisi ipse sese prodiderit.

121 Sed quando *νεογέων* jam ad sese rediit, nos quoque leniore stylo quæ sequuntur, persequamur. Nam quod admonet, potius enitendum cuique ut ipse consistat in medio, quam ut alios doceat à medio defluxisse, recte quidem monet, etiamsi in toto hoc libro multo aliud agitur.

122 Quin & illud recte senex, veram Theologiam omnibus scientiis ut ancillis uti: at non recte qui quasdam ancillas æquant aut etiam anteponunt dominæ, aut quod est inhumanius, explodunt ac mutilant. Nec mea refert utrum illæ à Theologia, an Theologia ab illis pendeat, cum fateatur Theologiam absque illis neque sciri, neque tractari posse.

Placuit & illud, quod si quid vitiorum irrepsit in exercitationem Scholasticam, resecetur aut repurgetur id quod inutile est, maneat quod rectum est. Sed quidam hoc agentibus, nimis odiose reclamant hactenus, & necessarium ac utile videri volunt, quibuscunque assueverint ipsi, nec sinunt melius esse bonæ spei juvenibus, quam ipsis fuerit. Sed ut finiam, cum senex non neget, esse duo genera Sophistarum in Theologia, cur si quid in hos dicitur, sic quidam rapiunt, quasi sit in omnes Theologos dictum? Vides igitur, humanissime Lector, tametsi quædam insunt in hoc Dialogo, quæ probabilem habeant suspicionem, quasi nonnihil ad me pertineant, tamen multo maximam partem in me non hærere. Verùm quoniam videbam periculum, ne cum Lector animadvertisset unum aut alterum locum in me tortum, putaret cætera omnia in me detorta esse, quæ fortassis in *Lutherum*, aut *Petrum Mosellanum*, aut *Huttenum*, aut alium quempiam destrinxit, occurrendum putavi. Proinde de utroque nostrum male merentur, qui nos hac onerant suspicione, *Jacobum Latomum*, quasi me voluerit hoc Dialogo configere: & me, quasi sim is, in quem hæc omnia competant: quin de tota hac Schola pessime merentur, qui spargunt rumorem, hunc libellum non unius esse *Latomi*, sed communi opera Theologorum esse conflatum. Poteram ad quædam copiosissime respondere, verum nec mihi visum est in his multum operæ ponere, neque committere volui, Lector, utcum meliorum jactura, diutius in hisce frivolis meis detinereris. Bene vale. *Lovanio* 28. Martii, Anno 1519.

APOLOGIAE IN DIALOGVM JAC. LATOMI FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA
PRO DECLAMATIONE MATRIMONII.

Des. Erasmus Roterodamus Lovaniensis Academiæ cum primis inclyta Studiosis S. D.

QVANDOQVIDEM & res notior est quam ut dissimulari possit, utpote publicitus in frequentissimo promiscuoque cœtu gesta, & suspicio altius insedit pene omnium animis, quam ut sponte videatur elapsura, præsertim cum non desint, qui eam suis sermonibus, ac sinistris interpretationibus magis etiam infigere conentur: visum est hac Apologia, penitus exemta omnibus suspicione, simul & eximii Theologi *Joannis Atensis*, hujus celeberrimæ Scholæ Vicecancellarii, dignitatem, & meam tueri innocentiam. Siquidem is in actu publico, quo *Carmelita* quidam Theologus, proximis diebus donandus esset honore, quem vocabulo

Digitized by Google

bulo recepto verius quam Latino, *Licentiatum* dicunt, ex more recitavit Orationem, variis & affectatis strophis differtam, in meum, ut multis visum est, caput contortis. Ea res cum mihi complurium eruditorum voce prædicaretur, non minus in suspicione, quam in narratione consentientium, simulque & alioqui non paucæ conjecturæ probabiles concurrerent, quas omnes hîc prudens omitto: tamen quominus eadem suspicio descenderet in pectus meum, partim in causa fuit animus meus, nullius rei sibi conscius, ob quam ejusmodi dictis obnoxius videri possim, (neque enim suspicax est innocentia) partim jam pridem mihi perspecti *Joannis Atensis* mores & ingenium: cujus nec integritatis esse judicabam, hominem immerentem famosa Oratione adspergere: nec humanitatis, amicum ipsi toto pectore fidentem, etiamsi quid hominum more fuisset erratum, atroci hæreseos crimine publicitus traducere: præsertim cum is & præsens esset, & admoneri non solum vellet, verum etiam frequenter & obnixe rogasset ut admoneretur. Siquidem fieri posset ut quod scriptum est, aut non intelligatur, aut secus interpretur aliquis quam senserit is qui scripsit. Denique ut nihil aliud, sicut nos ut homines labi possumus scribendo, ita possunt & alii labi reprehendendo, nimirum homines & ipsi. Postremo neque prudentiæ tanti viri videbatur esse, hanc aperire fenestram, & exemplum periculosum in Scholam Theologicam inducere, ut obliquis dictis in cujuslibet famam posthac incursaretur, & quod primum in merentem, ut hoc demus, cœptum esset, mox fieret & in immerentem, præsertim in actu serio. Nam idem fortassis excusatius fieret in Disputationibus, quas *quodlibeticas* vocant, aut in præludionibus, quas *vesperias* dicunt, quibus ex more, solenni magis quam decoro, conviciis incessitur Doctoris honore decorandus, consuetudine, sicut apparet, à priscis usque ritibus Ethnicorum ad nos derivata, in quibus hujusmodi sudicris scommatis exercebatur mox mysteriis initiandus, quod satis testatur *Enthydemus Platonis*, & Asinus *Apulei*. At hîc cum seria res ageretur, & ageretur auctore tam gravi, plane libebat vel ab omnium opinione dissentire. Meam sententiam confirmat *Martinus Dorpius*, qui nos invisens postridie testatus est, præsente venerabili viro *Ægidio Delpho*, nihil in ea fuisse Oratione, quod in me tortum esset. Tantum ad me fortassis pertinere quod hæresim notasset, matrimonium cœlibatui præferentem: qua de re dicebat perperam ad illum delatum fuisse ob declamationem *De laude matrimonii*, quod illic viderer matrimonium nonnullis anteponere cœlibatui. Atque hîc quoque agnosco civilitatem *Joannis Atensis*, cui cum forte persuasum esset, rem sic habere: tamen à nomine meo abstinuerit, rem notasse contentus. Neque enim mirum est uni persuaderi, cum tam multi sint qui instigent, nemo sit qui in diversam partem veris consiliis revocet.

Supereſt igitur ut paucis declarem, verissimum esse quod *Dorpius* dixerat, perperam fuisse delatum *Atensi*, cui libellus, ut audio, nondum erat lectus, utpote negotiis gravioribus occupato. Itaque delator ille quisquis fuit, mea sententia, non minus injurius in *Atensem*, quam in me fuit. Etenim nisi clarissimis argumentis docuero, neque dicere me quicquam hujusmodi, neque sentire, nolim mihi prosint in hac causa, quibus tamen satis futurus sim tutus ab hæresi, etiamsi nullum aliud esset præsidium. Quorum illud est primum, ut ab infirmissimis exordiar, quod hoc libelli, juvenis scripsi ante annos, ni fallor, viginti quinque. Nec alio sane lemmate divus *Hieronymus* excusat Commentarios suos in *Abdiam* priores, Opus maxime Theologicum ac serium. Sed esto, inquient, juvenis scripsisti, verùm edidisti senex. Edidi quidem, sed edidi tanquam juvenile Opus, & ob id majore venia legendum, præsertim cum illic nihil viderem magnopere, quod esset removendum. Nisi fortasse si *Virgilius* Culicem senex edidisset, aut *Homerus* Batrachomyomachiam, ne perirent prima studiorum progymnasmata, ex his senes etiam æstimandi fuissent. Volui juventæ meæ specimen præbere juvenibus, ut ipsi consimilibus argumentis tractandis, ingenium pariter & stylum exercerent. Atque id tum mea, tum *Frobenii* præfatione testatum esse volui. Jam quando Declamationem, ut est, inscribo, nonne vel ipse titulus me satis ab omni periculo vindicaret, etiamsi prorsus in toto libello matrimonium cœlibatui prætulissem? Quis enim nescit, Declamationes exercitandi ingenii gratia in fictis thematis versari? Quod Græci magis ipso vocabulo testantur, μελέτας eas appellantes, quasi dicas exercitamenta. Tum harum hanc esse naturam, ut in utramque partem tractentur: veluti pro tyrannicida, contra tyrannicidam: pro raptore, contra raptorem: pro bello, contra bellum: pro *Alexandro*, contra *Alexandrum*: quod utrinque collatis propositionibus ac probationibus, plurimum accedat judicio & inventioni, quæ duæ res ad eloquentiæ facultatem valent plurimum. Quod si febrem aut ebrietatem laudassem, iniquum erat in adumbrato argumento hæresis meminisse. Quod si sunt, qui quid sit μελέτη Græcis, aut Latinis *Declamatio*, nesciunt, non opinor æquum ut mihi fraudi sit cujuspiam imperitia. Jam quo magis liqueat, non alio consilio scriptum à me quicquid est hoc libelli, exstat tum apud me, tum apud alios complures Opus, quod olim institueram, *De conscribendis Epistolis*, in quo comperietur hoc argumentum tractatum in exemplum Epistolæ suasoriæ. Atque inibi diversam partem reperies additam, quæ ab uxore deterreat. Eam quo minus simul ederem, nihil aliud in causa fuit, nisi quod olim pertæsus laboris, tantum propositiones & argumenta congesseram, indicans otioso, quibus modis pars ea tractari posset. Quæ ut est multo fœcundior, ita prolixius volumen requirebat, præsertim cum id à Græcis ac Latinis Scriptoribus aliquot declamatum viderem. Proinde nec vacabat tractare rem in volumen exituram, nec libebat à multis tractatam. Quod si quis urgeat, in nullo scripti genere dicendum esse quod pugnet cum Christiana veritate, quo nomine tuebimur Theologos recentiores ferme omnes, qui rationibus adductis colligunt, fornicationem simplicem, ut interim ipsorum verbis utar, non esse peccatum. Rursum diversis adductis rationibus colligunt, esse flagitium capitale. Sit enim hoc exempli gratia positum: præsertim cum hîc ingens sit periculum, ne plerisque nimium placeant argumenta partis prioris. Atque id faciunt in Opere serio, cum ego Declamationem duntaxat pollicear. Quid si Declamatione Virginitatem vituperassem, quo magis alios ad laudandam Virginitatem lacessierem: quemadmodum apud *Platonem Glauco* ficte vituperat justitiam, ac laudat injustitiam, hoc agens, ut *Socratem* ad defensionem justitiæ provocaret? fortasse temeritas aut ineptia dici posset, hæresis non posset. Quisquis enim Declamationem profitetur, ipse sibi fidem abrogat: ac de ingenio periclitari potest, de fide non potest. Ego laudans matrimonium versor in re laudatissima, quam si persuasero, nihil sit periculi: eamque sic effero, ut virginitatem tamen præferam, quippe quam Angelis, Apostolis, & Apostolicis viris tribuo: sed quam in aliis præfero, in hoc, quem mihi fingo, non probo. Ne dicam interim, quod quæstionem tracto, non generalem, sed circumstantiis adstrictam. Fingo nobilem juvenem, optimo genere natum, cujus propagandi spes omnis ab uno pendeat, huic præfero matrimonium, non omnibus. Quod palam est, cum ex aliis compluribus locis, tum ex ipsa statim divisione, cum ajo: *Nisi clarissimis rationibus ostendero, id fore tibi longe tum honestius, tum utilius, tum jucundius.* Quid, quod hoc etiam tempore necessarium? Nemo tam superstitiosus est, opinor, qui neget esse, quibus potius esse debeat matrimonium quam cœlibatus. Alioqui si tantum habet momenti propagandi generis ratio, ut coacervator Theologicarum Sententiarum

Digitized by Google

rum lib. IV. dist. XXXIII. §. *Quæritur hic de antiquis*, non dubitet Patriarcharum πολυγυναικίαν nostro æquare matrimonio, & illorum temporum fornicationem comparet nostro conjugio, nec alio nomine excusset *Abraham* cum ancilla concubitum, & filiarum *Loth* incestum, quem *Origenes* quorundam conjugio pene præfert: cur nos dubitemus simile quiddam colligere, si fingatur similis conjugii causa? Siquidem hîc, ut diximus, expositis circumstantiis argumentamur, quibus facimus etiam necessarium matrimonium, ac ne sic quidem præferimus conjugium virginitati, sed cœlibatui.

Fortassis qui detulit hoc crimen, seu potius calumniam, putat *cœlibem* dici Latinis, qui puram & incorruptam ducit vitam, cum lenones quoque ac perditissimi nepotes, ne quid dicam obscœnius, cœlibes dici queant, modo ne habeant legitimam uxorem. Atque è diverso nihil prohibet in conjugio virginitati locum esse. Rursum hîc velim impetratum ab æquis lectoribus, ne quid officiat mihi, si quis parum noverit Latine, præsertim in tali crimine, quod palam in *Atensi* deprehendi, & qui post editum in Scholis oraculum, apud me fassus est, se *cœlebatum* habere pro cœlesti castaque vita, & *Declamationem*, pro concione sacra. Equidem erratis humanis libenter ignosco, verùm illud demiror, istos pro meris tricis homines ad palinodiam adigere, qui in talibus offensis non dignantur vel unico verbo placare fratrem, aut sarcire famam temere læsam: quasi malint orbem incendio miscere, quam ipsorum auctoritati pilum decedere. Non arbitror rem esse periculosam, laudare matrimonium, præsertim cum à me laudetur matrimonium simillimum virginitati, in quo uxor gignendæ proli, non libidini, habetur. Ac ne singula persequar, quæ carptim in libello hic aut ille, ut est cuique ingenium aut animus, arrodit (nam rationibus undique petitis rem ago, quod genus est illud, quod alicubi dictum, *stimulos gignendi non à peccato, sed à natura profectos*, cum agatur de iis stimulis, qui rationi non repugnant. Item illud, quod *saxum verius quam hominem dico, qui voluptate non tangatur*, cum palam indicem me de licito coitu loqui, quandoquidem addo, *præsertim si citra Numinis offensam possit contingere*) veniam ad locum, quo suspicor eos potissimum offendi, in quo sic loquitur is quem facio suadentem, *Sanctissimum vitæ genus est, pure casteque servatum conjugium.* Nam hîc plane videor matrimonium omni præferre statui. Primum respondere poteram, *sanctissimum* ὑπερβολικῶς, nihil aliud pollere, quam cum primis sanctum. Deinde conveniebat perpendere, non simpliciter prælatum esse conjugium, se *pure casteque servatum*: ut non tam de vitæ disputetur instituto, quam de moribus in utroque genere versantium. Nihil enim vetat, quo minus ut *confessum* ipsos consídentes, & *ordinem patricium* aut *equestrem* ipsos patricios aut equites vocamus, ita *vitæ genus* dici, qui in hoc aut illo vitæ genere versantur. Qua de re ne quis dubitare possit, faciunt quæ mox præcesserant, unde in hunc sermonem ventum est. Ea sic habent: *Nunc is est rerum ac temporum status, ut nusquam reperias minus inquinatam morum integritatem, quam apud conjugatos.* Quæso, Lector optime, quid dici potest apertius? His congruunt quæ mox sequuntur, *Atque utinam vere castrati sint, quicunque suis vitiis magnificum castrationis prætexunt titulum, sub umbra castitatis turpius libidinantes: neque enim mei pudoris esse puto commemorare, in quæ dedecora sæpe prolabantur, qui naturæ repugnant.* An non hic sermo satis clamitat, me non de vitæ genere, sed de morum corruptela loqui? Tot sunt apud Christianos examina, sic amplectentium cœlibatum, ut in perpetuum sibi ipsis interdixerint usum conjugii, quorum multo maxima pars non tam castitatis studio, quam quæstus aut otii gratia sese addicunt huic instituto: inter hos quæ libidinum portenta, & quam passim reperiantur, norunt ii, qui quotidianis secretorum admissorum auditionibus vacant. Etiam atque etiam rogo, ne quis hîc me cogat esse disertum. Nolim ullam gentem, aut ullum mortalium ordinem meis dictis adspergi. Prudens Lector tacitus secum agnoscat quid sentiam, & quid gemam. Sit satis hoc indicasse.

Ad hæc, si maxime versatus essem in argumento serio, ac studio attollendi conjugii, virginitatis dignitatem adspersissem alicubi, quid aliud accidisset mihi, quam quod evenit *Hieronymo*? qui dum totis viribus depugnat pro gloria virginitatis, sæpe iniquior est matrimonio, non enim dicam injurius: adeo ut multorum litteris ad palinodiam revocaretur. Quin divus *Augustinus* sic attollit bona conjugii, ut existimem non defuturum quod possit arrodi, si modo ademta vetustatis & auctoritatis prærogativa, tam iniquos habeat judices, quam mihi se præbent quidam, etiam ea calumniantes, quæ non intelligunt. Non est perniciosum discrimen, in comparatione alicubi dissentire, modo de utroque magnifice sentias: veluti si hic *Carmelitarum* institutum, ille *Prædicatorum* anteferat, cum uterque utrumque sic miretur, ut differentiæ ratio in tenuissimo confinio sit. Denique perpendendum & illud, quod in præsentia non disputo, sed integrum in aliud tempus servo, an ut error dici possit, si quis simpliciter conjugium præferat cœlibatui, ita possit & hæresis appellari. Siquidem ut juxta *Tychonii* dictum, *non continuo sanctum est quod volumus*: ita non protinus hæreticum est quod nobis non placet. Neque enim *Christus* simpliciter beatos vocat, qui se castrarunt, sed addit, propter regnum Dei. *Paulus* item non absolute præfert cœlibatum, sed ob certas causas, quibus sublatis, aut in diversum commutatis, fortassis verteretur & comparationis ordo. Sed de hac re nihil interim nec disputamus, nec asseveramus.

His paucis pro tempore putavimus eximendam animis omnium falsissimam plurimorum suspicionem, juxta indignam vel *Joan. Atensis* prudentia gravitateque, vel nostra innocentia. De cæteris, quæ quidam rapiebant in suspicionem velut in me jacta, facile mihi satisfecerunt, tum ipse, tum *Dorpius*, atque etiam *Delphus* ac *Bintius*, cum mihi jam antea meus animus abunde satisfeciisset. De cœlibatu prælato, tametsi de me delatum esset, rem annotavit *Atensis*, non me, penes quem an is error esset, nondum compertum habebat. Cur igitur hîc non dicam quod dixit *Archelaus* per errorem aqua respersus, *Non me respersit, sed quem me esse putabat*? tametsi negari non potest, multo levius esse respergi aqua, quam hæreseos crimine. Jam hoc ipsum indignabuntur, opinor, quod Theologo hujus Academiæ principi tribuam incogitantiam, qui ex delatione publicitus damnarit quod non legerat. Atqui hoc erat ipsius cavere, ne merito in eum dici posset: *hoc erat eorum, qui senem ad hanc fabulam instigarunt.* Et qui instigarunt, hi maxime indignabuntur: nisi forte putant æquum, ut ego sim potius hæreticus, quam illos patiar alicubi parum attentos videri, qui manifestum odium in me proferunt. Opinor in libris meis nihil esse, quo quispiam deterior reddi possit. Hominem me esse fateor. Animum juvandæ pietatis cupidum præstiti, eventum polliceri non possum. Candidum & æquum lectorem ubique postulo, qui si desit, nec in *Cypriano*, nec in *Hilario*, nec in *Hieronymo*, nec in *Ambrosio*, nec in *Augustino*, nec in *Scoto*, nec in *Thoma*, nec in *Petro Lombardo*, nec in *Gersone*: ut finiam, in nullo neque veterum, neque recentium aberit, quod ad hæresis crimen trahi possit. Ut ne commemorem interim, quod *Lactantium*, quod *Poggium*, ac *Pontanum* etiam taciti legimus. Porro qui alienorum voluminum se facit censorem, primum hoc agere debet, ut rem penitus intelligat: deinde ut rationem, non affectum habeat in consilio: nec enim judicat livor, nec simplices oculos habet odium aut ira. Postremo meminerit Christianæ civilitatis, ne vices iniqui judicii in ipsum aliquando recidant. Quis enim

enim mortalium unquam omnibus horis ſapuit? Quis tam circumſpecte ſcripſit, ut ubique placeret omnibus, præſertim cum inter paucos etiam tanta ſit ſententiarum varietas? Id quod mihi non ſemel ipſa re compertum eſt. Sed jam ſimul & Apologiæ, & falſæ A ſuſpicionis modus eſto. Nam ego ſane malebam hoc operæ in paraphraſim, quam inſtitueram in Epiſtolam ad *Galatas*, conſumere. Bene vale quiſquis es, optime Lector. *Lovanio* 1. Martii, Anno 1519.

APOLOGIAE PRO DECLAMATIONE MATRIMONII FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA
DE IN PRINCIPIO ERAT SERMO.

Deſ. Eraſmus Roterodamus piis & æquis Lectoribus S. D.

CVM nuper ex compoſito velutique ſigno dato, aliis alii locis coorti eſſent in me, qui nunquam non moliuntur aliquid adverſus optima ſtudia, ac ſub prætextu Chriſtianæ religionis pugnant adverſus pietatem Chriſtianam, quo præſentem tumultum utcunque ſedarem, ex tempore tum reſpondi, quæ poterant imparato venire in mentem. Videbam enim cauſam ejus eſſe generis, ut nunquam ſuſpicatus ſim, quenquam fore tam impudentem, ut ex ea re mihi moveret litem. At iſti putabant ſe telum eſſe nactos inevitabile, quod nullo clypeo poſſet repelli, nec ullo deflexu corporis evitari. Inſultabatur amicis, adornabatur, imo agebatur triumphus, ego victus ac triumphatus traducebar. Ubi, inquiebant, nunc eſt *Eraſmus?* Ubi ſunt qui lapſus illius conantur defendere? hîc colorem aliquem proferant, quo lapſui tam manifeſtario, tam impio patrocinentur. Hic denique captus eſt, hic tenetur medius. In Euangelio *Joannis* perperam mutavit lectionem Eccleſiaſticam, & pro eo quod hactenus Eccleſia legit: *In principio erat verbum*, ille vertit, *In principio erat ſermo.* Ac primum res inter conjuratos muſſabatur, mox per emiſſarios communicatum eſt omnibus ſtratagema, eodem tempore ſimul omnes inciperent vociferari apud populum, rem eſſe tam atrocem, ut nemo laturus ſit, protinus omnes conſurrecturos ad lapidandum tam impii facinoris auctorem. Viſum eſt omnibus cautum conſilium; Victoria erat in manibus. Non refert admodum, ubi primum *Alecto* ſurda buccina belli ſignum dederit: certe primus rumor allatus eſt è *Britannia.* Tam horrendus erat crepitus, ut hîc etiam exaudiretur. Parcetur nomini, parcetur ordini, cum ille mihi non pepercerit. Etenim cum diceret apud populum, in quo pene nemo non novit *Eraſmum*, cum attingeret locum qui ad neminem pertinebat præterquam ad me, quid retulit ſuppreſſiſſe nomen? Atque is erat Theologiæ titulo ſuſpiciendus, religionis profeſſione venerabilis, atque etiam Epiſcopica dignitate præminens. Is *Londini* in urbe totius *Angliæ* celeberrima, in loco totius urbis celeberrimo, nimirum in cœmeterio divi *Pauli* profeſſus ſe dicturum de caritate Chriſtiana, ſubito totius caritatis oblitus cœpit impotenter debacchari in Novum Teſtamentum à me verſum, & nominatim in hunc locum ex Euangelio *Joannis: In principio erat verbum: En*, inquit, *rem indignam. Nos qui jam tot annis ſumus Doctores ſacræ Theologiæ, denuo cogimur adire ludos litterarios. Nam cum hactenus annis plus mille tota Eccleſia legerit*, In principio erat verbum, *nunc tandem, ſi ſuperis placet, Graculus quiſpiam docebit nos, legendum eſſe*, In principio erat ſermo. *At divus*, inquit, *Auguſtinus cum oſtendat Græcam dictionem* λόγος *Latine ſignificare &* verbum, *&* rationem, *tamen placet ei magis* verbi, *quam* rationis *vocabulum in hoc ſane* B *loco. Siquidem* verbum *magis quadrat ad ſignificandam ſecundam Perſonam in divinis* (his enim verbis utebatur) *propter rationes quas allegat Auguſtinus. Sed eas*, inquit, *rationes iſti Græculi non intelligunt, & audent tamen contaminare Scripturas.* Hæc & alia multa cum non minus indocte quam ſeditioſe deblateraſſet, exiſtimans rem pulchre declamatam eſſe, cœpit zelo (ut ajebat) fidei Chriſtianæ implorare auxilium præfecti *Londinenſis*, quem illi vulgo *Majorem* vocant, (nam is C ex more ſolet ejus loci concionibus adeſſe) implorare ſubſidium & opem civium ejus urbis, præberent ſe viros, nec ſinerent ejuſmodi tranſlationes novas, quæ Scripturæ ſacræ ſubverterent auctoritatem, ſerpere latius. Riſerunt hominem cum ſua ſtoliditate quotquot aderant eruditi. Ex idiotis qui paulo cordatiores erant, indignabantur, quod ejuſmodi nugas afferret, nihil facientes ad populi negotium. Ipſe ſibi placebat, fretus ſuffragio paucorum ejuſdem farinæ.

Eodem ferme tempore *Bruxellis* in Æde ſacra divæ *Gudulæ*, *Carmelita* quidam, Theologicæ profeſſionis Baccalarius, non addam nomen hominis, cum ille nomen meum non ſuppreſſerit, doctus à ſuo præceptore, ob D animi ſtuporem vulgo dicto *Camelita*, qui ſi tam placeret *Chriſto*, quam ſibi placet, non cederet divo *Paulo*, in populi frequentia è ſuggeſtu dixit inter cætera, eſſe quendam *Eraſmum* qui non vereretur corrigere Euangelium ſancti *Joannis* (jam enim annis aliquot nemo *Lovanii* receptus eſt in ſodalitatem Theologicam, niſi ſimile dederit ſui ſpecimen: nec initiantur ſacratiſſimis illis Theologiæ myſteriis, niſi ſe declararint inſigniter impudentes ſycophantas.) Cordatis & eruditis majorem in modum diſplicuit ſtolida juvenis audacia: plebs imperita ſuſpicabatur aliquid mali. *Lutetiæ* non diſſimilem huic fuiſſe tumultum, ex amicorum litteris cognovi. Eadem blaterantur paſſim, apud mulierculas, apud negotiato- E res, apud primores aulicos, quorum ut ſunt nonnulli qui valent judicio, ita ſunt quibus in rebus hujuſmodi non difficile ſit imponere, præſertim cum accedat cultus ille propheticus, & ut Græci dicunt ἱερο-πρεπὴς, cum frons & ſupercilium, quod pollicetur virum quantivis pretii, cum accedat titulus ille reverendus, cum callida fucataque religionis ſimulatio, qua falluntur & egregie cordati. Hæc ſeu bene habent, ſeu male, quid ſeditioſius, quam vociferari apud imperitam multitudinem? Nos illa doctis ſcripſimus, non populo: privatim legi cupimus, non publice. Manet Scholis ſua translatio, manet Templis ſua. Nec ipſi ſecus legimus aut canimus, quam cæteri. Nec hoc F unquam poſtulavimus à Romano Pontifice *Leone*, (cujus hortatu laborem hunc primum evulgavimus, cujus auctoritate freti denuo recognovimus) ut tolleret veterem ac receptam translationem, ſed ut ex noſtra hac domi collata, illa & dilucidior eſſet, & minus depravata. Hîc ſi quid parum probant, aut coram admonere debuerunt, aut ſcriptis refellere. Nunc evulgant, quod erat inter eruditos diſputandum, & evulgant apud coriarios, apud textores, apud mulierculas. Id erat abſurdum, etiamſi vera prædicarent. Nunc per-

Digitized by Google

perverso studio mentiuntur, depravant, calumniantur ac præstigiis fallunt populum, quo magis irritent. Etenim cum audit plebecula, esse quendam qui corrigat Euangelium *Joannis*, non intelligit mihi rem esse cum interprete Latino, tractareque, an potuerit commodius reddi quod ille vertit, sed arbitratur me damnare quod ipse scripsit Euangelista. Neque secus interpretatur cum audit esse qui corrigat precationem Dominicam, qui corrigat salutationem Angelicam, qui corrigat Canticum Virginis matris, quod vulgo dicunt *Magnificat*. Neque populus tantum sic interpretatur, verum etiam quidam qui vulgo sophi & Rabini volunt haberi. Eos digito designare possim, si velim. Sunt enim qui cum sibi pulchre docti videantur, vix norint *Joannem* aliter scripsisse quam Latine. Erant qui crederent editis *Hieronymi* voluminibus, non me sustulisse mendas è codicibus depravatis, sed mutasse verba *Hieronymi*, & ex parum elegantibus reddere conatum elegantiora. Neque me clam est, magna ex parte ludi operam, quæ his refellendis sumitur. Sed tamen quod ad *verbum* & *sermonem* attinet, quoniam tam impudenter, tamque seditiose clamatum est, paucis respondebo.

Principio fingamus in sacris Litteris nusquam *sermonis* voce notari Filium Dei, num ideo nefas esset eum sic appellare, cum juxta hos idem valeat *sermonis* & *verbi* vocabulum, quoties de rebus humanis loquimur? Nam res divinas nullæ voces hominum proprie exprimunt. An quia Deus Pater tantum dicitur *Pater* (nam ita fingamus esse) ideo mihi non licebit vocare *parentem*, aut *genitorem*, aut, si scripsero carmen, *satorem*, aut si qua sit alia vox quæ nobis idem declaret quod pater? *Filius*, quia sic semper appelletur (nam pone id esse) non poterit appellari *natus*, aut *proles*, aut *germen*, aut *progenies*, aut aliud quod idem polleat? Non arbitror quenquam tam iniquum, qui jus hoc nobis deneget. Quid igitur erat piaculi, si primus & solus Filium Dei vocassem *sermonem*, modo constet, *verbum* & *sermonem* idem valere? Nunc quanto faciunt impudentius, qui cum utraque vox sit in sacris Voluminibus, cum utramque usurpet Ecclesiastica consuetudo, cum utraque sit apud Ecclesiæ Doctores, uti mox docebimus, tamen stolidissimis clamoribus orbem in me concitare conantur, quod in opere, duntaxat in hoc parato ut privatim legatur, maluerim *sermonis* uti vocabulo, quam *verbi*, quod sane mihi liberum opinor fuisset, etiamsi nihil interfuisset inter utramque vocem. Quid autem si doceamus, *sermonis* vocabulum etiam esse commodius ad exprimendum quod volumus? Num pudebit istos suæ dementiæ? sed quid pudeat illos, qui mentem non habent? Ac principio quidem negari non potest, ab ipso Euangelista, qui haud dubie Græce scripsit, *Christum* dici λόγον, quæ vox cum sit polysemos, nunc *sermonem* aut *verbum*, nunc *orationem*, nunc *rationem*, nunc *sapientiam*, nunc *computum* significans, quorum unumquodque tamen *Hieronymus* putat aliquo pacto competere in Filium Dei, tamen magis placuit Latinis, *sermonis*, aut *verbi* vocabulum. Nam quod *Augustinus* docet, *verbi* vocabulum aptius notare Filium Dei, quam rationis aut cæterorum, nihil ad me pertinet, cum ego *sermonem* cum *verbo* conferam, non cum *ratione*, & ita præferam *sermonem*, ut *verbum* non rejiciam. Quod nos proprie *verbum* dicimus, Græci vel ῥῆμα vel λέξιν dicunt, quorum neutrum, opinor, reperiemus in Litteris sacris usurpatum pro Filio Dei. Neque tamen inficior, apud Latinos auctores aliquoties *verbum* usurpari pro dicto quopiam brevi, veluti proverbio, aut sententia. Cæterum quoties significamus orationem, *verba* potius dicimus multitudinis numero, quam *verbum*, ut *verba facere*, pro loqui: &, *multis verbis mecum egit*, pro eo quod erat, egit mecum prolixa oratione. Ne commemorem interim, quod *verbum* frequenter usurpatur pro certa parte orationis, non pro quavis dictione, quam, ut dixi, Græci ῥῆμα vocant.

Levia sunt hæc, fateor, sed tamen quamlibet levis accessio huc aut illuc impellit, cum alioqui res est in æquilibrio. Certe negari non potest, Græcam dictionem λόγον, qua sine controversia usus est Euangelista, verius & usitatius exprimi Latinis per *sermonis*, quam per *verbi* vocabulum. Postremo, ut demus nihil interesse inter *sermonem* & *verbum*, certe generis congruentia magis commendat *sermonis* vocabulum, alioqui propemodum malim *orationis* quam *sermonis*, quod *sermo* frequenter sit confabulatio familiariter colloquentium. Nam ut mollius est, *sermo factus est homo:* ita durius est, *verbum caro factum est*, nisi molliret consuetudo, quæ nihil non mollit. Res igitur non erat exagitanda tumultu, etiamsi nusquam hactenus Dei Filius dictus esset *sermo*, præsertim cum id fiat in libro, qui privatim legitur, neque mutat Ecclesiasticam publicamque lectionem. Nunc id multo minus oportebat fieri, cum & in Libris Canonicis, cum in usu Ecclesiastico, cum apud doctores orthodoxos, & veteres & recentiores comperiatur, *Christum* dici *sermonem*, etiam hoc ipso loco, de quo tumultuantur isti. Quod si clarissimis docemus argumentis, nonne superest, ut se fateantur, aut imperitos sacrarum Litterarum, qui hoc nescierint: aut stupidos, qui non animadverterint: aut sycophantas, qui tam seditiose calumnientur, quod tam multiplici comprobatur auctoritate?

Ac primo quidem loco producam Auctorem, non quemlibet, sed inclytum illum, primum eloquentia, deinde sanctimonia, postremo martyrio *Cyprianum*. Is in opere quod scripsit adversus *Judæos* Libri secundi Capite quinto, non aliter citat hunc Euangelistæ locum, quam nos vertimus, *In principio*, inquit, *fuit sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo.* En habent ipsum locum, de quo movent hanc tragœdiam: habent auctorem tam antiquum, tam modis omnibus probatum à probatissimis, ut nemo possit contemnere. Ac ne calumnientur, locum apud *Cyprianum* per me vitiatum esse, quandoquidem nuper editæ sunt à nobis hujus viri lucubrationes, consulant vetustos codices manu descriptos, consulant aliorùm Editiones (sunt enim aliquot) & intelligent à me nihil immutatum hoc loco, nec alibi, nisi ex fide vetustorum Exemplarium. Jam ejusdem Libri Capite tertio, cum alios complures Canonicæ Scripturæ locos adducit, in quibus *Christus* dictus est *sermo*, tum hunc ipsum *Joannis* Euangelistæ. Capitis titulus est, *Quod Christus idem sit sermo Dei.* Et subjiciuntur hæc testimonia ex Psalmo XLIV. *Eructavit cor meum sermonem bonum.* Sentit enim *Cyprianus*, hæc esse verba Patris ex se progignentis Filium. Ac rursus Psalmo XXII. *Sermonem consummans, & brevians in justitia, quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ.* Item in Psalmo CVI. *Misit sermonem suum, & curavit illos.* Rursus in Apocalypsi, *Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verus, æquum justumque judicans, & præliaturus, eratque coopertus veste conspersa sanguine, & dicitur nomen ejus sermo Dei.* Hunc locum præcesserat Euangelicum testimonium, *In principio fuit sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo.* Vides quot locis *Christus* dicatur *sermo*, non *verbum*. Jam ne quis existimet me velle fuco vincere, non dissimulabo in manu scriptis etiam aliquot codicibus hoc postremo loco pro *sermone* scriptum fuisse *verbum*. Item in altero loco, *sermonem consummans*, &c. Verùm id nemini non potest esse perspicuum, Librarii vitio factum esse, qui suam memoriam sequutus, ex *sermone* fecerit *verbum*. Ejus rei duplex adferam argumentum, primum quod ni legas ubique *sermonem*, hoc testimonium non respondebit suo titulo, quo pollicetur se demonstraturum, *quod Christus idem sit sermo*, cum pleraque respondeant, imo cum in toto hoc opere perpetuo testimonia quæ proferuntur, respondeant suis titulis. At ne quis causetur, hunc titulum adscriptum à Librariis, sciat eum in vetustis codicibus non esse separatum ab opere,

Digitized by Google

sed admixtum ipsi argumento. Quin & ipse *Cyprianus* in operis præfatione titulos agnoscit, testans se duobus libellis divinæ Scripturæ testimonia ad certos titulos & capitula redegisse. Quod si his quoque diffidet aliquis, certe è duobus alterum necesse est, ut *Cyprianus* aut legerit, *In Principio erat sermo*, aut putarit nihil prorsus interesse inter *verbum* & *sermonem*.

Hoc cum abunde liqueat, tamen probabilius erit si quis legat *Tertulliani* librum, quem scripsit adversus *Praxeam*: nam illic non semel appellat Filium *sermonem*, adducens hunc ipsum ex *Joanne* locum, & ostendens, in usu Latinorum fuisse sic legere, *In Principio erat sermo*, cum ipsi magis arrideret *rationis* vocabulum. Idem libro *De resurrectione carnis*, hunc in modum loquitur, *quia & sermo erat caro factus*. Ac *Tertullianum* veluti magistrum libenter imitari solet *Cyprianus*: Inibi refert è Psalmo, *Eructavit cor meum sermonem optimum*. Jam quo magis etiam fiat perspicuum, *Augustini* verba subscribam enarrantis illud ex *Joannis* Cap. XVII. *Sermo tuus veritas est: Quid*, inquit, *aliud dixit quam ego sum veritas? Græcum quippe Euangelium λόγος habet, quod etiam ibi legitur, ubi dictum est:* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. *Et utique* verbum *ipsum novimus unigenitum Dei Filium, quod caro factum est, & habitavit in nobis. Unde & hîc poni potuit, & in quibusdam codicibus positum est*, verbum tuum veritas est, *sicut in quibusdam codicibus etiam ibi scriptum est*, In principio erat sermo. *In Græco autem sine ulla varietate, & ibi, & hîc λόγος* est. *Sanctifica itaque Pater in veritate, id est, in verbo suo, in unigenito suo, suos hæredes.* Hactenus *Augustini* verba retulimus, ex quibus palam est, in nonnullis codicibus, quibus tum utebatur Ecclesia catholica, olim fuisse scriptum: *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo*, quemadmodum demonstratum est legere *Cyprianum*. Ex eisdem palam est *Augustini* judicio nihil interesse, utrum *verbum* legas, an *sermonem*. Palam est eodem auctore, in Euangelio *Joannis Christum* appellari *sermonem: Sermo tuus veritas est*. Idem *Augustinus* enarrans Caput *Joannis* Euangelistæ XII. scribit hunc in modum, *Cum vero dixit*, Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. *Exspectantibus autem quisnam ille esset, sequutus adjunxit*: Sermo quem loquutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. *Seipsum quippe loquutus est, seipsum annuntiavit.* En rursus hoc quoque loco palam Dei Filius *sermo* dicitur, non *verbum*, juxta sententiam *Augustini*. Neque jam disputo, quantum tribuendum existimem huic interpretamento. Mihi satis est, quod ille tam probatus Auctor non abhorruit à vocabulo *sermonis*. Idem lib. *De Trinitate* primo scribit his verbis, tractans eundem Euangelii locum, quem modo citavimus, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quæro itaque quomodo intelligamus*, Ego non judicabo, sed verbum quod locutus sum judicabit, *cum ipse sit verbum Patris quod loquitur*. Hæc *Augustinus*, iterum accommodans hunc locum ad Filium Dei, nec ullum omnino discrimen faciens inter *sermonem* & *verbum*. Idem enarrans Psal. CXLVII. pro eo quod nos legimus: *Qui emittit eloquium suum terræ*, legit, *qui emittit verbum suum terræ*: Pro eo quod nos legimus, *Velociter currit sermo ejus*, ille legit, *usque in velocitatem currit verbum ejus*. Et utrumque accommodat ad *Christum*, id arguit quod admiscet, *Qui emittit verbum suum terræ, & venit ad terras verbum ejus*. Sed multo dilucidius, quod mox sequitur. *Hoc pertinet ad verbum Dei, non esse in parte, ubique esse per se ipsum verbum, ex quo Dei virtus, & Dei sapientia est, nondum assumta carne. Si cogitemus Deum in forma Dei, verbum æquale Patri, ipsa est sapientia Dei*, ac cætera in eandem sententiam. Dices, hoc contra te facit, nam *Augustinus verbum* dicit, non *sermonem*. Imo pro me facit, quod Ecclesia Filium Dei vocat *sermonem*, quod vocat *eloquium*, nisi perperam interpretatur *Augustinus*, aut nisi vocem impiam usur-

A pat usus Ecclesiæ. Ad hæc quod legimus Libro *Sapientiæ* Capite XVIII. *Omnipotens sermo tuus Domine exsiliens de cælo, à regalibus sedibus venit*: Ecclesia tot jam seculis interpretatur & canit de *Christo*. Quod si uno duntaxat loco reperiretur, tamen hoc semel positum, Ecclesia quotannis toties recinens facit ut frequentissime dictum videatur. Et quænam sunt istorum aures tam surdæ, ut ad vocem toties repetitam & inculcatam nondum assueverint? Ac ne quis tergiversetur, hoc non cani de *Christo*, sic inter alios interpretatur *Thomas Aquinas*, enarrans Epistolæ ad *Hebræos* hunc locum: *Vivus est enim sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. videlicet adducens & hoc testimonium de Filio Dei.
B Sed præstiterit, opinor, ipsius *Thomæ* verba subscribere: neque id gravabor facere, nihil absterritus orationis simplicitate, *Ista*, inquit, *littera de se videtur habere difficultatem, tamen considerando aliam translationem planior est. Ubi enim nos habemus* sermo, *in Græco habetur λόγος, quod est idem quod* verbum: *unde* sermo, *id est* verbum. *Et sic etiam exponit* Augustinus *illud* Joannis XII. *Sermo quem loquutus sum*, id est, *ego qui sum verbum.* Sapient. XVIII. *Omnipotens sermo tuus Domine exsiliens de cælo, à regalibus sedibus venit. Et similiter hic: Sermo Dei vivus, id est, verbum Dei vivum.* Hactenus *Thomæ* verba recensuimus, ex quibus liquet,
C illum nullum facere discrimen inter *sermonem* & *verbum*. Liquet item ex tota illius interpretatione, locum hunc accommodandum esse *Christo*. Quin & Glossa, quam vocant interlinearem, hunc eundem locum interpretatur de *Christo*: *Sermo*, inquiens, *Dei, id est, Filius Dei*, ut ne pergam addere quæ sequuntur in eandem sententiam. Consentit interpres *Lyranus* & *Hugo* Cardinalis. Neque dissentit Glossa, quam vocant ordinariam, cui communi Theologorum consensu plurimum est ponderis: *Compago*, inquit, *dicitur junctura ipsius sensualitatis & rationis, quam videt Filius Dei.* Quin & illud quod legitur Sap. XVI. *Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia*, & Glossa, quam vocant ordinariam, & *Hugo* Cardina-
D lis interpretantur de Filio Dei, qui *sermo* dictus sit Patris. Hæc fortasse submolesta sunt his, quibus impense placent politiores Auctores. Sed agimus cum his, apud quos horum valet auctoritas: neque nobis hic adeo levis esse debet, quod consentaneum sit, hos è Veterum Commentariis hausisse id quod prodiderunt.

Satis, opinor, demonstratum, in vetere quoque translatione, qua & olim usa est, & nunc utitur Ecclesia, *Christum* appellari sermonem. Supereſt ut ostendamus, ne Scriptores quidem sanctos & orthodoxos in suis libris abhorruisse à vocabulo *sermonis*, haudquaquam facturos, si quod isti dictitant, in *Christum* non competeret,
E aut non æque competeret. Primum, *Hilarius* Libro *De Trinitate* secundo, enarrans hunc Euangelistæ locum, *In principio erat verbum*, scribit hunc in modum: *Dices enim:* verbum *sonus est & enuntiatio negotiorum, & eloquutio cogitationum. Hoc apud Deum erat, & in principio erat. In principio erat, quia* sermo *cogitationis æternus est, cum qui cogitat sit æternus. Respondebo interim pro piscatore meo breviter paucis, dum videmus quomodo rusticitatem ipse defendat.* Sermo *in natura non habet ut esse possit: sequens autem ei est ut fuerit*, &c. Cum ait *Hilarius: Sermo cogitationis æternus est, cum qui cogitat sit æternus*, nonne palam vocat Christum *sermonem æternum*, ex
F æterna mente Patris sine tempore proficiscentem? Ac rursum inferius aliquanto reddens causam, cur *Joannes* maluerit dicere, *& verbum erat apud Deum*, quam *erat in Deo*, scribit hunc in modum: *Et si sententiam primam rudis auditor amiseras*, In principio erat verbum, *de sequenti quid quereris?* & verbum erat apud Deum, *Nunquid, audieras*, in Deo, *ut sermonem reconditæ cogitationis acciperes, aut fefellerat rusticum quid interesset inter* esse, *& inter* inesse, *&* adesse, *momenti? Id enim quod in principio erat, non in altero prædicatur esse, sed cum altero.* In hac disputatione palam est, *Hilarium Chri-*

sto

Digitized by Google

ſto tribuere *ſermonis* vocabulum, quanquam id nolit esse accidens, sed substantiam: hoc argumento, quod dicatur esse non *in Deo*, sed *apud Deum*, ut intelligamus personam sermonis distinctam à persona Patris. Sed idem aliquanto post prima specie videri potest, negare, Filium Dei posse dici *sermonem*, cum penitius introspicienti, plane tribuat illi *sermonis* appellationem. Scribit enim his verbis: *Cessat sonus vocis & cogitationis eloquium, verbum hoc res est, non sonus: Deus, non inanitas est.* Hactenus *Hilarius*. Cum ait, *natura, non sermo*, prima fronte negare videtur *Christum* esse *sermonem*. Sed hîc attentus facile deprehendet, eum distinguere *sermonem* qui est Filius Dei, à sermone humano, qui fit organis corporeis, & aeris impulsu pellit tympanum aurium. Is sermo non est, sed inest: fluit, non subsistit: accidens est, non substantia. Talis sermo non est *Christus*. Ne quem igitur moveat incautum, quod dixit: *Natura non sermo*, cum eodem loco dicere posset, *natura non verbum*, quandoquidem praecessit, *Res est non sonus. Non est sermo*, id est non est sermo sonans aeris impulsu. Naturam vocat substantiam, cui opponit sermonem humanum velut accidens. Rursum inferius aliquanto clarius etiam distinguit: *Non est*, inquit, *iste seculi sermo, quia de quo agitur non seculi res est.* Rem seculi vocat, hominem oris organo promentem verba, aut certe cogitationem humanam per phantasmata sibi repraesentantem rem temporariam. Talis res non erat Pater, nec hujus cogitatio, idcirco hujus sermo non est temporarius quemadmodum noster, sed aeternus. Jam divus *Ambrosius* in libro *De fide* adversus *Arrianos* Capite secundo, scribit hoc pacto: *Quodcunque principium verbi assignare volueris, praejudicatum habebis, quia* in principio, *inquit*, erat verbum. *Non quod duo principia ex rerum diversitate dicamus, sed quia sermo Filius, semper cum Patre est, & de Patre natus est.* An non hîc sine controversia *Christum* vocavit *sermonem?* Idem libro *Hexameron* primo, capite nono: *Natura*, inquit, *opifex lucem loquutus est & creavit, sermo Dei voluntas est, opus Dei est, natura est, lucem creavit, tenebras illuminavit.* Paulòque post: *Dixit Deus, non ut per vocis organa quidam sonus sermonis exiret, nec ut linguae motus caeleste formaret alloquium, atque aerem istum quidam verborum strepitus verberaret, sed ut voluntatis suae cognitionem proderet operationis effectu.* Rursus Libro secundo, Capite secundo, sermonem appellat Filium: *Sermo*, inquit, *Dei virtus natura est: per Filium suum condidit omnia.* Et ob id *Ambrosius* exponit illum *sermonem*, qui Filius est omnipotens, omnia condidisse. Idem in Commentariis, quibus enarrat Epistolam ad *Hebraeos*, si modo non fallit titulus, qui liber repertus est apud *Anglos* in vetustissimo codice, in hunc locum: *Vivus*, inquit, *est Dei sermo. Sermo Dei Filius est, qui de seipso ait: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Et aliquanto post: *Dixit enim quod discretor sit sermo Dei, id est, providentia Dei cogitationum & intentionum cordis.* Ac ne prolixiòr sim recitandis illius verbis, totum hunc locum cum his quae sequuntur: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus*, &c. Denique & illud: *Ad quem est nobis sermo*, sic interpretatur, ut non possit ad alium pertinere quam ad Filium Dei. Quod si quis causetur suspectum titulum, si liber *Ambrosii* non est, certe *Remigii* est, aut alicujus huic non dissimilis. Ad haec *Hieronymus* enarrans Caput primum ex Epistola ad *Ephesios*, scribit hunc in modum: *Non quod alius assumtus homo, & alius sit sermo qui assumsit, sed quod unus atque idem pro varietate causarum nunc sublimis, nunc humilis praedicetur.* Rursus eodem Capite: *Ut quomodo Dominus noster Jesus Christus est sermo, sapientia, veritas, pax, justitia, fortitudo, ipse sit etiam gloria.* Num hîc *Hieronymo* religio fuit, Dei Filium appellare sermonem? Praeterea *Lactantius* libro *De Christiana Religionis institutione* quarto, capite octavo: *Primum*, inquit, *nec sciri à quoquam possunt, nec narrari opera divina, sed tamen sanctae litterae docent, in quibus cautum est, illum Dei Filium, Dei esse sermonem.* Rursus Cap. proximo: *Sed melius*, inquit, *Graeci λόγον dicunt, quam nos verbum sive sermonem: λόγος enim & sermonem significat & rationem, quia ille est vox & sapientia Dei. Hunc sermonem divinum ne Philosophi quidem ignoraverunt.* Vides *Lactantio* Romanae veritatis observantissimo, magis placuisse *sermonem*, quam *verbum*: vides *vocem* maluisse dicere, quam *verbum*. Quo nomine vocavit *Christum* & *Claudianus* in carmine: *Vox summi sensusque Dei. Vocem* appellat pro verbo sive sermone, *sensum* pro sapientia. Et hic est ille *Firmianus* non vulgariter ab *Hieronymo* praedicatus. Quin & *Prudentius* in Hymno, quem canit chorus Ecclesiasticus: *Ades Pater supreme, quem nemo vidit unquam, Patrisque sermo Christe, Et Spiritus benigne*: nunquid veritus est Dei Filium appellare sermonem? Nec est quod excuset *Prudentium* metri necessitas. Dicere poterat, *Patrisque Christe verbum.* Fortasse dixerit aliquis, Poeta est. An ideo quia versus scripsit? At isto nomine Poeta fuit & *Ambrosius*: sed quid vetat eundem & Theologum esse & Poetam? Certe *Prudentius* tantum spirat sanctimoniae, tantum eruditionis Theologicae, ut Ecclesia hujus Hymnos, veluti sacros, mysticis choris admiscuerit.

Quod si quis tergiversetur, priscis illis multa condonari ob antiquitatem, quanquam jam ante demonstratum est, neotericis etiam placuisse *sermonis* vocabulum: age proferamus & *Anselmi* testimonium, & si qui sunt hujus similes, mediae vetustatis Scriptores, quorum auctoritas nec obsoleta videri potest ob nimiam antiquitatem, neque levis ob novitatem. Sanctus *Anselmus* igitur enarrans hunc Euangelii locum, *In principio erat verbum*, scribit hunc in modum: *Filius verbum vocatur, quia per eum Pater mundo innotuit, vel quia ipsum dicendo, id est generando, Deus Pater omnia creavit. Ipse enim est dictio, & verbum, & sermo Patris. Pater est principium, ex quo omnia: Filius est principium, per quod omnia.* Ecce vir tantus non veretur, Filium Dei vocare sermonem, vocare dictionem, hoc est loquutionem Patris. Idem testatur, idem esse Filio nasci, & pronuntiari à Patre. Rursus in *Joannis* Caput XVII. exponens hunc locum, *Sanctifica eos in veritate: Sic enim servantur*, inquit, *ex malo, quod superius orabat ut fieret; jam erant sanctificati, qui de mundo non erant, sed orat ut in eadem sanctitate amplius proficiant: fiantque sanctiores, & liberentur à malo perfidiae, in quod* Judas *proditor cecidit. Sanctificantur itaque in veritate haeredes Novi Testamenti, id est in Christo: cujus veritatis umbra fuerunt significationes Veteris Testamenti. Et exponit quam veritatem intelligat, dicens*: Sermo tuus veritas est, *id est ego qui sum Filius Patris, verbum Patris, sum veritas.* Vides ut *Anselmus Augustino* succinens, non veretur Dei Filium appellare sermonem. Quin & *Remigius* enarrans locum ex Epistolae ad *Hebraeos* Capite IV. *Vivus est enim sermo Dei* &c. scribit in hunc modum: *Sermo Dei Patris, & verbum Filius est.* Ac mox: *Hic est sermo qui nunquam moritur, & semper idem manet.* Rursum aliquanto post: *Hic est sermo qui de seipso dicit*, Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. *Si enim illi istum Dei sermonem servassent, recte credendo & bene vivendo viverent.* Iterum paulo inferius: *Iste est sermo Dei Patris, qui semper vivit cum Patre & per quem omnia potest.* Rursus post aliquam multa: *Sermo ergo Dei Patris*, inquit, *in tantum est efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, ut discernat inter opera carnis, & opera spiritus*, &c. Ac denuo: *Quid est, ad quem nobis sermo est? Ad quem Filium, nisi quia ipsi reddituri sumus rationem.* Quoties hic sanctus *Remigius* inculcat *sermonis* vocabulum, quod isti ceu novum & inauditum exhorrescunt. Neque dubito quin innumera possint adduci exempla, quibus doceamus, probatos Ecclesiae doctores nullo scrupulo fuisse deterritos, quo minus *Christum* appellarent *sermonem Patris*, si cui vacet Joca disquirere. Nam haec

Digitized by Google

ſeſe interim obtulerunt, & abunde ſatis eſſe debent ad refellendos eos, qui vociferantur, impium eſſe, Dei Filium appellare *ſermonem*. Quod ſi qui conentur ſophiſticis argutiis docere, *Chriſtum* recte *verbum* dici, *ſermonem* non recte, quid aliud efficient; quam ut tot eximios Eccleſiæ proceres blaſphemos faciant & inſanos?

Sed jam ſi placet paucis audiamus, quam frigide ſint argutati quidam, qui tam calide clamaverant: horum unus hujuſmodi ſyllogiſmo conatus eſt evincere, propoſitionem hanc prorſus falſam eſſe, *in principio erat ſermo, Verbum*, inquit, *eſt conceptus tacitus, quod ſi Chriſtus recte dicitur ſermo, conſequetur ut ſermo quoque ſit conceptus tacitus*, quod ille videri volebat vehementer abſurdum, *cum ſermo*, ut ajebat, *ſit conceptus expreſſus voce*. Hic eſt ſyllogiſmus eximii Theologi, cum aliorum aliquot hominum, tum ipſius in primis judicio, cujus illum non puduit apud ſummos & dignitate & eruditione viros. Primum largiamur, hac ratione diſtingui *ſermonem* à *verbo*, an protinus conſequitur, ideo *Chriſtum* non recte dici *ſermonem*, quia recte dicitur *verbum*? An ideo *Chriſtus* non recte dicitur lux aut veritas, quia recte dicitur verbum? An ideo falſo dicitur *Spiritus*, quia vere dicitur *Filius*? Siquidem hæc nomina varia accommodantur perſonis ex conſuetudine ſermonis humani, quo noſtra tarditas commodius adducatur in aliquam Dei cognitionem. Et nonnulla veluti propria tribuuntur ſingulis, quæ tamen re vera propria non ſunt, ſed tamen juxta captum humanæ mentis aptius alia de aliis prædicantur. Id quoties facimus, humanis vocibus abutamur oportet: alioqui Filius Dei neque tacitus eſt conceptus, neque voce expreſſus, ſed quod nobis eſt animi tacitus conceptus, hoc eſt ille manens in Patre, qui cum habet eandem eſſentiam: quod nobis eſt animi ſenſus ſermone prolatus, hoc eſt ille ſemper à Patre naſcens, à quo perſonæ proprietate diſtinguitur: alioqui ſi *Chriſtus* nihil aliud eſt quam verbum internum, quo ſenſu dixit *Joannes*, *Et verbum erat apud Deum?* Nec interim me fugit, quod *Auguſtinus* libro *De Trinitate* xv. geminum quoddam verbum faciens, alterum quod foris ſonat, alterum quod intus eſt, cui magis exiſtimat competere verbi nomen, cùm id quod ſonat, magis vox verbi ſit quam verbum, & ſi verbum dicitur, propter illud dicitur, à quo ut foris apparet aſſumtum, ſic interpretatur, quaſi *Chriſtus* tum demum cœperit eſſe verbum externum, ſive verbum ſonans, poſteaquam aſſumſit humanam naturam. Nam ut fateor eſſe verum quod dicit *Auguſtinus*, ita non ſolum hoc verum eſt. Nihil enim prohibet idem verbum variis modis expromi ex mente Patris: expromitur cum gignitur, veriſſimum verbum, quia Patri ſimillimum. Expromtum eſt, cum per illud Pater conderet univerſa, & verbo ſuo firmaret cœlos. Sed craſſiſſime, ac nobis maxime familiari modo expromtum eſt, cum corpus humanum aſſumens, nobis humano more loqueretur. Hoc ne videamur è noſtro duntaxat ſenſu ſomniare, proferam quod ipſe tradit *Auguſtinus* Libro *De Trinitate* quarto, Cap. xx. *Quid ergo mirum*, inquit, *ſi mittitur, non quia inæqualis eſt Patri, ſed quia eſt manatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera.* Ac mox: *Neque enim ſicut aqua de foramine terræ aut lapidis manat, ſed ſicut lux de luce. Nam quod dictum eſt*, Candor eſt enim lucis æternæ, *quid aliud dictum eſt, quam lux eſt lucis æternæ?* Si quod nobis eſt *promi verbum*, id in divinis eſt, *emanare à Patre*, cum emanatio ſit æterna, non poteſt accipi proprie de homine aſſumto. Dilucidius idem dixit Libri *De cognitione veræ vitæ* Cap. IV. commemorat enim triplicem verbi rationem: primam, cum exempli gratia verbum hoc, homo, voce profertur: alteram, cum idem verbum, homo, abſque motu linguæ formatur in corde: tertiam, cum res ipſa quam ſignificat illud verbum, homo, qualis ſit intellectu cogitatur. Hîc vides *Auguſtino*, primo loco verbum dici, quod ſonatur ore. Vides emanationem verbi divini, reſpondere noſtræ cogitationi. Atqui cum Patris cogitatio ſit æterna, conſequitur & aliter naſci verbum divinum, & aliter promi quam aſſumto homine. Nam quod aliquo modo naſcitur, aliquo modo promitur. Nec illud adverſum me facit, quod *Auguſtinus* ait: *Hoc tertio modo Deus verbum ſuum genuit, cum ſeipſum cogitando dixit.* Quod enim hic de verbo *dixit*, idem dicturus erat de *ſermone*. An non cum ait, *cogitando dixit*, ſatis declarat cogitationem eſſe ſermonem quendam? In Commentariis, quibus explicat Euangelium *Joannis*, dicit verbum æternum ſic generari à Patre, ſicut conſilium à mente, ſatis declarans, idem eſſe *Chriſto* naſci à Patre, & promi à Patre, ſive emanare à Patre. Ut ne dicam, quod *Auguſtinus* hoc loco, quem modo citavimus, ſermonem accommodat ad explicandum verbum æternum: alioqui ſi hæc attribuuntur perſonis ex conſuetudine ſermonis humani, magis verbum dicitur quod ſonat, quam quod animo concipitur. Nec quod animo concipitur, alio pacto dicitur verbum, niſi quatenus aliquo modo ſonat. Id annotavit & *Durandus* Libr. I. diſt. XVII. q. H. *Notandum*, inquit, *verbum mentis non habet rationem verbi, niſi prout induit rationem manifeſtati.* Hactenus *Durandus*. Sed quoniam ea quæ voce proferuntur, notæ ſunt earum affectionum, quæ prius inſunt in animo, & altera res alteri reſpondet, utraque verbum dicitur. Nec tamen interim *Auguſtinus* ullum facit diſcrimen inter *ſermonem* & *verbum*. Jam quod recentiores *Auguſtinum* ſequuti diſputant, verbum mentis maxime proprie dici verbum, ut donemus eos hoc vere dicere, tamen illi cum hæc diſputant, ſentiunt nullum eſſe diſcrimen inter verbum & ſermonem: ut eſt verbum mentis, ita eſt ſermo mentis. Etenim qui cogitat, ſibi quodammodo loquitur. Atque apud Græcos magis ad hanc opinionem reſpondet etymologia, quod illis λόγος etiam *rationem* ſonet, & λογισμὸς *cogitatio* ſit, & λογίζομαι *cogito* ſive *reputo*. *Sermo* cum à *ſerendo* dici videatur, unde & *diſſero*, propius accedit ad rationem Græcæ vocis quam *verbum*, quod ab aeris verberatu dictum putant Grammatici, quemadmodum vocem à boando. *Auguſtinus* Libro quem ſcripſit catechumenus *de principiis Dialecticæ*, adducit quadruplicem etymologiam, quibuſdam verbum dici, quod aerem verberet, aliis quod aurem verberet, atque hos ſatis inter ſe conſentire, quod attinet ad etymologiæ rationem: rurſus aliis verbum dictum videtur, quaſi verum: iterum aliis quaſi verum reſonans, ut prima ſyllaba, ver, pertineat ad verum: ſecunda, bum, pertineat ad bombum, hoc eſt ſtrepitum. Duas priores etymologias non rejicit, has poſteriores irridet, *Cum enim juxta horum ſententiam verbum mentientis non eſſet dicendum verbum, vereor*, inquit, *ne ipſi qui dicunt iſta, mentiantur.*

Cum igitur nihil hîc ſit quod non pro me faciat, jam illud mihi perpendas velim, optime lector, quam eſt iniquum, & alienum à ſinceritate *Chriſtiana*, nulla de cauſa tam odioſe debacchari in famam alienam, idque publicitus apud promiſcuam hominum multitudinem, & rudem imperitamque plebem ſeditioſis clamoribus ad lapides provocare. Hæc ſi facerent idiotæ, poterat dari venia ſtultitiæ: ſi facerent profani, ut gravis eſſet culpa, ita fortaſſis prodigioſa non eſſet. Nunc hæc faciunt qui inter Theologiæ Profeſſores ſibi præcipuas vendicant, qui religionis profeſſione ſingularem vitæ ſanctimoniam pollicentur, qui mitra bicorni præminent: & hæc faciunt in hominem, tanto vigiliarum ac laborum impendio de ipſis optime merentem. Et tamen qui moleſtiſſime vociferantur hæc apud populum, non legerunt annotationem noſtram in eum locum, in qua paucis admoneo, non eſſe novum, nec à me primum excogitatum, Dei Filium vocari ſermonem Patris, ſed id olim ab orthodoxis auctoribus, *Hilario*, *Cypriano*, *Hieronymoque* uſurpatum: tantum audierunt inter pocula, *Eraſmum* pro, *In principio erat verbum*, verſiſſe, *erat ſermo*: ac mox inter cyathos di-

Digitized by Google

dictatur proscriptio, mox in suggestum procurritur, clamatur sine fronte, sine mente: nec interim expendunt, quam male consulant suæ famæ, dum alienam tam stolidis rationibus impetunt. Nam qui vociferatur, nec intelligit quid dicat, quæso quantulum abest à furioso? Nemo me monuit, nemo docuit, nemo convicit: tota vincendi spes illis sita est in vociferationibus, in simplicitate stultitiaque multitudinis imperitæ: ea fere non judicat, credit Theologo, credit cucullæ, credit suggesto sacro, è quo solent audire *Christi* sermonem, non hominum virulentias. Quod si pergant ea via qua cœperunt, quid aliud futurum exspectant, nisi ut alii vicissim è suggesto adversus istos vociferentur, & tandem populus resipiscens, æneatores istos saxis deturbet è pontibus? Nolim aliquid hujusmodi accidere, sed tamen huc isti rem pertrahunt, quod quidem in ipsis est. Fingant me lapsum, fingant falso putasse, *Christum* recte dici *sermonem*, quid minus conveniebat, quam hæc disputare apud promiscuam multitudinem? imo non disputare, sed latrare. Si quis è libris sancti *Thomæ*, è libris *Scoti* aut *Augustini* colligat errores, eosque magnis clamoribus exagitet apud populum, nonne submoturi sunt hominem seditiosum è suggesto? Quod si contra vociferetur ille, cur obsistitis? an non licet vera dicere? Respondebunt, opinor, vera quidem, at ista nihil apud populum; in Scholis suum habitura locum. Hoc honoris si minus merebatur *Erasmus*, certe dandum erat ordini Theologico, cujus auctoritas elevatur apud populum, quoties intelligit Theologos inter se talibus dissidiis conflictari. Age, quid si quis denarret apud populum facinus aliquod occultum, quod hic aut ille *Dominicalis* aut *Carmelita* designavit, nemo feret, opinor, etiam vera narrantem, sive quod hoc ordinis honestati tribuendum sit, sive quod ea non suo loco dicantur, cum à concionatore populus exspectet, quo doctior ac melior redeat domum. Hæc in eos dici poterant, etiamsi plane lapsus essem. Nunc cum tot locis in sacris Voluminibus *Christus* appelletur *sermo*, cum in ipsis etiam Euangelicis litteris, denique cum in hoc ipso loco quem allatrant, cum id publice canatur ac legatur in Templis, etiam ab iis qui me lapidant: cum recitetur in Scholis, cum ab hac voce non abhorruerint neque veterum, neque recentium orthodoxorum aures: cum tot tam probatis auctoribus nihil intersit, *sermonem* dicas an *verbum*, imo cum *sermonis* vocabulum non uno nomine commodius sit, atque etiam mollius, cum vocem Græcam λόγον rectius exprimat, mihi tantos ciunt tumultus, quod in opere, quod nec in Templis, nec in Scholis legitur, sed in cubiculis duntaxat, ubi quid tandem non est fas legere? ita verterim ut olim publice legit Ecclesia? Si impium, si blasphemum, si capitale est, *Christum* appellare *sermonem*, aut ante me, aut mecum damnent oportet tot egregios Ecclesiæ proceres, *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Hilarium*, *Prudentium*, *Lactantium*, cumque his *Thomam*, *Lyranum*, *Hugonem*, glossam ordinariam, imo totam Ecclesiam: si pie, si ex consuetudine tum priscæ, tum horum temporum Ecclesiæ, si ex auctoritate probatissimorum Patrum, si vocabulo aptiore *Christum* vocamus *sermonem Patris*, cogita quam sit atrox injuria, hominem benemerentem in publicis concionibus populo, quod quidem in ipsis est, lapidandum tradere, ac prorsus trucidare, non solum innoxium, verum etiam beneficum? Quantulum enim refert, manu occidas an lingua? Si *Paulus* non liberatur ab homicidii crimine, quod ipse non attingens lapides servarit vestimenta lapidantium, imo gravius admisit scelus, velut omnium lapidantium manibus sæviens, quam si unus è lapidantium numero fuisset: quid dicemus de istis, qui studio perverso, & animis devotis vulgus credulum & imperitum excitant in exitium proximi, idque ex eo loco, unde populus audire solet doctrinam Euangelicam? Atque id faciunt ii, qui se profitentur Euangelicæ doctrinæ magistros, & perfectæ religionis columina. Illi Principum ac plebis implorant opem adversus publicam studiorum utilitatem, adversus *Christi* gloriam, adversus hominem suis vigiliis pro sua virili benemerentem de omnibus: quanto justius nos imploraverimus eorundem opem adversus malitiosam stolidorum rabularum conspirationem, adversus hujusmodi seditiosam petulantiam, quæ non me solum, qui nihil sum, sed sanctos etiam Ecclesiæ Doctores, quos modo recensuimus, quorumque auctoritatem in hac interpretatione sequuti sumus, insectatur & impetit: quæ nisi in tempore coerceatur eorum auctoritate, qui utriusque Reipublicæ gubernacula moderantur, periculum est ne tandem erumpat in grave detrimentum Christianæ tranquillitatis, si licuerit quicquid libuerit iis, quibus neque frons adest, neque mens. Siquidem vel ex hoc uno non sit difficile conjectare, quid illorum judicio tribuendum sit in cæteris: & tamen istis, quibus jures non esse mentem hominis ad res honestas, credas etiam ingenium esse ad calumniandum. Ab omnibus præsidiis deturbati, confugiunt ad scandalum, *Ut nihil aliud*, inquiunt, *tamen novitas erat vitanda*. Non est ea mihi, fateor, auctoritas, quæ fuit olim *Hieronymo*, ut mihi quoque fas sit contemnere Deos cucurbitarios, qui ob voculam insuetam consurgant ad seditionem: illud tantum quæram, quos tandem offendit ista novitas? eruditos, quibus hoc opus scripsimus? at illis *sermonis* vocabulum non debuit esse novum, cum tot locis sit obvium in libris orthodoxorum. Idiotis? illi tale nihil audiunt in Templis, nec unquam somniaturi fuerant, me vertisse *sermonem* pro *verbo*, ni isti fuissent apud populum ultronei hujus rei præcones. Ac ne idiotæ quidem offenderentur, nisi mendaciis ac præstigiis istorum fallerentur. Etenim si dicerent id quod res est, *Erasmum* quendam utriusque linguæ non imperitum, vertisse pro, *In principio erat verbum*, *In principio erat sermo*, & utramque vocem idem valere, utramque reperiri in sacris Voluminibus, & olim sic legisse catholicam Ecclesiam, imo *sermonis* vocabulum aptius exprimere Græcam vocem λόγος, qua usus est Euangelista, & hunc hominis laborem comprobari summo Pontifici: quæso quis vel idiota posset offendi? Et tamen hæc si dixissent, nihil opinor mentiti fuissent, cum nunc mentiantur omnia. Proinde cum in re nihil sit quod offendat, cum quod adducimus, neque novum sit, & si novum sit non possit offendere, cum non ingeratur auribus populi, sed privatim domi legatur, si quid hîc orietur offendiculi, non oportet aliis imputare quam seditiosis clamoribus, quibus de industria hæc ansa quæsita est nocendi melioribus studiis. Ac ne sic quidem proficiunt, nam & infima plebes sentit, illos non judicio, sed odio moveri, suumque non *Christi* negotium agere. Puderet me referre, quæ illos non pudet apud frequentem promiscuamque multitudinem effutire. Nec interim aliud illis imprecabor mali, nisi ut resipiscant & agnoscant sese, malintque lingua sua ad *Christi* gloriam uti, quam ad fratris infamiam abuti: ita fiet, ut & *Christo* placeant, & bonis viris non displiceant, & benemerentem non lædant: lædere cuivis facile est: lædere immerentem turpissimum est etiam apud improbos: porro lædere benemerentem, diabolicæ cujusdam malitiæ est.

Digitized by Google

DES. ERASMI ROTERODAMI
LIBER QVO RESPONDET
ANNOTATIONIBVS
EDVARDI LEI,
QVIBVS ILLE LOCOS ALIQVOT TAXARE CONATVS EST IN QVATVOR EVANGELIIS.

CVM *subito prodisset in lucem liber* Eduardi Lei, *ceu vocem ademturus nobis, quod lupus solet his quos prior viderit, variabant amicorum sententiæ: quidam censebant nihil omnino respondendum, quidam quam accuratissime respondendum. Atque hos quidem illa potissimum causa movebat, quod crederent fore, ut si volumen hoc, cujus jam diu jactati tanta fuisset apud omnes exspectatio, magnifice refelleretur, cæteri à simili temeritate temperarent: illos non una movebat causa. Primum judicabant totum librum ejus esse generis, ut vel nemine respondente, facile lectori non omnino stupido venturum esset in mentem, quid responderi posset: id quod esse verissimum, ex multorum litteris accipio. Deinde etiamsi liber hic haberet mentem, haberet ingenium, haberet eruditionem, judicium, eloquentiam, festivitatem, aliasque dotes quibus solent eruditorum hominum lucubrationes commendari lectoribus, tamen tam impotentem debacchationem, tam insignem virulentiam nulli probo doctove placituram affirmabant: itaque fore, ut liber ultro vel rejiceretur, vel negligeretur: & parum abfuit, ut in horum sententiam pedibus irem. Tandem re per otium apud meum animum expensa, placuit dividi sententiam, ut neque nihil responderetur, nec tamen accurate responderetur. Cum enim tam atrox rumor de hoc libello per orbem fere volitasset etiam antequam prodisset; cumque talis prodisset, ut fumis ac præstigiis quibusdam admirandis facile posset imponere lectori vel imperito, vel simplici, vel parum attento; non fuit consilium prorsus obticescere, præsertim cum sint, quibus nihil tam stulte aut indocte scribi potest quod non arrideat, modo bonis litteris adversetur, & diversam factionem adjuvet. Quoto autem cuique tantum sit otii, ut conferat quid calumnietur* Leus, *quid ego scripserim, aut qua arte ille nostra torqueat, quam violente, imo quam* ἀπεθ-διονύσως *citet adversum me auctorum testimonia? Quis autem adeo præsenti animo est, ut prima specie non aliquo pacto commoveatur* τοῖς πανικοῖς ἐκείνῳ θορύβοις; *tot objurgationibus, tot obtestationibus, tot abominationibus, tot indicibus, tam innumeris numeris, quibus ille suas annotationes velut insignem thesaurum, iterum atque iterum numerat? Quem non moveat libro nondum perlecto, terribilis elenchus, quem in operis frontispicio præponit, quo lectori ceu* Circes *poculo, statim mentem adimat? Quid eo sedstiosius aut calumniosius excogitari potuit? Quoties illic temere muto lectionem Ecclesiasticam? quoties addo de meo: quoties adimo? Illic noto Ecclesiam, illic noto Euangelistam, illic imputo interpreti hæresim, illic annoto quiddam esse hæreticum auctore* Chrysostomo, *illic parum catholice sentio de matrimonio: illic petulantius ac lascivius loquor de salutatione* Gabrielis: *illic mordeo* Augustinum *probatissimum Ecclesiæ Doctorem: illic cum* Marcionitis *sentio, omnem coitum esse spurcum: illic patrocinor* Pelagianis: *illic faveo* Arrianis: *illic labefacto sacræ Scripturæ auctoritatem: illic renovo veteres hæreses: illic irrideo sermonem interpretis, quem* Leus *putat esse Spiritus Sancti, illic irritantur in me Theologorum ordines: illic provocantur in me Mendicantium, quos vocant, populi: illic hæreses subinde inculcantur: postremo quid illic non facio? Porro ubi ventum erit ad ipsa loca, prudens lector intelliget, illa meros esse fumos, ac nihil minus esse, quam quod hic index jactitat. Hæc mihi persuaserunt, ut omnino responderem aliquid. Rursum ne multum operæ collocarem in hoc negotio, illa mihi fuerunt in consilio: Primum, quod intelligerem, & mihi plurimum fore tædii, & minimum fructus ad lectorem esse rediturum ex opere prolixo. Nam in immensum crescret volumen, si, quod ille facit, primum recenserem quæ refellerem, deinde singula machinis omnibus aggrederer. Præterea divinabam id quod res est, hujus generis libros tantisper esse in manibus, donec fervent hominum recentia studia: ea simul atque refrixerunt, libri tineis rodendi relinquuntur, præsertim si talis est conflictatio, ut nulla commendetur utilitate. Quis autem velit in ea re nervos omnes intendere, quam sciat non esse victuram apud posteros, imo quam sciat paucis annis intermorituram. Denique stultum videtur, accurate velle refellere, quod attente legisse refelliisse sit. Nam si mihi liberet numerare, quoties non intelligit neque quod reprehendit, neque quod loquitur: quoties palam calumniatur, quæ nec dixi, nec sensi: quoties atrocibus verbis exagitat, quod optime dictum est: quoties Auctorum verba ad calumniandum detorquet in diversum sensum: quoties aviditate carpendi scribit absurdissima: quoties miro supercilio docere conatur ea quæ prorsus non intelligit: quoties tragœdias excitat, ubi nihil est causæ: Deum immortalem, quot & quales mihi nascerentur elenchi, & isti ad quantam paucitatem recíderent, illi toties jactati, toties numerati numeri? Atque ita esse nolim mihi credas lector, nisi rem compereris adeo manifestam, ut, quod dici solet, vel cæco perspicua sit, nisi videris nunquam magis ineptire* Leum, *quam ubi suscitat atrocissimos tumultus.*

Proinde mihi longe diversum studium erit in respondendo, ac Leo *fuit in taxando. Ille adnisus est, ut quam maxime crescret volumen, ego dabo operam, ut quam paucissimis rixandi negotium absolvam. Quid enim aliud hîc est, quam rixa pene muliebris? Ille diligentissimus fuit in his quæ faciebant ad præstigium: ego diligentior futurus sum in explicanda re. Ille totus est in convitiis: ego quantum licebit, in totum à convitiis abstinebo. Atque utinam* Leus *sic versari maluisset in hac palæstra litteraria, ut laudem captasset potius suam, quam exitium adversarii. Nunc illi magis placuit lex gladiatoria,* aut occide, aut morere: *& tamen intelliget prudens lector, me pro virili vitasse, ne dum meum defendo caput, graviter lædam adversarium, non quod ille mereatur hanc civilitatem, sed quod mihi magis placet id, quod homini Christiano magis est decorum. Tantum ne quid erret lector hospes, paucis ut res habet docebo. Ederam Novum Testamentum, ad Græcorum codices versum ac recognitum: in ea Editione testatus sum, non esse fidendum iis quæ proderem, nisi veterum codicum, nisi veterum interpretum consensus accederet, & pollicitus sum, proxima Editione me meliora redditurum omnia. Invitavi doctos, ut si quid haberent rectius, adferrent in commune. Atque eum laborem susceperam hortatu S. D. N.* Leonis *decimi.* Leus *antequam prodisset opus, aut antequam me nosset, & priusquam Græcas litteras attigisset, testatus est se reperturum in opere meo quod carperet. Prodiit altera Editio multo tum melior, tum emendatior priore, res ipsa docet: & tamen in priorem tam atrociter scribit* Leus, *non alia re provocatus, nisi quod schedulas quasdam, ut tum erant, exiles ac jejunas minutias appellassem, idque apud unum duntaxat amiculum,* Leum *interim laudans, non incessens. Hoc factum non alio lemmate prætexit, nisi quod posterioris*

Edi-

Digitized by Google

Editionis non sit omnibus copia, quasi liber ipsius latius sit volitaturus, quam nostra posterior Editio, cum is nec typographum, nec lectorem reperturus fuerit, nisi scriptus esset adversus Erasmum. *Jam ut donemus, me alicubi lapsum insigniter, qua gloria sit hoc exagitare convitiis, quod ipse mea sponte correxissem? Deinde quam incivile, cum ex prioris Editionis lectione & Graece didicerit & Latine, cum tam multa cognoverit quae prius ignorabat, nusquam agnoscere beneficium, sed animo plusquam hostili, etiam illa arrodere quae recte scripta sunt? Sed omnium impudentissimum, quod verbula quaedam mea, quae tum ex tempore & aliud agens annotaram, & sic annotaram, ut admirer illum potuisse legere, nunc ut rem serio scriptam evulget, & ad haec nunc tandem respondeat orbi, ad quae tum ne verbo quidem unquam respondit, praesertim cum ex Editione posteriore, ex aliorum admonitu, è suo studio locupletarit interim sua, quibus mea oppugnat inermia. Ad haec, quod Opus sic editum, ut esset usui studiosis, non ita taxat ut quaedam improbet, sed ut totam subvertat, quasi quisquam ante me scripserit Opus, in quo non alicubi desideres aliquid, quod ne ipse quidem praestitit* Augustinus, *cui tantum tribuere coepit* Leus, *posteaquam decrevisset illum perlegere. Quod si labor hic, quem suscepi, damnandus est in universum, cum* Leone *res erit* Leo, *non mecum. Ille bis approbavit, si non omnes Operis partes, certe studium & institutum meum: cujus judicio si malui fidere quam* Lei, *nemo mihi vitio vertet opinor. Hactenus ita loquor, quasi locis complusculis errarim etiam periculose, quod mihi tamen commune fuisset cum probatissimis nostrae religionis auctoribus. Nunc dispeream, si reperientur annotationes* Lei *duae, quae sint alicujus momenti: & tamen illi largior eas quoque quas docti quidam suppeditarunt. Porro stylum ita dejeci, ut* Leus *queri non possit, se facundia praesidiis oppressum esse. Hoc unum orabo lectorem, ne cui minus videar modestus, quod minus ambitiose meam ostento modestiam. Imo hoc ipsum debet ad modestiae laudem adjungi, quod maluerim aliquam hujus gloriae jacturam admittere, quam cum incommodo adversarii tueri in solidum jus meum. De opere* Lei *nihil adhuc pronuntio, praeter illud unum, quod multis annis nullum legi Librum, unde minus didicerim, cum tamen objurget passim. Sed quicquid inter legendum tibi veniet in mentem, optime lector, etiam atque etiam te rogo, ut si quid placet, imputes toti* Britanniae: *si quid displicet, in unum* Leum *conjicias. Nam cum ea gens habeat tam multos insigni prudentia, probitate, modestia, doctrina, fideque praeditos, iniquum fuerit, ex unius hominis ingenio totam aestimare gentem: & tamen hoc facere solet hominum vulgus, quo magis visum est admonere. Comperi non paulo plus negotii quam putaram, non quod esset difficile refellere qua ille sic objicit, ut existimem nec ipsi placuisse qui scripsit, sed quod bona pars temporis in collatione locorum esset consumenda, praesertim cum ille frequenter pessima fide citet quae citat. Malueram totum sexennium insumere in rem publicis bonorum studiis profuturam, quam vel unum mensem talibus naniis refellendis. Sed proœmii jam satis.*

Sequitur responsio ad Notationes Eduardi Lei, *quibus conatus est taxare nonnulla loca in Annotationibus* Erasmi Roterodami, *quibus emendavit atque explanavit quatuor Evangelia, juxta primam Editionem.*

AD I. ANNOTATIONEM EDVARDI LEI.

Matth. I. CVM in prioribus schedis, quas habebat *Joannes Atensis*, quondam inclytae *Lovanienſis* Academiae Vicecancellarius, paucis duntaxat verbis adnotassem ubi nos legimus, *Christi generatio sic erat:* apud Graecos haberi, *Jesu autem Christi generatio sic erat: Leus* rem prolixa disputatione dilatat, meque meo, ut ait, jugulat gladio. Nam cum, annotans in Caput Epistolae ad *Corinthios* posterioris quartum dixissem, *nefas esse, si quis in divinis Litteris, vel unum apicem sciens ac volens mutet*: hujus legis, quam Ecclesia sanxit, & ego meo calculo comprobavi, neglectae reum agit. Verum hic libens rogarim *Leum*, quid scribae facturus sit, qui quod frequenter evenit, unum aut alterum verbum omiserit in describendis Voluminibus sacris? Num hac lege vocabit ad poenam violatae majestatis Euangelicae? An excusabit, imprudens fecit, dormitans fecit. Quid si *Leus* ipse, referens locum aliquem ex arcanis Litteris, per imprudentiam aut oblivionem omiserit, aut addiderit verbum, id quod facit aliquoties, num agnoscet legem Deuteronomii, aut Apocalypsis? non opinor, sed excusabit incuriam humanam, quae nulli non obrepit alicubi, quantumvis etiam caverit. Et mihi ceu grave piaculum vult imputari, si quid omissum sit ab operis typographorum? nam absente me pars ea fuit excusa. Haec, opinor, erat justa defensio, etiamsi quid cessatum esset in hac Editione, qua fere nunc utitur Ecclesia, cujus auctoritatem *Leus* vult esse sacrosanctam, etiamsi non hac utitur sola. Quis enim hactenus tanta cura, tantaque religione vel scripsit calamo, vel formulis excudit sacros Libros, ut non alicubi deprehendatur aliquid immutatum? nunc hac parte nihil admissum est, tantum unica vox, quae in Graecis Exemplaribus redundat, à nostris omissa est, qua quidem in re nulla est facta injuria lectioni Ecclesiasticae, imo potius habitus honos. Mihi primum erat in animo, Graecis addere nostra Latina, sic ut habent, ac lectori relinquere studium dispiciendi, quae congruerent, quae dissiderent: & facturus eram, ni quidam ex tempore dedissent diversum consilium. Proinde non eram tum admodum anxius in hoc, ut per omnia Graeca quadrarent ad Latina, adeo ut aliquoties ne contulerim quidem, praesertim in *Luca*, quod id temporis valetudinis imbecillitas impar esset tam variis laboribus, quos si gustasset *Leus*, non ageret Editionis alienae tam morosum censorem. Denique patiar ut hic vincat *Leus*, ni doceam re ipsa, in Exemplari certe altero, in marginali spatio, manu famuli adscriptum *Jesu*. Sed liberemus operas hoc crimine, liberemus castigatores, quorum industriae fere fidebam in hujusmodi, sit à me cessatum, & cessatum in utraque Editione, quid aliud potest accusare *Leus*, quam per incuriam vocem, quae addatur apud Graecos, in nostra Editione non fuisse additam? Nec est quod hic me stringat mea lege, cum ego dixerim esse nefas, si quis sciens ac volens mutet quicquam. Quid autem hic causae fuerat, cur sciens ac volens omitterem, cum propositum esset, quicquid in Graecorum codicibus haberetur, Latine reddere? Quis autem sit tam insanus, ut arbitratu suo mutet quod est in arcanis voluminibus? Si nobis compertum esset, quid esset scriptum ab Apostolis & Euangelistis, impius profecto foret, qui vel apicem conaretur immutare: nunc cum nec Graecorum codices, nec Latini satis inter se consentiant, cum quotidie depraventur à Librariis, velimus nolimus aliquid est immutandum nonnunquam. Neque consequitur, si quis ad hanc provinciam idoneus, id tentet, continuo jus fore quibuslibet, etiam coriariis, id quod *Leus* ratiocinatur. Si nefas est mutare quod legit Ecclesia, cur in utroque Testamento tam multa ausus est mutare *Hieronymus?* cur in Commentariis suis toties adfert vel ex Hebraeorum libris, vel ex Graecorum Exemplaribus, quod ab hac lectione, quam *Leus* Ecclesiasticam vocat, diversum est, & sic adfert, ut quod Graeci legunt praeferat nostrae lectioni? Id si cui dubium est, legat hujus enarrationem in Psalmos, in Prophetas, & in Epistolam ad *Ephesios*. His me tueri poteram, etiamsi quid mutassem, & sciens mutassem ex lectione recepta. Si nemo depravasset sacros Libros, otiosus esset castigator, imo etiam impius esset. Si quis audebit dicere in codicibus, quibus nunc utitur Ecclesia, nihil esse diminutum, nihil additum, nihil depravatum, nihil male redditum, patiar rejici quantumvis eruditum castigatorem: sin res adeo manifesta est, ut negari non possit, non tollo quod legit usus Ecclesiasticus, certe liceat admonere studiosos. Jam quod ratiocinatur, si quicquam mutetur, ingens imminere periculum, ac brevi vacillaturam auctoritatem Scripturae di-

divinæ, non mihi persuadeo *Leum* esse tam stupidum, ut hæc scribat ex animi sui sententia. Suspicor illum hanc canere cantionem vel in odium mei, vel in gratiam quorundam, & unius præcipue, de quo vel absque cribro facile divinabis lector. Quid fiet Græcis, qui ex Euangelico codice pronuntiant sacras lectiones, & ea gratia nonnunquam addunt è superioribus repetitum nomen *Jesu*, aut vice pronominis *ejus*, ponunt nomen ipsum? Quid nobis, cum in Templo solenniter addimus, *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis*, quod aliquoties non habetur in Euangeliis eo loco? Quid fiet divo *Luce*, qui precationis Dominicæ partem omisit? quid interpreti Latino, qui coronidem, quæ habetur in Græcis libris, omisit, non approbante *Leo*? Sed ne jocari videamur in re seria, ætate *Origenis* variabant Græcorum Exemplaria, temporibus *Ambrosii* & *Augustini* variabant Exemplaria, variant & hodie non paucis in locis, nec vacillat tamen auctoritas divinæ Scripturæ. *Spiritus*, inquit, *Sanctus auctor est divinæ Scripturæ, atque is non est auctor dissensionis ac mendacii. Non est igitur à Spiritu quod variat, & quod cum illo non consentit, adversatur: proinde veluti inimicum Spiritui Sancto rejiciendum.* Hoc syllogismo labefactat *Leus* auctoritatem omnium sacrorum Voluminum. Si quicquid variat rejiciendum, & variant alicubi tum Hebræorum, tum Græcorum, tum Latinorum sacri codices, nihil igitur non rejiciendum. Ostendat nobis suo digito *Leus*, quæ sit illa lectio quam dictavit Spiritus Sanctus, & hanc unam amplexi, quicquid ab hac variat rejiciemus. Quod si ille non potest, ex collatione Linguarum & Exemplarium, ex lectione, ex interpretatione celebrium auctorum nobiscum scrutetur, quæ lectio sit maxime probabilis. Verum ad hujusmodi causificationes abunde respondimus in Epistolis & Apologiis nostris, quas multis modis deprehendo non legisse *Leum:* atqui legisse debuit, priusquam ad calumniandum accingeretur. *Leus* sic mecum agit, quasi cum quis volumen ex alia lingua vertit in aliam, ea interpretatio tribuenda sit Spiritui Sancto. Sed longe secus sentit divus *Hieronymus*, multum interesse putans inter vatem qui Spiritu afflatus loquitur, & interpretem, qui tantum reddit, quantum Linguarum peritia dicendique facultate potest assequi. Quod si quicquid è Spiritu Sancto non est, id adversatur Spiritui Sancto, & si quicquid adversatur, rejiciendum est: cum *Hieronymo* auctore, nulla interpretatio sit è Spiritu Sancto, qui non dubitat & Septuaginta Interpretum cellulas ut mendacio constructas, ridere, rejicienda est hæc interpretatio, quam *Leus* solam vult esse sacrosanctam. Judex cum pronuntiat sententiam, non pronuntiat afflatu Spiritus Sancti, an ideo protinus hujus sententia adversatur Spiritui Sancto? Imo Scriptores orthodoxi frequenter inducunt interpretationem alienam à sententia ejus, qui Spiritus afflatu scripsit. Argumento est quod sæpe pugnant inter se quæ adferunt. An protinus adversatur Spiritui Sancto, quod vir pius pro suo captu colligit è sacris verbis, etiamsi non assequitur verum sensum Spiritus Sancti? præsertim cum pium sit quod adfert, quamvis non congruens ad eum locum, congruens tamen ad bonos mores? Ad hæc, si nulla fides est interpretationi varianti, nulla fides erit enarratoribus sacris, non infrequenter inter se dissidentibus: nulla fides *Hieronymo*, qui nonnunquam secum ipse dissidet. Etiam atque etiam vide, te quæso, lector, quibus Dialecticorum argutiis mecum agit *Leus*, quibus laqueis me captat.

Mox ceu rem adamantinis rationibus evicisset, perorat ad hunc modum: *Proinde posteaquam inter nos convenit, nihil esse mutandum, expendamus an hic locus in capite annotationum obnoxius sit mutationi.* Obsecro te, inter quos convenit? An istiusmodi frivolis lemmatis cuiquam persuaderi putat, nihil esse mutandum in codicibus sacris? Definire magis oportebat, quid esset mutare sacram Scripturam, si voluisset videri Dialecticus, & eo constituto proferre *Chrysippeas* illas εἰσαγωγάς. Verùm hæc qualis qualis est disputatio, quanquam ad hunc locum nihil attinebat, tamen auxit annotationem, per se pusillam ac jejunam: quanquam in proximam Editionem & hunc annotatam locum: nec hunc solum, verum & alios nonnullos, quos *Leus* non attigit. Hîc illico vociferabitur *Leus*, me mendacem & ingratum. Patiar, nisi producam testes, quibus ostendi locos in contextu paucos, in annotationibus complures mea manu vel correctos, vel locupletatos, potissimum occasione paraphrasêon, multa diligentius excutienti. Porro quod ait, *Chrysostomum* consentire cum Græcis codicibus, quod apud hunc quoque reperiatur additum nomen *Jesu*, posthac non clamabit, opinor, quicquid discrepat in Græcis voluminibus à Latinis, ab hæreticis fuisse depravatum, nisi forte *Chrysostomus* hæreticam lectionem sequutus est. Si probat quod *Chrysostomus* addiderit *Jesu* nomen, adimit fidem nostræ lectioni: sin diffidit *Chrysostomo*, ne posthac urgeat me illius auctoritate. Sed quo tandem argumento probat *Leus*, quod *Chrysostomus* legerit *Jesu Christi*? an quia sic habetur scriptum in codice? quasi scribæ non subinde chartis illinant, non quod reperiunt in Exemplari, sed quod impressum est memoriæ. Certe nullam conjecturam præbet interpretatio, unde queas divinare, quod *Chrysostomus* addiderit nomen *Jesu*. De *Christo*, hoc est, de *Messia* meminit, de *Jesu* non meminit. Ubi nunc est ille cornutus syllogismus, quo me miserum constringit: *Si bene habent Græca, cur omisisti? Sin male, perperam adderetur & Latinis.* Quasi vero hoc agatur, ut si quid in Græcis codicibus dissideat à nostris, protinus radantur Latina. Jam quod sequitur non satis intelligo, *Itaque ex Græcis libris saltem hoc loco, ut ne simpliciter dicam, nisi ubi talis locus occurrit, corrumperentur potius, quam castigarentur Exemplaria Latina.* Si sentit de Græcis depravatis, cur addit, *saltem hoc loco?* An non quovis loco depravarentur Latini codices, si ad Græcos depravatos mutarentur? Deinde quid sentit hic sermo, *ut ne simpliciter dicam, nisi ubi talis locus occurrit?* Non possum refellere quod non intelligo. Et hîc mihi tribuit eloquentiam, ad invidiam usque mirabilem, cum ipse tanto dicat artificio, ut homo non omnino rudis Romani sermonis non assequar. Sed opinor hîc ad manum illi non fuisse, qui locis aliquot addidit nitorem ac mundiciem, ut ipse vocat, *Erasmicdm.* Tametsi divino *Leum* hoc sensisse, si in codicibus Græcis occurrat locus incorruptus, qui in Latinis codicibus sit depravatus, recte in nostris emendari quod vitiatum est. At ubi interim illa lex, quæ verat quicquam immutari? Ad hæc, quam belle commentus est epitasim illam, *hoc magis esse nefarium omitti, quo sacratius est nomen Jesu:* quasi non multo sceleratius sit in litteris sacris omitti pusillum adverbiolum, *non*, aut addi, non suo loco, quam nomen *Jesu*, quamvis sacrosanctum: aut quasi sit futurus multo excusatior, qui sciens omitteret nomen *Herodis* aut *Pilati.* Ut ne dicam, in *Christi* vocabulo & *Jesu* nomen comprehendi. Denique negat se velle ut libris Latinis hîc addatur nomen *Jesu*, quamvis sacrosanctum, quasi protinus hoc futurum esset, ni *Leus* fieri vetuisset. Hæc est illa lex, qua sicuti testatur, perpetuo me stringet tota hac disputatione. At ista lex non minus urgebit interpretem hunc, cui *Leus* nihil non tribuit, quam me. Constat Novum Testamentum Græce scriptum, & scriptum afflatu divini Spiritus. Hoc mihi cum *Leo* convenit. At interpres hic non paucis locis addit aliquid de suo, vel explicandæ rei gratia, vel coactus idiomate Græci sermonis, non respondentis ad orationem Latinam, vel animi gratia. Cur ille non veretur injuriam facere Spiritui Sancto? Sed harum næniarum plus satis. Atque his avibus rem feliciter auspicatus, pergit ad reliqua: ad quæ priusquam respondeam videor mihi meo jure facturus, quando *Leus* usque adeo inclementer plumas suas à me revellit, ut frequenter auferat & meas, si vicissim hîc in illo desiderem ingenuam animi gratitudinem. In schedula, quam ab *Atensis* scriba quidam interceperat, prima erat annotatio, ex *Chrysostomi* lectione, scribendum in *Matthæo, ad virginem*

Digitized by Google

ginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, de domo & familia David, atque hanc clausulam existimabat vehementer pertinere ad explicandam *Christi* genealogiam. Verùm hîc errorem suum intellexit, partim ex meo colloquio, partim ex annotationibus posterioris Editionis, ac prudenter omisit, quod perperam scripserat, nec tamen agnoscit, cujus beneficio vitarit eum lapsum. Siquidem quod *Chrysostomus* inter enarrandum retulerat ex Euangelio *Lucæ*, *Leus* existimabat addendum in *Matthæo*, quem explicabat *Chrysostomus*. Fateatur oportet, hîc quod addi volebat, non esse in libris Latinis, & eos non patitur à quoquam emendari. Græcorum codices omnes habet suspectos. Et unde volebat hoc addi, nisi ex Græcorum codicibus? Sed nititur auctoritate *Chrysostomi*. Quasi ego non passim nitar auctoritate talium virorum. Postremo si fatetur, alicubi deesse in nostris voluminibus, detrahit illis omnem auctoritatem, si modo recipimus ipsius ratiocinationem. Omisit & illam, quæ tum erat illi, ni fallor, quarta, in qua me notat, quod ita putarim rectius vertendum, *noli timere adjungere tibi*, &c. quam *noli timere accipere conjugem*. Quod *accipere conjugem* Latinis dicatur, qui duxit uxorem, at *Joseph* jam duxerat. Et hîc objicit mihi *Chrysostomum* Latine versum, cum ego loquar de proprietate verbi Græci παλαβεῖν. Atque hac quoque de re illum admonui. Quod si mihi tum plures annotationes suas communicasset, fortasse lapsus esset in paucioribus, ac melius illi consuluissem inimicus, ut putat, quam ipse sibi nimium amicus consuluit, qui maluerit suæ pariter ac meæ famæ labem adspergere, quam utrique bene consultum esse.

AD II.

Eodem. Annotaram ex *Hieronymi* Commentariis, quos scripsit in *Matthæum*, colligi, quod is legerit, *Ecce virgo in utero habet*. Atque hanc rem ita perplexe tractat *Leus*, ut existimem ipsum vix intellexisse quod scriberet. At ne multa repetendo nimium in his teram operæ, relege, lector, quæ congessimus hunc in locum in Editione posteriore. Objicit mihi *Chrysostomum*, qui legat, *habebit*, quasi istuc negem, aut quasi non idem legam ipse. Objicit, quod aliis locis *Hieronymus* citet, *in utero habebit*, quasi vero sit infrequens *Hieronymo*, uti vulgata lectione, quam tamen alibi reprobet. Et fieri poterat, ut hîc quoque Librarius pro *habet*, scripserit *habebit*. Atque hîc mihi *Leus* citat verba *Hieronymi*, quorum nulla erat mentio in schedis quas habebat *Atensis*, videlicet ut lector ignarus arbitretur me hæc ex hujus annotationibus addidisse in Editione posteriore. Deinde ex *Hieronymi* verbis colligit quædam ἀσύστατα, quibus ipse offensus, etiam in priore Editione rejeci *Hieronymianam* annotationem. *Habet*, inquit, *præsentis est temporis*, quasi quisquam hoc ignoret. Sed rem notat præteriti temporis, nempe *concepisse*. Cum enim *habere in utero*, nihil aliud sit Græcis, quam esse gravidam, nec gravida dicitur nisi quæ concepit, idcirco *Hieronymus* meminit temporis præteriti. Sed *Leus* ne pereat præteritum, vult legi *habuit*, quod id verbum sit præteriti temporis. Eadem opera legere poterat, *habuerat* aut *habuisset*. Verùm *habuit* non congruisset cum eo quod sequitur, *& pariet filium*. Nam si credimus *Hieronymo*, prophetiæ sermo partem alteram refert tanquam præteritam, alteram veluti futuram. Jam virgo est gravida, quæ suo tempore pariet, quod in utero gerit. Existimat autem *Leus* rem pulchre posse consistere, si omnia verba mutentur in idem tempus: *Virgo in utero habuit, peperit filium, & vocaverunt nomen ejus Jesum*. Negat eundem esse sensum quoties mutatur tempus. Atqui hoc frequenter fieri in Prophetarum oraculis, docet *Hieronymus*, cum & Latinis vulgo *vicisse* dicantur, quos certum affirmamus victuros, & *perisse*, quos asseveramus perituros. Tempus diversum, sed sensus idem. Tandem huic consilio diffisus *Leus* decernit, hunc locum in *Hieronymi* Commentariis esse subditicium, eoque radendum, meque objurgat, qui hoc neglexerim cum in emendando *Hieronymo* versarer. Quasi ego totum *Hieronymum* emendandum susceperim, etiamsi *Amerbachiis* adfui, si quando hærebant. Hîc non hærebant, nec adfui semper *Basileæ*. Denique quasi novum esset, si in his etiam voluminibus, quæ proprie mihi susceperam, resedisset aliquid mendarum, ut non dubito quin resederit. Si *Leus* subditicium putat, cur jubet corrigi? Sed dispungi mavult, etiam nullis Exemplaribus suffragantibus. *Leus* illico vult expungi, in mediis *Hieronymi* Commentariis, si quid non sanis approbat. Quanto ego modestius, qui veritus mutilare Commentarios, quos auctor agnoscit, indicavi quid me offenderet. Quod si semper esset eradendum, quod in *Hieronymi* scriptis non probo, nemo me ferret cum mea novacula: imo *Leus* ipse falsarium clamitaret, qui tam sacrum auctorem mutilassem mea temeritate. Vides, erudite lector, quanta sit hîc jocandi materia, si tam iniquus essem in *Leum*, quam ille in me. Ac post ubi mihi revellit plumas, demiratur quod adhuc persistam in sententia, videlicet tam periculosa. Sed in qua tandem sententia? An quod *Hieronymus* legisse videtur *habet*, pro *habebit*? Id negari non potest, ac ne *Leus* quidem negat. At hoc est quod nos annotavimus, & tamen ab *Hieronymo* dissentimus, etiam in Editione priore. Neque video quid hinc gloriæ sibi venetur *Leus*, *Fatetur*, inquit, *quod ego monui hunc locum esse depravatum, quem utcunque restituit, ut pro* habebit *legatur* habet. *Euangelista autem, quia non de futuro, sed de præterito narrat historiam, mutavit* accipiet, *& posuit* habet. *Qui enim habet, nequaquam accepturus est*. Deinde subnectit verba mea ex posteriore Editione. Certe ex hac clausula, *Qui enim habet, nequaquam accepturus est*, palam est *Hieronymum* legisse *habet*, non *habebit*. Mox *Leus* sic commodius connectit locum. Obsecro quid hîc admonuit *Leus*? An legendum esse *habet* in *Hieronymo*? Appello eos, penes quos jam menses aliquot fuit exemplar *Leïcarum* annotationum, relegant, & si quid hujusmodi compererint, credant *Leum* omnia vera dicere. Quid impudentius, imo quid dementius? cum ex ipsa *Lei* annotatione perspicuum sit, *Leum* ex me didicisse, quod in *Hieronymo* perperam haberetur, *habebit* pro *habet*: tamen, in Indice sui oblitus, *Fatetur*, inquit, *quod ego monui hunc locum esse depravatum*. Hæc qui scribit, aut frontem non habuit, aut mentem non habuit, aut lectori non putavit ulli mentem fore. Rursus docuit me legendum esse, *habet*. At in hac ipsa annotatione, quam excudit, conatur probare, non posse ferri verbum præsentis temporis, & contendit legendum *habebit*. An hoc est admonere, in Commentariis esse legendum *habet*? Nec aliud dico in posteriore Editione, quam dictum erat in prima, sed quod illic paucis perstrinxeram, fretus ingenio lectoris, hîc explanatius refero, jam expertus tantum virum hac hallucinatum occasione. Si nesciebam, in *Hieronymi* Commentariis scribendum esse, *habet*, quorsum igitur attinent illa verba mea prioris Editionis? *Ceterum divus* Hieronymus *hunc enarrans locum, legisse videtur* ἔχει *præsentis temporis, non* ἕξει *futuri*. Cur non admonebas, inquiet, loci depravati? An hoc non est satis admonuisse, rem oculis ostendisse? Nolebam esse incivilis in opus, quod tum nondum exierat in lucem. Porro quod senserim, verbo præsentis temporis intelligi rem præteriti temporis, vel illa verba declarant, quæ mox subjicio, *quasi Propheta eam futurum prædixerit, Euangelista respexerit ad id quod erat factum*. Sed hic non approbat meam rationem, cum non usquequaque sit idem *gravidam esse* & *concepisse*, cum *concepisse* dicatur & quæ posuerit uterum. Atqui, cum de ea loqueris, quæ sit paritura quod gestat in utero, prorsum idem est *concepisse*, & *gravidam esse*. Sed quin eodem lemmate rejicit hoc enthymema *Hieronymi*: *Qui enim habet nequaquam accepturus est*. An quæ semel concepit, non est postea conceptura fœtum alterum? At commode, inquies, interpretandum, non conceptura est, quod jam concepit. At cur non æque com-

Digitized by Google

mode interpretaris mea? Non arbitror hæc à *Leo* scripta serio, tantum ulciſci me voluit, qui, ut ait, provocarim ipſum aliquando ad palæſtram dialecticam. Scio rides jamdudum, lector, haſce pueriles nænias, ſed his urgeor ab iis, qui me faciunt incendiarium Eccleſiæ *Chriſti*. Tandem perplexus, & æſtuans inter has difficultates, confugit ad Euangelium Hebraicum, quod ait male verſum à neſcio quo, cum mea ſententia probabilius ſit *Matthæum* Græce ſcripſiſſe quam Hebraice, nec deſint Auctores, qui putent hoc Euangelium ab *Joanne* Euangeliſta verſum in linguam Græcam. Sed à quocunque verſum eſt, hactenus eam translationem approbavit Eccleſia catholica. Quod ſi ea translatio caret fide, nec eſt alia, unde habemus noſtram translationem? Vides, mi lector, quid conſequatur. Atqui *Hieronymus* in Catalogo teſtatur, ſe vidiſſe Euangelium ſecundum *Matthæum* Hebraice ſcriptum. Cur igitur nuſquam hinc petit præſidia, cum frequenter hæreat in *Matthæo*? Si quid vidit, vidit Euangelium *Nazaræorum*, quod quidam videri volebant ab ipſo *Matthæo* conſcriptum. Ex hoc ſubinde citat teſtimonia, cum ex altero nunquam verbum adferat, alioqui vir in his rebus non incurioſus. Sed hac de re copioſius alias dicetur, quando ad hunc locum non admodum pertinet. Jam quod diſceptat de vocibus Hebraicis, quæ ſunt in prophetia, reſpondeat *Joannes Oecolampadius*, quo auctore hoc admiſcui meis commentariis: cui uni non paulo plus tribuo, quam multis *Leis*. Ille quantus ſit in Linguarum peritia, teſtantur illius editæ lucubrationes: Hic nuper cœpit hebraiſſare, idque nullo pene præceptore. Neque eſt quod clamitet, me mihi vindicare laudem alienam, cum ingenue teſtatus ſim, hac in parte me *Theſeo* uſum, etiamſi in poſteriore Editione pleraque amputavimus. Et quod in priore fuit admixtum, magis additum eſt in gratiam typographi, quam ex animi mei ſententia. Nam hoc agebatur illic, ne quis facile poſſet æmulari, quod tum perpaucis eſſent Hebraicæ formulæ. Hanc, opinor, annotationem nemo ſibi vindicabit, cum ſit germaniſſima *Lei*.

AD III.

Matt. v. QUOD *Chriſtus* vetuit ſuos omnino jurare, quoniam ea de re videbam ſeſe torquere Theologos, cum negari non poſſit, alicubi juraſſe Apoſtolos, & hodie inter Chriſtianos adeo receptum ſit jusjurandum, ut nihil habeatur fere ratum, niſi interceſſerit jusjurandum. Jurat populus Principi, jurat Princeps populo, jurant Sacerdotes Epiſcopo, jurant Cardinales & Epiſcopi Romano Pontifici. Hîc igitur quatuor viis quærebam exitum ex objectionum laqueis. Primum ut diſtinguamus perſonam, deinde cauſam. Præterea conſideremus ſermonis tropum. Poſtremo mentem, modumque jurisjurandi. Quod ad perſonam attinet, Judæis ut imperfectis permiſſum eſt jusjurandum; Chriſtianis ut perfectæ juſtitiæ ſectatoribus interdicitur. Quod ad cauſam pertinet, hoc eſt, materiam & argumentum jurisjurandi, propono jusjurandum non eſſe vitandum in his quæ pertinent ad gloriam *Chriſti*, ac negotium pietatis fideique Chriſtianæ: in rebus levioribus non item. Quod ad tropum orationis attinet, oſtendo ſermones hujuſmodi non exigendos ad argutationem ſophiſticam, ſed ad rei ſummam. Quemadmodum enim *Chriſtus* cum prohibet, ne peram aut baculum circumferamus, non hoc agit, ut videatur Euangelii doctrinam violaſſe, qui baculum aut peram circumferat, quod citra culpam faciunt & ii, qui profitentur inſtitutum Apoſtolicum: ſed ut liberet ſuos præcones ea ſollicitudine parandi commeatus, qua laborant hominum legati. Quod ad mentem modumque jurisjurandi pertinet, etiamſi hoc quartum non eſt prorſus diverſum à ſuperioribus, admoneo, *Chriſtum* non ſimpliciter vetuiſſe ne juremus, ſed ne juremus eo more, quo tum jurabat vulgus. Sic enim jurabant Judæi, ut exiſtimarent ſe non obligari ad præſtanda promiſſa, niſi jurejurando aut voto eſſent obſtricti, propterea quod ſimplici mendacio nullam pœnam præſcriberet Lex. Sic vetuit ſalutare quenquam in via, ſic vetuit diteſcere, ſic noluit nos reſiſtere malo, ſic noluit nos appellari magiſtros aut patres in terris. Atque hîc quoque *Leus* miſcet dialogiſmos. Nec ſatis commemini, num quid reſponderim: magis arbitror nihil eſſe reſponſum, ſed hoc, quod dicit me reſpondiſſe, deſumtum ex poſterioribus annotationibus. Verùm hac de re nihil pugno, tametſi ſtultum ſit ea vocare in ſeriam diſputationem, quæ ſic ex tempore notarim, ut vix crederem eum, cui uni ſcribebantur, eſſe lecturum. Fatetur *Leus*, jusjurandum eſſe tributum infirmis. Infirmos autem, ut opinor, vocat imperfectos. Cum idem ego dicam, tamen negat inter nos convenire, quod perfectos ſeparem à vulgo. Imo perfectos ſeparo à Judæis. Atque in eum ſenſum accipio illud, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende*, &c. Bonus erat Judæus, ſervarat præſcripta *Moyſi*, *Si vis*, inquit, *eſſe meus diſcipulus*, hoc eſt, perfectus, *me ſequere. Ad omnes*, inquit, *Leus*, *Chriſtianos pertinent Chriſti canones*. Hoc cum illi non ſint donaturæ Theologorum centuriæ, neque veterum, neque recentiorum, tamen ego largior: non quod omnes Chriſtiani perfecti ſint, ſed quod horum profeſſio collata ad Judæorum profeſſionem ſit perfecta, qui pro ſuis viribus adnituntur ad exemplar perfectum, quod eſt *Chriſtus Jeſus*. Quod ſi Chriſtianos appellamus, quicunque *Chriſtum* profitentur, quis neget inter hos eſſe imperfectos, cum ſint & parricidæ? Ut ne commemorem quod *Lei* ſermo ſecum ipſe pugnat. Notat me, quod perfectos ſeparem à vulgo Chriſtianorum. Si Chriſtiani ſuum habent vulgus, quî conſtat ut non habeant imperfectos? Verùntamen appello perfectos, quorum profeſſio tendit ad ſcopum perfectæ pietatis. Sed ad rem. Quod hîc flagitium admiſſum eſt, ſi demonſtravi rationes aliquot, fortaſſe non tam abſurdas quam putat *Leus*, quibus hujuſmodi difficultas poſſit diſſolvi? Sed illud impingit, quod rejecerim Veterum opiniones, idque colligit ex unica conjunctiuncula, *verùm*, quæ ſit adverſativa. Ut illi largiar eſſe verum, quod colligit ex illa vocula, *verùm*, quî minus mihi liceat alicubi, quod ipſe ſibi ſumit *Leus*, quoties commodum eſt? Nunc cum ſcripſerim, *verùm opinor*, quid aliud quam meam opinionem illorum opinionibus admiſceo, quo lector eligat quod maxime probet. Atque hîc quoque monet lectorem, me non ceciniſſe palinodiam, nimirum in re tam periculoſa. Quæſo te, lector, quid fructus eſt, ad hunc modum puerilibus argutationibus conflictari? Atque hæc niſi ſcripſiſſet *Leus*, religio Chriſtiana vergebat in extremum periculum.

AD IV.

Matt. vi. IN calce precationis Dominicæ, Græci codices addunt hanc coronidem, *quoniam tuum eſt regnum & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum*. Eam admoneo mihi videri ſic additam ex ſolenni more cultus Eccleſiaſtici, quomodo apud Latinos in clauſula Pſalmorum accinitur *gloria Patri*, præſertim cum nullus interpretum attingat hanc clauſulam, præter *Theophylactum Bulgarienſem* Epiſcopum. At *Leus* objicit *Chryſoſtomum* interpretari, atque ita comperi in vulgatis codicibus, quos illius nomine legimus. Alioqui quicquid fere apud Græcos habetur commentariorum in Scripturam ſacram, *Chryſoſtomo* tribuitur, adeo videtur hujus nomen apud illos fuiſſe plauſibile. Feruntur autem hujus Commentarii in *Matthæum*, adeo diverſi, ut aliquoties ex diametro pugnent inter ſeſe. Præterea quid miri ſit, ſi quis ſtudioſus, quod putaret deeſſe in *Chryſoſtomo* adjecit aliunde, quemadmodum eximius Theologus *Jodocus Clithoveus*, quod hiabat in *Cyrilli* Commentariis, quos edidit in *Joannem*, ſarſit ex *Auguſtino*? Poſtremo demus *Chryſoſtomum* interpretari voluiſſe, quod haberet ſolennis uſus Eccleſiæ, non continuo docet hanc eſſe partem Dominicæ precationis, non magis, quam ſi quis enarrato Pſalmo nonnihil etiam commentetur in verſus duos adjectitios *gloria Patri* &c. Verùm quid tandem hoc loco ſibi vult

Digitized by Google

vult *Leus?* Placet addi, an non placet? Si non placet, mecum ſentit: ſi placet, cum non poſſit addi niſi ex Græcis Exemplaribus, his, inquam, quibus nituntur hodie Græci, ubi eſt quod alibi vetat noſtros codices ad Græcorum Exemplaria corrigi? Atque adeo ſi libet cavillari, ſi vult addi, & nos addimus in contextu. Si non placet addi, demonſtravimus non addendum in annotationibus. *Hieronymus*, non eſt dubium quin conſuluerit Græcos codices, & *Leus* videri vult hanc Editionem ab *Hieronymo* fuiſſe caſtigatam, & tamen is ne in commentariis quidem meminit hujus coronidis, ne quid loquar de *Cypriano*, qui peculiarem libellum huic precationi dicavit. Admonet nos *Leus*, eſſe tolerabilius, ſi quis per imprudentiam ſubtrahat aliquid è ſacris Voluminibus, quam ſi quis addat. Quod ſi *Leus* utrobique ponat imprudentiam, non video quid interſit. Alioqui cur ante tantopere ſtomachabatur, omiſſum eſſe *Jeſu* nomen? Denique laudat hîc me, qui tantum tribuam auctoritati ſanctorum & Eccleſiæ catholicæ. *Utinam*, inquit, *idem ſemper feciſſes, ſic non toties mutaſſes lectionem Eccleſiaſticam.* Vix impero ſtomacho meo. Quid? an ego uſquam negligo auctoritatem Eccleſiæ, aut ſanctorum? An uſquam muto lectionem Eccleſiaſticam? qui palam teſtor, me mihi nihil tale ſumere, ſed totam eam provinciam relinquere primatibus Eccleſiæ. Certe hoc loco præfero lectionem Eccleſiaſticam, quam *Leus* vult eſſe mutilam, idque per imprudentiam. Et tamen codicum Latinorum omnium, interpretum omnium ſummus conſenſus eſt. Quanto ipſe modeſtius, qui ſimul & probo quod conſtanter habet Eccleſia Romana, & Græcos oſtendi à nobis non diſſentire ob coronidem adjectam. Nec enim ſic ab illis adjecta eſt, ut velint eſſe partem precationis Dominicæ. Non hîc querar quod rurſus impingit mihi ſchedas meas nunquam à me relectas, quibus ſi vult eſſe pondus, proferat viciſſim & ipſe ſuas illas ſchedas rudes, ac puras putas, quas poſtea locupletavit leporibus ac myrotheciis Rhetorum, quas elimavit, quas ad amuſſim abſolvit. Arrodit obiter & hoc, quod *Theopylactum* appellarim abbreviatorem *Chryſoſtomi*, cum in nonnullis à *Chryſoſtomo* diſſentiat. Quaſi *Florus* ideo non ſcripſerit Epitomen in *Titi Livii* hiſtoriam, quod aliquid addiderit de ſuo. Atque hanc rem tanti momenti pollicetur ſeſe alibi annotaturum. *Minus*, inquit, *eſt periculi in detrahendo, quam in addendo.* At non hîc diſcrimen facit lex Deuteronomii, aut Apocalypſis, qua me ſtringit. Ea nec addi vult, nec adimi quicquam. Denique *Hieronymus*, cum tam multa mutaret in Vetere pariter ac Novo Teſtamento, an non deferebat auctoritati Eccleſiaſticæ? Ego quod muto in privata lectione, non volo quicquam habere ponderis, niſi comprobet Eccleſiaſtica auctoritas. Jam *Leonis* judicium habemus, an id nihil valebit, niſi ſubſcribat *Leus*? Et contemnere videbor auctoritatem Eccleſiaſticam, niſi ad *Lei* regulam ſcripſero quicquid ſcribo? Tales annotationes ſcribit, qui tanto ſupercilio contemnit *Eraſmum*, nihil illi tribuens præter eloquentiam, ſibi ſumens eruditionem, & acumen ingenii.

AD V.

Matt. VIII. NOTAS, inquit *Leus*, *Euangeliſtam, quod aliquanto coactius adduxerit auctoritatem ex Eſaia.* Imo *notandi* verbum, *Lei* eſt, non meum. Siquidem hîc idem ago, quod agit *Chryſoſtomus*, excuſans *Matthæum*, quod Prophetæ locum nonnihil deflexerit ad ſuum negotium, quodque illic dictum eſt de paſſione *Chriſti*, deque ſublatis hominum peccatis, hîc accommodet ad ægrotos ſanatos. *Sed idem*, inquit *Leus*, *facit reverentius multo Hieronymus.* Quaſi vero dictum ſit irreverenter, *aliquanto coactius. Hieronymus*, inquit *Leus*, *ſi quid tale inciderit, tribuit auctoritati Apoſtolicæ:* quaſi ipſe non idem faciam, qui non ob aliud hoc admonui, quam ne lector offenderetur citatione *Matthæi.* At *Hieronymus* non veretur de *Paulo* dicere, quod fortuitum occurſum inſcriptionis torſerit in argumentum fidei, quod teſtimonia Scripturarum apud illum pugnent, quæ ſuis locis non pugnant: non veretur excutere teſtimonia Euangeliſtarum, quæ citant ex Teſtamento Veteri. *Non puto*, inquit *Leus*, *coactius locutum cujus Spiritus ille ſcripſit.* Quaſi totus divinæ Scripturæ ſermo non ad noſtrum captum ubique balbutiat: quaſi *Chriſtus* ipſe non multa dicat oblique, non multa diſſimulanter, non quædam etiam ironice, videlicet ſermonem ſuum attemperans ad affectus eorum, quibus tum loquebatur. *Paulus* habet conſilium, quod non habet à Domino: habet Domini præceptum, quod ipſe non exigit. Et miramur, ſi Euangeliſta Prophetæ ſermonem ad rem ſuam accommodat? Et tamen hoc ipſum bis diminui. Habet enim mitigationem aliquam, primum, comparativum ipſum, *coactius*, nec eo contentus adjicio, *paulo.* Poſtremo quod dico, *coactius*, non refertur ad mentem Spiritus, ſed ad ſermonis ſuperficiem; unde mira libertate ſubinde deflectit *Paulus*, ut alicubi videri poſſit violentior. At non diſcedit interim à conſilio divini Spiritus. Jam in Indice non recipit *Leus* meam moderationem, qui mutarim, *nonnihil deflexit ad ſuum negotium. Si deflectere*, inquit, *eſt aliquouſque errare, non recta ire, plane temerarium fuerit de Euangeliſtis ſentire quod deflexerint.* Quis ſic interpretatus eſt *deflectendi* verbum? Quoties *Chriſtus* ſermonem aliorum ad alterius ſermonis occaſionem deflectit, velut in colloquio cum muliere *Samaritana*, de commonſtrata Templi ſtructura, de oſtenſo Cæſaris nomiſmate? Quomodo tuebimur *Paulum*, qui titulum aræ torſit in argumentum prædicandi *Chriſtum*?

AD VI.

Matt. IX. AD ſextam illius annotationem, non eſt cur reſpondeam, cum inter nos nulla ſit controverſia. Cum mihi *Baſileæ* primum ederetur hoc opus, ſuppeditatum eſt nobis è Bibliotheca Prædicatorum volumen Græcum Homiliarum *Chryſoſtomi* titulo, *in Mathæum*, ſed imperfectum. Ex eo quamdiu ſuppetebat, quædam annotavimus, in quibus & hoc, quod cum noſter interpres legiſſe videretur ἰδὼν, quandoquidem vertit, *Videns autem Jeſus*: admonui, in eo volumine ſcriptum fuiſſe εἰδὼς, id eſt, *cum ſciret Jeſus*, verbo nonnihil immutato, ſenſu manente qui fuerat: id cum indicaſſem in ſcholiis, ſequor tamen quod in Græcis voluminibus cum noſtra lectione congruebat, præſertim cum eos Commentarios deprehenderem multis ſcatere mendis ſcribæ culpa. At hac quidem in re mihi ſubſcribit *Leus*. Quid igitur annotavit, aut quid à me mutatum voluit? Quandoquidem hunc locum recenſet inter eos, in quibus noluerim παλινῳδεῖν homò periculoſe pertinax. Nam verto quemadmodum nos legimus. An id nefas eſt verbo admonuiſſe, fuiſſe codicem, in quo habetur εἰδώς. Jam quod ſcribit in nonum *Matthæi* Capitulum, non haberi *Chryſoſtomum* Latinum, aut non intelligo quid dicat, aut demiror quos oculos, quoſve codices habeat *Leus*, cum ego reperiam hujus enarrationem in nonum Caput, quemadmodum & in cætera, in quibus tamen interpres verterit, *videns*, quid Græce legerit incertum. Porro quod ſequitur apud *Leum*, multo minus intelligo. Ait in Indice, *titulum, quem mihi fateor fuiſſe ſuſpectum hoc nomine, ſibi magis etiam ſuſpectum eſſe, quod interpres* Chryſoſtomi *Capitulum hoc omiſerit, quod conſentaneum eſt non fuiſſe omiſſurum, ſi nullus codex Græcus, quo is utebatur, habuiſſet. Nam nihil dubito habuiſſe illum diverſa Exemplaria Græca, cum interpretaretur.* Hactenus *Leus*. Ut demus omiſſum ab interprete Caput, quod ipſa res me tacente refellit: Quid? an interpres habuit omnia Græcorum Exemplaria? Sed finge illum habuiſſe centum, non potuit unum habere, quod in centum non habebatur? Præterea quem titulum habet ſuſpectum *Leus* Græci codicis? Eum non vidit. Et cur habet ſuſpectum? An quod interpres non verterit nonum Caput? Imo hoc minus debuit eſſe ſuſpectus liber ille quod non fuerit hoc parte mutilus. Sed ille liber Græcus ideo mihi fuit ſuſpectus, quod videretur alius ab hoc, quem nos habe-

Digitized by Google

habemus Latinum, nec eruditione copiaque ac ſtylo videretur reſpondere. Ac mirum eſt, hîc *Leum* meo judicio ſubſcribere, quod alias non ſolet, cum tamen eam ſuſpicionem, quæ prima ſpecie ſeſe objecerat, propius inſpecta repoſuerim. Sed placuit illi quicquid officeret meæ ſententiæ: qua quidem in re non admodum diſſimilis videtur illi mulierculæ, de qua fertur fabula vulgaris; quæ cum iterum atque iterum juberetur, ſeſe interius accedens ab ripa ſubducere, non deſiit abire in tergum, donec in torrentem collapſa periret. Quod meum fatum, ut cogar hujuſmodi deliramentis reſpondere? At quæ frons hæc ſcribentis orbi, hæc ſcribentis in *Eraſmum*, hæc pertrahentis ad Chriſtianæ fidei periculum?

AD VII.

Matt. XIII. SEPTIMA annotatio nihil pertinet ad emendationem Novi Teſtamenti. Tantum moveram ſcrupulum lectori, cum apud Hebræos *fratres* dicantur, non ſolum quibus ſint communes parentes, verum etiam qui ſint ejuſdem familiæ, aut etiam Gentis ac Tribus, qua quidem in re divus *Hieronymus* eleganter irriſerit inſcitiam ac ſtuporem *Helvidii*, qui quod in Euangelio legiſſet *fratres Jeſu*, putarit *Mariam* ſemper virginem, poſt editum *Jeſum* alios ſuſtuliſſe liberos ex *Joſeph*. Demiror cur idem *Hieronymus* hunc enarrans locum ſcripſerit, *Miraris ſi errant in fratribus, cum errent in patre?* Nam in patre tota errabant via, ſuſpicantes *Jeſum* vulgari more genitum ex complexu *Joſeph* & *Mariæ*. Sed illud diſquiro, quomodo errarint in fratribus, cum nihil vetuerit eos eſſe cognatione conjunctos *Jeſu*. Neque enim *Judæi* ſic exiſtimabant *Jeſum* filium *Joſeph*, quemadmodum narrat Euangeliſta *Lucas*. Alioqui non erraſſent in patre, quod ait *Hieronymus*. Hunc nodum ita diſſolvit *Leus*, ut dicat, *quemadmodum Joſeph falſo putabatur pater Jeſu natura, ita Jacobum Joſeph, Simonem & Judam falſo creditos natura fratres Jeſu*. Quod ſi *Leus natura* vocat *fratres* cognatione conjunctos, nihil vetat hos *natura* fuiſſe *fratres Jeſu*. Atque hîc nihil adſevero, tantum obiter inquirendum propono. Sed *Leus* non contentus mihi impingere, quæ ſic obiter annotavi, objicit & ea quæ fortaſſe pluſquam ex tempore notaram in ſchedis illius. Quaſi vero ſit mihi reddenda ratio omnium quæ quocunque modo notantur. Finge me nonnihil annotare in margine codicis mei, quod mihi præbeat occaſionem diſpiciendi, num continuo compellar tueri? Si *Leus* ſuas ſchedas, quales tum erant, evulgaſſet, (erant autem perquam jejunæ) tamen à me poſceret iniquum, cum ille ſua per otium ſcripſiſſet, ego aliud agens ex tempore non ſcriberem, ſed notarem. Quod ſi illi erat in animo ea refellere, cur tum temporis non refellebat? Cur nunc demum jam bis edito volumine, meas nænias profert? ſuas occultat? Quod tum ſcripſi, litem adhuc eſſe ſub judice, an *Maria* & *Joſeph* fuerint ejuſdem familiæ, nihil aliud ſenſi, quam hac de re nondum ſatis convenire inter *Lyranum* & *Paulum Burgenſem*, inter *Jacobum Fabrum* & alios quoſdam. Nec deſunt qui diluant argumentum legis, vetantis jungi matrimonio, Tribu disjunctos, cum demonſtrent ex hiſtoriis, ob bella, ob demigrationes, ſæpe confuſas fuiſſe familias. Quod ſi poſſit obtineri, *Joſeph* & *Mariam* diverſæ Tribus fuiſſe, non difficile fuerit explicare difficultatem, quomodo errarint in fratribus. Neque me fugit, *Judæis* fratres dici, qui ſint ejuſdem Tribus, cum hi quoque *fratres* dicantur iiſdem, qui diverſæ ſint Tribus, modo generis *Judaici*. Sed hoc in loco non eſt veriſimile, *Judæos* de longinqua vehementerque generali cognatione ſenſiſſe, cum ex fratribus & ſororibus æſtiment *Chriſtum*, quemadmodum & ex parentibus. Notat & hunc locum tanquam à me relictum, & addit me nondum ſentire, *Joſeph* affinitatem ad *Chriſtum* pertinere. Sentio poſſe attinere, ſed quæro an adeo pertineat, ut propinqua cognatione *fratres* dicti ſint *Judæis*, qui cum de *Joſeph* cognatione perperam ſenſerint, veriſimile eſt & de *fratrum* nomine perperam ſenſiſſe. Verùm hæc ad vivum excutere, nec tum erat hujus inſtituti, neque nunc eſt animus, præſertim cum ſit ἀπεροδιόνυζον.

AD VIII.

ADMONVERAM, *Petrum* adverſantem *Chriſto*, totidem verbis repulſum, quibus ante repulerat Diabolum: imo eodem vocabulo compellatum *Satan*. Quod admonui verum eſt. Nam ita conſtanter habetur in Græcis codicibus. Sic legitur in Exemplari *Corſendoncenſi*, ſic in *Paulino*, ſic in hoc quod ex vetuſtiſſimis Exemplaribus ediderunt Fratres *Amerbachii*, ſic in eo quod nunc frequentiſſime eſt in manibus ex Editione *Joannis Petri Langedorſii*, ac *Joannis Frobenii*. Quid *Leus* in ſuis legerit, neſcio. Nec eſt quod hîc in me ſtomachetur, quaſi dixerim ipſum cæcutire, quod in illius opinor ſcheda notaram, in omnibus ſic haberi, etiam in antiquis. Siquidem quoties ita loquimur, utique loquimur de his Exemplaribus quæ nobis contigerit videre. Fateor hoc deberi *Leo*, quod *Origenis* locum inſpexerim, qui fortaſſe me fugiſſet, fortaſſis & ille occurriſſet inter tam multos, quos nullo monitore adjecimus. Hoc laudis non invidemus *Leo*, ſi ita videtur. Quin & hoc illi debetur, quod cum in Editione priori ſcripſiſſem, *totidem verbis repulſum* Petrum, *quibus ante repulſus fuiſſet Satanas*, in poſteriore adjecerim adverbium, *pene*, quo cavillationem excluderem, etiamſi *totidem verbis* dicitur, quod *pene iiſdem* dicitur. Hanc igitur plumulam, ſi videbitur, *Leus* ſibi vindicet. Porro quod *Leus* non contentus dixiſſe *totidem verbis*, addit & *iiſdem*, plus mihi tribuit quam ego ſcripſerim. Deinde quod *Leus* ſemel atque iterum hujus lectionis mentionem faciens recitat, *retro me*, quid ſibi velit neſcio: neque enim hic ſermo mihi unquam lectus eſt, nec à me refertur. Et hactenus ſane mihi ſatis convenit cum *Leo*. Cæterum in hoc nondum eſt mihi placatus, quod in poſteriore Editione ſubjecerim, *mihi non videri multum referre, utrum dicas ὀπίσω, an ὀπίσω μοῦ, cum alterum ſit repellentis à ſe, alterum invitantis ad obſequium*. Sciebam hæc admonuiſſe *Origenem*, qui ſolet in hujuſmodi minutiis non infeliciter philoſophari. Verùm hîc lubens rogarim *Leum*, utrum referat, ſi exiturus dicat famulo, *ſequere*, an *ſequere me*. Tantumdem, opinor, referet, an dicas *ὀπίσω*, an *ὀπίσω μοῦ*. Niſi ſentire malumus, Diabolum eſſe juſſum, non abire poſt tergum *Chriſti*, ſed retrocedere, hoc eſt, in tergum ſuum abire. Neque protinus qui jubetur poſt tergum noſtrum abire, jubetur ſequi nos: ſed is deſinit nobis in faciem obſiſtere, quem repulſum à tergo relinquimus. Cur autem potius offendat nos hic additum pronomen *me*, quam ipſum *Satana* vocabulum, quod *Petro* tribuit *Chriſtus*, commune cum Diabolo? Cum igitur nec in Græcorum nec in Latinorum codicibus conſtanter habeatur, quod annotavit *Origenes*, alicubi duobus verbis admonui, mihi videri feſtivam & elegantem quidem argutiam eſſe, quod genus multas reperire licet, tum apud *Ambroſium*, tum apud *Hieronymum*, quæ cum in commentatione ſuam habeant gratiam, in ſeria excuſſaque diſputatione non eſſent habitura pondus. Et tamen faveo annotationi *Origenicæ*. Neque quicquam immutandum cenſeo in noſtris Exemplaribus. Cæterum quando nullum adhuc Græcum Exemplar reperi, quod *Origenis* annotationem obſervet, nolui diſſentire ab eo, quod vertendum ſuſceperam. Si mihi non fidit *Leus*, vel *Aldinam* conſulat Editionem, cujus nulli non eſt copia.

Matt. XVI.

AD IX.

SUSCITAT mihi tragœdiam quod ἀντάλλαγμα, quod interpres vertit *commutationem*, ego monuerim vertendum in eundem ſenſum, ſed explanatius, *Quid dabit homo, quo redimat animam ſuam?* Ac vociferatur, me temere mutaſſe lectionem Eccleſiaſticam, cum *Hieronymus* neget ſe auſum mutare verbum *clarificandi* receptum, cum δοξάζειν magis ſonet *glorificare*.

Eodem.

Digitized by Google

care. Primum quando desinet mihi *Leus* calumnioſe impingere, quod mutem Eccleſiaſticam lectionem, cum eam non attigerim? Poſtremo ſic ubique infulcit ſuam Eccleſiaſticam lectionem, quaſi Græci non habeant aut habuerint magis etiam Eccleſiaſticam. Deinde non videt, aliud eſſe *Hieronymi* negotium, aliud meum. Ille novam lectionem invehebat Eccleſiis, ego cubiculis duntaxat, ac muſeis. Ad hæc quæ religio hîc habuerit *Hieronymum* neſcio, certe nonnullis in locis audet dicere, in hac lectione, quam *Leus* appellat Eccleſiaſticam, redundare quædam, velut in eo loco, *qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa*, monet, *ſine cauſa*, additum eſſe à nobis, non ſcriptum ab Euangeliſta. Atque id facit non uno in loco. Quædam verba libere rejicit ac reprehendit. In Veteris Inſtrumenti libris, quam multa mutavit, quæ tum diſſidebant ab Eccleſiaſtica lectione? Quam vero deridet cucurbitarios illos Deos in *Africa*, qui ob voculam mutatam in *Jona* ſeditionem excitarant? Septuaginta interpretatio olim erat Eccleſiaſtica lectio, & tamen hanc libere damnat *Hieronymus*, & alicubi mendacium appellat. Quod ſicubi *Hieronymus* non auſus eſt mutare vocem receptam, nihil aliud movit virum, quam ne quid novitas offenderet vulgus indoctum. Nam id temporis opifices etiam Latine ſciebant. At nunc ejus periculi nullus eſt metus. Doctis hæc ſcribuntur, & conſtat Eccleſiæ ſua lectio, & conſtabit per me quidem. Hæc nihil ad populum, niſi quod ſeditioſi quidam hæc ſtultiſſime vociferantur apud imperitam multitudinem, in cujus ſtultitia ſummum illis præſidium eſſe ſolet, ſi quem velint ulciſci. Poſtremo quæ prudentia fuiſſet, cum ſuaſu doctorum hominum illud ſuſcepiſſemus, ut Novum Teſtamentum liberum à ſolœciſmis, quantum liceret, inoffenſius legi poſſet ab his quibus placet ſermonis integritas, ſi prudentes etiam ſermonis vitia veriti fuiſſemus mutare? Quod olim ſic vertit interpres, id imperitæ plebi tributum eſt, cum Euangelium legeretur ab omnibus idiotis, ab agricolis ad ſtivam decantaretur, à coriariis in officinis, à mulierculis in textrinis, ob linguam omnibus utcunque communem. Propter hos, & apud hos *Auguſtinus* mavult *oſſum* dici, corrupte, quam *os*, bene Latine. Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores poſtulat. At vide quam belle probet *Leus*, non fuiſſe mutandum verbum *commutationis*. Legitur, inquit, in Commentariis *Origenis*, interprete *Hieronymo*. Legitur in ejuſdem Commentariis, quos ſcripſit in *Oſee* Prophetam. Si toties vocabit me in jus *Leus*, & Eccleſiaſticæ lectionis violatæ reum aget, quoties ſecus verto, quam legit *Hieronymus*, ingens volumen annotationum illi naſcetur. Sed has minutias cum ſint innumeræ, *Leus* juſſit *dare locum*, ſic enim ille loquitur, ne lectorem remorentur. Addit aliud argumentum. *Hieronymus*, inquit, in Commentariis, quibus explicat *Amos* Prophetam, dicit ἀντάλλαγμα ſignificare *pretium*. Quid ego audio? Si ἀντάλλαγμα ſignificat *pretium*, ideo vertendum erat *commutatio*? An *commutatio* Latinis ſonat *pretium*? At quanto nos melius vertimus ad *Hieronymi* ſententiam, qui tranſtulimus hunc in modum? *Aut quid dabit homo, cujus permutatione redimat animam ſuam?* Jam ſcire vellem quid ſecutus *Leus* ex ἀντάλλαγμα fecerit ἄλλαγμα. An hîc non veritus eſt legem Apocalypſis? An hîc volet ſibi patrocinari, vel ſuam, vel typographorum incuriam, quam mihi nuſquam vult eſſe præſidio? Equidem audirem, niſi tam ſubinde impingeret. Atque hîc quoque notor in illius Indice, qui rem tam periculoſam non mutarim, præſertim monitus à *Leo*.

AD X.

ANNOTARAM, nec in Græcis Exemplaribus, nec in Latinis emendationibus inveniri, *quod ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*, ſed tantum *quod ipſe eſſet Chriſtus*. Hîc *Leus*, ut memini, ſubmonuit, apud *Origenem* addi, præſertim in commentando. Atque ita rem habere ex parte comperi, cum tamen ſæpius non addatur, eodem in loco. Verùm hujuſmodi multa ſolet Librarius è ſua memoria addere: certe ex interpretatione *Origenis* non deprehenditur illum addidiſſe *Jeſus*. Hîc *Leus* in Indice ſuo rejicit etiam, quod addideram in poſteriore Editione, *pronomen αὐτὸς obſtare, quo minus addi poſſit* Jeſus, exiſtimans pulchre conſiſtere, ſi ſermo referatur ad Euangeliſtam narrantem, non ad *Chriſtum*. Si *Leus* mihi donat, hîc αὐτὸς eſſe pronomen vel demonſtrativum, vel relativum, quid aliud fuerit dicere, *quoniam ipſe Jeſus eſſet Chriſtus*, quam, *Jeſus, Jeſus eſſet Chriſtus*. Perinde, ac ſi quis ante loquutus de *Petro*, ſubjiciens, *rogavi ut eum abduceres*, nomen addi vellet, *ut eum Petrum abduceres*. Nam prorſus αὐτὸς nominis vice poſitum eſt. Niſi contendimus hoc loco αὐτὸς diſcernendi vim habere, ut intelligamus hunc *Jeſum* diſcretum à cæteris. Quod quam ſit durum, ultro vides, lector. Itaque nihilo mollior eſt ſermo, ſive ad *Chriſtum* præcipientem referatur, ſive ad Euangeliſtam narrantem. Porro quod adjicio de ſermonis ordine, aut belle diſſimulat *Leus*, aut non intellexit. Nam ut recte dicimus, *ne cui dicas quod* Petrus *eſt fur*, ita non recte dicatur, *ne cui dicas quod eſt* Petrus *fur*. *Leus* arbitratur utrumque poſſe legi, *quoniam ipſe Jeſus eſſet Chriſtus*, non ita, *quoniam ipſe eſſe Jeſus Chriſtus*. Primum ſi quod poſterius eſt non legitur, quomodo conſtabit utrumque? Deinde cum mihi præſcribat *Leus*, ne quid mutem ad Græcorum codicum exemplar, qua fronte ſibi ſumit, ut nullius auctoritate fretus, ſecus legat quam habeat Eccleſiaſtica lectio? Habet enim ad hunc modum, *quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*. Sed rixari non libet. Illud admonebo lectorem, in Editione *Aldina* Græce legi, quemadmodum noſtri codices habent, an recte neſcio. Apud *Theophylactum* non additur, *Jeſus*, nec apud *Chryſoſtomum* Latine verſum. Apud *Lucam* Cap. IX. *Petrus* reſpondet, *Chriſtum Dei*, & audit, ne cui dicerent hoc. Suſpicor aliquem gloſſematis vice ſuper αὐτὸς adjeciſſe, Ἰησοῦς, ne quis ad *Petrum* referret *quod ipſe eſſet Chriſtus*. Hinc erroris occaſio, ſi tamen hic error dicendus eſt.

AD XI.

DE nive & lumine non eſt nobis controverſia, cum & in priore Editione fatear, *Hieronymum* & *Chryſoſtomum* interpretari, *ſicut nix*. *Leus* addit ex *Origene* utrumque reperiri, ſed apud diverſos, ut opinor, Euangeliſtas. Quod cum ipſe non negem, quid annotavit adverſum me *Leus*? aut quid eſt quod hîc laudem ſibi vindicet? Matt. XVII.

AD XII.

AD duodecimam annotationem in præſentia nihil reſpondeo, quod exiſtimem commodius eſſe lectori, ſi res omnis unico in loco tranſigatur, etiamſi jam alias & in Annotationibus, & in Epiſtola ad *Jacobum Hoochſtratum* videor ſatis adduxiſſe, duntaxat ad hoc, ut ab hac calumnia liberer. Divortio non faveo, ſed perpetuæ copulæ, nec revello morem & conſtitutionem Eccleſiæ catholicæ, his de rebus nulla eſt inter nos controverſia: tantum hoc inquiro collatis argumentis, an ex auctoritate principum Eccleſiæ, & ex cauſis idoneis, poſſint dirimi conjuges cum animarum ſuarum pernicie cohærentes, ſic ut utrique liberum ſit alteri jungi matrimonio, & an in hanc partem poſſint accommodare ſenſum Apoſtolici ſermonis. Hoc ſatis eſſe viſum eſt interim admoniſſe lectorem, ne quid ſuſpicetur gravius. Cætera ſuo reddemus loco, declaraturi tragœdiam, quam mihi ſuſcitat *Leus* de matrimonio, nihil eſſe niſi fumos. Matt. XIX.

AD XIII.

IN hoc apud *Matthæum* loco, *Verebuntur forte filium meum*, annotaram, nec in Græcis Exemplaribus, nec in Latinis vetuſtioribus, addi, *forte*, nec addi in Edi- Matt. XXI.

Digitized by Google

Editione *Basileensi* postrema, quæ simul nobis dedit omnes lucubrationes *Hieronymianas*. Hactenus certe nihil mentitus sum. Sed demonstrat *Leus* oculatissimus ex ipsa *Hieronymi* interpretatione, addendum esse adverbium, *forte*. In quo sane nondum illi refragor, fingat me tum, ut fit, in eo tumultu parum attente locum eum inspexisse, non esset tamen, quod vel mihi, vel *Amerbachiis* falsarii crimen impingat; neque enim illi in hac Editione sequuti sunt translationem meam, sed fidem vetustissimorum Exemplarium. Imo pars ea *Hieronymi* fuerat excusa antequam nostra instituerentur. Et fieri poterat, ut quod illic *Hieronymus*, aut alius quispiam addidit, *forte*, si tamen additum esset, ex Euangelio *Lucæ* adjecerit, ubi certum est addi ἴσως. Et quod illic constat additum, hîc addi poterat. At ne quis existimet, hæc me de cribro, quod ajunt, divinare, *Origenes* tanto diligentior his in rebus, quam fuerit *Chrysostomus*, & quidem in eo opere, de quo nulla est dubitatio quin sit *Origenis*, hunc *Matthæi* locum enarrans, tota enarratione palam declarat, se legisse juxta nostram annotationem, Homilia XIX. movens hujusmodi quæstionem, *Cum paterfamilias, qui Patris typum gerit, dixerit*, verebuntur filium meum, *& exitus doceat illos non fuisse reveritos, apparet Deum ignorasse quid esset futurum*. Sed præstat opinor ipsius *Origenis* verba scribere. *Novissime*, inquit, *misit filium dicens:* Reverebuntur filium meum. *Quæres autem quomodo Deus mittens filium suum dicit:* Reverebuntur filium meum, *quasi qui non præsciebat quod ei fuerat eventurum*. Nec enim videntur secundum textum præsentem *Judæi* reveriti eum, & invenitur in hoc Deus nescisse futurum. Sed dicere, aliud esse factum, impium est: iterum dicere, quoniam reveriti sunt eum coloni, falsum est. Sed ut rem in pauca conferam, ita solvit hunc nodum *Origenes*, ut dicat, id quod dictum est in genere, *Reverebuntur filium meum*, constare propterea, quod aliqui *Judæorum* qui *Christum* amplexi sunt, non illum occiderunt, sed reveriti sunt. Jam cum toties hæc verba repetantur *Origeni* differenti, tamen semper omittit, *forte*. Proinde nec quæstio *Origenis* constabit, si addas *forte*, nec casu factum videri potest quod perpetuo non additur. Cum igitur negari non possit, *Origenem* pro nobis facere, quid respondebimus ad *Hieronymi* scholium, qui loquitur de ambigendo, ac temperata sententia? Quid? quod eleganter defendi possit, & *Hieronymum* idem legisse quod legit *Origenes*? Nam sæpenumero dicimus hoc futurum, de quo nobis bona spes est. Ita deprecamur pro vapulaturis, *Ignosce, posthac erit frugi*. Ad eum modum cum Deus præsciret *Judæos* interfecturos Filium suum, tamen ita loquitur, quasi spes esset fore, ut reveriti Filium resipiscerent. Nec ista temperatura sermonis pendet à, *forte*, adverbio, sed ab ipso eventu. Dissimulabat enim more hominum loquens, scire se quid esset eventurum, ut illis relinqueret occasionem resipiscendi si vellent. Quod si non facerent, intelligerent se suopte vitio perire, non culpa patrisfamilias. Jam clamet *Leus*, hoc quod afferimus esse somnium, nisi perpetuo *Hieronymus* legit, *Verebuntur filium meum*, quemadmodum legit *Origenes*, cui tribuit ille plurimum. Quid? quod *Hieronymus* similiter ingreditur hanc quæstionem, ut *Origenes*. *Porro*, inquit, *quod jungitur*, verebuntur filium meum, *non de ignorantia venit. Quid enim nesciat paterfamilias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur?* Vides hoc offendi *Hieronymum*, quod secus evenit, quam Deus eventurum prædixerit. Sed apertius pro nobis facit quod legitur eodem in loco: *Interrogemus* Arium *&* Eunomium, *ecce Pater dicitur ignorare, & sententiam temperat, & quantum in vobis est, probatur esse mentitus*. Si legisset *Hieronymus*, *forte reverebuntur filium meum*, potuisset videri insçius futuri Deus, mentitus videri non poterat. Nam qui sic loquitur, *cras fortasse Rex appellat*, si non appulerit, nemini dicetur mentitus, cum nihil certi pronuntiarit. *Quid est igitur temperare sententiam? Relinquere locum resipiscentiæ, dum sermone suo veluti spem aliquam sibi reliquam esse significat. Et qui spem præ se fert, nonne videntur ambigentis similis?* Quanquam hoc videtur huc accommodatum ex prophetia, quam adducit *Chrysostomus*, & ante hunc *Origenes*. Siquidem ad hunc sermonem deflexit ex eo quod præcesserat. *Sed semper ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reservetur*. Quo quidem loco pro, *semper*, contenderim esse legendum, *sæpe*. Neque enim ubique sic in Scripturis loquitur Deus, sed multis in locis hominibus humano more loquitur, nunc minitans ni resipiscant, nunc pœnitens, nunc misereſcens, nunc addubitans, nunc sperans, nunc desperans, cum horum affectuum nihil competat in Deum. Hæc cum per se clarissima sint, ubinam supercilium *Lei*, ubi procacitas, qua me cæcutientem facit, qua nescio quem novum falsarium nobis objicit, qua nobis cum auctoritate denuntiat, ut & in Commentariis *Hieronymi*, & in Latino contextu, & in Græcis Exemplaribus locum hunc falsatum restituamus? Quid hoc homine confidentius? Cum Græcorum codices inter se consentiant, cum vetusti codices consentiant cum Græcis, cum sic legat *Hieronymus* & interpretetur, cum sic legat *Origenes* & interpretetur, nec aliud legat aut interpretetur *Theophylactus*, postulat *Leus*, ut ipsius auctoritatem sequuti radamus & Græcos & Latinos codices. Nam *Aldina* quoque Editio consentit cum Exemplaribus, quæ videre contigit. Et quis tandem fuit ille falsarius, qui simul hæc omnia potuisset corrumpere. Codices manu scriptos, Græcos pariter & Latinos, Exemplar quod sequutus est *Badius* in *Origene*, Exemplar quod sequutus in Operibus *Hieronymi* Typographus *Venetus*, castigatore Monacho quodam, nec indocto, nec indiligenti: Exemplaria pervetusta, quæ sequuti fratres *Amerbachii*, spectatissimæ fidei juvenes, neque quicquam minus quam falsarii. Proinde viciſſim *Leo* denuntio, ut hujus annotationis suæ canat palinodiam, nec pergat quod recte scriptum est, magnoque consensu comprobatum, sua temeritate corrumpere. At pro *Leo* facit *Chrysostomus*, Homilia LXIX. Esto, sed unus, hac sane in parte non paulo levior auctor, quam *Origenes*. Quanquam & hoc fieri potest, ut *Chrysostomus* illud *forte* aliunde huc repetiverit, quemadmodum enarrans *Matthæum*, è *Luca* retulit, *de domo & familia David*, quod apud *Matthæum* non erat. Hîc rursus desidero frontem in *Leo*, qui mihi nunc objicit in his annotationibus, quas vult videri plusquam serias, quod tum ex tempore notavi, non alii quam ipsi. Atque ex his contexit dialogos, arbitratu suo, & locupletat causam suam, ac respondet serio. Atqui tum oportuit idem feciſſe, cum opus esset in manibus. Quod si feciſſet, fortasse persuasus illius argumentis mutassem, hoc est, corrupissem aliquam partem hujus annotationis meæ. Fingat, si velit, esse verum, quod falsissimum esse demonstravi, tamen in contextu mutare non est instituti mei, nisi contingat Exemplar quod sequar. Neque enim profiteor emendatorem Græcorum codicum, sed interpretem, & aliquoties ea verto, quæ non probo. Atque id ut citra periculum fiat, adjectæ sunt nostræ annotationes, quibus admoneo quid sentiam de lectione Græcorum. Illud mihi cogita, lector, quam male congruat tam supercilioſa procacitas tam insigni cæcutientiæ.

AD XIV.

AD decimam quartam non opinor operæ pretium ut respondeam, cum ipse *Leus* consultis Hebræorum libris, pedibus discedat in meam sententiam, etiamsi piguit delere quod male scripserat. Verùm utcunque habent Hebræi, utcunque interpretatur aut vertit *Hieronymus*, negari non potest, apud Græcos sic haberi ut annoto. Quid legerit *Chrysostomus* non est in promtu judicare, cum Græci codicis non sit copia. Qui Latine vertit, ita reddit, ut nos vulgo legimus: nec satis liquet ex interpretatione,

Digitized by Google

ne, utrum legerit τῦτο, an αὕτη. Mihi ſubolet, ad lapidem angularem retuliſſe, qui duos inter ſe maxime diſſidentes populos in eandem religionem coagmentarit, quando ita ſcribit, *Et ut videant nihil horum Deo eſſe adverſum, ſed valde acceptum atque gratum, mirabile preterea, ſtuporiſque plenum, à Domino iſtud factum eſſe, ſubjunxit*, Lapidem, &c. Hæc & quæ ſequuntur ſi conferas & expendas, lector, videbis *Chryſoſtomum* de lapide loqui, quamvis interpres, aut fortaſſis ſcriba ſequutus ſuam memoriam, lectionem perturbarit. Subindicat enim doctores Judæorum voluiſſe ædificare, ſed abſque lapide *Chriſto*, qui connecteret utrumque populum. Certe *Origenes*, *à Domino factum eſt illud*, refert ad caput, Homilia XIX. Ac *Theophylactus* palam legit αὕτη, & refert ad γωνίαν, id eſt, *angulum*.

AD XV.

Matt. XXV. PRIMUM hoc mihi convenit cum *Leo*, velit, nolit, in libris Græcorum, ſane quos ego viderim, non haberi hoc loco mentionem ſponſæ. Si *Leus* alicubi vidit, proferat Exemplar ſuum: ac ne in Latinis quidem ullis, ubi clamore excitantur ad occurrendum ſponſo. Convenit in Commentariis *Hieronymi*, quibus hunc explicat locum, nihil eſſe unde deprehendas illum legiſſe *ſponſo & ſponſæ*. Idem fateatur oportet de canone divi *Hilarii*. Sed gloriatur ſeſe mihi digito demonſtraſſe in Commentariis *Origenis* & *Chryſoſtomi*. Et ô me cæcum, qui ne id quidem videam, quod ille monſtrator tantus oſtendit digito, quaſi non idem officii nonnunquam præſtet & famulus meus mihi. Quid *Leus* legat aut monſtret in ſuis codicibus, neſcio: certe in *Chryſoſtomo* meo ex gemina Editione *Baſileenſi*, nec in contextu qui præfertur, habetur *ſponſæ* mentio, nec in commentario quicquam eſt, unde colligas eum legiſſe, *ſponſo & ſponſæ*. Si libet explorare fidem meam, lector, excute Homiliam in XXV. Caput Matthæi LXXIX. ne veſtigium quidem reperies, unde colligas eum legiſſe, *ſponſo & ſponſæ*. In contextu, qui præfertur, ſcriptum eſt: *Quæ accipientes lampades ſuas, ſponſo obviam exierunt*. Rurſus in commentario: *Sponſo autem tardante, conniverunt omnes & dormiebant*. Ac mox: *Quid porro tuba volunt, quid clamore illo dicere? Sponſus venit*. Quemadmodum vides hîc nullam fieri *ſponſæ* mentionem, ita nec reperies uſquam in interpretatione. Unde nactus eſt igitur *Leus* quod citat ex *Chryſoſtomo*? Erat *Leo* codex ex officina *Aldina*, in quo multa inerant, ut ante dixi, quæ cum hac Editione prorſus ex diametro pugnabant. Certe in Homilia, quæ nobis eſt LIII. nihil hujuſmodi legitur: quamquam nec in his, quæ *Leus* refert, quicquam video, unde convincat, *Chryſoſtomum* in Euangelica parabola legiſſe nomen *ſponſæ*, ſi quis agat contentioſius. Nam fieri poteſt, ut *Chryſoſtomus*, aut quiſquis ille fuit, ſic ſponſæ mentionem adjecerit, quemadmodum fecit *Origenes*, perinde quaſi ex nomine patris admiſceas & filii mentionem: neque tamen memini quod hunc locum indicarit in *Chryſoſtomo*. De *Origene* memini, qui tamen illi non admodum patrocinatur. Primum enim in hoc nobiſcum conſentit, quod cum exorto clamore vocantur ad occurſum, ſponſi tantum fit mentio. Deinde cum primum *Origenes* mentionem facit ſponſæ, ita facit, ut qui occurrunt ſponſo, eum deducant ad ſponſam Eccleſiam. Ex altero loco, quo ſcribit, *obviam eundum eſſe ſponſo verbo & eccleſiæ immaculatæ*, non docemur in Euangelio ſponſæ factam eſſe mentionem: ſiquidem ſponſus non eſt niſi ſponſam habeat, & unum ex altero colligitur. Quod ſi intelligimus ſponſam aliquouſque occurriſſe ſponſo ſuo venienti: ac viciſſim ſponſi comites occurriſſe cum eo ſponſæ, quanquam ſenſus non eſt abſurdus, tamen non eſt quod urgeat nos, ut credamus eſſe ſcriptum ab Euangeliſta id quod contendit *Leus*. Neque tamen odioſe reclamo, ſi quis addat *ſponſæ*. Jam cum mihi non fuerit addendum *ſponſæ* nomen, niſi reperiſſem in aliquo codice Græco, tamen *Leus* indignatur quod non addiderim de meo, propter unum locum, quem habet in codice ſuo, cum ad hanc rem mihi nec *Hieronymus*, nec *Hilarius*, nec *Chryſoſtomus*, imo nec *Origenes* ſuffragetur. Apud *Theophylactum* nec in contextu, nec in enarratione, ulla *ſponſæ* mentio. Hîc rurſus impingit mihi, quod, opinor, adſcripſerim illius ſchedis, *imo contrarium eſt*. Vide quantum eſt periculi cum hoc familiariter agere.

IN MARCUM.

AD I. id eſt, XVI.

HIC rurſus impingit mihi quæ notaram in ſchedis ipſius, pluſquam ex tempore, quaſi res ea fuiſſet acta coram notariis ac teſtibus, in tantum amat mecum miſcere dialogiſmos. Atque in cæteris mecum haudquaquam pugnat, tantum hoc male habet hominem, quod in ambiguo reliquerim, an lapſu memoriæ nomen pro nomine poſuerit Euangeliſta. Ea verba mutavi in poſteriore Editione, monitus ab eximio Theologo *Martino Dorpio*, priuſquam *Leus* mihi de facie notus eſſet: & notavi, non quod impie dictum arbitrarer, ſed quod maluerim amoliri occaſionem offendiculi. Cur enim alioqui vererer id dicere, quod divus *Hieronymus* non veritus eſt ſcribere in Commentariis, quibus explicat quintum *Michea* Caput, ejus verba ſubſcribam: *Quod*, inquit, *teſtimonium nec Hebraico, nec Septuaginta interpretibus convenire, me quoque tacente perſpicuum eſt*. Item paulo poſt: *Sunt autem qui aſſerant in omnibus pene teſtimoniis, quæ de Veteri Teſtamento ſumuntur, iſtiuſmodi eſſe errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdum ſenſus quoque ipſe diverſus ſit, vel Apoſtolis vel Euangeliſtis non ex libro carpentibus teſtimonia, ſed memoria credentibus, qua nonnunquam fallitur*. Hactenus *Hieronymus*. Quod ſi quis objiciat, hæc alieno nomine referri *Hieronymo*, fateor verum eſſe, ſed ſi hanc ſententiam impiam ac blaſphemam judicaſſet, clara voce reſpuiſſet vir ſanctiſſimus. Verùm hac de reſpondimus & alias in Annotationibus poſterioris Editionis, & in Epiſtola ad *Joannem Eccium*: illinc petat lector, ſi quid hîc deſiderat. Et tamen magis faveo ſententiæ illorum, qui memoriæ lapſum prorſus adimunt Apoſtolis & Euangeliſtis, quam qui alicubi tribuunt, præſertim in ſcriptis. Marc. II.

AD XVII.

Cognoſcens virtutem quæ de illo exierat.

AD hanc annotationem *Lei* non opinor opus ut reſpondeam, cum ipſe fateatur, ſe deceptum intellectu ſermonis mei, quem queritur ancipitem eſſe. At non fuiſſet, ſi priuſquam carperet noſtra, contuliſſet Græca, quæ illic adfero, cum vulgata lectione, quæ habet, *de illo*, pro *ex ſeſe*. Deinde non turbaſſet eum verbum, *non ferendi*, quaſi ſignificarem aliquid impie dictum de *Chriſto*, cum ſic ingreſſus ſim Annotationem: *Queſo quod hoc ſermonis dedecus?* non obſcure declarans me nihil aliud reprehendere quam vitium ſermonis: quod tametſi novum non eſt in hoc interprete, tamen inſignem ſoloeciſmum viſum eſt annotare, ne quis calumniaretur me temere mutaſſe. Atque hac ex re vide quantam excitet tragœdiam: *Eccleſiam*, inquit, *catholicam hactenus legiſſe, nullo repugnante nec admonente*, quod ferendum non eſt, *de Chriſto, quis audeat dicere?* O ſupercilium! ſi quis ad hunc modum loquatur de *Chriſto*, Chriſtus *regnit unum cum patrem per omnes ſeculos*, nonne clamares ſermonem non ferendum? Et tamen *de Chriſto Leus* addit de ſuo, cum nihil hujuſmodi ſit in verbis meis. Hîc quoniam non multum erat *Leo*, quod de re diceret, fabulis & cavillis nihil ad rem pertinentibus explet pagellas, ne nimium brevis eſſet annotatio. Multa commemorat de ſuo erga me ſtudio atque etiam officio, deque Marc. V.

Digitized by Google

deque mea ingratitudine, & nescio quam tertiam admonitionem adfert, cum ille post schedas illas nunquam vel verbo monuerit quicquam, imo summo studio celarit quid reprehenderet. Atqui cum has annotationes appellet veteres, cur hîc meminit minarum, quarum nullam unquam cepit suspicionem, nisi ex Epistola nuper edita, quanquam eam suspicionem, nisi fallor, fingit magis quam habet. Proinde quando veteribus nova connexuit, rectius appellare debuit παλαιονέας. Quam vero non tempestivum cavillum, *parturisse montes, natum esse ridiculum murem.* An ideo sum illi mons parturiens, si ille avidus carpendi ex meis verbis parum intellectis atrocem hausit suspicionem? Jam cum meo responso, quod ejus, opinor, schedis addideram, discusserim suspicionem *Lei*, cur non delevit hoc è suo libello, nisi quod maluit eum abundare superfluis, quam exilem videri. Imo cum fateatur lapsum suum, cur non moderatus est atrocia dicta quæ præcedunt, quod pro tantis officiis nihil reponam gratiæ, præter calumnias, minas, ac publicas infamationes, ut non queat satis mirari, usque adeo oblitum Christianæ tum modestiæ, tum civilitatis. Hæc concio fortassis alibi locum reperisset, hîc certe non erat illi locus, ubi fatetur se sine causa reprehendisse. Ac vide quæso, lector, quam hîc quoque sui similis est, cum effugere non posset quin agnosceret lapsum suum, quem tamen non animadvertisset nisi me ingerente: *Caterum*, inquit, *jam paucis tractemus hunc locum.* Cur non potius dixit, *retractemus hunc locum?* Si nunc incipit tractare, quid igitur tot verbis antehac est actum? Qui tam magnifice loquitur ubi lapsus est, quid faciet sicubi res feliter cesserit? At ita fatetur lapsum, ut culpam tamen in me conferat. *Debebas*, inquit, *aliqua ratione lectorem commonere, qua dignosci posset*, de illo *poni materialiter.* Sed qua ratione *Leo* placet hoc fieri? Cur à me exigit, quod nec à doctis observatur, & cujus ab ipso nondum erat hæc lata lex? An me volebat addere Arabicam, opinor, vocem *Ly*? aut Græcum articulum? nam duas lunulas, quas ille constanter observat, non in hunc solum usum adhibent litterati. Sed finge certam esse apud Scriptores hujus rei notam, meque neglexisse fretum ingenio lectoris, quid erat piaculi? Nec enim ista scribimus elementariis, neque caudicibus: scribimus eruditis, certe humano præditis ingenio, non asinis. Vellicat & illud ex scheda mea, in qua, puto, notaram, *nihil ad rem facere argutias dialecticas*, cum ego agerem cum Grammaticis de communi usu loquendi. At *Leus* non vult ad hunc usum exigi sermonem interpretis, cum sit plerumque ineptus. Si fatetur sermonem interpretis frequenter ineptum esse, cur mihi succensèt, quod eum alicubi corrigam, cum hoc negotii suscepissem? Sin sentit, usum Grammaticorum esse ineptum (nam *Lei* sermo prorsus est anceps) agat cum Grammaticis, qui multo aliud profitentur, nempe recte loquendi rationem, nisi forte *Leus* non existimat aliud esse recte loqui, quam inepte loqui. Atque hîc testatur se mihi propitium esse factum, hoc tantum in me desiderat, quod adhuc maneam penes eam partem (sic enim ille loquitur) quæ velit elicere, aliquam virtutem *Christo* esse incognitam, ex verbis Euangelistæ male redditis ab interprete. Objicit illud: *Novit Dominus qui sunt ejus. Non statim*, inquit, *sequitur eum non nosse, qui non sunt ipsius.* Imo hoc maxime sequitur: quemadmodum enim Dominus quodam modo novit suos, quo non novit impios, ita quosdam aliquo modo nescit, quomodo novit alios, cum legamus, *Nescio vos*: & contra, *Novit Dominus qui sunt ipsius.* Atque adeo nos, qui dicimur nosse polum, qui est ad Septentrionem, intelligimur juxta sensum communem, non nosse polum Austrinum. Et qui dixit, pecuniam in hunc aut illum collatam perisse, significat in alios collocatam non perisse. At potest, inquit, fieri ut & illa perierit. Quasi vero hîc argutemur cum sophistis, ac non potius de populari sermone loquamur, quo scripta sunt Euangelia. Postremo sibi vindicat laudem, quod in posteriore Editione verbulis tribus adjectis rem effecerim magis perspicuam, ne quis ad eundem lapidem impingeret, ad quem impegerat *Leus*. Memento, lector, hoc quoque deberi *Leo*. Sed interim nostri te misereat, qui cogar in hujusmodi næniis refellendis operam sumere, quæ ne legi quidem possint absque summa nausea: & tamen hunc locum, in quo nihil agitur nisi de farciendo sermonis incommodo, vide quam odiose recenset in suo illo seditioso Indice: *Conatur*, inquit, *elicere haresim ex loco, ut ille putat, male reddito ab interprete, sed frustra.*

AD XVIII.

Quid inter vos conquiritis?

Hic cum ostendam quid legant Græci, & quid legisse videatur interpres, verbulo notavi, quid Pharisæi de resurrectione mortuorum disceptarent cum discipulis ac turba, nescio quem sequutus Auctorem, sed ut conjicio, *Theophylactum*: nam in præsentia liber ad manum non est: *Leus* mavult referre ad id quod sequitur de Dæmoniaco: ea quidem est conjectura *Beddæ*, quam nec ipse rejicio, licet ipse tantum ut conjecturam adducat, non ut rem certam. Qua quidem in re non video cur sit nobis digladiandum: nam ut ex his quæ sequuntur conjici potest, ita non potest evinci, quando legimus Pharisæos disputasse cum discipulis, nec hos tamen respondisse *Jesu*, sed è turba quempiam. Porro Pharisæi resurrectionem mortuorum asserebant. Marc. IX.

AD XIX.

Erunt duo in carne una.

Cum alias abunde demonstrarim, tum ex Græcis interpretibus, tum ex ipso etiam *Hieronymo* legendum esse, *Erunt duo in carnem unam*, non *in carne una*, ut juxta proprietatem sermonis Hebraici intelligamus per conjugium & arctissimam matrimonii copulam, quæ constat magis animorum conjunctione quam corporum, velut è duobus hominibus unum fieri, noto quosdam imperitos, qui decepti vitiata lectione, locum hunc putant ad coitum proprie pertinere, atque horum interpretationem sordidam voco, hoc est, humilem atque abjectam, parumque dignam sensu divino. Hîc mihi *Leus* nescio quos *Marcionitas* producit, qui senserint omnem coitum esse spurcum. Obsecro te, lector, quid est, si hæc non est calumnia? An cum sordidas curas dicimus, humiliores significantes, velut rei familiaris, num spurcas intelligimus? Nonne sordidiora negotia famulis, aut sordidioribus hominibus delegamus? Nonne sordidum apparatum dicimus impendio frugalem, parumque nitidum? Nonne sordidatos vocamus, qui lugubri, aut simplici, aut incomto vestitu utuntur? Nonne Rhetores notant sordida vocabula fugienda, quæ tamen multum absunt ab obscœnitate? Nonne sordent munera illi, qui ea habet vilia contemtaque? Vide quantum periculum sit agere cum his qui Latine nesciunt, qui sæpe postulant ut ob ipsorum insciticm, blasphemiæ aut hæreseos insimulemur: atque ita nisi loquuntur Latini, tum me *Leus Marcionitis*, si volet, copulet: sic enim loquitur: *Nam & ipsi coitum conjugalem putaverunt esse turpem.* Quid sibi vult, *& ipsi*, nisi me sentire idem quod sentiunt *Marcionitæ?* An hîc voluit præstare *Leus*, quod in præfatione sua pollicitus est, se in alienis libris sycophantam velle agere? Quam honorifice sentiam de matrimonio, testatur mea declamatio, quam olim scripsi, nuper edidi, quæ nonnullis Theologis hoc nomine vehementer displicuit, quod videretur plus æquo tribuere matrimonio. Nonne sensus historicus humilis est, collatus ad anagogen? neque tamen continuo spurcus est. Panem nostrum, quem quotidie petimus à Patre cœlesti, si tantum ad victum corporis referas, nonne humilis est ac sordida interpretatio? Marc. X.

Non

Digitized by Google

Non nego, coitum conjugalem esse licitum, habet tamen humile quiddam, & si fas est dicere, sordidum quiddam, si ad rerum sacratiorum puritatem conferatur, alioqui cur in Veteri Testamento abstinebant ab uxorum congressu, qui sacris operabantur? Et cur habere vasa pura dicuntur, qui à coitu temperarunt? Cur sanctus *Gregorius* vult aliquantisper abstinere ab ingressu Templi, nec nisi lotum ingredi, qui cum uxore rem habuerit? Cur eadem de causa divus *Ambrosius* scribit, matrimonii jus ademtum Sacerdotibus, nimirum quod his quotidie sacris esset operandum? Cur veteres illi, quorum est & *Augustinus*, volebant sacratioribus diebus ab uxoris usu temperari? Postremo ut potest cum uxore congredi maritus absque culpa, ita raro fit sine culpa, ni fallor, nonnunquam etiam gravissima: ne quid adferam è Scholis Theologorum, in quibus adhuc disputant, an possit coitus simpliciter absque peccato consistere. Et tamen non memini, *Hieronymum*, cujus auctoritate me premit, aut alium quenquam hunc locum interpretari de coitu, sed de conjunctione corporum & animorum. An juxta Dei sermonem maritus & uxor non sunt una caro, nisi cum coeunt? an hæc verba non quadrant in *Joseph* & *Mariam*, qui citra coitum & corporibus & animis fuere conjunctissimi? corporibus, ob individuam vitæ consuetudinem: animis, ob mutuam caritatem. Ait *Leus Hieronymum* in Commentariis, quos scripsit in Epistolam ad *Ephesios*, juxta vulgatam Editionem legere, *in carne una*, non *in carnem unam*, videlicet quia sic habeatur in libris excusis: at ex ipso sermonis tenore nihil tale colligitur, & alias ostendimus illum legere, quemadmodum nos annotavimus. Sed donemus, *Hieronymum* illic legere, *in carne una*, num continuo sentit de coitu dictum? Quos igitur taxas? inquiet. Taxo stultitiam quorundam imperitorum, qui solent huc hæc verba detorquere, non sine specie sensus parum pudici. Nec alio sensu dictum putant, *in una carne*, quam legum tabulæ dicunt, *membra in membris habens*, sentientes virum in adulterio deprehensum. Ne quid interim arguter, quos unum corpus esse volumus, non dici in uno esse corpore, quemadmodum insigniter concordes unam animam dicimus, non in una anima: ita quorum est arctissima affinitas, una caro dici possunt, in una carne esse non recte dicantur. Non pergam excutere quod hîc *Leus* παρέργως adfert ex *Hieronymo*, *nihil esse fœdum oratione, quod re fœdum non sit.* At quis ferat hominem qui de coitu loquens conjugali, partes omnes suis appellet vocabulis, & quicquid maritus nudus agit cum uxore nuda, nudis verbis explicet? Atque hujus sane rei me pudet exemplum ponere. Quid quod quædam vocabula cum idem significent quod honesta, tamen habentur obscœna? *Natura muliebris* honeste dicitur, *cunnus* non item. *Matthæus* cum intelligi volens coitum uxoris ac mariti, dixit: *Priusquam convenirent*, an non maluit verecunde significare, quod aliis verbis parum pudenter explicasset? Et *Paulus* cum ait, *Revertimini in idipsum*, nonne verecunde tecteque coitum significavit? *Si illa conjunctio*, inquit *Leus*, *sordida non est, cur tibi ea interpretatio sordida videtur?* Primum, si interpretationem appellat interpretantis, hoc est, interpretandi modum, potest esse sordida, cum res ipsa sordida non sit. Veluti si quis de summo Principe sordidis verbis loquatur, imo sordide laudaret Principem qui nihil attingens de bonis animi, nihil aliud in eo prædicaret, nisi quod esset procero robustoque corpore, quod bene concoqueret, quod dextre luderet pila, quod magnifice cultus esset. Ita sordide interpretantur laudatam illam ore divino conjugum copulam, qui totum æstimant ab infima portione. His me tueri poteram, etiamsi quid tale sensissem: nunc ostendi quid senserim cum illa scriberem. Hunc quoque locum *Leus* recenset inter eos, quos reliquerim incorrectos, cum existimarem jamdudum illi satisfactum, præsertim obticescenti, cum esset respondendum.

AD XX.

Dictum à Daniele Propheta.

Marc. XIII.

ERAT cur suspicarer, Prophetæ nomen additum, quod & alibi factum ostendi. Verùm hîc admisi *Lei* consilium. Nec enim libet cavillari, potuisse fieri ut aliquis hoc adjecerit in *Origene*. Nec tamen asseverabam esse additum, neque quicquam immutavi de lectione. Postremo, sive fuisset additum ab Evangelista, sive non additum, nihil erat periculi, ne hîc sibi magnopere plaudat *Leus*, quasi servarit Ecclesiam periclitantem.

AD XXI.

Marc. XIV.

ARRODIT quod scribo, *Marcum* nihil aliud scripsisse, quam Compendium Euangelii secundum *Matthæum*, cum in *Marco* quædam sint à *Matthæo* diversa. An ideo *Florus* aliud scripsit quam compendium historiæ *Livianæ*, quod in eo quædam reperiantur quæ in *Tito Livio* non sunt? Cur autem mihi non liceat dicere, quod ante me scripsit *Augustinus*? Et sciebam, atque id *Leo* tum fassus sum, esse quædam in *Marco*, quæ *Matthæus* non haberet. Neque pauca loca faciunt, ut compendium non sit compendium.

AD XXII.

Marc. V.

ANNOTARAM in Græco codice, pro eo quod nos legimus, *omnem veritatem*, haberi scriptum πᾶσαν αἰτίαν, id est, *omnem causam*, cum tamen in contextu consentiam cum vulgata lectione. Quid aliud hinc colliget *Leus*, quam cum primum hoc annotabam sic habuisse libros, quibus utebar? Post ubi reperi diversum in his quos nacti sumus in *Brabantia* ac *Basilea*, malui consentire cum nostris Exemplaribus. Sed inquiet: Cur id non annotabas? Quasi vero in tanta turba non quædam suffugiant quantumvis vigilantem. Nec erat hîc quicquam periculi. Quis enim divinare posset exoriturum *Leum*, qui ex hujusmodi nugis strueret seriam calumniam, tamque opimam gloriæ messem demeteret?

AD XXIII.

Marc. VIII.

EADEM ratione diluendum est, quod objicit Annotationibus, XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. Atque in his ita loquitur, quasi in hoc negotio sim unicum sequutus Exemplar, quod ille vult videri fuisse depravatissimum, nihilo magis favens codici meo, quam mihi. Ac subinde in suis indicibus impingit mihi suspicionem, quasi finxerim esse in codice meo, quod non fuerit, videlicet è suo ingenio metiens cæteros.

IN LUCAM.

AD XXX.

Luc. II.

ANNOTARAM, in omnibus Græcis codicibus, quos vel *Valla*, vel mihi videre contigerit, pro eo quod nos legimus, *bonæ voluntatis*, scriptum esse εὐδοκία, id est, *bona voluntas*. Mirari tamen me quod hujus rei nulla fieret mentio, nec apud *Hieronymum*, nec apud *Ambrosium*, quorum uterque Græce norit, satis indicans, mihi non satis probari Græcorum lectionem. Atque hîc mecum rixatur *Leus*: *Addere debueras* (inquit) *istam lectionem apud neminem prorsus interpretum inveniri.* Sed qua fronte vult me hoc dicere *Leus*, cum me tester apud *Theophylactum* vidisse? Nec dubito, quin possit & apud alios reperiri, si cui sit Græcæ Bibliothecæ locupletioris copia. In Homiliarum, quæ *Origenis* titulo feruntur, in *Lucam* XIII. hæc particula *bonæ voluntatis* relinquitur inexplicata, neque deest conjectura, qua divinemus, illum Græcorum more distinxisse, quemadmodum annotatione proxima docebimus. Ad-

Digitized by Google

dit epiphonema *Leus: Miror*, inquit, *quod tantopere fidis Græcis Exemplaribus tuis, quæ habent, quæ nullus veterum legat, nec interpretetur.* Primum mea vocat Exemplaria, quæ vult videri mendosa, quasi meis duntaxat codicibus sim usus, aut quod in meis habetur, non idem sit in aliorum Exemplaribus. Postremo dicit, à nemine legi quod interpretatur *Theophylactus*, scriptor non adeo recens, neque malus, imo quod in *Chrysostomo* non uno in loco deprehenditur. Atque in Indice suo notat, quod non emendarim Græcos codices, quasi hoc suscepserim, præsertim ubi consentiunt omnes. Mox admonet lectorem, me fateri, sic esse apud *Origenem* & *Chrysostomum*, ut ipse citat, ne laudis hoc illi pereat. Quanta gloriæ parsimonia? Dicas *Enclionem* quempiam esse *Plautinum*. Quid autem si doceo, illum *Chrysostomi* & *Origenis* testimonio nihil agere adversum me? Primum enim Græcos codices *Leus* non legit. Nec obscurum est, quam multa mutant interpretes ex sua memoria, aut ex alterius loci lectione, sed plura Bibliographi. Quid si demonstro, *Origenis* interpretationem, atque item *Chrysostomi*, non pugnare cum hac Græcorum lectione, ubi tum erit *Lei* triumphus? Principio, quid habet primus liber *Origenis* adversus *Celsum*? nisi quod obiter citat hunc ex *Luca* locum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Cæterum cum nihil sit in toto sermonis progressu, quod arguat *Origenem* secus legisse quam nos legimus, & interpres hujus libri palam sit malæ fidei, utpote neque Græci, neque Latini sermonis admodum peritus. Postremo cum utrum legatur, *bona voluntatis*, an *bona voluntas*, nihil referat ad id quod illic agit *Origenes*, non video cur ex hoc loco sibi tantopere plaudat *Leus*. Porro quæ sit Homilia *Chrysostomi* secunda, in Cap. *Matth.* secundum, viderit ipse: in meis codicibus nihil reperio tale. Cæterum locus, quem adducit ex Homilia *Chrysostomi* xxxv. *de nativitate Christi*, clare demonstrat, illum legisse, *in hominibus*, quemadmodum hodie Græci legunt. At connectit penultimam sermonis partem cum ultima, cum ait: *In terra pax, in quibus pax? in hominibus. Et quare Gentiles pacem non habent? Quare Judæi pacem non habent? Ideo adjecit: pax in hominibus bonæ voluntatis, hoc est, qui suscipiunt natum Christum.* Ex his non liquet aperte, quid Græce legerit *Chrysostomus*, cum eadem interpretatio quadret, incolumi Græcorum lectione. Nam quod separet aliquo silentio partem penultimam ab ultima, quodque eam opponat primæ, palam est ex his quæ præcedunt eodem in loco, *Si quotidie*, inquit, *in cœlo ruinæ sunt, quod in cœlo gloria est, & in terra pax poscitur? Videte quid dicitur*, in cœlis gloria, *ubi nulla dissensio est*: in terra pax, *ubi bella quotidie.* Deinde quod sequitur, *in hominibus bona voluntas* (ponamus enim sic illum legisse) connectit cum superiore particula, velut hæc addita sit ad illam explicandam. Cæterum *Hieronymus* exponens *Esaiæ* Caput 11. quid aliud quam in transcursu citat hunc ex *Luca* locum, nullum addens argumentum, unde certum colligi possit quid legerit. Sed hîc protinus alio laqueo me stringit *Leus*, *in posteriore Editione fateris sic interpretari* Origenem & Chrysostomum, *quemadmodum ego cito.* Debebat igitur & hoc annotare *Leus*, quod ipsi stulte crediderim, non attentis & excussis locis, idque polliceor me in tertia Editione mutaturum, nec posthac quicquam fisurum hujusmodi glorioculis. Quanquam ego non tueor pertinaciter Græcorum lectionem, & facillimus est lapsus in εὐδοκία & εὐδοκίας, certe ad sensum minimum refert. Verùm cum in hoc nobiscum faciat duobus locis *Origenes*, & uno *Chrysostomus*, quod juxta Græcos codices legit, *in hominibus*, consentaneum est illum & in cæteris consentire. Nec dubito, quin hoc certis argumentis evicturus sim, ubi continget Græcorum voluminum copia. Nam posteaquam hæc essent primum excusa, reperi in Commentariis *Chrysostomi*, quos scripsit in Epistolam ad *Colossenses*, enarrans hunc *Pauli* locum, *sive quæ in terra, sive quæ in cœlis,* A legit quemadmodum hodie Græci legunt. Ipsius verba subscribam: Διὰ τοῦτο εὐχαριστοῦντες λέγομεν, δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Ἰδοὺ φησι, καὶ ἄνθρωποι, ἐφάνησαν εὐαρεστοῦντες λοιπόν. τί ἐστιν εὐδοκία; καταλλαγὴ, ὡς ἔτι μέτοιχόν ἐστιν, ὁ ὕφεσις. Hic si est, ut titulus certe testatur, *Chrysostomus*, legit nobiscum εὐδοκία, & ad Deum refert, ut intelligamus illius gratuitam benevolentiam nobis fuisse saluti. Jam & Homiliis etiam versis, quas scripsit de ritu Monachorum, manet Græca lectio. De *Theophylacto* nulla est tergiversatio quin legat & exponat quod nos indicavimus: ipsius verba subscribam: Καὶ ἄλλως δὲ νοηθήσεται, εἰρήνη ἐστὶν αὐτὸς ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ. ἐγὼ γάρ φησιν ἡ εἰρήνη. αὕτη ἦν ἡ εἰρήνη ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ ἐπὶ γῆς γέγονε, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις εὐδοκία, τῦτ' ἔστιν ἐπανάπαυσις τῦ Θεῦ. ἐπαναπαύθη γὰρ ὁ Θεὸς νῦν καὶ εὐηργετήθη ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς πρώην γὲ οὐκ ἠυδόκει, οὐδὲ ἠρέσκετο ἐν τοῖς ἀνθρώποις. Id est, *Intelligetur autem & aliter, Pax est ipse Filius Dei. Ego enim, inquit, sum ipsa pax. Hæc igitur pax, Filius Dei in terra facta est, & in hominibus bona voluntas, hoc est, requies Dei. Refocillatus est enim Deus nunc, ac bene habitus est in hominibus, quemadmodum prius quidem non erat ipsi complacitum in hominibus.* Postremo cum sensus eodem tendat, quorsum attinebat, hîc tam atrocem suscitare tragœdiam? Quis enim non arbitretur subesse magnum periculum, qui legat, quæ statim in ipso operis limine ingerit lectori: *Quiddam*, inquiens, *haberi in omnibus Græcis Exemplaribus ipsius tempestatis, secus quam Ecclesia Romana legit, quod nullus veterum interpretum, nec Græcorum, nec Latinorum interpretatur, ut & ipse fatetur, cum lectionem nostram interpretentur, quod ipse probo ex veterum commentariis.* Hunc fumum objecit oculis ignari lectoris, cum *Theophylactus* interpretetur ac legat εὐδοκία, cum *Chrysostomus* sic & interpretetur & legat: cum *Leus* non evincat ex veterum commentariis, quod gloriatur se docuisse, cum ipse non fatear, quod ait me fassum esse: tantum admoneo, me mirari quod hujus variæ lectionis non meminerint *Hieronymus* & *Ambrosius*. Relege, lector, quæ scripsimus in Editione priore, & comperies me verum dicere. Postremo cum utriusque lectionis sensus sit idem, qua fronte negat, quenquam hoc interpretari, quod legunt Græci? Non de sensu scrupulus est, sed de lectione.

AD XXXI.

HIC *Leus* veritus ne volumen ob exiguitatem parum haberet majestatis, prolixo dialogismo mecum seditiose rixatur, adferens ea, quæ tum fortassis schedis ad illum remissis notavi, adeo non in hunc usum ut ederentur, ut nec exemplar eorum mihi servarim unquam, ac ne relegerim quidem. Quod si idem alius feciset *Leo*, non dubium quin institutus fuerit adversus illum actionem injuriarum. Atque hoc res est iniquior, quod nunc apud omnes respondet, cum tum temporis ne verbo quidem contradixerit. Sed verbosam rixam in pauca conferam. Magno studio refellit meam distinctionem, quam accommodo ad Græcorum lectionem, ut *gloria* tribuatur *Deo in cœlis*, *pax terris*, *bona voluntas hominibus*, veluti mediis inter cœlum & terram. Qui non recipit Græcorum lectionem, ei nihil cum hac distinctione, cui nihilo plus tribui volebam, quam ipsi lectioni: ei quantum hoc loco tribuam, non dissimulo. Quid igitur est, quod hîc mecum rixetur *Leus*? Poscit à me distinctionis hujus auctorem, quasi lectio Græcorum non cogat etiam nos ad eum modum distinguere. Si singulis partibus additur sua præpositio, quonam alio pacto distingues quam ego distinguo? Audis *in excelsis*, *in terris*, *in hominibus*: Sic legit & ille quisquis fuit, in Homilia, quam annotatione proxima citavimus, *Gloria in excelsis Deo, & super terram pax, in hominibus bona voluntatis.* Id quo certius habeatur, faciunt quæ mox sequuntur. *Gloria in excelsis Deo, & super terram pax.* Hîc cum

Luca 11.

cum ille finiat orationis particulam, subjicit enarrationem, conferens illud, quod alio loco dixit *Christus* ipse: *Non veni pacem mittere super terram.* Nonne hanc particulam, *super terram*, oppositi ei quæ est, *in excelsis*, & distinxit ab ea quæ sequitur, *in hominibus*? An non congruit huic distinctioni & illud Pauli: *pacificans quæ in cœlis, & quæ in terris?* Sed reclamat *Leus*, nihil interesse inter penultimam & ultimam orationis partem. Donemus hoc ita esse, an non multa docendi gratia distinguimus in oratione, quæ re conjuncta sunt? In Decalogo unicum præceptum in duo dissecatur: *Non concupisces, non furaberis.* Et tamen non ideo nihil interest. Pax nuntiatur terris, quod omnes vocarentur ad reconciliationem gratuitam. At bona voluntas tribuitur hominibus, qui non defuerunt gratuitæ munificentiæ Dei: alioqui & illud quod dicitur, *Gloria in excelsis Deo*, ad homines pertinebit, cujus gloria non aliter illustratur, quam per homines ad illius cognitionem conversos, & illius in se clementiam simul & munificentiam agnoscentes. Jam quorsum pertinet quod suspicatur *Leus*, locum hunc à novatore quopiam, & gloriæ avido fuisse depravatum? Non jacit hoc, opinor, in me, cum tot vetusti codices consentiant. Deinde exspatiatur in veterem querimoniam, præposterum esse, Latinos codices ex Græcis emendari. Ne semper ad hujusmodi nænias, quas hîc identidem occinit, respondeam, optime lector, lege semel meas Apologias, quas præfixi Editioni posteriori. Pergit & ait, sibi videri hanc fuisse causam, cur *Origenes* neget ausum fuisse se Novum Testamentum redigere ad concordiam, quod in ipsis fontibus tantam videret discordiam. Si fas sit, lubens hîc rogarim *Leum*, cum *Origenes* seculis aliquot præcesserit, qua fronte ausus est *Hieronymus* restituere codices Latinos, quos utique ad Græcorum codicum fidem restituit. Aut qua fronte *Augustinus* jubet Novi Testamenti veritatem, ad Græcorum normam exigi, si non est fas quicquam corrigere ad Græcorum Exemplaria, quod alicubi varient? In quem tandem usum *Leus* discit Hebræorum litteras? cum horum libri magis varient inter se, quam codices Græcorum, vel quod ab illis odio nostri studio depraventur, vel quod ob affinitatem elementorum facillimus sit lapsus. Et tamen habemus Vetus Testamentum ab *Hieronymo* versum. Novi Testamenti translatio cujus sit incertum est, nisi quod satis constat, *Hieronymi* non esse. Et tamen ait, se multa deprehendisse in Hebræorum libris, longe lateque dissidentia ab his quæ nobis prodidit *Hieronymus*, magis etiam ad sensum mysticum quadrantia, quam quæ vertit *Hieronymus*. Sed dubitat *Leus*, an hæc versio sit *Hieronymi*. At hoc nomine tamen approbat Ecclesia. Rursum sibi notat *Leus*, non vulgo. Si malum est, quicquid ab hac lectione diversum est, cur sumit inanem operam? Sin rectum est, cur invidet & aliis eam utilitatem? Ne semper repetam, quod nos neque mutamus Ecclesiasticam lectionem, neque Græcorum codicibus fidimus, nisi accesserint & alia argumenta, quæ fidem illorum approbent. Illud risi, fateor, quod veretur definire, *Origenes*-ne hoc dixerit, an *Hieronymus*. Quasi eas Homilias verterit *Hieronymus*, aut quasi ipse postea veritus sit Latinos codices emendare, quod non poterat, nisi de Græcorum libris inter ipsos variantibus auderet judicare. Aliquanto post sic mecum agit: *Quod dicis*, inquit, *non esse tuum emendare codices Græcos, præsertim cum omnes consentiant, cur non æque licebit emendare codices Græcos atque Latinos, præsertim pro lectione codicum Latinorum interpretantibus ipsis Græcis, & lectioni Græcæ refragantibus?* Quid aliis liceat nescio, mihi hoc tum non susceperam. Deinde cum varient Græci codices, non poteram in contextu sequi nisi unicam lectionem. Quod superest, lectorem admoneo in Annotationibus. Postremo nondum docuit *Leus* Græcorum interpretationes eorum lectioni repugnare, nisi quod ut aliquoties diverse legunt, ita diversam adferunt interpretationem. Addit lepidum cavillum. Negaveram esse mei instituti, in quo tum versabar, emendare Græcos codices. *Hic*, inquit, *ego certe assentior, ut hoc mihi liceat addere, nec etiam Latinos.* Ita non licebit *Erasmo* per *Leum* ullas mendas tollere è codicibus, quantumvis depravatis, neque Græcis neque Latinis, indicans (opinor) hanc provinciam sibi uni fato servatam esse. Dixeram, me non hoc animo proponere hanc Editionem, ut quicquid in ea reperiatur, *alba*, quod dici solet, *amussi* sequeremur. Hîc rursus cavillatur, *neque certe, pace tua dico, meretur.* Non his contentus, impingit mihi flagitium impium, idque ante tempus, videlicet frequenter infulciens, si quid habet odiosius, quod in fine Apocalypsis, paucula verba adjecerim Græco codici ex nostris Latinis. Ne rixosa loquacitate tempus tuum onerem, lector, quæso, ne quid te commoveat hæc ficta tragœdia, donec legeris quid respondeam illius annotationi CCLIII. quæ est veterum novarum postrema, videbis hos Ecclesiæ tumultus, pericula, naufragia, exitium, quæ *Leus* suis verbis excitat, nihil aliud esse quam fumos inanes. Postremo, obtestatur Deum Optimum Maximum, ne se dies ille reperiat superstitem, quo Romanus Pontifex ex hoc opere restituat integritati suæ Latinorum codices, sicubi sunt depravati. Si *Leus* negare potest, in Latinis codicibus inesse mendas, emoriatur potius, quam videat eum diem. Si non potest, cur malit orbare mundum tanto lumine, quam auctoritate Romani Pontificis habere codices emendatiores? Illud pene suffugerat, quod est omnium bellissimum, docere studens, non esse fidendum Græcis Exemplaribus, *Hieronymum* adducit testem, qui in Commentariis, quibus explicat *Ezechielem*, scripserit hunc in modum: *Probare possimus, multa dici facta in Scripturis sanctis, quæ in Græcis voluminibus non inveniuntur. Nec debemus nos auctoritati eorum acquiescere, quorum perfidiam & mendacia detestamur.* Nunc mihi vide, lector, hominis artificium. Quod *Hieronymus* scripsit de Septuaginta, de *Symmacho*, *Theodotione* & *Aquila*, quorum alios sæpe testatur vertisse quod non intelligerent, alios Judaizantes hæreticos vocat, hoc *Leus* accommodat ad Novum Testamentum. Ex hoc fuco disce cæteros, alioqui si *Hieronymus* diffidebat Græcis Exemplaribus, cur ad Græcam (ut ipse vocat) veritatem emendavit Novi Testamenti volumina: cur irridet *Joviniani* stultitiam, qui sibi persuasisset, codices Græcorum omnes esse depravatos? Postremo, cum hîc loquatur de Græcis voluminibus, non Græcorum, haud illis quidem depravatis, sed integris ut erant scripti, quid aliud quam perfidiam ac mendacium impingeret Apostolis & Euangelistis, qui Græce scripserunt? Et tamen ex illis ipsis, quorum perfidiam ac mendacia damnat *Hieronymus*, subinde citat variam lectionem, neque raro pedibus discedit in illorum sententiam. Sed redeo ad locum unde digressus sum, *Si summus*, inquit, *Pontifex reddiderit nobis codices Latinos emendatiores, ut boni consulant docti, quis erit tumultus indoctæ plebis? Clamabit novatam fidem. Quid clamabunt hæretici? Nimirum iniquè secum actum, quod hactenus ex ea Scriptura pronuntiatum sit adversus ipsos, quæ nunc rejiciatur.* Ne quid ad hæc tam frivola respondeam. Si Romanus Pontifex id faciat, ad quod faciendum & olim à magnis Theologis est provocatus, an *Leus* mecum delitigabit, quasi meum sit tueri, quod faciat Ecclesiæ princeps? Adeo-ne *Leo* vetus saliva placet, ut nolit habere codices emendatiores, ne summo quidem Pontifice porrigente? Et plus velit valere clamorem hæreticorum, quam judicium principis Ecclesiæ? Jam si *Leus* nullum librum attinget, in quo sit aliquid errati, ne dum rosas colligit, incidat in spinas, ac lædat manum (sic enim ille scribit) fortassis abstinebit, ne suos quidem ipsius libros lecturus, in quibus nihilo facilius sit errata defigere, quam in mari aquam. Sed hujus rixæ plus satis.

AD XXXII.

Quæ cum audisset, &c.

Lucæ 11. ANNOTARAM juxta *Chrysostomi*, ut habebat titulus, lectionem, sacram Virginem duplici nomine fuisse turbatam, & quod videret juvenem ingredientem, & quod audiret salutationem amatoriam, & nescio quid procorum præ se ferentem. Hîc *Leo* videor parum reverenter parumque caste loquutus. *Qua*, inquit, *aures hoc ferant de hac tam salutifera salutatione?* An sanctissima Virgo præsciverit se parituram è Spiritu Sancto, quod affirmat *Leus*, non ausim affirmare. Turbatam legimus, & turbatam ex sermone Angeli. Tantum autem erat studium puritatis, ut fieri potuerit, ut primo contuitu atque auditu juvenis ingredientis exhorruerit. Quod annotavit & *Ambrosius*, hunc enarrans locum: *Trepidare*, inquit, *virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.* Sed operæ pretium est audire, quam religiose concionetur hîc *Leus: Negare*, inquit, *non debes servatam fuisse semper ipsam Virginem, ne quicquam humile cogitaret, quippe futuram sacrarium Spiritus, & habitaculum unigeniti Filii Dei.* Ac mox, *Vides ergo quo pacto invicem constant, immunem prorsus fuisse Virginem ab humili cogitatione.* Quorsum hæc tam putida tendunt? Quis dixit, *Mariæ* subisse cogitationem humilem, aut quid *Leus* appellat cogitationem humilem? An parum pudicam? Hanc sane procul amotam fuisse reor ab animo Virginis. An humilis est cogitatio, cum virgo eximio quodam studio castitatis, fugit adspectum & colloquium virorum, etiam tuta timens? Si credimus *Petro Lombardo*, Virgo mater consenserat & in usum conjugii, si sic Deo visum fuisset. Et tamen adamabat virgineam puritatem. Quid? si primo adspectu metus hujusmodi subisset animum illius, ecce jubebor admittere maritum, ut fiam mater, num fuisset humilis illa cogitatio? Sed præsciebat quid ageretur. Hoc viderint qui adseverant. Cur igitur rogat, *quomodo fiet istud?* Quæ modum interrogat, bonam partem ignorat negotii. Ad eundem modum concionatur paulo superius, *Virginem vero ut tam humile quicquam cogitaret, noluit pati Spiritus qui in ea erat, noluit pati benedictus fructus ventris ejus. Hanc cogitationem maxime alienam fuisse vere credo a corde tam sancto, in quo jam erat Spiritus Sanctus.* Quid his verbis sibi velit *Leus* non intelligo. Ego puto virgines illas maxime tangi cogitationibus hujusmodi, quales ego tribuo *Mariæ*, in quibus maxime Spiritus Sanctus inhabitat, castarum cogitationum auctor. Quo carius amant pudicitiam, hoc illi tenerius metuunt. Non enim excutiam, quod fructum *Mariæ* vocat, priusquam ab illa natus esset. Rursus aliquanto superius: *Quid hic amatorium, non sincerum, non castum?* Quid ego audio? An *Leo* nihil est amatorium, nisi insincerum & impudicum? Addit: *Amatoris fuisset aut proci, nomen primum compellare Virginis, & blando quopiam uti exordiolo.* Etiam amatoriam artem docet *Leus*, si superis placet. At quibus verbis primum *Joseph* sponsus futurus, salutavit *Mariam* sponsam futuram? An non verecunde, sed tamen amanter eam compellavit? præterea, non dico Angelum fuisse procum, jam enim sponsum habebat Virgo. Sed forte suspicabatur aliquid adferre juvenem novi. Postremo an non satis blandum exordium est, *Ave dilecta?* Hîc videor obiter deprehendisse *Lei* errorem, qui putarit totum hunc sermonem Angeli fuisse, quo vulgo salutamus Virginem Deiparam. Scribit enim hunc in modum: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, & quod sequitur, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Non hæc amatorum verba, sed miram & novam gratiam explicantia. Ex his *Lei* verbis satis liquet, illum etiam *Elizabet* sermonem Angelo tribuere. Cujusmodi lapsus si mihi contigisset, quibus modis ille traduceret insscitiam meam? Et tamen ego toties vocor immodestus ac petulans, cum ipse sit exemplar Christianæ modestiæ. Sed pergit concionari, respondens iis quæ subnotaram in schedulis: *Non sum*, inquit, *stomachaturus, dolui verius, quam stomachatus sum, quod tam lascivis. Quibus verbis vis te moneri in re tam seria, si hic stomachus est?* Hactenus audis *Lei* supercilium. Primum non erat illi satis dicere, *quod lascivis*, nisi addidisset, *quod tam lascivis.* Deinde nugamentum hoc, quam ille serio rem seriam vocat, sed pergit: *Ut permittam tibi personas & schemata, dum rem ipsam ut gerebatur, veluti ostentas ad oculum, quo ipse modus rei gestæ, alioqui obscurus, sit manifestior: ita non permittendum, dum veritatem historiæ sectaris, ut quicquam fingas præter id quod vere gestum est. Et secus facere in historia sacra, etiam impium judicaverim, & eo magis impium, quo est turpius, & à sacris mysteriis magis alienum quod fingitur.* Quæso quid hîc agit *Leus*, cum pauca paucis narrent Euangelistæ, an non licet, quædam, ex his quæ narrata sunt, conjicere? An non passim id faciunt interpretes sacri? An non multa commiscitur *Bonaventura*? Quis autem tam insanus est, qui fingere velit quod factum non sit? An quicquid scriptum non est, factum non est? Nec ego adfero novam historiam, sed quod scriptum est interpretor, sequutus non pessimum opinor auctorem *Ambrosium.* Atque hîc obiter impingit, meam interpretationem esse turpem, cum ante lascivam dixerit, in qua quid est turpe, nisi ei cui turpia sunt etiam honesta. Sed horret *Leus* proci nomen, horret amatoris nomen, horret pronubi nomen, clamitans, me his verbis lascivire, quasi senserim hîc aliquid parum pudicum. Cur non horret totum illud Canticum amatorium, quod hodie usus Ecclesiæ accommodat ad Virginem matrem? Cur non horret, quoties *Mariam* Dei sponsam dicimus? cum dicimus, ob insignem animi puritatem ac modestiam adamatam Deo? Si procus est qui ambit, ut fiat sponsus, quî turpius est proci quam sponsi vocabulum? Quanquam *Horatio* proci *Penelopes* sponsi vocantur. Quo tandem animo fert animus *Lei* tam tenere castus, virginis *Agnetis* vitam ab *Ambrosio* depictam? Quid est procorum, aut amatorum, quod illic non accommodetur ad virginem *Christo* dicatam? Quid quod ante me *Joannes Damascenus* conjugii cœlestis allegoriam explicuit? Adamat Deus Pater, mittit Angelum paranymphum, qui Virginis assensum impetret, quæ nisi se præbuisset amplexui cœlesti, non erat conceptura Filium Dei. Simulatque assensa est, jam sponsam suam obumbrat virtus Altissimi. Is erat veluti quidam connubialis complexus. Illabitur Spiritus Sanctus in uterum Virginis, ex hoc oritur novus fœtus. Et Pater Filium suum, quem ineffabili modo semper gignit ex sese, rursus alio quodam modo genuit ex Virgine. At ne *Leus* clamitet, hæc mihi artificio rhetorico vel confingi, vel attolli, auctoris ipsius verba subscribam, quæ referuntur *Theologicarum sententiarum* Libro 111. Distinctione 3. §. *Mariam quoque*, &c. *Post consensum*, inquit, *sanctæ Virginis, Spiritus Sanctus supervenit in ipsam, secundum verbum Domini, quod dixit Angelus, purgans ipsam, & potentiam Deitatis Verbi receptivam præparans, simul autem & generativam. Et tunc obumbravit ipsam Dei altissimi per se sapientia & virtus exsistens, id est, Filius Dei, Patri homusios, id est, consubstantialis, sicut divinum semen: & copulavit sibiipsi, ex purissimis ipsius Virginis sanguinibus, nostræ antiquæ conspersionis carnem, animatam anima rationali & intellectiva, non seminans, sed per Spiritum Sanctum creans.* Hactenus *Joannis Damasceni* verba recensuimus. Ad quæ licet non respondeat ad amussim nostrum commentum, mihi tamen satis est, quod hîc quoque per allegoriam fit allusio ad ea quæ fieri solent in coitu conjugali. Exposcitur assensus, præparatur vis conceptiva & generativa illapsu divini Spiritus, fit mentio divini seminis, opifex Spiritus hoc agit in hac cœlesti conceptione, quod in aliis agit semen virile, qui velut actus est in conceptu. Sed horret *Leus* dici quicquam fuisse vice masculini seminis, in ea conceptione. Atqui cum legimus: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est,*

Digitized by Google

est, nonne perinde sonat, quasi dicas: non est ex virili semine, quod tu suspicaris, sed ex Spiritu Sancto? Nonne Spiritum Sanctum opposuit semini virili? Rursus in Hymno, quem canit chorus Ecclesiasticus: *Non ex virili semine, sed mystico spiramine*: palam idem facit *Prudentius*. Impium existimat *Leus* dicere, quicquam illic fuisse seminis masculini vice. At quid aliud est hoc dicere, quam negare illic fuisse semen masculinum, sed quod in vulgaribus conceptibus juxta naturæ cursum efficit semen viri, hoc in *Maria* supra naturæ ordinem effecisse Spiritum Sanctum? Quæso te, lector, quid hic est quod debeat castas aures offendere? Imo quid non potius dignum illo cœlesti conjugio? At non placet *Leo*, quod κεχαριτωμένη, Græcis sonat *gratiosam*, au *unice caram*. Est enim participium à verbo χαριτόω, quod est *gratiosam facio*. *Sed* χαριτόω, inquit, *in meo Lexico est*, *gratia impleo*. Quid facias si sic habet Lexicum *Lei*, quod suo ære mercatus est? Non opinor licebit refragari. Atqui *Homerus Achillem* sic loquentem facit adamato suo *Patroclo* ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, simili nimirum voce usus. Deinde stomachatur quod sibi objiciam Græcum vocabulum, cum probabile sit Angelum Hebraice loquutum. Demus istud, aut si mavult, Syriace, sed ego tantum tribuo *Lucæ*, ut vocem illam, qua usus est Angelus, bona fide reddiderit Græce, nisi negabit *Leus*, *Lucam* Græce scripsisse Euangelium. Tandem his non satis fisus *Leus*, ait se citasse ut legit Ecclesia, cui plus tribuit quam Græco meo. Quæso te, lector, quis posset hæc absque risu legere? An meum Græcum est, quod scripsit *Lucas*? An quod legit Ecclesia Latina, utcunque versum, plus habet auctoritatis quam quod scripsit *Lucas*? An quoties versamur in explicandis mysteriis divinæ Scripturæ, non licebit aliud adferre quam quod legit Ecclesia Latina? Atqui quoties id facit *Hieronymus*, quoties *Ambrosius*, quoties *Augustinus*? Nec ideo nego *Mariam* gratia plenam fuisse, quod κεχαριτωμένη, sonet *dilectam*: quid enim pios homines implet gratia, nisi caritas, qua Deus illos complectitur, & ad se trahit? Postremo, nonum non est *Hieronymo* vulgatam lectionem sequi, præsertim si id obiter fiat. Cætera non satis digna mihi videntur quibus respondeatur. Nec enim mihi necesse est ad omnia respondere serio, quæ ille profert ex schedis meis, non in hoc scriptis: satis hoc illi sit, quod hoc auctario libellum suum auxerit. Atque hunc quoque locum sic adducit in primo Indice, ut taxet me, quod de salutifera illa salutatione petulantius quiddam sim loquutus.

AD XXXIII.

Luc. II. HIc totos populos in me concitat, eorum qui mendicitatem profitentur, quod *Christum* noluerim mendicasse, quemadmodum nunc vulgo mendicatur. Ac ne cavillis *Lei* respondeam, quibus interim locupletat librum suum, & miserum lectorem onerat, ait, admodum probabile sibi videri mendicasse *Christum*, quod Apostolos tantopere invitarit ad mendicandum. Etenim cum suos legatos emiserit sine commeatu, necesse fuit eos mendicare, ita colligit *Leus*. Imo jubet eos ingressos vicum, aut oppidum, explorare qui sint probi, & avidi vitæ melioris, doctrinæque Euangelicæ, cujus jam nonnullus rumor Apostolorum prædicationem præcesserat: Apud hos jubet eos diverterre, à quibus erant cupide excipiendi: quos si nullos reperissent, jubet ut excusso pedum pulvere demigrent alio. An hoc est ad mendicitatem vocare? Deinde refellit quod dixerim, *Christum* non aliter dictum *mendicum*, quam *vermem*, quod *vermis* dicatur translate, *mendicus* vere. Non me fugit quid philosophetur *Augustinus* in nomine, *vermis*. At mihi videtur magis hyperbole, quam metaphora. Sequitur enim, *& non homo*, & ut homo vehementer abjectus, *non homo* dicitur ὑπερβολικῶς, ita dicitur *vermis*. Atque eadem ratione qui sunt admodum tenui fortuna, *mendicos* dicimus. Rejicit & illud, quod annotaram in schedis, πτωχὸν Græcis & *pauperem* dici. Id negat hoc loco consistere, quod mox sequatur in Psalmo, καὶ πένης. Ita futurum ut bis dicatur *pauper*. His argumentis tantus Theologus, ut videri vult, agit cum *Erasmo*, nimirum homine stupido. Quasi vero non hoc solenne sit Hebræorum libris, ut rem eandem aliis atque aliis verbis inculcent. Quod si vertas, *Ego sum egenus & pauper*, quid erit incommodi?

AD XXXIV.

Et non cognoverunt parentes ejus.

Luc. II. HIc mecum delitigat, quod cum in Annotationibus admonuissem, haberi duplicem lectionem apud Græcos, quarum alteram suspicarer esse mutatam, sequutus sim eam, quæ mihi magis probaretur. Atque hîc aut ego sum egregie stupidus, aut *Leus* non satis intelligit quid ratiocinetur. *Non sequeris*, inquit, *hanc lectionem, quam dicis in Græcis codicibus haberi: nam in contextu juxta Græcum reddis*, & parentes ejus: *& in Annotatione hujus loci credis immutatam à quopiam lectionem, qui timeret* Joseph *vocare patrem* Jesu. *Quid ergo dicis te sequi, quod magis tibi probatur, cum hanc lectionem*, Joseph & mater ejus, *nec sequaris, nec probes*? His atque aliis verbis me *Leus* objurgat, nec video quid stomachetur. Aio quod in nonnullis codicibus legitur *Joseph & mater ejus*, à nescio quo mihi videri mutatum, pro eo quod in aliis recte scriptum arbitror, *& non cognoverunt parentes ejus*, fortasse verito, ne *Joseph* videretur vocare parentem *Jesu*. Hoc quod suspicor inductum, non sequor in contextu: quod germanum puto, sequor. Hîc quid *Leum* offendat non video, nisi fortassis errat in hoc, quod *mutatam* dico lectionem, quam non sequor, & intelligit me loqui de ea, à qua mutatio facta sit: neque sentit id etiam *mutatum* dici Latinis, quod ab alio versum est. Porro recte-ne putarit mutandum ille, quisquis fuit, non est meum defendere, cum illius mutationem non approbem: & tamen hoc à me exigit *Leus*.

AD XXXV.

Luc. III. CUm argumentum genealogiæ *Christi* vehementer perplexum sit, ac prorsus inexplicabile, quod & ipse fatetur *Hieronymus*, nec inficiatur *Leus*, adduxi & ipse quædam in medium, quæ possent adminiculo esse, rem altius vestigare cupientibus. Nam testor superstitiosam hac in re diligentiam pene Judaicam esse, & inutilem. Neque dissimulo ex quibus Auctoribus hauserim quod adfero, nimirum maxima ex parte ex *Annii* commentariis, & ex *Philone*, quem ille nobis Latinum proponit: quorum auctoritati ne quis plus satis tribueret, lectorem his verbis præmoneo: *Ea*, inquam, *quanquam admodum probabilia sunt, tamen quoniam* Annius *non tam certo citat quam vellem, præsertim in re controversa, neque nobis erat Græci* Philonis *copia, paucis attingenda judicavimus, & in hoc duntaxat; quo lectori diligenti cætera pervestigandi præberemus ansam, præsertim cum hæc pene πάρεργα sint huic instituto.* Ad hunc modum ingressus hunc locum, hoc pacto claudo: *Hæc pauca è multis carptim delibavimus, ne nihil lucis præberemus avidis eadem exactius inquirendi, præsertim cum ad historiæ fidem faciant. Neque rursus probarim, in hujusmodi quæstionibus vel anxie distorqueri, vel contentiose digladiari, in quibus haud multo plus fructus esse video, quam in illa nobili pugna Theologorum, de conceptione Deiparæ Virginis.* Et Paulus *non uno in loco monet, piis hominibus hujusmodi genealogias, & nunquam finiendas quæstiones esse vitandas, quod non solum nihil conducant ad pietatem, verum etiam pariant lites & contentiones, pestem Christianæ concordiæ.* Hæc cum testatus sim, rem esse perplexam, varias esse Scriptorum opiniones, me *Annio* & *Philoni*, quem is adducit; non usquequaque fidere, nimirum libero me periculo disputationis: & tamen *Leus* ita mecum agit, quasi unus ipse sim auctor ac propugnator hujus totius negotii, ne *Fabri* quidem *Stapulensis* usquam memor.

Digitized by Google

mor. Hæc præfari visum est, candide lector, ne exspectes à nobis, ut hîc totis copiis congrediamur cum *Leo:* nam si quis velit in re perplexissima repetere, quid divinet *Augustinus*, quid *Ambrosius*, quid *Hieronymus*, quid *Origenes*, quid *Nazianzenus*, quid *Philo*, quid inter recentiores *Annius*, quid *Lyranus*, quid *Burgensis*, quid *Jacobus Faber*, eaque velit inter se conferre, nec exigui voluminis, nec exigui temporis fuerit negotium: tantum in transcursu quædam attingam, ne protinus *Leo* tanquam certum victori, triumphum decernat credulus lector. Primum hoc male habet *Leum*, quod scripserim, etiam *Hieronymum* in hac propemodum esse sententia, ut dicat *Nathan*, cujus *Lucas* meminit in genealogia *Christi* fuisse Prophetam illum, à quo legimus objurgatum *David*, ob adulterium homicidio copulatum. Mihi nondum satis liquet quid senserit *Hieronymus*: certe loca, quæ adducit *Leus*, docent quidem *Nathan* quendam fuisse filium *Samaæi*, patruum *David*: at non docent hunc esse *Nathan*, quem *Lucas* recenset in genealogia *Christi*, per quem stirpis series instauratur. Porro cum quidam, quorum de numero sunt *Augustinus*, qui tamen hanc sententiam retractat lib. *Retractationum* II. Cap. XVI. rursum lib. I. cap. XXVI. & *Ambrosius*, *Nathan* Prophetam, quem eundem coguntur magnopere longævum facere, velint adoptatum fuisse *David* in filii vicem: quis unquam adoptavit patruum suum, ac fortassis natu majorem? At ego cum præter *Philonis* auctoritatem ex præfatione, quæ titulo *Hieronymi* præfertur *Luce*, doceam hunc, cujus meminit *Lucas* in genealogia, fuisse filium *David*, non fratrem, cum idem doceam ex auctoritate *Gregorii Nazianzeni*, qui in carmine, quo prosequitur *Christi* genealogiam, duos recenset Δαυίδας, *Salomonem* & *Nathan* ex æquo conjungens cum filio naturali, nec ullam addens mentionem adoptionis (etiamsi non inficior hujus auctoris sermonem subobscurum esse) cum ex primi Paralip. lib. Cap. IV. doceam, *Nathan* recenseri inter filios *David*, & ita recenseri, ut non possit accipi filius adoptivus, cum nominatim dicantur filii *David* ex *Bethsabea*: nihil horum refellit *Leus*, contentus adferre quædam, quæ neque causam ipsius admodum juvant, neque mihi palam adversantur. Atque hæc quidem ut fateor non esse satis ad explicandam totam hujus quæstionis difficultatem, ita puto sufficere ad refellenda, quæ *Leus* tanquam inevitabile telum produxit adversus meam Annotationem.

AD XXXVI.

ARRODIT & illud, quod scripserim in priore Editione: *Lex erat, si quis sine liberis decessisset, ut hujus frater instauraret posteritatem defuncti. Itaque qui sic natus erat, duos habebat patres: alterum naturalem, ex quo natus erat: alterum legalem, in cujus nomen & progeniem succedebat, nempe defuncti.* Quo quidem in loco, nescio quo consilio, sive *Leus*, sive quis alius, mea verba tribus in locis vitiavit, sermonem ex bene Latino barbarum reddens: pro *itaque* mutavit, *ita quod*, pro *habebat*, *habet*, pro *succedebat*, *succedat*. Atque interim ne cohæret quidem sermo. Præcessit, *erat lex*, & consequitur, *habet*, *possideat*. Quod idem si mihi permisissem in ipsius sermone recitando, ut grave flagitium imputaret: clamaret me falsarium, qui florem orationis ipsius contaminassem. Verùm ut his neglectis rem tractemus, hîc arguit me *Leus* insciticæ, sed quæ mihi fuerit cum *Augustino* communis: nam *Augustinus* putavit eum qui natus esset ex eo, qui ex uxore relicta instauravit stirpem fratris, defuncti sumere sibi nomen, non patris, sed patrui mortui, ut si illi nomen fuisset *Petrus*, patri *Joannes*, natus non diceretur *Joannes*, sed *Petrus*. Hanc opinionem quoniam retractavit *Augustinus*, miratur me quoque non ceciniisse palinodiam: atqui quod *Augustinus* sensit, ego nec scripsi, nec cogitavi. Latinis enim dicuntur *in nomen succedere*, qui adsciscuntur in familiam etiam per adoptionem, non quod idem nomen sortiantur, sed quod prænomine aut adnomine testentur sese cooptatos in familiam, velut in nomen *Piorum*, *Antoninorum*, *Pisonum*, *Africanorum*, *Ciceronum*, *Nasonum*. Porro quod apud Romanos erat prænomen aut adnomen, hoc erat apud Hebræos additum patris nomen, *Jacobus Alphæi*, *Jacobus Zebedæi*. Atque ideo dixi sic natum in nomen defuncti succedere, quod is notandus esset, non patris adnomine, sed patrui. Ac ne quis erraret in vocabulo nominis, addo *in nomen & progeniem*, videlicet explicans quid dixissem nomen. *Progeniem* enim dictam esse constat à progignendo: atqui hic non erat progenitus ab eo, cujus dicitur filius. Vides, optime lector, errorem, quem mihi impingit *Leus*, non in meis verbis, sed in ipsius oculis fuisse.

AD XXXVII.

REFELLIT quod scripserim *Solomonis* stirpem defecisse in *Ochozia*, cum Libri Regum IV. Cap. XI. legamus, *Joas* filium *Ochozie* subreptum è manibus trucidantium filios Regis. Rursum II. Lib. Paralipomen. Cap. XXII. res eadem iteretur. Cæterum cum in priore loco narret sublatum esse omne semen regium, & in posteriore legamus, nullam spem fuisse reliquam, fore ut posthac regnaret aliquis ex stirpe *Ochozie*: quomodo constabit quod scriptum est, *si supereſſet adhuc filius Ochozie*? Dicit non esse locum tergiversandi, cum utrobique dicatur *Joas filius Ochozie*. Hîc ex auctoritate *Philonis* respondeo, *Joas* dici filium *Ochozie*, non natura, sed tantum jure successionis. Si hoc *Philo* non aperte pronuntiat, me si volet in jus vocet *Leus*: sin est ut cito, cum illo pugnet potius quam mecum. Sed *Philonem* habet suspectum ut Judaizantem, atqui tanto magis potuit hæc ex Hebræorum commentariis cognoscere, præsertim cum vir fuerit, id quod negari non potest, incomparabili doctrina, reique Judaicæ peritissimus. Neque enim hîc agitur de fide Euangelica, in qua tutum non fuerit *Philoni* credere, sed de narratione Veteris Instrumenti: Judaizat & *Josephus*, & tamen hujus in historia gravis est auctoritas. Jam an aliquis existimet plus tribuendum conjecturis, quas ex suo ingenio *Leus* adducit, an *Philonis* auctoritati, quod ad me pertinet, lectori liberum esto.

AD XXXVIII.

ATQVE eadem opera responsum arbitror, ad Annotationem illius XXXVIII. quæ nihil agit adversum me, nisi *Leus* efficacibus argumentis doceat, *Nathan*, qui recensetur apud *Lucam* in genealogia *Christi*, non fuisse filium *David*. Atqui id non esse factum, jam demonstravi: quod si maxime fecerit, cum *Philone* illi res erit potius quam mecum: ille auctor est, ego sententiam alienam nullo meo periculo recenseo.

AD XXXIX.

OPPVGNAT & illud, quod ex eodem Auctore annotarim, *Jehojakim*, quem corrupte dicimus *Joachim*, binominem esse, quod idem alias dicatur *Elich*, addens hunc fuisse naturalem patrem *Mariæ*, avum *Jesu Christi* secundum carnem. Id refellit *Leus* hoc lemmate: *Cum* Elich, inquit, *decesserit non relictis liberis, non potuit esse pater* Joseph. Atque hujus rei citat auctores *Augustinum* & *Hieronymum*, quorum uterque tamen sequutus sit *Africanum*. *Jacob*, inquit, *frater* Elich *uterinus suscitavit fratri defuncto semen, juxta decretum legis, & genuit* Joseph, *qui sic erat legalis filius* Elich. Quod si fatear esse verum, convincit esse falsum, quod annotavi, *Lucam* sequutum esse lineam naturalem, cum *Matthæus* contra, legalem sequutus sit. Ad quæ ne nihil respondeam, subscribam *Hieronymi* verba, quibus enarrat primum *Matthæi* Caput: *Hunc*, inquit, *locum objecit nobis* Julianus Augustus *de dissonantia Euangelistarum. Cur Euangelista* Matthæus Joseph *dixerit filium* Jacob, *&* Lucas *eum filium appellarit* Heli, *non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater*

Digitized by Google

pater sit. Scimus enim hoc per Moysen *Deo jubente præceptum, ut si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius ejus accipiat uxorem, ad suscitandum semen fratris vel propinqui sui. Super hoc &* Africanus *temporum scriptor, &* Eusebius Cæsareensis *in libris* περὶ διαφωνίας τῶν Εὐαγγελιστῶν *plenius disputarunt.* Hactenus *Hieronymus.* Atqui ex his verbis nihil potest evinci, uter fuerit pater *Joseph* naturalis, uter legalis. Tantum hoc repertum est ad explicandum nodum quæstionis, potuisse fieri, ut, alter fuerit naturalis, alter legalis, atque ita neutrum Euangelistam fuisse mentitum, cum *Joseph* ad hanc rationem duos habuerit patres. Nec est verisimile *Africanum* aut *Eusebium* aliquid exploratius super hac re prodidisse, sed tantum ostendisse rationem explicandæ quæstionis: alioqui si quid attulissent certius, usi fuissent eo præsidio nostri, qui laborant in hujus quæstionis angustiis. At *Augustinus* libro *Quæstionum Euangelicarum* secundo, nullum non movens lapidem quo possit ab hujus quæstionis angustiis elabi, proponit rationes quatuor. Primam, ut accipiamus patrem *Joseph* fuisse binominem, verùm hanc illico rejicit ipse. Secundam, ut intelligamus *Joseph* duos fuisse patres, alterum à quo fuerit genitus, alterum à quo fuerit adoptatus. Tertiam, ut intelligamus ab altero Euangelistarum poni nomen patris, qui genuerit *Joseph*: ab altero nomen ejus, in cujus stirpem vult eum lex imputari, qui ex eo natus sit, qui ducta uxore defuncti sine liberis, instauravit posteritatem fratris aut propinqui. Et hanc rejicit *Augustinus*, sed inefficaci argumento, quod qui sic essent nati, ferrent nomen defuncti, in cujus progeniem adscribuntur: ita futurum fuisse, ut *Joseph* non debuerit appellari *Joseph*, sed vel *Jacob*, vel *Heli*. Quod clarius etiam in Quæstionibus super *Deuteronomium* lib. v. quæst. XLVI. mox tamen aliter interpretans: sed hunc errorem suum agnoscit in libris *Retractationum*. Quartam, ut accipiamus ab Euangelistarum altero positum esse nomen ejus qui genuerit *Joseph*, ab altero pro patre, avum, aut proavum, aut atavum fuisse nominatum, quod factum est apud *Matthæum*, qui contexit seriem stirpis, omissis in medio nominibus aliquot. Hæc tanquam divinans refert *Augustinus*, nec tamen ausus est pronuntiare, uter Euangelista posuerit nomen patris naturalis aut proximi, uter adoptivi, aut remotioris. Is qui scripsit veritates in *Augustinum*, probabilius esse putat, ut credamus naturalem ac proximum patrem esse positum à *Luca*, quam à *Matthæo*. Atque idem mecum sentit de *Nathan*, quod is non fuerit Propheta, neque frater *David*, sed filius, ita natu major *Solomone*, ut fuerit illi proximus. Verùm quod hîc non excutit *Augustinus*, conatur explicare Libro *De consensu Euangelistarum* secundo, Capite tertio, atque illic videtur in hanc conjecturam propensior, ut existimemus à *Luca* nomen esse positum patris adoptivi. Nihil enim hîc meminit de altero genere patris legalis, offensus, opinor, ea ratione quam superius retuli. Sed hujus conjecturæ non aliam adducit causam, quam quod cum *Matthæus* scripserit, *Jacob genuit Joseph*, *Lucas* abstinens à gignendi verbo, tantum dixerit *Joseph* fuisse filium *Heli*: filium autem recte dici etiam adoptivum. At non gignit nisi pater naturalis: quanquam ipse mox hanc causam ut imbecillem propemodum rejicit. Alioqui si non dicitur genuisse nisi verus pater, quomodo tuebimur *Matthæum*, in recensendis nominibus aliquot transilientem, cum perpetuo tamen utatur verbo gignendi, præsertim cum in sacris Libris genuisse dicantur, qui veri patres non sint? Hæc cum ita differat *Augustinus*, quid aliud efficit, quam ut rem in dubio relinquat? Tractat hoc ipsum argumentum Quæstione super *Deuteronomium*, XLVI. nihil attingens de superiori conjectura. Jam quod adducit *Leus* ex carmine Genealogico *Nazianzeni*, non video cur hujus auctoritas nos urgere debeat, nisi rationem adduxerit graviorem quam adduxit *Augustinus*. Nec enim is alios habuit auctores quam *Hieronymus*, nec aliis utitur argumentis.

AD XL.

JAM eadem opera responsum arbitror ad annotationem XL. nec est animus pluribus hanc refellere, nisi *Leus* certioribus argumentis evincat, *Nathan* non fuisse filium *David*, & *Heli* non fuisse naturalem patrem *Joseph*.

AD XLI.

REPETIT quod ante jam dixerat, mihi non recte videri *Nathan*, cujus meminit *Lucas*, non eum fuisse qui objurgarit *David*, cum à me dissentiat *Origenes* & *Hieronymus*. Non adducam hîc ejus operis incertum auctorem, tantum hanc veniam petam à lectore, ut mihi quoque liceat aliquoties ab *Hieronymo* & *Origene* dissentire, quod sibi permittit *Leus*, quoties est commodum: quanquam hîc non meam tueor sententiam, sed alienam, qualis qualis est, recenseo.

AD XLII.

QUOD annotaveramus de *Ahesarim*, *Leus* hoc argumento contendit esse somnium, quod hujus rei nusquam meminerit *Hieronymus*, alioqui talium rerum longe diligentissimus: neque *Paulus Burgensis*, licet in Synagoga educatus. Hæc *Leus*. Sed negari non potest, hoc proditum à *Philone*, cui divus *Hieronymus* plurimum tribuit. De *Paulo Burgensi* mirum videri non debet, cum *Philo*, quamvis *Judæus*, Græce scripserit, cujus Linguæ *Burgensis* erat ignarus. Postremo fieri potest, ut & *Hieronymus* alicubi meminerit hujus rei: neque enim omnes illius lucubrationes exstant nobis, & fieri potest, ut ille librum hunc *Philonis* aut non legerit, aut non meminerit quod legerat, præsertim cum in Catalogo Scriptorum fateatur, non omnes hujus lucubrationes ad manus suas pervenisse.

AD XLIII.

REFELLIT quod annotaram ex libri Regum III. Cap. IV. *propemodum colligi posse*, Nathan *fuisse* Ahisar *institutum, hoc est regiæ stirpis instauratorem.* Sic enim & illic appellari filium *Nathan Ahisar.* Hîc me lapsum existimat, quod existimem illic *Ahisar* esse dignitatis vocabulum, cum *Philo Ahisar* interpretetur fratrem Principis. Equidem hactenus cum *Leo* consentio, quid tum postea? An ideo non erit dignitatis vocabulum? an ideo non declarabit instauratorem stirpis regiæ? Porro quod addit, *fratres vocari cognatos*, hoc aut nihil ad rem facit, aut pro me facit. Sed huic sententiæ diffisus *Leus*, alteram profert ut ipsi videtur, commodiorem, *Zabud* fuisse fratrem principis *Azariæ*, qui etiam fuit filius *Nathan*, & præfectus simpliciter. Superius ita loquebatur, quasi *Nathan* hîc esset dictus *Ahisar*, cum de filio dixerim, nisi *Ahisar* pronuntiemus gignendi casu. Hîc ait, *Zabud* fratrem *Azariæ* filium *Nathan* fuisse præfectum simpliciter. Hoc an ab Hieronymo proditum sit nescio, certe constat, in hoc quem modo citavi loco, *Zabud* fuisse Sacerdotem & amicum Regis. Quod si sermo *Lei* (nam est anceps) sentit *Azariam* esse eundem qui est *Ahisar*, id quod reperio in scheda, quam, ut ante dixi, describendam curaveram, mihi videtur reclamare locus ipse, ubi primo loco recensetur *Azarias* filius, ac paulo post *Ahisar* præpositus domus. Nec illi tamen *Azariæ* tribuitur simpliciter præfectura, velut omnibus præsideret, sed recensetur inter Scribas. Verùm hoc nec admodum ad me pertinet, & ego ceu conjecturam levem proposueram, cum aio, *propemodum colligi.*

AD XLIV.

ARRODIT & illud, quod ex eodem Auctore scripseram, Tribum *Benjamin* pertinuisse ad *Ahesarim. Christus*, inquit, *de Juda erat, nihil ergo illi cum istis Ahesarim.* Atque hîc protinus me respondentem facit. *Non dico* Ahesarim *fuisse de Tribu* Benjamin, *sed terram Tribus* Benjamin *pertinuisse ad* Ahesarim, ut lector arbitretur hæc verba annotasse me in chartulis, quas

Digitized by Google

quas mihi toties impingit, cum *Basilea* proxime reversus, Annotationum mearum volumine jam absoluto, hoc illi responderim in colloquio, posteaquam deprehendi hominis errorem. Res humilis est, sed tamen obsecro te, lector, ne pigeat cognoscere, quandoquidem hujusmodi fumis traducimur. Cum in Templo divi *Petri* colloqueremur, & efflagitarem proferret unum aut alterum locum, experturus an possem tueri, nec ab illo posset extundi quicquam, tandem ipse memor chartæ, quam ab *Atensis* scriba interceperam, nam ipsa charta mihi perierat, nondum tota perlecta, profero ex memoria annotationem, quæ tum illi prima erat, nunc nulla est, quod ex oratione mea deprehenderat errorem suum. Profero alteram de παλαιᾶν, in qua cum ego notassem proprietatem Græcæ vocis, ille mihi objecit *Chrysostomum* Latine versum: & hanc omisit, non dubium quin & alias complures omissurus, si proposuisset omnes. Tandem propono de Genealogia *Christi*: *Quid*, inquam, *hic periculi est? quicquid a me recensetur, non meo periculo recensetur, sed illorum quos cito. Deinde quid hic est periculi Christiana religioni?* Tum ille vultu ad severitatem composito, *maximum*, inquit: *nam transfers* Christum *è sua Tribu* Juda *in Tribum* Benjamin. Id cum vehementer admirarer, atque efflagitarem, ubinam loci prodidissem illud, noluit indicare locum, sed constanter asseveravit rem sic habere. *Atqui prorsus insanirem*, inquam, *si id facerem, & mecum ipse pugnarem, cum faciam per* Nathan *instauratam stirpem* Davidicam, *qui cum fuerit filius* David, *qui potuit esse Tribus* Benjamiticæ? Cum nihil ad hæc responderet *Leus*, sed tantum perseveraret in asseverando: tandem in mentem venit, quod suspicarer illi præbuisse causam erroris: *Fortassis*, inquam, *alicubi scribo Tribum* Benjamin *pertinuisse* ad Ahesarim. Fassus est ita esse, neque negavit hunc esse locum, quo fuisset offensus. Tum magis etiam sum admiratus, quod ex illis verbis eam concepisset imaginationem: nam si dixissem *Ahesarim* pertinuisse ad Tribum *Benjamin*, causam fuisse futuram, cur suspicaretur me sentire quod interpretaretur: nunc non aliud intelligi posse, quam si dixissem, *Hannoniam* pertinere ad D. *Ferdinandum Caroli* Principis fratrem, si pars ea fuisset illius ditioni destinata. Hæc cum audisset *Leus*: *Ita ne*, inquit? *Verùm hoc erat explicandum.* Eumque sermonem semel atque iterum repetens ἐβατίλογήσατο. *Atqui Latine*, inquam, *dixi, nec potui multo lucidius dicere.* Nec aliud tum actum est super hac re inter nos neque tum temporis, neque postea. Nunc dissimulat quo tempore, quaque occasione id responderim: & causatur, me tum cum hæc scriberem, non hoc sensisse, quod post sum interpretatus, videlicet admonitus ab amico quopiam: quasi sim usque adeo stupidus, ut non sensurus fuerim, mea verba secum ex diametro pugnare, nisi monitore amico. Imo nunquam suspicaturus eram quenquam hoc ex sermone meo somniaturum fuisse quod somniavit *Leus*, nisi se casu *Leus* prodidisset. Erat, fateor, apud me scheda *Lei*, sed nondum lecta, aut certe non perlecta. Si verba mea sonant hoc quod interpretor, qua conjectura *Leus* colligit me aliud sensisse, quam verbis expressérim? Addit aliud lemma: *Cur*, inquit, *hanc responsionem in annum distulisti, cum schedam meam habueris, & licuerit illico respondere?* Causam accipe cur id factum non sit: Ideo curaram eam chartam describendam, quia non vacabat legere, quæ nisi per otium legeretur, frustra legeretur. Postremo, quid erat necesse ad omnia respondere? quasi non & alia dissimularim, quæ mihi videbantur frivola. Nec his contentus, aliud addit commentum: *Si hoc sensisti*, inquit, *quod nunc interpretaris, quid erat opus, ut ad* Angliam *hanc annotationem mitteres, consulturus quendam illic in sacris Litteris summatem? quod te feciisse ipse mihi fassus es.* Si hujusmodi commentis agerem cum *Leo*, protinus exclamaret, me mortalium omnium mendacissimum, qui non vererer illi hæc in os ingerere. Annotatio *Lei* hactenus sic apud me fuit, ut nunc demum cum hæc scriberem, mihi sit perlecta, nec unquam cuiquam est missa nec infimati, nec summati: nec unquam cuiquam mortalium id sum fassus, quod mihi ne per somnium quidem venit in mentem: & tamen suspicor unde *Leus* ceperit occasionem hujus erroris: nec enim libet illi impingere, quod hæc data opera commiscatur. Narravi illi in familiari colloquio, me cum essem in *Anglia*, tum primum ac recens edito Novo Testamento, reperisse Theologum illum, quem ille summatem vocat, & merito vocat, occupatum in explicanda genealogia *Christi*, atque hac gratia consuluisse *Capnionem* per litteras. Cæterum ipse tum nihil minus cogitabam quam futurum, ut *Leus* mihi de genealogia moveret bellum. Ipse nullius oraculum consului, neque quisquam de tripode respondit. Pergit caussificari: *Quid facit*, inquit, *ad explicandam genealogiam, ut doceas qua prædia* Ahesarim *sortiti sint, hoc mihi imposuit, quod suspicarer mihil illic dictum, quod non pertineret ad eum locum.* Hactenus ille. Si *Leus* fatetur sibi impositum esse, cur argumentatur me aliud sensisse cum illa scriberem, quam nunc interpreter? cum quæ *Philo* disseruisset de *Ahesarim*, contraxissem in compendium, visum est & hoc adjicere, ne quod suspicatur *Leus*, somnium esse videretur nomen *Ahesarim*. An alias dixerim, *Christum* non esse de Tribu *Juda*, suo discutietur loco. Hanc argumentationem ita claudit *Leus*: *Hæc dixerim, quod nolim videri calumniator, quo nomine, ut audio, tu me notas nominatim pro præsenti annotatione.* Imo nunquam illi nomen calumniatoris tribui ob hunc sane locum, verùm & apud *Atensem*, & alios aliquot testatus sum, *Leum* non intellexisse locum hunc unde moveret tragœdiam. Inscitiam impegi, non calumniam: nam calumniator sciens ac prudens intendit crimen innocenti. Hìc *Leus* per errorem peccasse mihi dictus est, non de industria. Videndum igitur ne, quod scribit me nominatim sese insimulasse calumniæ propter hunc locum, propius sit calumniæ, quam quod ea reprehendit quæ non intellexit: etiamsi hoc quoque turpissimum est, præsertim si quis hoc agat tanto supercilio, tamque atrociter. Jam pergit pugnare cum *Philone*, quem nescio cur meum vocet auctorem. An ego solus habeo aut lego *Philonem?* aut huic addictior sum quam quisquam alius? An hujus sententiam tueor, quam recito duntaxat. Quod si *Philonem* habet auctorem, quisquis ex eo citat aliquid, quid vetat quo minus & *Leus* hunc suum auctorem appellet? quandoquidem ex hoc etiam mea refellit, aut certe conatur. Atque huic impingit odium odio mei, ac fidem abrogat, ne mihi fides habeatur. *Mihi*, inquit, *videtur sapere* Judæorum *fermentum, quibus puto in hac parte minime fidendum, cum* Hieronymus *in Commentariis in* Micheam *dicat, ab his multa erasa, ne* Christus *de Tribu* Juda *ortus videatur, & sic nescio quid veneni subsit. Nam idem ipsum videor mihi posse elicere ex dicto auctoris tui.* Hactenus *Leus*, cujus sermo quod fermenti genus sapiat, viderit ipse: mihi cum *Philone* nihil est negotii, nec illum defendam, sed innocentiam. *Philo Judæus* fuit, negari non potest, sed hoc illi fuit cum Apostolo *Petro* commune: sed hunc *Judæum Hieronymus* inter Ecclesiasticos Scriptores recenset, hujus opera præclara laudibus vehit, testans illi & cum *Petro* Apostolo fuisse necessitudinem, ac bene voluisse *Marco* Euangelistæ, quod libro edito, cui titulum fecit, περὶ βίου θεωρητικοῦ ἰκετῶν, id est, *de contemplativa vita supplicum*, laudibus ornarit Ecclesiam *Marci*, hoc est, *Petri* sectatoris. Quod si *Judæorum* talium libris nulla sit habenda fides, quæso cur *Hieronymus* toties adducit *Hebræorum* testimonia? aut unde sumsit quæ prodidit de traditionibus *Hebræorum*? nonne ex illorum commentariis? Cur tantum tribuit *Josepho?* cur *Egesippo?* Cur ipse magna mercede conduxit cum alios *Judæos*, tum nocturnum illum præceptorem *Barhamina*? Non est fidendum *Judæis*, quemadmodum fidimus Scripturis Canonicis: neque tamen rejiciendum, si quid adferant probabile: sunt enim permulta

in.

Digitized by Google

in Veteris Instrumenti libris, quæ non possunt à nobis intelligi propter inscitiam antiquitatum ejus Gentis. Hæc à quibus potius petenda sunt quam ab illis? Porro quod *Hieronymus* negat illis fidendum, quid ad *Philonem?* An ille erasit aliquid in voluminibus Veteris Testamenti? Nam illic profecto *Hieronymus* non agit de Libris *Judæorum*, sed de codicibus *Hebræorum* vitiatis. Atque hujusmodi frivolis argumentis *Leus* colligit hîc nescio quid subesse veneni. Verùm in his quæ subjicit, propius urget: *Nam idem ipsum*, inquit, *videor mihi posse elicere ex dicto auctoris tui.* Audiamus igitur solidam argumentationem ex ipsa re: *Dicit*, inquit, *ad* Aheſarim *pertinuisse possessionem Tribus* Benjamin. *Sed cum in sacris Litteris in libro Numerorum non licuerit transferri possessionem à Tribu in Tribum, nam præcipit ut hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur Tribus, consequens igitur fuerit* Aheſarim *fuisse de Tribu* Benjamin. *Ex illo loco in Numeris probat* Annius, Mariam *fuisse de Tribu* Juda, *nec consentaneum est* Benjamin *fuisse sine possessione. Quin & satis erat* Aheſarim, *si erant de Tribu* Juda, *ut gauderent possessione Tribus suæ, quæ multo amplior erat quam cæterarum Tribuum. Itaque ut videtur, alterum necesse est sequi, vel* Aheſarim *de Tribu* Benjamin *fuisse, vel ad* Aheſarim *terram Tribus* Benjamin *non pertinuisse, cum unius Tribus terram in aliam Tribum transferri contra Legis præscriptum esse.* Hactenus *Lei* verba recitavimus. Neque dubito quin statim occurrat lectori vel idiotæ, quid ad hæc possit responderi: nimirum aliter terram à Principe possideri, aliter à privato domino. An ideo *Frisii* depellerentur agris suis, si venirent in ditionem *Caroli* nostri? An *David* Rex in unicam duntaxat Tribum *Juda* ditionem habebat? An non leguntur postea desciviſſe à *Hieroboam* imperio, quæ paruerant *Salomoni*? Atque hæc facta sunt non permixtis possessionibus Tribuum: alioqui si *Aheſarim* possidebant Tribum *Juda*, quid habebat stirps regia? Sic sensit *Philo*, non ita possessiones esse traditas *Aheſarim*, ut privatos dominos excluderent, sed ut ex tributis ac vectigalibus ejus Tribus, more Principum viverent. Id si non potest, nisi qui sit ejusdem Tribus, est aliquid quod ratiocinatur *Leus.* Sed hoc non solum falsum est, verum etiam dictu ridiculum. Et ubi tandem est venenum, quod hîc vidit subesse *Leus*? Ubi cornutus ille syllogismus, è duobus alterum necessario colligens? Ubi *Maria* periclitans, ne è sua Tribu in alienam depellatur? Sed in his inamœnis labyrinthis nimium diu versamur, & meus animus à nullo argumento magis abhorret.

AD XLV.

QUOD hîc annotat *Leus*, non video quid faciat contra meam annotationem: nam esse participium incipiendi apud Græcos ἀρχόμενον, & esse præsentis temporis, nemo tam impudens est qui neget, quod negari nullo modo potest. Sed quid interim peccavi, si commonefeci lectorem, quid sermo Græcus declaret Latinis auribus? An *ingredi* Latinis non significat *incipere? Sed in priore*, inquit, *Editione ita vertit.* Imo testatus sum antehac, cum ventum esset ad *Lucam*, me multa reliquisse ut erant: at in posteriore Editione secus verto: *Et ipse Jesus incipiebat esse ferme annorum triginta, ut putabatur filius Joseph*: hoc an annotarit *Leus*, nescio: certe quicquid est, nihil ad me pertinet, nisi quod ille noluit perdere laudem commonstrati loci, si tamen commonstravit locum inutilem.

AD XLVI.

Luc. iv. ETIAM atque etiam obsecro te, lector, tametsi non dubito quin jam sis propemodum enectus tædio muliebrium rixarum, ut hîc paululum expergiscaris. Quod legimus apud *Lucam* iv. Cap. *Et stans super illam, imperavit febri & dimisit illam*: quoniam & Græcus & Latinus sermo habebat amphibologiam, quam adeo putat vitandam *Augustinus*, ut malit manifestum, solœcismum, quam sermonem ancipitem: admonui addito pronomine posse tolli hoc quicquid esset incommodi, videlicet si legamus: *Stans super illam, increpavit febrem, eaque reliquit illam*, ut absque errore lector intelligat quod sensit Euangelista, post increpationem *Christi*, febrem abisse, non *Christum.* Hîc cum ille nescio quid stomacharetur, quasi parum caste loquutus essem de puella & *Christo*, nec adhuc sentirem hominis errorem, respondi in schedis, quæ ille recenset, mihi non videri cur ille quicquam in me stomacharetur, si volui sermonem Euangelicum carere incommodo amphibologiæ Et adjeci dictum, quod illi visum est pluisquam crimen lætæ majestatis: *Sed meminisse convenit*, inquam, *quod ut hominem mones, ita mones homo.* Nam post hoc dictum ille desiit amicus esse, cum ipse in toto hoc libro, quo mecum conflictatur, nullum habeat dictum humanius, etiam cum vult humanissimus videri. Nec adhuc suspicari poteram, quid ille lasciviæ suspicetur subesse in verbis meis, sed tamen ex responsione, quam postea vulgavit orbi, priusquam mihi liceret audire, deprehendi in quo erret. Siquidem hæc mea verba, *ut ne caviller*, ille refert ad ea quæ præcedunt, quasi in his quæ dicta sunt, *Stans super illam reliquit eam*, lateat aliquod cavillum parum pudicum: cum palam sit, hoc pertinere ad ea quæ sequuntur, *ut ne caviller*, & surgens ministrabat illis, *parum commode redditum, cum dicendum fuerit*, erecta ministravit illis. Cum enim ostendissem, priorem locum esse parum commode redditum propter amphibologiam, per occupationem addo & alterum parum commode redditum, ob neglectam temporis rationem: & postea miratur me non correxisse locum illum, qui tam esset obscœnus. Hîc vides, optime lector, quibus modis illudere possem *Leo*, si mihi libuerit, aut si vacaret talibus nugis occupare bonas horas. At hîc quam severe monet, quam graviter objurgat, quam me mihi revocat ob oculos, qui totus excideram mihi, quam religiose me commonefacit geminæ religionis. Si senex nonagenarius sic deliraret, nemo putaret ferendum. Hic juvenis sic delirans, etiam sibi supercilium sumit erga senem, & mundum vocat ad seditionem. Cui ridere vacat, legat illius annotationem, dicas Areopagitæ cujuspiam esse, cum prorsus non intelligat quod loquitur. Jam vero mihi vide, quam atrociter hunc locum notat in seditioso illo Indice, *Petulantius*, inquit, *quam par est ab eo dictum de Christo Annotatione* XLVI. Primum negari non potest, quin *Leus* hîc tota (quod ajunt) aberrarit via, nec intellexerit locum quem exagitat: & tamen cum Areopagitæ supercilio nos objurgat, incessit, ac propemodum blasphemiæ reum agit: quod si mihi venisset usu, puderet me prodire in conspectum eruditorum hominum. At interim ille sibi plaudit, & quasi re præclare gesta, parare dicitur alios libellos hujus farinæ, quo suam denobilitet *Britanniam.* Ignosci poterat primo calori, ni contemtis omnium eruditorum amicorum consiliis hæc evulgasset, quibus si visa fuissent illa virulenta, quæ post adjecit, multo acrius obstitissent, ne dum mihi studet labem adspergere, ipse tum suo, tum gentis suæ nomini dedecus vix eluendum conflaret.

AD XLVII.

Ita ut pène mergeretur.

HIC adscripseram, *Lector aliquis nolens illic perire Apostolos, addidit*, pene. His offensus *Lei* θυμὸς ἀγήνωρ, *Et hoc*, inquit, *nasutum.* Ad id cum in scheda respondissem, *Quid hic nasi est, si rideo lectorem, qui de suo addidit*, pene, *præter Euangelicam veritatem*, hîc cum id temporis nihil respondisset, nunc tandem oratione Stoica, vel censoria potius objurgat, quod præter exemplum omnium, & veterum, & recentium Theologorum, tribus verbis jocatus sim in scribam. Quid est hoc quod ego audio? Nusquam jocatur *Hieronymus*, qui tota fere disputatione naso suspendit *Jovinianum*, *Helvidium*, & *Vigilantium*: nusquam *Cyprianus*, nusquam

Luc. v.

Digitized by Google

Auguſtinus? An non pudet hæc dicere, quæ nemo non intelligit eſſe falſiſſima? Ipſe *Leus* cum naſum non habeat, quoties tamen conatur uti naſo, etiam cum ipſe eſt maxime deridiculus? *Et quî ſcis*, inquit, *an Exemplar Græcum interpretis habuerit*, pene, *ant an liber tuus Græcus male careat hoc verbo, quod videtur bene quadrare ſenſui?* Doceat *Leus*, alicubi reperiri *pene* in Græcis codicibus. Ego monui nuſquam mihi lectum eſſe. Quod ſi non eſt illi codicis copia, certe conſulat Exemplar ex *Aldi* profectum officina. Atque hanc bellam annotatiunculam noluit ſibi perire in elenchis: ſed in primo etiam oſtendit naſos meos.

AD XLVIII.

Luc. VI. QUONIAM videbam Theologorum vulgus, neglectis Euangelicis præſcriptis tanquam ſimplicibus, parumque commodis, ad oſtentandam eruditionem, totam ætatem conſumere in quæſtiunculis & argutiis *Scotiſtarum* & *Occaniſtarum*, volui lectorem attentum reddere, ut animadverteret hæc, quantumvis ut habeñtur ſimplicia, tamen eſſe ea quæ nos redderent vere Chriſtianos. Hac occaſione *Leus* movet nobis gravem invidiam apud Theologos neotericos, quaſi ſim illis parum æquus. Nec improbat, quod illorum argutias poſthabuerim philoſophiæ *Chriſti*, ſed quod loco non ſuo mihi dicta ſint hæc. Atque hîc quoque impingit mihi quæ tum annotaram in ſchedis, quæ tamen ſic ex tempore projecta ſaniora ſunt, quam quæ hic bienni labore, totiſque, ut ait, ſtudiis ſuis poſtpoſitis elimavit: *Recenſe*, inquit, *annotationem meam, diligentius inſpice, an hoc tibi imputaverim quod* Scotiſtarum *argutiis præferas doctrinam* Chriſti, *annotavi te captaſſe occaſionem contra* Scotiſtas *& neotericos intempeſtive, hoc eſt, loco non ſuo, nec doctrinam* Chriſti *poſtpono argutiis neotericorum, ſed tantum aſſero eorum doctrinam ab hac calumnia quod non ſit impia, nec abhorrens à doctrina* Chriſti, *quin potius utilis ad pietatem.* Hactenus *Leus*. Non video cur exiſtimet hoc non ſuo loco dictum. Etenim cum vellem commendare ſimplicem quidem, ſed multo ſaluberrimam *Chriſti* philoſophiam, & viderem hanc à nonnullis negligi ſuſpicientibus *Scotiſtarum* argutias, an non tempeſtivum erat hoc admonere? Deinde demus, eſſe in libris *Scotiſtarum* & *Occaniſtarum* quæ conducant ad pietatem, non taxo libros illorum, ſed argutias duntaxat, in quibus cum plurimum ſit difficultatis, minimum eſt fructus. Deinde quid opus erat, ut *Leus* doctrinam horum aſſereret à calumnia, cum ego non dixerim illorum doctrinam eſſe impiam, & abhorrentem à doctrina *Chriſti*. Nihil eſt in *Euclide* quod abhorreat à doctrina *Chriſti*, & tamen ſtulte fecerit Theologus, qui neglectis Euangeliis totam ætatem in illius argutiis terat. Poſtremo an ſummates Theologi nihil habituri ſint quod reſpondeant de re Chriſtiana, & an nullo in loco aberrarint à doctrina catholica, puto neminem eſſe quin intelligat, juveniliter eſſe dictum: quod genus eſt & illud, quod nuſquam deſciſcunt à veterum decretis. Si ſoli *Occaniſtæ* habent quod conſulti de re Chriſtiana reſpondeant, quid habebat *Ambroſius* aut *Hieronymus* quod reſponderet? Atque has *Leus* vocat annotationes, ac ceu theſaurum numerat etiam, & ne quid intercidat, repetit & inculcat indice triplici, identidem inculcans me taxare neotericos Theologos, quo videlicet horum turmas in me provocet.

AD XLIX.

Secundum hæc enim faciebant Prophetis.

Eod. HIC cum eſſet in Græcorum codicibus duplex lectio, nam in aliis erat *Prophetis*, in aliis *pſeudoprophetis*, in poſteriore Editione ſuſtuli è contextu, *pſeudo-prophetis*, & mutavi, *prophetis*, quam lectionem mihi magis probari demonſtraram & in Editione priori. Nec video cur huic annotationi ſit reſpondendum.

AD L.

Si ſit ſicut magiſter ejus.

NEQVE video quid habeat momenti hæc annotatio. Et tamen quod *Leus* negat quicquam à me mutatum in poſteriore Editione, ſecus eſſe comperiet, qui obſervarit. Eod.

AD LI.

Sapientia à filiis ſuis.

NEC hîc eſt inter nos controverſia, tantum illud eſt admonendus lector, cum petiſſem à *Leo* ut indicaret locum apud *Hieronymum* ubi legeret *ab operibus*, tum obticuit. Nunc indicat, non mihi, ſed orbi. Nam mihi ſero nunc indicat. Sed ita tamen creſcunt dialogi. Luc. VII.

AD LII.

Lacrimis cœpit rigare.

NEC in hac eſt quicquam, quod ad me pertineat. Eod.

AD LIII.

Cuidam fœneratori.

NE hîc quidem eſt, cur operæ pretium ſit digladiari, præſertim cum quiſquis fœnerator eſt, idem ſit creditor. Porro an fœneratores ſoleant condonare debitori tenui, viderit *Leus*: mihi tales nondum fama cogniti ſunt: niſi condonat, qui non aufert veſtimenta nudo, cum cupiat ſi queat. Eod.

AD LIV.

Et obſtupuerunt parentes ejus, &c.

CUM hîc pugna ſit *Leo* adverſus *Vallam*, non adverſus me, non eſt cur huic pluribus reſpondeam. Porro quod ſibi laudem hanc aſſerit, quaſi monitus diſſenſerim à *Valla*, prior Editio ſatis declarat me ne tum quidem approbaſſe *Vallenſis* annotationem, ut quam appellarim argutationem. Etiamſi non defuturum ſit *Valla*, quo ſeſe tueatur adverſus *Leum*. Primum enim convenit, in *Matthæo* & *Marco* adjectum eſſe, *ejectis foras omnibus*. Deinde negari non poteſt, in Græcis codicibus hîc quoque addi, quod illic additum eſt. Ad hæc ſi intelligamus promiſcuam turbam ſtantem pro foribus, ſi intelligamus aliam fuiſſe turbam in ædibus interioribus: ſi intelligamus in eo conclavi, in quo poſitum erat funus puellæ, non defuiſſe quædam officia domeſtica, quod eſt admodum probabile: præterea accipiamus turbam, quæ reperta eſt *Chriſto* ad primas fores, & quæ ipſum comitabatur, vetitam ingredi, præter paucos diſcipulos. Rurſus ejectos omnes è conclavi, præter diſcipulos tres, & parentes puellæ, quid habebit *Leus* quod arguetur adverſus *Vallam*? Et ubi erit hoc ſophiſticum enthymema, quî conſtat omnes ejectos, & hos tamen adfuiſſe? Atqui hîc dicet *Leus*, Cur igitur mecum ſenſeras? Non mihi placuit argutatio *Vallæ*: ſed multo minus otioſa deliratio *Lei*, cui nunquam tantum tributurus eram, ſi tum edito libello præbuiſſet certius ingenii ſui ſpecimen. Nam poſthac mihi ſuſpectum erit, quicquid illi magnopere placuerit. Saltem hanc veniam mihi donabit *Leus*, ſi in aliis mihi non poteſt ignoſcere. Luc. VIII.

AD LV.

Permitte primum renuntiare, &c.

NON me fugiebat, Latinos omnes hoc ſane loco pro ἀποτάξασθαι legere *renuntiare*, verùm quoniam *renuntiare* verbum erat ambiguum, malui *vale dicere*, quod anceps non eſſet. Nam renuntiat, qui rem factam nuntiat: renuntiat uxori, qui repudium nuntiat, & ab uxore divertit. Ne quid obiter notem, quod *Leus* exiſtimat *Origenis* Homilias in *Matthæum* ab *Hieronymo* verſas: quod ſi maxime ſit, nihil tamen adverſum me faceret. Luc. IX.

AD

AD LVI.

In teſtimonium ſupra illos.

Rod. AD hanc quoniam nihil habet præter dialogiſmum, quem ex meis ſuisque poſt adjectis contexit, præterque jurgium illud jam nimis frequenter obvium, me durius tractare quam par eſt interpretem, non debuiſſe me quicquam immutare poſt Novum Teſtamentum ab *Hieronymo* caſtigatum, atque his adſimiles nænias, non arbitror operæ pretium in his refellendis bonas horas terere, cum & hæc & alia plura ſatis diluerim in Apologiis meis. Quod ſi *Leo* cordi eſt, hujuſmodi querimoniis mecum agere, refellat illas prius, ac deinde longos dialogiſmos conficiat licebit. Illud obiter attingam, quod ait, illa ætate raros in Eccleſia fuiſſe qui Græce ſcirent, cum adeo vulgata fuerit id temporis Græca Lingua, ut Apoſtoli Græce ſcripſerint *Romanis*. Deinde quod criminatur, me ridere interpretem, quod illum appellem *ſacroſanctum*. Imo *Leum* potius rideo, qui poſtulet hoc honoris haberi interpreti, veluti ſacroſancto, ut nefas ſit uſquam ab illo diſſentire, cum toties ab eo diſſentiat *Hieronymus:* neque ferendum putet, quod illum in ſchedis appellem *ſupinum*, hoc eſt, oſcitantem, ac dormitantem alicubi. Aſſentiar *Leo*, niſi nunc Græcæ vocis genus oblitus, relinquit Latinæ, nunc è duobus genitivis Græcis, alterum vertit in auferendi caſum, alterum relinquit. Aliaque hujus generis permulta, quæ in poſteriore Editione etiam elencho demonſtravimus ſtudioſis. Negat Novum Teſtamentum ſæpius verſum, cum *Auguſtinus* clamet, ſuis temporibus pene totidem Exemplaria fuiſſe, quot erant codices, & ut quiſque paulum quiddam Græci ſermonis attigiſſet, ita ſibi vertere Novum Teſtamentum. Incuſat quod impietatis etiam illum arguam, *Marci* Capite v. quod ita verterit locum quendam, ut ex illius verbis poſſet abſurdus elici ſenſus, cum illic nihil aliud agam, quam ut oſtendam Græca male reddita Latine. Cætera quid aliud habent, quam inane jurgium, quod dicas eſſe moroſæ cujuſpiam mulieris, non Theologi, quanquam in his quoque quid aliud quam rixatur? Itaque præſtat ad cætera properare.

AD LVII.

Dilanians eum.

Rod. NE hîc quidem *Leum* inter & *Eraſmum* ulla eſt controverſia. Indicaram apud Græcos variam eſſe lectionem, ſequor eam quæ vel hoc nomine mihi magis probatur, quod cum noſtra conſentit lectione. *Leus* agnoſcit quod recte admonuerim de pronomine αὐτὸν, etiamſi hoc mavult debere *Laurentio*, quaſi nihil omnino didicerit ex meis lucubrationibus. Rurſus in Indice ſic loquitur, quaſi mihi non fuiſſet niſi unicum Exemplar, & quaſi συντείβοντ@ non poſſit ferri, cum eandem ſententiam reddat genitivus caſus & nominativus, ſi res ita poſtulet: imo cum συντείβοντ@ duplici ratione conſiſtat. Prior hæc eſt, ut ſenſus ſit, *Spiritum diſceſſiſſe à puero diſcerpente ſeipſum*, idque fieri ſi in αὐτὸν prior ſit aſpirata, ut idem valeat quod, ἑαυτόν. Altera, ut συντείβοντ@ paternus caſus poſitus ſit; pro recto caſu, quod genus eſt illud *Ariſtophanis* in *Pluto*, κἀμὲ προσβιάζεται, ἢ ταῦτ' ἀποκεινομένου τὸ παρέπαν οὐδὲ γρύ. Quin & illud ridiculum, quod, ut arbitror, in ſchedulis, quas mihi toties ingerit, annotarim, αὐτὸν idem pollere quod ἑαυτὸν, ille non intelligens ex ἑαυτὸν fecerit σεαυτὸν, cum σεαυτὸν hoc loco nulla quadret ratione. Sive legas συντείβον, ſive συντείβοντ@, cum σεαυτὸν nihil aliud ſignificet quam *teipſum*, cui pronomini hic nullus eſt locus, vix addubito, quin hæc divinatio vera ſit. Sed tamen fingamus, me vel aliud agentem, vel calami lapſu, vel ridendi gratia ſcripſiſſe σεαυτὸν pro ἑαυτὸν, ubi erant oculi, imo mens *Lei*, quæ hoc non deprehenderit eſſe palam abſurdum? Nam nec in annotatione, ne in Indice videtur hoc animadvertiſſe.

AD LVIII.

Hic major eſt.

HIC non video quorſum ſpectent, quæ prolixo ſermone mecum agit *Leus*. In Græcis codicibus conſtanter habetur ἔσται. Negari non poteſt, cum ſic habeat & *Aldina* Editio, ille mavult *eſt*, quam *erit*, cum tamen fateatur apud *Marcum* haberi verbum futuri temporis: *Si quis vult primus eſſe omnium, erit noviſſimus.* At veretur *Leus*, ne ſi *Chriſtus* uſus fuerit verbo futuri temporis, *Qui enim minor fuerit inter vos omnes, hic magnus erit*, Apoſtoli ſomniarent in regno, quod exſpectabant in hoc mundo, præcellentem aliquam dignitatem. Primum nihil fuerit abſurdi, ſi *Chriſtus* aliquandiu reliquit illos in hoc craſſo affectu, quem nondum prorſus videbantur exſuiſſe, cum eſſet tollendus in cœlum, unde exprobrat illis duriciam cordis. Sic & de gladio paſſus eſt illos errare, quo poſt efficacius eximeret vindictæ cupiditatem. Deinde nihil refert ad ſenſum, utrum utaris verbo futuri temporis an præſentis, quandoquidem hîc præſens tempus ad rem refertur, non ad actionem quæ fit in tempore. Deinde quod præcedit τίς ἂν εἴη, cum ſit verbum δυνητικὸν ob conjunctionem expletivam additam, magis ſonat futurum tempus quam præſens. Poſtremo nihil eſſet incommodi, ſi pro ἔσται legatur ἐστὶ, ſi modo ſuffragetur codex Græcus. Id cum non eſſet, an oportuit ad *Lei* juſſum radere quod conſtanter habebant Exemplaria?

Rod.

AD LIX.

Si perſeveraverit pulſans.

ANTE teſtatus ſum, diebus aliquot me ne contuliſſe quidem in *Luca* cum Latinis Græca, ſed eam provinciam aliis delegaſſe me, quod conſulerem corporis imbecillitati, nec valetudo ſufficeret oneri laborum. Neque enim arbitrabar ingens eſſe periculum, ſicubi Græca diſſiderent à Latinis. Atque hîc rurſus contexens dialogum *Leus* exſpatiatur in locum communem, graviter arguens ſupinitatem meam, & inexpiabilis flagitii reum peragit, qui res tam ſacras tractarim tam indiligenter. Negat ſibi in animo eſſe docere, priuſquam didicerit, ſubindicans, opinor, me docere quod nunquam didici. Addit, *millies olfaciendum quod ad judicium omnium proferatur.* Id ſi *Leus* præſtitit in hoc tam exiguo libello, non deprecabor ſupinitatis culpam in opere tam longo, tamque perplexo, præſertim cum eodem tempore ſuſtinerem *Hieronymianam* Editionem, præter alia non admodum facilis negotii. Quod ſi quis in Indice prodat quoties in hoc libello, in quo quota portio illius eſt hallucinetur, quoties dormitet, quoties ſibi contradicat, quoties quod carpit non intelligat, quoties in diverſum ſenſum adducat Auctores, quantus naſceretur Elenchus? Si millies olfaciendum eſt, quod in re ſacra verſans adfers in medium juvandi ſtudio, ter millies olfaciendum eſt, quod æque verſanti in re ſacra, ſcribitur ad carpendum, ubi ſimul vocatur in periculum & ſacra doctrina, & fama proximi. Et tamen hinc hoc ſibi laudis vindicat, quod in Editione poſteriore Latina ſubmoverim, ne quid à Græcis diſcreparent. Tam eſt gloriæ ſitiens.

Luc. xi.

AD LX.

Lucerna corporis tui.

OSTENDERAM, apud Græcos in priore parte, quæ velut abſoluta profertur de corpore cujuſvis animantis, non addi, nec apud *Hieronymum*, nec apud Græcos pronomen *tui*, ſed duntaxat in parte poſteriore, qua quod in genere dictum erat, ad rem animi accommodat. *Si oculus tuus ſimplex*, &c. Hîc *Leus* primum ſic mecum agit, non ut refellat quod à me poſitum eſt, ſed ut oſtendat utramque lectionem conſiſtere. Quod ſi verum eſt, cur mecum litigat, quod re in æquilibrio ſita, in alteram partem me pertraxerit

Eod.

Digitized by Google

Græcorum auctorum conſenſus, etiamſi *Hieronymus* pro me non faceret? Illud durius, quod *Leus* auctoritatem *Chryſoſtomi*, quam pro me citaram, retorquet in me, ac ne qua poſſim elabi, conſtringit me & urget ipſius verbis. Ea ſic habent, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Prius commemorare debemus quia non de corporali oculo loquitur, nec de hoc corpore quod videtur à foris: alioqui dixiſſet, Si oculus tuus ſanus fuerit, aut infirmus. Nunc autem dixit, ſimplex & nequam.* Ex his verbis *Chryſoſtomi* quid aliud evincit *Leus*, quam in ea ſermonis parte addi pronomen *tui*, in qua & ego demonſtro addendum: ſed addit ex eodem *Chryſoſtomo*, *Poſtquam ergo dixit, Theſaurizate vobis in cœlo, quoniam ubi theſaurus tuus fuerit, ibi erit & cor tuum: convenienter ſubjunxit, Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Imo ex iis, quæ mox ſequuntur, conjicere licet, *Chryſoſtomum* legiſſe ut nos annotamus: ait enim, *Quod enim oculus corpori, hoc intellectus animæ.* Cæterum in applicando deſcenditur ad propiora. Poſt nacti Græcum codicem, deprehendimus eſſe veriſſimum quod divinaveramus. Qui mihi diffidit, legat *Chryſoſtomi* in Caput *Matthæi* VI. Homiliam XXI. Et cum *Chryſoſtomi* conſentit *Hilarius*. Adducit ſimilem locum ex *Hieronymo*, cujuſmodi etiamſi decem adducat, non evincet tamen, hanc eſſe germanam lectionem, cum frequenter accidat, ut Librarius ex ſuo animo aut memoria voculam aliquam addat, aut auctor commentariorum etiam ipſe ſermonem ad rem præſentem accommodans, addat nonnihil de ſuo. Ad hæc conatur docere, ſententiam catholicam poſſe conſiſtere, ſi quod ſub perſona ſecunda dictum eſt, per ἑτέρωσιν ad quamvis perſonam pertineat. Quemadmodum dicimus, *quid facias*, pro eo quod erat ſimplex, *quid faciat aliquis*. Primum quid opus erat ad hunc tropum confugere? Deinde non ſentit *Leus* quod à me dictum erat abſolute, & καθολικῶς non ſolum pertinere ad omne corpus humanum, ſed ſimpliciter ad omne corpus animantis cujuſcunque. Mirum eſt autem quod *Leus* hujus annotationis nec inter manentia meminit, nec inter correcta, præſertim cum ille rem faciat clariorem, quam ut in ea velit mecum pluribus agere.

AD LXI.

Luc XI. QUOD interpres verterat, *In ſublime tolli*, ſubindicavi Græcis eſſe, non μεγαλοφρονεῖν, ſed μετεωρίζεσθαι, quorum prius illud quadrat in eum qui de ſeipſo magnifice ſentit, poſterius in eum qui ſublatis in altum oculis ſublimia ſectatur, quod ſolent hi qui curſus ſyderum obſervant. Hîc *Leus* contendit, μετεωρίζεσθαι ad faſtum pertinere, propterea quod ubi *Matthæus* habet, *& quod operiamini*, *Lucas* poſuerit *in ſublime tolli*, quod divites oſtentent ſeſe ſplendido veſtitu. Imo non hoc agebat hoc ſermone *Chriſtus* ut ſuos deterreret à faſtu, ſed ut adimeret eis ſollicitudinem futuri. At qui laborant hoc morbo, ſolent ab aſtris petere futuram felicitatem aut calamitatem, & ſive quid illa minentur diſcruciari metu, ſive quid polliceantur ſpe ſuſpendi. Ab hujusmodi curis *Chriſtus* vult ſuos eſſe liberos, non aliunde pendentes quam ab ipſo *Chriſto*. *Theophylactus* diligenter exponit vocem μετεωρίζεσθαι, licet aliquanto ſecus quam ego, ſed multum diſſentiens à *Leo*. Ait divitum eſſe μετεωρισμὸν, quod ſubinde novis curis diſtrahantur, nec contenti præſentibus, ſemper inhient amplioribus. Jam quod adducit adverſum me, nonnullis in locis ſacræ Scripturæ invitari nos ad contemplationem machinæ cœleſtis, quo miremur Conditoris ſapientiam, bonitatem ac potentiam, non huc pertinet, ut probetur Aſtrologorum curioſa vanaque ſollicitudo, neque vel tantillum contra me facit. Porro quod ex auctoritate *Lactantii* docet, *Socratem* celebri dicto quod fertur, *Quæ ſupra nos nihil ad nos*, voluiſſe tollere religionem, quis non videt declamatoria quadam impudentia detortum eſſe? Qualia permulta licet in *Lactantio* deprehendere. Jam in Indice ſuo miramur me non cecinisſe palinodiam hujus errati, ſed tamen agnoviſſe quadantenus errorem meum, quod in Editione poſteriore faſſus ſim me non videre, quomodo hæc particula quadret cum præcedentibus ac ſequentibus, atque hîc quoque ſua ſubnectens, dialogum efficit. ED. *Certe nulla ratione quadrat ſi ſic interpreteris ut prius. Ne curemus ea quæ ſupra nos ſunt, ut ſatis liquere puto ex mea annotatione.* Etiam atque etiam te rogo, lector, ut libeat hîc pauliſper animadvertere qualis ſit artifex, qui nunc mecum agit. In Editione poſteriore ſubmonui, quod ait *Lucas*, ad Genethliacos & Aſtrologos eſſe referendum. Ex verbis autem meis *Leus* priorem partem adducit, reliquis omiſſis, ex quibus lector poterat intelligere quid illic agerem. Atque ad eum modum imponit parum attento lectori, & ſibi falſam gloriolam venatur. Verùm ne quis addubitet hæc eſſe vera, locum ipſum ut habet ſubſcribam: *Nec video*, inquam, *quomodo hæc particula quadret cum præcedentibus ac ſequentibus, niſi ſentiatur de his qui ex Aſtrorum curſu procul in futurum conſulunt, qui fere mos eſt divitum ac Principum.* Hactenus mea verba retuli. Hoc admonere viſum eſt, ut intelligas, quam non ſit fidendum hujus fucis, qui paſſim inſidiatur ſimplicitati lectorum, gloriolas aucupans.

AD LXII.

CUM *confeſſus fuerit me*, & *confeſſus in me* juxta ſermonis Hebræi proprietatem idem polleant, tantum annotavi quid haberetur in Græco codice. At *Leus* objicit *Hieronymum Origenis* in *Lucam* interpretem, qui legat: *confeſſus fuerit me, & confitebor eum.* Ut demus hoc opus, opus eſſe *Origenis*, ut demus *Hieronymum* interpretem, ut demus nihil à ſcriba mutatum, quid hoc contra me facit? Et tamen certum eſt alibi legi *in me*, & *in eo*. Sed has annotationes putavit addendas, ne non expleret numerum ſuum. Et hunc locum recenſet inter ea quæ non retractavimus. Eod.

AD LXIII.

HUIC ſimillimum eſt quod ſequitur, cum Græci legant τίνι ἔσαι, id eſt, *cui erit*, nec aliud tamen efficiat ſermo quam ſi dicas, *cujus erit:* quemadmodum & *Paulus* loquitur, *ſi fuerit alteri viro*, juxta proprietatem, ut opinor, ſermonis Hebraici, quid hîc à me commiſſum eſt, etiamſi *Hieronymus*, aut alius quiſpiam legat, *cujus erit?* Eod.

AD LXIV.

POST hæc verba, *geſtabunt cœnam meam*, admoneo, in nonnullis Græcorum codicibus addi, quod in noſtris hoc ſane loco non habetur. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*, & quod dixi in nonnullis haberi, quoniam in aliis non reperi, malui in contextu id ſequi, quod congrueret noſtræ lectioni. Et tamen hoc quoque *Leus* recenſet inter ea quæ non retractarim. Quid autem volebat hîc corrigi *Leus*? Luc. XIV.

AD LXV.

CITARAM in annotationibus ex Græco codice, ἀπέρχεται συμβαλεῖν, id eſt, *abiit ut conferat*, cum in contextu ſit πορευόμενος, eodem ſenſu. Quid aliud hîc divinari poteſt quam mihi fuiſſe aliud Exemplar cum hæc annotarem, diverſum ab eo quod ſequuti ſunt caſtigatores? Et hujuſmodi varietates, quoniam nihil ad ſenſum faciunt, & vitari non poſſunt Bibliographis frequenter vocem aliquam mutantibus, veluti cum pro *acceſſit*, *venit:* aut pro *dixit*, ponunt *dicebat*, ut levioris momenti crebro neglexi. Sciebam enim lectorem ex ipſa re deprehenſurum, etiamſi ipſe nihil admonuiſſem. Eod.

AD

AD LXVI.

Lucæ xvi. COMPERERAM in priore Editione, negligentia operarum, aut fortaſſe caſtigatorum, ὧδε poſitum pro ὅδε, hoc eſt, adverbium vice pronominis. Nam id non eſſe factum meo vitio, vel illud arguit, quod in Annotationibus hujus rei nullam facio mentionem. Id in poſteriore mutatum eſt. Hujus rei laudem *Leus* ſibi vindicat, quaſi ſubmonuerit. Et addit ex auctoritate ſua, in cæteris quoque locis, pluſquam *Salomon* hîc legendum eſſe ὅδε per omicron, non ὧδε per ω mega. Cur non addidit etiam, ubi legimus; *Ecce Chriſtus hic*, legendum ὅδε, ſi tantum auctoritatis ſibi ſumit *Leus*, ut refragantibus tot auctoribus & Exemplariis ſuo arbitratu mutet ſcripturam Euangeliſtarum? At ſi *Chriſtus* demonſtraſſet ſeipſum per ὅδε, illico reclamaſſent Phariſæi.

AD LXVII.

Lucæ xvii. OBJICIT, quod cum in priore Editione vertiſſem in Annotationibus, *è regione quæ ſub cœlo eſt, in eam quæ ſub cœlo eſt*, in contextu feratur translatio diverſa, *E regione ſupercœleſti, in eam quæ ſub cœlo eſt.* Ac verum dicit *Leus*, ſed ſæpenumero jam teſtatus ſum, mihi tum Annotationes ſcriptas, cum nondum eſſet in animo quicquam immutare ex vulgata translatione. Nam ejus mutandæ conſilium, in ipſo negotio natum eſt ab amicis: mihi quidem parum auſpicato. Proinde cum verterem, conſentaneum eſt Græcum codicem habuiſſe ἐπ' ἐσχάνον & ὑπ' ἐσχάνον, atque id tum verti, quod illic offendebam. Qua quidem in re hoc minus erat periculi, quod Annotationes huic lapſui ſuccurrerent. At conferre debebas, inquiet. At in tam innumeris difficile eſt nuſquam non dormitare. Sed an hîc debeatur *Leo*, quod ſibi vindicat, neſcio.

AD LXVIII.

Lucæ xx. QUONIAM in *Luca* reperi additum, *forte, forte verebuntur filium meum:* verti quod ſcriptum eſt apud Græcos. Hîc *Leus* me rogat, cur non & hîc addiderim, adverbium adjectum à quopiam, qui verebatur ne Deus mentitus videretur, aut inſcius futuri? Cavillator, cur dicerem additum eſſe, quod conſtanter habetur in Græcis codicibus? Et tamen nihil prohibet alibi non additum eſſe. Neque mihi reddenda ratio eſt, quid hunc aut illum ſtulte moveat: cum hac occaſione reperiamus non pauca loca mutata in Libris ſacris.

AD LXIX.

Lucæ xxiii. QUOD in Editione priore ſcriptum reperit *Leus*, *Et facti ſunt amici Pilatus & Herodes, in ipſa die:* Cum Græcis addatur μετ' ἀλλήλων, id eſt, *invicem*, quod tamen addidimus in poſteriore, quid aliud ſuſpicari poteſt, quam aut per oblivionem eſſe relictam vulgatam lectionem, aut operarum incuria, omiſſa duo verba: aut me neglexiſſe, cum idem eſſet ſenſus. Nam qui fiunt amici, inter ſe fiunt amici, præſertim cum mox ſequatur πρὸς ἑαυτὸν, id eſt, *inter ſeſe*.

IN JOHANNEM.

AD LXX.

Joan. i. ANNOTARAM non ex capitis mei ſomnio, ſed ex Græcorum complurium ſententia quantam vim habeat Græcus articulus additus, aut omiſſus. Et tamen alicubi fateor, quod illi annotant, non adeo perpetuo ſervari, quin alicubi, A ſeu caſu, ſeu Librariorum incuria, reperiatur aliqua ex parte non obſervatum. Cæterum quod *Leus* exiſtimat in hoc ſermone ἡ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, nihil offecturum ſententiæ Chriſtianæ, ſi quis addat articulum, nimirum auſus eſt *ſutor ultra crepidam* judicare. Nam *Leo* reclamabunt quicunque Græce norunt. Cæterum quod à nobis eſt annotatum, non videtur ſatis animadverſum à *Leo*. Si quis demonſtrans lapidem dicat, *hoc non eſt terra*, ſentiens lapidem non eſſe naturæ terreæ, ſi velit articulum addere, τοῦτο οὐκ ἐστὶν ἡ γῆ, ridiculus erit omnibus Græcæ Linguæ peritis. Item ſi quis tenue vinum demonſtrans dicat, *hoc eſt aqua*, ſi addito articulo dicat, τοῦτό ἐστι τὸ ὕδωρ, ridebitur. Conſimiliter ſi quis de homine vehementer ſtolido dicat, B ἔτος οὐκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος, ridicule loqueretur, niſi ſentiret, non eſſe eum hominem de quo prius eſſet loquutus. Itaque cum dicimus ἡ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, cum intelligimus verbum eſſe & ipſum naturæ divinæ, non poteſt addi articulus: & ſi quis addat, ſenſum hæreticum expreſſerit. Nec minus abſurdum quam ſi quis dicat, *filius eſt pater*. Non advertit *Leus*, toto hoc ſermone quoties de perſonis habetur ſermo, non omitti articulum, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. ὁ λόγος, dixit, non λόγος. ἡ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. Non eſt omiſſus articulus, quod ſentiat Filium fuiſſe apud Patrem. Ac rurſus, ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν, addidit articulum, quod Filius non dicatur adeſſe divinæ eſſentiæ, cum ſit ipſa eſſentia, ſed adeſſe C Patri. Unica tantum in parte omiſſus eſt articulus, ἡ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. λόγος habet articulum, quia perſonæ deſignat proprietatem: Θεὸς non habet, quod naturam ſignificet, non perſonam. Jam loca quæ *Leus* adverſum me congerit, nihil adverſum me faciunt. Nam quod *Paulus* Epiſtolæ ad *Romanos*, Cap. III. Γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, addidit Deo Græcum articulum, primum dicere poteram, illic ὁ Θεὸς pro Patre poſitum. Sed demus ita poſitum, ut totam Trinitatem complectatur, demus ut hîc naturam divinam ſignificet, tamen ita ponitur tanquam certum quiddam, quod veluti ſub ratione unius perſonæ poſſit demonſtrari: quemadmodum ἡ γῆ, aut τὸ ὕδωρ, aut D τὸ πῦρ, aut ὁ κόσμος recte dixerit, qui totam terram hanc, aut totum elementum aquæ, aut totum elementum ignis, aut totam hanc mundi machinam, tanquam unum quiddam demonſtret. At ſi quis horum aliquid de re ſingulari prædicaret, quam vellet ſignificare terreæ, aqueæ, aut igneæ naturæ, intolerabilis eſſet additus articulus, non minus quam ſi quis dicat ἄνθρωπός ἐστι τὸ ζῶον, id eſt, *homo eſt animal*, cum nullum certum animal ſignificetur quod demonſtrari queat, ſed ipſa duntaxat ratio animantis. Hac ratione diluta ſunt & cætera quæ *Leus* adfert, aut adferre poterit. Porro quod exiſtimat vehementer abſurdum, ſi articulus additus Deo demonſtret Patrem, cum *Paulus* aliquoties dicat, ὁ Θεὸς ἡ πατήρ. *Nam implicatur*, inquit, *primo loco, quod additur ſecundo, ut hoc ſit, ſi reddatur*, Deus, qui eſt Pater, & Pater, *cum nihil plus ſignificet* Pater *primo loco quam ſecundo, nempe perſonam Patris, ſi eam vim habet articulus.* Hæc ille. E Nullus hoc docet eſſe neceſſe, ſi addas articulum Deo, continuo Patrem ſignificari: poteſt ſignificari Filius, poteſt & Spiritus Sanctus, ſi quis eum referat, de quo ſit ante facta mentio, aut veluti demonſtret: etiamſi verum ſit, in Euangelio *Joannis*, hoc certe loco articulum efficere quod dico, ſed quid habet abſurdi hic ſermo, ὁ Θεὸς ἡ πατήρ; Θεὸς refertur ad Patrem, donemus. Ergo non eſt alia ratio vocabulorum Patris ac Dei? Si filius Regis de patre ſuo loquens dicat ὁ βασιλεὺς ἡ πατήρ μου, num abſurde dicet? Atqui cum F ὁ βασιλεὺς referatur ad patrem propter articulum, tamen addit patrem, non quod idem bis dicat, ſed quod eidem perſonæ, non eadem ratione duo quædam tribuat, primum quod Rex ſit, deinde quod ipſius pater. Alioqui dicetur eadem eſſe abſurditas in pronomine, *hic pater meus*. *Hic* demonſtrat patrem, quid opus erat addere *pater*? Ita *Paulus* cum ait, ὁ Θεὸς ἡ πατήρ, unum quendam demonſtrat, qui idem ſit Deus,

Digitized by Google

& Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*. Itaque demiror *Leum* hæc, quæ non intelligit, tanta cum auctoritate velle docere, & qui vult videri tam acutus, in his tam craſſis nihil videre. Porro quod alicubi reperiatur articulus omiſſus, quemadmodum legitur *Joannis* Cap. xx. mirum videri non debet, cum idem & alibi reperiatur apud Græcos, at non ubivis. Cæterum rationes omnes, ubi liceat, ubi non liceat, non eſt hujus loci perſequi, qui volet petat ex *Appollonii* fragmentis. Neque tamen hic locus, quem adducit ex *Joanne*, magnopere facit pro *Leo*, imo nihil illi prorſus opitulatur. Non enim animadvertit articulum præceſſiſſe, qui refertur ad cætera quoque quæ ſequuntur, ἀναβαίνω πρὸς τ̀ Πατέρα μυ καὶ Πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μυ καὶ Θεὸν ὑμῶν. Quod ita vertas licebit, *Adſcendo ad eum, qui eſt Pater meus, & Pater veſter, Deus meus, & Deus veſter*. Jam quod decernit *Leus*, articulum Deo Patri, aut Verbo, aut Spiritui additum, diſcernere Deum verum à Diis falſis, Verbum increatum ab humano verbo, Spiritum Dei à ſpiritu noſtro, ita frequenter eſt verum, ut tamen nihil vetet, iiſdem vocibus articulum addi nonnunquam, imo ſæpius addi neceſſario, velut ſi repetatur ſermo, de quo prius habita ſit mentio, dicendum eſſet: εἰπὲ πάλιν τ̀ λόγον, cum loquatur de ſermone humano, & qui ſecus loqueretur, Græcis eſſet deridiculus. Hic cum conſtet *Leum* tota prorſus errare via, tamen vides, lector, quam non inſultem illi, quemadmodum ille ſubinde mihi inſultat, etiam nulla de cauſa. Vel ex hoc intellige, prudens lector, hanc annotationem mihi non fuiſſe communicatam à *Leo*, quod nihil reſponderim, reſponſurus utique ad tam manifeſtas nænias, ſi quid ille communicaſſet. Et tamen hunc locum annotavit inter ea quæ non mutarim, bis ineptiens, quaſi aut mutandum eſſet aliquid ex his quæ bene dicta ſunt, aut quaſi *Leus* hujus rei me commonuiſſet.

AD LXXI.

Eodem. HANC unam Annotationem diſſecuit in duas, quo rem faceret invidioſiorem: neque contentus hoc ingeſſiſſe in Annotatione, rurſus in Indice, prolixo ſermone proſequitur, qui non video quorſum attinebat, cum inter *Leum* & me nulla ſit de re controverſia. Neque enim aliud unquam aut ſcripſi, aut ſenſi de trium Perſonarum eadem ſingulari ac ſimpliciſſima eſſentia, quam ſentiunt orthodoxi, tantum hoc cavillari poterat *Leus*, quod abuſus ſim una vocula *particeps*. Atqui quum toties clamet *Hilarius*, toties *Auguſtinus*, toties *Dionyſius*, quoties de rebus divinis verba fiunt, nullas eſſe voces humanas, quibus exprimere poſſimus illarum ineffabilem atque incogitabilem naturam, ſed qualibuſcunque verbis nobis de illis eſſe balbutiendum, velimus, nolimus: cum idem clariſſime teſtetur *Didymus* in opere *De Spiritu Sancto*, quod *Hieronymus* Latinitate donavit: cum *Auguſtinus* ineffabilem illam conjunctionem humanæ naturæ cum divina in eandem hypoſtaſin aliquoties in Epiſtolis mixturam & permixturam appellet, haud dubie vocabulo non congruente rei, ut habet, explicandæ, cum nullis hominum verbis poſſit explicari, quando nondum ferunt aures Theologorum, ſi quis dicat *hypoſtaſin Jeſu Chriſti conſtare, compoſitam eſſe, conglutinatam eſſe, coagmentatam eſſe, copulatam eſſe, conflatam eſſe, conſociatam eſſe, commixtam eſſe ex Deo & homine*, tantum ferunt *in ea naturam humanam cum divina unitam eſſe*, & tamen hoc ipſum vocabulum, *unitam*, ſi quis ad vivum exigat, nihil minus ſignificat, quam quod nos ita de Deo balbutientes ſentimus. Nam natura naturæ unita, quid aliud ſonat quam è duabus naturis unam eſſe factam? Quod de *Chriſto* prædicare ſit impium. Hæc, inquam, cum ſic habeant, cur *Leus* mihi gravatur unius voculæ gratiam facere, præſertim cum ex iis quæ præcedunt ac ſequuntur eodem in loco, ſatis liqueat, non aliud ſentire me, quam quod ſentiunt orthodoxi? Neque enim ſic voco Filium Dei *participem* divinæ eſſentiæ, ut pars ſit apud Patrem, pars apud Filium, pars apud Spiritum Sanctum, ſed ut eadem ſit omnium, neſcio an liceat addere, *communis*, præſertim apud *Leum*. At hoc etiam mollius eſt, Filium dicere *participem* divinæ naturæ, quod eam habeat à Patre, ſed ita ut Pater nihilo ſecius habeat eandem, quam dat Filio. An non abutimur hac voce, de rebus etiam humanis loquentes? Nonne totius corporis ſingulæ partes *participes* ſunt animæ, & tamen anima ſic eſt communis omnium, ut in ſingulis membris ſit tota ac ſimplex? Scio Græcorum vocem ad hanc rem explicandam eſſe magis accommodam, μετέχων, quod fere ſonat quaſi dicas, *cum alio habens*. Si habere dicitur qui non caret, certe Filius non caret natura divina. Et ſi habet, nec ſolus habet, non video cur non poſſit dici μετέχειν, hoc eſt, *particeps eſſe* Patri, à quo habet ut ſit Deus. Quod ſi Latini non habent aliam vocem, qua reddant verbum μετέχειν, quam *participare* ſive *participem eſſe*, quando quicquid loquimur de rebus divinis mera balbuties eſt, non video cur Dei Filius abſurde dicatur *particeps naturæ divinæ*, quemadmodum homo dicitur *particeps rationis*, *particeps naturæ humanæ*, non quod pars naturæ ſit apud hunc, pars apud alios, ſed quod non careat ratione, neque expers ſit naturæ humanæ. Quod ſi dicas, *participem eſſe*, non exprimere ſingularem ac ſimpliciſſimam eſſentiam eandem in tribus Perſonis, fortaſſis nec ὁμοσίῳ vocabulum idem exprimet aptè, nec μετοσίᾳ, nec quod propius etiam accedit αὐτοσίᾳ. Neque enim ſic Filius eſt Patri ὁμόσιος, quemadmodum homo homini, aut olla ollæ ex eadem argilla fictilis: imo nihil eſt in rebus conditis, quod alii cuiquam ſimili modo poſſit ὁμόσιον dici, quemadmodum Filius dicitur *homuſios* Patri. Jam nunc Latine non veremur dicere, Filium Patri *conſubſtantialem*, cum olim orthodoxi non ſint veriti facere *tres ſubſtantias divinas*, quemadmodum nunc *tres Perſonas* dicimus. Ad quam rationem impium ſit dicere, Filium Patri conſubſtantialem. Porro cum Græcis ὑπόσασις ſonet *ſubſtantiam*, tamen *Hieronymus* horret confiteri tres hypoſtaſes in Deo, ut ne dicam interim, ne ſubſtantiam quidem proprie dici Deum, quando hinc dicta videtur, quod huic innitantur accidentia. Atqui cum dicimus, Deum regnare, ſapere, providere, præſcire, vivere, abutimur vocabulis humanis, quod proprie & per omnia quadrantia deſint. Hæc ideo refero, quo declarem, non oportere videri mirum ſi ego verbo, *participis*, ſim abuſus. *Hilario* non fuit religio ſcribere, *Deus Pater impertit perfecte Filio, nec amittit naturam*: ſic enim loquitur in libro *De Trinitate* ſeptimo. Cur ego verear dicere, *Filium participem naturæ paternæ*? Dices, non ſat erat dicere, *verbum eſt divinæ eſſentiæ*, omiſſa dictione *particeps*? Significare volebam, Filium quod Deus eſt, hoc habere cum Patre commune, imo adeo ab ipſo Patre. Quid igitur ad rem faciunt quæ *Leus* hîc congerit, de *homuſio*, de plenitudine Divinitatis in *Chriſto*, de *Chriſto* natura vereque Deo, quorum adeo nihil negamus, ut hoc ipſo in loco, quem reprehendit *Leus*, non aliud agamus: ut non potuerit obſcurum eſſe lectori in quem ſenſum abuterer vocabulo, *participis*. Et tamen hanc ipſam vocem explanavi poſteriore Editione, ne quis offendi poſſet. At negat *Leus* idem valere, ὁμόσιον τῷ Πατρὶ, & *participem illi divinæ eſſentiæ*. Si urget verbi proprietate, nec ὁμόσιος eſt Filius Patri. Si cogitur concedere aliquem verbi abuſum, cur in altero eſt tam iniquus? Non idem valent, ſi *particeps* dicatur in eum ſenſum in quem interpretatur *Leus*, at ipſe in eum ſenſum non uſurpavi. Filius non eſt particeps divinæ eſſentiæ, ut ſit pars divinæ eſſentiæ. Non eſt particeps Divinitatis, quemadmodum nos ſumus, an ideo nullo pacto particeps eſt? At nihil aliud efficiunt quæ *Leus* adducit in Indice, quo notat à nobis relicta. Nonne Chriſtiane dixeris, tribus Perſonis eſſe regni conſortium, quod idem regnum ſit omnium? At quid intereſt inter conſortem & participem? Quorſum hîc attinebat, *Arrianorum* facere men-

mentionem, nisi ut hujusmodi coronide crescret volumen? Aut quid referebat de vocabulo tam anxie disputare, cum de re nulla esset controversia? Postremo cum *Augustinus* scribit, *in filiis gratiæ participationem esse Divinitatis, in Filio naturæ plenitudinem*, non negat simpliciter Filium esse participem Divinitatis, sed negat eo modo tantum esse quo nos sumus participes. Aliter Deus nobis impartit suam Divinitatem, aliter Filio. An hoc quoque verbum horrebit *Leus*? At cur non dicatur impartire Deitatem Filio, qui dat & auctor est ut sit Deus? Qui non loquetur de rebus divinis nisi verbis per omnia quadrantibus, illi tacendum fuerit. Hæc dixerim non quod studeam esse novorum verborum auctor, tantum indicare volui, in quem sensum abusus sim vocabulo, *participis*, nec temere sum abusus, ni fallor, nec impudenter.

AD LXXII.

Hic ratiocinatur *Leus* ex verbis meis me Filio adimere vocabulum *principii*, quod ita scripserim in priore Editione, Omnia per ipsum facta sunt, *rectius vertisset per* illud, *nisi mavis pronomen* ipsum *referre ad Deum Patrem, verum huic sensui refragatur præpositio*, διὰ, *quæ pugnat cum ratione principii*. Hoc obiter admonebam lectorem, sermonem Euangelistæ, sensum ancipitem habere, non minus apud Græcos quam apud nos, quod hæc particula, *per ipsum*, vel ad Deum Patrem referri posset, vel ad Verbum. Proinde disquiro utro commodius possit accommodari: subindicans mihi magis probari ut referatur ad Verbum, & intelligamus Patrem omnia condidisse per Filium. Id quo probabilius reddam, adfero causam, quod cum Patri competat summa & absolutissima ratio principii, præpositionem διὰ Filio magis congruere quam Patri, qui licet non sit creatum instrumentum Patris, quemadmodum hæretici quidam somniarunt, per quod reliqua crearet omnia, tamen ea sermonis specie Scriptura mystica sic loquitur de Filio, quasi Patri sit instrumenti cujusdam vice (sit mihi fas tantisper his verbis abuti) quando per illum condidit mundum, per illum redemit humanum genus, per illum nos reconciliavit sibi. Atque hîc *Leus* egregium ut putat telum nactus, quo me conficiat, in os ingerit, quod *Joannis* Cap. VIII. negarim competere in Verbum absolutam *principii* appellationem: *Quam ibi*, inquit, *ut mihi videtur, plus satis, sed hic multo magis adimis Verbo. Nam præpositionem* διὰ, *id est*, per, *quam Verbo tribuis, cum non audeas tribuere Patri, dicis pugnare cum ratione principii. Hic protinus sequitur ut dicas, cum Verbo pugnare appellationem principii, ut prorsus sit repugnantia, si Verbum dicatur principium.* Sub hæc relegat lectorem ad Caput *Joannis* octavum, ubi pulchre demonstrarit, Filio quoque competere absolutam principii rationem. Quod quam magnifice præstet, paulo post excutiemus: interim huic mœnium parti, quam *Leus* suis arietibus quatit, succurrendum est. Hæc quæ modis omnibus ad calumniam detorquet *Leus*, si nacta fuerint iniquum interpretem, videri possint periculose dicta: sin æquum, nihil est incommodi. Primum enim non tam hîc agimus de natura rei, quam de consuetudine sermonis humani. Refert *Augustinus* veluti solenniter Patri tribui potentiam, Filio sapientiam, Spiritui bonitatem, cum tamen omnium sit eadem potentia, eadem sapientia, eadem bonitas. Ad hanc rationem in Symbolo, quod vulgus Apostolorum vocat, Pater *omnipotens* dicitur, non Filius aut Spiritus Sanctus: Pater dicitur *conditor cœli ac terræ*, Filius ac Spiritus Sanctus non dicitur. Atque hujus consuetudinis *Augustinus* nonnullas reddit causas, quas hîc recensere non est necesse. Jam præpositionem διὰ, sonare rationem quandam instrumenti, vel illud arguit, quod hunc *Pauli* sermonem, *per quem fecit & sæcula*, interpretantes Theologi annotant, *per*, illic non notare instrumentum, sed cooperantem. Hoc quorsum opus erat admonere, si nihil erat in ea præpositione quale dico? Quin & *Durandus* Libro Sentent. I. Distinct. XXXI. Q. I. docens quæ quibus de causis proprie tribuantur singulis Personis, cum sint tamen omnia communia, refert quod *Hilarius* æternitatem attribuat Patri, imaginem Filio, usum Spiritui Sancto. *Augustinus* Patri attribuit unitatem, æqualitatem Filio, connexionem Spiritui Sancto. Quo quidem in loco illud obiter admonitum volo lectorem, videri *Durandum* non satis percepisse, quid *Hilarius* dixisset, usum: verba *Durandi* sunt hæc: *Usus vero appropriatur Spiritui Sancto, quia, uti, large accipiendo est assumere aliquid in facultate voluntatis. Spiritus autem Sanctus procedit per modum voluntatis.* Hactenus *Durandus*. At *Hilarius*, usum, dixit utilitatem sive beneficentiam. Pater est æternus, Filius similis Patri, Spiritus Sanctus beneficus. Vide lector quid est scire Latine. Mox adjungit, *præpositionem*, ex, *quoties significat habitudinem causæ efficientis, proprie tribui Patri, quemadmodum & potentiam: cæterum præpositionem*, per, *ut declarat habitudinem formæ, per quam agens agit, sicut dicimus, quod artifex agit per artem, competere Filio ceu peculiarem: præpositionem*, in, *tribui Spiritui Sancto*. Cur igitur *Leus* velut absurde dictum calumniatur quod dixi, præpositionem διὰ, non proprie competere Patri?

Jam quod est apud Paulum, *ex ipso, per ipsum, & in ipso*, tametsi non improbo *Chrysostomi* sententiam, qui putat hæc omnia simul in Patrem competere, quidam interpretes, quorum est *Ambrosius*, & ante hunc *Origenes* interprete *Hieronymo*, horum singula ad singulas Personas referunt, *per ipsum*, proprie Filio accommodantes. Si quis diffidit nobis, *Ambrosii* verba sunt hæc: *Quia omnium creator est Deus, fecit enim ea quæ non erant ut essent, ideo ex ipso sunt omnia. Et quoniam ab ipso sunt, per Filium ejus, qui ejusdem utique substantiæ est, esse cœperunt, cujus opus, Patris est opus. Quia ergo ipse operatur per Filium, per ipsum sunt omnia. Et quoniam quæ sunt ex Deo, per Deum sunt, post renata in Spiritu Sancto sunt, in ipso sunt omnia*, &c. *Origenes* enarrans hunc locum confert cum altero qui est apud *Paulum*, *Unus Deus Pater, ex quo omnia: unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia.* Quid quod ne *Chrysostomus* quidem negat, peculiarius competere in Filium, ut *per ipsum* dicatur operari Pater: sed eos rejicit qui dictitabant hanc præpositionem, διὰ, minuere Filii dignitatem, quem volebant à Deo non solum genitum, sed etiam conditum, ut per eum reliqua conderet universa. Adde quod argumentum ipsum hujus loci cogit, ut ad Verbum referatur, non ad Patrem, siquidem hoc agit Euangelista, ut doceat, Verbum non fuisse creatum in tempore, sed in principio fuisse apud Deum Patrem antequam conderentur omnia, & adeo non fuisse partem rerum ex tempore conditarum, ut per hunc Pater universa condiderit, quicquid est rerum vel visibilium, vel intelligibilium, non quod Filius sit instrumentum Patris, sed quod de eo sub ratione quadam instrumenti loquamur. Per Filium legitur Pater condidisse mundum: at nusquam legitur Filius per Patrem condidisse mundum, & tamen Filius æque condidit ac Pater. Quid est in causa? Nisi quod Patri tribuitur auctoritas, veluti peculiaris, quemadmodum non uno in loco declarat *Hilarius*, quam *Cyrillus* fontem appellat, recentiores absolutam maximeque propriam principii rationem: hanc Filio simpliciter non tribuit. Nam ut hoc est Filio cum Patre commune, quod natura Deus est: ita commune non est, quod Deus est ex Deo. Porro quod *Hilarius* appellavit auctoritatem, nos principii rationem appellavimus. Siquidem auctore *Thoma*, in Libro quem scripsit *adversus errores Græcorum*, Persona dicitur per eam operari Personam, cui auctor est, ut sit quemadmodum Pater operari dicitur per Filium, non

non contra. Idem ex eo quod Filius dicitur operari per Spiritum Sanctum, neceſſario colligi putat, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio. Atque hujus opinionis auctorem citat *Athanaſium* ex Epiſtola quadam ad *Serapionem*. Porro quod divus *Baſilius* in Libro, quem ſcripſit adverſus *Eunomium*, dixit quod Spiritus Sanctus vere per Filium operetur, ſic excuſat, ut interpretetur, Spiritum operari per Filium ſecundum humanam naturam, alioqui falſum eſſe quod ſcripſit *Baſilius*. Atque adeo peculiaris eſt Patri, principii ratio, ut hoc ipſum quod Filius aliquo modo dicitur principium, habeat à Patre. Sed habere ab alio, pugnat cum abſoluta ratione principii. Verùm his de rebus alias ſuo loco.

Nunc de uſu atque abuſu hujus præpoſitionis, ἀλλὰ, pergamus, quæ rationem quandam ac ſpeciem habet inſtrumenti. Quandam, addo, ne quis putet eſſe veram inſtrumenti rationem in Filio aut Spiritu Sancto. Nam forma, per quam agit aliquis, inſtrumenti rationem quandam habet. Conferam exemplum humanum, quo res fiat dilucidior. Rex per Magiſtratus reddit jus, per Duces bellat, per Senatores decernit, cum tamen ii vere reddant jus, vere bellent, vere decernant. Sed quoniam ut iſta facere poſſint habent à Rege, Regi tribuitur auctoritas omnium quæ fiunt. Ad eum modum loquimur & de Perſonis divinis, Pater per Filium condit mundum, per Filium redemit mundum. In rebus humanis declaratur inſtrumentum, in rebus divinis non eſt quidem inſtrumentum, ſed tamen eſt in ſermonis ſpecie, qua de Deo balbutimus, ratio quædam inſtrumenti, quæ nimirum pugnat cum prima ac propria ratione auctoritatis ac principii: quæ ſi nulla eſt in Patre, ut non eadem ſit in Filio, recte dicemus, omnia Filio condita per Patrem, quemadmodum recte dicimus, omnia à Patre fuiſſe condita per Filium. Ut ne commemorem quod uſus ſolennis Eccleſiæ quicquid petit à Patre, *per Filium* petit. At contra, cum à Filio petit non addit *per Patrem*, ſed *qui vivis & regnas*, &c. Jam quod *Leus* docere nititur, alicubi reperiri ſermonis hanc formam tribui Patri, quod genus eſt illud, *per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus*, mirum videri non debet, cum ad eum modum aliquoties loquamur & de rebus humanis, *per me non ſtabit*, *per hos condita eſt* Troia, *per te factum eſt quo minus vicerim*: in quibus omnibus auctor intelligitur, non inſtrumentum, etiamſi non abeſt omnino inſtrumenti ratio quædam. Quod genus ſermonis ſit, *Rex per ſe juſſit*, *Rex per ſe ſcripſit*, *Rex per ſe edixit*, hoc eſt, ipſe ſibi fuit inſtrumentum, nec alio uſus eſt inſtrumento. Vides nuſquam abeſſe rationem aliquam inſtrumenti, etiam cum maxime abutimur hac præpoſitione. Sic Pater dicitur ſui principium quod à nullo ſit alio, & quod per hunc facta ſint omnia, quod ad id non eguerit ullo adminiculo. Neque vero hîc ſimpliciter agebatur, an recte dici poſſit, *per Patrem eſſe condita omnia*, de Patre loquebamur ac Filio, diſquirentes in utrum magis competeret hic ſermo, *Omnia per ipſum facta ſunt*. Omnia ſunt condita à Patre per Verbum. An omnia ſunt condita à Verbo per Patrem? Quod ſi donat *Leus*, perfectiſſimam maximeque propriam & abſolutam principii rationem competere Patri, tum præpoſitionem, ἀλλὰ, plerumque pugnare cum ratione auctoritatis, ſive originis, ſive principii, certe erat cur hîc mallem ad Filium pertinere quod dictum eſt, *Omnia per ipſum facta ſunt*, quam ad Patrem. Nec ideo adimo Filio principii vocabulum, ſi in conferendo magis attribuo Patri. Nec ideo falſum eſt, præpoſitionem, ἀλλὰ, pugnare cum ratione principii, ſicubi ſecus hac abutimur, ſed hactenus tamen, ut Filius non dicatur operari per Patrem, cum Pater per Filium operetur. Nec ideo Filius non eſt aliqua ratione principium, ſi præpoſitio, ἀλλὰ, magis competit in Filium quam in Patrem. Nam Filius hoc ipſum, quod aliquo modo principium dicitur, habet à Patre. Neque enim aliud ſenſiſſe me vel ipſa verba, quibus uſus ſum in Editione priore, ſatis arguunt: *Verum*, inquam, *huic ſenſui nonnihil refragatur præpoſitio*. Cum aio, *nonnihil*, an non indico, non undequaque refragari? At hîc lubens rogarim *Leum*, in reprehenſione quo conſilio reliquerit illud, *nonnihil*, haudquaquam relicturus, ſi contra me feciſſet. Deinde cum addo, *& magis concinit cum Paulinis verbis, per quem fecit & ſecula*: cur hoc quoque diſſimulavit *Leus*? An non audiebat hîc me non abſolute, ſed per comparationem loqui? His artibus cum rem agat, tamen negat ſe rhetoricen tenere, ſed nuda ſimplicique veritate niti. Jam illud exemplum, quod adfert *Leus*, *per memetipſum juravi*, non admodum ad hanc diſputationem facit, cum hîc Græcis non ſit præpoſitio, ἀλλὰ, ſed κατ' ἐμαυτοῦ. Quid habeant Hebræi, neſcio, qui videntur in hujuſmodi, *in*, abuti pro, *per*. Porro quod in Indice ſuo, quo recenſet ea quæ videlicet ipſius admonitu ſim moderatus, notat quod ubi prius dixeram, *ἀλλὰ pugnare cum ratione principii*, in poſteriore voluminis Editione adjecerim *principii paterni*, ſive mavis *Hilarii* verbo uti, *auctoritatis*. Primum de hoc loco nihil admonuerat *Leus*, ſed tantum de Cap. *Jo.* VIII. hunc non animadverterat, aut ſi animadvertit, celavit. Deinde ſi non adjeciſſem quod adjeci, cum illic agerem de Patre, quid accipi poterat, niſi ratio paterni principii? Porro quod *Leus* ibidem ſubjicit, *aliud*, inquiens, *ſentit* Hieronymus, *qui* per ipſum, *ad Patrem refert*, non ſatis intelligo quid ſibi velit. Non enim arbitror *Hieronymum* illud ſentire, ſermonem hunc, *omnia per ipſum facta ſunt*, ad Patrem eſſe referendum, cum magno conſenſu veteres orthodoxi referant ad Filium. Siquidem *Hilarius* ex hoc loco colligit æternitatem Verbi: *Infinitum eſt*, inquit, *per quod ſit omne quod factum eſt, & cum ab eo ſint omnia, & tempus ab eo eſt*. Item *Auguſtinus* in hoc Euangelium: *Concede*, inquit, *non factum verbum, per quod facta ſunt omnia*. Indicat idem *Origenes*, admonens ex hoc loco *Valentinum* anſam arripuiſſe ut diceret, *Verbum eſſe quod mundane creationis præſtitit cauſam creatori*. Rurſum *Hilarius*, Sine ipſo factum eſt nihil: *Cum enim nihil ſine eo, intelligo non eſſe ſolum, quia alius eſt, per quem alius ſine quo non*. Sed quid opus eſt in re per ſe perſpicua, teſtimonia congerere? Primum hoc conſtat, cum ea principii ratione, quæ Patri peculiaris eſt, pugnat præpoſitio, ἀλλὰ, quæ tamen Filio congruit. Nec ideo non pugnat in genere, ſi paucis in locis abutimur hac præpoſitione, cum pugnet plerunque, & pugnet juxta nativam ac germanam ſignificationem. Poſtremo ut non pugnet aliquo modo, tamen juxta rationem ſermonis, quo propria tribuimus Perſonis divinis pugnat. Ex his ſatis opinor liquere, me non tam impie ſentire de principio Filii, quam interpretatur *Leus*. Verùm quoniam nos relegat ad alterum locum, ubi totis copiis hanc rem exagitat, præſtat ut quod ſupereſt hujus diſputationis eo differamus. Atqui hinc animadverte, lector, *Lei* noſtri civilitatem: ſi quid odioſius eſt nactus, id nuſquam non iterat, non ingerit, non inculcat: cum idem nuſquam collaudet, ac ne mentionem quidem faciat, ſi quid ex meis profecerit.

Gene. XXII.

AD LXXIII.

ANNOTARAM ex auctoritate *Chryſoſtomi*, quoſdam hæreticos ita diſtinguere, *Sine ipſo factum eſt nihil* atque hîc colo interjecto ſubjicere, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Id *Leus* non negat eſſe verum, nec negari poterat quod ſcripſit *Chryſoſtomus*: ſed negat eſſe hæreticos, quicunque ſic diſtinguunt. Nec hoc à me dictum eſt, verùm eſſe dixi hæreticos, qui ſic diſtinguunt, & quod diſtinguunt, in eum quem dixi ſenſum interpretantur: & tamen hunc locum *Leus* recenſet inter eos quos reliquerim incaſtigatos. Quid autem hîc à me corrigi volebat? An id volebat à me retractari quod non ſcripſeram?

AD LXXIV.

Digitized by Google

AD LXXIV.

Lod. HIC negat sibi notum esse locum, in quo divus *Hieronymus* rejicit quorundam commentum interpretantium, in his verbis, *Et sine ipso factum est nihil, nihil* significare peccatum. Atqui id mirum est accidere, assidue versanti in sacris Auctoribus, præsertim cum locus obscurus non sit, neque paucis verbis contextus. Est autem in Commentariis, quos scripsit in *Michea* Caput secundum. Jam locus, quem adducit adversum me, ex Commentariis quos divus *Hieronymus* scripsit in *Osee* Prophetam, non admodum mecum pugnat. Quis enim negat esse quod verum est, & nihil esse quod falsum est? Aut quis nescit, homines nihili dici nullius pretii? Et idolum *Paulo* dici *nihil*, quod nihil differat à reliquis lignis, quod ad religionem attinet. Sed quis audivit, ubi de rebus condendis fit mentio, aliquid esse conditum quod diceretur *nihil?* Et tamen *Leus* notat, nec hanc annotationem à me castigatam esse.

AD LXXV.

Lod. RURSUS *Leus* philosophatur in articulo Græco. Annotaram & illic articulum additum ἡ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς, quo intelligeretur *Christus* non quævis esse vita, sed vera illa & ineffabilis, quemadmodum *luci* additur articulus. Hîc rogat *Leus*, cur apud *Jacobum* legatur ἡ ζωὴ, addito item articulo, cum de vita mortali loquatur. Mox enim sequitur vapor ad modicum parens. Hoc quod *Leus* objicit, non magis ad me pertinet, quam ad *Chrysostomum*, ad *Cyrillum*, ad *Athanasium*, ad *Didymum*, quorum auctoritatem hac in parte sequor. Sed tamen ne nihil respondeatur *Leo*, quamquam articulus vere vim hanc obtinet, ut distinguat rem vulgarem à re insigni, veluti τὸ ἀγαθὸν, articulus distinguit à quovis vulgari bono: τὸ καλὸν, à quovis pulchro: τὸ πᾶν, hoc universum à quovis toto, non tamen hoc ita perpetuum est, quin aliis occasionibus articulus apponi possit ut tamen non idem efficiat, veluti cum demonstratur aliquid, cum repetitur cujus ante fuerit mentio, cum aliquis ab alio secernitur. Atque id esse in *Jacobi* sermone, facile deprehendet qui legerit attentius. Postremo non est opus hac distinctione, ubi res non postulat. Hîc quoniam de rebus divinis fit sermo, adhibenda erat distinctio.

AD LXXVI.

Cui nomen erat Joannes.

Lod. HIC quoniam tantum mecum litigat, non arbitratus sum operæ pretium respondere. Quod hîc *leviculum* vocat in interprete, aliàs in me facit ingens flagitium. Et sententiæ mutatæ meminit, quod ego certe non soleo, nisi cogant Exemplaria.

AD LXXVII.

Lod. ADMONUERAM, *fuit homo missus à Deo*, non esse simpliciter missus, sed ita missus, quemadmodum mittuntur legati cum mandatis: nam aliter mittitur Græcis Epistola. *Leus* objicit, quod in *Luca*, cum sit ἀπεσταλμένη, unde hoc participium est, ἀπεσταλμένος, tamen verterim *missus*: quasi non eodem modo verterim & hoc loco, aut quasi & Angelus non legatus fuerit ad Virginem cum mandatis. Hunc tamen locum recitat inter eos, quos non correxerim. Doceat quid velit corrigi. An illud, quod indicarim proprietatem Græcæ dictionis, cum illis & βάλλεσθαι, & πέμπεσθαι, & ἐπιστέλλεσθαι, & ὑποστέλλεσθαι dicatur quod mittitur?

AD LXXVIII.

Lod. ITERUM atque iterum visum est *Leo* philosophari in articulis Græcis, non satis versanti in suo campo. Annotaram ubi *Joannes* Euangelista negat Baptistam esse lucem, ddidisse Græcum articulum, οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, quod non simpliciter negaret *Joannem* esse lucem aliquam, cum idem alibi dicatur *lucerna ardens &*

A *lucens*, sed non esse veram illam lucem, de qua paulo ante meminerat. Idem autem esse factum in τῷ φωτὸς, id est, *de lumine*. Id ut refellat *Leus* adducit locum ex *Matthæi* Cap. v. ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Ac mox: λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν. Nimirum hîc cum non loquatur de vera luce, quæ est *Christus*, tamen additus est Græcus articulus. Quod si mihi liberet argutari, possem hanc culpam rejicere in interpretem *Matthæi*, quem *Leus* alicubi suggillat: possem causari Bibliographi culpa commissum: possem hujus causæ periculum ad eos rejicere, quorum auctoritatem sequor: quos an *Leus* sibi contemnendos putet, ipse viderit. At malo veris magisque seriis agere. Negari
B non potest, alicubi Græcis esse liberum, articulum vel addere, vel omittere: at rursus est, ubi non sit liberum. Finge hîc fuisse liberum, & interpretem, sive, quod magis reor, Euangelistam apposuisse articulum, an ideo non valet alibi vis articuli, ubi subest causa cur addendus sit, aut omittendus? Hîc apud *Matthæum* non agebatur de distinctione lucis æternæ, & lucis Apostolicæ, quamquam in Apostolis reluxit ipsa lux *Christi*: in *Joanne* hoc agebatur, ut distingueretur lux *Joannis* à luce *Christi*, quod à multis crederetur esse *Christus*, cum esset tantum præco *Christi*. Porro quod *Leus* rursum ingerit, nihil vetare quo minus & illic legamus, addito articulo, ἡ ὁ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, satis erat
C eum locum semel perperam adduxisse, in quo prorsus addi non potest articulus, nunc idem subinde inculcans denobilitat suam insciticm. Sed sane quam frigidum est quod addit: Si τὸ φῶς hîc significet veram lucem, quorsum attinebat addi ἀληθινον? Hoc argumentum simillimum est illi, quod superius adduxerat, si ὁ Θεὸς refertur ad Patrem, quid opus addere πατήρ? Postremo, in Indice refellit quod adjecimus in Editione posteriore, videlicet ne foret locus huic annotationi, quam magis arbitror me nunquam vidisse, vel hoc signo, quod nihil responderim. Refert autem *Leus* & hîc truncatim verba mea, nimirum hæc: *Habet & hoc articulus, ut referat rem de qua prius erat sermo: quod ideo adjecimus, quia apud* Matthæum, *ubi* Christus *vocat suos lucem mundi, & sal, utrobique additur articulus Græcus.* Hoc magnifice refellit *Leus*, gladium in tenebris
D adversum me ventilans, cum non intelligat quid dixerim. Siquidem sic ille argumentatur, quasi scripserim, apud *Matthæum* ideo apponi articulum, quod præcesserit mentio salis, aut luminis, cum ego loquutus sim de hoc loco *Joannis*, videlicet illud sentiens, ut etiamsi donemus non semper apponi Græcis articulum quoties veram lucem significare volunt, cum apponatur aliquoties ubi significetur lumen humanum, tamen & alia ratione hîc addendum fuisse articulum, quod repetatur *lumen*, cujus ante facta sit mentio: *Et vita erat lux, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quod adeo miror non vidisse *Leum*, cum in sermone meo sit ita
E perspicuum, ut magis esse non possit: nam inibi præcesserat in annotatione mea: *Aut sic accipe:* Non erat ille lumen, *de quo modo loquutus sum, cum dicerem* ut testaretur de lumine. *Habet enim & hoc articulus*, &c. Cum destinasset reprehendere nostra, debebat attentius inspicere, primum quid esset quod incessere vellet. Sibi quidvis ignoscit *Mevius* in opere pusillo, & tanto spatio temporis ad reprehendendum apparato: at hujusmodi lapsus non ignoscit mihi in tam vasto opere, eoque non ad reprehendendum, sed ad docendum parato. Jam si libeat, possem & alia ratione defendere, apud *Matthæum* articulum non temere esse additum, idque duplici nomine. Primum, quod non quivis terræ sal, neque quævis lux mundi significetur, sed sal Euangelicæ sapientiæ,
F & lux Euangelicæ doctrinæ. Hæc velut eximia designavit articulus, ut sunt, si conferantur ad salem ac lucem vulgarem. Deinde, quod cum totus sermo, qui præcessit ibidem, summam cœlestis philosophiæ ceu salem ac lucem proposuisset, longe lateque dissidentem à tenebris stultitiaque philosophiæ mundanæ, mox adhortans Apostolos ut hanc lucem circumferrent per universum orbem subjecit: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.*

Digitized by Google

Vos exhibetis orbi ſalem ac lucem hujus doctrinæ, quam vobis impartio.

AD LXXIX.

Eod. ANNOTARAM in his verbis Euangeliſtæ, *Qui poſt me venit ante me factus eſt*, participium, ἐρχόμενον, cum ſit anceps ad utrumque tempus, poſſe tamen reddi per verbum præteriti temporis, propterea quod adhæreat verbo præteriti temporis, γέγονεν. Nam participia Græca præſentis temporis hac occaſione fiunt aliquando præteriti temporis. Præterea, quod *factus eſt*, pro eo dictum eſt quod erat, cœpit eſſe prior, hoc eſt, celebrior, *quia prior me erat:* cœpit enim id videri hominibus, quod & ante fuit, licet hominibus adhuc incognitus. Hujus interpretationis cum *Cyrillum* citem auctorem, addo *Chryſoſtomum* altiora quædam maluiſſe ſectari: hîc primum *Leus* in hoc à me diſſidet, quod ex *Chryſoſtomo* colligat, illum legiſſe per verbum futuri temporis. Mihi contra videtur, aut *Chryſoſtomo* nihil referre utrum legatur verbum præſentis temporis an futuri, aut ἐρχόμενον, accepiſſe in ſignificatione præſentis temporis: quod palam eſt ex his verbis: *Nam ſi de generatione*, inquit, *dixiſſet, non præſenti, ſed præterito uſus eſſet tempore. Natus namque erat* Chriſtus, *cum ita loquutus eſt* Joannes: hæc *Chryſoſtomus.* Neque enim eſt alia ratio verbi ἔρχεσθαι, quo uſus eſt *Matthæus*, & participii ἐρχόμενος, quo hîc uſus eſt *Joannes.* Atque in verbis ſane *Matthæi* non poteſt intelligi *Chriſtus* ſerius quam *Joannes* natus: at hîc nihil vetat, etiamſi hoc, ut ingenue dicam, non multum ad hujus loci ſenſum attinet. Porro quod adjeceram, *Chryſoſtomum* maluiſſe ſublimiora ſectari, cum ad eundem modum interpretetur, ad quem nos interpretamur, ſuſpicor illud in cauſa fuiſſe, quod quædam admiſcet, ut mihi videtur, adverſus *Arrianos*, philoſophans in illo verbo, γέγονεν, quod utrumque ſignificat Græcis, *fuit*, ſive *factus eſt*, quæ tamen ita reddita ſunt ab interprete *Chryſoſtomi*, ut aut depravata videri poſſint à ſcribis, aut non fuiſſe intellecta ab eo qui vertit: & tamen hîc nihil erat periculi, cum hæc adſcripſerim in priore Editione. Atque hæc quidem ita velim accipiat lector, velut ab admonente dicta, non tanquam à dogmatis auctore.

AD LXXX.

Eod. ADMONUERAM, quod interpres male Latine reddidit, *quia non ſum ego Chriſtus*, bifariam potuiſſe verti Latine, nec tamen inſector interpretem. Atque hîc tamen *Leus* mecum delitigat, quod ſi faciet quoties muto ſermonem interpretis, nuſquam deerit occaſio litigandi. Suſceperam hoc, ut quoad fieri poſſet redderem Novum Teſtamentum Latinum, incolumi tamen ſimplicitate ſermonis Apoſtolici, & indignatur mihi *Leus*, ſi citra ſuggillationem interpretis muto manifeſtum ſolœciſmum.

AD LXXXI.

Joan. 11. QUOD interpres reddidit juxta Græci ſermonis idioma, *Quid mihi & tibi*, demonſtro Latine dicendum, *quid mihi tecum*? Id cum faciam citra ſuggillationem interpretis, tamen hîc quoque deſtomachatur in me *Leus*: *Bella*, inquit, *conditio interpretis, ſi Latine interpretatur, accuſatur non explicaſſe Græca: ſi Græce reddit, hoc vitio datur, non ſatisfeciſſe Latinis auribus. Æquior eſt in interpretem* Hieronymus. Hactenus *Leus.* Imo bella conditio *Eraſmi*, ſi convitiis inceſſitur, ſicubi monet lectorem, interpretem non ſatis explicuiſſe quod exprimit ſermo Græcus, aut ſi commonſtrat, ſermonis Latini vitium quomodo corrigi potuerit, ubi interpres parum Latine reddidit. Si utrumque recte facio, cur objurgor? ſin ſecus quin magis refellor? Quam æquus ſit *Hieronymus* in interpretem, multis argumentis doceri poteſt, qui verſionem hujus non raro taxat, & aliquoties Latinam ſimplicitatem appellat: & tamen ego ſum ipſo etiam *Hieronymo* æquior in hunc, qui nihil demutem ex ejus translatione. Poſtremo, cur exigit à me *Leus*, ne quid faciam præter exemplum *Hieronymi*, cum non ſit utriuſque ſimile inſtitutum? Ille correxit quod legeretur in Templis apud idiotas: ego ſcribo quod privatim legatur in cubiculis à doctis, quibus ipſis liberum eſt non legere.

AD LXXXII.

QUOD *ipſe noſſet omnes*, quemadmodum nobiſcum legit *Auguſtinus*, admonueram in Græcis codicibus haberi τὰ πάντα, id eſt, *omnia*, cum *Leus* in Exemplari meo reperiat πάντας. Hinc quid aliud colligi poteſt, quam in poſterioribus Exemplaribus reperiſſe me πάντας, atque id maluiſſe ſequi, quod cum noſtra lectione congrueret? Ad ſenſum certe nihil reficit utrum legas. Eod.

AD LXXXIII.

ANNOTARAM duobus verbis, quod nos vulgo legimus: *Niſi quis renatus fuerit*, apud Græcos conſtanter eſſe γεννηθῇ, hoc eſt, *natus*, ac Græce lectioni ſuffragari vetuſtiſſimos & optimæ fidei codices Latinos. At hîc objicit mihi *Chryſoſtomum* Latine loquentem, id quod ille crebro facit, ſed ridicule: quanquam ex hujus interpretatione plane liquet, *Chryſoſtomum* Græce legiſſe, quemadmodum nos legendum eſſe monemus. Cum enim Homilia XXIV. docuiſſet, ἄνωθεν, bifariam exponi, *è cœlo*, aut *iterum:* Homilia proxima proſequitur modum generationis cœleſtis. Nec me movet quod interpres Latinus conſtanter habet, *renaſci* & *renatus*, pro *natus* & *naſci.* Quod ſi maxime *Chryſoſtomus* Græce legiſſet, *renaſci*, quid aliud intelligi poſſet, quam illum ex ſuperiore loco repetiſſe ἄνωθεν; Certe *Theophylactus*, qui non ſolet à *Chryſoſtomo* diſcrepare, legit & interpretatur, quod nos indicavimus. Joan. III.

AD LXXXIV.

QUOD eſt apud *Joannem*, *filius hominis qui eſt in cœlo*, ſubindico Græcum participium ὁ ὤν, quoniam adhæret participio & verbo præteriti temporis, verti potuiſſe per verbum præteriti imperfecti temporis: nec tamen muto quicquam ex vulgata lectione, etiam in Editione utraque: & hîc quoque *Leus* velut in re periculoſa mecum delitigat, *Et poſtquam deſcendit*, inquit, *jam verſatus in terra, nunquid tum etiam erat in cœlo?* quaſi ego hoc aut ſenſerim, aut dixerim. Qui dicit Filium Dei deſcendiſſe de cœlo, num continuo negat illum eſſe in cœlo? Deinde docet nos ex auctoritate *Chryſoſtomi*, quod Filius hominis dicitur eſſe in cœlo, cum corpore tum verſaretur in terris, id licere propter communionem idiomatum, quemadmodum ex adverſo, Filius Dei dicitur paſſus aut mortuus. Quaſi vero quiſquam iſtud neſciat, qui vel limen ſit ingreſſus Theologiæ. Eod.

AD LXXXV.

IN priore voluminis Editione ſubmonueram, in codice, quo primum ſum uſus, ſcriptum fuiſſe, μένει, id eſt, *manebit:* & tamen in contextu, poſt aliud Exemplar nactus, in quo reperi μένει, id eſt, *manet*, id malui ſequi, quod cum noſtra lectione congrueret, præſertim cum ad ſenſum nihil referret. Et tamen in poſteriore Editione non diſſimulavimus duplicem lectionem, & utram magis probaremus indicavimus. Adjecimus enim, *quanquam accentu mutato erit*, manet: *atque ita legitur in nonnullis Exemplaribus, ac mea quidem ſententia rectius. Fides aufert peccatum, infidelitas relinquit peccatum, manet autem quod non tollitur.* Et tamen *Leus* hunc locum recenſet in catalogo *manentium.* Sic enim viſum eſt illi inſcribere. Si contextus & verſio in utraque Editione bene habebat, & ſi in Annotatione poſterioris Editionis nihil eſt quod reprehendatur, quanquam nec in prioris Editionis commentariolo quicquam erat, quid eſt quod hîc volebat mutatum *Leus*? Eod.

AD

Digitized by Google

AD LXXXVI.

Joan. IV. CUM instituissem Novum Testamentum, quantum liceret à solœcismis purgare, ostendo quod interpres συγχρῶνται vertit *coutuntur*, non satis Latine redditum esse. *Quis*, inquam, *unquam dixit* couti, *aut quis intellecturus sit*, couti *esse commercium & mutuam vitæ consuetudinem*? *Nam & Latinis* usus *familiaritatem significat: &* utimur *his quibuscum habemus consuetudinem*. Cum autem rogo, *quis unquam dixit couti*, nimirum de his sentiens qui Latine loquuntur, *Leus* homo prudens mihi in os objicit *Chrysostomum* Latine loquentem aliena lingua, & *Hieronymum* abutentem vulgata Editione. At quis istuc nesciebat? Quoties ipse dixi *couti*, recitans hoc Euangelium? O præclaras annotationes, planeque dignas quæ numerentur. Et tamen hoc quoque *Leus* notat inter ea, quæ homo impudens non veritus sim relinquere.

AD LXXXVII.

Joan. V. IN hoc quod legitur apud *Joannem*, *qui prior descendisset in piscinam*, admonueram nec apud Græcos, nec in vetustis Latinorum codicibus, reperiri, *in piscinam*, quod tamen paulo ante præcesserat, cum narrat Angelum descendere solitum in piscinam. Hîc duplici nomine mecum jurgatur *Leus*. Primum, quod per oblivionem relicta sint Latina vulgatæ lectionis, quæ supersunt à Græcis: deinde quod suspicari non oportuerit, interpretem additurum fuisse, *in piscinam*, nisi codex, quo tum utebatur, sic scriptum habuisset, cum ego non id suspicer de interprete tam religioso, quin potius aio, mihi videri hoc esse additum ab alio quopiam, qui voluerit, repetito quod præcesserat, rem explanatiorem facere, præsertim cum in codicibus emendatioribus Latinis non habeatur. Verùm hîc placatus est *Leus*, quod in posteriore Editione sustulerim, *in piscinam*, videlicet ab illo monitus, quasi non idem melius potuisset admonere famulus, Græci sermonis aliquanto doctior quam nunc est *Leus*. Cæterum hîc probat quod alias improbat. Etenim si recte addidit interpres, à me male sublatum est. Possem hic vicissim de *Leo* queri, qui secus adduxerit locum quem carpit, quam à me positus fuerit. Nam ille citat, *descendit in piscinam*, quæ prior est pars de Angelo loquens, ubi non nego addendum, *piscinam*, cum ipse scripserim, *descendisset*, posteriorem partem notans.

AD LXXXVIII.

Joan. VII. QUOD est apud *Joannem*, ἐν παῤῥησίᾳ, & interpres reddidit *in palam*, admoneo juxta proprietatem Græcæ vocis magis sonare, *in libertate esse*, hoc est, libere & audacter loqui. Atque hæc duobus verbis duntaxat admoneo in commentariolis annotationum, in contextu lego, *palam esse*, quod viderem interpretem sensum bene reddidisse, licet à Græca voce deflexerit. Nam qui palam loquitur, sibi fidit, & audacter intrepideque loquitur, nec veretur hominum judicium, sibi bene conscius. Hîc cum nihil à me sit admissum, nisi quod indicavi Græcæ vocis proprietatem, (nec enim aliud sonat παῤῥησία, quam periculosam loquendi libertatem, nec aliud παῤῥησιάζεσθαι, quam libere loqui) tamen *Leus* mihi rixam movet, negans consistere quod annoto: *Quæ*, inquit, *sermonis consequentia*? Nemo in occulto quid facit, & quærit libere loqui? *Volebant Apostoli ut fama de eo spargeretur. Videant, inquiunt, discipuli tui opera tua. Et consequenter: Postquam dixerunt*, nemo in occulto quid facit, & quærit in palam esse: manifesta, *inquiunt*, te ipsum mundo. *Ita volebant eum palam esse, ut mundo manifestaretur. Quare* Chrysostomus *dicit hæc verba*, in palam esse, *vanæ gloriæ suspicionem habere*. Hactenus *Leus*. An non manifestat se mundo, qui libere palamque loquitur? An qui ad id hortantur, carent vanæ gloriæ suspicione? An non qui occulto facit aliquid, pugnat cum eo qui cupit palam ac libere loqui? Nam metuere videtur, qui clam facit aut loquitur: audet, qui palam loquitur, nec famæ judicium metuit. Atque in Indice suo partim mihi placatus est *Leus*, partim adhuc indignatur. Placatus est quod in Editione posteriore fatear mihi videri *Chrysostomum* sic accipere, ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι quasi diceres, *celebrem esse*, nondum tamen ignoscit quod maneat eadem interpretatio. Atqui, ut dictum est, in contextu non interpretor, *libere loqui*. In annotatione recte docui Græcæ vocis proprietatem, etiamsi fatear & alibi, Apostolos hac voce Græca semel atque iterum abusos: sed iidem compluribus in locis apte proprieque utuntur. An mihi non licebit proprietatem indicare in scholiis, sicubi secus usurpant Apostoli? Atque in hoc ipso Capite semel atque iterum repetitur ἐν παῤῥησίᾳ pulchre congruens ad nostram annotationem.

AD LXXXIX.

ADJECERAM in posteriore Editione quod legitur, *Non enim volebat in Judæam ire*, consentientibus Græcorum Exemplaribus apud unum *Chrysostomum* reperiri diversam lectionem, ex unius Græci verbi mutatione, qui pro ἤθελεν legisse videatur εἶχεν. Hujus rei cur meminerit *Leus* non video, nisi forte videri vult hoc ipsius monitu factum esse. Atqui si id esset factum, haudquaquam dissimulasset homo tam gloriæ suæ parcus, quam vix fuit rei *Plautinus Euclio*. Eod.

AD XC.

QUONIAM Græca Lingua multis in rebus felicior est nostra, optaram ut quemadmodum Græci recte dicunt μεσεῖν, cujus dimidium est peractum, sive quod est in medio cursu, ita nobis quoque liceret dicere, *mediare*. Id quoniam aures Latinæ non patiuntur, ostendo quomodo quod Græca vox sentit, Latini sermonis periphrasi possit exprimi: nihil etiam incessens interpretem. Atque hîc quoque *Leus* mihi jurgium movet: *Si reddidisset*, inquit, *Latine, jam patuisset alteri calumniæ, Latine reddidit, at non reddidit Græce*, ita me flagellat *Leus*. Quid faciam isti jurgatori tam morosо? Quando unquam carpsimus interpretem, quod vocem Græcam, quæ Latine reddi non poterat unica voce, periphrasi expresserit? certe aliquoties laudo. Mox adjicit *Leus*: *Interpres* Chrysostomi *legit*, mediante. Quid hoc mea refert? quasi non eodem modo legat *Augustinus*. An mihi non licebit in libro, qui privatim doctis legitur, tollere solœcismum, si quis alius maluit uti vetere forma in solenni publicaque lectione, quod & ipsi facimus? Et hunc locum recenset *Leus* inter ea quæ homo perfrictæ frontis ausus sim ut erat relinquere cum magno fidei Christianæ periculo. Eod.

AD XCI.

PRO eo quod nos legimus *Joan.* Cap. VII. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, admonui in Græcis codicibus constanter haberi: *Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, & ad hunc modum *Theophylactum Bulgariensem* Episcopum, non legere solum, verum etiam interpretari: exponit enim, *nondum erat*, id est, *nondum datus erat*. Præcedit enim: *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes*. Et perinde quasi rogasset aliquis, cur dicis accepturi? Respondet, adhuc carent illo Spiritu, quem post accepturi sunt. *Non erat* igitur *Spiritus*, non quod simpliciter non esset, sed quod in credentibus nondum esset. Hîc *Leus* objicit mihi *Origenem* versum Latine, quamquam ex hoc testimonio, quod adducit, non convincit *Origenem*, aut quisquis fuit alius ejus operis auctor, legisse *Spiritum datum*. Ait enim hunc in modum: *Neque enim venerat super aliquem ipsorum credentium in* Jesum *Spiritus Sanctus, sicut testatur* Joannes. Vides, quod pro *datus*, posuerit, *sanctus*, nec dati ulla mentio. Certe *Theophylactus* & Eod.

Digitized by Google

legit & interpretatur quod nos indicavimus. Hîc in Indice *Leus* adscribit, me fateri sic haberi apud *Chrysostomum*, ut ipse citat. Imo contra dictum est, ex interpretatione *Chrysostomi* non liquere quid legerit, imo potius colligi legisse eum, quemadmodum Græci legunt. Illud fateor, ab interprete constanter additum esse, *datus*. Atque idem fateor esse scriptum in antiquis Latinorum codicibus. Nec mirum est, cum idem valeat, *nondum erat Spiritus*, quod *nondum erat datus*, si nostri maluerunt dilucidius loqui.

AD XCII.

Joan. VIII. TANDEM redimus ad *principium*: de quo *Leus* mecum sine fine litigat. Cum mihi non satisfaceret, quod in hunc locum adducit *Augustinus*, quasi *Christus* rogatus quis esset, respondisset, se esse *principium*, præsertim cum hunc sensum non attingat *Chrysostomus*, vir & Græcus, & apprime doctus, inter cæteras conjecturas & hanc adduxeram in Editione priore, quod in *Christum* non competat absoluta *principii* appellatio, cum proprietas Filii sit esse ab alio. Hîc *Leus*, ut putat, medium tenet *Erasmum*. Primum deridet crassissimam inscitiam meam, qui scripserim, *proprium esse Filii, esse ab alio*, cum hoc sit illi commune cum Spiritu Sancto. Quid ego audio? An ideo risibilem esse non dicetur proprium *Joanni*, quod sit illi cum *Petro* commune? Atqui cum dicimus, risibilem esse, proprium est *Joanni*, non secernimus illum à cæteris hominibus, sed à cæteris animantibus. Sed ut *Joanni*, quatenus est homo, proprium est esse risibilem: ita Filio quatenus est Filius, proprium est esse ab alio, non quod Spiritus Sanctus non sit ab alio, sed quod Filio non commune sit hoc cum Patre, ad quem illum confero. Quid huc adducam *Porphyrium* auctorem, qui nos doceat, variis rationibus aliquid dici proprium, & hoc maxime proprium esse, quod ita convenit alicui, ut in neminem alterum competat? Sed præstat, opinor, quando de rebus sacris agimus, sacrorum uti testimoniis. *Cyrillus* in Libro, cui titulus est *Thesaurus*, scribit hunc in modum: *Omnia quæ Patris sunt propria, naturaliter sunt propria & Filii.* Ea *Cyrilli* verba divus *Thomas* enarrans in Libro quem scripsit *adversus errores Græcorum*: *Patet*, inquit, *ex præmissis à* Cyrillo, *quod loquitur de essentialibus attributis. Hæc autem dicuntur esse propria Patri, non in respectu ad Filium, neque Filio in respectu ad Patrem, sed utrique in respectu ad creaturam, quia proprium hîc dicitur, non quod convenit uni soli, sed quod proprie & vere alicui secundum se convenit.* Vides, lector, quam nihil sit quod hîc argutabatur *Leus*, qui tam indigne fert esse *Lovanii*, qui polliceantur se doctores illi futuros in re dialectica. Nunc magis metuo ne non sint, qui dignentur illum discipulorum suorum catalogo. At jam operæ pretium est audire, quibus argumentis oppugnet, quod negaverim absolutam *principii* appellationem competere in Filium: *Si damus*, inquit, *Filium non esse absolute principium, sequetur quod est omnium absurdissimum, non esse absolute Deum, cum sit Deus de Deo: Quod si sit Deus de Deo, & nihilominus absolute Deus, cur non sit similiter principium de principio, & tamen absolute, hoc est, simpliciter principium.* Ac mox objicit mihi, quod in familiari colloquio fortasse respondi, non eandem esse rationem hujus vocis, *Dei*, & *principii*, quod altera sit absoluta, altera relativa. Id refellit his modis: *Si accipias*, inquit, *absolute, ut significet simpliciter, vis relativa nihil impedit, ut dicatur absolute principium, id est simpliciter, cum nec in aliis relationibus impediat quin dicantur de Deo simpliciter. Non negabis puto Verbum esse simpliciter Dominum, ac creatorem. Sin absolute capias, ut distinguatur contra relative, sic nec Pater est principium absolute. Sic etiam nihil dixeris ad hunc locum. Proinde reliquum fuerit, ut negaveris Verbum simpliciter esse principium, itaque consequenter simpliciter esse Deum. Id quod parum abest, ut dicas alio loco, ut postea indicabimus. Si sic gradus ponemus, ut Pater sit simpliciter Deus & principium, quia à nullo: Filius simpliciter, quia ab alio, id est, à Patre, jam Spiritus Sanctus plus aberit adhuc, ut simpliciter sit Deus aut principium, quia à duobus est, hoc est, à Patre & Filio: sicque nescio, quantum absumus ab hæresi Arriana.* Audivimus argumentationis virulentiam, nunc audiamus stoliditatem. *Leus* colligit, nos minimum abesse ab hæresi *Arriana*, at ego vereor ne multo minus absimus à stultitia *Corœbi*. Quam enim hæc nihil habeant affinitatis cum *Arrianorum* dogmate, res ipsa mox docebit: *Si Filius non est*, inquit, *absolute principium, non erit absolute Deus.* Quid hoc aliud est quam si dicas, *Joannes* non est absolute doctus, cum sit ignarus Juris Cæsarei, igitur non est absolute homo, quandoquidem *Joannes*, de quo loquimur, idem est homo. Aut *Petrus* non est absolute præfectus, cum ipse subsit aliis præfectis, igitur non est absolute homo. Aut non est absolute victor, qui cum aliquot vicerit, ab aliis tamen sit victus, igitur non est absolute homo. Non est absolute primus, qui in sua tantum classe primus sit, igitur non est absolute homo. Aut non est absolute albus, cum aliqua parte sit ater, igitur non est absolute homo. Cæterum quemadmodum consequitur: *Joannes* habet priorem se, igitur non est absolute primus: ita consequitur, Verbum est ab alio principio, igitur non est absolute principium. Sed docet *Leus*, non obstare vim relativam argumentans à simili multum dissimili. Dominus & creator nomina sunt ad aliquid, quemadmodum principium, & tamen Filius dicitur absolute Dominus & creator. Neque enim nos diximus, quamvis vim relativam obstare, sed hanc peculiarem, quæ est in voce principii. Nam principii ratio sic refertur ad eum qui est ab alio, ut reciproca relatio tollatur. Quemadmodum *primus* dicitur, respectu sequentium, ita sequentes ad hunc *primi* dici non possunt. Quod si talibus relativis addas adverbium *absolute*, quisquis absolute primus erit, solus erit primus, ut quisquis absolute princeps est, solus dicitur hoc modo princeps. Atque hæc peculiaris vis relativi nominis non obstat, quo minus Filius dicatur absolute Dominus, aut creator, cum hoc respectu non inter se conferantur personæ, sed tantum ad res conditas. Nam Filius & Spiritus Sanctus, quod uterque dicitur Dominus, aut creator, in hoc prorsus ex æquo communicant cum Patre, nisi forte illud interest, quod ut Filius, aut Spiritus Sanctus dicatur Dominus, aut creator, hoc ipsum habent à Patre: nec ideo tamen non est absolute Dominus, aut creator, cum tota ratio hujus appellationis simpliciter congruat his quemadmodum Patri. At in ratione principii duplex est collatio, altera qua personæ simul referuntur ad res conditas, altera qua inter se conferuntur. A tribus pariter sunt omnia creata, sed Persona rursus est à Persona: unde fit, ut non possit absolute dici principium, nisi quæ sic producit alias, ut ipsa à nulla sit. Nec ideo Filius dici potest absolute principium, quod sit conditor omnium rerum conditarum, cum supersit aliqua ratio principii, qua non possit dici principium. Jam quod colligit *Leus*, velut abominandum fore, ut ad hanc rationem Spiritus Sanctus multo longius absit ab hoc, ut dicatur absolute principium, quis non videt esse verum? Nam cum Spiritus Sanctus non habeat nisi unicam principii rationem, qua refertur ad res conditas, Filius etiam Spiritus Sancti principium sit, nimirum Spiritus Sanctus bis abest à summa illa & perfectissima ratione principii, quæ Patri soli competit. Nec ideo tamen plus abest, ut sit simpliciter Deus. Nec interim video quorsum attinebat, ut *Leus* alterum illud cornu suo allueret syllogismo: *Si absolute*, inquit, *vocas principium, quod citra respectum dicitur principium.* Quis enim tam insanus, ut quod per se relativum est, dicat esse sine respectu?

His ad hunc modum dissertis pergit philosophari *Leus*: *Aliam*, inquit, *fidem invenio apud sanctos.* Chrysostomus *Cap.* 1. *in* Joannem, *cum dicit*, inquit, *Evangelista*, hoc erat in principio apud Deum, *suadet ut Filium*

Digitized by Google

lium ſine principio intelligas. Hæc *Chryſoſtomus.* Nunc attende lector, ut perſpicias acumen *Leicum.* Vide quid ex his *Chryſoſtomi* verbis ratiocinetur acutulus iſte, quem plerique fautores jactitant eſſe mirum *Scotiſtam*, atque in hac parte longe vinci me, licet eloquentia ſuperiorem. *Si ſit*, inquit, *principium ſine principio, certe eſt abſolute principium.* Hîc quid ſenſerit *Leus* neſcio. Certe ſermo prorſus hæreſim ſapit. Cum enim hîc tota hac diſputatione agamus de principio originis, impium ſit dicere Filium eſſe principium ſine principio. Si hæreticum eſt negare, quod Filius ſit à Patre, Deus de Deo: hæreticum ſit oportet, eundem dicere principium abſque principio. Sin intelligit de principio durationis, quod vocant, ut ſenſus ſit, Verbum Dei non cœpiſſe eſſe in tempore, quid hæc faciunt ad præſentem diſputationem? An ideo Filius non habet principium originis, quia non habet principium temporis? Et an ideo dicetur abſolute principium, quia caret una, eaque aliena ab hoc ſermone ratione principii? Æque perverſe interpretatur *Leus*, quod ſcripſit *Hieronymus* in Pſalmum cix. *Pater principium. Sed & Filius principium. Principium enim non habet principium. Si enim habuerit principium, jam ipſum deſinit eſſe principium. Quicquid ergo Patri damus, damus & Filio. Si enim Pater in Filio, & Filius in Patre, & omnia Patris filii ſunt, & omnia Filii Patris ſunt, & principium Patri, principium Filii eſt.* Hæc ſi *Leus* intelligit, ut adverſum me faciant, prorſus hæreticum ſenſum ſequitur. Sin accipit in eum ſenſum, in quem ſcripſit *Hieronymus*, non magis contra me faciunt, quam ſi quis dicat, Regem *Carolum* hoc anno non eſſe natum. Nunc eligat *Leus*, utrum malit hæreſeos, an ſtultitiæ condemnari. Agit illic *Hieronymus* de rebus ex tempore conditis. Sed ſi is, per quem condita ſunt omnia, jam erat antequam conderentur, ſequitur æternum fuiſſe. Nam ſi is, unde originem habet ipſum tempus, cœpiſſet eſſe in tempore, non poſſet eſſe principium, hoc eſt, conditor, ſed eſſet creatura. Ad eum ſenſum accipiendum quod adjicit: *principium Patris, principium Filii eſt.* Quomodo dicitur *principium Patris*, qui à nullo eſt: & quomodo hîc tribuit Filio principium, quem mox negarit habere principium? Niſi quod illic agebat de principio durationis, ſive paſſivo, quantum ad res creatas: hîc de principio activo, quando verbis Scholaſticis utendum eſt, ſive mavis de principio æternitatis. Senſit illic non poſſe creatorem eſſe, qui creatus ſit: hîc ſenſit creationem fuiſſe Filio cum Patre communem, qui eum habet & æternitatem eandem. Addit *Leus*, *Idem* Auguſtinus *contra* Maximinum *hæreticum.* Quæſo quid ibi dicit *Auguſtinus*? An idem quod modo nobis interpretatus eſt *Leus*, Filium eſſe principium ſine principio, & ideo abſolute principium? Nunquam ſic inſaniit *Auguſtinus.* Cur autem *Leus* non aſcribit locum? Nam is, ni fallor, eſt apud *Auguſtinum* libro III. Cap. XVII. *Quid eſt*, inquit, in principio erat verbum, *niſi in Patre erat Filius? Et ipſe Filius interrogatus à* Judæis, *quis eſſet, reſpondit*, principium, qui & loquor vobis. *Pater ergo principium non de principio, Filius principium de principio.* An ex his verbis ratiocinatur *Leus*, Filium eſſe abſolute principium? Imo cum *Auguſtinus* dicit Filium *principium de principio*, palam fatetur eum non eſſe abſolute principium, ſed id cognominis tantum congruere Patri, qui ſit principium ſine principio. Pergit *Leus*, *Et* Origenes *in principio commentariorum in Geneſim.* Quæſo quid illic dicit *Origenes*, Filium eſſe principium abſque principio originis, aut Filium eſſe abſolute principium? Vide, lector, quos fumos hîc offundit nobis, ſi tam ſtupidi ſimus, quam ille putat. *Origenis* verba ſubſcribam, quæ ille ſuppreſſit ne deprehenderetur: *Quod eſt omnium principium, niſi Dominus noſter & Salvator omnium* Chriſtus Jeſus, *primogenitus omnis creaturæ. In hoc ergo principio, hoc eſt, in verbo ſuo Deus cœlum & terram fecit.* Ac paulo poſt, *Non ergo hîc temporale aliquod principium dicit, ſed* in principio, *id eſt, in Salvatore factum eſſe dicit cœlum & terram?* Non excutio nunc, an probem quod *Origenes* fortaſſis ex ambiguitate vocis Hebraicæ, *in principio* interpretetur, *in Filio*: Certe palam oſtendit ſe loqui de ratione principii reſpicientis res conditas, cum addit, *primogenitus omnis creaturæ*, ſic Filius eſt principium omnium. Sed idem principium cum Patre & Spiritu Sancto. An hinc ſequitur quod intendit *Leus*? Filius eſt principium omnium rerum creatarum, igitur eſt abſolute principium? Profecto non magis, quam ſi dicas, Hic eſt ſummus Pontifex *Britanniæ*, eſt igitur abſolute ſummus Pontifex. Aut eſt Imperator *Germaniæ*, igitur abſolute Imperator. Atque hæc omnia cum prorſus ſine mente dicta ſint *Leo*, vide tamen quam magnifice perorat, quaſi re præclare geſta: *Et cur*, inquit, *facimus tam inſignem injuriam Verbo, ut nihil ſit abſolute, quia omnia habet à Patre, cum in creaturis Verbi non tollatur abſoluta appellatio naturæ quæ participant cum filiis, cum pater nihilominus ſit abſolute homo.* Quid loquitur os impudens? Quis unquam negavit Filium quicquam dici abſolute, quod quicquid haberet, haberet à Patre? Bella vero collatio de patre & filio, quorum uterque ex æquo dicatur homo. At *Abel* non opinor abſolute dixeris principium humani generis, quemadmodum *Adam*, à quo ſic propagati ſunt omnes homines, ut ipſe à nullo ſit homine.

Sed *Leus* proſequitur argumentationem ſuam ad hunc modum: *Et Verbum ſi non ſit abſolute æternum, non eſt æternum, quod ſi ſit abſolute æternum, erit abſolute principium.* Quis hoc concedat *Leo* quod aſſumit, videlicet nixus illi fundamento quod ipſe ſibi ſubſtravit, non eſſe abſolute, quicquid eſt ab alio, cum Romanus Pontifex ad homines collatus, ſit abſolute ſummus Pontifex, & tamen ut ſummus ſit, habet ab alio, nimirum à *Chriſto?* Quis igitur facit hanc injuriam Verbo, niſi *Lei* interpretatio. Et non pudet talibus convitiis impetere proximum in negotio quod non intelligit? Jam quod addit *Leus*, non video quorſum pertineat: *Inſuſurrabit*, inquit, *forte aliquis Patrem eſſe principium Deitatis. Eſto*, *ſic dicit* Auguſtinus. *Sed quod dicit ſane intelligit, etiamſi* Chryſoſtomus & Hieronymus *ægre hanc loquutionem admittant, ne hanc anſam utcunque præbeant* Arrianis. *Sed ſatis ſanum eſt, ſi ſane intelligas. Cæterum cave credas Filio quicquam eſſe commune cum appellatione hujus principii. Nam plane Filius hoc modo principium nec ſimpliciter, nec non ſimpliciter.* Hæc *Leus* noſter. Si *Auguſtinus* dixit ſolum Patrem eſſe principium totius Deitatis, utrum hoc pro me facit, an contra me? Deinde quam anſam hinc arripere poſſint *Arriani?* An ut dicant, ideo Filium eſſe minorem Patre, quod ſit ab illo? At Filium eſſe à Patre, orthodoxorum nemo negat: an quod hinc conſequitur Patrem eſſe ſibi principium? Et hoc ſi recte accipiatur verum eſt. Nam hactenus ſibi principium eſt, quod ex ſeſe ſit, & non ab alio. Sed quid hoc vel ad me, vel ad *Arrium?* Ad hæc quid ſibi vult quod ait *Leus*, *ſatis ſanum eſt, ſi ſane intelligas.* Nam mihi hæc loquitur. An uſquam hæc ſecus interpretatus ſum, quam ſenſit *Auguſtinus?* præterea quorſum illa ſpectant, *cave credas Filio quicquam eſſe commune cum appellatione hujus principii.* An unquam Filio tribui principii rationem maxime propriam maximeque perfectam & abſolutam, quæ ſoli Patri convenit? Jam quod ſequitur in *Lei* verbis, eget commodo interprete, quod aſſeverat Filium neque ſimpliciter, neque non ſimpliciter eſſe principium Divinitatis. An Filius non eſt principium Deitatis Spiritûi Sancto? Sed addere debebat *Leus*, quod additur ab *Auguſtino*, *totius Deitatis.* Atque hoc modo ſolus Pater dicitur principium. Verùm hæc cum fatetur *Leus*, nonne pedibus diſcedit in meam ſententiam, quam hactenus tot verbis & tam odioſis impugnavit? Si Pater aliqua ratione principium eſt, qua Filius & Spiritus Sanctus non eſt, & ſi Filius nulla ratione principium dicitur, qua non dicatur & Pater, nimirum fatetur ſolum Patrem abſolute dici principium. Sed hujus diſputationis coronidem non dubito quin adjecerit *Leus* admonitus à quodam rei Theologicæ

gicæ peritiore, qua tacite recantat, quod ante perperam ſcripſerat, rectiuſ facturus, ſi ſpongia totum locum emendaſſet. Jam eodem afflatus ſpiritu, quod hîc attigit, tractat aliquanto explanatius in Indice, quo recenſet ea quæ moderatus ſim in poſteriore Editione, commemorans quo ſenſu dixerim, ſolum Patrem abſolute principium, cum Filius non dicatur principium, niſi cum additione, Pater abſolute modis omnibus dicitur principium, quatenus principii ratio applicatur Perſonis divinis. Id cum *Leo* coram frequenter explicuiſſem, quid opus erat hac diſputatione, cum fateatur ſe mecum ſentire? *In quo*, inquiens, *nec nos repugnamus*, & tamen adjicit: *Sed an ſatis ſit ut concludas Verbum non eſſe abſolute principium, viderit doctus lector.* Si concedit abſolute dici principium, in quem omnis principii ratio competit, ſi fatetur hoc non competere, niſi ſoli Patri, cur dubitat an evicerim, Filium non dici principium abſolute? Poſt hæc deducit me in Scholam, ac docet quod illi ſuggeſſit monitor ille, quemadmodum Perſonæ tres ſint unum principium rerum conditarum ex tempore, quomodo Pater & Filius ſint unum principium Spiritus Sancti ab æterno, quomodo Pater ſolus ſit hac ratione principium, quod cum ab eo ſint omnia, ipſe tamen à nullo ſit. Atqui hoc eſt, quod appellabam abſolute principium. Verùm hæc licebat abunde diſcere ex libri *Theologicarum ſententiarum* primi diſtinct. xxix. ſi rudis eſſem aliorum auctorum, ut nihil opus fuerit hac de cauſa cum *Leo* deſcendere in Scholam. Sed quid faciunt hæc adverſus meam annotationem? Verùm audiamus *Leum* hæc accommodantem ad rem: *Si Verbum*, inquit, *negas eſſe abſolute principium, illud quod Patris proprietatem dicit, id eſt, ſi negas Verbum non habere à quo ſit, cum ab eo ſint omnia, ne tu mecum ſentis. Sed quam non conſequatur, propterea non eſſe abſolute principium, male Dialecticus eſt qui non videt, cum præter hanc rationem principii ſuperſit adhuc & ea, quæ Filii proprietatem conſequitur, & ea quæ Trinitati convenit.* Aut ego inſigniter ſtupidus ſum, aut *Leus* non intelligit quid dicam *abſolute principium*. An ut Filius dicatur *abſolute principium*, ſatis eſt ut ſuperſit aliqua ratio, qua dicatur principium? An ut abſolute doctus vocer, ſatis eſt ſi norim Grammaticam Latinam? Imo hoc ipſum obſtat quo minus Filius dicatur *abſolute principium*, quod Pater ſit aliqua ratione principium, quâ Filius non eſt principium. Sed pergit oſtendere mea verba ſecum pugnare, quod principium illud, quod Patri tribuo abſolute ac ſimpliciter, tribuam & Filio, perfecte quidem illi, ſed non abſolute, cum ea ratio principii nullo modo competat in Filium. Imo cum Patri tribuo maxime propriam & abſolutam principii rationem, non ſentio de certa quapiam ratione principii, ſed in genere de ratione principii, quæ rationes complectitur: hanc nunquam tribuo Filio. Neque pugnat Filium dici perfecte principium, nec tamen abſolute. Non magis quam pugnat *Petrum* perfecte doctum eſſe in Grammatica, nec tamen abſolute doctum eſſe.

Hîc obiter mihi taxat, quod ea verba, quæ ſunt apud *Auguſtinum*, tribuam vulgo recentium Theologorum. Ego quod reperio citatum à *Petro Lombardo*, tractatum à *Thoma*, *Scoto*, & aliis horum ſimilibus, cur non tribuam vulgo Theologorum? Certe illic legeram, nec potui illic legere, niſi ſcirem eſſe apud *Auguſtinum*, cujus illic citatur nomen. Sunt multa apud Veteres, à quibus vulgus recentium Theologorum abſtinet. *Hominem Deo permixtum in Chriſto*, dixit *Auguſtinus*, & tamen non ſic loquitur vulgus Theologorum recentium. At ne videar præter Theologorum exemplum primus negaſſe, Filium abſolute dici principium, adducam commentarium *Alberti Magni* in primum Caput *Joannis*: *Auguſtinus*, inquit, *dicit, cum dicitur* In principio erat verbum, *principium ſupponit Patrem, ſive paternum intellectum. Quæſtio autem ſurgit hîc ſecundum hanc expoſitionem, quæ ſit ratio, quod principium ſupponit Patrem, cum principium ſit in multis intentionibus, ſicut dicitur in quinto primæ Philoſophiæ.* Auguſtinus *etiam dicit, quod & Pater eſt principium, & Filius eſt principium, & Spiritus Sanctus eſt principium, & ſimul hi tres non tria, ſed unum principium. Sed ad hoc dicendum eſt, quod abſoluta & prima ratio principii activi non eſt niſi in Patre. Cum enim duo ſint proceſſus, primus ſcilicet quo Perſona procedit à Perſona, & ſecundus quo creatura procedit a Creatore, primus proceſſus eſt cauſa ſecundi, ut dicit* Auguſtinus, *principium totius proceſſus primi non eſt niſi in Patre, quia licet Spiritus Sanctus procedat à Filio, tamen hoc Filius habet à Patre. Pater autem eſt principium non de principio, & ideo prima auctoritas principii, & prima ratio eſt in Patre, & ideo dicit* Auguſtinus, *quod in Patre eſt principium totius Divinitatis, & hac ratione antonomaſtice principium ſupponi Patrem.* Hactenus *Albertus*. Quid autem dici potuit explanatius, per principium abſolute poſitum intelligi Patrem? Nec abhorret ab his quod ſcribit ſanctus *Bonaventura* in libro *Sententiarum* primo diſt. xxix. *Intentio*, inquit, *principii propriiſſime recipitur in Deo, maxime quantum ad perſonam Patris.* Sed adhuc urget *Leus: Ut tibi donemus*, inquit, *Filium non dici abſolute principium, quid iſtuc obſtat interpretationi divi* Auguſtini? *cum ſatis ſit* Auguſtino, *quod Filius principium ſit creaturarum cum Patre.* Verum dicit *Leus*, ſi conſtaret hîc Filium dici principium. Sed hoc ipſum eſt quod vocatur in dubium. Nam quod objici poteſt, quoſdam interpretari, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, id eſt, *in Filio*, ut recipiamus interpretationem, quæ mihi videtur extorta, non abſolute ponitur principii vocabulum. Sed mox ſequitur, *creavit*, &c. At in Euangelio *Joannis*, quoniam abſolute poſitum eſt principii vocabulum, de Patre interpretantur & hi, quibus *Leus* tribuit plurimum. Quanquam autem olim non ſolebant in diſputando urgere teſtimoniis Apocalypſeos, tamen illic Cap. 111. *Chriſtus* non ſimpliciter dicitur *principium*, ſed *principium creaturæ Dei.* Nec in alium ſenſum accipiendum arbitror, quod ſcriptum eſt Cap. primo: *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis:* ac poſt, *primus & noviſſimus.* Siquidem ipſe ſermonis tenor declarat illum loqui de *Chriſto* & Eccleſia, cujus principium fuit, cum aſſumto corpore humano reconciliavit eam ſibi: cujus finis erit, cum altero adventu perficiet illius felicitatem. Rurſus Cap. xxii. cum his verbis utitur, loquitur de adventu *Chriſti*, primus fuit, quia initium ſalutis noſtræ: ultimus erit, quia poſt ejus adventum non erit amplius hæc Eccleſia. Denique *Leus* ita diſcedit ab hac diſputatione ut dicat, ſe quidem in hoc à me diſſentire, quod negem Filium abſolute dici principium. Sed tamen videre, quo pacto poſſit compingi hic locus juxta Græcam lectionem, ſecus quam noſtra interpretatio habet, *quæ ingenue fateor*, inquit, *nec mihi ſatis probatur.* Quid faciam *Leo*, ſi nullis auctoribus, nullis argumentis illi perſuaderi poteſt, in ſolum Patrem competere abſolutam principii rationem? Atqui *Joannes Atenſis*, quo non alium id temporis habebat hæc Academia doctiorem in re Theologica, nihil arbitrabatur eſſe periculi ſi quis dixiſſet, in ſolum Patrem competere abſolutam principii rationem, in Filium non competere. Ita retulit tum mihi *Martinus Dorpius*, qui illum mea cauſa conſuluerat ſuper hac re: etiamſi mihi id nunquam faſſus eſt, niſi poſt ſecundam Editionem: nec hodie, ſat ſcio, inficiabitur me verum dicere. Quod ſi mihi fas eſt ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, cur in tantum abhorremus ab hoc, ut principii vocabulum peculiariter competat in Patrem, cum *Hilarius* æterni cognomen illi ceu proprium tribuat? cum *Chryſoſtomus* non vereatur cum *Paulo* dicere Patrem ſolum Deum, non ob aliud, niſi quod ſolus Pater ſit cæteris Perſonis fons æternitatis ac deitatis? Sed cur non indicat nobis iſtam novam rationem explicandi hujus loci? Nam quod fatetur ſibi non probari hanc noſtram interpretationem: ſi de Interprete Latino ſentit, ubi eſt quod dixit, hujus interpretationem eſſe profectam à Spiritu Sancto? ſi de *Auguſtini* interpretatione, miror illum à tanto auctore deſciſcere, & in meam ſententiam diſce-

Digitized by Google

discedere pedibus. Sed magis etiam placet, quod existimat hunc locum sarciri posse è libris Græcorum. At ubi interim quod toties inculcavit, Græcorum libris non esse fidendum? Verùm hujus de principio nimium prolixæ concertationis tandem finis esto, si prius illud addidero, mirum videri quo consilio *Leus* hunc eundem locum bis recensuerit, primum in Indice quo notat quæ sim moderatus, ac rursus in Indice quo notat quæ non correxerim.

AD XCIII.

Eod. CUM admonuissem, in hoc sermone Joannis, *principium qui & loquor vobis*, *principium*, non esse nomen, sed adverbium, ac perinde valere quasi dicas, *principio*, sive *primo loco*, male habet *Leum* quod dissentiam ab *Augustino*, cui vult admodum addictus videri. Hæc autem sunt mea verba quibus offenditur: *Deus bone, quot verbis hic agit* Augustinus, *dum persuadere conatur* principium *sic accipiendum, quasi dixisset*, credite me esse principium. Hîc *Leus* hactenus sublevat *Augustinum*, ut ostendat *Hieronymum* in eodem fuisse errore, qui Psalmum enarrans XXXIX. scribit, quod *Christus* interrogatus quis esset, responderit esse *principium*. Primum admonui, commentarios hos mihi nec integros videri, nec unius esse hominis. Sed demus hoc esse scriptum *Hieronymo* in transcursu, atque aliud agenti, num ideo vereri debebam annotare Græcum sermonem hunc sensum non recipere? Is eodem in loco interpretatur, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, id est, *in Filio creavit*, sane quam coacte. Deinde accommodat locum ex Euangelio Joannis: *In principio erat verbum*. Cum hîc principium non pertineat ad Verbum, sed ad Patrem, si tamen ad Personam pertinet. Et in Indice miratur *Leus* adhuc persistere me in sententia, cum fatear & *Ambrosium* ejusdem esse sententiæ cum *Augustino*. Atqui cum *Leus* ipse fateatur sibi non probari quod interpretatur *Augustinus*, cur me vult mutare sententiam, & cum eo sentire, à quo dissentit ipse vir tantus?

AD XCIV.

Eod. HANC annotationem *Lei* non potui, fateor, absque risu legere. Ridebis & ipse lector, ubi rem cognoris. Cum primum ederem Novum Testamentum *Basileæ*, ventumque esset ad locum de adultera deprehensa, consului commentarios *Augustini* num interpretaretur hoc argumentum, & nescio quo casu, sive quod parum essem attentus, sive quod in codice fuerit alius ordo, persuaseram mihi locum hunc ab *Augustino* præteritum esse. Reversus in *Brabantiam* cum per otium opus recognoscerem, comperi secus habere quam putaram, ac mutata scriptura testatus sum, esse apud *Augustinum* in commentariis, & citari nonnunquam ab eodem, sed ita ut nihilo secius testetur, hanc historiam in multis & Græcorum & Latinorum codicibus non haberi, idque libro adversus *Pelagianos* secundo, ubi vehementer illius referebat, gravissimum esse pondus huic Euangelii loco. His ita gestis incidit postea, ut in familiari colloquio *Leus* ultro narraret mihi, locum hunc ab *Augustino* non enarrari. Rogavi num ita res haberet, asseveravit. Tum ego arridens: *In eodem*, inquam, *errore fui* Basileæ, *in quo te nunc esse video; sed attentius evolve commentarios* Augustini, *& comperies te falsum esse*: simulque ostendi locum in Annotationibus meis expunctum. Hæc dissimulans *Leus*, *non est verum*, inquit, velut objurgans me, videlicet quo gloriolam hanc in se transferat. Siquidem in Indice, quo recenset ea, quæ videri vult ipso monitore mihi fuisse correcta, scribit hunc in modum: *Fatetur* Augustinum *mentionem facere historiæ de adultera*. Impingit mihi *Leus* errorem meum, velut ab ipso correctum, dissimulans quod ni monitus fuisset à nobis, fortassis adhuc idem error haberet ipsum. Hoc si inficiabitur *Leus*, non appellabo mendacem, non impudentem, quibus vocabulis subinde nos ornat, sed pessime memorem esse dejerabo. Deinde docet ex *Eusebio*, quod *Papias* hanc historiam adjunxerit Euangelio *Joannis* ex apocrypho *Nazareorum* Euangelio. Non damno quod indicat *Leus*, sed tamen possem hominem suis urgere telis. Posteaquam ille tot locis exaggerat Christianæ religionis periculum, quod admonueram, *clarificare* Græcis esse δοξάζειν, aut quod pro *fœneratore* verterim *creditorem*, videlicet ob homines novarum rerum avidos, cur ipse non veretur hoc prodere libro per orbem, ut ipse putat, volaturo, quod in Templis nomine *Joannis* legit Ecclesia, ex apocryphis libris assutum esse? Cur hîc non trepidat ne totius Scripturæ divinæ labascat auctoritas? Quid erit indubitatæ fidei, si pars Euangelii non exigua, ab his libris credatur assuta, quibus Ecclesia vetat haberi fidem? In summo discrimine erat illi prora & puppis Christianæ religionis, quod juxta Græcorum codices paucula verba redundarent in nostris, in Epistola canonica *Joannis*: & in vado est res omnis, si totum Euangelium *Joannis* vocatur in dubium? Nam si datur tantam portionem esse sumtam ex apocryphis, quid restat, nisi ut reliqua quoque veniant in suspicionem? Sed non vacat cavillari. Vides tamen, lector, quibus modis hîc illum tractare possem si vacaret, aut etiam luberet. Illud propemodum me præterierat, quod tamen non ignoratum oportuit esse lectori, *Leum* hîc adducere librum *Augustini*, titulo *de vera ac falsa pœnitentia*, cum in ejus Libri Cap. XVII. nominatim citetur *Augustinus*. Hinc conjicere licet, quam diligenter *Leus* versatus sit in libris *Augustini*, cujus patrocinium suscepit.

AD XCV.

Eod. PRO eo quod nos scriptum habemus, *Audientes autem hæc, unus post unum exibant*: admoneo in Græcis codicibus secus haberi: nam additis aliquot verbis apud illos legi, οἱ δὲ ἀκούσαντες, ὑπὸ συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι ἐξήρχοντο εἷς καθεὶς, id est, *At illi cum audissent, & a conscientia redarguerentur, exierunt singulatim*. Hîc notat *Leus*, quod in mea Editione non habeantur, quæ testor mihi reperta in Græcis voluminibus. Quid autem mirum, si in edendo hoc sequutus sum, quod mihi magis probaretur, præsertim suffragantibus aliis Exemplaribus? Nam quod illic erat additum, nec scriptum est in Editione *Aldina*. Nec video quid sibi velit, quod in Indice suo *Leus* adscribit: *Hic addit, quanquam aliter legit* Valla: quasi non idem adjecerim in priore Editione, testans variam esse Græcis lectionem. Quæ gloriæ fames?

AD XCVI.

Eod. EADEM opera responsum est ad hanc quoque annotationem. Admonui in quibusdam codicibus addi ἕως τῶν ἐσχάτων, id est, *usque ad postremos*. Ea verba, quoniam non reperi in aliis Exemplaribus, quæ postea nactus sum, cum nec in *Aldina* sint Editione, malui sequi quod cum nostra congruit lectione.

AD XCVII.

Eod. QUOD nos legimus, *Quia patrem ejus dicebat Deum*, ostendo ex fide Græcorum voluminum, pro *ejus* legendum *eis*, nec addendum esse *Deum*. Deinde submoneo, ὅτι accipi posse pro τί, ut sit sensus, non intellexisse *Judæos*, quid esset quod vocaret Patrem suum, de quo toties tam magnifice prædicabat. Nam *Joseph*, quem hujus patrem arbitrabantur esse, noverant humilem, & in quem illa magnifica non competerent. Nec hunc sensum asseveró, sed dubitans propono, his verbis ingressus: *Sensus autem videtur*, &c. Hîc *Leus* cum auctoritate jubet restitui locum in contextu & vice, *quid*, Erasmici, restitui *quod*: quod ad eum modum interpretetur *Chrysostomus*. Id me non fugiebat, sed quoniam is sensus mihi non videbatur ad amussim quadrare, idcirco reperimus alterum. Nam quod *Chrysostomus* interpretatur, illos non in-

Digitized by Google

intellexisse quod de patre suo loqueretur, cum ait: *Qui me misit, verax est*, non videtur admodum probabile, cum paulo superius multa nominatim de suo Patre loquutus esset: *Sed ego, & qui me misit Pater:* rursum, *Et testimonium perhibet qui me misit Pater. Dicebant ergo ei, Ubi est pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque patrem meum: si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.* Hæc cum præcessissent in eodem sermone, quomodo nunc obliti, subito non intelligunt illum de patre suo loqui? Proinde probabile est, *Joannem* hîc repetisse sub sua persona, quod modo dixerat sub persona Jesu, *Neque patrem meum scitis.* Vides, lector, me non temere fuisse commotum, ut quærerem aliud interpretamentum, à vulgari diversum. Quod si nobis esset Græci *Chrysostomi* copia, fortassis esset cujus auctoritate refelleremus quod *Leus* asseverat. Jam illud demiror, cur *Leus* hunc locum recenseat inter ea quæ à nobis in Editione posteriore mutata non sunt, cum in contextu sic verterim: *Et non cognoverunt quod de patre eis loquutus esset*: & in annotationibus hunc sensum præferam, cujus me nunc propemodum pœnitet. An non turpe est reprehendere, nec inspicere quod reprehendas?

AD XCVIII.

Eod. ANNOTARAM pro eo quod habet nostra translatio, *inhonoraſtis*, in Græcis codicibus esse ἀτιμάζετε, verbo præsentis temporis. At cum in aliis codicibus reperissem ἠτιμάσατε, hoc magis libuit sequi, quod congrueret cum nostra lectione, præsertim cum utriusque lectionis idem sit sensus. Porro lectionem ἀτιμάζετε non esse somniatam à nobis, vel illud arguit, quod in pervetustis Exemplaribus Latinis scriptum comperi, *inhonoratis*, verbo præsentis temporis. Et hoc quoque *Leus* recenset inter ea quæ mihi relicta sint, cum in posteriore Editione lectorem admoneam geminæ lectionis. Quid? an ne hoc quidem licebit per *Leum*?

AD XCIX.

Peccatores Deus non audit.

Joan. IX. HÆC annotatio quoniam præter inutilem rixam nihil habet, non est cur respondeam: *Qui scis*, inquit, *an interpres legerit* εἰσακούει, vel καλακούει, quasi meum sit hoc divinare. Deinde negat hoc esse serium, sentiens nihil interesse inter *audio* & *exaudio*. At vulgus etiam Theologorum plurimum putat interesse.

AD C.

Eod. QUOD in priore Editione, sive mea sive operarum incuria fuerat omissum, *sicut dixi vobis*, in posteriore fuit adjectum. Hoc laudis sibi vindicat *Leus*, cum illi nihil debeatur: alioqui si nihil adjecissem in posteriore Editione, quorsum opus erat tantum operæ sumere? Ut nihil aliud, vel famulis adjutoribus poterat hoc deprehendi.

AD CI.

Joan. X. *SI illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum.* Hic ordo sermonis quoniam non cohæret juxta grammaticam lectionem, id quod tua sponte vides, lector, quærebam hoc incommodum effugere distinctione, ut legamus ad hunc modum: *Si illos vocavit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura*, hîc interposita percunctatione, sequantur reliqua, *Quem Pater sanctificavit*, &c Hanc distinctionem non probat *Leus*, & adducit interpretationem *Chrysostomi*, qui locum hunc enarret his verbis: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quomodo vos dicitis quia blasphemo, quia dixi, filius Dei sum?* Adducit & *Augustinum* sic enarrantem, *Si sermo factus est ad homines ut dicerentur Dii, ipsum verbum quod est apud Deum, quomodo non est Deus?*

A Quæso te, lector, quid hæc ad annotationem meam? De sententia loci nulla est nobis ambiguitas, tantum de sermonis ordine loquebar, & *Leus* nobis interpretatur sensum. Nihil incommodi video in sermone *Chrysostomi*, nihil in verbis *Augustini*, sed in Euangelistæ verbis est ordo parum cohærens, cui studebam mederi, & tamen quod indicaram in annotatione, non sum sequutus in contextu. Quid, an non licebat hujus incommodi lectorem admonere? & tamen sic admonet *Leus*, quasi fecerim injuriam Ecclesiasticæ lectioni.

AD CII.

B PRO eo quod nos legimus, *omnia traham ad meipsum*, admonueram in Græcis codicibus constanter haberi πάντας, id est, *omnes*. Hîc *Leus* objicit mihi *Hieronymum*, qui in commentariis, quibus explicat *Oseæ*, legat, *omnia*. At fieri potest, ut id à scriba mutatum sit. Sed demus ita scriptum ab *Hieronymo*, nec hoc dissimulo secus haberi scriptum apud Latinos, sed tamen verto quod sic est in Græcis codicibus, ut mihi nullum Exemplar suffragetur ad diversam lectionem. Quin in Editione, quam nuper nobis dedit officina *Aldi*, sic habet quemadmodum indicavi. Certe *Chrysostomus* legit & interpretatur, *omnes*, ut intelligamus, non solum *Judæos*, sed cæteras quoque nationes comprehendi. Joan. XII.

AD CIII.

C IN his verbis, *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*, subindicaram *Patrem* non addi nec in Græcis, nec in vetustis Latinorum Exemplaribus, quæ mihi quidem videre contigit. In posteriore Editione addo, nec apud *Augustinum*, hunc locum enarrantem, addi *Patrem*. Hîc *Leus* mecum agit gemino telo. Primum auctoritate *Chrysostomi* me premit, qui legat, *Patrem meum*. Fateor, sic legit interpres, an *Chrysostomus* legerit incertum. Illud certum, *Theophylactum* pro nobis facere. Deinde ratiocinatur, non cohærere quod sequitur, *ut glorificetur Pater in Filio*, nisi præcesserit, *quicquid petieritis Patrem*. Haud equidem nego, subaudiendum esse *Patrem* in priore parte. Nam unde peterent in nomine Filii nisi à Patre, à quo docti sunt & ante petere, si quid opus esset: *Pater noster qui es in cœlis*, &c. At non continuo scribitur quod subauditur. Offendit & illud *Leum*, si in priore parte non addatur Pater, sed legatur, *quicquid petieritis Patrem in nomine meo*, cum mox sequatur: *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam*, videbitur eandem sententiam bis dixisse. Quasi vero hoc novum sit huic Euangelistæ, cum idem liceat in hoc ipso Capite deprehendere: quanquam in nonnullis vetustis codicibus posterior pars ita legitur, *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Quasi possit aliquid à *Christo* peti, quod non petatur in nomine ipsius. Et hunc locum notat *Leus* inter ea quæ non mutaverim. Quid? an oportuit refragantibus omnibus Græcorum codicibus, quos non paucos consului, refragante *Augustino*, refragante veterum Exemplariorum fide, de meo addere *Patrem*, *Leum* auctorem sequutum, si tamen admonuisset? Quid autem refert, utrum subaudiatur, an explicetur? Joan. XIV.

AD CIV.

E T *alium paracletum dabit vobis.* Fateor esse levicu- Eod. lum, quod annotaram in hunc locum. Quoniam apud Latinos *paracleti* vocabulum ita receptum est, ut existimetur à plerisque proprium esse nomen Spiritus Sancti, duobus verbis indicavi, dilucidius fuisse futurum, si Græcam vocem vertisset in Latinam, & pro *paracleto* posuisset *consolatorem*: nam quod hîc loquebatur *Christus*, consolandi gratia loquebatur. Proinde ne se putarent illius abitu fore desolatos, ait: *Non relinquam vos orphanos, sed Pater meo rogatu dabit vobis alium, qui me absente vos consoletur.* Hæc incommoditas quoniam apud Græcos non est, quid retulit, nobis *Chrysostomum* Græcum objicere? Præterea *paracletum* hîc epitheton esse generale, declarat quod sequitur, *Spi-*

Digitized by Google

Spiritum veritatis. Postremo quod annotaram, quoniam leviculum esse videbam, non retuli in contextu, in priore duntaxat Editione. Et si retulissem, quid erat periculi?

AD CV.

QUOD Græce scripsit *Joannes*, ὑπάγω ϗ ἔρχομαι, ostendo potuisse verti, *Abeo & venturus sum*, propter participium ancipitis temporis: & tamen non muto lectionem receptam, nimirum intelligens, & verbum præsentis temporis aptum esse ad declarandum celerem reditum.

AD CVI.

Joan. xv. QUOD nos legimus, *mittetur & arescet*, admonueram Græcis esse ἐβλήθη ϗ ἐξηράνθη, id est, *ejectus est & exaruit*. Si dubitat de fide mea, consulat *Leus* Græcorum codices, vel *Aldinæ* Editionis Exemplar. Extra controversiam est, sic legere *Theophylactum*. Porro quemadmodum superius per verbum præsentis temporis explicari voluit quod mox esset futurum: ita hîc multo etiam usitatius expressum est verbo præteriti temporis, quod protinus esset futurum, Porro cum agitur de proprietate Græci sermonis. non multum refert adducere *Chrysostomum* Latine loquentem. Potest enim fieri ut is idem legens in contextu quod nos legimus, sententiam reddiderit interpretando, non verba.

AD CVII.

Joan. xvi. PRO eo quod nos legimus, *docebit vos omnem veritatem*, submonui Græcis non esse διδάξει, sed ὁδηγήσει, id est, non *docebit*, sed *ducet in omnem veritatem*. Id an verum sit, vel *Aldinum* Exemplar docere poterit. Porro cum sensus sit idem, cur verear id sequi, quod ut probabilius est, ita constanter habebatur in Græcis Exemplaribus. Rursus objicit mihi *Chrysostomum* Latinum satis impudenter, præsertim cum ex illius interpretatione nullum argumentum colligi possit, quid legerit *Chrysostomus*: certe *Theophylactus* & legit & interpretatur quod nos admonuimus.

AD CVIII.

Joan xvii. CLARIFICA *me tu Pater apud temetipsum claritate.* Hîc admoneo lectorem, quod Interpres subinde vertit, *clarificare*, & *claritatem*, Græcis esse δοξάζειν, id est, *glorificare*, & δόξαν, id est, *gloriam*, atque hoc monuisse contentus non muto tamen *clarificandi* verbum. Hîc objicit mihi *Hieronymum*, qui in Epistola ad *Suniam* & *Fretelam*, admoneat idem quod ego admoneo, & tamen subjecerit: *Noluimus mutare quod ab antiquis legebatur, quia idem sensus erat.* Quæso, in quo hîc reprehendor? an quod admonuerim δοξάζειν Græcis sonare *glorificare?* Idem fecit *Hieronymus*. An quod mutarim vocem receptam? Imo reliqui. Proinde hæc annotatio *Lei* nihil ad hunc locum pertinet. Quid autem si mutassem hîc, quod alibi non veretur Interpres facere? *Gloria in excelsis*: *Da gloriam Deo.* Cur non vertit, *claritatem?* Et apud *Paulum*, δοξάζω τὸ εὐαγγέλιόν μϗ, cur non vertit, *ut clarificem?* Postremo quod non est ausus *Hieronymus* in δοξάζω, hoc nos nusquam sumus ausi. Nihil enim unquam mutavimus ex publica & Ecclesiastica lectione, imo ne è Scholastica quidem. Nos enim in cubiculis lectorem alloquimur.

AD CIX.

Eod. ADJURGAT, quod pro eo quod vulgata lectio habet, *priusquam mundus fieret*, verterim, *priusquam mundus esset apud te.* Idque ait feciisse me juxta Græcum meum, sentiens, opinor, librum à me depravatum, qui legam πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρά σοι. Quid si idem legatur in plurimis Græcorum libris, atque adeo in Editione *Aldina*, num meum Græcum dicetur? An meum est, quod *Theophylactus* non solum legit, verum etiam interpretatur? At *Hieronymus* legit, *fieret.* Quid hinc aliud colligi potest, quam illum pro εἶναι legisse γίνεσθϗ, quod simul & *esse* sonat, & *fieri.* An volebat me *Leus* vertere *fieret*, cum Græce esset εἶναι? Erat autem operæ pretium & hunc locum annotare inter ea quæ non castigarim.

AD CX.

Joan. xx. ADSCENDO *ad patrem meum*, &c. Objicit mihi, cum ante docuerim articulum apponi quoties significatur aliquis certus, hîc me jugulat meo gladio. Cum sit apud *Joannem* ϗ Θεόν μϗ, ϗ Θεὸν ὑμῶν, non appositio articulo, cum negari non possit, quin de Patre loquatur. At hanc cavillationem jam ante dilui. Præcessit enim articulus serviens & his quæ sequuntur, ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μϗ, ϗ πατέρα ὑμῶν, ϗ Θεόν μϗ, ϗ Θεὸν ὑμῶν: alioqui cur non addit in posteriore πατέρα articulum, nisi quod præcedens ad omnes voces pertinet? Perinde enim est ac si dicas: *Adscendo ad eum, qui est pater meus, & pater vester, Deus meus, & Deus vester*: & tamen hunc locum recenset inter ea quæ reliquerim incastigata. Quid autem me volebat hîc mutare? num addere Græcum articulum, cum in libris Græcis non esset? Si *Joannes* ita scripsit, an meum erat mutare? præsertim cum quod scripsit, non pugnet cum annotatione mea, imo non mea, sed eruditissimorum Græcorum. Addam etiam, cum id quod scriptum est si mutetur addito, quod *Leus* vult, articulo, periclitetur sententia. Etenim si dixisset, πρὸς τὸν πατέρα μϗ, ϗ τὸν πατέρα ὑμῶν, visus fuisset indicare duos patres, quorum alter esset ipsius, alter discipulorum: nunc omisso articulo, nihil aliud potes accipere quam unum quendam, qui sit pater *Christi*, sed idem illi cum discipulis communis. Non ferebat olim *Apelles* sutorem audentem aliquid ultra crepidam: at quis ferat hunc tanto cum supercilio, tantis convitiis & carpentem, & docentem quod non intelligit?

AD CXI.

Joan. xxi. DOMINUS *meus & Deus meus.* Hîc rursus impingit mihi meam regulam: *Græce*, inquit, *additur articulus*, ὁ Κύριός μϗ, ϗ ὁ Θεός μϗ, *cum de Christo loquatur, non de Patre.* Quid tum postea? Quis unquam dixit, non licere addere Græcum articulum, *Deo*, nisi cum de Patre fit mentio? At alicubi dixi, ideo apponi, quod de Patre fieret mentio: verùm id exempli gratia dixi, veluti si dicerem, ὁ ἄνθρωπος, cum articulo efferri, quod de *Petro* fiat sermo, si forte de *Petro* fieret: an ideo consequeretur, non posse addi si sermo fiat de *Paulo?* Obsecro te, lector, quod hoc est novum acumen in eo, qui me stupidum vocat? cujusmodi sunt istæ annotationes, quibus hactenus traducor, applaudentibus quibusdam, qui sibi Theologi videntur.

AD CXII.

Eod. ET *illa nocte nihil prendiderunt.* Ac mox: *Adferte de piscibus quos prendidistis.* Admoneo quod Græcis est ἐπιάσατε & ἐπίασαν, bifariam esse redditum in Latinis codicibus, in aliis esse *prendiderunt* & *prendidistis*, in aliis rursum *ceperunt* & *cepistis.* Hîc quod adscribit *Leus*, prorsus non intelligo: adscribit enim hæc: *Hîc opus erat addi* prendiderunt & prendidistis, *ne quis putet Interpretem male reddidisse, id quod proclive erit nescienti Græce.* Quid ego audio, cum *prendere* & *capere* idem declarent, num ideo suspicabitur aliquis Interpretem male reddidisse Græcam vocem, si lector moneatur *prendere* idem esse quod *capere*, & in libris utrumque verbum reperiri? Et hunc locum *Leus* recenset inter ea quæ non mutarim, nec video quid voluerit mutari, cum ego vulgatam lectionem reliquerim.

AD CXIII.

Eod. EX hoc loco mihi gravem suscitare conatus est invidiam *Leus*, nam in seditioso illo Indice, quo primum lectoris animum occupat, taxat me quod

Digitized by Google

Auguſtinum mordeam in ſcheda, quam proditor ille, ut ipſe vocat, mihi communicavit unam. Impingit quòd falſa etiam in *Auguſtinum* congeram, quod illi inſcitiam exprobrem. Hîc cum aliquanto mitius loquatur, tamen quanto id faciat acerbius quam prò re, imo quam nulla de cauſa id faciat, mox aperiam. Ac primum adſcribam mea verba, quæ *Leus* recenſet ex Editione priore, quo magis res promta ſit lectori: *Inter vetuſtiores*, inquam, *ſolus legiſſe videtur Auguſtinus*, ſic eum volo manere, *Vir ille quidem (quod negari non poteſt) ſanctus, integer, acuto præditus ingenio, verùm impenſe credulus: ad hæc deſtitutus præſidio Linguarum, ſine quibus hæc ut par eſt tractari non queunt. Is cum juvenis adſcitus eſſet ad munus Epiſcopale, ac pene neophytus, id quod fieri vetuit* Paulus, *ne licuit quidem quicquam neſcire, doctoris locum occupanti. Proinde docendo didicit quod doceret, & ſcribendo didicit quod ſcriberet: profecit tamen, præſertim ubi ſe cœpit ad* Hieronymi *conferre æmulationem. Nec eſt inſectandus vir tam pius, ſicubi non aſſequitur quod affectat, ſed tolerandus magis. At è diverſo, non ſunt audiendi qui illum nemini non anteponunt, ipſi etiam* Hieronymo, *quo ſacrarum Litterarum ſcientia tanto fuit inferior, ut impudentiſſimum ſit alterum cum altero conferre.* Hactenus bona fide mea verba recenſui: nunc audiamus quid in his offendat *Leum*: *Quî ſcis*, inquit, Eraſme, *an conſuluerit* Auguſtinus *Græcos codices, ac*, ſic, *non* ſi, *invenerit, quando dubium non eſt diverſa etiam* Auguſtini *ætate fuiſſe Exemplaria, & hodie uſque adeo diverſa, ut ſæpe ſit legere apud* Hieronymum, Origenem & Chryſoſtomum, *quæ in nullis Græcorum Exemplaribus habeantur, quod ut unum locum citem*, In bonæ voluntatis, *Lucæ primo, tu ipſe confiteris.* Hactenus *Leus*. Primum, quid eſt impudentius quam dicere, *Auguſtino* in Græcis Exemplaribus compertum fuiſſe, *ſic*, non *ſi*, in tanto Græcorum voluminum conſenſu, atque etiam ſuffragantibus vetuſtis Latinis? præſertim cum ſententiæ tenor refragetur huic lectioni. Etenim ſi *ſequi* hoc loco, eſt ad exemplum *Chriſti* mori, & ſi *manere* eſt non mori, quî conſtat quod paulo poſt ſequitur, *& non dixit Jeſus, non moritur, ſed, ſic eum volo manere.* Cum dicit, *ſic eum volo manere*, quid aliud dicit, quam illum non volo mori? Porro cum ait, *ſi eum volo manere, quid ad te*? ita moderatus eſt ſermonem, ut oſtenderet illorum nihil referre, quid de *Joanne* cenſuiſſet *Chriſtus*. Deinde quid opus erat hæc argutari, cum in poſteriori Editione demonſtrem Auguſtinum, *ſi*, legiſſe, non *ſic*, idque ex ipſius interpretatione. Porro quod ait, me fatente verum eſſe in nullo reperiri, *bona voluntas*, apud *Lucam*, videbit rem ſecus habere, ſi quis noſtram in hunc locum reſponſionem legat. Addit *Leus*: *Nec puto te hoc de* Auguſtino *ſentire, quod penitus ignoraverit Græce.* Atque hîc multis argumentis probat *Auguſtinum* utcunque deguſtaſſe Græca. Si non putat me hoc ſentire, cur ſupervacaneis verbis refellit? Et ſi putaret, impudenter faceret, cùm tot locis teſter idem quod *Leus* aſſeverat, illi puero utcunque deguſtatas Græcas litteras, ad quas jam Epiſcopus atque etiam ſenex redierit. Illud mihi quidem hactenus inauditum, quod *Auguſtinus Ariſtotelis καλλιλογίας* è Græco ſermone nobis verterit in Latinum, cum ipſe libro *Confeſſionum* quarto, teſtetur eum librum haud dubium ab aliis factum Latinum, quoſdam magno faſtu profeſſos fuiſſe *Carthagini*, quem tamen ipſe annos natus plus minus viginti, lectum citra interpretis operam ſic intellexerit: ut poſt congreſſus cùm illis compererit illos nihil adducere, quod ipſe non perſpexiſſet. Hoc demiror non meminiſſe *Leum*, cum velit in tantum videri deditus *Auguſtino*, ut in hujus gratiam pene contumelia afficiat *Hieronymum*. Nam quod in calce illius ait ſe vertiſſe, res ipſa loquitur, quod non verterit ut Interpres, ſed explanarit, cum & ſuis verbis exſpatietur, & aliquoties meminerit *Themiſtii*. Jam de *Chryſoſtomi* verſibus Græcis ab illo verſis, unde hauſerit neſcio. Sed demus *Auguſtinum* belle noviſſe Græcas litteras, quid hoc ad refellendum id quod ſcripſeram, *Auguſtinum* cum *Hieronymo* conferens, illum fuiſſe deſtitutum præſidio Linguarum, quibus inſtructus erat *Hieronymus*? An *Hebraice* novit *Auguſtinus*? an *Chaldaice?* an *Syriace*? Neque enim agebam illic proprie de ſermone Græco: alioqui cur non eadem opera objecit *Leus*, quod *Auguſtinus* non fuerit deſtitutus præſidio Romanæ Linguæ? Sed his fortiter, ut putat, evictis, arrodit illud quod ſcripſerim *Auguſtinum* impenſe credulum, atque ita reſpondit quaſi dixerim, *Auguſtinum* impenſe pertinacem, ſibique nimium fidentem: *Mirum vero*, inquit, *cur dicas tam impenſe credulum, quo uno quem alium invenias, qui libentius ingenio ceſſerit? qui prope ſolus quod probe tueri potuiſſet, ne quod offendiculum daret veritati catholicæ, ſponte ſua recantavit: qui neminem dedignatus præceptorem, à quo quicquam diſcere potuiſſet,* Hieronymum, *quem illi tanto intervallo anteponis, conſuluit, nec dignus eſt habitus reſponſione*, &c. Quorſum hæc ſpectant, obſecro? An ideo non fuit credulus *Auguſtinus*, quia cupidus erat diſcendi, quia retractavit lapſus ſuos, quia conſuluit *Hieronymum?* Imo hoc magis erat credulus, quod ab omnibus cuperet doceri. An mordeo ſanctiſſimum virum, quod illum dicam impenſe credulum? At *Paulus* illud inter caritatis elogia refert, quod credat omnia. Ut quiſque minime malus eſt, ita maxime credit, ita minime diffidit. Demiror autem *Leum* aut diſſimulare, aut non intelligere, quare dixerim *Auguſtinum* credulum. *Hieronymus* ubique diffiſus Latinorum Exemplaribus, Græca conſulit: diffiſus Græcis conſulit Hebraica, aut Chaldaica, neque ſtatim commovetur fabula, quamvis celebri: neque protinus aſſentitur hujus aut illius ſententiæ, ni prius excuſſæ. *Auguſtinus* auctoritatem Interpretum Septuaginta volebat haberi ſacroſanctam, non ob aliud, niſi quia fuerat recepta: *Hieronymus* nihil commotus populari judicio, rejicit eam ex ipſa re. *Auguſtinus* quod vulgo tum jactatum erat de ſeptuaginta cellulis credebat: *Hieronymus* ut fabulam confictam irridet. *Auguſtinus* quicquid voluminum erat receptum uſu Eccleſiaſtico, *alba*, quod ajunt, *amuſſi* comprobat: *Hieronymus* quædam plane rejicit, & obeliſcis jugulat ut fabuloſa, quædam ſemovet ab his quibus vult eſſe graviſſimam auctoritatem. Ob hanc credulitatem *Auguſtini* fieri poterat, ut quod forte legit in codice Latino, crediderit eſſe rectum. Neque enim ſequitur, ſi deprehendit in Euangelio *Joannis*, ἡ ἀρχὴν eſſe caſus accuſativi, illum cætera quoque contuliſſe: quod ſi feciſſet, fortaſſe non lapſus eſſet in locis quibuſdam. Ego magis arbitror, de ἡ ἀρχὴν illum ab alio quopiam fuiſſe ſubmonitum, & hoc opus illi fuiſſe ſcriptum antequam conferret ad Græcos codices Exemplaria Latina. Ad quod faciendum videtur incitatus nova verſione divi *Hieronymi*.

Atque hac quoque parte pulchre depugnata *Leus* neſcio quo pacto ſubito proripit ſeſe ad collationem *Hieronymi* cum *Auguſtino*, cum inſtituiſſet refellere quod huic tribuiſſem credulitatem: *Facilis*, inquit, *eſt conjectura, cur* Hieronymus *ſiluit. Non invidebat illi eruditionem, ſed plane vidit nihil potuiſſe accuratius dici de his rebus, de quibus conſultus eſt, quam ſcripſiſſet ille qui conſulebat.* Opinor *Leum* ſentire de quæſtione, quam *Auguſtinus Hieronymo* proponit *de origine animarum.* Nam ad hanc nuſquam reſpondit *Hieronymus*, non quod deeſſet illi quod reſponderet, ſed vel quia non vacabat, vel quia ſuſpicabatur eam ſubornatam ab aliis, per *Auguſtinum* explorantibus ecquid haberet *Origenicum Hieronymus:* nam hoc nomine multis ſuſpectum fuiſſe conſtat. Pergit *Leus*: *Nam ne conferam*, inquiens, *alterum cum altero, quod tu ſtudio magis quam judicio facere videris, quantus eſſet* Auguſtinus, *facile agnoſcunt, qui diſputationes ejus cum* Hieronymo *expendunt, in quibus ſi non ſuperior, certe nihilo eſt inferior.* Hactenus *Leus*. Negat ſe velle alterum cum altero conferre, quid igitur, an hoc non eſt conferre? Porro

ro quod negat *Augustinum* fuisse *Hieronymo* in ea conflictatione, de sententia Epistolæ ad *Galatas*, inferiorem, ut largiamur interim esse verum, etiamsi diversum sensit præter alios complures R. D. *Adrianus* Cardinalis *Dertusensis*, non ideo protinus erit *Hieronymo* doctior, quod ab illo steterit victoria in unica conflictatione, imo fit aliquoties, ut qui vincitur appareat eruditior. Mihi vero non est animus in præsentia contendere, uter nostrum de *Augustino* rectius sentiat, abunde, ni fallor, super hac re respondimus *Joanni Eccio* in Epistola ad eum scripta, cujus argumenta demiror cur non refellat *Leus*, si visum erat hac de re mecum digladiari. Nam priusquam ederet has suas Annotationes, jam legerat Epistolam. Sed pergit *Leus: Neque vero in unius* Erasmi *judicio res sita est, ut sanus vel* Hieronymo, *quem omnes probi colunt, vel* Augustino, *quem nemo sanus contemnit, tribuatur locus.* Quid his verbis sibi vult denique nugator? An à me non colitur *Hieronymus*, quem omnes probi colunt? An à me contemnitur *Augustinus*, quem soli contemnunt insani? Et si non pendet auctoritas horum à mea censura, idcirco non licebit indicare quid mihi videatur? Sic antepono *Hieronymum*, ut tamen *Augustinum* quam honoratissimum esse velim. Subjicit *Leus*: *Sed quod dicis, scribendo ac docendo didicisse quod scriberet ac doceret, hoc ego neutiquam illi vitio tribuendum puto. Quod si vitium sit, commune est illi cum cæteris: nam quotusquisque est omnium qui id non facit?* Hieronymus *num scribendo ac docendo didicit, quod scriberet ac doceret?* Hactenus *Leus*. Si vitio verti non debet, nec ego fuggillo *Augustinum*, sed potius excuso ac defendo. Quid igitur est quod mecum litigat *Leus?* Raptus est protinus ad honorem Presbyterii, raptus est ut assideret Episcopo suo, atque ejus vice doceret populum. Et verum est quod scripsit *Hieronymus*, arduum esse, prolixique negotii, parare solidam cognitionem sacrarum Scripturarum. Id facere non vacabat *Augustino*. Illud nimirum est quod quæritur in Epistola quadam ad *Valerianum*, per omnia sacra obtestans, ut daret ipsi spatium discendi quod doceret populum: se sibi notum esse, nec ignorare quanti periculi res esset. An mihi non licebit hoc prædicare de *Augustino* quod ipse de se scripsit? *Laurentius* hoc loco paulo acrius incessit *Augustinum:* ego contra, lapsum illius, si tamen hic lapsus est, excuso atque elevo. An hoc male habet *Leum*? Et tamen homo candidus, *Vallæ* diligentiam laudibus vehit, mordacitatem dissimulat: ac mea etiam bene dicta calumniatur, palam indicans se nihil aliud habuisse in consilio, quam odium mei. Quæso num videtur expendere quid scribat, qui scribit hujusmodi, neque terram, quod ajunt, attingentia, neque cœlum? Nec his contentus, pergit: *Nisi forte tibi placeat*, inquit, *quorundam hominum præcocitas, qui docent & scribunt, quod nec docendo nec scribendo didicerunt*, Augustinum *ab hac nota eximo, eximo &* Hieronymum. Hæc ille. Quid autem erat periculi, si *Leus* illos non exemisset? Nihil enim me movet, quod existimat hoc dictum ad me pertinere, sed vereor ne qui legerint Annotationum illius libellum, potius in ipsum retorqueant. Pergit: *Nec pudet confiteri* Augustinum *(quod tu scribis) profecisse, postquam ad* Hieronymi *æmulationem se cœpit conferre, non quod ab* Hieronymo *quicquam didicerit, sed quod illa scribendi exercitatione semper evaserit doctior.* Cur autem tantoperè metuit *Leus*, ne quid *Augustinus* videatur ab *Hieronymo* didicisse: nam id vehementer abominatur in scheda quam intercepi Sed atrocius est quod mox impingit: *Hoc vero*, inquit, *quod objicis, juvenem adscitum ad munus Episcopale ac neophytum, quod* Paulus *vetat, objice &* Ambrosio, *adhuc catechumeno ad eam dignitatem evecto, qui probe causam tuebitur suam, quippe paratus & instructus quod prius hoc fecerit contra* Vercellenses. Ni mihi decretum esset ab affectibus temperare, nonne hîc optimo jure debaccharer in *Leum*? Patrocinor *Augustino*, præsertim in his quæ scripsit juvenis, quod statim raptus sit ad functionem Episcopalem. Ac *Leus* mihi dicam scribit, quod insimulem *Augustinum* ambitûs, qui contra *Pauli* doctrinam adhuc pene neophytus arripuerit Episcopi dignitatem. Quia *Paulus* vetuit, ideo refugit *Augustinus* quantum licuit: sed quod nolens pertractus est, hoc illi ademit otium ad studia necessarium. Atque hîc scilicet locum habebat *Ambrosius* ante designatus Episcopus quàm baptizatus. Si hanc appellarem calumniam, *Leus* ageret mecum injuriarum. Doceat igitur me lector, quid sit calumnia, si hæc non est? *Erat*, inquit, *audeo dicere, in utroque canicies fidei, digna Episcopatu.* O miram libertatem, si hoc audet dicere *Leus*, quod nemo negat? At num ideo non multa nesciebat *Augustinus* in sacris Litteris? num ideo non fuit inferior *Hieronymo*, quod præditus esset canicie fidei? Sed nondum finis. Addit *Leus*: *Dicit non insectandum, sed tolerandum, sicubi non assequitur quod affectat.* An hoc dictum meum improbat *Leus?* An postulat ut laudemus *Augustinum*, etiam cum aberrat à vero? An non sat est si lapsum toleremus, nec insectemur, quemadmodum facit *Valla?* Nam lapsum esse, nec id admodum raro, nec ii negant qui plurimum tribuunt *Augustino:* quod tamen illi cum cæteris commune est: *Sed tu tamen*, inquit *Leus*, *insectaris, & ita insectaris, ut minoris facias quam ulla hominum opinione hactenus habitus est, ita ingenium tribuis, ut eruditionem adimas, ita sanctitatem prædicas, ut ambitûs prope accuses, quod Neophytus susceperit Episcopatum.* Hactenus ille. Quid ego audio? Nullus unquam fuit mortalium ante me, qui in sacra doctrina potiores tribuerit *Hieronymo?* At possem referre insignium Theologorum de *Augustino* suffragia, quæ nolim hîc recensere. An indoctus est quisquis ignorat aliquid, aut quo sit alius doctior? An accusat ambitûs, qui excusat, quod non ea præstiterit quæ voluit, propterea quod statim nolens involutus sit curis Episcopalibus? An ambitûs incusat, qui scribit adscitum? Sed hîc ex admonitu meo *Leus* addidit, *prope*, videlicet moderans, quod acerbius dictum videbatur. Quanquam quid ad rem facit illud *prope*; cum ego multis parasangis absim ab eo ut insimulem *Augustinum* ambitûs. Et tamen illud *prope*, non erat in primis schedis, in quibus præter alia (nam ad manum non est scheda) palam mihi impingit, quod odio quodam perverso falsa etiam illi impingam. Verùm id admonitus delevit. At interim quoties ista descripta sunt, à quam multis lecta priusquam hæc deleret? Si dicto tantum læsisset famam meam, erat innocentiæ Christianæ sarcire quod erat illatum noxæ: nunc cujusmodi est hæc libris illinere, describenda curare, spargere per regiones? Atque hæc qui facit, negat se unquam secus de me loquutum, quam honorifice: negavit proximo colloquio, cum hic liber esset in manibus typographi, quicquam inesse contumeliæ, tametsi quædam essent libere dicta. Sed pergit *Leus: Non assecutum innuis quod affectabat in re litteraria. Ut donem non assecutum quod affectabat, num satis est assecutum esse, quantum nemo pene alius?* Hæc ille. Quid hîc ratiocinatur *Leus*? an ideo non est tolerandus *Augustinus* in his quæ scripsit juvenis, si tantum in litteris est tandem assecutus quantum vix alius quisquam? Neque enim hîc disputo, an tantum sit assecutus quantum illi tribuit *Leus*, cui tamen patitur aliquem præponi cum dicat, *vix alius*, opinor de seipso sentiens. Subjicit *Leus: Sed quantum ipse assecutus es (venia tua loquor) ut censorem agas tanti viri, cujus cum sanctitatem, tum eruditionem totus orbis Christianus multis jam Seculis admiratus est, veneratus est, & prope adoravit?* Quid? an orbis erat desiturus id facere, ni *Leus* hæc scripsisset? Cur autem rursus adjecit, *prope*? an non plane veneramur, & adoramus *Augustinum*? quod si sensit de cultu qui peculiaritet soli debetur Deo, cum ad hunc nullus mortalium accedat, non in tempore addidit *prope*. An *Augustinum* excusare, est censorem in illum agere? an qui inferior

est, non potest effari quid de *Augustino* sentiat? Si istud mihi de *Augustino* non permittit *Leus*, qua fronte sibi permittit censuram in *Hieronymum?* Nam de me nihil dicam, quem adeo contemsit, ut existimarit nihil tam oscitanter in me scribi posse, quod non satis esset ad obruendum *Erasmum*.

His argumentis posteaquam me satis refellit, perorat admodum severe, iterum atque iterum optans ut hac ætate natu grandior factus grandævum illum imiter *Augustinum*: *Obsecro*, inquit, *per* Christi *caritatem, relegas diligenter, ac juste expendas quæ scripsisti, & sicubi more hominum te lapsum inveneris, non pudeat te ad exemplum beatissimi, atque ad miraculum usque eruditissimi patris, recantare ubi male cecinisti. Itaque videbis quantum ipse egeas censore, potius quam tanti præsertim patris, censorem agas.* Quis hæc absque risu legat, qui rem norit? At qui sit ignarus, quis non credat esse gravem ac seriam admonitionem grandævi cujuspiam & auctoritate præpollentis Episcopi? Cum ipse tot locis hallucinetur, cum toties reprehendat ea quæ non intelligit, cum toties agat argumentis adeo contra me nihil facientibus, ut in ipsum recidant, cum toties à me bene dicta detorqueat ad calumniam, cum toties citet Auctores sacros in sensum diversissimum, cum toties sic odio feratur in proximum, è cujus certe libris multa didicit juvenis, cum toties (sed malo finem facere, quam toties enumerare, quoties ille peccat insigniter) quin ipse sibi cantionem hanc canit, quam nunc canit mihi? Cur non auscultavit fidis ac doctis amicis, qui magno meo malo suadebant *Leo* ut opus suum premeret, utpote dedecori futurum non auctori modo, verum etiam toti *Britanniæ*? Cur non auscultavit *Joanni Atensi*, qui noluit rem agi per contentionem? cur non saltem meum admisit consilium, qui toties admonui, videret etiam atque etiam quid scriberet edendum, neque speraret protinus omnibus arrisurum, quicquid ipsi scribenti arrisisset, malletque stylum suum attemperare ad gravium ac doctorum hominum judicium, quàm ad quorundam applaudentium assentationem, ut argumentis rem ageret, non convitiis. Hæc quoties admonui, etiam parum, ut ipsi videbatur, amicus, sed tamen amicius consulens quam illi, quos ille pro summis ducit amicis, aut quam ipse consuluit sibi fortasse plus satis amicus. Vides, lector, quam hîc nihil sit dignum palinodia. Nunc cum in posteriore Editione quædam adjecerim quæ vetarent, ne quis possit ad eundem modum calumniari, quorsum attinebat hæc tam multa, tam odiosa, tam rixosa in vulgus edere? Jam hoc res est magis ridicula, quod sic objurgat, sic admonet, jam absolutis posterioris Editionis voluminibus. Nam schedam eam, ut dictum est in Apologia, non ante nactus sum, quam altero volumine perfecto rediissem *Lovanium*. Et tamen si hæc existent me mortuo, quod ego non dubito quin fuerit *Lei* consilium, credidisset lector, his verbis me fuisse monitum priusquam ad recognitionem operis accingerer. Hujusmodi nugis neque meum otium, neque tuum studium occuparem, optime lector, nisi *Leus* tam capitaliter nos impetisset, & nisi rumor hujus libri jam opera quorundam bonam orbis partem occupasset, priusquam in lucem prodiret. Sed hujus voluminis modus esto. Quod superest proximo volumine conficietur. Ex hoc interim conjicito lector quam non opimum triumphum sit relaturus hic, qui tanto tumultu rem aggressus est.

FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI

LIBER ALTER

QVO RESPONDET RELIQVIS ANNOTATIONIBVS

EDUARDI LEI.

Des. Erasmus Rot. Candidis Lectoribus S. D.

DUM hæc scriberem, optime lector, identidem pœnituit instituti laboris, neque enim arbitror multis annis mihi collocatam operam in ullum argumentum, vel cum tædio majore, vel cum fructu minore. An *Leum* sui libelli pœniteat nescio. Nam ajunt illum majoribus etiam copiis instaurare pugnam. Quod si falsum est, & ille pacem mavult, age dividamus inter nos victoriam, dimidium laudis ille ferat, ego dimidium: vicerit ille convitiis, ego veris: fuerit ille superior vociferationibus, argumentis ego: dixerit ille seditiosius, ego moderatius. Quod si volet solidam auferre laudem ex hoc conflictu, ne tentet denuo jurgiis & convitiis, qua quidem in re jam omnium, atque adeo meo quoque suffragio palmam tulit, nec habebit me posthac concertatorem. Quid enim facilius quam vel ingerere, vel regerere maledicta, & lusco discere lusce? Mulierum ac scurrarum ista concertatio est, non Theologorum. In promtu est cuivis labem alieno nomini adspergere, qui suum ipsius probrum non metuit: ut enim vitæ, sic famæ alienæ dominus est, qui suæ contemtor est. Si *Leus* vult talis haberi apud alios, qualis ipse videtur sibi, vir eruditus, cordatus, attentus, oculatus, fortis, tueatur bonis argumentis suas illas toties jactatas & tandem orbi proditas Annotationes: neque rursus evomat tantum pus convitiorum, interim pollicitans, mox se responsurum argumentis nostris, quod videlicet præstet *ad Calendas Græcas*. Si fidit sibi, primum hoc aggrediatur quod ad rem pertinet, omittat illud in quo nemo non fatetur illum valere plurimum. Si mecum aget his rationibus, quæ doctos viros deceant, fortassis habebit *Erasmum* conflictatorem. In altero genere certaminis nolim experiri vires meas, à quo discedit uterque & saucius & inglorius, quod maledicentiæ, non eloquentiæ viribus nititur, nec aliud laudis aufert victor, nisi quod habetur vir improbior & amarulentior. Odi victoriam quæ non contingit nisi graviter læso proximo. Crudelis est voluptas è fratris exitio triumphum agere. Pulcherrimum certaminis genus est, unde qui vincit discedit honoratior, qui vincitur abit doctior. Quod si illi nihil videtur eruditius quam maledicere, me non habebit adversarium, & tamen fortassis non defuturus est suus *Bitho Bacchius*: imo jam nunc accinctos video, qui *Leum* accipiant pro ipsius dignitate. Quod si scissem, parsissem hujus temporis sumtui. Ego posthac hujusmodi tricis non avocabor à melioribus studiis. Alioqui quid facilius, quam tenebrionem aut rabulam aliquem subornare, qui indoctis & insulsis convitiis impetat hominis famam? Atque talis histrio jam adornatus est, arctissimæ religionis professor, sed ausus irreligiosissimi mo-

lie

Digitized by Google

litor: adeo litterarum expers, ut nec hoc convitium, quod quidam in me jaciunt dum Grammaticum appellant, in eum dici possit: adeo non ingeniosus, ut etiam communi sensu careat, neque quicquam adferat ad scribendum, præter animum omnibus virulentiis undique corruptum. Juvenis est, & miser prurit nominis ac famæ parandæ scabie: jamque gestit prodire in proscenium, magno ordinis sui dedecore: ac *Leo* sic favet, ut tamen ei tantam famam subito partam invideat. Video sic esse fatum meum, ut doceam qui me carpunt, ut nobilitem qui me infamant, ut ad studia bona exstimulem qui me à bonis avocant studiis. Etenim ni *Leus* plane velit ingratus videri, fatebitur *Erasmum* sibi magno commodo fuisse. Siquidem dum me studet carpere, cœpit attingere nonnihil melioris litteraturæ, cœpit amplecti studium Linguarum, cœpit evolvere quædam veterum Auctorum, nostras lucubrationes undique defloravit, quin & *Politiani* libros attigit, ne vel hac parte videretur nihil omnino valere. Aliis *amor stimulos addit ad bonas disciplinas*, uti scripsit *Plato*, huic ad easdem calcar addidit odium. Fortassis hoc egent stimulo, qui præter se nullos amare possunt. Postremo jam orbi non minus notum est *Lei* nomen, quam *Erasmi*. Non contemnet opinor hoc præmii *Leus*. Id enim sensit, ni fallor, cum scribit ad me in Præfatiuncula, qua mihi dicat sacras suas Annotationes: *Mihi verò*, inquiens, *quicquid evenerit, nec male, nec infeliciter cadet.* Hoc dicit, ut pessime cadat alea, certe continget innotescere. Id cum *Leo* per me contigerit, superest ut eo beneficio recte utatur ad suam Christique gloriam. Quod si non satis habet peperisse famam, ni bonam etiam pepererit apud bonos ac doctos, primum canat palinodiam convitiorum, quibus immerentis famam impetiit, deinde fateatur & emendet lapsus suos, quos innumeros prodidit uno libello, dum in meis voluminibus paucos conatur ostendere. Optimum erat paruisse monenti, ne tali libro propinaret se deridendum orbi. Nunc saltem malo doctus hactenus obtemperet consiliis amicorum, ne se rursus conjiciat in rabiosam concertationem, & eruditorum calamum in se provocet. Si quid laudis parari potest linguæ virulentia, si quid indoctis vociferationibus, abunde multum laudis jam nunc tulit *Leus*. Nos nihil gessimus per insidias, neque cum adjuratis typographis egimus, ne quis inspiceret chartas antequam esset absolutum opus, quemadmodum fecit ille. Et *Leum* sic tractavimus, ut nihil sit in mea responsione tam asperum, ut ille non gravius lædatur suis ipsius scriptis. Porro quo magis in promtu sit illi lapsus suos agnoscere, non omnes, neque enim est numerus, sed aliquot elencho demonstravimus, non tali, qualem ille præfixit suo libro, qui præter fumos, fucos, technas, & seditiosas calumnias nihil habebat. Hîc multominus pollicetur quam præstet opus, & moderatione quoque respondet. Si me audies, lector, neque *Lei* calumniis, neque meis apologiis evolvendis bonas horas male perdes. Attamen si quid forte hausturn est veneni ex *Lei* libello, consultum fuerit nostra uti antidoto. Cæterum ab eo qui volet exercere censuram, illud petam, ut nostra legat attentius, & si vacat cum iis quæ scribit *Leus* conferat. Nam nos ubique quantum licuit studuimus compendio, ne in re & inamœna & inutili, nimium otii collocaremus. Quod si hæc est inevitabilis studiorum pestis, ut qui juvandi studio scribunt aliquid, cogantur cum omni monstrorum genere depugnare: cum nusquam desint indocti stolidique & depugnare parati, cedo totam arenam aliis. Hactenus nemo per me factus est ater, neque fiet, si modo liceat persequi meum institutum. Nihil adhuc scripsi sciens, quod adversetur pietati, aut gloriæ *Christi*. Articulos fidei toto pectore complector, dogmata recentium Theologorum sic recipio, ut nolim nec tueri pertinacius, nec impugnare contentiosius. Me nullus habebit nec impiæ doctrinæ magistrum, nec seditionis aut tumultus vel ducem, vel comitem. Famæ sum satur. Opes non ambio. Hoc ingeniolum, hæ litterulæ, Christi gloriæ servient: huic utinam prober, quandoquidem vix spes est fore ut placeam quibusdam, qui magis student suo lucro, quam *Christi*. Non est ullum studii genus quod damnem: non est ullum vitæ genus, quod insecter, de probatis loquor. Non improbo moderatas & ab Ecclesia receptas ceremonias, sed eos modo, qui his freti negligunt ea quæ sunt veræ pietatis. Nemo sincerius amat vere Religiosos, nec inter ullos malim vitam agere nisi dissuaderet necessitas. Eruditionem mihi non arrogo: quod dedit Dominus, libenter impartio. Si quis adferet meliora, non gravatim sequar. Qui movent hujusmodi tumultus, ipsi viderint: quales sint, ipsi se suis produnt libellis: quorum nullus adhuc tam indocte, neque tam virulente scripsit, quin hoc *Lei* libello sublevetur. Sed procemii plus satis.

INDEX.

ABERRAT toto scopo, neque quicquam agit tota Annotatione prima, nec aliud facit secunda, in qua illud, nescio quo nomine sim donaturus, quod cum ex ipsius Annotatione liqueat, *Leum* non aliunde quam ex me rescisse, in commentariis *Hieronymi* depravate legi pro *habet*, *habebit*, tamen in Indice jactat me sateri sic esse ut ipse admonuit: quid impudentius?

Item Annotatio 188. Nova 20.

Non intelligit quod reprehendit Annot. 3. 10. 19. 34. 36. 44. & 46. per totum. 57. non intelligit, neque quid ego voluerim, neque quid ipse loquatur: scribit συντρίβων per ω mega, cum pertineat ad πνεῦμα. Deinde admonet συντρίβων non cohærere cum αὐτὸν; sed scribendum esse σεαυτὸν, cum σεαυτὸν cum neutra lectione quadret, sive legas συντρίβων, sive συντρίβοντος, cum σεαυτὸν significet *teipsum*. Hîc autem nulla secunda persona ad quam possit referri σεαυτόν.

Item 61. 70. 75. 77. 78. 92. multa 108. 111. 112. 129. 130. 131. 143. 160. 191. 200. 203. 213. 214. 229. 235. 240. Novarum. 12.

De nihilo morose rixatur, An. 6. 7. 9. per totum. 11. 4. 8. per totum. 56. 76. 81. 84. 90. 108. 163. Supernumeraria 237. 238.

De nihilo excitat tragœdias ac seditiones, An. 17. 31. 46. 47. 90. 103. 113. 137. 160. 172. 193. 194. 197. 233. Novarum 22. 24.

Non constat sibi, An. 4. 19. cum negat esse quicquam dictu fœdum, cum in invectivis longe aliud objiciat, 44. 92. 116. 120. Novarum, 17. 10.

Palam calumniatur, An. 4. 5. 13. 17. 19. Imo per totum. 30. 32. per totum 35. 44. Multis modis, 68. 71. 72. per totum 113. per totum 127. 134. 141. 173. 187. 209. 213. 224. Supernumeraria 237. 239. Novarum 7. 17. 20.

Stulte probat, An. 9. 33. 44. 70. 162. 163. 243. Novarum 13.

Odiose vociferatur, cum rem totam non intelligat, An. 13.

Fœde labitur, 32. 55. 216.

Canit palinodiam, sed superbe, An. 14. 17. 92. 115. 181.

Falsò citat, An. 30. 31. 60. 83. 91. 92. Multa, 94. 97. 115. 118. 145. 217. 221. Novarum 25.

Depravat quæ citat, An. 36. 87. 118.

Taxat sacros Auctores, An. 238.

Fucum facit, gloriam captans, An. 44. 51. 54. 66. 70. 72. 89. 94. 95. 114. 115. 122. 148. 149. 151. 181. 184. 188. 218.

Docet quod non intelligit, An. 78. 132. 160. 161. 186. 193. 215. 217. 224. 232. 238. Novarum 4.

Sensum hæreticum approbat, An. 70. 92.

Nihil ad rem facientia, An. 91. 122. 161. 164. 239.

Frivola notat, An. 4. 21. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 34. 45. 49. 50. 52. 53. 58. 59. 62. 63. 64. 65. 73. 74. 80. 88. 90. 98. 99. 105. 106. 123. 124. 125.

Digitized by Google

126. 127. 128. 137. 138. 139. 140. 144. 147. 153. 154. 155. 156. 157. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 174. 175. 176. 178. 179. 182. 183. 184. 185. 189. 201. 204. 205. 206. 207. 208. 220. 222. 225. 226. 227. 228. 230. 241.
Absurda quæque videantur & sine mente dicta, Annot. 32. 46. 86. 92. 93. multa 112. 137. 142. 188. 190. multa 195. 210. 234. 237. 238. 239. 243. Falsa congerit 44. 113. 114. 130. 136. 141. 146. 180. 186. 193. 238. 239. 242. 243. 244. Sæpius Nova 12. 14.

DESIDERII ERASMI
RESPONSIO
AD ANNOTATIONEM CXIII.
EDUARDI LEI
ADVERSUS ANNOTATIONES ERASMI ROTERODAMI
IN ACTA APOSTOLORUM.

Act. I. PER *Spiritum Sanctum præcipiens.* Quoniam hæc particula, *per Spiritum*, reddebat orationem ambiguam, quod referri possit vel ad superiora, *præcipiens per Spiritum Sanctum:* vel ad sequentia, *per Spiritum Sanctum, quos elegit:* ut ostenderem rectius accommodari ad superiora, præsertim cum ordo sermonis præposterus sit alteram sequentibus sententiam, *per Spiritum Sanctum, quos elegit*: pro eo quod erat, *quos elegit per Spiritum Sanctum*: adhibita periphrasi verteram hunc in modum, *Ad eum usque diem, quo postquam impartitus in hoc ipsum Spiritum Sanctum, mandasset Apostolis quos delegerat, rursum assumtus est.* Hîc *Leus* negat opus fuisse periphrasi, cum nostra lectio congruat ad sermonem Græcum. Imò non quadrat, vel in hoc quod non congruit ratio temporis in ἐντειλάμενος. Sed negat ex Euangelistæ verbis elici, quod nos expressimus periphrasi. Imo quo minus alter sensus possit elici, sermonis ordo reclamat. Quid autem vetat intelligi quod nos vertimus? An qui per pecuniam dicitur aliquem evexisse ad magistratum, nonne intelligitur impartitus pecuniam conciliasse illi magistratum? Nec ideo nego per Spiritum Sanctum electos Episcopos qui regerent Ecclesiam, si annoto *Christum* per Spiritum Sanctum delegasse suis prædicandi munus? Imo quod adducit *Leus*, pro me facit magis. Porro quod ἐντειλάμενος refert ad hoc quod mox sequitur, *ab Hierosolymis ne discederent*, mihi sane videtur tum coactius, tum dilutius, quasi fuerit hoc præcipuum, aut solum quod illis præcepisset, cum *Lucas* illic attingat summam eorum quæ *Christus* mandasset suis à resurrectione. Ad hæc, quid opus erat illic admiscere quod mox esset narraturus? Jam quod negat *Lucam* facere mentionem de prædicandi munere delegato Apostolis, mihi satis est quod *Matthæus* & *Marcus* meminerunt. Porro de Spiritu Sancto nominatim meminit *Joannes* Capite xx. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum*, &c. Nec tamen ita sequor hanc sententiam, ut diversam rejiciam. Tametsi *Chrysostomus* Græcis commentariis explicans hunc locum, ordinat sermonem hunc quemadmodum nos ordinamus, his verbis, διὰ πνεύματος ἐντειλάμενος, τοῦτ' ἐστὶν πνευματικῶς πρὸς αὐτῶν εἰπὼν ῥήματα, idque multis verbis prosequitur. Hac de re cum nunquam monuerit *Leus*, tamen annotat in Indice quod hunc locum non mutarim. Hominem tyrannicum, qui à nobis exigat ut divinemus quid in posterum etiam scripturus sit.

AD CXV.

ET *convescens præcepit.* Annotaram mihi videri scribarum vitio depravatum, *convescens* pro *conversans*, cum neutrum verbum, quod est in Græcorum codicibus, sonet *convesci*. Sed *Leus* in *Aleandrino* Lexico legit συναυλίζεσθαι sonare etiam *convesci*. At unde hoc hausit *Aleander*, si tamen hoc addidit *Aleander*, nisi ex hoc loco, quando nemo, opinor, Latinus dixit *convesci*. Quanquam αὐλὴ Græce sonet & *diversorium*. Neque pugnat inter se *conversari* & *convesci*, at non ideo vox eadem utrumque significat. Neque facit adversus annotationem meam, quod *Christus* à resurrectione sumserit cibum cum discipulis suis. Sumsisse cibum cum discipulis statim à resurrectione palam declarat Euangelica historia. Nec hoc sensit *Lucas* his verbis, *Christum* convivium egisse cum suis eo die, quo repetiit cœlum: sed summam proponit eorum quæ gesta sunt ante Servatoris adscensionem, quo connectat Euangelicæ narrationis seriem cum hac historia. Cætera minutiora sunt. Nec hujus rei nos admonuit *Leus*, cum nunc recenseat inter manentia. Verùm hîc *Leus* sumto Christiano animo, quodammodo palinodiam canit, & hoc nomine vult sibi debere lectorem, quasi parum sit si veniam impetret is qui sarcit erratum suum. Sic enim ingreditur: *quia*, inquit, *utilitati tuæ studemus, optime lector, ne quid ignores*, &c. Deinde promittit simili modestia usurum sese etiam in cæteris, si quid offenderit apud Veteres, non pudebit, inquit, recinere, si opus sit, aut saltem te commonere. Quod si *Leus* præstabit id quod pollicetur, non dubito quin ducentas simus habituri palinodias. Atqui turpissimum est παλινῳδεῖν, ubi sic impetitur fama proximi, ubi tanto supercilio res geritur, ubi colaphis passim cædimur, ubi hæreses, schismata, & his dictu atrociora vocabula intentantur. Hîc *Leus* non gravabitur recinere, aut si id videtur indignum tanto viro, ne quid decedat ipsius dignitati, commonefaciet lectorem, indicans opinor locum à falsariis corruptum. Ut satisfiat lectori, quo pacto satisfiet mihi? At ego in priore Editione multo magis ingenue pollicitus sum palinodiam, si quid offenderem secus quam oportuisset dictum: atque hinc non uno in loco invitavi studiosos, commonstrarent si quid offenderet. Atque id feci in opere non ad carpendum, sed ad docendum parato: in quo nullius fama incessitur, in quo nomen etiam eorum illustro, à quibus dissentio. Et *Leus* post tot rixas, tot jurgia, tot convitia, post tam multa seditiosissime dicta, post editum librum insigniter famosum, sibi ignoscet, si modo commonefecerit lectorem erroris sui, sed incolumi tamen ipsius dignitate: idque faciet cedens auctoritati *Augustini*, aut similium, alioqui non cessurus, ni tanti essent nominis apud omnes. Et tamen interim vult ex-

Eodem.

expendi rationes illas admirabiles, quibus ſuam ſententiam communiit, quæ fortaſſis efficient, ut ab *Auguſtino* deſciſcentes in *Lei* ſententiam pedibus diſcedamus. Jam illud lubens rogarim *Leum* ſi permittat, cum ſimul ediderit & priores Annotationes, & hunc Indicem, cur non correxit potius duas illas Annotationes, quam hanc palinodiam adjecit Indici, non mutatis illis quæ male ſcripſerat. An metuebat ne parum amplum eſſet volumen? nec enim video quam aliam cauſam poſſit prætexere. *Pariſiis* excudebatur liber, *Leus* erat *Lovanii*: qui ſi adfuiſſet, videri poterat excuſis jam chartis illis ſero deprehendiſſe, quod hîc recantat, niſi forte *Lei* frater *Galfredus* hoc adjecit de ſuo, qui caſtigando libello præerat, cui debes, lector, quod habes eum uſque adeo purum putumque à mendis. Siquidem hîc plane juxta Græcorum proverbium, ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρὴν. Verùm illud pene me fugerat, cum ego in poſteriore Editione non ſemel adduxiſſem teſtimonium ſancti *Auguſtini* ex libri primi, quem ſcripſit adverſus *Felicem Manichæum*, Capite tertio, *Leus* id diſſimulans, citat eadem verba ex operis, quo reſpondet *Auguſtinus* litteris *Petiliani Donatiſtæ*, Capite decimo. Atqui cum hujus operis ſint tres libri, nullius horum decimum Caput habet aliquid hujuſmodi, unde conſentaneum eſt *Leum* aliqua occaſione hîc falſum eſſe. Jam & illud feſtivum, quod hanc *Auguſtini* lectionem, paraphraſin vocat, cum locus ipſe doceat, hanc Eccleſiaſticam fuiſſe lectionem. Sic enim narrat Notarius, excipiens quæ tum agebantur: *Et cum reddidiſſet codicem Euangelii, accepit Actus Apoſtolorum & dixit.* Ac paulo poſt, *Et recitavit in Actibus Apoſtolorum: Primum quidem ſermonem*, &c. Bellum vero futùrum erat, ſi Epiſcopus ſtudens teſtimonio divinæ Scripturæ revincere hæreticum, pro verbis Euangeliſtæ ſuam adduxiſſet paraphraſin. Quin vel hic unus locus apud *Auguſtinum* arguit, Eccleſiaſticam lectionem certe apud *Afros* aliam fuiſſe, quam qua nos utimur hodie. Locum reperies quarto & quinto capite, conferat ſi cui vacat.

AD CXVI.

Ac. II. LICET *audenter dicere* μετὰ παῤῥησίας, cum *audenter loqui*, & *libere loqui* idem valeant, cur *Leus* & à me diſſentit, & ab Interprete? Cujus ſermonem cum alibi dicat eſſe Spiritus Sancti, demiror quod non veritus ſit *audenter* vertere *in palam*, niſi quod homo conſtans mavult à Spiritu Sancto diſſentire quam à ſeipſo. Atqui *Chryſoſtomus* hoc loco demonſtrat inſignem modeſtiam *Petri*, qui non dixerit aperte. *Non dictum eſt de* David, *ſed de* Chriſto, *verùm præfatus multùm honorem Propheta* David, *præmollit ſermonem, ne quid offenderentur orationis libertate.* Quis igitur locus ridiculo *Lei* commento? quaſi dicat: Liceat mihi apud vos exponere quid his verbis Propheta *David* ſenſerit, ut clare intelligatis. Sed hoc quamvis ineptum maluit, quam non tueri ſuperiorem ineptiam.

AD CXVII.

Ac. III. MOSES *quidem dixit*, admonet *Leus*, quod additur apud Græcos, *ad patres*, in Latinis non eſſe. Id ſi tum admonuiſſet, fuiſſet additum. Nec hîc aliud poteſt objicere, quam humanam incuriam in re non periculoſa. Et in poſteriore Editione additum eſt citra *Lei* admonitionem.

AD CXVIII.

Ac. IV. ADVERSUS *puerum tuum Jeſum.* Cum παῖς apud Græcos polyſemon ſit, & ut arbitror, etiam apud Hebræos, admoneo magis vertendum eſſe *filium* quam *ſervum*, quoties de *Chriſto* loquimur, quod *Filium Dei* frequenter & certo vocatum legimus, *ſervus* an dictus ſit incertum eſt ob vocem ancipitem. Sed *Hieronymus* contendit *Chriſtum* vocari *ſervum*. At *Ambroſius* diſſentit, enarrans Epiſtolæ ad *Philippenſes* Cap. II. *Non enim*, inquit, *mihi ſicut quibuſdam videtur, ſic formam ſervi accepiſſe, dum homo natus eſt.* Ac paulo

A ſuperius: *Formam tamen Dei non accepiſſe dicitur, ſed eſſe in forma Dei. Servi autem formam accepiſſe, dum quaſi peccator humiliatur. Servi autem ex peccato ſiunt, ſicut* Cham *filius* Noë, *qui primus merito ſervi nomen accepit.* Vides ut *Ambroſius* non aliter admittat in *Chriſto* ſervi perſonam, quàm perſonam peccatoris. Verùm cum toties fallus non ſatis viderem *Leïcæ* citationi, viſum eſt excutere loca quæ adducit, non opinor ex ipſis fontibus, ſed ex Indice, quem indoctè vocant *Concordantium Bibliæ.* Nam primum *Eſaiæ* Capite XLI. *Hieronymus*, qui juxta Hebræos vertit, *Et tu Iſrael ſerve meus*; cum prolixo ſermone locum interpretetur, ne verbo quidem
B meminit *Chriſti*, verùm totum hoc ad Apoſtolos accommodat, & nominatim ad *Paulum*, qui prius fuerit ſervus Legis *Moſaïcæ*, mox electus ad Euangelii prædicationem. Neque ſecus interpretatur Gloſſa, quam vocant *Ordinariam*. Et hic eſt locus, quem cenſor *Leus* negat alio detorqueri poſſe quam ad *Chriſtum.* Refellat igitur *Hieronymum* falſo interpretantem, & ſuos Auctores adducat, quos repudiato *Hieronymo* ſequamur. Porro quod adducit ex ejuſdem Prophetæ Capite XLII. demiror cur putarit Prophetæ verba mutanda. Cum enim illic juxta verſionem ex Hebræis habeatur, *ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum:* ac
C juxta Septuaginta legatur, *Ecce Jacob puer meus, aſſumam eum*, *Leus* adducit, *Ecce ſervus meus ſuſcitabo eum.* Ubi nunc eſt illa lex terrifica, quæ nec apicem patitur immutari in ſacris Litteris? An excuſabit incuriam? Sed ut ipſi videtur, ſupinitas in ſacris Litteris impietas eſt. At fortaſſe ſic habet Index. Verùm oportebat in re ſacra locum ipſum expendere, præſertim cum pararet carpere. Atque hunc ſane locum *Hieronymus* interpretatur de *Chriſto*, ſed negans addi mentionem *Jacob*, cum vaticinium edatur de *Chriſto*, & tamen hic *Jacob* additur à Septuaginta. Jam in eo quod citat ex *Eſaiæ* Capite XLIII. vide quot modis peccet, qui lapſus alienos tam moroſe inſectatur.
D Primum, cum illic habeatur juxta translationem, tum *Hieronymi*, tum Septuaginta, *Vocavi te nomine tuo, meus es tu.* *Leus* ſic adducit, *Vocavi te nomine tuo, ſervus meus es.* Ubi nunc dormit illa terrifica lex, *qui diminuerit, aut appoſuerit?* Hîc nihil habet *Leus* quod prætexat, niſi ſuam vel incuriam, vel inſcitiam, cujus nobis nullam omnino facit gratiam: aliis *Cato*, ſibi *Suffenus*. Verùm opinor me deprehendiſſe quid hîc impoſuerit *Leo*. Index, quem *Concordantiam* vocant, ſic adducit hunc locum, quemadmodum refert *Leus*, ut jam verear ne *Frobenio* ſcribat dicam, & falſarium appellet. Quod dico, probabilius facit, quod negat hunc locum alio detorqueri poſſe quam ad *Chriſtum*,
E cum *Hieronymus* totum interpretetur de choro Apoſtolorum, quemadmodum primum illum. Et fortaſſis eodem pertinet medius, etiamſi diſſentit *Hieronymus*. Non ſic, opinor, deliraſſet *Leus*, niſi ex Indice decerpſiſſet quod adducit. Hîc eſt qui nos ſubmovet à tractandis ſacris Litteris, hic qui docebit orbem, quam caſtè, quam circumſpectè, quam religioſè tractandæ ſint divinæ Litteræ. Ceterum ut *Hieronymus* conatur oſtendere nomen *ſervi* competere in *Chriſtum*, ita multorum aures abhorruerunt ab hoc nomine, quod indignitatem quandam ſonat prima ſpecie, & pugnet cum nomine *filii*, quod ſibi ſemper uſurpat in Euangelio *Chriſtus*, qui & Apoſtolos ſuos jam edoctos arcanorum, pro ſervis amicos appellat. Quod ſi quis Auctores requirit, habet unum certe
F *Chryſoſtomum*, qui nunc occurrit, in Caput Epiſtolæ ad Hebræos ſecundum enarrans hunc verſiculum, *propterea unxit te Deus Deus tuus præ participibus tuis.* Quanquam hoc loco non recenſeo meam opinionem, ſed de *Laurentiana* diſputo. Nam ſub mea perſona loquens dico in Annotatione, *Et fortaſſe ſervi appellatio in hunc non convenit. Et plane non convenit, quatenus eſt filius.* Id me ſenſiſſe ſatis indicat quod ſequitur: *Etiam ſi obedivit & ſubditus fuit Patri juxta aſſumtum hominem, ſed ut filius, non ut ſervus. Nam filius obtemperat, ſed ſua ſponte: ſervus*

vus metu ſuum facit officium. Porro quod *Hieronymo Chriſtus* dicitur *vermis*, pro me facit, ſi recipimus hyperbolen. Neque deſunt Auctores, qui in hanc ſententiam pedibus eant. Refellit quod obiter addideram, *Chriſtum* non fuiſſe puerum, cum adferret ſalutem. Quid opus erat hîc argutari, cum *Petrus* interpretetur de morte *Chriſti*, qua nos redemit, etiamſi tota *Chriſti* nativitas ac vita ad humani generis ſalutem pertinet. *Convenerunt enim*, inquit, *vere adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum Herodes & Pontius Pilatus.* Porro quod rurſus diſputat in Indice *Leus* adverſus poſteriorem Editionem, magis ad *Ambroſium* pertinet, quem ſequutus ſum, quam ad me. Illum prius refellat oportet, qui negat ſibi placere ſententiam eorum, quibus *Chriſtus* ideo diceretur accepiſſe ſervi formam, quod factus eſſet homo. Jam quod negat *Chriſtum* fuiſſe ſubditum Patri, *quatenus erat filius, ſed quatenus erat ſervus*, fortaſſe verum eſt, ſi *Chriſtus* juxta naturam humanam nullo modo dicitur *Filius Dei*, cum homines pii, *filii Dei* vocentur.

AD CXIX.

Act. VI. NON *ceſſat loqui verba.* Hîc quando nihil muto, ne in noſtra quidem lectione, nec in Græca, non eſt quod carpat *Leus*, niſi rationem, imo conjecturam meam, quam adfero in Annotationibus. Et tamen erat cur ſuſpicarer apud Græcos additum, vel hoc argumento, quod in Latinis codicibus non haberetur, maxime cum eo non adjecto conſtet ſententia. Atque adeo mecum facit *Chryſoſtomus* interpres, qui de blaſphemis in enarrando nullam omnino facit mentionem. Cæterum quod obiter ait *Leus*, fieri poſſe ut aliquis loquatur adverſus Templum, aut adverſus Deum citra blaſphemiam, mihi videtur abeſſe multum à vero.

AD CXX.

Act. VIII. HIC prorſus præter omnem cauſam inceſſit *Leus* Exemplaria Græcorum. Admonueram in quibuſdam Græcis codicibus deeſſe verſum unum aut alterum, ſed addo, mihi videri omiſſos incuria Librariorum, & eoſdem in alio codice cum reperiſſem adſcriptos in margine, adjeci. Quid hîc queritur *Leus*? Nihil deeſt, ne in priore quidem Editione. Annotatio teſtatur codices illic fuiſſe mutilos, ſed ſuccurrit alius. An ideo non eſt credendum Græcorum Exemplaribus, ſi in uno quopiam aut altero reperiatur locus mendoſus? Quis autem tam ſtultus, ut in tali negotio fidat uni codici? Sic enim loquor hactenus, quaſi conſtet, hîc Græcos codices eſſe mutilos. Et tamen quod indicavi deeſſe, non attingit *Chryſoſtomus* Græcus interpres, cujus commentarii poſt bis editum opus nobis tulere ſuppetias ad editionem tertiam adornandam. Sed civilior eſt in calce hujus Annotationis quam ſolet alibi, negans fidendum Græcis codicibus, ni comperiatur *Hieronymus*, aut alius quiſpiam Veterum cum illis conſentire. At iſtud agimus hoc toto opere. Debebat tamen addere, aut niſi ſuffragentur Exemplaria vetuſta Latinorum. Et tamen hoc ita dicit, quaſi ſolus *Leus* adducat Veterum teſtimonia, nobis dormientibus.

AD CXXI.

Act. IX. DURUM *eſt tibi.* Cum contextus & Græcus & Latinus ſic haberet ut probat *Leus*, quid obfuit quod in Annotationibus admonui, particulam hanc in Græcis quibuſdam codicibus abeſſe? Quid aliud ſuſpicari poteſt, quam me poſt alia nactum Exemplaria. Neque tamen perpetuum eſt, ut quod ait *Leus*, narratio repetita per omnia reſpondeat. Nec *Chryſoſtomus* attingit, quod indicaram abeſſe.

AD CXXII.

Act. X. QUOMODO *unxit eum Deus.* Cum non negem Apoſtolorum ſermonem, licet inconditum, tamen efficaciorem fuiſſe aliorum oratione quantumvis phalerata, cum ipſe *Leus* fateatur ſeſe parvifacere, utrum dicamus Apoſtolos unica Lingua loquutos in Actis, quæ ſit ab omnibus intellecta, an Linguis diverſis, quando hoc & hodie controverſum eſt inter Theologos, cum non diſſentiat in hoc, quod aio Apoſtolos ex conſuetudine Græce loquentium Græcam Linguam didiciſſe, quid igitur tot verbis agit? Diſplicet illi, quod vitium ſermonis noto in Apoſtolis. Si vitium appellat formam ſermonis abhorrentem à ratione & uſu emendate loquentium, quid piaculi ſit vitium hoc tribuere Apoſtolis, quod toties facit *Hieronymus*? Sed notas, inquit. Imo *Lei* vox hæc eſt, non mea. Et hoc ſyllogiſmo claudit hanc annotationem: *Tu ſermonem a decretis Linguæ exorbitantem vitii notas, ego nihil vitii patior dici in opere Dei. At ſermo Apoſtolicus opus eſt Dei, quem qualiſcunque ſit veneror præ majeſtate.* Sic *Leus* περαίνεται. Quid? an ego uſquam adſpernor ſermonem Apoſtolicum? An non frequenter illorum cœleſtem admiror eloquentiam? Si *Leo* nihil aliud eſt vitium quam peccatum, fateor in opere Dei abeſſe peccatum, aut certe abeſſe debere: ſin balbuties linguæ, aut lippitudo vitium eſt, quid prohibet tale vitium conjunctum eſſe cum opere Dei? *Leus* imperitiam ſermonis tribuit *Paulo.* An qui tribuit imperitiam ſermonis, non tribuit vitium? Sed hoc vitium veneratur *Leus.* At non quatenus eſt vitium. Nec veneramur ſermonis incommodum, ſed ſententiam. Si *Paulus* uſus ſit veſte lacera, nonne diceres veſtem vitioſam, citra *Pauli* contumeliam? An cum lectorem torquet incommoditas ſermonis, non licet illi ſubvenire? nec enim aliud agimus hoc loco. Excute, lector, Annotationem meam, nihil reperies in Apoſtolos ſecus dictum quam oportet. At gaudet *Leus* in hac Annotatione ſocium habere *Martinum Dorpium*, ne ſolus ſapere videatur, quaſi vero periculum ſit ejus rei, ni *Dorpius* ſuccurriſſet. Tametſi *Dorpium* non idem movit quod *Leum.* Imo habet & *Eccium* hujus rei ſocium, quo minus metuat ne ſolus ſapere videatur. Sed *Eccio* reſpondimus Epiſtola, quam admiror quo conſilio diſſimulet ſibi lectam eſſe. Jam quod addit in Indice *Leus*: mihi in poſteriore Editione additum quod nolim hac de re digladiari, nihil ad hanc rem de qua mihi cum *Leo* controverſia eſt. Nam vitium ſermonis plane tribuo Apoſtolis, etiamſi non taxo, neque inceſſo.

AD CXXIII.

Act. X. HIC notat, quod cum admonuerim in Annotationibus, pluſculum eſſe in Græcis codicibus quam in noſtris, tamen non adjecerim in contextu quod noſtris deerat. Fingat hoc mea incuria omiſſum, ſatis erat alicubi monitum eſſe lectorem. Jam quod in poſteriore adjecimus Editione id quod deerat in priore, *Leus* tacite rogat, ut ipſi feratur acceptum. Oro te, lector, gratificare famelico, cui utinam aliquando contingat gloriæ ſaturum fieri.

AD CXXIV.

Act. XIII. SALVATOREM *Jeſum.* Hîc cum in contextu ſequutus ſim eos codices, qui habebant additum *Jeſu* nomen, itaque verterim, nihil habet *Leus* quod ſuggillet, niſi quod in Annotationibus admonuerim, in nonnullis codicibus non addi *Jeſum*, & addo, *fortaſſe nondum erat tempus explicandi nominis.* Id ideo venerat in mentem, quod legamus fuiſſe tempus, quo *Jeſus* nondum voluerit prædicari *Meſſias*, rurſum Apoſtolos in initio prædicationis apud rude vulgus abſtinuiſſe à vocabulo Dei. Ita forte fieri poterat, ut quoniam *Jeſu* nomen adhuc erat inviſum, *Servatorem* prædicarit, ſuo tempore expreſſurus & nomen. Id quoniam mihi non admodum probabatur, adjeci, *forte.* Quod adjecerim probat *Leus.* Proinde nihil hîc mihi cum illo controverſiæ eſt. Et tamen dictu mirum, quam hîc attollat ſupercilium, cenſorculus *Leus*, credas ipſum loqui *Paulum*, ac meminit neſcio cujus alterius Euan-

Paulum, ac meminit nescio cujus alterius Euangelii, quasi dispensatio prædicandi non sit perpetua, aut quasi post resurrectionem etiam nonnulla tacuerint Apostoli, servantes ea suo loco. Nec enim protinus supprimit nomen *Jesu*, qui hoc suo exprimit loco. Postremo non animadvertit *Leus* hîc narrari rem gestam ante resurrectionem, & ita narrari ut gesta est.

AD CXXV.

ADMONVERAM, in quibusdam pro σωτῆρα haberi σωτηρίαν, id est, pro *Servatore salutem*, & tamen sequor quod cum nostra lectione consentit. Quid est igitur quod queratur *Leus*?

AD CXXVI.

MIROR cur ex una duas fecerit Annotationes. An hoc reprehendit, quòd maluerim sequi codices Græcos qui cum nostris consentirent, cum tester, in quibusdam aliis defuisse?

AD CXXVII.

Act. xiv. LEUS indicat, in nostris codicibus haberi quæ desint in Græcis, nimirum hæc, *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem & Barnabas Lystris morabantur.* Quid facerem, quando hæc nec in *Aldina* Editione, quæ post meam prodiit, habentur? Hoc si tum admonuisset *Leus*, fortassis hujus rei mentionem feciſſem in annotationibus. Cæterum quod *Leus* ex hoc loco colligit, non esse fidendum Græcis codicibus, quibus non ob aliud tam iniquus est, nisi quod à me proditi sunt in lucem: ego vicissim colligo, *Lei* judicio nihil esse tribuendum, cum in codicibus, quibus addita est Glossa, quam vocant *Ordinariam*, totum hoc deest, & glossema, quod apparet esse *Bedæ*, admonet in Græcis haberi, in quibusdam vero Latinis non haberi. Quin & *Lyranus* cum scribat perpetuum commentarium, hunc tamen locum in enarrando non attingit, imo ne in contextu quidem codicis habebatur, quo sum usus cum hæc scriberem. Jam in Editione, quæ habet *Hugonis Carrensis* commentarios, videmus adjectum in spatio marginis, *Alias non habet, sed est in Græco.* Ac ne *Chrysostomus* quidem enarrans hunc locum attingit id quod indicavimus deesse. Eat nunc *Leus*, & nihil addubitet, quin Græcis desit quod in nostris legitur, sed non omnibus. Quin & in superioribus post hæc verba, *Et universam in circuitu regionem*, *Beda* notat in Græcis Exemplaribus addi, *Deus autem pacem fecit*, negans id addi in omnibus Latinis. Cur hîc non periclitatur *Leus*? cur non vociferatur, totius Scripturæ majestatem vocari in dubium, quando variant utriusque linguæ codices? Quonam igitur confugiet orbis, nisi ad *Lei* oraculum?

AD CXXVIII.

Act. xvii. CUM Græce sit ὡς τάχιστα, quod Latine reddi poterat ad verbum, *quam celerrime*, demiror Interpretem maluisse recedere à Græcis verbis, parumque Latine reddere. *Leus* admonet, hoc indicari potuisse civilius, videlicet Interpreti deferens, quem putat afflatu divini Spiritus hæc vertisse. Ego diversum sentio, atque adeo mecum divus *Hieronymus*. Quanquam quid hîc est incivilitatis?

AD CXXIX.

Act. xix. DE *via Domini*. Indico apud Græcos non addi *Domini*, videri apud Latinos additum explicandæ rei gratia. Cæterum potuisse verti, *de hac via*, quod articulus περὶ τ῀ ὁδ῀ demonstret certam viam, nimirum eam, de qua paulo ante facta est mentio. *Sed non idem*, inquit, *permittis interpreti Joannis in τ῀ κόσμον, id est, in hunc mundum.* Neque damno tamen Interpretem, imo alicubi excuso, quanquam non est similis ratio. Non est alius mundus quam hic mundus, ut sit opus articulo discernente. Sed absurde quis dicat *de via*, nisi addat aliquid, quo certam viam demonstret. Neque consequens est, si alicubi nihil demonstret articulus, idcirco nusquam aliquid certi demonstrare.

AD CXXX.

Act. xxi. ADMONUERAM, ex hoc loco videri *Jacobum* in ea fuisse sententia, ut existimaret legales ceremonias adhuc esse servandas. *Leus* dissentit. Primum, quid miri sit, si id sensisset *Jacobus* inter Judæos assidue versans, cum in hac sententia fuerit aliquandiu *Petrus* abhorrens à congressu *Cornelii*? Neque tamen id sensi, *Jacobo* visam *Mosi* Legem ad salutem esse necessariam, sed servandam adhuc ad vitandum offendiculum infirmorum, cum *Paulus* putaret esse tempus negligendi eam superstitionem, utpote vergentem in magnum discrimen Euangelicæ doctrinæ.

AD CXXXI.

Act. xxii. ΠΡΟΕΧΕΙΡΙΣΑΤΟ, quod Interpres vertit *præordinavit*, dico rectius vertendum fuisse, *præparavit*. Nam *prædestinare* est statuentis, προχειρίσασθαι est aggredientis, quæ præparent ad ea quæ mox sequutura sunt. At *Leus* contendit etiam illa media fuisse prædestinata. Quis hoc negat? Verùm hoc non narrat hîc *Lucas*, in cujus Interpretem scribo annotationes. Et tamen si satis commemini, notat alicubi in Indicibus *Leus*, quod detraham prædestinationi divinæ, cum hîc nihil aliud quam Græcæ vocis explicem vim ac proprietatem. Certe *Chrysostomus* hunc enarrans locum nullam facit mentionem prædestinationis. Neque quicquam adversum me facit, quod hîc *Leus* citat Theologos recentiores, gratus homo, ne fraudentur sua laude qui hanc sycophantiam suppeditarunt. Ac multo minus, quod refert ex *Osee*, *Sepiam vias tuas spinis*: nisi quod hominem spinosum delectarit spinarum mentio.

AD CXXXII.

Act. xxiii. PERCUTIAT *te Deus*. Hîc ostendo, neque convitium fuisse quod dixerat *Paulus* in Pontificem, neque mendacium quod dixit, se ignorasse quod Pontifex esset, & tamen ob tumultum agnovisse veluti dictum convitium, & agnovisse veluti Pontificem, qui revera Pontifex non erat. At *Leus* sic mavult *Paulum* excusari à mendacio, quod *Ananias* vere non fuisset Pontifex, abrogato jam *Mosaico* pontificio. Verùm quî potuit hoc ignorare *Paulus*? Hîc magis hærebit in periculo mendacii: *Sed mentitur*, inquit, *qui Pontificem quantumvis sceleroſum negat esse Pontificem.* At non mentitur, qui hominem brutorum exemplo servientem ventri, negat esse hominem: *Mendacii reus erit Paulus*, inquit, *etiamsi quod dixit, aliquo modo verum sit, nisi verum fuerit ad sensum communem.* Hanc legem plane rejicio. Alioqui non excusabimus *Christum* à crimine mendacii, qui dixit, *Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud.* Item cum jubet tunica divendita emi gladium. Imo ad hanc legem plane mentitus est *Paulus*. Sciebat illum esse Pontificem, id quod fatetur *Leus*, alioqui non consistit illius commentum. Et juxta sensum communem erat Pontifex. Mentitur igitur se nescisse quod esset Pontifex. *Chrysostomus* indicat, quibusdam placere per ironiam esse dictum, *nesciebam quod Pontifex esset*, magis approbans diversam sententiam, quod vere nescierit esse Pontificem, partim quod diutius abfuisset à consuetudine *Judæorum*, partim quod is esset in turba multorum. *Beda* diversum sentit, ac vult prophetiam esse, non interpretationem quod dicit *Paulus*: nimirum *Beda* legit *percutiet*, non *percutiat*.

Digitized by Google

AD CXXXIII.

Act. xxiii. INDICAVI versum unum atque alterum in nostris haberi, qui in Græcis non inveniretur, admonens lectorem ut sicubi reperiret, adderet: nam nec in *Aldina* Editione comperio additum. Quid aliud potui facere quam feci, etiamsi prorsus addendum esset quod desiderabatur? Et hîc *Leus* putat ob hanc causam non esse fidendum Græcis codicibus: *Et quid*, inquit, *nos tantopere confidimus in Græcis Exemplaribus? Etiamsi Editio nostra non bene habet, quomodo emendabitur ad codices interdum mutilos, interdum plane falsos?* Ut pronuntiat censorculus noster, quanta cum auctoritate. Credas dictatorem loqui: imo totum hunc locum, quem hic affirmat deesse Græcis codicibus, quos ob id mutilos appellat, *Lyranus* indicat non pertinere ad contextum, nec in libris emendatioribus haberi, verùm scholium hoc in margine fuisse adjectum, quod causam redderet, quare Tribunus voluerit *Paulum* sic esse munitum. Id scriba quispiam retulit in contextum. Hæc *Lyranus* nequaquam ex suo capite somniavit, sed in vetustis aliquibus commentariolis reperit, è quibus suam enarrationem concinnavit. Ac ne *Chrysostomus* quidem hunc enarrans locum, vel legit, vel exponit quod indicavimus abesse. Eamus nunc, & diffisi Græcis codicibus fidamus *Lei* somniis, qui ceu pro confesso sumens hæc verba deesse in Græcis codicibus, vociferatur non esse fidendum Græcis codicibus, aliàs mutilis, aliàs plane falsatis.

AD CXXXIV.

Act. xxiv. IN Actis non suppetebant nobis perinde multa Exemplaria. Videntur enim Græcis Acta non perinde esse in usu Ecclesiastico. In cæteris deerat aliqua pars, quam tamen in uno codice reperi adscriptam in margine, & hinc adjeci. Quid igitur queritur *Leus*? habet quod vult. An ideo non est fidendum Græcis codicibus, si quid in uno quopiam omiserit scriba, quod tamen in aliis emendatioribus comperiatur? Nam & ipse reperi, ut dictum est, in uno codice, & in *Aldina* legitur Editione: quanquam Glossa, quam vocant *Ordinariam*, testatur aliquot versus minus haberi in nostris codicibus, qui tamen in Græcis habeantur hoc sensu: *quem apprehendimus, & secundum nostram legem voluimus judicare. Transiliens Lysias tribunus, cum multa vi de manibus nostris eduxit, jubens ejus accusatores ad te venire, quo possis ipse dijudicans de omnibus istis cognoscere.* Si verum est quod ait *Leus*, hæc verba necessario esse addenda, & si non mentitur Glossa, in nostris codicibus deesse, quin in nostris codicibus fidem desiderat potius quam in Græcis? Adeo infensus est Græcanicæ genti *Leus*, opinor quod adhuc illi Græcitas parum feliciter cesserit: & tamen constat hoc commentum esse *Bedæ*, ne prorsus contemnat *Leus*. Cæterum quod *Leus* negat cohærere sermonis tenorem, omissis quæ dixeram abesse, propterea quod sequatur, *a quo*, quo magis id urget, hoc magis elevat fidem Latinorum codicum. Certe Græcis est παρ' ὃ, id est, *à quo*, & potest intelligi missus qui jubetur interrogari.

AD CXXXV.

Eod. AD hanc nihil respondeo, quando *Lei* conjectura non consistit: de mea videris, lector: quod si quid rectius tibi veniet in mentem candidus imparti. Ex interpretatione *Chrysostomi* nihil colligitur quale somniat *Leus*. *Lyranus* rejicit nos ad hujus operis caput nonum, plane mecum faciens. Sic enim ibi legimus: *Cum autem septem dies consummarentur, is qui de Asia erant Judæi, cum vidissent eum in Templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus.*

AD CXXXVI.

Act. xxvi. CUM Interpres dormitans prodigiosum admiserit solœcismum, ita vertens, *Omnia quæ apud nos sunt* A *consuetudines & quæstiones: Leus* tamen indignatur mihi quod hoc indicarim, atque excusat Interpretem duplici nomine, vel quod insciens peccarit, vel quod locus sit à Librariis vitiatus. Quis autem tam indoctus, ut hunc solœcismum non sentiat? Ab aliis locum vitiatum esse non est probabile, sive quod aliàs frequenter ad eundem dormitet modum, sive quod omnes codices consentiant. Absque solœcismo refert hunc locum *Hieronymus*, in libro *De optimo genere interpretandi*. Porro quod hîc nomino Theologos, non insector illos, sed quod hujusmodi solœcismos patienter ferant admiror. Atque hic multis verbis patrocinatur Theologorum barbariei, & illos in me concitat, quasi ipse non multo pejus mereatur de Theologis, B quos nolit carere barbarie. Postremo locum hunc recenset inter ea quæ non mutaverim, cum in Editione posteriore omiserim Theologorum mentionem, ne quid esset odiosius.

Ad supernumerariam.

Act. xxvii. BENIGNE *triduo habuit*. Cum paulo superius tam insignem solœcismum non viderit Interpres, demiror cur hîc tam eleganter sit loquutus, præsertim cum apud Græcos aliæ sint voces: nam *benigne* dixit pro *humaniter*, & *habuit* pro *tractavit*. Hîc rursus adjurgor à *Leo*, qui tam inclementer tractem Interpretem, quasi debeamus illi tantam reverentiam. Negat hoc C esse instituti mei, emendare Latinum Euangelium ad veritatem Græcam. Imo hoc susceperam maxime, & si quid male reddidit Interpres, indico. Cur non liceat ostendere, si quid elegantiæ causa discessit à Græco sermone?

IN EPISTOLAM AD ROMANOS

AD CXXXVII.

Rom. i. D IX *resurrectione mortuorum*. Cum apud Græcos sermo sit anceps, & in multos sensus trahi possit, collectis variis argumentis, magis in hoc propendeo, ut intelligamus *Christi* virtutem divinam in hoc declaratam, quod ipse resurrexit à mortuis, quam quod quidam illo moriente revixerint: cujus rei solus *Matthæus* meminit. Et quo partem hanc reddam probabiliorem, addo conjecturam, si quod *Matthæus* velut obiter meminit de quibusdam ad vitam revocatis, quorum nomina tamen non citat, proprie pertinuisset ad comprobandam divinitatem *Christi*, cæteros etiam Euangelistas hujus rei mentionem facturos fuisse. Quod mortuus est *Christus*, nullus non meminit: nam proprie pertinebat ad declarandam humanam naturam: quod resurrexit, meminerunt omnes. Siquidem hoc faciebat proprie ad E declarandam illius divinam virtutem, præcipue quia revixit virtute propria, quemadmodum testatus est ipse, sibi esse in manu ponere animam suam, & cum vellet recipere eam. Nam quod ad *Christi* vocem revixerint quidam, etiamsi testetur in summa divinam naturam, tamen non testatur proprie, cum legamus & à Prophetis excitatos ad vitam defunctos. At nemo purus homo sic posuit vitam, & sic arbitrio suo recepit vitam. Hæc cum dixerim in Annotationibus inquirendi studio, nec omnino stulte, nisi fallor, *Leus* nescio quid tragicum somnians, ratiocinatur hunc in modum: *In his*, inquit, *quæ certa fide tenemus, sicuti de his quæ scripserunt, vel non scripserunt Euangelistæ, quod verum non est, nec ego puto probabile esse: nam quod* F *probabile est, nonnullam habet rationem qua defendatur. At vero scripsisse Euangelistas quod non scripserunt, tantum abest ut defendi debeat, ut plane impium sit defendere, præsertim cum Ecclesia plenam nobis Euangelistarum rationem jam olim tradiderit, ut impium sit vel addere quicquam, vel adimere. Quod si quisquam audebit dicere,*

Digitized by Google

cere, probabile esse hoc scriptum Euangelistis, quod Euangelista non habent, vel non esse scriptum Euangelistis, quod plane in Euangeliis continetur, quid potest dici apertius pro hæreticorum decretis? qui Euangelium infestant, hac janua aperta tollent cristas. Nihil protuleris ex Euangelio tam forte, quod ipsi non retorqueant: quippe clamabunt probabile esse, non hoc scripsisse Euangelistam, sed falso à nobis confictum. Hactenus *Leus*. Obsecro te, lector, si talia scriberet *Erasmus*, quis crederet illi mentem esse? Frequenter ad ista conniveo, & utinam semper liceret: ac facerem, ni tam odiose nos impeteret. Quis unquam dixit ab Euangelistis narrari factum, quod factum non est? Quis unquam aliquid ademit aut addidit Euangeliis? Quis unquam ademit auctoritatem Euangelistarum narrationi? Quis dixit, illic esse quicquam à nobis confictum? Quis ferat hæc tam odiosa sine mente, non modo sine causa dicta? & tamen hunc locum notat etiam in primo Indice ceu vehementer periculosum. Tandem propius ad rem accedit *Leus*, ostendens ab aliis Euangelistis alia dicta aut omissa, sed ita temperatam scripturam ut summa fidei constet. Quid tum postea? An si ad *Christi* doctrinam aliquo modo pertinet, consequitur ut proprie pertineat ad comprobandam *Christi* divinitatem? At nec *Leus* argumentatur tam civiliter, imo sic agit quasi dixerim, si quid omissum sit ab Euangelista quopiam, ideo pro confecto habendum, quod ab aliis non commemoretur. Sic enim loquitur: *Non tamen credo, dices, probabile esse hæc non fuisse omissuros, si ita haberent ut refert* Joannes: *alioqui fiet, ut pene nihil certum sit apud Euangelistas, cum non omnes omnia dicant, & quæ dicunt, alio modo dicunt, etsi non alio sensu, si quis Christiane intelligat.* Dispeream, ni me horum pudet etiam adversarii nomine, vel ob hoc ipsum, quod Theologus dicitur. Utinam vel inimicum suum audisset bene consulentem cum hæc ederet. Si librum suum communicasset, non hujusmodi prodidisset orbi, de quibus quid judicaturi sint docti, me pudet divinare.

AD CXXXVIII.

Eod. INTER argumenta, quibus tum utebar, vellicat & illud, quod cum mortui, quorum meminit *Matthæus*, revixerint antequam reviviscceret *Christus*, scripserim non videri verisimile *Paulum* hîc sentire de his. Sed ut rem in pauca conferam: In hoc à me dissentit *Leus*, quod hos mortuos resuscitatos vocarim *præcursores resurrectionis Christi. Quales*, inquit, *præcursores erant qui postea apparuerunt, quam is quem præibant.* Ad id ut tribus verbis respondeam: Qui prior ad vitam redit, nonne præcurrit? Sed ignotum erat eos revixisse. At hoc nobis cognitum est ex narratione Euangelistæ, nobis igitur non absurde dicentur præcursores. Et fortasse tunc multis erat notum. Postremo quia *Joannes* paucis prædicavit in deserto, an ideo non fuit περόδρομος *Christi? Leus testes* dici mavult quam *præcursores*. Sed *Joannes* Baptista an ideo non fuit testis quod esset præcursor? Verùm in his næniis operæ nimium ponitur.

AD CXXXIX.

Eod. VRGET hoc quod scripseram, Si *Paulus* volebat asserere *Christi* divinitatem, magis debuisse commemorare resurrectionem ipsius, quam aliorum. At *Leus* putat efficacius argumentum, si sentiatur de generali resurrectione. Ac verum dicit, si ea tum fuisset peracta: verùm ut hanc persuaderet, *Christi* resurrectio, quæ præcesserat, prius erat persuadenda. Et tamen hanc opinionem, quam amplectitur *Leus*, propemodum inter cæteras recenseo, videlicet intelligi totam resurrectionem capitis ac membrorum, quod sit velut eadem omnium resurrectio.

AD CXL.

Eod. AVARITIA, &c. Quoniam subinde variant codices, non Græci modo, verùm etiam Latini quoties re-

A censentur hujusmodi nomina virtutum aut vitiorum, & in his quidam ita distorquent sese, quasi certus sit numerus, cum probabilius sit Apostolum summam earum rerum voluisse proponere, ut ex his, quæ commemorantur, intelligamus & alia his affinia, duobus verbis admonui, non esse tam anxie numerandas voces, cum in Epistola ad *Galatas* numerentur fructus spiritus, opera carnis non numerentur: nimirum id sentiens, si *Paulus* habuisset in animo numero certo recensere spiritus & carnis opera, debebat utrinque numerus inter se constare contrariorum. Quot enim adfert commoda spiritus, tot incommoda adfert caro. *Leus* respondet, virtutem in angusto esse, vitium late regnare. Sed quid hoc ad rem? Numerat *Paulus*
B opera carnis, sed numerus non respondet numero diverso. Quod *Leus* dicit, fortassis utcumque locum habebit si de generibus aut formis virtutum ac vitiorum fiat sermo: nunc de fructibus est mentio. An plus incommodorum parit vitium, quam virtus commodorum? Tametsi quod de numeris admonui, non tantum de vitiis aut virtutibus dictum est, sed de rerum quarumlibet catalogo, in quo nolim Interpretem superstitiose torqueri.

AD CXLI.

HOC loco cum palam tester me recte sentire de Rom. v.
C peccato originis, non habet *Leus* quod eo sane nomine mecum expostulet. Illud tantum admoneo, ne peccato hoc abutamur, ubi nihil est opus, neque passim torqueamus Scripturam divinam ad culpam ex *Adam* primo parente generis humani contractam, cum possit & alius sensus consistere. Nec ideo velimus passim amplecti mentionem hujus peccati, quod hujus præsidio facilius elabimur ex angustia disputationis, quemadmodum Astrologi suis abutuntur epicyclis. Quid hîc adhuc est quod offendat pias aures? an quod nolim adversus hæreticos detorqueri Scripturam? *Sed innuis*, inquit, *peccatum originis esse commentum Theologorum.* Quî consistit me fateri peccatum originis esse, &
D sentire commentitiam esse rem? Antequam cum *Pelagio* res esset, locum hunc bifariam interpretabantur: postea quam *Pelagianis* bellum indiximus, sic urgemus hunc locum, quasi non possit secus accipi. Atqui divus *Ambrosius* sic interpretatur, ut non sit opus peccato originis. Et *Origenes* cum utramque referat interpretationem, tamen eam potissimum sequitur, quæ constat sine peccato originis: *Sed extorques*, inquit, *interim hoc telum Theologis, quo conficiant hæreticos*, quasi peccatum originis non possit aliunde demonstrari, quam ex hoc loco. Quod si impium est hunc locum secus interpretari quam de culpa originis, quid faciemus *Ambrosio*, qui secus interpretatur? *Si tenes*, inquit *Leus*, *Ecclesiasticum dogma de peccato originis, non est quod metuas ne inventum sit Theologorum.* At quis istud dixit? Fingat
E hunc locum non posse secus accipi quam de peccato originis, an ideo non potest fieri ut alicubi non in tempore abutamur hoc peccato? Fingat nullum esse locum in sacris Litteris, cujus præsidio doceamus peccatum originis, an ideo non crediturus sim quod credendum præcipit Ecclesia? Hanc Annotationem, quæ nihil habet præter studium depravandi mea, claudit hunc in modum: *Et vide*, Erasme, *an hoc æquum sit, ut tu solus sapias contra tot patrum gravissima testimonia. Per* Christi *caritatem obsecro te & obtestor*, Erasme, *ut nolis inferre in Ecclesiam sanctam hoc novum genus tractandi sacras Litteras cum calumnia Veterum.* Quid? an ego solus sapio, qui *Origenem* & *Ambrosium* sequor auctores, atque etiam *Theophylactum*, neque dubito quin is veteres Græcorum sit æmulatus? An ideo adversor Patrum testimoF niis, quod indico sensum utrumque consistere? An calumnior Veteres, qui sic aperio sensum alterum, ut illorum sensum non rejiciam? Quæso te, lector, ut locum nostrum in Annotationibus conferas, & videbis *Leum* hîc nihil aliud quam calumniari voluisse.

Digitized by Google

AD CXLII.

Eodem. QUOD *Paulus* Græce ſcripſit διῆλθεν, & Interpres verterat, *pertranſiit*, nos vertimus *pervaſit*, quoniam *Auguſtinus* hujus occaſione verbi lapſus eſſet, qui putarit dictum *pertranſire*, quod præteriſſet, eam ambiguitatem ſuſtuli. Sed *Leus* objicit mihi *Origenem* Latine loquentem, qui legerit *pertranſiit*, atque etiam diligenter enarrarit. Quidni enarret, ſi illi idem eſt *pertranſire* & *pervadere?* Aut quid novum, ſi *Hieronymus* in vertendo ſequutus eſt vulgatam lectionem, num ideo mihi non licebit mutata voce, ſermonis amphibologiam tollere? Sed *Origenes* dixit in ſacris Litteris nullam ſyllabam eſſe ſupervacaneam. Quid hoc ad me pertinet? num ego muto verbum *Pauli* διῆλθεν, nam de Græco verbo loquutus eſt *Origenes*: & tamen hic locus recenſetur inter ea quæ non mutarim.

AD CXLIII.

Eodem. IN *plures abundavit.* Admoneo Græcis non eſſe εἰς πλείους, id eſt, *in plures*, ſed εἰς τοὺς πολλοὺς, id eſt, *in multos.* At *Hieronymus*, inquit, legit *plures.* Fortaſſe, ſed exiſtimans nihil intereſſe inter *multos* & *plures.* At *Origenes* explicat myſterium aucti numeri. Quid ſi id facit, non ex hujus occaſione vocis, ſed ejus quæ ſequitur ἐπερίσσευσεν, id eſt, *abundavit.* Creſcit quod abundat: & in priore parte non erat abundantiæ mentio. Atque hunc quoque locum notat à me non eſſe correctum, cum nihil eſſet corrigendum.

AD CXLIV.

Rom. VIII. SUPRA *modum peccans peccatum.* Cum Græce ſit ὑπερβολὴ ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία, quod perinde ſonat quaſi dicas, *ſceleſtum ſcelus*, indico me dilucide potius quam Latine vertiſſe, *peccaminoſum peccatum.* Hîc objicit mihi *Hieronymum*, qui legerit *peccatum peccator.* Ubi ſic vertit *Hieronymus*? In contextu? Fatetur igitur hanc verſionem non eſſe *Hieronymi*? In commentariis? Quid hoc ad me pertinet? Utrique negleximus ſermonis vitium, quo ſenſum exprimeremus Apoſtoli. Sed ille aliter ſolœciſſat quam ego, & haud ſcio an ego tolerabilius. Quid igitur eſt periculi?

AD CXLV.

Rom. IX. ET *non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Hæc admoneo non haberi in Græcis codicibus, ac ne in *Theophylacti* quidem commentariis: & indico qua occaſione videantur adjecta, videlicet ex gemina codicum lectione, quam oſtendit *Hieronymus.* Hîc *Leus* cenſor adſcribit, Origenes *legit & declarat, ſicut & Eccleſia legit.* Primum, an Græci non habent, aut olim habuerunt Eccleſiam? Deinde quid legit *Origenes*, aut quo loco? In *Oſee* varia, ut dixi, lectio eſt. In hunc locum nihil ſcribit *Origenes*, unde colligas eum legiſſe, quod nos in libris Latinis legimus, imo potius diverſum conjicere licet. Verba ipſius ſunt hæc: *Ne forte etiam nos qui non fuimus plebs Dei, ſed per divitias gloriæ ſuæ vocavit nos plebem ſuam: & quia non fuimus dilecti, ſed facti ſumus dilecti, & Filii Dei vivi.* Ex his apparet illum legiſſe, quemadmodum nos juxta Græcorum codices legimus. Nam quod paulo ſuperius meminit miſericordiæ, non ex hoc loco natum eſt, ſed ex eo, quod præceſſit de vaſis iræ, & de vaſis miſericordiæ. Jam *Ambroſius* conſentit cum Græcis. Quid igitur hîc volebat mutari *Leus*? An volebat me addere de meo, quod nec eſt in Græcis Exemplaribus, nec apud interpretes? cum *Hieronymus* oſtenderit in Propheta duplicem eſſe lectionem: In aliis eſſe *dilectam*, *non dilectum*: in aliis rurſus *miſericordiam conſecutam*, *& non conſecutam miſericordiam.* An volebat me utramque conjungere, cum *Hieronymo* ſufficiat altera? Et hoc annotat *Leus* inter ea quæ non mutavi.

AD CXLVI.

Eodem. QUI *eſt in omnibus Deus.* Quid *Origenes* ſenſerit cum aliis multis de rebus, quas poſt amplexi ſunt *Arrians*, tum de Dæmonibus redimendis, obſcurum non eſt. Sed qui vel verterunt, vel ſecuti ſunt illius commentarios, præſertim *Hieronymus* & *Ambroſius*, quod inerat erroris periculoſi aut prorſus omiſerunt, aut correxerunt, ſed ita, ut liceat adhuc veſtigia quædam deprehendere. Hujus dicti *Leus* olim à me poſtularat argumentum. Juſſi legeret commentarios *Origenis* in III. Cap. Epiſtolæ ad *Romanos*, ex quo liceat etiamnum ſubodorari quid ſcripſerit *Origenes*, & quid correxerit *Hieronymus.* At *Leus* nunc demum reſpondens, cum tunc temporis obmutuiſſet, negat illic ullum eſſe verbum de Dæmonibus redimendis, quin potius contrariam ſententiam aſſeri. Utrumque verum eſt quod reſpondit *Leus*, & tamen verum æque eſt quod ipſe ſcripſi. Neque enim dixi hoc illic dici, ſed ſparſa eſſe quædam veſtigia erroris *Origenici.* Et contrariam ſententiam adſeri non negabam, cum faterer eſſe correctum ab *Hieronymo*, ſi quid ineſſet erroris. Cæterum cum illic agat *Paulus*, per Legem *Moſaïcam* hoc eſſe actum ut omnes intelligerent ſeſe obnoxios Deo, nec poſſe ſalutem abſque illius clementia conſequi, *Origenes* Legis nomen dilatat ad Legem naturæ, quæ Angelos quoque complectatur: eoque accommodat illud, *ut omnis mundus obnoxius ſiat Deo*, quod Angeli pars ſint mundi conditi. Ex his ſubodorari licet, hoc loco *Origenem* diſputaſſe de lapſis Angelis aliquando redimendis, præſertim cum in iiſdem commentariis etiam Archangelis tribuat vanitatem. Hoc ſuſpicatum fuiſſe me, minus admirabitur, qui legerit quibus verbis *Ambroſius*, *Origenis* imitator, interpretetur hunc *Pauli* locum: *Ut nota fiat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Is eſt in Epiſtola ad *Eph.* Cap. III. Poſſem alia quædam indicare veſtigia, ſed in præſentia mihi ſatis eſt refutaſſe quod impingit *Leus*, qui in Indice ſuo negat illic vel obſcurum hujuſce rei veſtigium eſſe.

AD CXLVII.

Rom. XI. IN *captionem*, cum hîc Græce ſit θήρα, id eſt, *venatus*, admonui ne putarent nihil aliud intelligi poſſe quam dolum, aut fraudem, in quem ſenſum quoſdam *captioſos* vocamus. Hîc objicit *Hieronymum*, qui ſcripſerit in commentariis, *poteſt &* captio *hujus menſa videri, quo Dominus eos ceperit cum dixit ad eos:* Quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt? Non ſtatim is eſt ſenſus, quem *Hieronymus* indicat accipi poſſe. Denique ut recte dixeris *Chriſtum* cepiſſe *Judæos*, non ideo *captioſum* recte dixeris: neque enim cepit eos dolo, ſed veritate conſtrinxit. Poſtremo nihil prohibet, & in venatu dolum addi. Neque tamen non erat indicanda Græcæ vocis proprietas. Et hoc notat *Leus* inter ea quæ non caſtigarim. Nec hujus rei tamen unquam admonuit.

AD CXLVIII.

Eodem. ALIOQUI *gratia non eſt gratia*, teſtatus ſum addi Græcis, quod in noſtris codicibus non habere-tur. Ea pars cum erudito cuidam amico valde arrideret, mihi poſt attentius expendenti ratio diſplicuit, idque pluribus verbis declaravi in Editione poſteriori. Id ſenſit *Leus*, & ob id conatus eſt aliquam laudis partem ſibi vindicare, cum mereatur, hoc ſane loco.

AD CXLIX.

Rom. XII. DOMINO *ſervientes.* In priore Editione poſueram Κυρίῳ δουλεύοντες, quemadmodum nos legimus, poſt ubi deprehendi variam lectionem, non celavi lectorem. *Leus* poſt ait ſe admonuiſſe per ſchedas, & *Hieronymum* ſeu potius *Origenem* indicare duplicem lectionem, meque reſpondiſſe, *Jam addideram Annotationibus meis.* Id ſi vere reſpondi, ſicuti reſpondi, nihil debetur *Leo* niſi pro ſtudio: ſin falſo, quod illic fortaſſe cupit te ſuſpicari, lector, multum gratiæ debes admonitori.

AD CL.

Eodem. NECESSITATIBUS *ſanctorum communicantes.* Sic verteram in Editione priori, neque quicquam annotaram, nondum animadverſa lectione diverſa: mox ubi comperi, adjeci poſterioribus An-

Digitized by Google

Annotationibus. *Leus* ait se admonuisse, quod *Hieronymus* testatur, pro *necessitatibus*, id Latinis aliquot codicibus esse *memoriæ*, se tamen neutram lectionem damnare. Hîc ut ait adscripseram: *O Hieronymianam modestiam!* Hoc te noluit latere *Leus*, optime lector, scilicet hoc pertinebat ad fidei catholicæ negotium. Sed interim meminerit, aliquid probare quod à vulgata lectione diversum est.

AD CLI.

Eodem. QUÆ *sit voluntas Dei.* Hîc admonet in contextu Latino per incuriam omissam voculam unam, *bona*. Cætera non video quorsum tendant, nisi *Leus* vult sibi ferri acceptum, quod eam in hunc adjecimus locum in Editione posteriore. Verùm si quis legat quod adjecimus, intelliget *Lei* præfidiis nihil opus fuisse.

AD CLII.

Rom. XIII. DAMNATIONEM *acquirunt*. Indicavi Græcis esse λήψονται, id est, *accipient*. *Leus* objicit, *Hieronymum* in *Origenis* commentariis legere *acquirunt*, & interpretari *conquirunt*. Aut igitur aliud legit *Hieronymus* quam in Græcis codicibus habetur hodie, aut locus est depravatus, & pro *conquirent*, scriptum est, *conquirunt*, aut aliud quippiam in causa est. Certe mihi nihil potest imputari.

AD CLIII.

Rom. XIV. ASSUMITE. Indico Græcis esse προσλαμβάνετε, quod verti potuerit, *adjungite*. *Leus* admonet *Hieronymum* veteri verbo usum, *assumite*. Quis autem damnat *assumite*? etiamsi Latinis non tam accommodum verbum est in hoc sensu *assumere*, quam *adjungere*. Ad cæteras Annotationes quoniam tantùm augent numerum non arbitror operæ pretium respondere, cum hujus farinæ sint aliquot.

AD CORINTHIOS.

AD CLVIII.

1. Corinth. II. UAM *nemo principum.* Hîc *Origenes principes* interpretatur Dæmones, in commentariis quibus enarrat *Matthæum*, & *Origenem* sequitur *Ambrosius*. Ego præfero sententiam *Chrysostomi* ac *Theophylacti*. Quid est periculi, cum cuique liberum sit ordinem nostrum invertere?

AD CLIX.

Eodem. QUIA *oculus non vidit.* Ostendo, quod nobis est, *adscendit*, Græcis ἀνέβη, verti debuisse *adscenderunt*. Et ostendo sic adduci nonnunquam ab *Hieronymo*. *Leus* objicit *Hieronymum*, qui vertens Homiliam *Origenis* in librum Numerorum IX. legerit, *adscendit*. At quid si is locus est depravatus ad nostram lectionem, præsertim cum alibi secus legat *Hieronymus*: ne quid interim causer in ejus operis interprete, cum nulla sit *Hieronymi* præfatio: & in Catalogo non agnoscit nisi XXVIII. Homilias *Origenis* in *Hieremiam* & *Ezechielem*, quas verterit? Sed fingat *Hieronymum* secus legere, an ideo non verum est quod annotavi.

AD CLX.

1. Corinth. III. LIGNUM, *fœnum, stipulam.* Quo refellerem eorum opinionem, qui putant hæc omnia ad bonorum operum gradus esse referenda, cito *Hieronymi* sententiam, qui putarit unam partem ad pios, alteram ad impios pertinere. Mox indico juxta sententiam *Ambrosii*, *lignum*, *fœnum ac stipulam*, accipi pro doctrina, sed insincera, quæ propius expensa ad veritatem A Euangelicæ doctrinæ sit abolenda, sed sic, ut is qui didicit, aut etiam docuit, fit salvus futurus, sed falsa doctrina exusta. Hîc multis verbis mecum agit *Leus* nihil ad rem pertinentibus, quasi tenerim *lignum, fœnum ac stipulam* esse quævis opera mala, & ignem esse incendium quo cruciantur impii, cum in priore quoque Editione nominatim tester hunc locum non accipiendum de igni purgatorio. Quod si *Leus* consuluisset *Ambrosium* enarrantem hunc locum, non tantum verborum incassum effudisset. *Ambrosii* verba sunt hæc, *Opus quod ardere dicitur, mala doctrina est.* Et in his quæ sequuntur, pœnam ignis interpretatur excussionem ac refutationem falsæ doctrinæ. Et aliquanto post: *Sed cum dicit*, sic tamen quasi per B ignem, *ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfida æterno igni in perpetuum torqueatur: ut aliqua in parte opera pretium se credidisse in* Christum. *Semper enim erubescat necesse est, qui se videt falsum defendisse pro vera: & simili modo semper fiduciam habebit Dei, qui abjecto falso sequutus est verum.* Hactenus *Ambrosius*. Quid potuit apertius? Dicit pudorem redarguti pœnam ignis, qua purgatur, sed ita, ut exusta doctrina falsa ipse maneat incolumis. Et hoc erat nimirum quod in *Lei* schedis annotaram, facta perire, non homines. Nam & discipulus dediscere cogitur, quod male didicit: & doctor improbare, quod male defendit. Vides igitur, lector, totam hanc causam *Leo* extra rem declamatam esse. Magis autem C admiror, quod nec in novis Annotationibus, quas nescio cujus consiliis aut suppetiis adjecit veteribus, sensit errorem suum. Siquidem & illic somniat me de pœnis inferorum loqui, cum palam ostenderim me de pudore loqui, quo afficitur is qui confutatur, & desciscit à falsa doctrina. Id cum tester aperte in utraque Editione, demiror etiam atque etiam, quæ res averterit oculos *Lei* ut hoc non viderit. Porro cum erret toto (quod ajunt) cœlo, vide quanto cum supercilio loquatur: *Adhibet*, inquit, *pharmacum. At hoc posterior lapsus est pejor priore.* Quid turpius arrogante imperitia? Tot inducit ἀσύστατα, tot inter se pugnantia, tot absurda, quibus nullus erat locus, si D totam Annotationem, quam reprehendit, legisset. Sed impositi homini carpendi aviditas immoderata. Quin & illud demiror, cum has Annotationes suas ediderit multo post Editionem meam posteriorem, cur separavit eas à prioribus? An ut crederemus in illis nihil additum ex his quæ post adjecimus? Sed ipsa reclamat res.

AD CLXI.

1. Corinth. XV. OMNES *quidem dormiemus.* Hîc in priore Editione demonstraram quid hodie legeretur in Græcis codicibus, quam lectionem sequuti sunt *Chrysostomus* ac *Theophylactus*. Ostenderam ex Epistola *Hieronymi* ad *Minervium*, hunc locum bifariam legi, *Omnes* E *non dormiemus, sed omnes immutabimur*: aut *non omnes resurgemus, sed omnes immutabimur*. Ostenderam *Ambrosium* interpretari quod nos legimus, sed admiscere & alterius lectionis aliquid, atque etiam interpretationis, qua significat fore qui non moriantur in adventu Domini, atque ob id non resurgant. Neque enim reviviscit nisi mortuus. Quam interpretationem si recipimus, nimirum constat lectio Græcorum codicum. Eandem sententiam paulo post repetit *Ambrosius*: *Vel certe simpliciter*, inquit, *omnes mortuos resurgere dicit, & solos sanctos, cum his qui vivi justi inventi fuerint, in gloriam immutari.* Indicaram lectionem, quam reperimus hodie in Græcorum codicibus, F magis congruere cum eo loco *Pauli*, qui est in Epistola ad *Thessalonicenses*: *Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur*, &c. Hæc cum indicassem, tamen *Leus* sic usurpat, quasi ex sese repererit omnia, piaculum esse ducens, si quid ex me videretur didicisse, non sane levius, quam si quid ab *Hieronymo* didicisset *Augustinus*. Hîc cum argutaretur *Leus*, *Si in priore parte legas*,

Digitized by Google

omnes immutabimur, *quomodo cohæret quod mox sequitur*, & nos immutabimur. Responderam, opinor, adjectis in scheda verbulis duobus, *Quidni discernat vivos à mortuis*? Id *Leus* putat non consistere, quod cum primum in genere dixisset, *Omnes immutabimur*, mox adjecerit, *& nos immutabimur*. Sed carpendi quam discendi avidior, non animadvertit præcessisse, *& mortui resurgent incorrupti*. Mox quasi rogasset aliquis, quid de nobis fiet qui vivimus, si forte dies ille nos hîc reperiat? Respondet, *& nos immutabimur*. An non hîc distinxit vivos à mortuis? Hîc rursus demiror *Lei* consilium, cur prolixam disputationem, quam instauravit in hunc locum, maluerit in Indice ponere, quam huic loco subjicere, videlicet ut omnes crederent illa mihi lecta esse. Certe nunquam mihi *Leus* respondit quicquam ad ea quæ chartis illius adscripseram, nisi forte persuasit, per proditorem illum mihi factam totius libri copiam, quod utinam verum esset, nunquam sex diebus illius opus meam responsionem antevertisset. At negat *Leus*, mihi quicquam opitulari locum, quem adduxeram ex secundo libro *Origenis* adversus *Celsum*. Atqui verba *Origenis*, quæ recito in posteriore Editione, palam declarant esse verum quod dico: quæ si non legit *Leus*, miror illius desidiam, præsertim cum reprehensorem agat: sin parum intellexit, miror ubi sit acumen quod sibi vindicat. Nam ex eo loco, quem adducit *Leus*, nihil aliud colligitur, quam *Paulum* loqui de piis immutandis, quod & alias magno studio *Leus* conatur adversus me probare, cum id contra me nihil omnino faciat: *Non omnes* pii *dormiemus*, *sed omnes ad gloriam immutabimur*. Mox, *& mortui resurgent*, *& nos immutabimur*, utique pii. Quin & *Origenes* nominatim annotat quod hic dicit, *& nos immutabimur*, mortuos fuisse discretos à vivis, quia præcesserat, *& mortui resurgent*, sed non soli immutabuntur illi, immutabimur & nos qui relinquimur. Rursus hîc magno conatu refellit *Leus*, quod concesserim aliquos immutandos, qui non essent mortui: multaque adducit, partim nihil ad rem facientia, partim sic in genere dicta, ut non excludant paucorum privilegium. Alioqui cum legimus, *in Adam omnes peccasse*, colligemus & Virginem matrem peccasse, & *Christum* peccasse. Si quod fatetur *Leus*, his non officit sermo generalis, *In Adam omnes peccarunt*, cur in aliis vult obsistere? *At Paulus*, inquit, *erat præscius futuri*, *& tamen ita loquitur*, *quasi dies ille foret ipsum in vita reperturus*. Primo probabilius est illi diem fuisse incertum, quem & Filius sibi dicit ignotum. Id interpretantur Theologi, nobis ignoravit. Quod si verum est, unde scivit *Paulus*? Et Apostoli cupientes ex *Christo* discere diem illum, audiunt: *Non est vestrum*, &c. Deinde potest accipi, ut *Paulus* sub sua persona loquatur de sanctis, quicunque illi essent futuri, quos adventus *Christi* deprehenderet vivos. Hæc omnia cum luculenter explicet Editio posterior, quid opus est hîc repetere? Legat illa qui volet, & videbit à *Leo* nihil allatum quod non discusserim. Postremo non est animus accuratius huic appendici respondere, nisi nomen adscribat suum, qui hanc *Leo* suppeditavit.

AD CLXII.

2. Corinth. 11. CHRISTI *bonus odor sumus Deo*. Hîc quod adscripseram in priore Editione, *Et Deum rursus appellat Patrem suo more*. *Quoties enim absolute hoc utitur verbo*, *Deum Patrem intelligit*. Annotaram & alias ex auctoritate Veterum, hunc esse morem *Pauli*, ut fere Deum nominans, Patrem intelligat, cum tamen id faciat frequentissime in omnibus Epistolis, in admodum paucis locis, Filium vocari Deum, etiamsi non negem ex illius verbis satis colligi, Filium quoque Deum esse. Proinde admoneo id quod alias annotaram, hoc quoque loco verum esse. At *Leus* putat Dei nomen hîc ad totam Trinitatem posse referri. Quid possit nescio, certe *Ambrosius* ad Patrem accommodat, *per Christum*, inquit, *se voluit intelligi*, *ut predicatio Christi*, *quæ utique inviſibiliter*, *ſicut ad nares odor*, *ita ad aures pervenit*, *Deum Patrem insinuaret creaturæ*. Sed periculosius est quod huc mea verba detorquet, quasi negarim Filium absolute Deum esse: *Quod si*, inquit, *absolute Deus non est*, *nec Deus est*. Grave vulnus, quod conatur infligere, sed pugione plusquam plumbeo. *Paulus ex more suo*, *quoties absolute Deum dicit*, *Patrem intelligit*, *igitur Filius non est absolute Deus*? Quod pistillum hoc enthymemate retusius? Non dico quid Filius possit appellari, sed quo pacto *Paulus* loqui soleat. Atque hic est locus (ni fallor) quem minitabatur indicaturum sese, cum mecum de *principio* litigabat. Sed rectius totum hunc locum spongia sustulisset.

AD CLXIII.

IN *faciem*. Ostenderam apud Græcos scriptum esse εἰς τὸ τέλος, id est, *in finem*, quemadmodum & legit & interpretatur divus *Ambrosius*, non levis auctor. Post reperi & in nonnullis Græcorum codicibus, opinor correctis ad nostros, εἰς τὸ πρόσωπον. Et fatetur *Leus* sic legere, quemadmodum indico, divum *Hieronymum* in commentariis, qui feruntur ejus titulo in hanc Epistolam, licet falso. Sed homo natutus suspicatur eum locum esse subditum à Græculo quopiam. Ridiculum, cum contextus illic habeat, quemadmodum nos legimus, si cui libuisset depravare ad Græcorum lectionem, illum potissimum depravasset. Nunc contextus, qui citatur in commentariis, consentit cum *Ambrosio*, & interpretatio tota consentit. An totum hoc subditicium putat *Leus*? Et quid habiturum erat momenti, depravare unum locum in obscuris, & auctoris incerti commentariis? Jam quod adfert *Leus* ex *Origenis* in Exodum Homilia xxxiv. non evincit illum non legisse *in finem*, sed probabilius est locum à scriba fuisse depravatum. Certe *Theophylactus* legit εἰς τὸ τέλος. 2. Corinth. III.

AD CLXIV.

QUOD *evacuatur*. Quoniam Græcis est participium τὸ καταργούμενον, demonstro lectori posse intelligi de *Mose* morituro, quemadmodum interpretatur is, quem modo citavit *Leus*, aut absolute de ea re, quæ evacuatur. Hîc *Leus* ceu de cathedra docet esse referendum ad *velamen*: quod ut demus esse verum, quid id faciet adversus meam Annotationem? An velamen res non est? Cætera quæ multis verbis congerit in hunc locum, quoniam ad me nihil attinent, non libet excutere. Eod.

AD CLXV.

OBTUSI *sunt sensus*. Cum Græcis constanter sit ἐπωρώθη, moneo lectorem potius esse legendum, *excæcati sunt sensus*, &c. Plus est enim obcæcatum esse magnitudine lucis, quam obtusis esse oculis. Hîc *Leus* objicit mihi *Hieronymum*, qui vertens alicubi *Origenem*, contentus fuit nostra lectione, quasi non ille passim contentus sit vulgata lectione, aut quasi ideo non sit fas admonere Græcæ vocis emphasim, aut melius etiam reddere quam reddidit Interpres. Eod.

AD CLXVI.

OCCULTA *dedecoris*. Cum sæpe Latinis, *pudor*, *probrum*, & *dedecus*, idem declarent, admoneo hîc rectius poni, *dedecoris*, aut *probri*, quam *pudoris*, quod Græce sit αἰσχύνης, non αἰδῶς. Hîc objicit *Leus*: At *Hieronymus* legit *dedecoris*. Et hoc ego probo, solum *pudoris* vocabulum non approbo. Nihil igitur hîc agit cum hoc annotat. Et tamen miror quo casu in Editione priore in contextu mutatum sit *pudoris*. Quod à *Leo* non animadversum demiror, cum hunc locum arroderet. 2. Corinth. IV.

AD

AD CLXVII.

Eod. DOMINUM *noſtrum*. Oſtendo *noſtrum* apud Græcos non eſſe, & reddo cauſam cur commodius ſit omitti. Hîc *Leus*, *Hieronymus*, inquit, *legit*. At quid ſi ſcriba hoc adjecit. Neque tamen pugno ſi quis addat, certe in Græcis non additur: & *Theophylactus* nec legit, nec interpretatur.

AD CLXVIII.

Eod. PER *Jeſum*. Quoniam Græcis eſt accuſandi caſus, διὰ τ᾽ Ἰησοῦν, admoneo legendum eſſe, *propter Jeſum*. Atque ita legit *Ambroſius*, *Leus* adſcribit, *Hieronymus* legit *per Jeſum*. At quî ſcit *Leus*, an ſic legerit *Hieronymus*?

AD CLXIX.

Eod. IN *faciem*. Cum Græce ſit ἐν προσώπῳ, admoneo in nonnullis codicibus perperam haberi *in faciem*. Nec video quid hîc annotat *Leus*. Si *Hieronymus* legit, ut legendum admoneo, tanto res habet melius.

AD CLXX.

Eod. MORTIFICATIONEM *Jeſu*. Admoneo in Græcis eſſe *Domini Jeſu*. Neque tamen contendo eſſe addendum, cum apud *Ambroſium* non addatur. Hîc cum excuſaſſem, quod tam minutula non prætermitterem; nefas enim eſſe ſi quis in divinis Litteris vel unum apicem ſciens ac volens mutet, *Leus* magnificis verbis impingit mihi legem meam, de qua ſatis dictum eſt in prima Annotatione, quaſi ego ſciens ac volens ſoleam mutare ſacram Scripturam. O graves Annotationes! cum ipſe neque meam, neque ſuam vocem intelligat.

AD CLXXI.

Eod. HUMILIAMUR, *ſed non confundimur*. Annoto partem hanc nec apud Græcos eſſe, nec apud *Ambroſium*. *Leus* addit, nec apud *Hieronymum*. Sentit autem de ſcholiis quæ *Hieronymi* titulo feruntur, nunc illis fidens, quæ paulo ante judicavit falſata. Sed hactenus mihi convenit cum *Leo*. Quid igitur notat? *Ut intelligas*, inquit, *Hieronymum & alia fuiſſe prætermiſſurum quæ ſuperius annotantur, ſi ita habuiſſent Exemplaria*. Fortaſſis aliquid diceret *Leus*, ſi quod ſcripſit *Hieronymus*, ſic haberetur, ut ab illo ſcriptum eſt, ſi non ille fere vulgatam Editionem ſequeretur, ſi Græci codices per omnia conſenſiſſent. Certe *Theophylactus* nec legit, nec interpretatur. Inſpexi locum, quem citat *Leus*, & comperio ſecus habere quam affirmat. Etenim nec legit, nec interpretatur quod dicimus in Græcis non eſſe.

AD CLXXII.

2. Corinth. xii. CUM in Annotationibus negaſſem inſtituti mei eſſe excutere quid legeret *Lyranus*, aut hujus ſimiles, qui ſua non hauſiſſent è fontibus, unde negotium hoc pendet, ſed è gloſſematis hinc atque hinc conflatis: *Leus* ſic illos tuetur, ut dicat & illis habendam gratiam, qui pelles & pilos caprarum intulerint in Templum Domini. At ego plus tribuo *Lyrano*, è cujus vel una pagina plus didici, quam ex toto hoc libro *Lei*, qui ſe tamen, opinor, non numerat inter ſordidos auctores. Ne quis exiſtimet me tam male ſentire de *Lyrano*, quam fortaſſe ſuſpicatur *Leus*, qui putavit illum nihil attuliſſe ad ſtructuram templi Dominici, quam pilos & pelles caprarum: innuens videlicet ſe eſſe qui meras gemmas & aurum purum putum adferat.

AD CLXXIII.

Eod. IN *falſis fratribus*. Admoneo Apoſtolico more *fratres* dici quicunque eſſent Chriſtiani, quod nomen olim omnium commune, nunc quibuſdam ceu peculiare tribuatur, quaſi Chriſtianiſmus ad ſolos illos recidiſſet. Hîc *Leus* contendit illos hoc nomine laudandos, quod *fratres* dici gaudeant: & recte dicit. Sed quis eos hoc nomine vituperavit? Optarim & nomen & rem omnibus eſſe communem, quemadmodum olim fuit, tum *Leus* non ageret perſonam, quam nunc agit.

AD CLXXIV.

Eod. QUINQUIES *quadragenas una minus*. Annotaram ex *Ambroſio*, quod juxta præceptum Deuteronomii, qui commiſiſſent facinus non capitale, triginta novem plagis emendarentur. *Leus* objicit, in Deuteronomio fieri mentionem quadraginta plagarum. Et ut hoc perſuadeat, addit Hebræa verba, videlicet priuſquam ſciret Hebraice vel legere. Et tamen hæc vult videri ſcripta priuſquam abirem Baſileam. Ego forte ſchedis illius adſcripſeram, *accuſa Ambroſium*. Ad ea verba nunc demum ſerio reſpondet, exiſtimans eſſe mei officii, ut *Ambroſium*, quem cito, defendam, præſertim in re tam periculoſa. *Supinitas*, inquit, *impietas prope eſt in Litteris ſacris*. Quis hæc tam ridicule ſevera non rideat? Fieri poteſt, ut *Ambroſius* ex Hebræorum traditionibus acceperit unam plagam ſolere condonari, id quod indicat *Lyranus*, & Gloſſa vulgo dicta *Ordinaria*. Quid hoc ad rem pertinet? Et tamen hunc lapſum mihi ignoſcit *Leus*, quod in Editione poſteriore deſciverim ab *Ambroſio*, & citem quemadmodum ipſe citat, nimirum potiorem habens auctoritatem *Lei*, quam tam eximii doctoris. Atqui ſi lubeat argutari, qui præſcribit quadraginta plagas, nonne præſcribit undequadraginta? Poſtremo fieri poteſt, ut ſit error in numero apud nos.

AD CLXXV.

2. Corinth. xiii. AN *experimentum quæritis*. Cum Græcis ſit ἐπεί, ſubindico non convenire, *an*, ſed *quandoquidem*. Deinde oſtendo, *ejus*, pronomen additum ab Interprete, cum apud Græcos non ſit, & ſolœciſmum inſignem adjungat orationi. Hîc *Leus* objicit *Hieronymum*, qui alicubi vulgatam lectionem ſequatur, quaſi hoc non paſſim faciat, taxans etiam interim quod ſequitur.

AD GALATAS.

AD CLXXVI.

Gal. i. CUI *eſt gloria*. Admonueram verbum, *eſt*, additum ab Interprete, cum in Græcis non ſit. *Leus* objicit *Hieronymum*, qui legerit, *cui eſt gloria*. Primum non conſtat *Leo* quid legerit *Hieronymus*. Niſi forte legit, quicquid ſcriptum viſitur. Quid tum autem poſtea ſi legerit? Cur tu, inquiet, rem tam frivolam annotas? Ut lectori liberum ſit ſubaudire quod volet. Nam fortaſſe commodius ſubaudietur, *cui ſit gloria*.

AD CLXXVII.

Eod. MODO *enim hominibus ſuademus, an Deo*. Oſtenderam in Græcis ſenſum ancipitem eſſe: nam intelligi poſſe quemadmodum nos legimus, & poſſe, *utrum nunc humana ſuadeo, an divina*. Teſtor autem me non fugere, quod noſtram lectionem ſequantur *Ambroſius*, *Auguſtinus* & *Hieronymus*. Quid hîc habet quod reprehendat *Leus*? Geminum ſenſum oſtendo, neutrum rejicio. Sed in contextu, inquiet, ſecus vertis quam legit *Hieronymus*. Si mihi hoc non licet, frequenter erit quod reprehendat *Leus*. Verùm id mihi in toto opere licere volui, præſertim cum *Hieronymum* aliquoties legat quod non probat, ac nonnunquam diverſa legat.

AD

AD CLXXVIII.

Eod. NEQVE *didici*. Obiter indicaram, quod nobis est *didici*, Græcis esse ἐδιδάχθην, id est, *doctus sum*: Neque temere hoc admoneo. Siquidem accipi potest, non doctus sum, sed afflatus. *Leus* rursus impingit *Hieronymum*, qui legerit, *didici*. Sic expletur promissus numerus Annotationum, sed ad quam rationem nasci possint bis mille.

AD CLXXIX.

Galat. II. POST *annos quatuordecim*. Indicaram Græcis esse *per annos*, non *post annos*, & tamen approbo quod Interpres bene reddiderit sensum, & in contextu sequor quod vertit Interpres. Quid igitur queritur *Leus*? an quod admonuerim lectorem ne quid offenderetur, si Græca dissiderent à Latinis, verbis duntaxat non sensu? Et tamen hæc recensentur in Indice inter ea quæ manent videlicet incastigata. Tales fumos hic offundit lectori simplici.

AD CLXXX.

IN *faciem restiti*. Hîc mihi *Leus* impingit crassissimam inscitiam, quasi negem mendacium dici posse, quod non oratione, sed facti simulatione committitur, cum in Annotatione declarem & simulationem dici mendacium. At non omnis simulatio cum vitio conjuncta est, sed *Augustinus* contendit nullum mendacium vacare culpa. Non potuit igitur illius disputatio, nisi de mendacio sermonis accipi. Proinde nihil ad rem facit, quod ex Actis adducit *Leus* de *Anania*, qui dicitur mentitus Spiritui Sancto. Nec ideo nihil dixit, quia nihil dixisse legitur. Imo probabilius est, illum *Petro* percunctanti respondisse quemadmodum postea respondit uxor. Verùm hac de re quoniam satis copiosè dissero in Editione posteriore, & res est prolixæ disputationis, præstat eo relegare lectorem.

AD CLXXXI.

Eod. QVONIAM *reprehensibilis erat*. Ostenderam Græcis esse, *reprehensus erat*: atque in eum sensum interpretari Græcorum scholia, cumque his *Ambrosium*. At horum auctoritate fortiter contemta *Leus* rejicit quod annotaram. Sed in Indice veluti παλινῳδεῖ, quasi ex posteriore demum Editione didicerit quid interpretetur *Ambrosius*, cum hæc legerit in priore Editione. Cætera qui volet petat ex Editione posteriore. Nam & prolixa & perplexa est disputatio, quam difficile sit *Leo* vel animo memoriaque complecti, nedum refellere.

AD CLXXXII.

Galat. IV. FACTVM *ex muliere*. Annotaram γενόμενον esse *factum*, γεννώμενον, *natum*, sed tamen addo quod *Leus* dissimulat, hanc differentiam in Græcis codicibus non observari. Itaque verto quemadmodum nos legimus. Quid igitur adversum me notat, si *Hieronymus* legit *factum*, cum idem mihi probetur?

AD EPHESIOS.

AD CLXXXIII.

Eph. I. IN *ipsum*. Εἰς αὐτόν. Indicaram εἰς αὐτὸν commodius ac mollius referri ad Patrem, quam ad *Christum*. Addo causam, quod adoptio, qua nos adoptavit Pater, magis nos facit fratres *Christi* quam filios. Hîc *Leus* urget me mea Annotatione, quod si εἰς αὐτὸν refertur ad Patrem, alpha deberet habere spiritum. Verum dicit. Hoc annotavi, sed adjeci in Græcis codicibus sive per inscitiam, sive per incuriam non observari quod annoto. Porro quod ratiocinatur, nihil obstare quo minus dicamur filii *Christi*, quis istuc negat? cum ipse discipulos suos filios appellet in Euangelio. At hîc dici coactius erat, cum mentio fiat de Patre nos adoptante per Filium.

AD CLXXXIV.

Eod. QVAE *in terra*. Ostenderam hîc duas voces, ἐν τύτῳ, id est, *in ipso*, esse quidem in Græcis codicibus, at non reperiri, nec apud *Ambrosium*, nec apud *Hieronymum*, duntaxat in commentariis. Id si falsum est, refellat *Leus*: imo ne apud *Theophylactum* quidem reperias. *Sed Hieronymus*, inquit, *legit in contextu*. Rursus unde novit quod sic legerit, cum in neutris commentariis, & gnesiis & pseudepigraphis fiat hîc hujus particulæ mentio? Et hunc contextum *Leus* frequenter habet suspectum. Nec ego damno in ipso, imo B significo mihi probari. Quid igitur reprehendit *Leus*? An quod Græcis codicibus non addiderim de meo? non erat hoc mei instituti. Quin & illud miror, cum hanc Annotationem scripserit in Editionem posteriorem, cur posuerit inter veteres. Siquidem in priore Editione hujus rei nulla fit mentio.

AD CLXXXV.

Eph. II. ALIENA *conversatione Israel*. Indicaram Græcis esse πολιτείας, id est, *à politia*, sive *republica Israelis*. Sed *Hieronymus*, inquit, *legit & interpretatur conversationem*, quasi vero id ego damnem. Imo explano, non reprobo. Nam ideo *cives* Græcis πολῖται dicuntur, quod consuetudinis & legum commercio inter se conversentur. C

AD CLXXXVI.

Eph. III. OMNIS *paternitas*. Adnotaram, quod hîc vertit *paternitas*, Græcis esse πατριὰ, quod significat Latinis *familiam*, sive *cognationem*. Ejus rei auctorem cito *Hieronymum* in commentariis, quibus enarrat hanc Epistolam. Id *Leus* ita repetit, quasi mentitus sim. Proinde *Hieronymi* verba subscribam: Paternitatem, *quæ in Græco* patria, *in Hebræo* massechoth, *id est*, *cognatio vel familia dicitur*. Ac mox citat aliquot loca, ubi *cognationes* ac *familiæ* dictæ sint *patriæ*. Postremo citat ex Psalmis etiam Gentium dici πατριάς. Quid igitur hîc est quod mecum pugnat *Leus*? An *paternitas* Latine significat *familiam*? Fortasse vulgus *parentelam* vocat, doctis aut nihil significat, aut aliud significat *paternitas*, nempe rationem, qua quis pater est. Hoc erat quod indicare volebam. Nihil ad hunc locum proprie facit quod dicturus sum, sed tamen ad summam hujus causæ facit. *Leus* non patitur quicquam adimi Latinis codicibus, quibus utitur Ecclesia. At *Hieronymus* in his commentariis indicat in Latinis codicibus redundare voces aliquot, nimirum has, *Domini nostri Jesu Christi*, ac legendum esse juxta Græcos: *Curvo genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas*, &c. At unde hæc resecat *Hieronymus*, nisi ad fidem Græcorum codicum, quibus *Leus* adimit omnem fidem? Et tamen quod *Hieronymus* negat esse in Græcis Exemplaribus, hoc hodie scriptum in illis videmus. D E

AD CLXXXVII.

Eod. RELIQUERAM Theologis excutiendum, an quæstiones, quas moveret *Thomas Aquinas* de paternitate Dei, satis ad hunc locum quadrarent, quando vocem, *paternitatem*, non intellexit. *Sed eadem*, inquit *Leus*, *disputat Hieronymus*. Imo non eadem, certe non eodem modo. Nam *Hieronymus* Deum *Patrem* vocat, *paternitatem* illi non tribuit, cum paternitatem accipiat pro toto genere familiaque. Unde juxta hunc paternitas potius est in progeneratis, quam in progeneratoribus. Itaque nec taxo *Hieronymum*, nec omnes Theologos qui Græce nesciunt, etiamsi præstaret omnes Græce scire. Ac ne *Thomam* quidem admodum attingo: nam fieri potest, ut ignorata Græcæ vocis proprietate, tamen apte moverit quæstiones, si nihil aliud, vel *Hieronymum* sequutus. Id an fecerit, aliis excutiendum relinquo. Sed *Leus* arte sua nullam prætermittit occasionem, quo mihi undique conciliet odium & Theologorum & Prædicatorum. F

AD

Digitized by Google

AD CLXXXVIII.

Eph. v. SACRAMENTVM *hoc magnum est.* In utraque Editione palam testatus, non esse dubitandum quin matrimonium sit unum è septem sacramentis, adjeceram, ex hoc tamen loco non magnopere colligi. Cum enim Græcis sit *mysterium*, quod hic vertit *sacramentum*, sæpius appellari μυστήριον, quod non protinus sit unum è septem sacramentis. Atque hîc *Leus* totis viribus adversum me dimicat, sed nihil aliud agens, nisi ut doceat in conjunctione mariti & uxoris esse typum & imaginem rei mysticæ, nimirum ejus copulæ, qua *Christus* sibi conglutinavit sponsam suam Ecclesiam. At quis istud unquam negavit? Postquam semel excidit à scopo *Leus*, nonne superest ut totam operam inaniter consumat? Quid attinebat tantum verborum incassum fundere? Sed interim tamen crescit volumen, quod illi cum primis videtur in votis fuisse. Deinde facit me respondentem, opinor, ex scholio prioris Editionis: nam illic hæc verba comperio: *Neque enim in hoc magnum sacramentum est, si vir jungatur uxori:* atque hîc rursum instaurat dialogismos suos, impudentissime proferens in vulgus, quæ ego tum ex tempore chartis adjeceram, & ita adjeceram, ut nullum mihi servarim exemplar. Id ego boni consulam, si *Leus* æquo animo patietur, ut ubi nactus fuero Annotationes illius, quas ipse toties curavit describendas, & per omnia spargendas, quibus tam odiose me traduxit, quas toties minitatus est se evulgaturum ni mihi parceret, boni consulat, si eas ita ut tum erant edidero cum mea responsione. Nec tamen quicquam ad rem faciunt, quæ hîc respondet *Leus*. Negaram esse magnum sacramentum in conjunctione viri & uxoris, cum *Augustinus*, quem citavimus in posteriore Editione, unde hausit *Leus* quod adducit, fateatur esse sacramentum omnium minimum in viris & uxoribus. Hoc non video cur voluerit *Leus* refellere: & tamen hîc nihil aliud docet, nisi in conjugio esse significationem alterius rei sacratioris. Sed hac, ut dixi, ratione crescunt libri. Atque hæc respondet nunc mihi, quo lector putet hæc omnia acta inter nos, cum ille nunquam verbo responderit ad ea quæ tum annotaram in schedis, partim illius, partim meis. Et cum suas responsiones muniat ex his quæ citantur in posteriore Editione mea, mirum quanto id studio dissimulat, venans lucellum hoc gloriolæ. Quæ dicit me respondisse sunt hæc, ne cui interim videar subterfugere: *Non omne mysterium est unum è septem sacramentis, & tamen sunt magna mysteria: sicut quod* Eva *facta fuit de latere* Adæ, *mysterium est, rem arcanam designans. Preterea* Augustinus *negat magnum esse sacramentum in viro & uxore, sed magnum est quod illa conjunctio repræsentat. Neque tamen necessarium est ut typus per omnia respondeat: sicut adulterium* David *cum* Bethsabea, *sacramentum est Synagogæ abductæ à* Mose, *&* Christo *junctæ, non tamen conveniunt omnia. Postremo ex nullo Veterum doceri potest, matrimonium fuisse unum è septem, cum nec* Dionysius *catera recensens hoc commemoret. Et* Cyprianus *fatetur minora sacramenta non à* Christo, *sed à Patribus instituta.* Hactenus quæ ille velut à me responsa retulit. Quod ajo, non protinus esse sacramentum è septem quicquid dicitur mysterium, cum magna sint mysteria, quæ tamen non sint hujus generis, quodque nego necessarium ut typus per omnia respondeat, in his meæ subscribit sententiæ, negans tamen interim hæc quicquam ad rem facere, & miratur me voluisse hæc adducere tam ἀπροσδιόνυσα. *Nam hactenus*, inquit, *certatum non est, an matrimonium sit unum ex septem sacramentis: quanquam id nemo sane negaverit, ni is velit unus contra catholicam Ecclesiam pugnare, quæ & laicis & pueris hoc scientibus, matrimonium ceu unum è septem sacramentis nullo reclamante tot jam seculis venerata est.* Hactenus *Leus*. Sed quorsum tendit hæc loquacitas? Si non certatum est, cur hæc tam putida tot verbis inculcat, cum ego in utraque Editione testatus sim, me nihil addubitare quin matrimonium sit unum è septem sacramentis Ecclesiæ. Sed illud decertabatur, an ex hoc loco possit efficaciter evinci, matrimonium esse unum è septem. Siquidem ad id ostendo non esse satis, si dicatur sacramentum sive mysterium: ostendo non esse satis, si dicatur magnum sacramentum. Respondeat *Leus* si mentem habet, utrum hæc ad rem faciunt, an non? Simillimum est his quæ subjicit: *Etiam*, inquit, *quando septem fateris, si matrimonium loco pepuleris, in matrimonii loco aliud surroga, & doce nos quæ sunt illa septem.* Dispeream nisi cum hæc lego, videor mihi non Theologum audire, qualis ille vult haberi, sed rixosam mulierculam. Dicat mihi os impudens, quis unquam pepulit matrimonium suo loco? An qui dicit, ex hoc loco non admodum colligi, negat esse de numero septem? Credo sacramentum esse matrimonium, non quod hîc appelletur mysterium, sed quod Ecclesia recenseat inter septem. Neque tamen prorsus nego colligi, sed dico non admodum colligi. *Aliud surroga*, inquit, *& doce nos quæ sunt illa septem.* Imo potius istuc faciat *Leus*, qui sibi sumit tantum auctoritatis. Si matrimonium pellatur è numero septem, quis non videt superesse sex? Veluti si quis homini, cui sint dentes viginti, unum excutiat, certum est restare illi non plures undeviginti: quod si in locum excussi jubeat alium surrogari, poterit ipse suillum inserere. Roget eadem opera: Posteaquam *Petrus* amputarat dexteram auriculam *Malchi*, ubi tum erant duæ? Respondebitur, jam illi unicam tantum superesse. At *Leus* sibi videtur hîc argutulus sophista, quasi quicquid sit in numero, vere sit de numero. An ideo sim futurus de numero septem Sapientum, si vulgus me numeret inter septem Sapientes? Si quis persuadere conetur matrimonium non esse tale sacramentum, qualia septem numerat vulgus, nimirum imaginatur hoc non recte numerari inter septem. Neque satis erat isti hoc dixisse semel, repetit & inculcat, δὶς ἢ τρὶς τὰ καλά: *Pœnitentiam*, inquit, *si cum matrimonio exauctorabis, quidni alia in eorum locum substitues?* His dictis neque mentem, neque frontem esse quis non videt? Quis tam insanus ut id faciat, quod impudentia *Lei* fingit? Pergit *Leus: Neque quicquam probat quod adfert, ex nullo Veterum doceri posse, matrimonium fuisse unum è septem, cum nec* Dionysius *catera recensens, hoc commemoret. Num*, inquit, *propterea nullus Veterum commemorat, quod* Dionysius *non commemorat?* Hîc videlicet vult videri dialecticus: at non intelligit argumentari me à signo probabili in re conjecturali. Si quisquam Veterum commemorasset, commemorasset *Dionysius*, qui ex professo de singulis diligenter prosequitur & ritus & nomina: sed apud hunc toto opere nulla matrimonii mentio, probabile igitur illi non fuisse unum è septem. *Nec pœnitentia meminit*, inquit, sed alias non semel meminit, & præter hunc alii multi. Matrimonii non item. Pergit etiam *Leus* suis argutis syllogismis illaqueare me: *Augustinus*, inquis, *negat magnum esse sacramentum in viro & uxore.* Verum est, & quis repugnat? *Sed non negat* Augustinus, *quin hoc sacramentum in viro & uxore sit magnum in Christo & Ecclesia.* Imo *Augustinus* in viro & uxore dicit esse minimum sacramentum. An non qui minimum dicit, negat esse magnum? Sed alia ratione magnum est, alia minimum: in viro & uxore minimum est, in *Christo* & Ecclesia magnum. Si hæc bene separavit *Augustinus*, qua fronte conjungit *Leus*? *In viro*, inquit, *& uxore magnum est in Christo & Ecclesia*, perinde quasi dicas, *Æthiops* juxta pellem albus est in dentibus. Si semper magnum est sacramentum, doceat igitur nos *Leus*, qua ratione dixerit *Augustinus* minimum. Nimirum illud sensit *Augustinus*, conjunctionem mariti & uxoris gerere typum rei sacræ & adorandæ, & ob id typo quoque esse suum honorem, velut honos habetur imagini pictæ carbone, ob rem egregiam, quam utcunque repræsentat. Si picturam æstimes, minimum pretii sit: si quod suggerit animo, nullo pretio potest æstimari.

Ita matrimonio dignitas est ab eo quod repræsentat nobis, & tamen si per se conferatur ad reliqua sacramenta, quibus uberior confertur gratia, non magnum est sacramentum, sed si *Augustino* credimus, omnium minimum. At jam propius urget *Leus*: *Nam*, inquit, *conjunctionem Christi & Ecclesiæ non, opinor, dicis sacramentum, cum ea prorsus nihil significet, sed præsignata sit hoc sacramento conjunctionis viri & mulieris.* Det *Leus* hîc sacramentum non accipi, ut sit unum de numero septem, sed tantum sacræ rei signum, ac deinde argumentetur. Si mysterium hîc nihil aliud est quam res sacra & arcana, quid prohibet conglutinationem *Christi* & Ecclesiæ, conjunctionem divinæ & humanæ naturæ dici sacramentum aut mysterium? At sic non accipitur ad istum modum hoc loco. Istud evincat *Leus*, ac tum pergat argumentari. Sed quî consistit, ut *Augustinus* in altero dicat esse magnum, in altero minimum, quod *Leus* affirmat esse magnum in utroque? Sacramentum duo complectens, signum, & rem signatam: si ad rem signatam conferas, maximum est: si ad typum, qui est in maritis singulis & uxoribus, minimum est. Cæterum an in *Maria* & *Joseph* fuerit plenum sacramentum cum non interceserit coitus, *Leus* ipse viderit, qui hoc affirmat: nondum enim hoc ad me pertinet. Non satis est odio *Lei*, si Theologorum ordines, si Monachorum populos in me concitet, ni maritos etiam & uxores immittat in caput meum. Laudatum est à me matrimonium ad invidiam usque. Volo matrimonium esse quam honestissimum, fateor esse sacramentum, & tale sacramentum, qualia septem numerat Ecclesia: & tamen odiosis verbis mecum agit, quasi studeam eximere matrimonium è numero suo. Atqui sum paulo æquior matrimonio quam Theologi quidam, etiam recentiores, qui negant matrimonium dici sacramentum, nisi dilatata vocabuli ratione, quatenus est sacræ rei signum. At non protinus dicitur proprie sacramentum, quod sit sacræ rei signum. Nam ajunt proprie dici sacramentum invisibilis gratiæ visibilem formam, ita ut imaginem gerat, & causa exsistat. Hæc si propria est sacramenti difinitio, quemadmodum sentit *Petrus Lombardus* libro IV. distinct. prima, non constabit matrimonium proprie dici sacramentum, nisi constiterit esse causam gratiæ peculiaris, quæ præscriptis verbis & ritibus confertur, sed tantum de numero eorum quæ sacræ rei sunt signa. At non conferri gratiam hoc sacramento sentit *Petrus Lombardus* libro IV. distinct. secunda, cumque hoc ingens turba Jureconsultorum, ut *Gaufridus* in Summa sua, titulo *de sacramentis non iterandis: Hostiensis* in Summa libro primo, eodem titulo: & *Bernardus* in Apparatu. Quin & *Durandus*, qui hos adducit auctores, inter Scholasticos auctoritatis præcipuæ libro IV. distinctione XXVI. quæstione 3. multis verbis inculcat juris Pontificii peritos, & interpretes Canonum, ac decretalium Epistolarum, quibus declaratur mens Romanæ Ecclesiæ, quorum nonnulli fuerunt etiam de numero Cardinalium, fuisse in hac sententia, ut negarent in sacramento matrimonii conferri gratiam. Atque ideo si quis idem sentiat, non facere adversus decretum Ecclesiæ catholicæ, aut consuetudinem ac mentem Ecclesiæ Romanæ, cum horum opinionem non reprobet. Quæ si vera sunt, sequitur non esse absurdum, si quis opinetur matrimonium non esse sacramentum novæ Legis, juxta propriam sacramenti rationem. Et quod recentiores Theologi velint esse sacramentum novæ Legis, quo conferatur gratia spiritualis, probabilem esse opinionem, cui qui refragetur non sit hæreticus. Hæc cum prodita sint à magnis Auctoribus, atque etiam à celebri Theologo, tamen ipse magis amplector recentiorum Theologorum opinionem, qui putant sacramento matrimonii conferri gratiam, & esse de numero eorum quæ proprie dicuntur sacramenta. Illud interim demiror, cum in posteriore Editione copiosius super hac re disputem, excludens argutationes hujusmodi, cur *Leus* sic agit mecum, quasi posteriorem Editionem non viderit? Esto, scripserit hæc antequam prodisset posterior, certe plusquam annum erat evulgata priusquam hæc ederet *Leus*. Et simul editus est totus hic liber. Postremo loco vellicat illud, quod ait me adjecisse in scheda: Cyprianus *fatetur minora sacramenta non a* Christo, *sed a Patribus instituta.* Opinor *Leum* objecturum mihi somnia mea, si narrem illi quid noctu mihi visum sit per quietem. Finge hoc vel dictum mihi parum attento, vel poto excidisse, uter erit magis culpandus, ego qui fretus amicitia, secretis chartis, veluti confabulans cum amico, credidi quicquid in mentem incidit: an ille, qui hæc veluti solenniter acta sub notariis ac testibus mihi apud universum orbem impingit in os, magnificum triumphum sibi pollicens ni defendero quæ sic notavi, & notavi uni? Verùm ne videar deesse vel nugis, huc illa pertinebant, si detur aliquod sacramentum institui posse à Patribus, poterunt esse plura, & potuerunt olim esse pauciora septem. Atqui ita probabilius erit quod ago, *Augustinum* non hîc loqui de sacramento matrimonii, tanquam sit unum de numero septem. Hîc rursus me medium tenet *Leus*, si minora sunt quæ ab hominibus instituuntur, matrimonium sacramentum magnum erit, quod creditur in paradiso institutum à Deo, & sic institutum ut esset sacramentum. Doceat hoc *Leus*, sic institutum ut esset unum è numero eorum quæ proprie dicuntur sacramenta: sed hac de re nihil adhuc audio. Neque recte corrigit *Leus*, ideo matrimonium non esse institutum à Patribus, ut esset unum de numero septem, quod nullus Scriptor hoc factum esse prodiderit, cum ipsa res doceat esse factum. Neque tamen tueri volo quod dicit *Cyprianus*, nec mihi necesse est, etiamsi hoc fatetur *Leus* esse verum. Dicit enim, cum matrimonium sacramentum esse possit, etiamsi non sit à *Christo* institutum. Atque hunc quoque locum *Leus* commemorat inter ea quæ non correxerim, etiamsi nonnihil videar moderatus. Sed quid tandem hîc volebat corrigi *Leus*? an quod fateor matrimonium unum esse sacramentum de numero septem? Id non negat ipse. An quod nego magnum esse sacramentum in marito & uxore, sed in *Christo* & in Ecclesia? At hac ratione, qua ego nego magnum, sanctus *Augustinus* minimum vocat. An quod inquiro, an ex hoc loco possit evinci, matrimonium esse de numero septem? Hoc igitur debuerat docere *Leus*. At nondum potuit: & tamen si docuerit, nihil adversum me faciet, cum dixerim, ex hoc loco non magnopere colligi, hoc est, non ita evidenter colligi, quin possit aliquis tergiversari. Quod si quis me roget, Unde igitur credis esse de numero septem, si ex hoc loco colligi satis non potest, nec superest alius unde colligatur? in promtu est quod respondeam, Me movet auctoritas & consensus Ecclesiæ, sed non hac in re tantum, verùm in aliis quoque compluribus.

AD PHILIPPENSES.

AD CLXXXIX.

ESSE *se æqualem Deo.* Verbulo submonueram, Græce non esse ἴσον, id est, *æqualem*, sed ἴσα, id est, *æqualiter*, ut tamen adverbium idem polleat Græcis quod nomen. Id ne quem offenderet, admonui: & tamen ipse verto, *æqualem. Leus* objicit *Hieronymum*, qui locis aliquot, quos apparet *Leum* ex Indice congessisse, legat *æqualem*, non *æqualiter*: quasi vero ego jusserim ut quisquam legeret *æqualiter.* Sed hunc locum *Leus* graviter, ut sibi videtur, exagitat in novis Annotationibus, videlicet instructus armis amicorum: cui suo respondebimus loco. Phil. II.

AD

AD COLOSSENSES.

AD CXC.

Coloss. 1. PRIMOGENITVS *omnis creaturæ.* Hîc oſtendo triplicem ſenſum, quorum primus ſit, quem nos ſequimur vulgo, ut videtur: alter, ut intelligamus *Chriſtum* genitum ex Patre ante res conditas: tertius, ſi acuamus penultimam πρωτοτόκος, intelligamus illum primum condidiſſe cum Patre omnia. Et juxta mediam ſententiam interpretatur *Ambroſius: Primogenitus*, inquit, *univerſæ creaturæ, ante omnem creaturam genitum Filium, non creatum teſtatur, ut ſecerneret nativitatem ejus à creaturæ factura.* Et ut hoc penitus clareſcat, ſubjecit: *Quia in ipſo condita ſunt omnia*, & cætera quæ ſequuntur in eandem ſententiam. Sed offendit *Leum* quod adjecerim: *Ne quis cum* Arrio *Dei Filium faciat creaturam.* Atque hîc τὴν λεοντὴν ἐνδυσάμενος, docet me, nihilo plus eſſe periculi ſi quis dicat *Chriſtum* creaturam, quam ſi quis dicat mortuum, ac multis teſtimoniis, ni fallor, ex mea Apologia, qua *Fabro* reſpondeo, deſumtis probare nititur, Filium Dei dici creaturam. Et tamen fatetur quoſdam abhorruiſſe à vocabulo creaturæ, ne quid haberent commune cum *Arrianis.* Atqui hoc ipſum eſt quod me movet, ut cum *Ambroſio* malim verti, *genitus ante univerſam creaturam*, quam *primogenitus omnis creaturæ.* Quid enim aliud ſonat, *primogenitus omnis creaturæ*, quam aut ex creaturis primum genitus, aut inter creaturas primum genitus? Jam *Arriani* non hoc ſenſu dicunt *Chriſtum* creaturam, quo *Hieronymus* per communionem idiomatum, ſed ſentiunt Filium Dei juxta divinam naturam eſſe creaturam. Hîc mihi reſpondeat *Leus*, utrum nihil interſit, *Chriſtum* creaturam vocemus, an mortuum: quod attinet ad *Arrianorum* hæreſim. Deinde ſi, quod *Leus* vult, *Chriſtus* hîc dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quod inter creaturas præmineat ipſe creatus, quo modo convenit quod *Ambroſius* connectit, ideo dictum primogenitum, quod ſequitur, *quia in ipſo condita ſunt omnia*, & interpretatur, *in ipſo, per ipſum.* Sed per ipſum non poterant omnia condi, niſi præceſſiſſet primordia rerum omnium conditarum, ex quo declaratur illius æternitas. Hanc Annotationem ita claudit: *Hoc tantum moneo, non uſque adeo vitandam* Charybdim, *ut incidamus in* Scyllam, *ſed caute inter ſcopulos navigandum.* Quam hîc *Charybdim*, aut quam *Scyllam* ſomniat? an quia negavimus Filium Dei creaturam eo ſenſu, quo vocant *Arriani*? O graves Annotationes, quibus emendetur *Eraſmus*, & ſuccurratur Eccleſiæ periclitanti!

AD CXCI.

Eod. QVOD *in illo creata ſunt omnia*, cum *in illo*, dictum ſit pro, *per illum*, juxta proprietatem ſermonis Hebraici, nego me videre quid ad rem pertineat, quod *Thomas* hoc loco inducit ideas, quas *Leus* non vult dici *Platonicas*, ſed *exemplares*, præſertim cum quod hîc dixit ἐν αὐτῷ, mox mutet δι' αὐτοῦ. Hîc præter alia frivola multis verbis cauſatur *Leus*, non eſſe perpetuum, *in*, poni pro, *per*. At quis iſtuc docuit? Verùm an conſequitur, ideo non eſſe hoc loco, quia non ſit ubique? Hoc certe loco docet *Ambroſius*, & ſuffragatur locus, qui mox ſequitur δι' αὐτοῦ. Hîc quid volebat mutari *Leus?* an quod rectiſſime dictum eſt ex auctoritate divi *Ambroſii?* nam hunc locum notat inter ea, quæ non correxerim homo pertinax & indocilis.

AD CXCII.

Eod. IMAGO *Dei inviſibilis.* Quoniam Græcis eſt ἀοράτου, non ἀόρατος, hoc eſt, paternus caſus, non rectus: admoneo *inviſibilis* ad Deum Patrem referendum, non ad Filium, *quod Pater per ſe inviſibilis, quodammodo videatur in Filio. Leus*, ſive quiſquis is fuit, argutatur, & imaginem eſſe inviſibilem, & idcirco fruſtra addi *quodammodo.* At ego ſenſi, *Chriſtum* homine aſſumto viſibilem eſſe factum, & per hunc *quodammodo* Patrem nobis eſſe conſpectum: quanquam in Epiſtola ad *Timotheum* idem *Paulus* ſolum Patrem dicit inviſibilem, & cauſam reddit *Ambroſius.*

AD CXCIII.

Eod. IN *ipſo complacuit.* Oſtendo commodiorem eſſe interpretationem, ſi εὐδόκησε referatur ad Patrem, *Ita viſum eſt Patri, ut Filio daret perfectam Deitatem, atque ita per eum reconciliaret omnia ſibi. Leus* vult, *complacuit*, ad totam Deitatem pertinere. De re non diſputo, ſed de ſermonis congruentia. At quî congruet quod ſequitur, *& per eum reconciliare omnia in ſeſe*, niſi diſtinguas Perſonas? *Nullus*, inquit *Leus*, *ad iſtum interpretatur modum*, imo ſic interpretatur *Ambroſius.* Neſcio an is *Leo* videatur eſſe nullus. Sic interpretatur *Theophylactus*, non dubium quin veteres ſequutus, nec quiſquam adducit quod ſequitur *Leus*, præter unum *Lyranum.* Deſtomachatur quod de meo addiderim *Patri*, permittit tamen hoc jus *Hieronymo*, at non idem *Eraſmo.* Magnum vero periculum, ſi in privata lectione addo verbum, quo res ſit explanatior, præſertim teſtans à nobis additum eſſe, & quo conſilio ſit additum docens. Nec eſt periculum ne quis doctus idem faciat paſſim, quod à nobis uno duntaxat loco factum eſt. Nec eſt metuendum ſchiſma, præſertim cum fatear adjectum à nobis, idque non in lectione Eccleſiaſtica, ſed privata. Quid hoc ingenio ſeditioſius.

AD CXCIV.

Eod. OMNEM *plenitudinem Divinitatis.* Admonueram, *Divinitatis*, nec apud Græcos haberi, nec apud *Ambroſium*, ſignificans, *Divinitatis*, additum explanandæ rei gratia, nam *Ambroſius* interpretans addit. Hîc *Leus* me meo jugulat gladio: *Ut nunc*, inquit, *miraris, quomodo in Latinos codices irrepſerit vox* Divinitatis, *ita poſteri mirabuntur, unde tuum*, Patri, *irrepſerit, quod nec apud Græcos eſt, nec apud Latinos.* Imo ne quis iſtud mirari poſſit facit Annotatio mea, declarans additum explanandæ rei gratia. Nec tamen inſector quod hîc additum eſt, *Divinitatis*, tantum admoneo.

AD TIMOTHEVM PRIMA.

AD CXCV.

1. Timoth. 1. SECVNDVM *imperium.* Cum Græce ſit κατ' ἐπιταγὴν, admonueram aptius reddi poſſe, *ſecundum injunctionem*, ſeu *delegationem.* Nam ἐπιτάσσω proprie eſt *mando*, aut *delego. Leus* objicit *Chryſoſtomum*, qui legat *imperium*, ſed Latine loquens. Quid autem interpretatur, cum illi Græco *imperium* ſit idem, quod nobis *delegatio.* O ſeveram annotationem!

AD CXCVII.

Eod. GRATIA & *miſericordia.* Oſtendo Græcis non addi conjunctionem copulativam. *Leus* rurſus objicit *Chryſoſtomum* Latine verſum, qui addiderit. Huic ſimillima eſt annotatio quæ hanc conſequitur.

AD CXCVIII.

Eod. IN *vaniloquium.* Cum hîc nominatim expreſſerim frivolas argutias, & ſine fine digladiantes, nonne ſatis declaro me non in totum damnare concertationes Theologorum? & tamen *Leus* ſic agit, quaſi damnarim Scholaſticas Exercitationes, & neſcio quid loquitur de eloquentia, & neſcio quid balbutit de balbutie, quæ quorſum ſpectent non video. Auſim dejerare hanc annotationem non eſſe natam à *Leo*, ſed ab alio quopiam, cujus referat quam maxime fervere Theologicas diatribas: quas à me damnari credant omnes, ſi poſſit unus reperiri, quem ab hoc ſtudio deterruerim.

Digitized by Google

AD CXCIX.

Eod. SOLI *Deo.* Quod Græcis hîc additur *ſapienti*, cum non ſit nec apud *Ambroſium*, nec apud alium quenquam Latinorum, ſuſpicabar Græcis additum adverſus *Arrianos*, ex Epiſtola ad *Romanos*, qui ſolum Patrem vere Deum faciunt, cum Filium velint eſſe Patre minorem, ac præterea creaturam. Nunc ſapienti interpoſitum, facit ut intelligamus Deum Patrem ſolum eſſe ſapientem, at non ſolum Deum: quæ lectio minus adjuvat *Arrianos*. Hîc multis modis urget nos *Leus*: *Quid opus erat*, inquit, *hic addi, cum additum conſtet in Epiſtola ad Romanos?* Certe in ſpeciem fuiſſet firmius, quod pluribus locis iteratur. Porro quod *Leus* mecum atrocibus verbis litigat, quod dixerim quædam addita ab orthodoxis adverſus hæreticos, ſine cauſa litigat. Nec enim mihi placuit unquam, ut hujuſmodi fucis tueamur *Chriſti* doctrinam: imo frequenter admoneo ne id fiat. Sed utrum vult *Leus* hîc adjungi *ſapienti*, an non adjungi? Si vult adjungi, deſciſcit à fide Latinorum codicum, & Græcorum fidem præfert. Si non vult addi, cur jurgatur quod dixerim additum videri? Temerarius profanator eſt, qui vel addit, vel adimit. Fateor, quid hoc ad me? Ego ſciens nec addo, nec adimo: imo quòd quidem eſt in me, do operam ne quid addatur aut adimatur. Tota igitur hæc tam calida admonitio, vel rixa potius, nihil ad me pertinet. Rurſus quam illud civiliter factum *Leo*, quod in re atroci & ſeria ingerit mihi neſcio quas ſchedulas ex tempore notatas, & hanc non putat eſſe injuriam, cum atrox ſit injuria, volumen edere invito auctore. At interim non videtur animadvertere *Leus*, quid faciat adverſus *Arrianos*, additum *ſapienti*. *Imo potius pro eis facit*, inquit. Sed jam ante quatenus adverſus illos faciat indicatum eſt. Pro illis quî poſſit facere non video. Neque me clam erat, eos hujuſmodi locorum præſidio tueri ſuum errorem, ſed id feciſſent probabilius, ſi legamus de Patre *ſoli Deo*. Illud feſtivum, quod meos Græcos vocat, qui addant εἰκῆ, id eſt, *ſine cauſa*. An mei ſunt quos habebat *Hieronymus*? An meus eſt codex quem habebat *Chryſoſtomus*? Et tamen hîc rejicio, quod in Græcis codicibus legitur. Quid igitur litigat *Leus*? Sed ut finiam, *ſapienti* additum hoc loco, facile concedit *Leus*, qui libens aſſentitur Eccleſiaſticæ lectioni, quam Græcis non libenter tribuit. Et ſi addatur, nonnihil facere pro *Arrianis*, jam oſtendi: nec probo quod additum eſt. Poſtremo *Leus* libenter fateri ſolet, Græcorum codices eſſe depravatos. Hæc cum ſic habeant, vide an ſatis in me quadret *Lei* peroratio: *Expende*, inquit, *an infirmæ ſint rationes, quibus te urgent ut hunc locum mutes, & tum demum ſi ſic videatur, infirmos judica, & hunc locum ſtare jube. Quin potius dic, ne quod offendiculum detur Euangelio* Chriſti, *muto hunc locum, & nihil decerno addendum aut adimendum ſacris Litteris, infirmus alioqui ipſe, ni hoc dicas, & ex animo ſentias.* Quis credat hunc caruiſſe febri, qui hæc ſcripſit? Quem locum vult mutari? An quod præfero noſtram lectionem Græcæ? An quod indicem, olim quædam addita ab orthodoxis in noſtris voluminibus, quibus uterentur adverſus hæreticos? Id cum de Græcorum libris dictum ſit, non, opinor, indignatur *Leus*. An quod ab orthodoxis factum arbitror, ille putat à ſacris doctoribus eſſe factum? Nec enim protinus probo, quod fit ab orthodoxis. Poſtremo quid flagitii ſit, ſi voces aliquot addidiſſent noſtri, dum ſtudent ne quam anſam arripiant hæretici, aut etiam imperiti, præſertim cum à ſenſu non receditur? Velut in eo loco, *nondum erat Spiritus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*: eodem ſenſu manente nos addidimus, *datus*. Quorſum autem attinet illud? *nihil decerno addendum, aut adimendum?* An ego unquam decrevi aliquid addendum aut adimendum ſacris Libris? Niſi fortaſſis additum putat aliquid, ubi quod ſex verbis exprimit ſermo Græcus, ſeptem exprimit Latinus. Ad hæc, cur me jubet mutare quod jam mutatum eſt, & mutatum eſſe ſciret? Sed cur, inquiet, defendis quod mutaſti? Mutavi, non quod ineſſet aliquid mali, ſed propter homines imperitos mutavi, quos infirmos appello. Quis unquam audivit ſeveriorem rixationem, cum nihil hîc ſit quod ad me pertineat? Poſtremo rogat meus *Leus*, an omnes exiſtimem infirmos, qui hoc loco offendantur. Non omnes, inquam, ſed alios eſſe ſtultos, alios ſycophantas.

AD CC.

Eod. SOLI *Deo.* Et hîc unam annotationem in duas diſſecuit, tanta eſt parſimonia gloriæ: credo hunc & συμπνοπείσην eſſe poſſe. Admonueram *Chryſoſtomus* ſic legere quemadmodum eſt in Epiſtola ad Romanos. *Leus* negat, *ſapienti*, eſſe *Chryſoſtomo*, & verum dicit, in commentariis, ſed addit in contextu, niſi id additum eſt à ſcribis: id quod plane factum ſuſpicor. Neque vero tam cæcus eram, ut non viderem quid legeret *Chryſoſtomus:* verùm hoc annotavi, quod ille reliqua epitheta quæ præcedunt, *immortali, inviſibili*, connectat cum dictione *ſoli*, intelligens ſolum Patrem eſſe immortalem, ſolum eſſe inviſibilem: alioqui ſenſus eſſe poterat, quod ſolus Pater eſſet Deus, atque is eſſet immortalis & inviſibilis, etiamſi non ſolus. Quod ſi *Chryſoſtomus* addidiſſet *ſapienti*, videlicet non aliter adjunxiſſet cum hac dictione *ſoli*, quam reliqua conjunxit: verùm hoc fefellit *Leum*, nuſquam oculatum niſi ad carpendum. Atque hic *Chryſoſtomi* locus ad *Leum* pertinet, ubi fatetur Patrem ſolum eſſe Deum, ſolum eſſe inviſibilem & immortalem: nec ob aliud, niſi quod à nemine habet ut ſit Deus, ut ſit inviſibilis, ut ſit immortalis. Et *Leus* non patitur ut principii rationem peculiariter tribuamus Patri, cum huic *Chryſoſtomus* peculiariter tribuat nomen Dei.

AD CCI.

DOCTOREM. Quia Græcis eſt διδασκλικὸν, oſtendo *Hieronymum* ſcribentem adverſus *Pelagianos*, reprehendere vulgatam Editionem, quæ haberet *docilem*: *Leus* negat hoc ſibi lectum: at ego locum oſtendo ubi poſſit reperire, nimirum ejus operis libro primo: & tamen eodem in loco citat *docilem* juxta Latinam, ut ille vocat, ſimplicitatem, unde palam eſt illum non raro citare quod non probat. Fortaſſis putat Latinius verbum *docibilem*, quam *docilem*. Ut *facilis* eſt qui facile facit, ita *docilis* dictus eſt illis, qui facile doceret: quemadmodum *amabilis*, qui propenſus ſit ad amandum. Verùm id linguæ Latinæ conſuetudo non recipit. T. I. Hieronymi mihi 11.

AD CCII.

MULIERES *ſimiliter pudicas.* Admonueram γυναῖκας hîc rectius verti potuiſſe, *uxores:* quandoquidem ipſe ſermonis tenor declarat, eum loqui de uxoribus Diaconorum & Epiſcoporum. *Leus* objicit *Chryſoſtomum*, qui noluerit admiſceri *uxores*, ſed interpretetur de mulieribus, quarum miniſterio utebantur Apoſtoli. Scio non placuiſſe Chryſoſtomo *uxores*, & tamen ubi ſit mentio filiorum, quare declinat mentionem uxorum, præſertim ſi intelligamus uxores miniſtrorum, quas & hodie *Diaconiſſas* vocari in Oriente oſtendit gloſſema, quod *Hieronymi* falſo titulo fertur. Verùm hac de re non digladior, & conſiſtit, *uxores* fuiſſe miniſtras: etiamſi *Chryſoſtomus* fatetur, hoc pleroſque de omnibus uxoribus interpretari. Eod.

AD CCIII.

MAGNUM *eſt pietatis ſacramentum.* Cum hoc loco variarent Exemplaria, demonſtravi duplicem lectionem, ambigens utra eſſet præferenda: hoc non poteſt, opinor, reprehendere *Leus*. Deinde quoniam nonnihil torquerentur interpretes, indicavi, mihi ſimpliciſſimum videri, ſi locum hunc intelligamus de prædicatione Euangelii, idque quo pacto fieri poſſit Eod.

Digitized by Google

possit propono. Id *Leus* magnifice rejicit, negans prædicationem Euangelii esse sacramentum, absurde dici prædicationem assumtam in gloriam. Ridiculum, quasi vero hoc dixerim. In re sacramentum est, non in prædicatione. Sed quod ante fuit arcanum, cœpit esse publicum prædicatione : & quod prius latebat, hoc assumtum est in gloria, Hæc omnia quæ prius erant promissa de *Christo*, ac deinde facta sunt in *Christo*, prius erant mysteria, paucis aut nullis cognita, mox Apostolorum prædicatione toti vulgata orbi. Ubi nunc est quod scribit *Leus*, *hæc interpretatio quam male quadret huic loco*, &c. cum idem interpreter quod interpretantur alii? Porro quod de *Laurentio* argutatur, non video cur mihi sit respondendum.

AD CCIV.

1 Timoth. IV. IN *caritate*. Hîc nihil annotaram, tantum verteram quod reperi apud Græcos, apud quos redundat ἐν πνεύματι, id est, *in spiritu*. *Leus* indicat apud *Chrysostomum* non esse. Ac verum dicit : an ideo mihi non erat vertendum quod habetur in Græcis codicibus? Et ne dicat hoc meum Græcum, ad eundem modum habet Editio *Aldina*. Jam *Theophylactus* hanc particulam & legit & interpretatur.

AD CCV.

1 Timoth. VI. IN *laqueum Diaboli*. Admonueram, *Diaboli*, non addi nec apud Græcos, nec apud *Ambrosium*. *Leus* objicit *Chrysostomum* interpretari. Mirum vero si interpretatur quod sensit Apostolus, at non ideo scripsit Apostolus. Nos ostendimus quid scripserit, non quid senserit. Certe *Theophylactus* ne attingit quidem in exponendo, sed laqueos interpretatur involucra sollicitudinum ac periculorum.

AD TIMOTHEUM SECUNDA.

AD CCVI.

2 Timoth. I. GRATIA *& misericordia*. Ostendo Græcis abesse conjunctionem, *&* : *Leus* objicit, apud *Chrysostomum* addi. Qui scit hoc *Leus*? Deinde quid refert?

AD CCVII.

Eod. TEMPORA *secularia*. Cum Græce sit αἰωνίων, qua dictione solent æternitatem significare, *Leus* mavult *secularia*, & tamen *Chrysostomus* interpretatur *ab æterno*. At Latinis *seculare* dicitur, quod centesimo quoque anno instauratur.

AD CCVIII.

Eod. CUM Græcis sit εἰς ὃ, admonui vertendum, *in quod*, *Leus* objicit *Chrysostomum*, qui legerit, *in quo*, sed Latine loquens.

AD CCIX.

2 Timoth. II. PROFANA *autem inaniloquia*, &c. Admoneram hîc nescio quid de quorundam supervacaneis quæstiunculis, qui sibi Theologi videntur. Hîc *Leus* ansam nactus infigendi genuinum : *Sed id*, inquit, *etiam fuerat annotandum, quod profana jusserit devitare. Itaque monuerat, illotis pedibus in sacrarium non esse irrumpendum, nec sic tractandas litteras, ut fabulas Poetarum : opus esse illi summa vitæ sanctimonia, summa pietate ac modestia, qui sacra adeat, multo magis qui adyta penetret : non esse cujusvis aperire mysteria, sed tantum transformati in Deum spiritûs.* Hæc quorsum spectant, nisi ut innuat hæc omnia mihi deesse, sibi superesse? Quam autem ista Leo supersint, vel ex hoc libello cuivis intelligere promtum est. Quanquam ego non mihi sumo tractationem mysteriorum, sed in re omnium infima versor, magnifica illa *Leo* cedens, ac *Lei* similibus, quibus ea fato servata sunt, quibus adest animus & mens, cum qua Dii nocte loquuntur.

AD CCX.

NE *forte det*. Quoniam Græce est μήποτε, submonui potuisse verti, *ne quando*, testans, ne sic quidem satis Latine redditum esse, quod μὴ apud Græcos non sit hîc negantis, aut prohibentis, sed dubitantis. *Leus* objicit *Chrysostomum*, qui legat, *forte*, sed Latine loquens. Alioqui quid stultius, quam si legisse putetur μὴ ἴσως. Attamen meminit *Chrysostomus* dubitationis. Verum, sed eam dubitationem colligit ex μὴ, non ex ἴσως. Id cum palam sit ex *Chrysostomi* verbis, mirum est non animadversum esse à *Leo*. Scribit enim hunc in modum, *ac si dicatur, fortasse sequetur aliqua emendatio*. Si dictum erat *forte*, quorsum attinebat illud, *ac si dicatur*? Hæc scribunt qui soli lotis pedibus ingrediuntur adyta mysteriorum, qui spiritum habent in Deum transformatum. Eodem.

AD HEBRAEOS.

AD CCXI.

INDIGNATUR quod ordinem indicarim verborum, videlicet rem tam minutam : quasi hîc rem magnificam susceperim. Heb. II.

AD CCXII.

QUIA *non potuerunt*. Indicaram hoc loco Græcis non repeti, *in requiem meam*, sed subaudiri. *Leus* addit nec in suo codice legi additum. Bene habet, sed in plerisque vulgatis additum comperi. Idem ille comperiet, si quærat. Quod si *Lei* codex nihil habet usquam mendi, ad unum illum confugiemus omnes. Heb. III.

AD CCXIII.

AD *expletionem spei*. Admonueram certissimam spem nasci ex piis operibus potius, quam ex syllogismis : idque ut facerem in causa fuit Græca vox πληροφορία, quæ sonat certam persuasionem. Hîc mihi *Leus*, cui nusquam non prurit in me genuinus : *Quin & hoc scias*, inquit, *ex operibus ceu principiis syllogismum fieri ad spem, ut præsumtio sit bene sperare, si male feceris* : nimirum indicans, se piis operibus undique scatere, me malis abundare. Ego mihi non arrogo sanctimoniam, sed ab hac nulli longius absunt, quam qui sibi maxime vindicant. Equidem malo publicanus esse mihi displicens, quam Pharisæus sic mihi placens, ut displiceam Deo. Heb. VI.

AD CCXIV.

DE *alia tribu*. Id verto in annotationibus duntaxat, non in contextu, ad hunc modum : *Alterius gentis participes fiunt*. Hîc *Leus* ex auctoritate *Suidæ*, docet me φυλὴν anceps esse vocabulum ad *tribum* ac *gentem*, sed fugit illum, *gentem* etiam apud nos anceps esse. Nam *ejusdem gentis* dicuntur *gentiles*, hoc est, cognatione conjuncti. Hoc si scisset *Leus*, non appellasset meam interpretationem impiam. Et hic est ille formidabilis locus, quem jam non semel objecit in superioribus Annotationibus. Tales habet *Erasmus* præceptores, tales habet censores, & tamen non agit gratias, omnium qui vivunt ingratissimus. Heb. VII.

Digitized by Google

AD CCXV.

Eod. SERMO *autem jurisjurandi.* Quoniam Græcus sermo non carebat amphibologia, indicavi duplicem sensum, quorum neuter placet *Leo*, & novum inducit, volens *sermonem* positum pro re ipsa, sed hoc loco nihil erat opus Biblia Hebraica, quemadmodum ille loquitur, cum alioqui res belle habeat.

AD CCXVI.

Heb. VIII. SI *enim primum culpa vacasset.* Cum sit ἄμεμπτος Græce, interpretor *irreprehensibile*, sive *de quo queri non possit*, vel *in quo nihil possit desiderari. Leus* objicit *Chrysostomum*, qui interpretetur, *si inculpabiles fecisset.* Eam interpretationem ut non rejicio, ita non habet *Leus* cur meam rejiciat. Cur enim vereamur legem illam dicere reprehensibilem, cum ipse Deus dicat, *dedi eis leges non bonas?* Neque nescio quomodo sit hoc accipiendum. Sed quid hoc ad meum institutum? Postremo, an melius est, *si culpa vacasset*, quam *si fuisset irreprehensibilis?* Nam potest esse obnoxium reprehensioni, quod tamen culpa vacet.

AD CCXVII.

Heb. IX. ET *sanctum seculare.* Quoniam Græcis est κοσμικόν. Admonui rectius verti potuisse, *sanctum mundanum.* At *Leus* docet ex *Chrysostomo seculare* legendum, & ideo *seculare* dictum, quod omnibus licebat intrare, etiam gentibus. Quid ego audio? An *seculare* dicitur Latinis, ad quod omnibus patet aditus? Quid autem stultius, quam Græcæ vocis interpretationem ex Latine verso adducere? Non pudet *Leum* harum Annotationum? Non saltem illud vidit homo tam oculatus, quod ipse citat ex *Chrysostomo*, *Non enim* Judæi *totus mundus?* Quid dici potuit apertius? Gentes non admittebantur in Templum *Judeorum*, quia erat sanctum unius gentis. At *Christi* Templum patet omnibus qui sunt in mundo. Tam fœde toties labitur, qui censorio supercilio tam inclementer sævit in alienos lapsus, imo in benedicta. Quas sannas hîc adferret *Leus*, si quid in illum ejusmodi commisissem?

AD CCXVIII.

Eod. SINE *sanguinis effusione.* Quod sequitur, quoniam alibi interpretatur de redimendis Angelis *Origenes*, admonui tribus duntaxat verbis, locum hunc in specie habere nonnihil *Origenicum*, non sentiens quod auctor aliquid *Origenicum* saperet. Hîc *Leus* adfert interpretationem *Chrysostomi*, quæ mihi valde probatur, etiamsi duriuscula est, si quis expendat ad sermonis faciem. Quo possit detorqueri nescio, certe hinc *Origenes* sumsit occasionem erroris sui. Ut nobis non sapit *Origenicum* aliquid, ita illis sapuit, quibus fuit occasio labendi.

AD CCXIX.

Heb. X. NAM *& vinctis.* Indicaram Græcis esse, *vinculis meis*, τοῖς δεσμοῖς μου, atque ita legitur in *Aldino* Exemplari. *Leus* objicit *Chrysostomum*, sed Latine loquentem. Etiamsi ex illo magis colligitur, quod legerit *vinculis*, quam *vinctis.* Certe *vinculis meis* legit & interpretatur *Theophylactus* Græce scribens.

AD CCXX.

Heb. XI. FIDES *est substantia.* Obiter taxaram hîc glossema quoddam Jurisperitorum in titulo *de sanct. Trinit. & fide cathol.* in quo tumultuantur de hac definitione, & hac submota tanquam parum dialectica, aliam Scholasticam, &, ut ipsi vocant, magistralem inducunt, cum quod *Paulus* hîc dicit, magis sit encomium fidei, quam definitio. Perinde ac si dicerem:

A *Radix omnium malorum cupiditas*, speciem quidem habet definitionis, at definitio non est, certe ad leges dialecticas. At *Leo* videtur esse definitio ad rationes topicas. Ostendat igitur genus, ostendat differentiam, cæteraque quæ Dialectici requirunt in legitima definitione. Quod si hæc definitio quadrat ad regulas dialecticas, quid venit in mentem illis, qui pro hac ceu parum dialectica subrogarunt aliam, ut ipsi vocant, magistralem? Porro me non multum tribuisse illi glossemati moderatius feret, qui norit in eodem legi, *symbolum dictum a* syn, *quod est simul*, & bolus, *quod est morsellus, quia unusquisque Apostolorum suum morsellum, id est, partem suam apposuit.* Ab his qui talia portenta mittunt in litteras, fas est, opinor, alicubi dissentire. At objicit *Hieronymum*, qui alicubi vocet definitionem, objicit *Augustinum*, nec illos insector, sed hos qui rem tam sophistice tractant. At negas esse definitionem, inquit. Nego, sed talem, qualem illi faciunt, de quibus proprie verba fiunt.

B

AD CCXXI.

Eod. SARA *sterilis.* Indico Græcis non addi *sterilis.* Quod dico verum est, nec habetur in exemplari *Aldino*, sed objicit *Chrysostomum*, qui & legat & interpretetur. Atqui secus habet res. Nam *Chrysostomus* legit ad hunc modum: *Fide*, inquit, *& ipsa Sara virtutem ad suscipiendum semen, ad retinendum semen, susceptionis virtutem accepit, quæ jam mortificata & sterilis.* Quod adjicit, *mortificata & sterilis*, non ex contextu addidit, sed ex ipsa re. Apud *Theophylactum* in enarratione ne verbulo quidem fit mentio *sterilis*, sed tantum indicatur emphasis mulieris quæ fisa sit Deo, quod viri vix faciunt, etiamsi contextus habet σεσηρὸς ὄντα.

C

AD CCXXII.

Eod. PLACERE *Deo.* Indico hoc loco Græcis non addi, *Deo*, sed ex superioribus subaudiri. Mirum vero si *Chrysostomus* hoc interpretatur quod sensit is, qui scripsit hanc Epistolam. At non statim addendum in contextu, quod probabile sit sensisse qui scripsit.

D

AD CCXXIII.

Eod. ACCEPERUNT *mulieres de resurrectione mortuos suos.* Cum is, qui scripsit hanc Epistolam, loquatur de matribus, quibus Prophetæ filios revocaverunt ad vitam, duobus verbis noto quorundam recentiorum intempestivam disceptationem, qui ex hoc loco quærunt, an uxor cogenda sit ut maritum semel mortuum, ac mox vitæ redditum, cogatur recipere, præsertim si nupserit alteri, cum *Paulus* Epistolæ ad *Romanos* Cap. VII. scribens, uxorem solutam à jure viri posteaquam ille dormierit, non hoc egerit ut explicet difficultatem hujusmodi quæstionis, sed tantum ut adhibita collatione doceat, nobis nihil esse cum Lege *Mosaica*, posteaquam illa publicata *Christi* doctrina jam fuit antiquata, ac velut emortua. Hunc locum isti pertrahunt ad casum omnium rarissimum. *Paulus* hoc quod erat vulgati moris, traxit ad argumentum rei quam illic conabatur persuadere. Alioqui mulier cui datum erat repudium, an non erat soluta à jure viri prioris? Nam illic haud dubie sumit exemplum ex Lege *Mosaica*, præcedit enim, *scientibus Legem loquor.* Porro quod hîc adducit *Leus*, *Paulum* de penula sua mandasse, deque rebus aliis, ut ipsi videtur, humilioribus, quid ad me pertinet? An qui anxius est tractat humilia? Si locarem tibi domum usque ad finem vitæ tuæ, & in syngraphis adjicerem, si contingeret te mortuum reviviscere, nihil juris tibi fore in rem locatam, nonne tibi viderer anxius in paciscendo? Sed quid, inquit, tandem responderes, si

E

F

forte

Digitized by Google

forte fortuna tale quippiam usu veniret? Quid si cœlum ruat? Primum interpretarer, morbum fuisse, non mortem. Deinde consultarem quid esset respondendum, hunc certe *Pauli* locum non torquerem ad ejusmodi casum. Quod si hic locus, aut etiam alter, qui est in Epistola ad *Corinthios*, plane sensit id quod illi interpretantur, cur rem certam vocant in dubium? Verùm hoc utcunque disputabile. Illud absurdum, & insignis insciliæ, quod adjecerim, *ne uxores virum semel defunctum cogantur recipere, idque ne pereat character ille indelebilis apud ipsos natus.* Hîc floret *Leus: Primum*, inquit, *non imprimitur character in matrimonio, quod licebit discere a contemtis tam sæpe Theologis, qui hic tecum calumnia agere possunt, cum hoc illis objicias, quod tota via pugnat cum eorum decretis.* Ut nusquam prætermittit *Leus* occasionem, Theologorum ordines in me concitandi, de quibus tamen hactenus & sensi melius, & melius sum meritus, quam *Leus* ipse. Non probarem Theologos si omnes essent hujus similes, qui cum nihil docere possit, nusquam non jurgatur. Quid? an usquam dixi, in matrimonio characterem imprimi indelebilem? Sed ajo characterem commentum esse Theologorum, certe *Thomistarum*, qui fortassis hauserunt ex *Augustino* pugnante cum *Donatistis*, qui hanc adferunt causam, cur matrimonium iterari possit, baptismus aut Sacerdotium non possit. Quæ causa si nulla est, an non perit illis suus character quem commenti sunt? Nec tamen hinc consequitur, in matrimonio characterem imprimi. An si mihi pereat Lydia regula, ad quam studeam explorare quid obliquum sit, quid rectum, ideo nihil erit rectum aut curvum?

AD CCXXIV.

HANC Annotationem addit extra numerum, quo plus conflet invidiæ nobis. Hanc Epistolam diu non fuisse receptam à *Romanis* constat, aut certe *Pauli* nomine non fuisse receptam, quod in ea quædam essent, quæ juxta speciem sermonis viderentur non abhorrere ab *Origenis* dogmatibus. *Leus* putat *Paulum* abstinuisse ab omni specie mala. Id an verum sit nescio, certe conatus est. Cæterum quid si vitium oculi sit in causa, ut species videatur esse mala, an ideo non poterit dici esse aliqua mali species? Sed durius est quod alibi dixi, *hic locus manifeste adimit spem relapsis.* In Caput sextum annotans, multis verbis explico sententiam catholicam ejus loci. Cur *Leus* non hoc etiam interpretatus est ad consimilem sensum? Illinc certe poterat perspicere, meo judicio non adimi spem relapsis, sed aliorum, qui locum illum perverse interpretarentur. Et tamen his verbis quoniam senseram quosdam offensos, in posteriore Editione mutavi quod scripseram: *Si adimit*, inquit, *spem relapsis, quomodo dicis esse receptam ab Ecclesia, cum Ecclesia damnet, quod probat Epistola?* Epistolam recipit Ecclesia, perversam interpretationem non recipit. Sicut *Chrysostomum* recipit Ecclesia, sed quod alicubi *Leus* interpretatur ex *Chrysostomo*, non recipit Ecclesia.

AD TITVM.

AD CCXXV.

Tit. 1. ANTE *tempora secularia.* Hîc *Leus*, *Chrysostomus*, inquit, *legit*, *secularia*; verum, sed Latine versus. At *Hieronymus* mecum legit *æterna.* Atque etiam interpretatur, nec libet interim argutari quid fuerit *ante tempora æterna.* Certe *Nazianzenus* in sermone plane testatur quod in rebus conditis vocatur χρόνον, id in rebus æternis vocari αἰῶνα.

AD CCXXVI.

SECUNDUM *imperium.* Ἐπιταγήν, ego malo *delegationem* quam *imperium.* *Chrysostomus*, inquit *Leus*, interpretatur *imperium*; verum, sed Latine loquens aliena Lingua. Cæterum quod interpretatur ille, prò me facit. Eodem.

AD CCXXVII.

GRATIA *& pax.* Admonui Græcis omitti conjunctionem, *Leus* objicit suum *Chrysostomum*, aliena Lingua loquentem. Sed quid *Hieronymus* legerit, incertum est, quid Græci legant, res ipsa indicat. Quanquam quid id habet momenti? Certe sic legitur in vetustissimo codice *Chrysostomi*, atque etiam in *Theophylacto.* Eodem.

AD CCXXVIII.

RELIQUI *te Creta.* Cum *Creta* sit Insula, admoneo nihilo Latinius dici, *reliqui te Creta*, quam si quis dicat, *reliqui Hispaniæ*, pro eo quod erat, *in Hispania.* At *Leus*, *Hieronymus*, inquit, *sic legit.* Legit, sed vulgatam sequutus interpretationem. An ideo mihi non licebit privatim Latine dicere, præsertim cum Græce non sit *Creta*, sed *in Creta.* Eodem.

AD CCXXIX.

PER *civitates*, κατὰ πόλιν. Admonui ad verbum sonare, *per civitatem*, non quod ita verti velim. Nam addo, *id est*, *in singulis civitatibus.* Et in contextu verto *oppidatim.* Quid igitur est quod annotat *Leus*, nisi quod studuit explere numerum suum? Eodem.

AD CCXXX.

SUBDITOS *esse.* Submonui distinctionem hujus loci diversam esse ab ea, quam *Hieronymus* indicat fuisse in suæ tempestatis Exemplaribus. Hîc *Leus* ceu grave telum nactus, miratur nos fidere Græcis codicibus, ob hypostigmen, aliter nunc posìtam, quam olim fuerit in *Hieronymi* codicibus. O serias Annotationes! Tit. II.

AD CCXXXI.

SALVATORIS. Admonui Græcis esse non σωτῆρ&, sed σωτήρι&, id est, *salutaris*, sive *salutifera.* Atque ita sane legimus etiam in Editione *Aldina.* Hinc rursus *Leus* vociferatur, Græcorum codices esse depravatos, & nostros hoc certe loco esse emendatiores. Fingat ita esse, quid tum postea? Et tamen quod asseverat incertum est. Postremo cum sensus sit idem, quid refert utrum legas? Porro quod ait legere *Chrysostomum* quemadmodum nos legimus, reclamant vetusti codices Græci, in quibus non solum legit σωτήρι&, verum etiam interpretatur, si quis attentius expendat. Certe *Theophylactus* legit, addito etiam articulo, ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήρι& πᾶσιν ἀνθρώποις. Eodem.

AD CCXXXII.

ET *humanitas.* Quoniam Græca vox φιλανθρωπία obstabat, quo minus hic sermo posset accipi de humana natura *Christi*, admonui lectorem, ne cum recentioribus quibusdam erraret. Addo de patre *Jesu* dictum. *Leus* vult ad totam Trinitatem pertinere. Sed ni de Patre intelligas, quî cohæret quod sequitur, *per Jesum Christum Salvatorem nostrum*, nisi sic placebit ordinare sermonem, *Servator Jesus effudit in nos abunde Spiritum per Jesum Christum.* Certe de Patre interpretatur *Ambrosius*, aliquanto gravior auctor, opinor, quam sit *Leus*: nec hic solus interpretatur de Patre, etiamsi solus mihi debebat esse satis *Ambrosius* adversus hujusmodi sycophantiam: interpretatur & *Hieronymus* indicans hoc loco designari totam Triadem. Sed præstabit, opinor, ipsa *Hieronymi* verba sub- Tit. III.

Digitized by Google

ſubſcribere: *Diligentius*, inquit, *attendamus, & inveniemus in præſenti Capitulo manifeſtiſſimam Trinitatem. Benignitas quippe & clementia Salvatoris noſtri Dei alterius non quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti, quam effudit ſuper nos abunde per Jeſum Salvatorem noſtrum.* Neque tamen affirmavi quod adducit *Leus*, ſed modeſtiſſime adjeci, his verbis, *Et quod Deum ſervatorem vocat, magis ad Patrem referendum videtur, quam ad Filium.* Et tamen hæc recenſet *Leus* inter ea, quæ non mutarim homo pertinax & indocilis. Quis non admiretur hujus hominis inſignem petulantiam, qui non conſultis tantis interpretibus, repente proſilit ad calumniandum quod non intelligit? Et hic eſt ille mirabilis Annotator, qui per litteras gloriatus eſt apud amicos, nihil in opere meo futurum fuiſſe, quod vel *Momus* reprehenderet, ſi ipſius Annotationibus paruiſſem. Addit rurſus nonnihil de articulo: *Et ſi de Patre*, inquit, *loquitur, ubi eſt articulus tuus, cum ſine articulo dicatur Græce ſic, ὁ σωτὴρ ἡμῶν θεὸς*, aut quaſi non præceſſerit hic articulus, aut quaſi non aliqua de cauſa poſſit omitti articulus, aut quaſi quoties additur, neceſſe ſit Patris perſonam intelligi. Rogat me *Leus* ubi ſit articulus, ego juſtius illum rogarim, ubi fuerit mens ipſius cum hæc ſcriberet.

AD CCXXXIII.

Eod. HAS Annotationes fuiſſe *Leo* ſuppeditatas ab aliis, poſteaquam adornaſſet jam opus ſuum ad edendum, vel hoc eſt argumento, quod non habent ſuum locum. Quoniam vulgo nihil aliud ſonat *hæreticus* quam male ſentientem de dogmatibus fidei, viſum eſt admonere, *Paulum* illic non proprie loqui de hoc hominum genere, ſed in univerſum de contentioſis & factioſis. Porro quod adſcripſeram, *hæreticum appellat, non qui diſſentiat à concluſionibus magiſtrorum noſtrorum, ſed factioſum*, *Leus* illico arrepta anſa conatur Theologorum ordinem in me concitare, mira facundia declamans, prorſus hæreticum eſſe quicunque diſſenſerit à dogmatibus illorum, modo hi probe munere ſuo fungantur in his quæ ad fidem & mores ſpectant. Nec enim per alios ſtatui de iis, quæ ad fidei negotium pertinent. Quibus ſi detrahatur decernendi auctoritas, quid ſit impium, quid ſit hæreticum, nulli ſupererunt, quibus hoc negotii committatur, cum Pontifices nihil abſque illis pronuntient. Siquidem Eccleſiam nihil reprobare aut approbare ſine judicio. Id judicium nulli ſupereſſe, præter magiſtros noſtros. *Pontifices*, inquit, *auctoritate decernunt, hi judicio. Quod ni præceſſerit auctoritatem, manca plane eſt & inutilis.* In hoc ſermone dum *Leus* impenſe Theologis adulatur odio mei, Pontifices, hoc eſt, Epiſcopos afficit contumelia, quibus ita tribuit auctoritatem, ut judicium detrahat. An Epiſcopis nullum eſt judicium in negotio fidei, etiamſi non ſint magiſtri noſtri? Dicit horum auctoritatem eſſe mancam, ni præceſſerit judicium magiſtrorum noſtrorum, quaſi ſoleant de pietatis ac fidei negotiis illi perperam judicare, aut quaſi non poſſint etiam Theologiæ Profeſſores judicare perperam. Quis autem adimit Theologis auctoritatem judicandi? Aut quis ab illis diſſentit, ubi probe funguntur munere ſuo? Sed quis iſthuc judicabit, an probe ſuo fungantur munere? Nimirum ſubindicat hîc *Leus*, quod aliquoties non funguntur probe ſuo munere, & opinor, idem arbitratur uſu venire nonnullis Theologis, quod magno noſtro malo experimur in Medicis. Multum honoris debetur doctis ac fidis Medicis. Sed quid præmii debetur his, quorum multo maxima pars eſt, qui compendii famæque gratia paſſim jugulant homines? quidam etiam inſcitia. Nec ulli magis affectant haberi Medici, quam qui minime ſunt. Non dubito quin *Leus* ſibi videatur eximie Theologus, alioqui non tanto ſupercilio mihi impingeret colaphos, neque tanta auctoritate pronuntiaret hæreſes. Et tamen ipſa res docet, illum vix idoneum eſſe, qui ſe profiteatur Theologiæ candidatum. Itaque qua fronte ſic paſſim pronuntiat *Leus*, cui nec auctoritas adeſt, eo quod non ſit Epiſcopus: nec judicium, cum non ſit Theologus? Nec ego tamen loquutus ſum de quibuſvis concluſionibus Theologorum, quas *Leus* vertit in dogmata, nuſquam ingenioſior quam ad calumniam ac ſeditionem, ſed in genere dixi, ſentiens, non continuo hæreticum eſſe, qui ab aliquorum Theologorum placitis diſſentiat, quandoquidem nec ipſi inter ſe conſentiunt in multis. Et ſunt quædam illorum concluſiones (ut vocant) quæ non pertinent ad negotium fidei catholicæ. Poſtremo Theologorum docere magis eſt, quam decernere. Alioqui cum in omni fere mortalium genere major pars vincat meliorem, ſi ſemel hoc illis permittitur ut cogant tantum, non etiam doceant, periculum eſt ne cogamur pro optimis ſequi peſſima. Quod ſi doctrina *Chriſti* tantum eſſet violenta, nec admiſceret quæ conſentiant cum naturæ ſenſu, quæ vim veri genuinam præ ſe ferant, fortaſſe nec *Chriſto* crederemus, cui nunc credimus maxime. Ego doctis, gravibus, ſobriis ac piis Theologis plus tribuo, quam ipſe *Leus*, auſim id quamlibet ſancte dejerare, & recentiores veneror, alioqui non conſulturus illos tam diligenter in Novo Teſtamento. Nec ideo ſum illis iniquior, quod in ea palæſtra, in qua potiſſimum exercentur illi, non perinde valeam, non quod exiſtimem mihi defuturum omnino fuiſſe ingenium, ſed quod alio me fatorum vis deflexerit. Sed tamen quorundam ingenium, mores, judicium, eruditionem, ita ſum expertus, ut nihilo magis mihi diſpliceam, ſi ſim illis hæreticus: etiamſi juxta *Pauli* conſilium, placere cupiam omnibus, ſi quidem fieri poſſit. Jam ut integritas fidei noſtræ modis omnibus tenenda eſt mordicus, ita fortaſſis expediret, non quævis placita Theologorum aut Scholaſticorum odioſe pertrahere ad fidei cauſam. Et ea maxime deberent nobis eſſe cordi, quæ vitam noſtram forment ad *Chriſti* regulam. Nunc neſcio quo pacto nulla magis urgemus, quam quæ faciunt ad quæſtum ac tyrannidem. De quibuſdam Theologis loquor, non de toto ordine. Nam in hoc ſcio ſaniſſimo cuique vehementer improbari quorundam ſtolidos ac ſeditioſos tumultus. Etenim quemadmodum ſceleroſi, quibus pacatis rebus humanis male eſt, bellum optant: ita illi turbari cupiunt tranquillitatem Reipublicæ Chriſtianæ, quod ita magis expediat ipſorum compendiis. Verùm ut finiam, rejicit *Leus* quod dixerim, hîc *Paulo* dici hæreticum, qui factioſus ſit: *at factioſus*, inquit, *eſſe poteſt, qui non ſit hæreticus.* Verum eſt Latine, at Græce idem eſt *factio*, & *hæreſis*, niſi quod *hæreſis* magis ſonet in bonam partem. An ideo hæreticus non eſt factioſus, quia eſt adverſarius veritatis? Sed tamen factioſus eſſe poteſt, qui tumultuoſe contendat de rebus ad fidem non pertinentibus, quemadmodum illi qui pro doctrina Euangelica inculcabant fabulas *Judaicas*, & genealogias: nam de his agit *Paulus*. Veluti ſi quis nunc ſeditioſe contendat caput *Annæ*, quod viſitur *Duræ*, non eſſe matris Virginis *Mariæ*, ſed alterius cujuſdam fœminæ. Hac ex re *Paulus* nollet ſuſcitari procellas ac turbas. Poſtremo quod hîc in genere dixeram bono ſenſu, ſic in Editione poſteriore explico, ut ne quis poſſit offendi.

AD PHILEMONEM.

AD CCXXXIV.

DONARI *me vobis*. Cum ſenſus ſit idem, tamen admonui, Græcis eſſe χαρισθήσομαι, id eſt, *donabor*. Sic habet & Editio *Aldina*, ſic legit *Theophylactus*, & ad eum modum legit *Ambroſius*. Si *Chryſoſtomus*, aut *Hieronymus* legit χαρισθήσεσθε, quid tum poſtea? Et tamen incertum quid illi legerint.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA JACOBI.

AD CXXXV.

Iacobi II. SVSPICOR & hanc Annotationem esse alienam. Sit hoc somnium animi mei, si tu dissentis lector. Mihi vel illud est argumento, quod cum habeat causam non omnino malam, tamen non intonat convitiis, quod solet etiam in causa pessima. Quod nos legimus, *ostende mihi fidem sine operibus*, ostendi Græcis esse *ex operibus*. Admoneo juxta nostram lectionem non satis constare sensum. Sed ne sim prolixior, rem tribus verbis expediam. Quod *Leus* admonet fingi personam, qui ex adverso respondeat, vel ipse *Jacobus* demonstrat, cum ait: *Sed dicet quis*. Verùm ego paulo aliter ordino dialogum, quam *Leus*. Nam si sermonem hunc, *Tu fidem habes*, tribuamus illi quem redarguit *Jacobus*, quî consistit ut is sibi arroget opera, qui putat absque operibus sufficere fidem? Aut quî convenit ut Apostolus jubeat exhiberi fidem absque factis, qui docet non consistere fidem sine factis? Proinde mihi videtur hic esse sensus: Erant qui putabant alterum sufficere, *Jacobus* vult utrumque conjungi. Itaque sub persona secunda facit aliquem alteri loquentem: Tu fidem habes, satis sit tibi. Ego opera habeo, & id mihi satis est absque fide. Hoc colloquium interpellat *Jacobus*. Imo neutri sufficit ad salutem quod habet. Sed tu qui fidem jactas, doce factis ipsis tibi fidem esse, quæ certe res otiosa non est. Et ego factis ipsis declarabo mihi neutrum deesse. Sed ad hanc sententiam, inquit, non quadrat Latina lectio; verum. Et ob id admonui Græcæ lectionis. Vides, lector, quæ *Leus* tot verbis disputat, nihil ad rem pertinere, quippe cum non intellexerit quid mihi voluerim.

AD CCXXXVI.

Iacobi IV. SI *Dominus voluerit*. Cum indicassem Græcam lectionem à nostra diversam, adjunxeram, *Sed haud scio, an Græca hoc loco sint depravata*. Subjicit *Leus*, *Idem dixisses sæpe antea*. Quid autem si dixissem, quemadmodum & dixi? Colligit *Leus*, non esse fidendum Græcis codicibus. Ego vicissim colligam, nec Latinis fidendum, de quibus hoc subinde fateamur oportet. At quid facerem in consensu codicum, quando sic habet & *Aldina* Editio? Nihil autem erit incommodi si legamus hunc in modum, sublata unica conjunctione, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν ποιήσωμεν τοῦτο, id est, *si Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus hoc.*

PETRI PRIMA.

AD CCXXXVII.

1.Pet.1. IN *quem desiderant*. Cum sit constanter εἰς, indico videri depravatum in nostris libris, pro *in qua, in quem*: nam *Petrum* sentire de magnificis illis promissis, quæ olim prædicta per Prophetam, postea mundo sint exhibita per Euangelicam lucem, modis omnibus ejusmodi, ut ipsis etiam Angelis præbeant admirabile jucundumque spectaculum. Qui mutavit *qua* in *quem*, videtur ad Spiritum retulisse, qui præcessit. At nego mirum esse, si Angeli cupide speculantur Spiritum Sanctum. Sed his verbis *Petrus* effert majestatem Euangelii, quam Angeli quoque venerentur, gratulantes humano generi tam admirabili consilio redemto. Unde canunt, *Gloria in excelsis Deo*. Hic quid est, optime lector, quod reprehendi mereatur? At vide quam multa reperit *Leus*: *Primum*, inquit, *fieri potest, ut hîc quoque Græci codices sint depravati*. Ut fieri possit, non est verisimile in tanto consensu, præsertim commodiore sententia, etiamsi *Leo* secus videtur, vel ob hoc ut à me dissentiat. *Deinde non narrat*, inquit, *Petrus pro re mira quod Angeli desiderant prospicere*. Si hoc adducit ad exaggerandum majestatem Euangelii, nonne refert ut rem miram? *Idem*, inquit, *possis dicere si referatur ad* Christum, *ut enim semper contemplati sunt Angeli. Hoc mysterium incarnationis, crucis, resurrectionis, redemti generis humani diu desiderarant Angeli videre, quod tum cupide cernebant. Et si referatur ad* Christum *natum, crucifixum, resuscitatum; adscendentem, mittentem Spiritum, plane mirum erat*. Et idem est sensus quem ego adduco, non diversus ab eo quem ex Veterum commentariis adducit *Beda*. Sed in sermonis ordine scrupulus est, cum explico. Addit *Leus*, *Quid si non sit mirum, non propterea non erit verum? Sic multa feceris falsa in sacris Litteris*. Quod responsum hîc merebatur *Lei* protervitas? An dixi non esse verum, quod Angeli cupiunt intueri Spiritum Sanctum? An ideo non est verum, si indico *Petrum* aliud hoc loco dixisse? An inducit falsitatem sacris Litteris, si quis ex vera lectione ostendit sensum qui *Leo* non placet? Nec his contentus, arrodit quod pro διαγγελισαμένων ὑμᾶς, quo sermo dilucidior esset, verterim, *qui vobis prædicaverunt Euangelium*. Nihil erat opus, inquit, periphrasi. Quid ego audio? An ne tum quidem cum id suadet utilitas? *Sed turbat*, inquit, *ordinem sermonis*. *Leo* turbat, at aliis non turbat. Nam, *in quæ*, refertur ad ea quæ præcesserunt, *hæc quæ nunc annuntiata sunt vobis*, & alia item quæ sequuntur. Vides ut ad calumniandum est ingeniosus ac diligens.

AD CCXXXVIII.

HONOREM *impartientes*. Ex auctoritate divi *Hieronymi* demonstraram, hîc *Petrum* agere de temperando nonnunquam à coitu uxoris, quo magis vacetur sacris precationibus, & atrocius aliquanto fortasse quam par est rejicio commentum *Lyrani*, qui locum hunc interpretatur, quasi *Petrus* monuerit maritos, ut uxoribus prospiciant de victu & vestitu honesto secundum statum & facultates suas. Si *Lyranus* interpretatus fuisset generaliter de subsidio, quo sublevandæ sint uxores, non perinde displicuisset illius commentum. Nunc id quod est infimum solum attigit. Quis autem maritus solet uxorem famelicam ac nudam relinquere? Hîc primum *Leus* magna libertate rejicit interpretationem *Hieronymianam*, quod soleat & alias torquere Litteras sacras adversus hæreticos. Sed interim mihi videtur *Leus* oblitus, quod alibi me tam inclementer acceperit, qui dixerim, orthodoxos nonnunquam id facere, quod hîc affirmat subinde facere *Hieronymum*, videlicet ὀρθοδοξότατον. Quid dicent hæretici cum hæc audient? quas gratias ageret *Leo Jovinianus*, *Helvidius*, *Vigilantius* & *Pelagius*? Sed hæc utcunque habent, quod sequitur non potui sine risu legere, quantumvis atrociter ille incessat: Somniat enim *Leus*, quod *Petrus* dixit *vasculo infirmiori*, me interpretari de pudendo membro muliebri. Quis hoc non rideat? Et vide quibus convitiis hîc accipit me censor meus: *Nescio*, inquit, *quid possit ineptius dici, quam ut hic sermo referatur ad pudendum vasculum muliebre*. Sed unde somnium hoc *Leo* venit in mentem? Nunquid istiusmodi quippiam colligitur ex verbis meis? An quia coitus fit mentio? Ut coitus non fit absque membro illo, ita non statim qui de coitu loquitur membrum hoc nominat. Deinde magna cum auctoritate docet me, vasculum infirmius hîc appellari fœminam ipsam, non membrum pudendum: *Nescis*, inquit, *Paulum nos vocare vasa fictilia*. Ac mox: *Ergo*, inquit, *ita interpretare infirmius vasculum, quo contra possis opponere firmius vasculum*. Hoc sane nos docuit *Leus*. Sed absurdius est etiam quod subdit: *Sed nec dices*, inquit, *Petrum prohibere omnem corporum communionem inter conjuges*. *Nam* Paulus *tunc reclamabit dicens: Revertimini in idipsum*. Quis hoc adscriberet *Petro*? *At hoc*, inquit, *sequitur ad tuam interpretationem, cum etiam sanctissimo coitu inquinetur vasculum muliebre, vasculum, inquam, pudendum, addo & totum corpus.*

1.Pet. III.

Digitized by Google

Cur *Leus* hanc interpretationem, meam vocat potius quam *Hieronymianam*? Quin cum illo rixatur potius quam mecum? Ad hæc, sub cujus tandem persona hæc dicit, inquinari totum corpus uxoris etiam sanctissimo coitu? Sub mea? Nihil unquam tale dixi. Sub sua? Ubi est igitur, quod alias sic tuetur, nec in membro nec in coitu quicquam esse turpe? Sed pergit doctor meus, ex ipso sermonis contextu demonstrans, prorsus insanum esse quod interpretatur *Hieronymus*. *Quid dicemus*, inquit, *impartientes honorem fœmineis uteris, ut non inquinentur libidine, tanquam coheredibus gratiæ Dei*? Ita *Leus*. Quid dicturi sint qui hæc legent nescio, verùm divino multos dicturos, eum qui hæc scripsit non caruisse febri. Sed hunc locum quo cœpit impetu prosequitur. *Quid fœdius, quid insulsius hac interpretatione? Sunt fœminei uteri coheredes gratiæ Dei*? Hæc *Leus*. Quid si quis legens, nos à *Paulo* dici *coheredes Christi*, crederet pronomen, *nos*, significare cucurbitas, an ideo essent coheredes *Christi* cucurbitæ? quos tumultus hic ciet ex sua ipsius insciția? Nec illi satis fuit rem tam pene dixerim insanam semel effutisse, iterum atque iterum inculcat. Quod si libuit illi ad hunc argutari modum, cur non cavillatur & illud, cum de membro pudendo, juxta *Leum*, loquatur *Petrus*, magis dicendum fuisse ἐνοικοῦντες, quam συνοικοῦντες. Cætera, quæ congerit, non admodum ad me pertinent. Sed ne *Hieronymum* omnino relinquamus indefensum, audi, lector, quemadmodum inter se cohæreat hic locus: Præceperat *Petrus* ut & uxores obtemperarent maritis, tanquam dominis. Rursus maritos admonet ut accommodent se suis uxoribus, vasculis infirmioribus, utpote propensioribus ad ea quæ sunt carnis, ac magis obnoxiis animi cupiditatibus, sed accommodent secundum scientiam, hoc est, cum judicio, non per omnia obsecundantes illarum affectibus, quemadmodum fecit *Adam*: neque sinant illas intemperanter servire voluptati corporis, quin potius assuefaciant, ut ea quæ sunt animi sectentur, & rebus honestioribus ac sacratioribus vacent: neque putent, uxorum non esse alium usum quam ad coitum, cum sint coheredes gratiæ vitæ. Itaque æquum esse, ut quando vocatæ sunt ad idem præmium, paribus etiam studiis cum maritis contendant ad ea quæ sunt pietatis. Christianorum sacra sunt puræ preces ad Deum: has oportet à puris, à vigilantibus, à castis frequenter immolari *Christo*. Proinde frequenter, & si fieri potest, in totum, à coitu temperandum. Impedit enim luxus corporis sanctas preces. Ecce concinnavi tibi totum hunc locum juxta *Hieronymi* sententiam. Neque transilii quicquam quod mihi objecerat *Leus*. Quid hîc absurdum? Quid insulsum? Quid fœdum? Ubi cætera quæ modo detonabat *Leus*? Cæterum quid hoc loco sentiam de *Hieronymi* interpretatione, mihi necesse non est pronuntiare: sat habeo rejecisse *Lei* convitia, quibus tamen magis impetit *Hieronymum* quam me. Siquidem ille tantus est auctor, ut convitiis incessendus non sit si quis eum sequatur, vel errantem.

Sed illud male habet hominem quod adjeceram, *Jam vero quorsum attinet hoc loco recensere, quæ somnient in hanc sententiam, qui Græce nesciunt, & id tantum sequuntur, non quod scripsit* Petrus, *sed quod depravavit Librarius? Possem ad singula convitiis incessere nimis arrogantem istorum insciţiam, qui de his quæ citra Linguarum peritiam ne legi quidem emendate possunt, velut ex oraculo pronuntiant quicquid somniarint.* Hîc primo loco *Leus* objicit mihi miram quandam inconstantiam: *Miror*, inquit, *quid sit quod tam varius es, nullo gradu sistis, mutas stationem, nihil non facis quo carpere possis quosdam interpretes.* Imo *Leus* sibi nimium constat, ubique sui similis, nihil non faciens quo calumnietur *Erasmum*. Sed audi, lector, novam inconstantiam. In prioris ad *Timotheum* Epist. Cap. III. dissentio à *Valla*, qui offensus sit quod mysterium diceretur *assumtum*. Rogo cur non magis offendatur, quod *Christus* dicatur *justificatus*. Siquidem in speciem & primâ fronte absurdius esse posterius hoc. Nam justificatus dicitur vulgo qui ex injusto factus sit justus. *Ibi*, inquit, *gravatim pateris dici Deum justificatum, hîc prorsus contendis ut sic dicatur*. Nec ibi patior gravatim, sed *Vallam* refellens, objicio similem sermonis speciem, cum illum offendisset sermonis facies. Nec hîc contendo, idem esse dicendum. An idem est dicere, *Christum mortificatum & vivificatum*, quod dicere *justificatum*? An non est mortuus *Christus*? An non revixit? Sed *Christus* nec secundum humanam naturam unquam fuit expers justitiæ. Habes bellum hujus rixæ exordium, *Laceras*, inquit, *miseros interpretes, id quod nunquam non facis.* Hoc mendacio quid apertius? Quoties eos cito cum honoris præfatione, etiam recentiores, sanctum *Thomam*, *Lyranum*, à quibus licet aliquoties dissentiam, tamen ad plurima conniveo. Negat *Leus* idem facere *Hieronymum* & *Augustinum*, quos tamen videar imitari. Nec mirum, illi non viderunt talia glossemata, qualia nos hodie legimus, fortassis atrociora dicturi, si tales id temporis tractassent sacras Litteras. Quanquam ne id quidem verum est quod ait *Leus*. *Hieronymus* an non odiosius tractat *Ruffinum*, quam ego quenquam interpretum recentiorum? An obscurum est quid pronuntiarit de commentariis *Ambrosii*? Quid de ingenio doctrinaque *Augustini*? An non palam taxat *Hilarium* ut Græce tenuiter peritum, & tamen Græcorum flosculis venditantem sese? Ne quid interim commemorem de *Jovinianis*, *Vigilantiis*, atque *Helvidiis*. Quanquam hîc nullum interpretem taxo nominatim, sed tantum in genere quosdam *Lei* similes attingo, qui freti Scriptura quam offendunt, neque consulunt antiquos interpretes, neque Græcos codices, sed veluti re comperta pro oraculo volunt haberi, quod somniarunt, quando nulli plus tribuunt sibi, nulli pertinacius sua tuentur, quam qui nullo sunt judicio. An hujusmodi glossematum non plena sunt omnia? An non passim labuntur, etiam ob Latinæ Linguæ insciţiam? Quid autem mirum hoc aliis usu venisse: cum id toties usu venerit in hoc libello *Leo*? At *Leus* negat esse crimen, si interpres vitiata lectione deceptus, secus interpretetur quam oportet, modo citra damnum ullum veritatis catholicæ. Verùm si id passim ignoscemus interpreti, an existimamus nullum esse damnum veritatis catholicæ? Quid autem appellat crimen? An commissum capite puniendum? Ego nusquam appello crimen, sed lapsum insignem ac pudendum. Post hæc exspatiatur in locum communem, patrocinans iis qui Græci sermonis ignari, jam annis aliquot tractarunt sacras Litteras, quibus ita patrocinatur, ut laudandos dicat qui pro sua tenuitate quod potuerunt miserint in gazophylacium, nimirum pejus sentiens de S. *Thoma*, de *Bonaventura*, de *Lyrano*, quam ego sentio. Verùm ut multa transiliam, ne te, lector, onerem, operæ pretium est audire quo me telo premat & urgeat: *Si hoc crimen*, inquit, *putas, quod cum Græce nesciant audeant interpretari, quo pacto tu effugies, qui Euangelium* Matthæi *Græce versum ex Hebraico, itidem*

AD CCXXXIX.

Eodem. MORTIFICATOS *quidem carne*. Ostenderam à Librariis vitiatum, *mortificatos* & *vivificatos*, pro *mortificatus*, & *vivificatus*. In hoc cum consentiant Græcorum codices, cum ipsa sententia suadeat ita legendum, cum ita citet *Hieronymus* in *Esaia* Cap. LIV. Item *Augustinus* Epistola XC. ad *Euodium*. Rursus Sermone de verbis Apostoli XIV. palam interpretans etiam hoc de *Christo* dictum esse, quod mortificatus sit & vivificatus, dubium videri non potest quin nostri libri sint vitiati. Nec *Leus* inficiabitur, opinor, etiamsi nonnihil dubitat an mendo vacet meus codex, quasi nusquam hoc legatur nisi in meo codice. Deinde videndum an varient Græcorum Exemplaria. Videat hoc *Leus*, mihi tot argumentorum consensus satis est. Et *Leo* satis esse deberet nisi tam libenter à me dissentiret, ut malit sentire perperam, quam mecum sentire recte.

Digitized by Google

& Epistolam ad Hebræos *Latine interpretaris, cum tamen Hebraice nescias?* Ut demus hæc Hebraice scripta, cum ego diversum suspicer, videlicet effugiam eadem rima, qua effugerat *Origenes*, *Chrysostomus*, & *Hieronymus*? Cur enim nos non excuset necessitas? Nemo vidit Euangelium *Matthæi* scriptum Hebraice. Nemo Epistolam ad *Hebræos*. Quid superest, nisi ut ex proxima lacuna hauriamus, quando fontis ipsius non est copia, ac ne spes quidem ulla. Alioqui cum quæ scribunt & cæteri Euangelistæ Græce, dicta sint à *Christo* Hebraice, fortassis sunt quæ minus percipiuntur ex Lingua Græca. Quanquam ego non sic interpretor Euangelium *Matthæi*, ut interpretatur *Hugo Carensis*, aut alii qui scribunt commentarios. Postremo in sua culpa mihi ignoscet *Leus*, opinor, qui non veritus est apud *Franciscanos* interpretari Euangelium *Matthæi*, & docere quod nunquam didicit. Porro quæ decantat hîc *Leus* de admirabili simplicitate interpretum, de sanctimonia, de studio, de fructu, de candore, quod nunquam inter se dissentiant, quod neminem taxent, quod nusquam à rectitudine fidei exorbitent, quis non videt quam absit à vero? Quam ingens pugna inter *Thomistas* & *Scotistas*, inter nominales & reales. An nusquam notatus est *Thomas*, nusquam *Scotus*, nusquam *Occam?* O felices interpretes, quibus talis gloriæ suæ præco contigerit! Jam hanc disputationem non reliquit nisi relicto aculeo. *Addo*, inquit, *non obfuisse forte Ecclesia quod Græce nescirent, cum quosdam videam præ gloria Græcanici sermonis, multa sibi sumere in fidei potius detrimentum, quam adjumentum.* Ego mihi quam minimum sumo, cum *Leus* etiam Græce imperitus sibi tantum sumat in Græca Lingua, magno videlicet Ecclesiæ præsidio. Sed huic veneno mellis addit nonnihil. *Nec tamen*, inquit, *dissuadeo Græca Exemplaria consuli, si quis tamen id pie ac sobrie faciat, captivato intellectu in obsequium fidei.* Quid, an nullus ausurus erat consulere Græcorum Exemplaria, si *Leus* hoc dissuasisset? Et quid tandem periculi, si quis faciat quod & fecerunt tot eximii Patres, & nobis faciendum censuerunt?

EPISTOLA JVDAE.

AD CCXL.

QVONIAM visus est sibi belle ac dextre rem gessisse in, *soli sapienti Deo*, renovat hîc triumphum, cum illic non intellexerit quid dixerim. *Antea puto satis explosum*, inquit, *sed & hoc loco magis explauditur.* Quid hîc magis explauditur? σοφῷ esse additum apud Græcos? Id libri testantur, cum nostri codices habeant, *soli Deo.* Sed non est additum adversus *Arrianos*. Nec id assevero, quin potius conjecturam meam adfero.

APOCALYPSIS.

AD CCXLI.

Apoc. 1. MITTENS *per Angelum.* Admonui & alias, verbum hoc ἀποστέλλειν sic esse *mitti* ut mittuntur legati cum mandatis. Ut mittens *Herodes* amputavit caput *Joannis.* Proinde cum hîc dicat ἀποστείλας διὰ ἀγγέλου, admoneo lectorem, esse aliquid subaudiendum, *missso mandato per Angelum.* Id *Leus* non negat, interpretans *missa revelatione.* Quid igitur hic putavit annotandum? Nam collaudor ab eo, quod nihil mutarim in contextu. Videlicet ingens periculum esse subindicat, si id factum esset.

AD CCXLII.

Eodem. EGO *sum alpha & ω*, cum Græce sit τὸ α καὶ τὸ ω, *Leus* ratiocinatur Filium hîc absolute dici *principium*, nimis libenter philosophans in Græcis articulis, de quibus nihil intelligit. Quis enim nescit, apud Græcos quoties ipsum elementum significatur, articulum apponi? Quod idem fit, quoties ipsa vox, non res denotatur, veluti si dicas, ὄν & Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ ὀναίομαι. Sed hinc deflectens *Leus*, ad *Arrianos* demigrat, hos ait ex addito articulo colligere, solum Patrem esse vere Deum, cum Filio non addatur. Id nec verum est, nec ab *Arrianis* unquam est somniatum, sed ipsius *Lei* somnium est. Et quæ antea de his rebus dixerat, declaravimus esse tricas apinasque.

AD CCXLIII.

QVONIAM Græcis nunquam magnopere placuit liber Apocalypseos, rarus habetur apud illos. Itaque cum cuperemus nihil abesse nostræ Editioni, ægre extorsimus ab inclyto viro *Joanne Capnione* vetustissimum codicem, commentarios habentem in hoc opus. Ex eo contextus verba describenda curavimus. In calce vero scribarum incuria deerant hæc: *Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* Sensimus autem scribam per eam occasionem erasse, quod cum bis ponatur in libro isto, ille ad posterius oculos deflexerit, relictis quæ sunt in medio. Siquidem ad nullum lapidem frequentius impingunt Librarii. Dubium non erat quin essent omissa, & erant perpauca. Proinde nos ne hiaret lacuna, ex nostris Latinis supplevimus Græca. Quod ipsum tamen noluimus latere lectorem, fassi in Annotationibus quid à nobis esset factum: ut si quid dissiderent verba nostra ab his quæ posuisset auctor hujus operis, lector nactus Exemplar restitueret. Vides quam nullius momenti sit quod ὑπερεγχωδίζῃ *Leus.* Et tamen hoc ipsum non eramus ausuri in Euangeliis, quod hîc fecimus, ac ne in Epistolis quidem Apostolicis. Hujus libri sermo simplicissimus est, & argumentum fere historicum, ne quid dicam de auctore olim incerto, Postremo locus hic coronis tantum est operis. Atque hîc *Leus* ceu campum eximium nactus latissime exspatiatur, perinde declamans ac si passim Græca restituissem ad Latina, ac si quicquid in Græcis codicibus reperissem, ad id protinus nostra rasissem, ac si quicquid vertimus à Græcis illico sugillet nostram lectionem, cum ego sic verterim Græca, ut judicium lectori faciam liberum, imo ut ipse nonnunquam nostra præferam: nec aliter velim credi Græcis voluminibus, nisi cum aut res per se est evidens, aut consentiunt vetusti Latinorum codices, aut adstipulantur utriusque Linguæ probati interpretes. Hæc cum toties inculcarim, tamen *Leus* ad hæc omnia surdus suam canit cantilenam, urgens me ridiculis dilemmatis: *Si Græca*, inquit, *bene habent, cur emendantur? Sin male, cur tantopere tibi placet secundum ea nostra mutare, rejicere, damnare?* Os impudens. Ubi corrigo Græca quæ bene habent? Aut ubi rejicio nostra tantum ex Græcorum lectione, si nihil accedat argumentorum? An quod tria verba semel adjeci, quæ certum erat abesse, idcirco corrigo Græcos codices? Addit alterum dilemma non minus bellum: *Latini si bene habent, cur emendantur ad Græcam fidem? Si male, cur ad eorum fidem Græcis addis?* Uterque syllogismus imaginatur, Latinos aut Græcos codices non esse depravatos, nisi toti sint depravati; nec emendatos, si quicquam mendæ resederit. Ubi castigantur à nobis Latina cum bene habent? Aut quid vetat libro fidere cum caret vitio, etiamsi alias non abest omnino mendum? An ideo pictor non debet à formoso corpore sumere exemplar, quod alicubi verrucam aut nævum habet? Quid si eodem dilemmate colligam nullum omnino librum esse castigandum, aut certe non legendum? Si bene habet, cur emendatur? Si male, cur legitur, cur illi fiditur? *Sin Græci*, inquit, *codices egent adminiculo Latinorum, Latini Græcorum, erunt utrique pari conditione. Manebit igitur Græcis sua lectio, nobis nostra.* Quid? an non manet nobis nostra lectio cum ipsis etiam mendis, totoque, quod ajunt, pulvere? An ideo sublata est no-

Digitized by Google

bis noſtra lectio, quod mea verſione declararim Græci ſermonis ignaris, quid Græci legant? Deinde quid quæſo mentis habent illa quæ ſubjicit *Leus? Niſi tu unus tantum audeas, ut utrumque reducas ad conſonantiam, quod nunquam auſus eſt, ſive is* Origenes *ſit, ſive* Hieronymus, *qui hoc de ſe profitetur in Homiliis* Origenicis: cum toties teſter, me nec convellere lectionem Eccleſiaſticam, nec mihi ſumere provinciam deſignandi, ubi Græcis fidendum ſit, ubi minus, ſed hoc totum Romano Pontifici ſervem, quorſum attinebat hæc effutire tam inania, imo tam virulenta? Ejuſdem eſt farinæ quod ſequitur: *Tu dum utrumque ex altero reſtituis, utrumque facis incertum, atque eo incertius, quo non omnes ſicio ſubſcribent tuo judicio.* Si ideo utrumque incertum eſt, quoniam neutrum omnino vacat mendis, nullus omnino liber non erit incertus, cum nullus omnino vacet mendis. At quî fiat, ut omnes meo ſubſcribant judicio, cum ipſe clamem nolle quenquam fidere meo judicio? Hoc auctoritatis ſervatum eſt *Leo*, qui nuſquam non videt verum, qui nuſquam hallucinatur. Sed audi virus *Leicum*: *Ex innovatis*, inquit, *codicibus quid periculi ſit nihil dico in præſentia, ſed nimis quam timeo, ne periculum ex ipſo periculo diſcamus.* Ita quidem *Leus*. Ego contra puto totum periculum eſſe metuendum è furioſis capitibus quorundam rabularum, qui turbari malunt totam Remp. Chriſtianam, quam committere ut ipſi non habeantur in aliquo pretio. Ex meo ſtudio quid periculi ſit neſcio: certe ſummi viri, doctrina abſoluti, vitæque ſanctimonia præditi, ad hæc dignitate præcellentes, ingenue fatentur ſe ex meis lucubrationibus permulta didiciſſe, quæ prius non animadverterant. Plurimi fatentur ſeſe ad ſtudium divinarum Litterarum incitatos fuiſſe: atque horum quidam his dotibus præditi ſunt, ut *Leum* vix dignum exiſtimem, qui culinam illorum curet. Non quod *Leum* uſque adeo contemnam, ſed quod illi tantum excellant eximiis dotibus. Sed audi virus etiam virulentius: *Antiqua*, inquit, *lectio etiamſi non ſatis ubique Græco reſpondens, nullam nobis peperit hæreſim, nihil fovit ſchiſmatis, nullam hæreticis anſam prabuit ad calumniam, ſemper exhibuit ſenſum catholicum, id ſedulo agentibus interpretibus ut ſenſus quadraret fidei, etiamſi Græca non reſpondeat lectioni.* Non opinor *Leum* tam ſtupidum quin intelligat, doctis hæc viſum iri prorſus ſine mente dicta, cum ſint odioſiſſime dicta. Sed fretus quorundam ſtultitia, veſanoque in bonas litteras odio auſus eſt hujuſmodi ſcribere. Atque in his fluit illi, ſi ſuperis placet, oratio. Dicas ad maledicentiam eſſe factum. Sed quid hoc eſt quod ait *Leus*? An antequam prodiret Novum Teſtamentum à me recognitum, nullæ exſtiterant hæreſes, nulla ſchiſmata? Et unde hauſit ſuum errorem *Pelagius*? Unde ſuam blaſphemiam *Julianus Auguſtus*? Unde *Bohemi*? Unde *Joannes Wiclef*: cumque his innumerabiles alii? Hi certe Græce neſciunt: nec aliam norunt interpretationem, quam veterem. Sed unde exſtiterunt Græcorum hæreſes? An ex lectionis varietate. Nequaquam, ſed ex diverſa interpretatione. Atqui nihil vetat interpretationem eſſe diverſam, cum eadem ſit lectio. Nos, quod ſæpius iterandum eſt, lectionem Eccleſiaſticam non convellimus. Jam oſtendat *Leus* unum locum ex his, quæ nos annotavimus diſcrepare à noſtra lectione, unde nata ſit hæreſis, unde natum ſit ſchiſma, unde præbita ſit hæreticis anſa calumniandi fidem catholicam. Fingat me *Leus* alicubi miſcere ſcholiis meis, quod diſſonat à vero, an ideo incuſanda eſt varia lectio, ſi ego labor alicubi? *Hieronymus* alicubi erat in his quæ ſunt fidei catholicæ. An hoc imputandum eſt ab illo variatæ lectioni? Quas autem hæreſes, quæ ſchiſmata mihi narrat *Leus*? An *Capnionem* taxat his verbis? Atqui eum aliàs, ni fallor, appellat parentem omnis virtutis: an *Lutherum*? Quin in hunc igitur ſtringit eloquentiæ ſuæ mucronem? An lapſus ſit alicubi *Lutherus*, nec eſt *Lei*, nec eſt meum pronuntiare. Vir is mihi videtur magnis dotibus præditus, utinam utatur his ad *Chriſti* gloriam. Et tamen ſi quid errat, non hauſit hoc ex varia lectione. An *Fabrum* notat? Illius viri tanta eſt apud omnes reverentia, vel ob caniciem, vel ob vitæ ſanctimoniam, ob tot vigilias in publicam utilitatem deſudatas, ut nullus adhuc illi impegerit hæreſim. Superest igitur *Eraſmus*, in quem iſta jaci videantur. Verùm cum toto hoc libro ſummis viribus *Leus* ſit adnixus, ut omnia verteret in hæreſim, etiam quæ ſunt optime dicta, tamen nihil adhuc ſucceſſit, imo dum me conatur hæretici dogmatis auctorem facere, ipſe qualem ſe declararit, non proloquar, tacitus apud ſe lector intelligit quid velim. An ſchiſma putat eſſe *Leus*, quod cum tot egregii proceres Eccleſiæ magnis ſtudiis complectantur laborem meum, quem exhauſi in Novo Teſtamento reſtituendo, pauci quidam rabulæ commoti ſint? vel quod nolint videri quicquam neſcire, vel quod ob ſtoliditatem animi, putent eſſe hæreticum quicquid ipſi neſciunt, vel quod ob odium erga bonas litteras, auctoris odio damnent etiam quæ recta ſunt? Si quid hîc eſt tumultus, his imputetur qui ſeditioſe vociferantur apud populum indoctum, eſſe qui corrigat *Pater noſter*, qui corrigat *Magnificat*, qui corrigat Euangelium ſancti *Joannis*, qui ſubvertat auctoritatem ſacræ Scripturæ, qui hæreſes & Antichriſtos miſcent ubique cum negotio bonarum litterarum, qui hæc decantant in conviviis, in plauſtris, in navibus, in conciliabulis, qui hæc inſuſurrant in ſecretis confeſſionibus, blaterantes adeo ſtolida, ut rideantur etiam ab idiotis & mulierculis paulo cordatioribus. Iſti, quod quidem in ipſis eſt, concitant ſchiſmata. Qui tales ſcribunt libellos, qualis hic eſt *Lei*, ſeditionum auctores ſunt, non ego, qui quod poſſum communico, judicium Eccleſiæ deferens. Sed nondum rixæ finis. Miratur me, quem vel hic præſens locus non deterruerit ab audendo quod auſus ſum. Ridiculum. Reſpondeat mihi quæſo *Leus*, ſi in codice, quem emiſiet, aut deſcribendum curaſſet, deprehenderet à typographis aut ſcribis aliquid omiſſum, an illum deterreret hæc lex, ne quod eſſet prætermiſſum adderet? Quod ſi deeſſet Latini codicis copia, & tamen ſciret addendum, an tantiſper vereretur addere ex Græco donec Latini codicis copia contingeret? Et cur me lex hæc debebat deterrere ne quid adderem, aut diminuerem? Non addit qui ſarcit quod deeſt. Imo diminuiſſem, ni addidiſſem quod conſtabat abeſſe. Vides, lector, quam de nihili re quam atrocem tragœdiam ſuſcitarit *Leus*. Atque hactenus ad primum librum *Lei* ſatis arbitror reſponſum, ut ex tempore licuit. Nunc ad ſecundum illius librum accingar, in quo congeſſit xxv. novas Annotationes, ut exiſtimemus in illis prioribus nihil eſſe poſitum ex poſteriore Editione noſtra, cum ipſe locis aliquot ſeſe prodat. Sed quorſum opus erat hæc ſeparare, cum Opus ederetur jam poſteriori volumine pene ſeſquiannum publicato? Niſi forte novas appellat, quod illi aliunde advolarint, id quod ego de pleriſque verum eſſe non dubito. Porro quoniam videbat eſſe perpaucas, tres Indices aſſuit ut eſſent hujus voluminis initium, videlicet caput apte congruens huic corpori.

DES.

Digitized by Google

DES. ERASMI ROTERODAMI
RESPONSIO
AD ANNOTATIONES
EDVARDI LEI
IN ERASMVM NOVAS.

AD PRIMAM ANNOTAT.

Matth. II. ET tu *Bethlehem*. Quoniam hîc ſe torquet divus *Hieronymus*, propoſueram duas rationes, quibus utcunque poterat explicari quæſtionis difficultas, ſed ita propoſueram ut nihil adfirmarem, teſtans me tantum lectori dare cogitandi commentandique materiam. Una eſt, ut accipiamus per Hyperbolen dictum, *Nequaquam es minima in millibus Juda*, hoc eſt, in nullo es numero. Itaque idem erit ſenſus apud Euangeliſtam qui negat eſſe minimam, & apud Prophetam, qui dicit eſſe minimam. Hanc rationem non taxat *Leus*, alteram taxat. Ea eſt hujuſmodi, ut accipiamus ſic prophetiæ verba recitari ab Euangeliſta, ut in medio ſermone de ſuo nonnihil admiſceat, ad rem præſentem & ſui temporis accommodans verba Prophetæ, qui ſua tempora reſpiciens dixerit: *Parvulus es in millibus Juda*, cum id temporis adhuc eſſet viculus obſcurus ac neglectus. Euangeliſta reſpexerit ad ſua tempora: *Nunc nequaquam es minima in principibus Juda*, cum tali prole ſis facta nobilis. Hîc offendit *Leum*, quod cum hac interpretatione parum cohæret quod ſequitur. *Ex te enim egredietur dux*. Si totus ſermo cohæſiſſet, cur dixiſſem in medio ſermone, ſubito Euangeliſtam alio reſpexiſſe. Cum diceret, *Nequaquam es minima*, reſpexit ad rem præteritam: cum addit, *Ex te enim egredietur*, rediit ad tempora Prophetæ. Jam non poſtulo multum tribui meæ conjecturæ: tantum volui refellere quod objicit *Leus*. Addit rationem tertiam, qua poſſit explicari nodus hujus quæſtionis. Eam in præſentia nec eſt conſilium refellere, nec approbare.

AD II.

Matth. XIX. AD *duriciem*. Inter alia, quæ illic adfero, ſermonem hunc admiſceo, *Porro quod hodie paſſim in Scholis dictitant, ſolo conſenſu contrahi matrimonium, utinam tam probatum eſſet, quam receptum eſt*. *Leus* non videt quid poſſet præterea requiri ad legitimum matrimonium, ſi modo accedant verba præſentis temporis, & addit cavillum ſane lepidum, *niſi velit*, inquit, *etiam oraculo conſuli*. Quid igitur præterea requirebatur apud Græcos, apud Romanos, apud Judæos tot ſeculis? Nimirum parentum aut tutorum aſſenſus. Et fortaſſis idem expediret his quoque temporibus obſervari: non haberemus tot conjugia male conglutinata per ſtultos adoleſcentes, per vinum, per lenas ac lenones. Quis autem Veterum meminit verborum de præſenti? Quis dixit contractum factum per verba de futuro, verti in verba de præſenti, ſi ſuccedat coitus? Quis Veterum diſtinxit matrimonium ratum à conſummato? Quis dixit matrimonium ratum quidem, at non conſummatum dirimi per ingreſſum religionis, ut iſtorum more loquar? An non hæc omnia Jureconſultorum verba ſunt, & quidem recentium? Hæc ſunt, quæ illic ſubindicaram optare me perinde eſſe probata, ut ſunt recepta.

AD III.

Marci V. TABITHA *cumi*. Admonueram *Tabitha* non ſimpliciter eſſe, *reſpice*, ſed *attolle oculos*, ut Hebraica vox habeat vim duarum. Id *Leus* non negat, cum interpretetur, *facias reſpicere*, aut *fac reſpicias*, & tamen quod illic addidimus de Hebræa voce, addidimus ex conſilio *Joannis Oecolampadii*, cui plus tribuendum arbitror in his litteris, quam *Leis* aliquot.

AD IV.

Luc. II. ADAPERIENS *vulvam*. Non erat ſatis *Leo*, quod ſemel ineptiſſet de ſemine maſculino, repetit eandem fabulam, *Mihi*, inquit, *non bene ſonat, quod Spiritus Sanctus illapſus dicatur in uterum Virginis vice ſeminis maſculini. Siquidem ut illic nullum erat maſculinum ſemen, ſic nec quicquam ibi vice maſculini ſeminis*. At in ſecundo libro docui bene ſonare auribus Eccleſiæ, quod male ſonat auribus *Lei*, quæ canit, *non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine*. Cum idem factum ſit in utero Virginis, quod ſolet in aliis gravidis, quid eſt quod illud effecit? Nimirum Spiritus Sanctus, opifex illius conceptus. At non fuit ibi ſemen maſculinum, tanto magis fuit aliquid quod effecerit idem, quod in aliis efficit vis ſeminis maſculini. Negat ex verbis *Origenis* colligi, quod dico. Imo ubi ſcribit hunc in modum, *audeo quid loqui, quia in eo quod ſcriptum eſt*, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te, *principium ſeminis & conceptus fuerit, & ſine vulvæ reſeratione novus in utero fœtus adoleverit*: cum negat vulvam apertam, cum dicit Spiritum Sanctum ſuperveniſſe, & ita fuiſſe principium ſeminis in utero, nonne ſatis declarat Spiritum Sanctum fuiſſe quodammodo actum & formam illius conceptus ac fœtus?

AD V.

Luc. X. QVI *vos ſpernit, me ſpernit*. Admonueram quod hunc locum detorqueamus ad noſtram tyrannidem, & ut utrique noſtrum officii meminerimus, populus ut obtemperet, Sacerdotes ut doceant digna *Chriſto*. *Leus* occinit mihi, *Super cathedram Moſi ſederunt, quæ dicunt facite*. At de iiſdem alias dixit *Chriſtus* ſuis diſcipulis: *Sinite illos, cæci ſunt duces cæcorum*. Porro malis Principibus obtemperandum & alias frequenter admoneo, modo præcipiant honeſta, aut certe ea quæ licet iniqua ſint, tamen nos non reddant impios, licet reddant afflictos. Verùm ſi Epiſcopus doceat ea quæ pugnant cum doctrina *Chriſti*, num me vis obtemperare? Super cathedram *Moſi* ſedent qui docent ea quæ docuit *Moſes*. Audiendos cenſet illos, qui docebant honeſta, tametſi male viverent ipſi. Idem etiam nos docemus. Tyrannidem appellavi, ſi quis ſua doceat, non quæ ſunt *Chriſti*, & ad hæc eos vi cogat, cum perſuadere non poſſit. O gravis Annotatio! Utinam hujus generis non eſſent tam multi, ut videar quod admonui, fruſtra monuiſſe.

AD VI.

Luc. XI. QVOD *ſupereſt*. Admoneo cum ſit facta mentio rapinæ, in remedio non fieri mentionem reſtitutionis. Hoc *Leus* ſic interpretatur, quaſi ſignificarim non exigi reſtitutionem. Mihi vero vehementer placet reſtitutio, adeo ut qui mala lingua lædunt famam proximi, velim adigi ad reſtitutionem. Nunc qui urgent reſtitutionem rei mille modis, hîc ſibi ſuaviter ignoſcunt. In cauſa eſt, quod illinc ſit lucri affatim, hinc nihil compendii. Et tamen hanc ſententiam non admodum probo in his quæ ſequuntur. Eam laudem ſibi vin-

Digitized by Google

dicat *Leus*: *Cæterum*, inquit, *ut aliquid dicam meo sensu, nihil tamen affirmans, videtur mihi hic locus* τλῶ εἰρωνείαν *sapere, Perinde ac si sensus esset: Vos arbitramini datis eleemosynis aboleri omnia peccata. Placete vobis ea opinione, quasi innueret eos longe errare.* Hactenus *Lei* sermo. Nunc mihi vide, lector, an non eadem prior scripserim. Verba mea sic habent: *Anceps est, utrum δότε sit* date, *an* datis. *Juxta priorem lectionem sensus erit, existimatis vos data eleemosyna liberari ab omni rapina, si paulum ex ea contuleritis in pauperes. Juxta posteriorem lectionem sensus manifestus est.* Sed tamen hæc adhortatio duriuscule cohæret cum his quæ præcedunt ac sequuntur, quæ magis exprobrationem habent, quam admonitionem. Alioqui quî convenit, ut quos modo fecerit tam sceleroſos, subito data eleemosyna velit usquequaque mundos videri? His dissimulatis *Leus* commentum adducit quasi de suo, venans aliquid falsæ gloriolæ. Miror autem quare maluerit dicere τλῶ εἰρωνείαν, quam εἰρωνείαν, cum alias non admodum faveat articulis.

AD VII

Luc. XXII. SED *nunc qui habet sacculum.* Cum tot argumentis, tot auctoribus demonstrem, locum de gladiis ad allegoriam esse trahendum, eamque rem prolixa disputatione prosequar, *Leus* paucula quædam verbula decerpit quæ arrodat. *Taxas*, inquit, *Augustinum.* Imo cum multa honoris præfatione ab eo dissentio. Lege locum qui voles, & ita comperies. Nec tamen *Leus* refellit mea, tantum inculcat, quæ interpretatus est *Augustinus.* Addit *Bernardum* ejusdem fuisse sententiæ, quasi nesciam hujusmodi commentis plena esse omnia. Nec enim hîc arbitror *Petrum* gessisse typum Romani Pontificis, sed totius Ecclesiæ Christianæ. Nec ideo bellum vetuit *Christus*, si suorum animis exemit vindictæ cupiditatem. Nec ideo non est permissum Christianis, justis de causis bellum gerere, si hoc non docuit *Christus* in Euangelio, qui nec hoc docuit, ut pecuniam à debitore legibus extorqueamus.

AD VIII.

Ioan. I. EX ingenti verborum acervo decerpit *Leus* quod convelleret, id est hujusmodi: *Quoties significatur verus ille ac solus Deus, semper additur articulus.* Hæc verba tam periculosa *Leus* testatur & in priore Editione haberi, cum tamen nihil annotarit, opinor mihi parcens. Sed præstitisset, si nunc quoque supersedisset hujus rei meminisse: melius consuluisset suo nomini, & de articulis, de quibus nihil intelligit, plus satis erat illi deliratum in superioribus. Deum hîc accipio pro summo illo Deo, cujus vocabulum tres Personas complectitur: ad quas tamen hîc non confertur, sed ad falsos Deos, qui tamen Dii dicuntur: *Cæterum*, inquit, *si per solum ac verum Deum intelligas Patrem, nec Filius nec Spiritus Sanctus erit solus ille ac verus Deus. Sin naturam, quando non negabis & Verbum & Spiritum Sanctum esse solum illum ac verum Deum, non absurdum fuerit dici* ὁ Θεὸς τῶ ὁ λόγος, *quod tamen ipse non admittis. Nam dicis articulo addito significari Patrem.* Ohe, quoties audiam eadem. Quid faciam isti, qui nec discere vult, nec docere potest? Quoties dicam, non consequi ut si illic additus articulus significat Patrem, ideo quoties additur significare Patrem? id licet intelligere ex his quæ mox sequuntur, *Et Deus erat verbum.* Hoc loco Deo non additur articulus, cum tamen vere ac natura Deum significet. Atque hîc reddo causam cur eo loco non posit addi. Nec enim ideo non addi quod Filius non sit verus Deus, sed quod natura Deitatis tribuatur Filio, quæ per articulum non poterat hîc tribui: quemadmodum jam ante prolixo sermone demonstravimus. Etiamsi abunde explicuimus in posteriore Editione, nec adhuc videt *Leus*, absurde dici atque impie ὁ Θεὸς τῶ ὁ λόγος, hoc sane loco. An putabat se non satis ridiculum fore doctis nisi hæc toties inculcasset?

AD IX.

QVADRAGINTA *sex annis.* Non taxo divum *Augustinum*, quod suo more dicit *Leus*, sed demiror illum, qui in Hebraicæ vocis elementis repererit numerum quadraginta: cum ea ratio non consentiat, opinor, nisi apud Græcos. *Leus* dicit idem significari Hebræis. Quod si verum est, nihil adversum me facit. Nec enim negavi apud Hebræos non esse, cum scripserim: *fortassis esset nonnihil, si iisdem litteris apud Hebraos hic numerus signaretur.* Et tamen suspicor quod habent Hebræi, si tamen habent, à Græcis mutuatos esse. Quanquam *Augustinus* non ab Hebræis, sed Græcis petiit hujus numeri rationem. *Ioan. II.*

AD X.

NON *enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Cum sensus sit, *non enim dat Filio Spiritum ad mensuram*, tamen pronomen omisit Euangelista, & hunc sequutus noster interpres. Ego, quo sermo foret dilucidior, de meo addidi in vertendo duntaxat, non in Græco. Hic rursus *Leus* meo me telo percutit: *In proximo*, inquit, *capite, miraris unde irrepserit nomen*, mediam, *cum in vetustis Latinis & Græcis codicibus nihil aliud sit quam*, per Samariam. *Sic hic mirabitur lector, unde irrepserit pronomen, illi, quod tu addidisti.* Hæc *Leus.* Atqui non est similis ratio. Nam illic & sensus & sermo sat commode habebat, si legeremus id quod habent emendati codices: hîc erat quod offenderet, & sensui deesse videretur. Nec est periculum ne quis admiretur unde irrepserit pronomen, cum ipse tester à me additum, & causam reddam cur addiderim. Postremo quod ego hîc facio, non raro alias facit interpres. *Ioan. III.*

AD XI.

PRINCIPIVM *qui & loquor vobis.* Hîc me taxat quod mutarim Ecclesiasticam lectionem, ac verterim, *in primis quod & loquor vobis*, diverso prorsus sensu, ut ipsi videtur, cum demonstrarim nostros codices hîc non carere mendo, cum demonstrarim mihi non probari sensum quem hîc quidam inducunt, cum ostenderim apud Græcos etiam variare nonnihil lectionem, sequutus sum eam quæ mihi præ cæteris probabatur, sequutus sum eum sensum quem video placuisse *Chrysostomo.* Si τλῶ ἀρχῶ significat *principio* aut *omnino*, & si legas ὅτι λαλῶ ὑμῖν, quî potuit aliter reddi quam, *in primis quod & loquor vobis?* Cum sit sensus, inter alia vel illud potissimum vobis cedet in cumulum impietatis quod loquor vobis: quod ni facerem, levius eratis damnandi. *Ioan. VIII.*

AD XII.

TE *solum verum Deum.* Adjeceram hoc loco: *Hic locus præter cæteros* Arrianis *præbuit occasionem erroris, ut dicerent solum Patrem esse vere ac proprie Deum, haud scio an hoc sentientes, quod nostri Theologi non negant, solum eum esse principium Divinitatis.* Atque hîc *Leus* cum alias sit tam iniquus *Arrianis*, haud scio quo consilio videtur illos sublevare, nimirum odio mei. Proinde puto futurum, ut si posthac scribam acrius in *Arrianos*, *Leus* sit illis patrocinaturus. Ait *Arrianos* nobiscum fateri, *Christum* verum ac perfectum Deum, nihil obstante solitudinis vocabulo, nec hunc locum illis præbuisse ansam erroris. Idque satis liquere ex disputatione *Augustini* cum *Maximino Arrianorum* Episcopo, cujus professionem adducit ex eo libro. Atqui in his verbis, quæ recitat *Leus*, audio verum Filium, audio perfectum Filium, audio sapientem, audio potentem, vere proprieque Deum non audio. Jam fieri potest, ut quemadmodum *Stoici* non per omnia consentiunt inter sese, (sunt enim qui non recipiunt ἀπάθειαν) nec Academicorum omnium eadem est sententia, ita non idem per omnia sentiant omnes *Arriani.* Fieri potest, ut *Maximinus* illic dissimularit aliquam *Ioan. XVII.*

Digitized by Google

quam partem opinionis suæ. Quanquam non adeo dissimulat, cum in decimo articulo loquatur hunc in modum de Patre: *Sed quia ille illi solus unus perfectus est Deus, qui ut ipse prosecutus es, vitam à nemine accepit, qui Filio dedit suo exemplo habere vitam in semetipso*, quod equidem demiror non animadversum *Leo*, qui pernox ac perdius versetur in *Augustino*. Sed fingat nihil tale dixisse *Maximinum*, mihi satis est quod *Hilarius* libro *de Trinitate* quarto profert & hunc locum, unde *Arriani* sumserint errandi seminarium, cujus inter alia verba sunt hæc: *Dum* Arriani *intelligunt solum Patrem verum Deum, solum justum, solum sapientem, à communione horum secundum hos Filius separatur: Soli enim, ut ajunt, propria non participantur ab altero, quæ si in Patre solo, & non in Filio existimabuntur, necesse est ut Filius Deus falsus & insipiens esse credatur.* Atque id sane pluribus in locis repetit in libris, quos scripsit *De Trinitate*. Cæterum in Epistola, quam scripsit adversus *Auxentium Mediolanensem*, dilucidius etiam declarat quod *Leus* negat esse verum: *Si Deum*, inquit, *vere* Arriani *prædicant, Christum sine fraude confessi sunt. Quod si Deum dicunt, & negant verum, tribuunt nomen, adimunt veritatem.* Rursus aliquanto inferius: *Cum placuisset igitur*, inquit, *scribi Deum verum esse Christum, & unius cum Patre divinitatis esse, atque substantiæ, ponitur talis ab eo, ut à callidissimo Diabolo sententia, quæ significaret Christum ante omnia tempora natum Deum verum Filium, ut secundum* Arrianos, *veritas ad Filium, non ad Deum referretur.* Et ut longe major differentia hujus significationis exsisteret, subjicitur, *Ex vero Deo Patre, ut in Patre Dei veritas esset, in Christo veritas tantum Filii scriberetur.* Ubi nunc est quod nos tanta cum auctoritate docet *Leus* de *Arrianis?* An melius novit *Leus* quid illi senserint, quam *Hilarius*? Nisi forte *Leus* dicet, *Hilarium* calumniari *Arrianos* cum hæc scribit. Quod si huic diffidit, legat *Auxentii* sequentem inibi confessionem, & intelliget nihil esse mentitum *Hilarium*. Quin & *Chrysostomus* hunc enarrans locum, rejicit *Arrianorum* interpretationem, qui sic volebant Patrem solum esse verum Deum, ut negarent in Filium aut Spiritum Sanctum competere. Alioqui quos proferet *Leus* hæreticos, qui fassi sint Filium Dei Deum fuisse, sed Deum verum fuisse negent? Erant qui negarent hominem, erant qui negarent Deum, hoc *Arrianorum* fuit commentum, id quod in dialogo adversus *Luciferianos* testatur *Hieronymus*, Arrianus, inquit, *cum nihil aliud crediderit, nisi in Patre solo vero Deo, & in Jesu Christo servatore creatura, & in Spiritu Sancto utriusque servo.* Item ibidem, *Aut edoctus ab* Arrianis, *unum esse verum Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum credidit creaturas.* En habet aliud testimonium, sed hos auctores opinor non attingit admodum, totus *Augustini* libris affixus. Possem in hanc rem adducere plura, hæc satis esse videntur ad depellendum crimen quod intendit *Leus*, me calumniis agere adversus *Arrianos*, quandoquidem hoc ipsum quod hîc dicit, & alias insulsit. Jam si qui sunt *Arrianæ* factionis, qui fatentur, Filium Dei esse Deum, aut magnum Deum, nihilominus verum est quod adduxeram: nisi forte *Leus* putat eum mentiri qui dicat, *Gallos* delectari larido, cum sint apud illos qui non delectentur.

AD XIII.

Ioan. XVII. QVOD obiter adjeceram in Annotatione, *Nec impium puto, si quis dixerit Patrem solum esse verum Deum, id est, solum principium Deitatis totius, Leus* ut donet hoc non esse impium, confirmat tamen fore ineptum si quis interpretetur. *Nam quis*, inquit, Adam *solum hominem dixerit, quod solus sit principium humani generis?* Hoc quod hîc assumit *Leus*, jam ante sum illi largitus, disputandi gratia duntaxat, nec conabor admodum reposcere quod dedi. At ne putet *Leus* nihil nobis esse quod hîc respondeamus, adducam illud, quod sanctus *Hilarius* singulis personis suam tribuens proprietatem, *Æternitas est*, inquit, *in Patre, species est in imagine, usus in munere*, videlicet sentiens in solum Patrem proprie competere vocabulum, *æterni*. Quod dico ne cui dubium videatur, adscribam *Augustini* verba, quibus locum hunc explanat lib. *de Trinitate* v. Capite x. *Quidam*, inquit, *cum vellet brevissime singularum in Trinitate Personarum insinuare propria*, Æternitas est, *inquit*, in Patre, species in imagine, usus in munere. *Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, & assertione fidei vir exstitit (hæc enim* Hilarius *in libris suis posuit) horum verborum abditam scrutans intelligentiam quantum valeo, non eum sequutum arbitror in* æternitatis *vocabulo, nisi quod Pater non habet patrem de quo sit, Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi coæternus sit.* Hactenus *Augustinus*. Eam sententiam habet *Hilarius* libro II. sed verbis nonnihil diversis: *Infinitas*, inquit, *in æterno, species in imagine, usus in munere.* Æternitas nomen est absolutum, & tamen *Augustinus Hilarium* sequutus, hanc proprie tribuit Patri, non ob aliud, nisi quod Pater ratione quadam peculiari, maximeque propria potest intelligi æternus, juxta quam Filius non sit æternus. Quemadmodum & ante ex *Ambrosii*, *Chrysostomi*que sententia demonstravimus solum Patrem vocari immortalem, invisibilem, sapientem, quod solus à nullo accipiat ut sit immortalis, invisibilis, sapiens, sed harum rerum aliis sit fons. Hæc si recipimus, quid vetuerit & Patrem ideo solum appellari verum Deum, quod peculiari quadam ratione competat in illum Dei vocabulum, qua non competit in Filium, aut Spiritum Sanctum. Sic enim ille Deus est, ut sit fons & auctor totius deitatis. Porro quod objicit *Leus* de *Adam*, quem inepte dixeris solum esse hominem, quod solus sit principium humani generis, etiamsi hoc disputandi gratia dedimus, tamen non est usquequaque simile. Primùm, quia non sic est principium humani generis *Adam*, quod primus hominum creatus sit, ut Pater est cæteris Personis principium deitatis. Deinde Dei vocabulum non caret omni ratione relativa, cum nomen sit excellentiæ. Unde & vulgo insignes homines Deos dicimus. Et addimus, Deus Judæorum, Deus omnium, quasi dicas principem omnium. Certe sanctus *Hilarius* non veretur Patri tribuere præminentiam, quem fatetur Filio majorem auctoritate, sed ita ut Filius non sit minor, cum Pater illi det ut sit æqualis.

AD XIV.

Ioan. XX. ADMONVERAM compluscule verbis, non recte facere Sacerdotes quosdam & Episcopos, qui ex verbis *Christi* decerperent quæ facerent ad fastum ac tyrannidem, relicta parte qua commonefiunt officii sui. Quorum remiseritis peccata, *nunquam non habemus in ore. Verùm illius quod præcedit:* Accipite Spiritum Sanctum, *nulla mentio.* Id *Leus* satis approbat: *Verùm*, inquit, *si, quod quidam hæretici opinati sunt, arbitrer irritam esse flagitiosis Sacerdotibus hanc potestatem, Ecclesia hanc opinionem exsecratur, & damnat.* Sed quid opus erat hoc suspicari *Leum*, quod ex meis verbis nullo modo potest colligi? Quanquam *Gratianus* parte secunda, causa prima, quæstione prima, multa refert ex orthodoxis auctoribus, quæ nisi in alium sensum detorqueantur, prorsus hoc sonant quod hæretici quidam senserunt. Mihi tamen placet *Augustini* similitudo, cui semen ignobili aut immunda manu jactum in terram tamen provenit, cui aqua per canalem inducta hortum fœcunditatem adfert, cum ipse canalis nihil aliud quam corrumpatur. Nec usquam ullam dedi significationem mihi diversam esse sententiam. Cæterum quo magis detestamur hæreticorum opinionem, hoc impensius nobis curandum ne nostra vita præbeat illis ansam errandi.

IN

Digitized by Google

IN ACTA.

AD XV.

Act. XIX. CONFITENTES *& annuntiantes actus suos.* In hunc locum annotaram quiddam his verbis, *Vel hinc colligi potest, fuisse & antiquitus nonnullam confessionem male acta vitæ, sed apertam opinor, & in genere, quam nec ipsam legimus exactam abs quopiam, nisi in gravibus admissis ac manifestis. Caterum quæ nunc recepta est clancularia, & in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si qui scrupulus urgeret animum. Leus* existimat *tum verius, tum etiam tutius* sibi videri, *Dei auctoritate fateri præceptum sic confiteri.* Atque ego sane, quod *Leus* ait esse tutius, nihil illi repugno. Sed utrum verius sit, mihi nondum satis liquet, præsertim cum addat, *sic confiteri.* Neque enim negari potest, quin quædam ab hominibus sint instituta circa confessionem, veluti de tempore confitendi, de Sacerdote idoneo aut non idoneo, de casibus reservatis aut non reservatis, de forma absolutionis. Nam hæc omnia complectitur adverbium *sic.* Deinde quod instituit Ecclesia auctore Spiritu Sancto, nonne Deus instituit? Etenim dogma Scholasticum, quo dicunt nullum sacramentum posse institui ab Ecclesia, ut nolim impugnare, ita non video quid referat, utrum *Christus* ipse instituerit omnia sacramenta, an quædam instituta sint ab Ecclesia, sed auctore Spiritu *Christi.* Non legimus *Christum* instituisse secretam confessionem, & tamen isti credunt quod non legerunt, & ego credo quod instituit Ecclesia, quod approbat publicus consensus, à Spiritu *Christi*, & per hunc ab ipso *Christo* nobis traditum, neque secus observandum quam si *Christus* ipse tradidisset. Sed cum versemur in negotio fidei, mirum est quo consilio *Leus* separet tutum à vero, quasi quod verissimum est, non idem debeat esse tutissimum. Certe *Stoici* non sejungunt utile ab honesto. Deinde quid sensit cum dixit, hoc esse verius. An vero est aliquid verius? Si verum est hanc confessionem ab hominibus institutam fuisse, quomodo verius est à *Christo* fuisse traditam? An verius esse potest, quod verum non est? Neque enim utrumque potest esse verum, cum inter se pugnent ex diametro, quod ajunt, à *Christo* non fuisse institutam, sed ab hominibus, & à Deo fuisse institutam. Fortasse *Leus* quod verius dixit, sensit esse verisimilius. Cæterum ad argumenta, quibus mecum agit *Leus*, non est consilium in præsentia justo studio respondere, quod malim parum ingeniosus videri, quam vel cum meo periculo, vel cum aliorum offendiculo disertus & acutus. Tantum illud dicam, non esse nobis magnopere metuendum ne aboleatur hæc consuetudo confitendi, sive juris divini sit, sive humani. Et si per Ecclesiam auctore Spiritu Sancto aboleatur, aut mutetur, quod est eadem ratione institutum, quid fuerit periculi, cum abolitum sit quod per Apostolorum principem in Synodo afflatu Sancti Spiritus fuit institutum de non vescendo suffocato & sanguine? Dicet aliquis. Hoc erat ad tempus institutum. Sic interpretamur, & vere, sicut opinor. At quid prohibeat, & hic similem adferre interpretationem? Nam *Leus* ingentem incommodorum acervum congerit, nisi fatemur confessionem esse à *Christo* institutam. *Si nullum*, inquit, *aliud habet robur hæc clancularia confessio, nisi ex hominum decreto, posset desuetudine aboleri ut cætera jura, quæ appellantur positiva. Posset etiam Pontifex sua auctoritate tollere istiusmodi confitendi legem. Itaque consequenter irritare auctoritatem Apostolicam ligandi, & solvendi saltem in occultis peccatis: nam si nemo sua peccata prodet Sacerdoti, quo pacto solvetur? Quis se arbitrum facit eorum quæ ignorat? At secretum quî possit scire Sacerdos, nisi proditum à peccatore? Mihi*, inquit, *tum verius, tum tutius videtur, Dei auctoritate fateri præceptum sic confiteri. Alioqui quo jam abiit illud ex Lege:* Ite ostendite vos Sacerdotibus. *Et quo evanuit auctoritas Sacerdotibus* Mosaicis *data, ut discernerent inter lepram & lepram, causam & causam, sanguinem & sanguinem? Et bonus pastor quo pacto agnoscet vultum pecoris sui, aut quo pacto solidabit quod confractum est, si quod confractum est nesciat? Hac cura Sacerdotibus Lege Dei committitur. Lex Dei præcipit ut agnoscat vultum pecoris sui. Igitur & Lex Dei ovibus præcipit ut personam exsuant, quo vultus possit agnosci. Ostendant se Sacerdotibus, si velint discerni suam lepram. Et cum hæc lepra intus sit, intima oportet pectoris aperiant, qui lepra infecti sunt. Quod si quid vel minimum lepræ celaverit, illud Sacerdos cum non discernat, nondum est liberatus qui lepram patitur. Maneat igitur, jubet Lex, extra castra immundus. Hæc autem in figura facta fuisse nostri, monet Apostolus.*

Hactenus *Lei* disputationem recensuimus, ut intelligas, lector, hunc esse, qui solus *Scotistarum* acumen cum eloquentia *Attica* conjunxerit. Atque hic sic agit, quasi minimum ponderis habeat, quod auctoritas Ecclesiæ statuit, quod publicus consensus & usus approbavit, cum *Augustinus* testetur se hoc ipsum tribuere Ecclesiæ auctoritati, quod credat Euangelio. Si *Leus* sentit hanc confessionem, hanc confitendi rationem cum adjunctis circumstantiis, quid obstiterit quo minus possit aboleri, si id sit ex usu Christianæ religionis. Si verum est quod præcipui nominis auctores sensisse videntur ante nos, confessionem clancularium simpliciter esse juris positivi, quid prodigii sit si quis dicat, confitendi legem per Pontificem Romanum tolli posse? Qui maxime volunt confessionem esse juris divini, fatentur nos non obligari ad confitendum nisi semel in vita: id Pontificum auctoritas adstringit ad annuam confessionem, per C. *omnis utriusque sexus.* Nonne qui sic adstringit posset relaxare, & pristino loco restituere? Id si fiat, rogo quantulum supererit de onere confitendi? Non enim hîc adducam fuisse, qui tradiderint Pontificem ex certis causis posse dispensare contra ea quæ Novo Testamento nobis sunt tradita, sic ut & Euangelia complectaris. Quod si verum est, nec absurdum fuerit, si Pontifex ex causis legitimis, ac rationibus idoneis abroget confitendi legem, etiamsi sit à *Christo* instituta. Atque hæc dixerim non ex animi mei sententia, sed ex illorum opinione: qui cum talia scripserint, tamen hactenus ut orthodoxi leguntur. Nam horum opinio mihi certe non admodum probatur, vel ob hoc ipsum, quod ingens periculum sit uni homini tantam committere potestatem. Jam si contingat ut aboleatur hæc confitendi necessitas, non continuo fiet irrita potestas Apostolica solvendi atque ligandi. Supererit enim auctoritas excommunicandi & absolvendi, qua usus est *Paulus* in eum, qui habuit uxorem patris. Supererit potestas absolvendi eos, qui se ingenue fatentur esse peccatores, qualis est absolutio quæ dari solet apud *Italos* in sacris, apud nos post publicam concionem. Postremo supererit ea quæ fuit apud Veteres, qui confessos in genere, nonnunquam arcebant à communione, & ad eam denuo recipiebant: indicebant satisfactionem, & eam, si visum fuisset, augebant aut relaxabant. At *Leus* negat absolvi posse peccatorem, nisi prodiderit sua peccata. Id si perpetuo verum est, quomodo condonantur peccata per baptismum, etiam non confessis? Aut per manuum impositionem post baptismum? Quomodo nunc absolvunt etiam ab his quæ sit oblitus, qui confitetur? Si remitti non potest nisi quod proditur Sacerdoti nominatim, manebunt nobis omnia, quæ fugere memoriam nostram. An creditor non potest condonare debitum, nisi debitor singulas summæ partes quas debet annumeret? Non enim adducam hic fabulam de S. *Ægidio*, qui peccatum, quod *Carolus* confiteri noluit, ex Angelo cognitum remisit. Nec ad rem facit quod addit *Leus*: *Quis se arbitrum facit eorum quæ ignoret?* Aliud est enim Sacerdotem esse, aliud arbitrum. Arbiter nisi causæ statum cognorit, quid pronuntiabit?

Nec

Nec consilium idoneum dabit Sacerdos, nisi negotio cognito. At aliud est absolvere, aliud consulere. Sacerdos auctoritate, qua præditus est, condonat etiam illa quæ non judicat, modo qui confitetur intelligat quid dicat. Quid autem interest inter eum qui nescit quid admissum sit, & eum qui quod admissum est, quale sit non intelligit? Et tamen hunc Theologi fatentur absolvi potestate clavium. Sit lepra crimen, sit scabies culpa venialis: si non remittitur nisi quod discernitur, quam multa sunt in quibus ne Theologi quidem possunt hîc dijudicare? Sed ridiculum etiam quod adjicit: *Ite & ostendite vos Sacerdotibus.* An putat his verbis institutam esse confitendi legem? Quis unquam alicujus rei Theologus hoc prodidit? An idem est, *ostendite vos Sacerdotibus*, & *confitemini Sacerdotibus?* Nec obscurum est quo consilio *Christus* jusserit eos adire Sacerdotes, nimirum ut confirmaret apud omnes miraculi fidem. A Sacerdotibus erant judicati leprosi. Morbus habebatur, ut est, insanabilis. Eo remittit illos, ut iisdem judicibus probarentur sani, quibus judicati fuerant leprosi. Quod si quis hoc ad allegoriam torqueat, primum violenter, hoc est, præter Veterum exemplum faciet: deinde non sat habet allegoria ponderis ad probandum Ecclesiæ sacramentum. Alioqui quicquid morborum *Christus* ademit ægrotis, imo quod sanavit dæmoniacos, quod excitavit mortuos, debebat ad confessionis typum referri. At *Durandus* libro IV. distinct. XVI. quæstione VIII. figuram & umbram adducens confessionis hujus ex Vetere Testamento, non meminit lepræ, sed holocaustomatum, quæ offerebantur pro peccatis. Verùm his etiam absurdius est quod sequitur, *Quo evanuit auctoritas Sacerdotibus data, ut decernerent inter lepram & lepram*, &c. Quid? an *Leus* molestè fert *Mosaica* Legis Sacerdotium evanuisse? Quin eadem opera quærit, cur non mactantur pecudes, cur non servantur sabbatismi, cur non manet delectus ciborum, cur non dantur Sacerdotibus uxores? Nimirum audiet, quia finis Legis *Christus*, & translato Sacerdotio necesse est Legis quoque translationem fieri. Rursus hîc *Leus* ad figuram confugiet. At ego nego figuram in re tanti momenti satis habere ponderis, præsertim cum Veteres, & in his *Augustinus*, lepram interpretentur hæresim, non quodvis animi vitium. Adde, quod nec figura satis quadrat ad rem nostram. Sit lepra quodvis peccatum, sit Sacerdos *Mosaicus* Sacerdos Christianus. Illi discernebant tantum, non sanabant: pronuntiabant miserum esse, non liberabant à miseria: arcebant à castris, nos in Ecclesiæ gremium reducimus. Jam si verum est quod addit *Leus: Si vel minimum lepræ celaverit, illud Sacerdos cum non discernat, nondum est liberatus qui lepram patitur.* Si lepram interpretamur omne peccatum, cogemur & culpas quamlibet veniales confiteri Sacerdoti, quod tamen nemo Theologus asseverat. Sed quid sentit *Leus*, an putat leprosum fuisse liberum posteaquam Sacerdos discreverat? nam id illius verba sonant. Aut ubi legit Sacerdotes judicare inter lepram & lepram? Certe nostri codices habent Deut. XVII. *inter lepram & non lepram.* Ad hæc si quis Sacerdoti confessus sit culpam, de qua non possit pronuntiare certum, venialis sit an capitalis, quid respondebit *Leus*, absolvit, an non absolvit? Si quod illis erat discernere, nobis est remittere, non remittit qui non discernit. Deinde si arceri à castris est segregari à communione populi Christiani, nunc ne confessi quidem arcentur. Postremo, si non liberantur lepra qui se non ostendunt Sacerdoti, jam hi mundati sunt priusquam sese ostenderent. Vides quam multis modis figura discrepat ab hac nostra confessione, magisque congruat cum illorum opinione, qui putant hanc confessionem olim fuisse consultationem. Quid autem appellat *Leus confratrum?* An peccato obnoxium duntaxat? imo qui paupertate premitur, qui tyrannide potentum obruitur, qui mœroribus angitur, confractus est. Huic debet subvenire bonus pastor, etiamsi non negem id fieri posse & in peccatis si moneat, si revocet, si erigat in spem veniæ, si doceat viam ad meliora. At scire quo quisque malo premitur, est agnoscere vultum pecoris. An id fieri non potest, nisi quis aperiat omnia pectoris arcana, usque ad nocturna somnia? Nonne è factis, è dictis, è gestibus, ex ipso vultu, ex rumore, pastor vigilans agnoscit suos? Quod si cogitur pastor agnoscere vultum sui gregis, & is non agnoscitur nisi ex secreta confessione, cum hodie Monachis, quos vulgus *Mendicantes* appellat, facultas sit absolvendi, quomodo poterit pastor agnoscere vultum sui pecoris? Quid si fingat is qui confitetur, quomodo agnoscet pastor? atqui tenetur agnoscere. Dices, tenetur quantum licet. Atqui istuc locum habebit, etiamsi non esset ista confessio. Postremo, si ideo jubetur agnoscere pastor ut succurrat ovibus suis, nimirum quæ cum mente manibusque careant, non norunt sibi adhibere remedia: non videtur cogi ad confitendum, qui novit ipse morbum suum, & novit quibus remediis oporteat ei morbo mederi, nimirum sibi indicens jejunia, eleemosynas, precationes, quæ Sacerdos erat indicturus. Postremo, quod apud Prophetam dictum est pastoribus, non solum ad Episcopos pertinet, sed ad Principes quoque. Jam *Augustinus* enarrans hunc Prophetæ locum, non eodem interpretatur modo quo *Leus*, aut quisquis est quem ille sequitur.

Quod hactenus dictum est, non eo tendit, ut ullo pacto convellamus Ecclesiæ consuetudinem, sed ut ostendamus ea, quæ *Leus* adducit, non esse satis efficacia ad comprobandam hanc confitendi rationem esse juris divini. Equidem faveo Confessioni, sicuti debeo, nec usquam aliud comperietur in scriptis meis: sed tamen optarim, ut quod inductum est ad relevandos animos simplicium, ad provehendam Christianorum pietatem, non alio torqueamus quam inductum est. Nunc videmus esse permultos, qui suam curiositatem alunt hujusmodi Confessionibus, alios qui dedecora non referenda sub hoc prætextu committunt, quorundam infirmitate vitam velut ex contagio infici, præsertim ex narratis libidinum generibus, ubi bona pars est innocentiæ, nescisse malum: rursus alios hoc telo suam munire tyrannidem in plebem, cui patres esse debebant: compluribus confessionem nihil aliud esse quam rete ad quæstum, quo nulla pars Christianæ vitæ non est infecta. Istis non satis est, quod ex præscripto Romani Pontificis semel in anno confitemur, dolent Confessionem non esse quotidianam. Isti sunt qui tot scrupulis illaqueant animos simplicium, quod ipsis expediat ne quis habeat pacatam ac serenam conscientiam: sed hos laqueos non præscribit Ecclesia, sed Summularius aliquis è suo capite fingit & exaggerat. Istis non satis est quod Confessionem obedienter amplectimur, veluti per Ecclesiam à Spiritu *Christi* nobis traditam. Metuunt enim si tollatur hoc jugum à cervicibus Christianorum, res illis ad famem recidat: & egregie frigeant, qui nunc sublimes ac feroces regnant. Tantum feratur lex, ne quid auditori detur in manum, ne quid ex male partis, ne quid ex testamentis, ne quid ex condonationibus, ne quid quocunque pacto compendii perveniat ad Sacerdotem ex Confessione, imo ut ipsi stipem dent confitenti, nimirum quo magis alliciant ad rem per se amaram, quemadmodum dabatur olim pecunia Theatrica, dispeream, ni qui nunc tantopere contendunt, Confessionem hanc esse juris divini, deflexuri sint in partem diversam: & quod nunc bis terque clamitant hæreticum esse, defensuri sint acriter ut orthodoxum. Horum vitio fit, ut populus vix ferat hoc onus tot modis aggravatum, ac subinde queratur, unde tam durum jugum sit Christianis liberis impositum? Quorsum hæc dixerit quispiam? ut ostendam mihi non improbari constitutionem & consuetudinem Ecclesiæ, sed mores illorum, qui re bene instituta abutuntur non bene. Confessionem amplector & observo, ut observat Ecclesia, tantum in dubium voco, an hæc ra-

Digitized by Google

tio confitendi sit à *Christo* constituta. Nec hîc quicquam assevero, bis testans me suspicionem meam adferre, non dogma. Primum cum ajo, *ut opinor:* ac mox, *videtur nata.* Atque adeo miror *Leum* hîc quoque non addidisse, quod erat adjectum in margine, id quod tamen solet alias diligenter, quoties est quod possit in me detorquere. Hîc quoniam pro me facit, omisit. Erat autem hoc adjectum: *Olim fuit aliqua Confessio, licet non omnino talis, qualis nunc recepta est.* Hoc additamentum an non palam ostendit me non de Confessione, sed de modo confitendi loqui? Quod si *Leus* audebit dicere, paucos illos, qui olim erant, discipulos audisse ea quæ nunc audiunt Sacerdotes, mirabor hominis frontem.

Quod si quis me roget, quid sentis de hac ratione confitendi, qua numero referuntur etiam occultissima peccata, usque ad turpissimas cogitationes, usque ad somnia, quæ nunc Sacerdotes interdum haud absque pudicitiæ periculo audiunt, in qua exprimuntur circumstantiæ, præsertim si quæ mutant speciem, an existimas à *Christo* fuisse institutam? Respondebo ingenue, mihi pro meo quidem sensu non videri, at hunc sensum libens etiam reclamantem submittam Ecclesiæ judicio, simulatque ejus vocem audiero. Nunc quosdam tantum audio, quorum refert novas etiam induci Confessiones, tantum abest ut hanc velint tolli. Non opinor omnes Theologorum opiniones æquandas articulis fidei, aut Scripturis canonicis, præsertim cum inter se frequenter non consentiant. Et mihi nondum constat, quid super hac re definierit Ecclesia: ubi constiterit, mea erit opinio, quamcunque cognovero esse Ecclesiæ. Quod si *Christus* instituit quicquid Ecclesia *Christi* Spiritu instituit, fateor hanc à *Christo* fuisse institutam, sed ita, ut pro salute populi possit tolli, ejusdem Spiritus arbitrio, neque fuisse necessariam priusquam esset instituta. Atque ut hoc suspicer, adducor non argumentis modo, verum etiam auctoritate. Argumentum est, quod ex tot Græcorum voluminibus, tot Latinorum commentariis, in quibus nihil non tractatur, nihil reperiatur quo certo doceri possit, olim hanc fuisse confitendi rationem, cum nunc nulli libri satis sint huic explicando negotio. Nec ulla sit pars Christianæ professionis, quæ magis angat animos & confitentium & audientium, adeo ut nulli magis abhorreant ab audiendis Confessionibus, quam qui doctrina, & prudentia, pietateque præcellunt. Mirum autem non vel casu incidisse mentionem in tam innumeris libris. Auctoritas est, primum *Chrysostomi*, quem virum Ecclesia numerat etiam inter divos, non solum inter orthodoxos: is enarrans Psalmum L. cum alias multis verbis doceat, lachrymis, eleemosynis, recordatione peccatorum ablui commissa, adeo nullam mentionem facit hujus nostræ Confessionis, ut palam etiam demonstret non esse necessariam, his quidem verbis: *Peccata autem tua dicito ut deleat illa: si confunderis alicui dicere quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis conservo tuo, ut exprobret, dicito Deo, qui curat ea. Hæc enim si tu dixeris, ignorat ea Deus.* Item aliquanto post: *Et reminiscens peccatorum tuorum, effunde lachrymas, & poteris in lectulo tuo positus ea delere. Roga Deum tuum, & sic permitte animam tuam soporari, confessus peccata tua, & facito tibimetipsi rationem, & ora misericordiam Dei, & invenies requiem:* ac cætera, quæ sequuntur in hanc sententiam. His consentanea dicit Homilia XLI. *de pœnitentia*, confessionem appellans peccatorum, agnoscere commissum ex animo, & in corde confiteri, docens *Petro* delictum ob lachrymas fuisse condonatum, non negandam esse culpam exigenti Deo. Ac post multa tandem, quæ differit in hanc sententiam, subjicit hæc verba: *Non tibi dico, ostenta teipsum, nec apud alios accusa, sed obedi Propheta dicenti:* Revela Domino viam tuam, *ea coram Deo confitere, coram judice confitere peccata tua, deprecans etsi non lingua, saltem memoria.* Eadem iisdem pene verbis differit in Epistolæ ad *Hebræos* Capite XII. *Non tibi dico*, inquit, *ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses: sed obedire te volo Propheta dicenti:* Revela Domino viam tuam. *Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientia tua memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi.* Quanquam autem Græcus fuit *Chrysostomus*, tamen orthodoxus fuit, & orthodoxæ Ecclesiæ Episcopus. Quod si *Christus* instituit hanc Confessionem, aut ignoravit ille rem tanti momenti, aut contemsit. Neutrum autem cum sit probabile, relinquitur ab hominibus institutam fuisse Confessionem. Jam *Origenes* quanquam in nonnullis opinionibus notatus est aberrasse à doctrina fidei catholicæ, tamen in hoc à nemine reprehensus est, quod parum recte senserit de pœnitentia. At hic in Homilia in II. Caput Levitici secunda, commemoratis septem modis, quibus abluuntur admissa, octavo demum loco ponit confessionem, qua non erubescimus & Sacerdoti detegere mala nostra, nec ita recenset hunc, ut velit huic ceu capiti cæteros subesse veluti membra, sed ut sit una ratio à cæteris distincta: primam facit baptismum, secundam martyrium, tertiam eleemosynam, quartam ignoscentiam mutuam, qua condonamus iis qui nos læserunt: quintam, officium quo peccatorem convertimus ad bonam mentem: sextam, vehementem in Deum ac proximum caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum: septimam, lachrymas, jejunia, reliquosque labores pœnitentiæ: octavam, velut hujus partem, cum quis non erubescit confiteri sua Sacerdoti. Ex hoc loco potissimum hausisse videtur *Cassianus* sermonem, quem tribuit Abbati *Pynufio*, libello *de fine pœnitentiæ* Capite VIII. Sic enim commemorat diversa remedia, quibus aboletur peccatum, ut confessionem unam quampiam è multis esse velit: & tamen haud scio an loquatur de ea, qua apud Deum agnoscimus culpam nostram: certe de hac, qua numerantur admissa singula, non loqui satis ipse declarat. Jam quod inibi sequitur, dubium non est quin mutuatus sit ex *Chrysostomo*, quem modo citavimus. Cum enim quæsisset modos molliores, facilioresque, quibus imbecillioribus subveniretur, postremo inquit: *Quis est qui non possit suppliciter dicere:* Peccatum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non operui: *ut per hanc confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur:* Et tu remisisti impietatem cordis mei. *Quod si verecundia retrahente revelare ea coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere:* Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: *qui absque ullius verecundia publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit. Post illud quoque tam promtum certumque subsidium, aliud quoque adhuc facilius largita est nobis divina dignatio, ipsamque remedii opem nostro commisit arbitrio, ut indulgentiam peccatorum nostrorum pro nostro præsumamus affectu, dicentes ei:* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hactenus *Cassiani* verba retulimus. *Ambrosius* cum fuerit Latinus, tamen idem sentire videtur quod *Chrysostomus* in Sermone *de Pœnitentia Petri*, qui numeratur XLVI. cujus phrasis est hujusmodi, ut magis ambigi possit, quin sit *Ambrosii*. Inter multa dicit hunc in modum: *Ergo* Petrus *prorupit in lachrymas, nihil voce precatus. Invenio enim quod fleverit, non invenio quid dixerit: lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Recte plane* Petrus *flevit & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari. Et quod defendi non potest ablui potest. Lavat enim lachryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachryma ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando.* Cæteraque, quæ sequuntur inibi in eandem sententiam, satis declarant, non exigi solitam illis temporibus confessionem vocalem occulti pec-

Digitized by Google

peccati, ſed ad hoc abluendum ſatis eſſe tacitas lachrymas. Nec diſſonant ab his quæ ſcribit in *Lucam* Libro VII. Cap. LXVI. enarrans Euangelii locum: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Hæc*, inquit, *eſt prima confeſſio apud auctorem naturæ, præſulem miſericordiæ, arbitrum culpæ. Sed etſi Deus novit omnia, vocem tamen tuæ confeſſionis exſpectat. Ore autem confeßio fit ad ſalutem, quia alleviat pondus erroris quiſquis ipſe ſe onerat, & accuſationis excludit invidiam qui accuſatorem prævenit confitendo. Juſtus enim in primordio ſermonis accuſator eſt ſui.* Atque ne quis poſſet tergiverſari, *Ambroſium* hîc agere de confeſſione oris, qua prodimus Sacerdoti ſecreta noſtra, protinus ſubjicit: *Fruſtra autem velis occultare quem nihil fallas, & ſine periculo prodas quod ſcias eſſe jam cognitum. Confitere magis ut interveniat pro te* Chriſtus, *quem advocatum habemus apud Patrem. Roget pro te Eccleſia, & illachrymet populus.* Hactenus *Ambroſius*. Ex quibus nihil aliud colligitur, mea ſententia, quam ut peccator confiteatur Deo, & ultro ſubducat ſe à communione Eccleſiæ, ſi ſibi fuerit male conſcius alicujus capitalis admiſſi. Ne citem interim *Baſilium*, alioſque veteres, qui cum toties loquantur de jejunio, de pœnitentia, de lachrymis, de precationibus: aut non meminerunt hujus confeſſionis, aut declarant non eſſe neceſſariam. Quin & *Beda* recentior ſcriptor, in Homilia qua enarrat Euangelium de decem leproſis, longe alia tradit quam quæ docent hodie Scholæ Theologorum. Ea quidem omiſſa eſt in quibuſdam libris excuſis, ſed exſtat in codicibus manu deſcriptis. Jam quoniam multos adducit teſtes, pro multis erit auctoritas *Gratiani*, qui multis verbis hac de re diſſerit diſtinct. prima, *De pœnitentia*. Et in utramque partem adductis Veterum ſententiis, quarum tamen bona pars ſentit de Confeſſione ſolenni, quæ olim publice fiebat in Eccleſia, videtur in dubio relinquere, utrum obligetur aliquis ad confitendum, an non obligetur. Siquidem prolixam diſputationem claudit his verbis: *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia innitatur, in medium breviter expoſuimus, cui autem harum potius adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur, utraque enim fautores habet, ſapientes & religioſos viros.* Ne ex gloſſematis quidem quicquam aſſertur certius. Vides hîc ſapientes ac religioſos appellari, quos nos terque quaterque diceremus hæreticos. Quo magis miror *Durandum* lib. IV. diſtinct. XVI. quæſtione VIII. tantopere ſtomachari in gloſſematis auctorem, primi hujus tituli diſtinctionis §. V. qui pronuntiarit nos tantum ex inſtitutione hominum obligari ad confitendum, & ob id Græcos nunquam fuiſſe obligatos, quod ea conſtitutio nunquam ſit ab illis recepta. Nec enim paulo durius eſt quod dicit *Gratianus*: Fatetur nos obligari gloſſa, ſed ex inſtitutione & conſuetudine Eccleſiæ tantum, *Gratianus* facit liberum lectori, utrum putet eſſe confitendum, an non confitendum. Quod profecto fuiſſet dictum inſanum, ſi hæc Confeſſio profecta fuiſſet à *Chriſto*, aut ſi *Gratiani* temporibus confitendi lex fuiſſet lata, receptaque. Ad hæc in Cap. *Omnis utriuſque ſexus*, *De pœnis & remiſſionibus*. Abb. *Panormitanus* ſentit Confeſſionem eſſe juris humani. Nec abhorret ab hac *Felinus*, aliique Jureconſulti veteres, quos nullus ob hanc opinionem vocavit hæreticos. Quid quod hiſtoria, quam *Tripartitam* vocant, quam *Epiphanius* ex tribus auctoribus concinnatam, *Theodoreto*, *Socrate*, & *Sozomeno*, Latine vertit, Lib. IX. Cap. XXXV. prodidit, eo tempore, quo *Novatiani* ſe abduxerant ab Eccleſia catholica, Presbyterum probatæ fidei certique ſilentii, præfectum fuiſſe pœnitentibus, ut hic auditis in publico quæ commiſerant, indiceret illis certum modum expiationis Addit *Sozomenus* eam conſuetudinem ad ſua uſque tempora Romanis Pontificibus fuiſſe ſervatam. Porro *Conſtantinopoli* ſublatam fuiſſe per *Nectarium* Epiſcopum, ubi compertum eſſet matronam quandam clariſſimo genere prognatam, ſub prætextu pœnitentiæ fuiſſe conſtupratam in loco ſacro. Adeo movit illius ætatis homines unicum admiſſum. Nunc non expediret ſciri quam multa paſſim committantur. Denique Capitis hujus hæc eſt clauſula: *Ex illo antiquitatis conſuetudo ſublata eſt*, dum (ut arbitror) majora peccata præ pudore confeſſionis, & ſubtilitate exanimantium patrarentur. Videmus hîc *conſuetudinem antiquitatis* appellari, videmus hanc conſuetudinem ſublatam in urbe *Romæ* æmula. Equidem arbitror hîc de peccatis manifeſtis, aut certe enormibus, fieri mentionem, quæ tamen fœdiora ſint quam expediat apud populum enuntiari, aut certe ejus generis, ut ob leges civiles tutum non ſit publicitus confiteri. Quod ſi quis contendat de hac noſtra fieri mentionem, is magis etiam pro nobis faciet, cum fateatur fuiſſe ſublatam in orthodoxa Eccleſia. Jam Theologi recentiores, qui conantur ex ſacris Litteris ſtatuere baſim cui innitatur hæc Confeſſio, & ſudant ſatis, nec tamen inter ſe conſentiunt. Porro *Durandus*, qui fortiter rejicit gloſſema ſuper quintam diſt. in Decretis tractatus *De pœnitentia*, non aliam adducit cauſam, qua probet hanc Confeſſionem, quam ille ſacramentalem vocat, eſſe juris divini, niſi quod eam nulla lex pure humana poſſit præcipere, ac tantum divinat hanc Confeſſionem inſtitutam à *Chriſto* poſt reſurrectionem, ubi dixit ſuis, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Jam in Hiſtoria, cui titulus eſt, *Faſciculus temporum*, inter ea quæ conſtituit *Gregorius* I. commemoratur & illud, ne Sacerdos aliquo pacto prodat ſcelera confeſſi. Verba ſunt hæc: *Ipſe plura inſtituit, ut patet in Regiſtro, in Canone addidit*, dieſque noſtros in tua pace diſponas, *Deus in adjutorium ante initia horarum dici juſſit. Hic conſtituit, quod confeſſor nec nutu, nec ſigno, nec verbo confeßionem prodat.* Auctor eſt apud quoſdam humilis, verùm apud eos humilis non eſt quibuſcum nunc agitur. Et ut maxime quis pondus detrahat auctori, certe Conſtitutio *Gregorii* recitatur in Decretis, Cap. *Sacerdos*, *de pœnitentia* diſt. VI. his verbis: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de iis qui ei confitentur peccata ſua, alicui recitet, quod ea confeſſus eſt, non propinquis, non extraneis.* Ex his apparet, ante *Gregorii* conſtitutionem non fuiſſe modum hunc confitendi. Etenim ſi hæc confitendi ratio, cui haud dubie ſemper annexam eſſe oportuit ſilentii fidem, fuit temporibus Apoſtolorum, quid opus erat Conſtitutione *Gregoriana*? Quod ſi arguitur *Gregorium* non fuiſſe primum auctorem hujus Conſtitutionis, ſed ante latæ novatorem, ſupereſt ut ille proferat vetuſtiorem. Poſſem plura congerere, ſed hæc ſufficiunt, ne videar omnino temere paucis indicaſſe ſuſpicionem meam, quam nec munire volo diligentius cum offendiculo ſimplicium, nec tueri contentioſius, cum periculo meo. Si hanc Confeſſionem Eccleſia certo decreto ſtatuit eſſe juris divini, ſi ſentit ab ipſo *Chriſto* inſtitutam, ſi ſentit non poſſe aboleri, nihil refragor Eccleſiæ judicio, ſenſumque meum vel reclamantem ad hujus oraculum accommodo. Atque utinam ſic vivamus omnes, ut Confeſſionis remedio non ſit opus: aut ita confiteamur, ut non ſit opus ſubinde repetita Confeſſione.

AD XVI.

AD hanc nominatim reſpondimus in ſuperiore libro, neque quicquam prætermiſimus quod videretur eſſe dicendum. 1 Cor. III.

AD XVII.

LIBERATA *eſt à lege viri*. Cum eſſem multa propoſiturus in medium de divortii jure Chriſtianis in totum ademto, diligenter teſtatus ſum id quod & in operis initio mihi factum eſt, me nuſquam eſſe velle novi dogmatis auctorem, tantum juvandi ſtudio monere ſtudioſos, ſemper inconcuſſo judicio ſacroſanctæ Eccleſiæ, & eorum quibus uberius donum eruditionis ac ſapientiæ contigit à *Chriſto*, ad hunc ingredior modum. Porro diſputationem claudo his verbis, *Hæc paucis libuit delibare, quo doctis ac ſtudioſis uberiorem* 1 Cor. VII.

Digitized by Google

cogitandi materiam præberemus. Nec ullo pacto judicio majorum ob hæc præire conamur, multo minus Ecclesiæ catholicæ. Cæterum quoniam in priore Editione, votum in hac re noſtrum, ſive prudens, ſive imprudens, certe pium ſubindicaveramus, ne quis id aliorſum interpretaretur atque à me ſcriptum fuerat, declarandum putavimus, quibus rationibus adducti tale quiddam optaremus, ſi qua fieri poſſet per Eccleſiaſticam auctoritatem. *Leus* ait *quibuſdam graviſſimæ auctoritatis Theologis videri, teſtationibus hujuſmodi non eſſe locum niſi in rebus dubiis, non in his quæ per Eccleſiæ auctoritatem definita ſunt, ſi quis velit prudens ac ſciens diſſentire.* Principio non me præterit, quem Theologum deſignet *Leus* (quandoquidem tale quiddam audio dictum in publica prælectione) ex uno non admodum gravis auctoritatis multos faciens graviſſimi ponderis. Sed obſecro quod eſt hoc novum decretum iſtius magnifici Theologi? Quid receptius articulis fidei? Quid receptius ſeptem ſacramentis? An de his non diſputant acriter Theologi nihil etiam proteſtati? An non de receptiſſimis in utramque partem diſputat *Gratianus?* Jam eſto, definitum eſt per Eccleſiam, matrimonium ſemel contractum nullo pacto poſſe dirimi niſi morte: an hoc etiam definitum eſt, quod hac de re non poſſit Eccleſia ſecus aliquid vel ſtatuere, vel interpretari, vel remittere? Neque enim nos convellimus Eccleſiaſticam conſtitutionem, ſed hoc quod dixi diſquirimus, an poſſit per Eccleſiam aliqua ratione conſuli male cohærentibus, cujuſmodi matrimoniis plenus eſt orbis Chriſtianus. Ad hæc cum ego teſter nolle diſſentire me à judicio Eccleſiæ, cur illud impingit mihi *Leus, ſi quis velit ſciens ac prudens diſſentire?* Gravem vero ille ſubnectit cauſam, *Nec ab re quidem*, inquit, *ne hæretici hanc anſam teneant, quoties lubitum fuerit vel novas gignere hæreſes, vel antiquas fovere, ut proteſtentur ſe nihil moliri contra Eccleſiam, præſertim cum proteſtationi ipſum proteſtantis factum aperte repugnet.* Hæc quam graviter *Leus.* Atqui tantundem erit periculi in diſputationibus Scholaſticis, ubi nihil non vocatur in dubium, ubi gravibus argumentis defenditur, ſcortationem non eſſe peccatum. Et fieri poteſt, ut qui hæc Scholaſtico more tractet arte perverſa, argumentis crebris & efficacibus muniat partem priorem, poſteriorem frigidis ac dilutis ſolutionibus prodat adverſariis. Quid autem? an meum factum palam repugnat proteſtationi meæ? An unquam diremi matrimonium, aut ſuaſi dirimendum? Quomodo igitur pugnat ipſa res cum oratione mea? An quia diſputo in diverſam partem? Idem facit divus *Thomas* catholicus doctor. Sed addit etiam bellam clauſulam, *Ideoque*, inquit, *nec diſſentire meo judicio citra contumeliam licet ab Eccleſiaſticis dogmatis.* An diſſentit quiſquis diſputat, præſertim qui diſputat tantum honoris præfatus Eccleſiæ? Jam vero quorſum attinent illa tragica quæ mox congerit *Leus*, de contentione, de inſurgendo adverſus decreta Eccleſiæ, de ponendo os in cœlum? de magno illo *Hieronymo*, qui fidei ſuæ confeſſionem petit à *Damaſo* comprobari, de capitulo, *Ad abolendam*, quod hæreticum pronuntiat, quiſquis de Eccleſiæ ſacramentis ſecus ſenſerit, quam ſit Eccleſiæ definitum. Verum, at non dicit, quiſquis de Eccleſiæ ſacramentis diſputarit. Deinde ſatis largitur mihi *Leus*, me non aliud ſentire quam ſentiat Eccleſia, nec quod facio, alio animo facere quam teſtor me facere, *tamen meminiſſe debuerat*, inquit, *novum dogma quantum pariat rixarum, ut avide accipiatur, præſertim tanta arte, tantoque lenocinio commendatum. Itaque ſæpe evenit, quod* Auguſtinus *monet in libro* De utilitate credendi, *ut gloria principatuſque cauſa novum dogma ſequuti, hæretici fiant.* Quantum hic eſt dogmatum in oratione *Lei*, cum mea diſputatio procul abſit ab omni dogmate. Nec his contentus, adjicit: *Nam ſi quis hoc* Eraſmicum *judicium, ſi tamen judicium ſit, & non magis diſputatio, animoſius forte quam par eſt ſequeretur, is certe hæreticus & eſſet & haberetur.* Quis non miretur hujus juvenis auctoritatem quam ſibi ſumit, nondum ullum in profeſſione Theologica gradum adeptus, nec aliud quam artium liberalium ſeptem profeſſor, quibus tamen jam pridem (ut ipſe fatetur) dixit vale, eodem opinor tempore quo dixit illis ſalve. Nam in his quæ ſcribit nullum veſtigium honeſtæ diſciplinæ. Si mea diſputatio nihil aliud eſt quam diſputatio, & diſputatio talis, ut nullius ſententiæ præjudicet, quorſum inculcat judicium, quorſum dogma, quorſum ſententiam, quorſum contentionem? Si ſtudet videri diſertus, ſit intra cauſam diſertus. Sed jam pergit attingere capita quædam meæ diſputationis, ut ipſe vocat, præcipue, ut ego arbitror, quæ viſa ſunt expugnatu faciliora, relictis in medio quæ diverſam cauſam adjuvabant. Quare etiam atque etiam te rogo, lector, ne pronunties de hac conflictatiuncula noſtra, niſi prius legeris ea quæ ſuper hac re congeſſimus in Epiſtolæ ad *Corinthios* prioris Cap. VII. Ita demum intelliges plurimum intereſſe quo pacto quid narres. Nec in reſpondendo ſumam nunc juſtam operam, niſi is, qui eſt verus auctor hujus fabulæ, ſuum nomen adſcripſerit. Primum quod dixeram, ſed aliter dixeram quam *Leus* hîc citat, *leges ceu pharmaca pro tempore ad hominum morbos accommodandas*, negat habere locum in his quæ ſunt ex præſcripto Dei. Quod ut demus ſimpliciter eſſe verum, certe nonnunquam dubitare licet, an hoc Deus ſenſerit ſuo præſcripto, quod quidam interpretantur. Quod ſi quis reſpondeat, hunc ſermonem eſſe dilucidiorem quam ut admittat ullam dubitationem, quid faciemus *Ambroſio*, qui diverſum ſenſit? quid Jureconſultis magni nominis, qui diverſum ſenſerunt? Illud obiter admonendum, quod ego dixeram, *accommodandas eſſe leges*, hic refert, *mutandas eſſe*, quo res ſit odioſior. Summus Pontifex cum interpretatur, cum addit aliquid, cum relaxat, accommodat Legem *Chriſti*, at non continuo mutat. Porro quod addit, *Paulum* hîc non ſuo nomine prohibere divortium, ſed teſtari Domini eſſe præceptum: dici poſſet, quod *Paulus* Domini præceptum vocat, quod ad perfectionem facit, & tamen interim ſibi ſervat indulgentiam Apoſtolus, qua ſuccurrit imbecillioribus cum res poſtulat. Nec protinus tamen adverſatur Euangelio, ſi quid relaxatur ex Euangelii vigore. Adduxeram quoſdam qui fuiſſent in hac opinione, quam *Leus* putat hæreticam, à divortio jus eſſe contrahendi novum matrimonium. Id cum doceam *Ambroſium* non uno in loco ſentire, qui fuerit Epiſcopus, &, ut eſt probabile, ſervarit in ſuo populo quod docet, nec imperitus fuerit Romanæ conſuetudinis, ut vicinus, & illic aliquoties verſatus, ſic reſpondet *Leus*, Ambroſius *ſi hoc ſenſerit miror, forte diſputando luſit, qui Veteribus mos erat.* O grave reſponſum, ac dignum illo qui pronuntiet de hæreſi! Quid opus erat dicere? *miror ſi hoc ſenſit*, cum recenſeam ipſa *Ambroſii* verba, & locum commonſtrem. Deinde ſi Veteribus mos fuit diſputando ludere, & ſi is mos eſt tam eruditis, tam gravibus Epiſcopis, mihi cur non liceat diſputando inquirere? De *Pollentio* reſpondet eſſe conſentaneum vero, illum ceciniſſe palinodiam, tot modis victum ab *Auguſtino*. Quot modis victus ſit ita demum experiremur, ſi libera ſit diſputatio, & abſint iſta terriculamenta, quæ nihil aliud quam fucatos reddunt Chriſtianos, dum coguntur credere quod non docentur. Hoc tacet *Leus*, quod *Auguſtinus* ſic diſputat adverſus *Pollentium*, ut nulla ſit hæreſis mentio, cum ille tamen editis libris tueatur opinionem ſuam. Jam quod ſcripſeram, *Origenem* non omnino damnare factum Epiſcoporum, qui permiſerint poſt divortium alterum conjugium: *Leus* affirmat ſecus habere, cum fateatur illos adverſus Apoſtoli doctrinam feciſſe. Certe qui excuſare conatur, non omnino damnat, quod illic facit *Origenes*. Hîc mihi placet quod *Leus Origenem* appellat *virum ſanctum*. Sed arte prætermiſit *Leus*, quod *Origenes* in eodem loco factum hoc Epiſcoporum, qui permiſerint maritis repudiata uxore novum conjugium, confert cum eo, quod *Paulus*

Digitized by Google

Ius viduis & incontinentibus permiſit digamiam, & ita confert, ut durius videri velit, viduæ, quæ libidinis, non prolis gratia maritum alterum deſideret, permittere novas nuptias, quam viro permittere ut rejecta uxore adultera ducat ſe digniorem. Jam & illud convellit *Leus*, quod *Origenes* (ut dixeram) illic non videatur addubitare quin viro liceat, cui permittit Euangelium, ob adulterium repudiare, & poſt repudium alteram ducere domum. Hîc me mendaciſſimum facit, cum *Origenes* longe diverſum illic doceat, *Primum*, inquit, *appellat Judaicum virum, qui ſentit licere viro repudiata ob adulterium uxore novum inire matrimonium.* Imo *Origenes* illic *Judaicum virum* appellat præfractum, qui ob quamvis cauſam velit uxorem repudiare, ſic argumentans, Moſes *permiſit ob rem turpem repudiare, & exemplum rei turpis ponit adulterium, licebit igitur ob alias res turpes uxorem repudiare.* Eam argumentationem rejicit *Origenes*, negans *Moſen* ſenſiſſe de adulterio cum dicit *rem turpem*, quandoquidem in adulterio non dabatur repudii libellus, ſed uxor tradebatur lapidantibus: ſed *rem turpem* appellavit quamlibet vel morum, vel corporis culpam, qua maritus offenderetur. Hæc *Origenem* ſenſiſſe declarat quod mox ſequitur, *Poſt hoc autem Dominus non permittit propter aliam aliquam culpam uxorem dimittere, niſi propter ſolam cauſam fornicationis.* Sub hæc *Origenes* movet aliam quæſtionem, *an quemadmodum ob adulterium licet uxorem repudiare, ita propter parricidium, veneficium, aut furtum liceat.* Et hæret hîc perplexus, videns impium facere adverſus præceptum Dei, & tamen iniquum & alienum à ratione, cogi maritum ut ferat ea peccata, quæ ſint adulterio graviora. Jam exitum quærens ex hac diſputatione, dicit: *Diſputo ergo, quia non præceptive mandavit, ut nemo dimittat uxorem excepta cauſa fornicationis, ſed quaſi exponens rem dixit:* Qui dimiſerit uxorem, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari. Quid ſibi velit hic *Origenis* ſermo, tibi lector expendendum relinquo. Et aliquanto ſuperius *Origenes* adduxerat ſimilitudinem de *Chriſto*, qui repudiarit Synagogam viricidam, & Eccleſiam duxerit novam ſponſam. *Origenis* verba ſunt hæc: *Dicendum eſt, quoniam non dimiſit* Chriſtus *primam uxorem ſuam, id eſt, primam Synagogam, ſecundum ſpeciem ſpiritualem ſervans quod dictum eſt*, Quod Deus conjunxit homo ne ſeparet, *niſi quando adultera eſt uxor illa corrupta ab adultero inimico, cujus conſilio & inſidiata eſt viro*, &c. Ac mox, *Et reliquit propter Eccleſiam* Chriſtus *vir Patrem, cum quo erat tum in forma Dei eſſet. Reliquit etiam matrem*, &c. Vides divortium, vides à divortio novam ſponſam. Ex quibus ſatis liquet quid ſenſerit *Origenes*. Cæterum quod ait, Epiſcopos feciſſe adverſus Scripturam Euangelicam, qui poſt repudium permiſerunt matrimonium, ſentit *Origenes* de iis, qui ob alias cauſas repudiarant uxores, *Judæorum* exemplo. Et tamen his permiſerant novum matrimonium, cum *Auguſtino* præferentes adulterinum conjugium ſcortationi. Jam verba, quæ *Leus* adducit adverſum me ex *Origene*, non intellexit. Ea ſunt hæc: *Qua enim ratione adultera eſt mulier, quamquam legitime videatur nubere viro vivente, eadem ratione & vir, quamvis legitime accipere videatur dimiſſam ab aliquo viro, non accepit legitime ſecundum ſententiam* Chriſti, *ſed magis mœchatur, quaſi alienam accipiens.* Sentit *Origenes* de iis, qui dimiſſam ob alias cauſas ducunt uxorem, aut qui dimittunt, velut ob graves culpas, quas *Chriſtus* tamen non excepit. Nec tamen humanis legibus tum puniebatur qui hoc feciſſet, imo matrimonium habebatur legitimum. Sed an juxta *Chriſti* ſententiam legitimum ſit dubitat *Origenes*, præſertim in atrocibus delictis, velut in veneficii, aut homicidii conatu. Sic enim ait: *Si juſtam excuſationem habet apud Deum, tractabis.* Et tamen fatetur, quod qui ſic dimittit, præbet adulterii cauſam, ſed fortaſſis hoc *apud Deum* imputandum uxori, non marito. Hanc eſſe mentem *Origenis*, plane perſpiciet qui illum legerit attentius. Cæterum quod *Leus* obiter velut abſurdum inducit, ſi *Origenes* putaſſet permittenda mala, ne contingant pejora: quidni exiſtimet *Origenes*, quod hodie nulla Schola Theologorum non probat, idque ex ſententia *Auguſtini*, cujus verba ſubſcribam ex libro adverſus *Pollentium* ſecundo, Capite xv. *Si facturus eſt quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium.* Vides ut *Auguſtinus* non ſolum permittit adulterium, ne fiat homicidium: ſed etiam hortatur ad adulterium, ne veniatur ad homicidium. Deinde quod ratiocinabar ab æquitate naturali, non convenire ut orbus ac deſolatus vivere cogatur, qui ob corporis habitum non temperat à coitu, neque quicquam commeruit, objicit mihi virginum Deo ſacratarum, & Monachorum conditionem, qui merito patiuntur quod ultro ſuſceperunt. Hic fortaſſe reſpondere poteram, *Nil agit exemplum litem quod lite reſolvit.* Et tamen concedunt Jureconſulti, quod Pontifex poſſit ex Monacho non Monachum facere, ac pari ratione ex Monacha non Monacham. Nam quod adferimus de voto ſolenni & non ſolenni, quorum alterum poſſit mutari, alterum non poſſit, ut conſtanter affirmare video, ita nondum ſatis efficacibus argumentis probatum eſt. Nam ſi ſufficiat ea ratio, volentes ſuſceperunt ut ſit perpetuum, omnes Contractus, qui inter volentes coeunt, deberent eſſe modis omnibus perpetui, qui nunc novis cauſis emergentibus, ex æquitate juris ſæpenumero reſcinduntur. Sicut igitur in Contractibus tacite excipiuntur, ob quæ juris æquitas dirimit bona fide conventa, ita fortaſſis in votis ſemper aliquid tacite intelligitur exceptum, ſi faciet ad ſalutem animæ, aut aliud ſimile. Sed his rationibus (ut apparet) diffiſus *Leus*, adjungit ſacramenti cauſam, de quo paulo poſt nonnihil attingemus. Refellit interim *Leus* quod ex *Origenis* ſententia dixerim, *Chriſtum* repudiaſſe Synagogam viricidam, & duxiſſe Eccleſiam, ut hîc quoque congruere poſſit myſterii ratio, ſi quis veneficam aut adulteram repudiet, alteramque ducat ſe dignam. *Leus* ex Synagoga uxore facit matrem *Chriſti*. Cæterum quod nos adferimus, ſi non dixit *Origenes*, me vanitatis arguat: Si dixit, cum illo diſputet, & paulo ante docuimus dixiſſe. Ad hæc quia ſcripſeram, *iniquum videri, puniri fortunam*, *Leus* non agnoſcit *fortunæ* nomen, omnia providentiæ tribuens, homo providus. Sed cur interim *fortunatos* vocat etiam *Leus* opinor, qui divites, qui ingenui naſcuntur, *infortunatos* qui ſecus? Cæterum quod adfert, de cadaverum contactu, de leproſis, deque cæteris: Primum, quia *Moſaica* Legis ſunt, ad noſtram diſputationem proprie non faciunt. Deinde cur leproſi arceantur à commercio cæterorum, gravis eſt cauſa, quæ facit ut nos illos etiam arceamus ab hominum convictu, qualis non videtur eſſe in divortio. Poſtremo quod ex his colligo, *ſi innocens arceatur à matrimonio, videri plane pugnare cum æquitate naturali: Leus* criminatur me palam adverſari proteſtationi meæ. *Nam quis*, inquit, *locum Eccleſiaſtico decreto, ſi palam pugnat cum æquitate naturali?* Ut paucis reſpondeam, An jejunium, an vigilia non pugnat cum æquitate naturali? Quis locus ſacramento Euchariſtiæ, ſi *Thomas* adductis rationibus colligit, ergo Euchariſtia non eſt ſacramentum? An non licet argumentando dicere, *videtur?* Deinde jam docuimus, Confeſſionem ob hoc ipſum haberi juris divini, quod non pendeat ab æquitate naturali quemadmodum nec jejunium, nec martyrium. Sed bene habet, quod hîc vocat Eccleſiaſticum decretum, quo divortii jus adimitur, cum alias velit haberi *Chriſti* præceptum. Jam quod *Jacobi Petri*que decretum de ſuffocato & ſanguine commode interpretatur, bene facit, ſed hoc eſt quod diſquiritur à nobis, an ſimilis interpretatio poſſit huic loco ſuccurrere, præſertim cum cauſa magis urgeat, meo quidem judicio. Atque hîc demiror quid *Leo* venerit in mentem, qui non contentus hac probabili Doctorum interpretatione, quam & ipſe recipio, voluerit hæc adjicere de

Digitized by Google

ſuo, *Non poterat*, inquit, *ferre decretum* Jacobus, *quod prorſus abſtinerent à talibus, cum hoc plane eſſet contra* Chriſti *ipſius decretum, & contra libertatem Euangelicam. Chriſtus* antea docuit: *Non omne quod intrat per os, coinquinat hominem;* & *Petrus* ab eodem monitus eſt, *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, clamat *Paulus*. Si *Petrus* & *Jacobus* non poterant interdicere eſum certorum ciborum, qua fronte nobis bona parte anni interdicitur eſus omnium carnium, ſæpe & lactariorum? Qua fronte interdicitur cibus in totum? Qua fronte *Dominicales* & *Carthuſienſes*, humana duntaxat conſtitutione adimunt ſuis eſum carnium in omnem vitam? An prohibere à ſuffocato & ſanguine pugnat cum Eccleſiaſtica libertate, arcere ab eſu carnium non pugnat? An hîc locum non habet: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*, &, *Domini eſt terra?* Præterea quod adduxeram ex *Joanne Andreæ*, *Jure per Pontificem Romanum dirimi matrimonium non conſummatum*, non negat eſſe verum quod dico. Quod ſi impetro, habeo quod volo, matrimonium contractum, & legitime contractum poſſe dirimi, cum hujus robur pendeat ex jure divino. Euangelium prohibet dirimi matrimonium, & Pontifex dirimit: nonne ſecus interpretatur Euangelium quam nos interpretamur? Si Pontifex dirimit matrimonium non intercedente cauſa adulterii, quanto magis dirimi poteſt ſi intercedat cauſa, quam excipit Euangelica doctrina? *At idem*, inquit, Joannes Andreæ *docet*, *matrimonium conſummatum non poſſe dirimi*. Sed hujus diſtinctionis nondum audio gravem cauſam, etiamſi mihi ſatis eſt matrimonium rite contractum, etiam ante congreſſum conjugalem, eſſe verum ac legitimum matrimonium, & vim habere ſuam ex jure divino: nam rationes, quas adducunt *Hoſtienſis*, *Auguſtinus*, & *Leo* Papa, præterquam quod hominum commenta ſunt, non efficiunt tamen quo minus adverſus *Chriſti Paulique* doctrinam dirimatur matrimonium, & à divortio ſit jus iterandi conjugii. Porro an *Chriſtus* poſſit aliam ſponſam ſibi conjungere matrimonio, ipſius voluntati relinquo, nec illi volo leges præſcribere, quemadmodum *Hoſtienſis*. Nec illud ſatis intelligo, quid dicat *Hoſtienſis*, *quacunque de cauſa*. Si ſentit, quamvis levi de cauſa, verum dicit: ſi dicit, nulla de cauſa, cur ingreſſus religionis dirimit matrimonium ratum quidem, at non conſummatum? Cur lapſus in hæreſim dirimit etiam conſummatum? Etenim ſi ideo licet dirimere matrimonium conſummatum, quod plenior ſit ratio ſacramenti in conſummato, licebit & conſummatum dirimere, quod plenior etiam eſt ratio in fœcundo conjugio quam in ſterili, in primo quam in ſecundo aut tertio. Hoc negotium non æſtimatur gradibus, ſed ſpecie rei. Et tamen *Joannes Andreæ* non uſque adeo abhorret ab hac opinione, ut dicat aliquis matrimonium conſummatum gravi de cauſa poſſe dirimi, cum hoc argumentum diſputet in regula actus legitimi, *de regulis juris*, libro ſexto, citante *Panormitano*, in C. *Ex publico, de converſione conjugatorum*. Nam propoſito caſu, an Pontifex poſſit indulgere, ut filius unicus Regis Monachus ducat uxorem, eamque habeat donec gignat prolem maſculam, argumentis in utramque partem adductis, pro neutra parte pronuntiat, rem aliorum arbitrio relinquens. Rurſum ita claudit diſputationem *Panormitanus: Ego ſatis putarem, quod nullo caſu poſſit Papa diſſolvere matrimonium conſummatum inter fideles, ita quod eligerem partem negativam*. Nec hic aſſeverat, ſed argumentum ut diſputabile proponit, cujus alteram partem ipſe putat eſſe probabiliorem. Idem in Cap. *Quanto, de divortiis*, inter multa ſcribit hæc: *Et eſt iſte textus ad hoc optimus, & per rationem ſuam poſſet argui, quod etiam Eccleſia non poſſet illud diſſolvere*. Rurſus non affirmat Eccleſiam non poſſe dirimere matrimonium conſummatum: imo potius innuit poſſe, licet ex hoc Cap. dicat poſſe ſumi argumentum pro diverſa parte. Neque ſtatim expugnatum eſt, quod oppugnari poteſt argumento. Quin & *Hoſtienſis* videtur alibi pro diverſa ſententia facere. Siquidem is in Cap. *ex parte*, Secundo *de converſione conjugatorum*, quærit, *an Eccleſia poſſit hodie ſtatuere, ut altero fidelium prolapſo in hæreſim poſſit alter conjugum tranſire ad alia vota*, ac diffinit poſſe hoc argumento, *Sicut ſtatuit* (inquit) *inter fideles, inter quos eſt verum matrimonium*, *in* Cap. de infideli. & conſanguini. & affinit. *eodem modo videtur quod poſſit ſtatuere inter fideles. Nam ratificatio matrimonii, quæ eſt inter fideles, naſcitur ex ſacramento baptiſmi, ut in* D. Capi. Quanto. *& hoc ex Eccleſiæ diſpoſitione, poteſt ergo aliter Eccleſia ſtatuere*. An non hîc aperte pronuntiat *Hoſtienſis*, Eccleſiam poſſe ſtatuere, ut aliquod matrimonium ratum & conſummatum diſſolvatur altero labente in hæreſim, ita ut alter innoxius poſſit ad ſecunda vota tranſire, hoc eſt, novum inire matrimonium? Negat tamen hoc poſſe fieri niſi ſtatuat Eccleſia. Proinde matrimonium aliquod omnino indiſſolubile poteſt auctoritas Eccleſiæ dirimere, & ſic dirimere ut novum contrahatur. Denique huc redit diſputatio *Lei*, ut vetet me aliam cauſam quærere, quam ſacramentum. *Non eſt ſacramentum*, inquit, *ubi divortium*. Et tamen hanc cauſam ex Veteribus ſolus, quod ſciam, adducit *Auguſtinus*, nec tamen hanc ſolam adducit. Et ni fallor hîc *Auguſtinus* accepit *ſacramentum*, non ut ſit unum è ſeptem, quod videor mihi ſatis demonſtraſſe in Annotationibus, ſed ut typus & imago rei ſacræ, videlicet conjunctionis *Chriſti* & Eccleſiæ: quæ tamen non hîc ſolum diſſidet ab exemplari ſuo, ſed aliis quoque in rebus, ut illic abunde demonſtravimus. Et tamen verum eſt quod dicit *Auguſtinus*, ſi recte intelligatur: *ubi divortium, ibi non eſt ſacramentum*. Nam hactenus deſinit congruere cum eo, cujus gerit imaginem. Sic ubi jurgium, ibi non eſt ſacramentum: ubi zelotypia, ibi non eſt ſacramentum: ubi inſidiæ, ibi non eſt ſacramentum, & tamen iſta ſunt paſſim in conjugiis legitimis, quæ tamen hac parte non reſpondent ſacramenti vocabulo. Nec his verbis urgebimur admodum: *Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet*, ſi modo ſic interpretemur, ut ego interpretor. Nec arbitror eam interpretationem eſſe talem, ut contemni poſſit. Denique cur in matrimonio per ingreſſum religionis ſoluto, nolunt his verbis eſſe pondus, in aliis poſtulant valere? Jam quoniam multis verbis oſtenderam pugnare cum typo ſacramenti novum hoc divortium, quod nos pluribus de cauſis indulgemus, cum *Chriſtus* nullo modo divellatur à ſua ſponſa, ne morte quidem: oſtendit hoc divortium, licet *Judæis* ignotum, à *Chriſto* tamen ac *Paulo* proditum fuiſſe. Cum enim jubetur manere innupta quæ diſceſſit, nec permittitur diſcedere niſi ob cauſam adulterii, prorſus oſtenditur hoc divortii genus, quod nunc habet Eccleſia. Non inficior hoc fortiter interpretari *Auguſtinum*, ſed præterea nihil audio, quod me cogat in eum ſenſum accipere. Jam ex Euangelio non ſatis graviter docet utriſque par eſſe jus repudii. Neque enim illic habetur *mulier quæ repudiato marito alteri nupſerit, mœchatur:* ſed *qui repudiatam duxerit, mœchatur*. Neque dubium eſt, quin in hunc ſenſum accipiendum ſit quod ſcribunt *Marcus* & *Lucas*. Siquidem dimittit virum & quæ repudiata diſcedit à viro.

Sed hujus diſputationis finis eſto, qua ſimul reſponſum arbitror annotationi *Lei*, quæ illi veterum fuit duodecima. Mihi nec eſt, nec fuit animus ſuper hac re contendere, tantum tentavi diſputando ſi qua via poſſit inveniri, qua male conſtrictis conjugio conſulatur. Videbam viros olim probatæ doctrinæ ſanctimoniæque non fuiſſe deterritos Euangelii *Paulique* verbis, quo minus admitterent divortium, videbam quædam ſecus poſſe exponi quam hactenus expoſita ſunt: videbam & hodie dirimi matrimonium, ob errorem perſonæ, ob ingreſſum religionis, ob alias quoque cauſas, ſi non fuerit conſummatum, cum tamen hoc quoque vigorem

Digitized by Google

rem ſuum habeat ex jure divino, ac de quo illud quoque dictum eſt: *Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet.* Item: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* Poſtremo in hoc quoque competit ſacramenti ratio. Videbam Jureconſultos quoſdam, eoſque maximi nominis, in ea fuiſſe ſententia, ut dicant omne matrimonium poſſe dirimi Romani Pontificis auctoritate, gravibus de cauſis. Videbam per Pontificem perſonas reddi inhabiles, ut irritum ſit matrimonium, & liceat alteri rurſus copulari, veluti cognationis aut ordinis cauſa. Videbam fieri poſſe, ut ſimili modo reddat inhabiles & illos, inter quos ebrios, per lenas ſine auctoritate majorum temere coiit matrimonium. Cogitabam Eccleſiam habere ſponſi ſui Spiritum, neque poſſe non recte ſtatui, quod ad hominum ſalutem illo auctore ſtatuatur. Miſerebat me pereuntium, & optabam ſuccurri. Id ſi fieri non poteſt, tamen inceſſi non poteſt pium animi votum à Chriſtiana caritate profectum. Optat caritas & quæ fieri non poſſunt. Neque fraudatur affectus irritus ſua laude, præſertim cum teſter tot verbis me nihil aliud quam inquirere diſputando. Si Abbas *Panormitanus* toleratur ut ſcriptor orthodoxus, qui in Cap. *Deus, de divortiis*, in tertio notabili, dicit Papam ex magna cauſa poſſe diſpenſare contra Novum Teſtamentum, cur mihi non licet inquirere, an hîc poſſit, cum ille dicat in genere poſſe adverſus Novum Teſtamentum? Si omnium fere conſenſu Pontifex ex cauſis idoneis, imo ſine cauſa, poteſtate, quam vocant abſolutam, dirimit matrimonium non conſummatum, quod, ut ſæpe dictum eſt, juris eſt divini, cur nefas ſit diſquirere, an & in aliis poſſit quæ ſunt juris divini? Si ferendum eſt quod ſcripſit *Vincentius* citante *Panormitano* in Cap. *propoſuit, de conceſſione Prabendæ*, Romanum Pontificem in omnibus poſſe diſpenſare, præterquam in articulis fidei: modo id fiat ex idonea cauſa: non arbitror articulum eſſe fidei, quomodo poſſit exponi locus apud *Paulum*, de non dirimendo matrimonio. Præterea ſi cum jus divinum jubeat omnem cauſam finiri teſtimonio duorum, & tamen hoc in quibuſdam caſibus vetant fieri leges Cæſareæ ac Pontificiæ: quid obſtat quo minus inquiramus, an his poſſit dilatari, quod adſtrinxit *Chriſtus*? Sed nimium diu verſor in alieno campo. Nec tamen ſoleo libenter verſari in hujuſmodi Scriptoribus, qui nos tam diverſis hominum opinionibus diſtrahunt fundamento non admodum ſolido, ſed tamen horum præſidiis tantiſper uti viſum eſt, ut docerem mihi quoque licuiſſe ex pio affectu citra contentionem inquirere, an matrimonium etiam conſummatum poſſit dirimi. Porro *Leum* alienis præſidiis adjutum fuiſſe in hac diſputatione, præter alia multa & illud arguit, quod approbet locum bene à me redditum, quod illi ſane novum eſt, in hoc opere quicquam approbare meum. Nec tamen inſector quod adjutus eſt: utinam ſic adjutus eſſet in omnibus cæteris: nam tum & ineſſet aliquanto plus doctrinæ, & multo minus rixæ ac virulentiæ. Etiam atque etiam te rogo, lector, ut ſi quid hîc deſideres, ubi mihi non vacabat omnia repetere, petas ab Annotatione mea poſterioris Editionis.

AD XVIII.

II. Cor. XIII. SED *eſto, ego vos gravavi.* Oſtendo ex Græcis & *Ambroſio*, & emendatioribus Latinorum Exemplaribus legendum, *eſto, ego vos non gravavi.* Et in hunc ſenſum interpretatur *Theophylactus* Græcus, & *Ambroſius* Latinus. *Leus* quoniam negat ſibi eſſe lectum, *ego vos gravavi*, jubet eradi marginalem annotationem, manifeſtarium mendum in noſtris. Ego ſi fuiſſem perinde felix, quam eſt *Leus* ſuo codice, nihil opus erat hoc operæ ſumere. De marginali annotamento non eſt ratio digladiari.

AD XIX.

Gal. II. QVONIAM *reprehenſibilis erat.* Adjeceram in Annotatione, mihi videri *Jacobum*, & cæteros qui apud illum erant, in hâc fuiſſe ſententia, ut crederent adhuc ceremonias *Moſaicæ* Legis obſervandas eſſe prodito Euangelio. *Leus* ait, hac mente voluiſſe obſervari, ne quid offenderentur infirmi. Nec ego prorſus aliud ſenſi. Nec enim arbitror tam ſtultos fuiſſe Apoſtolos, ut putarent abſque Legis præſidio non ſufficere *Chriſti* gratiam. Verùm *Paulus* putabat eſſe tempus, ut ſi fieri poſſet, jam contemta ſuperſtitione quorundam, palam prædicaretur Euangelica libertas.

AD PHILIPPENSES.

AD XX.

ESSE *ſe æqualem Deo.* Teſtatus ſum non eſſe me clam, quemadmodum hunc locum plerique Veterum interpretentur, nempe *Chriſtum* fuiſſe natura Deum, & Deo Patri æqualem, & in hoc ſumſiſſe ſervi formam, quod hominem aſſumſerit. Hoc refellens multis verbis *Leus*, me docet quod teſtatus ſum me non ignorare, cum ego prolixo ſermone declarem me ſequi interpretationem *Ambroſianam*, quæ interpretatur formam, ſpeciem, & exemplum, miraculis ſeſe declarantis Deum. Formam ſervi, non aſſumtam hominis naturam, ſed ſpeciem peccatoris, in qua cæſus eſt & crucifixus. *Non rapinam arbitratus eſt*, enarrat, non ſibi vindicavit divinam naturam, ſed hominem ſe profitetur ubique, & divinitatem velut occultans, alteram ſpeciem magis eſt amplexus, ut nobis oſtenderet, quæ ſit ad veram gloriam via. Ea interpretatio ſi non placet *Leo*, erat illi cum *Ambroſio* res, non mecum. Neque enim nos alteram interpretationem rejicimus, cum eam tamen rejiciat *Ambroſius.* Adjeceram: *Proinde totus hic locus mihi videtur violentius detorqueri ad* Chriſti *naturam, cum* Paulus *hîc agat de ſpecie exhibita nobis.* Hîc *Leus* ſic mecum agit, quaſi ſenſerim in *Chriſto* formam ſervi dici naturam humanam, diſſimulans me diverſam ſequi interpretationem. Atqui hoc fundamento convulſo nihil ille adverſum nos agit ſua diſputatione. Porro quod cum dico *Chriſti* naturam, interpretatur me de divina loqui, ſciat me de utravis loqui. Nam ut prior pars, *qui cum in forma Dei eſſet*, non pertinet juxta *Ambroſii* ſententiam ad divinam naturam, ſed ad ſpeciem exhibitam, ita *forma ſervi* non pertinet ad humanam naturam aſſumtam, ſed ad ſpeciem peccatoris aſſumtam. At non probat, quod negarim me videre quid hic locus faceret adverſus *Arrianos.* Certe non multum facit, ſi recipimus *Ambroſianam* interpretationem. Verùm illud omnium peſſime habet hominem, quod adjecerim, mihi compertum eſſe, nunquam fieri majorem vim Scripturis, quam cum adverſus hæreticos diſputantes nihil non detorquemus ad victoriam. Addit ſibi videri, quod & alias ſimile quiddam dixerim in favorem *Pelagianorum* & *Arrianorum.* Imo quicquid hujus dixi, dictum eſt in favorem noſtræ religionis, & in odium hæreticorum. Nam hoc ipſum admoneo in *Methodo*, ne pugnantes cum hæreticis, Scripturæ vim faciamus, ne ſimus illis ridiculi. Et id oſtendo factum nonnunquam ab *Ambroſio*, ab *Hieronymo*, atque etiam *Auguſtino.* Nec ideo tollitur illorum auctoritas in interpretando, ſi unum aut alterum locum torſerunt, quod *Hieronymus* à ſe factum fatetur etiam, nec hoc diffitetur *Leus*, nec veretur *Paulo* ſimile quoddam artificium tribuere, ſubindicans id in pugna licere, cum adverſarius quocunque modo vinciendus & capiendus eſt, qui doceri nondum meretur. Proinde nihil erat cur hîc *Leus* excitaret tragœdiam his verbis: *Hoc eſt fuco atque præſtigiis ementitis vultibus rem agere, non Chriſti bellum gerere, ſed Diaboli, qui mendax eſt & pater ejus. Gratum hoc ſane patrocinium omnibus hæreticis, ut dicant detortum eſſe, quicquid contra ſe afferatur:* aliaque permulta in hanc ſententiam, ſtultiora quam ut ſint refellenda.

De-

Digitized by Google

Denique si verum esset, inquit, *tamen erat dissimulandum*. At eadem ratione non esset usquam dissentiendum ab Ecclesiæ Doctoribus, ne hæretici dicant eos nusquam intelligere Libros sacros, quod aliquot in locis lapsi sint. Ac multo magis erat dissimulandum, quod *Leus* orbi prodidit partem Euangelii *Joannis* assutam ex apocrypho *Nazaræorum* Euangelio. Et hic me celebrem virum facit, nusquam tribuens aliquid laudis, nisi cum me onerat invidia. Hæc si *Leus* scribit non ex animo, perverse seditiosus est: sin ex animi sententia, non admodum cordatus est.

AD XXI.

Coloss. 1. VERBVM *Dei mysterium*. Admoneueram quod Græcis est μυστήριον, sæpe verti *sacramentum*. Nec ideo protinus esse sacramentum unum è septem, alioqui fore permulta. Nec enim ideo credo matrimonium esse sacramentum unum è septem, quod *Paulus* appellet *mysterium*, sed quod Ecclesia me docuerit, esse unum è septem. *Leus* negat quenquam sic ineptire, ut quoties legat sacramenti mentionem, toties putet mentionem fieri de sacramentis numero septem. Credo viros graves non sic ineptire, & tamen sunt quidam adeo stolidi, ut hos expedierit admoneri: nec hoc est calumniari, monere ne quis possit labi quamlibet crassus.

AD XXII.

Heb. 1. ET *figura*. Hîc arrodit *Leus* quod adjeceram in Annotatione: *Ex hoc verbo, videlicet* hypostaseos, *nata est magna digladiatio, quod* Arriani *exigerent tres hypostases, & verbum* homusii *non reciperent. Res indigna, meo sane judicio, ob quam Oriens & Occidens exitiabili bello inter se conflictarentur, & orbis concordia turpiter scinderetur.* Hoc loco mihi videtur *Leus*, velut argumentum nactus declamatorium, exercere voluisse dicendi copiam ac vim. Sed id ita facit, ut ad me non magnopere pertineant quæ disserit. Nam ipse de vocabulis loquor, quæ novitate sua præbuerunt dissidii materiam: id *Leus* ad rem trahit. Nostri *tres personas* agnoscebant, *tres hypostases* non item. *Arriani* cum *hypostaseos* verbum libenter amplecterentur, abhorrebant ab *homusii* vocabulo, & quemadmodum *Hieronymus* suspicabatur subesse nescio quid veneni in syllabis, cum ab eo exigeretur *trium hypostaseon* confessio, ita *Arriani* suspicabantur nescio quid veneni latere in vocabulo *homusii:* vocem esse inauditam, nusquam legi in divinis Libris, & ideo suspectam. Jam cum nullus unquam exstiterit in Ecclesia tumultus hoc gravior aut latius patens, an non magis expediisset, omissis utrinque novis vocabulis, tueri publicam orbis concordiam, quam rei Christianæ summam in extremum discrimen adducere? præsertim cum in hujusmodi dissidiis fere se misceat affectus humanus, & utraque pars opinionis suæ studio, & adversariorum odio iniquius interpretetur quod ab adversariis adfertur, & suis impendio faveat. Possem hujus generis plura commemorare exempla, sed in re odiosa satius est ab exemplis temperare. Jam quod mihi videtur magis expediens futurum fuisse, id visum est & illius temporis gravissimis Episcopis ac Principibus, qui frequentissima Synodo semel atque iterum censuerunt abolendam verborum contentionem, modo de re fidei conveniret. Neque quisquam admodum refragatus est de abolendo nomine *homusii*, imo probabile videbatur omnibus, ut vocabulum quod cum in sacris Litteris nusquam reperiretur, tamen novitate sua multis esset scandalo, de medio tolleretur. Et jam coierat concordia, sed *male sarta gratia nequicquam coit & rescinditur*, ut inquit *Flaccus*. Si quis diffidet nostræ narrationi, legat *Hieronymi* Dialogum, quem scripsit adversus *Luciferianos*. Jam sunt quædam hujusmodi, ut non sit necesse magno Ecclesiæ tumultu persequi. Dissidebatur olim de celebrando Pascha, ac gravibus Episcopis ea res non est visa satis idonea, ob quam Christianorum commu-

A nio scinderetur. Ejusdem generis putavit *Cyprianus*, quod quidam ab hæreticis baptizatos, denuo baptizabant, quidam secus. Mihi videntur ea potissimum inculcanda, quæ faciunt ad vitæ pietatem. Cæterum immodice philosophari in subtilitatibus illis, quæ plus habent ostentationis quam fructus, non admodum probarim, præsertim si id fiat gravi Christianæ Reip. tumultu, cujus concordiæ usqueadeo consulendum est, ut *Paulus* sæpenumero parcat Pseudapostolis, ne irritati gravius etiam turbarent pacem Christianorum. Si *Arriani* voluissent confiteri sicuti confitebantur, *Filium esse Deum de Deo genitum, similem Patri, ejusdem cum illo naturæ*, quod nec ipsum, ni fallor, negabant, &
B omissis *hypostaseon* vocabulis, nobiscum amplexi fuissent *tres personas*, nonne præstabat duorum verborum jacturam facere, quam admittere dissidium tam exitiabile? An doceri non poterat æqualitas personarum, nisi repertum fuisset novum *homusii* vocabulum? At hoc non recipiebant *Arriani*. Non patrocinor in præsentia *Arrianis*, qui toto pectore sequor quod definivit Ecclesia, sed illud quæro, an commoda interpretatione potuerit teneri concordia. Dicebant Filium subditum Patri. Certe natura Filius obtemperat Patri, à quo vitam habet. Forte fieri potest ut qui subsit, non ideo tamen minus habeat dignitatis. Dicebant Filium esse creaturam: quid si hoc sentiebant,
C gigni ab alio, & esse ab alio, quodammodo condi esse? Dicebant forte Spiritum Sanctum utriusque ministrum esse: quid si hoc sentiebant, per eum & Patrem & Filium operari? Jam cum *Hilarius* fateatur Patrem esse Filio majorem auctoritate, sed ita ut Filius minor non sit, cum hoc habeat à Patre ut illi sit æqualis: quæso si verum fateri fas est, quantulum abest ab *Arrianis*? Si Pater major est Filio auctoritate originis, igitur juxta divinæ naturæ rationem major est. Sed hoc quo major est, non communicat Filio, videtur enim Filius ea parte minor. Etenim si *Hilarius* sensisset Patrem Filio majorem, quatenus est homo, non oportuit refugere Filium hac ratione dici minorem.
D Porro secundum eandem rationem aliquem dici majorem altero, cum ille minor non sit, nihilo videtur probabilius quam si quis dicat, *Petrum* esse patrem *Joannis*, cum *Joannes* non sit illius filius. Æquum est, ut in iis, quæ nobis ab Apostolis ac Patribus, qui ab illis hauserunt, tradita sunt, consentiamus omnes. Cæterum nihil non pertrahere ad fidei negotium, seminarium est dissidiorum, ac pestis Christianæ concordiæ, qua sublata Christiani non sumus: cum tamen possit esse obnoxius hæretico errori, qui *Christo* carus sit, si modo simpliciter erret inculpata ignorantia. Expulsus
E est *Arrius* ob unam aut alteram voculam. *Athanasii* Symbolum quotidie canitur in Templis: & tamen negat catholice dici, quæ nunc Theologi fatentur dici recte. Negat ille dici tres æternos, tres omnipotentes, tres increatos, tres immensos, nec putat hunc sermonem minus impium esse, quam si quis dicat tres Deos. At hodie diversa est Theologorum sententia. Nam quemadmodum cum plures eodem fune trahunt navim, multi trahunt, tamen una est tractio: sic nihil vetat Personis divinis numero multitudinis tribuere, quod tamen in singulis diversum non est. Pater & Filius & Spiritus Sanctus sapiunt, & tamen eadem est sapientia. Tres volunt, & tamen eadem est voluntas. Tres provident, & tamen eadem est providentia. Tres sunt, & tamen eadem est essentia. Ita eadem æ-
F ternitate tres sunt æterni. Jam cum neget dici tres æternos, tamen post fatetur dici tres coæternos. Neque mihi satisfacit quod *Durandus* adfert de differentia substantivi nominis & adjectivi, nisi forte sic interpreteris, bonum esse adjectivum, & bonitatem substantivum: Tres boni sunt, non tres bonitates: quemadmodum in corpore multa membra sunt animata, sed eadem est anima. Porro non video quid intersit inter vocem æterni & Domini. Ut tres sunt æterni, sed eadem æternitate, ita quid vetat dici tres Dominos,

sed

Digitized by Google

ſed eodem dominio? Quando non deſunt magni nominis Theologi, qui vero pioque ſenſu putant dici poſſe tres Deos, ſed eadem Deitate, nimirum ſi quis ſentiat tres eſſe, quorum quiſque dicatur Deus, ſed eadem, ut dixi, Deitate qua cæteri. Jam quod ait: *Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*, niſi commode interpretemur, ſenſum habet hæreticum. Ad hæc, quod hic negat in Trinitate quicquam eſſe majus, *Hilarius* non refugit Patrem dicere majorem. Rurſus quod hic negat quicquam eſſe prius, non defuerunt Theologi qui dixerint, Patrem aliqua ratione Filio priorem. Jamdudum clamas, lector, quorſum hæc? Ut oſtendam de rebus divinis nihil tam circumſpecte dici poſſe, quin pateat calumniæ, ſi contingat iniquus interpres. Proinde ſatius eſſe non tam multa definire de hujuſmodi rebus, quas nec aſſequitur intellectus humanus, nec exprimit ſermo. Præſtat venerari quædam, quam ſcrutari. Dubium non eſt quin & hodie multa de divina natura ignoret Eccleſia, cui ſatis eſt quod ea novit quæ docet ſacra Scriptura, quæque ad ſalutis neceſſitatem pertinent. Ego ſi quid habuiſſem auctoritatis in illis Synodis, in quibus de orbis concordia tractabatur, ſuaſiſſem præſtare, neſcire quid ſibi vellet *homuſii* & *homœuſii* verbum in Perſonis divinis, quam tanto rerum tumultu vel tueri vel impugnare. Sed hæc omnia adverſus *Leum* dicta ſunt, non pro *Arrianis*, quorum omnis hæreſis ſic eſt exploſa, ut non alia magis, nec eſt periculum ne quis illam inſtauret. Nam aliunde nunc eſt periculum Eccleſiæ, ſi tamen ullum eſt periculum.

AD TITVM.

AD XXIII.

Tit. II. MAGNI *Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Cum oſtendiſſem hunc locum bifariam legi poſſe, conjunctim ac diviſim: ſi conjunctim legas, *magni* & *Salvatoris*, utrumque referetur ad *Chriſtum:* ſin diviſim, *magni Dei* referetur ad Patrem, *Salvatoris* ad *Chriſtum*. Neque diffiteor, *Hieronymum* & *Chryſoſtomum*, & hujus ſequacem *Theophylactum*, ſic interpretari, ut utrumque tribuant *Chriſto*, velut exſultantes adverſus *Arrianos* ceu victores, cum locus plane ſit anceps, imo magis pro illis faciat quam pro nobis. Hîc *Leus* docet non poſſe referri alio quam ad *Chriſtum*, hoc videlicet argumento, quod de adventu *Chriſti* frequenter legamus, de adventu Patris nuſquam. Ut hoc largiamur *Leo*, non alibi legi de adventu Patris, tamen ipſe ſermo nihil prohibet, quin diviſim intellectus poſſit, quod ad priorem partem attinet, accipi de Patre. Atque ita ſane interpretatur *Ambroſius*, cujus verba, ſi quis forte mihi diffidit, ſubſcribam: *Hanc eſſe dicit beatam ſpem credentium, qui exſpectant adventum gloriæ magni Dei, quod revelare habet judice* Chriſto, *in quo Dei Patris videbitur poteſtas & gloria, ut fidei ſuæ præmium conſequantur. Ad hoc enim redemit nos* Chriſtus, *ut puram vitam ſectantes, repleti bonis operibus, regni Dei hæredes eſſe poſſimus.* Hactenus *Ambroſius*. An non hic palam dicit Patrem declaraturum gloriam & poteſtatem ſuam judice *Chriſto*? Nec hîc ſimpliciter nominatur adventus Patris, ſed *adventus gloriæ*, ut *adventus* non proprie pertineat ad Patrem, ſed ad gloriam. Adveniet ipſe *Chriſtus*, ſed cum gloria & majeſtate Patris. Interim tempus eſt humilitatis, tunc erit tempus gloriæ, quam interim exſpectamus. Ea tum demum adveniet, cum aperietur gloria magni Dei Patris, & Servatoris noſtri *Jeſu*. At ſecus, inquit, interpretatur *Hieronymus*. Scio, ſed violentior in tractandis Scripturis, quoties dimicat adverſus hæreticos, id quod *Leus* alicubi ſibi voluit prodeſſe, cum *Petri* locum ſecus interpretaretur quam ego ex *Hieronymi* ſententia fuiſſem interpretatus. Mihi certe ſatis eſt locum hunc ſecus enarrari poſſe, ac meo judicio non aliud ſenſit *Paulus*, quam quod interpretatur *Ambroſius*. Qui ſcripſit ſcholia in Epiſtolas *Pauli*, neſcio quem ſequutus, *magni Dei*, refert ad Spiritum. Porro cum negari non poſſit ſermonem eſſe ancipitem, citius hinc *Arriani* caperent anſam, ut dicant *Chriſtum* Patre minorem, quod *Paulus* Patrem magnum appellet, Filium nec Deum, nec magnum Deum appellet. Sed donemus in lectione nihil eſſe amphibologiæ, num continuo evicerimus Filium eſſe Patri æqualem, ſi conſtiterit eſſe Deum, & magnum Deum? Deum non negant *Arriani*, neque Deus eſſe poteſt quin magnus ſit, nihil tamen vetet alterum eſſe majorem, qui ſic magnus eſt, ut illo nihil ſit majus. Nec aliud tamen adferunt argumentum *Chryſoſtomus* & *Hieronymus*, qui velut evicta re clamat: *Ubi eſt ſerpens* Arrius? *ubi* Eunomius *coluber? Chryſoſtomus* ex hoc colligit *Chriſtum* non minorem eſſe Patre, quod non per comparationem, ſed abſolute dicatur magnus. Nec his diverſa tradit *Theophylactus*. Faveo noſtræ victoriæ, ſed ante triumphum videndum erat quid ſtatim objicere poſſit adverſarius. Hæc dicta ſint non ut patrociner *Arrianis*, quorum ut admiror doctrinam, ita deteſtor impietatem, ſed ut *Lei* calumnias depellam.

AD XXIV.

QVI *ſolvit Jeſum*. Hîc ſimpliciter oſtendi, quid eſſet in Græcis codicibus, nec approbans quicquam, nec improbans. Nam Græci legunt hunc in modum, ὃς μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, id eſt, *qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe*. *Leus* oſtendit ex Hiſtoria Tripartita, locum hunc ab hæreticis quibuſdam fuiſſe vitiatum, neque Librum interim indicans, neque Caput, ut videatur ab alio quopiam admonitus hoc adjeciſſe. Et accipio quod adfert hiſtoria, ſed ita, ut mihi non ſit neceſſe credere, niſi commodum fuerit. Nam de vitiatis libris frequenter utraque pars alteri ſolet objicere. Certe quod habent Græci codices, magis congruit cum ſtylo *Joannis* Euangeliſtæ, cui peculiare eſt, contrariam ſententiam accinere priori, quo magis infigat animis quod dixit. Quod genus ſunt illa: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui vero non credit filio, mendacem facit eum* &c. Ac mox: *Qui habet Filium Dei, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Qui confitetur, ex Deo eſt: qui non confitetur, ex Deo non eſt*. Sit enim hoc exempli gratia poſitum, cum totius hujus Euangeliſtæ ſermo plenus ſit hujuſmodi figuris. Jam ut demus, *Qui ſolvit Jeſum*, fuiſſe ſcriptum à *Joanne*, an his verbis continuo refutatur error eorum qui dicebant, *Chriſtum* eſſe purum hominem? Æque ad illos pertinebat, qui negabant *Chriſto* eſſe animam humanam, atque ita negabant verum fuiſſe hominem, ſed ajebant, Deum corpore indutum. Si quid reperiſſem apud Græcos quod cum noſtra conſenſiſſet Editione, id ſequi maluiſſem: nunc quia non reperi, tantum admonui quid eſſet mutatum. Atque ego juxta ſenſum animi mei, judico germanam eſſe lectionem, quam habent Græci. Quod tamen nullo meo periculo dictum velim: nam meum ſenſum Eccleſiæ judicio ſubmitto. Non eſt uſqueadeo gravis auctoritas ejus Hiſtoriæ, ut ex hujus fide nobis certo liqueat, quid hîc ſcripſerit *Joannes*. Certe negari non poteſt, *Cyprianum* hunc juxta Græcos codices adducere locum libro adverſus Judæos ſecundo, Cap. VII. *Omni ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt: qui autem negat eum in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed de Antichriſti ſpiritu.* Quod ſi *Leus* diffidit Editioni noſtræ, conſulat alias, & ſi ſecus illic repererit, clamitet me falſarium. Apud *Auguſtinum* in Homiliis, quibus enarrat hanc Epiſtolam, in contextu qui præfertur, adducitur hic locus quemadmodum legunt Græci & ſanctus *Cyprianus*. Et tamen in fine interpretatur & hoc, *omnis ſpiritus qui ſolvit Chriſtum, non eſt ex Deo:* ut appareat hanc particulam fuiſſe tertiam in illius codice, *omnis qui confitetur, omnis qui non confitetur, omnis qui ſolvit*. Aut certe tum temporis ancipitem fuiſſe lectionem Eccleſiaſticam,

Digitized by Google

& utramque *Auguſtinum* voluiſſe interpretari. Neſcio quid ſibi velit quod *Leus* recenſens *Epiphanii* verba, legit hunc in modum: *Omnino ſpiritus qui ſolvit Deum, ex Deo non eſt.* An hîc non veritus eſt mutare ſacram lectionem; præſertim unde putat hæreticos refelli? An hîc non venit illi in mentem terribilis illa lex, qua me tam inclementer ſtringit tota diſputatione? Quid hîc prætexet *Leus?* Codicem depravatum unde deſcripſit? lapſum memoriæ? dormitantiam humanæ mentis? chalcographorum culpam? Sed omnem excuſationem ſibi præcludit, qui in alios tam moroſe durus eſt.

AD XXV.

1. *Ioann.* v. TRES *ſunt qui teſtimonium dant in cœlo.* Quoniam in Græcis codicibus non reperi mentionem Patris, Verbi, & Spiritus Sancti, duobus verbis admonueram quid in noſtris codicibus abundaret, nec approbans, nec improbans quicquam. Objicit *Leus Vallam*, qui, vir alioqui diligens, hujus rei non meminerit, haud dubium quin admoniturus, ſi quid comperiſſet diſſidere. Non hîc reſpondebo, *Laurentium* hominem fuiſſe, ac fieri potuiſſe, ut illum aliquid ſuffugerit: tantum illud dicam, mihi diverſis temporibus plura fuiſſe Exemplaria quam ſeptem, nec in ullo horum repertum, quod in noſtris legitur. Quod ſi mihi contigiſſet unum Exemplar, in quo fuiſſet quod nos legimus, nimirum illinc adjeciſſem quod in cæteris aberat. Id quia non contigit, quod ſolum licuit feci, indicavi quid in Græcis codicibus minus eſſet. Porro quod *Hieronymus* in Præfatione ſua teſtatur hunc locum ab hæreticis depravatum, ſi velim uti jure meo, poſſem appellare ab *Hieronymi* auctoritate, quod *Leus* facit quoties ipſi commodum eſt. Et certe in hujuſmodi rebus vir ille ſanctiſſimus ſatis eſt ardens ac vehemens, ne dicam violentus, aſſeverans interdum tanquam compertum, quod non perinde certum eſt atque ille vult videri. Nonnunquam pugnans cum adverſario abutitur lectione, quam aliàs improbat: velut illud, *diviſa eſt mulier & virgo:* alicubi diverſum aſſeverans ei, quod alibi confirmarat, ſermonem ſuum ad rem præſentem accommodans. Idem multa reſecuit à canone Hebræorum, multa ut fabuloſa, ut ſubditicia notavit obeliſco, quæ nunc Eccleſia ſine diſcrimine legit: veluti fabulam *Beli* draconis, hiſtoriam *Suſannæ* liberatæ, duos poſtremos libros *Eſdræ*, quorum argumentum ille ſomnia vocat. Nec veritus eſt veru præfixo jugulare Hymnum trium puerorum, quem ſolenniter & aſſidue decantat Eccleſia. Si non credimus illi in tam multis amputatis, an prodigioſum ſit, ſi diffidamus illi hîc addenti nonnihil? Quanquam verum non eſt quod ait *Leus*, auctore *Hieronymo* locum hunc ab hæreticis fuiſſe depravatum: ſed hoc ipſe depravate narrat, ut alia pleraque, quo mihi apud imperitos harum technarum, plus conciliet invidiæ. *Hieronymus* queritur has Epiſtolas à diverſis fuiſſe verſas, & horum Editiones inter ſe non conſentire, ex quo colligit non eſſe verum, quod inter ſe pugnat. Quod ſi vertiſſent illi quod ſcriptum erat ab auctoribus Epiſtolarum, neque nos torqueret ambiguitas, nec ſermonis varietas fidem & auctoritatem elevaret. Atqui cum fateatur *Hieronymus* aberratum in his Epiſtolis à veritate germanæ ſcripturæ, quonam argumento comperit ipſe germanum eſſe quod reſtituit? Conjicere licet, illius temporibus Eccleſiam fere totam ſecus legiſſe quam legendum eſſe contendit *Hieronymus:* alioqui locum non habebunt illa quæ ſequuntur, *Sed tu virgo Chriſti* Euſtochium *dum à me impenſius Scripturæ veritatem inquiris, meam quodammodo ſenectutem invidorum dentibus corrodendam exponis, qui me falſarium corruptoremque ſacrarum pronuntiant Scripturarum.* Qua fronte clamaſſent eum falſarium, niſi publicam lectionem mutaſſet? Porro cùm certum ſit Exemplaria variaſſe, neque certum eſt argumentum hoc eſſe ſcriptum ab Apoſtolo, quod addit *Hieronymus*, quid eſt quod hîc vociferetur *Leus* adverſum me, qui noſtram lectionem non improbo, ſed ut eſt relinquo? Tantum illud verto quod apud Græcos reperio, & quod apud Græcos reperitur, *Hieronymus* teſtatur olim fuiſſe in codicibus Latinis, quorum tunc erat uſus publicus. Si in nullo codice deeſſet, quod indicat deeſſe *Hieronymus*, videri poterat finxiſſe quod ait: nunc res ipſa docet illum vera loquutum. Porro quod apud *Hieronymum* legimus, *in qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe à fidei veritate comperimus*, conſideret prudens lector, an legendum ſit, *etiam à fidelibus translatoribus*, ut ſenſus ſit, interpretes in aliis bonæ fidei, hîc tamen aberraſſe. Ac ne *Leus* putet hanc partem à nullo prætermiſſam præterquam ab hæreticis, ſciat *Cyrillum* in opere, cui titulum fecit *Theſauro* lib. XIV. Cap. penultimo, congeſtis pluribus teſtimoniis adverſus *Arrianos*, hunc quoque locum adducere, ſed omiſſa parte, quam nos hactenus in Græcis codicibus non reperimus. An putandum eſt eum hoc telum omiſſurum fuiſſe, ſi credidiſſet ab Apoſtolo ſcriptum quod affirmat *Hieronymus?* Ipſa *Cyrilli* verba ſubſcribam, ſi quis mihi diffidet: *Rurſum*, inquit, *Joannes in eadem Epiſtola ait: Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quia Jeſus eſt Filius Dei? Hic venit per aquam & ſanguinem & Spiritum Jeſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine, & Spiritus eſt qui teſtimonium perhibet: Spiritus enim veritas eſt. Quia tres ſunt qui teſtimonium perhibent, Spiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* Adverte rurſus diligenter, quia hic etiam veritatis prædicator Deum verum de Deo vero Spiritum Sanctum naturaliter eſſe docet. Nam cum dixiſſet Spiritum eſſe qui teſtimonium perhibet, poſt pauca ſtatim addidit, quod teſtimonium Dei majus eſt. Quomodo igitur creatura erit Spiritus Sanctus, qui non aliter quam Pater, Deus ab Apoſtolis appellatur? Ex his, opinor, ſatis perſpicuum eſt, in codice *Cyrilli* non fuiſſe teſtimonium trium in cœlo, Patris, Verbi, & Spiritus. Ad hæc *Beda* locum hunc diligenter enarrans, cum accurate multiſque verbis exponat teſtimonium triplex in terra, nullam mentionem facit teſtimonii in cœlo, Patris, Verbi, & Spiritus. Nec huic tamen viro defuit vel Linguarum peritia, vel in obſervandis antiquis Exemplaribus diligentia. Imo ne hoc quidem addit, *in terra*, tantum legit, *Tres ſunt qui teſtimonium dant.* In codice, qui mihi præbitus eſt ex Bibliotheca *Minorum Antuerpienſium*, manu recentiore erat adſcriptum in margine ſcholium, de teſtimonio Patris, Verbi, & Spiritus. Rei ſummam habes, lector.

Nunc mihi vide quam atrocem tragœdiam hinc ſuſcitat *Leus*, veluti nactus argumentum, in quo tubam illam Ἀληπτῦς intendat ſummis viribus: *Jam*, inquit, *ſecum reputet lector Chriſtianus, an fas ſit oracula putare, quæ Græci codices habent. Ut demus eſſe certum, quod affirmat Hieronymus.* Sic ille. Ut donemus quod ait *Leus*, hunc locum ab hæreticis depravatum, quis unquam dixit Græcis codicibus fidendum ut oraculis? Cum toties aliud teſter, quorſum attinet hæc tam abſurda ingerere, & verbis nihil ad rem facientibus movere ſeditionem, ac veluti claſſicum canere? Docuiſſe ſe dicit ex *Epiphanio*, decurtatam eſſe *Joannis* Epiſtolam. Hic rurſus ex *Hieronymo* nonnihil omiſſum ab hæreticis: *Et utrumque*, inquit, *hunc locum ab hæreticis depravatum, probet nobis Exemplar* Eraſmicum, *tum in priore, tum in poſteriore Editione.* Quid ego audio? an mea ſunt Exemplaria omnia, quibus ſum uſus in hoc opere? An illa tantum mea ſunt, quæ *Leus* dicit eſſe depravata? Quid ſi comperiatur eadem lectio in Exemplari Bibliothecæ Pontificiæ? An in Pontificis Exemplar detonabit *Leus?* At fingat jam *Leus*, ſibi à ſummo Pontifice datum negotium, ut quod illic Græce legitur, bona fide reddat Latine, an ſecus vertet quam ego verti? An de ſuo ſarciet quod deeſt in Exemplari? Verùm hîc ſummus Pontifex fidem illius deſiderabit, qui ſit uſus ab Exemplari præſcripto diſcedere. Neque enim me profiteor judicem Græcorum voluminum, ſed interpretem. Nec his contentus

tus animus *Lei*, ſubjicit his etiam virulentiora: *Ut non ſatis mirer*, inquit, *illum in tale Exemplar incidiſſe, & ſic jam bis emiſiſſe inconſultis (ut par eſt putare) aliis Exemplaribus (quanquam impium quiddam ſapit in dogmatibus tam ſacris, tamque venerandis, & in locis fidei tam neceſſariis, tanta ſupinitas, ne dicam, diſſimulatio) ſi quid ſecus haberent cætera Exemplaria.* Primum ſic agit *Leus*, quaſi mihi non fuerit niſi unicum Exemplar, cum tam multis ſim uſus, primum in *Anglia*, mox in *Brabantia*, poſtremo *Baſileæ* non ſemel, quaſique unicum illum codicem mendoſum ſequutus, cætèros non conſuluerim: ſed hîc addit, *ut putare par eſt.* An non hîc plane præſtat, quod in Præfatione pollicitus eſt, ſe fore ſycophantam in libris alienis? Cum hac in re nec ſumtui pepercerim, nec valetudini, qua conjectura ſuſpicandum eſt, me unico Exemplari fiſum cætera non conſuluiſſe? Quid dici potuit magis ſycophanticum? Et quæ eſt iſta tanta ſupinitas, quæ impium quiddam ſapit, ſi non conſului codices, quorum mihi non potuit eſſe copia? Certe quot potui congeſſi. Proferat *Leus* codicem Græcum, qui ſcriptum habeat, quod Editio mea non habet, & doceat ejus codicis mihi fuiſſe copiam, ac poſtea ſupinitatem mihi impingat in ſacris dogmatis. Quod ſi non poteſt, vides, lector, quid illi poſſit impingi. Nec his adhuc contentum virulentum hominis ingenium, addit, *ne dicam diſſimulatio.* Cur hîc diſſimularem, qui toto opere non diſſimulo, ſi quid diſſideant Græci, aut ſi quid parum probatur etiam apud illos? His convitiis quid aliud efficit *Leus*, quam ut pus animi ſui declaret? Quod ſi maxime fuiſſet codex qui habuiſſet, quod non habent quos ego viderim, cur potius ſuſpicetur me perverſo ſtudio diſſimulaſſe, quam dormitaſſe? An illud ago toto hoc labore meo, ut quæ faciant contra hæreticos omittam? Quis adeo furioſus eſt, ut id de me ſuſpicetur? At non meminit *Laurentius*, fateor: & fieri poterat ut non animadverterit: fieri potuit ut illius codex habuerit, quod mei non habebant. An ideo ſum impius, quod mihi non ſit omnium codicum copia? *Vallam* ſublevat, quod homo pius Græcorum codicum errata diſſimularit, & ſi quid defuit, ex Latinis adjecerit, ne fidem elevaret Græcorum Exemplarium. At ego puto, ſi vivat *Laurentius*, patrocinium hoc *Lei* manibus ac pedibus repulſurum. Cur hîc putetur hoc feciſſe, cum tot locis noſtram damnet lectionem, etiam cum convitio? Quam ne faciem quidem habent veri, quæ nugatur hoc loco *Leus*.

Verùm ne nimium tibi moleſtus ſim, lector, recenſendis illius næniis, rem in compendium conferam. Oſtendit ingens eſſe periculum, ne *Arrianorum* hæreſis rurſus caput erigat, ſi ſenſerint quidam hanc particulam omiſſam, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.* Cum nulla ſit hæreſis magis exſtincta, quam *Arrianorum*, mirum unde ſic metuat *Leus*. Sed fingamus reviviſcere *Arrianos*, an ob unum hunc locum obmuteſcent? An non ſunt alia loca permulta, quibus poſſint revinci? Sed quid profuerat, ſi ego diſſimulaſſem ſic eſſe in libris Græcis, cum ipſi Græci codices declarent id quod res eſt? Quod ſi prorſus diſſimulandum erat, cur orbi prodidit *Hieronymus*, pleroſque codices etiam Latinos hanc particulam non habuiſſe? Videlicet debebat tacitus addere, atque ità lectorem fallere. At reſponderet *Hieronymus*, *fruſtra diſſimulaſſem, quod nemo neſciebat.* Idem à me reſponderi poteſt: Ut ego voluerim diſſimulare, qui Græce norunt deprehendiſſent technam meam. Et Græciſſant nunc plerique, paulo poſt nullus inter litteratos numerabitur, qui Græce neſciat, quantumvis etiamnum reclament ſeniculi quidam, qui mordicus tuentur veterem ſuam ſalivam, ac vappam cui aſſueverunt. An ſtatim hoc loco prolato obſtruetur os *Arrianis*, adeo ut ne ſibilare quidem ulterius audeant, quemadmodum putat *Leus?* An hîc nullo negotio vicerimus? an nullus ſupererit angulus quo divertant? Primum, dicere poterunt, locum hunc à nobis vitiatum.

Sed hîc *Leus* protinus objiciet eis auctorem *Hieronymum*. Eum illi negligent, fortaſſis illo doctiores & inſtructiores. Nec enim ulla fuit factio peritior ſacrarum Litterarum, quam fuit *Arrianorum*, in hoc ſuum præceptorem *Origenem* referentium, quam ego ſic devictam gaudeo, ut libros tamen velim eruditionis gratia ſupereſſe. Deinde an ex Euangelio *Joannis*, Filium eſſe Patri ὁμόσιον cogentur fateri, quia *Chriſtus* dixerit, *ego & Pater unum ſumus?* An non illico poterunt tergiverſari, de conſenſu dictum eſſe, non de eadem eſſentia? Et quo videantur dicere probabilius, adducent illud ex ejuſdem Euangeliſtæ Cap. XVII. *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi ut ſint unum, ſicut & nos.* An nos ita ſumus unum, ſicut Filius unum eſt cum Patre? Ac paulo poſt: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Puto autem non obſcurum, quin hîc loquatur de conſenſu, præſertim cum præceſſerit: *Sermo tuus veritas eſt: ſicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum.* Vides hîc agi de conſenſu prædicationis. Sequitur aliquanto poſt: *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, ut cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti.* Cur in una parte *Auguſtinus*, cumque hoc alii complures, interpretantur unum eſſe conſenſum fidei, in altera eandem eſſentiam? Qua ratione dictum eſt, credentium fuiſſe cor unum, & animam unam, ita Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum dici poſſunt, & dicuntur. Non hîc patrocinor *Arrio*, ſed rejicio *Lei* calumniam. *Paulus* cum ſcribit *Galatis*, *Omnes vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*, non loquitur de ſubſtantia, ſed conſortio gratiæ. Rurſum *Romanis* ſcribens: *Qui plantat & qui rigat, unum ſunt:* æqualitatem functionis ſignificat, non eandem ſubſtantiam. Jam ad revincendos *Arrianos* non ſatis eſſet, unum pertinere ad eandem ſpecie ſubſtantiam, niſi doceatur eadem numero, & unice ſingularis indicari ſubſtantia. Quibus de rebus *Auguſtinus* diſputans adverſus *Maximinum* Lib. III. Cap. XXII. non admodum ſolerter explicat ſeſe. Jam quemadmodum elaberentur ex eo loco *Joannis*, eadem ratione eluderent hunc locum, in quo fit mentio teſtimoniorum. Nihil autem æque confirmat auctoritatem teſtimonii, ut conſenſus. Itaque conſentiunt in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis. An hæc tria ſunt unum, ſicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum ſunt? Nemo dicit, opinor, ſed teſtimonii conſenſu ſunt unum: ita Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus ſunt unum. Pater teſtatur de Filio, Filius nihil docet niſi quod accepit à Patre, Spiritus Sanctus accipit de Filio, quod ſuggerit Apoſtolis. Hæc cum probabiliter etiam dici poſſint ab *Arrianis*, quemadmodum dicuntur à *Maximino* quædam hujus generis, quomodo *Leus* affirmat non fore, quod vel ſibilent *Arriani*, hoc loco incolumi? Ut ne quid interim arguter, in cœlo nihil opus teſtimonio, ubi nemo diffidit: tum hunc totum locum involutum eſſe tropis, ut interpretatione quivis elabi poſſit, ſi velit eſſe contentioſus. Non hæc dixerim, quod nolim his locis non eſſe pondus adverſus hæreticos, ſed quod nolim rem eo periculi redigi, ut hoc loco mutato non poſſint illi redargui. Ego ob hoc potiſſimum credo Filium eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre, quod ſic interpretetur Eccleſia, æque creditурus, etiamſi hic locus ſecus haberet apud nos quam habet.

Jam altera hæreſis cum ſit adeo ſepulta, ut ni mentio fieret in noſtris libris, nemo ſuſpicaretur fuiſſe qui talia ſomniaſſent, *Leus* ſic eſt ſollicitus, ut ni ſuperior locus ex *Epiphanio* fuiſſet reſtitutus, non ſit quo poſſint illi revinci. Proinde ſi *Leo* credimus, vincent *Carpocratiani*, ſi mentitus ſit *Epiphanius*, qui ſolus ſcripſit eum locum fuiſſe depravatum: quaſi vero non ſatis aperte dixerit *Joannes* in Euangelio, *Et Deus erat verbum*, etiamſi hic locus non opitularetur, qui & ſuſpectus eſt, & ſubobſcurus. Nobis hoc teſtimonio

Digitized by Google

non eſt opus, quibus perſuaſiſſimum eſt, *Chriſtum* & Deum eſſe, & hominem. *Carpocratiani* citabunt eam lectionem, quæ pro ipſis facit, & talem fuiſſe docet *Epiphanius:* depravatum fuiſſe locum negabunt. Sed nihil horum ex animo ſcribit *Leus:* non adeo cæcutit, quin videat hinc Eccleſiæ nihil eſſe periculi, cum noſtra translatio non ſit Eccleſiaſtica, etiamſi illuſtrat & emendat Eccleſiaſticam: neque ſic proponatur, ut illi fidamus, niſi perſuaſerint alia argumenta, quod plus vicies dictum, tamen *Leo* ſurdo dicitur: verùm hæc exaggerat, quo mihi moveat odium ac ſeditionem, qui fuit unicus illi ſcopus, cum hoc laboris ſuſciperet. Nunc audiamus tubam illius ſeditioſam, qua conatur orbem ad tumultum concitare, non alia re fretus quam quorundam ſtoliditate, & odio cæco, deinde quod intelligit paucis otium futurum ut hæc legant: aut ſi legerint, non vacaturum ut legant attente. Donet illi Deus ut aliquando habeat tantum ingenii ad benefaciendum, quantum apparet illi eſſe mentis ad nocendum: & tantum illi contingat venæ ad benedicendum, quantum valere videtur ad maledicendum. Sed nunc audiamus ipſum ſua verba ſonantem: *Et nunquid*, inquit, *putas hîc bis triumphaturos hæreticos, tum quod tam inſignibus contra ſe teſtimoniis liberèntur, tum quod fas arbitrabuntur in nos retorquere crimen, quod ſacræ Scripturæ per nos vitiatæ ſint, quodque impoſturis ac ſycophantiis contra ſe hactenus certatum ſit.* Primum, quis liberat hæreticos his inſignibus teſtimoniis? Nonne manet Eccleſiæ ſua lectio? An fidei prora & puppis in hoc periclitatur, ſi reſciſcant hæretici eſſe diverſam lectionem? At illos hoc docuit. *Hieronymus* & *Epiphanius:* docent hoc libri Græci, quos expediebat exuri, ſi tantum erat periculi. An bis triumphabunt hæretici, ſublato duorum horum locorum præſidio? At ego ne ſemel quidem arbitror triumphaturos, etiamſi tota hæc Epiſtola intercidiſſet. At quos tandem hæreticos mihi narrat *Leus?* nimirum eos, quorum præter nomen nihil exſtat: horum umbras uſque adeo metuit homo formidoloſus, ubi nihil opus. Quod ſi hæretici calumniabuntur Scripturas à nobis vitiatas, an mihi hoc imputandum cenſet? Si vitiatæ non ſunt, poterunt ipſi vitiare ſuo commodo. Jam ſi ſemel collabitur omnis auctoritas Scripturæ uno aut altero loco vitiato, quantum eſt periculi quod paſſim libri noſtri tot mendis ſcatent? Nullus hæreticorum uſque adeo caruit fronte, ut ob unum locum depravatum abrogarit fidem cæteris omnibus. Sed pergit *Leus: At hoc*, inquit, *contra nos citabunt hos Græcos codices, quibus ſi fidem faciat celebris auctoris fama, qui eos emiſit, malim alios prædivinare quid inde eveniet, quam ut ego dicam. Certe nimis quam timeo futurum formidabile ſchiſma in Eccleſia Dei: timeo ne iterum incidamus in* Arrianica *illa tempora, & nunquam ſatis deflendam Eccleſiæ ſanctæ diſcordiam. Sæpe fit, ut nova ceu ſacra amplectamur, & judicium non ex rerum dignitate, ſed ex auctoris titulo expendamus. Quod ſi hîc fiet, quid non ſequetur tumultuum, quid non factionum, quid non rixarum, quid non tempeſtatum? Nam ea eſt auctoris exiſtimatio, ut quidvis ab aliquot etiam non infimatibus, vel auctoritate impetrare poſſit, ut omittam flumen illud eloquentiæ, quo vel hoſti perſuadere ſolet, & nonnullos video vel ſolo nominis illius lenocinio captos, ut nihil præterea ſpectent, niſi quod is dixerit, hoc ſatis fore rati, ut velut oraculo blandiantur ſibi.* Hæc ſi crederem *Leo* ſcribi ex animo, precarer homini fidum medicum: nunc arte ſcribuntur hæc omnia in gratiam quorundam, qui ſibi ſtultiſſime perſuaſerunt, ſe non fore ſatis magni nominis, ſi novum hoc ſtudiorum genus invaluerit adverſus veteris inſcitiæ patronos, & in odium mei, quem ſibi jam olim delegit, qui cum conflictatus ſubito innoteſcat orbi. Obſecro, quæ res tantum mare malorum nobis invehet, tot ſchiſmata, tot hæreſes, tot tumultus, tot tempeſtates, tot naufragia? An quod prodeunt Græci codices? eoſdem edidit *Aldus.* An quod oſtenderim illos à noſtris alicubi diſſonare? id ante me prodidit *Laurentius.* An quod Græcum verterim? id ante me fecit *Jacobus Faber.* Jam pluſquam tres anni ſunt, quod Novum Teſtamentum à me recognitum verſatur in manibus hominum: quid unquam hinc natum eſt tumultus? Multi fatentur ſe non mediocriter profeciſſe noſtro labore, profecit & *Leus* non minime, licet ſedulo diſſimulet homo hominum qui vivunt gratiſſimus. Summus Pontifex collaudavit induſtriam, collaudant optimi & doctiſſimi quique: collaudavit pleno ore felicis memoriæ *Joannes Atenſis*, quondam hujus Academiæ Vicecancellarius. Nullus exſtitit tumultus, niſi quod ſtolidi quidam nullo judicio, ſed cæco odio bonarum litterarum, neſcio quid blaterarunt apud indoctos, ſed adeo ſtupide, ut ipſis etiam idiotis paulo cordatioribus ſint deridiculi. Sed veretur *Leus* ne mea auctoritas imponat multis. Ego nec unquam arrogavi mihi ullam auctoritatem, nec habeo quam mihi *Leus* arte tribuit, quo me gravius premat in cauſa. Sed fingat eſſe maximam, quid periculi? An ſtatim adorabunt quicquid eſt in Græcorum codicibus? Si mihi fidem habent, non uſquequaque fident illis, quod ego toties veto fieri. Proinde auctoritas, quam mihi tribuit *Leus*, efficiet ne quis ſtatim amplectatur pro oraculo quod in Græcis codicibus repererit. Simili conſilio verbis attollit admirabilem illam meam eloquentiam, qua ſoleam vel hoſti perſuadere quidlibet. Quid? an ſignificat me hanc verſurum in perniciem religionis Chriſtianæ? Quod ſi ea utor in gloriam *Chriſti*, quid metuendum ab hoc flumine, quod mihi ficte tribuit *Leus?* nec alio prorſus animo, quam olim *Creſconius* eam tribuit *Auguſtino.* Si perſuadeo quicquid volo, perſuaſum eſſe oportet, hanc Editionem noſtram cum judicio legendam eſſe, neque protinus damnandam vulgatam lectionem, ſicubi Græci diſſentiunt codices. Hoc ſi perſuaſum eſt, & ſi hoc credunt, qui mihi tantum tribuunt quantum prædicat *Leus*, quæ poſſit exoriri tempeſtas? Evulgantur Hebræorum libri, in his verſatur *Leus.* Plura in illis diſſentiunt à noſtris, quam in Novo Teſtamento. Cur hîc non formidat *Leus* hæreſes, ſchiſmata, tempeſtates, tumultus, rixas, procellas, exitia, naufragia, profluvia, panolethrias, & ſi quid dici poteſt his etiam atrocius?

Sed *Leus* audiamus reliqua detonantem: *Jam viderit*, inquit, *Eccleſia, an hæc tam parva ſint ut contemni debeant. Exemplaria plus quater mille per orbem Chriſtianum diſperſa ſunt: omnia carent his teſtimoniis, quibus habet Scriptura nulla vel ſanctiora, vel magis neceſſaria: ut taceam cæteros locos, quos ſparſim annotavimus, in Græcis pejus habere quam in Latinis Exemplaribus.* Hactenus *Leus.* Cum *Frobenius* non ediderit ultra ter mille volumina, trecenta, *Leus* facit plura quatuor millibus. Sed eſto, vulgata ſint ſex millia, quid tum poſtea? Sed in his omnibus abſunt ea teſtimonia. Eſto, quid deinde? Nihil aliud, quam quod intelligent homines, in pleriſque Græcorum codicibus illa non addi. Sed in ſexcentis millibus Latinorum habentur illa addita. Jam quod his duobus locis negat ulla eſſe vel ſanctiora, vel magis neceſſaria, videat ne non ſine injuria Euangeliorum & *Paulinarum* Epiſtolarum hoc dixerit. Toties autem inculcat eſſe locos, qui pejus habeant in Græcis quam in noſtris codicibus. Ut donemus aliquot eſſe, cur non numerat innumeros locos, qui melius habent apud Græcos quam apud nos? At proſequitur *Leus* ſeditioſam hanc concionem: *Et tamen*, inquit, *ut hæc nova pra veteribus in pretio ac delitiis habeantur, cum alia, tum illud in primis efficiet, quod nova acceſſerit orationis facies, & ſermonis nitor, & velut* Eraſmica *quædam mundicies. Siquidem hoc lucri reputabunt feciſſe ſe, qui contemtis veteribus Exemplaribus, his novis inhærebunt, quod cum multas ſermonis ſordes evaſerint, tum in hoc puro & caſto dicendi genere plurimum profecerint.* Hactenus *Lei* verba. Cum in vertendo Novo Teſtamento nihil admiſcuerimus fuci, ſed Euangelici Apoſtolicique

Digitized by Google

que ſermonis ſimplicitatem ſervaverimus, quis eſt iſte nitor, qui efficiat ut præ noſtris contemnant vetera? Fortaſſis ut conferant efficiet ſermo paulo minus ſolœcus. Denique quid incommodi ſit, ſi ſacra Scriptura careat ſermonis vitiis? Si totum periculum pendet à duobus aut tribus locis, poterunt hi Pontificis auctoritate mutari: nos tantum hoc dedimus, quod apud Græcos reperimus. Sed indicat *Leus* aliud periculum, homo periculorum plenus: *Jampridem*, inquit, *invaſit animos hominum opinio, ut ſi quid ſecus habeant Græci codices quam noſtri, à Græcis protinus codicibus ſtetur contra noſtros.* Hæc *Leus*. Imo diverſa opinio jam olim habet hominum animos, ſuſpectum eſſe quicquid legitur in Græcis codicibus. Et nos id ſedulo cavimus, ne quis illico fretus Græcis Exemplaribus pronutiet adverſus noſtra. Sed quod cœpit eodem tenore proſequitur *Leus*: *Hîc*, inquit, *ſi accedat typographorum cupiditas, qui vel modici lucelli gratia, qua vident hominum propenſa ſtudia, illuc ferantur, ut nihil non ex officinis ſuis audeant promulgare, propediem fiet, ut nulla è pralis ſuis orbi daturi ſint Exemplaria niſi iſta, quando multo maximam doctorum & indoctorum partem, alium alio nomine, iſtis Exemplaribus viderint inhiantem. Et quis librum tam avide amplectitur, quem nolit quanto poteſt ſtudio tueri? At hunc tueri nemo poteſt, niſi ſimul detrahat veteribus libris fidem auctoritatemque.* Ad hunc modum ſeditioſulus noſter ἐκκλησιάζει. Quis non metuat jam, ne vetus translatio funditus intereat, poſteaquam bis excuſum eſt Novum Teſtamentum à me verſum ac recognitum? Nec id quiſquam eſt adhuc auſus præter unum *Frobenium*, cum innumeræ ſint hujus artis officinæ. Cum altera translatio locum habeat in Templis, in Scholis, quî fieri poterit, ut non hanc maxime formulis ſuis propagent typographi? Sed fingat *Leus*, neminem eſſe neque doctum, neque indoctum, quin noſtra verſione capiatur, quid tandem ſit periculi? Fingat quemque quod avide mercatus eſt, ſtudioſe tueri, quid tum poſtea? An continuo veteribus libris ſua decedet auctoritas? Quis autem tam ſtultus erit, qui meæ translationi plus tribuat quam ipſe tribui velim? Et tamen levius peccet quam *Leus*, qui quod rectum eſt, odioſiſſime calumniatur. Quos tandem appellat veteres libros? ante multos annos deſcriptos codices? At horum auctoritate meis fidem concilio. An omnes qui feruntur juxta veterem translationem? An his *Leus* nolit fidem detrahi, etiam ubi mendoſi ſunt, ubi vitiati, ubi perperam redditi, ubi perperam expoſiti? Poſtremo, quid accidit veteribus libris, jam annis aliquot mea translatione volitante per hominum manus? an non illis ſua conſtat auctoritas? Quod ſi hoc male habet *Leum*, quod ipſius lucubrationibus excudendis non ferveant officinæ typographorum, ſcribat tales libros, qui mereantur teri manibus hominum: nam hunc non eruditis, ſed ſtolidis & ſeditioſis quibuſdam, non hominibus, ſed ſtipitibus ſcripſiſſe videtur, qui ut nunc nulli docto placet, ita brevi & doctis & indoctis pariter diſplicebit.

Sed audiamus illum & reliqua deblaterantem: *Porro cum Deus*, inquit, *aliquot ſibi relicturus ſit ſemper, qui non curvabunt genu ante Baal, hi fortiter contra profanata ab hæreticis Exemplaria ſtabunt pro zelo domus Dei. Sic pugna erit in Eccleſia Dei: agitabitur navicula* Petri *fluctibus: orbis diſcordia miſeranda ſequetur, ut non temere timeam futurum quod* Chriſtus *prædixit tempus, quale non fuit ab initio uſque tunc.* Quem novum *Baal* nobis producit *Leus?* aut qui ſunt iſti pauci, qui non adorabunt hoc idolum? Ubi ſunt Exemplaria ab hæreticis profanata? Hæc ſtulti cerebelli ſomnia tam impudenter ingerit auribus & oculis eruditorum: de quibus videlicet peſſime ſentit, ſi putet illis hæc tam ſtulta blateramenta probatum iri. Quid aliud vociferaretur ſeditioſa mulier? Jam etiam, ſi ſuperis placet, *Leus* homo divinitus datus fulciendæ religioni Chriſtianæ, commonefacit Eccleſiam ceſſantem officii ſui, Romanum Pontificem in ſpecula ſtertentem excitat convitio. Miror autem cur non & *Chriſtum* dormientem expergefecerit, dicens cum Apoſtolis: *Domine ſerva nos, perimus.* Sed audiamus αὐτὸ τὸ θηεῖον ſua verba ſonans: *Meminerit*, inquit, *Eccleſia initiis occurrendum, ne qui fumus eſſe cœpit, fiat ignis, & talis ignis, qui non facile exſtinguetur. Meminerit ſæpe medicinam ſero parari. Ignis paulatim irrepens, tandem omnia conſumit. Proinde opus eſt, quin & tempus eſt, ut vigilet paſtor in Eccleſia. Adhuc Deo adſpirante ſatis ſpei eſt, quando nondum fumus pervenit ad flammam. Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael, ſi non dormitaverit, neque dormierit ſpeculator in Iſrael.* Hactenus dixit *Leus*. Quæ cum lego, videor mihi videre vultum illum *Lei*, ad gravitatem compoſitum, ac geſtum hominis ſibi ſuaviſſime placentis. Credas Prophetam quempiam hæc loqui, ni noſſes hominem. At quid erit quod ſibi metuat Eccleſia, quam diu tales habebit admonitores, tales conſiliarios, tales propugnatores? Sed interim non videt, quam inſigniter afficiat contumelia Romanum Pontificem, quem ut ſtertentem & oſcitantem notat. Is Opus noſtrum oraculo ſuo judicavit ad publicam Eccleſiæ Chriſtianæ utilitatem non vulgariter profecturum. *Leus* longe aliud ſentit, videlicet ſuo calculo (cui putat æquum ut Romani Pontificis judicium cedat) tale pronuntians, ut periculum ſit ne tale tempus ſit futurum, quale non fuerit ab orbe condito. Nam eruditorum judicium, qui fatentur ſe non parum lucis hauſiſſe ex hoc Opere meo, *Leus* facile contemnit præ ſe, qui ſibi tantum & ſumit & tribuit, ut admiretur neminem eſſe in orbe candidum, qui tantundem illi tribuat, quantum ipſe tribuit ſibi. Sed ſit animo bono *Leus:* non ſemper dormitabit neque dormiet ſpeculator ille in *Iſrael*, ſed hujuſmodi ſeditioſis ac furioſis libellis aliquando ſilentium imponet, occludet os ſimili ſtoliditate vociferantium apud populum, & rem ad ſeditionem ac tumultum, quod quidem in ipſis eſt, pertrahentium. Nam ſi quod incendium, ſi quis tumultus naſcetur in Eccleſia Dei, horum vitio naſcetur: nos neque ſeditionis auctores, neque malæ doctrinæ duces eſſe volumus. Quod ſi quid alicubi labimur, ut homines, nc præter animi ſententiam: certe *Lei* non erat caſtigare lapſus noſtros, qui ipſe in exiguo libello toties tam fœde labitur: aut certe non erat illius, tanto cum ſupercilio monere, vel objurgare potius, ne dicam calumniari. Impingit mihi ſtuporem, impingit inſcitiam, impingit mordacitatem. Ego novi mediocritatem ingenii mei, nec eruditionem inſignem unquam mihi arrogavi. Sed agnoſcam quicquid convitiorum in me congeſſit *Leus*, ſi in omnibus meis lucubrationibus, quas tam multas edidi, quarum nonnullæ prolixæ ſunt, nec unius voluminis, nonnullæ præcipitatæ verius quam editæ, toties delirem, toties labar, toties tota errem via, toties mihi non conſtem, toties falſo citem, toties non intelligam meum ipſius ſermonem: quoties id huic accidit in hoc exiguo libello, quem amicis auxiliantibus ante biennium adornavit, totus in hoc negotium intentus. Si ex omnibus meis ſcriptis, in quibus vel receptos errores convello, vel mores hominum taxo, vel obtrectatoribus reſpondeo, tantum comperietur convitiorum, tantum virulentiæ, tantum veneni, quantum hoc uno libello *Leus* congeſſit in caput meum. Ego tot modis odioſiſſime provocatus, eam hactenus ſervavi moderationem, ut neminem odioſius perſtrinxerim nominatim, quod tamen meo jure poteram. Quis enim æquus mihi vitio vertiſſet, ſi, quod quidam abſque perſona palam blaterarunt apud populum, ego cum auctoris titulo litteris mandaſſem? Nam ſi volebant eſſe clam quod narrabant, cur dicunt populo? Si nomen ſuum ſupprimi volebant, cur illis abſque perſona agebatur hæc fabula? Et tamen ipſe ne decimam quidem partem unquam in litteras retuli eorum, quæ non puduit iſtos in conviviis & in concionibus vociferari,

rari, nec ullius nomen adhuc expreſſi, frequenter etiam ordini parcens. Qui ſic me provocarunt, ut neceſſe foret reſpondere, tamen hos ita tractavi, ut clariores etiam redditi ſint meis apologiis. At *Leus*, primum juvenis, deinde nec Theologus, nec Epiſcopus, nec ullo publico munere fungens, ut videri poſſit officio adductus ad impetendum me, nec ea doctrina ut par eſſet hujuſmodi provinciæ: deinde nulla re laceſſitus, imo meis lucubrationibus non vulgariter adjutus, dehortantibus tot amicis, quorum nec ſtudium debebat negligere, nec judicium contemnere, nec auctoritatem pro nihilo ducere, tot ſpiculis veneno tinctis impetit nomen ac famam proximi, atque etiam amici: idque facit animo tam gladiatorio, ut ſuam ipſius mortem contemnat, modo mihi pariat exitium: & lucrum eſſe ducat, ſi ſuorum ſtudiorum jacturam faciat, dummodo efficiat, ne quid fructus ex meis laboribus redeat ad ſtudioſos. Nec aliud argumentum viſum eſt illi magis idoneum unde famam & gloriam ſuam auſpicaretur, quam ab infamando fratre & amico, beneque merito. In id cum totis nervis incumbat, tamen ut purus ac ſibi bene conſcius frequenter accedit ad ſacram *Chriſti* menſam. Fortaſſis illi ſatis eſt quod non eſt ſcortator, quod non eſt aleator, quod non eſt temulentus. An ab hoc vitiorum genere purus ſit, mea non refert: illud ſcio, Euangelicum illum: ***Relinque munus tuum apud altare***, non eſſe dictum ebrioſo, non ſcortatori aut aleatori, ſed ei cui diſſidium erat cum fratre. Si Deus non approbat pecudem, aut avem, aut aliud ſimile donum, quod datur ab eo cui cum proximo non convenit, quantum oportet abeſſe ab hujuſmodi animo, quem totus hic *Lei* liber præ ſe fert, qui paret hoc cœleſte tractare ſacrificium? Quin ille totius malitiæ princeps, humani generis hoſtis, non ab alea, non à ſcorto, non à temeto nomen habet, ſed ab eo quod unice videtur eſſe ſtudio *Leo*, nimirum διαβάλλειν. Non illi datur vitio quod ſit adulter, quod potator, quod profuſor aut nepos, ſed ſuperbus eſt, ſed invidus, ſed præſtigiator, ſed mendax, ſed delator, & adeo nocendi cupidus, ut ſuo ipſius etiam malo gaudeat lædere: qui nunquam eſt ſui ſimilior, quam cum ſe transfigurat in Angelum lucis, ac ſub prætextu pietatis invehit exitium veræ pietatis. Hæc in genere dicta ſint, ego neminem judico, ſit ſui quiſque judex.

RESPONSIONIS AD ANNOTATIONES EDVARDI LEI FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA
RESPONDENS AD EA QVAE IN NOVO TESTAMENTO TAXAVERAT
JACOBVS LOPIS STVNICA.

QVIS *leget hæc? Min' tu iſtud ais? Nemo hercule. Nemo?*
Vel duo, vel nemo.

Scio, protinus dices, optime lector, quid iſtuc novi proœmii? Nimirum hoc potiſſimum è Satyra *Perſiana* mihi veniebat in mentem, cum inſtigantibus amicis adornarem reſpondere libro *Jacobi Stunicæ*, quo taxat locos aliquot, in quibus ceſſatum putavit à nobis in Editione Novi Teſtamenti prima. Quis enim adeo feriatus eſt, ut hujuſmodi rixas libeat legere? Quod ſi nunc reperiatur unus aut alter, qui ſtudio partium his admovere velint oculos & animum, certe poſteritas hæc aut neſciet, aut contemnet. Fervebant olim *Laurentii Vallæ*, hominis (quod negari non poteſt) eruditi juxta ac facundi, cum *Poggio* digladiationes. Hujus elegantias pene ſolas habemus in manibus, neque quicquam magis hodie friget apud nos, quam in quo illi tum maxime calebant. Quoties autem contemplor animo, quam brevis ac fugax ſit hæc vita, deinde quam hujus exigua portio mihi ſuperſit, vehementer moleſtum eſt, in hujuſmodi næniis rei cum multo omnium pretioſiſſimæ, tum irreparabilis facere jacturam: ut interim omittam, quod dum hujuſmodi rixis invicem inceſſimus & inceſſimur, perit illa tranquillitas animi Chriſtiani, perit dulcedo ſtudiorum, perit & fructus bona pars, compluribus ab his ſtudiis alienatis. Ego vero *Stunicæ* gratiam etiam haberem, ſi in publicam utilitatem contuliſſet, quod à nobis eſſet prætermiſſum, aut emendaſſet in quo nos lapſi fuiſſemus, quam ad rem invitavimus etiam eruditos in Editione prima, quam ne tum quidem diſſimulavimus eſſe plus ſatis præcipitem ac tumultuariam, ſi modo ſic utilitatem hanc attuliſſet ſtudiis, ut ipſe viri modeſti, æquique laudem retuliſſet. Nunc talis eſt liber, ut ſi detrahas convitia, quibus me nunc flagellat, nunc deridet, ſi præfationes & perorationes in me detortas, ſi ſannas & ſcommata, quibus ſcurram agit verius, quam Theologum, haud multum ſuperfuturum ſit voluminis. Atque utinam *Stunica*, quiſquis eſt, non magis obtemperaſſet vel animo ſuo, vel quorundam inſtinctibus, quam prudenti pariter & amico conſilio R. D. Cardinalis *Toletani*, *Franciſci Ciſnerii*, cui noſter ſucceſſit *Gulielmus Crojus*, juvenis ſeni, ſed dignus, qui in ea dignitate conſeneſceret. Siquidem audio virum optimum, ubi vidiſſet, quæ moliebatur in me *Stunica*, dediſſe conſilium plane Chriſtianum, ut prius opus ad me mitteret, quam evulgaret: quod ſi reſponſione ſatisfacerem, magis in rem ipſius fore, premi librum quam evulgari: ſin autem reſpondere gravarer, aut proterve indocteve reſponderem, publicaret ſuas vigilias bonis avibus, meque neglecto veritati patrocinaretur. Siquidem *Stunica* cum forte reperiſſet optimum virum præ manibus habentem à nobis recognitum Novum Teſtamentum, demirari cœpit, quod talibus nugis admoveret oculos, librum ſcatere mendis ac erroribus prodigioſis. Hîc Cardinalis hominis petulantiam gravi dicto caſtigavit, ut referunt optimæ fidei quidam, qui tum Cardinali aderant, *Utinam*, inquiens, *ſic prophetent omnes: tu ſi potes, adfer meliora, ne damna alienam induſtriam.* Proinde vivo Cardinale preſſit libellum ſuum maledicum, qui utinam tum prodiſſet, non dubito quin & jejunior, & indoctior, quam nunc eſt. At ille ſtatim à morte Cardinalis typographis tradit opus, me ne per litteras quidem admonito. Non dubito quin impulſu quorundam, qui male feriati ex hujuſmodi gladiatoriis conflictationibus eruditorum inter ipſos voluptatem non minus fœdam quam crudelem capere gaudent. Neque enim mihi perſuadere poſſum, generoſos ac bene natos animos, tantum odii in quenquam poſſe concipere, à quo nunquam ſint læſi. Nam, ut apparet, *Stunica* ſeſe numerari poſtulat inter eos, qui

Digitized by Google

qui generis claritatem cum eruditionis gloria copularunt. Quod ſi gloriæ cupiditas ſtimulabat hominem, affectus non omnino pudendus, præſertim homini profano, ut arbitror, ea contigiſſet multo plauſibilior, ſi famam aufpicari maluiſſet ab opere, quod cum nullius infamia fuiſſet conjunctum, aut certe quod eruditionis eminentiam modeſtiæ commendatione condecoraſſet. Nunc quam non amica, quam atrox præfatio, quæ quot conſtat verbis, tot pene habet convitia, nuſquam non ſpirans mirum quendam *Eraſmi Batavi* contemtum. Sperabat, opinor, homo ſuavis fore, ut lector hoſpes crederet eximium aliquem heroa delapſum è cœlo, vel in hoc magis revixiſſe *Geryonem* illum pro tricorpore trilinguem, qui magis contemneret *Eraſmum*, quam culicem Elephantus *Indicus*, non animadvertens interim, longe facilius eſſe contemnere quam vincere, ridere quam refellere. Quid alii mihi tribuant, nobis in manu non eſt, certe mihi quam minimum ſumo. Quid poſſim, libris declaravi, fruſtra nitar, ſi ſtudeam alius haberi quam ſum. Ego ut mihi nihil unquam inſigne vindicavi, ita *Stunicæ* laudibus adeo nihil detraham, ut cupiam conduplicatum etiam, quod ſibi liberaliſſime tribuit, in me tam parcus ac malignus, ut nudo, quod ajunt, etiam veſtimenta detrahat, nihil non adimens infelici *Batavo*, ingenium, memoriam, curam, judicium, eruditionem, lectionem, & intellectum ſacrorum Voluminum, peritiam Linguarum omnium, elegantiam, denique Grammatices etiam Latinæ ſcientiam. Nec hæc contentus dixiſſe ſemel, repetit identidem ad ſingulas pene Annotationes, addit novas præfatiunculas, addit epiphonemata aliquid aloes habentia, interim non optime ſentire viſus de lectore, quem putet toties jam inculcata non meminiſſe. Atque interim mire feſtivus ſibi videtur, dum me ludos facit, dum verſat ac volvit *Atticis*, ut ipſi videtur, *ſalibus*. Mihi certe voluptati eſt, & apud *Hiſpanos* efflorescere Linguas ac bonas litteras: ac de *Stunica* quidem ingenio ſatis ampliter mihi promitto, bonaque ſpes eſt, illum poſthac rectius uſurum ingenio ſuo, litteris, chartis & otio, ſed vereor ne ſuo vitio non tam opimam gloriam referat ex his ſtudii ſui primitiis, quam ſibi videtur polliceri. Siquidem ut perſuadeat, ſe Linguis ac litteris omnibus, ſe ſagaci judicio, perſpicaci ingenio, ſe longa ac diligenti Veterum evolutione, ſe Lexicis admirandis, & alienis Annotationibus affatim inſtructum, optime noſſe quid ſit deferendum interpreti: me heri ac nudiuſtertius attigiſſe ſacros Libros, me in his ne verbum quidem intelligere, qui ante annos viginti ſcripſerim *Enchiridion*, à doctiſſimis etiam Theologis comprobatum, certe tale quod declaret, me & olim legiſſe nonnihil in ſacris Voluminibus, quique in hoc Annotationum opere, quod ipſe vere tumultuarium appellat, tantum è diverſis & Græcis & Latinis Scriptoribus adferam teſtimoniorum: quis hoc illi crediturus eſt, quod (uti ſcribit) hoc opus ſuſceperit, non ullo maledicendi ſtudio, ſed animo defecato, prorſuſque ab omni contentione alieno, cum totum opus nihil aliud ſpiret, quam contemtum & odium mei: nam tanto viro non libet livoris ſuſpicionem impingere. Taxandi, ſubſannandi, lacerandi, calumniandi, depravandi nullus eſt neque modus neque finis. Atqui cum fieri non poſſit, quin in magno opere permulta ſint, quæ calculum album mereantur, tantum abeſt, ut quicquam probet *Stunica*, ut ſæpe depravet, quæ ſunt ſimpliciſſime dicta, è frivolis gerris atroces excitans tragœdias, quod genus eſt illud. Obiter nominaram *Neapolim*, quam nunc in *Italia* occupant *Hiſpani*, hic me propemodum læſæ majeſtatis reum peragit, qui Cæſari adimam jus hæreditarium, quod *Hiſpanis* impingam tyrannidem, non ob aliud, niſi quod, *occupant*, uſurparim pro *tenent*. Rurſus cum innoxio cavillo dixiſſem, apud *Paulum Hiſpaniam* fraudari prima ſyllaba, quod illic legatur Σπανία, non Ἱσπανία, cum ipſi ſoleant in ſimilibus vocibus de ſuo addere, dicentes *eſpecto*, pro *ſpecto*, μάλα τραγικῶς vociferatur, me totam gentem *Hiſpanicam* criminari inſcitiæ. Proinde, opinor, *Stunicam* eum eſſe, qui poſſit è parva civitate maximam reddere, cui nihil tam exile eſt, quod non in immenſum exaggeret. Sicubi non videor illi ſatis excuſſiſſe quid ſenſerit *Hieronymus*, illico clamat, me nihil prorſus intelligere, nec in *Hieronymo*, nec in ullis auctoribus. Sicubi Græcam vocem aliquanto ſecus interpretor, quam ipſi videatur, rideor, & prorſus ignarus ſum Græcæ litteraturæ. Et alicubi prorſus adimit cognitionem Latinæ Grammatices, qui non probarim, *retinere*, poſitum pro *meminiſſe*. Quod adhuc nec ipſe *Stunica* potuit ex ullo Latino Auctore proferre, tota ſecula verſatus in evolvendis optimis quibuſque Scriptoribus. Quin alicubi geminæ hæreſeos ſuſpicionem mihi conatur impingere, ubi ne tantulum quidem erat occaſionis. *Apollinariſtarum*, quod *Vallam* citarim auctorem, qui negarit *ſervi* nomen in *Chriſtum* congruere, quatenus fuit homo, ſed quatenus ut nocens affectus eſt ſupplicio, cum hujus ſententiæ ſit & *Ambroſius* & *Chryſoſtomus*; præterea *Arrianorum*, qui dixerim, *Chriſtum* ſubditum fuiſſe Patri, ſed ut filium, non ut ſervum, hoc eſt, caritate & ſponte, non metu, quod quam impudenter & indocte faciat, ſuo docebimus loco. Exprobrat identidem Hebraici ſermonis inſcitiam, cum ego ſimpliciter ubique fatear me rudem ejus litteraturæ. Alioqui cur non eadem opera exprobrat, quod alas non habeam? Clamat, me mihi *Hieronymum* delegiſſe, qui cum monomachiam exerceam, quod alicubi ab eo reverenter diſſentiam, cum nemini ſit obſcurum, quantum ubique deferam *Hieronymo*. Exprobrat mihi *Theſeum Oecolampadium*, quem alicubi neſcio cur nuper à me confictum dicat. Atqui is vir eſt nulla in parte *Stunicæ* contemnendus, niſi forte hoc uno nomine, quod *Germanus* eſt: quemadmodum mea pro nihilo ducit, quod *Batavus* ſim. In Hebræis fere ſequebamur auctoritatem *Hieronymi*. Et loco commonſtrato Hebræa adſcripſit *Oecolampadius*, tum voces admodum paucas admiſcuit. Poteram hoc laudis ſuffurari, etiam illo pro ſuo candore mihi libenter ceſſuro, at ego malim illi aliquid meæ laudis cedere, quam aliæ laudis eſſe furunculus. Et hunc candorem, hanc modeſtiam, hanc ingenuitatem naſo ſuſpendit *Stunica*. *Oecolampadius* ſatis idoneus eſt, qui ſua tueatur adverſus *Stunicam*, & tamen ſi quid forte lapſus fuiſſet, iniquum fuerat alienos lapſus mihi impingere. Atque adeo ſi quid illum offendit in libris *Hieronymi*, quos ediderunt *Amerbachii*, mavult in me conjicere, quam in illos, qui ſe profitentur Editionis auctores. Imo ſi quid erratum eſt ab operis typographicis, id quod vitari non poteſt, etiamſi *Argum* admoveris caſtigatorem, totum imputat mihi. Mihi ſane vehementer impudens viderer, ſi *Stunicæ* tribuam quod toties in ejus opere legitur, *occiari*, *Battavus*, aliaque id genus, quæ tamen adeo frequenter ſunt obvia, ut ægre credas accidiſſe caſu. Atque ex hujuſmodi gerris, dictu mirum, quos moveat tumultus, quam in me debacchetur, cum ipſe tam immitis cenſor ſæpe labatur in his, in quibus ne puer quidem elementarius laberetur. Velut in hoc, cum in Epiſtola ad *Romanos* caſtigans id quod à *Paulo* ſcriptum erat, pro ἐλογεῖτο legendum contendit ἐλόγειτο, cum ἐλλογεῖτο vox ſit Græcis inaudita. Ad hæc quædam ejus generis ſunt, ut ad me nihil pertineant, quæ tamen loquaciſſime proſequitur, quædam adeo minuta ac frigida, ut idonea videri poſſint, *Neronianas* quæ refrigerent thermas. At cum toto opere concutiatur cachinnis, diffluat riſu, ſibi non temperet, rideat, ſubſannet, delicietur, tamen quaſi parum ſit illic petulantiæ, addidit elenchos in ſpatio marginis, in quibus *Eraſmus* dormit, ſtertit, ſomniat, cæcutit, hallucinatur, labitur, errat toto cœlo, delirat, interpres & *Stunica* triumphant, *Batavus* proteritur. Illic in expedito ſunt omnia, & magnifica promiſſa, lactis, quod ajunt, gallinacei ſpem faciunt, cum ſæpenumero res, ſi venias in medium, admodum impedita ſit ac diluta, perinde quaſi Medicus

Digitized by Google

cus inſcribat pyxidi, *Manus Deorum*, cum intus ſit malagma betaceum. Subinde vero *Batavum* me appellat, & addit alicubi ſatis ſcurriliter butyro & patria cerviſia obrutum. Perinde quaſi mihi dedecori ſit futurum, ſi *Bactris*, aut apud *Sogdianos* natus eſſem: aut quaſi *Hollandia* regio ſit ulli pro ſua portione contemnenda, ſive ſpectes celebritatem ac frequentiam oppidorum, ſive cultum ac politiem vitæ, ſive copiam rerum omnium, ſive ingeniorum proventum. Quod eſſe verum *Stunica* vel ex Negotiatoribus *Hiſpanis* cognoſcere poterit. Quanquam hic affectus quam minimum ponderis habere debet apud eruditos. Apud Chriſtianos Philoſophos non eſt *Hiſpanus*, nec *Gallus*, nec *Germanus*, nec *Sarmata*, ſed nova creatura. Quicunque ſerviunt gloriæ *Chriſti*, contribules ſunt, germani ſunt, & ſi quid germanis conjunctius. Jam ut ſibi multa ſumit parum pudenter, ita de me multa pronuntiat impudentiſſime, quod genus ſunt illa, *Eraſmum* ſemper in profanis litteris verſatum, illotis pedibus ad hoc opus acceſſiſſe, nec alia re commotum, quam inanis gloriæ fame, *Stunicam* omnibus præſidiis inſtructiſſimum, ſimplici puroque animo, nec alio prorſus ſtudio quam juvandi ac patrocinandi veritati, quam videret indignis modis per nos opprimi, hoc opus aggreſſum idque ſine *Theſeo*, ut gloriatur. At quid me dementius, ſi tantum laboris exhauſi nihil aliud captans, quam ut Interpretem lædam, mihique nonnihil gloriæ comparem? Quid mihi ſimultatis erat cum Interprete, cujus nomen nemo novit? An non alia patebat ad gloriam via, minore ſudore, majore compendio? Ejuſdem frontis eſt illud quod ait, Interpretem paſſim à me contumelioſiſſime compellari, atque ex eruditorum virorum corona penitus explodi, cum in illo magis deſiderem curam, quam peritiam, cum multis in locis collaudem quod ille vertit, nonnunquam etiam defendam adverſus *Vallam* & *Fabrum*. Sed illud etiam impudentius, quod ſcribit à me damnari traductionem Eccleſiaſticam, cum ubique clamem *uſque ad ravim*, ut inquit *Plautus*, me vertere quod habetur in Græcorum voluminibus, nec uſquequaque mihi probari lectionem illorum: per me manere lectionem Eccleſiaſticam incolumem, & illibatam. Hæc tradi in cubiculis legenda, non in Templis. Quin & illud aſſumit parum verecunde, hanc translationem, quam nunc habet uſus Eccleſiaſticus, aut eſſe *Hieronymi*, aut certe ab *Hieronymo* caſtigatam, cum in Annotationibus tot argumentis doceam, imo cum res ipſa clamitet, hoc eſſe falſum. Illud porro neſcio quo nomine donari debeat, quod ſuſcepto adverſum me patrocinio Interpretis, cum ego illum in jus non vocem, in tot locis tam inſignis orator deſtituat ſuum clientem. Nam cum affirmet illum Latine, & eleganter vertiſſe, ſilentio præterit tot à me notatos ſoloeciſmos manifeſtarios, tot loca obſcure & ambigue reddita. Et tamen verecundius eſt obticeſcere, quam inepte defendere. Hæc cum tam magnifice præfatus ſit, ut Scriptor ille cyclicus ad hunc collatus, videri poſſit egregie modeſtus, tamen in calce judicium defert lectori, modo Græcæ Latinæque Linguæ ſit peritus. At quis auſit adverſus eum pronuntiare, qui paulo ante ſic de ſe pronuntiarit? *Cum præſertim*, inquit, *ſi quiſquam alius, & nos quoque his de rebus noſtro quodam jure judicium ferre poſſimus, quippe qui non paucos annos in ſacris Scripturis Veteris ac Novi Teſtamenti Hebraice, Græce & Latine perlegendis conſumſerimus, ac Hebraica Græcaque ipſa divinarum Litterarum Exemplaria cum antiquiſſimis Latinorum codicibus diligentiſſime contulerimus. Longa igitur lectione ac experientia jampridem edocti, quantum tralationi huic Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti deferendum ſit, niſi fallor, novi optime.* Hæc eſt Aſiatica *Stunica* phraſis.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Et tamen nonnulla ſuſpicio tangit animum, *Stunicam* hunc ſubornatum ab aliis, alienam fabulam ut ageret. Certe ſi detrahas illi, quod hauſit ex Lexicis, quod ex Annotationibus eruditiſſimi viri *Antonii Nebriſſenſis*, cujus gloriæ merito atque ex animo favemus, haud multum ſupererit, quod jactet *Stunica*. Quod ſi tantus eſt quantus vult videri, quid illi venit in mentem, ut tantus heros huc ſe demitteret ad *Eraſmi Batavi* nugas excutiendas? Quid enim facilius, quam in magno opere quærere quod arrodas? Aut quid abjectius, quam in alieno libro obambulare venantem quod carpas? Aut quid hinc gloriæ poterat contingere, cum ipſe proxima Editione correxerim, ſi quid in prima fuerat ceſſatum? *Virgilius Turni* virtutem attollit, quo magis illuſtret *Æneæ* victoris gloriam. *Homerus Achillem* non cum *Therſita*, ſed cum *Hectore* viro fortiſſimo committit. *Stunica* putat non alio pacto ſibi poſſe contingere ſpecioſam victoriam, niſi perſuadeat, ſibi cum homine nihili fuiſſe certamen, non diſſimilis quibuſdam ſtulte invidis mulierculis, quæ faciem aliarum deturpant, ſperantes fore, ut ſic demum formoſæ videantur ipſæ. Quare cum tam in ſe benignus ſit *Stunica*, in me tam malignus, vitare non poteſt, quin ſi ſerio hæc ſcribit, partim impudens habeatur, partim arrogans, partim linguæ petulantis. Sin ita ludit, videat etiam atque etiam, ne hoc gravibus viris ſcurra dignius videatur, quam eo, qui tractat ſacras Litteras, præſertim tam ſplendida præfatus. Atque hic lapſus mihi videtur fœdior in moribus, quam ſi centum admittas ſoloeciſmos in ſermone. Sed jam ex ipſo libro quædam decerpemus, ex quibus lector facile judicabit, an res ipſa promiſſis reſpondeat, & an tantum ſapiat *Stunica*, quantum ſibi ſapere videtur.

MATTH. CAP. I. ANNOTATIO I.

ALIQVOTIES admonueram, mihi non videri, *Matthæum* Euangelium ſuum ſcripſiſſe Hebraice, aut ſi ſcripſit, ab *Hieronymo* non fuiſſe viſum. Id non aſſevero quidem, ſed ajo, mihi videri probabilius. Et cauſas adfero in Annotationibus, quas hîc non eſt neceſſe referre. At *Stunica* objicit *Origenem*, *Auguſtinum* & *Chryſoſtomum*, qui diverſum ſentiant, quorum nemo tamen affirmat. Nam *Origenes: Ita enim*, inquit, *tradiderunt patres.* Et *Auguſtinus: Solus*, inquit, *Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio.* Denique *Chryſoſtomus: Hebræo*, inquit, *dicitur Euangelium ſcripſiſſe ſermone.* Sed *Hieronymus* citat hinc quædam in Epiſtola ad *Hedibiam:* rurſus in Epiſtola ad *Damaſum* de dictione *Oſanna*. Mirum autem cur hic *Stunica*, quem nihil uſquam fugit in ullo bonorum Auctorum genere, non adduxerit locum è Catalogo Scriptorum illuſtrium, ubi palam aſſeverat *Hieronymus*, quod *Matthæus* Euangelium ſuum Hebraicis litteris verbiſque compoſuerit. Exemplar Hebraicum ea adhuc ætate ſervatum in Bibliotheca *Ceſarienſi*, quam *Pamphilus* martyr appararit: ſibi quoque ejus voluminis deſcribendi factam fuiſſe copiam à *Nazareis*, qui eo in *Beræa* urbe *Syriæ* uterentur. Hîc *Stunicæ* cauſam adjuvo. Rogabit igitur, qua fronte diſſentiam ab *Hieronymo*. Illa præcipua cauſa eſt, quod cum toties incidat locus, ut vehementer opus ſit Hebraici Euangelii præſidio, vix unquam tamen *Hieronymus* adducat. Nam quod adducit in modo dictis Epiſtolis, ſic retulit, ut è *Nazaræorum* Euangelio videri poſſit deſumtum. Cur igitur affirmat ſe vidiſſe? Quid ſuſpicer, malim conjectare lectorem, quam me proloqui. Ac ne protinus hîc mihi reclametur, os impudens, audiat prius, quæ ſuper hac re ſcribit ipſe *Hieronymus* libro tertio adverſus *Pelagianos: In Euangelio*, inquit, *juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque ſermone, ſed Hebraicis litteris ſcriptum eſt, quo utuntur uſque hodie Nazarei ſecundum Apoſtolos, ſive, ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæſarienſi habetur Bibliotheca, narrat hiſtoria.* Hactenus *Hieronymus.* Convenit de Bibliotheca, convenit de *Nazareis* utentibus, convenit de litteris Hebraicis, convenit & de titulo, juxta plurimorum opinionem: ſupereſt unus ſcrupulus de ſermone Chaldaico. Atque idem in Commentariis, quos compoſuit in *Matthæi* Caput XII. ſcribit

Digitized by Google

bit hunc in modum: *In Euangelio, quo utuntur* Nazaræi & Ebionitæ, *quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone transtulimus, & quod vocatur à pleriſque, Matthæi authenticum*, &c. Ex his colligimus fuiſſe duo volumina, ſed in eadem Bibliotheca, & iiſdem conſcripta litteris, ſed ſermone diverſo, quorum alterum vere fuerit *Matthæi*, litteris & verbis Hebraicis conſcriptum, ab ignoto interprete verſum in Linguam Græcam, quod *Hieronymus* viderit tantum ac deſcripſerit, non autem verterit: alterum ſermone Syro Chaldaicoque, ſed figuris Hebraicis, quod ipſe transtulerit in Linguam Græcam. Unde cum frequenter depromat teſtimonium, mirum cur non multo frequentius depromat ex altero. Deinde mirandum, cur *Nazaræi* maluerunt Chaldaicum illud amplecti, quam Hebraicum. Ad hæc, ſi horum alterum ſine controverſia erat *Matthæi*, alterum apocryphum, cur toties repetit *Hieronymus*, Chaldaicum illud à pleriſque credi *Matthæi* & authenticum? Præterea ſi divus *Hieronymus* judicaſſet hoc Euangelium quod deſcripſit, eſſe vere *Matthæi*, oportuit reliquum quidem Novum Teſtamentum ad Græcam veritatem emendare: cæterum Euangelium *Matthæi* ad Hebraicam veritatem reſtituere. Idem feciſſet *Origenes*, homo prodigioſæ diligentiæ, præſertim cum queratur Euangelicos libros apud Græcos pleriſque locis variantes ſibi videri depravatos. Denique ſi *Matthæus* ſcripſit Hebraice, quî factum eſt, ſic periſſe neglectum quod ſcripſerat, ut ne in *Syria* quidem Exemplar ſupereſſet, præter unicum illud? Adjiciam & illud. Cum *Stunica* fateatur, *Chriſtum* Chaldaice ac Syriace fuiſſe loquutum, non Hebraice, qua Lingua tum Hebræi vulgo utebantur, quid venit in mentem *Matthæo*, ut Hebraice ſcribere maluerit, quam Syriace, hoc eſt, lingua & paucioribus nota, & diverſa ab ea, qua loquutus eſt Chriſtus? *Euſebius Cæſarienſis* hiſtoriæ ſuæ, quam Eccleſiaſticam inſcripſit, libro tertio meminit Euangelii ſecundum Hebræos, ſed addit, in Eccleſia non fuiſſe receptum. De altero volumine non meminit. Proinde ſalvo cujuſque judicio mihi ſuſpicio eſt, aut *Hieronymum* alicubi abuti vulgata opinione de volumine tam celebri, præſertim ubi res ipſa poſceret, aut alterum illud volumen fuiſſe verſum ex Euangelio *Matthæi* Græco, ſicut pleraque volumina Latinorum verſa ſunt in eandem linguam. In præſentia non addam plus argumentorum. Quod ſi cui non placet mea ſuſpicio, fruatur opinione ſua. De cæteris, quæ ſubjicit *Stunica*, viderit meus *Theſeus*, & res eſt exigui momenti.

EODEM ANNOT. II.

INDICARAM in Annotationibus, mihi magis placere *è Thamar*, quam *de Thamar*, quod inuſitatus ſermo ſit, *ſuſcepit liberos de illa*, tametſi non ignorabam ſimilem orationis formam apud Auctores inveniri. Hîc *Stunica* præfationem orditur à loco communi in eos, qui rebus neglectis, de ſignis ſolliciti ſunt, eodemque calculo damnat & *Eraſmum*, & *Fabrum*, & *Vallam*, atque adeo cæteros omnes quotquot in hoc laboris genere *Eraſmus* habuit anteſignanos, ſic enim ille loquitur, non intelligens interim, quod hæc damnatio complectitur & *Hieronymum* & *Auguſtinum*, quorum alter reſtituit Novum Teſtamentum & in commentariis de vocis emphaſi ſæpe contendit, nonnunquam & de elegantia, quemadmodum alicubi *conſperſionis* vocabulum probat, *maſſæ* rejicit: alter præterquam quod idem ſubinde facit, quod nuſquam non facit *Hieronymus*, libros etiam aliquot conſcripſit *de loquutionibus Veteris Teſtamenti*. Porro cum ſuſcepiſſem negotium reſtituendæ lectionis, ac ſermonis Apoſtolici ad mundiciem linguæ Latinæ revocandi, an mihi tacendum erat de ſignis, cum hujus rei conſiderationem mihi proprie ſumſiſſem? Cur non eodem calculo damnat *Coronellum* ſuum, niſi forte in magno illo Lexico cavit, ne quid de ſignis attingeret? Quod ſi nullus eſt delectus ſignorum, cur in Scholis traditur pueris amara Grammatica? At quomodo ſigna erunt, ſi non refert, quid quibus verbis eloquaris? Certe niſi de ſignis convenit, non poteſt homo homini ſignificare verbis, quod ſentit animo. Sed negat *Auguſtinus* referre apud rerum cognitorem, *inter homines* dicas, an *inter hominibus*. Cur igitur ipſe *Auguſtinus* fugit ad hunc loquendi modum? Idem alicubi ſcribit, ſe malle *oſſum* dicere, quam *os*, ſi de *oſſe* ſentiat non de *ore*, quo magis intelligatur ab auditore. Verum, ſed quoties vulgo loquitur, cui *oſſum* abſque dubio tum ſignificabat, quod nobis ambigue ſonat *os*. Atque hac de cauſa magis olim tolerari poterant Euangelici ſermonis incommoda, quod adhuc vulgus Latine loqueretur, tametſi corrupte, & notos ſolœciſmos tum vulgus magis intelligebat, quam ſi pure Latine vertiſſet Interpres. Nunc nobis cum vulgo res non eſt quoties Latine loquimur: & ad Euangelicæ doctrinæ propagationem ſimul & commendationem pertinet, ut ſermone ſimplici quidem, ſed tamen puro caſtoque tradatur. Atqui ex eo, quod Interpres parum Latine reddit, ſæpe videmus lapſos etiam ſummos ſacrorum Voluminum interpretes, & hinc frequenter natam depravationem. Etenim niſi Interpres male vertiſſet, *latuerunt Angelis hoſpitio exceptis*, Librarius offenſus non depravaſſet ſcripturam, *placuerunt Angelis hoſpitio exceptis*. Nec enim rem negligit quiſquis tractat verba, ſed viam ſtruit ad rerum cognitionem, aut certe efficit, ut ſenſus ſeu commodiore vehiculo traducantur in animos hominum. Atque hîc rurſus impudenter aſſumit *Stunica*, hanc translationem, qua nunc utitur Eccleſia, ab *Hieronymo* fuiſſe recognitam, cum & verba quædam in commentariis taxet *Hieronymus*, & quædam indicet ſupereſſe, quædam diverſo ſenſu legi. Hæc ſi nondum animadvertit *Stunica*, ſatis apparet, illum non tam diligenter verſatum in evolvendis veterum orthodoxorum libris, quam jactat, ſed locos quoſdam à me citatos excuſſiſſe venantem, quod aliqua calumnia poſſit arrodere. Nec minus impudenter pronuntiat de omnibus, quorum eſt & *Hieronymus*, nihil aliud ſpectaſſe qui ſacros Libros conati ſunt emendare, quam ut veteres ſacræ Scripturæ tractatores, & Eccleſiaſticam lectionem damnarent & infamarent. Quod ſi maxime hæc translatio fuiſſet ab *Hieronymo* recognita, atque etiam incorrupta, quemadmodum ab ipſo prodita fuiſſet, non tam inſolens aut moroſus eſſet *Hieronymus*, ut arbitraretur ſe inſigni affici contumelia, ſi quis diligentius, aut felicius in eodem argumento verſaretur. Quod ſi hic noſter labor contumelioſus eſt in orthodoxos veteres, & Eccleſiaſticam lectionem, cur ſemel atque iterum ſuo teſtimonio comprobavit *Leo* ſummus Eccleſiæ paſtor? Jam in hoc quod dicam, palam eſt, fuco uſum eſſe *Stunicam*, quod *Vallam* auctorem facit, nihil intereſſe utra præpoſitione utaris, *ex* an *de*, cum *Valla* non agat illic de ratione ſermonis Latini, ſed refellat differentiam quorundam Theologorum, qui docent, utendum eſſe, *de*, quoties notatur eadem ſubſtantia: *ex*, quoties ſignificatur tantum origo. Quam diſtinctionem rejicit etiam *Chryſoſtomus*, certe negat eſſe perpetuam. Quid hoc ad me, qui loquor de conſuetudine ſermonis Latini? Quod ſi *Stunica* vult paſſim licere, ut *de* ponamus vice *ex*, quæſo an aliquis feret hunc ſermonem, *fugit de bello*, & *amat me de animo* pro *amat ex animo*: & *cognovi de litteris tuis*, pro *ex litteris tuis*? & *non erit de re tua*, pro *ex re tua*. Hîc cum multum ſe torqueat *Stunica*, ut doceat, *de* idem pollere quod *ex*, prolatis aliquot locis è Vetere Teſtamento, nullum adhuc reperit Auctorem probatum Linguæ Latinæ, quo doceat quod aſſeverat. Et tamen non inficior inveniri, verùm ajo, nec hoc licere paſſim, & inuſitatius eſſe. Siquidem *Ciceronem* ita loquentem, *audivi de patre meo*, vix quiſquam adhuc recte loquendi ſtudioſus auſus eſt imitari. Id cum ego tribus verbis moderatiſſime indicaſſem; *Stunica* ſuo more exaggerat, quaſi debacchatus eſſem in Interpretem, vel potius in *Hieronymum*, quod Getice loquutus eſſet, non Latine. Hoc agebamus, ne quid

esset, quod offenderet amantes sermonis pure Latini, & id maluimus, quod sciebamus minus offensurum. Dixerit aliquis, cur mutabas, quod erat tolerabile? Fateor quam minimum esse mutandum, si hæc in locum publicæ lectionis substituerentur. Nunc cum illa incolumi, hæc demus in Musеis legenda, expediret magis mutari singula, quandoquidem auctore *Augustino*, varietas lectionis magnopere conducit ad intellectum sacræ Scripturæ. Quod si quando visum erit Ecclesiæ principibus innovare lectionem Ecclesiasticam, id longe facillimum fuerit post hanc nostram operam, qua viam ad eam rem stravimus.

Eodem Annot. III.

Quoniam in genealogia *David* additur cognomen Regis adjuncto articulo, τὸν βασιλέα, obiter & aliud agens admoneo lectorem, consideret, num qua sit emphasis in Græco articulo. Sic enim additur, ut videri possit, hîc *David* discerni ab alio quopiam ejusdem nominis, qui Rex non fuerit. Hîc *Stunica* homo perspicax, deprehendit me *Luciani* libris occupatum, ne primoribus quidem labris degustasse sacros Codices. Quæso te, lector, quid hoc homine impudentius, aut petulantius? Non reperitur in sacris Libris alius hoc nomine, num ideo non potuit esse alius, qui non reperiatur in libris? præsertim cum extra controversiam sit, permultos Hebræorum libros intercidisse. Deinde non hoc sensi, fuisse alium, sed quærendum, quid sibi velit articulus τόν. Nam *David* Regem fuisse declarasset, etiamsi citra articulum dixisset, *David* βασιλέα. Præterea cum alteram conjecturam addidissem, cur unam tantum arrodit *Stunica*? Nam quod adducit è Glossa ordinaria, non solvit nodum de articulo. Bellum est autem, quod hîc nobis etiam divinat, quid Hebraice scripserit Matthæus *Hamelech*. Atque hoc tam frivolum argumentum non potuit *Stunica* tractare sine præfatione atrociter contumeliosa.

Eodem Annot. IV.

Post tam magnificas pollicitationes, post tam atrocia jurgia, vide quæ crimina tandem impingit. Ait me *Solomonem* vertisse, cum Hebræis recte dicatur etiam *Salomon*, quod ego non ignorabam, nec inficiatus sum usquam. Atqui si piaculum est, quod *Solomon* verterim, quemadmodum constanter pronuntiant Græci, cur non reprehenditur Latinus Interpres, quod *Jesu* nomen verterit juxta Græcorum, non juxta Hebræorum pronuntiationem, præsertim cum sint, qui in ipsis Hebraicis elementis putent esse mysticam significationem naturæ divinæ? Sed mox civilior est *Stunica*, ac mihi propemodum ignoscit, quod in Annotationibus *Bersabee* scriptum sit, non *Betsabee*, & *Oecolampadium Thesеum* meum in jus vocandum arbitratur, atque ex hoc tanto argumento deprehendit homo nasutus, neque me, neque *Oecolampadium* scire Linguam Hebraicam. Si quid frontis haberet *Stunica*, typographis hoc imputasset, non *Oecolampadio*, nisi forte postulet sibi imputari in hoc libello *occiari*, pro *ociari*, *Battavus*, pro *Batavus*, *excussum*, pro *excusum*, aliaque hujus generis haud sane pauca. Certe videt hoc esse correctum proxima Editione, etiam sine *Theseo*, ne me putet usque adeo alienum à litteris Hebraicis, ut hoc scire non queam. Quam eximium vero specimen modestiæ, quod addit, se vel absque *Theseo* posse de Lingua Hebraica judicare. Quis autem est tam arrogans, ut neget sibi opus esse cujusquam præsidio? *Hercules* absque *Theseo* non est, & solus *Stunica Theseo* non eget, sed unus ipse sibi satis est & supereст. Quæ tandem petulantia est, per quamvis occasionem incessere *Oecolampadium*, virum non minus vitæ sanctimonia, quam rei Theologicæ, & Linguarum cognitione suspiciendum: quem fortasse *Stunica* brevi experietur sibi non usque adeo contemnendum, si tamen *Oecolampadius Stunicam* sua dextra dignabitur.

Eodem Annot. V.

In *transmigratione Babylonis*. Fateor quidem intelligi, quid senserit Interpres, ab iis qui norunt historiam, sed tamen admoneo, rem apertius explicari posse, si quis vertat *postquam demigratum erat in Babylonem*, vel *cum demigrassent Babylonem*, aut ut nos tum vertimus, *in transmigratione in Babylonem*: & addo, apertius erat, *in exsilio*, seu *captivitate Babylonica*. Hîc cum multos modos ostendam, quibus vitari poterat sermonis incommoditas, *Stunica* tantum hoc arrodit, quod posueram in contextu, dissimulans reliquos. Verùm quoniam hoc opus sic edideram, ut nollem Annotationes à contextu separari, debebat *Stunica* vir civilis ac prudens imaginari, hoc esse in contextu, quod erat in Annotationibus, & eligere quod optimum judicaret. Porro quod assumit, *transmigrationem* magis exprimere Græcam vocem μετοικεσίαν quam *demigrationem*: cum fortiter asseveret, nequaquam tamen probat, neque enim perpetuum est in vertendis vocibus Græcis, quod est in μεταθέσις & μεταφορὰ, alioqui μετανοέω nobis sonaret *transsentio*, & μεταπέμπω *transmitto*, & μετασχέφω *transverto*. Quod si μητὼ apud Græcos nihil aliud valeret, quam quod apud nos, *trans*, tamen spectandum erat, quid recepisset Romani sermonis consuetudo. *Deportari* dicuntur, qui deferuntur in Insulas desertas, *transportari* non dicuntur. Et *relegati* dicuntur, non *translegati*. Itaque cum scirem, *demigrare* esse vocem probatam & usitatam apud Latinos, de *transmigrare* dubitarem, malui quod erat certius. Sed in eo quod verti, residet nonnihil amphibologiæ, potest enim accipi, *Jechoniam* cum fratribus suis natum esse in ipsa profectione, fateor, & ob eam causam in proxima Editione mutavimus, nondum divinantes exoriturum *Stunicam*, qui de nugis hujusmodi tragœdias excitaret. Sed in eo quod verterat Interpres, aut multis modis anceps, aut nullus erat sensus. Cur enim potius dicitur *transmigratio Babylonis*, quo demigratur: quam *transmigratio Palæstinæ*, quæ relinquitur, ut ne repetam, quod nomen verbale μετοικησία potest vel active sumi, vel passive. Verùm hîc me *Stunica* ridiculum vocat, qui alios ex meo judicem ingenio, cum non possit accipi nisi passive. Id cum per se falsum sit, tamen age demus hoc, quod sumit *Stunica*: intelligemus igitur *Babylonem* alio fuisse translatam, cum audimus *transmigrationem Babylonis*. Addit simile: cum *Ægypti*, inquit, *captivitas* dicitur, intelligimus *Judæos* in *Ægypto* fuisse captivos, quasi si quis dicat *captivitatem Trojæ*, sensurus sit *Græcos* aliquos in *Troja* fuisse captivos, ac non potius ipsam captam *Trojam*. Hæc tam præclara mundus erat ignoraturus, nisi *Stunica* nobis fuisset exortus. Denique divinat hîc quoque quid scripserit *Matthæus*. Miseret me *Stunicæ*, qui nugis hujusmodi, & suum ingenium, & calamum, & chartas, & otium triverit: miseret me lectoris, qui talibus næniis aliquid bonarum horarum impartit: miseret me mei, qui cogar has ineptias vel legere vel refellere. Et tamen hoc nugamentum non potuit indicare *Stunica* sine uno atque altero convitio.

Eodem Annot. VI.

Quod est Græcis, ἐν γαστρὶ ἕξει, & Interpres vertit, *in utero habebit*, quoniam sermo videbatur insitatus Latinis auribus, ac præterea anceps, *habet* enim *in utero*, quæ pransa est, non solum quæ concepit, unde jocus apud *Athenæum*, quo Medico percunctanti mulierem, *num in utero haberet*, responsum est à mimo, *quînam haberet, jam triduum totum jejuna?* nos vertimus, *virgo erit prægnans*. Hîc *Stunica* me calumniatur, quod sensum verterim, non verba. Verti quidem, sed Latine, sed dilucidius. Quod si nusquam fas est à verbis discedere, sæpe vocabitur in jus Interpres, qui frequenter absque causa discedit à verbis Græcis: *Aut si erat*, inquit, *discedendum*

à

à verbis Græcis, ab Hebræis petendum erat, apud quos pro ἕξει est λήψεται, id est, accipiet. Pulchre, sed interim, mutassem incommodum, non effugisiem. Ne quid attingam interim, quod hoc loco nos *Stunica* docens ex auctoritate *Hieronymi*, quid sit apud Hebræos, non intelligit locum, quem adducit, ut est corruptum, cum id tribus verbis admonuerim, eum locum esse depravatum, qua de re nonnulla videbis in secunda Editione, plura in tertia, nonnulla in Apologia, qua respondimus *Leo.* Docuimus enim, *Hieronymum* legisse *habet*, non *habebit.* Et quanquam, *habet*, verbum est præsentis temporis, tamen respondet verbo præteriti temporis, quod est, *concepit.* Quemadmodum in Psalmo, *accepit dona in hominibus*, tametsi verbum est præteriti temporis, tamen rem notat futuri temporis. Etenim qui accepit largiturus, nondum largitus est. Hæc fugere Lynceum *Stunicam.* Porro quod calumniatur Hebraicam vocem secus habere, quam nos indicavimus *Oecolampadio* fisi, jam ipse *Leo* respondit, qui prior hoc erat calumniatus. Jam quod obiter admiscueram, mihi joco loquutum videri *Hieronymum*, cum ait, Latinis *alma* dici quæ sancta sunt, voce congruente cum Hebræis: suspicatur *Stunica* me hoc ideo dixisse, quod *Hieronymus* hoc dicturus ita præfetur: *Et ut risum præbeamus Judæis:* hinc colligit me non intellexisse verba *Hieronymi*, colligit errorem meum, ac tumultuariam lectionem. Sed quid ego vicissim ex his *Stunica* verbis colligam, in præsentia non eloquar. Illud tamen, lector, dicam, me non meminisse joci, quod de risu Judæorum meminit *Hieronymus*, sed quod res mihi parum videretur probabilis. Primum enim non idem sonat *alma* Latinis, quod Hebræis. Quod si qua conveniunt, aut σύμπτωμα esse crediderim, nimirum in tot millibus vocum casu consentientibus aliquot, veluti nobis quædam casu conveniunt cum *Gallis*, nonnunquam diverso significatu, ut quod *Picardi* dicunt *Cout*, id est, *calidum*, nobis eadem voce sonat *frigidum*, aut à nobis usurpata fuisse, quemadmodum constat Græcos pleraque voces Latinas à Græcis usurpatas ut κυστωδία, σκδάριον, πραιτώριον.

Ex Cap. II. Annotat. I.

Ex auctoritate Græcorum codicum, hac in parte mire consentientium, ex auctoritate veterum Latinorum, admonueram legendum *Judææ*, non *Judæ.* Sed dissentit *Hieronymus.* Nec hoc ignorabam. Nec tamen hoc asseverat *Hieronymus*, sed *putamus*, inquit. Et asseverat *Stunica.* Cæterum argumentum *Hieronymi*, tacite etiam in prima Editione refellimus, si *Stunica* tam esset oculatus quam videri vult. Siquidem *Hieronymus* imaginatur *Judæam* hîc accipi pro tota regione *Judæorum:* at ego *Judæam* hîc intelligo positam pro portione *Judæ.* Hoc si intellexisset *Stunica*, non scripsisset, *quæ si* Erasmus *legisset.* Mox objicit mihi memoriæ lapsum, qui scripserim, in libro Judicum inveniri *Bethlehem* alteram, quæ sit in *Galilæa.* Si *Stunica* præditus esset ea civilitate, eoque candore, qui vere doctos decet, tribuisset unius voculæ lapsum typographis, aut scribis potius, quam meæ memoriæ. Cæterum aderas, inquiet, cum ista excuderentur. Fateor, sed hujusmodi lapsus non perinde facile nobis recognoscentibus deprehenduntur, veluti quoties in numeris errant operæ, nisi forte *Stunica* cuncta hæc sunt in numerato. Sed ut in pessimam partem torqueat, non potest aliud suspicari, quam cum hæc describerem è commentariis *Hieronymi*, partim quos scripsit in hunc locum, partim in quintum *Michææ* Caput, calami lapsum fuisse, præsertim cum in hoc posteriore loco paulo ante meminisset libri Judicum. Et tamen utcunque accidit, hoc nomine gratiam habeo *Stunicæ* meo, qui monuerit. Nam ipse fortassis non eram animadversurus. Hìc igitur *Stunica* laurea corona præmium esto.

Eodem Annotat. II.

Ac *mittens Herodes*, cum Græce sit ἀποστείλας, quod indicat homines cum mandatis esse missos, non Epistolas, quod peculiari verbo Græcis dicitur ἐπιστέλλειν, ostendi dilucidius potuisse verti, si dixisset, *missis carnificibus*, aut *ministris*, aut *satellitibus: Quid si nihil horum miserit*, inquit *Stunica*, *sed miserit edicta regia per veredarios?* Sed interim obsecro, an veredarii ministri non sunt? Aut quomodo perveniunt edicta sine ministrorum opera? Deinde notat, quod pro *occidit*, verterim *sustulit*, cupiens exprimere Græcam vocem ἀνεῖλεν. Ait *sustulit* esse vocem ancipitem: *Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem* (nam suspicor *Stunicam* partim ob hoc calumniatum hunc locum, ut nobis recitaret tam lepidum carmen olim in *Neronem* jactatum è suo *Politiano*) deinde à paucis intelligendam. Primum si semper anxie vitanda est amphibologia, ambiguum est & *occidendi* verbum, *occidit* qui interficit, *occidit* qui vehementer molestus est. *Occidunt me quidem dum nimis sanctas student apparere nuptias.* Et arbitror eos qui non sunt versati in litteris Ethnicorum, citius intellecturos *sustulit*, pro interfecit, quam *sustulit*, pro suscepit ex uxore, sive sustulit in humeros.

Ex Cap. III. Annot. I.

Pœnitentiam *agite*, pro μετανοεῖτε, aliquando verteram, *pœniteat vos*, aliquando, *resipiscite.* Ac *pœnitentiam agite*, semel duntaxat reperi in Epistolis *Plinianis*, sed addito casu paterno. Quanquam mihi non admodum probabatur *pœniteat vos.* Sed *Stunica* negat hunc locum antehac à quoquam secus citatum, quam verterit Interpres. An hoc sit verum, ipse viderit. Certe si mihi non licebit aliter vertere, quam Veteres legerant, habebit passim *Stunica*, cur mihi scribat dicam. Atqui hoc ipsum erat propositum, ut aliter verterem, speranti hac ex re non parum lucis accessurum lectori. Post hæc convitiis aliquot destomachatus in me *Stunica*, impingit mihi, quod ridiculum sensum expressierim, *pœniteat vos, quoniam appropinquavit regnum cœlorum*, quasi jusserit illos pœnitere regni cœlorum jam appropinquantis. Imo ridicule sic interpretatur *Stunica.* Sed quicquid hoc est mali, an non idem manet in vetere translatione? *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit*, &c. Et tanto magis quod illi solenne est, *quia*, abuti pro *quod.* Quantum hic abundavit otio, qui talibus ineptiis & suum otium, & aliorum perdat negotium?

Eodem Annot. II.

Genimina *viperarum*, verti *progenies viperarum*, addens nescire me, an *genimina* reperiatur apud probatos Auctores Linguæ Latinæ. Ac mox objicit mihi *Hieronymum*, qui sic alicubi loquutus sit in vertendo Vetere Testamento. Equidem pono *Hieronymum* inter probatos Auctores rei Theologicæ, ut dicendi certum doctorem non accipio. *Sed prisci*, inquit, *dicebant* geno *pro* gigno, *sic enim nos docet* Priscianus *ex* Andabatis Varronis *& Lucretio. Ab hoc igitur* geno *ducit potest* genimen, *quemadmodum à* rego regimen. Nihil moror quid possit dici, sed ostendat *Stunica*, quid apud probatos Auctores compererit. Porro cum impudentissimum fuerit futurum, si obsoletum verbum *geno*, ex priscis Auctoribus, idque carmen scribentibus, usurpare voluissem: multo magis ridiculum sit, usurpare vocem hinc deductam, quæ nec apud illos reperiatur, præsertim cum alia suppetant & Latina & usitata. Ego sane cuperem reperiri, cuperem usu publico comprobatam vocem *genimen.* Quæso te, lector, perpende, an hæc ulla ex parte respondeant magnificis illis ac terrificis *Stunicæ* promissis?

Digitized by Google

EODEM ANNOT. III.

FACITE *fructus dignos pœnitentiæ*, καρπους ἀξίους τῆς μετανοίας. Oſtendo Græcis ſermonem eſſe ancipitem, quod genitivus caſus *pœnitentiæ* referri poſſit ad *fructum*, ſive ad *dignos*, & verto quod probat etiam *Stunica*, ſed negat alterum ſenſum conſiſtere, quod *dignus* non ponatur abſolute, niſi ſtatim ſubjiciatur, qua re dignus ſis. Imo ſatis eſt, frequenter hoc ſubaudire. *O digno conjuncta viro: Si credere dignum eſt; Et digna & indigna dixit. Et beneficium dando accepit, qui digno dedit.* Si quis dicat, *malis verberibus acceptus eſt*, & alter reſpondeat, *ut dignus eſt*, puto Latinum fore ſermonem. Atque id crebrius eſt apud Græcos, quam apud Latinos. Proinde impudenter hîc diverſum nos docet *Stunica*. Jam ut verum ſit, *dignus* apud Latinos alicubi reperiri junctum paterno caſui, certe vehementer eſt inſolens, ac vel ideo fugiendum in ſermone Euangelico, quem decet ſimplex facilitas. Feſtivum autem, quod ut nobis perſuadeat, ἄξιος apud Græcos jungi paterno caſui, de ſuo fingit exemplum, ἄξιος εἰμὶ τούτου ἢ πράγματος, cum in promtu eſſet, quod in hujus nugas magis quadraſſet ἄξιος οὐδενός.

EX CAP. IV. ANNOT. I.

QVOD apud *Hilarium* in Canone ſuper *Matthæum* inveneram pro *Diabolo Zabulum*, dubitabam an eſſet Librariis adſcribendum. Hinc *Stunica* mirus Dialecticus ratiocinatur, me nihil in *Hilario*, nec in aliis Auctoribus legiſſe, niſi ut aliquid decerperem. Sed unde ſumſit hanc conjecturam *Stunica*, niſi ex ſeipſo? Neque tamen ajebam, hoc tantum loco inveniri apud *Hilarium*, imo poſteriore Editione teſtor & aliis locis apud eundem obvium eſſe: neque me fallebat apud *Cyprianum* eſſe, quem totum emendavi pro viribus quidem. *Stunica* divinat ab Hebræa voce *zebul*, dictum *zabulum*, id commenti quantum valeat, ipſe viderit: certe Græcis eſt διάβολος, neque *zabulus* uſquam reperitur in ſacris Voluminibus pro *Diabolo*. Mihi videtur aliquanto probabilius, *zabolum* à Græca voce deflexum, Latinis *o* mutato in *u*: niſi quis malit hoc ſcribarum inſcitiæ tribuere: nam *zabolus* in quibuſdam codicibus ſcriptum reperio. Certe *za*, Græcis aliquoties poni pro διὰ, notius eſt, quam ut hîc oporteat probare. Hujus rei nos admonuit *Hieronymus Aleander* trilinguis eruditionis antiſtes, ne quem ſua laude fraudaſſe videamur. O gravem annotationem, & pulchre reſpondentem glorioſis illius præfationibus.

EODEM ANNOT. II.

QVOD Interpres verterat *damoniacos*, quoniam Græce eſt σεληνιαζομένους, malui vertere *ſyderatos*, idque in prima duntaxat Editione: nam id in ſecunda mutavimus: nec damnabam tamen quod verterat Interpres. *Stunica* docet nos, aliud eſſe *ſyderatos*, aliud *Lunaticos*. Et ſcio inter eruditos olim fuiſſe concertationem de hac voce, nec video cur non poſſint dici *ſyderati*, qui ſyderis vi percuſſi ſunt, atque id ſane ſonat Græca vox. Cæterum hac de re non eſt animus multis verbis contendere cum *Stunica*, præſertim cum ipſe ultro vocem eam mutarim in Editione ſecunda.

EX CAP. V. ANNOT. I.

Si ſal evanuerit.

HIC mihi magis placuerat *infatuatus fuerit*, quam *evanuerit*, quod *evaneſcere* Latinis dicatur, quod tollitur è conſpectu, aut quod inani ſpecie deſinit videri, *evaneſcit fumus*, *evaneſcunt ſpectra*. Deinde malebam *ſalem* in maſculino genere, quam in neutro. *Stunica* docet, in utroque genere uſurpatum: id ego nec ignorabam, nec inficiatus ſum, ſed magis placuit, quod & receptius eſſet, & apud Auctores minus obſoletos reperiretur.

EODEM ANNOT. II.

IN prima Editione verteram, *non adulteraberis*, malens id quam quod erat Græcum, *mœchaberis*, quanquam hoc ipſum Librariis imputari poterat, quandoquidem nullam hujus rei facio mentionem in Annotationibus, quod tamen in ſecunda Editione mutaram, vertens, *non committes adulterium*. *Stunica* negat *adulterari* probum eſſe verbum, niſi ſumas paſſive. Ac verum eſt, Latinis *adulterari* quod corrumpitur, quemadmodum & *adulterat*, qui corrumpit, neque id nos fugiebat, ſed ego ſic dixi *adulterari*, ſicut dicimus *poetari*, *rhetoricari*, *juvenari*, *palpari*, neutrali ſignificatione. Et tamen quod *Stunica* putat, apud *Gellium adulterare* ſimpliciter idem eſſe, quod *adulterium committere*, non omnino illi aſſentior: nam ſubaudiendum eſt pronomen, ni fallor, *Illa te ſi adulterares digito non auderet contingere: ſi adulterares*, ſubaudi *eam*. Sed hoc, præterquam quod leviculum eſt, & tale ut poſſim in alios rejicere, jam ante tres annos eſt à nobis mutatum, ut dixi, ut ſi melius eſt, quod poſtea poſuimus, nihil omnino gratiæ debeatur *Stunicæ*.

EX CAP. VI. ANNOT. I.

Panem noſtrum quotidianum.

HIC quoniam nihil eſt, quod contra me faciat, non eſt quod reſpondeam. Quanquam hoc nomine nonnihil debeo *Stunicæ*, quod admonuerit, mihi pro *alibi* ſcribendum fuiſſe *hîc*: etiamſi à me ſcriptum ſuſpicor alicubi. Tum ut tumultuabamur, non vacabat inſpicere locum, aut fortaſſis dum hoc aggredimur, alio ſumus avocati. Et tamen animadverteram hoc in Editione tertia. Quod ſi mihi *Stunica* diffidit, debebo non invitus illi hoc officii, tametſi ſævus eſt monitor, & fortaſſe cum illius lucubrationes prodibunt, reponam etiam hanc gratiam cum aliquo fœnore.

EODEM ANNOT. II.

HIC quid ſupereſt, niſi ut *Stunica* triumphum adornemus albis equis? Dixeram coronidem precationis Dominicæ reperiri quidem in omnibus Græcorum codicibus, cæterum à nemine exponi, præterquam à *Theophylacto*. *Stunica* indicat, & à *Chryſoſtomo* in Homiliis. Ac ne diffidamus, ipſius *Chryſoſtomi* verba refert Græca, moxque ſubjicit *Anniani* interpretationem. Prodigioſam hominis diligentiam. Atque hinc colligit, quam indiligenter tum verſatus ſim in evolvendis auctoribus. Abſolutum eſt hoc opus *Baſilea* magna celeritate intra menſes ferme quinque. Neque in hoc totum eſſe licebat. Maximam mei partem habebat *Hieronymus*, qui ſimul excudebatur. Et miratur *Stunica*, ſi locus aliquo caſu non occurrit in *Chryſoſtomo*, quod aliquoties accidit ob inverſas paginas. Quod incommodum mihi tum acciderat in commentariis *Theophylacti* Græcis in Epiſtolas *Pauli*, & *Chryſoſtomo* Latine verſo. Fieri poteſt, ut *Chryſoſtomus* id temporis mihi non venerit in mentem, quod ſatis eſſet *Theophylactus*. Et tamen hac de re ſatis, opinor, reſpondi *Leo*, qui prior hoc nobis impegit, ſed ſero, cum in Editione poſteriore meminerimus etiam *Chryſoſtomi*, ut hoc ſane nomine neutri quicquam debeamus.

EX CAP. VIII. ANNOT. I.

QVOD Græce eſt, καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, Interpres vertit: *& adſcendente eo in naviculam*: ut ſervarem etiam temporis rationem, verto, *& cum eſſet ingreſſus navim*. Deinde ne quis putaret ſubeſſe myſterium in diminutiva voce *navicula*, oſtendo, hoc loco πλοῖον eſſe, non πλοιάριον, quanquam his vocibus promiſcue videntur uti Euangeliſtæ. *Stunica* docet, Interpretem non male vertiſſe. Sit ita ſane, nec id ego ſane dixeram. Nam ἀναβαίνω, inquit, ſonat *adſcendo*, καταβαίνω *deſcendo*, ἐμβαίνω *inſcendo*. Quid autem

tem συμβαίνω, num *conſcendo?* Sed extra jocum, quid hîc agit *Stunica?* ſi ἐμβαίνω ſonat *inſcendo*, ergo non debebat verti *adſcendens*, cum non ſit ἀναβὰς, ſed *inſcenſa navi.* Ad hæc obiter admonui, *conciliabulum*, nec eſſe diminutivum, nec ſonare ſemper in malam partem, cum apud *Hieronymum* reperiatur in bonam partem. *Stunica* docet apud *Hieronymum* accipi in malam partem. Quis iſtud negat, cum *cœtus*, *conventus*, *ſynagoga*, *concilium*, ſi addas *Satanæ*, ſonet in malam partem? Sed me provocat, ut indicem ubi divus *Hieronymus* uſurparit in bonam partem. Atqui demiror hoc à me petere *Stunicam*, qui totas ætates verſatus ſit in omnibus ſacris Auctoribus. Sed tamen unus locus mihi nunc in promtu eſt. In Epiſtola ad *Geroniam* de monogamia ſcribit hunc in modum *Hieronymus*: *Quæ juxta Apocalypſim Joannis, Synagoga magis Diaboli appellandæ ſunt, quam conciliabula Chriſti.* Eat nunc *Stunica*, & neget me quicquam vidiſſe in ſacris Auctoribus, cum hoc certe à *Batavo* didicerit.

Eodem Annot. II.

Stvnica videtur delectatus joci genere, quod Græci vocant ἀπροσδόκητον, cui viſum eſt hoc loco denuo præfari hunc in modum: *Imo*, inquit, *quid* Eraſmo *cum ſacris Scripturis, quas heri & nudiuſtertius videtur attigiſſe? Sciendum vero*, &c. Hæc qui legit, nonne mox exſpectat illum prodituram aliquem inſignem ac periculoſum meum lapſum in ſacris Litteris? Rurſum ubi audit: *Sciendum vero*, nonne reconditam aliquam exſpectat doctrinam è penitiſſimis Scripturarum adytis depromendam? Nunc audi rem vix teruncio dignam. Quod Interpres verterat: *Quid nobis & tibi Jeſu*, verbo illum noto, qui Latine vertens, Græce loqui maluerit quam Latine, quod ad orationis tropum attinet: Græcis enim eleganter dicitur, τί μοι καὶ σοὶ μακροῖς αὐλοῖς, τί κυνὶ ἐ βαλανείῳ, Latinis non item. Adjeceram igitur: *Imo quid hîc Interpreti cum Græca figura?* Id *Stunica* ſibi viſus eſt perquam lepide retorquere: *Imo quid* Eraſmo *cum ſacris Scripturis?* Deinde docet, eandem ſermonis formam, quæ eſt apud Græcos, & apud Hebræos eſſe. Sit ita ſane. Verùm num ideo heri cœpit *Eraſmus* attingere ſacras Litteras, ſi Græcis congruit ſermonis tropus cum Hebræis? quid autem hîc à me peccatum eſt? Non negabam, eandem orationis formam eſſe apud Hebræos, ſed apud Latinos eſſe negavi. Hoc, opinor, mihi convenit cum *Stunica*, ſed ille mavult Euangeliſtas etiam alios, qui ſine controverſia Græce ſcripſerunt, hoc ſermonis genus ab Hebræis duxiſſe potius, quam à Græcis. Ne id quidem mea refert, tametſi quid opus aliunde petere, cum domi ſit? Etiamſi neſciſſent Euangeliſtæ Hebraice, tantumque Græce ſciſſent, tamen, ſic opinor, erant loquuturi. An ideo Latine vertit Interpres Latinus, quod ſic loquantur Hebræi? O ſerias Annotationes. Utrum hîc ſomniavit *Eraſmus*, an potius *Stunica?* Neſcio quid ſuſpicionis mihi parit, quod *Stunica* tam impenſe favet Hebræis, ut his omnia velit deberi, cum res nihil tale poſtulet.

Ex Cap. x. Annot.

Et *nurum adverſus ſocrum ſuam*, quoniam Græcis eſt νύμφη, verteram, *ſponſam adverſus ſocrum ſuam. Stunica* docet, νύμφιον Græcis & *nurum* ſonare & *ſponſam*, nec id ſane neſciebam. Sed interim quæ tibi nurus eſt, filii tui ſponſa eſt, ut hoc loco nihil referat ad ſenſum, *ſponſam* dicas, an *nurum*. Non taxabam Interpretem, ſed eundem ſenſum aliter reddidi, idque voce magis uſitata, quam ſit *nurus*.

Ex Cap. xi. Annot. I.

Lamentavimvs *& non planxiſtis.* Sic Interpres. Ego verteram, *lamentati ſumus.* Et adjeceram: *Quis autem unquam dixit* lamentavimus? Hîc *Stunica* docet ex antiquis Grammaticis, quædam verba apud priſcos uſurpata voce activa, quæ nunc paſſiva ſunt in uſu, & contra, quod genus ſunt: *puniuntur*, pro *puniunt*: & *ſacrificantur*, pro *ſacrificant*: *contemplo*, pro *contemplor*: *auguro*, pro *auguror*: *crimino*, pro *criminor*: *fruſtro*, pro *fruſtror*: *patio*, pro *patior*: *moro*, pro *moror*: *demolio*, pro *demolior*, atque hujus generis complura. Et ad hanc formam vult Interpretem dixiſſe *lamentavimus.* Bella profecto defenſio Interpretis, ſi non excuſatius dixit *lamentavimus*, quam ſi dixiſſet *criminavimus* ac *demolivimus.* Sic eximius iſte patronus, & in ſacris Litteris περισελλωτὸν tuetur Interpretem clientem ſuum. Addit aliud huic ſimile lemma: *In Pſalmis*, inquit, *habetur*, *& virgines eorum non ſunt lamentatæ.* Quaſi conſequens ſit eum ideo recte dicere, quia ſæpius ita dicat, aut ideo verum dicat aliquis, ſi crebro repetat idem mendacium. Quanquam non ſtatim Latine dicitur in oratione ſoluta & vulgo parata, *populo*, *populas*, quod *populatas urbes* paſſive legamus. Multo minus ad rem facit, quod adducit ex Hebræis, imo contra ipſum facit. Etenim cum *Hieronymus* mutato verbi genere verterit, *virgines eorum nemo luxit*, palam eſt, illum vitaſſe vocem male Latinam, *lamentatæ ſunt.* Sed interim *Stunica* meus, qui defendit *puniuntur*, pro *puniunt*, in me non tulit *adulteraberis*, pro *adulterabis*, parum ſibi conſtans.

Eodem Annot. II.

Confiteor *tibi Pater Domine cœli & terræ*, &c. Hîc *Stunica* mihi geminam impingit dicam, primum, quod pro ἐξομολογοῦμαι verterim *gratias ago*, deinde quod νηπίοις pro *parvulis* verterim *ſtultis.* Non diſſimulat tamen, à me lectum *Hieronymum*, qui admonuerit *confeſſionem* non ſemper eſſe peccatum agnoſcentis, ſed frequenter laudantis & gratias agentis: *Sed Hieronymus*, inquit, *illic non de verbi proprietate, ſed de ſenſu diſputat.* Iſtuc equidem ſciebam, & idcirco monueram hoc eſſe idiomatis Hebraici, apud quos *confeſſio* ſonaret gratiarum actionem: teſtorque me ideo vertiſſe, *gratias ago*, quod dilucidior eſſet ſermo iis, qui Latine tantum norunt. Quid hîc admiſſum? Senſum reddidi, & dilucidius reddidi, & citrâ amphibologiam. An hoc eſt improprie vertere? nam id impingit *Stunica.* An abuti voce Latina in ſenſum, quem Latinis non reddit, eſt proprie vertere? nam hoc laudis *Stunica* tribuit Interpreti. Jam quod *ſtultis* verteram pro *parvulis*, miris ſalibus exagitat homo è meris Veneribus ac leporibus conflatus: *Non mirum autem*, inquit, *videri debet, ſi in his quæ ſequuntur pro* νηπίοις, *id eſt*, *parvulis*, *ſtultos tranſtulerit, qui de laudibus ſtultitiæ tam luculenter ſcripſit. Notus eſt enim liber ille percelebris ab* Eraſmo *jampridem editus, cui titulum indidit* Morias encomium, *Opus quidem graviſſimum, & ἐγκωμιαστὸν haud indignum. Atque illud fuiſſe reor in cauſa, ut ſic hoc loco transferret, quo vel hinc ad ſua confirmanda auctoritatem ſumeret.* Audis, lector, eloquentiam *Atticam.* An non hoc dictum ſimillimum videtur illi *Thraſonico: Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas?* Sed illud cavendum *Stunicæ*, ne doctis gravibuſque viris videar paulo dexterius tractaſſe ſtultitiam, quam ipſe tractat Euangelicam ſapientiam. Hæc lepida præfatus, rurſum addit: *Sciendum vero.* Quid autem docet? *νηπίους proprie dici parvulos aut infantes, metaphorice ſtultos.* Rem magnam docuit, ſed quam ſciunt καὶ νήπιοι. Verùm è *Chryſoſtomo* docet, hoc loco non dictum eſſe μωροῖς, ſed νηπίοις, hoc eſt, *ſimplicibus*, *& fuci ignaris.* Quid hinc colligit *Stunica? νήπιον non ſignificare ſtultum, niſi in bonam partem?* At in malam partem dixit *Heſiodus*, νήπιε πέρσα: & *Homerus*, ῥεχθὲν δέ τε νήπιον ἔγνω. An μωρὸς ſemper in malam partem ſonat? At in bonam partem accepit *Paulus: Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus:* & *quod ſtultum eſt Dei.* Idem *Chriſtum* prædicat Gentibus quidem μωρίαν, & Dei τὸ μωρὸν humanis ingeniis ſapientius. Et paulo ante, ſtultitiam prædicationis oppoſuerat ſapientiæ Scribarum ac Philoſophorum. Hîc

Digitized by Google

Paulus non abhorruit à voce μωρῷ. Proinde quemadmodum anceps eſt in Litteris ſacris *ſapientia*, ita eſt & *ſtultitia*. Sunt laudati pariter & illaudati, tum νήπιοι tum μωροί. Quemadmodum paulo ante dixerat *ſapientes*, non quod vere ſaperent, ſed quod juxta mundum ſaperent, ita ſuos diſcipulos *ſtultos* vocat, non quod vere ſtulti eſſent, ſed quod juxta mundum haberentur ſtulti. Jam qui *parvulos* aut *infantes* vertit, primum perdit gratiam contrarii, deinde non effugit incommodum, quod hîc vitari vult. Neque enim proprie *parvuli* erant Apoſtoli, ſed malitia parvuli, imo juxta vulgarem hominum exiſtimationem, qui nec Legis erant periti, nec Philoſophiæ profeſſores. Meo judicio, plane magis quadrabat *ſtulti* vocabulum quam *parvuli*, & tamen in Editione ſecunda pro *ſtultis* repoſuimus *parvulos*, veluti divinantes exoriturum *Stunicam*, qui nobis hinc ſtrueret calumniam.

Eodem Annot. III.

Quod Interpres verterat, *Jugum meum ſuave eſt*, cum Græce ſit χρηστὸν, malebam *Jugum meum commodum*, non damnans tamen quod vertit Interpres. *Stunica* non negans, quod negari non poteſt, χρηστὸν aliquando ſonare *bonum* atque *commodum*, probare nititur, poſſe pro *ſuave* accipi. Quod ut maxime probet, tamen non præſtiterit, quod in Elencho marginis profitetur, rectius interpretari *ſuave* quam *commodum*. Nunc quod adducit è *Chryſoſtomo*, ὅτι μὲν ἡδὺς καὶ κεφαλῆς ὁ τῆς ἀρετῆς ζυγὸς, haudquaquam probat, χρηστὸν ſonare *ſuave*, ſi locum explanans plus dixit, quam habet Euangelium. De re mihi convenit cum *Chryſoſtomo*, tantum agitur an χρηστὸν *ſuave* ſonet, & an *ſuave* potius quam *commodum*. Poteſt enim jugum eſſe commodum minimeque moleſtum, ut abſit tamen jucunditas: & leve poteſt eſſe, quod non gravet, nec delectet tamen. Et ſi delectet quicquid commodum eſt, non ſtatim commodum idem declarat quod delectabile. Neque vero contra me facit, ſi *Hieronymus* ſequens vulgatam lectionem, legit *ſuave jugum*.

Ex Cap. xii. Annot.

Scripseram, me vocari in conjecturam, commentarios, quos habemus *Hieronymi* in *Matthæum*, alicubi fuiſſe decurtatos, commentarios item in Pſalmos, quibus & aliena multa ſint admixta. Nam commentarios in *Marcum* nihil habere *Hieronymi* præter titulum. Hîc atrocibus convitiis in me deſtomachatur *Stunica* clamitans, impudentiſſimum eſſe ſuſpicari, quemquam auſum violare libros ſacrorum Doctorum. Hominem ſuavem, quaſi vero non omnia ſint auſi depravatores in libris doctiſſimi cujuſque, aut quaſi hoc olim non publicum etiam ſtudium fuerit, auctores in compendium contrahere. Docet autem quod *Hieronymus* eos commentarios vocet ſtrictos. Fateor, fuiſſe breves, ſi ad eos conferantur, quibus explanat Prophetas, aut Epiſtolam ad *Epheſios*, & tamen nihil vetat integros copioſiores fuiſſe, quam nunc ſunt. Jam quod *Hieronymus* ait, ſe *plenius in commentariis* de re quapiam ſcripſiſſe, cum illic vix attingat paucis, ſic eludit *Stunica*, non dictum eſſe *plenius in commentariolis*, ſed conjunctim *in commentariolis & in Epiſtola ad Algaſiam*. At in hac copioſe rem tractat. Atqui hæc tergiverſatio quantum habeat momenti viderint alii. Si ſenſiſſet *Hieronymus* quod interpretatur *Stunica*, dixiſſet, opinor, *qua de re nonnihil attigimus in commentariolis, ſed plenius diſſeruimus in Epiſtola ad Algaſiam*. Ego præter conjecturam meam nihil attuli in medium. Porro commentarios in Pſalmos nihil vetat & breves fuiſſe, & tamen decurtatione factos breviores, cum tamen alicubi ſit multum Battologiæ. Poſtremo *Stunica* ne qua in re mecum ſentiat, etiam commentarios in *Marcum*, qui feruntur *Hieronymi* titulo, illi aſſerit: *Simili*, inquit, *errore deceptus eſt noſtrorum temporum Ariſtarchus. Niſi putat nullum eſſe* Hieronymi *opus, niſi quod ſecularem eloquentiam redoleat, quodque* Tullium *ac* Livium *paſſim repræſentet*. Legat *Stunica* cos commentarios, & poſtea rideat *Ariſtarchum* horum temporum. Neque enim ex phraſi tantum judicavi hoc eſſe alterius, neque damno tamen opus.

Ex Cap. xiv. Annot. I.

Et *decollavit Joannem*, quod eſt ἀπεκεφάλισεν veteram *amputavit caput*, non damnans Interpretem, imo faſſus eſſe *decollandi* verbum apud *Senecam* in libello ludicro de morte *Claudii*, ſed addubitans an ludibrii cauſa eo ſit uſus. *Stunica* indicat eſſe & apud alios Auctores, & alio loco apud hunc ipſum *Senecam*. At iſtud ipſum teſtatus ſum in ſecunda Editione. Nec tamen perperam verti, *amputavit caput*. *Decollandi* verbum, certe ambiguum eſſe fatetur *Stunica*. Hîc cum nihil dictum, aut admiſſum ſit in Interpretem, vide tamen quanto cum ſtomacho peroret *Stunica*: *Quæ tandem*, inquit, *inſolentia eſt, veterem Interpretem ex obliquo carpere, calumniari, mordere, & quaſi barbare loquutus fuerit paſſim exſibilare?* Audis oratorem vehementem, non dulcem tamen.

Eodem Annot. II.

Hic ſuaviter ridet *Stunica*, quod cum *Hieronymus* ſcripſerit, *Si ſciremus quid in noſtra Lingua ſonet Genezareth*, &c. quæſierim, quid appellat ſuam Linguam? Num *Syrorum* inter quos habitabat? *Stunica* docet illum ſenſiſſe de Lingua Latina. Nec ego diverſum affirmaram. Adjeci, videri vocem Hebraicam incompertam fuiſſe *Hieronymo*, quod ait, *ſi ſciremus*. *Stunica* contendit fuiſſe compertiſſimam, cum ageret apud *Syros*, cum juxta hanc interpretatus ſit hunc locum myſtice. Imo *Hieronymus* non interpretatur hanc vocem eo in loco. Etenim cum *Geneſar* ſive *Genezareth* interpretentur *ortus principium*, ſive *initium nativitatis*, non video quid ad hanc etymologiam faciant verba *Hieronymi*, quæ ſic habent: *Si ſciremus quid in noſtra Lingua ſonaret* Genezareth: *intelligeremus quomodo* Jeſus *per typum Apoſtolorum & navis Eccleſiam de perſequutione & naufragio liberatam traducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu faciat requieſcere*. An *Hieronymus* modeſtiæ cauſa diſſimulavit ſe ſcire, quod oportuit docere? nam id videtur ſentire *Stunica*, ſcribens *humilitatis cauſa*, ſi ſciremus, *inquit*.

Ex Cap. xviii. Annot. I.

Quod Interpres verterat, *decem millia talenta*, notaram cum injuria Latinitatis duntaxat factum, ſenſu incolumi. *Stunica* in Elencho profeſſus hanc orationem eſſe Latinam, adducit ex *Valla* frigidum commentum, quo poſſent hujuſmodi ſermonis formæ utcunque defendi, *decem millia talenta*. *Talenta entia decem millia*. Deinde docet, *Hieronymum* Judicum Cap. viii. ſic eſſe loquutum: *Quindecim millia viri manſerant*. Nemo negabat hoc genus ſermonis paſſim inveniri in ſacris Voluminibus, ſed ſi *Stunica* protulerit locum non obnoxium ſuſpicioni mendæ è probato Romani ſermonis Auctore, tum vicerit. Ego ſuſpicor, apud Veteres numeros notulis ſignari ſolitos, & hinc à ſcribis ſæpe poſitum *millia* pro *mille*.

Eodem Annot. II.

Et *tenens ſuffocabat eum*: ὁ κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγεν. Quoniam κρατεῖν non eſt ſimpliciter *tenere*, ſed tenere ceu prædam cui manus injeceris, verteram *& injecta manu*. Deinde quoniam *ſuffocare* Latinis ſonat occidere præcluſo gutture, cum hîc videatur loqui de eo, qui voluerit trahere in carcerem aut in jus, non qui voluerit occidere, pro ἔπνιγεν verti, *obtorto collo trahebat*. Id *Stunica* non probatur, nec video quam ob cauſam, *obtorto*, inquit, *collo* non habetur in Græco. Quid tum poſtea? At ſenſus ineſt: *Non legitur*, inquit, *quod in jus, aut aliquo traheret hominem*. Imo hoc liquet ex his quæ ſequuntur: *Et miſit eum in carcerem*,

Digitized by Google

cerem, donec redderet. Nec abſurdum ſit, ſi damnatum judicio ducat in carcerem. Stomachatur & hîc neſcio quid *Stunica* meus, quod ea putarim huic loco convenire, quæ legiſſem apud *Senecam*, & apud *Hieronymum* in Epiſtolis. Imo hoc legeram apud *Ciceronem*, nec ineptum arbitror, ſi quis Euangelii ſenſum verbis *Ciceronis* explicet.

Ex Cap. XXI. Annot. I.

VERERVNTVR *filium meum.* Hîc admoneo, apud Latinos additum, *forte*, cum non ſit apud Græcos. *Stunica* magis ſuſpicatur apud Græcos detractum. Sed hunc locum ante calumniatus eſt *Lens*, cui reſpondens abunde docui, nec apud Græcos interpretes fuiſſe, nec *Hieronymum* hoc loco legiſſe, *forte.* Qui volet illinc petat, ne hîc eadem repetendo temporis jacturam faciam.

Eodem Annot. II.

A *Domino factum eſt iſtud.* Oſtendo, in ſermone, *factum eſt*, & *admirabile*, non poſſe referre, niſi vel ad *angulum*, vel ad *caput. Stunica* negat, ſed mavult Hebræorum more fœmininum poſitum pro neutro, quod *Syri* careant genere fœminino. Ut demus hoc eſſe verum, cur Interpres maluit Hebraice loqui, quam Græce? Cur hoc uno loco tantum id fecit in Novo Teſtamento? Verùm hoc utcunque habet, me certe par erat à crimine liberari, qui ſequutus ſum magnorum virorum auctoritatem, *Origenis*, *Chryſoſtomi* & *Hieronymi: Origenis* ex Homilia XIX. verba non pigebit hîc adſcribere, quantum ad hujus rei probationem attinet: *Et iſte*, inquit, *lapis donum eſt donatum à Deo ædificio univerſo, & admirabile caput in oculis noſtris, qui poſſumus eum videre oculis mentis.* Qui *Chryſoſtomum* Latine reddidit, ita vertit ut nos vulgo legimus. Mihi tamen ſubolet, *Chryſoſtomum* ad lapidem angularem retuliſſe pronomen, qui duos maxime inter ſe diſſidentes populos in eandem religionem coagmentarit, quando ita ſcribit: *Et vident nihil horum Deo adverſum, ſed valde acceptum atque gratum, mirabile preterea ſtuporiſque plenum à Domino factum eſſe ſubjunxit lapidem*, &c. Hæc & quæ ſequuntur, ſi conferas, lector, videbis *Chryſoſtomum* de lapide loqui, quamvis Interpres aut fortaſſis ſcriba, ſequutus ſuam memoriam, lectionem perturbarit. Subindicat enim *Chryſoſtomus*, doctores Judæorum voluiſſe ædificare, ſed abſque lapide *Chriſto*, qui connecteret utrumque populum. Atque hæc ex conjectura duntaxat divinamus, certius judicaturi, ſi Græci codicis eſſet copia. Illud extra controverſiam eſt, *Theophylactum* interpretari, *Angulus factus eſt*, & *angulus eſt mirabilis.* Jam quid *Hieronymus* verterit ex Hebræo, non ſatis liquet, cum conſtet pleraque ejus voluminis fuiſſe depravata à ſciolis ſcribis, nec ipſis voluminibus inter ſe conſentientibus. Proinde fieri poteſt, ut ex ſua memoria repoſuerit illud, *factum eſt iſtud*, & *hoc eſt mirabile.* Quod ſi maxime demus ita verſum ab *Hieronymo*, tamen, *iſtud*, ad *caput* referri poteſt, hoc eſt, ad *Chriſtum.* Nec eſt neceſſe ut ad complexum orationis, quæ præteſſit, referatur. Certe *Hieronymus* enarrans Pſalmum CXVII. legit & exponit hunc in modum: *Et eſt mirabilis in oculis noſtris. Non in illorum, qui eum reprobaverunt, ſed in noſtris, qui eum credendo ſuſcepimus.* Hactenus *Hieronymus.* Porro ſive referas ad *lapidem*, ſive ad *caput*, ſive ad *angulum*, ſenſus eſt idem, & ad *Chriſtum* pertinet. Cum itaque tot Auctores tam graves ſequutus ſim in Annotatione mea, cum ſenſus optime quadret ad noſtram lectionem, tamen exſtitit *Stunica*, qui tragicis verbis exaggeraret hîc inextricabilem errorem meum, ex Hebræi ſermonis idiomate petens hujuſmodi ſolutionem: *Hebræi*, inquit, *cum careant neutro genere, abutuntur fœminino. Hujus generis eſſe, quod legitur* Joſue *Cap.* III. In hoc ſcietis, *cum Hebræis ſit* in hac ſcietis. *Et Pſal.* XL. in hoc cognovi, *pro* in hac cognovi. *Porro Pſal.* XXVI. *Interpres etiam* A *Hebraicum genus reliquit:* Unam petii à Domino, hanc requiram. In hanc ferme ſententiam ille. Quæ ut demus maxime eſſe vera, nihil aliud efficiunt, niſi ut intelligamus, ſic poſſe legi ac verti, quemadmodum habet Editio vulgata. Non conſequitur, ut neceſſe ſit, cum commodior etiam ſit ſenſus, ut ad *caput* ſeu *angulum*, hoc eſt, ad *Chriſtum* referatur, quemadmodum faciunt probatiſſimi interpretes. Itaque cum nihil ſit incommodi, quod ad ſententiam attinet, cum ſummorum virorum auctoritatem ſequutus ſim, vide quam atrox crimen impingit *Stunica.* Siquidem in elencho marginis: *Error*, inquit, *Eraſmi graviſſimus in Hebraica Lingua.* Rurſus in præfatiuncula: *Hebraica* B *Lingua ignorantia* Eraſmum *ſæpiſſime in errores inextricabiles pertrahit.* Imo *Stunica* lingua effrenis ipſum frequenter in petulantiam indecoram ac intempeſtivam pellicit.

Ex Cap. XXII. Annot.

SCRIPSERAM hæc in Annotatiuncula: *Ceterum* Herodianos *appellat milites* Herodis, *quem proſelytum* Auguſtus *prefecerat Judæis, ut ab iis Imperatoris Romani nomine tributa colligeret.* Hîc Stunica: *Non hîc*, inquit, Herodiani *appellantur* Herodis *illius proſelyti milites, qui primus ejus nominis in* Judæa *Romanorum beneficio regnum ſortitus eſt, ut* Eraſmus *ex ignoratione ſacrarum* C *Scripturarum eſt ſuſpicatus. Hic enim* Chriſto *adhuc infantulo & in* Ægypto *conſtituto mortuus eſt.* Quæſo te, lector, quænam eſt iſta maledicendi libido? Num à me dictum eſt hunc *Herodem* fuiſſe ejus nominis primum? Aut unde ſuſpicatus eſt hoc *Stunica* me fuiſſe ſuſpicatum? Deinde ſimilis erroris ait eſſe, quod ſcripſerim hunc *Herodem Judæis* præfectum tributorum colligendorum gratia: *Imo Rex eſt*, inquit, *conſtitutus.* Qui Rex datur, & in hoc datur, ut tributa colligat, nonne præficitur? Imo quiſquis datur Rex alicui provinciæ, nonne illi præficitur? Si *Stunica* volebat hîc nonnihil addere ex hiſtoriis, an non poterat id facere, ni D præter cauſam me convitiis inceſſeret? Atqui quod ego hîc annotaram, decerpſeram è Commentario *Hieronymi:* nec amplius decerpſeram, quam quantum inſtituto meo ſatis eſſet. Is ait *Herodem Antipatris* fuiſſe filium. Cur igitur *Stunica* maluit mecum rixari, quam cum *Hieronymo.*

Ex Cap. XXVI. Annot.

IN Annotationibus hæc ſunt mea verba, quibus offenſus eſt *Stunica: Atqui hac in re aut ego prorſus hallucinor, aut lapſus eſt* Hieronymus, *quem ut fateor virum fuiſſe ſumma doctrina, pari eloquentia, incomparabili ſanctimonia, ita hominem fuiſſe, non poſſum diffiteri.* Audis, lector, quanta laudis ac reverentiæ præfatione diſſentio ab *Hieronymo.* Nunc audi *Stunicam* E impudentiſſime ſuo more depravantem omnia: *Magnifica*, inquit, *illius pollicitationis nunc oblitus*, Hieronymum *erroris arguere veritus non eſt, quo argutior ipſe appareret, ac in ſanctarum Scripturarum intelligentia eruditior. Atqui oportebat, ſi quid ab* Hieronymo *non bene dictum alicubi videbatur*, Eraſmum *ſtare promiſſis, aut elevare errorem, aut excuſare, aut tegere. Non hunc autem præ cæteris ſanctis Doctoribus eligere, cum quo monomachiam ex profeſſo exerceret, ut ex multis ſuarum Annotationum locis apparet. Quanquam quod duellum eſſe poteſt, qua monomachia inter* Herculem *monſtrorum domitorem, & invalidum homuncionem, vix* F *dum fragorem armorum auditu valentem ſuſtinere?* Hactenus *Stunica.* Nullius auctoritatem religioſius ſequor, quam *Hieronymi*, ac tantum illi tribuo, ut mihi quidam etiam ſcriptis negotium exhibuerint, quod ſim in illum æquo propenſior, & hic neſcio quos *Hercules*, quæ monſtra, quem fragorem armorum, quod duellum, quam monomachiam ſomniat. Ac mox decantat *Hieronymi* laudes, mutuatus quædam ex encomio, quo ego non uno in loco illius laudes celebro, ſed longe alio ardore copiaque, quam hîc *Stunica.* Qui

ſi

Digitized by Google

si conferatur mihi, plane frigidus ac perparcus laudator videbitur. Mox ad me redit: *Et hunc*, inquit, *talem quasi unus esset ex trivio, sic* Erasmus *balbutiens passim redarguere non dubitat.* Atque hæc tam ἀπροσδιόνυσα magnifice (ut ipsi videtur) præfatus, rem aggreditur. Mea sic habent in Annotationibus, *Quod habetur in prophetia:* Percute pastorem & dispergentur oves, *Hieronymus vult sub persona Prophetæ dici, rogantis ut percutiat Deus pastorem. Mihi magis placet, ut ad Deum hic sermo pertineat, quemadmodum adduxit Euangelista.* Cur id malim, quo lectori perspicuum sit, adscribam hîc locum ex Editione tertia Novi Testamenti, quo laboris hoc interim lucrifaciam: „Et„enim si quis, inquam, attentius expendat eum Pro„phetæ locum, is comperiet nihil esse necesse, imo „non nisi dure hæc ad Prophetæ personam accommo„dari. *Framea suscitare super pastorem meum, & super „virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* „Hæc certe palam est dici sub persona Dei, cum ad„diderit, *dicit Dominus exercituum.* Ac mox sequi„tur: *Percute pastorem & dispergentur oves.* Hæc quo„que sunt Dei verba alloquentis gladium suum. Quod „si quis velit alio torquere, certe quod sequitur non „sinet: *Et convertam manum meam ad parvulos.* At„que adeo reclamat evidentius, quod continenter ad„jungitur, *Et erunt in omni terra, dicit Dominus.* In „libello *De optimo genere interpretandi*, cum hoc age„ret ex professo *Hieronymus*; ut ostenderet quædam a„pud Hebræos discrepare ab interpretatione LXX. aut „Apostolorum citationibus, adduxit & hunc *Zachariæ* „locum, sic distinguens personas, ut argumento, quod „instituebat, tunc congruebat. Cæterum in com„mentariis, quibus locum hunc Euangelistæ enarrat, „sic temperat sententiam, ut quod in libello *De opti„mo genere interpretandi* scripserat, propemodum re„cantare videatur: *Hoc*, inquit, *aliis verbis in Za„charia Propheta scriptum est, &, ni fallor, ex perso„na Prophetæ ad Deum dicitur*, Percute pastorem. Por„ro quod hunc sensum confirmat consensu Psalmi se„xagesimi: *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt,* „ut demus hoc sensisse Psalmographum, quod inter„pretatur *Hieronymus*, haud cogit tamen, ut persona „loquentis mutetur. Cum enim constet priorem par„tem vaticinii: *Framea suscitare super pastorem meum:* „pertinere ad Deum Patrem, si quod mox sequitur „ad eundem referatur, *Percute pastorem*, &c. tamen „idem exsistit sensus, *Christum* à Patre fuisse percus„sum, qui suo gladio mandarit, ut percuteret: per„cutit enim, qui percutiendum tradit. Cæterum *Hie„ronymus* enarrans ipsum Prophetam magis etiam à se„ipso dissentit, & accommodat totam orationem Pa„tri. Quod quo magis perspicuum sit, ipsius verba „subscribam: *Nec putandum est*, inquit, *de altero loco „assumtum testimonium, quia in Euangelio Deum à se pa„storem dicit esse percussum. Et in præsenti loco, gladio „atque mucroni legimus imperatum:* Percute pastorem „& dispergentur oves. Hactenus *Hieronymus.* Vides „palam Patris imperantis mucroni suo vocem esse, „*Percute pastorem*, non autem verba Prophetæ obse„crantis: vides nullam esse mentionem ejus rei, quam „posuerat in libello *De optimo genere interpretandi*, cum „hîc maxime tempestivum fuerit hoc inculcare. Quid „igitur dissonat in *Matthæo*? Verba dissonant, res ea„dem est. Quisquis enim loquitur gladio suo: *percu„te*, significat se mox velle percutere: & ideo *Mat„thæus* verbis omissis, sensum expressit, *Percutiam pa„storem.* Quin & pronomen omisit *Matthæus*, cum „in Propheta sit *super pastorem meum*, quod ipsum „etiam invitat, ut sermonem Patri potius accommo„demus. Suum enim vocat unicum illum se dignum, „cum aliis alii sint pastores, quorum nonnulli tales „sunt, ut illis percussis melius habeat grex. Sed ex„sultat calumniator, docens nos, personas in Litteris di„vinis aliquando mutari subito. Nihil erat necesse, ut „hoc ab illo disceremus, quod toties in libris nostris te„stati sumus. Sed hîc nihil cogebat mutare personam. Et apparet, *Hieronymum* suæ sententiæ pœnituisse. Hujusmodi ferme recensuimus in Editione tertia, ex quibus opinor liquere lectori, nos non temere dissensisse ab *Hieronymo.* Porro quam id faciamus reverenter, ipsa res indicat.

Ex Cap. xxvii. Annot.

Erant anni plures triginta, quod adolescens legeram vitas ducum *Plutarcho* auctore. Et videbar legisse acetum à *Cleopatra* datum *Antonio*, quo celerius ex vulnere moreretur. *Stunica* indicat illic vini, non aceti fieri mentionem. Hoc sane debemus *Stunicæ.* Adornet currum triumphalem, ac sibi plaudat, quod loco, quem indicaram, relecto, vel lecto magis, vinum invenerit pro aceto.

Ex Marci Cap. i. Annot.

Ecce *ego mitto Angelum meum.* Modeste annotaram, videri posse *Hieronymum* memoria lapsum, cum ait, hoc testimonium haberi in fine *Malachiæ*, cum sit in fronte tertii Capitis, totusque liber quatuor Capitibus absolvatur, eoque magis in medio videri, quam in fine. *Stunica* respondet, quartum Caput admodum esse breve, sic ut tertio conjunctum, vix tertiam totius operis portionem absolvat. Ut istuc largiamur, an hoc in fine dici solet, quod paulo ultra medium est? Et addo conjecturam, quæ occasio fuerit lapsus memoriæ, quod in fine totius prophetiæ habeatur simile vaticinium, quod & ipsum de *Joanne* interpretantur. Quid dici poterat moderatius, quam memoriæ lapsum videri posse, & tamen *Stunicæ* in elencho blaterat *Erasmus*, in dissertione arguit *Hieronymum.*

Ex Cap. iii. Annot.

Boanerges, *quod est filii tonitrui.* Hîc cum oportuerit *Stunicam* agere cum *Theseo* meo, maluit rixari mecum: *Erges*, inquit, *non tonitruum sonat, sed sonitum, sive tumultum, aut fremitum. Legendum autem* Banerrem, *nam* Boanerges *vocem esse corruptam auctore Hieronymo.* Primum, quod à me positum est, docuit libellus interpres Hebraicorum nominum incerto auctore. Et fieri potest, ut quod Hebræi sonant *Banerrem*, Chaldæi Syrique sonent *Boanerges.* Porro quid tandem appellat *Hieronymus* corruptum? An quod Syro sermone deflexum est ab Hebræo? Hujusmodi verbis frequenter utuntur Euangelistæ, & haud scio an hoc sermone semper usus sit *Christus*, qui tum vulgo fuit maxime familiaris. Quandoquidem & illa verba Psalmi, *Deus meus Deus meus, ut quid me dereliquisti?* corrupte pronuntiavit in cruce. Certe Græci codices consentiunt. Quod si sic scripsit Euangelista, nobis non debet videri corruptum, quod Euangelista scripsit à *Christo* prolatum. Quid quod nihil vetat quo minus fremitum pro tonitruo accipiamus? Nam hinc *Homero Jupiter* dictus est ἐριόδυπος, & ὑψιβρεμέτης. Proinde non video cur hîc in me destomachetur *Stunica*, qui maluerim Euangelistæ sequi auctoritatem, quam *Hieronymi?* Si quid hîc *Stunica* volebat è suis litteris adjicere, poterat absque convitio candide conferre in medium. Alioqui multo præstabat indoctiorem videri, quam maledicentiæ vitio obnoxium.

Ex Cap. v. Annot.

Tabitha *cumi.* Indicaram in ipsa statim Annotationis fronte, Græcis esse *Talitha* non *Tabitha.* Hoc præfatus (quod *Stunica* dissimulat) obiter (ut est commentariorum licentia) propono considerandum, num hîc *Tabitha* possit esse nomen proprium puellæ, quemadmodum in Actis Cap. ix. Nihil autem vetat ita incidere, ut *puella* proprium sit nomen puellæ, quod idem futurum sit non puellæ. Deinde consensus Latinorum codicum me movebat nonnihil. Atque id sane temporis adeo non eram anxius in mutanda translatione vulgata, præsertim in Euangeliis, ut aliquoties

Digitized by Google

ties totas paginas ne contulerim quidem, non tam incuria ſegnis, quam obrutus undis laborum. Porro quod adjicio, *Tabitha* ſonare Hebræis, *reſpice* ſive *attolle oculos*, non dubito quin ſcripſerim admonitu *Oecolampadii*. Quod ſi verum eſt, nec enim refellit *Stunica*, nihil officit lectioni, tantum eſt arguta annotatio vocis multa ſignificantis, id quod caſu frequenter accidit: veluti ſi *Petrus* ſit nomen hominis cum ſignificet ſaxum, & idem ſonet diviſim, *Fili*, *Trojane*, aut aliud ſimile, nam hoc adhibemus interim docendi gratia. Cæterum quod ait *Stunica*, Euangeliſtam interpretari *Tabitha puella*, meminerit, quod pridem decertavit *Matthæum* ſcripſiſſe Hebraice. Quod ſi verum eſt, hæc interpretatio non poteſt eſſe Euangeliſtæ. Hactenus ſatis, opinor, pro mea portione dixi. Quod ſupereſt, *Theſeo* relinquo, cui potius imperitiam imputare debebat, quam mihi. Quanquam ex hac Annotatione mutaveram nonnulla Editione ſecunda. Sane vehementer hoc in loco probo *Stunicæ* candorem, qui non diſſimulet, unde & alia pleraque hauſerit, quibus noſtrum opus impetit, nimirum è magno Lexico, & quinquagenis *Ælii Antonii Nebriſſenſis*, cujus laudes nunquam ſic attollet *Stunica*, quin pro viri meritis putemus aliquid etiam addendum. Sic promeretur hominis integritas, ſic labores juvandis bonis ſtudiis exhauſti, cui libenter cedimus hoc laudis, quod primus indicarit, tametſi *Stunica* negare non poteſt, nos & in prima Editione docuiſſe, Græcos codices *Lalitha* legere per *lambda*. Quod ſi *Nebriſſenſis* quinquagenæ huc fuiſſent perlatæ, paulo candidius illis uſi fuiſſemus, quam utitur *Stunica*.

Ex Cap. VIII. Annot.

Quod Græcis eſt ἐπελίμησεν, & Interpres vertit *comminatus eſt*, ego malui vertere *increpavit*. Hîc floret Muſa *Stunicæ*, meque meo jugulat gladio, quod qui alibi verterim ἐπελίμησεν *interminatus eſt*, hîc reprehendam Interpretem, qui ſimili modo verterit, quaſi vero idem ſit Latinis *interminari* & *comminari*. *Interminatus ſum ne faceres*, Latinum eſt: *comminatus ſum ne faceres*, non auderem dicere, nec arbitror uſquam inveniri.

Ex Cap. X. Annot.

Filius *Timei Bartimeus*. Indicaram Euangeliſtam interpretari quid ſonet *Bartimeus*, id eſt, *filius Timei*. Hîc *Stunica* meus pene ſolvitur in cachinnos, non quod inficietur *Bartimeus* ſonare *filium Timei*, ſed quod dixerim Euangeliſtam voluiſſe interpretari, idque evincit hoc lemmate: quod *filius Timei* præcedit, cum interpretatio ſoleat ſubjici. Quis non invideat feliciſſimo *Stunicæ* ſuas delicias, ſuos riſus, ſuos cachinnos? Sed interim homo rerum omnium apprime doctus, non intelligit cachinnos hos non in me cadere, ſed in *Hieronymum* quem hîc ſequutus ſum. Ejus verba ſunt hæc in commentariis, quibus explicat Caput IV. Epiſtolæ ad Galatas: *Abba*, inquit, *Hebraicum eſt*, *id ipſum ſignificans quod & pater*, *& hanc conſuetudinem in pluribus locis Scriptura conſervat*, *ut Hebraicum verbum cum interpretatione ſua ponat. Bartimeus filius Timei*, *Aſer divitiæ*, *Tabitha*, *Dorcas. Et in Geneſi Meſech*, *Vernaculus*, *& cætera his ſimilia.* Hoc igitur non *Theſeus* me docuerat, ſed *Hieronymus*, à quo non vult me ullo pacto diſſentire, cum ipſe hujus commentum etiam cachinnis diffluens exſibilet. Atque hîc habet elenchus marginalis: *Error* Eraſmi *in Lingua Hebraica*. Et ſi quid errarem, in quacunque Lingua, ego puto hoc ingenii maledici ſpecimen, quod de ſe præbet *Stunica*, pejus eſſe ſexcentis erratis litterariis.

Ex Lucae Cap. I. Annot.

Et *poſtulans pugillarem*. Ut obſervarem & temporis & numeri rationem, quandoquidem Græcis eſt αἰτήσας πινακίδιον, non damno quidem, quod vertit Interpres, ſed malo, *poſtulata tabella:* Latine, ni fallor, ac dilucide reddidi ſenſum Euangeliſtæ. Quid igitur queritur *Stunica?* An quod variarim id quod erat rectum? Atqui iſtud ad intellectum Scripturarum conducere docuit nos *Auguſtinus*. Certe ſuos pugillares adhuc habet *Stunica*, ſi non placent tabellæ. Rejicit, quod argutabar, quomodò ſcripſit *poſtulans pugillarem*. Nondum enim habet, qui poſtulat. Ait in his aliquoties præſens poni vice præteriti. Fortaſſis vere dicit, ſed id fit perquam raro, nec ſine incommodo ſermonis. Cæterum in illo videor *Stunicæ* valde ridiculus, quod arguter hoc modo: *Si dixit*, *quid opus erat ſcribere?* Et ſolvo nodum, ut *dicens* referatur non ad *Zachariam*, qui adhuc erat mutus, ſed ad ſcripturam loquentem; loquebatur enim non lingua, ſed ſtylo: nam mox additur, illi apertam fuiſſe linguam. Obſecro te, lector, quid abſurdi vides in his verbis? & tamen *Stunica* non putat vivere quenquam tam ἀγέλαστον, qui hæc legens poſſit à riſu temperare. Sed adverte quæſo, quam ſe præbeat ridiculum, dum me ridiculum facit. Scribit enim homo argutus hunc in modum: *Quaſi cum quis aliquid ſcribit*, *etiamſi is mutus non ſit*, *non tacens id ſcribat*, *ac mente potius ſcripturam dictet*, *quam prolatione verborum.* Hoc quid ad rem faciat, prorſus non intelligo. Certe nihil vetat, quo minus aliquis & ſcribens loquatur ea, quæ ſcribit. Sed ſuavius eſt, quod pergit nos docere velut è cathedra: *Sciendum igitur*, inquit, *non ad ſcripturam*, *quæ loqui non poterat*, *illud* dicens *referri debere*, *ſed ad* Zachariam, *qui ea per ſcripturam dicebat*, *quæ animo conceperat.* Quid hac inſcitia craſſius? Docet nos, quod ipſe ſcripſeram, & carpit quod non intelligit. Quid enim aliud eſt ſcriptura loquens, quam ſcriptor tacitus, ſcriptura loquens, non lingua? Sed magis etiam ridiculum quod addit, *ut omittam quod* γεγφὴ, *id eſt*, *ſcriptura*, *in Græco fœminini generis eſt*, *ſicut in Latino:* & λέγων, *id eſt*, *dicens*, *maſculinum*, *quod in Græco cum ſcriptura nequaquam convenire poteſt.* Non ſenſit me non de voce loqui γεγφὴ, ſed de re: nimirum *Zachariam* ſcripto, non lingua fuiſſe loquutum. Ecce lector, quales habeo cenſores, quales irriſores? Sed reprimo me. Non difficile fuerit odorari, quas Annotationes è ſuo ingenio commentus ſit *Stunica*, quas ex alienis Annotationibus ſit mutuatus. Hanc facile ſibi ceu germane germanam vindicabit.

Ex Cap. II. Annot. I.

Sub *præſide Syriæ Cyrino*. Cum Græce ſit Κυρλωίῳ verto & annoto duobus verbis duntaxat. *Stunica* vult hanc vocem Romanam, perperam uſurpatam ab Euangeliſta Græce ſcribente, cujus generis ſunt & illa Ἀκύλας, pro *Aquila*, Πόδης pro *Pudens*, & Κοίντος pro *Quintus*. Atqui in cæteris erat cauſa depravandi, velut in κοι & ακυ, cum *q.* litteram Græci neſciant, & in δης, quod nulla ſit Græcis dictio deſinens in *ens*. Cæterum quid opus erat addere ſyllabam in Κυρλωίος. Deinde ſi Latinus Interpres Romanam vocem voluit ſuo ſono reddere, cur non dixit *Quirinus?* Cur idem non fecit *Ruffinus* interpres *Joſephi?* Et tamen hac de re, quoniam levis eſt momenti, non digladiabor cum quoquam.

Eodem Annot. II.

Et *pannis eum involvit*. Non damno quod vertit Interpres, ſed malo, *& faſciis eum involvit*. Græcè eſt ἐσπαργάνωσεν. *Stunica* fatetur σπαργανώμασι Græcis dici primas illas faſcias, quibus colligantur pueri recens nati, ne corpus tenerum diſtorqueatur, ſed rectum evadat. Porro quod addit è *Suida*, σπάργανα Græcis proprie dici ῥάκη, id eſt, *pannos*, non eſt credendum, ῥάκη nihil aliud ſonare Græcis, quam pannos viles ac detritos, cum apud *Matthæum* legamus, ῥάκῳ ἀγναφου, cum loquatur de panno novo aſſuto veteri, & *pannum purpureum* dixit *Horatius*, pro parte veſtis magnificæ aſſuta veteri vilique. Porro quæ citat ex *Ambroſio* de *Chriſto* pannis involuto, non hoc evincunt, ut intelligere cogamur *Chriſtum* laceris ac vilibus pannis involutum, ſed huc dejectum, ut infantulus faſciis involveretur, qui regnabat in cœlis: *Quia in pannis eſt*, inquit,

quit, *vides: quia in cœlis eſt, non vides.* Quod ſi faſciæ fuiſſent purpureæ, tamen declarant, Deum vehementer demiſſum à divina majeſtate.

Ex Cap. iii. Annot. I.

PROCVRANTE *Pontio Pilato Judæam.* Cum Græce ſit ἡγεμονεύοντος, ego verto *præſidente*, ſeu potius *præſide*, non damno tamen quod vertit Interpres, ſed ajo illum delectatum varietate, qui nunc vertat *procurante*, quod paulo ante vertiſſet *præſide*. Hæc mea verba ſimplicia detorquet ac depravat *Stunica*, quaſi tacite carpſerim Interpretem, quod improprie ſit abuſus *procurante*, pro *præſidem*, ſive *præfectum agente*, & docet recte dici *procurare provinciam*, qui publicis provinciæ negotiis præeſt. Quod docet *Stunica*, non ignorabam: quod interpretatur, nec ſcripſi, nec unquam mihi venit in mentem. Et tamen quando illud erat curæ *Stunicæ* ut doceret, *procurare*, qui præſes eſſet, debebat è Jureconſultorum veterum litteris, atque è probatis Latinæ Linguæ Auctoribus exemplum adducere potius, quam è *Ruffino Joſephi* interprete. Quod tamen arbitror ignoſcendum homini, qui videtur in nullis Romanæ Linguæ Scriptoribus fuiſſe verſatus, ſed Hebræorum voluminibus magis fuiſſe delectatus. Nam vehementer addubito, an quiſquis præſes eſt provinciæ, idem recte dicatur *procurare provinciam.*

Eodem Annot. II.

QVI *fuit Salathiel.* Cum in contextu reliquerim *Salathiel*, ut habebat Editio vulgata, tantum in Annotationibus annoto, rectius fortaſſe dici *Sealthiel*, cum ita ſonet Hebræis. *Stunica* fatetur eſſe verum quod indico, ſed vult hanc vocem unam eſſe de numero earum, quas Græci uſurpando nonnihil depravant. Hæc an ita habeant, neque refert admodum, neque ad me pertinet. Nec erat cur hîc *Stunica* ob rem nihili debaccharetur in *Oecolampadium Theſeum*, trium Linguarum peritum, auctore me. *Oecolampadium* non norat *Stunica*, niſi noſtra prædicatione: quem opinor ob hoc ipſum odit, quod à me ſit prædicatus. At ego, qui utrumque novi, pluris facio unum *Oecolampadium*, quam *Stunicas* decem.

Ex Cap. vii. Annot.

PAVPERES *euangelizantur.* Cum in contextu nihil mutarim, tantum annoto, *pauperes* hic dici manſuetos ac mites, idque more Hebræorum, quibus עניין vertitur *pauper* ab *Hieronymo*, à Septuaginta *manſuetus*, quod fere divitias comitatur ferocia: & in Euangelio beati pauperes vocantur, qui manſueti ſunt, minimeque feroci ſpiritu. *Stunica* vult LXX. deceptos ſimilitudine litteræ. Quod an verum ſit, quoniam mea non refert, aliis excutiendum relinquo.

Ex Cap. x. Annot.

MARIA *optimam partem elegit.* Cum Græce ſit ἀγαθλὼ, verto *bonam* pro *optimam*, & tamen addo nonnullam epitaſeos vim eſſe in articulo Græco τλὼ ἀγαθλὼ, id eſt, partem illam certam, quæ vere bona eſt, velut excuſans ac probans, quod fecit Interpres, tantum abeſt ut reprehendam. *Stunica* docet, Hebræos, quod comparativis ac ſuperlativis careant, nonnunquam abuti poſitivis, id factum eſſe vult hoc loco. Non hîc pugnabo cum *Stunica*, ſed demiror, cur id hoc loco fecerit Interpres Latinus potius, quam innumeris aliis. Illud verum eſt, *Auguſtinum* & *Ambroſium* pro *optimam* legiſſe *meliorem.*

Ex Cap. xii. Annot.

VT *det illis in tempore tritici menſuram.* Oſtendo Græcis compoſitam eſſe dictionem σιτομέτριον, ut non ſolum ad triticum pertineat, ſed ad alia quoque, quibus veſcuntur famuli, hoc eſt, ad demenſum cibum. Hîc multis modis offenditur *Stunica*, quod non diſtinguo σῖτον à σῖτος, cumque dixerim eandem vocem ſonare *cibum*, non addiderim mutato genere. O piaculum! Non enim hoc agebam, neque id refert ad dictionem compoſitam, quæ non minus compoſita videri poteſt ex σῖτον quam ex σῖτος. Deinde quod citato *libros* Catonis *de Re ruſtica* cum ſit unus duntaxat, quaſi non recte citetur è Prophetis, quod in uno quopiam Propheta ſcriptum eſt, qui unus eſt è multis. Ita *libros* dixi *de Re ruſtica*, quod *Catonis* liber ſit inter eos, qui tractant de re ruſtica. Poſtremo notat, quod illic ſecus legatur, quam cito. Hæc ita levia ſunt, ut non referat defendere, & tamen pro quamlibet levibus debebamus gratiam monitori, ni tam ſævus eſſet *Stunica*, ut ipſe veluti *Scyria capra*, quod eſt in proverbiis, perdat officii ſui gratiam.

Ex Cap. xiii. Annot.

HIERVSALEM *Hieruſalem, quæ occidis.* Non mutaram quidem lectionem vulgatam, ſed tamen in Annotationibus ſubmonueram, poſſe verba eſſe tertiæ perſonæ, *quæ lapidat* & *occidit* propter pronomen αὐτλὼ, quod non videtur convenire ſecundæ perſonæ, ni primam habeat adſpiratam αὑτλὼ. *Stunica* contendit, αὐτὸς omni congruere perſonæ, id verum eſt, cum habet emphaſim diſcretionis, αὐτὸς ἔγραψα, αὐτὸς ἔγραψας, αὐτὸς ἔγραψε. Verùm alioqui non arbitror idem licere. Porro nihil eſt, quod hîc cogat *Hieruſalem* eſſe vocativi caſus. Jam quod verteram, *eos qui mittuntur*, nihil aliud fuit in cauſa, niſi quod tum uſus ſum codice, qui habebat ἀποστελλομένους: cum ſcriberem Annotationes uſus ſum, qui ſecus haberet. Nec enim res acta eſt eodem in loco. Quædam annotaram in *Britannia*, pleraque *Baſilea*, ac pro tempore diverſis ſum uſus Exemplaribus, nec unis tamen. Porro cum perventum eſſet ad *Lucam*, ita ſum afflictus adverſa valetudine, ut coactus ſim totum laborem conferendi dies aliquot intermittere, nec tamen poterant ceſſare operæ, quod futurum erat magno Typographi diſpendio. Et ob id pollicitus ſum alteram Editionem, qua ſarcirem, quod in priore fuiſſet ceſſatum, id quod & fecimus.

Ex Cap. xvi. Annot.

ET *erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Obiter annotaram, quid Hebræis ſonet *Lazarus*, nimirum *adjutus à Domino.* Sic me docuerat liber interpres nominum Hebraicorum, ſive *Beda* ſit auctor, ſive *Remigius. Oecolampadius* non diſſentiebat, quem non video cur hic *Theſeum* meum vocet nunc primum à me confictum. Hoc ſane quid convitii ſit neſcio, non enim ſentit, opinor, me ficto nomine voluiſſe tegere lapſus meos. Et tamen *Stunica* refellens, quod ego poſueram, nihil adfert præter meram divinationem, eamque pene frigidam. Vult enim *Lazarum* eſſe dictum ab *Eleazaro*, reſecta prima vocabuli ſyllaba. Apud me nondum eſt tam levis auctoritas illius libelli, quem ſequutus ſum, aut *Oecolampadii*, ut *Lapidis* ſubſcribam conjecturæ. Quanquam res alioqui nullius pene momenti eſt.

Ex Cap. xix. Annot.

ET *præcurrens adſcendit in arborem Sycomorum.* Cum in contextu reliquiſſem id quod habet noſtra translatio, duobus verbis annoto, hoc loco *Sycomoream* eſſe, non *Sycomorum*, & interpretor *fatuam Ficum*, non diſſimulans tamen ſcrupulum, quod apud Græcos *Sycomorus* & *Sycomorea* ſcribatur per *o* micron, cum Græcis μωρὸς fatuus, habeat *ω* mega, nimirum etymologiam vocis indicans potius, quam naturam arboris explicans. Neque enim hoc tum agebam, lectionis duntaxat negotium tractabam, alioqui volumen mihi creviſſet in immenſum. Quod ſi Sycomorus Caprificus non eſt, certe nomen habet cum illa commune, quod fatua dicitur: certe ſucco fœtuque, qui ignavi ac diluti ſaporis eſſe ſcribitur *Dioſcoridi* ac

Theo-

Digitized by Google

Theophraſto, refert Caprificum : foliis, arborem Morum, quæ & ipſa voce Græca fatua dicitur, quam *Dioſcorides* putat eandem cum ea, quam Græci vocant μορέαν. Porro arborem hanc infamem olim fuiſſe fatuitatis & ignaviæ nomine, declarat illud, quod *Athenienſes Syllam* per contumeliam appellarint ζυκάμινον ἀλφίτῳ πεπασμένον, idem Sycomorum ſive Sycaminum (nam hoc quoque tertium nomen eſt huic arbori) polenta maceratum. Jam cum conſtet, Morum arborem apud Latinos in carmine primam habere productam, cumque conveniat Sycomorum ob foliorum ſimilitudinem hinc eſſe dictam: mihi non diſſimile videtur, depravatione Librariorum factum apud Græcos, ut Sycomorus per *o* micron ſcriberetur. Hoc aliquanto credibilius, mea quidem ſententia, quam quod adfert *Stunica*, ſic Morum producere primam ſyllabam apud Latinos Poetas, quemadmodum apud *Homerum* ἐλώεσσα ob ſequentem liquidam. Nec video cur *Stunica* putet huic arbori nomen immutandum, ut dicatur *Ficomorus*, permixta Græca voce cum Latina, idque quod eſt durius more Græco. Nos enim potius diceremus *Ficimorus*, quemadmodum Caprificus. O periculum Eccleſiæ, ni hæc fuiſſent excuſſa!

Ex Cap. xxiii. Annot.

Hortabar ut titulum crucis triplici Lingua paſſim haberemus depictum, quem *Joannes*, inquam, ad hanc ponit formam. Hîc *Stunica* monet lectorem ne putet à *Joanne* titulum tribus Linguis fuiſſe deſcriptum, & bene monet. Nam ego non de Lingua, ſed de ſenſu loquebar, quem ex *Joanne* volebam verti in reliquas duas Linguas. Cæterum quod argutatur, quibus elementis Hebraice ſcribatur nomen *Jeſu*, quando ad me non pertinet, neque nunc vacat in his multum otii ponere, aliis Judæorum amicis excutiendum relinquo.

Ex Evang. Joannis Cap. i. Annot. I.

Et *verbum erat apud Deum*. In Annotamentis ſcribo hunc in modum: *Mos enim hic eſt divinæ Scripturæ, plerunque* Dei *vocabulum, licet omnibus Perſonis ex æquo commune, Patri tribuere, & haud ſcio an uſquam legatur* Dei *cognomen aperte tributum* Chriſto *in Apoſtolorum & Euangeliſtarum litteris, præterquam duobus aut tribus in locis*. Hoc cum in prima Editione ſimpliciter admonuiſſem, haudquaquam in dubium vocans, an *Chriſtus* eſſet Deus & homo, quod nobis indubitatiſſimum eſſe oportuit, etiamſi ſemel duntaxat in ſacris Litteris legeretur, ſed ut ſtudioſus lector inquireret, quo conſilio Apoſtoli palam ac perpetuo tribuant cognomentum *Dei* Patri, Filio ac Spiritui Sancto non item. Quoniam ſenſeram nonnullos offenſos hoc loco, aut, quod magis arbitror, anſam hinc arripuiſſe calumniæ, in poſteriore Editione adjeceram hæc verba: *Etiamſi compluribus ex locis certo colligitur*, Chriſtum *fuiſſe Deum non hominem tantum*. Hoc igitur fundamento fixo & inconcuſſo paucis diluam *Stunicæ* argumenta, qui locum hunc atrociter eſt inſectatus. Primum, quod dixi, *duobus aut tribus locis*, non numero loca, ſed vulgari more ſermonis, pauca ſignifico loca. Quod etiamſi me fefelliſſet memoria, cum hoc ipſo loco teſter, Dei vocabulum in omnes Perſonas ex æquo competere, non erat cur quiſquam metueret aliquid ab *Arrianis*. Fortaſſe ſuſpicari poterat aliquis, hoc parcius fuiſſe factum ab Apoſtolis verentibus, ne id temporis quorundam aures profanæ non ferrent homini tribui Dei vocabulum, fieretque ut prius reſilirent ab Euangelica doctrina, quam cœpiſſent Euangelii myſteria diſcere. Sic primum *Chriſtus* ſuis mandavit, ut pœnitentiam prædicarent, de *Chriſto* tacerent. Et *Petrus* ac *Paulus Chriſtum* rudibus adhuc prædicantes, virum & hominem appellant, de Deo tacent. Jam ad loca decem, ut ait, quæ mihi objicit *Stunica*, paucis reſpondebo. *Matthæus* refert ex *Eſaia* Cap. vii. teſtimonium: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus*. Hîc vult *Chriſtum* manifeſte vocatum Deum, præſertim cum ita interpretetur *Hieronymus*, enarrans hunc Prophetam. Primum, nec in verbis Prophetæ manifeſte *Chriſtus* appellatur Deus, ſed ex indito nomine ſignificatur, illo nato Deum fore propitium humano generi. Cum his enim Deus eſſe dicitur, quibus favet. Quin & Græci σὺν τῷ Θεῷ, σὺν ταῖς Μούσαις fieri optant, quod illis propitiis ac faventibus fieri cupiunt. Nec hoc palam dicit *Hieronymus*, ad quod *Stunica* detorſit. Relegat attente locum prudens lector, & ſic eſſe comperiet. Nam nos brevitati ſtudemus in præſentia. Jam quod *Judæi* colligunt, *Chriſtum* ſibi vindicare divinitatem, quia ſe vocaret filium Dei, nihil contra me facit, nam non conſequi, ut quicunque ſit filius Dei, idem ſit natura Deus, docuit ipſe *Chriſtus*, oſtendens & pios homines appellatos filios Dei, atque adeo Deos eſſe dictos. Quod ſi maxime conſequeretur, nihil adverſum me facit, qui fateor, plurima eſſe loca in Libris divinis, è quibus certo colligimus, *Chriſtum* eſſe Deum. Porro quod hoc loco cum ait: *Et Deus erat verbum*, *Chriſtus* aperte vocatur Deus, mihi magis videtur certa ratiocinatione colligi, quam appellatione manifeſta. Docet enim *Joannes* verbum Dei fuiſſe ab initio, imo ſine initio, ante conditum mundum, idque verbum fuiſſe naturæ divinæ, idemque poſtea factum hominem. Quoniam autem ſic aſſumſit, quod non erat, ut non deſineret eſſe, quod erat, certo colligitur, eundem fuiſſe geminæ naturæ, divinæ & humanæ. Atque id ex multis divinæ Scripturæ locis colligi teſtatus ſum, impius futurus, ſi quid hac de re dubitarem. Sed evidentius eſt, quod *Thomas* contrectato latere *Chriſti*, exclamat: *Dominus meus & Deus meus*. Hîc aliquis tergiverſari poſſet, exclamationem eſſe, non aſſeverationem de *Chriſto*. Sed malo locum hunc unum eſſe ex eorum numero, in quibus *Chriſtus* manifeſte ſit appellatus Deus, nolo enim eſſe argutus cum offendiculo infirmorum, præſertim cum non diſputetur de *Chriſto*, ſed de lapſu memoriæ meæ, deque inſcitia Scripturarum. Nec aliud eſt periculum, ſi vincat adverſarius, quam ut *Eraſmus* non legerit, aut non meminerit locorum, in quibus *Chriſtus* aperte nominatur Deus. Porro quod ait *Paulus* in Actis Apoſtolicis Cap. xx. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quos vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*, poteſt eſſe duplex tergiverſatio. Primum, *Chriſtus* hic repeti poteſt, ex eo, quod paulo ante præceſſit, *quod accepi a Domino Jeſu*, &c. ut intelligamus, Eccleſiam dici Dei Patris, quaſi familiam ejus, quam *Chriſtus* Patri ſuo ſanguine aſſeruerit. Deinde poteſt accipi, ut Pater Filii ſanguinem ſuum appellet, propterea quod ipſo auctore Filius pro ſalute mundi mortem obierit. Ad locum, qui eſt in Epiſtola ad *Rom.* Cap. ix. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen*, tergiverſari poſſet aliquis, ſermonem ſic eſſe diſtinguendum, *qui eſt ſuper omnia*: deinde interjecto ſilentio, velut epiphonema adjiciat, *Deus benedictus in ſecula*, ut hæc clauſula ſit agentis gratias Patri, qui *Chriſtum* præfecerit omnibus. Cæterum locus qui eſt ad *Philippenſes* Cap. ii. *Qui cum in forma Dei eſſet*, &c. jam declaravimus & ab *Ambroſio* ſecus enarrari, quam de natura divina & humana. Nec eſt hîc proprie appellatio, nec apertum dici poteſt, ubi variant interpretes orthodoxi. Rurſum quod eſt ad *Coloſſ.* Cap. ii. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: præterquam quod negari poteſt appellatio, de qua nos fecimus mentionem, recipit & aliam interpretationem, nimirum *Chriſto* datum à Patre affatim, quicquid attinet ad humanam felicitatem, ut non oporteat nec à Philoſophis, nec à *Moſe*, nec ab Angelis, eam petere, quaſi repetierit *Paulus*, quod paulo ante dixerat: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Porro quod additur σωματικῶς, magis oppo-

Digitized by Google

nitur umbris Legis *Moſaica*, quam refertur ad naturam divinam. Ad hæc quod eſt in Epiſtola ad *Titum* Cap. II. *Exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris*, &c. præterquam quod ſermo palam eſt anceps, hoc enim negari non poteſt, docuimus *Ambroſium* priorem partem de Patre interpretari, non de Filio. Jam quod adducitur ex Epiſtolæ ad *Hebræos*, Cap. I. *Ad Filium autem thronus tuus Deus in ſeculum*, ut ne quid tergiverſer de auctoritate hujus Epiſtolæ, ut ne poſtulem mihi ſuffragari ſermonis amphibologiam manifeſtam, quemadmodum ſuo indicabimus loco, certe locus hic ex Vetere Teſtamento citatus eſt, cum ego loquar de Scripturis Apoſtolicis, quibus ipſi ſuis verbis *Chriſtum* prædicant. Quo quidem colore poteram uti & in primo loco, quem ex Propheta *Matthæus* adduxerat, *nobiſcum Deus*. Poſtremo quod adfertur ex Epiſtolæ *Joannis* primæ Cap. V. *Et ſumus in vero Filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita æterna*, ut omittam alias tergiverſationes, non cogimur, ut hoc accommodemus Filio. Poteſt enim hic eſſe ſenſus, imo hoc ſenſiſſe videtur, qui ſcripſit, Et ſumus non in Diabolo, aut mundo vano & fallaci, ſed in vero Patre, & hoc per Filium ejus *Jeſum Chriſtum*, per quem illi jungimur. Hîc enim Pater eſt verus Deus & vita æterna, fons omnium. Igitur ut finiam, cum ego loquutus ſim de vocabulo aperte tributo, teſtatus ratiocinatione pluribus ex locis poſſe colligi, ſentiens Patrem tot locis appellari Deum, Filium indicari potius, quam appellari, cum apertum ſit, de quo non varient interpretes orthodoxi, quod non pendeat ab allegoriis, de quo non queas tergiverſari, cum loquutus ſim de litteris Apoſtolicis, cum duo aut tria, dixerim pro paucis. Eat nunc & numeret ſuos decem locos *Stunicæ*, quibus arguat me non legiſſe ſacros Libros. Juxta rationem hanc vix duos inveniet, opinor, & tamen hac in re non libet eſſe diſertum. Malo ipſe lapis aut fungus haberi, quam aliquid per occaſionem decedere gloriæ *Chriſti*.

Ex Eodem Annot. II.

A *Nazareth poteſt aliquid boni eſſe. Auguſtinus* exiſtimat utrique pronuntiationi ex æquo congruere, *veni & vide*, ſive affirmative ſones, ſive interrogative. Et in codice, quo primum utebar, non erat addita nota interrogationis. *Stunica* contra dicit, in omnibus Græcis Exemplaribus, etiam vetuſtiſſimis, interrogationis notam eſſe additam. Demiror hominis felicitatem, ſi illi contigit oculis emiſſitiis omnia Græcorum Exemplaria videre. Certe cum hæc excuderentur *Baſileæ*, ſuppetebant nobis Exemplaria tria, unum, quod nobis præbuerat eximius vir *Joannes Reuchlinus*: duo, quæ præbuerat Monaſterium Prædicatorum *Baſileæ*, in quorum altero aderant commentarii Græci *Theophylacti*, quem nos toties adduximus nomine *Vulgarii*, quod *Theophylacti* vocabulum ob litteras detritas vix legi poſſet. Ex hoc *Stunica* toties facit *Athanaſium*, quod ſecus eſſe, vir tam naſutus vel è ſtylo debebat deprehendere. Siquidem *Athanaſius* ſpirat vim rhetoricam, hic ſimplex ac pene dilutus humi graditur. In his igitur ſi fuiſſet interrogationis nota, ſaltem admonuiſſem utriuſque pronuntiationis. Sed hoc non eſt ejuſmodi, ut hac gratia cuiquam ſit digladiandum.

Ex Cap. v. Annot.

E ST *autem Hieroſolymis probatica*. Cum in contextu Græco recte ſcriptum fuerit Βηθεσδὰ, ſuſpicari debebat, quod erat in Latino contextu, *Bethſeſda* per duplex *ſſ*. vitio Librariorum eſſe commiſſum, qui litteram priorem expunctam reliquerint, & addiderint, quam ſuo loco adſcripſeramus, ſimilique caſu contigiſſe, quod in Annotationibus ſcriptum ſit *Bethſeda*. Quod ſi mihi nolit largiri *Stunica*, neque nos illi largiemur tot κακογραφίας in hoc opere, non admodum magno. Subjicit *Stunica*, totum hunc locum à Librariis corruptum reſtituiſſe *Antonium Nebriſſenſem* omnium primum, quaſi illud agat, ne quid habeatur mihi gratiæ, quod *deſuper piſcina*, ſive *ad piſcinam* reſtitui. Sed hoc quicquid eſt laudis lubentes cedimus *Antonio*, cujus labores utinam ad nos quoque perferrentur.

Ex Cap. vii. Annot.

F LVMINA *de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Hîc adjeceram in Annotationibus. Ita diſtinguit *Joannes Chryſoſtomus*, ut, *ſicut dicit Scriptura*, referatur ad verbum, *credit in me*, & id quod ſequitur, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, verba ſint *Chriſti*, non Scripturæ, &c. Hîc *Stunica* non habet quod ſtomachetur, niſi quod adjecerim: Etiamſi *Lyranus* ex *Salomone* citata putat. Hîc duplici nomine indignatur, & quod *Lyranum* ubique derideam, & quod *Lyrano* tribuam, quod prior ſcripſerit *Hieronymus*. Certe hoc loco non derideo *Lyranum*: nec erat occaſio, cur hoc convitii miſceret *Stunica*, niſi data opera quæreret anſam maledicendi. Et palam falſum eſt, me paſſim irridere *Lyranum*: ſed illud veriſſimum eſt, *Stunicam* paſſim calumniari *Eraſmum*. Deinde non ideo nego dictum prius ab alio, ſi fateor hoc dictum à *Lyrano*. Et quod hîc ait *Hieronymus*, durius eſt & coactius, malimque *Chryſoſtomo* ſubſcribere: præſertim cum *Auguſtinus* etiam enarrans hunc locum eadem verba tribuat *Chriſto*, nec ullam Scripturæ faciat mentionem.

Ex Cap. viii. Annot. I.

A DDVCVNT *autem Scribæ*. Hîc ut docerem, hanc hiſtoriam de muliere in adulterio deprehenſa, non inveniri in omnibus Exemplaribus, cito *Hieronymum* teſtem præfatus his verbis: *Quin & divus* Hieronymus *in dialogo adverſus* Pelagianos *ſecundo, cum vehementer egeret hujus teſtimonio loci, quo quidem in caſu ſolet & ex apocryphis adducere teſtimonia, tamen hanc allegans hiſtoriam, ingenue fatetur, non in omnibus haberi codicibus*. Ac mox *Hieronymi* verba ſubſcribo: *In Evangelio*, inquit, *ſecundum* Joannem *in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere quæ accuſata eſt apud Dominum*. Sed reclamat *Stunica*, dicens ſcriptum eſſe in meis ſcholiis, *non inveniri*. Verùm ſciat hoc à me non ſcriptum, ſed ab emendatore parum attento depravatum inter excudendum. Quod in præfatiuncula citationis viſus ſum illi hoc dicere, cum ajo, *ingenue fatetur, non in omnibus haberi codicibus*. Ratiocinatus ſum autem hoc ſenſiſſe *Hieronymum*, quod ſcriberet *in multis, & Græcis & Latinis codicibus haberi*, nimirum indicans non eſſe in omnibus, ſed hîc auctoritatem concilians huic hiſtoriæ, quod in multis voluminibus haberetur. Nec hîc meum errorem in Typographos confero, quorum utinam eſſet ea fides ac diligentia, ut hoc κρησφύγετον in totum nobis occluderent, ſed frequentius hos accuſare cogimur, quam velimus. Quam excuſationem ſi non recipit *Stunica*, videat quam legem præſcribat ſibi. Atque adeo, quod dicimus, ipſe ſuſpicari debuerat *Stunica* potius, quam ad illa odioſa deſcendere, *Eraſmus* falſo citavit verba *Hieronymi*. Cæterum quod in prima Editione putaram non exſtare commentarium *Auguſtini* in hanc hiſtoriam, in ſecunda Editione correxi, & in Apologia, qua *Leo* reſpondi, ingenue fateor me fuiſſe falſum, in quo falſus fuerat & ipſe *Leus*, dum neſcio quo caſu tum in codice quæſitum locum non invenirem, ſive quod tumultuanter quærerem, ſive quod paginis luxatis non occurreret ſuo loco.

Eodem Annot. II.

Q VINQVAGINTA *annos nondum habes*. Indicaram, in Homiliis *Chryſoſtomi* legi *quadraginta annos*, pro *quinquaginta*, & *adjectum eſſe vice commenti, ac ſi prope jam accederet ad eam ætatem*. *Stunica* refellit hoc commentum hujuſmodi lemmate, *Nam quod addit*, inquiens, vice commenti, ac ſi prope jam accederet

Digitized by Google

deret ad eam ætatem, *potius videtur ex illis verbis* Chryſoſtomum *legiſſe* quinquaginta, *quam* quadraginta. Quid ego audio? homo natus annos plus minus triginta, num propior eſt anno quinquageſimo, quam quadrageſimo? Non opinor hoc *Stunicam* ſcripſiſſe ſerio, ſed voluiſſe facere periculum ingenii mei, quem totics appellat eraſſum, rudem, ac denique *Batavum*. Et tamen ſuſpicor locum in *Chryſoſtomo* verſo non carere mendo, quod ingenue fateor in Editione ſecunda. Demiror ubi legerit *Carrenſis*, quod citat ex *Chryſoſtomo*, cum in his, quæ nos habemus, non ſit: *Potuit*, inquit *Stunica*, *legiſſe in iis*, *qua* Eraſmus *non vidit*. Satisfaciet *Stunica* ſi protulerit ipſe, qui nihil non vidit, neque carptim legit Auctores, neque quicquam obliviſcitur.

Ex Cap. XII. Annot. I.

MARIA *ergo accepit libram*. Græcam vocem λίτραν ſuſpicabar ab Euangeliſta deflexam à Latina *libra*. *Stunica* contra docet, Latinos *libram* deflexiſſe à λίτρα, ac propemodum mihi perſuadet, niſi quod fieri potuit, ut quemadmodum barbaræ quædam voces una cum ipſis rebus importatæ ſunt in Græciam, quod genus ſunt, πίπερι, σίνηπι, ita *libra* demigrarit à Romanis ad Græcos, quod non appareat, quæ ſit Græcæ vocis origo, cum Latini complures voces habeant à *libra*, *libella*, *librare*, *æquilibrium*, *bilibris*, &c.

Eodem Annot. II.

NARDI *piſtici*. In Annotationibus adſcripſeram, *de hoc dictum eſt in Luca*, *nam iiſdem verbis utitur uterque*, cum dicere debuerim *de hoc dictum eſt in Marco*. Quod ait *Stunica* verum eſt, ſed ipſe prior id adverteram, & correxeram hunc lapſum in Editione ſecunda.

Ex Cap. XIV. Annot.

ET *ſermonem quem audiſtis*, *non eſt meus*. Hic cum nihil ſit cauſæ, tamen admiſcet ſtomachum *Stunica*: *Ne hunc quoque locum*, inquit, *intactum præteriret*. Et rurſus aliquanto poſt: *Quo vel ſic*, inquit, *Interpretem notaret*. Imo *Laurentius* accuſat Interpretem, ego excuſo, qui ſuſpicor locum eſſe depravatum. Porro ut *Stunica* doceat hoc ſermonis genus fuiſſe uſitatum, citat loca quædam è Poetis, cum magis oportuerit ex Oratoribus. Quanquam hoc quicquid eſt, exigui momenti arbitror.

Ex Cap. XVIII. Annot.

TRANS *torrentem Cedron*. Admoneueram, ex addito Græcis articulo τῶ κέδρων, *Cedron* non videri nomen Hebraicum. *Stunica* docet eſſe Hebraicum, & in Græcis codicibus omnibus corrupte addi articulum pluralis numeri, cum τὸν aut τὸ addatur apud Septuaginta. Quanquam nec id perpetuo comperio verum, quod docet *Stunica*. Siquidem libri Regum III. Cap. XV. legitur ad hunc modum in Editione *Aldina*, ἢ ἐνέπρησε πῦρ ἐν τῷ χειμάρρῳ τῶ κέδρων. In cæteris locis nullus additur articulus, nec ſcribitur κεδρεὼν, quemadmodum refert *Stunica*, ſed κέδρων. Quanquam facile conceſſerim hos locos à Librariis eſſe corruptos. Neque gravate ſubſcribo ſententiæ *Capnionis*, ac *Stunicæ*, præſertim cum ſuſpicer hunc hauſiſſe ex quinquagenis *Ælii Nebriſſenſis*.

Ex Cap. XIX. Annot. I.

ET *ſedit pro tribunali*. Neſcio quo malo fato, cum hæc primum ederem, incideram in mendoſum Exemplar Latinum, in quo pro *Gabbata* ſcriptum erat *Golgotha*, id mendum ſuſpicans eſſe in pleriſque codicibus corrigo, admoneoque ſubſtituendum *Gabbata*, ſic res habet, fateor hac in parte meam infelicitatem. *Stunica* negat uſquam inveniri *Golgotha* hoc loco. Tanto quidem me felicior, atque utinam mihi nunquam contingeret incidere in ullum locum mendoſum.

Eodem Annot. II.

SCRIPSIT *autem & titulum Pilatus*. Adjeceram in Annotamentis, *Euangeliſta Latina voce eſt uſus τίτλον*, *cæteri vocaverunt αἰτίαν*. Hic *Stunica* me medium tenens: *Solus*, inquit, *Matthæus vocavit αἰτίαν*. At non agnoſcit, ἐτέρωσιν numeri, qua excuſatur quod latrones maledixerint *Chriſto*, cum unus maledixerit. Adjeceram, dicere poterat ἐπιγραφήν. Hîc *Stunica* me notat, quaſi videri voluerim novum aliquid ex me adferre, cum apud *Marcum* & *Lucam* ſit ἐπιγραφή. Imo demonſtravi, non fuiſſe neceſſe aduti voce Latina, cum in promtu eſſet Græca. O ſerias Annotationes, & *Complutenſi* Theologo dignas!

Ex Actis Cap. I. Annot. I.

ET *conveſcens præcepit*. Quoniam hac de re & plura diximus in ſecunda Editione, & *Leo* reſpondimus, maluimus eo relegare lectorem, præſertim cum res paucis tractari non poſſit, conjecturam *Stunicæ* de etymologia συναλιζόμενος, quod à ſale ducatur hæc vox, & nos in tertiam Editionem adjeceramus, ac magnopere placeret, ſi quem haberet auctorem. Cæterum quod nos adduxeramus de voce *conveſcens* depravata pro *converſans*, hauſeramus ex *Vallæ* ſcholiis.

Eodem Annot. II.

TVNC *reverſi ſunt Hieroſolymam*. Hîc magnis convitiis mecum agit *Stunica*, quod fiſus commentariis *Lyrani*, & Gloſſæ ordinariæ, putarim, iter Sabbati non eſſe longius quam mille paſſuum. Atqui vel hinc liquet, non paſſim à me rideri *Lyranum*, cum illi tantum hoc loco tribuerim. Nam Gloſſæ ordinariæ nemo neſcit quanta ſit auctoritas apud Theologos. Cum his igitur juſtius litigaſſet *Stunica*, quam mecum, præſertim cum verſarer in opere tumultuario, nec adeſſent quinquagenæ *Nebriſſenſis*, quibus Annotationes meas locupletarem. Quanquam autem hoc loco quædam adducit *Stunica*, nequaquam indigna cognitu, tamen aſſumit nonnulla, quæ maluiſſem ab ipſo probari. Aſſumit enim, nec probat, leucam complecti quater mille paſſus.

Eodem Annot. III.

HI *omnes perſeverabant*. Quod eſt σὺν γυναιξὶ, & Interpres vertit *mulieribus*, indicavi verti potuiſſe, *cum uxoribus*, quod ſeparatim addiderit Matrem *Jeſu*, & γυνὴ Græca vox ſit anceps ad quamvis mulierem & ad uxorem, *Stunica* mavult intelligi de mulieribus, quæ primum doctrinæ gratia ſequutæ Dominum, poſt non deſeruerunt ſenatum Apoſtolicum. Hoc, quod *Stunicæ* magis placet, & nos ſequuti ſumus in vertendo. Porro quod *Hieronymus* ſcribens adverſus *Jovinianum*, putat reliquos Apoſtolos uxoribus caruiſſe, propterea quod aperte de *Petro* ſcriptum ſit, quod uxorem habuerit, de cæteris tacitum ſit, non poteſt aliud eſſe quam argumentum probabile, aliquanto plus habiturum ponderis, niſi hoc ſcripſiſſet pugnans adverſus *Jovinianum* nuptiarum immodicum præconem. Certe *Clemens* apud *Euſebium* Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Lib. III. non veretur & *Philippo* & *Paulo* tribuere uxorem, cujus hic duobus in locis meminerit in Epiſtolis ſuis.

Eodem Annot. IV.

ITA *ut appellaretur ager ille Acheldemach*. Indicaram Græcis legi ἀκελδεμὰ Aceldema, *quod propius accedat ad vocem Hebraicam*. Hactenus nihil incuſat *Stunica*, imo docet hoc ipſum, quod admonueram: ſed *Hebraicam vocem* dixi, quæ ſit *Chaldaica*. Hoc niſi alicubi facit *Hieronymus*, non deprecabor quin mihi magni criminis vice impingatur: eſt enim magna inter has Linguas cognatio. Deinde quid novi eſt, Hebræum vocari quo vulgo utantur Hebræi? Nam *Lucas* in Actis Cap. I. oſtendit *Hieroſolymitas* ſic fuiſſe loquutos, ita

Digitized by Google

ſcribens, *Et notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemach.* Porro equibus litteris Hebraicis ſcribatur *Aceldema, Theſeo* defendendum relinquo, quem *Stunica* ſatis impudenter ſcribit æque imperitum Hebraicarum litterarum, atque ego ſum.

Ex Cap. iv. Annot. I.

Convenervnt *enim vere in civitate.* Quod Græcis hîc eſt παῖδα, malebam *filium* verti, quam *puerum*, idque ex ſententia *Vallæ*. Scio *Hieronymum* multis locis contendere, in *Chriſtum* competere nomen *ſervi*. Contrà qui ſcripſit commentarios in Epiſtolam ad Hebræos, qui *Chryſoſtomo* tribuuntur, non patitur hoc cognomen tribui *Chriſto*. Et *Ambroſius* non probat eos, qui *Chriſto* ſervi formam adſcribant, quod humanam naturam aſſumſerit, ſed quod velut ſervus flagitioſus cæſus ſit & in crucem ſuffixus. Verùm huic contentioni me non admiſceo. Ego negavi in *Chriſtum* competere ſervi cognomen, quomodo non competebat in Apoſtolos. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos. Chriſtus* obedivit non ut ſervus, ſed ut filius, obedivit enim ſponte, ex caritate, non metu. Neque video, cur abhorreamus ab eo, ut *Chriſtus* juxta naturam dicatur ſervus, cum ſit homo: neque rurſus, cur hoc valde contendamus, præſertim cum ex ſacris litteris hoc cognomen nec aſſeri certo poſſit, nec abrogari, quandoquidem ut παῖς Græcis vox eſt anceps, ita ajunt & huic reſpondentem Hebræam. Sed quoniam hac de re reſpondimus jampridem *Leo*, non arbitror operæ pretium hîc repetere quæ ſcripſimus, tantum attingam, quæ peculiariter adduxit *Stunica*, qui cum antea tantum ageret Grammaticum, nunc minatur neſcio quid Theologicum, ac mihi tanquam Theologo, nam hoc nomine, ut ille ait, me jacto, denuntiat periculum duplicis hæreſeos, ſi negem *Chriſtum* fuiſſe ſervum: alterius, quæ eſt *Apollinariſtarum*, alterius, quæ eſt *Arrianorum*. Quaſi quiſquis negarit in Scripturis *Chriſtum* appellatum ſervum, is illi detrahat naturam humanam: aut quiſquis dicat, *Chriſtum* obediſſe Patri uſque ad crucem ut Filium, ſentiat cum *Arrianis*, qui negant Filium Patri æqualem. Atque ut hujus *Stunicæ* non minus petulans quam indocta maledicentia liqueat omnibus, ipſius verba ſubſcribam. Cum enim citaſſet ſummam eorum, quæ *Ambroſius* diſſerit in Epiſtola xlvii. ſubjicit: *Quæ cum ita ſint, viderit* Eraſmus, *qui ſe Theologum vocat, ne cum, dixit, ſervi appellationem in* Chriſtum *non convenire, in* Apollinariſtarum *errorem inciderit. Nam quod ſtatim ſubjunxit* Chriſtum, *tametſi obedivit & ſubditus fuit Patri juxta aſſumtum hominem, ut Filium tamen Patri obediſſe, non ut ſervum, videndum eſt ne* Arrium *redoleat. Cum enim Filius æqualis ſit Patri, & obedientia & ſubjectio minoritatem deſignet, palam eſt*, Chriſtum *non ut Filium obediſſe, & ſubditum fuiſſe, ſed ut ſervum, hoc eſt, juxta aſſumtum hominem.* Hæc tam ſtolida poſtquam evomuit, bellam addit clauſulam: *Sed hæc*, inquit, *& alia quam plurima hujuſcemodi ex* Eraſmi *Annotationibus, quæ nonnihil impietatis præ ſe ferunt, niſi potius ignorantia credenda eſt, ſecundo operi reſervamus.* Hactenus *Stunica*, qui quamdiu continuit ſeſe intra cancellos Annotationum *Nebriſſenſis*, habebat aliquid utcunque dignum lectu, at poſteaquam ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδήσας ſe præbere cœpit organum alicui ſycophantæ ψευδομανάχῳ (nec enim aliud ſuſpicari poſſum, quam hunc hiſtrionem ſubornatum, qui conductus fabulam ageret) miſerabiliter delirat. Primum, ego nuſquam contendo, *Chriſtum* non poſſe dici ſervum Dei, qui ſe facit miniſtrum omnibus: *Non venit*, inquit, *filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare. Sed eadem*, inquit, *ratione dicitur ſervus, qua dicitur homo.* Equidem iſthuc nec in præſentia magnopere cupio refellere, tametſi diverſum docet *Ambroſius* enarrans Epiſtolæ ad *Philippenſes* Cap. ii. Ipſius verba ſunt hæc: *Formam tamen Dei non accepiſſe dicitur, ſed eſſe in forma Dei: ſervi autem formam accepiſſe, dum quaſi peccator humiliatur. Servi autem ex peccato fiunt, ſic* Cham *filius* Noe, *qui primus merito nomen ſervi accepit.* Audis, lector, quod *Ambroſius* non tribuit *Chriſto* nomen ſervi, quod aſſumſerit hominem, ſed quod ſuſceperit injurias humanæ naturæ peccatis obnoxiæ. Ac ne putes hoc eſſe meum commentum, audi quid mox ſequatur: *Non enim*, inquit, *mihi ſicut quibuſdam videtur, ſic formam ſervi accepiſſe dum homo natus eſt.* Atque inibi continenter ſequitur: *Vide enim quid dicat*, hoc ſentire in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, *id eſt, Deo & homine. Ante incarnationem enim aut* Chriſtus *poteſt dici, aut* Jeſus, *quia ſimul ambo nomina & hominis filium, & Dei Filium ſignificant. Nam ante nativitatem quid dicit inter cætera:* Petra autem erat Chriſtus: *&*, Non tentemus Chriſtum, ſicut quidam tentaverunt. *Ubi ergo aut Deum, aut hominem vult ſignificare Scriptura, unum è duobus ponit, aut* Jeſum, *aut* Chriſtum. Hactenus *Ambroſius.* Hæc verba quorſum attinent, niſi ut naturam in *Chriſto* ſignificantes utramlibet, aut *Jeſum* dicamus, aut *Chriſtum:* injurias acceptas ſignificare volentes, dicamus *ſervum?* Ante ſuſceptum hominem, *ſervus* dici non poterat, poſt depoſitam mortalitatem *ſervus* appellari deſiit. Hæc ſenſiſſe videtur, qui hæc ſcripſit, quiſquis fuit: nam mihi ſubolet pannum eſſe aſſutum commentariis *Ambroſianis*, qualem nunc habemus Gloſſam ordinariam. Sed in Epiſtola damnat hæreſeos eum, qui negabat *Chriſtum* dici *ſervum.* Primum, diſpiciat calumniator, utri malit eſſe plus ponderis, commentario ſacro, an Epiſtolæ, quam miſit amico. Et tamen ſi quis propius introſpiciat, idem *Ambroſius* ſentit in Epiſtola, quod docet in commentariis: Hæreticus ille negabat *Chriſtum* vere paſſum; at vere pati non potuit, niſi verus fuiſſet homo. Quatenus paſſus eſt, *ſervus* eſt dictus, ſecundum humanam naturam paſſus eſt. Ita fit, ut qui non fateatur vere paſſum, inficietur hominem verum fuiſſe. Nec tamen protinus conſequitur, *ſervum* fuiſſe dictum ſimpliciter, quatenus erat homo: poterat enim eſſe homo, & tamen immunis ab afflictionibus ac ſuppliciis. Quin in eadem Epiſtola ſic vult *Chriſtum* dici *ſervum*, ut dictus eſt *peccatum, maledictio,* & *opprobrium.* Hæc in eum non competebant niſi fuiſſet homo, & tamen non competebant ſimpliciter, quatenus erat homo: poterat enim eſſe homo, nec eſſe tamen peccatum. Atque hoc eſt magnificum lemma, quo me facit *Apollinariſtam* egregius cenſor meus *Stunica.*

Nunc vide quibus argumentis me faciat *Arrianum: Obedivit, inquit* Eraſmus, *ac ſubditus fuit, ſed non ut ſervus, verum ut filius, ſed Filius æqualis eſt Patri, non fuit igitur ut Filius Patri ſubditus.* O acumen, omni, quod ait *Hieronymus*, piſtillo retuſius! Tot locis *Paulus* ac *Joannes* vocant in *Chriſto* renatos *filios Dei*, & *Chriſtus* quatenus erat homo non dicetur *Filius Dei?* Præſertim cum in Euangelio *Chriſtus* ipſe ad hanc calumniam reſponderit. Filius Dei æqualis eſt Patri, & Filius Dei minor eſt Patre, propterea quod *Chriſtus* duplici ratione dicitur Filius Dei, natura & gratia. Verùm utcunque accipias Filium Dei, nihilo magis hæreſim ſonat hoc proloquium: *Filius Dei ſubditus fuit Patri*, quam hoc: *Filius Dei mortuus ac ſepultus eſt.* Nec interim tamen perpetuo verum eſt, quod aſſumit *Stunica*, minorem eſſe, quiſquis obediſſe dicitur, aut ſubditus eſſe. *Jeſus* paruit ac ſubditus fuit *Mariæ* & *Joſeph*, utroque major. Ut quod illis obediit, erat pietatis, multo magis pietati tribuendum ſi obediat Patri cœleſti. Non hîc adducam, quod orthodoxi non verentur dicere, Filium Patri ſubjiciendum, etiam ſecundum naturam divinam: ſed ita ut ſubjectio non faciat Filium Patre inferiorem, ſed Patris auctoritatem declaret. Quid autem abſurdi, ſi quis dicat, Filium etiam juxta naturam divinam obediſſe Patri? Si credimus *Hilario, fiat lux*, verba ſunt Patris mandantis Filio quid fieri vellet: Filius juſſu Patris condidit omnia. Deus genuit Filium, negari non poteſt: ſed utrum genuit obedientem an inobedientem? Eodem interpre-

te.

Digitized by Google

te missus est in regionem *Sodomitarum*. Nondum erat homo natus utique, qui missus mittentis exsequitur jussa, obtemperat atque obsequitur. Quod si major est quisquis mandat, & minor quisquis obtemperat, colligit *Stunica* Filium Patre minorem esse. Certe *Hilarius* hoc nomine fatetur Patrem Filio majorem, quod illius propria sit auctoritas. Sed hæc mihi parerga dicuntur, tantum in hoc adducuntur, ut magis liqueat calumniatoris impudentia, qui mihi tragœdiam movet, qui de natura humana sentiens dixerim, *Christum* obedisse Patri, sed ut filium: cum veteres orthodoxi non vereantur dicere, illum juxta divinæ naturæ proprietatem obedisse Patri ut filium, ut legatum ei qui legat. Ut igitur finiam, si servus dicitur, qui metu mali & conditionis necessitate suo fungitur officio, *Christus* absurde diceretur servus, ac ne nos quidem, quoties afflati Spiritu filiorum, in quo clamamus Abba pater, ultro quæ sunt pietatis expetimus: Sin servus appellatur addictus cultor ac diligens exsequutor alienæ voluntatis, nihil prohibet *Christum* juxta naturam humanam vocari servum Dei, sed ita, ut nihil interim vetet eundem juxta naturam eandem vocari Filium Dei, quod nullo metu, sed caritatis impetu volens passus sit. Habes impudentem *Stunicæ* calumniam, & his similium Annotationum pollicetur opus alterum. At ego malim esse obnoxius alicui opinioni hæreticæ, simplici quidem intellectus errore, quod accidisse videmus *Hieronymo*, *Cypriano*, aliisque probatissimis orthodoxis, quam laborare morbo, quo visus est laborasse, quisquis hæc scripsit. Alterutrum enim consequitur, ut aut ipse fuerit impudenter sycophanta, aut talibus locarit operam suam. Egon' *Christo* adimo naturam humanam, qui tot libris meis illam adoro? Egon' facio *Christum* juxta divinam naturam inferiorem Patre, qui toties detestor *Arrianos?* Ego me defendi ab hæresi, defendat ipse sese à suspicione perversæ ac malitiosæ calumniæ. Vocet me *Batavum*, appellet rudem, crassum, ebetem, ignarum, stipitem, plumbum, caudicem, non admodum commovebor, quis ferat ex talibus lemmatis, velut à scurra perfrictæ frontis impingi suspicionem geminæ hæreseos, & ejusmodi, non quæ lædat Pontificem, aut decreta Scholastica, sed ipsum *Christum?* Nec dubito tamen, quin hîc *Stunica* sibi perquam facetus ac salsus esse videatur.

Eodem Annot. II.

JOSEPH *autem, qui cognominatus est Barnabas.* Hîc mihi postulabo rursum illud juris, ut tametsi *Hieronymus* alicubi distinguit Linguam Hebraicam à Chaldaica, tamen dilatato nonnunquam usu vocabuli, liceat Linguam Hebraicæ finitimam & cognatam Hebræam vocare, qua vulgo Hebræos usos fatetur & *Stunica*. Admonebam, *Barnabas* sonare Hebræis *filium consolationis*, atque ita interpretatur ipse *Lucas* hoc in loco, consentiunt in voce codices omnes, tum Græci, tum Latini, atque etiam, opinor, mirabilis ille *Rhodiensis*, hoc nomine felix quod toties citetur à *Stunica*. Sic interpretatur liber Hebraicorum nominum interpres, sic & *Hieronymus* in libello, in quo exponit voces Hebræas ex Actis collectas: *Barnabas*, inquit, *Filius prophetæ*, *vel Filius venientis*, *aut*, *ut plerique putant*, *Filius consolationis*. *Stunica* negat *Barnabas* quicquam hujusmodi significare, quale *Lucas* interpretatur, & conjectat omnes Græcorum codices esse depravatos, atque à *Luca* scriptum fuisse *Barnahum*. An recte divinet *Stunica*, viderint alii, mihi non debet impingere errorem, qui *Lucam* & *Hieronymum* sequutus sum auctores.

Ex Cap. VII. Annot.

ET *transferam vos trans Babylonem.* Sic habent quidam Latini codices: contra nonnulli habent *in Babylonem*. Cæterum Græcis est ἐπέκεινα Βαβυλῶνος, id est, *ultra Babylonem*. Quanquam in *Amos* Cap. v. unde desumtus est hic locus, aliquanto secus legitur: μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Δαμασκοῦ, id est, *transferam vos ultra Damascum*. *Hieronymus* ita *Lucam* aut *Stephanum* excusat, ut sensum magis reddiderit Prophetæ, quam verba, is est, *transferam vos trans Damascum in Babylonem*, sive *trans Babylonem*. *Stunica* suspicari mavult & hunc locum in Græcis ac Latinis codicibus omnibus esse depravatum, & pro ἐπέκεινα Βαβυλῶνος legendum ἐπέκεινα Δαμασκοῦ. Negat hoc esse novum in sacris Litteris. Sic in Matthæo *Esaias* positum esse pro *Aseph*, & in eodem *Hieremiam* positum pro *Zachariam*. Sed hîc nihil accusat, nisi quod alias immodice curiosus, in hunc locum nihil annotarim. Verùm in tanta turba rerum fieri non potest, quin aliqua suffugiant oculos.

Ex Cap. VIII. Annot. I.

TANQVAM *ovis ad occisionem ductus est.* Hîc evidentem hallucinationem impingit mihi, quod in codice meo citarim ex *Esaiæ* Cap. L. quod habeatur in Cap. LIII. Quasi non in notulis numerorum passim errent Librarii, nec id facile deprehenditur ab eo, qui recognoscit, non adhibito antitypo. Id esse verum sentiet, qui viderit hunc numerum in secunda Editione fuisse repositum. Cæterum an *Æthiops* legerit ex Hebræo volumine, an Græco, quoniam nihil refert, nolim in eo verba fundere.

Eodem Annot. II.

INVENTVS *est in Azoto.* Hîc indicans elegantiam Latinæ vocis, *inventus est*, addideram, *Quis quærebat illum*, *ut illic fuerit inventus*, *& malo* repertus est, *quod qui subito*, *aut præter spem alicubi deprehenditur*, *Latine dicatur* repertus. *Stunica* dicit, Interpretem ridiculum fuisse futurum, si has Latini sermonis elegantias voluisset observare. Rem sane novam audio. Quod si ridiculus fuisset Interpres, mihi tamen non sit absurdum indicare, qui hoc negotium susceperam, ut quantum fieri posset sermonem Novi Testamenti à solœcismis repurgarem. Sed interim *Stunicæ* videtur oblitus, quod in præfatione dixit, eleganter & Latine vertisse Interpretem: & hujus causæ se patronum profitetur. Quomodo vertit eleganter, si puduit observare elegantias? Porro quod adjicio vocem Hebraicam, quæ respondeat *Azoto*, eam quoniam putat depravate scriptam, demiratur impudentiam meam, qui conscius imperitiæ meæ, non hîc consuluerim meum *Oecolampadium*. Atqui scire dignabitur *Stunica*, vocem hanc *Oecolampadio* auctore fuisse additam: cum hoc igitur res erat *Stunicæ*, non mecum.

Ex Cap. X. Annot. I.

QVOMODO *unxit eum Deus.* Ostenderam duplicem lectionem, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν, id est, *quomodo unxit eum*, & ὃν ἔχρισεν αὐτὸν, id est, *quem unxit eum*, admonens in posteriore lectione Latino Interpreti omittendum pronomen *eum*, id quod additur ex idiomate sermonis Hebræi. Hîc nescio quid argutatur *Stunica*, cum Interpres verterit è codice, qui habebat ὡς ἔχρισεν, non omittendum fuisse pronomen. Atque hoc ipsum est, quod annotaram. Cæterum utrum *Petrus* hæc Hebraice loquutus sit, an Græce, minimum refert, nisi quod *Stunica* placet, eum Græce loquutum fuisse, nec ob aliud, opinor, nisi quod suspicabatur hoc mihi minus probatum iri. Potuit autem Græcis loqui *Petrus* Hebraice, & tamen intelligi.

Ex Cap. XII. Annot. I.

PRAECINGERE *& calcea te caligas.* Καὶ ὑπόδησον τὰ σανδάλιά σου, verteram, *subliga soleas tuas*, quod olim sandaliis uterentur pro calceis: ea loris quibusdam subligabantur, ut hærerent pedibus. Hîc nescio quo consilio studet mutare Græcam scripturam, ac pro ὑπόδησον legere ὑπόδυζον, quod utraque vox Græcis sit ejusdem sonus. (sic enim *Stunica* licet loqui) Atque hîc nos docet rem plane novam, videlicet indui calceos, atque ut hoc credamus adducit auctorem *Suetonium*. At tan-

Digitized by Google

tandem homo civilis permittit, ut vetus ſcriptura ὑπόδηζον maneat. Sed quid opus erat hac divinatione, cum ὑπόδηζον probe quadraret, vèrbum Græcis uſitatiſſimum, & codicum maximus ſit conſenſus?

Eodem Annot. II.

Pvlsante *autem eo ad oſtium janua.* Non negat *Stunica*, πυλῶνα Græcis & *oſtium* ſignificare, & *veſtibulum*, nos itaque vertimus *veſtibulum*, alioqui non quadrabat, niſi θύρεαν accipias id quod excludit aditum, & πυλῶνα hiatum parietis, qui admittit aditum. At hîc multis verbis argumentatur, non conſiſtere quod verti, quod *veſtibulum* non ſit pars ædium, ſed locus ante ædes vacuus. Conſiſtet, ſi cogitet quædam veſtibula adjecto pariete, ſed abſque tecto ſecludi à via puplica, id oſtium certe nocte claudi ſolet, quo domus ſit tutior.

Eodem Annot. III.

Popvlvs *autem acclamabat.* Hoc loco quid ſibi velit *Stunica*, prorſus non intelligo, cum magno conſenſu Græci codices habeant φωνὴ Θεοῦ, id eſt, *vox Dei*, & pulchre congruat ſenſus. Concionabatur enim *Herodes*, ac loquenti acclamabant adulantes, quaſi vox Deum ſonaret magis, quam hominem. Siquidem ex voce *Venerem* agnoſcit & *Æneas* Virgilianus. *Stunica* violente depravat hunc locum, ac legi poſtulat φωνῇ Θεοῦ, id eſt, *voce Dei*, quaſi *vox populi* fuerit *vox Dei*. Atque hîc multis verbis impudentiſſime nugatur, nihil aliud captans, quam ut eſſet locus referendæ hiſtoriæ ex *Euſebio* & *Joſepho*. Atqui magis illi fuiſſet locus, ſi neque nos taxaſſet immerito, neque lectionem, in cunctis Græcorum voluminibus conſentientem, auctoritate ſua mutaſſet.

Ex Cap. xiii. Annot.

Et *cum à Papho navigaſſet Paulus.* Cum ſit οἱ περὶ τὸν Παῦλον, verteram, *ii qui cum Paulo erant*, veluti non agnoſcens figuram Græcanicam, de qua prius taxaſſem *Vallam*. Verùm hæc figura non ſemper habet locum, & qui dicit, *navigaſſe eos, qui cum Paulo erant*, non protinus excludit *Paulum* à navigatione, quemadmodum cavillatur *Stunica*. Sed tamen hunc locum reſtituimus, tametſi Interpres plus vertit, quam dixit *Lucas*, ſi figuram amplectimur, quod tamen in me crebro damnat *Stunica*.

Ex Cap. xiv. Annot.

Factvm *eſt autem in Iconio.* Indicaram Latinius eſſe, *Factum eſt Iconii*, cum ſit nomen civitatis. Rurſus hîc deſtomachabatur in miſeras Grammaticorum obſervationes, & tamen ex Grammatico *Priſciano* docet, recte addi præpoſitionem. Sciebam hujuſcemodi orationes nonnunquam inveniri apud Auctores, ſed ego malebam, quod eſſet uſitatius, ac longius abeſſet à ſtylo Poetico. Cæterum recte monet *Stunica*, *Iconium* hîc *Lycaoniæ* civitatem eſſe, non *Ciliciæ*, id accidit inverſione dictionum. Sic enim erat legendum: *Sunt duæ* Lycaoniæ *hujus nominis*, *altera* Ciliciæ, *altera de qua hic agitur*. Atque hoc erroris typographorum, aut ſcribarum, ni fallor, caſtigaram in ſecunda Editione.

Ex Cap. xv. Annot. I.

Viri *fratres audite me.* Recitaram opinionem *Vallæ*, qui ſuſpicatur, *Simeon* Græcam eſſe vocem nonnihil deflexam ad Hebræa *Simon*. Hîc primum me plagii defert *Stunica*, qui paſſim ſuffurer pleraque ex Annotationibus *Laurentii Vallæ*. Quo quid dici poterat impudentius, cum ſæpe diſſentiam à *Laurentio*, tam multa recenſeam, quæ ille non attingit: tam multa præteream, quæ ille multis verbis perſequitur? toties illum citem nominatim? Sed interim cauſæ periculum à me transfert in *Laurentium*: is igitur pro ſe reſpondeat, nam ego manum non verterim, utra vox Græca ſit, utra Hebraica: ſcio Σίμωνα Græcis eſſe virum, vel adagio teſte, οἶδα Σίμωνα, ἢ Σίμων ἐμέ.

Eodem Annot. II.

Pavlvs *vero electo Syla.* Cum Græce ſit ἐπιλεξάμενος, quo magis exprimerem vocem Græcam, verteram *allecto Syla*, ab *allegendo*, quemadmodum dicuntur *allegi in ſenatum*, qui eo adſciſcuntur. *Stunica* damnat verbum non inelegans, ſed amphibolum, quod alicui videri poſſit ab *allicio* deductum, non ab *allego*, verùm elegantia verbi fecit, ut amphibologiæ incommodum contemnerem, quod eruditi frequenter nulla de cauſa negligunt, neque prorſus idem eſt *allego*, & *eligo*, quemadmodum putat *Stunica*. *Eligo* liberis amici præceptorem, non *allego*.

Ex Cap. xvi. Annot.

Et *ſequenti die Neapolim.* Hic annotaram, *non eſt ea, quam nunc in* Italia *occupant* Hiſpani, *ſed altera* Cariæ *in* Aſia. Hoc loco mihi blaſphemiæ crimen impingit ac læſæ majeſtatis, ob unum verbulum *occupant*, quod ille ſic interpretatur, *hoc eſt, nullo juſto titulo, ſed tanquam tyranni detinent.* Sic autem præfatur hoc crimen intentaturus: *Quas non convitiorum ὅλας, ut ajunt, ὠμάξας merebatur quidem hoc loco* Batavus *iſte, nolo* Sarmatam *dicere.* Quis non rideat hujus *Stunicæ* delicias, qui putet ingens convitium, appellari *Batavum*? deinde qui credat, aliquid eſſe cognationis *Batavis* cum *Sarmatis*? Sed ut ad crimen reſpondeam, an quiſquis occupat, tyrannide occupat, & injuſto titulo? Quæſo qui vacuum occupat, num per tyrannidem occupat? Arbor, quæ locum occupat, ut alteri non ſit locus, num injuſte occupat? O ſiniſtrum verborum interpretem! Non agebam illic, quo jure *Hiſpani* poſſiderent *Neapolim*. Certe ſic tenent, ut aliis non ſit illic regnandi locus. Ac ſubito facetus *Stunica*, putat me tam atrocis criminis ſatis magnas pœnas daturum, ſi doceat me lapſum in Geographia, mavultque *Paulum* ita circumducere, ut à *Myſia* deducat *Troadem*: hinc in *Samothracen*: hinc rurſus *Neapolim*, & inde *Philippos*. Hæc *Stunicæ* conjectura quantum valeat, excutiant ii quibus eſt otium. Mihi ſatis eſt in præſentia, quod *Hieronymus* in locis Actorum: *Neapolis*, inquit, *civitas Cariæ, quæ eſt provinciæ Aſiæ.* Id cum non ignoraret *Stunica*, (quid enim illum fugit?) cum *Hieronymo* diſputandum erat.

Ex Cap. xvii. Annot.

Et *tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus.* Pro *deſpiciens* Græcis eſt ὑπεριδών. Quoniam Græca vox ſonat, quaſi dicas, *ſuper videre.* Porro qui deſpicit, velut ex alto videt. Itidem qui diſſimulat, ut rem negligendam, altius tollit oculos. Adjeceram in annotatione: *ſed Interpres viſus eſt ſenſiſſe ὑπεριδὼν, ex alto videns.* Atqui *Stunica* negat eum id ſenſiſſe, ſed *deſpiciens* poſuiſſe pro *contemnens*. Et hoc ipſum fueram ſuſpicaturus, niſi *contemnens* hoc loco parum quadraret. Neque enim contemſit Deus idololatriam, ſed ad tempus ceu diſſimulavit, relinquens illos ſuis erroribus. Porro quod *Guarinus* ὑπεριδόντες vertit *contemnentes*, fortaſſe rectius vertiſſet *diſſimulantes*. Etiamſi non negem, alicubi contemnere, qui diſſimulat: verùm hoc loco parum congruebat contemnendi verbum.

Ex Cap. xviii. Annot.

Erant *enim ſcenofactoriæ artis*, σκηνοποιοί. Nos verteramus, *aulæorum texendorum artifices. Stunica* multis verbis docet, σκηνὰς ſonare *tabernacula*, ea ſolere confici ex pellibus. Sciebam *Paulum* à Græcis aliquoties vocatum eſſe *coriarium*, ſed σκηνὴ Græcis ſonat, quicquid obducitur ad obumbrandum. Unde & *Scena* Fabularum. At hujuſmodi ſunt & *aulæa*, ni fallor, quod indicat *Horatius* in Epiſtolis: *Aulæa Britannica ceſſant.* Quod ſi contendit *Stunica*, *tabernacula*

Digitized by Google

cula non confici niſi ex pellibus, reclamat horum temporum conſuetudo, quæ cannabeis potiſſimum utitur. Et apud *Hiſpanos* in uſu ſunt aulæa coriacea, ut nihil ſit quo debuerit offendi *Stunica*. Et tamen in ſecunda Editione memini & tabernaculorum.

Ex Cap. XIX. Annot. I.

In *ſchola tyranni cujuſdam*. Admonebam ambigere interpretes, utrum hîc *tyrannus* nomen ſit proprium, an præpotentem quempiam ac magnatem ſonet. Et malo magnatem eſſe. Porro *ſcholam* ſonare *occium*, & *receſſum*, *in quo ſolitus ſit occiari*, ſic enim mea refert *Stunica*. *Stunica* mavult nomen eſſe proprium viri, quod apud *Senecam* compererit aliquem fuiſſe hoc nomine. Fruatur igitur *Stunica* ſuo judicio. Nam ego ſic verti, ut illi liberum ſit hoc facere.

Eodem Annot. II.

Demetrivs *autem nomine argentarius*. Cum Græce ſit ἀργυροκόπος, & *argentarius* Latine ſonet menſarium magis, quam artificem argenti cudendi aut fundendi, malui vertere *aurifabrum*. *Stunica* putat multum intereſſe inter aurum & argentum, nec iſtud nego, ſed interim artificii commune nomen eſt. Siquidem ejuſdem eſt opificii cudere aurum & argentum, *aurificem* legimus, *argentificem* non legimus. Porro quod obiter taxat, ἀργυροκόπον, *non dictum ab incidendo argento, ſed ab elaborando*, non eſt veriſimile, cum Græcis laboro ſit κοπιάζω ſive κοπιάω. Cæterum κόπτω non ſolum ſignificat *incido*, verum etiam *cædo*, *pulſo*, *percutio*.

Eodem Annot. III.

Viri *Epheſii*, *Quis eſt hominum qui neſciat*, &c. Hîc quod Græcis eſt νεωκόρον, verto quemadmodum verterat Interpres, *cultricem*. Tantum labor eſt in etymologia nominis νεωκόρος, quod imaginabar eſſe dictum à νεὼς templum, & κόρη virgo. Nam *Dianam* virginem faciunt Poetæ. Cum dicatur à νεὼς templum & κορεῖν, quod eſt purgare, ſive verrere, quemadmodum docent *Heſychius* & *Suida*. Atque hoc erroris humani mox ſarſimus in ſecunda Editione, ne quid hîc triumphet *Stunica*. Cæterum quod adjeceram, κόρης appellationem tribui *Dianæ* & *Proſerpinæ* non ſenſi ſimiliter tribui, nec eandem eſſe Deam, ut ſuſpicatur *Stunica*, ſed *Proſerpina* attribuitur ut nomen proprium. Certe *Dianæ* tribuitur virginitas. Porro quod in epilogo colligit *Stunica*, Interpretem recte vertiſſe *cultricem* pro νεωκόρον, idem & ipſe comprobaram, qui ſimili modo verterim, tantum in κόρη ſcrupulus erat, quem ipſe mox deprehendi ac diſcuſſi.

Ex Cap. XXIV. Annot.

Invenimvs *hunc hominem peſtiferum*. Annoto Græcis eſſe λοιμὸν, hoc eſt, *peſtem*, non quidem damnans quod vertit Interpres, cum ipſe vertam eodem modo, ſed indicans Græcam figuram, cum Latinis tamen communem, qua peſtiferum, *peſtem* vocamus, & ſceleroſum, *ſcelus* dicimus. Atque hoc ſenſiſſe me, declarat quod addo, *quemadmodum exitialem vocant* ὄλεθρον, *id eſt*, *exitium*. Hîc *Stunica* multa congerit ut doceat, λοιμὸν aliquando ſonare *peſtilentem*. Atque hoc ipſum ut docerem, indicavi figuram ſermonis. Cæterum nihil erat cauſæ, cur quod legimus in primo Pſalmo, *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, ceu perperam verſum emendaret, legendum docens, *in cathedra peſtilentium*. Neque enim conſequitur, ſi λοιμὸς aliquando uſurpatur pro homine peſtilente, idcirco non eſſe verum, quod conſtat multo frequentius ſonare *peſtem*.

Ex Cap. XXVII. Annot. I.

Et *ſublato artemone*. In contextu verteram quod verterat Interpres, relinquens vocem, qua uſus eſt *Lucas*, ἀρτέμονα. Nihil igitur hîc ſcrupuli, ſed in Annotationibus velut exponens eam vocem interpretor, *antemna*. Hîc *Stunica* contendit, *artemonem* non eſſe vocem Græcam, ſed Latinam, quanquam à *Luca* Græce loquente uſurpatam, quod jam novum non ſit, cum apud Euangeliſtas legatur δηνάριον, ξῆνσον, λέντιον, σινάριον, χαρτοφύλαξ. Verùm ut hoc fortiter aſſeverat *Stunica*, ita nequaquam probat. Cum enim Latini doceant, eſſe machinam tollendis in altum oneribus accommodam, probabile eſt vocem dictam ab αἴρω ſive ἀρτάω, idque effecit, ut ego ſuſpicarer eſſe *antemnam*, cujus hic uſus eſt apud nautas, ut hac ceu machina demittant velum, aut ſubrigant: cumque ſenſus cogat, ut intelligamus velum expoſitum ventis, quo majore impetu navis illideret in littus, hoc ipſum efficit ſublata antemna, cui velum annexum eſt. Sed ex his, quæ citat *Stunica*, ſatis liquet, Jureconſultis *artemonem* non eſſe *antemnam*, quæ utique pars navis eſt non minus quam malus. At fieri potuit, ut *Lucas* eam vocem ad *antemnam* deflexerit, quæ adeo ſimilis eſt machinæ, qua tollunt onera navigiis imponenda, aut eximenda, ut hodie fere non alias adhibeant machinas, quam antemnas. Hic tandem diffiſus omnibus Græcorum ac Latinorum codicibus, arbitratur legendum pro *artemonem*, *antemonem*, quod *Perottus Sipontinus* ſcripſerit, *antemonem* eſſe velum, quod poteſt facilius obliquari, & quo nautæ in ſummo tempeſtatis diſcrimine utuntur. Et tamen huic quoque diffiſus, quod nullum citat auctorem, qua quidem in re nimium ſæpe peccat vir ille, alioqui pulchre doctus, ſtudioſis delegat hac de re diligentius inquirendi provinciam. Mihi non videtur eſſe mutanda ſcriptura. Cum enim conſtet *artemonem* eſſe machinam paratam ſublevandis oneribus, & ad eandem rem nautæ utantur antemnis, non video cur abſurdum ſit, hîc pro *antemna* poſitum. Quod ſi velum eſt *artemon*, ut interpretatur *Beda*, conveniet, ut intelligamus velum antemnæ affixum, quod facillime circumducitur. Sunt enim & alia vela, quæ funibus tendantur, non antemna.

Eodem Annot. II.

Quosdam *ſuper ea, quæ erant de navi*. Quoniam antè dixerat quoſdam in tabulis perveniſſe in terram, ac mox ſubjicit: *Quoſdam ſuper ea, quæ erant de navi:* cum & tabulæ fuerint de navi, aut addendum erat, *ſuper alia quædam, quæ erant ex navi*, aut aliquid ponendum, quod eſſet peculiare navi. Nos igitur verteramus *fragmenta navis*. *Stunica* negat navem fuiſſe fractam. Imo *Paulus* ait puppim ſolutam à vi maris. Neque quicquam vetat remos, antemnam, temonem, foros, & hujuſmodi fragmenta navis vocari, quæ navi etiam non fracta, ſolent eſſe præſidio in naufragiis. Nec mihi diſplicuiſſet, quod interpretatur *Stunica*, ut accipiamus de vaſis & inſtrumentis nauticis, niſi obſtitiſſet ſcrupulus, quem indicavi.

Ex Cap. I. Epist. Ad Romanos Annot. I.

De *filio ſuo*, *qui factus eſt ei*. Cum Græce ſit γενομένου, *Laurentius* tamen mavult *genitus*, quam *factus*. Atqui ſubindico γενομένου Græcis non proprie ſonare *genitum*, cum ajo: *Certe* genitus *eſſet*, *ſi ſcriptum fuiſſet* γεννηθείς. Sed cur igitur, inquit, vertis, *qui fuit genitus?* Quia *factus* dure ſonabat Latinis auribus, præſertim cum ſenſus ſit, eum cœpiſſe eſſe hominem in tempore ex genere *David*, qui ante omnia tempora Deus erat ex Deo. Porro quiſquis naſcitur, juxta carnem eſſe incipit. Græcam igitur vocem non exacte reddidi, ſed tamen à ſenſu non receſſi. Certe *Auguſtinus* in libro adverſus *Fauſtum* XI. Cap. IV. docet in nonnullis codicibus pro *factus* ſcriptum fuiſſe *natus*, nam id obiter carpit *Stunica*, quod cum *Valla* tantum poſuiſſet *genitus*, ego de meo adjeceram, *aut natus*. Indicaram & pronomen, *ei*, quod habetur in Latinis codicibus, in multis Græcis addi. *Stunica* indicat nec in antiquiſſimis Latinorum addi. Atque hinc colligit me cum in conſulendis vetuſtis Exemplaribus Euan-

Digitized by Google

geliorum diligens fuerim, in cæteris raro aut nunquam videri conſuluiſſe. Imo in cæteris longe fui diligentior, ſed plura ſunt Euangeliorum Exemplaria vetuſta, quam cæterorum. Siquidem in Epiſtolis Apoſtolicis, cum primum ederetur Novum Teſtamentum, unicum mihi aderat Exemplar, ſed venerandæ antiquitatis, mireque caſtigatum, quod cum frequenter à me citetur in Annotationibus, demiror cur hîc *Stunica* meam deſideret diligentiam.

Eodem Annot. II.

Qvi *eſt benedictus*: ob rudiores verto, *laudandus*: nam vulgus putat *benedicere*, movere manum ad ſpeciem crucis, aut bene precari: *Miror*, inquit, *Stunica, quinam ſint illi rudes, quos offendiſſet benedictus.* Non erat periculum ne offenderentur, verùm ne non intelligerent, quod ſenſit *Paulus*: *Sed Græcis*, inquit *Stunica*, εὐλογεῖν *eſt benedicere, non laudare, &* εὐλογητὸς *benedictus, non laudandus.* Hoc perinde eſt ac ſi dicas, εὐπαθεῖν Græcis eſt *bene pati*, non *beneficio affici.* An cum toties dicimus, *Benedicite omnia opera Domini Dominum*, non intelligimus laudem opificis ex rebus conditis? Bellum autem quod ut probet εὐλογητὸς ſonare *benedictum*, adducit illud, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, quaſi neſciamus, aut negemus ſexcentis locis ſic verti εὐλογητὸς in ſacris Litteris. At nos agebamus quid *benedictus* ſonaret iis, qui Latine loquuntur. Optarim quidem benedictus in hunc ſenſum eſſe Latinum.

Ex Cap. ii. Annot.

Sed *autem tu Judæus.* Oſtenderam in Græcis dupliceem eſſe lectionem: in aliis εἰδὲ, id eſt, *Si vero*: in aliis ἰδὲ, id eſt, *ecce.* Pronuntiatione altera ab altera non diſtinguitur, ſed ſcriptura: poſteriorem magis probo, quod mollius cohæreat cum eo quod ſequitur. *Stunica* mavult priorem, citans *Origenem*, è cujus verbis Latine verſis, non ſatis liquet quid legerit, ex *Athanaſii* verbis multo minus. Nam hoc titulo ſubinde adducit *Theophylactum*, quo ſibi mire placet, quod is Auctor nuper exiſſet novus Latine verſus. Ac fefellit quidum *Stunicam* titulus, falſo additus. Sed cum ingens diſcrimen ſit inter phraſim *Athanaſii*, viri apud Græcos ad miraculum uſque facundi, & hujus, mirum eſt hominem tam in cæteris naſutum, ut ſibi videtur, hoc non ſenſiſſe. Cum paſſim à nobis citetur nomine *Vulgarii*, non animadvertiſſe eundem eſſe, quem ego *Vulgarium* appellarem, ipſe *Athanaſium*, præſertim cum aliquoties ex eo verſus aliquot adducam Græce. Poſt nactus Græci voluminis copiam reperi, in contextu ſcriptum, εἰδὲ, id eſt, *ſi vero*, cum interpretatio nihil indicet novi.

Ex Cap. iii. Annot.

Si *autem iniquitas noſtra, juſtitiam Dei*, &c. Cum in Græcis ſit gratia vocis affinis repetitæ ἀδικία δικαιοσύνην, ne eam perderemus, vertimus, *ſi injuſtitia noſtra, Dei juſtitiam conſtituit. Stunica* ſic agit quaſi damnarim verbum *iniquitatis.* Etiamſi putem hîc *juſtitiam* accipi pro generali juſtitia, quæ viros bonos reddat: nam *Judæi* juſtos vocant probos, ſanctos & integros. *Stunica* docet συνίσησι, non male verti poſſe *commendat*, quemadmodum & ipſe verto alicubi. Quod docet *Stunica*, idem doceo in ſecunda Editione, plane confitens, mihi non diſplicere quod vertit Interpres. *Conſtituit* autem dictum eſt, pro ſtabilit, ac fulcit, confirmatque: nam hoc ſonare συνίσησι, paulo poſt docet *Origenes* ipſe.

Ex Cap. v. Annot. I.

Peccatvm *autem non imputabatur*, &c. Græce ſic habet, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Quod ita verto: *Porro peccatum non imputatur, cum non eſt lex.* Cum omnes Græci codices conſentiant, tamen *Stunica* putat eſſe mendum, & pro ἐλλογεῖται verbo præſentis temporis, ſcribendum ἐλλογεῖτο verbum præteriti imperfecti temporis. Hoc autem argumento movetur, quod, ut ait homo perſpicax, deprehendit ex ipſo dicendi modo: *Interpres*, inquit, *vertit* imputabatur, *non facturus, ſi ſcriptum fuiſſet* ἐλλογεῖτο. Quid ſi quod ſcriptum eſt ab Interprete, depravatum fuit à ſcribis? Bellum erit vero, ſi præpoſtere Græcam lectionem è Latina caſtigabimus, hoc eſt, ſi juxta Græcorum proverbium, *currus bovem aget.* Sed quicquid legit Interpres, certe non hoc legit, quod poſuit *Stunica* ἐλλογεῖτο, quam vocem nemo Græce peritus agnoſcet. Etenim cum ἐλλογέω componatur à præpoſitione ἐν & λογέομαι, intercedente vocali augmenti, repetendum erat ν. quod ante verſum erat in λ. ac dicendum ἐνελογεῖτο, quemadmodum in ὀνοκόπλω ἐξέχοπλον, ἐμμένω ἐνέμεινα, ὀνοχόω ἐξέχεχον: id cum pueris quoque ſit notum, qui nuper cœperunt Græce diſcere, demiror non veniſſe in mentem *Stunicæ*, qui in præfatione tam magnifice prædicavit ſe rebus omnibus inſtructum ad hoc opus acceſſiſſe. Sed ille me monuit alicubi, ut meminerim me hominem eſſe, tametſi memorem monet: ego illum viciſſim hîc admoneo, meminerit ſe non eſſe Deum: nam ille contumeliam exiſtimat, quod alicubi diſſentiens ab *Hieronymo*, dixerim illum hominem eſſe. Verùm ut ad rem redeam, nihil eſt quod hîc offendat verbum præſentis temporis, etiamſi ſermo accommodetur ad tempus præteritum: nam præſens ſic poſitum eſt, ut ad quodvis tempus pertineat. *Lex non imputatur, ſi lex non ſit*, hoc eſt, non ſolet, aut non debet imputari. Quemadmodum dicimus: *Non auditur actor niſi præſente reo.* Proinde ſi Interpres vertit, *imputabatur*, aut ſi eodem modo loquantur interpretes, reſpicientes ad tempus, quo nondum erat data Lex *Moſaica*, non eſt quod miremur, aut cur Græcam mutemus ſcripturam. Et magis ſuſpicor ſcripturam in noſtris codicibus fuiſſe vitiatam, ſiquidem in uno codice vetuſtiſſimo, quem nobis exhibuit Collegium Sancti *Donatiani Brugis*, ſcriptum erat, *cum lex non eſt*, ex quo conjectare licet ſcriptum fuiſſe *lex non imputatur.* Quin & illud pro nobis facit, quod in Græco ſermone non additur articulus, μὴ ὄντος νόμου, ut quemadmodum ὄντος ad quodvis tempus pertinet, ita νόμου ad quamvis legem referatur, non ſolum ad *Moſaicam.*

Eodem Annot. II.

Sicvt *enim per inobedientiam unius*, &c. Cum ad ſenſum nihil referret, ſive legas κατεστάθησαν, id eſt, *conſtituti ſunt*, ſive κατεστάθημεν, *conſtituti fuimus*, id ſequebamur, quod habebatur in Græcis codicibus, quod idem eſt in Editione *Aldina.* Sed ſequitur in proxima parte κατασήσονται, id eſt, *conſtituentur.* Non eſt novum in *Paulo* variari perſonam, & magis quadrat, ut quod erat odioſius, *Paulus* in ſuam perſonam tranſtulerit, quod plauſibilius, in aliorum.

Ex Cap. vi. Annot.

Finem *autem vitam æternam.* Hîc eſt evidens *Eraſmi* hallucinatio, ſi credimus elencho *Stunicæ*, nam in contextu pro *finem*, ſcriptum erat *fructum.* Imo hîc eſt evidens incuria typographi. Nam qua fronte hoc mihi impingat *Stunica*, cum in Annotationibus citem ut vertit Interpres, neque taxem aliquid in ea dictione, neque de fructu verbum ullum faciam? Denique putetur hoc eſſe meum, niſi viderit in ſecunda Editione mutatum.

Ex Cap. vii. Annot.

Igitvr *vivente viro adultera vocabitur.* Quod vertit *vocabitur*, Græce eſt χρηματίσει, nos vertimus *judicabitur. Stunica* dicit & ſic poſſe verti, ut vertit Interpres. Id nos non negamus. Cur igitur maluiſti *judicabitur?* quia videbam χρηματίζεσθαι Græcis eſſe *jus dicere*, aut *conſilium reſpondere*, unde χρηματισμὸς, ora-

Digitized by Google

oraculum, aut Principis *edictum*. Cum igitur hic sentiat illam sic vocandam judicum sententiis, malui *judicabitur*, quam *vocabitur*. Porro quod χρηματίσαι nove usurpatum est voce activa, proprietas est Græci sermonis, qui sic dicunt ἐχρημάτιζε ῥήτωρ, pro eo quod est *habebatur rhetor*, aut *profitebatur rhetorem*, quemadmodum Latini dicunt, *audit pater*, *audit Philosophus*, pro eo quod est, vocatur pater, habetur Philosophus. Et hujus rei submonuit *Hieronymus Aleander*, ne quem sua laude fraudemus. Ridiculum autem quod *Stunica* suspicatur me putasse χρηματίσαι à κεῖμαι dictum esse, non à χρῆμα, quasi nesciam differentiam inter χ & κ, inter η & ι. Citius suspicarer *Stunicam* à *stiva* dictum. Hujusmodi scilicet Annotationibus respondet illis magnificis suis promissis, ac glorioſarum præfationum fumis.

Ex Cap. VIII. Annot. I.

In *quo clamamus Abba pater*. Hîc rursus impingo ad eundem lapidem, quod pro Syra voce dixerim Hebraicam. Et in secunda Editione ex auctoritate *Hieronymi* testor esse vocem Syram *Abba*. Cæterum quod addit *Stunica* me suspicari ὁ πατὴρ non aliter esse, quam nominandi casu accipiendum, plane calumniatur. Etenim si interpretandi gratia additum est ὁ πατὴρ, nominandi casus erit, sin erit ἀναδίπλωσις affectui serviens, vocativi casus erit. Et utrumque modum nos posuimus, quod dissimulat *Stunica*, venans occasionem aliquid arrodendi.

Eodem Annot. II.

Quos *autem justificavit*, *illos & magnificavit*. Quod Græce est ἐδόξασε, verti non *magnificavit*, sed *glorificavit*. *Stunica* docet δοξάζω in Litteris sacris varie verti. Quid hoc ad me? Nec hoc reprehendo, sed propius exprimit Græcam vocem *glorifico*, quam *magnifico*: nam *magnifico* pro *extollo*, ut sit Latinum, certe infrequens verbum est.

Ex Cap. IX. Annot. I.

Stunica suo more præfatus honorifice de me, quam infrequens versor in evolvendis sacris Voluminibus, quamque illotis pedibus ad hoc opus accesserim, & adjecto in spatio marginis honorifico elogio: Erasmi *evidens hallucinatio*, docet hoc testimonium, quod adduxit *Paulus*, non è primo *Osee* Capite sumtum, quemadmodum annotaram, sed ex diversis ejus Prophetæ locis, cum *Paulus* Prophetæ nomen posuerit, Caput suppresserit. Mirum vero si *Paulus* non addidit Capitis numerum, cum id temporis non fuerit hujusmodi Capitum sectio. Jam ut demus à me citatum primum *Osee* Caput, tametsi in numeris frequenter errent Librarii, quid erat admissum flagitii, cum locus, qui habetur in fine secundi Capitis, pendeat ab hoc loco, qui est in primo Capite, velut à fonte. Siquidem hîc induntur nomina molesta, illic commutantur in diversa, ad hæc, cum pars vaticinii plane petita sit ex primo Capite? Illud potius mirandum, quod *Stunica* vir tam oculatus, qui nusquam cæcutiat, paulo post bis labi videtur. Primum, quod ait ab *Hieronymo*, præsentem locum enarrante, citari duplicem lectionem, cum id faciat in Capite primo, ubi nomina induntur, cujus rei nullam facit mentionem in fine secundi Capitis. Deinde quod ea citat ex *Hieronymo*, quæ illic non habentur, siquidem *Hieronymus* hæc tantum habet, *pro* οὐκ ἠλεημένῳ, *id est*, *absque misericordia*, *in quibusdam fertur Exemplaribus* οὐκ ἠγαπημένῳ, *id est*, *non dilectam*. *Stunica* refert hoc pacto: ἢ τῷ οὐκ ἠγαπημένῳ, ἠγαπημένῳ, ἢ τῷ οὐκ ἠλεημένῳ, ἠλεημένῳ. Atque haud me fallit, quod hunc errorem in me rejiciet *Stunica*, qui sic prior retulerim. Equidem agnosco lapsum humanum, qui frequenter obrepit, vel in multa distractis, vel properantibus, cui utrique incommodo tum eramus obnoxii. Atque in hujusmodi lapsuum, quos in prima statim Editione fassi sumus, sarturam, paraveramus tertiam Editionem multo antequam *Stunicæ* librum nanciscì licuit. Sed illud demiror, talem Argum, tam ubique vigilantem, voluisse fidere duci nusquam non hallucinanti, nec saltem relegisse *Hieronymi* locum à me citatum atque indicatum. Qua quidem ex re satis liquet, quam ipse versetur assiduus in sacris Voluminibus, qui sic hallucinatur in loco commonstrato, præsertim cum carpendi libido soleat & ex luscioſis Lynceos reddere.

Eodem Annot. II.

Reliqui *mihi septem millia virorum*. Hîc triplici nomine me reum agit *Stunica*, idque in Lingua Hebraica, cum æquius fuerit crimina dividere saltem cum *Theseo* meo. *Baal* scripsi per *Aleph*, cum scribendum sit per *Ain*. Deinde scripsi *Beelphegor* sonare *idolum cadaveris*, cum magis sonet *idolum hiatus*. Deinde quod *Beelzebul* pronuntiarim, non *Beelzebub*. Ad ultimum respondebo, cætera relinquens ei cujus interest, quem *Stunica* comperiet non esse mutum. Mihi vitio verti non debet, si dictionem Hebraicam corrupte protuli, quam corrupte scripsit ipse *Paulus* Hebræus natus. Et fortasse sic tum *Syrorum* vulgus pronuntiabat, ut scripsit *Paulus*.

Eodem Annot. III.

Sic *illorum delicto salus est Gentibus*, *ut illos æmulentur*, cum id quod vertit Interpres, aut nullum habeat sensum, aut absurdum, siquidem si *æmulentur* sic referatur ad Gentes, ut agant, sensus est nullus, cum hoc Latina vox nulli declaret. Sin ad *Judæos*, ut agant, sensus est absurdus, non enim illi provocant Gentes, sed alienant potius. Sed *Origenes* ac *Theophylactus*, qui *Stunicæ* est *Athanasius*, interpretantur, ideo Gentes admissas ad gratiam Euangelicam, ut *Judæi* illorum exemplo revocentur ad Christvm, velut invidentes illis, quos habebant contemtissimos. Horum interpretationem cum ipse recitet *Stunica*, tamen in elencho adscripserat, *Græca hoc loco ab* Erasmo *minime intellecta*. Et in Annotatione sua sic rem tractat, ut se declaret nec Latina intellexisse, nec Græca. Dicit esse duos sensus, sed in unum recidere, & sic proponit unum altero omisso, ut neutrum videatur intelligere. Lege, lector, *Stunica* nugas, & res ipsa docebit esse verum quod dico. Nos in his tricis refellendis non sumemus operam. Sed homo rhetoricus per occupationem vocat me in invidiam, qui *Thomam* Ecclesiæ doctorem percelebrem palam accusem imperitiæ. Quam celebris Ecclesiæ sit doctor *Thomas*, alii viderint, certe fas est, opinor, ab illo dissentire. Et tamen in hominem me facit contumelioſum, cum hoc sane loco defendam eum in manifesto lapsu, sic enim claudo hanc Annotationem: *Quod haudquaquam illi*, *sed Interpreti imputandum est*. Qui culpam rejicit in Interpretem, quo *Thomam* sublevet, an ille est contumelioſus in *Thomam?* Nec hoc contentus *Stunica* meus, etiam fœdifragium objicit, qui pollicitus me tecturum vitia doctorum, non præstem, quod recepi. Imo dixeram alias me tegere, alias excusare, alias civiliter ab eis dissentire. Et hoc certe loco excuso. Neque vero *Stunica* hæc dicit studio *Thomæ*, quem non videtur legisse, sed quo satisfaciat his, à quibus subornatus est ad agendam hanc fabulam.

Eodem Annot. IV.

Vide *ergo bonitatem Dei*. Qui vertit *vide*, legit ἴδε, ego qui legi ἰδὲ, verto *ecce*. Sensus est idem utrumcunque legas, neque quicquam est incommodi, nisi quod adverbium est vehementius. Quid igitur hîc blaterat *Stunica?*

Ex Cap. XII. Annot.

Sed *habentes donationes*, χαρίσματα. Quoniam *donationes* non erat usitata vox Latinis pro *donis*, sive *donariis*, malui *dona*, & verbulo notavi Interpretem, quod præter rem affectet copiam. Hîc mihi *Stunica*

Digitized by Google

meus inſtaurat novam præfationem, imo primam illam, quippe bellam hîc repetit, δὶς κὰ τρὶς ἐν καλῷ. Ait ex hoc loco liquere, quod hoc opus non ſuſceperim caritatis affectu, neque juvandi ſtudio, ſed tantum gloriæ ſiti, quæ ſola, ut inquit *Flaccus*, *animos mentemque perurit*, & carpendi libidine, quod vel minima reprehendam in Interprete, ἐν δίκᾳ τε κὰ ἀδίκῳ δίκαν, ut ait *Pindarus*. Auſim quamvis ſancte dejerare non alio conſilio *Stunica* præfationem hanc additam fuiſſe, quam ut bene collocaret duo dicta, quæ tum forte recens in *Flacco* ac *Pindaro* legerat. Alioqui quid hîc eſt dignum hujuſmodi præfatione. Cætera frigidiora ſunt quam ut recenſere libeat.

Ex Cap. xv. Annot.

Cvm *in Hiſpaniam proficiſci cœpero*. Cum in libris Græcis viderem pro *Hiſpaniam* ſcriptum conſtanter *Spaniam*, hoc admirans unde accidiſſet, hæc verba ſubjicio: *Cæterum Græci fraudant* Hiſpaniam *prima regionis ſyllaba, quam illi ſolent hujuſmodi dictionibus addere, dicentes* eſpero *pro* ſpero, eſpecto *pro* ſpecto. Simile quiddam dixeram annotans in *Matthæum: Nec eſt*, inquam, Scariotes, *quemadmodum habetur in noſtris codicibus, ſed* Iſcariotes. *Nam idem faciunt Latini cognomento* Judæ, *quod Græci faciunt* Hiſpaniæ, Σπανίαν *pronuntiantes, cum teſte* Plinio *terra ſit inſigni fertilitate*. Vides, lector, hîc nihil eſſe dignum ullo ſtomacho, & tamen dictu mirum quas tempeſtates excitet *Stunica*. Primum, inceſſit inſignem inſcitiam Græcarum litterarum, qui putem *Hiſpaniam* apud Græcos omnes eſſe dictionem triſyllabam, cum in libris *Maccabæorum*, ac apud *Suidam* ſit tetraſyllaba. Imo non ſentit *Stunica* me hîc non agere de quibuslibet libris Græcis, ſed conferre *Paulinas* Epiſtolas Græce ſcriptas, cum Latine verſis. Et cum in Græcis ſit Σπανία, Latinus Interpres vertit *Hiſpaniam*. Quod ſi *Paulus* ſcripſit Σπανίαν, veriſimile eſt, ſic vulgo ſolere pronuntiari, ſi liber eſt depravatus, proferat *Stunica* vel unicum codicem, in quo ſecus habeatur. Simili modo cum loquor de dictione *Iſcariotes*, non ago de cæteris Græcorum libris, ſed de Euangeliis Græce ſcriptis ac Latine verſis. Nihil igitur hîc erat, unde *Stunica* mihi Græcorum Auctorum impingeret inſcitiam. Quis autem neſcit ſingulis pene regionibus eſſe quædam in pronuntiando peculiaria vulgo, veluti *Gallis* elidere *s*, *Anglis e* ſonare *i*, *Florentinis chorpus* pro *corpus*, nonnullis *laldo* pro *laudo*: quorum tamen nihil pertineat ad eruditos, & tamen hinc clamitat *Stunica* me totam Gentem *Hiſpanorum* inſcitiæ damnare, quod quidam ſonent *eſpero* pro *ſpero*. Sed *Stunica* verba ſubſcribam, ut magis perſpicua ſit hominis impudentia: *Nam quod obiter*, inquit, Hiſpanos *taxat imperitiæ, cum* eſpero *pro* ſpero, eſpecto *pro* ſpecto *illos ſcribere dicat, haud mirum videri debet, ſi erga* Hiſpanos *viros ingenioſiſſimos, utpote à* Græcis & Romanis *originem ducentes, invidia laboret homo* Batavus. *Et cum paupertatem ac ignaviam, deſidiamve objicere nobis nequaquam poſſit, quippe qui uberrimam omniumque rerum ad vitæ uſum pertinentium affluentiſſimam, ac proinde feliciſſimam regionem incolimus, armiſque ac potentia univerſos prope excellimus mortales, id quod toti orbi jampridem eſt notiſſimum, litterarum nobis ignorantiam ex profeſſo imputet.* Primum vanus eſt *Stunica*, cum ait me taxaſſe *Hiſpanos*, quod ſcribant *eſpero* pro *ſpero*, ſed quod ſonent. Atque ita ſonant, fortaſſe non omnes etiam vulgo, ſed aliqui certe, nec *Hiſpani* ſolum, ſed *Galli* etiam *Hiſpanis* finitimi. An ideo damno totam *Hiſpaniam* imperitiæ? An omnes *Hiſpani* docti ſunt? Deinde cur meminit paupertatis, deſidiæ atque ignaviæ? Si regio parum ferax eſſet *Hiſpania*, an quiſquam vir doctus, aut probus hoc illi velit exprobrare? An ſola *Hiſpania* nullos habet tenues, ſed *Cræſi Midæque* ſunt omnes? An nullos habet ignavos? nullos deſides? Quorſum autem horum omnium mentio, niſi quod homo captavit locum decantandi laudes *Hiſpaniæ* ſuæ, quas non potuit auſpicari dexterius, ut ipſi videtur, quam ab alienarum laudum depravatione. Quid autem eſt homo *Batavus*, quod toties inculcat? An ſcelus eſt *Batavum* eſſe? Quid cogitaturi ſunt eruditi, cum hæc legent ab eo ſcripta, qui ſacrarum Litterarum abſolutam cognitionem profitetur? Mox igitur *Hiſpaniæ* canit encomium, cujus laudes nunquam ſic attollet verbis, quin nos optaturi ſimus illi feliciora. Atque utinam ubique ſic effloreſcant bonæ litteræ, ſic refloreſcat ſtudium pietatis, ut nos *Batavi* parum eruditi, parumque pii videremur. Hac quidem in parte nulli regioni non favemus. Sed *Hiſpaniæ* peculiariter etiam favemus, vel quod olim nobis dederit viros eruditiſſimos, vel quod communi Principe gaudemus, niſi hoc *Batavis* invidebit *Stunica*. Porro *Antonii Nebriſſenſis* nomen apud omnes nos & gratioſum eſt & celebre, quod videamus illum de ſtudiis benemeritum, ac benemereri, quoque plures ex hujus inſtitutione, velut ex equo *Trojano* proſilient homines eruditi, hoc vehementius gaudebimus. *Alexandro* magno felix viſus eſt *Achilles*, cui contigiſſet laudator *Homerus*. At mihi nihilominus felix futura fuiſſe videtur *Hiſpania*, ſi *Stunicam* aut non habuiſſet laudum ſuarum præconem, aut non genuiſſet alienæ laudis tam malitioſum obſcuratorem. Non poterat hic Encomiaſtes ſuam laudare *Hiſpaniam*, niſi cum aliarum Provinciarum injuria? *Eo*, inquit, *eruditionis* Hiſpani *devenere, ut vel cum* Italis *ipſis, qui arcem omnium bonarum artium, ſicut & virtutis poſſident, de re litteraria contendere haud dubie poſſint, nedum cum Provincialibus reliquis, apud quos vix unus aut alter hodie reperitur, qui bonarum litterarum ſtudio teneatur*. Quid dici poterat procacius? Imo quid impudentius? Tot habet *Gallia* ſumma doctrina præditos, tot habet *Germania*, tot hæc regio in qua nunc agimus, nimirum *Flandria*, & *Brabantia*, tot *Britannia*, quos vel cum priſcis illis poſſis conferre. Nuſquam non florent ac regnant bonæ litteræ, & ait vix eſſe duos aut tres, qui ſtudio litterarum teneantur. Ut ne quid dicam de aliis: in una Schola *Lovanienſi*, ſunt ſupra mille, qui non ſolum ſtudeant bonis litteris, ſed in his feliciter progreſſi ſint, & in his non pauci tales, ut clarum nomen apud poſteros ſint habituri. Et tamen apud hos nulla Principum liberalitas invitat ad hæc ſtudia. Studiorum veterum proceres manibus ac pedibus obnituntur. Quo ſane nomine felicior eſt Academia *Complutenſis*, quæ nihilo eſſet infortunatior, ſi *Stunicam* hominem tam maledicum non haberet. Atque interim objicit mihi, quod quodam in loco per occaſionem laudem aliquot eruditione celebres, quos per contemtum appellat *Elvetios neſcio quos*. Sed hoc nomine vinco *Stunica* candorem, qui non modo *Batavos* meos aliquot, ſed *Germanos*, ſed *Elvetios*, ſed *Gallos*, ſed *Britannos* laudibus veham, quocunque orbe nati ſunt, modo promereantur. Quin & *Hiſpanos* prædicavi ſcriptis meis, prædicaturus & *Juvernos*, ſi quis illic exſtiterit laude dignus. Sed encomio decantato, ſic perorat *Stunica: Quæ cum ita ſint, non eſt cur* Hiſpanis *tanquam indoctis ac plane Barbaris* Eraſmus *inſultet*. Hanc linguæ petulantiam tam effrenem non dubito quin omnes exſecrentur *Hiſpani*, ſi modo tales ſunt, quales eos videri vult *Stunica*. Ego certe plurimos eſſe credo.

Ex Cap. i. Prioris Epist. ad Corinthios Annot.

Ab *his qui ſunt Chloes*, verto *à familiaribus Chloes*, juxta ſententiam eorum qui putabant *Chloen* matronam eſſe nobilem, è cujus familiaribus *Paulus* cognoverit quod refert. Hîc quod ego citaram è *Theophylacto* Græco, nomine *Vulgarii*, *Stunica* docet ex eodem, nomine *Athanaſii*. *Sciendum*, inquit, quaſi novum aliquid adferat. Cætera quæ divinat nihil ad me pertinent.

Ex

EX CAP. IV. ANNOT.

MIHI *autem pro minimo eſt, ut à vobis*, &c. Hîc *Stunica* putabat eſſe locum novæ præfationi. Nam poſt Elenchum hunc, *locus ab* Eraſmo *minime intellectus*, ſic præloquitur: *Mirum eſt quam præpoſtero ſit ingenio* Eraſmus *iſte* Roterodamus. *Nihil enim eorum, qua apud divum* Hieronymum *& alios Eccleſia Doctores legit, prorſus intelligit, velut ex hoc loco manifeſtè apparet.* Quam vero præfatio tam atrox rei non congruat, paucis expediam. In Annotationibus Editionis primæ, ſcripſeram hunc in modum: *Hunc locum alicubi citat* Hieronymus, *ut oſtendat* Paulum *non admodum elegantem fuiſſe in lingua Græca, ſed quædam* Cilicum *more dixiſſe, nam* Cilix *erat. Hieronymi* verba ſubſcribam ex Epiſtolæ ad *Algaſiam* Quæſtione x. *Illud*, inquit, *quod crebro diximus*, etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia, *nequaquam* Paulum *de humilitate, ſed de conſcientia veritate dixiſſe etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat. Et cum ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone, quem cum in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes* Gamalielis, *viri in Lege doctiſſimi, ſeipſum interpretari cupiens involvitur.* Nonne palam hîc fatetur *Hieronymus Paulum* minus calluiſſe Græcam Linguam, quam Hebraicam, quod alteram didiciſſet à majoribus & à doctiſſimo præceptore, alteram è commercio *Cilicum?* Nonne comprobat hîc, quod alias non ſemel oſtendit *Paulum* imperite loqui, ob inſcitiam ſermonis Græci. Porro qui puro ſermone non poteſt eloqui, quod ſentit, nonne utcunque eloquitur ſermone parum eleganti, parumque puro? Ac mox *Hieronymus* oſtendit illum ex idiomate *Cilicum* multa dixiſſe, quod genus ſunt κατὰ ἀνθρωπίνης ἡμέρας, pro *humano judicio*, & ἀνθρώπινον λέγω cum quid dicit humilius, parumque perfectum, & ὁ καλέσας ὑμᾶς, cum quis alteri gravis imminet, & καταβραβεύειν, ubi quis in certamine præripit alteri præmium injuſte. Hæc *Hieronymus* ita vult eſſe dicta *Paulo*, ut *Virgilio* dictum eſt *ſceleratum frigus*. Neque vero me fugit hæc varie vafreque ſcribi ab *Hieronymo*, nec excutio quantum apud me valeant hæc quæ ſcribit, tantum indico me non temere indicaſſe locum. Si *Paulus* non poteſt explicare pure quod ſentit, aut ipſius imperitia fuit in cauſa, aut ipſe ſermo parum expolitus, aut res ipſa. Sed rem explicat in Hebræa Lingua, in qua fuit diſertiſſimus: ſupereſt, ut aut *Cilicum* Lingua minus fuerit elegans, aut eam minus calluerit *Paulus*. Et utrumque fuiſſe verum ſubindicat *Hieronymus*, cum & fateatur *Paulum* imperitum fuiſſe ſermonis Græci, non quod more vulgari non potuerit loqui, ſed quod animo declarando defuerit ſermo purus, & elegans, & oſtendat quædam eſſe peculiaria ejus Gentis, in qua natus eſt, quibus abuſus ſit ad explicandum utcunque quod ſenſerat. Neque vero contra me facit, ſi *Tarſus* prodidit aliquot eruditos viros, *Aratum* & *Oppianum*, quaſi vero non & *Scythia* nobis dederit *Anacharſidem*. Non refert ubi natus ſis, ſed unde didiceris. Neque qui ſcribunt, utuntur omnibus, quæ vulgaris habet ſermo. Nam & ætate *Ciceronis* vulgo quædam ferebantur à quibus ipſe abſtinet. At *Pauli* ſermonem fuiſſe vulgarem, nemo puto negaverit, diſertius autem dicturus erat, opinor, ſi *Athenis* cum *Demoſthene*, *Platone* & *Iſocrate* verſatus fuiſſet, & purius quæ ſenſerat, eloqui potuiſſet. Cumque *Stunica* totam hanc Annotationem multis convitiis condierit, addit hujuſmodi clauſulam: *Hæc eſt* Hieronymi *intentio illo in loco, quem* Eraſmus *ſtupide ſimul ac imperite in Annotationibus retulit.* Quid optem iſti blateroni, niſi paulo plus cordis, linguæ multo minus, aliquanto plus verecundiæ, multo minus arrogantiæ?

EX CAP. VI. ANNOT.

EMTI *eſtis pretio magno.* Annotaram *magno* non haberi hîc apud Græcos, & videri in noſtris additum ex Epiſtola *Petri*. *Stunica* negat additum in noſtris, & vult addi in Græcis. Et adducit *Athanaſium* ſuum, atque *Ambroſium*, qui interpretantes meminerint *magni pretii*. Sed illud mihi dicat, an ideo ſcriptum fuit *magno pretio*, ſi interpretes, id quod erat, magnum interpretentur? Certe *Ambroſius* citat hunc locum aliquoties, non addens *magno*, ut Libro de *Cain* & *Abel* ſecundo Cap. III. rurſum Epiſtolarum Libro ſecundo Cap. II. ac mox III.

EX CAP. VII. ANNOT. I.

BONVM *eſt homini mulierem non tangere.* Cum eſſet quæſtio de ducenda uxore, ac *Paulus* reſpondeat, optandum quidem, ut liberi abſque uxoribus vivant Chriſtiani, tamen ob periculum inhoneſtæ libidinis præſtare, ut qui non temperant, ſuam habeant uxorem, malui *uxorem* vertere, quam *mulierem*. Nam Græcis γυνὴ vox eſt anceps. Hic multa congerit *Stunica* ex *Athanaſio* ſuo, ex *Ambroſio*, ex *Hieronymo*, quæ ſi quis attentius excutiat, omnia pro me faciunt adverſus *Stunicam*: lege & ſic eſſe comperies, ne nos hoc laboris hîc fruſtra ſumamus, alioquin occupatiſſimi. Sed bellam addit coronidem: *Si* Paulus, inquit, *ſenſiſſet de uxore, dixiſſet*, καλὸν ἀνθρώπῳ τῇ γάμε μὴ ἅπτεσθαι: ſic enim *Stunica* docet & *Paulum* loqui Græce, quaſi *Paulus* cum peculiaria tradat uxoribus, alio nomine vocet eas, quam γυναῖκας. Neque quenquam fallat, quod apud *Ambroſium* aliquando *mulier* dicitur *uxor*.

EODEM ANNOT. II.

CIRCVMCISVS *aliquis*, &c. *non adducat præputium.* Nos certe verecundius vertimus, *ne adſciſcat præputium*. *Stunica* in hoc rerum genere me peritior docet nos è ſuo *Pſeudathanaſio*, *Paulum* ſentire de pellicula, quæ ſi vel natura, vel amputatione deſit, ac nuda ſit glans, arte medicorum adducatur. Simulque indicat *Celſum* ejus mali remedium oſtendere. Ut demus eſſe verum, quod ait *Stunica*, qui alicunde ſibi conciliat, quod non habebat, nonne Latinis *adſciſcit ſibi?* Quanquam mihi probabilius eſt *Paulum* de animo loqui, non de corporis habitu: *Si circumciſus es, ne te pœniteat, ſi non es, ne tibi diſpliceas.* Certe *Origenes* libro περὶ ἀρχῶν quarto, putat nulla ratione fieri poſſe, ut præputium ſemel amputatum revocetur. In eodem errore fuit *Hieronymus* priore adverſus *Jovinianum* libro.

EX CAP. IX. ANNOT.

SI *alii poteſtatis veſtræ.* Hîc annotaram quod Græcis eſt ἐξουσίας, Latinis *poteſtatis*, ſic intelligendum, ut non accipiamus quamlibet poteſtatem, ſed facultatem metendi & circumducendi uxores, quam illi cæteris Apoſtolis permittebant. Hîc duplici nomine me taxat *Stunica*, & quod cum *Laurentio* ſentiam, qui putavit *Paulum* hîc agere de uxoribus Apoſtolorum: deinde quod ad Apoſtolos referam, quæ dicta ſunt in Pſeudapoſtolos. Quid ſenſerit *Paulus* incertum. Nec me fugit, quam abhorreant interpretes ab uxoribus, maxime Latini. Sed me non omnino ſubſcribere ſententiæ *Laurentianæ*, ſatis eſt argumenti, quod paulo ante refello illius rationem, qua colligit hîc *Paulum* loqui de uxoribus. Sic enim ingredior recenſere *Laurentianum* commentum: Laurentius *cavillatur hoc loco, cum dixiſſet* ſororem, *quid opus erat addere* mulierem, *quaſi* ſoror *eſſe poſſit*, *quæ* mulier *non eſt.* Mox ego: *Imo* ſororem *addidit, ut intelligas Chriſtianam.* At cur, inquiet, paulo poſt meminiſti *uxorum?* Quia non hoc agebam, & puto non eſſe abſurdum, ſi quis de uxoribus intelligat. Et tamen in ſecunda Editione addidi *uxores*, ſive *mulieres*, veluti olfaciens exoriturum *Stunicam*

Digitized by Google

Momum. Quid autem piaculi futurum erat, si fuissem in hac opinione, Apostolis fuisse uxores, cùm in ea sententia fuerit *Clemens*, qui *Petro* & *Philippo* tribuit uxores, & hunc ipsum locum adducit, ex quo docent *Paulo* fuisse uxorem? Vanum me clamitet *Stunica*, nisi hoc compererit in Ecclesiastica Historia, quam *Eusebius* texuit lib. III. Porro utrum hæc dixerit de Pseudapostolis, an veris Apostolis, in præsentia non disputo. Certe paulo ante *Cepham* & fratres Domini expressit. Sed utcunque est, etiam Pseudapostoli vocari possunt Apostoli, ut per me nemo cogatur de veris Apostolis interpretari, qui nolit. Et hic est ille locus, quem in elencho notat, ut perperam expositum.

Ex Cap. x. Annot.

BIBEBANT *autem de spiritali*, &c. Hîc annotaram Græcæ vocis elegantiam, ἀκολουθούσης, quæ significat itineris velut assiduum comitem. Nam sequi potest, & quod procul abest. Hîc *Stunica* multa congerens, docet petram illam, quæ fuit in deserto *Sin*, non ambulasse cum *Judæis* per desertum, sed aquam euntibus suppeditasse. Multaque refert ex historia Veteris Testamenti, multa ex *Athanasio* suo, quæ nihil adversum me faciunt. Siquidem *Paulus* de *Christo* loquitur, quem illa petra significabat. Is nusquam deerat suis, sed habet hoc *Stunica* peculiare, quoties aliquid ex lectione nactus est, quod cupiat referre, captat occasionem, per quam illud infulciat. Verùm poterat sua docere, ac si libet etiam ostentare, citra cujusquam injuriam. Hîc certe nihil illi erat rei mecum, qui nec ab illo dissentio, neque quicquam dico, quod ille possit reprehendere.

Ex Cap. xii. Annot.

GVBERNATIONES, *genera Linguarum, interpretationes sermonum.* Indicaram hanc particulam non inveniri in Græcis codicibus, cum habeatur in Latinis. Unde suspicor in nostris adjectum, præsertim cum ne apud interpretes quidem Græcos hujus particulæ fiat mentio. Atque adeo in superiori loco, ubi nos legimus *alii interpretatio sermonum*, Græci legunt *interpretatio Linguarum*, quam tamen particulam non reperio additam in Græco codice *Theophylacti*. Distinguit tamen Apostolus genera Linguarum ab interpretatione Linguarum: ac paulo post repetens distinguit itidem: *Nunquid omnes Linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Ex his *Stunica* colligit in vetustis Græcorum codicibus adscriptum fuisse, quod in horum temporum libris deest. Atqui cum *Stunica* codices habeat προσελήλυθεν, præcipue *Rhodiensem* illum, cui tantum tribuit, proferat ex illis si potest, & adjiciemus quod deest. Fieri potest, ut eruditus apud Latinos videns non consentire partes in medio cum iis, quæ præcesserant ac sequuntur, adjecerit, quod suspicabatur deesse. Atqui cum hujusmodi scrupuli frequenter incidant in sacris Libris, potius quærendum erat, quo consilio *Paulus* hîc non addidisset. Verùm ego meo sum officio functus, indicavi quod apud Græcos minus est, & adjeci meam suspicionem citra cujusquam injuriam. Addendi de meo, quæ Græcis desunt, provinciam non susceperam. In codicibus aliquot vetustissimis, quos mihi nuper præbuit *Brugis* Collegium divi *Donatiani*, non adscribebatur hæc particula, quam indico apud Græcos non haberi, ne quis somnium esse putet quod adfero.

Ex Cap. xiv. Annot.

IN *Lege enim scriptum est*, &c. Quod est apud *Esaiam* Cap. XXVIII. citatum erat ex Cap. XXII. quod haud dubium est accidisse castigatorum & operarum incuria. Atque hujusmodi lapsus nobis citra collationes antitypi recognoscentibus haud facile deprehenduntur. Id esse verum, videbit & *Stunica*, cum in Editione secunda reposuerim verum numerum. Et hîc velut atrox A facinus sit admissum elenchus habet: Erasmi *hallucinatio manifesta, & in dissertione deliravit* Erasmus. Malim ego centies labi memoria in numero Capitis, quanquam hîc quî potui, cum de codice scripserim, quod tum scribebam, quam semel sic labi lingua, ut nusquam non labitur *Stunica*, quamlibet levi de re maledicus in proximum suum. Cæterum quod addit *Paulus, dicit Dominus*, cum non sit apud *Esaiam*, indico additum, ut impleretur forma prophetiæ, nimirum sentiens hoc esse solenne in vaticiniis ad confirmationem hanc addi clausulam, *dicit Dominus*. Id *Stunica* non intelligens flagellat imperitiam & incuriam meam, B ostendens & hanc particulam: *& nec sic exaudient me*, paulo post sequi in eodem Capite: *Cur igitur*, inquit, *addidisti hanc particulam?* ut sciretur cui illa adhæreret, *dicit Dominus*. Nec affirmo locum hunc aliunde sumtum, sed addubitans dico, *nisi forte*, & addo argumentum, quod ipse *Hieronymus* non affirmat, sed ait sibi videri sumtum ex hoc *Esaiæ* loco.

Ex Cap. xvi. Annot.

PERMANEBO *autem Ephesi.* Quoniam in codicibus meis repereram ἐπιμένω, verti *commoror*. In secunda Editione nactus alios codices, verto *commorabor*. Ac ne tantulum quidem refert ad sensum, utrum legas. Atque interim cum uno in loco multos errores C commiserim, hic unus est è multis. Alter est quod *Pentecosten* suspicor hîc accipiendum non pro festo die *Judæorum*, cum jam *Paulus* contemneret illorum festos dies, sed diem quinquagesimum. Atque in hanc sententiam disserit *Theophylactus*, qui *Stunicæ* est *Athanasius*. Nam mihi frigidum videtur, quod *Beda* in Actis putat diem Paschæ & Pentecostes, etiam Apostolorum temporibus fuisse celebratum à Christianis, celebrabant quidem, sed quotidie. *Stunica* multis modis colligit *Paulum* sensisse de die festo, nec mihi displicet hoc in loco hominis diligentia. Nec ego sic contendo *Paulum* non sensisse de die festo, ut rejiciam diversam opinionem. Est enim hoc, opinor, ex D eorum numero, in quibus liberum est cuique in suo sensu abundare.

Ex Secvnda ad Corinth. Cap. i. Annot. I.

SIVE *consolamur pro vestra.* In contextu primæ Editionis à Librariis erant admissa duo errata, pro εἴτε παρακαλούμεθα habebatur, *sive consolationem accipitis*, pro *accipimus*, & pro ὑμῶν *vestri*, habebatur *nostri*. Id si cura factum fuisset, admonuissem in Annotationibus. Nunc cum nullum verbum faciam & in secunda Editione castigarim, res ipsa clamat casu factum. Dicet, hoc erat tuum præstare, ne quid admitteretur in opere sacro. Belle monet *Stunica*, atque utinam liceret. E Verùm hoc nunquam impetrabimus ab operis etiamsi rumpamur. Cætera quæ disserit *Stunica*, nihil ad me pertinent.

Eodem Annot. II.

NON *quia dominamur fidei vestræ.* Quoniam Græcis est κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως, non autem κυριεύομεν τῆς ὑμῶν πίστεως, admoneo lectorem, dispiciat, num hic possit esse sensus, *dominamur vobis nomine fidei:* quasi *Paulus* non habiturus esset in eos imperium, nisi credidissent. Quod si hic sensus redditur Græco sermone, si pulchre quadrat, quid erat flagitii hujus admonere? *At hic*, inquit *Stunica*, *loquendi modus raro, aut nunquam invenitur apud Apostolos.* Hoc mihi etsi nunquam reperiretur, satis est ad conjecturam, apud F Græcos etiam frequentem esse. Negat me commoveri debuisse scrupulo articuli præpositi, cum reperiantur & alias articuli simili modo transpositi. Doceat ubi id fiat, & abjiciemus scrupulum. Cæterum ex *Theophylacto* Latine verso vix deprehendas quid senserit. Post nactus Græci voluminis copiam, deprehendi illum interpretari, fidem alienam non esse in nostra potestate, quod nemo cogi possit ad credendum: sed reclamat interim articulus.

Ex

A

EX CAP. II. ANNOT.

VT *non cum venero, triſtitiam*, &c. Indicaram in Græcis Exemplaribus hanc particulam, *ſuper triſtitiam* non addi, ſed ex alio *Pauli* loco huc adjectam à ſtudioſo quopiam, nimirum ex Epiſtolæ ad *Philippenſes* Cap. II. Præſertim cum nec apud *Ambroſium* addatur, nec apud *Theophylactum*. *Stunica* teſtatur additum fuiſſe in codice quodam *Rhodienſi*. At ego illi *Rhodienſi* oppono tot vetuſta Exemplaria, quæ nos vidimus partim in *Anglia*, partim in *Brabantia*, partim *Baſileæ*, quorum nonnulla Cardinalis quidam *Romæ* ſecum adduxerat, cum illic eſſet Synodus, & in itinere moriens legavit totam Bibliothecam, quæ Græca erat, Monaſterio *Cartuſienſium*: ac deprehendi quoſdam Græcos codices ad noſtros eſſe caſtigatos, quo de numero ſuſpicor eſſe *Rhodienſem* illum. Quod ſi verum eſt, codex ille nihil aliud eſt, quam *amuſſis alba in albo lapide*. Ego magis fiderem Exemplari Græco, quod non uſquequaque conſentiret cum noſtris.

B

EX CAP. IV. ANNOT.

APORIAMVR, *ſed non deſtituimur*. Quæſo te, lector, ut ex hoc loco perpendas quantum frontis habeat *Stunica*. Quoniam *aporiamur* vox eſt Latinis inaudita, verteram *laboramus*. In Annotationibus diligenter explico naturam Græcæ vocis, quæ ſignificat *hærentem*, *perplexum*, & *inopem conſilii*. Addo vocem eandem aliquando ſonare *egenum* non conſilii, ſed rerum neceſſariarum, & ob id hoc loco *Ambroſium* vertiſſe, *egentes*. Hæc eadem cum aliquanto deterius doceat *Stunica* in ſua Annotatione, nullam facit mentionem Annotationis meæ: quo novum eſſe videatur, quod ipſe adfert è ſuo *Athanaſio* & *Heſychio*. Et in Elencho adſcripſit *Eraſmum* non intellexiſſe ſignificatum hujus verbi *aporiare*. Atque hac quidem in re vehementer à *Stunica* diſſentio. Siquidem illi verbum *aporiare* duo ſignificat, *dubitare* & *egere*, mihi neutrum, imo nihil omnino ſignificat. Jam ſcio *Stunica* negabit hos elenchos eſſe ſuos, & hoc prætextu fretus illic eſt virulentior, quod hîc ſi quid ineſſet, quod defendi non poſſet, liceret inficiari. Fortaſſe dicet: Tu non vertis quod interpretaris: vertis enim *laboramus*. Quaſi Latinis non dicantur *laborare*, qui anxii ſunt & ancipitis conſilii, præſertim in re periculoſa.

C

EX CAP. VI. ANNOT.

ET *inambulabo inter eos*. Sic annoto: *Inter eos* non eſt in Græcis, ſed tamen conatus eſt exprimere verbum ἐμπεριπατήσω, quod ſignificat *in aliquo ambulare*. Hîc *Stunica* cum nihil habeat quod reprehendat, confert quid habeant Hebræi, quid verterint LXX. quid *Hieronymus*, hoc quid ad me pertinet? Et tamen in Indice adſcripſit: *Recte Interpretem hoc loco traduxiſſe*, ut lector parum attentus ſuſpicetur me reprehendiſſe Interpretem, cum nihil tale ſit.

D

EX CAP. X. ANNOT.

QVÆ *ſecundum faciem ſunt videte*. Cum βλέπετε Græca vox poſſit eſſe vel indicativi modi, vel imperativi, doceo pronuntiationem item eſſe variam: quoſdam malle interrogationem, quod ea ſit acrior ad objurgandum, atque ita legendum, *videtis?* Hoc quod dixeram, hauſeram è Græcis ſcholiis, quæ hujus pronuntiationis auctorem citant *Theodoretum*. Cæterum ex his, quæ citat *Stunica* ex *Athanaſio* ſuo Latine verſo, nihil omnino certi colligitur. Imo magis videtur cum *Theodoreto* ſentire. Cum enim interpretetur *Paulum* non ſolum territare eos qui deciperent, verum etiam illos increpare qui deciperentur, dicens, κρίνετε, id eſt, *judicatis ex his quæ apparent, ſi quis ſit glorioſus, ſi dives, ſi virtutis perſonam gerens*, quomodo quadrabit ut legamus, *videte?* Eat nunc *Stunica*, & in Elencho ſuo impudenti ſcribat, *Evidens* Eraſmi *hallucinatio*.

E

EX CAP. XI. ANNOT. I.

SED *& ſupportate me*, ἀνέχησθε Græcis vel *ſufferte* ſonat, vel *ſuffertis*. Mihi magis placet indicandi modus, & in Annotationibus indico ſic legere Græcanica ſcholia, quæ ſi volet legere *Stunica*, petat à Monaſterio Prædicatorum *Baſileenſium*. Liber eſt elegans ac vetuſtus, à Cardinali, de quo dictum eſt, illic relictus. *Stunica* reclamat, & docet alterum quoque ſenſum poſſe conſiſtere. Ut hoc evincat, non præſtat tamen, quod promiſerat in Indice, *perperam ab* Eraſmo *tranſlata*. Jam ut perperam doceat me vertiſſe, nihil adfert niſi merum ſomnium ſuum. Nam quod adducit ex *Theophylacto* Latine verſo, *amuſſis* eſt *alba, in albo lapide*. Imo *Theophylactus* ſi quis attendat legit ἀνέχεσθε indicandi modo, ſubjicit enim: *Confido enim in poſterum vos me benevolentia proſequuturos*. Sic enim dicimus aliquem facere, quod illum confidimus facturum. Poſt nactus Græci voluminis copiam, comperi in Commentariis ἀνέχεσθε. Obſecro te, lector, quis eſt tam patienti ſtomacho, ut ferat hujus hominis impudentiam, qui ſibi videtur ſtipitibus ſcribere, non hominibus?

F

EODEM ANNOT. II.

DESPONDI *enim vos uni viro*: ἡρμοσάμην ego verteram *adjunxi*, pro *deſpondi*, nimirum hoc ſequutus, quod qui deſpondet, non idem jungit, & Græcis *deſpondere* eſt μνηστεύειν, peculiare verbum ei rei. Hîc *Stunica* docet apud Græcos ἡρμοσάμην frequenter uſurpari pro *deſpondi*, nec ullum adducit exemplum, & ſi adduceret, nihil adverſum me faceret, cum quiſquis jungit, deſponſam jungat. Ridiculum vero quod adducit *Athanaſium* ſuum Latine verſum, qui haud dubie legit ἡρμοσάμην, & Interpres Latinus ſequutus vulgatam Editionem reddit *deſpondi*. O hominem dialecticum! Cæterum quod ſubjicit *Theophylactus*, *Athanaſius*: *Non enim ſponſus ipſe futurus ſum, ſed ſponſæ ductor*. Ac mox: *Quin illos in ſponſæ modum, ſe vero pronubæ loco conſtituit, nubentem compoſiturum*. Ex his quamlibet male verſis, tamen perſpicuum eſt, *Theophylactum* facere contra *Stunicam*, neque enim deſpondet νυμφοστόλος, ſed à parentibus deſponſam deducit ac jungit ſponſo. Nec deſpondet pronuba, ſed in manum dat ſponſo. Et hic eſt ille, qui mihi impingit, quod nihil prorſus intelligam in ſacris Auctoribus. Me quidem leviter iſta movent convitia, ſed vereor, ne hæ tam fœdæ & ſcurriles rixæ, multorum animos alienent à ſacris ſtudiis.

EODEM ANNOT. III.

DAMASCI *præpoſitus*. In Annotationibus indicaram, quod *Aretas* fuiſſet ſocer *Herodis*. *Stunica* carpit, quod non addiderim, qui fuerit is *Herodes*, cum ejus nominis fuerint complures. Si hoc eſt peccare, nuſquam non pecco: nullus eſt enim locus, in quo non aliquid poſſit addi.

EX EPISTOLA AD GALATAS CAP. I. ANNOT.

CONTINVO *non acquievi carni*, &c. Indicaram ex *Hieronymo*, quod hæc *Stephani* narratio multis modis diſſentire videtur cum ea, quæ eſt in Actis Apoſtolicis Cap. IX. Addo non eſſe ejus operis id prolixius perſequi, quo lector, ſi quid deſideret, ab *Hieronymo* petat. Hîc *Stunica*: *Non hæc*, inquit, Pauli *narratio multis modis diſſentire videtur ab ea, quæ eſt apud* Lucam *in Actis Apoſtolicis Cap.* IX. *ut* Eraſmus *retulit, ſed hæc illam videtur exponere, & ut ita dixerim, ampliare, tametſi prima fronte videtur ab ea eſſe diverſa*. Quid ego audio, an quod videtur, non videtur? Nonne quod prima fronte videtur, videtur? Si non videtur, mentitus eſt *Hieronymus*. Porro cum ego dicerem *diſſentit*, de ſpecie ſentiebam, non de re. Cætera quæ hîc diſſerit *Stunica*, nihil ad me pertinent.

Ex

Digitized by Google

Ex Cap. iii. Annot. I.

O INSENSATI *Galatæ, quis vos fascinavit.* Quoniam eadem verba in plerisque Latinis habebantur in hujus Epistolæ Cap. v. obiter admiscueram hæc in Annotationibus, *Hieronymus* secundo adversus *Jovinianum* libro, vertit *impedivit*, suspicans illic esse idem Græcum verbum ἐβάσκηνεν, cum sit ἐνέκοψεν. Habes, lector, summam mei criminis. Hìc objici potest, quod in tumultu non satis attente perpenderim Græca. At *Stunica* in Elencho objicit, quod non intellexerim *Hieronymum*. Porro duplicem fuisse lectionem apud Latinos, in quinto Capite docet etiam ipsa Glossa ordinaria, atque Exemplar mire vetustum ex Bibliotheca Collegii S. *Donatiani Brugis.*

Eodem Annot. II.

PRAEVIDENS *autem Deus.* Scripseram apud *Homerum* à *Penelope* promitti præmium, hoc est, Euangelium *Ulyssi. Stunica* dicit *Ulyssem ab Eumeo* petisse præmium læti nuntii. Donemus me lapsum memoria, nondum enim inspexi locum, quanquam potest & hoc esse verum, quod dico, quid aliud mihi accidit in *Homero*, nisi quod *Ciceroni* accidisse docet *Aulus Gellius* Lib. xv. Cap. vi. qui versus, quos *Homerus* tribuit *Hectori*, transtulit ad *Ajacem:* nec miratur *Gellius* hunc memoriæ lapsum in tanto viro. Nunc audi *Stunicæ* maledicam linguam: *Ut* Erasmus, inquit, *butyro & patria cervisia obrutus somniavit.*

Ex Cap. iv. Annot.

QVONIAM *confundor in vobis.* Annotaram *Hieronymo* non videri quicquam interesse inter αἰσχύνην & ζύγχυσιν, quod hoc loco duas voces recensens, rem eandem declarantes, ponit αἰσχύνην & ζύγχυσιν. *Stunica* docet in Editione *Veneta*, quæ præcesserat *Basileensem*, eum locum, in quo nunc est ζύγχυσιν, fuisse vacuum: & suspicatur in spatio vacuo potius reponendum fuisse ἐντροπὴν, quam ζύγχυσιν. Ut hoc largiamur esse probabile, quod ait *Stunica*, qua fronte mihi imputat, quod est in opere alieno? Atque omnino sic rem tractat *Stunica*, quasi *Amerbachii* non habuerint aliud Exemplar, quam datum ex Editione *Veneta*, cum usi sint vetustissimis voluminibus è Monasterio quodam petitis, quibus hoc plus habebant fidei, quod qui scripserat, nihil intelligebat. Nam nulli magis, aut periculosius depravant libros, quam semidocti, aut docti etiam parum attenti. Si falsum est, Interpretem, *confundi*, vertere, pro *erubescere*, & si *Hieronymus* non abutitur ad eundem modum his vocibus, habet *Stunica* quod refellat. Nunc quid aliud quam *nodum in scirpo quærit?*

Ex Cap. vi. Annot.

ALTER *alterius onera portate.* Hìc *Stunica* meus in Elencho ponit: *Perperam hunc locum ex Græco* Erasmum *traduxisse*, cum in translatione nihil mutaverim, nisi quod pro *alter alterius* posuerim *invicem onera vestra.* Quod quidem *Stunica* non reprehendit, tantum improbat, quod in Annotationibus admonuerim, ἀναπληρώσατε magis sonat *redimplete*, quam *implete:* non quod voluerim hìc præpositionem sonare iterationem, sed respectum ad aliud. Quod enim *reconcinnatur*, non bis concinnatur, sed ab eo, quod erat lacerum, aut luxatum restituitur, & quod *redditur* non bis datur, sed datur ei, à quo fuit ablatum, & quod *recipitur*, non bis capitur, sed ab alio capitur. Id clarissimis verbis declararam in prima Editione scribens hunc in modum: *Quasi dicat, quod alterius delicto diminutum fuit in Legis observatione, id aliorum farciat caritas.* Atque hìc quoque sui similis est *Stunica.* Nam quod dixi *in Legis observatione*, interpretatur me sensisse de Lege Euangelica, cum *Hieronymus*, quem (ut ille ait) tumultuarie legens, non intellexi, sentiat de Lege *Mosaica.* Sed unde hoc divinat *Stunica?* Quod si maxime sensissem, quid erat præculi, cum *Hieronymus* in eo loco, quem jactat à me non intellectum, recenseat duplicem sententiam. Prior est, ut si quis Christianus sit nondum perfectus, is qui firmior est illi sese accommodet ex affectu caritatis, quo proficiat. Altera est: Qui nondum adeo firmus est, ut possit contemnere Legem *Mosaicam*, hujus imbecillitati succurrat Christiana caritas, tolerans infirmum donec proficiat. Ubi nunc est, quod jactat *Stunica*, vel gratis maledicus? Cætera, quæ citat è suo *Athanasio*, male Latine verso, quoniam nec arguunt quicquam, nec adversum me faciunt, sino illius volumini accrescere. Dixi quid, *re*, præpositio sonet etiam Latinis. Quod si ἀνὰ, Latinis nunquam vertitur in *re*, sit *Stunica* aureus, ego ligneus, cum ἀναφορὰ dicatur *relatio*, & ἀνακεφαλαίωσις *recapitulatio*, & ἀνάλυσις *resolutio.*

Ex Epist. Ad Ephesios Cap. i. Annot. I.

VT *essemus sancti & immaculati.* Pro *immaculati*, quod Græce est ἀμώμους, verti *irreprehensibiles.* Neque damno tamen quod vertit Interpres. Si μῶμος tantum Græce sonat *maculam*, rogo cur Deum illum reprehensorem appellant *Momum?* Aut quid venit in mentem Græco artifici, qui suis operibus hunc inscripsit Senarium, μωμήζεταί τις θᾶσσον, ἢ μιμήζεται. Non nego *maculam* usurpari posse pro reprehensione, aut vitio, quod possit carpi, sed an ideo non verum est, quod annotavi? Siquidem & vitæ animique vitium *macula* est, si metaphoram admittas. Sed *Stunica* congerit loca quædam è sacris Litteris, in quibus ἄμωμοι vertantur *immaculati.* Quis hoc aut negat, aut nescit? Porro quod huc etiam Hebraica confert in ordinem testium, liberalitatis est profecto.

Eodem Annot. II.

ET *virtutem & dominationem.* Pro *dominatione*, quod Græcis est κυριότης, verti *dominium*, nimirum id sequutus, quod *dominium* magis exprimat Græcam vocem, quæ sonat jus possidentis, nam *dominatio* potest esse tyranni. *Stunica* putat utriusque vocis parem esse vim, & indignatur priorem mutatam, quod jam esset recepta pro ordine Angelico. Atqui ego non puto Angelicos ordines esse tam morosos, ut cum apud Ethnicos *Bacchus* tot nominibus compelletur, indigne ferant pro *dominatione* dici *dominium.*

Ex Cap. ii. Annot. I.

ET *medium parietem maceriæ.* Quod Græce est μεσότοιχον τῦ φραγμῦ verteram *interstitium maceriæ*, hoc offensus, quod cum *maceria* sit paries, dure dici videatur *medium parietem parietis.* Sentit enim *Paulus* maceriam dirimentem duo ædificia. Hìc *Stunica* meo multis modis hallucinor, ac parum abest, quin homo ridiculus risu diffluat: Μεζότοιχον, inquit, proprie sonat *medium parietem*, imo proprie sonat μεζοτοιχίαν, hoc est, *interjectum parietis*, seu *maceriæ dirimentis.* Deinde reprehendit, quod pro ἔχθραν, *inimicitiam*, verterim *simultatem*, nimirum hoc sequutus, quod *simultas* sonat utriusque male affectum animum, hoc est, odium mutuum. Nam *inimicitia* potest esse, ubi non sit mutuum odium. Quid hìc igitur offendit *Stunicam? Apud Theologos*, inquit, *de quorum numero se esse jactat*, simultas *in alium sensum accipi solet.* Ubi jacto me esse de numero Theologorum? Sed *Stunica* declarat se non esse de numero bonorum Theologorum. Quanquam ego malo suspicari scurram aliquem hujusmodi nænias admiscuisse *Stunicæ* illius admirandi viri scriptis, qui in præfatione tot egregiis & heroicis dotibus instructus accessit ad hanc provinciam. Etiamsi nondum intelligo, quid aliud sonet Theologis *simultas*, quam nobis sonet. Sed ut hæc joco dicta sint, in illo plane sum hallucinatus, quod duobus verbis annotarim Græcos ita distinguere, ut τὴν ἔχθραν pertineat ad verbum sequens, *evacuans*, quod nos vertimus *abrogans:* & consulto Græco codice, plane comperi sic legere

Theo-

Digitized by Google

Theophylactum. Atqui hîc objicit ſuum *Athanaſium* ψευδώνυμον, *quem ipſe*, inquit, *Græcum doctorem non negabit*. Equidem agnoſco *Theophylactum*, neque nego Græcum doctorem, ſed nego à *Stunica* Græce lectum, quin potius male verſum Latine. Proinde ex hoc non multum conficit *Stunica*. Qui ſi maxime ſenſiſſet quod interpretatur *Stunica*, cum utrumque poſſit accipi, quid erat piaculi, ſi admonui quid Græcorum interpretarentur ſcholia? Sed audi fœcundam ſycophantiam. Supereſt adhuc unum flagitium. Addideram in Annotationibus: *Quadam Editio, quam citat* Hieronymus, *habet* in dogmatibus. Hunc ejuſdem monetæ vocat errorem: *Quippe*, inquit, *nullam* Hieronymus *citat Editionem, ſed antiqua illa Editio Apoſtolicarum Epiſtolarum, quam ipſe commentatur, habet* in dogmatibus. Quid ego audio? An non citat, quod adducit ex illa Editione, an illa non poteſt dici *quædam*, quæ à noſtra diſſidet? Sed utrum vult illam veterem eſſe caſtigatam ab *Hieronymo*, an hanc, quam nos habemus? Illam non poteſt dicere, cum in ea multa reprehendat, etiam ad ſententiam pertinentia. Nec hanc poteſt, cum inſint eadem, quæ illic reprehendit. Conſequitur igitur neutram ab *Hieronymo* fuiſſe recognitam. Proinde cum ſit una è multis, quid vetat eam dici *quandam*?

EODEM ANNOT. II.

SED *eſtis cives*. Cum Græcis ſit συμπολῖται, verti *concives*. Hîc *Stunica* pene vertitur in ſaxum præſtupore, quod alias curioſus elegantiarum, hîc poſuerim vocem prorſus abhorrentem à Lingua Latina. Atqui alias ridet me, qui hujuſmodi obſervatiunculas poſtulem ab Interprete. Nihil hîc reſpondeo *Stunica*, cum multa poſſim. Res eſt illi cum *Valla*, non mecum, ſed tamen in calce hujus præclaræ Annotatiunculæ fit ſubito civilior: *Denique*, inquit, *quantum memoria aſſequor, nunquam apud Ciceronem* concivem *memini me legere*. Sed cur ante pronuntiavit vocem eſſe prorſus abhorrentem à Lingua Latina?

EX CAP. III. ANNOT. I.

EX *quo omnis paternitas*. Quoniam Latinis *paternitas* nihil ſignificat, & ſi quid ſignificat, non ſonat hoc quod ſentit *Paulus*: verti *parentelam*, quam vocem *Hieronymus* teſtatur ætate ſua fuiſſe receptam, pro cognatione profecta ab eodem generis auctore. Hanc malui, quam *paternitas*, in qua duplex erat incommodum, & barbaries intolerabilior. Nam in hac certe convenit analogia. Quemadmodum à *cliens* dicitur *clientela*, ſic à *parens parentela*. Quod ſi vertiſſem *familiam*, perierat προσονομασία, imo vigor ſenſus *Paulini*.

EODEM ANNOT. II.

SCIRE *ſupereminentem ſcientiæ*, &c. Indicaram ſermonem apud Latinos eſſe ancipitem, quod incertum ſit, an *ſcientiæ* ſit dandi caſus, an gignendi. Si dandi caſus ſit, ſenſus erit, caritatem Dei majorem eſſe, quam ut humana ſcientia comprehendi poſſit. Sin gignendi caſus, ſenſus eſt, eximiam eſſe dilectionem cognitionis *Chriſti*. Quod dixi verum eſt, & priorem ſenſum amplectitur *Ambroſius*, ſi quis dubitat, relegat ipſius commentarios. Quanquam ille in contextu ſequitur diverſam lectionem, & à Græcis & à noſtra diverſam. Sic enim legit: *Cognoſcere quoque ſupereminentem ſcientiam caritatis Chriſti*. Quid igitur hîc clamitat *Stunica*? *Vertis*, inquit, *præminentem cognitioni: & præfers tuam ſententiam Hieronymiana*. Sed quæ mea eſt, eadem eſt *Ambroſii*. Nec tamen eſt quicquam in *Hieronymi* commentariis, quod pugnet cum hac mea ſententia. Imo propemodum idem dicit, quod ego, cum in fine docet aliquid addendum eſſe *ſcientiæ*, nimirum *caritatem*. Quid autem novi ſit, ſi apud Græcos ὑπερβάλλω ſibi patiatur jungi genitivum, quemadmodum patitur ὑπερεκπίζω & ὑπερλογῶμαι. Neque huc lubet, etiamſi poſſem, confugere, ut dicam *Paulum* abuſum caſu nominis ob Græci ſermonis vel neglectum, vel inſcitiam. *Theophylacti* Græcus codex, cum hæc ſcriberem, non erat ad manum, verùm aut Interpres parum bona fide reddidit Græca, ut aliud legit auctor, quam nos legimus, aut putavit paternum caſum recte cohærere cum participio ὑπερβάλλουσαν. Certe durus eſt ſenſus, quem reddit ſermo Latinus, & video in hoc explicando involvi, & hærere interpretes. Et tamen in tertia Editione pro *cognitioni* repoſuimus *cognitionis*. Vides, lector, me nec eſſe tam ignarum Græci ſermonis, quam exiſtimat *Stunica*, nec tam ſingulari præditum impudentia, quam ille facit. Poſt ex Græco *Theophylacto* comperi illum interpretari, caritatem Chriſti humana ſcientia eſſe majorem.

EX CAP. IV. ANNOT.

NOLITE *locum dare Diabolo*. Admoneo lectorem conſideret, an hîc pro *Diabolo* verti poſſit *calumniator*, cum Græce ſit διάβολος. Sed interpretes exponunt de *Satana*. Iſtud me non præteribat, verùm alter ſenſus cur rejiciatur, cum nihil habeat abſurdi? An quia *Satan* dictus Hebræis, appellatur Græce διάβολος, *calumniator*, non licebit hominem vocare calumniatorem? An quia Hebræi Dæmonem hoſtem ſalutis humanæ vocant *Satan*, idcirco non licebat illis hominem vocare *Satan*, cum *Chriſtus Petrum* appellet *Satanam*? Sed finge nullo pacto poſſe accommodari ad hominem calumniatorem, an non licet *Diabolum* Latine vocare *calumniatorem*: plerique nunc Dæmonem *Diabolum* appellant, neque ſciunt quid dicant, certe *calumniatorem* intelligunt Latini. Nihil igitur admiſſum eſt in contextu. Cæterum in Annotationibus fas eſt, inquirendi gratia, varios ſenſus proponere, quando liberum eſt lectori ſequi, quod optimum judicabit.

EX CAP. V. ANNOT.

SACRAMENTVM *hoc magnum eſt*. Admonueram Græcis eſſe μυſήριον, id eſt, *arcanum*. Et recipio matrimonium in numerum Sacramentorum. Sed addo ex hoc loco non magnopere colligi, neque enim quicquid myſterium eſt, protinus eſt unum è ſeptem Eccleſiæ Sacramentis. Hîc *Stunica* quoniam non verſatur in ſua arena, quo plura verba fundit, hoc ſe magis ridiculum præbet. Primum, oportuit noſſe ſacramenti vocabulum largius acceptum competere in multa, quæ non ſunt de numero ſeptem Eccleſiæ Sacramentorum: ſiquidem plurima ſigna ſunt rerum ſacrarum, at ſacramentum appellatione peculiari conſtat viſibilibus ſignis rei ſacræ, ſed quæ neceſſario, velut ex pacto, comitetur gratia inviſibilis. Hoc docere debuerat *Stunica*, ſi voluiſſet hîc mecum conſerere manus. *Petrus Lombardus*, & cum hoc vetuſtiores Theologi, non numerant matrimonium inter Eccleſiæ Sacramenta, quæ proprie hoc vocabulo deſignantur, recentiores numerare cœperunt, quibus ego lubens aſſentior. Quod ſi indignatur *Stunica*, quod negarim eſſe *magnum ſacramentum* in conjunctione viri & mulieris, ſciat *Auguſtinum* hac ipſa de cauſa vocaſſe *minimum*, quod ego *magnum* eſſe nego. Sed hac de re *Leo* pridem reſpondimus, cum *Stunica* nihil agam, qui tota hac diſputatione, *extra oleas*, quod ajunt, *cucurrerit*. Et tamen operæ pretium eſt audire, quam ſibi plaudat, veluti feliciter ad metam pervenerit: *Quod ignorans*, inquit, Eraſmus Roterodamus, *me vocat ignarum, cum ipſe neſciat quid loquatur*. Si ſapiat *Stunica*, poſthac ſe continebit intra pelliculam ſuam, id eſt, intra Lexica & Adnotationes quinquagenarias, id ſi fecerit, rectius conſulet ſuo nomini.

EX CAP. I. EPIST. AD PHILIPP. ANNOT. I.

PAVLVS *& Timotheus*. Modeſtiſſimis verbis admoneo dictionem *Timotheus* in Templis perperam pronuntiari penultima acuta, cum neque Græci, neque Latini accentus ratio id patiatur. Hîc *Stunica* religioſum exiſtimat quicquam damnare, quod in Templis ſit

Digitized by Google

receptum. Ego contra ſanctum exiſtimo, ſi multa receptiſſima mutentur. Quanquam ipſe nihil muto, tantum admoneo. Et ſcio in *Paracletus*, *Idola*, *Jacobus*, *Andreas*, aliiſque nonnullis vocibus, fuiſſe receptum accentum Græcum, in nonnullis etiam quantitatem ſyllabæ mutatam, præſertim apud *Prudentium* in carmine. Sed hic color non habet locum in *Timotheo: Verùm ab obliquis*, inquit, *potuit ſumi accentus.* Qui tam ingenioſus eſſe vult ad defendendum ea, quæ utcunque recepta ſunt, gratiſſimus erit patronus indoctis omnibus.

Eodem Annot. II.

Cvm *Epiſcopis & Diaconibus.* Oſtendo duplicem in Græcis codicibus lectionem, συνεπισκόποις, quod ſonat *coepiſcopis*, & σὺν Ἐπισκόποις, quod ſonat *cum Epiſcopis*. Non placet *Stunicæ* prior lectio, nec mihi placuit, & idcirco in vertendo ſequor alteram. Et *hic eſt error* Eraſmi *manifeſtus*, ſi credimus Elencho *Stunicæ*.

Ex Cap. ii. Annot.

Vt *in nomine Jeſu omne genu flectatur.* Cum Græce ſit κάμψῃ, oſtendo verti poſſe *flectat*, ut ſubaudias *ſe*, nec tamen reprehendo, quod vertit Interpres. *Stunica* putat pleraque verba tranſitiva ſumi neutraliter: ſcio, ſed puto ſumi per reciprocationem: *præcipitat*, pro *præcipitat ſe: revertit*, pro *revertit ſe*. Certe *Hilarius* libro *de Trinitate* nono legit *flectat*, non *flectatur*. Sane Latinis uſitate dicitur *deflectere*, qui ſe deflectit. Cumque civilis ſit hujus Annotationis clauſula (ſiquidem veluti ſublevans me dicit, *niſi forte exiſtimavit utroque modo transferri recte potuiſſe*) tamen Elenchus habet, *Falſa* Eraſmi *interpretatio*.

Ex Cap. iii. Annot.

Ex *genere Iſrael.* Annotaram *Iſrael* hîc poſſe ſumi, ut ſit rectus caſus, ſitque ſenſus, *ſum Iſrael*, hoc eſt, *Iſraelita*, non ex adoptione, ſed ex genere, nimirum ad diſtinctionem proſelytorum. Siquidem ſuperius *Paulus* ſe vocat *circumciſionem* pro *circumciſo*, ſic hîc *Iſrael* pro *Iſraelita*. Jam addideram *Paulum* hoc & alias feciſſe, non quod, ut perperam interpretatur *Stunica*, ſe vocaverit *Iſrael*, ſed quod pro *Iſraelita* ponat *Iſrael*. Jam crebrius eſt in ſacris Litteris, ut pro *Iſraelitico* populo ponatur *Iſrael*, quam ut debeat exemplis doceri. Sed quia durius eſt unum aliquem pro *Iſraelita* dici *Iſrael*, idcirco adhibui ſimile quod erat durius, videlicet quod *Paulus* ſe pro *circumciſo* vocat *circumciſionem*. Et in Epiſt. ad *Romanos* Cap. ix. *Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael.* Hîc negari non poteſt, quin pro *Iſraelitis* poſuerit *Iſrael*. *Stunica* docet hîc *Iſrael* non poſſe ſumi nominandi caſu. Id ſi docuerit, triumphet. Nam quod ſcurratur ſe mirari, quod non eodem modo ſim interpretatus *ex Tribu Benjamin*, ſciat *Iſraelitas* fieri adoptione, *Benjamitas* non fieri. Siquidem proſelyti *Judæi* fiunt, *Benjamitæ*, aut *Zabulonitæ* non fiunt. Poſtremo ad hoc ipſa Scripturæ conſuetudo reſpondebit *Stunicæ*. Alioqui cur non vocat *Hebræos Abraham*, aut *David*, ſicut vocat *Juda*, aut *Iſrael?*

Ex Cap. iv. Annot. I.

Etiam *te rogo compar germane.* Indico Græcos aliquot Scriptores hunc locum accipere de uxore *Pauli*. Quod eſſe verum docet etiam ipſe *Theophylactus*, qui *Stunicæ* verſo nomine factus eſt *Athanaſius*. Sed ab his diſſentit *Theophylactus*, quaſi vero periculum ſit, ſi *Paulo* credamus fuiſſe uxorem, cum hoc ſenſerit *Clemens* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libro iii. hujus loci teſtimonium adducens. Utri vero plus tribuendum, *Clementi* viro probatæ ſanctimoniæ, in Græco ſermone etiam facundo, vicino temporibus Apoſtolorum, an *Theophylacto?* Jam adeo abhorret ab uxore *Theophylactus*, ut malit hunc, de quo loquitur *Paulus*, alteri mulierum, vel fratrem, vel maritum fuiſſe, vel denique carceris cuſtodem. Audis meram divinationem *Theophylacti*. At quanto probabilior eſt noſtra conjectura, quam adferimus in Annotationibus. Nec habet *Theophylactus*, quo refellat illorum opinionem, niſi unius vocis argumento, quam *Paulus* maſculino genere poſuerit, fœminino poſiturus, ſi de uxore loqueretur. Sentit autem, ni fallor, de γνήζιε, pro quo putant γνησία dicendum fuiſſe, ſi de uxore loqueretur: nam de ζύζυγε nemo neſcit eſſe generis communis. Verùm qui putarunt hæc de uxore dici, nimirum Græci erant, quos tamen nihil offendit, quod offendit *Theophylactum*, unde conſequitur, ut aut legerint γνησία, aut intellexerint juxta morem *Atticum* maſculinam vocem uſurpatam vice fœmininæ. Itaque ut hanc ſententiam non arbitror explodendam, ut abſurdam, ita fateor & alteram poſſe conſiſtere. Tantum offendit, quod virum ceu comitem adjungit fœminis, præter morem ſuum. Demiror autem cur hîc *Theophylactum* offendat γνήζιε pro γνησία, cum in Epiſtolæ ad *Titum* Cap. ii. non offendat eum ζωτήρι pro *ſalutifera*. Sic enim ibi tum legit, tum interpretatur. Porro cum *Attico* ſit peculiare, pro fœmininis vocibus abuti maſculinis, quemadmodum *Homerus* dixit κλυτὸς pro κλυτὴ, & *Eurypides* γυναῖε pro γυναία, quid eſt quod hîc offenditur *Theophylactus?* Deinde quis eſſet iſte carceris cuſtos, quem *Paulus* dignaretur tanto honore, & eum γνήζιον, σύζυγον vocaret, quem titulum ne *Timotheo* quidem unquam tribuit, & tamen eidem ſic laudato præfert mulieres.

Eodem Annot. II.

Haec *cogitate & agite.* Hîc rurſus eſt *Eraſmi* hallucinatio manifeſta, hîc abſens fuit à ſeipſo, cum *Stunica* ſibi parum fuerit præſens, qui me ſomniat de priore parte loqui, *hæc cogitate*, *quæ & didiciſtis:* nam hîc tantum eſt λογίζεσθε, conſentientibus inter ſe Latinis codicibus. Sed paulo poſt ſequitur ταῦτα πράττετε. Quo loco quidam Latini codices repetunt, *Cogitate, & agite, & Deus pacis erit vobiſcum.* Sed iſti, inquiet, codices ſunt mendoſi. Verùm & ob eam rem annotavimus ne mendum hoc ſerperet latius. Hoc loco Gloſſa ordinaria, quæ occupat intervallum verſuum: *Non ſolum*, inquit, *cogitate, ſed & actu implete.* Porro ne *Stunica* putet hoc mendum tantum in meo fuiſſe codice, cum hæc ſcriberem, conſului volumen vetuſtæ Editionis, quod habebat Gloſſam ordinariam è Bibliotheca *Cartuſienſium* non procul à *Bruxella*. In hoc habebatur, *hæc cogitate & agite.* Eat nunc *Stunica*, & clamet mihi non fuiſſe mentem, cum hæc ſcriberem.

Ex Epist. ad Coloss. Cap. i. Annot.

His *qui ſunt Coloſſis.* Dixeram hîc *Coloſſenſes* non accipi *Rhodios*. *Stunica* docet *Rhodios* eſſe dictos Κολοσσεῖς, à Coloſſo Solis, & eoſdem dictos *Lindos*. Ut hæc vera ſint, nihil adverſum me faciunt, niſi forte *Stunica* putat his argumentis evinci hanc Epiſtolam ſcriptam fuiſſe *Rhodiis*.

Ex Cap. ii. Annot.

Qvae *omnia in interitu ſunt ipſo abuſu.* Græce eſt ἀποχρήσει, quod ad verbum ſonat *abuſu*, quemadmodum nos vertimus. *Stunica* putat ἀπόχρησιν accipi poſſe pro χρήσει. Nec id ſane negavimus, nec taxavimus Interpretem: ſed quoniam apud Jureconſultos legeramus, *abuſum* proprie dici rerum, quæ uſu abſumantur, velut eſculentorum & poculentorum (nam uſus eſt & ædium, aut gemmarum, pecuniæve) cum abuſus propria vox eſſet ei rei, quam ſentiebat *Paulus*, & reſponderet aptius ad vocem Græcam, id maluimus ponere.

Ex Cap. iii. Annot.

Exspoliantes *vos veterem hominem*, ἀπεκδυσάμενοι, quod Interpres vertit *exſpoliantes*, nos verteramus,

Digitized by Google

mus, *postquam exsuistis veterem hominem. Stunica* docet *exspoliari* & eum, cui detrahuntur vestimenta. Adducit exemplum è *Cicerone*, qui *exspoliatum* scripserit, cui lictores detraxerant vestes. At *Paulus* non loquitur hîc de vestibus vi detractis, sed sponte positis. Neque tamen diximus Interpretem male vertisse.

Ex Cap. IV. Annot.

Et *cum lecta fuerit.* Quod Latini legunt, *Epistolam ad Laodicenses*, Græcis est, ἡ τὴν ἐκ Λαοδικείας, id est, *eam quæ est è Laodicea.* Citaveram Græcanica scholia, quæ docerent hanc Epistolam, de qua agit hîc *Paulus*, non fuisse scriptam *Laodicensibus*, cum dicat, *è Laodicea scriptam.* Et conjectant fuisse Epistolam, quam *Laodicenses* aliquis scripserit *Paulo*, sed in qua inessent, quæ referret *Colossensium* scire. *Stunica* in Elencho notat me non intellexisse Græcanica scholia. At quî novit hoc os impudens? cum Græcanica scholia non viderit. Sed *Athanasius* dissentit, imo *Theophylactus*, quem *Stunica* falso putat *Athanasium.* Quanquam *Athanasius* refert duas opiniones: unam, quæ putat hanc Epistolam à *Paulo* fuisse scriptam ad *Timotheum* è *Laodicea*: Alteram, quæ dicit hanc Epistolam fuisse scriptam ad *Paulum* à *Laodicensi* quopiam. Quæso, quid hîc non intelligit *Erasmus*, quod intelligit *Stunica?* Cætera nihil ad me pertinent.

Ex 1. Epist. ad Thess. Cap. II. Annot. I.

Cvm *possemus vobis oneri esse*, ἐν βάρει. Juxta Græcos interpretes bifariam accipi potest ἐν βάρει, id est, in auctoritate & honore, aut ἐν βάρει, id est, oneroſi propter sumtus. Prior sensus mihi magis probatur, *Stunica* ne quid illi mecum conveniat, multis verbis asserit posteriorem. Adducit quædam loca, quibus testatur *Paulus* se non fuisse illis sumtui. Quid tum postea? Istud quærebatur, quid hoc loco sentiret *Paulus.* Et indico quas ob causas mihi magis arriserit prior lectio, quoniam hæc verba ἐν βάρει præcesserat illud, *non quærentes gloriam*, & sequitur, *sed facti fuimus parvuli*, sive *placidi. Ambrosius* pro *oneri* legit *honori*, sed ut demus hoc esse depravatum, certe amplectitur in expositione sententiam, quam nos sequuti sumus. *Athanasius* sic utramque recenset sententiam, quasi liberum sit utram malis sequi. Ubi est igitur, quod in suo ponit Elencho *Stunica: Perperam ab* Erasmo *hunc locum traductum?* An perperam vertit, qui vertit juxta Græcorum, & *Ambrosii* sententiam, qui sequitur hoc, quod rectius quadrat, cum iis quæ præcesserant, & consequuntur?

Eodem Annot. II.

Sed *facti sumus parvuli.* Fatetur *Stunica* in omnibus Græcorum codicibus, quos ipse viderit, scriptum fuisse ἤπιοι non νήπιοι, tamen indicat ex *Athanasio*, olim fuisse duplicem lectionem. Quod *Stunica* docet ex fallo *Athanasio*, hoc ego in prima etiam Editione docueram ex vero *Theophylacto.* Quid igitur hîc agit adversum me *Stunica? Recte*, inquit, *traduxit Interpres*, quasi ego hoc negarim.

Ex Cap. V. Annot.

Vt *integer spiritus vester.* Hîc quoniam nondum erat castigatus *Hieronymus*, sed libris dispunctis & cancellatis utebamur, nescio quo casu obrepsit imaginatio, ut putarem apud *Hieronymum* non attingi ὁλόκληρον. Atque id mox ubi sensimus restituimus integritati suæ.

Ex II. ad Thess. Cap. II. Annot.

Non *retinetis quod cum*, &c. Cum Græce sit μνημονεύετε, id est, *meministis*, demiror stultam affectationem copiæ in Interprete, qui maluerit uti verbo & ambiguo, & parum Latino, quam proprio, usitato, & eleganti. Hîc *Stunica* meus: *O stultum*, inquit, *hominem* Erasmum *istum* Roterodamum, *& Latinæ Linguæ prorsus ignarum.* Imo quid hoc homine impudentius. *Erasmus* prorsus est ignarus Linguæ Latinæ, qui mavult dicere, *non memini*, quam *non retineo.* Proferat *Stunica* vel unicum Auctorem probatum, qui *retinere* dixerit pro *meminisse*, id si non potest, fateatur se potius ignarum Linguæ Latinæ, qui putet nihil interesse, utrum *retinere* dicas, an *meminisse.* Si *tenere* dixisset pro *meminisse*, fuerat tolerabilius, quanquam *tenere* dicitur, qui intelligit magis, quam qui meminit, nisi dicas, *memoria tenet*, sed longe aliud est *retinere*, quam *tenere.* Ridiculum autem, quod *Stunica* nobis objicit Epistolas *Senecæ* ad *Paulum*, quasi quisquam eruditus credat eas à *Seneca* scriptas. Vide autem in causa tam iniqua, quæ congerat convitia: *Quasi*, inquit, *aliquis tam rudis usque reperiri possit, & tam* Erasmo *similis, id est, adeo ebeti ingenio, & crasso intellectu, ut non intelligat hoc loco*, non retinetis *idem esse, quod* non meministis.

Ex Cap. III. Annot.

Hoc *denuntiabamus vobis*, παρηγγέλλομεν vertere malui *præcipiebamus.* Hîc tribus verbis taxo Interpretem, quod maluerit dicere, *denuntiabamus*, quam *præcipiebamus*, sine causa frequenter affectans copiam. Quid igitur vult *Stunica*, licere quovis loco ponere denuntiare, pro præcipere? Et feret si quis γαμικὰ παραγγέλματα *Plutarchi* vocet *connubiales denuntiationes?* Apud Jureconsultos lego de novi operis denuntiatione; an apud Latinos pro *præcipio* reperiatur, nescio: *Cur igitur vertis*, inquit, *ipse similiter in eodem Capite?* Quia neglexi, quia putabam satis semel indicasse.

Ex 1. ad Timoth. Cap. I. Annot. I.

Sicvt *rogavi te, ut remaneres Epheſi.* Quoniam orationi deest verbum, adjeci de meo, quod subaudiebatur, *Sicut rogavi te, ut maneres, mane:* sive, ut nos vertimus, *ita facito. Stunica* clamat admissum piaculum, quod ausus sim verbum de meo addere, quasi hoc nusquam fecerit Interpres, aut quasi non sit hoc aliquando necesse. Cæterum quod *Stunica* προσμεῖναι sic putat accipi posse, ut sit imperandi modus, non satis intellexit quid dixerim. Non enim volebam imperandi modo accipi, quod posuit *Paulus*, sed quod subauditur: subauditur enim idem verbum προσμεῖναι, sed alio modo. Jam quod apud *Ambrosium* dixeram esse, *ut denunties*, cum illic habeatur *denuntiares*, cur non putavit hoc Librariis adscribendum potius, quam mihi. Porro quod addit me simul cum meo *Valla* falsum, qui putem hoc loco magis quadrare *hortandi* quam *rogandi* verbum, quod Græcis est παρεκάλεσα, plane fallitur *Stunica*, cum magis à *Valla* dissentiam. Sic enim loquor: *Tamen hîc magis quadrabat* hortatus sum, *ut* Vallæ *placet*, *tametsi* Paulus *eo verbo nonnunquam usus est erga plebejos.* Id esse verum declarat mea translatio. Sic enim habet: *Quemadmodum rogavi te, ut remaneres.* Quod si maxime cum illo sensissem, quid erat periculi, cum sensus sit ambiguus, id quod negari non potest? An non licebit dissentire à *Theophylacto?*

Eodem Annot. II.

Ne *aliter docerent.* Quoniam ἑτεροδιδασκαλεῖν Græcis vox est anceps, ac magis pertinere videtur ad discipulos subinde variantes doctorem, quam ad diversa docentes, nos vertimus, *ne diversam sequantur doctrinam*, qui sermo quadrat in utrumque sensum. Hoc *Stunica* fortiter quidem negat, at nihil probat. Objicit argumentum Græcum hujus Epistolæ, quod videatur accommodare ad docentes diversa. Quid istuc novi est, cum ego fatear itidem interpretari *Theophylactum* & *Chrysostomum?* Nec ab his dissentio, nec illi à me, nec enim illi docent, non posse secus accipi, nec ego damno quod illi sequuntur.

Digitized by Google

Ex Cap. iii. Annot. I.

NON *Neophytum*, *ne in ſuperbiam*, &c. Hîc rurſus pro *Diabolo* verto *calumniatorem*. At *Stunica* multis interpretum teſtimoniis docet hunc locum intelligi poſſe de Diabolo. Id ego non negabam, ſed non docuit de calumniatore homine non poſſe accipi, quanquam hac de re reſpondimus & antea nonnihil.

Eodem Annot. II.

MVLIERES *ſimiliter pudicas*. Cum *Paulus* hîc agat de familia Epiſcoporum, quæ famulos & famulorum uxores ac liberos complectitur, dixeram rectius verti, *uxores* hoc loco, quam *mulieres*, cum Græca vox ſit anceps γυναῖκας. Neque neſciebam *Theophylactum*, *Chryſoſtomum*, præcipue vero Latinos abhorrere ab uxorum mentione, jam tum meditantes cœlibatum hunc, qui plus ſatis aſſertus eſt Sacerdotibus, cum horum tantus ſit numerus, & inter hos adeo multi qui minus caſte vivunt, quam ſi duxiſſent uxores. Cæterum non illic ſpectabam, quid interpretes exponerent, ſed quid *Paulus* ſenſiſſe videretur. Quod ſi ſenſus meus nihil habet impium, nihil abſurdum, dabitur, opinor, venia, quod citra religionis aut fidei periculum, à Veteribus aliquot diſſentiam. Nec dubito quin ſi exſtarent *Origenis* & aliorum in hunc locum commentarii, docerent aliud quam docet *Ambroſius*. Cætera quæ congerit hîc, quoniam nihil ad me pertinent, non eſt conſilium excutere.

Ex Cap. iv. Annot. I.

ABSTINERE *à cibis, quos Deus creavit*. In prima Editione, pro, *quos*, operarum incuria depravatum erat, *quæ*, quod correctum eſt in Editione ſecunda. Hîc *Stunica* mihi impingit inſignem hallucinationem. Sed hujuſmodi (ut ait) lapſus ipſe alicubi impingo Interpreti. Si Interpres uno aut altero loco ſic lapſus eſſet, ſuſpicarer ſcribarum vitio commiſſum. Nunc frequenter ille ad eundem impingit lapidem, ut caſus videri non poſſit. Hîc admonet me *Stunica*, ut hominem eſſe meminerim. Bene monet, ſed memorem monet. Admoneat ſeipſum potius, qui tanto faſtu ſupercilioque flagellat etiam bene dicta aliorum, non ſolum errata: *Debet*, inquit, *omni vacare culpa, qui paratus eſt in alium dicere*. Cur igitur *Stunica* tam inſolenter debacchatur in alienas lucubrationes, qui ipſe toties tam fœde labitur in hoc exiguo libello, prima fœtura ingenii ſui? Quid autem ſibi vult, ne corrigamus alienos lapſus, niſi ſimus ipſi prorſus immunes ab omni errore? Atqui cum nullus inveniatur hujuſmodi, nemini fas erit emendare, quod ab aliis fuerit depravatum. Cur igitur *Ambroſius*, *Hieronymus* & *Cyprianus* ſcribunt adverſus hæreticos errores, cum in ipſorum libris reperiantur nonnulla ejuſdem notæ. Huc fortaſſe valebit errorum noſtrorum contemplatio, ut in alienos lapſus minus inclementer debacchemur, non etiam ut diſſimulemus.

Eodem Annot. II.

ENVTRITVS *verbis fidei*, *& bonæ doctrinæ*. Græce eſt, ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τ῀ πίστεως καὶ τ῀ καλ῀ς διδασκαλίας. Damnat *Stunica*, quod verterim: *Enutritus in ſermonibus fidei, & bonæ doctrinæ*. Primum, hoc ad ſenſum nihil refert. Deinde cum hujus rei nullam mentionem faciam in Annotationibus, videatque in ſecunda Editione correctum, ſuſpicari debebat hoc operarum incuria commiſſum. Deinde admonueram ἐντρεφόμενος active poſſe intelligi. Et ſenſum videri non abſurdum. *Stunica* docet interpretes ſecus exponere. Idque ut perſuadeat multa refert ex *Athanaſio* ſuo & *Ambroſio*. At quorſum opus erat hoc docere, quod neque neſciebam, neque negabam? An ideo non licet alterum indicare ſenſum, cum ſermo Græcus utrumque recipiat?

Eodem Annot. III.

HAEC *meditare*: ταῦτα μελέτα, nos vertimus, *Hæc exerce*. Cæterum in Annotationibus taxo *Hugonem* Cardinalem, qui ſic interpretetur meditandi verbum: *Meditare*, id eſt, *verſa in corde per jugem memoriam*. Et addo epiphonema: *O Matæologum*, hoc eſt, plus quam Theologum! Eſt autem *meditari*, exerceri in re quapiam. Hîc *Stunica* quaſi conductus, ut *Hugoni* patrocinetur, atrocibus convitiis debacchatur in me, qui tantum virum auſus ſim appellare *Matæologum*, hoc eſt, inanem ac vanum Theologum. Sic enim interpretatur *Stunica*, ſed non recte, neque enim hoc ſonat *Matæologus*, licet per jocum dixerim illum una ſyllaba plus eſſe quam Theologum. Jam ad rem non faciunt, quæ plurima congerit *Stunica* è ſacris Libris, in quibus dicitur *meditatio cordis*. Nullus enim negat, meditationem eſſe poſſe animi, veluti cum dicturus apud Principem, ſuo cum animo volvit, quid, quo ordine, quibus verbis ſit dicturus, utique corde meditatur orationem. Sic qui hoc animo verſatur in ſacris Litteris, ut quod illæ docent vita præſtet, meditatur. Verùm in hoc notavi *Carrenſem*, quod hoc loco putarit *meditari* nihil aliud eſſe, quam memoria tenere. At *Ambroſius* & Gloſſa ordinaria exponunt de vitæ actionibus. Ad extremum docet *Stunica*, ſi *Paulus* ſenſiſſet de actione corporali, dicturum fuiſſe γύμναζε, quo verbo uſus ſit alibi, γύμναζε ὴ σεαυτὸν &c. Quid igitur ſibi vult *Stunica* μελετᾶν tantum eſſe animi, & γυμνάζεσθαι corporis, quod utrumque palam eſt eſſe falſum. Nam & γυμνάσματα ſunt animi, & μελέται corporis.

Ex II. ad Timoth. Cap. i. Annot. I.

SCIO *enim cui credidi*. Oſtenderam ὅτι conjunctionem, quæ ſequitur, referri ad particulam præcedentem ᾧ πεπίστευκα, & ſenſum eſſe: *Scio & certum habeo, quod is cui credidi potens eſt depoſitum meum ſervare*. Neque quicquam intereſt inter *Stunicam* & me, niſi quod ego idem dico explanatius, admonens interim & approbans alterum ſenſum, ſi quis eum ſequi malit, qui tamen ab hoc minimum abſit. Et tamen *Eraſmus* in Elencho *perperam hunc locum traduxit*, cum verterit dilucidius, & in Annotatione *Stunicæ*, non intellexit verba Apoſtolica. O hominem effrontem juxta atque excordem!

Eodem Annot. II.

DET *miſericordiam Dominus Oneſiphori domui*. Ego malui vertere *Oneſiphori familiæ*. Fatetur *Stunica* domum hîc accipi pro familia, tantum damnat amphibologiam in mea verſione, propterea, quod ea quæ ſequuntur, *quia ſæpe me refrigeravit*, &c. referri poſſint, vel ad familiam, vel ad *Oneſiphorum*. Quid autem hoc *Stunicæ* nugacius, cum eadem amphibologia ſit in iis, quæ reddidit Interpres. Et tamen meam verſionem ut ambiguam damnat, Interpretis non damnat, imo defendit, ut nulli obnoxiam vitio, nec tamen oſtendit, qua ratione vitari poſſit amphibologia. Vitari poterat addito pronomine *is*, *quoniam is ſæpe refrigeravit*. *Oneſiphorus* dicitur *Romæ* fuiſſe, quæſiviſſe *Paulum*, &c. Nihil horum non competit in familiam, ſi Græca legas. Sed demus ad *Oneſiphorum* accommodari. Certe is ſolus *Romæ* non erat, ſed cum aliqua ſaltem familiæ parte.

Ex Cap. ii. Annot.

RECTE *tractantem verbum veritatis*. Hîc quod Græcis eſt ὀρθοτομοῦντα, verteram *recte ſecantem*. In hanc ſententiam cum interpretentur magno conſenſu veteres orthodoxi, tamen *Stunicæ* viſum eſt inceſſere, quod nos pro *tractantem* vertimus *ſecantem*, nequaquam reprehendentes, quod verterat Interpres, ſed dilucidius explicantes, quod ſcripſit ac ſenſit *Paulus*. An *recte tractare* ſonet Græcis ὀρθοτομεῖν, quemadmodum docet

Stu-

Digitized by Google

Stunica, in præsentia non disputo, fortassis Interpres non habebat alias voces, quibus redderet Græcam. Certe *Ambrosianam* interpretationem nemo prorsus intelliget, nisi Græcæ vocis emphasim teneat. Hujus commentum subscribam, quandoquidem mihi videtur in hunc usum tantum conducibile: *Quoniam* (inquit) *sunt aliqui, qui dicunt contentionem audientibus prodesse, Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat, ut unusquisque hoc curet, ut spreta altercatione semetipsum probabilem faciat, & impudoratos appellans eos, qui contentionibus nituntur. Necesse est enim, ut contentio extorqueat aliquid, imo multa quæ dicantur contra conscientiam, ut intus in animo perdat, foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licet sciat vera, quæ audit. Recte autem tractat & bona conscientia, qui volentibus loquitur, & pacificis. Collatio ergo inter Dei servos esse debet, non altercatio.* Hactenus *Ambrosius*. Qui quod hic monet, idem plurimis in locis admonet *Chrysostomus*, à qua quidem regula quantum absint, qui hodie virulentis libellis ac linguis sese lacerant, tam impie crudeles in proximum, quam turpiter adulantes erga Principes, viderint alii. Certe liquet *Ambrosium* interpretari, quid sit *recte secare:* qui amputat contentiosa, & relinquit placida atque utilia, *recte secat*, nimirum amputatis iis, quæ noxia sunt. *Chrysostomus* scribit hunc in modum: *Complures enim illud undique lacerant, atque discerpunt, plurimaque illi immiscent noxia germina. Non ait* dirigentem, *sed* recte tractantem, *ac si dicat, amputa quæcunque adulterina oriuntur, & cætera hujusmodi summa cum vehementia incumbe, ut resecentur. Atque velut in loris atque corrigiis superflua quæque, atque à prædicatione aliena, gladio Spiritus abscinde.* Hactenus *Chrysostomus*. Huic ita succinit *Theophylactus*. Recte tractantem verbum veritatis: *Etsi*, inquit, *plerique id verbum discerpunt traducuntque alio, tu tamen id ipsum recte pertracta: Vel pertracta:* inquit, *hoc est, dirige, & circumcidito inutilia quæque, & deme gladio sermonis & verbi, quæ ab Euangelii prædicatione sunt aliena.* Nec hinc abhorret glossema, quod in rhapsodia, quam, nescio qua de causa, vocant ordinariam, interjectum in spatio dirimente versus, sic habet, haud scio an ex *Beda* commentariis decerptum: *Secundum competentiam singulorum, ut altis spiritalia, lac distribuat parvulis.* Videmus omnes exponere Græcæ vocis emphasim, quæ à *secando* dicatur, cum nulli Latinorum *tractare* significet *secare*. At *Tomi* Græcis dicuntur volumina, quæ Latini vocant *Tractatus*. Fateor. Sed *Tomi* dicuntur à *secando*, quod olim in pellibus scribebant, in hoc resectis, ut convolvi possent in surculum *. Fateor: verùm tractantur etiam quæ verbis disputantur, & præsecta pars è lucanica aut petasone *tomus* dicitur Græcis.

Ex Cap. III. Annot. I.

CVPIDI *elati*. Quod Græcis est ἀλαζόνες, & Interpres vertit *elati*, verteramus *fastuosi*, pro quo, ut indicaram, *Ambrosius* legit *insolentes*. *Hieronymus* in *Micheam* legit *fastidiosi*, & suspicor scriptum fuisse *fastuosi*. Denique *Plautus* vertit *glorioso*. *Stunica* stomachatur me mutasse verbum Interpretis, cum prorsus idem valeant *elatus* ac *fastuosus*. Ego nonnihil arbitror esse discriminis. Nam *elatus* esse potest, qui non se jactitet ac venditet. Atque id prope sonat *fastuosus*. Sed demus nihil interesse, cur me magis accusat, quam *Ambrosium*, aut *Hieronymum?* Ut nihil aliud, *elati* certe anceps verbum erat. Siquidem & sepulti dicuntur *elati*, si libeat jocari.

Eodem Annot. II.

QVEMADMODVM *autem Jambes & Mambres*. Indicaram *Jambres* & *Mambres* sic exponi in libro vocum Hebraicarum, quasi idem sonent Hebræis. Quod indico *Stunica* non negat esse verum, sed ait falso sic exponi. Et hoc ego miratus indicavi, quo lectori darem occasionem vestigandi. Et tamen Elenchus hic habet: *Error* Erasmi *in Lingua Hebraica*. An error est citare, quod alius perperam scripsit? Non opinor, sed approbare error est.

* Forsan, *circulum*.

Eodem Annot. III.

AD *corripiendum*. Hic nihil habet *Stunica*, quod reprehendat in versione nostra, tantum arrodit, quod in Annotationibus duobus verbis adjecerim, apud *Ambrosium* videri additum καταρτίωσιν, aut quod magis probat *Stunica*, καταρτησιν. *Stunica* probat in contextu nihil addi. At ego sentiebam de illius interpretatione, quam si quis excutiat, sentiet hoc me non temere admonuisse.

Ex Cap. IV. Annot.

EGO *enim jam delibor*, ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, verteram, *nam ipse jam immolor*, quod *delibor* Latinis verbum sit primum anceps, deinde nec omnibus notum. Et *Ambrosius* quanquam legit *delibor*, tamen interpretans non abhorret à verbo *immolandi*. Sed *Chrysostomus* indicat hoc interesse, quod *libamen* totum offertur Deo, *immolatio* non item. Fortassis ea differentia est in verbis Græcis, quam & *Theophylactus* refert inter θυσίαν & σπονδὴν, juxta usurpationem Veteris Testamenti: in vocibus Latinis non arbitror idem esse discrimen, nisi quod *libat* Latinis, qui effundit aliquid Deo, antequam gustet.

Ex Epistola ad Titvm Cap. I. Annot. I.

HVJVS *rei gratia reliqui te Creta*. Annotaram quod cum Græce sit ἐν Κρήτῃ, Interpres ab Insulæ vocabulo sustulisset præpositionem contra præcepta Grammaticorum. Horum nihil negat *Stunica*. Nec enim potest, sed objicit mihi *Hieronymum*, qui scripserit alicubi: *Et in quibusdam Insulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi*. Atqui ego non negaram Latine dici, *Insula Siciliæ*, aut *Insula Rhodi*, sed negavi Latine dici, *habitat Creta*, pro *in Creta:* aut *studet Rhodi*, pro *in Rhodo*: si modo *Rhodus* nobis declaret totam Insulam. Hoc si docuerit Latine dici *Stunica*, vicerit.

Eodem Annot. II.

NON *superbum*, μὴ αὐθάδη, nos vertimus, *prefractum*. *Stunica* negat se scire quid sit *prafractus*. Imo ne me quidem existimat intelligere, quod posui verbum. Demiror novum esse *Stunicæ* viro tot secula versato in optimis quibusque Auctoribus, quod reperitur apud *Ciceronem* Officiorum libro III. *Ego*, inquit, *etiam cum* Catone *meo dissensi. Nimis mihi* præfractum *videbatur, ærarium vectigaliaque defendere*. Exemplum consimile citat ex ejusdem *Hortensio* *Nonius Marcellus: His*, inquit, *contrarius Aristo Chius*, præfractus, *ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum atque honestum est*. Porro Græca vox indicat αὐθάδη dici *sibi plus satis placentem*, suæque sententiæ plus æquo tenacem, atque in hunc sensum accepisse *Athanasium*, hoc est, *Theophylactum*, indicant hæc, quæ admiscet, *pro ejus arbitrio & subditis inconsultis aliquid peragat. Nam qui* præfractus *est non audit aliorum suffragia*. Et *Hesychius* cum αὐθάδης interpretatur αὐτάρεσ-ος, plane mecum facit.

Ex Cap. III. Annot.

HAERETICVM *hominem post unam*, &c. *Hæresis* secta est, *hæreticus* non habet quod respondeat, nisi *factiosus*. Cupiens igitur loqui, verti *factiosus*; & obiter taxavi nostra tempora, in quibus *hæreticum* vocant, qui dissentit ab opinione quapiam Scholastica. *Stunica* docet *hæreticos* hic appellari, qui essent magistri erroris. Verum est factiosum esse posse, qui non errat in fide. Et tamen factiones sunt Philosophorum inter se dissidentium, & hæreticus qui est, idem esse potest & factiosus, si alios sibi adjungat, & tamen hoc mutaveramus in secunda Editione propter τὰς μικρολόγους.

Digitized by Google

Ex Epist. ad Philemonem Annot.

PROPTER *caritatem magis obsecro*: μᾶλλον παρακαλῶ τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης. Interpres vertit, *cum sis talis, ut Paulus senex*. Nos vertimus, *cum sim talis, nempe Paulus senex*. *Ambrosius* legisse videtur, quod vertit Interpres. *Hieronymus* contra, quod nos vertimus. Hîc *Stunica* videtur habere causam non optimam. Tantum enim pollicetur homo non admodum verecundus, veterem interpretationem sustineri posse. Nec alio colore tuetur Interpretem, nisi si concedas τοιοῦτος ὢν positum pro τοιοῦτον ὄντα. At mea sententia probabilius sit pro τοιούτῳ ὄντι. Nam apud Græcos rectus casus aliquoties in consimilibus orationibus pro gignendi casu ponitur.

Ex Epist. ad Hebraeos Cap. i. Annot. I.

ET *cum iterum introducit*, εἰσαγάγῃ, ego verto *inducit*. *Stunica* putat rectius *introducit*. Mihi contra videtur. Qui in conclave penitius ducitur, *introducitur*. At qui producitur in theatrum, *inducitur* quidem, non *introducitur*. Sed εἰσαγωγαὶ vocantur *introductiones*, verum, sed à male Latinis, à cæteris dicuntur *institutiones*. Nam quod aliis Scripturæ locis vertit eodem modo Interpres, nec me gravat, nec ipsius causam adjuvat.

Eodem Annot. II.

QVI *facit Angelos suos Spiritus*. Verteram, *qui creat Angelos suos Spiritus*. Græce ὁ ποιῶν. *Stunica* non negat ποιεῖν aliquando verti *creare*, ut *in principio creavit Deus cœlum*, &c. At hîc loquitur de Angelis conditis. Certius igitur & lucidius explicui, quod sentit Apostolus. Nam alioqui sensus esse poterat: Angelos suos vertit in Spiritus, qui facit Angelos suos Spiritus. Fit enim, quod aliud fuerat antea.

Eodem Annot. III.

AD *filium autem thronus tuus Deus*. Ostenderam Græci sermonis amphibologiam, & in prima Editione sequutus eram sensum diversum ab eo, quem reddunt interpretes. In posteriore Editione sustuli pronomen *ipse*. Hîc objicit mihi *Stunica* imperitiam Hebraici sermonis, juxta cujus consuetudinem nominandi casus pro vocativo, quo carent, ponitur. Istud non ignorabam, quod si nescissem, non erat locus amphibologiæ.

Ex Cap. ii. Annot.

PROPTEREA *abundantius oportet observare*. Græce est, διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν. Nos verteramus: *Propterea oportet nos vehementius attendere iis, quæ dicta sunt nobis*. Hîc Elenchus *Stunicæ* habet: *Impropria* Erasmi *interpretatio*. Quæso te, lector, utrum προσέχειν magis sonat *observare*, quam *attendere?* Et uter nostrum paraphrastes est? An improprie vertit, qui vertit dilucidius & magis ad verbum, & minus ambigue? Nam *observat*, qui præstat factis, *observat*, qui insidiatur, aut obsequitur. Tamen in calce *Stunica* fatetur se non ob aliud annotasse hæc, nisi ne quis suspicetur Interpretem improprie vertisse, me vero proprie. O nugonem otiosum!

Ex Cap. iii. Annot.

QVORVM *cadavera*: πτῶμα verti *membra*, non *cadavera*. De sensu convenit. Neque negari potest πτῶμα Græcis sonare *membra*, non *cadavera*. Sed *Stunica* veretur ne quis accipiat *Judæos* concidisse in deserto membratim dissectos. O periculum! Imo gravius erat periculum, ne quis legens, *Quorum cadavera conciderunt*, suspicetur cadavera *Judæorum*, primum ambulasse in deserto, postea concidisse. O graves Annotationes & *Stunica* dignas!

Ex Cap. v. Annot.

OMNIS *namque Pontifex*, πᾶς γὰρ ἀρχιερεύς, verteram, *Nam omnis Sacerdos*. *Stunica* sic agit quasi *Pontifex* Latinis sonet summum Sacerdotem. Atqui id verum non est, alioqui cur Romanis dicitur *Pontifex maximus*, qui summus est. Tametsi nostros ferme video pro ἀρχιερεύς ponere *Pontificem*. Et *Sacerdos* olim non quemvis Presbyterum sonabat, sed Episcopum. Ac fieri potest, ut meus liber habuerit ἱερεύς, non ἀρχιερεύς, præcipue cum dicat *omnis*. Non omnes autem Sacrifici sunt ἀρχιερεῖς. Et tamen in secunda Editione reposuimus *Pontificem*, pro *Sacerdote*, ne quid laudis hinc sibi vindicet *Stunica*.

Ex Cap. vi. Annot.

PROFERENS *autem spinas & tribulos*. In prima Editione nostra erat *spinas & tribula*. Hîc *Stunica* medium tenet *Erasmum*, ac docet quid interfit inter *tribulum* instrumentum rusticum, & *tribolum* fruticem sive herbam. Atqui hoc accidisse Typographorum incuria, vel hinc poterat colligere, quod nec in Annotationibus hujus rei fecerim mentionem, & in secunda Editione videat à me correctum, quod illi admiserant.

Ex Cap. vii. Annot.

PRIMVM *quidem qui interpretatur Rex justitiæ*. Hîc nihil est in quo mecum dissentiat *Stunica*. Libellum, qui additur Bibliis, interpres nominum Hebraicorum, non esse *Hieronymi* subindico, cum ajo: *qui* Hieronymi *titulo circumfertur*, atque is titulus in quibusdam sane habetur. *Stunica* mecum facit, ac plane negat illius esse. Cætera, quia nihil ad me faciunt, μάλα χαίρετωσαν.

Ex Cap. viii. Annot.

SANCTORVM *minister*. Indicaram in Annotationibus λειτουργὸν proprie dici *ministrum sacrorum*, nimirum sentiens, quod sic à Christianis fere usurpetur. Quandoquidem λειτουργείαν Græci vocant, quam nos vocamus *Missam*: *Stunica* putat & profanos ministros λειτουργοὺς dici posse. Quis hoc negat? Sic & Diaconi profani possunt esse, cum nos usurpemus pro ministris sacrorum. Græci putant λειτουργοὺς dici, qui publice Magistratibus inserviunt in curia aut senatu.

Ex Cap. ix. Annot.

SVPER *quæ erant Cherubin gloriæ*. Cum Græce sit ὑπερέχω αὐτῆς non poterat verti *super quæ*, sed ita sonat Græcus sermo, ut vel ad tabernaculum, vel ad arcam possit referri. Et in vertendo sequor id, quod placet *Stunicæ*. Tantum in Annotationibus addo mihi videri rectius referri posse ad tabernaculum. Cur ita visum sit, prolixum sit hîc recensere, quare visum est hoc alteri tempori reservare.

Ex Cap. xi. Annot. I.

EST *autem fides sperandarum substantia rerum*. Negaram hanc esse definitionem dialecticam, ut quibusdam visum est, sed ingressum encomii. *Stunica* negat. Non eram ignarus ab *Hieronymo* ac cæteris vocari definitionem, nec ego nego esse speciem aliquam definitionis, sed irridebam glossema, quod est in Decretalibus, quod hanc definitionem exigit ad exactam rationem Dialectices. Verùm hac de re *Leo* pridem respondimus.

Eodem Annot. II.

FIDE *muri Hiericho corruerunt circuitu dierum septem*. Græce est κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας, quod nos verteramus, *cincta ad dies septem*. Hîc *Stunica* clamat me non intellexisse Græcum sermonem, quasi vero non legerim vulgatissimam historiam, quæ refert exercitum circumisse civitatem, idque factum singulis die-

Digitized by Google

diebus usque ad septimum. Septimo circumlatam Arcam, & ad sonitum tubarum Sacerdotalium corruisse muros. Quid igitur reprehendit *Stunica*? Nimirum quod ambigue verterim. Videor enim de obsidione septem dierum loqui. At magis ambigue vertit Interpres, nam ille dicere videtur: Intra septem dies corruisse muros, hoc est, volventibus se septem diebus: cum quotidie semel obambulaverint circum mœnia usque ad diem septimum. Quo septies circumierunt, & circumitu septimo conciderunt mœnia, *Josue* VI.

Ex Cap. XII. Annot.

Qvi *propter unam escam vendidit primogenita*. Quia Græcis est ἀπέδοτο, quod ad verbum sonat *reddidit*, verteram, *permutavit*, propius accedens ad vocem Græcam. Est autem permutatio venditionis genus, quo pro eo quod accipis, reddis id quod cupit qui cum pacisceris. *Et hæc est falsa* Erasmi *interpretatio*, si credimus Elencho *Stunicæ*.

Ex Cap. XIII. Annot.

Cognoscite *fratrem nostrum Timotheum*: γινώσκετε sonat utrumlibet, *cognoscite*, sive *cognoscitis*. Nos indicandi modo vertimus, *scitis*. *Stunica* clamat me perperam vertisse. Quî quæso perperam, cum sermo Græcus sit anceps, & uterque sensus constet? Sed Græca ipsa phrasis apertissime demonstrat, inquit *Stunica*. Quomodo demonstrat, quam ipse fatetur esse ambiguam? Aut quam phrasim hîc sentit *Stunica*, tam peritus elegantiæ Græcanicæ, ut recte putet dici Græcis εὐλογεῖτο pro ἐυλογεῖτο?

Ex Epist. Jacobi Cap. i. Annot. I.

Et *decor vultus illius deperiit*. Quod Græcis est εἶδος ωπου, malui *adspectum* vertere, quam *vultum*, videlicet metaphora minus dura. *Stunicæ* non displicet metaphora *vultus*. Digna vero res monomachia.

Eodem Annot. II.

Ita *& dives in itineribus suis marcescet*. Græce est πορείαις, quod si tollas ε erit ποριαις, & sonabit *abundantiis*. Quod, quoniam ad sensum magis quadrabat, sequuti sumus. *Stunicæ* magis placet vetus lectio. Nullus obstat quo minus ea fruatur, quæ nec à me damnatur. Porro quod *Stunica* suspicatur me, cum per errorem vertissem *in abundantiis*, pro *in itineribus*, mox in Annotationibus dissimulasse errorem, non ita conjectaret, nisi ex se metiretur alios.

Eodem Annot. III.

Deus *enim intentator malorum est*; ἀπείρασός ἐστι κακῶν. *Stunica* vult ἀπείρασος accipi active, ut sonet, *non est immissor malorum*. Sed reclamat analogia Græca. Nec enim γνωσὸν dicitur, quod novit, sed quod cognobile est, aut cognitum. Reclamat & quod sequitur: *Ipse autem neminem tentat*. Si ἀπείρασος sonat *qui non tentat*, & sequitur, *Ipse autem neminem tentat*, plane bis idem dixit, & Græca conjunctio δὲ, notat diversum esse quod subjicitur. Sed *ut* & *ita*, de meo addidi duas voculas. Quidni? Nam sensum malui clarius exprimere, quam verbis servatis obscurare sententiam. Atque hîc Elenchus notat *falsam* Erasmi *traductionem*.

Eodem Annot. IV.

Estote *autem factores verbi & non auditores tantum*. Indicaram *tantum* non addi in Græcis codicibus. *Stunica* prædicat additum in codice *Rhodiensi*. At ego jam dixi mihi videri codicem illum ad nostros fuisse castigatum, præsertim cum *Rhodienses* commercium habeant cum *Romana* Ecclesia. Et tamen nihil periculi est, sive addatur, sive subaudiatur. Porro quod negaram esse in Græcis codicibus, haud dubie sentiebam de iis, quos mihi videre contigit.

Ex Cap. II. Annot.

Ite *in pace, calefacimini*. Quod Græcis est θερμαίνεσθε, malui vertere *calescite*, quam *calefacimini*. *Stunica* docet Interpretem secundum artem vertisse *calefacimini*: nam *PriscIano* auctore priscos illos dixisse *facio* & *facior*, pro quo nos *fio* dicimus. Quid his rationibus efficit *Stunica*, nimirum ut tam excusate verterit *calefacimini*, quam si quis dicat, *virtus hoc seculo apud omnes parvi facitur*, pro *parvi fit*. O magnificum Interpretis patronum! Poterat hanc Annotatiunculam *Prisciani*, *Stunica* paulo rectius collocare.

Ex Cap. III. Annot.

Et *serpentem & caterorum*. Cum Græce sit ἑυαλίων, non potest verti *caterorum*, & suspicor, auctore *Valla*, ab Interprete scriptum fuisse *cetorum*, non *caterorum*, aut si scripsit *caterorum*, legisse non ἑυαλίων, sed ἄλλων. *Stunica* negat in ullis Latinis codicibus inveniri *cetorum*. Atqui hoc vidit *Laurentius*.

Ex Cap. V. Annot.

Et *oratio fidei salvabit infirmum*. Quoniam Græce est κάμνοντα, verti, *salvabit laborantem*, nam *infirmus* dici potest, qui non ægrotet. *Stunica* docet Græcis κάμνειν aliquando de morbo dici, & verum dicit, sed itidem fit apud Latinos, quibus laborat etiam ægrotus. Quid igitur admissum est piaculi?

Ex 1. Petri Cap. ii. Annot. I.

Si *tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*. Græcis est χρηστὸς, nos vertimus, *benignus est Dominus*. *Stunica* docet χρηστὸν aliquando sonare *dulce*, nec id tamen alio probat argumento, nisi quod sic & alibi verterit Interpres. Non negat autem interim aliquoties sonare *bonum* aut *benignum*, sed ob verbum *gustastis*, mavult hic *suavis*, quam *benignus*. At quid faciet in Psalmo: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*? Non videtur suavitas. Animo gustatur bonitas aut benignitas. An non licebit suavem dicere cantionem, cum *Stunicæ* nihil sit suavius, quam obtrectare?

Eodem Annot. II.

Svperaedificamini *domos spirituales*, οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικός. E Græcis doceo Latinos codices fuisse depravatos, ac restituo pristinam lectionem, sublato manifestario solœcismo. *Stunica* sic agit, quasi ego Interpreti impegerim hunc solœcismum, imo depravatoribus librorum imputo.

Eodem Annot. III.

Vobis *igitur credentibus honor*, ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν. Nos verteramus: *Vobis igitur pretiosus est qui creditis*. Cæterum rejicio interpretationem *Lyrani*, qui sic reddit: *Vobis erit honor in cœlestibus*, cum *Petrus* agat de Lapide, qui rejectus fuit à *Judæis*, in pretio habitus ab iis, qui fide salutem consequuntur, juxta Prophetam: *Lapidem quem reprobaverant ædificantes, hic factus est in caput anguli*. *Stunica* fatetur τιμὴ Græcis & *pretium* significare & *honorem*. Hoc sane mihi cum illo convenit: *Sed si voluisset*, inquit, *significare* pretiosum, *non dixisset* ἡ τιμὴ, sed ἔντιμον, *ut antea loquutus est*. Quasi non licuerit *Petro* variare sermonem, aut quasi non sit hoc Hebræis peculiare, abstractis abuti pro concretis. Sed articulus contra me facit ἡ τιμὴ, imo pro me facit, notat enim illud pretium, de quo paulo ante loquutus est, illud insigne pretium, quod adfert salutem æternam. Jam *Beda* verbis quidem dissonat à nobis, re consentit. Et in Elencho triumphat *Stunica*: *Defensus*, inquit, *ab* Erasmi *calumnia* Lyranus, *cum* Erasmi *redargutione*. At ubi sunt ista magnifica præsidia, quibus & *Lyranum* tuetur, & me prosternit? O fumos, *Stunicanos* malo dicere quam *Hispanienses*!

Eo-

Digitized by Google

Eodem Annot. IV.

Sive *ducibus tanquam ab eo missis.* Cum Græce sit ἡγεμόσιν, malui *præsidibus* quam *ducibus*, quod hîc non agatur de bello, sed de iis, qui administrabant Provincias, quibus *Petrus* vult etiam Christianos obtemperare. Porro cum *Stunica* fateatur esse verum, quod annoto Interpretem solere sic vertere, quemadmodum hîc ego verteram, cum non damnem tamen, quod vertit Interpres, sed causam adferam, quare maluerim *præsidis*, quam *ducis* vocabulum: quid est, quod mecum agit *Stunica?* Sic crescit voluminis modus.

Ex Cap. iv. Annot.

Nemo *autem vestrum patiatur:* παςχέτω verteram *affligatur*, non ut excluderem ultimum supplicium, sed ut carceres, flagra, lapidationes, cæteraque malorum genera complecterer. *Stunica* docet nos auctoritate sua, *pati* hîc nihil aliud esse, quam affici supplicio capitis, & ideo dicit me improprie vertisse. Vicit *Stunica*, si non patitur, nisi qui capite plectitur, & si qui occiditur, non affligitur.

Ex ii. Petri Cap. ii. Annot.

Et *multi sequentur eorum luxurias.* Quoniam in Græcis erat ἀπωλείαις, verteram *pernicies*, pro *luxurias.* Addo conjecturam, Interpretem forte legisse ἀσωλίαις, quæ vox proprie significat *luxuriam*, nec multum abest ab ἀπωλίαις, nimirum duabus tantum litterulis. Hîc *Stunica* perinde agit, quasi in multis vetustis codicibus legerit ἀσελγίαις, non ἀσωλίαις, cum in uno *Rhodiensi* legerit, si tamen ibi legit, cujus apud me levior est auctoritas, quod suspicer ad nostros codices fuisse castigatum, quo congrueret cum Latina lectione. Sed demus ἀσελγίαις legisse Interpretem, etiamsi ἀσελγία non proprie sonat *luxuriam*, sed *lasciviam* potius, quid hîc erat, quod merebatur incessi convitiis? In Indice est: *Error* Erasmi *manifestus.* In Annotatione *Stunicæ: Perperam divinat* Erasmus, *& falso refert* Erasmus. An non hæc declarant insignem quendam maledicentiæ morbum?

Ex Cap. iii. Annot.

In *quibus justitia inhabitat.* Ostendo particulam hanc, *in quibus*, posse referri ad nos, qui exspectamus, *nos in quibus justitia inhabitat.* Hoc *Stunicæ* non placet, nec refellit tamen, quod nos proposuimus, nisi hoc lemmate, quod proxime præcessit, *cœlos & terram.* Imo propius præcessit ἡμεῖς latens in verbo προσδοκῶμεν. Et hîc Elenchus habet: *Evidentem* Erasmi *hallucinationem.*

Ex i. Joannis Cap. i. Annot.

Quod *fuit ab initio:* ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ego verteram *quod erat*, quod mallem sic fuisse, ut adhuc esset. *Fuisse* enim dicitur fere, quod esse desiit, *Stunica* docet ἦν præteritum imperfectum pro perfecto nonnunquam usurpari. Id *Erasmus* non negat, sed apud Græcos. Verùm ex hoc non evincit, non esse commodius, quod nos sequi maluimus in vertendo.

Ex Cap. iii. Annot.

In *hoc cognovimus caritatem Dei.* Indico *Dei* non addi in Græcis codicibus. *Stunica* rursus objicit nobis codicem *Rhodiensem*, sed unum, & eum, ut crebro jam dixi, suspectum. Mecum faciunt codices innumeri.

Ex Cap. v. Annot. I.

Quoniam *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo.* Hîc ex auctoritate *Hieronymi* docet *Stunica* Græcos codices palam esse depravatos. Sed interim ubi dormit codex ille *Rhodiensis?* Porro nos non susceperamus negotium emendandi Græcos codices, sed quod A in illis esset, bona fide reddendi. Quod hîc calumniatur *Stunica*, *Lens* hujus προσώπου ante calumniatus est, cui cum libello edito respondemus, paucioribus hîc agemus cum *Stunica.* Divus *Hieronymus* præloquens in Epistolas Canonicas, suspicatur hunc locum fuisse depravatum à Latinis interpretibus, & à nonnullis omissum fuisse testimonium Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Et tamen juxta nostram Editionem adducit hunc locum *Cyrillus* in opere, cui titulum fecit *de Thesauro* Lib. xiv. Cap. penultimo. Ejus verba adscribam: *Rursum*, inquit, *Joannes in eadem Epistola ait: Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quia Jesus est Filius Dei? Hic venit per aquam & sanguinem* B *& Spiritum, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testimonium perhibet, Spiritus enim veritas est. Quia tres sunt, qui testimonium perhibent, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, &c. Hactenus *Cyrillus*, vir, ni fallor, orthodoxus. Atque hîc cum dimicet adversus *Arrianos*; plurimaque in illos congerat è divinis Libris testimonia, probabile non est illum omissurum fuisse telum, quo maxime confici poterant illi, si aut sciisset, aut credidisset hoc fuisse scriptum ab Apostolo. Jam *Beda* locum hunc diligenter enarrans, cum accurate multisque verbis exponat testimonium triplex in C terra, nullam mentionem fecit testimonii in cœlo, Patris, Verbi & Spiritus. Nec huic tamen viro defuit omnino Linguarum peritia, nec in observandis antiquis Exemplaribus diligentia. Imo ne hoc quidem addit *in terra*, tantum legit, *Tres sunt qui testimonium dant.* In codice, qui mihi suppeditatus est è Bibliotheca *Minorum Antuerpiensium*, in margine scholium erat adscriptum de testimonio Patris, Verbi & Spiritus, sed manu recentiore, ut consentaneum sit hoc adjectum ab erudito quopiam, qui noluerit hanc particulam prætermitti. Sed urgemur auctoritate *Hieronymi*, quam equidem nolim elevare, quanquam ille sæpenumero violentus est, parumque pudens, sæpe varius, parumque sibi con- D stans. Tamen non satis video, quid sibi velit hoc loco *Hieronymus.* Verba ipsius subscribam: *Sed*, inquit, *sicut Euangelistas dudum ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo juvante reddidimus. Est enim prima earum una* Jacobi, *duæ* Petri, *& tres* Joannis, *&* Judæ *una. Quæ si sicut ab eis digesta sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipue loco ubi de unitate Trinitatis in prima* Joannis *Epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc est, aqua, sanguinis, & Spiritus, in ipsa sua Editione ponentibus, & Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris ac Filii & Spiritus Sancti una divinitatis essentia comprobatur.* Hactenus *Hieronymi* verba retulimus. Ex quibus liquet *Hieronymum* nihil queri de codicibus Græcis, sed tantum de iis, qui Græca Latine verterunt. At nunc in Græcis codicibus hoc potissimum deest, quod omissum queritur, & habetur in codicibus Latinis licet non omnibus. Sed unde *Hieronymus* castigavit errorem interpretum? nimirum è Græcis Exemplaribus. Sed illi aut habebant, quod nos vertimus, aut variabant. Si variabant, quemadmodum & Latina, quonam argumento docet utrum sit rectius, F utrumve scriptum sit ab Apostolo, præsertim cum quod reprehendit tum haberet publicus usus Ecclesiæ? Quod ni fuisset, non video quî possint habere locum quæ sequuntur: *Sed tu virgo Christi* Eustochium, *dum à me impensius Scripturæ veritatem inquiris, meam quodammodo senectutem invidorum dentibus corrodendam exponis, qui me falsarium corruptoremque sacrarum pronuntiant Scripturarum.* Quis enim damnasset falsarium, nisi publicam mutasset lectionem? Cum proxime *Brugis* essemus in comitatu Cæsaris, consului duos miræ ve-

Digitized by Google

vetuſtatis codices ex Bibliotheca Sancti *Donatiani*, neuter habebat, quod *Hieronymus* queritur ſublatum. Denique codex vetuſtiſſimus in *Vaticana* Bibliotheca ſummi Pontificis, non habet teſtimonium triplex in cœlo, nimirum nobiſcum faciens, nam *Paulus Bombaſius*, conſulto libro, locum mihi deſcripſit ad verbum. Quod ſi apud Græcos legit *Cyrillus*, quod nunc habent Græci codices, ſi apud nos *Auguſtinus* ac *Beda*, aut tantum hoc legit aut utrumque legit, ſi codices tam vetuſti, ut ætate *Hieronymi* poſſint videri ſcripti, cum Græcis conſentiunt, non video, quid adferat argumenti *Hieronymus*, quo doceat germanam eſſe lectionem, quam ipſe nobis tradit. Sed dicet aliquis: Erat hoc efficax telum adverſus *Arrianos*. Primum cum conſtet & apud Græcos & apud Latinos olim variaſſe lectionem, nihil hoc telum adverſus illos valebit, qui ſine dubio pari jure ſibi vindicabunt lectionem, quæ pro ipſis facit. Sed finge non eſſe controverſam lectionem, cum quod dictum eſt de teſtimonio aquæ, ſanguinis, & Spiritus, *unum ſunt*, referatur non ad eandem naturam, ſed ad conſenſum teſtimonii, an putamus *Arrianos* tam ſtupide ſtupidos futuros, ut non idem hoc loco interpretentur de Patre, Verbo & Spiritu; præſertim cum in ſimili loco vere ſic interpretentur orthodoxi in libris Euangelicis, nec hanc interpretationem rejiciat *Auguſtinus* cum *Arriano Maximino* diſputans, imo cum hunc ipſum locum ſic interpretetur fragmentum Gloſſæ ordinariæ in verſuum intervallo additum: *Unum ſunt*, inquit, *id eſt, de re eadem teſtantes.* Hoc non eſt confirmare fidem, ſed ſuſpectam reddere, ſi nobis hujuſmodi lemmatis blandiamur. Fortaſſe præſtiterat hoc piis ſtudiis agere, ut nos idem reddamur cum Deo, quam curioſis ſtudiis decertare, quomodo differat à Patre Filius, aut ab utroque Spiritus. Certe ego, quod negant *Arriani*, non video poſſe doceri, niſi ratiocinatione. Poſtremo cum totus hic locus ſit obſcurus, non poteſt admodum valere ad revincendos hæreticos. Sed hac de re copioſius reſpondimus *Leo* per Apologiam. Illud addam. Cum *Stunica* meus toties jactet *Rhodienſem* codicem, cui tantum tribuit auctoritatis, mirum eſt, non hîc adduxiſſe illius oraculum, præſertim cum ita fere conſentiat cum noſtris codicibus, ut videri poſſit *Lesbia regula*. Verumtamen ne quid diſſimulem, repertus eſt apud *Anglos* Græcus codex unus, in quo habetur, quod in vulgatis deeſt. Scriptum eſt enim hunc ad modum: Ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, Πατὴρ, Λόγος, καὶ Πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσίν. καὶ τρεῖς εἰσὶν μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα, εἰ πῶ μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων, &c. Quanquam haud ſcio an caſu factum ſit, ut hoc loco non repetatur, quod eſt in Græcis noſtris, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσίν. Ex hoc igitur codice *Britannico* repoſuimus, quod in noſtris dicebatur deeſſe: ne cui ſit cauſa calumniandi. Quanquam & hunc ſuſpicor ad Latinorum codices fuiſſe caſtigatum. Poſteaquam enim *Græci* concordiam inierunt cum Eccleſia *Romana*, ſtuduerunt & hac in parte cum *Romanis* conſentire.

A junctivum, aut ſi addatur expletiva conjunctio ἄν. Nunc hîc nihil hujuſmodi.

EODEM ANNOT. II.

VT *cognoſcamus verum Deum*. Indicaram in Græcis non addi *Deum*, tantum eſſe τὸν ἀληθινὸν, id eſt, *illum qui verus eſt*. Atque ita refert locum hunc *Hilarius* Lib. *De trinitate Dei* ſexto. Sed habet codex *Rhodienſis*, at non habent innumeri codices fidei melioris. Et tamen non refert ſi addatur, quod ſubauditur: nam de Deo, aut certe de *Chriſto* ſenſit.

EX JOANNIS III. ANNOT.

SCRIPSISSEM *forſitan Eccleſiæ*. Cum Græce ſit ἔγραψα, verti *ſcripſi Eccleſiæ*. Neque ſenſus quicquam patitur incommodi. *Stunica* non putat aliter potuiſſe verti, quam vertit Interpres. Id ita eſſe docet verſiculo producto è Pſalmo L. Ὅτι εἰ ἐθέλησας θυσίαν, ἔδωκα ἄν. Pulchre docet *Stunica*, ſi addatur ſignum ſub-

B

EX EPIST. JUDAE ANNOT.

HI *ſunt in epulis ſuis maculæ convivantes*. Cum Græce ſit, ἐν ταῖς ἀγάπαις, demirabar unde vox epularum irrepſiſſet, cum ἀγάπη ſonet caritatem. *Stunica* docet olim *agapas* dictas convivia, quæ ex caritate exhibebantur pauperibus. Quod admonet *Stunica*, repereram & apud *Auguſtinum* Lib. contra *Fauſtum* XX. Cap. IV. Tametſi *Fauſtus* hoc verbo eſt uſus prior, non *Auguſtinus*. Itaque locum hunc in tertia Editione reſtituimus. Nec tamen video cur reprehendi debeat *caritates*, cum Interpres non veritus ſit vertere εὐλογίας *benedictiones*, pro munuſculis pio ſtudio datis. Ad hæc cum Latina lectio habeat, *in epulis ſuis*, nam Græci legunt ὑμῶν, non poteſt ἀγάπη ſonare convivium pauperibus exhibitum pietatis affectu.

EX APOCALYP. CAP. I. ANNOT.

VESTITVM *podere*. Græce eſt ποδήρης. Taxo *Lyranum*, qui *poderem* dictum putet à *pes* & *hæreo*, hoc eſt, à Græca voce & Latina. *Stunica* putat me non minus ridiculum eſſe, quam *Lyranum*, qui divinem eſſe dictum à πῆς & ἀρῶ, quod eſt *adapto*. *Stunica* putat ηρης in hujuſmodi dictionibus Græcis, non aliud valere Græcis, quam *mentum* in *teſtamentum*, & *aris* in *talaris*. Hoc cum aſſeveret tantum, non etiam probet, tantum apud nos habebit ponderis, quanta eſt *Stunicæ* auctoritas. Neque vero ſit abſurdum, ſi τριήρης & ſimilia dicantur ab ἀρῶ.

C

EX CAP. II. ANNOT. I.

ET *inveniſti eos mendaces*. In Apocalypſi non ſuppetebat nobis niſi unicum Exemplar, ſed vetuſtiſſimum, quod nobis exhibuit eximius ille litterarum heros *Joannes Reuchlinus*. Illic additum erat ἢ ἐβάπτισας. Indico mihi videri mendum, quod in commentariis nulla eſſet mentio de baptiſmo. *Stunica* docet in *Rhodienſi* fuiſſe ἐβάσασας, id eſt, *tuliſti*. Debemus hoc *Rhodienſi* codici, tametſi in Latinis codicibus nihil eſt, quod huic Græcæ lectioni reſpondeat.

D

EODEM ANNOT. II.

ET *in diebus illis Antiphas*. Cum Græce ſit *Antipas*, ſic verti, ut illi legunt. *Stunica* docet complures eſſe dictiones, quibus Interpres addiderit adſpirationem, ut *Cleopha*, *Capharnaum*, *Ephæneto*. Idem factum putat in *Antiphas*. Primum, quî ſcit *Stunica*, an hoc factum ſit ab Interprete? Deinde ſi in paucis factum eſt, non conſequitur hoc licere in quibuslibet.

EX CAP. VI. ANNOT.

E

ET *vidi & ecce equus pallidus*. Verto quod probat *Stunica*. Tantum indico in Annotationibus χλωρὸν aliquando ſonare *viride*, quemadmodum paulo poſt vertit Interpres. Hoc cum non neget *Stunica*, nihil eſt hîc mihi cum illo controverſiæ.

EX CAP. X. ANNOT.

ET *clamavit voce magna*. Nec hîc mihi res eſt cum *Stunica* de verſione. Tantum annotaram, quod Græcis eſt μυκᾶται, id eſt, *mugit*, Interpretem vertiſſe *rugit*, illud, opinor ſequutum, quod mentio fiat Leonis. Nec hîc mihi controverſia eſt cum *Stunica*. Hoc non convenit, quod annotaram, fortaſſis apud Græcos non eſſe differentiam vocum, quæ eſt apud nos inter *mugire*, quod Boum eſt proprium: & *rugire*, quod non niſi Leonibus tribuitur. *Stunica* docet & Græcis eſſe verbum, quod ſonet *rugire*, ut ὠρύεσθαι, verùm in Litteris ſacris non obſervari differentiam. Siquidem & hîc μυκᾶται vertit *rugit*, ita Lib. *Sap.* Cap. XVII. ὠρυομένων vertit *mugientium*.

F

Digitized by Google

Ex Cap. xvi. Annot.

Et *factus est sanguis*, καὶ ἐγένετο αἷμα. Nos vertimus *& facta sunt sanguis*, sentientes aquas versas in sanguinem. *Stunica* negat hoc posse fieri, nam ut paulo ante dixit: *Effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis*, ita hîc dicendum erat, *factus est sanguis*. Imo sicut ibi intelligimus mare versum in sanguinem, ita hîc intelligimus flumina & fontes versos in sanguinem, neque quicquam vetat quo minus dicamus, *& aqua facta sunt sanguis*. Et tamen hîc in Elencho est: *Evidens* Erasmi *hallucinatio*.

Ex Cap. xvii. Annot.

Et *hîc est sensus*, ὧδε ὁ νοῦς. In prima Editione scriptum erat in Annotationibus duntaxat, *hæc est mens*: haud dubium, quin operarum aut castigatorum vitio, qui parum attenti, *hîc*, quod à me perperam suspicati sunt fuisse relictum, verterunt in *hæc*. Certe hoc non accidisse meo vitio declarat Editio secunda, quæ habet, *& hîc est mens*. Et in Annotatione admoneo, *hîc*, adverbium esse, non pronomen. Et tamen hîc Elenchus taxat Erasmi *somnium*, & Annotatio clamat, Erasmo *nullam fuisse mentem, aut intellectum, cum hæc scriberet*. At ego dejerem, non quidem nullam fuisse mentem *Stunicæ*, sed malam fuisse, cum hæc scriberet.

Ex Cap. xviii. Annot.

Et *in delitiis fuit*, ἐτρυφήσε. Quoniam hæc per tumultum scripsimus, *& in Epistola ad* Corinthios *fit mentio de viduis recipiendis*, suspicabar illic esse, quod erat in Epistola ad *Timotheum* priore. Debemus hoc *Stunicæ*, ne non agnoscamus quamlibet leve officium.

Ex Cap. xx. Annot.

Etiam *veni cito*. Adduxeram rationes aliquot, quare Apocalypsis mihi non videretur esse *Joannis* Euangelistæ, quarum unam improbat & in me retorquet *Stunica*. Ea est: in pervetusto codice, quo tum utebar, non erat adscriptus titulus *Joannis Euangelistæ*, sed *Joannis Theologi*. *Imo*, inquit *Stunica*, Theologi *cognomen proprie tribuitur* Joanni. Adducit *Suidam*, qui vocat eum Theologum, sed addit, ὁ Εὐαγγελιστής. Similiter & *Dionysius* illi scribens: Ἰωάννῃ Θεολόγῳ, Ἀποστόλῳ, ὁ Εὐαγγελιστῇ. Nec mirum si *Origenes*, aut quisquis alius earum Homiliarum est auctor, *Joannem* Θεόλογον appellet, hoc est, *Deiloquum*, quod sublimiter scripserit de natura *Christi* divina, cum eundem multis aliis huic similibus titulis honestet. Videt igitur *Stunica* rationem hanc in me non posse retorqueri. Sed hîc tandem prolixæ rixæ finis esto. Et pœnitet, & pudet totos septem dies his nugis esse datos. Si tales habebimus spectatores, qualis est hic *Stunica*, præstat non agere fabulam. Agant alii qui volent, nos vicissim otiosi spectabimus, & alieno fruemur periculo. *Stunicam* admoneo, ut posthac melius collocet otium & operam suam. Quod si non impetro, fortasse non defuturum est *dignum patella operculum*. Certe me posthac non habebit colluctatorem. Quanquam & hîc plane *levi*, quod ajunt, *brachio* rem gessimus, non tam respondentes homini, quam indicantes, quid possit responderi.

APOLOGIAE FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA
ADVERSVS LIBELLVM
JACOBI STVNICAE,
CVI TITVLVM FECIT,
BLASPHEMIAE ET IMPIETATES ERASMI.

Vix mihi delitigata fuerat rixa cum *Caranza*, ecce repente prodiit *Stunica* libellus multo atrocissimus, ceu lupus, non vocem solum ademturus mihi, sed mentem etiam, nisi prior vidissem *Stunicam*, mihi jam non ignotum. Alioqui cui non subsideret in genua φίλον ἦτορ, vel ex ipso titulo, nisi sciret *Stunicam* auctorem? Prima pagella litteris semipedalibus habebat hunc titulum, Erasmi Roterodami *blasphemiæ & impietates, per* Jacobvm Lopidem Stvnicam *nunc primum propalatæ, ac proprio volumine alias redarguta*. Sequitur Præfatio, nihil aliud crepans, quam *blasphemias, impietates, insanias, temeritates, hæreses, venena, serpentes*, Lvtheros, aliaque plus quam tragica nomina. Demirans serio-ne, an joco res ageretur, lego unum atque alterum Caput: illic ubi nihil tale comperio, quale pollicebatur titulus ac præfatio, magis etiam dubitare cœpi, an me luderet homo, an cum *Lutheranis* colluderet. Sed quo animo ille scripserit, ipse viderit: illud scio, nihil prodisse jam diu, quod gratius acciderit quibusdam impendio *Lutheranis*: sunt enim qui hoc ipso valde gravant ac lædunt *Lutherum*, quod immodice sunt *Lutherani*: apud quos, ut mihi significatum est amicorum litteris, magnopere profuit *Stunicæ* maledicentia: jam enim adornarant aliquot libellos, quibus me proscinderent. Cæterum ubi viderent *Stunicam* nihil omnisisse, quod ad ipsorum factionem fulciendam conduceret, judicarunt suam operam inanem futuram, ac consultius arbitrati sunt aliena frui insania, quam suam prodere. Cum enim statuissent, ut accipio, duabus viis ulciscí me, quod manibus ac pedibus recusarim esse factiosus, convitiis in me debacchando, atque animo morem gerendo suo: deinde prolatis locis aliquot ex libris meis, in quibus viderer non admodum dissentire à *Lutheri* decretis, cum præter spem è *Roma*, quæ nuper Africae laudem sibi cœpit usurpare, quod semper aliquid gignat mali, prodissent blasphemiæ & impietates *Stunicæ*: tum ex omnibus operibus meis excussis annotata loca, quæ mihi vel apud Romanum Pontificem, vel apud Cardinales & Episcopos, ac Sacerdotes, vel apud Monachos, genus haudquaquam contemnendum, vel apud Reges ac Magnates, vel apud Cantores denique Musicosque mihi pariant invidiam: nimirum intelligebant totam hujus provinciæ laudem sibi præreptam fuis-

Digitized by Google

fuisse, quod hic artifex ad hanc fabulam agendam plane natus videretur. Verùm ut apud hos magnam iniit gratiam suo libello *Stunica*, ita pessimam iniit apud omnes eruditos ac probos, qui cupiunt hoc orbis dissidium exstinctum, qui vere favent dignitati Sedis Romanæ, ac Sacerdotum, denique qui bene volunt Linguis, bonis litteris, ac sinceriori Theologiæ, jam pridem meditanti reviviscere. Eoque cum *Roma* partus hic *Stunica* vipereus moliretur in lucem prorumpere, Cardinales Edicto vetuerunt, ne quid ederetur à quoquam, quod *Erasmi* nomen maledictis incesseret. Quin & *Leo* X. cum intellexisset *Stunicam* præclaras illas Annotationes suas, quibus primum in me debacchatus erat, per totam *Romam* circumferre, volentibus ac nolentibus obtrudere, atque his etiam elimatiora minitari, admonuit hominem, ne simili petulantia uteretur in *Erasmum:* aut si quid dissentiret, id ea faceret moderatione, ut veritati serviisse videretur, non livori, aut maledicentiæ morbo. Sed quemadmodum apud illum parum habuit ponderis summi Pontificis admonitio, ita contemtum est Cardinalium Edictum, non tam ab ipso *Stunica*, quam à phylacteriatis quibusdam: qui cum multis annis moliti sint hanc fabulam, vix tandem nacti sunt histrionem suis votis appositum: hi cum per fumos auctoritatis Pontificiæ sibi tyrannidem usurpent in omnes, tamen quoties ipsis commodum est, ita contemnunt illius auctoritatem, quasi nihil eorum crederent, quæ libris suis de potestate Romani Pontificis orbi persuadere conantur, atque etiam confidunt se nonnullis persuasisse. Per hos igitur, quibus nihil non licet impune, liber est clanculum excusus, jamque volitare cœperat per manus hominum. Id ubi cognitum est, renovato Cardinalium Edicto, vetitus est distrahi. Vix crediturus est aliquis tantum apud Cardinales habitam mei rationem, ut duobus Edictis consultum voluerint nomini meo. Sunt & inter Cardinales, qui intelligunt *Erasmum* melius esse meritum de bonis studiis, ac re Christiana, quam ut impune dedatur *Nomentanis* ac *Balatronibus*, aut si quid his etiam impudentius. Sed magis eos etiam commovit, opinor, Ecclesiæ tranquillitas, quæ cum jam plus satis esset labefactata dissidio *Lutherano*, non oportuit tragœdiam addere tragœdiæ, & *oleum*, quod ajunt, *camino adjicere*. Intelligebant enim viri multum *Stunicæ* dissimiles, nondum sic exstinctum hujus factionis incendium, quin admoto sulphure, facile possit resuscitari: nec ignorant, quam facile recens malum soleat reviviscere. Ad id faciendum non poterat exoriri libellus magis idoneus, quam hic *Stunicæ*, qui simul & animos addit *Lutheranis*, jam (ut videbatur) flaccescentibus, & me vel invitum in illorum castra conatur protrudere, & Pontificem ac Sacerdotes onerat invidia: nam hæc magis adscribenda est decerptori, quam scriptori. Etenim quæ nobis sparsim pro re nata dicebantur, admonendi, non mordendi studio, præsertim cum quæ præcedebant, aut sequebantur, aut etiam admiscebantur, mitigarent admonitionis acerbitatem, non solum non offendebant, verum etiam cum gratia legebantur. Hic ea decerpta, quam potuit odiosissime semel oculis subjecit, omissis his quæ mitigant, & additis atrocibus ac vanis etiam lemmatis, quæ exacerbent, idque ex prima potissimum Novi Testamenti Editione, cum ego in posteriore ac tertia multa sim moderatus: nec in hoc solum opere, verum etiam in aliis, non quod illa viderentur impie scripta, sed quod magni referat, quo tempore quid dicas, faciasve. Scripseram illa temporibus tranquillis, ac plerisque ad ea, quæ veræ sunt pietatis, clare stertentibus. Hos admonitiunculis tempestivis, si quando locus admonebat, visum est expergefacere. Hoc seculum quis divinabat exoriturum, quo vix tutum est apud quosdam nominare *Paulum*, aut Euangelium? Age quam gratiam iniret hac tempestate, si quis è Prophetarum libris, ex Euangelicis litteris, ex Apostolicis Epistolis decerperet, quæ formam præscribunt boni Pastoris aut Episcopi, quæ graviter objurgant Pastores, ventri lucroque suo servientes? Quæ describunt bonum Sacerdotem, ac reprehendunt malos? Quæ dicuntur in Pseudapostolos, Pseudoprophetas, & Pseudochristianos? Si quis è *Cypriani*, *Hieronymi*, ac *Bernardi* voluminibus decerperet, quæ dicuntur in vitia Episcoporum, Clericorum, Monachorum, ac Virginum, atque etiam Sedis Romanæ, quam novit *Bernardus*, sed aliquanto, ni fallor, verecundius mundanam, quam nunc est, quam *Hieronymus* etiam ipse *Babylonem* vocavit ac fugit: quantus blasphemiarum liber nasceretur? Quantum invidiæ conflaret Ecclesiæ proceribus, præsertim si nihil excerperet nisi acetum, omisso oleo: si singulis adderet titulos invidiosos? blasphemat in Romanum Pontificem, blasphemat in Episcopos ut homo Ethnicus, debacchatur in Monachos ac sacras Virgines. Nam *Stunica* blasphemiam appellat, si quid dicatur in corruptos mores hominum, nullius nomine aut ordine perstricto, adeo ut nec *Hispaniam* nominari patiatur, nisi cum religiosa honoris præfatione. Non mirum igitur, si malam gratiam iniit *Stunica* apud cordatos Ecclesiæ principes, qui mihi litteris suis declararunt animum suum, non solum è *Roma*, verùm etiam è *Germania*. Nam quod privatim ad me pertinet, sublevor etiam hoc *Stunicæ* libello, tantum abest ut lædar.

Sycophantæ quidam non minus stolidi quam impudentes, sparserant in libris meis esse quosdam exsecrandos errores: denique nihil non esse in libris *Lutheranis*, quod idem non esset in libris meis. Ipse tametsi nihil tale viderem in lucubrationibus meis, tamen subverebar, ne quid alicubi lateret, quod me fugisset, aut ne quid ab inimicis admixtum esset veneni. Sed hæc *Stunicæ* diligentia & mihi reddidit animum, & apud alios magna ex parte me liberavit invidia. Cum enim ex professo sit maledicus: cum palam profiteatur inimicum: cum constet ex primis Annotationibus, quam impudenter depravet etiam optime dicta: cum jactitet, nihil esse operum meorum quod non excusserit, nullam esse latebram unde non eruerit, si quid latebat serpentum: nimirum ex ipsa re liquet omnibus falsum esse rumorem, quem isti sparserant, cum hîc præter titulos ac præfationem nihil sit, quod non vel probent, vel facile ferant homines cordati & integri. Nec enim arbitror *Stunicam* usque adeo stultum esse, ut existimet lectorem solis titulis fore contentum. Docti quidam jocantur librum esse pseudepigraphum, & florilegium appellandum, alii cavillantur illud *Martialis* Epigramma fuisse præfigendum operi:

Lemmata si quæres, cur sint adscripta, docebo,
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Quare non valde indignor *Stunicæ* meo, hujus sane facti nomine, præsertim cum ex his, qui illum ex convictu, congressuque novere propius, intelligam hominem non admodum esse fucatum. Fatetur ingenue, sibi nihil esse dulcius quam *murmurare*, sic enim sua Lingua dixit *obtrectare*. Non dissimulat se non potuisse diutius pati, ut *Erasmi* nomen in omnibus Bibliopoliis viseretur, cum *Stunicæ* nomen nusquam esset. Nec aliam vidit magis compendiariam viam parandi nominis, quam ut *Fabro* ac mihi malediceret. Fatetur se nulla unquam injuria lacessitum à me, nec hoc negotii suscepisse ullo odio mei, sed partim amore famæ, ut dixi, partim ut Monachis quibusdam huc propellentibus gratificaretur, partim ut commodius succederet venatio, quam agit *Romæ*. Venatur enim non muscas, per *Jovem*, sed aliquot opima sacerdotia, quorum gratia *Romæ* nonnunquam amicus veneno tollit amicum. Itaque nunc nemo celebrior est *Romæ* quam *Stunica*. Passim demonstratur indice, ὅτός ἐσιν ὁ Ἐρασμομάστιξ. Ipse frequenter obequitat in Campo *Floræ*, ac fruitur titulis, fruitur digitis ac sermonibus hominum. Ibi litteris sesquipedalibus prostat, STVNICA *adversus* ERASMVM. Et bona pars hominum præter titulos nihil legit. Neque quicquam fingi potest tam indoctum, quin inveniat admiratorem, vel spectatorem potius. In eodem campo spectantur praestigiarum artifi-

Digitized by Google

tifices, qui vinum ebibunt faucibus, & idem educunt è fronte. Ibi venduntur quæ frigidi Grammatici nugantur in *Paſquillum*. Non ſolum igitur ingenuus eſt, qui præ ſe fert id quod agitat animo, verùm etiam modeſtus, qui hoc gloriæ genere contentus ſit, quo certe ego contentus non eſſem. Nunc calliditatem etiam audi *Stunicæ*. Aut plane mea me fallit conjectura, aut hic eſt labor, in quo jam plus quam triennium deſudatum eſt *Lovanii* & *Coloniæ* à quibuſdam phylacteriatis, non ſine olei, per Muſas, atque etiam vini jactura. Dum enim tot meos libros excutiunt, ſæpe non fuit otium ſuaviter potandi. Nunc vide an ſalem habeat *Stunica*, qui magno alieno labore partam gloriam verbis in ſe tranſmoverit. Quid enim hîc eſt *Stunicæ* præter titulos ac præfationem? Neque enim mihi fit veriſimile, *Stunicæ* tot Linguis onuſto, in omni veterum Auctorum genere nocte dieque verſanti, ad hæc *Romæ* naturas ac pugnas piſcium enarranti, multaſque alias res molienti, tantum eſſe vacui temporis, ut tot meas lucubrationes potuerit, aut etiam libuerit evolvere. Illi fugiebant invidiam, qua jam ſatis magna laborabant: nec aliud deerat illorum malitiæ, quam fortis ac perfrictæ frontis hiſtrio, cui facies eſſet pro perſona, quique de plauſtro veterem referret comœdiam. *Stunica* igitur in hoc conductus, in eodem ſaltu duos cepit lepores, gloriam, & pecuniam. Nam invidiam negligit, non minus fortiter quam contemnit omnium eruditorum ac bonorum judicium, vel quia pauci ſunt, ut ſemper fuerunt, vel quia non his agitur hæc fabula.

Nec eſt animus in præſentia reſpondere huic *Lopidis* rhapſodiæ, ne rurſus homini gratificer. Nam & præter ſpem & gratiſſimum accidiſſe intelligo, quod illius Annotationibus reſponderim, cujus rei me non ſemel pœnituit: & *Fabri Stapulenſis* prudentiam collaudavi, qui neglexerit conductum actorem, cum ſua fabula. Tantum hominis facetiam paucis indicabo ex titulis quibuſdam, atque ex præfatione. Noverat ille rerum Hebraicarum peritiſſimus, vulgo *blaſphemias* intelligi, convitia dicta in Deum. Id enim ad nos ab Hebræis manavit, cum dictio, qua Latini utuntur, Græca ſit, nec aliud apud illos ſonet, quam apud nos *maledictum*. Atque hic protinus artifex impoſuit lectori, qui ſi credat titulo, ſuſpicabitur totum libellum eſſe plenum impie dictis in Deum, aut in Divos, cum *Stunica*, quemadmodum ſuperius attigi, *blaſphemias* ſentiat, quoties in genere, & ſine cujuſquam injuria, notantur mores hominum, cujuſmodi blaſphemiis ſcatent Libri Prophetarum, Euangeliorum, Epiſtolarum Apoſtolicarum, & omnium orthodoxorum. An non gravis eſt blaſphemia in Paſtores & Epiſcopos, quod ſcribit *Eſai.* Cap. LVI. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcientes univerſi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia, & canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem. Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſſimum. Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras*, & multo amplius. Cur hîc *Stunica* non addit titulum, *blaſphemat in Epiſcopos?* Cur non addit eundem titulum Capiti *Hieremiæ* Prophetæ XXIII. quod totum magna libertate deſtomachatur in Paſtores improbos? Tales nimirum blaſphemiæ ſunt, quibus Dominus *Jeſus* lapidat Phariſæos & Scribas in Euangelio: *Væ vobis hypocritæ, væ vobis cæci ac ſtulti.* Tales ſunt blaſphemiæ, quibus tot locis *Paulus* debacchatur in Pſeudapoſtolos, cum ait eos ſuo ventri ſervire, non *Jeſu Chriſto*, ac per blandiloquentias ſeducere corda ſimplicium, cum jubet vitari canes & operarios malos, cum illos vocat Antichriſtos. Quoties *Tertullianus* & hunc imitatus *Cyprianus* Satyrica dicacitate periſtringit vitia Virginum, Matronarum, Monachorum, cum hic poſterior Epiſcopis ſui temporis objiciat ambitionem, uſque ad tyrannidem, avaritiam, uſque ad uſuras? Quot locis, qua libertate idem facit *Hieronymus*? Atqui tunc magis parcendum erat nomini Chriſtiano, quod adhuc male audiebat apud Ethnicos. Nunc nulla fere res officit nomini Chriſtiano, niſi mores noſtri. Hæc ſi quis colligat ex veterum aut etiam recentium libris, quot blaſphemiarum naſcentur Iliades, cum ex uno opere divi *Bernardi*, cui titulum fecit *de conſideratione*, plus blaſphemiarum colligi queat, quam ex omnibus meis lucubrationibus. Et tamen qui leget noſtra, videbit quam non cupide id fecerim, quam coactus ipſa re, quam leniter ac circumſpecte, quam multa ſubticens, libenter & in totum taciturus, ſi ſilendo licuiſſet prodeſſe. Sed poſteaquam decretum erat *Stunicæ* genus hoc perſequi, demiror, cur non illi venerit in mentem totam *Moriam* huc transſcribere, qui liber non in aliud paratus eſt, quam ad taxandam vitam mortalium. Ita lepidus nugator ſtatim ipſo titulo conatus eſt imponere lectori. Et plane ſunt blaſphemiæ *Eraſmi*, ſed quemadmodum in Euangelio dicitur *blaſphemia Spiritus*, non quam ille dicit in alios, ſed quam impii dicunt in illum. Blaſphemiæ ſunt *Eraſmi*, ſed per *Jacobum Lopidem*.

Jam *impietates* appellat, non impie dicta aut facta in Deum aut Divos, ſed admonitiones, opinor, de Divis ſuperſtitioſe cultis, de religione præpoſtera, aut in his rebus collocata, in quibus non oportuit. Impietas vocatur, cum vera docetur pietas, ac falſa dedocetur. Talis eſt impietas *Pauli*, cum irridet eos, qui docebant pro *Chriſto Judaiſmum*, *ne tetigeris*, *ne guſtaveris*, *ne contrectaveris*. Rurſum cum ait: *Exercitatio corporalis ad modicum utilis eſt*, *pietas ad omnia valet*. Talis eſt impietas *Eſaiæ*, ſpernentis & averſantis feſtos dies, victimas & jejunia *Judæorum*, quod his crederent ſe demereri Deum, cum alioqui ſcaterent ſceleribus.

Sed illud etiam feſtivius, quod addit ad libelli commendationem: has *blaſphemias & impietates*, *nunc primum* ab ipſo *propalatas*, *& alias proprio volumine redargutas*. *Moriæ* pluſquam viginti millia voluminum ſunt excuſa, ac nullum eſt operum meorum unde blaſphemias ſuas & impietates colligit *Stunica*, quod non in aliquoties mille volumina ſit propagatum, & jactat hæc primum ab ipſo propalata? Quod toties editum teritur manibus omnium, nondum videtur propalatum? Et opus erat obſcuro *Stunicæ* libello, per quem iſta proderentur orbi? Sed ſcire cupio quo pacto redarguerit ea, quæ non in aliquam certam perſonam, ſed in genere dicuntur, vel in malos Monachos, vel in Epiſcopos improbos, vel in Principes, aut Sacerdotes male viventes? An docebit nullos eſſe tales? Utinam eſſet ea ſeculi noſtri felicitas, ut id vere poſſit, & *Eraſmum* doceat quovis *Cretenſi* vaniorem. Aut omnes defendat oportet, aut neminem, cum ego nullius nomen perſtrinxerim. An in me regeret convitia? ego meas virtutes nuſquam jactavi. Et infelix eſt patronus, ſi non poteſt aliorum honori conſulere, niſi mihi maledicendo, quod idem poſſit & leno. Nunc impudentes aliquot *Stunicæ* titulos proponemus, quos peculiares certis præfixit argumentis, non contentus titulis illis communibus. Si quando admoneo Monachos, quid fugiendum ſit veram pietatem ambientibus, aut quibus in rebus ſita ſit vera religio, titulum præfixit *contra Monachos*, *contra Religioſos*, cum ea res maxime faciat pro Monachis, & bonis & malis. Pro bonis, ut admoniti reddantur meliores. Pro malis, ut ſeſe convertant ad meliorem frugem. Rurſus ubi ex occaſione ſermonis Euangelici cohortor Chriſtianos ad pacem, deteſtans bellum, præcipue Sacerdotes, qui cum profiteantur ſe prædones Euangelii pacis, in publicis Concionibus claſſicum canant ad bellum, & hujus inſaniæ noſtræ, qua jam ſine fine conflictamur, *Chriſtum* faciunt auctorem, huc illius litteras detorquentes, atque adeo belligerantur ipſi, qua quidem admonitione, cum neminem lædat, quid potuit eſſe ſanctius, aut magis neceſſarium, tamen titulum præfixit: *Phariſæos appellat Chriſti Sacerdotes*. Imo tales Sacerdotes appello Phariſæorum genus, hoc eſt, Phariſæis ſimiles, quibus multum diſſimiles ſunt *Chriſti* Sacerdotes. Quanquam

Digitized by Google

quam hoc loco per Sacerdotes notabam Episcopos quosdam, sed præcipue *Julium*. Per Pharisaicum genus, Monachos quosdam, qui tum mira impudentia, & apud *Gallos* & apud *Britannos* suis Concionibus irritabant ad bellum. Quod si impius est, cui non placent omnia facta Pontificum, mihi in *Julio* & alia multa displicebant, at non mihi solum, sed optimis quibusque. Ex occasione loci, qui est in Act. Cap. v. confero triumphos, quos me spectante *Julius* II. egit *Bononiæ* primum, post *Romæ*, cum majestate Apostolorum, qui cœlesti doctrina converterent orbem, qui sic miraculis florerent, ut umbra sola sanarentur ægroti, & hanc magnificentiam Apostolicam præfero triumphis illis, in quos ipsos tamen nihil scribo contumelioſe, tametsi, ut ingenue dicam, tum spectabam, non sine tacito gemitu. Hîc *Stunica* titulum addidit, *Insultat triumphis Ecclesiæ*. Os impudens, an ille insultat, qui præfert dotes illas vere Apostolicas? Et quid tandem appellat *Stunica* noster, *triumphos Ecclesiæ?* Istos, quorum puderet etiam quemvis profanum Principem? Longe alios recenset egregius bellator *Paulus*. Rursus Act. IX. ubi *Petrus* narratur diversari apud *Simonem* Coriarium, subjicio: *O quantus hospes, & Apostolici culminis princeps apud cujusmodi diversatur hospitem? Nunc trium Regum palatia, vix sufficerent excipiendo* Petri *Vicario. Eo creverunt opes Ecclesiæ.* Hic titulum adjecit, *Opes Ecclesiæ infectatur, &* Petri *vicarium appellat Papam.* Quæso te, lector, vide insignem hominis impudentiam. Ubi est hîc ullum infectandi verbum? quanquam hoc olim deploravit *Hieronymus*, quod Ecclesia cresceret in opibus, decresceret in virtutibus. Nihil hîc dicam, quid homines vere pii sentiant de strepitu quorundam Pontificum. Aut ego fallor, aut hic, qui nunc est, non admittet omnes pompas, sed tamen quasi præsagissem exoriturum *Stunicam* aliquem, in secunda Editione adjeceram: *Gratulandum est felicitati, si modo vere sita est in hoc Ecclesia felicitas, & si felicitati respondet pietas.* Sed intolerabile est, quod Papam appellarim *Petri Vicarium*. An vicarius non est, qui in locum ac vices alterius successit? Sed eundem Papam, quoties aliis locis appello *Christi Vicarium?* Ne quis hoc interpretari possit, quasi negem Papam *Christi Vicarium?* Sed erat causa, cur hîc *Petri Vicarius* potius esset dicendus, quod *Petri* mentio præcesserit, ad quem confero nostros Pontifices illius successores. Atrox vero blasphemia, si cum *Petrum* appellassem ordinis Apostolici principem, Papam appello hujus Vicarium, hoc est, successorem. *Stunica*, ut apparet, jubebit illum appellari sodalem *Christi*. Male sentit de pietate *Romanorum* Pontificum, si credit eos esse usque adeo turgidos, ut sic videri velint *Christo* succedere, quemadmodum homo succedit homini tradenti provinciam. An non satis magnificum est succedere principi Apostolorum *Petro?* Nam tametsi *Romanus* Pontifex quodammodo *Christi Vicarius* recte dicitur, tamen ad illius dignitatem collatus, quid aliud, quam vermiculus est, quantumvis ad nos collatus auctoritate præminet.

Matthæi Capite XVI. Indico quid senserit *Origenes* de loco, quem nos accommodamus ad probandum primatum *Romani* Pontificis. Ea sententia non videtur admodum favere istis, qui Pontificis principatum pene in immensum attollunt. *Augustini* sententia plane adversatur. Sed eodem in loco indico diversam opinionem *Cypriani*, qui scripserit super *Petrum* fuisse fundatam Ecclesiam, cum id *Augustinus* palam rejiciat. Hoc qui facit, neutri parti præjudicat, sed lectori commonstrat locum expendendum. Idem facio nonnunquam & in scholiis, quibus explanavimus *Hieronymum*, quod is varius sit, nec eadem ubique sentire videatur de *Romani* Pontificis principatu. Quod si tantum ea notassem, quæ facerent contra principatum Pontificis, videri poteram parum illi favere. Nunc cum indico diversa quoque loca, declaravi me nihil pronuntiare, sed tantum locos expendendos commonstravi.

Siquidem in Epistolam ad *Damasum* hoc addo scholium: *Hîc* Hieronymus *videtur omnes Ecclesias subjicere Romano Pontifici.* Quid igitur aliud ago, quam ut obiter indicem locos, quos vel refellat vel confirmet, cui visum sit super hac re scribere. Quorsum igitur pertinet *Stunica* titulus? *Sapit Lutheranam impietatem.* Imo *Stunicæ* sermo sapit scurrilem impudentiam. Ego in his ipsis verbis meis, quæ in invidiam meam refert *Stunica*, fateor hæc verba *Christi* potissimum competere in Rom. Pontificem; & eum appello Christianæ fidei principem. Quid autem magis adversatur *Lutheranis* assertionibus? Deinde tot Epistolis ac Præfationibus meis tantum tribuo Romano Pontifici, ut quidam impingant mihi notam assentationis.

Actorum Cap. XXIII. Hæc annotaram: *Percutiat te Deus paries dealbate. Divus* Hieronymus *adducens hunc locum in dialogis adversus* Pelagium, *excusat quidem* Paulum. *Verum fatetur eum non præstitisse mansuetudinem eam, quam præstitit* Christus. *Verum hoc scripsit* Hieronymus, *undiquaque suam muniens causam, & in ipso quoque* Christo *aliquod imperfecta pietatis vestigium inquirens.* Hîc si credimus *Stunicæ* titulo, *Hieronymo* impingo blasphemiam; perinde quasi dixissem *Hieronymum Christo* tribuere peccatum. *Hieronymus* illic tanta vehementia disputat adversus eum, qui contendebat hominem absque peccato posse vivere, ut nec Prophetas, nec Apostolos, nec ullum omnino mortalium liberet in totum à peccatis. Atque huc provectus calore disputationis, refert hæc verba ex Euangelio *Nazarenorum*, quod plerique putant esse juxta *Matthæum: Ecce mater Domini, & fratres ejus dicebant ei: Joannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum. Eamus ut baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Nisi forte hoc ipsum, quod dixi, ignorantia est.* Hæc verba cur recenset *Hieronymus*? Nisi ut disputandi gratia ostendat, nec matrem Domini caruisse peccato, quæ voluerit baptizari in remissionem peccatorum, quodque videretur his verbis Filio quoque tribuere nonnihil, quod possit ablui baptismo. Nec eam suspicionem prorsus ab se repellit Dominus respondens, *nisi forte hoc ipsum, quod dixi, ignorantia est.* Nam *Hebræi* nonnunquam vocant *ignorantiam*, levem culpam, errore magis quam malitia commissam. Dicet *Stunica* non habere pondus Euangelium apocryphum; nec apud me habet, tametsi *Hieronymus* addit à plerisque haberi secundum *Matthæum*, quasi nolens omnino contemni. Non sensit hoc *Hieronymus* in *Christo* esse quicquam culpæ, quamlibet levis. Nimirum impius erat, si hoc sensisset. Nec hoc impingo *Hieronymo*, de quo longe melius sentio, sed in disputando tentat frequenter iniqua, ut evincat æqua, & omnibus nodis illaqueare conatur adversarium, ut ubi jam victus dederit manus, doceatur ea quæ seria sunt. Hoc nimirum dixi inquirens disputando. Quærit enim, qui etiam ab apocryphis petit testimonia. Nec dictum est *imperfectam pietatem*, sed *aliquod vestigium imperfectæ pietatis.* Si imperfectum est, cui potest aliquid accedere, solet istud & in Scholis disputari, *an in* Christo *fuerit tanta gratia, ut non possit major dari creatura.* Ad hæc *vestigium* sonat qualemcunque speciem. Addit epitasim vox hæc *aliquod.* Certe *Christus* legitur indignatus, & cum ira loquutus. Hoc certe aliquod imperfectæ pietatis vestigium videri posset, cum ipse vetuerit in totum irasci. Nam hoc certe habuit nobiscum commune, quod irasci potuerit, non quod irasci perperam. Et frequenter corporis sui imbecillitatem in se transfert. Et hoc aliquod vestigium imperfectæ pietatis dici posset. Habes rem, lector, & vides, ni fallor, quantum absim ab eo, ut *Hieronymo* impingam blasphemiam. Si quid hîc est blasphemiæ, totum est *Stunicæ.*

In Epist. ad *Rom.* Cap. IX. super illum locum: *Qui est in omnibus Deus benedictus*, annotaram, *Nisi hæc particula adjecta est, ficti quasdam adjectas offendimus,*

Digitized by Google

hoc certo loco Paulus *palam* Christum *pronuntiavit Deum*. Nunc audi *Stunicæ* lemma: *Dura & falsissima dubitatio & assertio.* Primum, quî constitit eandem esse dubitationem & assertionem? Deinde quis unquam dixit dubitationem esse falsam? Etenim qui dubitat nihil pronuntiat, tanto minus asserit. An illud falsum, quod ajo nonnullos locos additos? Id extra controversiam est in coronide Precationis Dominicæ, ut sileam de aliis. Et tamen de hoc loco, sic leviter propono dubitationem non meam, sed quæ possit in aliquem incidere, ut statim refellam, subjungens, quod callide dissimulat *Stunica*, *Et consentiunt, quæ quidem viderim Græcorum Exemplaria.* Mox adduco Scriptores orthodoxos, qui locum hunc serio adducant adversus *Arrianos.* Hoc nimirum est dubitationem tollere. Et tamen hanc particulam omissam comperi apud *Cyprianum*, quod ego declaro me adscribere vitio Librariorum.

Ex ejusdem Epist. Cap. XIV. noto superstitionem Christianorum vulgarium, qui summam pietatis constituant in delectu ciborum, & ex his damnent proximum, ceu parum Christianum, cum ea negligamus, sine quibus nemo vere Christianus esse potest: quis enim nunc aversatur adulteros, lucro deditos, obtrectatores, vindices, feroces, bellatores impios? Quis autem non abominetur die Veneris vescentem carnibus? Non damnavi delectum ciborum, quem non sine causa indixit Ecclesia, sed vulgi præposterum judicium damno. Proinde falsum est lemma, quod huic Capiti præfixit *Stunica: Ciborum delectum reprehendit.*

Epistolæ ad *Corinthios* posterioris Capite super hisce verbis, *alium Christum*, admoneo cavendum esse nobis, ne nos quoque degenerantes à sinceritate *Christi*, ad ea quæ sunt hujus mundi, & ad *Judaicas* superstitiones, alium *Christum* nobis accersamus, cum verus ille *Christus* ab omnibus his rebus fuerit purissimus. Non dico hoc factum, sed cavendum ne fiat: nec simpliciter reprehendo divitias, sed nolim his onerari *Christum*, quasi ille docuerit nos studium divitiarum, & quasi divitiis potissimum floreat Ecclesia. Porro si ceremoniæ *Judaicæ* placent *Stunicæ*, per me quidem fruatur licebit. Mihi nunquam placuerunt, nec placebunt. Et huic capiti *Stunica* præfixerat titulum: *Blasphemat.* Quis enim ferat hanc blasphemiam, qua hortor Christianos ad sectandum pro viribus puritatem doctrinæ Christianæ? Nonne qui talia doceret in concione, dignus sit, qui publicitus lapidaretur? Hanc blasphemiam quomodo redarguet *Stunica?* Adhortabitur ut pro vero *Christo*, accersamus nobis alium *Christum* onustum opibus, onustum imperio, ditione, voluptatibus, & quicquid hic mundus habet præstigiarum, ad hæc ceremoniis plusquam *Judaicis* obsitum.

Epist. ad *Colossen.* Cap. I. Ex occasione quod *Paulus* appellat verbum Dei *mysterium*, admoneo *sacramentum* illic sonare *secretum*, non *sacramentum*, qualia septem numerat Ecclesia, & rejicio illorum insciciam, qui Græce ignari, ubicunque reperiunt nomen *sacramenti*, putent fieri mentionem de Sacramentis illis septem Ecclesiæ, aut similibus. Hîc titulum addit *Stunica: Irridet septenarium Sacramentorum numerum.* O frontem plusquam meretriciam! Imo ubique confirmo septenarium Sacramentorum, citius additurus duo, quam unum detracturus. Sed irrideo quorumdam imperitiam qui putant satis efficax argumentum ad probandum Ecclesiæ Sacramentum, si Interpres pro *mysterio* vertit *sacramentum.*

In priore ad *Timotheum* Cap. III. Ex occasione loci admoneo, nunc nihil aliud requiri in Sacerdotibus, Diaconis, ac Hypodiaconis, quam cœlibatum, cum *Paulus* multas alias dotes recenseat. Nam digamiam à Sacerdotio repellimus, cum homicidas admittamus & his sceleratiores. Deinde pro statu horum temporum expediens fore, si proceres Ecclesiæ permittant Sacerdotibus, qui non continent, usum conjugii. Titulum huic capiti præfixit *Stunica: Damnat Clericorum cœlibatum.* Quid hoc lemmate vanius? Imo damno in cœlibatu turpiter ac palam libidini servientes, & hos censeo, aut non admittendos ad Sacerdotium, aut matrimonii permissu sublevandos.

In Epist. ad *Titum* Cap. I. Admoneo Pontifices & Episcopos, cæterosque Principes, non posse recte præscribere quid sit optimum, nisi ipsi vacent iis affectibus, qui turbare solent animi judicium. Et queror in genere loquens, nunc vix magis ullos obnoxios hujusmodi cupiditatibus, quam Ecclesiasticos pariter ac profanos Principes: atque hinc factum, ut nec leges Cæsareæ, nec Pontificiæ, nec Scholæ, nec sacræ Conciones sint omnino sinceræ. Hîc *Stunica* lacerans, opinor, vestimenta sua clamat in titulo: *Blasphemat.* Cupio redargui. Quid igitur dicam? Nihil esse in legibus Cæsareis, nihil in Constitutionibus Pontificiis, quod non sit purum ac sincerum, nihil decerni in Scholis ad assentationem, nihil dici in Concionibus ad affectus humanos? Nullos fuisse Pontifices obnoxios humanis affectibus? Nullos Principes profanos, qui ambitione, ira, aut avaritia commoveantur? Quis ferret manifestam adulationem: Si Principes non agitantur affectibus, unde tot bellorum inter ipsos, non sine summa rerum humanarum pernicie, tumultus? Ut interim loquar de his, quæ neminem fugiunt. Equidem nec in hunc, nec in illum pronuntio. Ubicunque sic bellatur, malum nascitur ex corruptis affectibus. Sed taxare leges Cæsareas periculosum est. Utinam nihil esset in illis quod jure taxari possit! At si nihil est, cur jus Pontificium abrogat alicubi jus Cæsareum? Et tamen non hoc sentiebam, quod interpretatur *Stunica* malas esse leges Pontificum, sed bonas leges ad nostras cupiditates corrumpi. Idem sentiebam de legibus Cæsareis. Nam quæ Veterum constitutio est, quam non depravamus ad ambitionem nostram & quæstum? Et tamen si dixissem aliquas Constitutiones Pontificum sapere cupiditates humanas, potius quam purum illum *Christum*, quid erat piaculi? Non omnes Constitutiones sunt Synodicæ. Sunt quædam rescripta tantum, sunt peculiares urbis *Romæ.* Postremo & ex aliis abrogantur quædam pro re nata. In Scholis autem quoties ipse vidi in *Sorbona* ridentes, cum in disputando aliud sentirent, quam loquerentur? In Concionibus ea frequenter audivi, quæ puderet *Gnathonem* loqui *Thrasoni.* Quod si Principes serviunt affectibus humanis, & ad horum depravatas cupiditates detorquentur leges, decreta Scholastica, & sacræ Litteræ: nonne prorsus actum fuerit de sinceritate doctrinæ Euangelicæ? Nonne quod tum vaticinabar, nunc propemodum videmus?

In Præfatione, quam post adjeci *Enchiridio* ad Abbatem *Voltzium*, deplorabam Christianorum vulgus non affectibus modo, verum etiam opinionibus esse corruptum, tum eos, qui se Pastores ac Doctores profiterentur, & quorum erat suo sale condire populi stultitiam, plerosque ad suum compendium abuti titulis *Christi.* De summis orbis Monarchis significo me nihil audere dicere, ad quorum manifesta vitia, vix liceat ingemiscere. Hæc cum sæpe verissima sint, quî potui rem explicare circumspectius? Quî potui magis cavere, ne quem læderem? Cum tot sint in orbe Pastores, tot Principes, quis offendi poterat, cum non incusem omnes, sed aliquot? idque in genere, nec *Gallos* designans, nec *Hispanos*, nec *Italos?*

Rursus adducens locum ex *Enchiridio*, titulum addidit: *De Monachatu, quem Judaismum appellat*, ut lector solo titulo contentus, credat me in totum damnare Monachos omnes. Sed audi jam, quod sequitur: *Idque eo feci maturius, quod nonnihil metuerem, ne in superstitiosum istud Religiosorum genus incideres, qui partim quæstui servientes suo, partim ingenti zelo, sed non secundum scientiam, circumeunt mare & aridam, & sicubi nacti fuerint hominem à vitiis ad meliorem vitam jam respiscentem, eum illico improbissimis hortamentis, minaciis, blanditiis in Monachatum conantur detrudere, perinde quasi extra cucullam Christianismus non sit.* Dein-

Digitized by Google

Deinde ubi ſcrupulis meris & inextricabilibus ſpinis pectus illius expleverint, ad humanas quaſdam traditiunculas adſtringunt, planeque in Judaiſmum quendam præcipitant miſerum, ac trepidare docent, non amare. Hactenus mea verba recenſuit *Stunica*. Primum, noto quoſdam Monachos, qui ad quæſtum aut ſuperſtitionem pelliciunt ſimplices adoleſcentes in Monachatum, & cum pellexerint, non docent eos veram pietatem, ſed *Judaiſmum* potius quendam. Utrum hîc vult *Stunica*, omnes Monachos eſſe tales, an nullos? Si omnes tales exiſtimat, valeant omnes. At ego non de omnibus, ſed de quibuſdam malis ac ſuperſtitioſis loquor. Nec hoc loquor ſtudio taxandi quenquam, ſed conſulendi ſimplicitati juvenum, qui ſæpenumero à talibus illaqueantur. Quod ſi *Stunica* contendat nullos eſſe tales, nuſquam non ſunt teſtes, per quos poſſit revinci: nam hujuſmodi querimoniis plena ſunt omnia. Imo quod illic admoneo, hoc ipſi Monachi deberent in publicis Concionibus admonere, ſi tam eſſent integri quam volunt haberi. Certe qui vere Monachi ſunt, idem admonent quod ego.

Ex *Methodo*, quo annoto hæc verba, *Tu es Petrus*, &c. ad univerſum Chriſtiani populi corpus pertinere: rurſum cum ait, *Paſce oves meas, Petrum* cujuſvis Epiſcopi typum gerere, titulum adſcripſit *Stunica*, *Sapit Lutheranam & Wicleffianam impietatem*. Atqui *Lutherus* id temporis nihil ſcripſerat, *Wieleviticum* nihil unquam attigi. Et his de rebus nondum erat exacte diſſertum: certe Auctores etiam orthodoxi in his locis enarrandis variant. Et tamen non inficior illum locum non pertinere ad Pontificem *Romanum*. An fidei profeſſio non pertinet ad univerſum corpus Eccleſiæ? An ea profeſſio non eſt fundamentum noſtræ religionis? An ideo *Romanus* Pontifex non eſt ſummus doctor fidei, quia fides eſt totius Eccleſiæ? An ideo non habet ſummum jus clavium, quia jus idem habet totius Eccleſiæ conſenſus. Deinde an ad ſolum *Romanum* Pontificem pertinet, quod jubetur ter amare *Chriſtum*, & ſic paſcere gregem illius? An ideo non pertinet ad alios Epiſcopos, quia præcipue pertinet ad *Romanum* Pontificem? Et tamen hæc mihi ſcripta ſunt, antequam naſceretur hæc tragœdia de principatu Pontificis, cui me nunquam admiſcui, & ſcripta ſunt non ſine Auctoribus orthodoxis. Oſtendo quid interpretetur *Auguſtinus*, quid *Origenes*, quid *Chryſoſtomus*, quid ſentiat *Hieronymus*, quid *Cyprianus*, quid *Beda*, & tamen nihil aſſevero, ſed tantum exempli gratia illic mihi proponuntur, ſicuti pleraque alia, quod ſemel atque iterum illic teſtificor. Et hic locus, quem taxat *Stunica*, Editionibus poſterioribus mutatus eſt: non quod haberet impietatem, ſed quod hoc ſeculum multam habeat calumniandi perverſitatem.

Rurſus ex eodem opere recenſens locum quendam, præfixit titulum, *Lutheriſſat*. Primùm quid impudentius quam de me dicere, *Lutheriſſat*, cum hæc omnia prior ſcripſerim ignoto *Luthero*? An ille *Eraſmiſſet* alicubi, neſcio: ego certe non poſſum *Lutheriſſare*. Sed videamus obſecro iſtum *Lutheriſmum*. Admoneo Monachos quoſdam, ac Theologos Summularios, circa materiam votorum, decimarum, reſtitutionum, remiſſionum, confeſſionum, laqueis opinionum ſuarum irretire conſcientias ſimplicium aut ſuperſtitioſorum, idque illos facere ad tyrannidem & quæſtum ſuum. Atque hac de re nos quotidie audire querimonias piorum hominum ex animo bene cupientium gregi Chriſtiano. Quæſo quid hîc eſt *Lutheranum*? Taxo malos, qui ſui compendii gratia illaqueant, & irrequietas reddunt hominum conſcientias. Si talium ubique nimis magna eſt copia, quid flagitii eſt admonuiſſe, quod nemo fere neſcit, nemo bonus non ingemiſcit? *Lutherus*, ut audio, tollit omnia vota, tollit confeſſionem. Ego nihil hîc damno, niſi ſcrupulos, quos illaqueandis conſcientiis invehunt Phariſæi. Jam vide quam diſſonant à *Lutheranis* quæ ſequuntur: *Non eſt*, inquam, *meum aut mei ſimilium, convellere, quod uſu publico receptum eſt, optare tamen fas eſt, ut divinus ille Spiritus afflet mentes Pontificum ac Principum, ſic iſta perpendere, ut plus veræ pietatis adjungatur populo Chriſtiano, minuſque ſit ſuperſtitionis, ac minus etiam tyrannidis permittatur his, quorum felicitas publicis malis alitur.* Quæſo te, lector, an hæc tam pia, tam ſalubria monita ſapiunt impietatem *Lutheranam*? Si velim de ſingulis commemorare, qualia per iſtos deſignentur, & quibus artibus illudant conſcientiis ſimplicium, tum intelligas hæc mihi non ſine cauſa ſcripta. Si ſic omnia ſcripſiſſet *Lutherus*, nemo damnaſſet illius libros, moderate taxantes abuſum hominum, non decreta Eccleſiæ, in gratiam quorundam improborum, quorum impudentia vel impietas potius jam mundo cœperat eſſe intolerabilis. Quibus ego ſane maximam hujus tumultus partem acceptam fero. Sed audi clauſulam hujus impii Capitis: *Quanquam hæc*, inquam, *duntaxat exempli vice producta velim. Siquidem in præſentia docere eſt animus, non irritare.* O impietatem! His tamen magnam addit impietatem piiſſimus interpres *Stunica*.

In Epiſtola ad *Dorpium*, per occaſionem diſſerens neminem eſſe tam circumſpectum in ſcribendo, quin alicubi rapiatur calore ſtyli, hæc ſcribo: *Ipſe* Hieronymus, *vir tam pius & gravis, aliquoties non ſibi temperat, quin in* Vigilantium *excandeſcat acrius, in* Jovianum *inſultet immoderatius, in* Ruffinum *amarulentius invehatur.* Rem habes, nunc audi *Stunica* titulum: *Contumelia*, inquit, *in divum Hieronymum*. Nec mirum ſi hoc contumelioſum videtur *Stunica*, cum in Annotationibus mihi impegerit blaſphemiam, quod *Hieronymum* licet pium, doctum, ac facundum, tamen hominem dixerim. In Apoſtolis deprehendimus errorem, & aliquid humanorum affectuum, & *Hieronymo* tale quippiam tribuere, contumelia eſt? Scio *Hieronymum* nunc in cœlis nihil peccare, ſed ipſe non inficiabitur ſe, cum adhuc circumferret hoc mortale corpuſculum, multis humanis erroribus obnoxium fuiſſe. Cur *Auguſtinus* tot verbis deplorat inter *Ruffinum* & illum amarulentam contentionem exortam? Cur ſe queritur verſari cædique illius cæſtibus. Et tamen hoc ipſum extenuo per voces comparativas, *acrius, immoderatius, amarulentius.*

Supereſt adhuc una blaſphemia. Cum *Moria* multa diſſeruiſſet, non de devotione in Sanctos ſingulos, ut ait *Stunica*, ſed de ſuperſtitioſo ridiculoque cultu Divorum, de quo nemo ſatis unquam dixerit, tandem defatigata, ſic claudit orationem, ut neget ſe ſingula poſſe perſequi, cum iſtiuſmodi delirationibus undique ſcateat omnis omnium Chriſtianorum vita, quas ipſas tamen Sacrifici non gravatim & admittunt, & alunt, non ignari, quantum hinc lucelli ſoleat accreſcere. Si hoc veriſſimum eſt, ut eſt, ſalubris eſt admonitio, non blaſphemia. *Sed damnas*, inquit, *omnem omnium Chriſtianorum vitam.* Imo cum Chriſtianos dico, non ſingulos intelligo mortales, ſed ſingulos ordines ac nationes, hoc explicat quod addo, *vita*. Vulgi mores taxo. Fortaſſis apud *Hiſpanos* nihil eſt hujuſmodi ſuperſtitionum. At apud nos, & in his Regionibus, in quibus ego verſatus ſum, ad inſaniam uſque delirat ſuperſtitio vulgi, adeo ut Magiſtratus & Epiſcopi frequenter fruſtra conati ſint tollere. Sed alunt populi ſtultitiam Sacerdotes quidam, quibus magis cordi eſt quæſtus, quam pietas & cultus Dei. Lapidetur *Moria*, quæ hanc evomuit blaſphemiam.

Sed capitalius etiam eſt, quod eadem multis ſalibus taxat Monachos, non omnes, ſed quoſdam vel malos, vel ſuperſtitioſos, qui nihil minus ſunt, quam quod dicuntur: à ſolitudine nomen habent, cum quidam ſic admiſceant ſe rebus mundanis, ut nulli magis ſint obvii in foris, in conciliabulis, in caſtris, in itineribus, in navibus, in curribus, qui conſummatam ſanctimoniam exiſtimant nihil attigiſſe litterarum, adeo ut aliquoties ne legere quidem norint. Deinde qui cum nullo veræ pietatis ſtudio teneantur, tamen exiſtimant Deum ſibi vehementer obſtrictum, quod Pſalmos numeratos quidem, ſed non intellectos, inamœno quodam ac pla-

Digitized by Google

plane militari boatu ſonent in Templis, magno ipſorum tædio, nec ullius omnino fructu. Fortaſſis apud *Hiſpanos* Monachi Pſalmos Angelicis vocibus modulantur omnes, apud nos pene ſolenne eſt, præſertim apud *Minoritas* & *Carmelitas*, ut voces ſuas miro impetu promant è pectore, quaſi robur ac latera certatim oſtentantes, tauros dicas verius quam homines. Certe quiſque chorus fere admixtum habet aliquem immani voce, quam præter naturam ſic efflat è pectore, ut nullam vocalem ſonare poſſit, præter Aſininam illam *o*, facitque ut nec ipſe, nec quiſquam è toto choro intelligatur canens. Ad hæc *Moria* ridet iſtos quoſdam, qui figura, colore veſtis, titulis & cognomentis, delectu ciborum, aliiſque præſcriptis hominum adeo ſibi placent, ut exiſtiment ſe *Paulos* & *Antonios*, cum interim nec oblectent animum ſtudio ſacrarum Litterarum, nec prorſus intelligant quid ſit Euangelica caritas, ſed avaritia, livore, iracundia, cæteriſque vitiis animi madeant. Hæc & hujuſmodi, tametſi dicuntur à *Moria*, tamen nec lædunt bonos, & malos ſalubriter admonent. Mihi certe gratias agunt permulti Monachi, qui hujuſmodi monitis excitati, ſeſe converterint ad ea quæ ſunt veræ pietatis, clamitantes ſe mihi debere, quod cœperint eſſe Chriſtiani. Cum hîc nihil ſit attactum ex occultis illorum flagitiis, quæ tamen per ipſos quotidie produntur vulgo, cum ea tantum narrentur, quæ & nota ſunt omnibus, & abſque offenſa coram quovis illorum dici poſſint, vide quam atrocem titulum addiderit *Stunica: De Monachis, quorum vitam, mores, inſtituta, in maximum Eccleſiæ opprobrium non ſecus ac Ethnicus quiſpiam miris modis deridet.* At quanto civilior ego Ethnicus, quam iſti quibus ſe favere fingit noſter hiſtrio, qui frequenter in publicis concionibus magna licentia debacchantur in vitam Sacerdotum, Magiſtratuum, conjugatorum, virginum, adoleſcentum, ex his quæ audierunt in ſecretis confeſſionibus, ſic nonnunquam depingentes rem, ut multi & perſonas agnoſcant, ſic debacchantes in Sacerdotes, ut populum pene ad lapides provocent. Novi quendam, tacebitur nomen & ordo, qui *Lovanii* in publica concione, cum enarrans Euangelicam hiſtoriam de muliere in adulterio deprehenſa, docuiſſet olim apud *Judæos* adulteras ſolere lapidari, bellam adjecit facetiam, *Si idem*, inquit, *fieret hodie, totus mons ollarius non ſufficeret.* Eſt enim illic mons à teſtis nomen habens, opinor quod è ſaxis congeſtus ſit. Quid dici potuit contumelioſius in ordinem conjugatorum, hoc certe nomine ſanctiorem ordine ejus qui hoc dixit, quod hic & à Deo ſit inſtitutus, & à *Chriſto* conſecratus, ab Eccleſia commendatus *Sacramenti* titulo. Imo quid inutilius ad caſtigandam impudicitiam? Quæ concubina, aut quæ adultera tum ſibi valde diſplicebat, cum audiret tantum eſſe numerum? Quis non intellexit hoc dici non ex unius conſcientia, ſed ex confabulatione, qua ſolent inter ſeſe conferre, quid quiſque audiverit in confeſſione. Alter quidam ejuſdem Ordinis publice concionatus eſt, *mulierem levius peccaturam, ſi rem habeat cum animante bruto, quam ſi cum Sacerdote.* Et admonitus à Sacerdotibus, ut hunc ſermonem mitigaret apud populum, dixit atrociora quam prius dixerat. Tantum indoctis pariter ac ſtultis quibuſdam fiduciæ addit veſtis & cuculla ſacra. Hujuſmodi ſexcenta nemo non poſſit narrare. Hoc zelum fidei vocant, & ferre non poſſunt, quod *Moria* jocata ſit in voces, nodos, & cingulos ipſorum, cum non reprehendat cultum illorum, ſed fiduciam harum rerum, & neglectum eorum, quæ vel ſola curaſſe ſatis fuerat. Porro quod parum bona fide continent ea, quæ committuntur illis in confeſſione, utinam ipſi curarent, ne veriſimile videatur. Ego permulta recenſere poſſum, quibus hoc eſſe veriſſimum comperi, etiam editis nominibus perſonarum. Neque quiſquam eſt ferme, qui non aliquot exempla narrare poſſit experientiæ ſuæ. Deinde quod *Moria* ludit in quorundam concionandi modum infeliciter affectatum, *Stunica* vocat *impietatem.* Atque hæc dicuntur ſub perſona *Moriæ:* dicuntur in eo opere, in quo nullum genus hominum non taxatur. Et intelligit, lector, quam affectarim innoxios ac civiles jocos, & quanto ſtudio vitarim attingere Camarinam myſteriorum, quæ tamen jam nimium novit vulgus, quorundam impudentia. Tot ſunt examina Monachorum in orbe, & non licebit vel in genere quicquam hiſcere in illos, etiam admonendi gratia, cum ipſi nulli parcant nec ordini, nec nomini? Sed hactenus de peculiaribus titulis dictum eſt, ut ex his lector intelligat, quantum frontis habeat *Stunica*, quem ſibi putarunt adſciſcendum quidam, poſteaquam *Coloniæ* periit *Pepericornus.* Nunc quoniam ad ſingula reſpondere non ſolum prolixum ſit, verum etiam ineptum, ſummam omnium blaſphemiarum, impietatum, hæreſeôn *Eraſmicarum* paucis accipe.

A Divis exordiar: Nuſquam damno cultum Divorum, imo ſexcentis locis approbo, frendentibus, ut audio, quibuſdam impendio *Lutheranis:* ſed eorum taxo ſuperſtitionem, qui illos ridicule, ne dicam impie colunt, cum optime colant Divos, qui vitam illorum ſtudeant æmulari: noto vulgus, qui fictis miraculis celebrant Sanctos quibus favent, qui ab illis petunt, quæ puderet ab honeſto viro petere, qui illis ex humano quodam affectu plus tribuunt quam oportet. Cultum inſtitutum ab Eccleſia nuſquam improbo, ſed admoneo cantionum, quæ in Templis aguntur, ac precum, quas *horarias* vocant, oportere modum eſſe, quibus videmus quotidie aliquid accreſcere, & in his nihil eſſe cupio niſi depromtum è ſacris Libris: aut certe eorum, quorum ſcripta reſipiunt ſpiritum Apoſtolicum, cupio diſtincta ſanctaque ac ſobria modulatione ſonari, ſic ut & qui ſonant intelligant, & qui audiunt poſſint intelligere. Nunc quale Muſices genus ſit in pleriſque Templis, nemo neſcit. Nolo hunc cultum Dei videri præcipuum, qui vocum & organorum ſtrepitu non intellecto conſtat, cum vulgus hominum in his totam pietatem collocet. Quis ferat hanc impietatem? quis hoc votum tam inſanum ac temerarium?

Ceremonias multis locis approbo, quod his ornetur auctoritas rerum Eccleſiaſticarum, quod his admoneamur rerum animi, denique quod his ceu pædagogis qui imbecilles ſint perducuntur ad veræ pietatis myſteria. Tantum eos taxo, qui plus ſatis invehunt ceremoniarum, qui his fidunt, neglectis his, quæ veram adferant pietatem: qui ex his judicant proximum, potius quam ex veris vitiis aut virtutibus. En altera impietas nulli ferenda.

Peregrinationes *Compoſtellanas*, *Romanas*, *Hieroſolymitanas* nuſquam ſimpliciter damno. Sed alicubi per occaſionem oſtendo veteres ſanctimonia probatos viros illis haud ita multum tribuiſſe, & eos taxo, qui domi relictis uxoribus ac liberis, quos ex Apoſtolica doctrina curare debebant, *Romam* aut *Hieroſolymam* curſitant, ubi nihil erat illis negotii.

Ritus Eccleſiaſtici cultus, ſive *horas*, ut vocant, *canonicas* non improbo, quemadmodum impudentiſſime mentitur *Stunica*, ſed ex *Paulo* nego in hoc eſſe ſitam præcipuam pietatem, ſi quis Pſalmos non intellectos ſonet. Et opto modum in his precibus ad quas adſtringimur. Denique ſublata cupio quædam, his admixta, parum digna ſacro cultu. Atque hæc precum prolixitas non ſtatim proficiſcitur ab Eccleſia, ſed à ſuperſtitione quorundam, qui ſemper aliquid adjiciunt, Epiſcopis ad hæc conniventibus, aut etiam approbantibus: velut olim ſat erant tres lectiones; deinde ventum eſt ad novem. *Benedictini* (ut audio) progreſſi ſunt uſque ad duodecim. Fortaſſis alii procurrent uſque ad vigeſimam primam. Deinde quibuſdam ſuffragiorum appendix longior eſt reliquis precibus legitimis. In his unaquæque Eccleſia ſibi indulget. Porro indocta quædam ac fabuloſa ſæpe privatus aliquis admiſcet, imo Typographi hoc auctoritatis ſibi ſumunt, non ſolum in precibus horariis, verum etiam in ſacro, velut in Hymnis, quos vocant *ſequentias*, nonnunquam in ipſo

Ca-

Digitized by Google

Canone. Hæc admonere, an hoc eſt damnare cultum divinum?

Epiſcoporum auctoritati nuſquam detraho. Imo docco audiendos, ut *Chriſtum* ipſum, ſi *Chriſto* digna doceant, & vita *Chriſto* digna præluceant. Non adſpernandos tamen ob auctoritatem muneris & ordinem, ſi parum pie vivant, & ſi præſcribant iniqua, ſed ferendos, ſi corrigi non poſſint, modo quæ exigunt ſint hujuſmodi, ut nos pauperiores aut afflictos reddant, non etiam impios. Quid dici poterat moderatius? Et hæc hæreſis erit, opinor, interprete *Stunica*.

Vide quantum abeſt, ut damnem horum ſanctas ac pias conſtitutiones; tantum admoneo, ne his ſupra modum oneremur, præſertim humanis, hoc eſt, quæ tantum ea præſcribunt, quæ non proprie conducunt ad Euangelicam pietatem. Quod genus ſunt conſtitutiones Epiſcoporum de diebus feſtis, de eſu piſcium, aut leguminum, de reſervandis ſibi caſibus, de jure caſuum quotannis nova pecunia redimendo, de precibus horariis augendis, deque hujus generis aliis innumerabilibus. Admoneo ut prima ſit auctoritas præceptis *Chriſti*, ne plus tribuamus humanis conſtitutiunculis, quam præceptis Dei. O blaſphemiam inauditam! Hunc ordinem, opinor, invertet *Stunica*.

De Sacramentis Eccleſiæ reverenter ubique & loquor & ſentio; tantum alicubi duobus verbis dico, mihi videri hanc Confeſſionem, qua nunc confitemur ſingula crimina, & criminum circumſtantias, natam ex occultis conſultationibus, quibus quidam aperiebant arcana ſua Epiſcopis, & hoc ita noto, ut teſter me paratum ſubmittere ſenſum animi mei judicio Eccleſiæ, ubi me clare docuerit quid ſentiat. Matrimonium multis locis teſtor me recipere in numerum eorum, quæ proprie dicuntur Eccleſiæ Sacramenta; ſi tamen recepit Eccleſia, de quo mihi nondum conſtat ad plenum. Tametſi video conſentire Scholaſticos, & video citari Concilium *Florentinum*; tantum oſtendo veteres Theologos fuiſſe diverſæ opinionis, ac dubitare me, an *Hieronymus* & *Auguſtinus* hoc de matrimonio ſenſerint. Qua quidem ex re nihil conſequi poteſt, niſi Veterum aliquot ignoraſſe ſeptimum Eccleſiæ Sacramentum, & Matrimonium non eſſe Sacramentum juxta propriam & exactam Sacramenti definitionem.

Doctorum auctoritatem ubique veneror, præſertim eorum, qui præter eruditionem & vitæ ſanctimonia commendantur. Nolo tamen his tribui, quod tribuitur canonicis Libris, & fas eſſe volo, alicubi diſſentire ab his citra contumeliam & pervicaciam. O lapidandam blaſphemiam! *Stunica*, opinor, tantum tribui vult ſcriptis humanis, quod exiſtimet ſuos libros æquandos ſcriptis Apoſtolorum.

Nuſquam à me damnatur in totum Scholaſtica Theologia; tantum eam nimium prolapſam ad ſophiſticas quæſtiunculas revoco ad fontes divinorum Voluminum, & ad ea tractanda, quæ propius faciunt ad pietatem. Nec patior quaslibet Scholaſticorum opiniones, in quibus nec ipſi conſentiunt, æquari decretis fidei. Et tamen ſi quid irrepſit, vel conſuetudinis violentia, vel Præſulum conniventia, vel alioqui bonarum rerum abuſu, cum & gravatur libertas, & læditur pietas Chriſtiana, nolim tolli per tumultum, ſed Principum ac Pontificum auctoritate mutari: denique moneo, ut liberiores ab humanis conſtitutionibus, non vertamus nos ad licentius peccandum, ſed ſuavi *Chriſti* jugo tanto alacrius ſubmittamus colla noſtra. Hìc quantum eſt impietatum!

Ego nullum omnino ordinem unquam vel damnavi, vel infamavi, quin potius me benemeritum arbitror de Principibus, qui libello in hoc proprie edito commonſtrarim, quid ſit Chriſtiano Principi vitandum, quid expetendum. Quin nonnunquam per occaſionem ex ſacris Litteris natam, admoneo Pontifices, Epiſcopos & Sacerdotes officii ſui, nec horum quenquam adhuc mihi hac de cauſa ſenſi iratum, multos amicos ac benevolos, atque etiam beneficos. Tot ſunt Monachorum ordines in orbe, quibus ego ſane nihil auctoritatis detraho, ſed mea ſententia prima debetur auctoritas Epiſcopis & Sacerdotibus, quos ſine dubio *Chriſtus* inſtituit, ad diſpenſationem myſteriorum Dei. Sed aliquoties per occaſionem admoneo, quibus in rebus ſita ſit vera Religio, ac moderatiſſime noto quoſdam, qui dedecorant ſuam profeſſionem, quorum utinam non eſſent paſſim tam multi, ut nos fruſtra ſimus diſſimulaturi. Mendicitatem nego me damnare, quanquam mihi non videtur è dignitate Monachorum, quod paſſim in navibus, in diverſoriis, in privatis etiam ædibus obſtrepunt cum ſuis pyxidibus, nonnunquam ſcurrili quadam impudentia extorquentes verius quam mendicantes. Sed tamen opinor eos, qui valent, ſanctius facturos, ſi nonnunquam manibus laborent, unde ſuppeditent tum ſibi, tum aliis. An non dignus videtur, quem mordicus diſcerpant omnes Monachi, quibus in otio placet luxus, qui tales impietates ſcribit? Sed in hos, cum adhuc eſſent incorruptiores, plura ſcripſit *Hieronymus*.

In bella ſum iniquior, & ubique quantum licet à bellis dehortor, ad pacem provoco. Nec tamen uſquam ſic deteſtor bellum, ut in totum ac ſimpliciter damnem. Sed hæc bella deteſtor, quibus jam ſeculum fere totum Chriſtiani Principes inter ſe conflictantur. Joco-ne, an ſerio, incertum. Certe populo luſus non eſt amabilis. Admoneo Sacerdotes ac Monachos, ut dent operam hujuſmodi tumultibus, vel excludendis, vel componendis potius, quam Principes ad hæc inſtigent, ſuapte ſponte plus ſatis inſanientes. *Romanum* Pontificem, ut vere *Chriſti* Vicarium exhibeat, cupio pacificatorem eſſe non bellatorem, nec huic aut illi fœderi admixtum, ſed parentem omnibus communem, ex æquo conſulere omnibus. Nolo Clericos ullo ſanguine contaminari. Gravis impietas! Atqui Veteres, qui idem ſtatuerunt, quod ego admoneo, judicarunt hoc ad dignitatem ejus ordinis pertinere. Et ſi figuras recipimus, *David* Regi dictum eſt, non Sacerdoti: *Non ædificabis tu mihi domum, quia vir ſanguinum es.* Nec uſquam damno bellum in *Turcas*, ſed oſtendo qua ratione deceat geri. Quod ſi mihi in totum diſplicuiſſet bellum, qua fronte ex profeſſo docerem in libello *de Principe Chriſtiano*, quibus modis ſuſcipiendum ac gerendum eſſet bellum? Quod ſi Sacerdotes ac Theologos hic metus habet ne nos bella deficiant, fruantur ſane ſuis votis, habent & habebunt, ni fallor, affatim quo ſe oblectent.

Supereſt extremum telum, quo me petit *Stunica*, principatus *Romani* Pontificis, cui quantum tribuam declarant ſcripta mea, declarant & *Lutherani* quidam, qui clamitent me aſſentatorem agere hac quidem in parte. Tantum alicubi dubitare videor, an hæc Monarchia, quam nunc ſibi vindicat, fuerit illi perpetua, hoc eſt, an à *Chriſto* tradita, idque facio, non ex profeſſo, ſed ex oblata occaſione per orthodoxos Scriptores. Uno tantum in loco, duobus verbis indico mihi videri hanc *Romani* Pontificis Monarchiam natam poſt ætatem *Hieronymi*, non diſputans de jure Pontificis, ſed de uſurpatione juris. Sane conſtat olim confirmationem Epiſcoporum & Abbatum, diſpenſationes, aliaque permulta ab *Romano* Pontifice non ſolere peti. Quæ ſi nunc remitteret, non ideo jus illius diminueretur, ſed functionis nonnihil tranſiret ad alios. In *Methodo* ubi propono duo, quorum alterum ſit indubitatum, videlicet *Romanum* Pontificem eſſe Principem totius Eccleſiæ, alterum incertum, nempe, utrum hic principatus ſit ex auctoritate *Chriſti*, an ex conſenſu Principum aut populi, addo, me tantum hoc exempli cauſa propoſuiſſe, nec poſtulare, ut ei dicto ſit plus ponderis, quam ſolet eſſe iis, quæ docendi tantum gratia proponuntur. Nec hîc, nec uſquam aſſevero quicquam, tantum, ut dixi, locum expendendum oſtendo lectori. Neque tamen me clam eſt, quid hac de re ſentiant Theologi *Ciſalpini*. Sed huic diſputationi me non admiſceo. Nihilo plus habebit poteſtatis *Romanus* Pontifex, etiamſi

iamsi illi ego plurimum tribuam, neque quicquam illi decedet, si quid illi detraham. Illud dicam, plus invidiæ conciliarunt *Romano* Pontifici quidam, qui sibi videntur illius dignitatem miris modis attollere, quam omnia loca, quibus admoneo, quibus in rebus sita sit vera Pontificum dignitas & auctoritas, quam si totis animis amplecterentur, & felicius, & splendidius agerent, quam nunc agunt, ne quid attingam de vita futuri seculi. Si sciam accessurum *Romano* Pontifici re quicquid illi verbis tribuerem, non solum facerem illum ἀναμάρτητον, quoties aliquid constituit, quoties pronuntiat de moribus aut fide, quoties interpretatur nobis sacras Litteras, verum etiam adderem potestatem loquendi Linguis, imposita manu dandi Spiritum Sanctum, & umbra sua contactuque vestis sanandi morborum omne genus & ejiciendi Dæmonia. Atque hanc potestatem non solum tribuerem *Romano* Pontifici, verum etiam omnibus Episcopis. Quid enim optabilius, quam tales habere Pontifices? Hac de re nihil amplius dicam in præsentia. Quod si qua mihi displicent in moribus quorundam Pontificum, aut eorum qui gerunt hujus negotia, hoc mihi commune est cum his, qui nunc pro Pontifice belligerantur adversus *Lutheranos*. Fatentur enim esse permulta, quæ desiderent correctionem, ac jam toties flagitant universale Concilium. Quod si nefas est hiscere de publicis Pontificum malis, cur ferunt *Platinam*, qui tam multa mala nominatim etiam scripsit in multos *Romanos* Pontifices? *Leo* legerat *Moriam* meam, & tamen nihilo secius favit *Erasmo*. Et fortasse *Roma* plus habet gratiæ mihi, salibus *Atticis* à me nonnunquam defricta, quam *Stunicæ* libello sic laudata, ut se putet irrisam. *Moria* non taxat ditionem *Romani* Pontificis, sed quod mundanis negotiis totus immersus, non habeat otium ea præstandi, quæ proprie sunt Pontificiæ functionis, quæque Veteres illi præstiterunt. Non damnat fulmen Pontificis, sed quod nonnunquam torquet ubi non oportet. Id si semper falsum est, cur aliquando cogitur irritare latam excommunicationis sententiam? Hæc cum ita habere declarent ipsa operum meorum monumenta, vide quam atrocem clausulam addat operi suo *Stunica*: *Et reliqua*, inquit, *quæ sequuntur non minus impia, quam ea quæ hactenus relata sunt, quæ omnia ex libro illo ore Diaboli dictato, cum aliis permultis blasphemiis in omnem Christianorum gradum & ordinem contumeliosissime prolatis, lector quilibet per se potest intelligere.* Scio *Stunicam* hæc non loqui ex animo, sed conductum agere fabulam: alioqui stultissimus esset, qui Principes Ecclesiasticos ac profanos è suo metiretur ingenio. Nimirum mente meliori prædita sunt illi, quam imaginantur quidam. Intelligunt quantam rerum molem sustineant humeris. Gaudent doceri, gaudent admoneri, si modo id fiat citra cujusquam personæ contumeliam, modo ne seditiose. Sciunt quo magis sustinent imperium, hoc se magis opus habere liberis & amicis consiliis. Pro libello *Moriæ*, quem iste dicit ore Diaboli dictatum, quot mihi Episcopi, quot Principes, quot Monachi gratias egerunt? In libello *de Principe*, quid est malorum cujus non admoneam? Nullus unquam Principum offensus est. Illustrissimus Princeps *Ferdinandus* ore proprio mihi gratias egit pro eo libello, quem pene ad verbum edidicit. *Carolus* Imperator, non solum egit, verum etiam largissime retulit, uberiora largiturus, nisi mihi magis arrideret fortuna quieta, quam ampla. An *Stunica* putat omnes esse *Thrasones*, aut tam stupidos, ut talibus laudibus capiantur, qualibus ipse celebravit *Romam*, & nuper electum Pontificem? Si quid dictat Diabolus, tales libellos dictat, quales scribit *Stunica*, calumniæ plenos, hoc est, διαβολῆς, unde nomen habet ille dictator. Sentio te jamdudum ad has nænias nauseantem, optime lector. Quare dimittam te, si *Stunicæ* Præfationem recitaro, quam præfixit blasphemiarum & impietatem suarum Rhapsodiæ.

A Jacobus Lop. Stunica pio Lectori *S. P. D.*

QVONIAM Erasmi *Annotationes in Novum Testamentum, & scholia in Epistolas D.* Hieronymi, *atque adeo omnia alia ejusdem opuscula perlegens, nonnulla in eisdem reperi, quæ partim impia, partim blasphema, partim etiam insana & temeraria, ac non ea reverentia, quæ oportuerat, prolata meo judicio videbantur, opera pretium me facturum putavi, si omnia illa, ut à me fuerant excerpta, in publicum proderem, ut hoc indicamento cautiores eos faciam, qui* Erasmica *Opera posthac in manibus sument, ne forte orationis lenocinio ac dicendi dulcedine detentos, venenum sub melle latens imprudenter contingat devorare, quod sæpissime his accidere solet, qui nullo habito* B *delectu Scriptorum, quodcunque genus ex eo tantum probant, quod rhetoricis pigmentis tanquam variorum colorum floseulis ornatum esse videatur. Ne autem id* Erasmi *libros legentibus contingere possit, quasi quibusdam signis appositis, quid in iis cavendum sit diligenter subnotavi, simul etiam, ut si qui erunt, qui insanas & temerarias illius assertiones, qui blasphemias & impietates, quibus totus apparet refertissimus, velint redarguere, quæ sint in eo maxime confutanda, nostra commonstratione habeant in promtu. Illud quidem lectorem admonens contra omnia & singula* Erasmi *capitula, quæ in hoc libello continentur, volumen à nobis jam pridem esse conscriptum tribus divisum libris, quod paulo post curabimus edendum. Atque itidem* C *reliquis omnibus, qui litteratura & ingenio valent, censemus esse faciendum, quo videlicet* Erasmus *aliquando pernoscat habere Catholicam Ecclesiam, quam ipse non dubitat omni ex parte atrociter incessere, qui illius spicula, tametsi veneno intincta, non solum non pertimescant, verum etiam in ipsum auctorem validissime possint retorquere. Sed hæc unusquisque per se, ut libebit, exsequetur. Nos satis superque feciisse arbitramur, quod de* Erasmicis *libris quasi de foveis serpentes primi projecerimus, quodque pro virili nostra illorum capita primi etiam confringere fuerimus aggressi, hominemque non* Lutheranum *esse solum, sed* Lutheranorum *signiferum ac principem lectori aperte commonstraverimus, id quod vel nobis tacentibus ejus* D *scripta perspicue testantur. Quæ cujusmodi sint ex his quæ subjicientur facile potest deprehendi. Vale lector.* Hactenus *Stunica.*

PRIMVM animadvertenda est hominis in dicendo prudentia. Primo loco ponit *impia*, deinde *blasphema*, mox *insana*, deinde *temeraria*, postremo loco, *non ea reverentia dicta quæ oportuit.* Sic solet Rhetoribus increscere per gradus oratio, nisi forte *Stunica* servat ordinem Hebræorum, qui scribunt præposterе. Ejusdem prudentiæ est illud, quod cum præfatus esset, blasphemias, impietates, & insanias, modestiæ causa subjecit, *meo judicio videbantur.* Hæc legenti, ridiculum quiddam venit in mentem. Olim cum agerem *Aurelia*, audiebam famulam culinariam rixantem cum matrefamilias. Tandem famula provocata, sic Gallice respondit Dominæ, nescio quid objicienti: *Tu mentiris, salva tua pace.* Simili modestia usus est paulo post, cum ait: *Simul etiam, ut si qui erunt, qui insanas & temerarias illius assertiones, qui blasphemias & impietates, quibus totus apparet refertissimus*, &c. Atrox convitium erat, nisi dixisset, *apparet.* Ex omnibus meis lucubrationibus hæc quam paucula collegit? Et in his quam nihil impium aut blasphemum. Certe in asseverando nemo minus peccat quam ego, qui nusquam fere non ago Academicum. Jam hortatur cæteros, ut scribant adversus blasphemias & insanias *Erasmi*, sed ita, ut prima laus hujus facti salva sit *Stunicæ*, qui prodiderit omnia venena, qui volumen jam pridem adversus ea scripserit tribus divisum libris. Sic enim solent volumina in libros dividi. Itidem faciendum censet omnibus, qui litteratura & ingenio valent, nimirum quemadmodum ipse valet. Adeste igitur quotquot estis litteris & ingenio pollentes, habetis antesignanum *Stunicam.* Concurrite, acuite stylum omnes in unum *Erasmum.* Sed frustra *Hylam* inclamat *Stunica.*

Nul-

Digitized by Google

Nullus erit inter litteratos aut ingenio præditos, tam effrons, aut vecors, ut hujus exemplum ſuſtineat imitari. Sed audi nunc Areopagitam loquentem: *Quo videlicet*, inquit, Eraſmus *aliquando pernoſcat, habere Catholicam Eccleſiam, quam ipſe non dubitat omni ex parte atrociter inceſſere, qui illius ſpicula tametſi veneno intincta, non ſolum non pertimeſcant, verum etiam in ipſum auctorem validiſſime poſſint retorquere.* Papæ! Gratulandum eſt Eccleſiæ Catholicæ, cui ſit exortus *Stunica*. Salva res. Contigit Eccleſiæ periclitanti ſuus *Camillus*. Ego qui tot meis vigiliis juvi ſtudia Linguarum, ac bonarum litterarum, qui tot monitis ac præceptis inſtitui Principes, Epiſcopos, ac cives, qui tot voluminibus editis promovi rem Theologicam; ob taxatos aliquot locis mores hominum, idque citra ullius contumeliam, atrociter inceſſo Eccleſiam? & *Stunica* ſua maledica lingua eam defendit, fulcit, tuetur, ornat, & illuſtrat. Non eget talibus protectoribus Eccleſia *Chriſti*, qui impudentiſſime depravant, quæ rectiſſime dicta ſunt, qui ſcurrilibus convitiis velut è plauſtro debacchantur in caput benemerentis. Si tali protectore delectaretur Eccleſia, non bis vetuiſſent vendi *Stunicæ* librum proceres Eccleſiæ. Imo non impune fuiſſet illi ſic debacchari, niſi Pontificis adventus exſpectatus *Romæ* redderet omnia ſuſpenſa. Adhuc, inquit, viros habet Eccleſia Catholica, qui poſſint fortiter regerere convitia. Imo hoc ingemiſcit Eccleſia Catholica, quod intra ſagenam ſuam adhuc trahit malos bonis permixtos, inter utiles piſces tolerare cogitur torpedines ac lepores, & inter triticum ferre cogitur non ſolum lolium, verum etiam aconitum. Nondum enim venit ille dies, quo venturi ſunt Angeli Dei, & ſublaturi de regno *Chriſti* omnia ſcandala. Nec finem facit hujus catholicæ Præfationis, niſi me pronuntiarit, non ſolum eſſe *Lutheranum*, ſed *Lutheranorum* ſigniferum ac principem. Primum quid impudentius, quam me vocare *Lutheranum*, ex his, quæ ſcripſerim ante notum *Lutherum*, perinde quaſi quis *Origenem* diceret *Pelagianum*. O fortem Eccleſiæ Catholicæ defenſorem, qui ſic auſit mentiri pro ſponſa *Chriſti*, ut perfricta fronte eum appellet *ſigniferum ac principem Lutheranorum*, cui nihil unquam fuerit rei cum ullo *Lutherano!* Fortaſſis optarint eſſe verum *Lutherani* quidam quod fortiter aſſeverat *Stunica*. Sed hi pro me refellunt hominem impudentiſſime vanum, aculeatis libellis ſævire parantes in ducem ſuum. Ut non poſſum odiſſe veritatem, apud quemcunque reperiatur, ita nunquam ſuſtinui factionis ullius vel dux eſſe, vel comes. Et meo quidem judicio aliquando magis expedit rebus humanis aliqua ex parte deſerere cauſam veritatis, quam omnia miſcere tumultu. Ipſe ut nulli factioni me unquam adjunxi, ita neminem paſſus ſum meis partibus accedere. Erant permulta, quæ me poterant in factionem *Lutheranam* propellere: hinc invitabar, illectabar, pertrahebar, illinc protrudebar odiis. Neque non proſpiciebam, fore ut ſi illis ſuccederet negotium opprimendi *Lutheri*, recta tenderent in caput meum, & in bonas litteras, quas nihilo mitius oderunt quam *Lutherum*. At me nec periculi mei ratio dimovebat à propoſito Chriſtianæ mentis. Nec deerant qui mei patrocinium profiteri vellent, at ego juſſi omnes abſtinere. Solus eſſe volui, ne quam præberem factionis ſpeciem. Communis omnium eſſe volui, ut de omnibus poſſem benemereri. Diſſidium modis omnibus ſum deteſtatus: exoriens conatus ſum excludere, jam late vagatum incendium conatus ſum exſtinguere. O novum *Lutheranorum* ſigniferum! Sed hoc, inquit, clariſſime perſpicitur ex his venenis, quæ ex omnibus illius libris ſublegi. Imo ex his ipſis liquet *Stunicam* nihil habere frontis. Quanquam hanc vocem ab uno quopiam camelo inter pocula effuſam, nonnulli ejuſdem farinæ rabulæ jam pridem ſparſerant *Lovanii*. Nihil eſt, inquiunt, in *Lutheri* libris, quod idem non ſit in *Eraſmicis*. Atque hæc cantiuncula circumfertur per lippos & claudos, qui ſi hæc prædicarent abolitis libris meis, nihil aliud eſſent quam ſycophantæ, nunc cum ſcripta mea verſentur inter manus litteratorum, non poſſunt non inſani videri apud eos, qui noſtra legunt. Contuli articulos, quos damnarunt tres Academiæ, quoſque damnavit Bulla *Leonis*, multa illic erant de quibus ego ne ſomniaram quidem unquam in vita: multa quæ prorſus quid ſibi velint non intelligo: multa quibus ego plane contraria doceo ſcriptis meis, nihil omnium quod mihi plane conveniat cum *Luthero*. De ſcriptis loquor, quid quiſque ſentiat, non eſt hominis divinare. Ut fas non eſt uſquam diſcedere à manifeſtis placitis Eccleſiæ Catholicæ, ita ſunt in libris quorundam, qui ſedulo magis quam prudenter agere videntur Eccleſiæ negotium, de quibus dubitare non ſit impium, fortaſſis nec diſſentire. Nec enim hoc agitur in præſentia, ut *Lutheri* doctrinam vel refellam, vel tuear, ſed ut oſtendam eſſe mendacium omnium impudentiſſimum, quod iſtæ furiæ verius quam homines jactitant. Si verum eſt quod iſti prædicant, quî fit ut *Lutherani* libros meos oppugnent? Quî fit, ut qui ſcribunt adverſus *Lutherum*, nonnunquam & è meis lucubrationibus adferant teſtimonia? An congruunt cum *Luthero*, quæ damnant *Lutherani*? An congruunt quibus hoſtes *Lutherum* impugnant? Sed iraſcuntur, inquiet, *Lutherani* transfugæ. Imo ſim omnium *Lutheranorum* Coryphæus, niſi primus omnium dehortatus ſum ab hoc negotio, ſive hoc ſtultitiæ, ſive inſcitiæ, ſive timiditati meæ putant imputandum, ego certe ſedulo feci. Sim ipſe *Lutherus*, ſi verbo cum ullo *Lutherano* ſum unquam fœderatus. Sciebam nullam eſſe cariorem poſſeſſionem, quam eruditorum amicorum; mihi certe nulla fuit unquam jucundior: & tamen hujus rei graviſſimam jacturam admittere malui, quam tumultus vel adjutor eſſe, vel auctor. Plerique facti ſunt ex amicis hoſtes, quidam alienati, pauci perſtiterunt in amicitia, cum omnes amaverint *Eraſmum*, antequam *Lutherus* cœpit innoteſcere mundo. Et in his plerique ſunt non eruditi ſolum, verum etiam viri boni. Quomodo viri boni dixerit aliquis, ſi favent *Luthero*? Imo favent Euangelicæ doctrinæ, & hoc negotium à *Luthero* ſuſceptum arbitrabantur. Et quis initio non favebat *Luthero*? Nimirum quædam erant, quæ diutius mundus ferre non poterat. Et fatali quodam affectu rapitur ad ſinceritatem ac ſimplicitatem veteris ac puræ Theologiæ. Nec hic affectus tot clamoribus, tot Bullis, tot Edictis, tot cenſuris, tot libellis extundi poteſt è mentibus populi, adeo ut verear, ne niſi radices amputentur unde malum hoc jam toties repullulat, ſit aliquando majore cum pernicie erupturum. Nos *Hieroboam* exemplo, tantum aggravamus jugum, nec meminimus hoc illi male ceſſiſſe. Terroribus ac minis agitur, cum res bonam partem totius orbis occuparit, & admixti ſunt huic fabulæ quidam *Stunicæ* ſimiles, qui ſuum agunt negotium, ſed ſubvertentes interim Eccleſiæ negotium. Quibus hic eſt animus, ut cupiant vel univerſam terram miſceri incendio, modo regnent ipſi. Sed bona ſpes habet animum meum fore, ut novi Pontificis incorrupta ſinceritas, & erudita ſanctitas, civiliſque prudentia, ſit his malis Eccleſiæ finem aliquem datura, præſertim adjuvante *Carolo* Cæſare: cui cum tanta ſit poteſtas, ut pene liceat quicquid libet, apprecandum eſt, ut conſtanter velit quod licet: cumque is ſit animus, ut magno ſtudio feratur ad ea, quæ ſunt optima, *Chriſtus* Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ precibus exoratus, vel tantum addet judicii, ut ipſe diſpiciat quæ ſunt optima, vel tantum felicitatis, ut conſiliis ſaluberrimis obtemperet. Poſtremo uterque religionis Chriſtianæ negotium, ſelectis & incorruptis viris committat, qui nec abutantur poteſtate Cæſaris, nec Pontificis auctoritatem reddant invidioſam orbi, ſed ſinceris ſtudiis *Chriſti* cauſam agant. Cujus tum negotium agitur, quoties ſepoſitis privatis affectibus, conſulitur veræ pietati. Hoc agentibus totus applaudet orbis. Sed ut abrumpam verius quam finiam, id quod inſtitui: Ego *Stunicam* prorſum indignum arbitror cui reſpondeatur, qui prorſus exercet hi-

histrionicam, sed tamen quoniam videbam seculum hoc esse corruptissimum, & plurimum licere malis linguis, volui studiosos omnes velut antidoto præmunire adversus blasphemias, impietates, insanias, & venena *Stunicæ*. Tres libros exspectamus, de quibus præjudicium oportet sumere ex uno loco, in quo præter omnem occasionem geminæ hæreseos suspicionem impingit, nec dubito quin hunc locum ut præcipuum delegerit, unde specimen & gustum præberet operis futuri. Quin ex his tribus locis, docte, Theologice, & Scholastice à *Sanctio* defensis, non aliter quam ex unguibus leonem licebit æstimare. Exspectamus multas centurias blasphemiarum, & impietatum, insaniarum, ac temerariarum assertionum, venenorum, hæreseôn, & *Lutherismorum*. Adversus hæc, antidoto multa præmunitor, quisquis inici non vis, ac Valeto Lector. *Basilea* 13. Jun. Anno 1522.

APOLOGIAE FINIS.

APPENDIX.

DVM hæc excuderentur prius quam ad extremam paginam ventum esset, commodum allatus est libellus *Stunicæ*, cui titulum fecit, προδρομος, quod præcursor sit tribus illis libris, in quibus promittit extremam manum suæ maledicentiæ. Jamque præcursoriis hujusmodi aliquot libellis sic præparavit animos doctorum, ac bonorum omnium, ut nihil ab eo exspectetur, nisi insigniter impudens, indoctum, & insanum. In Præfatione hujus libelli recitat furiosos illos titulos, quibus insignierat librum suarum blasphemiarum & impietatum, nisi quod semper seipsum vincit impudentia, atque etiam insscitia: nam me plane fefellit. Ex primis enim Annotationibus, suspicabar in homine esse salis micam aliquam. Deinde tractat tres Annotationes à *Sanctio Caranza* defensas: qui cum *Stunica* toties tam honorificam fecerit mentionem, hic nullam refert præconi suo gratiam, non vel illum imitatus, de quo jocus est *Horatii*, qui fratrem appellabat *Mutium*, cui ipse esset *M. Tullius*. Uterque vivit, vel ut aptius dicam, agit *Romæ*: uterque libellus *Romæ* eodem anno excusus est, & prior fuisse videtur *Sanctius*, cujus libellus exiit primo die Martii. Et tamen *Stunica* cum argumentum idem tractet, nec auctoris meminit, nec libelli. Quid laudis debeatur *Sanctio*, liquebit ex nostra responsione. Certe tantum ab illo allatum est è libris Theologicis, ut nihil esse possit *Stunica* impudentius, qui post illum eadem de re scribere sustinuerit tam jejune, tamque indocte, præsertim cum ipsa res clamitet eum argumenta sublegisse è libello sodalis sui. Nihil igitur est in hoc libello novi. Recitandis iis, quæ ille prior annotarat, quæque ego responderam, implentur paginæ. Suas responsiones aptissimo titulo signasset, si pro *recriminationibus* appellasset *criminationes*. Quis enim vocavit *criminationem*, qua se civiliter defendit, contumeliose impetitus? Aut quid est in his *Stunica* libellis, præter effrontem & scurrilem maledicentiam? Unum duntaxat proponam, ex quo conjicias, quantum aceti *Stunica* habeat in pectore, qui viginti totos annos versatus est in sactis Libris: qui non est factitius Theologus, ut ego, sed verus est Theologus, absque diplomate, absque pileo floccis albis insigni, absque superbo Magistri nostri nomine, sed talis est, quales fuerunt illi veteres, *Gregorius Nazianzenus*, *Chrysostomus*, & *Hieronymus*.

Cum in Annotatione sua *Lopis* noster multa recensuisset, quibus doceret *Matrimonium* appellari *Sacramentum*, quæ nihil adversum me faciebant, qui non negaram *Matrimonium* recte dici *Sacramentum*, sed annotaram ex eo loco *Pauli*, non admodum colligi, quod esset unum è septem novæ legis Sacramentis, juxta exactam ejus vocabuli rationem, quoniam tota illius disputatio ἔξω τῶν ἐλαιῶν, quod ajunt, currebat, admonui illum, ut si vellet mecum agere, meminisset hanc vocem *Sacramentum* in Theologorum libris bifariam accipi, nonnunquam ut sit sacræ rei signum, nonnunquam ut sit signum sacrum visibilibus formis constans, sed quod invisibilem ac peculiarem gratiam gignat in nobis, velut ex pacto divino. Hîc clare cachinnos tollit *Stunica*, meque mire insulsis salibus ludit, qui rem tam obviam docuerim virum tam insigniter Theologum. *Quis enim*, inquit, *non legit* Petri Lombardi *Lib.* IV. *distinctionem primam?* Atqui hoc ipso turpius est, ignorasse *Stunicam* tantum Theologum, quod tam obvium est in Auctore vulgatissimo. Quod si sciebat, cum ex hac distinctione pendeat illius tota disputatio, cur tot verba fundit incassum? Ego negavi satis colligi ex eo *Pauli* loco, *Matrimonium* esse *Sacramentum*, juxta eam rationem, qua nunc dicuntur septem Ecclesiæ Sacramenta. Tametsi fateor me de hoc non dubitare. Hic scopus erat: huc erant argumenta conferenda *Stunicæ*. Videat nunc ipse, an quicquam sit in his quæ recitat permulta, quod adversum me faciat. Si quis illi largiatur idem esse *mysterium*, & *sacramentum* evicit, aliquo modo dici *sacramentum*, non evicit esse *sacramentum* juxta exactam hujus vocabuli rationem, de qua nos agebamus. Quod si quis non largiatur illi, quod fortiter assumit, nihil aliud Græcis sonare *mysterium*, quam nobis *sacramentum*, ne hoc quidem evincit ex hoc loco matrimonium aliquo modo dici *sacramentum*. Quin insignioris etiam stuporis est, quod in hoc ipso libello cum ad satietatem usque riserit distinctionem meam, tamen in argumentando nondum potuerit meminisse. Recitat mihi verba *Petri Lombardi* ex Lib. IV. Distinct. II. meque Theologastrum irridet, quem hæc tam protrita fugerint. Mihi vicissim fas erit admirari reconditam eruditionem, & exactum excussumque judicium istius sine pileo Theologi, non enim dicam sine mente, qui non intellexerit hunc ipsum esse locum, qui solus pro me faciebat. Dicebam enim veteres Theologos, atque ipsum etiam *Petrum Lombardum*, non numerasse Matrimonium inter Ecclesiæ Sacramenta, juxta exactam sacramenti definitionem. Et hujus adstipulatorem sententiæ cito *Durandum*. Verba *Petri Lombardi*, quæ *Stunica* recitat, sunt hæc: *Jam ad Sacramenta novæ Legis accedamus, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, panis benedictionis, id est, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium.* Io! triumphat *Stunica*, docuit *Stunica* Matrimonium aliquo modo dici sacramentum novæ legis, sed ego plus etiam fatebar esse sacramentum juxta exactam sacramenti rationem, quod idem negabam sentire *Petrum Lombardum*. Hoc à me dictum cum impugnaret Theologus *Nazianzeno* conferendus *Stunica*, hunc locum adducit, telum videlicet, quo statim conficiatur ipse. Sequitur enim continenter in eodem loco: *Quorum alia remedia contra peccatum præbent & gratiam adjutricem conferunt, ut Baptismus, alia in remedium tantum sunt, ut Conjugium, alia gratia & virtute nos fulciunt, ut Eucharistia & Ordo.* Hactenus *Petri* verba recensuimus, ex quibus palam est juxta illius sententiam, non conferri gratiam sacramentalem in matrimonio. Sed ejusdem in initio primæ distinctionis verba præcesserant: *Sacramentum enim proprie dicitur, quod ita signum est gratiæ Dei, & invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat & causa existat.* Hæc definitio si competit in matrimonium, falsum est quod dixit in initio secundæ distinctionis, tantum esse in remedium, hoc est, non conferri gratiam, neque adversus peccatum, neque confirmantem ad profectum pietatis. Si non competit, sequitur matrimonium juxta exactam sacramentorum rationem non esse sacramentum. Et hic est locus, quo *Stunica* miserum *Erasmum* conficit tanto supercilio, ut non *Stunicam*, sed *Augustinum* aut *Hieronymum* loqui credas, si tamen illi sic unquam disputarunt cum ullo palam hæretico. Hæc cum tam stupida sint, ut vix *Coræbus* sit eadem dicturus, tamen audi quiddam adhuc stupidius. Fatetur nihil aliud Latinis sonare *sacramentum* quam

Græ-

Digitized by Google

Græcis *myſterium*. Hoc tametſi falſiſſimum eſt, nec eget redargutione apud eos, qui norunt Latine, tamen quoniam ad cauſam hanc nihil attinet, illi largimur. *Sed utraque vox*, inquit, *largius accepta, competit in multa, quæ non ſunt ſacramenta Eccleſiæ, quæ ſunt duntaxat ſeptem, in qua proprie convenit hujus nominis ratio.* Ex his verbis palam eſt *Stunicam* agere de Sacramentis Eccleſiæ juxta exactam rationem, quam veteres Theologi non tribuebant matrimonio, recentiores tribuunt, & horum opinionem, Concilium, ut ajunt, *Florentinum* confirmavit. *Ex nullo*, inquit, *loco doceri poteſt matrimonium eſſe ſacramentum, niſi ex hoc, ergo qui negat ex hoc colligi, negat eſſe ſacramentum Eccleſiæ.* Nunc mihi vide, lector, acumen hujus Theologi: diligenter præfatus eſt, Græcam & Latinam vocem idem pollere, & utramque eſſe ancipitem, nempe communem etiam iis, quæ non ſunt Sacramenta Eccleſiæ. Quod ſi verum eſt, quomodo ex voce ambigua poteſt res tanta certo colligi? Hæreticus eſt, qui negat matrimonium eſſe ſacramentum, utique juxta exactam rationem. Nec id colligi poteſt, niſi ex hoc uno *Pauli* loco. Hæreticus igitur eſt, qui negat hinc colligi. Quod ſi hinc manifeſte colligitur id, quod vult *Stunica*, cur veteres illi Theologi locum tam dilucidum non intellexerunt? Imo cur *Petrus Lombardus* hoc negat, quod poſt, ut ajunt, definivit Eccleſia? An ille vir tantus non intellexit *Paulum* aperte loquentem? Jam illud mihi vide, in quam grave crimen pertrahit *Sanctium* ſodalem ſuum. Nam is non ſolum fatetur ex hoc *Pauli* loco non efficaciter colligi, ſed ne ex aliis quidem ullis Scripturæ locis id poſſe doceri, nec ullis argumentis idoneis poſſe demonſtrari, ſola auctoritate Eccleſiæ hoc eſſe perſuaſum. Hærebit igitur *Sanctius* in manifeſto crimine hæreſeos una cum *Eraſmo*, judice *Stunica*. Deinde ſi *myſterium* idem eſt quod *ſacramentum*, & myſterii vox fere Latinis quoque notior eſt quam ſacramenti, quomodo dicor tollere ſacramentum, ſi verto per vocem idem ſignificantem? Imo ſi relinquo vocem Apoſtoli? An ideo *Chriſtus* non erit Salvator mundi, ſi vocem illum humanæ ſalutis auctorem? An ideo non erit *Chriſtus*, ſi vocavero eum Meſſiam? aut unctum? *Sed vulgo*, inquit, *receptum eſt, ut ſeptem Eccleſiæ ſacramenta vocentur.* Quid tum poſtea? Ergo non licebit hoc verbo in alium uti ſenſum? Atqui *Paulus* eſt aliter uſus non uno in loco, ut ad *Epheſios: Ut notum nobis faceret ſacramentum voluntatis ſuæ.* Rurſus ejuſdem Epiſtolæ Capite tertio: *Quoniam ſecundum revelationem notum factum mihi eſt ſacramentum.* Item ad *Coloſſenſes* Capite primo: *Notas facere divitias gloriæ ſacramenti hujus.* Item ad *Timotheum: Magnum eſt pietatis ſacramentum.* Similiter in Veteri Teſtamento frequenter occurrit *ſacramenti* vocabulum, cum illic non agatur de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis. Sed hac de re *Sanctio* reſpondimus plus ſatis. Ergo cum in hac re etiam poſt *Sanctium* ſeſe tam infeliciter geſſerit *Stunica*, vide quam glorioſe ſibi plaudit: *Cum autem hæc ita ſint*, inquit, *eat nunc* Eraſmus *factitius Theologus, & dicat* Stunicam *non hic verſari in ſua arena*, cæteraque in hanc ſententiam adeo glorioſe, ut nihil ad hæc ullus *Thraſo* videatur. Solum illud addam, falſiſſimum eſſe quod interpretatur *Stunica*, me ſentire matrimonii ſacramentum ab hominibus inſtitutum. Imo non uno in loco fateor inſtitutum à Deo in paradiſo, ſed oſtendo recentiores Theologos aliquid definiſſe de ſacramento matrimonii, quod apud veteres non conſtabat. Hoc ſi falſum eſt, refellat *Stunica*.

Sed hac relicta arena, in qua in tantum nihil valet, ut nec ea perceperit, quæ ſcripſit *Sanctius*, confert ſe in campum ſuum, hoc eſt, ἵππων εἰς τὸ πεδίον, in quo ſane valet plurimum. Perfricta fronte prædicat *Lutherum* opinionem ſuam de matrimonio hauſiſſe ex libris meis, cum in Apologiis, quibus reſpondeo *Leo*, toties profitear me nihil addubitare, quin matrimonium ſit unum è ſeptem Sacramentis, etiam juxta exactam ſacramenti rationem, cum idem inculcem in libello, cui titulus eſt, *De laude matrimonii:* Cum idem doceam in carmine jam plus vicies millies excuſo, quò complector vim & uſum ſeptem Eccleſiæ Sacramentorum: cum hoc ipſo loco, quo pro ſacramento verto myſterium, palam teſter idem in ſcholiis, quæ tandem anſa data eſt *Martino Luthero*, ut pernegaret matrimonium eſſe ſacramentum Eccleſiæ? Si vir ille unum tantum è ſacramentis ſuſtuliſſet, certe ex me non poterat videri præbita occaſio, ſed ex *Petro Lombardo* magis, ex *Durando*, & ex *Hieronymo*, qui videtur iniquior matrimonio: nam loca in ejus ſcriptis aliquot indicavi, non ut confirmarem, ſed ut excuſarem. Quam probabile eſt, *Hieronymum* non poſuiſſe matrimonium inter Eccleſiæ ſacramenta, juxta propriam & exactam rationem, ad quam nunc Eccleſia pronuntiat Sacramenta ſeptem. Nunc cum ille fere tollat omnia ſacramenta, tanto minus videri poteſt ex meis ſcriptis ſumſiſſe occaſionem. Cæterum Theologi *Pariſienſes*, aliique, qui totis viribus in hoc incubuerunt, ut errores *Lutheri* refellerent, teſtantur illum ſua hauſiſſe è libris *Joannis Hus*, *Waldenſium*, & *Wiclevi*. Atque hac quoque de re *Stunica* promittit nobis libellum, cui titulum deſtinavit, ERASMI & LVTHERI *parallela*, quo videlicet explicabit, quæ mihi conveniant cum *Luthero*. Nec dubito quin hoc ſit unum è præcipuis parallelis de matrimonio, in quo vide quam illi mecum convenit. Ego fateor eſſe ſacramentum Eccleſiæ, juxta rationem exactam ſacramenti, nimirum diſſentiens à *Petro Lombardo*, & à veteribus Theologis, & conſentiens Eccleſiæ definitioni. *Lutherus*, ut ajunt, prorſus negat matrimonium eſſe ſacramentum. Ego ſic laudavi matrimonium, ut *Lovanii* periclitarer de calumnia hæreſeos, quaſi plus ſatis tribuerem conjugio. *Lutherus* quantum tribuat, ipſius indicant libri. Ex hoc parallelo, cætera qualia futura ſunt conjicito lector. Nonne hic talis inter *Lutherum* & me videtur eſſe congruentia, qualis ſit, ſi juxta *Flaccum*, *ſerpentes avibus geminentur, tigribus agni?* Atque hic eſt liber congruentiarum, in quo miſere ſudatum eſt à Monachis quibuſdam *Lovanii* & *Coloniæ*. Jamque creverat volumen: nam conati ſunt R. D. *Hieronymo Aleandro*, tum apud nos Nuntio Apoſtolico, obtrudere, meris ſycophantiis, & indoctis næniis refertum. Ille tametſi cauſam ageret adverſus *Lutherum*, & in me fuerat quorundam virulentiſſimis linguis irritatior, tamen rejecit librum, non ſolum quod ſciret rem eſſe ridiculam ac ſtolidam, verum etiam quod intelligeret ad opprimendum *Lutherum* nequaquam conducere, perſuaſum eſſe populo, *Eraſmum* ſentire cum *Luthero*. Et tamen hoc viſum eſt callidum conſilium ſtolidis illis, qui dum ſuis privatis affectibus obſequantur, nihil habent penſi quid agant dicantve. Habent fidem & Pontificem in ore, ſed quidam illorum, diſpeream, ni pluris faciunt unum lautum convivium, quam totum Pontificem cum fide catholica: & ſic agunt illius negotium, ut ſi quis vellet eum inviſum reddere bonis omnibus, non poſſet magis. Et horum plumis ſe venditat *Stunica*, his conductus hiſtrio agit fabulam Sycophanticam, & certe in agendo probe meminit decori: non enim poterat nec indoctius, nec impudentius, nec ſtolidius. Talis nimirum actor decebat illos ædiles. In præfationibus, titulis, ac maledictis mire ſævus eſt, ubi ventum eſt ad rem, ibi mitis, fatetur *myſterium* idem ſonare quod *ſacramentum*, ſed non videri hoc ſentire *Eraſmum*, quod matrimonium ſit unum è ſeptem ſacramentis. Et unde incidit illi hæc ſuſpicio, cum toties teſter quid ſentiam? Quia pro *ſacramento* verti *myſterium?* O præclarum telum, quo hominem coarguat hæreſeos. Sed ſi hoc telum parum eſt efficax, habet aliud efficacius. Exierat neſcio quod nugamentum Germanice ſcriptum de conjuratis, inter quos pictus ac ſcriptus erat *Eraſmus*, & quidem ſecundo loco. Quaſi mihi eſſet in manu, quid hic aut ille inſaniat, præſertim cum ego procul abeſſem à *Lutheranis*.

Digitized by Google

nis. Libellum nondum vidi, nec quo ſit auctore natus novi. Aut quaſi ſolus ille libellus tunc provolarit, cum ejuſmodi ineptiis plena eſſent omnia. Qui hoc commenti ſunt, declararunt inſignem ſtultitiam ſuam, qui ſtuduerint hac ratione pellicere me in ſua caſtra, cum nulla magis potuèrint alienare. Ego ne cum muſca quidem *Lutherana* ſum unquam fœderatus, ſed primus omnium dehortatus ſum & *Lutherum* ipſum, & amicos illius à periculoſo negotio, divinans jam tum hunc exitum futurum, quem nunc videmus, tametſi nunquam credidi rem huc uſque progreſſuram. Ego quos potui retraxi ab iſta factione, quanquam initio *Lutherus* videbatur pleriſque rem agere libertatis Euangelicæ, & omnino cauſam ſuſceperat ſanctam & orbi plauſibilem, ſi ſic tractaſſet, ut omnes fere tum acturum exiſtimabant. Fuit & hoc iſtorum, ut apparet, commentum, ut Linguarum ac bonarum litterarum cultores involverent huic negotio: & mihi cum his fere erat fœdus amicitiæ, priuſquam nomen *Lutheri* noſſet orbis. Hanc omnium jucundiſſimam & cariſſimam poſſeſſionem abdicare malui, quam aliquo modo videri factioſus, & cauſam Linguarum ac bonarum litterarum ſemper à *Lutheri* negotio ſeparavi. Quin & Euangelicæ doctrinæ negotium ab illius negotio ſemper ſemovi. Nec enim ideo nobis debet eſſe minoris Euangelicæ veritatis auctoritas, aut Apoſtolica doctrina, ſi quid *Lutherus* perperam docuit. Porro quid quiſque ex meis libris hauriat, præſtare non poſſum, cum ex Euangelicis & Apoſtolicis litteris veteres hæretici hauſerint errorum ſuorum ſemina. Si quid *Lutherus* hauſit ex me quod rectum eſt, non debet mihi vitio verti. Si quid admonendi gratia, moderate dictum depravavit, nihilo magis mihi poteſt imputari, quam Medico, ſi quis ſalubri pharmaco venenum admiſceat. Et exhortandi gratia ſæpe ferimur, adeo uſque ad extremas lineas, ut tranſire videamur alicubi. Hic ſi quis perpendat totum hoc quod agitur, nihil eſt, quod reprehendas: Sin deprehendas illum in extrema linea, facile pertrahes in præcipitium. Hujus rei hoc erit exemplum: Ego videns Principes utriuſque generis Chriſtianos, tot jam annis aſſiduis bellis inter ſe tumultuari, multis locis clamo in bellum, quanta poſſum vehementia, nuſquam tamen definiens, nullum bellum inter Chriſtianos eſſe licitum, ſed ægre admittens ullum bellum inter filios pacis: *Lutherus* forte damnat in totum omne bellum. Non probo eos, qui prædæ tantum gratia invadunt *Turcas*, neque Chriſtianis rationibus conantur illos ad fidem Euangelicam adducere, ſed cogunt tantum. *Lutherus*, ut audio, ſcribit illos reſiſtere Deo, qui *Turcis* reſiſtunt. Non probo ſuperſtitionem multorum in votis iſtis vulgaribus, veluti cum quis ex levi cauſa vovet, ſe iturum *Hieroſolymam*, cum domi habeat uxorem puellam, liberos teneros adhuc, alioſque, quos ex præcepto *Pauli* debet curare; ſi negligat, futurus infideli deterior: *Lutherus* fortaſſe damnat omne tale votorum genus, quibus ego ſane multo minus tribuo, quam tribuit vulgus. Jam hoc erit, opinor, unum parallelon: At ego tibi ſexcenta parallela producam hujus generis ex *Hieronymo*, *Bernardo*, *Chryſoſtomo*, atque ex ipſo etiam *Thoma* nonnulla.

Tandem *Stunica* mihi leges præſcribit, credas eſſe alicujus pretii, ſi velim orthodoxus videri, ut libris editis totam *Lutheranam* hæreſim quàm diligentiſſime redarguam, alioqui *Romæ*, ubi *Stunica* hæc ſcribit, per omnia compita prædicabor *Lutheranus*. Quam illud magnificum quod *Stunica* hæc ſcribit *Romæ*, quaſi præclarum ſit, quicquid *Romæ* geritur, aut quaſi ſolus hic *Romæ* inſaniat. Scribit quidem hæc *Romæ Stunica*, ſed cum peſſima gratia Cardinalium, qui hujus libellos ut ſycophanticos ac ſeditioſos & indignos ea urbe, vetuerunt excudi, & furtim excuſos vetuerunt vendi. Et ridentur à doctis omnibus. Sic *Stunica* ſcribit *Romæ*. Qui ſi pergat inſanire, periculum eſt, ne fuſtibus exigatur ex urbe. Non enim patietur *Romana* Sedes tam indoctum ac maledicum patronum, qui ſtultitia ſua lædat cauſam, dum ſtudet adjuvare. Sed hîc rurſus adverte *Stunicæ* prudentiam. Ex obſcuro Grammaticulo repente exortum Theologaſtrum, quem imperitiſſimum eſſe vere quidem prædicat, quanquam hoc ab aliis prædicari magis decebat: jubet ſuſcipere provinciam, quæ ſummum Theologum deſiderat, & *Stunicæ* diſſimillimum. Si *Stunica* credit me hoc poſſe quod imponit, qua fronte adimit mihi totius rei Theologicæ peritiam? Si non poſſum, ſtultus eſt qui injungat. Sed quicquid hujus facturus ſum, non faciam ex auctoritate *Stunicæ*. Hactenus Epiſtolis, Libris, ſermonibus declaravi me & fuiſſe, & eſſe, & futurum à factione *Lutherana* alieniſſimum. Hoc jam arbitror plus eſſe, quam ſi *Stunica* ſexcenties appellet illum hæreticum impium, de quo multi dubitant, an ipſe qui tribuit, dignus ſit hoc elogio. Nullus enim *Platonem* aut *Philonem* vocavit hæreticum. Quod ſi tantopere exſecratur impium *Lutherum* homo pius, quin in illius doctrinam remis veliſque, quod ajunt, invehitur, tot linguis, tot diſciplinis, tanta rerum omnium peritia plus quam abſolutiſſima inſtructus, poſtremo tam rara facundia? Sed mavult rixari cum *Eraſmo*, quo ſuis ſatisfaciat ædilibus, & interim maledicendo diſcit recte dicere. Alioqui poſſet in litteris Hebraicis, quas à teneris unguiculis imbibit, non pœnitendam operam locare juvandis ſtudiis. Sed hoc illi prius eſt, quam defendere male acceptas Annotationes ſuas. Me jam in *Lutherum* ſcripſiſſe, interpretantur ipſi valde *Lutherani*, qui libellis, ut audio, paratis in ultionem me mox adorientur. Cur nihil adhuc præterea fecerim, rationem reddidi iis, quibus oportuit. *Stunicæ* non dicam aliud cauſæ, quam me ideo fuiſſe minus propenſum ad ſcribendum adverſus *Lutherum*, ne commercium haberem cum ipſius ſimilibus, qui tam ſtolide tractabant fidei negotium, ut nullus hoſtis magis poſſet lædere. Id eſſe verum, jam magna ex parte ſentiunt Eccleſiæ proceres, & vereor ne magis etiam olim ſenſuri ſint. Non ſemel me pœnituit, quod unquam verbo reſponderim *Stunicæ*. Sed hactenus ſatis, ac plus ſatis datum arbitror primæ hominum phantaſiæ, quæ ſolet ex qualibuſcunque calumniis naſci apud imperitos. *Stunica* jam doctis non ignotus eſt. De ſumma fidei meæ ſatis conſtat hominibus. Hactenus Sedem Romanam optima fide colui, & invito *Stunica* culturus ſum. Is enim, opinor, optime vult Sedi Romanæ, qui cupit eam eſſe dignam Vicario *Chriſti*: qui cupit illam non titulo ſolum & auctoritate, ſed principis etiam ſuis dotibus reliquis Eccleſiis præcellere. Quam pura fide colat eam *Stunica*, viderit ipſe, qui fateatur ſeſe *Romæ* venari Sacerdotia. Laudavit illius urbis miram religionem: negat ſe uſquam vidiſſe Monachos ſanctiores: *Romæ* ni velis eſſe ingrata, da *Stunicæ* pro hac laudatiuncula Sacerdotium. Semel atque iterum vocavit *Lutherum* impium hæreticum, da illi præpoſituram. Quaſi vero non idem poſſit quivis ſcurra. Adoriatur illum Scripturæ divinæ teſtimoniis: revincat ſolidis argumentis, ac tum ſe jactet eſſe Theologum abſque flocco albo. Facile refellet illius male dicta, qui tam facile depravat etiam bene dicta. Quod ſi *Stunicæ* non ero orthodoxus, niſi magnis & elucubratis voluminibus aggrediar *Lutherum*, nec *Stunicæ* mihi erit Chriſtianus, niſi ſcripſerit accuratiſſimos commentarios in Epiſtolam ad *Hebræos*, hoc illi fuerit proclivius, quam mihi facere quod præſcribit, cui nec otium eſt vel evolvendi tam multa, quæ ſcribit *Lutherus*, & ſi maxime vacaret, multa ſcribit ſua Lingua *Saxonica*, quæ fruſtra ſim lecturus, etiamſi poſſim legere. Non deſunt, qui ſcribunt in *Lutherum*, ſi libris malum hoc ſopiri poteſt, ac me ſane longe ad hujuſmodi palæſtras inſtructiores. Ego hac in re primum *Chriſto*, & conſcientiæ meæ, deinde bonis & integris omnibus ſatisfaciam. *Stunicæ* leges non agnoſco. Eſt aliud quod agam, magis profuturum, ut arbitror, rei Chriſtianæ. Poſthac igitur valebit mihi *Stunica* cum ſuis blaſphemiis, impietatibus, inſaniis, teme-

Digitized by Google

merariis assertionibus, venenis, serpentibus, *Lutheranissmis*, prodromis, criminationibus, & recriminationibus, parallelis, ac depravationibus, *Arrianis*, *Apollinaristis*, *Patripassianis*, quæ quidem ego nec legere dignabor, ex quibus nec melior fio nec doctior. Nec mihi ullus metus est ullum fore Principem, aut Pontificem, aut Cardinalem, aut Episcopum, aut Theologum denique dignum hoc titulo, qui laturus sit rabulam tam indoctum, tamque impudentem, qui novum exemplum induxit in urbem *Romam*, ut in gratiam duorum Monachorum famosis libellis debacchetur in famam ejus, de quo nullus adhuc pronuntiavit in malam partem. Et hic videlicet sincera fide colit Sedem *Romanam*, qui contemtis monitis *Leonis*, qui spreto Edicto Cardinalium, morem gessit conductoribus suis, & animo obsequutus est suo. Equidem opto Sedi *Romanæ* feliciores patronos. Vale lector.

Apologiæ ad *Prodromon* STVNICAE Finis.

Conclusiones principaliter suspectæ & scandalosæ, quæ reperiuntur in libris ERASMI ROTEROD. *per* JACOBVM LOPIDEM STVNICAM *excerptæ.*

De Primatu Apostoli Petri *& Sedis Apostolicæ.*

1 Ne quis ob hoc primum omnium Apostolorum faciat *Petrum*; quod in catalogo Apostolorum, primus à *Matthæo* recensetur.

2 Illa verba Salvatoris, quæ habentur *Matth.* Cap. XVI. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non uni soli *Romano* Pontifici pertinere, sed illi tanquam Ecclesiæ principi, & una cum eo universo populo Christiano.

3 *Romanus* Pontifex apud Veteres non appellabatur *summus*, sed *Romanus*.

4 Ætate divi *Hieronymi* non solere quenquam à communione depellere, quod novo verbo vocant *excommunicare*, nisi qui ad eam pertinuisset Ecclesiam. Ex quibus verbis satis probatur *Erasmum* credere, *Romanum* Pont. illis temporibus non habuisse jus alios excommunicandi, præter proprios & peculiares parochianos, quod ex sequenti illius conclusione hæretica & insana apertius patet, cum infert:

5 Nam hæc *Romani* Pontificis Monarchia, post *Hieronymi* seculum exorta est.

6 Quod *Petro* dicitur, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum*, ad universum populi Christiani corpus pertinet.

7 An *Damasus* fuerit summus orbis Pontifex, in medio relinquo.

8 *Augustinum* non agnovisse *Rom.* Sedis auctoritatem, quam illi nunc tribuimus.

De Sacramento Confessionis.

9 Fuisse antiquitus nonnullam Confessionem male actæ vitæ, sed apertam, ut opinor, quam nec legimus exactam à quoquam.

10 Quæ nunc recepta est clancularia Confessio, & in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si qui scrupulus urgeret animum.

11 Olim Confessionem fuisse publicam, & de notis commissis, publicam olim satisfactionem.

12 Apparet *Hieronymi* tempore nondum institutam fuisse secretam admissorum Confessionem.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

13 Hodie sacro oleo unguntur laborantes, non ut convalescant, sed ut tutius migrent.

De Sacramento Matrimonii.

14 Matrimonii conditionem commodiorem esse *Judæis* quam nobis.

15 Haud scio, an hoc Sacramentum septimum (id est Matrimonium) Veteribus fuerit cognitum.

16 Nullus est locus, unde liqueat, Græcos & Latinos conjugium inter septem Sacramenta connumerare.

17 Haud scio an ætate divi *Hieronymi* Ecclesia numerarit Matrimonium inter Sacramenta.

18 Theologi faciunt Matrimonium unum è septem Sacramentis.

De Horis Canonicis.

19 Sacerdotes nimium prolixis precibus, hisque præscriptis, aliquoties ineptis ac ridiculis, ne dixerim impiis, oneratos.

De Ceremoniis.

20 Hodie ratione magis, quam numero ceremoniarum à *Judæis* differimus, eo *Christus* progressu temporum recidit.

21 Christiani pluribus premuntur ceremoniis, quam *Judæi*.

22 Non probo quod humanis constitutionibus, tota pene Christianorum vita ceremoniis oneratur.

Quæ ad varios titulos referuntur.

23 Doctrinam Christianam nostri temporis impeditam esse, spinosam, tenebricosam, partim admixtu legum ac disciplinarum humanarum, partim somniis & inventiunculis ambitiosorum hominum.

24 Nusquam expresse legitur, quibus verbis *Christus* consecraverit.

25 Non insector quorundam institutum, qui vere mendicato vivunt, sed rectius opinor facturos, si qui valent, ut valent permulti, manibus sibi pararent, unde tum sibi, tum aliis egenis possent suppeditare.

26 *Servi* appellationem in *Christum* non convenire.

27 *Christum* ut filium obedisse Patri, & subditum fuisse non ut servum.

28 Apostoli suam Græcitatem è vulgi colloquio didicerunt.

29 In negotiis hujus mundi, pro prædiis, pro nummis jurare, fortasse non sit ingenue Christiani.

30 Ut hæretici nonnihil immutabant in Litteris sacris, quo suum tuerentur errorem, ita compertum locis aliquot addita quædam ab orthodoxis ad excludendos aut refellendos hæreticorum errores.

31 Miracula divi *Hieronymi*, per *Cyrillum Hierosolymitanum* Episcopum conscripta, fabulas esse.

32 Hæc *Christi* mens omnino fuisse videtur, ut tolerantia superent Christiani, non armis.

34 *Hierosolyma* omnia Christianæ vitæ vestigia, aut prorsus deleta sunt, aut commentitia quædam incertaque monstrantur.

35 Hodie Monachorum somnia, imo mulierculârum deliramenta leguntur inter divinas Scripturas.

36 Qui quotidie Psalmos non intellectos remurmurant, non meditantur in Lege Domini, sed aerem verberant.

37 Non committitur grex, pro quo mortuus est *Christus*, nisi vehementer amanti *Christum*.

38 Symbolum in Concilio *Nicæno* editum, illud esse quod vulgo dicitur Apostolorum.

39 Historiam excoriationis B. *Bartholomæi* fide carere.

40 Non audio qui mihi dicat, fœdam illam pruriginem, & Veneris stimulos, non à natura, sed à peccato profectam.

41 Hodie videmus inter Christianos plus esse superstitionis, in delectu ciborum, quam unquam fuit apud *Judæos*.

42 Omnis Christianorum vita delirationibus undique scatet, quas ipsas tamen Sacrifici non gravatim admittunt, & alunt, non ignari quantum hinc lucelli soleat accrescere.

Sunt & aliæ innumeræ conclusiones istiusmodi, quæ ex sensu *Erasmicorum* verborum elici possunt, ex quibus patet apertissime, non recte *Erasmum* sentire de primatu Sedis Apostolicæ, de Sacramentis ac Ecclesiasticis dogmatibus, & institutis, sed in omnibus, & per omnia cum *Luthero* hæretico illi convenire, ut ex ipso libello blasphemiarum, & impietatum ejusdem per nos edito satis perspicue colligitur. *Romæ* 1523.

Def.

Digitized by Google

Def. Erasmus Roterodamus clariss. Viro, Joanni Fabro, Canonico Constant. & illustriss. Principis FERDINANDI Consiliario, *S. D.*

REDDIDIT *mihi tuus famulus suspiciones* Stunicæ, *quas ille* conclusiones *appellat. Video mihi prorsus evenire, quod usu venisse ferunt* Herculi. *Dum hic congredior cum hydra, adrepsit aliunde cancer. Ac primum suspicatus sum hanc fabulam à* Lutherano *quopiam agi: nam habet vir ille multos egregie stultos amicos, qui sic favent, ut non possint magis ladere. Verùm, ubi stylus & litteræ* Roma *missa me docuissent omnino ludum esse* Stunicæ, *diu deliberavi, num esset respondendum, præsertim cum jampridem blasphemiis illius respondissem. Tandem quando video libellum nusquam gentium non esse sparsum, ne quis simplicior fumis hominis decipiatur, unius diei operam huic negotio dedi. Opinor R. D. Card.* Campegium *jam isthic adesse, utinam illius pietas hoc dissidium sic componat quemadmodum optamus. Bene vale.* Basilea 1. *Martii, Anno* 1524.

Adversus Præfationem Stunicæ.

1 *Conclusiones* vocat tria verba decerpta ex Annotationibus, in quibus nihil definio, sed ex occasione loci, cogitandi materiem præbeo lectori, idque in libris ante *Lutheri* nomen auditum editis. Atqui *conclusiones* pronuntiant.

2 Jam id ipsum quam facit non candide? Prudens omittit ea quæ declarabant quid sentirem.

3 Imo ne locum quidem indicat, ne lector inspecto eo possit deprehendere *Stunicæ* malitiosam calumniam.

4 Imo quod ego *Origenis, Augustini* aut alterius cujuspiam auctoris nomine refero, ille mihi tribuit.

5 Nonnunquam & verba quædam suo commodo commutat, quo res sit odiosior.

6 Cum ego dico, *videtur* aut *apparet*, nimirum sentiens, hoc videri ex eo loco quem tracto, aut videri aliquibus, ille sic assumit, quasi dixerim simpliciter, hoc videri.

7 Dissimulat, quod hæc collegit è libris quos ediderat, priusquam orbis audisset nomen *Lutheri*, neque quisquam suspicaretur hominem exoriturum. Certe libros *Hussiticos* aut *Wiclevicos* nunquam legi.

8 Et pleraque in posterioribus Editionibus ultro correxi, quæ quidam rapiebant in calumniam, cupiens omne vitare scandalum. Nam Novum Testamentum cum Annotationibus jam tertio editum est, jam dudum parata Editione quarta. *Hieronymi* item jampridem parata est Editio. Ex his potissimum sumsit ille.

9 Cum ante annum edito libello, ad hæc & alia plura dilucide responderim, ille sic agit, quasi nihil responderim.

10 Colligit quædam, quæ male interpretando depravat, cum ex aliis locis posset scire quid sentirem. Sic ego ducentas conclusiones proferam ex Epistolis *Paulinis*, suspectiores & scandalosiores quam hæc quæ collegit *Stunica*, si velim ad eundem modum interpretari.

11 Nec Pontifex nec Cæsar voluit odiosam inquisitionem fieri in eorum libros, qui scripti essent ante negotium *Lutheri* natum. Alioqui deberet inquiri & in *Thomæ*, & *Bonaventuræ*, & *Petri Lombardi* libros, fortasse justius quam in meos.

12 Nec adversus Bullam *Leonis*, nec adversus Edictum Cæsaris quicquam tentavi, sed ita me gessi in hoc negotio, etiam ante Principum Edicta, ut decuit orthodoxum, & Ecclesiæ Principibus obedientem.

13 Cum *Stunica* ne unam quidem conclusionem adferat, quæ mihi conveniat cum *Luthero*, tamen impudenter colligit, me in omnibus & per omnia consentire cum *Luthero*, quem toties vocat hæreticum. O doctum & fortem Theologum! Miror illi nondum mitram esse cum tintinnabulis. Atqui fortius erat cum *Lutheri Lutheranorum*que libellis congredi, qui magna licentia debacchantur in nomen *Romani* Pontificis.

A Medici judicant certissimum esse sanæ mentis argumentum sibi constare, quod ubique ferme desidero in scriptis *Stunicæ*. Vocat in titulo *conclusiones suspectas*, ac paulo post velut oblitus sui, vocat easdem *principales blasphemias*. An quod suspicione tantum laborat, blasphemia dici potest?

Rursus adjicit ut toti Orbi clarius elucescat. Ubi clara lux, ibi non est suspicio, sed deprehensa veritas.

Nec hoc contentus, addit nulla in re ab hæreticis & damnatis *Lutheri* conclusionibus *Erasmicas* differre. Cum *Lutherus* palam asseveret sua dogmata, mea tantum hic appellet suspecta, quî consistit ut nulla in re differam?

B Jam fingat has conclusiones omnes mihi convenire cum *Luthero*, quarum ne unam quidem convenire docebo, qua fronte colligit in peroratione, ex his apertissime patere, mihi in omnibus & per omnia cum *Luthero* convenire?

Primùm, an apertissime patet quod suspectum est?

Deinde, an qui in decem consentit, consentit in omnibus? An *Stunica* probabit hanc collectionem? Hic suspectus est quod emerit *Romæ* decem pepones, igitur evidentissime liquet, illum omnes totius *Italiæ* pepones coemisse?

Deinde cum plurimi sint articuli notati in Bulla *Leonis*, in quibus ne syllaba quidem mihi convenit cum
C *Luthero*, cum quædam sint in libris meis, quæ ex diametro pugnant cum dogmatibus illius, quod ex *Lutheri*, ac illius amicorum querimoniis notissimum est, veluti de Libero Arbitrio, qua fronte pronuntiat, mihi in omnibus & per omnia cum *Luthero* convenire?

Obsecro te, lector, utrum hic se cogitat scribere hominibus, an potius peponibus?

Paulus Apostolus, cum audiret à *Festo* insaniæ convitium, respondit: *Non insanio, optime* Feste, *sed verba sobrietatis & veritatis loquor.* Hoc responso *Stunica* non poterit uti, qui tam palam falsa asseverat, ut minus impudenter dicturus sit, Asinum esse volucrem, qui sibi nusquam constat, qui sic colligit, ut sanius mulgeret
D hircum. Itaque cum omnes intelligant, illum non sine causa gestare catenam in insigniis, tamen *Romæ* obambulat, nihil veritus tacita doctorum hominum judicia, & hac maledicentiæ plusquam scurrilis gloria fruitur, gaudetque monstrari digito & audire, hic est ille *Stunica* qui scribit in *Erasmum*.

Etiam atque etiam jactat se libellum blasphemiarum suarum publicasse in alma urbe *Romæ*. Equidem non patiar apud ignaros rei gestæ, *Romam* hoc adspergi dedecore, nec committam, ut quisquam suspicetur, tam ineptas nænias *Romæ* vendi auctoritate aut permissu Principum.

Stunica primum apud *Hispanos* ediderat virulentas
E Annotationes in Novum Testamentum, idque dehortantibus bonis ac doctis omnibus, cum à me nunquam esset læsus, ac forte meis libris adjutus. Hinc auspicatus est ingenii famam. Cum liber is tam displiceret omnibus, quam ipsi placebat auctori, nec distrahi posset apud *Hispanos*, deportavit eum *Romam*. Illico vetitus est à *Leone*, ne quid ederet, quod læderet famam *Erasmi*. Quod si quid esset corrigendum in libris meis, id moneret ea temperatura, quæ doctos viros deceret. Multa molitus est frustra. Interim paraverat libellum blasphemiarum. Mortuo *Leone* cœpit hunc evulgare. Nam *Romæ* vulgus nihil sibi non permittit in interregno, adeo ut plerique, quibus est res
F domi, cogantur conducere manum armatam, quæ depellat prædones. Tum enim imaginantur Deum esse mortuum. Hoc tempus visum est *Stunicæ* idoneum edendo libello. Cardinales ubi sensere rem, edicto vetuerunt, ne quid tale ederetur. Conquievit *Stunica* metu fustis. Attamen per Monachos quosdam exiit liber. Rursus edicto Cardinalium vetitus est vendi. Eodem tempore prodiit *Caranza*. Cum hic non faceret finem, parum abfuit, quin conjectus fuerit in carcerem: & fuisset, ni quosdam habuisset in Senatu faventes: nus-

Digitized by Google

nuſquam enim non inveniunt *ſimiles labra lactucas.* Quid autem Cardin. præcipui de *Stunica* libellis ſenſerint, poſſum adhuc ipſorum ad me litteris docere, quibuſque titulis auctorem honeſtarint. Ubi *Romam* veniſſet *Adrianus* VI. ſedulo cœpit agere de vulgandis libris ſuis. Ille plane vetuit, ne quid tale auderet. Quo mortuo, ad ingenium rediit: & quoniam non erat ſpatium excudendi quæ ſcripſit hiſce diebus, quibus Card. ob electionem novi Pontificis tenentur incluſi, iſte emittit *Concluſiones:* ac dum metuit ne non diſtraheret, ſubornati ſunt pueri, qui *Romæ* ſolent ova, fungos, prognoſtica, cantiunculas, ſimileſque nugas circumferre venales, qui *Stunicæ* Concluſiones etiam nolentibus obtruderent, priuſquam res innoteſceret Cardinalibus. Ex complurium Eruditorum ad me litteris, hæc tam certo novi, quam ſi *Romæ* adeſſem.

Et hic qui ſic toties audet illudere Edictis Sacro Sancti Senatus Card. & Pontificum, hoc ſimulat ſe facere auctoritate publica urbis *Romæ.* Scribuntur hæc *Romæ,* ſed à *Stunica,* ſed eo tempore, quo peſſimo cuique *Romæ* quod libet, licet. Scribuntur hæc in alma urbe, ſed in eadem urbe *Paſquillus* quotannis ſuos edit verſiculos, ſaxeus quidem ille, ſed aliquanto minus ſtupidus quam *Stunica.* In alma urbe fœnerant *Judæi,* ſaltant Mimi, divinant Arioli, concionantur Theriacopolæ, & quid non fit in alma urbe? Et in hac ſcribit *Stunica,* ſed non tantum ſcribit. Et haud ſcio an ob hoc dicatur *alma,* quod alat omne genus animantium, & in his *Stunicam.*

Atque hanc λεοντλὴ ſibi ſumit homo verecundus, ut auctoritate privata pronuntiet de ſcriptis alienis, ſubinde crepans hæreſes, blaſphemias & impietates atque inſanias. Quæ Facultas Theologorum unquam damnavit quicquam in libris meis? Quis Epiſcopus? quis Pontifex? At *Stunica,* qui ne Theologus quidem eſt, ſtrenue pronuntiat, cenſuram ſibi ſumens abſque Populi Patrumque ſuffragiis.

Si *blaſphemiarum libellus* placuit Card. cur ſemel atque iterum vetuerunt diſtrahi? Si diſplicuit, cur iterat? cur jactat?

Vide autem quantæ dexteritatis ſit homo. Nec effuſiſſime laudans, nec ſedulo propugnans init gratiam. Laudavit Pontificem, Urbem, ſed præcipue Monachos, puduit ſic laudari. Haſta & clypeo cœpit depugnare pro dignitate Pontificis, juſſus eſt quieſcere.

Non perpendit *Stunica* quid agat, ſi conatur me pertrahere in partes *Lutheri,* quod tamen nunquam efficiet, quid inutilius? Præſtaret enim abducere quam impellere. Si ſtudet gratificari *Lutheranis* ulciſcendo me, cui illi male volunt, haud facit ex animo eorum qui *Luthero* male volunt.

Conatur Orbi perſuadere, quod mihi conveniat cum *Luthero.* Optarint hoc *Lutherani:* & tamen nec his perſuadet.

Qui favent Pontificis cauſæ, conantur quos poſſunt à *Lutheri* conſortio revellere. *Stunica* ſtudet homines in illius caſtra protrudere. Pontifices curant, ut ex hæreticis fiant orthodoxi. Hic ex orthodoxis conatur hæreticos reddere.

Hæc præfatus, accingor ad *Concluſiones,* quas auſpicatur à primatu Pontificis, credens futurum, ut apud illum mihi moveat invidiam, quo facto de cæteris facile pericliter. Ideo prius illi cura eſt de Primatu Pontificis, quam de Sacramentis Eccleſiæ. Dicas hîc eſſe ingenium homini.

De primatu Pontificis.

1 *Ne quis,* &c. His verbis nequaquam adimo primatum *Rom.* Pontifici, ſed oſtendo, ex catalogo nominum non poſſe ſumi efficax argumentum. Quanquam in duodecim *Petrus* ubique primo loco recenſetur, unde probabiliter colligitur illius præeminentia, nec in jugis conſentit ordo in codicibus, & in ſuo jugo *Matthæus* apud cæteros Euangeliſtas prior, in ipſius Euangelio poſterior eſt. Et in quodam loco *Petrus* poſteriore loco refertur, quemadmodum & *Barnabas* alicubi præponitur *Paulo,* & *Priſcilla Aquilæ* marito. Nec id tamen fit perpetuo, ut hinc non recte ſumatur argumentum velut urgens. Itaque ſententiam non damnavi, ſed ratiocinationem. Locus eſt apud *Matthæum* Cap. x.

2 *Illa verba,* &c. Hîc ut annotator, *Origenis* ſententiam recenſeo, quæ videtur adverſari his, qui principatum tribuunt *Romano* Pontifici, ſed eodem in loco recenſeo *Cypriani* ſententiam, quæ facit pro diverſa parte: nihil interim refellens aut definiens, ſed tantum lectori cogitandi materiam ſuppeditans.

3 *Rom. Pontifex,* &c. Hoc unde hauſerit non ſatis commemini, quave occaſione hoc ſcripſerim, (atqui id magni refert) niſi quod ſuſpicor decerptum ex Epiſtola quadam, qua reſpondeo calumniatori cuidam anonymo, qui *Damaſum* ſummum Pontificem appellat, quo videretur non licuiſſe *Hieronymo* novare quicquam in Novo Teſtamento, niſi juſſu ſummi Pontificis. Hoc argumentum illi eripio, cum id cognomen non eſſet auditum illo ſeculo, nec arbitror eam auctoritatem in omnibus rebus fuiſſe tum agnitam. Tametſi in negotio fidei plurimum tribueretur, etiam olim, ſedi *Romanæ* ob urbis celebritatem, & *Petri* Apoſtolorum principis excellentiam, denique quod ex ea ſede nunquam eſſet orta Hæreſis, cum in aliis frequenter vacillaſſet fides. Verum eſt quod dico. Non vocabatur *ſummus Pontifex,* ſed *Epiſcopus urbis Romæ.* An ideo nego ſummum, quia tum non dicebatur ſummus? Olim *Chriſtus* non prædicabatur Deus, an ideo non erat Deus? Summus autem duplici ſenſu dici poteſt, quo non ſit alius excellentior, aut cui ſubjecti ſint omnes. Ut ſi quis dicat *Galliæ* Regem eſſe ſummum, non ideo dicit eum eſſe Regem omnium regnorum. Et tamen ſummus dici poſſit, quod non ſit alius Rex hoc excellentior: *Chriſtus* autem ita ſummus eſt Paſtor, ut omnes Eccleſiæ ſint illi ſubjectæ. Sub quo ſi *Romano* Pontifici tanquam illius Vicario tribuimus ſimilem præeminentiam, tamen ea nec ſemper fuit agnita per omnes Eccleſias, nec ſemper exercitata. Nec video quid hîc ſuſpicatur *Stunica.*

4 *Ætate,* &c. Hunc locum deſumſit ex cenſura quadam, qua doceo Epiſtolam quandam falſo tributam *Hieronymo.* Nec illic diſputo quid potuerit *Damaſus,* ſed quid eo ſeculo ſoleant facere Pontifices. Et ideo ſcripſi *non ſolere,* non ſcripſi *non poſſe. Paulus* fatetur ſibi fuiſſe poteſtatem, qua tamen uti nolebat. Et *Petrus* non eſt uſus in multis ea poteſtate, quà poſt uſi ſunt illius ſucceſſores. At non conſequitur, non eſt uſus poteſtate, ideo non habuit poteſtatem. Illius ergo temporis conſuetudinem adferebam in argumentum, quo docerem Epiſtolam eſſe confictam à recentiore quopiam, in qua ob panes non recte diſtributos, *Damaſus* jubetur ferre generalem excommunicationis ſententiam in omnes qui hoc facerent.

5 *Num hæc Monarchia,* &c. Ex uno loco duas facit hæreſes. Cum dico *hæc Monarchia,* complector omnes circumſtantias poteſtatis, quam exercebant *Romani* Pontifices cum illa ſcriberem. Tum non licebat Archiepiſcopo *Scotiæ* geſtare pallium, niſi redemtum à Pontifice *Romano.* Unum exemplum pono, cum poſſim hujus generis referre ſexcenta. Quod ſi quis tam impudens eſt, ut dicat Pontificem *Romanum* ætate *Hieronymi,* per totam *Europam, Africam* & *Aſiam,* per quas regiones tum erat ſparſa religio Chriſtiana, exercuiſſe eam poteſtatem, quam *Julius* exercuit per *Galliam* & *Italiam,* fatebor me hoc non hæretice ſcripſiſſe, ſed temere & incircumſpecte. Neque enim hîc ago de poteſtate tradita, ſed exſerta. Quis enim negat Pontificibus magnam eſſe poteſtatem traditam ad ædificationem Eccleſiæ, non ad deſtructionem? ſed hanc non ſemper exſerunt qui habent. Et uſurpant nonnunquam quam non habent. Qui taxat uſurpatam, aut qui negat exſertam, non ſtatim negat traditam. Quod autem hîc ſentio de Monarchia non tradita ſed exſerta, docent ea quæ præcedunt, *non ſolere.* Nec ad argumentationem

Digitized by Google

meam ibi referebat, quid potuerit *Damasus*, sed quid solitus sit facere. Dices, fit illic mentio de excommunicando. Verum: sentiebam enim tum non solere pronuntiari anathema generale, nisi in causa fidei, idque ex Synodi sententia. Hîc fictus *Hieronymus* ex auctoritate *Chrysostomi* jubet, ut *Damasus* ob panes parum commode distributos ferat excommunicationem in omnes qui id facerent. Jam non disputo, an liceat Pontifici quavis de causa excommunicare, sed arbitror, apud Priscos hoc non solere fieri. Et hanc Annotationem *Stunica* vocat hæreticam & insanam. Dicas illic esse zelum dignitatis Pontificiæ.

6 *Quod* Petro *dicitur*, &c. Jam ad hoc responsum est in secundo articulo. Nec video quid hîc suspicetur *Stunica*, nisi forte me sentire, quod ajunt docere *Lutherum*, omnes Christianos esse Sacerdotes, omnes posse consecrare & absolvere. At istud mihi ne per somnium quidem unquam venerat in mentem, cum illa scriberem.

7 *An Damasus*, &c. Hunc locum decerpsit ex obscura quadam Epistola, unde decerpserat tertiam suspicionem. Quidam contra me agens, citabat *Damasum* summum Orbis Pontificem, ego relinquens in medio an fuerit, dico nomen hoc non fuisse auditum illis temporibus. Qui in medio relinquit, neque probat, neque improbat, id non semper est dubitantis, sed alio properantis. Sed fingat me dubitasse, si quid dubitatum est, dubitatum est de potestate agnita vel exserta, non de tradita. Quod si quidpiam dubitassem de potestatis traditæ modo, nihil esset novi, cum hactenus hoc thema fuerit solemne in Scholis, nec adhuc satis conveniat inter Theologos. At nunc, inquiet, pronuntiavit Bulla *Leonis*, rem docuit Card. *Cajetanus*. Verùm illa mihi scripta sunt ante annos septem. Et si nunc eadem scriberem, cum senserim de modo potestatis exsertæ, quid esset periculi?

8 *Augustinus*, &c. Exstat Epistola quædam *Augustini*, qua monet *Innocentium*, ut caveat à *Pelagio*, in ea non videtur agnoscere præeminentiam, quam nunc tribuunt *Romano* Pontifici: scribit enim tanquam collegæ. Et *Innocentius* agit illi gratias, quod de fidei negotio scribat ad illius sedis Episcopum. At non sequitur, non agnovit in illa Epistola, igitur non agnovit simpliciter. Rursus non sequitur, *Augustinus* non agnovit, ideo non habuit *Innocentium*. Nec statim schismaticus erat, qui non agnosceret, cum Pontifex non exigeret agnitionem. *Gracia* diu non agnovit *Romanum* Pontificem, & tamen erat orthodoxa. Et erant fortassis in *India*, qui nescirent *Petrum* esse natum, qui tamen non erant schismatici. *Cyprianus* item appellat *Cornelium* fratrem & collegam, quod si quis nunc faciat, videretur parum agnoscere *Romani* Pontificis dignitatem. At idem *Cyprianus* alibi multum tribuit *Petro*, cujus successor est *Romanus* Pontifex. Et tamen hæc omnia, quæ refert ex libris editis ante notum *Lutherum*, pertinent ad potestatem agnitam aut exsertam.

Hactenus ad *Stunicæ* suspiciones, quas si quis ut ille nudas & odiose proponit, conferat cum illius collectione, quæ est in peroratione, Erasmum *non recte sentire de primatu Sedis Apostolicæ*, intelliget quam sit insyncerus ratiocinator. Promiserat in titulo duo, nec non recte sentire de primatu *Petri* & Sedis Apostolicæ, & in peroratione facit summam de Sede Apostolica. Quales libellos confeciset hic *Stunica*, si fuisset à rationibus alicui Monarchæ, puta *Turcæ* aut *Sultano*?

Nunc non respondeo *Stunicæ*, sed servio horum temporum malitiæ, & quorundam infirmitati. Jactat in præfatione suam diligentiam, sic igitur accipiamus hominem undiquaque doctum, vigilantem, oculatum, indefatigabilem, denique *Stunicam*, hæc ex tot meis lucubrationibus tranquillo seculo scriptis & evulgatis, voluisse docere, me non recte sentire de primatu Pontificis: cur fuit tam oscitans in aliis locis, in quibus magnifice sentio de primatu Pontificis? Notavit locum in censura quam obiter scripsi, cujus est facta mentio in Articulis 4 & 5. Cur non notavit locum, qui est in Epistolam quandam ad *Damasum*, ubi hoc annoto in scholiis: *Hic* Hieronymus *videtur omnes Ecclesias subjicere* Romano *Pontifici?* Vidit hunc locum *Eccius*, sed non hunc solum. At *Stunica* non videt, nisi quod calumnietur. Et interim hunc vocat morem Scholasticum. Imò mos est araneorum, ad omnia adrepentium; & quicquid exsuxerint, vertentium in venenum. Cur non refert tot loca, in quibus appello *Romanum* Pontificem vere summum, modis omnibus maximum, *Christi* summi Pastoris Vicarium, in quibus illi tribuo potestatem secundum Deum maximam? Nullo nomine pejus audio apud impense *Lutheranos*, nisi quod impensior sum in laudes *Romani* Pontificis. Hoc crimen malo, quam seditiosi.

Dicet, cur hæc annotaras? Respondeo, cur tu hæc annotas potius, quam quæ scripsit *Occam*, ne commemorem *Gersonem* & alios? Non versabar in quæstione de primatu Pontificis, sed versans in antiquis Scriptoribus, obiter conferebam hujus seculi statum, cum ætate qua illi scripserant, quæ quidem magna fructus pars est in historiis. Eodem studio cum ego lego Acta Apostolorum, confero cum seculis posterioribus, quid accreverit, quid decreverit. Et obiter si quid incidit, annoto tribus verbis, nihil asseverans. Quis autem suspicari poterat exorituram factionem *Lutheranam*, infensam dignitati Pontificiæ, sed hac nocentiorem *Stunicam?* Quî potui divinare hujus seculi tumultum, quem arbitror nec ipsum *Lutherum* unquam vel speravisse, vel timuisse?

Jam si quis dicat mihi, valeat *Stunica*, quid sentis de potestate Romani Pontificis? Ego de potestate summi Pontificis, qui sine controversia est Dominus omnium *Jesus Christus*, constantissime ac magnificentissime sentio, potestatem ex ipso didici. Sic enim loquitur in Euangelio: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Gloriam didici ex *Paulo*, nullo non loco celebrante majestatem illius, sed præcipue ad *Philipp.* Cap. II. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.* Hujus potestati utinam se subjiciat totus mundus! hujus gloria utinam obscuret omnem humanam gloriam! ut si quis vellet gloriari, tantum in Domino gloriaretur. Et tamen hic magnam potestatem tradidit ministris sermonis Euangelici. Ipse gesserat vivens maxima: *Et majora*, inquit, *his facient.* Magnum erat, umbra corporis sanare ægrotos. Majus erat, impositis manibus dare Spiritum Sanctum. Cessarunt miracula pro tempore data, quemadmodum & Legis ceremoniæ. Nec tamen antiquata est vis Spiritus Sancti, quam *Christus* infundit per Sacramentorum suorum ministros. Horum igitur auctoritatem non contemno, multo minus *Romanorum* Pontificum. Qui si suo funguntur officio, veneror Dominum *Jesum*, per illos nostræ saluti consulentem. Sin minus, illi mei sunt judices, non ego illorum. Habent Dominum ac judicem suum, cui stant aut cadunt. Ordinem laudo, tranquillitatem amo, seditionem detestor. Hæc conscientia sufficit homini parum docto ac pusillo. Utinam autem omnes Pontifices *Romani* tam sincere potestatem suam exerceant in *Christi* gloriam, ac salutem Christiani gregis, quam ego illorum dignitati non invideo. Dicet aliquis: Quid si palam sint Antichristi? Faciam quod monet Card. *Cajetanus*, orabo Deum, ut opituletur oviculis suis. Certe mihi non sumam mittere manum in *Christum* Domini. Nec tamen unquam prodam sciens *Christi* gloriam, nec hactenus prodidi. Nihil humilius & abjectius *Erasmo*: fateor, & tamen non ausim dicere, quam potuerim lædere dignitatem illius, si tam male sentirem de eo, quam fingit *Stunica*. Eat nunc *Stunica* homo vigilans, perlegat omnia quæ *Lutherus* scribit de *Romano* Pontifice,

Digitized by Google

fice, nam ego referre non ausim: perlegat omnia quæ ego illi tribuo in tot operibus meis, & iterum atque iterum perfricta facie clamet, mihi in omnibus & per omnia convenire cum *Luthero*. Et tamen aliquid magni veneni suspicatur *Stunica*. Quid facias homini tam zelotypo? Si vigeret adhuc Lex *Mosaica*, operæ pretium esset his remediis illius mederi suspicioni, quibus olim maritorum zelotypiæ medebantur uxores. Alioqui periculum erit, ne quoties in scriptis meis honorifice nomino *Jesum Christum*, suspicetur me sentire de *Mose*. Has suspiciones cum jampridem editis blasphemiis suis prodiderit Orbi, mirum est nondum coiisse Synodum, hominis suspicionibus medicaturam.

De Sacramento Confessionis.

9 *Fuisse*, &c. Cum addo, *ut opinor*, *ut videtur*, nihil assevero. Deinde cum addo, *quæ nunc fit*, significo hanc Confessionem cum suis circumstantiis. Certum est autem quædam circa Confessionem instituta ab hominibus, velut de tempore confitendi, de casibus. Et tamen disputans cum *Leo* tum aliis aliquot locis ostendo me probare hanc Confessionem velut à *Christo* institutam, meque meum sensum submittere judicio Ecclesiæ. At non licet dubitare. Verum de articulis fidei. De hoc, opinor, sic licuit dubitare ante Bullam *Leonis*. Neque enim dubito an obligemur ad confitendum, sed an hæc Confessio sit præcepta ab ipso *Christo*, ac perpetuo observata ab Apostolis.

10 *Quæ nunc recepta est*, &c. Ex eodem loco sumtum est, & eadem opera huic quoque responsum est.

11 *Olim*, &c. Quis hoc negat esse verum? Et tamen non ideo improbatur secreta Confessio.

12 *Apparet*, &c. *Institutam* appello, ut nunc est instituta cum obligatione & censuris. Et hanc Confessionem dico, in qua numerantur peccata, & circumstantiæ explicantur. Quod si erat, quomodo poterat unus Episcopus cum paucis Presbyteris tam numeroso populo satisfacere? Nec hoc tamen assevero, sed dico apparere. Atqui *Gratianus* collectis diversorum sententiis, facit liberum utrum malimus sequi. Si erat instituta, ut nunc est, ille Scriptor non erat sobrius. Et tamen hunc locum apud *Gratianum* nullus incessivit tot seculis. Quid hic potest suspicari *Stunica*? Me olim subdubitasse, an secreta Confessio, qualis nunc exigitur quotannis ab omnibus Christianis, fuerit instituta à *Christo*? Id juxta sensum meum, ne nunc quidem satis persuasum est, & tamen captivo intellectum meum in obsequium fidei, paratus credere, quicquid credit Ecclesia Catholica. Eat nunc *Stunica*, & videat quid *Lutherus* doceat de Confessione, ac postea clamet in omnibus, & per omnia mihi cum illo convenire.

De Extrema Unctione.

13 *Hodie*, &c. Quid hic suspicetur *Stunica* non queo conjectare. Certe à me nihil dictum est adversus Sacramentum, ac ne cogitatum quidem. Ostendi veterem usum ac novum, quasi indicassem priscum baptizandi ritum, & novum cum illo contulissem.

De Matrimonio.

14 *Matrimonii*, &c. Quid hoc ad nostram fidem? Etiam in cibis & jejuniis commodius habebant *Judæi* quam nos. Quid hoc ad fidem catholicam? Licebat illis odisse inimicos, nobis non licet. Licebat ducere plures uxores, nobis non licet. Licebat ductam repudiare, quamvis levi de causa, nobis non licet ante mortem. Non coibat apud illos matrimonium, nisi intercedente auctoritate parentum aut majorum: apud nos sæpe coit inter pueros ac puellas, stultos & ebrios, per lenas & impostores, verbis de futuro, sed organis præsentibus. Et tamen hoc matrimonium est indissolubile. Hoc si probat *Stunica*, jure damnat meam querimoniam. At dicet, Pontifex probat tale matrimonium. Hunc igitur taxas. Opinor nec Pontifici placere talia matrimonia. Et utinam declararet, sic contracta non esse matrimonia, quemadmodum declaravit inter fœminam & frigidum.

15 *Haud scio*, &c. Dissimulat *Stunica*, quod toties in scriptis meis repeto, me quoties Sacramentum absolute nomino, sentire de Sacramento juxta peculiarem & exactam ejus nominis rationem. Secundum hanc constat plerisque Veteribus matrimonium non fuisse Sacramentum. Quando *Petrus Lombardus* scribit in hoc non infundi gratiam sacramentalem, & ex consequenti negat esse Sacramentum. *Durandus* fatetur à Veteribus dubitatum, sed recentiores Theologos cœpisse numerare inter Sacramenta proprie accepta. Ego tamen ubique profiteor me Matrimonium ponere inter Sacramenta juxta propriam ejus nominis rationem, idque & ante *Lutherum* notum. Et hac de re copiose respondi, primum *Leo*, post *Caranza*. An hic quoque mihi convenit in omnibus, & per omnia cum *Luthero*?

16 *Nullus est*, &c. Proferat igitur *Stunica* duntaxat juxta dictam rationem, hoc est, ut per signa sacramentalia ex pacto infundatur gratia sacramentalis.

17 *Haud scio*, &c.

18 *Theologi*, &c. Eandem cantilenam repetit. Nec omnes tamen Theologi, sed recentiores, ut ait *Durandus*. Et si non dubitabatur, quid opus erat hoc definire in Concilio *Florentino*, cujus sententiæ ego assentiebar, etiam antequam scirem esse decretum? Et si nunc res esset in ancipiti, tamen propensior essem in favorem Matrimonii. Atque utinam hoc ita persuasum esset Orbi, ut omnes caste colerent matrimonium!

De Horis Canonicis.

19 *Sacerdotes*, &c. Hoc cum sit dilucidius, quam ut dissimulari possit, demiror, quid sibi velit *Stunica*. Non hoc imputo Ecclesiæ aut Pontifici, sed audacibus quibusdam ac superstitiosis, qui sine auctoritate addunt, quæ volunt. Nec statim ista probat Pontifex ad quæ connivet.

De Ceremoniis.

20 *Hodie*, &c. Toties in libris meis testor me probare ceremonias à Patribus institutas. Cæterum immodicas & ineptas à superstitiosis inductas, quis non damnaret? Nec damno utentes ceremoniis, sed his fidentes neglectis iis, quæ vere pium faciunt. Et alicubi queror accrevisse ceremonias, decrevisse pietatem. Olim quantulum erat ceremoniarum in consecrando Episcopo! precabatur multitudo, Presbyteri imponebant manus. Nunc reputa quam nullus sit modus ceremoniarum, priusquam fiat Episcopus. Ac deinde confer horum & illorum virtutes. Hoc exempli gratia dictum esto.

21 *Christiani*, &c. Hoc ipsum *Augustinus* questus est ætate sua. Quid dicturus, si nunc viveret!

22 *Non probo*, &c. Imo vehementer improbo. Dabo exemplum. Dies festi ceremoniæ sunt: hos quotidie levi de causa augent Episcopi. Imo Gardiani & Priores quotidie instituunt novas ceremonias. Hic nihil in Ecclesiam aut Pontificem dictum est. Hanc ceremoniarum inundationem damno.

Confusi tituli.

23 *Doctrinam Christianam*, &c. Utinam hoc falsum esset! Christianam autem voco non Euangelicam aut Apostolicam, sed eam qua nunc utuntur Christiani. Quod si verum non est, unde tanta inter doctores dissensio?

24 *Nusquam expressa*, &c. Doceat *Stunica* & me vocet non hæreticum sed oblivioſum, scio apud *Thomam* hoc inveniri, sed ego de sacris Litteris loquor.

25 *Non insector*, &c. Utinam omnes facerent quod fecit divus *Paulus*! Quid hic est impietatis, si ostendo quid sit perfectius?

27 *Christum ut fi.* &c. De his cum copiosissime responderim & *Stunica* & *Caranza*, miror quid hanc cantionem denuo nobis occinat.

28 *Apostoli suam Græcitatem*, &c. Etiam Hebraice sic didicerunt. Nec ideo negatur donum Linguarum, (quod fortasse suspicatur *Stunica*) quod probabiliter creditur in eo fuisse situm, ut quis unica Lingua

Digitized by Google

loquens quam sciret, ab omnibus diversæ Linguæ intelligeretur. Et ad hoc respondimus *Leo.*

29 *In negotiis*, &c. Cum hoc in loco hæreant Auctores, quorum varias opiniones recenseo, addo & meam opinionem. Nec definio, sed addo, *fortasse*: nec hoc contentus, addo, *ingenue Christiani*, concedens jusjurandum infirmis.

30 *Ut hæretici*, &c. *Stunica* fortasse somniat me vocare orthodoxos, sanctos ac probatos Ecclesiæ Patres, etiam fures, lenones & adulteri sunt orthodoxi. Ista quæ queror fiunt nonnunquam à scribis eruditulis. Et hoc esse factum aliquot locis doceo.

31 *Miracula*, &c. Non taxo *Cyrillum*, verùm nego illa scripta fuisse per *Cyrillum*, sed per impudentem rabulam. Quid hoc ad fidem catholicam? Non incesso sanctum virum, sed illius reverentiam tueor.

32 *Hæc Christi*, &c. Non solum *Christi*, sed & Apostolorum. Nec ideo damno necessaria bella.

34 *Hierosolymis*, &c. Et *Hieronymus*, qui vivebat in *Palæstina*, quoties refert aliquid de vestigiis locorum, ambigue refert quasi diffidens. Quanto minus mirum, si res nunc se sic habet?

35 *Hodie*, &c. Hoc dico in Missis & precibus horariis, in quibus non oportebat audiri nisi Scripturam sacram, aut scripta vehementer probatorum hominum, nunc admixtas esse sequentias quasdam & hymnos, rythmos versiculos pueriles & ineptos. Quid colligit *Stunica*, me damnare quod legitur in Ecclesia? Quasi rectum sit, quicquid fit in Templis omnibus. Imo moneo Episcopos, ne permittant hoc fieri in Ecclesiis. Nunc quilibet addit quod libet, etiam sine auctoritate Episcoporum.

36 *Qui quotidie*, &c. Si meditari est moribus exerceri, quod docet Lex divina, quemadmodum illic doceo, an meditantur in Lege Domini, qui Psalmos non intellectos remurmurant? An non & *Paulus* docuit esse prorsus inutile psallere spiritu, nisi psallas & mente?

37 *Non committitur*, &c. Non dico non posse committi, sed indico *Petro* non committi, nos enim sæpe fugit, an diligat Deum cui committitur grex. Certe committi non deberet nisi amanti *Christum*. An non quod hîc admoneo, docet præter alios divus *Ambrosius*? Nec ideo adimo malis Episcopis suam jurisdictionem: nam hoc, opinor, suspicatur *Stunica*.

38 *Symbolum*, &c. Hæc rixa olim exercuit *Valensem*. Doceat *Stunica* rem tantam.

39 *Historiam*, &c. Id adeo verum, ut adhuc nullam repererim Ecclesiam, quæ legat eam historiam. Et si qua legeret, quid tum postea? Utinam hanc solam fabulam legeret Ecclesia!

40 *Non audio*, &c. Citat fragmentum argumentationis ex declamatione, quæ quoniam adhibetur ad exercitationem eloquentiæ, licuit uti vel falsissimis argumentis. Quid calumnietur *Stunica* nescio. *Fœdam* voco, non quod semper sit eum peccato conjuncta, sed quod pudenda ac pecuina. Et ante peccatum prurigo fuisset, non fœda tamen.

41 *Hodie*, &c. Idem olim questus est *Aurelius Augustinus*. Quo justior querela est hisce temporibus. Hæc à superstitiosis invehuntur, quædam approbantur ab Episcopis, quædam tolerantur. Ea quoniam inundant supra modum, moneo ut corrigantur.

42 *Omnis*, &c. Hoc optarim esse falsissimum, sed heu negari non potest! Quod si hoc deplorare hæreticum est, eadem ratione hæreticum erit, si dicam totam Christianorum vitam scatere furtis, fraudulentiis, obtrectationibus, adulteriis, temulentiis. Et tamen huic calumniæ respondi libello edito.

CONCLUSIONVM FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI EPISTOLA APOLOGETICA ADVERSVS STVNICAM.

Erasmus Rot. Huberto Barlando Medico *S.*

SI *deest quod rideas*, Huberte *suavissime*, *en tibi argumentum.* Stunica, *quem dicas* Romæ *prorsus agere* γελωτοποιὸν, *pridem emisit libellum, quem* Friburgi *dum suppellectilem migratione confusam excutio, forte reperi, ac dum præter solitum esset otii nonnihil, percurri, in quo veterem Interpretem sic vindicat à solœcismis, ut asseveret illum & bene Latine & eleganter vertisse omnia. Audis magnificam* προσεπιφώνησιν. *Huc assumit quædam manifesto falsa, quædam vehementer controversa. Manifesta vanitatis est, quod in præfatione prædicat me Graculum Æsopicum referentem, compilasse* Laurentii Vallæ *commentarios, atque illius suppresso nomine aliena pro meis venditare, cum omnium primus* Vallæ *commentarios mea opera meoque sumtu curaverim evulgandos* Lutetiæ, *deinde cum innumera sint in meis quæ* Laurentius *non attigit, denique cum in ipso opere toties citem* Vallæ *nomen, nisi forte putavit mihi ad quamvis frivola faciendam* Laurentii Vallæ *mentionem, præsertim cum Liber exstaret.*

Porro hanc Editionem vulgatam, eam esse quam divus Hieronymus *jussu* Damasi *castigavit, sic est controversum, ut inter manifesto falsa numerari possit. Habes pollicitationem Prologi, nunc accipe conclusionis triumphum. Jactat nihil esse suavius quam eum hominem indoctum illitteratumque toti Orbi commonstrare, quem multi antea putarunt aliquid scire: & subinde gloriatur se* Erasmum *vincere non solum in sacris Litteris, verum etiam in profanis, in quibus mihi videar excellere. Quam proclive est esse disertum, ubi quis sibi permittit quicquid collibitum est fingere. Nam ipse nec sacrarum nec profanarum litterarum peritiam insignem unquam jactavi. Et si hanc laudem affectat* Stunica, *per me quidem suo fruetur arbitratu. Verùm ne plus satis sibi placeat hac victoria, habet hoc seculum plusquam decem millia, quibus in omni litterarum genere lubens herbam porrigo. Utinam adesset* Stunicæ *tantum eruditionis, quantum sibi tribuit! Cæterum quid stultius quam eum protinus haberi doctiorem, qui in opere alieno præsertim vario reperit quod arrodat? Non mihi videor dignus qui* Hermolao Barbaro, *si viveret, matulam porrigam, & tamen in illius scriptis sunt, qua jure possim carpere.* Nicolaus Leonicenus *quædam notavit in* Plinio, *num ideo continuo doctior? Ipse divum* Augustinum, Ambrosium & Thomam *aliquot in locis reprehendo, nec immerito, num ideo doctior?* Aulus Gellius *indicavit in* M. Tullio *memoriæ lapsum, & auctore* Augustino *litteratores in Oratorum eloquentissimis libris deprehenderunt solœcismos, quos aliquot & ipse in* Cypriano, Hilario, Ambrosio & Hieronymo *possum à me notatos ostendere. Denique sutor reprehendit aliquid in* Apellis *tabula, num illico gloriabitur* Apellem *ab se victum? Quis hoc non videt esse stultissimum, etiamsi quid animadversum sit fœdi pudendique lapsus. Nunc mihi vide quam ex frivolis nugis, quos triumphos agat* Stunica. *Exagitat Capitis nume-*

Digitized by Google

merum perperam notatum, fortaſſe Typographorum incuria, nuſquam enim peccatur ſapius. Sed age ſit meus memoriæ calamive lapſus, quid eſt quod hîc plaudat Stunica, *cum hoc officii non raro mihi præſtent famuli, & amanuenſes? Librum Annotationum ſcribere difficile eſt, at nihil facilius quam in magno opere* Momum *agere, & navum aliquem, qui fefellerit, oſtendere. Denique ſi ex profeſſo ſuſcepit Interpretem ab omni ſermonis vitio vindicandum, cur tot loca à me notata diſſimulat? Tametſi quid ſtultius quam hoc anxie à ſacris Litteris depellere, quod in illarum gloriam à probatiſſimis viris prædicatur,* non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, *&c. Et qui tales ſcribit libros, mihi objicit ingenii obtuſitatem, quo convitio ne tantulum quidem offendor, tantum à* Stunica *objici rideo. Verùm ne pluribus morer, loca ſingula tribus verbis indicabo.*

1 *Matthæi* Cap. v. Noto quod Interpres recedens ab Euangeliſtæ verbis, poſt *mille paſſus*, ſubjecerit *alia duo*. *Stunica* dicit recte intelligi *alia duo*, nimirum *millia*, quia præceſſit *mille*. Verùm illud *mille*, quod anteceſſit, adjectivum eſt, non ſubſtantivum. Nec agitur quid poſſit ſubaudiri, ſed de ſermonis integritate agitur. Niſi forte videbitur Latine dicere, qui ad hunc loquetur modum, *Do tibi mille nummos, cras daturus alia duo.* Excuſari poterit, ſi hæc ſermonis forma reperiatur apud probatos Scriptores. Nunc cum per ſe ſit abſurda, nec apud ullum Veterum inveniatur, quid eſt quod nugatur *Stunica*? *At præceſſit*, inquit, *mille paſſus*, ad quod non reſpondet, *alios duos mille paſſus*. Verùm quid opus erat dicere *mille duos paſſus*, cum *Matthæus* ſcripſerit μίλιον, id eſt, *milliarium*. Et ſi omnino fuiſſet cauſa gravis, cur mallet *mille paſſus*, dicere poterat, *alteros bis mille*. Quid hac Annotatione ſtultius? Et tamen colligit *Stunica*, Interpretem hîc eleganter ac proprie loquutum.

2 *Matthæi* vi. Quoniam ſolœciſmum indicans inverſo vocum ordine dico, *Magis pluris eſtis vos*, cum habeatur, *vos magis p. e.* exprobrat memoriæ lapſum, quaſi vero id quicquam ad rem faciat. Hîc hoc colore tuetur Interpretem, quod comparativi duplicationem retulerit ex idiomate ſermonis Hebraici. Atqui hæc præcipua eſt ſolœciſſandi occaſio, quod Latine loquentes alienæ Linguæ tropos referimus. Hoc *Stunica* commentum ſi recipimus, emendate loquetur, qui pro, *ut ita loquar*, dixerit, *ut figura dicere*, quod Græci recte loquuntur, ὡς τύπῳ εἰπεῖν. Item qui pro *incumbit in hanc rem*, dixerit, *ille jacet ibi ſupra ad*, quod noſtratis Linguæ formam expreſſerit. Id ſi libeat aut vacet pluribus exemplis ob oculos ponere, quos cachinnos ſim eruditis excitaturus. Et tamen hæ ſunt illæ præclaræ Annotationes, quibus *Stunica* declarat Orbi ſe eſſe virum undiquaque doctiſſimum, *Eraſmum* nihil omnino ſcire litterarum. Sed hic ad aliam confugit ancoram. Apud *Plautum* legimus:

Nam niſi qui argentum dederit, nugas egerit:
Qui dederit, magis majores nugas egerit.

Primùm, quis unquam ad *Plautinam* vel licentiam vel obſoletam antiquitatem exegit orationem proſam? Deinde *Plautinus* verſus non conſtat, niſi in *magis* eliſeris s. Probabilius eſt ſcriptum, *Qui dederit is majores nugas egerit.* Habes inſignem *Eraſmi* errorem.

3 Accipe magis inſignem. Eodem Cap. *Videbis ejicere*, pro *diſpicies ut ejicias*, aſſeverat pure ac Romane dictum ab Interprete. Quo argumento? Quia Græce ſcriptum eſt βλέψεις ἐκβαλεῖν. Sequitur ſuam regulam, quam modo docuimus eſſe ridiculam. Addit quiddam inſigniter impudens, *videbis ejicere*, nihil aliud ſonare Latinis, quam quod Græcis ſonat, βλέψεις ἐκβαλεῖν. Nihil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri. Hîc miſeræ cornici detracta eſt una pluma, ſic enim ille jocatur.

4 Sed infelicius decidet altera. *Matthæi* viii. *Quid nobis & tibi*, pro eo quod erat, *quid tibi nobiſcum*, aſſeverat eleganter dictum. Quî ſic? Phy, vel cæco perſpicuum eſt. Sic enim loquuntur Hebræi & Hebraicam formam expreſſit Euangeliſta, à cujus verbis non oportet diſcedere. Poſtremo *Hieronymus* eandem figuram reddidit Judicum xi. Quis credat *Stunicam* fuiſſe ſobrium cum hæc ſcriberet? Non licet ab Euangeliſtæ verbis uſquam diſcedere? Cur id ſexcentis locis fecit Interpres? Cur *Hieronymus* in Vetere Teſtamento paſſim recedit ab idiomate ſermonis Hebræi? Id ni feciſſet, quæſo te, quid eſſet eo ſermone prodigioſius? Quas leges nobis præſcribit hic nugator! At longe alias præſcripſit *Hieronymus*, in libello *De optimo genere interpretandi.*

5 *Matthæi* xi. *Cum conſummaſſet præcipiens*, pro eo quod erat, *cum feciſſet præcipiendi finem*, aſſeverat ſermonem mere Romanum. Ad quam regulam? Quia reddidit Græci ſermonis figuram. Itaque Latine loquetur qui dixerit μέμνημαι ἐλθών, *memini veniens*, pro *memini me veniſſe.*

6 Eodem Cap. *Pauperes euangelizantur*, pro eo quod erat, *pauperibus adfertur bonus nuntius*, autumat eſſe Latinum, confitens interim hanc ſermonis formam Latinis inauditam eſſe: perinde quaſi quis dicat, nummum eſſe aureum, cum tamen non habeat aurum: nam Latine loquentium conſuetudo, norma eſt bene Latine loquendi. Rogat ſi quis ad Græci ſermonis formam dicat *eos annuntiari*, quibus aliquid annuntiatur, num *Eraſmus* ſit vetiturus nè id faciat? Per me licebit ut ſic loquatur *Stunica*, ſed quo minus Latine loquatur, obſtabit Latine loquentium conſuetudo: niſi forte *creditum* poterimus dicere, cui quid concreditum eſt, & *bene paſſum*, qui affectus eſt beneficio. Poſt hæc flagellat *Vallam* pudendo errore lapſum, quod putarit διαγγελίζονται accipi hîc ſignificatione activa. Id cum didicerit ex Annotatione mea, tamen velut ab ipſo repertum jactat, quod in hoc libello paſſim facit, atque interim me facit corniculam *Æſopicam*, ipſe propriis plumis conſpicuus.

7 Illud vero vehementer etiam ridiculum putat, quod Capite xv. Interpres pro *Scribæ Hieſolymitani*, verterit *Scribæ ab Hieroſolymis.* Nihil enim intereſſe. Poſthac igitur Latine loquetur, qui dixerit *Stunicam ab Hiſpania delirare Romæ*, pro eo quod erat, *Stunica Hiſpanus delirat Romæ.* Quanquam hic ſermo præter ſolœciſmum habet amphibologiæ vitium.

8 *Matthæi* xx. *Principes gentium dominantur eorum*, negat Interpretem fugiſſe quod ἐθνῶν ſit neutri generis, ſed ad rem ſignificatam reſpexiſſe. Id videri poterat probabile, niſi Interpres multis aliis locis ad hunc lapidem impingeret. Velut in Pſalmo, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia.* Jam ſicubi deprehendiſſem apud Auctores probatos, *dominatur eorum*, non annotaſſem eſſe ſolœciſmum, *Stunica* nullum Auctorem profert, prolaturus haud dubie ſi quid haberet.

9 Eodem Cap. *Stunica* recte dicitur *miniſtrari*, cui miniſterium exhibetur. Ad quam regulam? *Quia ſic*, inquit, *loquuntur Græci.* Itidem recte dicetur, *committi* cui aliquid committitur. Atque hic homo prudens impingit mihi calumniam.

10 *Matthæi* xxii. *Impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium*, putat Latine dictum, quod *Virgilius* dixerit, *Implentur veteris vini:* quaſi ſtatim liceat in oratione ſoluta, ſi quid Poetæ vel ad oſtentationem antiquitatis, vel pro ſuo jure dixerint. Tum ſi recte dicitur *plenus vini*, non ſtatim Latine dicetur, *impletus vini*, & ſi Latine dicitur, *homo vini plenus*, continuo recte dicetur, *domus impleta convivarum.* Nam quod ex *Cicerone* profert ridiculum eſt, *neque ollam denariorum implere:* genitivus enim non refertur ad *implere*, ſed ad *ollam*, quæ denariis erat deſtinata. Nam *ollam denariorum* dixit, denariis reponendis deſtinatam.

11 Eodem Cap. *Neque nubentur*, docet priſcos dixiſſe *nubo te*, unde *nupta* & *nuptus.* Fateor hoc dixit antiquitas, ſed obſoleta, quam imitari nunc ſolœciſſare eſt. Cumque divus *Hieronymus* indicet Interpretem

Digitized by Google

reddidiſſe Græci ſermonis idioma, quod tamen non reſpondeat conſuetudini Latinæ, *Stunica* tamen pronuntiat eſſe Latinum. Quid enim eſt ſolœciſſare, quam præter conſuetudinem recte loquentium loqui. Jam & illud ſuave, quod cum agatur de caſtimonia Linguæ Latinæ, profert nobis *Tertullianum* auctorem: nec minus ineptum, quod quoniam *Tertullianus* ſcripſit *ubi non nubitur*, colligit dici *nubor*. Hac ratione dicemus & *vivor*, quia *Terentius* dixit, *ubi non vere vivitur:* dicetur *dormior*, quia *Juvenalis* dixit, *Minimum dormitur in illo.* O *Chryſippum*, cui ego ſum *Araſmus*!

12 Cap. XXIV. Ex *Suetonio* probat Latine dictum *opiniones bellorum*. Quibus argumentis? Primum quia Græce eſt ἀκοαῖς. Atqui ſi non licet recedere ab Euangeliſtæ verbis, quemadmodum ante docuit *Stunica*, dicendum erat, *auditus* ſive *auditiones bellorum*. Deinde qui exactius requirunt Romanæ Linguæ caſtimoniam, rejecturi ſunt *Suetonium* ex albo judicum. Sed quid dixit *Suetonius? Exiit opinio deceſſurum eum.* Quid hoc ad *opiniones bellorum? Opiniones bellorum* nemo dixit, præſertim multitudinis numero. Sed *Ambroſius* ſic loquitur. Quid ni? referens Scripturæ verba. Nec ſtatim Latinum eſt, ſi quid dixit *Ambroſius*.

13 Admonueram quod cum ὅτι Græcis ambiguum ſit, Interpres perperam pro *quod* vertit *quia: quod* enim interdum eſt εἰδικὸν, *quia*, nihil aliud ſonat quam cauſam. *Stunica* docet nos, nihil referre, utrum dicas *quod*, an *quia*. In hujuſmodi orationibus *recte dixiſti, quia virum non habes, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*, nihil aliud intelligi, quam quod intelligit populus Chriſtianus. Non ego laborabam quid intelligeretur, ſed quid ipſa exprimerent verba. Ridemus & intelligimus Moriones perperam loquentes, ſed poſteaquam illorum ſolœciſmis aſſuevimus: balbus balbum rectius intelligit. Non ſtatim Latinum eſt quod intelligitur à quolibet. Negat Interpretem retuliſſe Græci ſermonis proprietatem, ſed Hebraici. Quid? an Interpres Euangelium Græce proditum, vertit ex Hebræis? Sed valeat idem כי apud Hebræos quod ὅτι apud Græcos, continuo-ne Latine dicitur, quod ad peregrinæ Linguæ formam dicitur? *Interpres*, inquit, *Euangeliſta vertit ad verbum, vertit igitur Latine*. Proinde contumelia eſt in Spiritum Sanctum, ſi dicam Interpretem vertiſſe perperam, qui verbum verbo reddiderit. At hæc eſt unica ratio male vertendi. Et ſi dicam in ipſius Euangeliſtæ verbis eſſe ſolœciſmum, non opinor ullam injuriam fieri Spiritui Sancto: non enim in puritate ſermonis eſt regnum Dei. Quod ſi impium eſt reprehendere, quod non variat ab Euangeliſtæ verbis, impie fecit Interpres, qui toties recedit, etiam nulla neceſſitate. Quis non miretur hujus hominis acumen?

14 *Lucæ* I. Notaram Interpretem pro *meminiſſe* μνησθῆναι vertiſſe *memorare*, cum codex habeat *memorari*. Belle depulſus eſt ſolœciſmus, ſi typographus pro *i*, poſuit *e*. Non in hoc eſt τὸ σολοικὸν, ſed in genitivo. *Memorare* Latinum eſt, & *memorari* Latinum, ſed *memorari teſtamenti*, pro *meminiſſe*, ſive *recordari*, doceat *Stunica* eſſe apud probos Auctores, & vicerit.

15 *Lucæ* IV. Notavi Interpretem, ὅσα Græcis ancipitem vocem, & τοσαῦτα ſæpe perperam vertere, in *quanta* & *tanta*. *Stunica* nos docet *quanta* & *tanta* recte ad numerum referri, nec aliud valere quam *quot* & *tot*. Id probat hoc lemmate, quia in hunc ſenſum ſubinde vertit Interpres. Si hac ratione poterat defendi Interpres, unico malagmate licebat omnibus illius mederi vulneribus. Doceat *Stunica* ſic probatos Auctores fuiſſe loquutos, ac dixiſſe, *tantos habes digitos in pedibus quantos in manibus*, pro *tot* & *quot*.

16 *Lucæ* XIX. *Exegiſſem illud*, pro *illam* poſitum, *Stunica* mavult adſcribere Librariis, quam Interpreti. Et ipſe in Annotatione demonſtro illam lectionem inveniri in quibuſdam antiquis codicibus. Sed Interpres non hîc tantum ſic dormitavit, quia præceſſerat ἀργύριον.

17 *Lucæ* XXI. *Et omnis populus manicabat ad eum*, pro eo quod erat, *mane commeabat ad eum*, magnifice docet Latine dictum. Quî? *Horatius* ſcripſit,

—— *licuit ſemperque licebit*,
Signatum præſente nota producere verbum.

Quid? idem licet Oratori, quod Poetæ? Idem hodie quod ætate *Flacci?* Idem in quibuslibet verbis? Jam *maneari* à *mane* dicendum erat potius, quam *manicare* à *manica*. Et quid opus erat *manicare*, cum liceret dicere *diluculari?* Nec ὀρθρίζειν ſignificat tantum *mane ſurgere*, ut nos docet *Stunica*, ſed quidvis agere diluculo, quemadmodum *pernoctare* eſt noctu aliquid agere.

18 *Lucæ* XXIII. *Ventres quæ genuerunt. Stunica* dicit in caſtigatis codicibus legi, *qui genuerunt*. At ego in duobus meis codicibus reperio *quæ*, & quoniam ita ſubinde labitur Interpres, non inſcitia, ſed negligentia, probabilius eſt illud *quæ* à poſterioribus fuiſſe caſtigatum, quam ab Interprete poſitum. Verùm hac de re nolim contendere. Fuerit hîc felicior *Stunica*, qui codicem habuerit emendatiorem.

19 JOANNIS I. *Quaſi unigeniti à Patre*, oſtendi dicendum Latine *tanquam*: nam ὡς Græca vox anceps eſt, & ad rei veritatem & ad ſimilitudinem. Id *Stunica* non refellit, ſed refert nobis verba *Hieronymi*, ſecus hunc locum interpretantis in Epiſtola ad *Epheſ.* Cap. V. Quid illic docet *Hieronymus? Gloriam unigeniti*, non ſic accipiendum quaſi ſit alter unigenitus, cujus gloriam haberet & *Chriſtus*, ſed ut intelligamus ipſi *Chriſto* habitum à Patre honorem, non ut cuivis è numero Sanctorum, ſed ut unigenito. Hoc commentum, aut nihil ad rem facit, aut pro nobis facit. Si enim eſt alter Filius Dei, *Chriſtus* non eſt unigenitus, ſed unigenito ſimilis. Atqui ad hunc ſenſum exprimendum, opus erat *tanquam*, non *quaſi*. Nec mea refert, quod apud quoſdam, affecta jam eloquentia *Romana*, ſecus uſurpatum reperimus *tanquam* & *quaſi*. Hîc jacent ſimul *Laurentius* & *Eraſmus*.

20 *Joan.* IV. *Contuntur* verbum ut ſolœcum notaram. *At in Græco*, ait *Stunica*, *eſt* συγχρῶνται, *nec poterat Interpres proprius traducere*, nam *Stunica* verbis libenter utimur. Quid monſtri audio? Eſt hoc proprie transferre, verbum verbo reddere? Quis credat huîc homini ſanum eſſe cerebrum? Fatetur hanc ſermonis formam nuſquam inveniri apud Latinos, tamen vult videri bene Latinum.

21 *Joan.* VI. *Navis fuit ad terram*, vult Latine dici, & ſuſpicatur *Joannem* ſcripſiſſe, ἐπὶ τὸν γῆν, idque reclamante codicum omnium conſenſu. Si profert ullum Latinum ſic loquutum, aliquid egerit. Nunc fundit verba.

22 *Joan.* VII. *Feſto mediante*, vult eſſe Latinum, nec ullo probat argumento, niſi quod licet effingere Græcam vocem. Id à Priſcis factum in quibuſdam agnoſcimus. Nobis non idem licet. Alioqui quid erit noſtro ſermone portentoſius, ſi nobis hoc velimus permittere in reddendis Græcis?

23 *Joan.* XIV. *Et majora horum faciet*, non alio colore defendit, niſi quod Interpres expreſſerit Græci ſermonis formam? Fatemur, ſed hoc ipſo commiſit ſolœciſmum, niſi forte Latine loqueretur, ſi pro *Pater major me eſt*, vertiſſet, *Pater major mei eſt*.

24 *Joan.* XV. *Ut fructum plus adferat*, ſic excuſat, ut exiſtimet locum à Librariis vitiatum, cum nullus reperiatur codex, qui habeat hanc ſcripturam.

25 Eodem Cap. *Et colligent ea. Stunica* legit *eum*. Id quî poteſt, cum Euangeliſta ſcripſerit αὐτά. At præceſſit κλῆμα non κλήματα, fateor, ſed oſtendi nihil in hujuſmodi referre, utrum ponas ſingularem vocem, an multitudinis. Hic *Stunica* debebat inſpicere meam Annotationem, non tantum verborum fudiſſet incaſſum. Verùm *Stunica* cenſet pro αὐτὰ legendum αὐτό. Id cum nullus habeat codex, tamen pro ſua auctoritate pronuntiat locum eſſe depravatum. Si quid fieret à me ſimile, quo boatu vociferaretur, *Eraſmum* emendare ſer-

Digitized by Google

sermonem Euangelistæ. Superius in ὅτι, cum dixissem Interpretem expressisse formam Græcam, *Stunica* non tulit, & maluit hoc laudis asserere suæ Linguæ. Hic cum iterationem pronominis relativi annotassem venisse ex proprietate sermonis Hebræi, *Stunica* deridet, *Qui potuit*, inquit, *cum non esset Hebræus?* Quo quid dici potuit stultius? An Latini non sæpe reddunt proprietatem Græci sermonis, cum non sint Græci? Euangelista retulit formam Hebræi sermonis, & hanc reliquit Interpres. Jam quid refert ad solœcismum, utrum imitatione Græci sermonis an Hebræi recessit à castimonia Linguæ Latinæ? At *Stunica* negat in utraque Lingua vitium esse, quod *Joannes* reddiderit proprietatem Hebraicæ dictionis, Interpres Græcum expresserit, *Non est*, inquit, *vitium in Grammatica sic loqui*. O leges!

26 Act. Cap. II. notaram, *adinvicem*, pro, *inter se*, parum Latine dictum. *Stunica* defendit hoc colore, Interpres crebro sic loquitur, ideo Latine loquitur. Deinde *Valla* non notavit hunc locum, ideo nihil habet vitii. Postremo *Apulejus* dixit, *derepente*, licet igitur quibuslibet adverbiis addere præpositionem, & Latine dicemus *ad extra*, *ad intra*, *ad supra*, & *ad infra*. O doctorem!

27 *Actorum* III. Notaram vocem *pœnitemini*, ceu parum Latinam. Hic mihi impingit calumniam non uno nomine: *Valla*, inquit, *non notavit hunc locum*, *& Veteres dixerunt*, *pœnitemini*. Quid signi? Nisi ita esset, *Valla* damnasset. Mira enthymemata!

28 *Actorum* V. *Venundatum erat in tua potestate*, cum præcederet *ager*. *Stunica* putat codices vitiatos, cum nullius testimonium possit adferre, cumque tot locis Interpres ad eundem impingat lapidem.

29 *Act.* Cap. VIII. *Multi autem eorum*, *qui habebant Spiritus immundos*, *clamantes voce magna exibant*, hujus orationis absurditatem sic exculat, ut dicat locum à Librariis vitiatum. Atqui reclamat codicum omnium consensus.

30 *Act.* X. pro διὰ τρὶς, verterat *per ter*. *Imo ob hoc ipsum*, inquit *Stunica*, *Latine vertit*, *quia sic habetur Græce*. Imo ob hoc ipsum loquutus est male Latine, quia Græcam formam non recipit Latina consuetudo recte loquendi magistra. Quanquam Græce non est *per ter*, sed *ad ter*, ut hæc *Stunica* tergiversatio nihil patrocinetur Interpreti.

31 *Act.* XVI. *Foras portam*, pro *extra portam* Latine dictum affirmat *Stunica*. Quo tandem argumento? *Quia quædam adverbia usurpantur vice præpositionum*. Ubi? Hui, hoc ipso loco, *foras portam*, & in Psalmis, *subtus pedes*. Equidem scio quasdam præpositiones transire in naturam adverbiorum, contra fieri nondum comperi. Sed donemus id factum in uno alterove adverbio, continuo-ne licebit in omnibus?

32 *Act.* XVII. pro ὡς τάχιστα versum *quam celeriter*, sic excusat ut dicat eandem sermonis formam inveniri apud *Ciceronem*, cum nullum interim proferat locum. Atqui cum ante tulerit legem, ne recedatur à verbis Euangelistæ, hic bis peccavit Interpres, & quod superlativum vertit in positivum, & quod præter Latinorum consuetudinem loquutus est.

33 *Act.* XX. *Commendo vos Deo & gratiæ ejus qui potest*, &c. Indicaram, vertendum *quod*, ut referat *verbum*. *Stunica* docet, *qui potest*, referendum ad *Deo* qui præcessit: potest eo referri fateor, sed nimium dure. Quod si ad Deum retulisset, poterat dicere, τῷ δυναμένῳ.

34 Eodem Cap. *Neque facio animam meam pretiosiorem quam me*, ut tueatur Interpretem, corrigit *Lucam*, cum nullus codex Græcus habeat aliam scripturam. Unde id asserit? Quod *Laurentius* locum præterierit tacitum. O Syllogisten!

35 *Act.* XXI. *Cum suadere ei non possemus*, ut ostendat Latine dictum, dubitat utrum velit asserere scribarum vitio, *suadere* positum pro *persuadere*, an Interpretem abusum *suadendi* verbo, pro *persuadendi*. Si vult prius illud recipere, proferat vel unius codicis testimonium: si posterius verum est, constat Interpretem vitiose loquutum.

36 *Act.* XXVI. *De omnibus quibus accusor*; putat nihil referre addas-ne præpositionem, an omittas. Itaque nihil intererit utrum dicas, *accusavit illum variis rebus*, an *variis de rebus*. *Multis accusor*, an *de multis accusor*. Nam *accusatus est multis criminibus*, perinde est, quasi dicas, *multis nominibus*. Quædam adduntur paterno casu, quædam auferendi, sed addita præpositione, quædam citra præpositionem. In his nullum est *Stunicæ* discrimen. *Æstimo* pro *existimo* docet frequenter esse apud *Ciceronem*, ac vere dicit sic frequenter in libris illius esse depravatum. *Beatum apud te*, sic defendit, ut *apud te* referatur ad sequentia. Sed quid hoc ordine durius? *Apud te cum sim defensurus*. Sed hunc ait esse Græci sermonis ordinem. Imo res ipsa reclamat, μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ, id est, *quod me defensurus sim apud te*. *Omnia quæstiones*, sic tuetur, ut dicat hoc à Librariis vitiatum. Verùm hic erant citanda vetustorum codicum testimonia. *Nulla*, inquit, *erat hic labendi occasio*. Vicerit, si nusquam absque occasione, imo contra occasionem labitur Interpres, & tamen erat occasio, πάντων enim vel masculini generis est, vel neutri. Itaque quoniam per masculinum vertere erat absurdum, vertit per neutrum, & eo neglecto ἡδῶν καὶ ζητημάτων, (pro quo *Stunica* scripsit ζητημάτων) reddidit genere fœminino. Sed unde colligit Interpretem scripsisse *omnes*? Non asseverat, sed *possumus*, inquit, *sine dubio suspicari*. Novum sermonis genus. Quis suspicatur absque dubio? Et si nihil dubitat *Stunica*, cur confugit ad alteram excusationem frigidiorem, quam ut sit referenda?

37 Rom. II. *Inter se invicem cogitationum accusantium aut*, &c. Hujus solœcismi culpam rejicit in scribas, cum nullum proferat codicem syncerioris scripturæ. Nam quod ait *Ambrosium*, sequutum veterem translationem, manifesto falsum est. *Hieronymus* alicubi legit, *cogitationibus*, sed nec ille sequitur hanc Editionem, licet minus ab illa variet quam *Ambrosius*.

38 *Rom.* X. *Quis credidit auditui nostro*, pro eo quod erat, *quis credidit verbis nostris*: hoc colore tuetur à crimine solœcismi, *Si hoc*, inquit, *vitium in Latino est*, *nimirum & in Græco quoque esse debet*, *cum illic sit ἀκοῇ*. Fateor & in Græco redditam Hebraici sermonis proprietatem. An ideo non est solœcismus apud Græcos emendate loquentes? Quid autem ad rem pertinet quod *Ambrosius* interpretatur, *Qua audivimus abs te & loquimur?* Sed *Hieronymus* apud *Esaiam* ita vertit. Quasi vero *Hieronymus* observatione sermonis Hebraici non frequenter recedat ab integritate Romanæ Linguæ. Sed idem interpretatur his verbis significari raritatem credentium. Vere dicit, sed quid illuc ad *Bacchum?*

39 *Rom.* XII. *Odientes malum*, pro *odio habentes*, ita defendit, Veteres dixere *odio*, *odis*, *odivi*. Nec ullum profert exemplum, cum aliud doceant Grammatici. Nec protinus Latinum est quod habuit obsoleta antiquitas. Alioqui recte loqueretur, qui nunc diceret, *scibo*, pro *sciam*, quia sic loquutus est *Terentius*; qui *Tiburchinabundus* & *Lurchinabundus*, quod hæ voces exstent apud *Catonem*: qui *hos lodices*, quia sic ausus est loqui *Pollio*; qui *gladiolam*, quoniam ita dixit *Messala*; qui *parricidatum*, *Cœlium* sequutus: qui *hoc nasum*, auctore *Plauto*, aliaque plura quam ut numero comprehendi queant. Sed *Hieronymus* vertit, *odibunt scientiam*; ut hoc donemus, non statim Latinum quod ille vertit. Vertit *odiunt* in *Esaia*. Tum *Ambrosius* legit *odientes malum*. Postremo *Valla* non attigit hunc locum. Quid tum postea? Ergo baculus stat in angulo. O ratiocinatorem!

40 Corinthios II. Cap. VIII. *Non minoravit*, pro *non minus habuit*, hoc lemmate tuetur, quod Græce sit ἠλαττόνησεν. Quid aliud efficit, quam utrumque Inter-

terpretem dum exprimit ſermonis Hebræi proprietatem vitioſe loquutum, ſi modo verbum ἐλαττονέω aut non receptum eſt apud Græcos, aut non niſi active uſurpatum eſt. *Septuaginta*, inquit, *hoc verbo ſunt uſi, atque item* Ambroſius, *nec* Valla *locum hunc annotavit.* Quid tum poſtea? De ſolœciſmo agitur. Et hæc *Eraſmi* calumnia eſt.

41 Ad PHILIPP. Cap. IV. *Reſloruiſtis pro me ſentire*, pro eo quod erat, *reviguit*, ſive *refloruit veſter in me affectus*, notavi parum Latine dictum. Hoc loco ſic agit quaſi tantum notarim *reſloreſcendi* verbum, cum id me nihil offenderit. Quis Latinus audivit, *reſloruiſtis ſentire*? Quis intellecturus erat *ſentire* pro *affectum eße*, quis *pro me* intelligeret *de me* ſive *erga me*? Sed quid facias? *Ambroſius* ita legit, nec *Valla* notavit hunc locum. *Amuſſis*, ut ajunt, *alba in albo lalapide.*

42 Ad *Heb.* Cap. III. *Quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam.* Hîc miſere cæcutiit *Eraſmus*, qui non animadverterit *domus* hîc paterni caſus eſſe, qui juxta Græcorum idioma ablativi vice ſit poſitus. Atqui iſtuc eſt mutare ſolœciſmum non tollere. Poſthac igitur, auctore *Stunica*, licebit ita loqui, *Faber eſt melior domus ſua*, pro *faber eſt melior domo ſua.* Unde porro *Stunica* collegit mihi non animadverſum caſum *domus*, cum id indicem in Annotatione mea?

43 *Hebr.* VI. *Per majorem ſui jurant:* pronuntiat Latine dictum, eo quod Interpres expreſſerit Græci ſermonis idioma. Poſthac itaque recte dicemus, *Filius eſt minor patris*, & *Stuneca ſtultior eſt Coræbi.*

44 JAC. I. *Deus enim intentator eſt malorum*, pro eo quod erat, *Deus nemini immittit tentationes ad mala: Stunica* vult eſſe Latinum, meque commiſeratur qui hîc tam fœde lapſus ſim, qui putarim *intentator* dictum ab *intento*, (quod ille verbum ſimplex appellat, cum ſit æque compoſitum,) cum *intentator* hîc dictum ſit, ab *in* privativo, & *tentare*, quemadmodum Græce eſt ἀπείραστος. *Intentatus* erat tolerabile, at quis unquam Latinus audivit, *indoctor* pro eo qui non docet, aut *inconſultor* pro eo qui non conſulit? Quis autem docuit ἀπείραστος Græcis ſonare active? Et ſi ſonat, cur mox idem repetit, *ipſe enim neminem tentat.* Hîc oſtendit nobis quid ſenſerit *Jacobus.* At ego non de illius ſententia, ſed de ſermonis integritate loquebar.

45 In *Apoc.* ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Hîc *Stunica* mihi non ſolum calumniam, ſed blaſphemias & impietates objicit, quod in Apoſtolorum litteris exiſtimem eſſe ſolœciſmos, quaſi hoc ego ſolus dixerim, aut quaſi hoc non potius ad Euangelii Chriſtique gloriam pertineat, quam ad Apoſtolorum contumeliam. Vulgo indocto ſcripſerunt, & vulgata Lingua ſcripſerunt: apud illos non erant ſolœciſmi, ſed apud eruditos emendate loquentes erat ſermonis vitium. Quod ſi *Stunica* putat eſſe piaculum, ſi in Apoſtolorum ſcriptis reperiatur aliquid ſolœcon, hoc eſt, aliquid dictum præter emendate loquentium conſuetudinem, impius erit & ipſe niſi hunc locum magnifice defenderit à ſolœciſmi calumnia. Quibus autem modis rem gerit? *Atqui*, inquit, *potius illa verba oportebat* Eraſmum *admirari, ac quod extra Grammatica regulas eſſe cerneret, non ſine aliquo myſterio factum id eſſe reputare.* Bellum patrocinium! Fatetur hunc ſermonem eſſe extra Grammaticæ regulas, ac præter Græci ſermonis conſuetudinem: Sed quibus argumentis poſſis evidentius docere ſolœciſmum? An myſterium excludit ſolœciſmum? Non, ſed excuſat. Cæterum nihil excuſatur quod non eſt. Nec ego criminor Apoſtolos, quod alicubi parum emendate loquuntur, non magis quam ſi fuiſſent Hiſpanice loquuti. Ita *Chriſtus* ipſe *Syris* Syriace loquens, apud *Hebræos* exacte loquentes ſolœciſſabat. Quod ſi incommutabilis Dei natura ſignificata eſt vocibus indeclinabiliter poſitis, cur ipſum Dei nomen ubique per caſus inflectitur. Sed valeat hoc in duobus ὁ ὢν & ὁ ἐρχόμενος, quid ſonat Græcis ὁ ἦν, quemadmodum dicitur ὁ ὢν, & ὁ ἐρχόμενος? Poſtremo ſi tanti facit hoc myſterium, cur Interpres auſus eſt ab hoc myſterio recedere vitato myſtico ſolœciſmo? Obſecro te, nonne fortiter ac feliciter defendit Interpretem & Apoſtolos? Quid ſupereſt, niſi ut bene navata opera canat triumphum? Id facit ſerio, mentiens ſuo more, quod *Eraſmus* negligat myſteria, tantum intentus elegantiæ ſermonis, quod nec Apoſtolis parcat, emendaturus & illorum ſermonem: quod in vertendo Novo Teſtamento ſermonis lenocinium adhibuerit, in multis nec Græca ſit aſſequutus, nec Latini ſermonis proprietatem obſervarit: atque hujuſmodi Annotationum, tam elegantium pollicetur & alios complures libellos. Nimirum ad utilitatem ſtudioſorum, ut totus mundus lectis *Stunicæ* ſcriptis ſciat, fuiſſe quendam *Lopidem* virum divinum, qui clariſſimis argumentis demonſtrarit *Eraſmum* nihil ſciiſſe litterarum, ut poſthac omnes *Stunicæ* nomen pro Numine venerentur. Cum in libero maledicentiæ campo verſatur, nihil *Stunica* diſertius, cum ventum eſt in rem præſentem, & cominus conſerendæ manus, quantus ibi nugator ſit declaravit hic libellus. Et tamen hujuſmodi nænias *Romæ Dominicani* curarunt excudendas, præter Pontificis & Card. Edicta. Dices, cur mihi mittis hujuſmodi nugas? Non in aliud niſi ut rideas, novi enim quam ſis φιλόγελως. Quod ſi factum eſt, ſcopum attigi. Neque ſecius ſcopum ſuum tetigit *Stunica*, celebratur. Unum hoc ſpectabat. Atque hic eſt ille *Stunica*, quem *Bedda* vir tantus pronunciavit abſolutum Theologum, cum ipſe ſe tantum profiteatur Theologum abſque flocco. Libellus Epiſtolarum Medicinalium quem *Argentorati* reliqueras ad me mittendum, menſe, ni fallor, *Martio*, mihi *Friburgi* redditus eſt ad Idus *Junias*. Mira celeritas! An è *Francfordia* ſcripſeris neſcio, mihi nulla littera eſt reddita. Quoties, mi *Huberte*, male precatus ſum iſti πέμψει σοίας, quæ tua mellitiſſima conſuetudine nos tam cito orbavit! Quanquam tui deſiderium moderatius laturi ſumus, ſi tibi contigit adamata potiri. Hæc una deerat anſa tuæ Encyclopædiæ, quam alioqui numeris omnibus feliciter abſolviſti. Hactenus ſementem feciſti, nunc reſtat ut bonam meſſem metas. Bene vale, apud *Friburgum Briſgoiæ* 8. *Junii*, Anno 1529.

FINIS.

DES.

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
APOLOGIA
DE TRIBVS LOCIS,
QVOS VT RECTE TAXATOS A STVNICA DEFENDERAT SANCTIVS CARANZA THEOLOGVS.

POST longas & inutiles rixas, tandem mihi res esse cœpit cum homine vere Theologo, qui, si credendum est amicorum litteris, & disputat erudite, & docet modeste, & admonet amanter. Quare si non datur eruditione vincere, non committemus tamen, ut modestia superati videamur. Nam quod in *Stunicam* suum studio propensior est, equidem facile patior, quod ea res à pio quodam affectu proficiscatur. Pietatis species est, favere conterraneo, etiam in causa non admodum bona. Sed antequam rem aggrediar, quod monitor scribit subinde me tergiversari, secus habet: non enim ego tergiverſor, sed disputandi gratia demonstro, quibus modis alius possit tergiversari. Primum de *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, non ignorabam eum locum à nonnullis sic adduci, ut ex eo demonstrarent *Jesum Christum* esse Deum. Atque is sensus mihi quidem magnopere probatur. Sed fingamus nobis esse rem cum eo, qui coarguendus sit argumentis, hoc loco *Christum* aperte vocatum Deum. Is nimirum rogabit nos, an ubicunque in Scripturis sacris Deus dicitur esse cum his aut illis, accipiendum sit Dei substantiam sive naturam esse peculiari quodam modo cum eis, qui juxta naturam suam non magis est in uno loco quam in alio, cum in nullo sit loco, nec extra locum. Verùm cum in sexcentis locis Deus dicatur esse cum quibusdam, intelligimus favorem & auxilium Dei adesse. Quemadmodum juxta idioma sacræ Scripturæ, quæ more quodam humano nobiscum loquitur, nos dicimur recedere à Deo, quoties negligimus illius præcepta: ita ille recedere dicitur à nobis, quoties desiit nobis esse propitius ac favens. Atque hic sermonis color, cum passim sit obvius in Libris mysticis, quæ res hîc cogit, ut aliter interpretemur? Sic, inquit, interpretantur *Hieronymus* & *Augustinus*. Esto sane. Addam & *Tertullianus*, mea sententia, neutro indoctior. Horum tamen auctoritas non facit ut appellatio sit aperta. Appellationem enim voco, cum cognomenti vice additur Dei vocabulum, aut prænominis vice præfertur, quemadmodum Dei vocabulum fere apponitur Patri, Domini Filio. Et tum hoc fit aperte, cum non relinquitur tergiversatio. Quod hoc loco dici non potest. Non enim ideo apertum est simpliciter, quia illi sic interpretantur. Imo si sermo nihil haberet obscuritatis, non egeret interpretibus. Deinde negari non potest, juxta sensum historicum hujus loci, sic accipi, ut intelligamus Deum esse cum populo suo, quod eum à duobus Regibus liberavit. Sic enim *Hieronymus* scribit: *O domus* David, *nunc à te appelletur* Emmanuel, *id est, nobiscum Deus, quæ rebus ipsis probabis à duobus inimicis Regibus liberata, Deum te habere præsentem. Et qui postea vocabitur* Jesus, *id est, Salvator, eo quod universum genus hominum salvaturus sit, nunc à te* Emmanuel *appelletur vocabulo.* Vides quam causam nominis reddat *Hieronymus*, juxta sensum historicum, partus Virginis, celeritatem dandæ salutis significat. Nomen pueri significat propitii Numinis præsentem opem ad futuram. Eadem est ratio in sensu allegorico. Ideo natus *Jesus* dicitur *Emmanuel*, quia per hunc Deus declaravit se vere propitium esse mortalium generi, dum per Filium suum omnibus offerret salutem æternam, à Diaboli tyrannide liberandis. Atqui dux, inquiet, ille, qui tum liberavit populum *Israeliticum* à duobus Regibus, non erat Deus, sed tamen *Christus*, qui figurabatur, vere Deus erat futurus. Verùm non ideo statim hoc explicat sermo, quod res est. Et fieri potest, ut hoc senserit Propheta, quod interpretantur quidam, sed quod sensit, obscure significavit: & haud scio, an ulli sit plene intellectum priusquam hoc Euanlica prædicatione clarescceret. Certe negari non potest sermonem esse ancipitem, & eum sensum esse frequentissimum in arcanis Libris, qui declarat favorem propitii Numinis, non naturam. Denique si urgemus allegoria, est illud allegoriæ peculiare, habere nonnihil obscuritatis: Si sensu historico, ne consistet quidem, *Christo* accommodatus: neque enim ille unquam dictus est *Emmanuel*, sed *Jesus*. Atque hinc *Marcion* Judaissans sumsit occasionem insaniæ suæ, ut negaret nostrum *Christum* eum fuisse, quem prophetia promiserat, quod non conveniret nomen, cum hic dictus sit *Jesus*, ille dicendus esset *Emmanuel*. Hos ita refellit *Tertullianus*, ut dicat rem in *Christo* fuisse, non ipsum vocabulum. Dedit salutem, & Deus erat, & Deum Patrem nobis reconciliabat. Sic enim religione quadam indebantur apud *Hebræos* nomina, non ut semper naturam pueri, sed eventum aut qualitatem significarent. Neque enim ideo *Isaac* dictus est, quod ipse natura *risus* esset, sed quod Angelo promittente partum vetulæ, illa diffidens riserit. Nec ideo *Cain* dictus est, quod ipse natura fuerit *possessio*, sed quod hoc nato, *Eva* primum cœperit habere filium. Sic *Osee* primo filio, quem suscepit ex uxore fornicaria, nomen indit *Iesrahel*, quod in valle *Iesrahel* Dominus contriturus esset *Iesrahelem*, non quod ipse filius esset *vallis*, qui nomine *vallis* appellabatur. Rursum filiæ natæ nomen inditur, *absque misericordia*. Rursum filio nato nomen inditum est, *non populus meus*. Hîc certe palam est vocabulis inditis non declarari naturam illorum, sed voluntatem Numinis erga populum suum. Hæc cum sic habeant, vide lector quantum ponderis habeat *Caranza* syllogismus. Negat locum habere, quod interpretor, propterea quod non dictum sit, *erit Emmanuel*, sed *vocabitur nomen ejus*. Imo, mea sententia, magis faciebat pro ipso, si scriptum fuisset, *erit puer Emmanuel*, præsertim cum extra controversiam sit, hoc nomen non fuisse inditum *Jesu*. Argumentatur autem hunc in modum: *Vel ergo illud vaticinium erat verum an falsum, non falsum*, & cætera. *Ergo si verum, nomen filii erit Emmanuel, id est, Deus nobiscum. Consequitur ergo Dei cognomen, aperte in illo loco tribui Christo*, & cætera. Et qui hujusmodi Epicherematis mecum agit, deplorat infelicitatem meam, quod in *Sorbona* non didicerim Dialecticam. Quanquam & *Sorbonam* vidimus, si ea Dialecticum facit, & olim pueri Dialecticam didicimus.

Jam quod obiter adjeceram velut ex superfluo: *Etiamsi demus hîc* Christum *aperte vocatum Deum, hoc tamen non admodum facere contra nos, qui loquuti sumus de verbis Euangelicis, & Apostolicis, quibus ipsi loquuntur de* Christo, *non quibus recitant aliena*, serio mecum agit *Sanctius*, Prophetæ testimonium hoc plus habere ponderis, quod à *Luca* recitetur: adeo ut hæreticus sit habendus, qui non reciperet, & cum *Manichæis* damnandus. *Alioqui nec illud*, inquit, *quod citatur in Actis Apostolicis:* Beatius

Digitized by Google

est dare quam accipere, *cum non reperiatur in Veteris Testamenti libris, nullum habebit pondus, si ex auctoritate* Lucæ *nihil accedet auctoritatis.* Hæc cum multis & odiosis verbis inculcasset, sic colligit: *Convincitur ergo* Erasmus *asserere, veritatem illam fulciri* Lucæ *testimonio.* Hujusmodi syllogismis Theologi *Romæ* defendunt fidem catholicam. Quæso, quî convincitur *Erasmus*, qui nunquam dubitavit, sed ingenue fassus est, & fatetur, hoc *Esaiæ* vaticinium esse verum, & recte ad *Christum* accommodari ex auctoritate Evangelistæ? Quis sic insanit, ut hoc non fateatur? Sed hoc agebatur, an in hoc testimonio *Christus* sit aperte dictus Deus, etiamsi in confesso est, illum fuisse Deum & hominem: & an proprie dicantur Apostolicæ litteræ, si qua referunt ex Veteris Testamenti voluminibus. Id erat docendum *Sanctio*, si voluisset opitulari *Stunicæ* suo. Rursum quod adjeceram, non hoc palam dici ab *Hieronymo*, ad quod *Stunica* detorquet illius verba: desiderat monitor meam oculatam diligentiam, cum in priore loco palam asserat, quod ille puer esset vocandus *Emmanuel.* Atqui jam docuimus nominis appellationem nec simpliciter tribui *Christo*, cum eo nomine nunquam sit vocatus, sed *Jesus.* Et hoc nominis juxta litteram tribui puero tum nascituro, quo nato liberaretur populus à tyrannide duorum Regum: sive quemadmodum exponunt quidam, alteri filiorum *Esaiæ*, qui puer utique Deus non erat, sed ut illic exponit *Hieronymus*, vocabulo suo declarabat Deum fore propitium populo suo. Ac mox vaticinium ad *Christum* accommodans ait: *Et qui postea vocabitur* Jesus, *id est, Salvator, eo quod universum hominum genus salvaturus sit, nunc à te* Emmanuelis *appelletur vocabulo.* Hactenus ille. Cur autem *Hieronyme*? Nimirum quod tunc vere propitius sive præsens erit Deus, per Filium suum nos liberans à sævissimi tyranni Diaboli servitute. Propius ad rem facit, quod paulo post subjicit *Hieronymus*: *Non mireris ad rei novitatem, si Virgo Deum pariat.* Hæc ex cognitione fideque *Hieronymi* recte dicuntur ut à commentatore. Nec tamen palam affirmat, ex *Emmanuelis* nomine *Christum* dici Deum. Et si diceret, illius auctoritas non tolleret ambiguitatem sermonis Prophetici, quod quidem ad hanc rem pertinet, de qua nunc agitur. Quod autem objecerat *Stunica*, *Christum* multis in locis vocari *Filium Dei*, respondi *Christum* ipsum docuisse, viros pios non solum dictos *Filios Dei*, verum etiam *Deos: Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Ex hoc palam esse, non continuo Deum esse secundum naturam, quisquis vocetur *filius Dei.* Sic autem legimus *Joannis* Cap. x. *Ego & Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum me lapidatis? Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in Lege vestra: Ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum: vos dicitis, blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum!* Dixi non statim consequi, ut Filius Dei sit secundum naturam, qui dicatur filius Dei. Et hujus dicti defensorem habeo *Joannem* Evangelistam, & ipsum *Jesum Christum.* Cum illis igitur erat agendum *Sanctio*, si me voluisset refellere. Sed hoc dissimulato, quod erat hujus rei caput, exspatiatur in campum amplissimum, omni armorum genere depugnans adversus *Arrianos*, evincere studens, *Christum* fuisse Filium Dei secundum naturam, adhibitis, si Superis placet, & *Aristotelis* auxiliaribus copiis, qui scripserit, quod simile gignat sibi simile: quasi nullus hoc fuerit crediturus, nisi tanta intercessisset auctoritas, cum interim, vel invito *Aristotele*, nonnunquam Asina gignat Mulum, aut quasi similitudines à rebus nostris ductæ, exacte respondeant ad res divinas. Adhibet & *Judæorum* auctoritatem, qui intellexerint, quod se diceret Filium Dei secundum naturam, seque faceret æqualem Deo. Item *Caranza* objicit auctoritatem *Caiphæ*, qui simul atque *Christus* rogatus, an esset Filius, statim exclamarit blasphemiam, sciderit vestimenta sua. Item Pharisæorum, qui illi in cruce pendenti exprobrarint, quod se dixisset Filium Dei. Aliaque permulta colligit in hanc sententiam *Sanctius:* quæ quoniam ad me non pertinent, nec pergam referre, nec conabor refellere. Cur enim refellam ea quibus assentior? Quod enim *Sanctius* identidem repetit ex his colligi, quod peculiari modo fuerit Filius Dei, maxime fateor. Porro quod colligitur, utique colligitur argumentis. Sed simpliciter apertum non est, ad quod adhibenda sunt argumenta. Nec ex hoc cognomine tantum colligunt pii, quod animo calumniandi sunt interpretati *Judæi*, quandoquidem *Christus* divinam naturam factis magis quam verbis indicare voluit, sciens tum temporis ne Apostolos quidem credituros fuisse, si se palam prædicasset Deum secundum naturam. Nam cum *Petrus* illum profitetur Filium Dei vivi, quanquam Patris afflatu dixit, tamen credibile non est, illum id temporis plena fide credidisse, *Jesum* esse Filium Dei secundum naturam, ejusdem cum illo essentiæ. Sed quod *Christus* ederet quædam majora viribus humanis, quod multa loqueretur cum auctoritate, quam non acceperat ab hominibus: quod semper haberet in ore Patrem Deum, cum *Judæi* gloriarentur patre *Abraham*, ante quem ipse dicit se fuisse, & esse: quod subinde diceret se missum à Patre, & opera Patris sui facere, cum ipsi facerent opera patris sui Diaboli: quod se diceret esse unum cum Patre, quod tamen de consensu operum interpretantur Veteres quidam: quod promitteret futurum, ut aliquando viderent filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna. Ex his, inquam, aliisque multis *Judæi* calumniabantur, quod non vulgari more loqueretur de patre suo, cum nec de *Joseph* sentiret, nec de *Abraham*, præsertim cum tametsi in sacris Litteris Prophetæ dicti sint filii Dei, nemo tamen se vocasset unquam Deum, aut filium, sed servos potius sese vocant Dei. Ex his, inquam, simul conflatis, potissimum ex resurrectione, accedente Sancti Spiritus afflatu, Apostoli postea perfecte cognoverunt illum esse Deum, & Filium Dei, non solum secundum gratiam, verum etiam secundum naturam. Jam hoc argumento magnopere sibi placet *Sanctius*, quod *Christus* à *Petro* dictus sit non simpliciter *Filius Dei*, sed *Filius Dei vivi.* Et apud Pontificem interrogatus, se confitetur *Filium Dei benedicti.* Quoties autem additur, *vivi*, in Novi Testamenti litteris, intelligi naturam, non adoptionem. Atqui si in *Osee* loco, cujus paulo ante meminimus, dicuntur *filii Dei viventis*, qui non nisi per adoptionem erant filii Dei, quid vetat totidem verbis appellari pios homines post adventum *Christi*, præsertim cum *Petrus* adhuc saperet Judaismum suum, & Pontifex *Caiphas* hanc differentiam ignoraret? Nihil igitur hîc erat causæ, cur *Sanctius* metueret, ne daretur ansa *Arriano* jam orto, ut ait, aut in posterum orituro: aut cur me graviter admoneret, ne hîc conniverem, sed attollerem mentis oculos: aut diceret hæc adducenda adversus Annotationem *Erasmi*, cum nec ego adversus opinionem Ecclesiæ, nec ista quicquam faciant adversus meam Annotationem. Nobis abunde persuasum est, *Jesum Christum* vere & secundum naturam esse Deum & hominem, cui laus & gloria in æterna sæcula. Amen.

JOANNIS I.
Et Deus erat verbum.

SIMILITER agit in secundo loco *Sanctius*, multis verbis asserit, ex hoc loco doceri *Christum* fuisse Deum. Sed quorsum attinet hoc docere, quod & scimus & fatemur? Tantum illud docendum erat, hîc Dei cognomen manifeste tribui *Christo.* Quanquam nec id à me prorsus negatum; imo satis largior hunc esse locum unum, in quo *Christus* appelletur Deus. Sic enim scribo: *Mihi magis videtur certa ratione colligi, quam*

quam appellatione manifesta. Et addo ratiocinationem, qua adhibita, evincitur hîc *Christum* appellari Deum. Nec hanc præfatiunculam objeci, quo suspicionem impietatis arcerem à me, sed ut sycophantis, quibus nunc undique plena sunt omnia, calumniandi viam præcluderem. Sic autem mecum agit *Sanctius*, quasi ideo negem *Christum* aperte vocari Deum, quod scriptum sit, *Deus erat Verbum*, non, *Deus erat Christus*. Noli soleo sophisticari tam pueriliter. Interim non excutiam, an *Christus* vocabulum sit totius hypostaseos: certe *Tertullianus* autumat hominis esse vocabulum, quod non sit unctus gratia, nisi secundum humanam naturam, nec ea res ad hunc locum pertinet, quam huc pertraxit *Sanctius*. Illud citra controversiam est, hoc loco *Joannem* agere de natura divina Filii Dei, quem docet natum à Patre ante omnium rerum initium, imo sine initio, & fuisse Deum. Atqui tum nondum assumserat humanam naturam, quæ nondum erat condita. Sed qui semper fuit Deus, post factus est homo. Hîc crassa mens hominis imaginari posset, Filium desiisse Deum esse, posteaquam factus est homo. Sed huic cogitationi occurritur ratiocinatione: Divina natura est incommutabilis. Sic igitur Filius assumsit humanam naturam, ut nihilo secius maneret quod erat. Consequitur igitur eundem fuisse Deum & hominem, eadem hypostasi naturam utramque perfecte complexa. Vides igitur hîc opus fuisse nonnulla ratiocinatione, ut ex eo quod præcessit, *Deus erat Verbum*, & ex eo quod sequitur, *& Verbum caro factum est*, colligamus eundem *Jesum Christum* utriusque fuisse naturæ. Pergit *Sanctius*, ac docet *Augustinum*, quem paulo ante nescio quid sentiens, vocavit *stirpatorem hæreseon*, ex hoc loco convincere *Arrianos*. Quid ni id faciat, si modo *Arriani* negant *Christum* fuisse Deum? Et ipse fateor, hinc certa ratiocinatione colligi. At rursus insurgit *Sanctius: Sed non dicit* Augustinus, *ex hoc loco* Christi *divinitatem certo colligi, verum hunc locum esse manifestissimum testimonium, quo convincuntur negantes* Christum *esse Deum*. Quid ego audio? An locus qui certo argumento convincit, non est testimonium? An testimonium dici non potest, nisi quod habet manifestam appellationem? Cætera quæ adfert *Stunica* ex *Chrysostomo*, quomodo *Christus* non statim prædicatus sit Deus, & quibus ex verbis, quibus ex factis innotuerit illius divinitas, quoniam ut recte dicuntur, ita nihil ad me faciunt, non excutiam. Sed interim nihil audio, quod quicquam attineat ad oppugnandam Annotationem meam, qua de re tamen loquitur *Sanctius*, neque quicquam est quod sublevet *Stunicam*, quem defendendum suscepit.

A *nica*? Nihil vincit, nisi quartum evicerit. Et tamen hîc quoque non libuit esse argutum, ob scandalum infirmorum.

JOAN. XX.

Dominus meus, & Deus meus.

HIC cum ex superfluo dixissem: *Hîc aliquis tergiversari posset; Sanctius* impingit mihi tergiversationem, cum fatear hunc locum unum esse è duobus aut tribus. Nec hoc contentus, addit, *ut perperam asserit* Erasmus. An asserit ille, qui alienam tergiversationem rejicit? Rursus non potuit nominare Theologos, nisi addidisset, *quos* Erasmus *gratis horridos & incultos vocat*. Itidem in præfatione sua, cum facit mentionem arenæ Theologicæ, subjicit, *quam* Erasmus *senticosam pluries appellat*. Ac rursum: *Theologorum*, inquit, *nostrorum, quos ipse Theologastros solet vocitare*. Ego sane nec passim, nec quosvis Theologos sic appello. Quod sicubi loquens de quibusdam, qui argutis verius quam necessariis quæstiunculis insenescunt, tale quiddam dixi, certe hic locus non postulabat hoc refricari, nisi quod suspicor aliquem *Stunicæ* similem, hoc puris admiscuisse. Nam de *Sanctio* Theologo *Complutensi* non libet suspicari. Postremo huic disputatiunculæ festivam addit coronidem. *In eo autem quod secundo respondet, herbam* Stunicæ *porrigit* Erasmus. Quid igitur superest, nisi ut *Stunicæ* victori decernatur ovatio? Testatus sum tres esse locos, hoc est, paucos, & unum largior *Stunicæ*. Quid igitur evicit *Stu-*

B C D E F

ACTVVM Cap. XX.

Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

HIC *Sanctius* noster propemodum oblitus personæ Theologicæ quam susceperat, successu rerum factus insolentior, incipit lascivire, & scommatis in caput meum ludere. Cum enim ostendissem duplicem viam, qua quis possit tergiversari: (nam eam appellavi apertam appellationem, de qua nulla sit tergiversatio:) *Sanctius* perinde agit quasi ego cupiam tergiversari. Et homo suavis ridet me, qui *Jesu Christi* nomen huc è superioribus repeti posse crediderim, quasi vero libri Novi Testamenti non passim scateant hyperbatis hujusmodi, in quibus frequenter sudant *Origenes* ac *Hieronymus*, præsertim cum & alioqui in *Dei* voce ex proximo repetita subaudiatur & *Jesus Christus*. Nam verba *Lucæ* sic habent: *Dummodo ego consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu testificari Euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter, contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et tamen quicquid hoc est, si judicassem magni momenti, non recitassem ut alienam tergiversationem. Proinde non est, cur *Sanctius* hîc calumniæ meminerit. Quis enim hîc defertur, aut cui falsum crimen intenditur? Nisi quod suspicor *Sanctio* calumniæ rem esse notiorem quam vocem, qui nihil interesse putat inter calumniam & causificationem. Docet nos *Tertullianus*, vir certe in cognitione Sacrarum Litterarum vix ulli Veterum posthabendus, quoties conjunctim fit mentio de Patre & Filio, Patri tribui nomen *Dei*: Filio non Dei, sed *Domini*. Cæterum & Filium aliquoties vocari Deum, quoties separatim hujus fit mentio. Atqui hoc in loco, cum superius de Filio loqueretur: *Quod accepi a Domino Jesu*; de Patre subdit: *Testificari Euangelium gratiæ Dei*. Ac mox: *Per quos transivi, prædicans regnum Dei*. Ac rursus: *Quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis*. Ac mox: *Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Certe juxta *Tertulliani* regulam, Dei nomen hîc non omnino disjunctim ponitur, cum suo titulo præcesserit Filius. Sed hanc tergiversationem *Sanctius* irrisisse contentus, & calumniam appellasse, transit ad alteram, in qua non simplex ostendit periculum, videlicet ne incidamus in foveas *Noetianorum*, *Patripassianorum*, & *Sabellianorum*. Nihil erit periculi, quam diu Ecclesia habitura est tam cautos Theologos. Quid, quæso, periculi sit, cum Pater *Paulo* dictus sit *Servator* ac *Redemtor*, quod per Filium nos redemit, si sanguinem à Filio fusum in ara crucis, hactenus suum appellet, quod eum tradiderit pro nobis in mortem? Nec ideo statim consequantur illa absurda, quod Pater assumserit carnem ex Virgine: quod mortuus sit, quod resurrexerit. Non hercle magis, quam si quis de mactata pecude loquens, dicat, *frustra immolavi carnem meam*, si forte non litasset. An continuo sequetur ipsum fuisse pecudem immolatam? Non igitur usque adeo sit absurdum, si Pater victimam illam, quam ipse subjecit, illud pretium quo redemit per Filium genus hominum, suum pretium, aut suam hostiam, aut suum sanguinem appellet. Et hîc Magister Noster jubet me diligenter attendere, recitans locum ex *Ambrosio* contra quosdam hæreticos, quorum alii dicebant Divinitatem esse passam, alii naturam humanam *Christo* detraxerunt, solum Deum prædicantes. Cur hanc cantilenam mihi canit? At tandem sensum quem adfero, non improbat *Sanctius*. Sed negat esse committendum,

Digitized by Google

ut Orthodoxus vel in vocabulis conveniat cum hæreticis. Sed nobis convenit cum *Origenistis* in carnis resurrectione. Et quibus vocabulis hæretici, quos adducit, sint usi, puto nec ipsi liquere. Sed quid attinet hîc argutari? non hoc agitur, an hic locus appellet *Christum* Deum, sed an sic appellet, ut & qui persuasus non sit, nulla sit tergiversatio. Mihi majorem in modum placet, ut Dei nomen hîc ad *Christum* referatur, qui si uno duntaxat loco dictus esset Deus in his litteris, quarum nobis irrefragabilis est auctoritas, nobis ad pleniſſimam fidem sufficeret.

Ad ROMANOS Cap. IX.

Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

HIC *Sanctius* subito versus in *David*, me veluti *Goliath* meo jugulat gladio. Vix tenui risum, cum legerem ex tantulo homuncione me subito factum *Polyphemum*. Sed audire est operæ pretium, quomodo me jugulet. Ipse hunc locum explicans paraphrasi, palam has voces, *benedictus Deus*, ad *Christum* accommodo. Mirum vero si sic interpretor, quemadmodum video Veteres omnes magno consensu interpretatos. Et mirum, si sequor eam sententiam, cui magis faveo. Verùm illud mihi respondeat *Sanctius*, utrum sermo sic distingui possit quemadmodum indico, an non? Si non potest, doceat cur non possit. Si potest, non deerit igitur quod aliquis possit tergiversari. Nec aliud agitur inter *Stunicam* & me. *Augustinus* inquit: *Nullibi est hîc paterni nominis mentio: ideoque si de* Christo *dictum negatur, persona cui competet detur*. Sed interim ex his & aliis *Augustini* verbis conjicere licet, non defuisse tunc, qui locum hunc de Patre interpretarentur. Hoc tantum offendit, quod non sit illic mentio Patris, sed Filii. Quod si recipit alteram distinctionem, jam nihil erit scrupuli, quin de Patre dici possit, qui plerunque dicitur absolute Deus. Addam & illud, consideret lector, an Dei nomen quod hoc in loco semel atque iterum repetitur, sic positum sit, ut non unam proprie Personam designet, sed totam Trinitatem complectatur, nec aliter Deus dictus sit acquisivisse Ecclesiam sanguine proprio (nam Græce est ἰδίᾳ) quam si quis dicatur corpore suo sustinere onus, cum id non faciat oculis aut auribus: aut si dicatur animus multa complecti, cum id proprie faciat memoriæ vis. Sed interim, inquies, non constat hæc ratio, nisi *Christus* hoc loco dicatur Deus. Fateor. Nec enim hoc in aliud annoto quam ut expediam id quod lectorem offendit in hoc sermone.

Ex Epistola, ad PHILIPPEN. Cap. II.

Sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens, &c.

HUNC locum cum varie sit interpretatus *Ambrosius*, sed in hanc partem propensior, ut *formam Dei* interpretetur exemplum ac speciem Divinitatis, hoc est, miracula quibus declarabat sibi naturam esse divinam, *formam servi*, speciem illam hominis nocentis, in qua cæsus est, damnatus & crucifixus, cumque hujus rei duobus verbis memineriem respondens *Stunicæ*, tamen hoc dissimulat *Sanctius*, ac perinde disputat, quasi mihi persuadere velit *Christum* esse Deum: quod omnibus Christianis persuasissimum est. *Paulus* hîc proponit exemplum modestiæ, *Christus* non sibi vindicavit æqualitatem cum Deo, sed dejecit semetipsum, speciem gerens servi, & servi nocentis, dum flagellatur & crucifigitur. At hinc, inquies, colligitur, quod fuerit æqualis Deo. Alioqui quæ laus erat modestiæ non hoc vindicare sibi, quod non habebat? Isthuc non inficior recte vereque colligi. Sed ubi collectio est, ibi est ratiocinatio. Mea Annotatio loquebatur de cognomine aperte tributo, hoc est de consuetudine sermonis Apostolici. Frequenter audis apud *Paulum* à Deo Patre, frequenter Deum absolute positum pro Patre. At Filio vides plerunque Domini cognomen tributum non Dei, præterquam in paucis locis. Hic igitur etiamsi locus careret omni scrupulo, tamen appellatio dici non potest: deinde si non potest aliter accipi, quam quidam adversus *Arrianos* interpretantur, divus *Ambrosius* pro me respondeat, qui secus interpretatur. Ego non pugno contra divinitatem *Christi*, sed ab Annotatiuncula mea depello calumniam. Cæterum largiamur esse appellationem, & largiamur apertam esse, ut *Christus* dicatur æqualis Deo Patri quod attinet ad sermonis formam, tamen ut revincas incredulum, opus erit argumentatione. Ille respondebit pares dici, non qui in omnibus, sed qui aliqua in re sunt pares. *Pares cum paribus facillime congregantur*. Pares dicuntur æquales ætate, cum cæteris in rebus sint dispares. Episcopi inter se, Archiepiscopi inter se pares sunt, at non in omnibus. Ita Filium dici æqualem Patri, hactenus quod sit Deus, licet non sit per omnia æqualis. Huic respondebitur naturam divinam esse quiddam simpliciſſimum, cui nihil accidat extrarium unde possit oriri inæqualitas. Proinde quisquis Deus est, is ejusdem naturæ sit oportet, nulla in parte dissimilis illi, quicum habet naturam individuam & invariabilem communem. Ut igitur locus sit idoneus ad probandam æqualitatem, vides argumentationem adhibitam. Egò vero toties fateor plurimos esse locos unde doceatur *Christus* vere fuisse Deus, sed negavi hanc esse consuetudinem sermonis Apostolici, ut in suis litteris illum frequenter vocarent aperte Deum, cum Patri sæpiſſime tribuant id cognominis. Verùm jam audiamus rem novam quam nos docet *Sanctius*. *Est locus*, inquit, *in Epistola ad* Thessalonicenses *posteriore, Capite* II. *qui* Stunicam *quoque fugit hominem oculatissimum & in sacris voluminibus diu versatum, & jam antequam natus esset, in quo* Christus *aperte vocetur Deus. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus & Deus & Pater noster, qui dilexit nos & dedit consolationem*. Negat *Sanctius* hanc litteram ordinari posse, nisi omnia referantur ad *Christum*, ut ille sit Dominus, sit Pater, sit Deus hoc loco dictus. Sic autem argumentatur acutiſſimus Theologus *Complutensis Sanctius*. Nam ipsius verba cum suo flore recensere non gravabor. *Si tergiversari velis, quod intelligatur Deus Pater, dic obsecro quid significavit* pater noster, *qui postea subjungitur? Non Deum Patrem, quia vana esset repetitio, nec* Christum, *quia in primo loco de eo facta est mentio. Dicendum igitur omnia illa ad* Christum *referri, quod sit Dominus noster, quod sit Deus noster, quod sit Pater noster*. Hactenus *Sanctius*. Equidem lubens illum vicissim rogaverim in Symbolo quod dicitur Apostolorum, cum nominatur Deus Pater, cum is sit omnipotens, & conditor Orbis, quorsum attinebat hæc repetere cum hæc omnia complecteretur nomen Dei Patris? Nam interim do Patris cognomen additum, quo distinguatur à cæteris personis. Nimirum quoties Deum dicimus, multa complectimur, & tamen docendi gratia explicamus. Ita hîc Deus dicitur, quod Deus sit etiam *Christi* & auctor totius Deitatis, ut loquitur *Augustinus*. Addit autem *Pater noster*, quod ut dilexit Filium, ita per illum & nos diligat. Sed offendit *Sanctium*, conjunctio interveniens, *Deus & Pater*, non *Deus Pater*, quanquam apud *Ambrosium* non additur conjunctio, licet addatur apud Græcos, apud quos non est eadem incommoditas sermonis. Legunt enim ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν, id est, *ille, qui est Deus ac pater noster*, ut Patris ac Dei cognomen complexim ad eundem referatur. Secus esset si dixisset ὁ θεὸς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν. Tunc enim visus fuisset indicasse diversas Personas, Dei & Patris. Jam aut ego sum stupidior, aut *Sanctius* sibi non constat in hac argumentatione. Siquidem cum neget hæc verba, *& pater* posse referri ad Filium, de quo paulo ante facta sit mentio, mox asseverat omnia referenda ad Filium. Sed præstat cum viro probo non sophisticari. Demiror illud latuisse *Sanctium*, quod hæc de Deo Patre palam interpretetur *Ambrosius*. *Quoniam Pater*, inquit, *& Filius una virtus, unaque divinitas, & substantia est; ideoque non du-*

Digitized by Google

dubitavit primum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nominare: deinde Deum patrem noſtrum &c. Neque ſecus interpretatur gloſſa ordinaria, *Deus*, inquit, *potentia, quia eſt creator omnium, Pater affectu caritatis dilexit nos, mittendo Filium pro nobis: dedit conſolationem, circa miſerias hujus ſeculi.* Neque quiſquam alius interpres ullum ſcrupulum movit hoc in loco: quo magis admiror hominem tam impenſe doctum, nobis cum ſupercilio, ſui capitis ſomnium objicere. Jam quæ *Sanctius* adducit ex *Ambroſio*, miror illum non videre, verbis *Ambroſianis* nihil aliud doceri, quam concordem voluntatem, & communem operationem Patris & Filii. Sic enim habent *Ambroſiana* quæ refert *Sanctius: Denique ut ſcias & Patrem eſſe, & Filium eſſe: & unum opus Patris, & Filii eſſe, Apoſtolum ſequere, qui dixit:* Ipſe Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, & Deus ac Pater noſter &c. *Ambroſius* docet ex hoc loco diſcretionem eſſe Perſonarum, non pluralitatem Deorum: atque eas ſic eſſe diſcretas proprietate, ut eadem ſit natura, eadem voluntas, eadem opera. Quod ſi ſequemur interpretationem *Sanctii*, locus hic nihil faciet ad id quod evincere nititur *Ambroſius*. Hanc dormitantiam ignoſcam *Sanctio*, modo viciſſim aliorum lapſus humaniter ferat, nec toties, cum nihil eſt opus, diſputans *extra oleas*, quod ajunt, adverſus hæreticos, repetat illud: *Audiat* Eraſmus. Alioqui viciſſim & ipſe dicam: *Videat* Sanctius, qui hîc certe nec oculos habuit, nec aures. Reliquus eſt adhuc unus ſcrupulus, quod Filium antepoſuerit Patri. Id poſtulabat ſeries ſermonis, *In acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Hunc repetit mox, *ipſe*, hoc eſt, Idem autem Dominus, de quo modo loquutus ſum.

Ad COLOSSEN. Cap. II.

Et non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

DEMIROR quare viſum ſit *Sanctio* ſubinde mea ſuis verbis repetere, cum nemo poſſit brevius quam ego, niſi forte voluit ille venuſtius. Quanquam hîc fidem etiam hominis deſidero. *Eraſmus*, inquit, *idem reſpondit hoc in loco, quicquid* Athanaſius *ab* Stunica *citatus dicat* &c. Atqui in his, quæ *Stunicæ* reſpondeo, nulla *Athanaſii* mentio, tametſi jam toties admonui *Theophylacti* opus eſſe, non *Athanaſii*. Tantum indico diverſam eſſe interpretationem, quarum alteram recenſeo, quod in *Chriſto* ſint omnia pleniſſime, non per partes quemadmodum in aliis ſanctis, non umbratice, quemadmodum in Lege *Moſaica*, ſed *corporaliter*, hoc eſt, vere, perfecte, efficaciter. Atque hanc interpretationem non prætermittit *Ambroſius:* diligenter inculcat *Beda*, non dubium, quin ex Veteribus hauſtam. Ac ne gloſſa quidem, quam viſum eſt vocare Ordinariam, od id, opinor, quod nullum habeat ordinem. Eſt enim Rhapſodia quædam ac cento ex diverſorum auctorum fragmentis indiligenter conſarcinata, nec titulis interim additis. Attingit & *Thomas*, ſed involutius, *Theophylactum* utcunque verſum ſequutus. Nam verſum apparet, ante quam illum verteret neſcio quis (ut apparet) recentior. Quanquam me quidem haudquaquam fugiebat quoſdam hujus loci teſtimonio armare ſeſe adverſus hæreticos, qui negabant *Chriſtum* eſſe Deum, tamen mihi videtur germanus ac verus *Pauli* ſenſus quem indicavimus. Agit hoc tota fere Epiſtola, ut abducat eos à fiducia Legis *Moſaicæ* Philoſophiæque mundanæ, docens univerſam auctoritatem, poteſtatem, gratiam datam eſſe *Chriſto*, ut non ſit quicquam aliunde petendum cum in uno ſint omnia. De poteſtate ac dignitate dicit, quod ſit imago Dei, qui videri non poteſt, quod per ipſum condita ſint omnia, cœleſtia ac terreſtria, viſibilia & inviſibilia, quod ſit primogenitus & principium univerſæ creaturæ, quod ipſe ſit caput corporis, quod eſt Eccleſia. Hujus tantæ auctoritatis cauſam reddens: *Quia ſic viſum eſt*, inquit, *Deo Patri, in ipſo habitare omnem plenitudinem.* Quo ſane loco nec apud Græcos, nec apud *Ambroſium* additur nomen divinitatis, ſed tantum plenitudinis. Rurſus ab imperfectæ Legis doctrina vocans ad perfectam Euangelii dicit, *in omnes divitias plenitudinis intellectus ad agnitionem myſterii Dei in Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi.* Hîc veluti rogatus à lectore, quorſum iſta repetis *Paule?* Hoc, inquit, dico, *ne quis vos circumveniat in ſubtilitate ſermonis* &c. Quare curritis ad lacunas, cum habeatis fontem: cur amatis umbras, cum habeatis corpus ipſum: cur delectant vos tenebræ, cum habeatis lucem? Cur petitis imperfecta à membris, cum in Capite ſit omnis plenitudo? Mox ſequitur. Cum ita res habeat, *videte, ne quis vos ſeducat, per inanem philoſophiam, per traditiones hominum, ſecundum elementa hujus mundi.* Rurſum quaſi rogatus, quare nolit eos deflectere ad homines à *Chriſto*, *quia*, inquit, *in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis, corporaliter;* hoc eſt, in *Chriſto* perpetuum eſt, in *Chriſto* pleniſſimum eſt, in *Chriſto* veriſſime & efficaciſſime eſt, quicquid ex aliis poſſet hauriri. Et ad hanc ſententiam reſpondet ſequentium tenor. Quanquam autem verum eſt in *Chriſto* divinam naturam inhabitaſſe, & probabile ſit eam ab ipſius corpore nunquam fuiſſe ſeparatam, tamen ea res non quadrat admodum ad hoc, quod hîc agit *Paulus*. Hîc objicit *Sanctius*, quorſum attinet hîc repetere *Paulum*, quod aliis hujus Epiſtolæ locis inculcat? Imo iſtud pro me facit. Solet enim *Paulus* eadem identidem repetere, ſi quid illi cordi ſit. At nullam rem frequentius iterat, inculcat, infigit, quam ne colloçarent fiduciam in Lege *Moſaica*, quaſi quicquam deeſſet *Chriſto*. Jam faciamus utramque ſententiam alteri parem, tamen negari non poteſt, duplicem eſſe apud Orthodoxos interpretationem. Habet igitur locus obſcuritatem, in quo tanti viri hæſitant. Denique finge locum eſſe tam dilucidum, ut nemo poſſit aliter interpretari, tamen non poteſt hîc dici manifeſta appellatio. Nam hoc quoque requireret interpretationem, quomodo inhabitet divinitas. Et an Deus ſit id in quocunque inhabitat. Certe diſputatur à Veteribus, utrum ipſa ſubſtantia Spiritus Sancti deſcenderit in Apoſtolos, an gratia quæpiam: & an creata ex aliquo, an increata. Videtur igitur natura divina poſſe inhabitare in aliquo, qui non ſit Deus.

His Scholaſtice & feliciter diſputatis, *Sanctius* velut anxius, ne quis dubitaret *Chriſtum* eſſe Deum, niſi doceat illum ſic appellari quam plurimis Novi Teſtamenti locis, teſtimonium profert ex Epiſtolæ ad *Theſſalonicenſes* prioris Capite III. *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus Jeſus dirigat viam noſtram ad vos.* Hunc locum cum *Sanctius* in proximo Capitulo perperam citaſſet, non contentus eo, denuo repetit, juxta illud, ὅις ἡ τρὶς τὸ καλόν. Atqui rurſus hoc loco cogor in Theologo deſiderare non ſolum diligentiam, verum etiam frontem. Quid enim impudentius quam adverſus omnium Veterum, ac Recentium ſententiam inducere novam lectionem, ac ſenſum item novum, ne parum multos locos habeat *Stunica?* Audiat igitur *Sanctius*, quid hoc loco ſcribat *Ambroſius: Integro*, inquit, *ordine iter ſuum diſponi poſtulat: primum à Deo Patre, quia ab ipſo ſunt omnia: deinde à Domino Jeſu Chriſto, per quem ſunt omnia, ut virtus atque providentia Patris & Filii, adventum ejus commendet* &c. Quorſum autem attinet aliorum commentarios citare, cum nemo ſecus interpretetur? Atque adeo ſi quis velit ſecus interpretari, ſermonis Græci ratio reclamaret, αὐτὸς ἡ ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν, καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. Nimirum articulus non additus Patri, & additus Domino, cogit nos accipere duas Perſonas, quemadmodum in oratione ſimili ſuperius indicavimus. Sed jam audiamus, obſecro, quam ſeriam rationem adferat *Sanctius*, quæ me vetet tergiverſari. Nam hoc verbi mire arridet *Sanctio: Non poteſt*, inquit, *littera ordinari copulative, quaſi* Paulus

lus *velit dicere: Ipse Deus dirigat viam nostram, & Pater noster dirigat viam nostram ad vos, & Dominus* Jesvs *dirigat viam nostram ad vos.* Ridiculum; quis sic ordinaret, etiam si vellet iterare verbum ex particula posteriore? Sic potius ordinaret, opinor: *Deus & idem Pater dirigat, & Dominus Jesus dirigat. Non possunt*, inquit *Sanctius, esse duæ personæ, cum sequatur*, dirigat, *non* dirigant. Eamus igitur ad Areopagitas Grammaticos, dispeream si judicabant, ei qui hæc scripsit, fuisse vel frontem, vel cor. Imo nulla forma frequentior est, quam ut adjunctum proximæ particulæ respondeat. Ejusdem acuminis est & illud: *Hunc*, inquit, *locum adducit* Ambrosius *adversus* Gratianum, *ad ostendendum Patrem & Filium Christum unum esse Deum. Patrem*, inquit, *loquitur, & Filium loquitur, sed unitas directionis est, quia unitas potestatis est.* Cum hæc oratio sit illi simillima, in qua superius contendebat omnia esse referenda ad Filium, ut ille sit Deus, ille Pater noster, ille Dominus *Jesus:* cumque *Ambrosius* locum, eundem in usum citaverit, cur hîc admittit duas personas, in altero non admittit? Nam nisi admitteret, non consisteret *Ambrosii* ratiocinatio. Siquidem ex eo quod *Paulus* ab utroque rem eandem petit, *Ambrosius* colligit utrique eandem esse potestatem & operationem. Quod alibi docet ipse Dominus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Verum ratiocinatio constitisset, imo magis constitisset, si verbum fuisset pluralis numeri. Qui cantionem eandem canunt, de his recte dicitur, *canunt.* At si quis dicat: *Cecinit* Petrus *&* Joannes, intelligi potest eos separatim ceciniſse. Et cum dicitur: Petrus *&* Paulus *traxerunt navim*, citius intelligitur una tractio, quam si dicas, Petrus *&* Paulus *traxit navim*, ut idem verbum ad singulas partes tacite repetatur. Sed sit ea vis in verbo: sit hoc evidens & irrefutabile argumentum ejusdem divinitatis, certe appellatio dici non potest, de qua nobis est controversia, quod tamen affirmat *Sanctius.* Vide, lector obsecro te, quales habeo censores: & hujusmodi libelli cum plausu, nec sine sollicitudine quorundam excuduntur, ac leguntur *Romæ*, & promittuntur aliquot centuriæ hujus, quod ajunt, farinæ.

Ad Titvm Cap. II.

Magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.

Hic rursus *Sanctius* meus semper in progressu sepsum vincens, affectat videri salsus ac facetus, dum nihil aliud, quam impudentiam prodit suam. Cum negari non possit sermonem & apud Græcos, & apud Latinos haberi ancipitem, quorsum opus erat meminisse frigidi sophismatis, hîc & *Romæ* venditur piper? Deinde cum doceam sic interpretari *Ambrosium*, aut hoc debebat refellere *Sanctius*, aut cum illo litigare, non mecum, qui tantum annoto, nihil asseveno. Nec referebat admonere, quod hæc *Hieronymus* aliter exponeret, cum hoc ipse prior fuerim testatus in Annotatione, non solum de *Hieronymo*, verum etiam de *Chrysostomo* & *Theophylacto.* Nec mihi sane displicet illorum interpretatio: sed ea non tollit sermonis ambiguitatem. Quod autem *Sanctius* fortiter asseverat in Sacris Litteris, adventum non tribui nisi *Christo*, ut hoc interim illi largiamur, quod verum non est, sciat hoc loco non esse παρουσίαν, sed ἐπιφάνειαν, hoc est, *apparitionem*, sive *illustrationem:* nec dicitur *adventus Patris*, sed *adventus gloriæ.* Tum enim illustrabitur gloria Patris in adventu Filii, cum dabuntur æterna præmia: cum interim occulta videatur in hominibus piis, qui premuntur & affliguntur ab hujus mundi cultoribus. Atqui is sensus maxime quadrat cum eo, quod alibi *Christus* promittit se venturum cum majestate Patris. Sed hîc obiter *Sanctius* reperit & alium locum in hoc ipso Cap. in quo *Christus* manifeste vocatur Deus, is est, *ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnibus.* Atqui non animadvertit locum hunc qui sequitur exponere: *Apparuit enim gratia Salvatoris nostri Dei.* Quod si hic locus accommodatur Patri, consequitur & priorem ad Patrem oportere referri. Sed hunc palam *Ambrosius* accommodat Patri: *Donum*, inquit, *Dei illuxisse hominibus dicit per Christum* &c. Nec hanc interpretationem tacuit *Hieronymus:* neque dissentit *Theophylactus.* Nec absurdum est, si doctrina *Christi* dicatur doctrina Patris, cum ipse dicat in Euangelio: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Nam quod docet nos cum auctoritate *Sanctius*, *Salvatoris* vocabulum non tribui nisi *Christo*, mox ex proximo Capite refellitur: *Cum autem bonitas & humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei.* Certe hîc vitari non potest quin Pater dicatur *Salvator.* Quod si quis conetur ad Filium detorquere, reclamabit illico quod sequitur: *Quem effudit in nos abunde per Jesum Salvatorem nostrum.* Nec aliter interpretatur *Hieronymus*, qui ex hoc loco docet Triadem sacram personarum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti: & *Ambrosius*, breviterque cæteri omnes vetusti. Nam recentiores quosdam fefellit nomen *humanitatis*, cum Græce sit φιλανθρωπία quod extra causam adfert *Sanctius. Ambrosium*, qui ex his verbis *Pauli*, *regnum Christi & Dei*, docet idem utriusque regnum, & proinde divinitatem eandem; ut non refello, ita nihil contra me facit. Si *Sanctio* propositum erat omnia loca recensere, ex quibus evincitur *Christi* divinitas eadem cum paterna, perpauca retulit: si refellere quod à nobis dictum est, de manifesta appellatione, nimis multa.

Ad Hebraeos Cap. I.

Thronus tuus Deus in secula.

Cvm ego loquutus sim de Euangelicis & Apostolicis litteris, si quis urgeret me, poteram prætexere hujus Epistolæ incertum auctorem, nisi forte jam jam hoc quoque ponetur inter articulos fidei, (quando huc nihil non pertrahimus) hanc Epistolam à *Paulo* Apostolo scriptam. Poteram prætexere sermonis ambiguitatem, quemadmodum indicavimus in Annotationibus nostris. Atqui secus interpretantur Orthodoxi. Equidem amplector quod interpretantur, sed ea res non mutat naturam sermonis. Poteram prætexere, quod hic locus sit adductus ex Veteri Testamento. Hic *Sanctius: An ideo carebit auctoritate?* Imo hoc plus habet auctoritatis apud me, sed interim non dicuntur proprie litteræ Apostolorum, nisi forte mea verba dicentur, cum *Stunica* verba recenseo. Aut *Pauli* versus dicentur, quos refert ex *Arato*, *Menandro*, & *Epimenide.* Sed frigidius etiam est quod addit exempli causa, juxta hanc rationem præceptum de diligendo Deo, cæteraque moralia non fore Euangelica, cum ante fuerint à *Mose* prodita, cum ego non de rebus, sed de consuetudine sermonis sim loquutus.

Ex Epistola Joannis priore, Cap. V.

Ut cognoscamus Deum verum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus & vita æterna.

In Annotationibus docui, in Græcis codicibus non addi, *Deum.* Et si quis attentius expendat sermonis progressum, sentiet additum ab Interprete. Præcedit enim mentio de generatione divina, quod qui ex Deo nati sunt, non tanguntur ab illo malo, hoc est, à Diabolo, qui mendax est, & hujus mundi princeps: qui & ipse totus in maligno positus est, ac falsis bonis mentitur speciem felicitatis. Nos autem qui non sumus ex hoc mundo, sed ex Deo geniti, scimus quod Christus venit, & sua doctrina mentem aperiat nobis, ut plane noscamus illum qui verax est, hoc est Deum, qui nec mentitur, nec falsa specie bonorum fallit. Jamque sumus non in mundo fallaci, sed in eo qui verus est, & hoc per Jesvm Filium ejus, cujus prædicatione Deum Patrem cognovimus. Nec enim est apud Græcos, *in vero Filio ejus*, sed, *in illo vero, in filio ejus.* Porro nemo nescit passim, *in*, usurpari vi-

Digitized by Google

vice, *per.* Cæterum codici *Rhodienſi*, quem jactat *Stunica*, tot Græcos codices opponimus, minus etiam ſuſpectos. Præceſſit τ ἀληθινὸν, non addito nomine Dei, cum ſine controverſia ſentiat de Deo Patre. Et itidem mox repetit: *Et ſumus in vero*, id eſt, in Patre, de quo modo dixi, ex quo renati ſumus per *Chriſtum*. *Chriſtus* enim ſermo illius, ſeminis vice fuit. Quod ſi maxime contendat aliquis addendum eſſe, *Deo*, cum conſtet de Patre dici, iſtud pro me facit. Eſt enim in propinquo, quod repetat pronomen *hic*: *Hic eſt verus Deus*. Pro nobis facit & articulus additus, ὁ ἀληθινὸς, hoc eſt, *ille verus Deus*, de quo modò verba fecimus. Nec enim eſt neceſſe, ut pronomen ſemper demonſtret id quod eſt proximum: *Atqui hujus*, inquit, *loci teſtimonio Orthodoxi quidam pugnant adverſus* Arrianos. Non inficior, nec id me fugiebat. At iſtud ſibi permittunt Veteres ſæpius quam vellem, violenter torquere ſacram Scripturam, quoties pugnant adverſus hæreticos: quod in *Methodo* etiam exemplis aliquot prolatis docuimus. In hujus diſputationis calce ſublevat me *Sanctius* humanitate ſua, quod in prima Annotatione circumſpecte ſcripſerim, *me neſcire an uſquam legatur* Dei *cognomen aperte tributum* Chriſto, *præterquam duobus aut tribus locis, ut non ſit aliud periculum, quam me quod ſcriptum eſt, vel neſciſſe, vel non meminiſſe:* durius autem eſſe, quod in Apologia adverſus *Stunicam* addo, *vix duobus locis inveniri ſecundum hanc rationem:* ſed interpretor quid ſentiam, *ſecundum hanc rationem*. Cum loquutus ſim de vocabulo *Dei* aperte tributo, teſtatus ratiocinatione pluribus ex locis poſſe colligi, ſentiens Patrem tot locis appellari Deum: Filium indicari potius, quam appellari: adeo, ut ſi Scriptura ſic loqueretur: *Deus gennit Filium ſibi per omnia ſimilem & æqualem*, teſtimonium manifeſtum dici poſſet, appellatio manifeſta non poſſet, cum apertum ſit, de quo non variant interpretes, quod non pendeat ab allegoriis: de quo nemo poſſit tergiverſari, vel ſenſuum cauſam, vel lectionem, cum loquutus ſim de litteris Apoſtolicis, hoc eſt, quando non citant aliena, ſed ſuis verbis loquuntur de *Chriſto*. Ad hanc, inquam, rationem ægre reperientur duo loca. Quod ego annotabam, annotabat ante me *Tertullianus*, & item *Ambroſius*. Scripturæ conſuetudinem indicabam, cum de re nulla ſit controverſia. Nec recipit *Sanctius*, *duobus aut tribus* poſitum pro paucis, propter exceptivam vocem *præterquam*, quaſi nobis ſemper loquendum ſit ſecundum leges dialecticas, quod nec ipſe ubique facit *Ariſtoteles*, qui juxta Græcis vulgatum loquendi morem aliquoties ſic abutitur duabus negationibus, ut nihilo plus efficiant quam una. Si certum intelligi voluiſſem, non eſſe plura loca tribus, dixiſſem, *duobus*, *aut ad ſummum tribus*. Cum ajo: *Non habet à me prater unum aut alterum nummum*, nemo non intelliget perpaucos ſignificari nummos. *Non ſcripſit ad me niſi ſemel atque iterum*, omnes intelligent raro ſcripſiſſe. Atque hæc cum primum ſcriberem, non exſpectabam exoriturum hujuſmodi ſeculum, in quo nihil eſt tutum à ſycophantis. Proinde quanquam in verbis meis nihil eſſet quod offenderet integros, tamen in tertia Editione totum eum locum ſuſtuli. Cuperem enim in Sacris Litteris *Chriſtum* vel ſexcenties appellatum Deum verum: quanquam hoc nobis non minus perſuaſum eſt, quam ſi ſex millies dictus eſſet. Utinam æque perſuaſum eſſet *Judæis* omnibus!

ACTORVM Capite IV.

Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum.

ANNOTATIO SECVNDA.

RESPONSIO AD SANCTIVM CARANZAM STVNICÆ DEFENSOREM.

VTINAM hic *Sanctius* animum induxiſſet ſic intendere nervos ingenii ſui, ad provehendam Chriſtianam pietatem, ut mirum artificem præbuit ad mihi conciliandum aliquid ſuſpicionis aut invidiæ! Adeo ſingulas pene ſyllabas excutit, nihil non depravans, ac detorquens ad calumniam, fumos interim offundens incautis, crebra mentione *Arrianorum*, *Apollinariſtarum*, *Sabellianorum*, crebra citatione Scriptorum magni nominis. Neque minore ſtudio depugnat, ut *Stunica* auctoritatem ſartam ac tectam præſtet, quam ſi *Paulum*, aut Euangeliſtam quempiam defendendum ſuſcepiſſet, cum ejuſmodi ſint hominis ſcripta, ut auctorem parum magnifice commendent lectoribus, non dicam, integris, ſed mihi etiam iniquis. Is enim cum, ut audio, apud ſuos quoque fuiſſet antehac obſcurus, ſola calami petulantia mundo innotuit, primum impetito *Fabro Stapulenſi*, mox me, ſubitoque exortus eſt rebus *Lutherana* tragœdia exulceratis, cujuſmodi rerum ſtatu, κἀνδροπλειάδης πολεμαρχεῖ. Emergunt autem undique nunc *Androclida* complures. Et quemadmodum in corpore ad apoſtema confluunt inſinceri humores, ita iſti coorti malum publicum exacerbant. Quoniam autem *Sanctius* rem hanc non ſolum verboſius, verum etiam involutius tractat, ac perplexius, non ſine artificio quodam depravandi, quo lectorem tædio ſublevem, cauſæ ſummam craſſiore, quod ajunt, Minerva, paucis explanabo. *Servi* vocabulum apud Græcos, juxta ac Latinos, abjectum quiddam & indignitatem quandam ſonat. Unde *ſerviliter reſpondere* dicitur, qui abjecte & adulanter reſpondet, parumque liberaliter. Nec alia ratione Veterum civilitas *ſervos* appellavit *famulos*, quod ejuſdem eſſent familiæ: & Græce παῖδας, quod nomen erat illis commune cum filiisfamilias. Itaque fuere veteres Orthodoxi, qui abhorrebant ab hoc nomine, nec ſatis exiſtimabant congruere *Chriſto*, in quem nulla cadit indignitas, aut ſervilitas. Atque horum de numero fuit *Joannes Chryſoſtomus*, Scriptor inter Orthodoxos, mea ſententia, probatiſſimus. Atque hunc ſequutus *Laurentius Valla*, tale quiddam annotavit in hunc locum, cujus nos ſententiam retulimus in prima Novi Teſtamenti Editione, nec id ſane tacito auctoris nomine. Sed diſſentit *Hieronymus* multis locis, contendens *ſervi* cognomen recte tribui *Chriſto*, juxta naturam hominis aſſumtam, cujus etiam ſententiam recenſeo: atque ut diluerem quod objici poterat, *ſubditus fuit Patri uſque ad mortem*, ſcripſeram id non arguere in eum competere *ſervi* vocabulum, quod obedierit quidem ſed ut filius, non ut ſervus. Ex hiſce verbis *Stunica* movet miram tragœdiam, geminæque hæreſeos ſuſpicionem impingit, verbis ſatis atrocibus. Hanc calumniam quoniam iniquius tuli, quamlibet ad cætera lenis, *Sanctius* accurrit veluti cancer opitulaturus hydræ, quaſi parum ſit ipſi veneni: nullumque non movet lapidem, ut me gravet hac invidia. Primum illud dicam, cum omnia ſcripta mea abunde me vindicent à ſuſpicione erroris, vel inſaniæ potius *Apollinariſtarum*, aut aliorum, qui detrahebant *Chriſto* naturam humanam, cumque nemo Chriſtianus hodie ſic inſaniat, ut aliquid tale ſomniet de *Chriſto*: deinde cum multis in locis deteſter *Arrianorum* impudentiam, qui *Chriſtum* faciebant inferiorem Patre, etiam ſecundum naturam divinam: cum ubique profitear illum æqualem Patri, non poterat inter nos ulla de re controverſia eſſe. Si quid eſt ſcrupuli, duntaxat in verbis eſt. Atqui quoties de re convenit,

non

non oportet esse atrocem digladiationem de verbis: & Christiani candoris est, in bonam partem interpretari, etiamsi quid sit ambigue dictum. Nullus enim impingit *Augustino* calumniam hæreseos, quasi senserit sic duas naturas esse confusas in *Christo*, quemadmodum in calice miscetur aqua vino: quod non semel scripserit, *in Christo hominem Deo permixtum*: & quod Theologi Scholastici novo verbo vocant *unitionem*, ille vocet *mixturam*. Constat enim ex aliis ejus libris quid senserit. Simili modo cum ex libris meis palam sit omnibus, quod nihil habeam commune cum *Apollinaristis*, aut *Arrianis*, etiamsi quid scripsissem verbis parum ad rem appositis, fortasse dignus eram qui admonerer: cæterum indignus, cui impingeretur omnium atrocissima suspicio.

Hæc præfatus, ad rem accingar. Principio quod ad *servi* cognomen attinet, quoniam refero sententiam alienam, cum eo pugnandum erat, cujus opinionem recenseo. Testor enim hoc *Laurentium* cum stomacho affirmare, quod ego tantum annoto, nihil asseverans, neque contendens. Quod si maxime essem in eadem opinione, in qua est præter alios multos *Chrysostomus*, ac *Laurentius*, non æquum erat me solum velut hujus auctorem sententiæ vocari in jus. Jam hoc primum est animi non sinceri, sed calumniandi captantis ansam evidens argumentum. Porro me non contentiose probasse *Laurentii* sententiam, vel illud indicio poterat esse, quod ajo, *stomachatur hoc loco* Valla. Et tamen illius sententia tum pro me faciebat, cui non placebat hoc loco *servi*, aut *pueri* vocabulum. Atque in secunda Editione moderatus sum verba mea, ad hunc modum: *Et fortasse* servi *appellatio in hunc non competit.* Atqui si maxime sensissem cum *Chrysostomo*, *Laurentio*que, & cæteris, *Hieronymus* tametsi dissentit ab illis, ac pro viribus oppugnat illorum opinionem, nullam tamen hæreseos suspicionem impingit, nec *Apollinaristarum* aut *Arrianorum* meminit. Nec aliud venit in quæstionem, nisi an ex consuetudine Scripturæ sacræ *servi* cognomen congruat *Christo*. An in Vetere Testamento tribuatur illi, viderint alii. Nam ajunt & Hebraicam vocem, quam Septuaginta verterunt, παῖδα, esse ancipitem. Nec protinus consequitur, si *David*, aut *Jacob*, aut alius quispiam, qui *Christi* typum gerit, *servus* dicitur, idcirco nomen idem in *Christum* competere. Certe litteræ Novi Testamenti videntur à vocabulo *servi* temperasse. *Paulus* in Epistola ad Hebræos, *Christi* dignitatem hoc asserit argumento, quod Deus Angelos suos vocat *ministros*, *Christum* autem *filium*, non *ministrum*, cum *ministri* vocabulum honestius sit quam *servi*. Rursum ibidem hoc nomine præfert illum *Mosi*, quod *Moses* ut *servus* non manserit in domo, *Christus* ut *filius* maneat in æternum. Ipse in litteris Euangelicis toties habet Patrem in ore, Domini vocabulum nusquam. Se Filium Dei confitetur, servum nusquam: *Pater*, inquit, *clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* In parabolis Prophetas & Apostolos servorum nomine designat, se filii, ut in ea quæ docet post missos servos, tandem à colonis occisum filium: & in servis exspectantibus Dominum suum; item in servis quibus crediderat talenta; rursum in servo villico; rursum in alio, qui absente Domino cœpit potare cum ebriosis, & cædere conservos; iterum in ea quæ punit servum nolentem misereri conservo suo, cum ipse Domini clementiam esset expertus; iterum in parabola convivii, aliisque compluribus, se filium, aut regem, aut patremfamilias facit, servum nunquam. Jam in Apostolicis Epistolis, cum toties iteretur Patris & Filii nomen, servi vocabulum nusquam reperitur, præterquam in uno loco, cujus scrupulum mox discutiam. Ad hæc servi cognomen juxta vulgarem sermonis consuetudinem sonare quiddam abhorrens à dignitate Christi, docet ipse palam in Euangelio, cognomen hoc adimens suis discipulis, ut quibus omnia patefecerat quæ accepisset à Patre, quosque diligebat ut amicos, & à quibus diligi magis quam timeri volebat. Quo rursum in loco satis pueriliter agit dialecticum *Sanctius*: *Non sequitur*, inquit, *eos non fuisse servos, quia* Christus *non dixit eos servos.* Et sic interpretatur: *Non dicam vos servos, sed tamen eritis servi.* Imo Christus addidit causam, quare non dixerit eos servos. Ea causa si legitima est, sequetur, sublata causa, certe juxta hanc rationem non competere in eos servi cognomen. Docet idem *Paulus*, toties clamans, suos non iterum accepisse *Spiritum servitutis in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Itaque jam*, inquit, *non est servus, sed filius.* Rursus distinguens dignitatem, ac libertatem filiorum, quos Deus dignatur hæreditate vitæ immortalis, adducit figuram *Agar* & *Isaac*, eamque ad nos accommodat: *Agar ancilla ejecta est domo, una cum filio suo: Isaac hæres mansit in domo. Itaque jam non ancillæ filii sumus, sed liberæ.* Sed quorsum attinet hujusmodi locis recitandis morari lectorem, cum omnes Apostolorum & Euangelistarum litteræ nihil aliud fere crepent, quam Patris & Filii vocabulum? Porro filium esse caritatis cognomen, contra, servum timoris, docet Propheta *Malachias*, per cujus os sic expostulat Dominus: *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Vides à servo non exigi caritatis affectum, sed metum. Quod si juxta præscriptum Euangelicum ii servi dicuntur, qui nesciunt consilium Domini sui, certe ad hanc rationem nullo pacto competit in *Christum*, qui nihil ignorabat Patris. Et si juxta *Paulum* ac Prophetam, servorum est timere, ne hoc quidem nomine servi vocabulum congruit *Christo*, in quo perfecta caritas excluserit omnem timorem. Ex hoc certe loco probari non potest, *Christum* dici servum, cum Græca vox sit παῖς, non δοῦλος, præsertim cum auctores Ecclesiæ probatissimi, hîc pro *puero* legant *filium*: velut S. *Hilarius* cum alibi, tum enarrans Psalmum, *Quare fremuerunt Gentes.* Item *Ambrosius* Libro *de vocatione Gentium* II. Capite V. Ad hæc, *Cassiodorus* enarrans Psalmum, *Quare fremuerunt Gentes*, & his omnibus vetustior *Tertullianus* Libro adversus *Praxeam*. Proinde multo secus res habet, quam nimium fortiter asseverat *Sanctius*, qui negat hoc loco aliud ab omnibus legi, quam *puerum*. Et si verum esset quod ille contendit, cum Hebraica vox, & Græca, & Latina sit anceps, nihil evincit hoc argumento. Sed urget me *Sanctius* nodis, ut ipsi videtur, dialecticis, *Christus in Euangelio* Joannis *appellat Patrem suum, Deum suum: sed Dei vocabulum sonat dominium, consequitur igitur & Christum esse servum Patris juxta naturam assumtam.* Ad hoc mox respondebo accuratius, illud interim contentus dixisse, quod *Deus* naturæ vocabulum est, *Dominus* relationis. Itaque & ante mundum conditum Deus erat, Dominus non erat. Neque jam perinde de re disputatur, atque de vocabuli tributione. Deum meum audio, Dominum meum non audio. Sed in mysticis Veteris Testamenti litteris, Patrem Dominum appellat: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Et dixi Domino, Deus meus es tu.* Ad hæc, & si qua sunt similia, respondere possem, *Christum* in hujusmodi deprecationibus sustinere personam corporis sui, hoc est, membrorum suorum. Alioqui quomodo quadrabunt in eum verba, quæ loquitur in Psalmo: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*, qui nullum habuit delictum? Sed habere dicitur, quod habet in membris suis, propter mysticam capitis & corporis communionem. Sed propius urgebit *Sanctius*: Ipse pendens in cruce pronuntiavit ex Psalmo: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Hic sermo videtur proprie competere *Christo*, cum de spiritu suo loquatur, quem erat exhalaturus. Atque hîc ne possim tergiversari, *Sanctius* objicit mihi *Marcum* auctorem, Capite XV. Qua quidem in re desidero *Sanctii* diligentiam, qui in aliis minutissima quæque

tam

Digitized by Google

tam morose calumniatur. Hæc verba apud nullum Euangelistam referuntur, præterquam apud *Lucam*: & apud hunc vice Domini, legimus Patrem: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hic igitur locus maxime contra *Sanctium* facit. Etenim cum in Psalmo sit, *Dominus*, simulatque ventum est ad eum locum, qui ad ipsum proprie pertinebat, *Christus* Dominum mutavit in Patrem: quanquam in hac parte versiculi, quam *Jesus* pronuntiavit, non est Domini vocabulum, sed in posteriore: *Redemisti me Domine Deus veritatis.* Decerpsit autem *Jesus* eam partem, quæ tum pro tempore quadrabat, atque illi de suo addidit Patris cognomen. Atque hic est locus, unde præcipue triumphum sperabat *Sanctius.* Neque illud perpetuo verum est, quod velut è mysteriis Dialectices profert *Sanctius*, nomina relativa simul utrimque vel consistere, vel tolli. Imo *Dominus* sæpenumero honoris vocabulum est, non dominii: nisi forte cum probos viros obvios salutamus *dominos*, illi vicissim nos debeant resalutare *servos.* Id esse verum, vel ex *Martiale* liquet, cujus exstat hoc distichon:

Cum voco te Dominum, noli tibi Cinna *placere,*
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.

Quemadmodum igitur modestiæ causa nos ipsos hujus aut illius *servos* aliquoties appellamus, ita frequenter honoris gratia *Dominos* appellamus eos, quibus nullam debemus servitutem. Et haud scio an Hebræum vocabulum idem sonet apud illos, quod apud nos *Dominus.* Certe apud Græcos κύριος frequenter honoris vocabulum est, δεσπότης non item: quemadmodum apud Latinos *herus* dominii vocabulum est potius, quam honoris.

Veniamus igitur ad sacram ancoram *Sanctii.* Is est locus in Epistola ad *Philippenses*: *Sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Hîc medius tenetur *Erasmus.* Atqui jam sæpe docui, sanctum *Ambrosium* hunc locum sic interpretari, ut *forma Dei* intelligatur specimen & exemplum, ut ipse vocat, quod miraculis & resurrectione declararet se Deum: *formam servi* sic interpretatur, ut nolit ideo dici susceptam servi formam, quod esset homo factus, sed quod tanquam nocens & peccator flagellaretur & crucifigeretur. Ait enim servitutem ex peccato natam, sed in *Christo* ut nullum erat peccatum, ita nulla fuit servitus. Sed hîc mihi *Sanctius* negabit hoc opus esse D. *Ambrosii.* Ridiculum, cum toties citetur *Petro Lombardo*, Theologorum ipsius calculo facile principi, nec stylus reclamet. Sed idem *Ambrosius* aliàs aliter sentit, de hoc mox videbimus. Interim largiamur illum aliud sentire, mihi sufficit, quod hic locus accipit duplicem interpretationem, quarum neutra rejecta sit hactenus ut hæretica. Hîc mihi *Sanctius* injicit & alium nodum, ne qua possim elabi *Proteus*: *Erasmus*, inquit, *in scholiis hoc loco simpliciter negat* servi *cognomen competere in* Christum. *Scribit enim: Certe* Christus *servus non dicitur, sed filius.* Imo non simpliciter nego, sed addo inibi, juxta quam rationem negem, nimirum quod caritate obedierit, non metu: idque facio utroque loco, & qui est in Actis Capite IV. & qui est in Epistola ad *Philippenses* Cap. II. quo quidem in loco hæc verba habent scholia: *Certe* Christus *servus non dicitur, sed filius.* Qui norunt mysteria Romani sermonis, intelligunt hanc esse emphasim hujus adverbii *certe*, ut remittat contentionem, an Filius Dei dici posset aliquo pacto *servus*, sed Scripturam ab hoc vocabulo temperare. Id esse verum, constat in Novi Testamenti litteris. Nusquam enim illic fit mentio *servi*, præterquam hoc loco, qui de forma servi meminit, non de cognomine. Et quanquam hoc satis erat, tamen in posteriore Editione adjicio, *juxta* Chrysostomi *sententiam*, simulque diluo quod *Hieronymus* contendit, *Christum* dici *servum*, quod apud *Esaiam* Pater loquatur Filio: *Magnum est tibi vocari puerum meum.* Nam qui periti sunt sermonis Hebraici, demonstrant vocem Hebræam sonare *famulum*, non *servum. Christus* se *ministrum* vocat, non *servum.* Et Septuaginta παῖδα verterunt, & vetus translatio habebat *puerum*, non *servum.* Quanquam ut horum, quæ dicimus, nihil sit, tamen in vaticiniis quoniam verba fere pertinent ad hominem quempiam, qui gerat typum *Christi*, non perinde offendit humilitas vocabuli. Nec est necesse, ut in mysticis litteris singulæ partes quadrent ad allegoriam, quemadmodum docet & *Augustinus*, atque etiam *Chrysostomus.* Sed reclamat *Sanctius.* Simpliciter negasti dici *servum*, nullo igitur pacto potest dici *servus.* Imo paulo ante in iisdem scholiis, loquor de loco qui est in Epistola ad *Philippenses*, docueram, *servi formam* à *Paulo* dici, speciem illam hominis noxii, quæ hactenus falsa fuit, non quod esset homo, sed quod esset noxius. Itaque vel ab *Aristotele* suo doctus, qui jubet intelligi verba secundum materiam propositam, debebat *Sanctius* ad hunc sensum accipere quod mox subjeci. *Certe* Christus *non dicitur servus, sed filius.* At hunc *Pauli* locum orthodoxi Scriptores adducunt adversus duas factiones, quarum altera negat *Christum* Deum, altera negat hominem. Non est tanta interpretum auctoritas, ut nusquam liceat dissentire, præsertim cum absit contentiosa pervicacia. Nec obscurum est, in pugna adversus hæreticos multa detorqueri ad victoriam. Quanquam mihi non est animus illorum interpretationi reluctari. Hic locus ad probandam *Christi* divinitatem haud dubie facit, utcunque exponas *in forma.* Sed si recipimus *Ambrosii* interpretationem ad demonstrandam ejus humanitatem, non est necesse ut *Christum* dicamus simpliciter ideo suscepisse *servi formam*, quod homo factus sit. Quanquam consequitur hominem fuisse, qui ut homo nocens afflictus est.

Sed pene effugerat unus adhuc locus, quem adducit *Sanctius.* Is est prioris ad *Corinthios* Epistolæ Cap. XV. *Cum autem subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse filius subjectus erit illi, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Hîc *Sanctius*, qui mihi subinde impingit *Sorbonam*: quodque contemnam Dialecticen Scholasticam, sic argumentatur. *Appellatio subjecti aperte convenit in* Christum, *ergo & servi, cum nihil aliud dicat servus quam subjectus.* Par pari, ut ajunt, referam. Quisquis subjectus est, servus est, filius subjectus est Patri, igitur servus est Patri. Uxor subjecta est marito, igitur est ancilla mariti. Cives subjecti sunt Principi, igitur servi. Et auctore *Paulo*, Spiritus Prophetarum Prophetis subjectus est, igitur servus. O me miserum, qui non didicerim hanc Dialecticam! Apud *Ambrosium* & *Theophylactum* duplex est hujus loci enarratio. Prior, ut Filius dicatur quodammodo subjectus Patri, secundum divinam naturam. Hoc quia prima fronte scio durum videri, ipsius *Ambrosii* verba subscribam: *Traditio autem hæc est regni, ut cum omnia Filio fuerint subjecta, & adoraverint illum ut Deum destructa morte, tunc Filius ostendat illis, non se esse, ex quo omnia, sed per quem sunt omnia. Et hoc erit tradere regnum Deo & Patri, ostendere ipsum esse ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Audis, lector, his verbis significari, subjectionem Filii, nihil aliud esse, quam auctoritatem delatam Patri à Filio, ne Filius videatur illo major, aut ne Pater non intelligatur auctor omnium quæ per Filium facta sunt. Atque hoc ad divinam naturam pertinet. Rursum aliquanto post: *Idem sensus est, quem nunc aperit, ut manifestet, quid sit tradere Filium regnum Deo & Patri. Hoc tamen addit ad sensum, quia tradens Pater Filio regnum, non se subjecerit ei, sicut Filius Patri se subjecit. Omnia ergo subjecit Pater Filio, ut similiter honorificetur Filius, sicut & honorificatur Pater.* Ac mox: *Hoc dicit, quia cum omnium principatuum ac potestatum & dominationum fuerit pressa superbia, & adoraverint* Christum *quasi Deum, tunc* Christus *propter unicam auctoritatem Patris Deum quidem se ostendet, sed de Deo, ut unius principii sublimis & ineffabilis auctoritas maneat, hoc est, subjicere se Filium Patri, hoc est, Deum esse omnia in omnibus.*

bus. Et aliquanto post: *Non tamen sic subjicitur Filius Patri, sicut Filio creatura.* Audiat hæc *Sanctius*, & intelligat *Ambrosium* interpretari Filium juxta divinam naturam Patri subjectum dici. Quod si clamet hanc interpretationem sapere quiddam *Arrianum*, cum *Ambrosio* litiget. Quod si contemnit *Ambrosium* in commentariis, neque quicquam admittit nisi Epistolas, audiat *Athanasium Stunica*, qui nobis est *Theophylactus*: *Quoniam*, inquit, *dixit de Filio, quod hostes esset inanes & vacuos redditurus, præfixurusque trophæa, & veritus est ne aliud quoddam inducere principium, & ingenitus esse Filius putaretur, idcirco omnia ad Patrem refert*, &c. Ac mox: *Ne quis diceret, & si minus Filio subjectus est Pater, haudquaquam impedit, quin illo potentior sit Filius. Quam quæstionem in primis* Paulus *sustulit, inquiens, Filium se Patri subjecturum. Sic summam Filii cum Patre concordiam patefacit. Quocirca intelligas velim, Patrem causam esse, & originem ejusmodi potentiæ Filio: neque Filium aliam quandam esse potentiam Patri obsistentem & obviam*, & reliqua in eandem sententiam. Eandem interpretationem approbat *Augustinus* citatus in Glossa ordinaria: *Quia sicut*, inquit, *Pater ex nullo est, ita nulla ratione potest alicui esse subjectus. Ipse enim est principium omnium.* Idem *Augustinus* citatus à *Beda* in collectaneis, Patrem vult intelligi, *omnia Filio subjecisse, sicut multis locis idem Dominus in Euangelio commendat, & prædicat, non solum propter formam servi, sed & propter principium, de quo est, & de quo æqualis est ei de quo est. Amat enim ad unum principium referre omnia*, &c. Juxta hanc interpretationem, quæ nititur Auctoribus orthodoxis, sic agam cum meo *Sanctio. Christus* subjicitur Patri secundum divinam naturam, ergo secundum eandem servus erit Patri. *Sanctius* enim docuit nos, nihil aliud esse subjici, quam servum esse. Ut interim non excutiam, quod si *Christus* hoc ipso servus est, quod homo: & hoc ipso subjectus, quod servus, quomodo tum demum dicitur futurus subjectus, cum tradiderit regnum Deo & Patri, quod ipsum tamen ex orthodoxis Auctoribus nos docet *Sanctius*. Sed *Theophylactus* ex *Gregorio Nysseno* addit alteram interpretationem, ut *Christus* dicatur subjectus Patri in membris suis, cum in universo illius corpore nihil erit, quod rebellet Patri, id erit in resurrectione mortuorum. Is, cujus commentarii nomine *Hieronymi* feruntur in omnes *Pauli* Epistolas, addit tertiam interpretationem, ut intelligamus de natura humana *Christi*, quæ mihi videtur frigida. Quis enim nescit naturam humanam subjectam Deo? Idem indicat & alias in hunc locum interpretationes olim fuisse. Liquet igitur quam hoc telo nihil agat adversum me *Sanctius*, qui de certis loquor, & apertis. Habes, lector, summam ejus partis, ex qua me conati sunt vocare in suspicionem hæreseos *Apollinaristicæ*.

Nunc carptim cavillos aliquot excutiemus, quibus obiter ludit in me *Sanctius*, velut in felici causa lasciviens: homo festivus, ac suavis Theologus *Complutensis*, mire versatus in Dialectica, sic argutatur cum ebete pistillo: *Si hæc consequentia valeret*, Non dicam vos servos, ergo non eritis, *sequeretur quod* Christus *non esset* Christus, *quia vetuit ne discipuli se dicerent esse* Christum. Quasi hîc quicquam sit simile. Si me promitterem taciturum alicujus adulterium, ille nihilo secius esset adulter. Sed *Christus* indicavit, quo loco eos haberet, & addidit causam. Ea causa consistente, consequitur effectus. Hoc ipso desinunt esse servi, quia ille, qui potest eos manumittere, non amplius habet eos pro servis. Alioqui quid beneficii confert in eos, si tantum non appellet eos servos, cum re ipsa sint? Frigidius etiam est quod adjicit: *Ni velit*, inquit, *Erasmus, ut unus ex sophistis, quos ubique insectatur, dicere, illam esse indefinitam orationem, quam sola unica singularis reddit veram*, &c. Quid ego audio? si quis dicat, *discipuli mei sciunt Græce*, verum erit proloquium, si unus omnium Græce sciat? Miror quam ob rem homo Theologus velit se ipsum hujusmodi næniis mundo deridendum propinare. Post hæc objicit mihi *Job*, aliosque sanctos, qui dicti sunt servi, qui & ipsi sponte obedierint. Sed addat hos aliquando non obedisse, nec caruisse metu. Et si caruerunt, quid istud ad me, si sacræ Litteræ ob dignitatem *Christi* à servi vocabulo abstinuerunt. Neque statim malus servus est, qui metu facit officium, sed imperfectæ caritatis est: quam ubi fuerit assequutus, desinet vocari servus, & appellabitur libertus apud homines, apud *Christum* filius. *Sanctius* imaginatur servum esse malum, quisquis metu fungitur officio. Imo *sapientiæ initium, timor Domini.* Et *Petrus* cingitur ab alio jam senex, & ducitur quo non vult. Sed ex re sua *Sanctius* definit, quid sit servus: *Servus*, inquit, *dicitur, quicunque tenetur alterius voluntati acquiescere.* Quis sic definiret nisi exacte versatus in Dialectica? Juxta *Paulum*, filii & uxores jubentur obedire parentibus ac maritis, ergo servi sunt, & ancillæ? Populus jubetur obedire Magistratibus, ergo servitutem servit? Conductus mihi debet operam, ergo servus meus est? Verùm ô me miserum, aliud telum in me torquet *Caranza*: docet *Ambrosii* commentarium contra me facere: *Siquidem ille negat* Christum *dici servum, quod esset factus homo, sed quod quasi peccator humiliaretur*, &c. Mox ἀναίσθητα: *Ecce*, inquit, *quod* Ambrosius *non negat appellationem servi* Christo *convenire, sed vult non competere in eum ut homo, sed in quantum humiliatus susceperit injurias humanæ naturæ.* Imo *Ambrosius* non dicit eum fuisse servum, sed suscepisse formam servi, & servi nocentis. Proinde vera fuit afflictio, sed falsa forma servi nocentis. Non enim erat quod videbatur, quantum ad hanc qualitatem, non quantum ad hominis substantiam. Rursus alio telo me petit *Sanctius*: *In forma hac obedivit Patri, prædicavit*, &c. *fuit igitur in tali forma vere servus.* Audiat contra *Sanctius*, si jubeam filium meum in habitu *Franciscani* penetrare *Galliam*, & perferre litteras amico, an ille protinus erit *Franciscanus*? Si in bello commuto personam, & jubeo ut filius sumta veste servili gerat se pro servo, an ideo vere mihi futurus est servus, si obediat? Hæc differendi gratia mihi sparguntur, cum ingenue fatear nihil esse absurdi, si *Christus* juxta humanam naturam aliquo modo dicatur servus. Sed hîc rursus in vado hæreo miser: *In scholiis*, inquit, *Epistolæ ad* Philippenses, *negat* Erasmus *nomen servi convenire in* Christum, *& in Apologia, qua respondet* Stunicæ, *fatetur convenire.* Si dixissem nullo modo convenire, esset aliquid quod adfert *Sanctius*, sed negavi convenire juxta definitionem servi, quam illic adfert *Ambrosius*, & quam illic approbo. An secum pugnat, qui juxta Geographiæ descriptionem dicat *Brabantos* esse *Gallos*, & idem juxta ditionem & Linguam neget eos esse *Gallos*? Sic à me dictum est *Christum* posse dici servum, & non posse. An secum pugnet, qui dicat Regem non esse adorandum, quia solus Deus adoratur, & esse adorandum, quia *David* aliosque multos adoratos legimus, cum adhuc in terris agerent? Nec in scholiis igitur primus contendo, *Christum* non posse dici servum, sed *Ambrosii* sequor opinionem, subjiciens interim diversam *Hieronymi*, quam tamen non improbo, neque adversus eam contendo. Nec in Apologia recanto, sed nego me contendere. Porro cum nec hîc, nec illic sit ullum verbum quod contentionem sapiat, vide tamen quam magnifice *Sanctius*, *cum ipse*, inquit, *manibus pedibusque neget appellationem servi minime in* Christum *competere.* Hic est hominis lepos. Non excutio interim hominis Dialecticam, cui nego minime competere, qui dico minime competere: sic loquuntur, qui diu versati sunt in Scholastica Theologia. Jam cum diversitas pendeat ex diversa ratione servi, quam ipse profero in Apologia, *Sanctius* clamat me canere palinodiam, idque describit verbis admodum tragicis: *Ne vir*, inquit, *orthodoxus videatur quoquo modo incidisse in labem*

Apol-

Digitized by Google

Apollinariſtarum, *contentioſiſſime aſſeverantium, ſic verbum carnem factum, ut verbum & caro unius ejuſdemque ſubſtantiæ ſint, ob idque negantium* Chriſtum *ſervum dici, etiam ſecundum carnem, in medio ſuæ reſponſionis recantat*, &c. Hîc hîc nimirum prodit nigræ loliginis ſuccum *Sanctius*, & fucatæ modeſtiæ ſcenam aperit. Nec ſecum pugnat, qui de neutra ſententia contendit, nec ſecum pugnat, qui ſecundum diverſas rationes diverſa dicit. Veluti ſi quis Regem appellaret, qui in ſcena Regis perſonam ageret, & idem negaret Regem, quod vere Rex non eſſet. Sed vere, inquiet, fuerunt in *Chriſto*, quæ ſervi ſpeciem præbebant: nam vere paſſus eſt. Vere quidem, ſed non ex iiſdem cauſis. Nobis illa inſunt ex peccato, illi nequaquam. Et ideo quia diſſimilis cauſa, non ſequitur idem effectus. Sed quid iſtud eſt mali? An omnes ſunt *Apollinariſtæ*, qui dicunt aliquo modo non competere nomen ſervi in *Chriſtum? Sanctius* nos docuit, omne analogum per ſe poſitum, accipiendum pro ſignificato famoſiore: ſed ſervus vulgo potiſſimum ſignificat eum qui redemtus & coactus obſequitur imperio domini: inde proverbia illa in improbos ac viles, *Phryx plagis emendatur*, & *mancipii capillus*, & *ſale emtum mancipium*, & *de lapide emtus*. An cum *Apollinari* ſentiret, qui negaret hoc ſenſu ſervi cognomen competere *Chriſto*? Quid igitur ſenſit *Chryſoſtomus*, negans ſervi nomen congruere *Chriſto?* An dixit illum non eſſe hominem? Quid ſenſit *Ambroſius?* quid *Laurentius?* Nec dubito quin in hac ſententia plures fuerint orthodoxi. Quod ſi nemo hoc de illis ſuſpicatur, qui hujus ſententiæ fuerunt auctores, quis non videt malitioſam & impudentem eſſe calumniam, hanc ſuſpicionem impingere mihi, in cujus libris ſexcenta loca ſunt, quæ declarant me de *Chriſto* rectius ſentire, quam fortaſſis ipſe ſentit *Stunica*? Atque in re tam impudenti centuriatis comitiis *Sanctius* decernit triumphum *Stunicæ* ſuo: *Et hoc*, inquit, *ſufficere debet* Stunicæ, *ut de eo glorioſè triumphet in hoc loco.* O vocem Theologicam! Paretur, paretur *Stunicæ* ſolennis triumphus, & accinatur illi, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, & Stunicæ. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.* Sed rurſum ipſe mecum pugno. *Adverſus* Fabrum, inquit, *agens* Eraſmus, *fatetur* Chriſtum *vere ſervum dici poſſe, nec eo ſecius eſſe omnium Dominum.* Imo non illic ago, ne ſit vere ſervus, ſed quod non negatur ab adverſario, aſſumo ad comprobationem mei proloquii. Velut ſi quis haberet pro confeſſo, *Flandros* eſſe *Germanos*, quod Germanice loquantur, ſic agam cum illo. Si *Flandri Germani* ſunt, quia Germanice loquuntur, *Hannonienſes Galli* erunt, qui Gallice loquuntur? Omitto nunc quæ verba recitat *Sanctius* ex Auctoribus, ut oſtendat *Chriſtum* dictum ſervum juxta naturam hominis aſſumtam. Neque enim hoc me fugiebat, neque tacitum eſt ita multos ſentire. Hîc *Ambroſium*, *Auguſtinum* & *Hilarium* redigit in concordiam, me tamen excluſo: *Hoc*, inquit, *ſenſit* Ambroſius, *quod* Chriſtus *aſſumſerit formam ſervi, dum flagellatur ac moritur, quod tunc declararet ſe eſſe ſervum, cum nihilo minus ſtatim natus fuerit ſervus.* Quid ego audio? ſi ideo ſervus dicitur, quia natus eſt homo, an non ſatis declaravit ſe hominem, naſcendo? Imo tunc nemo non credebat illum eſſe hominem, cum nondum edidiſſet miracula, & adhuc haberetur filius *Joſeph.* Sed libens rogarim *Sanctium*, an nunc etiam ſervi vocabulum congruat *Chriſto.* Si competit, doceat illi alicubi tributum, poſtquam aſſedit ad dexteram Patris. Imo nihil non magnificum ex eo tempore illi tribuitur. Sed largiamur hanc ipſam eſſe ſervi ſpeciem, naſci imbecillem, vagientem, mortalem. Hæc enim è peccato naſcuntur, & *ex peccato nata eſt ſervitus*, ut inquit *Ambroſius.* Iſta quidem nos arguunt vere ſervos, qui velimus nolimus tales naſcimur, obnoxii peccato primi parentis. Sed in *Chriſto*, quî potuit eſſe vera ſpecies ſervi, cum non fuerit obligatio peccati? Potuit ille naſci immortalis, & nullis malis corporis & animi obnoxius. Verùm adhuc urget me homo nodoſus: *Nihil opitulatur* Ambroſius Eraſmo, *qui fatetur nomen ſervi aliquo modo competere* Chriſto: *hoc ſufficit adverſus* Eraſmum, *qui prorſus negat.* Primum, oſtendi jam falſum eſſe, quod manibus ac pedibus, atque etiam cubitis opinor, aſſeverat *Sanctius:* deinde *Ambroſius* non dicit illic *Chriſtum* dici ſervum, ſed aſſumſiſſe formam. Ea forma ſi juxta rationem ſervi, quam propoſui, falſa eſt, aſſumſiſſe formam dici poteſt, dici tamen ſervus non poteſt. Impingit etiam gravius crimen, quod falſo citarim *Ambroſii* verba ex Epiſtola XLVII. Imo hoc falſo intentat *Sanctius*, oblitus Theologicæ modeſtiæ. Primum, illud expediat, utrum ſervi vocabulum velit honorificum eſſe in *Chriſto*, an probroſum, juxta ſeculum & opinionem vulgi. Nam ſervum Dei videri apud *Judæos* honorificum eſt. Non igitur de hoc nomine ſenſit *Ambroſius* in Epiſtola, quæ ſervi cognomen confert cum aliis gravioribus probris, quæ illi in Scripturis tribuuntur, in quibus dicitur: *Opprobrium plebis, vermis, & non homo, peccatum, maledictum.* Si igitur ob hæc, quæ paſſus eſt veluti nocens & peccator, formam aſſumſit ſervi: & non cum naſceretur, ſed cum pateretur, formam ſervi geſſit. Sic enim ſcribit *Ambroſius* in Epiſtola: *Nec animadvertunt quod hæc* Chriſti *gloria ſit, quia ſervitutem ſuſcepit in corpore ſuo, ut libertatem nobis redderet. Peccata noſtra portavit, ut mundi peccatum tolleret. Servus, peccatum, maledictum in cruce factus eſt, ut tu peccati ſervus eſſe deſiſteres.* Si igitur *Chriſtus* dum ligatur, cæditur, crucifigitur, in corpore ſuo ſuſcepit formam ſervi, quod plane ſonant *Ambroſii* verba, non ſtatim ſuſcepit naſcens, juxta hanc ſane ſententiam, an non hoc conſentit cum his quæ ſcribit in Epiſtolam ad *Philippenſes?* Ubi eſt igitur mea falſa citatio? Sed ex his, inquiet, quæ paſſus eſt *Chriſtus*, arguunt veram carnis ſubſtantiam. Quidni arguant, cum hæc pati non potuerit, niſi verus homo: tametſi poterat eſſe homo, immunis tamen ab his malis, quemadmodum & nunc eſt. *Videat*, inquit, Eraſmus, *quam falſo citat* Ambroſium. Imo videat *Sanctius* quam facilis ſit ad calumniandum proximum ſuum. Sed reſtat etiam lapſus fœdus & inſignis, in quem incidi miſer, ob inſcitiam admirandæ Dialecticæ, qua feliciſſime ſibi placet *Sanctius.* Scripſeram, opinor, *Chriſtum* hoc modo ſervum dici, quo diceretur peccatum, maledictum, opprobrium, ſed non dictus eſt peccatum quatenus homo, igitur nec ſervus dictus eſt in quantum homo. Hic multa nugatus de ſua Dialectica, quæ non refero, quoniam nihil ad me faciunt, tandem docet *Chriſtum* dictum fuiſſe *peccatum, eo quod eſſet victima, & victima fuit, quatenus fuit mortuus in cruce: & mortuus eſt ſecundum humanam naturam, igitur dictus eſt peccatum ſecundum humanam naturam, & in quantum homo, quod* Eraſmus, inquit, *negat.* Quid audio? pene addideram aliquid. Ego nego *Chriſtum* mortuum ſecundum humanam naturam, quod ne *Oreſtes* quidem negaret? Sed diſputans, non aſſeverans, nego *Chriſtum* hoc ipſo fuiſſe ſervum, quod homo ſit, ſi modo hoc ipſo ſervus dictus eſt, quod ſerviliter ligatus ac cæſus eſt, quemadmodum interpretatur *Ambroſius.* Perinde quaſi neget aliquis *Petrum* eſſe doctum, in quantum *Italus* eſt. Nam ſi hoc ipſo doctus eſſet, quod *Italus* eſt, ſtatim ut natus erat, fuiſſet doctus. Itaque ſentiebam rationem hominis & ſervi, non ita cohærere, ut altero propoſito, ſtatim neceſſario ſequeretur alterum. Sed quod ſentis, inquiet, verbis ambiguis explicuiſti. Imo *Sanctius* verbis ambiguis recitat, ut decet artificem, cum ego verbis clariſſimis explicuerim. Audiat *Sanctius* mea verba. *Hæreticus*, inquam, *ille negabat* Chriſtum *vere paſſum: at vere pati non potuit, niſi vere fuiſſet homo.*

Digitized by Google

Quatenus passus est, servus est dictus, secundum humanam naturam passus est: ita fit, ut qui non fateatur vere passum, inficietur hominem verum fuisse. Nec tamen protinus consequitur servum fuisse dictum simpliciter, quatenus erat homo. Poterat enim esse homo, & tamen immunis ab afflictionibus ac supplicio. Quin in eadem Epistola sic vult Christum *dici servum, ut dictus est peccatum, maledictio & opprobrium. Hæc in eum non competebant, nisi fuisset homo, & tamen non competebant quatenus erat homo. Poterat enim esse homo, nec esse tamen peccatum.* Obsecro te, lector, quid potuit dici apertius? Et quid minus dico, quam quod *Sanctius* me fingit dixisse? Proinde nihil adversum me faciunt, quæ congerit ex Auctoribus, quomodo *Christus* sit dictus *peccatum, maledictio*, aut *creatura*, nisi quod interim crescit volumen. Hunc lapsum meum nunquam deprehendisset *Sanctius*, nisi fuisset spinosus Dialecticus. Et homo suavis ridet meum dilemma. Sic enim ex lemmate facit dilemma, ut contra *Prænestini* ex ciconia faciunt coniam. Habes, lector, caulam feliciter evictam à *Sanctio* nostro. Jam quemadmodum fabularum histriones, Actus Scenarum choris intersecant, ad levandum populi tædium, ita hic ubique sibi mire placens, interjicit deverbia quædam, veluti sibi plaudens, ἢ αὐτὸς αὐτὸν αὐλῶν. *Eat nunc*, inquit, *Erasmus, & quærat sibi alium paracletum qui eo patrocinetur.* Imo *Stunica* sibi quærat alium paracletum: nam à *Sanctio* suo sic defensus est, ut præstiterit causam intactam relinquere. Quanquam quid hîc est cur quisquam tam amarulente debeat contendere? Sic res habet, si servus dicitur addictus cultor, & obtemperans alienæ voluntati, non video quam ob rem *Christus* juxta naturam humanam non dicatur servus Dei. Sin servus nihil aliud est quam cultor, quemadmodum *Paulus* frequenter accipit, quod est idolorum servitus, & cui servio in spiritu, honorificum est dici servum Dei, aut servum *Jesu Christi*. Sin servus per se positum sonat servile quiddam, hoc est metum aut nequitiam, ut cum animi vitio sit conjunctum, & indignitatem habeat, nullo modo competit in *Christum* servi vocabulum. Tametsi & juxta hunc sensum non absurde diceretur suscepisse formam servi, quod tum servus flagitiosus multis haberetur, ac dignus supplicio. Sed ad hanc rationem non hoc ipso suscepit formam servi, quod assumsit hominem. Sin servi nomen humile quiddam sonat & contemtum, non admodum absurdum sit eum hoc ipso dicere factum servum, quod assumta humana natura sese demiserit ad nostræ conditionis humilitatem.

Sed hactenus ludus est, nunc ad atrociora veniendum. Operæ pretium est autem audire quam magnifico quamque severo procœmio rem ingreditur: *Quæ postea*, inquit, *dicit* Erasmus, *judicio meo potiori censura & exactiore indigent examine, utpote, quæ videantur, ut cum venia ipsius dixerim, quodammodo* Arrianum *redolere mendacium: quod si* Erasmus *aliquando in palæstris* Sorbonicis, *& Gymnasticis exercitiis versatus fuisset, securius sententiam suam pronuntiasset, quam minus sobrie & pie ab* Erasmo *assertam plerique criminantur.* Quid ais lector? dixin' in hoc eloquentiam esse *Atticam*? Sed pergit: *Nec est cur* Erasmus *insultet in me, & furore suæ eloquentiæ membratim dilaniet, cum verbis forsan ab eo non satis præmeditatis illud tribuendum, & non fidei illius, quam ego castam & sinceram in ipso homine Christiano crediderim, quo à* Paulo *prædicatur. Hæc dicere volui, non ut* Erasmum, *ex cujus lucubrationibus uberrimos fructus decerpsi, meis incultis verbis incessam, sed ut posthac desinat maledicere, cessetque viros religiosos & pios de Religione Christiana bene meritos, qui strenue in agro Domini laborantes, uberrimos fructus in Christi doctrina nobis affatim relinquunt, insectari atque lacessere, & eloquentiæ suæ spicula deinde convertat in hæreticos pseudo-Christianos, & crucis inimicos. Siquidem non deest impius* Martinus Lutherus, *non desunt conjurati ejus fautores,*

A *in quos* Erasmus *debacchetur: quos eloquentia sua torrente obruat, ac penitus dissipet. Cæteros etsi balbos & incultos, & horridos, dummodo Christianos non infestet, irrideatque atque floccipendat: sciat unusquisque prout maluerit, dummodo sciat* Christum *crucifixum, quamvis non splendeat tanto Romanæ eloquentiæ nitore sicut* Erasmus. *Non omnibus datum est adire* Corinthum, *aut clavam ex manu* Herculis *arripere. Non enim in sublimitate sermonis placuit Deo salvare populum suum*, &c. nam hæc sufficiunt ad exhibendum gustum illius eloquentiæ. Nec dubito quin *Sanctius*, dum hæc mandat litteris, etiam eloquentiæ nomine sibi magnifice placeat. Sed quando ita jubet, nolim ut quis æstimet hominem ex eloB quentia, sed ex simplicitate cordis: ex recondita eruditione: ex judicio exacto: ex prophetica cognitione. Cæterum qui sunt isti qui laborant in agro Dominico, quos incesso, lacero, perfodio, discerpo? an quod alicubi dixerim Theologastros? Id *Sanctius* ita subinde ingerit, ad mihi conflandam invidiam; quasi omnes Theologos Scholasticos appellem Theologastros. Imo si quando noto istos, qui sophisticis aliquot argutiis freti, sibi magni videntur Theologi, cum nihil teneant in sacris Voluminibus: ideo Theologastros appello, ne boni Theologi putent se notari. Ac subinde *Sorbona* nomen inculcat, quasi damnentur C à me *Sorbonici* Theologi. Imo si illic versatus fuisset *Sanctius*, non ista litteris prodidisset, quæ non admodum magnificum nomen auctori suo conciliabunt. An incesso Theologos, si quando ab illis dissentio? Si nefas est incessere laborantes in vinea Domini, cur me sic incessit ipse cum suo *Stunica*? Nam arbitror & me numerandum inter eos qui pro virili desudarunt sacris studiis: præsertim cum ipse *Sanctius* fateatur se è libris meis uberrimos fructus decerpsisse; cum ipse interim non admodum bonos mihi referat. Et hortatur adversus hæreticos, & hostes fidei. Sed interim mihi non datur otium per *Stunicas* & *Sanctios* ut scribam adversus hos. Nam isti, rebus omnibus omissis, totis centuriis me aggrediuntur, hujus nimirum farinæ. Quin ipse *Sanctius* istud ingenium admirabile exserit in impium D *Lutherum*, nisi quod homo modestus, & fidei zelo accensus, maluit *Erasmo* facessere negotium. *Lutherus* non est obruendus eloquentia, neque spiculis convitiorum dissipandus, sed doctrina sacra vel sanandus, vel revincendus. Sed hanc sibi vindicat *Sanctius*, & mihi adimit. Itaque si congrediar cum *Luthero*, nihil egero: quandoquidem *Sanctius* & *Stunica* mundo persuaserunt, me nihil sapere in sacris Litteris. Graviissimi censores adimunt omnem Dialecticam, omnem Philosophiam, omnem cognitionem rei Theologicæ: nihil reliquum faciunt, præter suaviloquentiæ paululum. An me volunt exarmatum Leonibus ac Lupis objicere? An postulant ut simul & cum hostibus fidei, & cum fidei coryphæis dimicem? Prius inter nos fœdus ictum oE portuit. Age igitur, omissis hujusmodi contentionibus, ceu bellis civilibus, hæreticos pariter aggrediamur. Ego pro mea virili retundam istos, qui nimium hærent Euangelicis litteris, ac plus satis abhorrent à *Judaismo*. *Stunica* & *Sanctius* adoriantur diversum hæreticorum genus, quod jam se nimium miscuit segeti Dominicæ. Magis enim ac magis invalescunt *Judæi* quidam, sesqui-*Judæi*, & semi-*Judæi*, qui mixti nobis, titulum habent *Christi*, cum *Mosen* totum habeant in pectore.

Mutemus, inquiunt, *clypeos, Danaûmque insignia nobis. Aptemus.*

Hac via gravius lædunt rem Christianam, & plus F est quæstus ex calumnia quam ex usuris. Hos nemo melius profligabit quam *Lopis* & *Sanctius*. Sed interim excutiamus quæ sint ista verba, ob quæ periclitamur *Sanctio*, ne in suspicionem veniamus, quasi sentiamus cum *Arrianis*. *Stunica* calumniam rejiciens, hæc verba admisceo, ut ait: *Christus obedivit & subditus fuit Patri juxta assumtum hominem, non ut servus, sed ut filius.* In his ne quid non reprehendat *Sanctius*, taxat

taxat ſermonis colorem, videlicet *juxta aſſumtum hominem* dictum, pro eo quod erat, *juxta naturam humanam aſſumtam.* Hoc mihi concedet in loquendo *Sanctius*, quod orthodoxis veteribus conceditur, qui frequenter ad hunc loquuntur modum. Nec hæc orationis forma mihi petita eſt à foro, ut ipſe ait, ſed à probatiſſimis Auctoribus: præſertim cum à publica conſuetudine Latini ſermonis non abhorreat, qua hominem dicitur exſuiſſe, qui naturam humanam exſuit. Sed ut de re loquamur, quomodo potuit in me cadere ſuſpicio erroris *Arriani*, ex verbis, neſcio quibus, ſecus quam vellet *Sanctius* prolatis, cum tot loca ſuppetant undique in libris meis, imo non ſemel in hac ipſa Apologia, qua reſpondeo *Stunicæ*, quæ doceant me aliud ſentire quam interpretatur *Sanctius?* Sed videamus hunc geminum errorem, quem impingit è verbis tam paucis. Nego *Chriſtum* obediſſe ut ſervum, ſed ut filium. At multis locis *Auguſtinus* docet eum vocatum ſervum, quatenus erat homo, igitur ut ſervus obedivit. Hic nodus jam ante diſcuſſus eſt. Si *Chriſtus* hoc ipſo dicitur ſervus quod homo, & ſervus dici cœpit, ſimul atque factus eſt homo, verum dicit *Sanctius*. Sed quid hoc ad me, qui ſequutus *Ambroſium*, aliter interpretor ſervi vocabulum? Habes unum errorem, ſed alterum accipe atrociorem. Præcludit mihi ſuffugium omne, ne poſſim elabi, ſi dicam me ſenſiſſe quod plane ſenſi, *Chriſtum* obediſſe quidem, ſed non ex hoc ſtatim competere in eum nomen ſervi, quod obediant & filii. Et *Chriſtus ut filius, non ut ſervus obediit Patri*, hoc eſt, non ſerviliter ac metu, ſed caritate filii, volens & alacer. Sed clamat *Sanctius*, me hoc non ſenſiſſe quod interpretor. Quid igitur ſenſi? *Chriſtum* nullo modo fuiſſe ſervum? Imo in ipſa Apologia doceo, quibus modis *Chriſtus* poſſit dici ſervus, & quo modo non poſſit. Non eſt ſervus, igitur non eſt homo. Si hoc ipſo ſervus eſt, quod factus eſt homo, procedit enthymema. Sed ſecus accipit *Ambroſius*, quem ibi ſequebar: ſecus ego, qui meminerim de ſpontanea & alacri obedientia, qualis eſt filiorum. Atque hic eſt error, ut ait ille, negativus: ſupereſt error affirmativus. *Chriſtus obedivit Patri ut filius.* Quid periculi, ſi obedivit ex caritate, non metu: ſi volens, non coactus: nonne obedivit ut filius? Negat hoc colligi ex verbis meis: verùm non colligitur, ſed explicatur. Audiat *Sanctius* verba mea, quæ vidit in Apologia: *Si ſervus*, inquam, *dicitur, qui metu mali & conditionis neceſſitate ſuo fungitur officio*, Chriſtus *abſurdè diceretur ſervus: ac ne nos quidem, quoties afflati ſpiritu filiorum, in quo clamamus, Abba Pater, ultro quæ ſunt pietatis expetimus. Sin ſervus appellatur addictus cultor, ac diligens exſecutor alienæ voluntatis, nihil prohibet* Chriſtum *juxta naturam humanam vocari ſervum Dei, ſed ita, ut nihil interim vetet, eundem juxta naturam eandem vocari Filium Dei, quod nullo metu, ſed caritatis impetu voluerit paſſus ſit.* Cui hæc verba ſunt obſcura, is vel in Sole caligabit. Dico *ſervi* vocabulum eſſe nomen timoris & neceſſitatis, *filii* caritatis. Et juxta hunc ſenſum *ſervi* nomen adimo *Chriſto: filii* nomen tribuo etiam ſecundum humanam naturam: Homo erat, & ſponte volenſque paſſus eſt. Si nos dicimur filii Dei, quoties ſponte quæ recta ſunt facimus, multo magis ille. Hîc rurſus *Sanctius* artificem agit, recitat mea depravate. Scripſeram *Chriſtum* duplici ratione dici *Filium Dei: natura, juxta divinam naturam: & gratia, juxta humanam.* Iſte ſic refert, quaſi ex uno duos filios fecerim, naturalem & voluntarium, ſive adoptivum: & occaſione hujus vocis, quam ipſe de ſuo admiſcuit, ingreditur latiſſimum campum, ex variis Auctoribus diſſerens, quomodo *Chriſtus* dicatur *Filius Dei natura, non adoptione:* quomodo nos *gratia adoptionis, non natura*, quaſi magnum ſit, iſtiuſmodi quædam è libris Sententiarum huc transcribere. Sed nunc non erat his locus, quando nihil faciunt adverſum me. Tantum dixi, *Chriſtum juxta divinam naturam* dici *Filium Dei natura, non gratia:* ſed eundem *juxta naturam humanam* dici *Filium Dei gratia.* Hoc ſi falſum erat, refellat *Sanctius:* ſi veriſſimum eſt, quid obgannit tam odioſe *Caranza? Non gratia*, inquit, *adoptionis, ſed gratia aſſumtionis.* Esto, quid mihi canit hanc cantionem? Ego adoptionis non memini. Tametſi vel prædeſtinatio, vel aſſumtio quædam adoptio dici poteſt. Quid enim prohibet adoptare, quod nondum eſt conceptum aut natum? Nec uſquam dixi *Chriſtum* per omnia eodem modo dici *filium gratia*, quemadmodum & nos. Hoc nobis cum illo convenit, quod gratia dicitur Dei Filius ut homo: & ut homo obedivit volens ex impetu caritatis, & ſecundum hanc rationem non competit in illum ſervi cognomen, ſi ſerviliter obedit, qui coactus obedit. Quod ſi qui Theologi negant *Chriſtum* appellari poſſe filium adoptionis, etiam ſecundum naturam humanam, nihil ad me pertinet, qui gratiæ meminerim, non adoptionis. Et ſi meminiſſem adoptionis, nihil erat in verbis periculi, cum de re idem ſentiamus. Jam an *Filius Dei* dici poſſit *Chriſtus* ſecundum aſſumtum hominem, natura ſimul & gratia, ne id quidem ad me pertinet. Filium Dei dixi natura ſecundum naturam divinam. Id quod eſt in confeſſo, Filium Dei natura ſecundum humanam naturam aſſumtam dici poſſe, non negavi. Quod ſi quis dicat *Chriſtum* eſſe filium adoptionis gratia, modo idem ſentiat, quod is qui dicit illum filium aſſumtionis gratia, nec ſenſum haberet hæreticum, nec admodum abſurde, mea ſententia, loqueretur. His forte *Maria* mater *Jeſu* non poſſit dici filia Dei adoptionis gratia, poſita illorum opinione, qui contendunt illam eſſe conceptam ſine labe originis. Si ideo *Chriſtus* non dicitur filius adoptionis, quia nunquam fuerit filius iræ: nec hujus mater diceretur filia adoptiva, quod nunquam fuerit iræ filia. Quid autem vetat prædeſtinationem aſſumendi hominis, aut ipſam aſſumtionem, ſive, ut iſti loqui malunt, unitionem, adoptionem quandam dici? Sed hæc extra cauſam ſane meam. Cum igitur nihil hîc adferat *Sanctius*, quod vel tantillum adverſum me faciat, tamen audi quam magnifice ingreſſus eſt cauſam, quot convitiis condiit diſputationem, quam triumphaliter claudit: *Quæ omnia*, inquit, *ſi prius* Eraſmus *advertiſſet, non tam facile* Chriſtum *Filium Dei adoptivum ſeu gratia ſimpliciter & ſine limitatione pronuntiaſſet. Siquidem ex fide docemur, aliter* Chriſtum *eſſe Filium Dei, aliter nos.* Ut ſemper inculcat ſuam adoptionem, & fingit quæ à me dicta non ſunt. Quod ſi dixiſſem *Chriſtum* juxta naturam humanam gratia Filium eſſe Dei, quemadmodum nos, ſatis eſſet ſimilitudinem in aliquo conſtare. Sic enim *Athanaſius* in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Hæc collatio non conſiſtit omnibus numeris. Pergit gannire *Sanctius: Omne analogum per ſe poſitum*, &c. *ergo quoties abſolute dicitur Filius Dei, intelligitur Filius Dei natura. Quod ſi aliquando Filium Dei per gratiam, ſive adoptivum* Chriſtum *appellare volunt, addunt ſemper hanc limitationem:* Chriſtus *ſecundum quod homo eſt, eſt Filius Dei adoptivus, ſeu per gratiam.* Hujuſmodi *Sanctius.* Quanquam ridiculum eſt addere ſemper limitationem, quoties ex ipſo tenore percipitur quod agas. Cum ajo, *Filius Dei æqualis eſt Patri*, & *Filius Dei minor eſt Patre*, nonne ſatis palam indico geminam naturam? Mox addo, *propterea quod* Chriſtus *duplici ratione dicitur Filius Dei, natura & gratia.* Audiat *Sanctius* duplicem rationem & habet limitationem: & ſi hoc illi ſurdaſtro ſatis non eſt, paulo poſt ſequitur: *Nihil prohibet* Chriſtum *juxta naturam humanam vocari ſervum Dei, ſed ita, ut nihil interim vetet eundem juxta naturam eandem vocari Filium Dei.* Hac calumnia cum nihil fingi poſſit impudentius, aut ſtupidius, tamen ut re bene geſta jocatur camelus ſaltans, rogans an mihi ſit alia Grammatica, an alia Dialectica quam cæteris. Atque ut ſe Dialecticum eſſe declaret, ita definit ſervum: *Servus eſt addictus cultor & exſequutor*

Digitized by Google

voluntatis Domini ſui. Sed caute addidit hîc *Domini ſui.* Alioqui definitio competebat & filio: ſed addito *Domini* vocabulo, nihil erat opus his verbis, in medio, *addictus cultor & exſequutor voluntatis.* Satis eſt, *ſervus eſt qui habet dominum.* Verùm hoc agitur, an *ſervi* vocabulum tribuatur *Chriſto*, & an *Chriſtus* uſquam Patrem appellet *Dominum*, non quod id fieri non poſſit aliquo ſenſu, ſed quod Lex Euangelica, quæ gratiæ eſt, magis inculcet nomen filiorum, quam ſervorum, etiam cum de nobis loquitur, quod vulgatus uſus hujus vocis metus habeat ac neceſſitatis ſignificationem, quæ in *Chriſtum* non competit. Nam quod ait *Sanctius*, *eum malum ſervum dici, qui metu mali obedit*, an perpetuo verum ſit, ipſe viderit. Certe *Paulus* ſervos bonos formare ſtudens, jubet eos morigeros eſſe dominis ſuis cum omni tremore. Et ipſe *Chriſtus* in Euangelio ſervum nequam appellat, qui non parens voluntati domini, defoderat talentum in terra. Quid quod ne filius quidem ſtatim nomen ſuum amittit, ſi nondum perfectus in caritate, metum habet admixtum? Filii donec pueri ſunt, ſub pædagogo habentur, ſed hoc magis accedentes ad imaginem ſervorum, quo magis egent metu pædagogo. At ego ne filialem quidem metum hujus generis auſim tribuere *Chriſto*, quo longius abeſt à cognomine ſervi, juxta vulgatam ſervi ſignificationem. Tandem *Sanctius* ex cavillatore factus magiſter, docet quo pacto potuerim omnes has atroces ſuſpiciones effugere: *Si ſic*, inquit, *pronuntiaſſet* Eraſmus, *Chriſtus juxta aſſumtam humanitatem obedivit & ſubditus fuit Patri, non ſervili timore, ſed filiali.* Tantula res poterat me à ſuſpicione tantarum hæreſeôn liberare. Imo quid aliud dixi, niſi quod Latine dixi? uſque adeo nihil eſt pium, niſi quod idem ſit barbarum? *Ut ſervus* reſpondere dicitur, quiſquis ſerviliter reſpondet, ſive ſervus ſit, ſive non ſit. Dictus erat Filius obediſſe Patri, ne quis ex hoc ſervum eſſe diceret, quod obediſſet, oſtendi duplicem obedientiam, ſervi & filii. *Obedivit*, inquam, *ſed ut filius*, id eſt, ſicut filius obedit patri, nimirum caritate & affectu pietatis, *non ut ſervus*, id eſt, neceſſitate ac metu.

Tandem ubi multa congeſſit è libris *Auguſtini* diſputantis adverſus *Arrianos*, quæ ne tantulum quidem ad me pertinent, quid multis? riſi denique ſtultitiam meam, qui næniis hujuſmodi reſponderim. Et ſubolet quid iſti captent. Satis magnum operæ pretium ducunt, ſi tantum innoteſcant, & dicantur *Eraſmo* præbuiſſe negotium. Nec me latet, qui ſubornent hiſtriones hujus fabulæ. Phariſaicum genus eſt, & *Ebionitarum* reliquiæ. Satis ſit *Judæis*, quod ſemel occiderint *Chriſtum*, quod nihil ab ipſis intentatum ſit relictum, ne reviviſceret. Obſignatum eſt monumentum, adhibiti ſunt cuſtodes: ſed ille victor eluſit illorum malitioſa conſilia. *Chriſtus* non amplius moritur, jam ſedens in cœlo deridet iſtos, & ſubſannat ſtulta molimina, nihil profectura niſi ad ipſorum perniciem. Nos Theologico nomine dignius facturi ſimus, ſi demus operam ut ipſi mereamur dici ſervi Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, de quibus ait *Paulus: Servum Domini non oportet litigare*, potius quam ut tam amarulentis ſycophantiis inter nos decertemus, an *Chriſtus* poſſit dici ſervus, præſertim cum hîc nulla ſit ſuſpicio impietatis, ſed tantum agatur de conſuetudine Scripturæ ſacræ. Primum, aliud videtur dici *ſervum* abſolute: aliud *ſervum Dei*, aut *ſervum Jeſu Chriſti.* Nam *ſervi* nomen abſolute poſitum, vulgo ſonat indignitatem, ac vilitatem conditionis: quam ob rem Heri civiliores non vocant ſervos ſuos *ſervos*, ſed *pueros.* Et quos experti ſunt liberali ingenio præditos, his honoris gratia adimunt *ſervi* cognomen, & pro *ſervis* appellant *libertos.* *Miniſter* functionem ſonat temporariam, quemadmodum *Paulo* Dominus *Jeſus miniſter* dicitur *Novi Teſtamenti.* Et qui præfecti ſunt Regum, *adminiſtrare* dicuntur *provinciam.* Et Angelos *miniſtros* dictos legimus, non *ſervos.* *Servus* perpetuam conditionis vilitatem ſonat vulgo, quam fere comitatur animus illiberalis, & parendi neceſſitas potius quam voluntas. Has ob res viſum eſt quibuſdam non adſpernandis auctoribus, nomen *ſervi* non competere in *Chriſtum.* Quî convenit autem, ut cum Theologi vereantur *Chriſtum* dicere *filium adoptivum*, contendant appellandum eſſe *ſervum*, cum *adoptivus filius* longe ſit honoratior, etiam *liberto.* Etenim qui *ſervum* dicit aliquem, hoc ipſo negat eſſe filium hominis ingenui, cujus eſt ſervus. Jam ſi quis interpretetur *ſervi* vocabulum ſonare humilitatem conditionis humanæ, quam noſtra cauſa dignatus eſt aſſumere, recte dicitur *Chriſtus* hoc ipſo *ſervus* quod *homo.* Sed an hoc fiat in Scripturis divinis, non conſtitit hactenus inter orthodoxos. Rurſum ſi quis *ſervum* velit appellare, quod pro noſtris peccatis victus ſit, cæſus, & crucifixus, *formam ſervi* pro tempore ſuſcepit hactenus veram, quod veram haberet naturam hominis, ſecundum quam vere patiebatur: ſed hactenus falſam, quod ut nocens damnatus eſt, & peccatoris perſonam in ſe ſuſcepit, cum eſſet auctor ac fons innocentiæ. Rurſus ſi *ſervus* intelligitur devotus cultor, aut exſecutor alienæ voluntatis, nulla videtur impietas, *Chriſtum* appellare *ſervum* Dei, ſecundum aſſumtam naturam humanam. Porro ſi quis *ſervum* intelligat alienum à dignitate & caritate filii, qui metu magis quam ex animo ſuo fungatur officio, vides quantum abſit ab hoc cognomine *Jeſu Chriſti* dignitas: & tamen hoc vulgo ſonat abſolute tributum *ſervi* cognomen. Unde non arbitror *ſervi* cognomen eodem modo tributum ulli ſanctorum in ſacris Litteris. *Serve meus* legimus, *ſervos Dei* legimus: ſed ubi de abſoluta cognominis ratione agitur, *Paulus* negat nos eſſe ſervos, ſed filios. *Adoptivi filii* cognomen excludi volunt plerique Theologi per *unitionem*, ut ipſi loquuntur, humanæ naturæ. Et cur non magis eadem unitio excluderet nomen *ſervi*, præſertim cum in cognomine *filii adoptivi*, nulla ſit ſpecies contumeliæ, quæ eſt in nomine *ſervi*, ſed tantum dignitatis gradus inferior? Siquidem quiſquis adoptatur, honoris gratia adóptatur: & ſi forte ſervus ſit, hoc ipſo fit liber, quod adoptatur. Nullus autem honoris gratia ſubigitur in ſervitutem, ſed honoris gratia manumittitur. Sed præſtat his omiſſis tertium locum abſolvere.

DESI-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
RESPONSIO
AD ANNOTATIONEM
JACOBI LOPIDIS STVNICÆ,
EX CAP. V. AD EPHESIOS,
A SANCTIO CARANZA DEFENSAM.

HIc *Sanctius* velut egregius histrio, in extremo Actu mirum agit artificem. Etenim cum in prima Editione testatus sim me sentire cum iis, qui *Matrimonium* numerant inter septem Ecclesiæ Sacramenta, cumque idem compluribus locis alibi profitear, cæterum quod profiteor ajo, non admodum evinci posse ex hoc loco, adeo verum esse fatetur *Sanctius*, ut addat ex nullo sacrorum Voluminum loco satis evidenter colligi: tamen malitiosa vafricie sic agit, quasi locus hic *Luthero* præbuerit ansam, ut negaret *Matrimonium* esse Sacramentum, & addubitare se fingit, an cum illo sentiam: *Nullis igitur*, inquit, *verbis evidentius* Lutheristas *in hac parte oppugnare possumus, sive* Erasmum, *si in hoc cum* Luthero *sentiat*. O frontem Theologicam! Plus quam decem locis, atque in his ipsis verbis, quæ ex prima Editione contra me citat *Stunica*, declaro quid sentiam. Volitat per manus omnium, & passim in ludis prælegitur pueris carmen de septem Ecclesiæ Sacramentis, in quo *Matrimonium* jungo Baptismo: quod quemadmodum per Matrimonium nascimur, ita per Baptismum renascimur. Idem inculco toties disputans adversus *Leum*. Idem in *Enchiridio Matrimonii*, aliisque locis innumeris. Quæ nos *Sacramenta* dicimus, apud *Dionysium* non alio nomine vocantur quam *mysterii*, hoc est, arcani, præsertim in re sacra. Apud Latinos *sacramentum* magis dicitur *jusjurandum*, aut *religiosa obligatio*: veluti qua Judex sententiam dicturus, aut miles Imperatori obstringitur. An ideo perierint Ecclesiæ Sacramenta, si quis ea dixerit Græco vocabulo *mysteria*? Si *Luthero* tantula res ansam præbuit, quod pro *sacramento* verterim *mysterium*, cur non potius cohibuit eum, quod eodem in loco profitear non esse dubitandum, quin sit sacramentum Ecclesiæ? Quid autem movit illum, ut reliqua quoque sacramenta Ecclesiæ abrogaret, uno aut altero exceptis? *Sacri Canones*, inquit, *receperunt hoc vocabulum sacramenti*, *idcirco* Erasmus *non debuit mutare*. Assentirer si colligeret, *idcirco* Erasmus *non debuit reprehendere*. Et ipse tot locis appello sacramenta. Quid autem periculi, si doceam Latinos Græcæ vocis emphasin? nam Latini plerique sunt qui magis intelligant Græcam vocem quam Latinam, adeo recepta est Græca dictio. Sed hîc vigila pauliſper lector, ut accipias novam hominis technam. *Stunica* respondens, docueram *sacramenti* vocabulum aliquando latius patere, ut in omnia competat, quæ sunt alicujus sacræ rei signa, alias accipi significatione peculiari, ut *sacramentum* constet signis visibilibus rei sacræ, sed quæ necessario velut ex pacto comitetur gratia invisibilis. Ac mox subjicio: *Petrus Lombardus, & cum hoc vetustiores Theologi, non numerant matrimonium inter Ecclesiæ sacramenta, quæ proprie hoc vocabulo designantur, recentiores numerare cœperunt, quibus ego lubens assentior*. Atque hîc *Sanctius* me deridet admodum falsè: miratur quo spiritu negarim hoc dictum à *Petro Lombardo*, quod tamen dixit. Quid dixit *Petrus Lombardus*, os impudens? Dixit esse numerandum inter sacrarum rerum signa. Sed negavit eo conferri gratiam peculiarem sive sacramentalem. Negavit igitur esse numerandum inter Sacramenta propria ratione, quam recentiores Theologi tribuunt septem Sacramentis. Explicui de quo genere Sacramentorum loquerer: quod si non explicuissem, tamen apud *Sanctium* certe locum habere debebat illud oraculum: *Omne analogum per se positum*, &c. Quorsum igitur pertinet insulsus ille jocus de arena mea, in qua jactitem me versari? Videat *Sanctius*, ne exciderit non ab arena Theologica, sed à mente. Obsecro, quibus credit se scribere *Sanctius*, belluis, an hominibus? Hæc si legerentur in vulgatam versa Linguam ab idiotis, quid essent dicturi de hoc Theologo, qui tam arrogans supercilium sibi sumit? Non me jacto neque Philosophum, neque Theologum, neque Dialecticum, sed si libeat uti, satis est mihi harum rerum ut *Sanctius* respondeam. Quanquam non est animus cum hujusmodi conflictari, nisi doctiora sanioraque prodiderit. Hæc nec docto, nec probo, nec eo qui frontem habeat digna sunt. Jam quod disputat *Sanctius*, me callide citasse verba *Augustini*, qui scripserit non magnum esse sacramentum in conjunctione viri & mulieris, cum idem mox testetur esse magnum in Christo & Ecclesia; imo totum hunc locum tracto fusius, *Leo* respondens. Fateor in re significante nihil esse magni, sed in re significata magnum esse mysterium. Nam hoc sensit *Augustinus*. Siquidem probabile est, nec *Augustinum* sensisse Matrimonium esse Sacramentum, juxta peculiarem illam rationem recentium Theologorum. Alioqui cum diligenter illius bona colligat, meminisset & gratiæ sacramentalis. Quod si illi juxta hanc rationem ne sacramentum quidem est, quomodo erit magnum sacramentum? Atque hactenus quidem homo Theologus, Philosophus, Dialecticus, gravis, modestus, sobrius, prudens, denique quantivis pretii, defendit suum *Stunicam* Theologice & Scholastice citra omnem maledicentiam, nullo lædendi studio.

Nunc audiamus quomodo suo theatro dicat, valete & plaudite: *Hæc sunt*, inquit, *quæ horrido & inculto sermone obiter & ex tempore in medium adferre volui, meorum librorum solatio orbatus: non ut* Erasmum *calumnier, sed potius commonefaciendi animo, ut boni consulens in his locis, quæ potiori discussione visa sunt dignissima, suam corrigat sententiam, veritatemque catholicam amplectatur. Si tamen homo sum qui ab* Erasmo *hoc impetrare merear. Scio namque quam rara sit mihi domi & curta supellex. Longe siquidem abest à mea opinione, me tanti facere, ut vix trivialiter litteratus verius quam eruditus velim* Erasmum, *de re litteraria universa quam optime meritum provocare, ut mecum in arenam descendat, hominem in quovis litterarum genere apprime eruditum. Ob idque scio profecto* Erasmum *non solum non mihi iratum futurum, sed comiter gratiam habiturum, qui ea optimo ac benevolo animo ostendi, quæ detra-*

Digitized by Google

detractores, qui sua invident felicitati, possunt in eum criminari. Sui vero officii erit, si dignabitur (quod per sacram Theologiam oro) in hisce suam ab erroris suspicione liberare sententiam. Hactenus peroravit *Sanctius*. Quam vero sibi non constat oratio quæ non ex animo proficiscitur, cum docuerim illum perversa interpretatione nonnunquam & summa cum impudentia nihil non trahere ad calumniam, cum tot insulsis jocis debacchetur in caput meum, etiam cum ipse rem pessime gesserit: cum nihil habeat in ore præter *Arrios*, *Apollinares*, *Patripassianos*, *Noëtianos* & *Sabellios*: cum nusquam citet recentiores Theologos, nisi addito invidioso elogio, quo mihi conflet invidiam: quasi ego omnes Theologos recentiores in totum damnem, veluti spinosos ac senticosos. Satis affectate subinde meminit *Sorbonæ*, quasi damnem omnes *Sorbonicos*. Imo cum multos egregie doctos & amem & venerer, quos illa Schola nobis dedit: qui cum sint longe dissimiles *Sanctio*, tamen non usque adeo contemnunt *Erasmum*, quam iste videri vult contemnere. Semel citavit *Scotum* ac *Thomam*, adjecit: *Sed horum nulla, aut parva apud* Erasmum *est auctoritas*. Frequenter optat mihi peritiam Dialecticæ, sæpe Scholasticæ Theologiæ, quasi solus ille didicisset ista, neque nos possemus aliquid citare ex *Petro Lombardo*, quem ille satis cum aliorum contumelia pronuntiat solum post Apostolos esse dignum *Magistri* nomine: cum in hujus libris plures sint articuli damnati, quam in tot meis voluminibus: cum tamen nusquam ex professo tractem rem Theologicam. Ad hæc cum doceam in Apologiis *Stunicam* tam manifeste lapsum in plerisque locis, tamen ille semper apte citat auctores: ille nihil non perspicit: ille undequaque doctissimus, à teneris unguiculis versatus est in sacris Litteris. *Erasmus* falso citat omnia, cæcutit ubique. Et si quando *Sanctius* citat aliquid ex Magistro Sententiarum, quasi solus hoc possit: *Audiat*, inquit, *Erasmus*, etiam tum, cum res nihil ad me pertinet. Denique in causa Matrimonii, cum palam dissentiam à *Luthero*, arte sycophantica conatur nos conjungere, aliquanto minus odii spirans in *Lutherum* quam in me, à quo nunquam verbo læsus est: è cujus libris fatetur se plurimum cepisse fructus. Postremo, cum hæc, quæ impegit, velit affinia videri errori *Sabellianorum*, *Arrianorum*, & *Apollinaristarum*, tamen indicat alia esse plura, quæ requirant accuratiorem discussionem, & hortatur ut corrigam meam sententiam, & amplectar veritatem catholicam. His venenis cum totus scateat liber, tamen prælinit mellis nonnihil, aut volens irridere nos impudentia scurrili, aut existimans lectorem tam stupidum fore, ut hos fucos non intelligat. Sic patrocinatur suo *Stunicæ*, cujus causam cum nihilo fecerit meliorem, tamen hominem ipsum sui collatione commendavit. Quisquis enim hæc legerit, ei *Stunica* videbitur & doctior, & minus petulans ac virulentus, & simplicioris ingenii. Nam ille palam maledicus, ingenue præ se fert gloriæ studium: nec alio animo lacessisse *Erasmum*, nisi ut in tabernis Bibliopolarum passim legeretur hic titulus litteris sesquipedalibus scriptus: JACOBUS LOPIS STUNICA in ERASMUM. Eadem cupiditas habet hunc *Sanctium*, sed ille non tot fucis dissimulat animi sui malum quam hic. Quàm enim illud sapit simplicitatem Theologicam, quod cum simul scribant adversus eundem, eadem in urbe, fortassis in eodem cubiculo, tamen in præfatione scribit hunc in modum: *Audio* Stunicam *in illum acerbam recriminationem meditari.* Quam hoc dignum est Theologica verecundia, quod Apologiam meam, qua civiliter respondeo *Stunicæ* virulentiis, appellat criminationem: unde vereor ne & hæc Apologia futura sit illi criminatio, qua falsam hæreseos suspicionem à modestissimo Theologorum intentatam depello, non regero calumniam. Nam in illo, quod nunc dicturus sum, non dubito quin *Sanctius* sibi videatur mire festivus: quod cum ipse in hoc libello non magno, quas famæ suæ primitias esse voluit, & ad reprehendendum, vel potius ad calumniandum parato, quod est facillimum, toties cæcutiat, ac turpiter labatur, (id quod ut est fortassis ignoscendum conanti docere, ita turpissimum tanto supercilio censorem agenti) me per ironiam appellat alicubi *cunctividentem*. Primum, quis erat locus isti joco, cum nihil magis profitear ubique quam me hominem esse, & labi passim? Deinde quam decuit hoc ab eo dici, qui tam exiguo libello, tot insignes lapsus admiscuit? Hæ rixæ, hæc morositas, hæc omnia calumniandi libido, hujusmodi libelli, in quibus nec est utilitas ulla, nec amœnitas, alienant animos hominum à studio Theologiæ. Quis enim non judicet esse satius *Ciceronem* aut *Maronem* evolvere, quam hujusmodi indoctas & inamabiles sycophantias? His imputandum, sicubi frigent Scholæ Theologicæ. Quare vicissim orabo *Sanctium* per sacram Theologiam, cujus ego rudis sum, ille coryphæus, ne posthac tam ineptis, indoctis, amarulentis, ac fucatis libellis & seipsum traducat, & ordini Theologico conciliet odium apud eruditos, & suæ *Hispaniæ*, suæque Academiæ *Complutensi*, apud imperitos rerum, labem conciliet. *Hispania* quondam doctissimis viris abundavit, & hodie se recipere cœpit ad pristinam gloriam. *Complutensis* Academia, spero, nobis sinceriores Theologos aliquando pariet, posteaquam *Stunicam* & *Sanctium* nobis abortiit. Ita temperet stylum suum, ut lector cordatus & integer intelligat librum ab erudito, sincero, proboque Theologo profectum, nec sibi blandiatur hoc præmio, quod scripsit in *Erasmum*. Atque ita secum cogitet, hæc tam odiosa aut non legentur, aut oscitanter legentur, aut legentur ab his qui male volunt *Erasmo*. Malevolis hoc magis placebo, quo deterius scripsero, quibus gratum erit utcunque negotium exhibitum homini. Cæteris videbor aliquid magni, qui non dubitarim cum eo dimicationem suscipere, idque in urbe, qua si usquam sit major libertas insaniendi. Doctos, integros, & bene volentes *Erasmo*, negligam. Malo probari paucis quam melioribus. Absit hæc cogitatio à pectore Theologi, præsertim *Complutensis*. Non est tanta paucitas cordatorum hominum quam *Sanctius* existimat. Is si parebit amico consilio meo, non invidebimus illi hoc quicquid est nominis, quod sibi hac prima congressiuncula paravit. Sin perget sui esse similis, me non habebit concertatorem. Et tamen vereor, ne non sit defuturus suus *Bitho Bacchius*. Nos malumus juvandis publicis studiis, quam hujusmodi muliebribus rixis bonas horas impendere. Indignatur quod sacrosanctis *Stunicæ* Annotationibus non impenderim nisi septem dies, quod in re tam sacra non convocarim senatum amicorum. Me vero non semel pœnituit, quod tres horas impenderim, vel illius, vel hujus næniis.

FINIS.

DESI-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI

APOLOGIA

DE LOCO TAXATO IN PVBLICA PROFESSIONE,

PER NICOLAVM ECMONDANVM,

THEOLOGVM ET CARMELITAM LOVANIENSEM.

LOCVS EST IN EPISTOLA PAVLI AD CORINTHIOS PRIORE, CAP. XV. OMNES QVIDEM RESVRGEMVS, SED NON OMNES IMMVTABIMVR.

Hoc loco variabant olim Græcorum codices, nunc conſtanter ut inter ſe conſentiunt, ita à noſtra vulgo recepta lectione diſſentiunt. Siquidem in omnibus Græcorum codicibus, quos ego ſane vidi, (vidi autem non paucos) ſcriptum habetur: Πάντες μὲν οὐ κοιμησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Id eſt, *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Nec eſt quiſquam recentiorum, qui teſtificetur ſibi diverſam lectionem eſſe compertam in Græcanicis Exemplaribus. Latini codices habent diverſam lectionem, nimirum hanc: *Omnes quidem dormiemus, ſed non omnes immutabimur.* Quod ſi conſtaret falſam eſſe Græcorum lectionem, atque adeo ſi ſenſum haberet hæreticum, quod longe ſecus eſſe certiſſimis argumentis docebimus, tamen ego non merebar inceſſi convitiis, qui lectionis hujus non ſum auctor, ſed interpres duntaxat, imo culpandus eram, ſi ſecus vertiſſem, quam habent Græcorum volumina, præſertim cum non uno in loco clamem me non ſtatim damnare, quod habet Editio Latina, ſicubi demonſtro Græcorum libros diverſam habere lectionem, imo cum fatear aliquoties, quod noſtri legunt mihi magis probari, quam quod habetur apud Græcos. Ad hæc cum in Annotationibus diligenter oſtendam, magnos & orthodoxos Auctores diverſæ lectionis meminiſſe, nec ullam tamen improbare: cum oſtendam utramque ſententiam non pugnare, neque cum pietate Chriſtiana, neque cum veritate doctrinæ Euangelicæ. Hæc, inquam, cum à me diligenter ſint procurata, tamen duo quidam ordinis Theologici primates & anteſignani, ſic hunc locum à nobis verſum inceſſiverunt, non ut dicerent me lapſum errore humano, ſed ut vociferarentur, me periculoſam hæreſim adducere, nec id inter pocula, aut familiaribus colloquiis, ſed alter in publica Theologiæ profeſſione *Lovanii*, alter * apud *Angliæ* Regem cordatiſſimum, & Reginam mariti ſimillimam, circumſtante frequenti procerum & eruditiſſimorum hominum turba. Et quo res eſſet atrocior, dixit hæc provolutus ad genua religioſiſſimorum Principum, ſublatis in cœlum oculis & manibus, obteſtans Deos atque homines, ut tantis Eccleſiæ periculis occurrerent, brevi collapſuræ, ni celeri remedio proſpectum eſſet. Quem iſta non moverent, præſertim cum hæc tam religioſe proponeret, primum Theologus multorum annorum, deinde ſenex, ad hæc *Franciſcani* nominis, ſed ex eorum genere, qui ſe *Conventuales* appellant, poſtremo Epiſcopus, non à ſuffragiis & conductitius, ſed verus & opimi proventus Epiſcopus? Si nomen hominis adderem, nullam, opinor, illi facerem injuriam, ac fortaſſis nec rem ingratam; nec enim probabile eſt illum velle clam haberi, quod ipſe in tam celebri talium virorum cœtu prodidit. Sed tamen nomen ſupprimam in Apologia, cum ille meum nomen non ſuppreſſerit in calumnia. Ac ne has quidem notas additurus eram, niſi putaſſem eſſe cavendum, ne ſuſpicio vagaretur per multos alios innoxios. Ac ſummam hæreſeon mearum contraxit in tres articulos, quorum primum ex hoc loco ſumſerat, ajebat enim me tollere reſurrectionem, quam vocem nemo poterat prima fronte ſecus accipere, quam *Eraſmum* docere, nullam eſſe corporis reſurrectionem, cum ille ſentiret, quoniam non improbo Græcam lectionem, quæ ſentit non morituros eos quos adventus *Chriſti* deprehendiſſet vivos (non reſurgit autem niſi mortuus) me tollere reſurrectionem in illis duntaxat, quos exiſtimaſſem non morituros. Quanquam hujus ſententiæ, ut non ſum impugnator, ita nec propugnator ſum, ſed variis aliorum ſententiis recitatis, judicii jus aliis defero, & tamen ſi pertinaciter hæſiſſem ei ſententiæ, nemo mihi merito poſſet hæreſeos crimen impingere, quemadmodum mox docebimus.

Verùm cum hoc calumniatore mihi nunc non eſt proprie ſuſcepta dimicatio, nam & res vetus eſt, & ipſe coram à doctiſſimis viris manifeſtiſſime confutatus verius quam pudefactus, temeritatis ſuæ pœnas dedit. At nuper *Lovanii*, utinam mihi liceret nihil addere, ſed ne libera ſuſpicio permeet ad innoxium quempiam, paucis notis hominem deſignabo, ut eum agnoſcant cæteri, qui recentem audiere fabulam. Theologus eſt, ejus ordinis, ſi non auctoritate, certe loco, qui datur non ex eruditionis, ſed ex annorum modo, princeps, nominis *Carmelitani*, quam ob rem nemo hujus ordinis mihi vel pilo eſt injucundior. Hominem noto, non ordinem, major annis quinquaginta tribus, ni fallor, ipſo corporis habitu. Is in lectione Theologica, eaque ordinaria & publica, quam ipſe merito venerabilem haberi vult, & ad quam cogit etiam accedere, qui Theogiæ ſint candidati, cum veniſſet ad hunc *Pauli* locum, ſubmonitus, opinor, à quopiam in ſympoſio meam Editionem hîc diſſentire à vulgata lectione: *Hic*, inquit, Eraſmus *adſert hæreſim, probat enim contradictoriam ejus, quod legit Eccleſia, quod juxta Dialecticorum rationem hæc ex diametro inter ſe pugnent*: Omnes reſurgemus, & non omnes reſurgemus, omnes immutabimur, & non omnes immutabimur. Quo convitio cum nihil ſit atrocius, tamen quam præter omnem cauſam homo, ut ſibi videtur, religionis lumen, in me torſerit, paucis expediam. Primum enim (ne diſputem interim & *Chryſoſtomo* fuiſſe Eccleſiam Catholicam, qui legit, quod hic hæreſim vocat) ſi ut cœperam paulo ante dicere, Græcorum lectio ſine controverſia ſenſum haberet hæreticum, tamen mihi non poterat imputari, qui nihil aliud profiteor quam interpretem, niſi forte dicent *Hieronymo* imputandum quicquid errorum *Origenes* admiſcuit libris περὶ ἀρχῶν, quod hos bona fide, ſicut ab eo ſcripti fuerant, Latinis auribus tradiderit. Quod ſi quis facere tentaret, nullus, opinor, non clamaret

* Joannes Standicus.

Digitized by Google

hominem in *Antidyra* relegandum. Nunc quanto id factum eſt iniquius in me, qui non unam hanc lectionem, ſed cæteras etiam in medium adferam, qui nullam improbem, qui doceam multis orthodoxis ac probatis auctoribus hanc lectionem non diſplicuiſſe, quam iſte vocat hæreticam. Niſi forte ſenſum hæreticum amplexus eſt *Chryſoſtomus*, & hujus æmulus *Theophylactus*, qui nec legunt aliud quam quod hodie legimus in Græcorum codicibus, nec aliud interpretantur, nimirum non morituros, quos ille dies vivos offenderit, ſed tamen una cum reſuſcitatis mortuis ad eandem immortalitatis ſortem immutandos, ut his tranſitus ad immortalitatem ſit vice reſurrectionis. Nam hoc, opinor, toto ſermone *Paulus* agit de reſurrectione piorum duntaxat, juxta Græcorum ſane lectionem. Si quis mihi diffidit, utrumque volumen Græcum eſt in Bibliotheca Prædicatorum *Baſilea Rauracorum*. Quin & *Origenes* libro adverſus *Celſum* ſecundo, vetuſtus & cum primis gravis Auctor, adducit hunc locum juxta Græcorum lectionem: *Tuba*, inquit, *ſignum dabit, & mortui reſurgent incorrupti*. De vivis autem immutandis, & à mortuis reſurgentibus ſegregatim ſic ſcribit: *Et nos immutabimur, quod uſique dixit, ubi prius dixiſſet mortui reſurgent*. Ex his, opinor, verbis ſatis perſpicuum eſt, quid legerit, quid ſenſerit *Origenes*, nimirum immutandos pios omnes, & qui reviviſcent ante diem adventus mortui, & qui vivi deprehendentur, non morituri quidem illi, ſed tamen cum iis qui mortui fuerant immutandi. Quod ſi Græcorum auctoritas levis eſt apud hunc, quicum ago, qui mire ſemper fuit infenſus Græcis litteris, crebro jactitans ex hiſce fontibus ſcatere, quicquid nunc eſt malorum in orbe, non cogitans ex his fontibus hauſiſſe *Cyprianum*, *Hieronymum*, *Ambroſium*, *Auguſtinum* fere quicquid nobis dignum cognitu prodiderunt in litteris Theologicis, certe priuſquam hæc tam odioſa verba depromeret, vel effutiret potius, conſulere debuerat, vir tam gravis, & qui Theologiæ columen haberi poſtulat, ſi quid *Hieronymus*, ſi quid *Auguſtinus*, ſi quid his recentior *Thomas*, ſi quid vulgatiſſimi commentarioli, qui falſo *Hieronymi* titulo, ſed neutiquam adſpernandi, feruntur in omnes Epiſtolas *Pauli*, denique ſi quid Gloſſa, quam vocant *ordinariam*, ſuper hac re prodidiſſet: nam hanc ille ſolitus eſt habere familiarem, velut ex eo Copiæ cornu nihil non hauriri poſſet. Denique ſciſcitari debuerat ab iis qui hoc deferebant, quibus rebus adductus propoſuiſſem eam lectionem, ſi uſque adeo contemnit meas Annotationes, ut nunquam à ſe lectas, damnandas exiſtimet. Primum *Hieronymus* in Epiſtola ad *Minerium* & *Alexandrum* recitat duplicem hujus loci lectionem, & ita probat hanc, qua vulgo nunc utitur uſus Eccleſiaſticus, ut non improbet eam, quæ ſola nunc reſidet in libris Græcorum, atque etiam in codice miræ vetuſtatis, qui eſt *Romæ* in Bibliotheca Pontificis, ne clamitet, ita ut ſolet, meos codices eſſe falſatos. Primum, ut dixi, *Hieronymus* in Epiſtola, quam ſcripſit ad *Minerium* & *Alexandrum*, fatetur etiam in Græcis codicibus duplicem fuiſſe lectionem, & hanc quam nos reddidimus ex fide Græcorum codicum, & eam quam uſus habet Eccleſiæ Latinæ. *Theodorus Heracleotes* & *Apollinarius* ſequuntur priorem, *Origenes* ac *Didymus* poſteriorem. Sed *Hieronymus* inibi præfert hanc lectionem, quam hodie codices habent Latini: *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*. Fateor, ſed idem in Epiſtola ad *Marcellam*, quæſtione tertia, ſimpliciter probat id quod habent Græci, nimirum eos, quos adventus Domini deprenderit vivos, non morituros, ſed in iiſdem corporibus occurſuros in aera Domino, *ut quemadmodum*, inquit, *qualia corpora ſurrectura ſint, in talem ſubſtantiam etiam vivorum corpora transformentur*. Nec hoc contentus *Hieronymus*, etiam ea diluit quæ poſſunt ex aliis Scripturarum locis adverſus hanc ſententiam opponi. Ergo cum eo qui nobis *Hieronymum* objicit,

A paria faciamus. Verùm ultro renuntiemus alterius loci patrocinio, & videamus quæ ratio moverit *Hieronymum* ut hanc præferret, quanquam hanc ita præfert, ut alteram non reprobet. Quæ ratio ſi demonſtrabitur infirma, non debet plus habere ponderis apud nos auctoritas *Hieronymi* quam habeat ratio quam ille ſequutus eſt. Etenim ſi legamus: *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*, putat parum congruere cum ſuperioribus quod ſequitur: *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur? Si enim*, inquit, *omnes immutabuntur, & hoc commune cum cæteris eſt, ſuperfluum fuit dicere*, & nos immutabimur. *Quam ob rem ita legendum eſt*: Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Quam hîc parum attentus fuerit *Hieronymus* ipſa res indicabit. Primum, illud convenit, hoc loco *dormiemus* poſitum eſſe pro moriemur. Cæterum *immutabimur* aliis ſonat, transformabimur ad glorioſam immortalitatem, ut tantum ad pios pertineat: aliis, transferemur ad immortalitatem corporis, ut ſimul & ad pios & ad impios pertineat. Mihi videtur hîc *Paulus* agere de reſurrectione piorum ob ea quæ ſequuntur: *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt*. Item ob ea quæ præceſſerunt: *Hoc autem dico fratres, quoniam caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, neque corruptio incorruptelam*. Atque hujus ſententiæ fuit *Acacius Cæſareenſis* Epiſcopus, & *Ambroſius* noſter. Quod ſi cui magis probatur, ut ſermo ſit generalis, & ad utroſque pertineat ordines, cum hoc non eſt animus digladiari, quandoquidem minimum refert ad id quod nunc agimus. Cum igitur *Paulus* explicaturus modum reſurrectionis dixiſſet, non omnes quidem morituros, (ſive hoc dictum ſit propter *Eliam* & *Enoch*, ſive propter eos quos adventus *Chriſti* deprehendet vivos) ſed tamen omnes immutandos ad immortalitatem, & eos qui revixerint, & eos quos ſubitus adventus *Chriſti* deprehenderit in vita, quod in genere propoſuerat, pergit explanare diſtinctius. Perinde enim quaſi quiſpiam interrogaſſet, qua ratione fiet, ut ſimul immutentur vivi cum mortuis, docet rem mira celeritate gerendam eſſe, nimirum ad nutum Dei, qui omnia poteſt non naturæ viribus, quæ lento molimine peragit, quod agit: *In momento*, inquit, *in ictu oculi, in noviſſima tuba, canet enim tuba*, & ſimul utrumque fiet. Quod utrumque? Primum *mortui reviviſcent*, nec reviviſcent iterum morituri, ſed jam incorruptibili corpore. Atqui paulo ante *Paule* dixeras quoſdam non morituros, quid de illis futurum eſt? Ad hoc reſpondens: *Et nos*, inquit, *immutabimur*, ſive ponens ſeipſum inter eos quos adventus Domini deprehenſurus eſſet in vita, ſive perſonam illorum in ſe transferens docendi gratia. Non igitur ſupervacue repetitur, *& nos immutabimur*: verùm quod obſcurius erat dictum, *Sed omnes immutabimur*, explanatius aperit, nominatim exprimens qui ſint non morituri, & tamen immutandi. Quod ſi quis contendat eſſe ſupervacuum, ſupervacuæ erunt omnes fere demonſtrationes Mathematicorum, quibus explanant exemplis, quod in genere docet regula. Itaque cum ratio *Hieronymi* nihil habeat ponderis, non debet illius auctoritas quenquam admodum commovere hoc ſane loco, præſertim cum graves & eruditos auctores nihil offenderit hic ſcrupus, quo *Hieronymus* aliud, opinor, agens videtur offenſus. Divus *Ambroſius* è diverſa lectione videtur eandem cum Græcis elicere ſententiam, quod quidem attinet ad priorem ſermonis particulam: legit enim hunc in modum: *Omnes quidem reſurgemus, non omnes immutabimur*. Ea verba ſic interpretatur: *Omnes reſurgemus qui adventu* Chriſti *mortui inveniemur. Non omnes immutabuntur, qui in corpore ſint reperti, quia ſancti ſoli beatitudinis gloriam conſequentur*. Eandem ſententiam paulo poſt repetens: *Vel certe*, inquit, *ſimpliciter omnes mortuos reſurgere dicit, & ſolos ſanctos cum iis qui vivi juſti inventi fuerint, in gloriam immutari*. Vides ut ſentiat quoſdam in adventu *Chriſti* non morituros, vides eoſdem cum iis qui ante dormie-

nunt

rant & revixerunt immutandos ad immortalitatem. Ubi nunc est igitur illa ἀντιλογία, quæ ex sensu orthodoxo hæreticum faciebat? Priusquam hæresis vocabulum erumperet, debebat homo, ut videri vult Philosophus, expendere num qua nota veræ contradictionis hîc falleret, nisi forte contradictionem esse putat, si de duodecim Apostolis dicam: *Omnes* Christo *placent.* Et de *Carmelitis: Non omnes* Christo *placent.* Verum est utrumque proloquium: *Omnes resurgemus*, & *non omnes resurgemus. Omnes resurgemus*, si loquaris de iis qui mortui fuerint ante Servatoris adventum. *Non omnes resurgemus*, si promiscue loquaris de universo mortalium genere. Similiter æque verum est, *omnes immutabimur*, & *non omnes immutabimur. Omnes immutabimur*, quia transferemur ad immortalitatem. *Non omnes immutabimur*, quia non omnes consequemur gloriam immortalis vitæ. Sed fortassis calumniator hic meus, ut nihil tribuit Græcis Scriptoribus, quod illi cum Græcis litteris sit ἄσπονδος πόλεμος, ita non multum tribuit *Hieronymo* & *Ambrosio*, quod græcissent. Sed *Augustinum*, opinor, non contemnet, tanto Scholarum omnium consensu probatum Doctorem. Is in libro, qui illi inscribitur titulo *de Ecclesiasticis dogmatibus*, cum recitasset opinionem eorum, qui dicerent omnes morituros, ac proinde resurrecturos, subjecit hæc verba: *Verùm sunt & alii æque Catholici & eruditi viri, qui credunt anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem, eos qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte.* Quo libet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat, sufficit enim Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere de morte. Calumniator iste nihil cunctatus hæresim vocat, quod è Græco verti, & *Augustinus* appellat eos æque doctos & Catholicos. Utri libet credere, *Augustino* an *Suffeno*? sit enim interim illi nomen hoc usurarium. Jam is qui collegit commentariolos in omnes Epistolas *Pauli*, tametsi falso tribuuntur *Hieronymo*, tamen vir, ut apparet, eruditus, qui ex priscis auctoribus eos consarcinavit, meminit hoc loco trifariæ lectionis: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quam lectionem cum sequatur *Ambrosius*, tamen *Hieronymus* negat inveniri in Græcis codicibus, cum in his inveniantur duæ reliquæ. Altera minimum ab hac dissonans: *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur.* Tertia: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.* Atque hanc postremam maxime probat, ut Apostolico sensui maxime congruentem. Denique *Thomas Aquinas* in commentariis, quibus hanc enarrat Epistolam, indicata duplici lectione, non solum non improbat eam quam habent Græci, verum etiam negat in ea sensum esse hæreticum. Quin & *Petrus Lombardus* Libro IV. dist. XLIII. referens super hæc decerpta quædam ex *Augustini* Libro *de Civitate Dei* XX. Capite XX. neutram sententiam rejicit, sed admiscet de suo: *Vellem*, inquit, *de his potius audire doctiores*, satis declarans se nihil illic videre hæreticum. Ergo-ne hæresim, quam viri tam oculati non viderunt, vidit lippus noster? Quid quod hæc lectio congruit cum eo loco qui est in Epistolæ ad *Thessalonicenses* prioris Capite IV. Quando hæc est certissima clavis divinæ Scripturæ, locorum similium ac dissimilium collatio, ibi sic legimus: *Nos qui vivimus, & qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Neque vero me fugit quosdam hîc *vivos* interpretari justos, *dormientes* peccatores. Sic enim *Origenes* & hujus imitatores nonnunquam sibi permittunt in Scripturis arcanis ludere tropologiis, præsertim quoties ad mores instituendos adhortantur, aut deterrent à vitiis, atque item in commentariis, in quibus volunt esse summam libertatem proponendi varias opiniones, quo lectori suppeditetur cogitandi materia. Verùm hoc commentum rejiciunt *Apollinarius* ac *Diodorus*, teste *Hieronymo*, quibus placet *viventes* hîc accipi non justos, sed omnes quos adventus *Christi* deprehenderit in vita. Alioqui si *dormientes* interpretemur injustos: non congruet illud quod sequitur: *Nos qui vivimus, non præveniemus eos qui dormierunt.* Etenim cum dicit, *Non præveniemus*, significat utrosque simul rapiendos obviam *Christo* in aera, neque enim injusti rapientur in aera obviam *Christo*, sed justi duntaxat. *Ambrosius* enim explanans hunc locum ex Epistola ad *Thessalonicenses*, commentum adducit argutum magis, mea quidem sententia, quam grave: *In ipso*, inquit, *raptu mors proveniet, & quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, præsentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt.* Atque hoc sequutus videtur *Augustinus*, in loco quem modo citavi, quanquam ita recensens, ut non admodum fidere videatur huic opinioni, quam ita proponit, non ut velit eam esse certam, sed sat habeat, si non videatur esse incredibile quod adfert.

Nunc nihil supereſt, nisi ut paucis excutiamus scrupulos, quibus offensi quidam ad hujusmodi commentatiunculas confugerunt. Quidam enim absurdum existimant, cum homines à moriendi necessitate dicantur mortales, aliquos ab hac eximere communi lege. Verùm ea res nihil offendit *Hieronymum*, qui *Marcellæ* quærenti utrum omnibus esset moriendum: an quos adventus Domini vivos deprehendisset, vivi ut erunt rapiendi sint obviam *Christo* in aera: cum mortuus sit ipse Dominus, cumque in Apocalypsi *Enoch* & *Helias* narrentur esse morituri, respondet illos non morituros, sed tamen à mortalitate ad immortalitatem esse transformandos. Cæterùm quod habetur in Apocalypsi, non ad historiam, sed ad mysticum sensum accipiendum, nisi placent & alia quæ illic referuntur de Templo ædificando, de hostiis immolandis juxta sensum carnalem interpretari, quo nihil esse possit absurdius. Hæc demiror latuisse tantum, ut haberi postulat, Theologum, præsertim cum recitentur in vulgatissima rhapsodia, quam vocant Glossam ordinariam. Divum *Augustinum* peculiariter movent illa *Pauli* verba, quæ sunt in Epistolæ ad *Corinthios* prioris Cap. XV. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, præsertim cum addat: *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.* Videmur enim hîc *Pauli* sermonibus urgeri, ut credamus vivos subito in ipso raptu morituros ac revicturos, cum mea sententia nihil sit necesse. Primum enim potest hic sermo accommodari ad eos qui obdormituri sint ante Servatoris adventum, quemadmodum ostendimus veteres aliquot orthodoxos interpretari sermonem illum: *Omnes quidem dormiemus.* Deinde divus ipse *Augustinus*, cujus verba referuntur in Glossa ordinaria, declarans hujus loci sensum: *Omnes*, inquit, *in Adam moriuntur, omnes in Christo vivificantur, quia nemo ad mortem, nisi per illum: nemo ad vitam, nisi per istum, quia sicut per Adam omnes mortales ex pœna facti sunt filii seculi, ita per Christum omnes immortales in gratia fiunt filii.* Hactenus *Augustinus.* Mori dicuntur, qui ob primi parentis culpam nascuntur mortales, & vivificari dicuntur, qui beneficio *Christi* fiunt immortales. Porrò mortalitas & immortalitas cadit & in illos quos aliquo casu contigerit non mori. A nonnullis adducitur & illud quod est in Epistola ad *Hebræos: Statutum est omnibus hominibus semel mori:* Si omnibus statutum est mori, nullus igitur non moritur. Ad quod bifariam responderi potest. Primum hujusmodi generalibus sententiis non excludi

privilegia paucorum. Nec enim ideo fur fuit & latro sanctus *Esaias*, quod *Christus* dixerit in Euangelio: *Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones*, sed tanta erat bonorum Prophetarum ac Doctorum paucitas ad Pharisæorum & Pseudoprophetarum multitudinem collata, ut omnes dixerit, plurimos: ut tam paucos pro nullis habuerit. Rursus, non ideo *Petrus* ac *Barnabas* sua compendia *Christi* negotio prætulerunt, quia *Paulus* scripsit, *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi*, sed de plerisque *Christum* insincere prædicantibus dicit, *omnes*, quod perpauci essent qui sic prædicarent, ut ipse prædicabat. Nec ideo *Nathan* Propheta declinavit à recto, & inutilis factus est, quia Psalmographus scripsit: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Nec ideo falsum est quod scripsit Apostolus: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, quod *Christus* fuerit immunis ab omni peccato, & per hunc Virgo mater, si quibusdam id plausibiliter asserentibus est habenda fides. Cum igitur ex tot seculis duo tantum legantur subrepti morti, *Enoch* & *Helias*, & pauciſſimi futuri sint illi, quos subitus ille adventus deprehendet vivos, præsertim quod bonam hominum partem jam absumserit afflictio Antichristi, pestilentia, fames, terræmotus, nulli videntur ad immensam multitudinem, quæ tanta serie Seculorum toto terrarum orbe mortis tyrannidi cessit. Denique hi quamlibet pauci mortales erant, etiam morituri, nisi casus illos eripiat morti. Hac, inquam, ratione dissolvi poterat, quod objicitur ex Epistola ad *Hebræos*, cujus interim auctoritati non derogamus, sed largimur perinde valere, quasi à *Paulo* scripta fuisset. Poterat & ita responderi: *Paulum* non illic agere de necessitate moriendi, quam nemo mortalium possit effugere, sed hoc agit, ut intelligamus homines, qui communi lege nascentium moriuntur, non mori nisi semel, neque jam post mortem semel obitam quicquam restare, nisi ut pro semente, quam quisque fecerit in vita, messem faciat. Atque hanc rem omnium sensu comprobatam & confessam, accommodat ad docendum *Christi* mortem, qua redemit hominum genus, nunquam esse iterandam, nec aliam hostiam exspectandam pro peccatis humani generis. Nec aliud restare, nisi ut qui hîc in corpore humano apparens semetipsum immolavit Patri, moriens in cruce, idem suis appareat gloriosus & inclytus in adventu supremo, judicem omnium acturus, qui prius servatorem omnium præstiterat, quod quidem in ipso fuit. Est enim hæc una ratio deprehendendi verum Scripturæ sensum, si diligenter observemus, quid agat illic, qui scripsit. Simili ratione diluetur & illorum scrupulus, quos offendit illud *Pauli*: *Tu homo quod seminas, non vivificatur, nisi mortuum fuerit.* Nec enim hoc agit hîc *Paulus*, ut ostendat neminem non moriturum, sed ut adhibita similitudine à rebus humanis, omnium sensui notissimis, doceat non esse incredibile quod Euangelica doctrina polliceretur. Etenim si quotidie videmus omnes, frigidum & aridum granum mortuum, ac terra veluti sepultum, posteaquam computruit, ceu redivivum emergere, primum in herbam teneram ac succulentam, mox in maturam segetem, idque juxta communem ordinem naturæ: cur dubitemus de Dei promissis, qui nostra corpora quamlibet humo putrefacta, sua peculiari virtute revocaturus est ad vitam, ac statum etiam feliciorem? Hoc igitur agit illic *Paulus*, quod multis videbatur incredibile, ut semel mortui reviviscerent. Porro an pauci per occasionem sint subducendi necessitati communi, minimum habet momenti ad humani generis summam. Sunt quos & illud videtur movere, quod cum resurrectio sit præcipua pars fidei Christianæ, non conveniat, lectionem aut sensum hîc ancipitem habere. Utinam nihil esset hujusmodi in divinis Litteris, sed non ita visum est *Christo*. Alioqui non tot locis sudarent tot eruditissimi viri, in vestigandis & eruendis sacrorum Voluminum sententiis. Sed hoc loco ut

A tollatur ea lectio, quam habent Græci codices, & indicant veteres orthodoxi, hæc ipsa, quam hodie sequitur Ecclesia Latina, sensum habet ancipitem, quemadmodum in superioribus demonstravimus ex diversa Veterum interpretatione. Quanquam hunc quoque scrupulum discussit *Augustinus*, negans opus esse, ut certo sciamus omnem resurrectionis modum: satis esse si credamus mortuorum corpora revictura, unaque cum anima, quam prius habuerant, victura, in æternum vel fruitura gaudiis, vel luitura pœnas pro meritis anteactæ vitæ. Nec aliam fore sortem eorum, quos adventus Domini deprehenderit in vita, sive morituri sint, ac mox immortalitate mutandi, sive nullo mortis interventu à mortalitate ad immortalitatem transferendi. Utinam omnes qui nomine Christiano censemur, tam hoc habeamus indubitatum, quam citra periculum dubitare licet, quid Deus fieri velit de iis quos vivos ille dies deprehendet.

B Hæc habui, lector optime, quæ mihi in præsentia succurrebant adversus tam insignem ac publicam calumniam: quorum si nihil legit ille qui pronuntiabat hæresim, quid detestabilius tanta supinitate in publica ac Theologica professione? si legit, quid perversius, aut malitiosius quam tale convitium contra conscientiam evomere in fratrem? Multum oportet interesse inter Theologicam professionem & Grammaticam, aut Poeticam. At quis unquam audivit tam cæcam petulantiam in Scholis eorum qui litteras humanas, & istorum judicio ridiculas profitentur? Is mihi in faciem dixit, quod Poetæ & Rhetores mentiuntur omnia. Sed hoc Theologi factum, quo nomine donabimus? Si me blateronem, aut rabulam vocasset, præter omnem causam, quis probus non exsecratus fuisset impotentem hominis maledicentiam, præsertim cum nullam adferret probationem? Imo cum nec illa mea legisset, quæ damnabat. Nunc vir eximius totius Religionis exemplar, qui *mateologi* vocabulum, qui quendam à prandio largiore subuvidum, citra nominis ipsius invidiam subnotatum, existimet omni suppliciorum genere vindicandum, palam in sacra lectione proximo suo hæresim impingit, adeo cæcus odio, ut ne pudore quidem emendetur, cum videat quoties hujusmodi voces effutit, effutit autem pene quotidie, alios ridentes, alios manifesta vultûs indignatione testantes ea non esse digna Schola Theologica. Quid autem istos pudet dicere in compotationibus suis, qui non verentur hujusmodi voces evomere in publicis ac Theologicis prælectionibus? Oraculum videri vult, quicquid dixerit, & hujusmodi voces non continet, quæ vix *Orestes* effunderet. Atque interim sibi videtur egregie sanctus, putat suis humeris inniti ruituram Ecclesiam catholicam, putat totius ejus Regionis mores, ipsius doctrina vitaque reddi meliores. Tali lingua prædicat Euangelium, tali ore quotidie consecrat & sumit sacrosanctum illud Christianæ concordiæ symbolum. Equidem non damno, quod pallio candido tegitur, sed adfirmo levius peccaturum, si pro candido sumeret nigrum, aut etiam viride, quam si tam atrocibus mendaciis denigret famam proximi. Imo minus impius esset, si pro *Heliæ* pallio sumeret togam *Labracis* flavam, aut *Thrasonis* chlamydem purpuream, & machæram manu circumferret, quam nunc cum religiosa veste tegens animum homicidam, linguam gerat teli vice veneno tincti. Non reprehendo quod *Mercurii* die ab esu carnium abstinet, sed arbitror hoc, in quo sibi *Mevius* ignoscit, apud Deum esse detestabilius: leviore piaculo roderet vel in *Veneris* die carnes leporum & caporum, quam rodit ac lacerat proximum nihil promeritum. Non occidit quenquam gladio, sed istud homicidii genus est hoc fortasse sceleratius, quo paratius simul & impunitius. Non tollit quenquam veneno, sed istud cum primis exsecrabile veneficii genus est, linguæ virulentia fraternam animam petere. *Qui odit fratrem suum*, inquit *Joannes*, *homicida est*,

C

D

E

F

est, & homicida non est, qui lymphatus odio, sic fertur in famam bene merentis? Sic debacchatur in vitam alienam (nam fama vel ipsa vita pretiosior est) ut nec suæ famæ jacturam metuat, dum noceat alienæ? *Qui dicit fratri suo fatue, reus est gehennæ.* Si reus est gehennæ, qui fatuo dicit fatue, quid præmii meretur is qui præter omnem causam hæresεos insimulat innoxium, de omnibus benemereri cupientem? Nec aliud agit iste vir pius, nisi ut mihi ademta auctoritate apud studiosos intervertat fructum studiorum, qui certe mihi non defudo, sed utilitati publicæ, cujus rei *Christum* testem ac judicem habeo. Sed interim periculum est, ne hisce rationibus non sibi modo, verum etiam ordini Theologico deterat opinionem, si pergant homines, ex hoc Coryphæo cæteros æstimare, ne sibi conflet odium apud eos, in quorum odium me conatur inducere. Siquidem cum hæc quæ dicit, palam stolida sint & impia, quis auditorum non apud se stomachetur, ita cogitans: pessime sentit hic de suis auditoribus, quos aut tam stolidos arbitratur, ut non videant hæc falso dici, aut tam improbos, ut tam impudentibus sycophantiis delectentur. In Scholis qui dissentiunt ab auctore quopiam, ita demum laudantur, si citra convitium rationes ejus, quem redarguunt, melioribus rationibus superent. Hanc modestiam præstant & hi qui Philosophiam Ethnicam profitentur, ipsi parum Christiani, & homo Theologus, arctæ religionis professor, & collapsæ Monasticæ disciplinæ instaurator, tam insignem linguæ petulantiam sibi permittit, imo sibi plaudit, sic abutens org
Atque hic est qui
quet adversus libellos,
si talis lingua non fit qu
De hoc hominum genere scr
nonum aspidum sub lingua eorum,
bus eorum, quanquam nec eo ca
sub lingua eorum, ubi tutissime occu
me depromitur. Sed hujus querelæ jam
neque enim hæc in alium finem scripsi, n
ut me purgarem, si quis tamen tam indoctus
calumnia tam manifestaria moveatur, partim ut
fieri possit, ipse semet agnoscat ac resipiscat, suique
pudeat. Meretur illius improbitas, ut nomen etiam
litteris mandetur, nec deest ratio quæ suadeat hoc
fieri, nimirum ne suspicio aliquos innoxios adspergat,
quod utique vitabitur, si certus auctor suo titulo
pronuntietur. Sed apud suos, opinor, jam his notis
agnoscitur, apud posteros aut procul semotos, quid
habiturum sit momenti, si cognoscant *Suffenum* quendam, nam finge hoc illi esse nomen, sic deliraſse?
Utinam ignoretur vitium, modo mutetur. Utinam
ille sic se gerat, ut laudare cogar emendatum, de quo
nunc queri cogor, tam diu, tam impotenter debachante in proximum. Valeat hoc Christianorum genus, quod caritatem à Religione separat, quod contra *Jacobi* doctrinam linguam effrenem cum pietatis titulo copulat. Nos istis neglectis si corrigi non possunt, meliora sectemur. Vale lector.

FINIS.

PROTESTATIO.

Primum quicquid in solenni testificatione dici solet in Theologicis disputationibus, hoc hic pro expresso haberi volo.

Deinde testatum omnibus esse volo, me hic nec Lutheri, *nec alterius cujusquam negotium agere, sed tantum pro me respondere.*

Præterea me nihil voluisse dicere, quod ad cujusquam contumeliam pertinet, sed tantum cum Beddæ *censuris agere, paratum & ipsum recipere in gratiam, si converti voluerit ad mentem Christianam.*

DESIDERII ERASMI
PROLOGVS
SVPPVTATIONIS ERRORVM
IN CENSVRIS BEDDÆ.

Des. Erasmus Roterod. Lectori candido salutem dicit.

CUM in hisce turbulentissimis ac pene deploratis Ecclesiæ rebus tristes circumspiceremus, sicunde per Dei misericordiam affulgeret aliqua spes tranquillitatis, ecce nobis ex Academia *Parisiana*, cui semper tributus est in re Theologica principatus, prosilit liber *Natalis Beddæ*, de eo loquor quem in me torsit, totus scatens calumniis & convitiis, breviter talis, ut citius excitare posset novam in orbe tempestatem, quam excitatam sedare. Cujus maledicentia si me tantum læderet privatim, ferrem æquanimiter flagellum Domini, qui ut variis modis suos castigare solet, mihi quoque Satanam istum addidisset colaphisten: diceremque cum *David*, *dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac:* nunc quoniam falso impinguntur mihi damnata dogmata, meum silentium multorum esset periculum: qui vel confirmarentur in errore, vel in errorem prolaberentur, si persuasum haberent *Beddam* vera scribere. Proinde non tam me defendens, quam imbecillium periculo consulens, in supputatione, quam propediem sum editurus, nunc enim alia quædam magis urgebant, bona fide annumerabo in hoc *Bedda* libro non magno, manifeste falsa *quinquaginta duo*, calumnias evidentes *centum octoginta quatuor*, & blasphemias aliquot. Et in falsis permulta sunt, quæ jure possis mendacia dicere, tum impudentia, tum malitiosa. Mendacium impudens appello, quod ipsa statim re coarguitur. Malitiosum, quod quis sciens ac prudens mentitur adversus suam ipsius conscientiam. Hujusmodi sunt & pleræque calumniæ, insignes ac perversæ. Perversas appello, quoties sciens ac prudens interpretatur mea depravate, cum nec in verbis meis nec in sensu sit quicquam calumniæ.

Nondum tam male ſentio de *Bedda*, ut exiſtimem illum ſtudio jacere blaſphemias in Deum, ſed huc eum rapuit calumniandi febris: ut voces effutierit, quas ſi deprehendiſſet in ſcriptis meis, magnis clamoribus aſſeveraret eſſe blaſphemas. Hæc ſcio videbuntur incredibilia lectori, qui non attente legerit utriuſque ſcripta. Nec mirum. Quis enim hoc exſpectaſſet à multorum annorum Theologo, eoque *Pariſienſi*, tum magiſtro pauperum, poſtremo *Natali Bedda*. Nec ipſe crediturus eram, ni res ipſa mihi feciſſet fidem. Eſt enim tam evidens, ut manibus etiam, quod dici ſolet, palpari queat. Quemadmodum docebimus in ſupputatione, quanquam & in Elencho & in reſponſionibus quædam indicavimus, & hîc ſi libet aliquot loca in ſpecimen duntaxat adferemus, unde velut è guſtu reliqua poſſint æſtimari.

In prima ſtatim cenſura impudens ac malitioſum mendacium eſt, felix videlicet operis auſpicium, ſic enim concludit *Bedda*: *Ecce quod præmiſimus plane tradit* Eraſmus, *non omnes ſcilicet* Paulo *adſcriptas Epiſtolas, illius eſſe*, cum ex verbis, quæ refert ipſe, nihil aliud vel iniquus cenſor poſſit colligere, quam de auctore Epiſtolæ ad *Hebræos* ab orthodoxis aliquando fuiſſe dubitatum. Hæc enim ſunt verba quæ refert: *Non omnes quæ* Paulo *adſcribuntur Epiſtolæ, illius eſſe citra controverſiam dicenda ſunt*. Quanquam ne hæc quidem mea ſunt verba, ſed hæc eſt propoſitio, quam elicit ex verbis meis. Ut vero torqueat iniquiſſime locum hunc, nihil aliud poteſt impingere quam ſuſpicionem aliquam, me quoque de auctore hujus Epiſtolæ dubitare. Quod ſi verum eſſet, non aliter eſſem affectus quam erat *Hieronymus*, cum enarrans *Hieremiæ* Caput XXXI. ſcriberet: *Hoc*, inquit, *teſtimonio* Paulus *Apoſtolus, ſive quis alius ſcripſit Epiſtolam, uſus eſt*. Simili modo frequenter citat hanc Epiſtolam divus *Auguſtinus*. Ut hæc omnia donemus *Beddæ*, tamen impudens mendacium eſt, me plane tradere, hanc Epiſtolam non eſſe *Pauli*. Etenim qui plane tradit, aſſeverat. Rurſus cenſura quarta, duo habet ſplendida mendacia. Prius eſt, me falſo aſſeruiſſe, è Scripturis explicandum, quis ſit ille ſupremus dies. Quanquam verba *Beddæ* vitio laborant amphibologiæ, quæ ſic habent: *Erraverunt igitur hi & conſimiles explicare conantes per Scripturas, quod eadem explicandum minime continent aut tradunt, ſicut hîc, ſed falſo aſſerit* Eraſmus. Atqui quod hîc mentitur *Bedda* nunquam à me nec ſcriptum, nec dictum, nec cogitatum, nec ſomniatum, ſed in Annationibus & in Paraphraſibus contrarium doceo. Imo illa ipſa propoſitio, quam adfert *Bedda*, manifeſte refellit hanc cenſoris impudentiſſimam vanitatem. Ea ſic habet: *Sunt in Euangelio loca quædam, prorſus mea ſententia inexplicabilia, quorum eſt de peccato in Spiritum Sanctum non remittendo, de die ſupremo quem ſolus Pater norit, etiam Filio incognitum*. Hæc propoſitio palam declarat me non in hoc ponere difficultatem inexplicabilem, quod ex Scripturis non poſſimus cognoſcere diem illum, cum id tamen in Scripturis ſit abſtruſum, ſed in hoc quomodo filius hominis in Euangelio dicatur neſcire diem illum, ſoluſque Pater ſcire dicatur. Quæſo quid hîc tergiverſabitur *Bedda*? An non impudens mendacium eſt, quod omnibus ſcriptis meis vel me tacente redarguitur, atque adeo meis verbis, quæ contra me producit ipſe? An non malitioſum mendacium, cum hoc fingit, quod ſcit eſſe falſiſſimum. Profitetur ſe legiſſe Paraphraſes meas, in his idem doceo quod docet *Bedda*. In Caput *Matthæi* XXIV. ſic habet mea Paraphraſis: *Vobis igitur ſatis eſt ſigna noſſe qua diem adventus mei portendant, ne vos incautos opprimat, cæterum exacte diem illum, aut horam qua Filius ſit adventurus, non eſt veſtrum inquirere*. Et in *Marci* ultimo ſic habet: *Ne vero vobis cura ſit ut ſciatis diem illum ſupremum, quando nec Angelis datum eſt hoc ſcire*. Ac mox, *Certiſſimum habete venturum, ne quærite quando, ne obrepat ſecuritas*. Et idem multo dilucidius doceo, explanans in Actis Apoſtolorum Caput primum, *Non eſt veſtrum noſſe tempora*, &c. Si *Bedda* neget ſe legiſſe meas Annotationes, certe Paraphraſes ſibi non lectas cauſari non poteſt, in quas ſcribit cenſuras, & ſi legit, utique novit eſſe falſum quod hîc aſſeverat *Bedda*. Sed quid faceret? pœnitebat hominem magnitudinis tertii libri, & cupiebat infulcire quod illi ſodalium aliquis ex *Auguſtino* ſuggeſſerat. Ei ut fieret locus, *Eraſmus* erat feriendus mendacio. Addit alterum mendacium non minus impudens. *Beddæ* verba ſubſcribam: *Quod vero ait* Eraſmus, *diem illum noviſſimum, etiam Dei Patris Filio incognitum eſſe, in fide erroneum eſt*. Omitto hîc quod *Bedda* ſimpliciter ait me dixiſſe, *Filio diem ignotum*, cum propoſitio habeat, *quem ſolus norit Pater, non novit*. Credo *Beddæ* nullum eſſe diſcrimen inter *norit* & *novit*, qui ſine Grammatica diſertus eſt, & ſi ſcripſiſſem *novit*, nihil erat periculi. Sic enim dicitur, *Filius in Euangelio non novit diem*, quemadmodum dicimus, *Dominus in Euangelio commovetur ira*, quod ibi legatur ira commotus. Nec excutiam quod de ſuo addidit, *Dei Patris Filio*, quaſi de divina *Chriſti* natura loquutus ſim: quoties enim divinam in *Chriſto* naturam ſignificamus, Dei Filium dicimus. Ad impudens mendacium veniam: *Si ſimpliciter erroneum eſt in fide, dicere Filium neſcire diem*, Chriſtus *igitur in Euangelio dixit quod eſt in fide erroneum, ſequiturque ut aut vanus ſit Euangeliſta, aut* Chriſtus à *veritate fidei deflexerit. Utrumque blaſphemum eſt*. Hîc *Bedda* facio liberum, utrum blaſphemiam malit agnoſcere, an malitioſum mendacium. Etenim ſi dicit in eo ſenſu propoſitionem erroneam eſſe, quo ego pronuntio, doceat in quo ſenſu pronuntiarim. Dicet in ſenſu communi, ut filius hominis ſic ignorarit diem quemadmodum ego neſcio. Quid autem hoc mendacio vel impudentius, vel malitioſius? Impudentiam accipe. Si ſenſiſſem hoc proloquium, *filius hominis ignorat diem illum*, juxta ſimplicem ſenſum eſſe verum, nulla erat difficultas. Nunc quoniam is ſenſus videbatur abſurdus, exiſtimabam alium abſtruſiorem eſſe quærendum, & in hujus inquiſitione dixi mihi videri difficultatem inexplicabilem. Perſpicuum igitur ex verbis meis quæ refert *Bedda*, & ex ipſo crimine quod objicit, coargui vanitatem hominis. Quemadmodum *Socrates* accuſatus quod negaret ullos eſſe Deos, haberet tamen familiarem Dæmonem, ex ipſa accuſatione refellit quod objiciebatur, cum Dæmones haberentur Deorum filii. Quod utique caviſſet *Bedda*, ſi quid haberet frontis. Nunc accipe malitiam. Primum, nec *Bedda* auſus eſt impingere, quod arbitrer *Chriſtum* juxta divinam naturam aliquid neſcire quod ſciat Pater, quanquam ſuſpicionis fumum admiſcuit, quo nos doceret, ſcientiam Patris & Filii Dei eandem eſſe numero: perſpiciebat igitur me difficultatem in hoc profiteri, quomodo Filius juxta naturam humanam diceretur neſcire diem quem Pater ſciebat, & ſi ſciebat juxta naturam utramque, quomodo ſolus Pater dictus eſt ſcire? Prudens igitur ac perverſo ſtudio finxit me ſenſiſſe, quod non ſenſi, ubicunque vero malitioſum eſt mendacium, ibi malitioſa calumnia adſit neceſſe eſt. Ex his duobus falſis fabricatur tertium. Objicit meam Theologiæ ignorantiam. Quamobrem? Quia neſcivi ſermonis hujus, *Filius ignorat diem*, hunc eſſe ſenſum, non ſcivit ut homo, niſi revelante Deo, aut *Filius neſcit*, id eſt, corpus myſticum Filii neſcit, aut neſcit, quod non indicat nobis. Cum hæc, quæ velut in Theologorum adytis retruſa profert *Bedda*, ſint apud *Origenem*, *Hieronymum*, *Chryſoſtomum* & *Hilarium*, ex quibus meas Paraphraſes contexui, quî potui neſcire rem tam obviam? præſertim cum hoc vel *Catena aurea* vel *Gloſſa ordinaria* docere potuerit? Dicet, cur igitur in Paraphraſi relinquis ſermonem Euangelicum, nec explicas juxta Doctorum interpretationem? Hoc alibi factum eſt à me, in Paraphraſi non licuit. *Chriſtus* ſi ſuis diſcipulis reſpondiſſet, *ſcio quidem, ſed nolo vobis indicare, quia non expedit*, magis accendiſſet

in

in illis cognoscendi studium, & contristasset animos imbecillium adhuc & rudium. Nunc clementissimus Dominus respondit, nec Angelos nec Filium scire diem illum, ut æquo animo desisterent ab inquirendi studio, passusque est illos ad tempus errare, ut crederent ipsum sic ignorare diem quemadmodum ignorant homines. Itaque si Paraphrasis sic feciset *Christum* loquentem., *Scio quidem, sed vobis nescio*, aut *nescirem nisi Deus revelasset*, aut *scio quidem in meipso, sed in Ecclesia corpore meo nescio*, nec consolatus fuisset animos suorum, nec sciscitandi studium compescuisset. Hæc causa compulit me relinquere quod erat in Euangelio. Jam igitur saltem hoc evincit *Bedda*, locum explicatum esse, quem dixi mihi videri inexplicabilem. Imo tres hominum opiniones audio, sed quibus quarta quintaque possit adjungi. Cæterum ubi variant opiniones, ibi res nondum est comperta. Proinde quid erat periculi, etiamsi locum ut erat ideo reliquissem, quod harum opinionum nulla satisfaceret animo? Non enim hoc profiteor in Paraphrasibus, me discussurum omnes quæstionum nodos, sed summariam quandam Apostolicæ doctrinæ notitiam, quo lector docilior veniat ad sacrorum Voluminum lectionem. Addam tertium vanitatis *Beddana* specimen. In censura, quam subjecit Propositionibus XIII. & XIV. tragicis vociferationibus hæc detonat: *Inaudita prius & vere miserabilis, & ob id miseranda temeritate hic sacros Ecclesiæ Catholicæ ritus & sacramenta temerare præsumsit* Erasmus, *& ac si novus Euangelista foret, novos superinducere satagit, quibus impensius schismaticum existiosumve nihil poterat excogitari ac erroneum. Tum quia iterare docet initerabile divino jure sacramentum, dicente Apostolo* Hebræis, *impossibile est eos*, &c. Hîc vide, lector, quanta sit congeries mendaciorum insigniter impudentium. Mentitur me veluti novum Euangelistam temerare ritus & sacramenta Ecclesiæ Catholicæ, cum ego de Baptismo non agam, sed de Catechismo, qui solet olim præcedere Baptismum: nunc propono considerandum, an quoniam infantes baptizamur, expediat ut ex Ecclesiæ constitutione catechismus peragatur in adultis, quo cognoscant quid in Baptismo sint professi. Qua tandem fronte *Bedda* clamat, hoc nihil esse posse magis schismaticum, cum nec ego quicquam innovem de ritibus Ecclesiæ, nec cuiquam sim auctor ut innovet, sed meum proponens consilium, rem omnem deferam Ecclesiæ judicio, id quod non semel in eo loco, quem carpit, testatus sum. Addit mendacium, hoc etiam impudentius, quod Baptismi Sacramentum initerabile velim iterari, quod mihi ne per somnium quidem unquam venit in mentem, atque adeo ex ipsis verbis meis, quæ *Bedda* refert, coarguitur esse falsum. Sic enim loquor: *Verùm hic gemimus exsistit scrupulus, primum quod videatur iterari Baptismus, id quod fas non est.* Quæso te, lector, docet ille Baptismum iterandum qui pronuntiat non esse fas iterare? Et in sequentibus copiosius doceo, non esse renovationem Baptismatis, sed commemorationem, qualis est cum aqua sacra conspergimur. Quid mentis aut frontis fuit *Bedda* cum hæc scriberet? Auget autem illud malitiæ magnitudinem, quod hæc non solum dilucida sunt ex verbis meis quæ carpit, verùm etiam ex responsione mea quam misi Theologis, nec dubito quin ille primus, aut fortasse solus viderit. Similis impudentiæ est quod adjungit: Scripseram *fortassis expedire, ut qui cognita professione per alios ipsius nomine facta in Baptismo, tentatis omnibus adduci non posset ut probaret, animo suo relinqueretur donec resipiscaret.* *Bedda* sic interpretatur, quasi docuerim hoc fieri posse sine dispendio salutis ejus qui resiliret, & ex *judici* depravavit *judicio*. Hoc si sensissem, cur addidissem *donec resipiscat?* Sufficiant hæc ad gustum vanitatis *Beddanæ*. Hujus generis ultra promissum numerum in supputatione proferam, & his impudentiora: nec enim ista selegimus, sed ut in manum venerant notavimus.

A Jam mihi calumniam
XXXIII. cum idem proferam
stum esse solum natura Dei Filium
ne suspicionem impingit, ex occa
typographorum incuria additæ: sic e
est, *Petrus professus est Christum esse Me*
tis promissum singulari quodam more Filium D
gulari more dicitur Filius Dei, sic intelligit
ut eodem modo nemo sit alius, solus autem C
natura Dei Filius est. Porro cum ex sermonis conte
tu facile conjectarit, *amore* depravatum fuisse pro *mo*
re, tamen id dissimulans arripit ansam calumniæ, hoc
etiam impudentior quod in responsionibus, &, ni fallor,
etiam in litteris admonuerim in prima Editione, cui
B soli adfui, quæ minusculis litteris prodita est anno 1522.
scripturam haberi integram *singulari more*. Et post
hæc *Bedda* perfricta fronte, *si nobiscum*, inquit, *catholice sentit*. Sexcenta loca sunt in lucubrationibus meis,
nec pauca in ipsis Paraphrasibus, in quibus ingenue &
explanate profiteor *Christum* utriusque naturæ, &
Bedda censor mearum Paraphraseôn dubitat utrum
cum *Arrianis* sentiam, an cum Catholicis. Hac calumnia
quid esse potest malitiosius? In censura XC. ex his
verbis meis quæ refert, *duo sumus ego & Pater, sed*
duorum idem est testimonium, hæresis confingit calumniam, quasi *duo* dixerim neutro genere, id est, duas
naturas, ac non potius masculino. Quod si hæreticum
est Patrem & Filium duos dicere, quid sensit *Joannes*
C Euangelista cum diceret, *tres sunt qui testimonium dant*
in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus? Quid hac sycophantia puerilius aut magis sophisticum? Nec pudet
hæc illinire chartis, cum ego declararim sensum meum, & si non declarassem, cum in omnibus scriptis
profitear tres personas & unam essentiam, impudens
erat hanc suspicionem inducere. Quod negatur de
duobus testibus in supputatione discutiemus. In censura, quam addit Propositioni LVIII. quod scripseram
Hierarchiam Ecclesiasticam recentioribus eruditis alterius cujuspiam videri quam *Dionysii* Areopagitæ, sic
per evidentem calumniam interpretatur *Bedda*, & sic
interpretandum asseverat, *eruditis*, id est, *Lutheranis*,
& schismaticis. Atqui cum illa scriberem, (scripsi enim
D *Lovanii* ante annos septem) nondum *Lutherus* prodiderat suam de *Dionysio* sententiam. Nec *Beddam* fugere potuit, me loqui de *Laurentio Valla*, & *Guilhelmo Grocino* Anglo, quos cito in Annotationibus meis.
Hæc ad calumniæ specimen sufficiant, nam paucis
annotari non possunt hæc quæ requirunt disputationem.

Blasphemiæ gustum dabo. In fine libri, quoniam
hæc *Pauli* verba, *fide* Enoch *translatus est*, sic explanaram, Enoch *fidei debet hoc seu gloria seu felicitatis, quod sublatus ex hominum contubernio vivit cum Deo*, cum idem dicam quod *Paulus*, tamen plane *Lutheranum* vocat quod à me positum est: quæ non mediocris est in Apostolum blasphemia. Sed hîc *Bedda*
E de suo addidit *soli*, quæ vox quemadmodum apud
Paulum non additur, ita nec apud me. Quod si quis quis fidem dicit, solam fidem intelligit, in eodem
hæret crimine *Paulus*, in quo *Erasmus*, qui toties
in hoc Capite merita sanctorum tribuit fidei, nihil
adjungens. Censura XLVI. curiosam vanitatem appellat, quod scripserim, *Deus Pater emisit Sermonem suum*,
pro *emisit Filium* seu *Verbum*. Impingit igitur curiosam
vanitatem Ecclesiæ Catholicæ, quæ ex Libro *Sapientiæ*
per orbem terrarum canit Deo Patri, *Omnipotens Sermo tuus Domine de regalibus sedibus venit*, Dei Filium
intelligens. Sic loquutus est *Cyprianus*, sic *Hilarius*,
F sic *Hieronymus*, sic *Ambrosius*, sic *Augustinus* multis locis *sermonem* legit ubi nos *verbum*, traditque nihil interesse utrum dicamus *sermonem* an *verbum*. Convitium
igitur *Bedda* in me non recidit, sed in universam Ecclesiam Catholicam, & in probatissimos Ecclesiæ Doctores.

Verùm hæc missa faciemus, quorum multa notavimus

mus in Elencho, multa perſpicua fient ex reſponſionibus, quas in hoc edidimus, nihil immutantes, præter unum locum de *Benjamin*, in qua reſponſione parum fueramus attenti. Quod autem has *Bedda Defenſiones* vocat, multo ſecus habet. Tantum paucis & ex têmpore ſignificavi mentem meam, quo certius ex admonitu Theologorum, ſi quid eſſet correctione dignum, aut explicandum, ſicubi ſano ſenſu ex verbis naſceretur offendiculum, ſarcire poſſem. Et ſi *Beddæ* videntur *Defenſiones*, debebat in ſuis *Cenſuris* argumenta refellere quæ illic adfero. Nec his tamen primum offenſus eſt *Bedda*. Sic enim res acta eſt, ut obiter emendem fucatiſſimam hominis in prologo narrationem, qua jactat ſe mihi miſiſſe Propoſitiones ab ipſo notatas, ſperantem fore, ut res inter nos Euangelica caritate tranſigeretur. Imo *Lutetiæ* ſparſerat ſuas Notationes, quæ notarat in *Lucam* exhibuerat Senatui. Hæc ad me per *Franciſcum Deloinum* transmiſſa ſunt. His acceptis, per litteras eblanditus ſum ab eo quæ notarat in reliquas Paraphraſes. Id quanquam ægre, tamen impetravi. Miſit nudas propoſitiones, ſed adeo perperam depravateque ſcriptas, ut in pleriſque locis ne legi quidem poſſent. Ille delicatus juſſit ut ſcripturæ mendas imputarem amanuenſi, ſibi non fuiſſe otium recognoſcendi. Vacabat tam operoſas calumnias in me ſcribere, nec vacabat duas paginas in re tanti momenti recognoſcere. Interea verſabatur in manibus hominum ſupercilioſum illud judicium *Natalis Bedda* & *Guilhelmi a Quercu*, quod & ipſum huc per amicos tranſmiſſum eſt. *Bedda* vero non erat animus ut harum rerum quicquam amico & fratri ſuo, *cujus ſalutem*, ut ait, *ſitiebat*, communicaret, ſed totus in hoc erat, ut quod multis annis in *Fabrum* & in me parturierat, liceret evulgare, quod ipſe in ſuis ad me litteris confeſſus eſt. Acceptis igitur aliquot à *Bedda* Propoſitionibus admonui, ut ſuo labori parcens tantum ea notaret quæ facerent ad fidem aut bonos mores, deinde dignaretur tribus verbis indicare quid cur offenderet, nam me frequenter non poſſe divinare: addidi fieri poſſe, ut ipſe quoque falleretur alicubi, hoc itaque noſtrum utrique fore commodum. Hæc cum & reverenter & blandis verbis agerem, tamen dictu mirum quam intumuit generoſum *Beddæ* pectus, perinde quaſi læſa fuiſſet ſacroſancta majeſtas. Itaque quæ deinde ſcripſit in litteris nihil aliud erant quam Σκυθῶν ῥῆσις, diceres Satrapam loqui non Theologum: *Quod ſcripſi ſcripſi, hic figo pedem, neſcio an falli poſſim, hoc ſatis eſt mihi, quod tua ſcripta me non fefellerunt*, aliaque plena ſtomachi. Atqui ubi erat hic illa caritas Euangelica, quæ patiens eſt & benigna, ubi ſitis meæ ſalutis, ubi illud quod adfert in Præfatione, una manus nobis vulnus opemque feret? Miſerat Propoſitiones. In quem uſum? ut canerem palinodiam. Atqui cum in his, quæ miſit, multa eſſent depravata, multa palam falſa, multa obſcura, multa perperam ſcripta, an hujuſmodi palinodiam à me poſcebat: *Video in his Propoſitionibus multa nihil ad rem facientia, multa falſa, multa quæ nec legere poſſum nec intelligere, tamen quicdquid* Bedda *notavit aut notaturus eſt in ſcriptis meis, damno titulis iiſdem quibus ipſi damnare libuerit*? Tum præſtitiſſem animum Chriſtianum, ſi *Beddæ* cenſori tali qualem ſe declaravit in hoc libro, mea ſcripta ſubmiſiſſem. Itaque quod ab illo fruſtra petieram, à collegis illius petii, quo vel illorum admonitione diſcerem quid mihi vel explicandum vel corrigendum eſſet. Neque enim *Facultatem* quam vocant, ſatis occupatam aliis, oneravi moleſtia judicandi de ſcriptis meis, tantum rogavi ut integro cuipam delegarent hoc negotii. Nec interim excutio, quod ſit iſtud gravitatis exemplum, recipere Propoſitiones examinandas, & ante cognitionem *Beddæ* permittere, ut evulgaret ſuas damnatrices cenſuras. Non igitur ſitiebat noſtram ſalutem *Bedda*, ſed quod ſitiebat aſſequutus eſt, ἐπὶ τῇ κόρχορῳ ἐν λαχάνοις. *Natalis Bedda* proſtat inter Bibliographos. Mire jactat nobis zelum domus Dei. Apparet quidem in eo multus zelus, ſed à quo minimum abeſt ſcelus. Livor & odium privatum torſit hominem. Jactat Theologos eſſe Medicos, inter quos *Bedda* ſibi videtur præcipuus. Atqui talium Medicorum opera qualis eſt *Bedda*, *Lutheranum* malum ex minimis initiis huc uſque progreſſum eſt, quod facile ſedari poterat, niſi per imperitos Medicos ſiniſtre fuiſſet exagitatum. Talis enim eſt *Bedda* deſcriptio, ut citius poſſit excitare novum incendium, quam excitatum reſtinguere. In *Fabrum* quidem moderatior eſt, nec obſcurum eſt quibus de cauſis. Simulatque ventum eſt ad me, ibi repente ex diſputatore fit cenſor, ibi ſingula paginarum frontiſpicia habent *errores Eraſmi*, ibi ſubinde repetiti Capitum tituli ſemidigitalibus litteris habent ERRORES ERASMI. Sciebat enim pleroſque nihil aliud lecturos quam Præfationem, Indicem, ac titulos: eoque in Præfatione tertio Libro præfixa, pauciloquus eſt, in prima Præfatione mirum quas ſycophantias contexuit. Addidit Indicem ſævum ac vanum, frequenter unam propoſitionem in ſex aut ſeptem dividit, quo creſcat numerus errorum. An non hæc palam arguunt malitioſum lædendi ſtudium? Deinde in ipſis cenſuris, quanta calumniandi libido, quanta maledicendi rabies, hæreſibus, ſchiſmatibus, blaſphemiis, *Arrianis*, *Manichais*, *Valdonibus*, *Wyclevis* & *Beguardis* perſtrepunt omnia. Interim negat ſe recurriſſe ad Annotationes, negat ſe curare meas Apologias, diſſimulat meas reſponſiones. Hæc faciens quid aliud quam ipſa re loquitur: Nolo quicquam deperire meis calumniis, volo meas cenſuras haberi pro oraculis, ſive veræ ſint ſive falſæ, volo eſſe judex, nec cauſam tamen cognoſcere, *quod ſcripſi ſcripſi*, Deus ſum, nec errare poſſum nec falli. Aliquot conjurati claudemus oculos, obturabimus aures, & ſic quanta poſſumus voce clamabimus, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige*. Explebimus omnia noſtris calumniis, Apologias excludemus. Nimirum noſtra erit victoria. Hæ nimirum ſunt artes, quibus *Atlantes* iſti fulciunt nutantem Eccleſiam, ſed non aliis artibus, in crucem ſubactus eſt ille verus Eccleſiæ Paſtor *Chriſtus*.

Bedda ſubinde jactat Theologiam, prædicat Theologos Scholaſticos, ſed obſecro, num ad hunc modum diſputatur in Scholis Theologorum? Unde ſumſit hoc exemplum diſputandi? *Latomus Beddæ* vetus ſodalis ſcripſit in *Lutheri* dogmata. Quæſo num ſic debacchatur convitiis, ſic fingit, ſic depravat omnia? *Hieronymus Hangeſtus Bedda* collega pugnat adverſus *Lutheri* dogmata, jampridem damnata non ſolum à *Romano* Pontifice, verum etiam à Theologorum collegio, & tamen à convitiis temperans rem agit argumentis ac Scripturarum Doctorumque teſtimoniis. *Bedda* velut è plauſtro ſic debacchatur in mea ſcripta, quæ nullus adhuc damnavit, præſertim cum tot pulſatus arietibus conſtanter perſtiterim in communione Eccleſiæ quam defendunt Theologi, imo cum ipſe pro mea virili propugnem Eccleſiæ concordiam, denique cum perpetuo mea ſcripta ſubmiſerim Eccleſiæ judicio, ſemperque hunc animum profeſſus ſim, ut ſi quis fraterne doceret, vel explicarem, vel corrigerem, ſi quid in meis ſcriptis eſſet quod officeret pietati. *Bedda* profeſſus dogmatum confutationem, objicit illa quoque quæ mihi in manu non ſunt. Non ſemel exprobrat, paupertatem & fortunam adverſam, corporis imbecillitatem & ſenectutem, ipſe non ita multo me junior. Ingerit conviviorum fabulas; multi dicunt, hoc audivi ab *Anglo* quodam: quaſi ad nos nihil deferatur de *Bedda*. Verùm mihi non eſt pugna cum *Beddæ* fortuna, ſed cum ipſius ſcriptis. Interdum oblitus cenſoriæ perſonæ ſcurram agit ludens inſulſis ſalibus. Ubi inter hæc Theologus ille Scholaſticus? non enim jam dicam, ubi Euangelica caritas? Scribit confecto *Luthero*, non poſſe rem Eccleſiaſticam eſſe incolumem, niſi conficiantur & Græciſſantes Theologi. Utinam defunctum eſſet *Lutheri* negotium!

Vereor

Vereor ne hæc tantum proœmia ſint. Quod ſi mihi eſſet animus tam ſchiſmatis appetens, quam fingit *Bedda*, intelligeret ſe cum ſuis conjuratis ante tempus hanc telam exorſum eſſe. Nunc per meam pietatem licebit illi ferocire, ſi modo Principes talium hominum licentiam diſſimulabunt. Arbitror *Leum* poſuiſſe ſimultatem, ego certe contentionis oblitus ſum; *Stunicam* coercuit Card. & Pontificum auctoritas. Scripſit ad me *Bedda Sutoris* intemperantiam ſibi diſplicere, ſeque fraterne corripuiſſe hominem, ſic enim ille loquitur. Nunc totis viribus hoc agit, ut *Lei Stunicaque* vetus ſuſcitet incendium, & *Sutorem* laudat, quod ſic in me ſcripſerit. Scripſeram ad illum quod *Clithovei* modeſtiam ſemper amaſſem, eum tamen civilius acturum fuiſſe, ſi de *Dionyſio* cum *Valla* diſputaſſet, (quod is eſſet auctor ejus ſententiæ) potius quam mecum. Hoc tamen me boni conſulere, quod res non eſſet magni momenti. Hîc geminus dolor cepit animum *Bedda*, & quod bene ſentirem de *Clithoveo*, & quod ipſe carerem ſenſu doloris, quem ille impegerat. Mox homo candidus oſtendit, Librum, Caput & numerum quo eſſem attactus à *Clithoveo*, ſine nomine quidem, ne hoc me conſolaretur, ſed ita, ut plerique facile conjectarent quem impeteret. Quis non intelligat hunc *Beddam* eſſe natum ad excitandas diſcordias, ac reſcindendas amicitias? Clamat meam tubam intonare per Orbem, ipſe *Panica* concha perſtrepens, vel magis *Alectûs* cornu. Notarat in ſchedis Senatui datis titulum quem tribueram *Anglorum* Regi. Eam calumniam omiſit. Cur ibi notavit? quia bellum erat *Gallo* cum *Anglis*? Cur hîc omiſit? Quia coierat fœdus inter Principes. Scripſerat ſe nihil vidiſſe in *Marco*. Poſt, multa notavit. Cur tum nihil vidit? quia Rex, cui fuerat dicata Paraphraſis, tum florebat in ſua *Gallia*, cujus erga me favorem olfecerat. Cur poſtea factus eſt Lynceus? Quia verſa eſt fortunæ ſcena, quam ille fortaſſis ſperabat fore perpetuam. Hæc eſt illa noſtri cenſoris gravitas. Quin toto hoc, quem in me ſcripſit libro nullam video ſententiam; quæ reſipiat animum ſimplicem ac ſyncerum, ſed quicquid pro tempore viſum eſt commodum dicitur ac fingitur.

Deſinet autem mirari tot eſſe numeratas Propoſitiones, qui norit quam multiplex ac πολυμήχανος ſit ars cenſoria *Bedda*, qua de re nonnihil attigimus in Elenchi calce. Nec hîc alienum fuerit explanatius oſtendere. PRIMA pars artis eſt, transferre perſonam, veluti quod in Euangelio Dominus dicit ſuis diſcipulis, revocans eos ab exemplo Gentium & Phariſæorum, ne multiloqui ſint in orando, ſic detorquet quaſi hæc nunc dicat *Eraſmus*, taxans ſolemnes preces Sacerdotum & Eccleſiæ. ALTERA in translatione temporis, veluti cum loquens de his qui ex Paganiſmo ſeu Judaiſmo veniunt ad Baptiſmum, dico à neutris exigi bona opera, ſed ſolam fidem, ille ſic interpretatur, quaſi dicam in baptizatis bona opera eſſe ſupervacanea, cum tot locis diverſa doceam; etiam in Paraphraſibus. TERTIA eſt depravatio, quæ duplex eſt, altera verborum, cum mea refert, non ut à me ſcripta ſunt, ſed ut ſunt accommoda calumniæ. Altera ſenſus, veluti cum dico *Moſen* vetuiſſe eſum carnis ſuillæ, *Bedda* clamat me *Manicheum*, quaſi ſentiam Deum non eſſe Legis auctorem, ſed *Moſen*, cum ipſe Dominus ſic loquatur *Marci* x. *Quid* Moſes *præcepit vobis*? Non ignorabat *Bedda* quid ſentirem, verùm ex verbis venatur calumniam, ſed quæ recidit in ipſum *Chriſtum*. QUARTA eſt ambiguæ vocis in pejorem partem interpretatio, veluti cum Dominum facio loquentem, *Pater & ego duo ſumus*, interpretatur *duo* neutro genere dictum, non ignarus quo ſenſu dictum ſit à me. QUINTA eſt additio, frequenter enim addit de ſuo voces aliquot meis verbis, quo locum faciat calumniæ, veluti cum ajo, *Enoch fides debere quod ſublatus ab hominibus*, ille addit, *ſolis fidei*. SEXTA eſt prætermiſſio, veluti cum ex meis ea tantum decerpit quæ patent calumniæ, prætermiſſis quæ præcedunt ac ſequuntur, excluſura calumniam ſi fuiſſent addita. Idem facit impudenter in recenſendis Doctorum teſtimoniis, veluti *Matth.* XXVI. cum ajo *tenebras ortas ſuper omnem terram Hieroſolymitanam*, objicit mihi *Origenem*, qui dixerit *ſuper univerſam Judæam*, cum *Origenes* magis probare videatur, ut intelligamus *terram Hieroſolymitanam* quam *Judæam*. Sic enim ait Homilia XXXV. *Sicut ergo id quod dicitur*, terra contremuit, *refertur ad terram Hieruſalem, aut ſi latius voluerit quis extendere ad terram Judæam*, tenebræ factæ ſunt. Ac mox: *Intellige quod ſuper omnem terram Judæam ſunt facta, aut certe ſuper Hieruſalem tantum*. Ex dictis *Origenis* ſatis liquet quod non loquatur de *Judæa*, quæ complectitur duodecim Tribus, ſed de ea parte, cujus caput erat *Hieroſolyma*. His cognitis qui cenſuram legerit, perſpiciet qualis artifex ſit *Bedda*. SEPTIMA eſt diſſimulatio. Cum enim frequenter ex aliis locis ſciat quid ſentiam, tamen in cenſura diſſimulat, dicens de duplici natura Chriſti; *ſi ſentit nobiſcum*, & hoc toto libello diſſimulat reſponſiones meas, quarum aliquot ad ipſum miſi, ſi tergiverſetur quas ad Theologos miſi ſibi lectas non eſſe. OCTAVA eſt applicatio, veluti cum verba Paraphraſis non applicat ad eum locum quem interpretor, ſed vel ad alium in ſpeciem contrarium, velut quod ex Capite *Matthæi* VI. dico *Chriſtum* ſuos docuiſſe, clam & paucis orare, applicat ei quod eſt *Lucæ* Cap. XVIII. *Oportet ſemper orare, & non deficere*, diſſimulans interim, quod in libello *De modo orandi* ſatis explicuerim quem ſenſum hæc habeant, imo id feci in ipſa Paraphraſi: vel detorquet mea ad dogmata reprobata, ſive ad conſtitutiones hominum poſt enatas, ſive ad placita Scholaſticorum, cum Paraphraſes examinare debuerit, ad locum Scripturæ quam explano, vel ad expoſitiones orthodoxorum quos ſequor. NONA eſt, rejectio troporum, quibus cum & ſacræ Litteræ & Orthodoxorum libri ſcateant, tamen in me calumniatur; veluti cum dico, *mulier quæ ſui copiam fecit alteri uxor eſſe deſiit*, cum ego ſentiam illam indignam eſſe conjugis vocabulo & mariti convictu, ille ſimplicem urget loquutionem, quaſi dixerim, reſciſſum eſſe matrimonium, & utrique partam novi conjugii libertatem. Item cum dico quod *Chriſti* lenitas indurarit *Judam*, ſentiens illum abuſum Domini ſui lenitate, *Bedda* depravat, quaſi *Chriſtum* accuſarim ut auctorem malitiæ. DECIMA eſt imputatio, veluti cum ſciens eſſe lapſum typographorum, tamen mihi quicquid eſt imputat. UNDECIMA eſt, inelegantia, veluti cum ex ignorata vocis emphaſi, aut proprietate ſermonis Latini ſtruit nobis calumniam. Exemplum hujus indicavimus in reſponſionibus. Severiter enim carpſerat quod his vocibus *Servator* & *ſervare* frequenter eſſem abuſus, putans recte dici *ſervare veſtes* qui cuſtodit, non recte dici, *ſervavit hominem*, ubi quis dedit ſalutem. DUODECIMA eſt obſcuratio, cum fumos offundit lectori quo videatur aliquid ſubeſſe lapſus, cum nihil ſit, veluti in Cenſura xc. cum ait, *quaſi ita duo teſtes eſſent Pater & Filius, ut homines duo, teſtes duo ſunt*, fumum offundit lectori. DECIMATERTIA ſit improbitas, quoties in meis verbis damnat ut hæreticum, quod expreſſum eſt in ſacris Litteris, traditum à ſacris Doctoribus: item cum fortiter aſſeverat me ſcripſiſſe, cui contrarium exſtat in ſcriptis meis. His & aliis id genus artibus *Bedda* contexuit has Cenſuras, quemadmodum dilucidius aperiemus in ſupputatione, quam mox dabimus. Hac præfatione lectorem præparaſſe ſuffecerit.

Digitized by Google

Quæstionis propositio.

JESVS MARIA B.

Si probatur.

Si phalerata Erasmi *doctrina comprobatur sana, catholica, atque religiosa, si religiosis Viris licita, salutifera, ac amplectenda sit absque ullo discrimine, & si nullum luendæ hæresis hujusce tempestatis virus sub melleo ornatu lateat.*

Responsio *N. Beddæ* Gymnasii *Montis-acuti* Primarii.

EGO *Natalis Bedda* zelo illorum (qui à me ut præscripte responsum diem interrogationi postulant) motus, ita solius Dei in hoc timorem præ oculis habens, satisfaciendum esse dignum duxi, videlicet quod *Erasmi* doctrina, ubi de divinis Litteris seu Theologia disserit, in non paucis erronea est, & bonis moribus impudenter adversatur. Schismatica quoque in plurimis dignoscitur esse: & sacræ Religionis statui impie derogat. Hinc æstimo ab illa maxime arcendos esse Monasticam vitam professos: ne suaviloquio & sermonis lenocinio vane capti, una cum styli dulcedine pestiferum sorbeant poculum. Ne autem gratis hæc me censere quis suspicetur, & non stimulante conscientia ad cautelam fraternæ salutis, hujusmodi dedisse responsum, legantur articuli, quos de eadem *Erasmi* doctrina excerptos pro caritate tum hac nostra scientia tradidimus. Actum & nostra manu scriptum die 7. Mensis *April.* 1524. ante Pascha: sic signatum, *N. Bedda* & *G. de Quercu.*

Erasmus Roterodamus sacratiss. Facultati Theologiæ Parisiis S. D.

HONORANDI Patres ac Domini. Missæ sunt isthinc ad me duæ Censuræ, quarum altera erat communis M. N. *Natali Beddæ*, cum M. N. *Gulielmo de Quercu*, altera erat propria *Beddæ*, quam exhibuit Senatui Parlamentari, duntaxat in *Lucam*. Prior, quam post auxit, habet præfationem, in qua sunt verba quædam ex formulis judiciorum, *Ego* Natalis Bedda, & *solius Dei in hoc timorem præ oculis habens.* Deinde sequuntur multa odiosa, quod mea *doctrina in multis est erronea, bonis moribus impudenter adversans, in plurimis etiam schismatica, & sacra Religionis statui impie derogans, & quæ habeat pestiferum poculum*, &c. Hæc qualiacunque sunt, si privatim ad me scripsisset, & pro recte notatis, & pro perperam notatis habiturus eram gratiam. Nunc hæ censuræ tam odiosæ volitant isthic per manus hominum, me inscio. Et plerique sunt, qui putent ex vestri Collegii consensu depromtas, quanquam id longe secus habet. Ego sane *Gulielmo à Quercu* non tantum vel otii fuisse crediderim, ut vacarit, vel patientiæ, ut sustinuerit nostra legere: sed arbitror in amici gratiam subscripsisse notatis. Sed *Gulielmus* abiit in locum suum, & juxta proverbium, *vivorum meminisse oportet.* Ne *Beddam* quidem arbitror omnia legisse, sed laboris partem in alios fuisse distributam, arguunt variantes numeri, quibus indicatur pagina. Verùm hoc nihil refert, postcaquam *Bedda* agnoscit Annotationes. Itaque paucis ad singula respondi, divinare coactus quid illum offenderit, quo certius judicetis, an articuli notati respondeant sævis illis dictis, quæ habet præfatio censuræ. Mihi quidem *Bedda* vir bonus est: sed habent & boni viri suos affectus, affatim tribuunt suis studiis, malignius alienis, obsequuntur instigantibus, credunt falsa deferentibus. Breviter, homines sunt etiam boni viri. Certe capitale odium in Linguas & bonas litteras ingenue præ se fert: atque hac de causa fortassis iniquior est mearum lucubrationum censor. De me nihil profiteor, nisi mihi sincerum fuisse animum cum illa scriberem, & provehendæ Christianæ pietatis avidum. Itaque si quid erroris est, vel ab imperitia, vel ab humana incuria profectum est. Adversus *Beddæ* censuras nihil excipiam, nisi ne mihi præscribat, ut si quod hic aut ille dogma contentiosum invexit adversus Ecclesiæ decretum, mihi non liceat his verbis tractare sacras Litteras, quibus veteres orthodoxi tractarunt, salvo intellectu Ecclesiæ: aut si quid in scriptis meis hujus aut illius errori videtur affine, statim rapiatur in suspicionem, præsertim cum ex aliis locis lucubrationum mearum evidens sit quid sentiam. Deinde ne schismaticum appellet, si quid dicatur in malos Episcopos, idque in genere, cum mundus sit plenus Episcopis, utinam talibus quales describit *Paulus*! aut ne clamitet derogatum sacrosanctæ Religionis statui, sicubi Monachos admoneo, quibus in rebus sita sit vera pietas: statum enim nusquam damno, sed suo statui parum respondentes: Aut ne velit in omnes Theologos dictum videri, quod in quosdam eo nomine non admodum dignos dictum est, quales utinam nullos haberet mundus! Certe ordinem & veneror & veneraturus sum donec vixero: Denique ne prædicet, impudenter adversari bonis moribus, si quid dicitur adversus superstitionem aut consuetudinem quæ furtim irrepsit in mores hominum. Quo major est Theologorum auctoritas, hoc magis oportet illorum judicia, non solum matura esse & æqua, verùm etiam candida. Quanquam autem hæc censura non est à Collegii vestri consensu profecta, tamen quoniam *Gulielmus à Quercu* & *Natalis Bedda* inter præcipuos habentur, plerique vestram sententiam ex horum sententia conjectant. Quod ad Linguas ac politiores Litteras attinet, scio vestræ prudentiæ nihil opus esse nostro consilio, tamen mihi videtur vestræ professioni nonnihil dignitatis ac lucis accessurum, si regina studiorum Theologia, veteres pedisequas in suum famulitium comiter recipiat. Vetus est, quod isti clamant esse novum, Theologiæ professionem cum Linguarum & politioris litteraturæ peritia conjungi: quod si qui sunt, qui, cum habeant harum litterarum cognitionem, sequuntur impia dogmata, non æquum est hominum vitia conferri in disciplinas, quæ suapte natura bonæ sunt, & non parum utilitatis olim attulerunt Ecclesiæ Catholicæ. Hæc scribo propter quosdam seniores, qui iniquiores sunt his studiis, quæ juvenes non attigerunt. Dominus vos omnes servet incolumes, Patres ac Præceptores mihi plurimum observandi, quorum pietati cupio vehementer esse commendatus. *Basileæ* 6. Februarii, Anno à Christo nato 1526.

ERASMI

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI DIVINATIONES

AD NOTATA PER BEDDAM.

DE PARAPHRASI ERASMI IN MATTHAEVM, ET PRIMO DE DVABVS PRAEMISSIS EPISTOLIS.

Notatio Beddæ 1.

Dedic. pag. 1. *Non omnes quæ* Paulo *adscribuntur Epistolæ, illum esse extra controversiam dicenda sunt.*

Responsio Erasmi.

CITRA controversiam esse dicitur, de quo nullus ambigit. Jam de Epist. *Pauli* ad *Senecam*, de Epistola ad *Laodicenses* dubitant omnes, de Epistola ad *Hebræos*, quod ad Auctorem attinet, dubitatum est à viris orthodoxis, præsertim Latinis. Docuimus hoc respondentes *Fabro*, item in Annotationibus quas in hanc scripsimus Epistolam. Quod si dubitare fas non est, tamen ego non possum in jus trahi, si negavi omnes Epistolas, quæ *Pauli* titulum præferunt, citra controversiam à *Paulo* conscriptas. Non enim profiteor meam dubitationem, sed aliorum. Nec tamen video, cur nefas sit de Auctore dubitare, nisi quia in Templis hoc titulo recitatur. Qualia recitentur in Templis nonnunquam, non libet hîc commemorare. Ubi publicum Ecclesiæ decretum audiero, fatebor & ipse non esse fas de Auctore dubitare. Et hîc *Bedda* sic refert mea verba, ut accipi possit me sentire, dubium non esse, quin quædam Epistolæ *Paulo* adscriptæ, *Pauli* non sint.

2 N. Ibid. circa finem: *Veteres Ecclesiæ Doctores in allegoriis explicandis partim sic agunt, ut mihi ludere nonnunquam videantur, ait* Erasmus.

R. Hoc cum indefinite dixerim, intelligi potest de *Origene*, aut *Tertulliano*, quos & ipsos constat aliquando fuisse Doctores Ecclesiæ, nec absurdum si quis eos nunc quoque vocet Doctores Ecclesiæ, cum publicitus legantur, *Origenes* legatur etiam in Templis. Et tamen hoc quod dico demonstravimus & in *Ambrosianis* scriptis & *Hilarianis*, quorum uterque sequutus est *Origenem*. Error autem in allegoria non semper habet periculum fidei. Si quis exemplum requirat, duo succurrunt. Alterum de duobus passeribus qui veneunt asse, alterum de *Petro* dicente, *non novi hominem*. Priorem locum *Hilarius*, *Origenem* opinor sequutus, exponit de corpore & anima: secundum *Ambrosium* huc torquet, ut excuset *Petrum*, qui non abnegarit Dominum, sed divinitatem ejus professus sit. Priorem interpretationem ut coactam notat *Hieronymus* in commentariis, alteram plane rejicit ut falsam & minime consistentem. Hujusmodi loca cum aliquot notarim, cumque plura valeam proferre, non video quid offenderit *Beddam*. Plus est errare quam ludere ingenio. Quod si Doctores errant in dogmatibus fidei, quid flagitii, si quis dicat aliquos illorum alicubi ludere in tractandis allegoriis, quæ res est magna ex parte arbitraria?

3 N. Ibidem: *Sunt in Euangelio loca quædam prorsus mea sententia inexplicabilia, quorum est de peccato in Spiritum Sanctum remittendo.*

R. Explicari dicitur, quod absolvitur submota difficultate. Neque me fugit quid de his locis dicant Interpretes, sed nec consentiunt in his quæ adferunt, & quæ adferunt ejus sunt generis, ut nec ipsi sibiipsis videantur satisfeciſse, tantum abest ut attento lectori satisfaciant. Quod si quid habet *Bedda* quod explicet omnem nodum, lubens accipiam. Neque vero simpliciter affirmavi *inexplicabilia*, sed addidi, *mea sententia*. Non periclitatur fides, si quid mihi videtur inexplicabile, quod alius felicior possit explicare. Nihil est discriminis pietati Christianæ, si nobis in mysticis Litteris multa videantur inexplicabilia, cum difficultas exerceat nostram tarditatem, & desperatio talis nonnunquam admoneat nos humanæ imbecillitatis, ac divinam commendet sapientiam: verùm inde periculum est, si nobis videamur scire quod nescimus. Nunc de exemplis, quæ adduxi, paucis videamus. De peccato in Spiritum Sanctum, nec in hoc seculo nec in futuro remittendo, diligenter quidem, & pene dixerim, ad tædium usque copiose disseruit *Augustinus* Sermone XI. de verbis Domini secundum *Matthæum*, Cap. XII. Ac sententiam quidem, ad quam multis ambagibus circumactus tandem pervenit, veram esse fateor, videlicet cordis impœnitentis usque ad hujus finem vitæ, duriciem nunquam esse remittendam, verùm an ea nodum explicet difficultatis nescio. Dominus illic ut novum quiddam & incognitum docet. Sententia, quam *Augustinus* adfert, etiam vulgo notissima est, vel ex aliis Scripturæ locis. Et tamen ut huc rem detorqueat, vide quam multa assumat, ne quid aliud dicam, dura. Primum assumit hanc dictionem, *blasphemiam in Spiritum*, cum sit indefinite posita, non universaliter accipiendam, sed particulariter: ut intelligamus non quamcunque blasphemiam in Spiritum, sed certum aliquod blasphemiæ genus, quod nunquam sit remittendum. Id ut faciat probabile, multas adducit sententias, in quibus ad consimilem modum dictio indefinite posita sumitur particulariter, velut illud *Joan.* v. *Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Non enim caruissent omni peccato, sed eo duntaxat quod accessit ex incredulitate. Et *Jacobi* 1. *Deus neminem tentat*, certum tentationis genus vult intelligi, quo Deus neminem tentat. Rursum *Marci* XVI. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, de certo credendi genere intelligitur quod adfert salutem. Aliaque permulta hujus generis, sed qualia potuisset vel sexcenta commemorare. Nihil est in sacris Litteris quod non suam habeat exceptionem. Et illa sunt universalia, si secundum subjectum sensum accipiantur. Quoties enim Scriptura promittit salutem per fidem, aut remissionem per eleemosynam, utique de viva fide deque eleemosyna recte data sentit. At hujus orationis non est eadem ratio: cum enim distinguitur pars à parte, non potest altera pars secus quam generaliter accipi. Veluti qui dicit, *Omnes fore salvos præter eos qui non sunt viva membra* Christi, sentit nullum fore salvum, qui non fuerit membrum *Christi*. Et qui dicit, *Omne furtum esse capitale, præter furtum mere simplex*, sentit nullum furtum mere simplex esse capitale. Et qui dicit, *Omne reliquum argentum lego* Titio, *sed argentum factum lego* Cajo, utique sentit *Cajo* debere cedere quicquid est argenti facti: pars enim, quæ distinguitur ab universali, fit in sua specie universalis. Nec ideo *argentum factum* capi dicitur indefinite, quod sit argentum vicini quod hoc verbo non continetur: constat enim non hic agi de cujuslibet argento, sed de eo duntaxat quod est in bonis testantis. Deinde assumit omne peccatum commissum adversus Patris Filiive personam, esse blasphemiam in Spiritum Sanctum. Deinde quisquis negat remissionem peccatorum quæ est in Ecclesia, hunc blasphemiam dicere in Spiritum Sanctum. Postremo omne peccatum, quod committitur adversus caritatem Dei & proximi, esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, nisi pœniteat, eamque cogitationem

Digitized by Google

privilegia paucorum. Nec enim ideo fur fuit & latro sanctus *Esaias*, quod *Christus* dixerit in Euangelio: *Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones*, sed tanta erat bonorum Prophetarum ac Doctorum paucitas ad Pharisæorum & Pseudoprophetarum multitudinem collata, ut omnes dixerit, plurimos: ut tam paucos pro nullis habuerit. Rursus, non ideo *Petrus* ac *Barnabas* sua compendia *Christi* negotio prætulerunt, quia *Paulus* scripsit, *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi*, sed de plerisque *Christum* insincere prædicantibus dicit, *omnes*, quod perpauci essent qui sic prædicarent, ut ipse prædicabat. Nec ideo *Nathan* Propheta declinavit à recto, & inutilis factus est, quia Psalmographus scripsit: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Nec ideo falsum est quod scripsit Apostolus: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, quod *Christus* fuerit immunis ab omni peccato, & per hunc Virgo mater, si quibusdam id plausibiliter asserentibus est habenda fides. Cum igitur ex tot seculis duo tantum legantur subrepti morti, *Enoch* & *Helias*, & pauciſſimi futuri sint illi, quos subitus ille advéntus deprehendet vivos, præsertim quod bonam hominum partem jam absumserit afflictio Antichristi, pestilentia, fames, terræmotus, nulli videntur ad immensam multitudinem, quæ tanta serie Seculorum toto terrarum orbe mortis tyrannidi cessit. Denique hi quamlibet pauci mortales erant, etiam morituri, nisi casus illos eripiat morti. Hac, inquam, ratione dissolvi poterat, quod objicitur ex Epistola ad *Hebræos*, cujus interim auctoritati non derogamus, sed largimur perinde valere, quasi à *Paulo* scripta fuisset. Poterat & ita responderi: *Paulum* non illic agere de necessitate moriendi, quam nemo mortalium possit effugere, sed hoc agit, ut intelligamus homines, qui communi lege nascentium moriuntur, non mori nisi semel, neque jam post mortem semel obitam quicquam restare, nisi ut pro semente, quam quisque fecerit in vita, messem faciat. Atque hanc rem omnium sensu comprobatam & confessam, accommodat ad docendum *Christi* mortem, qua redemit hominum genus, nunquam esse iterandam, nec aliam hostiam exspectandam pro peccatis humani generis. Nec aliud restare, nisi ut qui hîc in corpore humano apparens semetipsum immolavit Patri, moriens in cruce, idem suis appareat gloriosus & inclytus in adventu supremo, judicem omnium acturus, qui prius servatorem omnium præstiterat, quod quidem in ipso fuit. Est enim hæc una ratio deprehendendi verum Scripturæ sensum, si diligenter observemus, quid agat illic, qui scripsit. Simili ratione diluetur & illorum scrupulus, quos offendit illud *Pauli*: *Tu homo quod seminas, non vivificatur, nisi mortuum fuerit.* Nec enim hoc agit hîc *Paulus*, ut ostendat neminem non moriturum, sed ut adhibita similitudine à rebus humanis, omnium sensui notissimis, doceat non esse incredibile quod Euangelica doctrina polliceretur. Etenim si quotidie videmus omnes, frigidum & aridum granum mortuum, ac terra veluti sepultum, posteaquam computruit, ceu redivivum emergere, primum in herbam teneram ac succulentam, mox in maturam segetem, idque juxta communem ordinem naturæ: cur dubitemus de Dei promissis, qui nostra corpora quamlibet humo putrefacta, sua peculiari virtute revocaturus est ad vitam, ac statum etiam feliciorem? Hoc igitur agit illic *Paulus*, quod multis videbatur incredibile, ut semel mortui revivisserent. Porro an pauci per occasionem sint subducendi necessitati communi, minimum habet momenti ad humani generis summam. Sunt quos & illud videtur movere, quod cum resurrectio sit præcipua pars fidei Christianæ, non conveniat, lectionem aut sensum hîc ancipitem habere. Utinam nihil esset hujusmodi in divinis Litteris, sed non ita visum est *Christo*. Alioqui non tot locis sudarent tot eruditissimi viri, in vestigandis & eruendis sacrorum Voluminum sententiis. Sed hoc loco ut tollatur ea lectio, quam habent Græci codices, & indicant veteres orthodoxi, hæc ipsa, quam hodie sequitur Ecclesia Latina, sensum habet ancipitem, quemadmodum in superioribus demonstravimus ex diversa Veterum interpretatione. Quanquam hunc quoque scrupulum discussit *Augustinus*, negans opus esse, ut certo sciamus omnem resurrectionis modum: satis esse si credamus mortuorum corpora revictura, unaque cum anima, quam prius habuerant, victura, in æternum vel fruitura gaudiis, vel luitura pœnas pro meritis anteactæ vitæ. Nec aliam fore sortem eorum, quos adventus Domini deprehenderit in vita, sive morituri sint, ac mox immortalitate mutandi, sive nullo mortis interventu à mortalitate ad immortalitatem transferendi. Utinam omnes qui nomine Christiano censemur, tam hoc habeamus indubitatum, quam citra periculum dubitare licet, quid Deus fieri velit de iis quos vivos ille dies deprehendet.

Hæc habui, lector optime, quæ mihi in præsentia succurrebant adversus tam insignem ac publicam calumniam: quorum si nihil legit ille qui pronuntiabat hæresim, quid detestabilius tanta supinitate in publica ac Theologica professione? si legit, quid perversius, aut malitiosius quam tale convitium contra conscientiam evomere in fratrem? Multum oportet interesse inter Theologicam professionem & Grammaticam, aut Poeticam. At quis unquam audivit tam cæcam petulantiam in Scholis eorum qui litteras humanas, & istorum judicio ridiculas profitentur? Is mihi in faciem dixit, quod Poetæ & Rhetores mentiuntur omnia. Sed hoc Theologi factum, quo nomine donabimus? Si me blateronem, aut rabulam vocasset, præter omnem causam, quis probus non exsecratus fuisset impotentem hominis maledicentiam, præsertim cum nullam adferret probationem? Imo cum nec illa mea legisset, quæ damnabat. Nunc vir eximius totius Religionis exemplar, qui *mateologi* vocabulum, qui quendam à prandio largiore subuvidum, citra nominis ipsius invidiam subnotatum, existimet omni suppliciorum genere vindicandum, palam in sacra lectione proximo suo hæresim impingit, adeo cæcus odio, ut ne pudore quidem emendetur, cum videat quoties hujusmodi voces effutit, effutit autem pene quotidie, alios ridentes, alios manifesta vultûs indignatione testantes ea non esse digna Schola Theologica. Quid autem istos pudet dicere in compotationibus suis, qui non verentur hujusmodi voces evomere in publicis ac Theologicis prælectionibus? Oraculum videri vult, quicquid dixerit, & hujusmodi voces non continet, quæ vix *Oreſtes* effunderet. Atque interim sibi videtur egregie sanctus, putat suis humeris inniti ruituram Ecclesiam catholicam, putat totius ejus Regionis mores, ipsius doctrina vitaque reddi meliores. Tali lingua prædicat Euangelium, tali ore quotidie consecrat & sumit sacrosanctum illud Christianæ concordiæ symbolum. Equidem non damno, quod pallio candido tegitur, sed adfirmo levius peccaturum, si pro candido sumeret nigrum, aut etiam viride, quam si tam atrocibus mendaciis denigret famam proximi. Imo minus impius esset, si pro *Heliæ* pallio sumeret togam *Labracis* flavam, aut *Thrasonis* chlamydem purpuream, & machæram manu circumferret, quam nunc cum religiosa veste tegens animum homicidam, linguam gerat teli vice veneno tincti. Non reprehendo quod *Mercurii* die ab esu carnium abstinet, sed arbitror hoc, in quo sibi *Mevius* ignoscit, apud Deum esse detestabilius: leviore piaculo roderet vel in *Veneris* die carnes leporum & caporum, quam rodit ac lacerat proximum nihil promeritum. Non occidit quenquam gladio, sed istud homicidii genus est hoc fortasse sceleratius, quo paratius simul & impunitius. Non tollit quenquam veneno, sed istud cum primis exsecrabile veneficii genus est, linguæ virulentia fraternam animam petere. *Qui odit fratrem suum*, inquit *Joannes*, *homicida est*,

est, & homicida non est, qui lymphatus odio, sic fertur in famam bene merentis? Sic debacchatur in vitam alienam (nam fama vel ipsa vita pretiosior est) ut nec suæ famæ jacturam metuat, dum noceat alienæ? *Qui dicit fratri suo fatue, reus est gehennæ.* Si reus est gehennæ, qui fatuo dicit fatue, quid præmii meretur is qui præter omnem causam hæreseos insimulat innoxium, de omnibus benemereri cupientem? Nec aliud agit iste vir pius, nisi ut mihi ademta auctoritate apud studiosos intervertat fructum studiorum, qui certe mihi non desudo, sed utilitati publicæ, cujus rei *Christum* testem ac judicem habeo. Sed interim periculum est, ne hisce rationibus non sibi modo, verum etiam ordini Theologico deterat opinionem, si pergant homines, ex hoc Coryphæo cæteros æstimare, ne sibi conflet odium apud eos, in quorum odium me conatur inducere. Siquidem cum hæc quæ dicit, palam stolida sint & impia, quis auditorum non apud se stomachetur, ita cogitans: pessime sentit hic de suis auditoribus, quos aut tam stolidos arbitratur, ut non videant hæc falso dici, aut tam improbos, ut tam impudentibus sycophantiis delectentur. In Scholis qui dissentiunt ab auctore quopiam, ita demum laudantur, si citra convitium rationes ejus, quem redarguunt, melioribus rationibus superent. Hanc modestiam præstant & hi qui Philosophiam Ethnicam profitentur, ipsi parum Christiani, & homo Theologus, arctæ religionis professor, & collapsæ Monasticæ disciplinæ instaurator, tam insignem linguæ petulantiam sibi permittit, imo sibi plaudit, sic abutens org[illegible]. Atque hic est qui [illegible] quet adversus libellos, [illegible] si talis lingua non sit q[illegible] De hoc hominum genere sc[illegible] *uenum aspidum sub lingua eorum*, [illegible] bus eorum, quanquam nec eo c[illegible] sub lingua eorum, ubi tutissime occ[illegible] me depromitur. Sed hujus querelæ jam [illegible] neque enim hæc in alium finem scripsi, [illegible] ut me purgarem, si quis tamen tam indoctus [illegible] calumnia tam manifestaria moveatur, partim [illegible] fieri possit, ipse semet agnoscat ac respiscat, suique pudeat. Meretur illius improbitas, ut nomen etiam litteris mandetur, nec deest ratio quæ suadeat hoc fieri, nimirum ne suspicio aliquos innoxios adspergat, quod utique vitabitur, si certus auctor suo titulo pronuntietur. Sed apud suos, opinor, jam his notis agnoscitur, apud posteros aut procul semotos, quid habiturum sit momenti, si cognoscant *Suffenum* quendam, nam finge hoc illi esse nomen, sic deliraße? Utinam ignoretur vitium, modo mutetur. Utinam ille sic se gerat, ut laudare cogar emendatum, de quo nunc queri cogor, tam diu, tam impotenter debachante in proximum. Valeat hoc Christianorum genus, quod caritatem à Religione separat, quod contra *Jacobi* doctrinam linguam effrenem cum pietatis titulo copulat. Nos istis neglectis si corrigi non possunt, meliora sectemur. Vale lector.

FINIS.

PROTESTATIO.

Primum quicquid in solenni testificatione dici solet in Theologicis disputationibus, hoc hic pro expresso haberi volo.

Deinde testatum omnibus esse volo, me hic nec Lutheri, *nec alterius cujusquam negotium agere, sed tantum pro me respondere.*

Præterea me nihil voluisse dicere, quod ad cujusquam contumeliam pertinet, sed tantum cum Beddæ *censuris agere, paratum & ipsum recipere in gratiam, si converti voluerit ad mentem Christianam.*

DESIDERII ERASMI PROLOGVS SVPPVTATIONIS ERRORVM IN CENSVRIS BEDDÆ.

Des. Erasmus Roterod. Lectori candido salutem dicit.

CUM in hisce turbulentissimis ac pene deploratis Ecclesiæ rebus tristes circumspiceremus, sicunde per Dei misericordiam affulgeret aliqua spes tranquillitatis, ecce nobis ex Academia *Parisiana*, cui semper tributus est in re Theologica principatus, prosilit liber *Natalis Beddæ*, de eo loquor quem in me torsit, totus scatens calumniis & convitiis, breviter talis, ut citius excitare posset novam in orbe tempestatem, quam excitatam sedare. Cujus maledicentia si me tantum læderet privatim, ferrem æquanimiter flagellum Domini, qui ut variis modis suos castigare solet, mihi quoque Satanam istum addidisset colaphisten: diceremque cum *David*, *dimittite eum ne maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac:* nunc quoniam falso impinguntur mihi damnata dogmata, meum silentium multorum esset periculum: qui vel confirmarentur in errore, vel in errorem prolaberentur, si persuasum haberent *Beddam* vera scribere. Proinde non tam me defendens, quam imbecillium periculo consulens, in supputatione, quam propediem sum editurus, nunc enim alia quædam magis urgebant, bona fide annumerabo in hoc *Bedda* libro non magno, manifeste falsa *quinquaginta duo*, calumnias evidentes *centum octoginta quatuor*, & blasphemias aliquot. Et in falsis permulta sunt, quæ jure possis mendacia dicere, tum impudentia, tum malitiosa. Mendacium impudens appello, quod ipsa statim re coarguitur. Malitiosum, quod quis sciens ac prudens mentitur adversus suam ipsius conscientiam. Hujusmodi sunt & pleræque calumniæ, insignes ac perversæ. Perversas appello, quoties sciens ac prudens interpretatur mea depravate, cum nec in verbis meis nec in sensu sit quicquam calumniæ.

Digitized by Google

Nondum tam male sentio de *Bedda*, ut existimem illum studio jacere blasphemias in Deum, sed huc eum rapuit calumniandi febris: ut voces effutierit, quas si deprehendisset in scriptis meis, magnis clamoribus asseveraret esse blasphemas. Hæc scio videbuntur incredibilia lectori, qui non attente legerit utriusque scripta. Nec mirum. Quis enim hoc exspectasset à multorum annorum Theologo, eoque *Parisiensi*, tum magistro pauperum, postremo *Natali Bedda*. Nec ipse crediturus eram, ni res ipsa mihi fecisset fidem. Est enim tam evidens, ut manibus etiam, quod dici solet, palpari queat. Quemadmodum docebimus in supputatione, quanquam & in Elencho & in responsionibus quædam indicavimus, & hîc si libet aliquot loca in specimen duntaxat adferemus, unde velut è gustu reliqua possint æstimari.

In prima statim censura impudens ac malitiosum mendacium est, felix videlicet operis auspicium, sic enim concludit *Bedda*: *Ecce quod præmisimus plane tradit* Erasmus, *non omnes scilicet* Paulo *adscriptas Epistolas, illius esse*, cum ex verbis, quæ refert ipse, nihil aliud vel iniquus censor possit colligere, quam de auctore Epistolæ ad *Hebræos* ab orthodoxis aliquando fuisse dubitatum. Hæc enim sunt verba quæ refert: *Non omnes quæ* Paulo *adscribuntur Epistolæ, illius esse citra controversiam dicenda sunt*. Quanquam ne hæc quidem mea sunt verba, sed hæc est propositio, quam elicit ex verbis meis. Ut vero torqueat iniquissime locum hunc, nihil aliud potest impingere quam suspicionem aliquam, me quoque de auctore hujus Epistolæ dubitare. Quod si verum esset, non aliter essem affectus quam erat *Hieronymus*, cum enarrans *Hieremiæ* Caput XXXI. scriberet: *Hoc*, inquit, *testimonio* Paulus *Apostolus, sive quis alius scripsit Epistolam, usus est*. Simili modo frequenter citat hanc Epistolam divus *Augustinus*. Ut hæc omnia donemus *Beddæ*, tamen impudens mendacium est, me plane tradere, hanc Epistolam non esse *Pauli*. Etenim qui plane tradit, asseverat. Rursus censura quarta, duo habet splendida mendacia. Prius est, me falso asseruisse, è Scripturis explicandum, quis sit ille supremus dies. Quanquam verba *Beddæ* vitio laborant amphibologiæ, quæ sic habent: *Erraverunt igitur hi & consimiles explicare conantes per Scripturas, quod eadem explicandum minime continent aut tradunt, sicut hîc, sed falso asserit* Erasmus. Atqui quod hîc mentitur *Bedda* nunquam à me nec scriptum, nec dictum, nec cogitatum, nec somniatum, sed in Annationibus & in Paraphrasibus contrarium doceo. Imo illa ipsa propositio, quam adfert *Bedda*, manifeste refellit hanc censoris impudentissimam vanitatem. Ea sic habet: *Sunt in Euangelio loca quædam, prorsus mea sententia inexplicabilia, quorum est de peccato in Spiritum Sanctum non remittendo, de die supremo quem solus Pater novit, etiam Filio incognitum.* Hæc propositio palam declarat me non in hoc ponere difficultatem inexplicabilem, quod ex Scripturis non possimus cognoscere diem illum, cum id tamen in Scripturis sit abstrusum, sed in hoc quomodo filius hominis in Euangelio dicatur nescire diem illum, soluſque Pater scire dicatur. Quæso quid hîc tergiversabitur *Bedda?* An non impudens mendacium est, quod omnibus scriptis meis vel me tacente redarguitur, atque adeo meis verbis, quæ contra me producit ipse? An non malitiosum mendacium, cum hoc fingit, quod scit esse falsissimum. Profitetur se legisse Paraphrases meas, in his idem doceo quod docet *Bedda*. In Caput *Matthæi* XXIV. sic habet mea Paraphrasis: *Vobis igitur satis est signa nosse quæ diem adventus mei portendant, ne vos incautos opprimat, cæterum exacte diem illum, aut horam qua Filius sit adventurus, non est vestrum inquirere.* Et in *Marci* ultimo sic habet: *Ne vero vobis cura sit ut sciatis diem illum supremum, quando nec Angelis datum est hoc scire.* Ac mox, *Certissimum habete venturum, ne quærite quando, ne obrepat securitas.* Et idem multo dilucidius doceo, explanans in Actis Apostolorum Caput primum, *Non est vestrum nosse tempora*, &c. Si *Bedda* neget se legisse meas Annotationes, certe Paraphrases sibi non lectas causari non potest, in quas scribit censuras, & si legit, utique novit esse falsum quod hîc asseverat *Bedda*. Sed quid faceret? pœnitebat hominem magnitudinis tertii libri, & cupiebat infulcire quod illi sodalium aliquis ex *Augustino* suggesserat. Ei ut fieret locus, *Erasmus* erat feriendus mendacio. Addit alterum mendacium non minus impudens. *Beddæ* verba subscribam: *Quod vero ait* Erasmus, *diem illum novissimum, etiam Dei Patris Filio incognitum esse, in fide erroneum est*. Omitto hîc quod *Bedda* simpliciter ait me dixisse, *Filio diem ignotum*, cum propositio habeat, *quem solus norit Pater, non novit*. Credo *Beddæ* nullum esse discrimen inter *norit* & *novit*, qui sine Grammatica disertus est, & si scripsissem *novit*, nihil erat periculi. Sic enim dicitur, *Filius in Euangelio non novit diem*, quemadmodum dicimus, *Dominus in Euangelio commovetur ira*, quod ibi legatur ira commotus. Nec excutiam quod de suo addidit, *Dei Patris Filio*, quasi de divina *Christi* natura loquutus sim: quoties enim divinam in *Christo* naturam significamus, Dei Filium dicimus. Ad impudens mendacium veniam: *Si simpliciter erroneum est in fide, dicere Filium nescire diem*, Christus *igitur in Euangelio dixit quod est in fide erroneum, sequiturque ut aut vanus sit Euangelista, aut* Christus à *veritate fidei deflexerit. Utrumque blasphemum est.* Hîc *Bedda* facio liberum, utrum blasphemiam malit agnoscere, an malitiosum mendacium. Etenim si dicit in eo sensu propositionem erroneam esse, quo ego pronuntio, doceat in quo sensu pronuntiarim. Dicet in sensu communi, ut filius hominis sic ignorarit diem quemadmodum ego nescio. Quid autem hoc mendacio vel impudentius, vel malitiosius? Impudentiam accipe. Si sensissem hoc proloquium, *filius hominis ignorat diem illum*, juxta simplicem sensum esse verum, nulla erat difficultas. Nunc quoniam is sensus videbatur absurdus, existimabam alium abstrusiorem esse quærendum, & in hujus inquisitione dixi mihi videri difficultatem inexplicabilem. Perspicuum igitur ex verbis meis quæ refert *Bedda*, & ex ipso crimine quod objicit, coargui vanitatem hominis. Quemadmodum *Socrates* accusatus quod negaret ullos esse Deos, haberet tamen familiarem Dæmonem, ex ipsa accusatione refellit quod objiciebatur, cum Dæmones haberentur Deorum filii. Quod utique cavisset *Bedda*, si quid haberet frontis. Nunc accipe malitiam. Primum, nec *Bedda* ausus est impingere, quod arbitrer *Christum* juxta divinam naturam aliquid nescire quod sciat Pater, quanquam suspicionis fumum admiscuit, quo nos doceret, scientiam Patris & Filii Dei eandem esse numero: perspiciebat igitur me difficultatem in hoc profiteri, quomodo Filius juxta naturam humanam diceretur nescire diem quem Pater sciebat, & si sciebat juxta naturam utramque, quomodo solus Pater dictus est scire? Prudens igitur ac perverso studio finxit me sensisse, quod non sensi, ubicunque vero malitiosum est mendacium, ibi malitiosa calumnia adsit necesse est. Ex his duobus falsis fabricatur tertium. Objicit meram Theologiæ ignorantiam. Quamobrem? Quia nescivi sermonis hujus, *Filius ignorat diem*, hunc esse sensum, non scivit ut homo, nisi revelante Deo, aut *Filius nescit*, id est, corpus mysticum Filii nescit, aut nescit, quod non indicat nobis. Cum hæc, quæ velut in Theologorum adytis retrusa profert *Bedda*, sint apud *Origenem*, *Hieronymum*, *Chrysostomum* & *Hilarium*, ex quibus meas Paraphrases contexui, quî potui nescire rem tam obviam? præsertim cum hoc vel *Catena aurea* vel *Glossa ordinaria* docere potuerit? Dicet, cur igitur in Paraphrasi relinquis sermonem Euangelicum, nec explicas juxta Doctorum interpretationem? Hoc alibi factum est à me, in Paraphrasi non licuit. *Christus* si suis discipulis respondisset, *scio quidem, sed nolo vobis indicare, quia non expedit*, magis accendisset in

in illis cognoſcendi ſtudium, & contriſtaſſet animos imbecillium adhuc & rudium. Nunc clementiſſimus Dominus reſpondit, nec Angelos nec Filium ſcire diem illum, ut æquo animo deſiſterent ab inquirendi ſtudio, paſſuſque eſt illos ad tempus errare, ut crederent ipſum ſic ignorare diem quemadmodum ignorant homines. Itaque ſi Paraphraſis ſic feciſſet *Chriſtum* loquentem, *Scio quidem, ſed vobis neſcio*, aut *neſcirem niſi Deus revelaſſet*, aut *ſcio quidem in meipſo, ſed in Eccleſia corpore meo neſcio*, nec conſolatus fuiſſet animos ſuorum, nec ſciſcitandi ſtudium compeſcuiſſet. Hæc cauſa compulit me relinquere quod erat in Euangelio. Jam igitur ſaltem hoc evincit *Bedda*, locum explicatum eſſe, quem dixi mihi videri inexplicabilem. Imo tres hominum opiniones audio, ſed quibus quarta quintaque poſſit adjungi. Cæterum ubi variant opiniones, ibi res nondum eſt comperta. Proinde quid erat piaculi, etiamſi locum ut erat ideo reliquiſſem, quod harum opinionum nulla ſatisfaceret animo? Non enim hoc profiteor in Paraphraſibus, me diſcuſſurum omnes quæſtionum nodos, ſed ſummariam quandam Apoſtolicæ doctrinæ notitiam, quo lector docilior veniat ad ſacrorum Voluminum lectionem. Addam tertium vanitatis *Beddana* ſpecimen. In cenſura, quam ſubjecit Propoſitionibus XIII. & XIV. tragicis vociferationibus hæc detonat: *Inaudita prius & vere miſerabilis, & ob id miſeranda temeritate hic ſacros Eccleſiæ Catholicæ ritus & ſacramenta temerare præſumſit* Eraſmus, *& ac ſi novus Euangeliſta foret, novos ſuperinducere ſatagit, quibus impenſius ſchiſmaticum exitioſumve nihil poterat excogitari ac erroneum. Tum quia iterare docet initerabile divino jure ſacramentum, dicente Apoſtolo* Hebræis, *impoſſibile eſt eos*, &c. Hîc vide, lector, quanta ſit congeries mendaciorum inſigniter impudentium. Mentitur me veluti novum Euangeliſtam temerare ritus & ſacramenta Eccleſiæ Catholicæ, cum ego de Baptiſmo non agam, ſed de Catechiſmo, qui ſolet olim præcedere Baptiſmum: nunc propono conſiderandum, an quoniam infantes baptizamur, expediat ut ex Eccleſiæ conſtitutione catechiſmus peragatur in adultis, quo cognoſcant quid in Baptiſmo ſint profeſſi. Qua tandem fronte *Bedda* clamat, hoc nihil eſſe poſſe magis ſchiſmaticum, cum nec ego quicquam innovem de ritibus Eccleſiæ, nec cuiquam ſim auctor ut innovet, ſed meum proponens conſilium, rem omnem deferam Eccleſiæ judicio, id quod non ſemel in eo loco, quem carpit, teſtatus ſum. Addit mendacium, hoc etiam impudentius, quod Baptiſmi Sacramentum initerabile velim iterari, quod mihi ne per ſomnium quidem unquam venit in mentem, atque adeo ex ipſis verbis meis, quæ *Bedda* refert, coarguitur eſſe falſum. Sic enim loquor: *Verùm hic gemimus exſiſtit ſcrupulus, primum quod videatur iterari Baptiſmus, id quod fas non eſt.* Quæſo te, lector, docet ille Baptiſmum iterandum qui pronuntiat non eſſe fas iterare? Et in ſequentibus copioſius doceo, non eſſe renovationem Baptiſmatis, ſed commemorationem, qualis eſt cum aqua ſacra conſpergimur. Quid mentis aut frontis fuit *Bedda* cum hæc ſcriberet? Auget autem illud malitiæ magnitudinem, quod hæc non ſolum dilucida ſunt ex verbis meis quæ carpit, verùm etiam ex reſponſione mea quam miſi Theologis, nec dubito quin ille primus, aut fortaſſe ſolus viderit. Similis impudentiæ eſt quod adjungit: Scripſeram *fortaſſis expedire, ut qui cognita profeſſione per alios ipſius nomine facta in Baptiſmo, tentatis omnibus adduci non poſſet ut probaret, animo ſuo relinqueretur donec reſipiſceret. Bedda* ſic interpretatur, quaſi docuerim hoc fieri poſſe ſine diſpendio ſalutis ejus qui reſiliret, & ex *judicii* depravavit *judicio*. Hoc ſi ſenſiſſem, cur addidiſſem *donec reſipiſcat?* Sufficiant hæc ad guſtum vanitatis *Beddanæ*. Hujus generis ultra promiſſum numerum in ſupputatione proferam, & his impudentiora: nec enim iſta ſelegimus, ſed ut in manum venerant notavimus.

A Jam mihi calumnia[illegible]
XXXIII. cum idem profera[illegible]
ſtum eſſe ſolum natura Dei Filium[illegible]
na ſuſpicionem impingit, ex occa[illegible]
typographorum incuria additæ: ſic [illegible]
eſt, *Petrus profeſſus eſt Chriſtum eſſe M*[illegible]
tis promiſſum ſingulari quodam more Filium D[illegible]
gulari more dicitur Filius Dei, ſic intelligit[illegible]
ut eodem modo nemo ſit alius, ſolus autem C[illegible]
natura Dei Filius eſt. Porro cum ex ſermonis cont[illegible]
tu facile conjectarit, *amore* depravatum fuiſſe pro *mo-*
re, tamen id diſſimulans arripit anſam calumniæ, hoc
etiam impudentior quod in reſponſionibus, &, ni fallor,
etiam in litteris admonuerim in prima Editione, cui
B ſoli adfui, quæ minuſculis litteris prodita eſt anno 1522.
ſcripturam haberi integram *ſingulari more*. Et poſt
hæc *Bedda* perfricta fronte, *ſi nobiſcum*, inquit, *catholice ſentit*. Sexcenta loca ſunt in lucubrationibus meis,
nec pauca in ipſis Paraphraſibus, in quibus ingenue &
explanate profiteor *Chriſtum* utriuſque naturæ, &
Bedda cenſor mearum Paraphraſeôn dubitat utrum
cum *Arrianis* ſentiam, an cum Catholicis. Hac calumnia
quid eſſe poteſt malitioſius? In cenſura XC. ex his
verbis meis quæ refert, *duo ſumus ego & Pater, ſed*
duorum idem eſt teſtimonium, hæreſis confingit calumniam, quaſi *duo* dixerim neutro genere, id eſt, duas
naturas, ac non potius maſculino. Quod ſi hæreticum
eſt Patrem & Filium duos dicere, quid ſenſit *Joannes*
C Euangeliſta cum diceret, *tres ſunt qui teſtimonium dant*
in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus? Quid hac ſycophantia puerilius aut magis ſophiſticum? Nec pudet
hæc illinire chartis, cum ego declararim ſenſum meum, & ſi non declaraſſem, cum in omnibus ſcriptis
profitear tres perſonas & unam eſſentiam, impudens
erat hanc ſuſpicionem inducere. Quod negatur de
duobus teſtibus in ſupputatione diſcutiemus. In cenſura, quam addit Propoſitioni LVIII. quod ſcripſeram
Hierarchiam Eccleſiaſticam recentioribus eruditis alterius cujuſpiam videri quam *Dionyſii* Areopagitæ, ſic
per evidentem calumniam interpretatur *Bedda*, & ſic
interpretandum aſſeverat, *eruditio*, id eſt, *Lutheranis,*
D *& ſchiſmaticis*. Atqui cum illa ſcriberem, (ſcripſi enim
Lovanii ante annos ſeptem) nondum *Lutherus* prodiderat ſuam de *Dionyſio* ſententiam. Nec *Beddam* fugere potuit, me loqui de *Laurentio Valla*, & *Guilhelmo*
Grocino Anglo, quos cito in Annotationibus meis.
Hæc ad calumniæ ſpecimen ſufficiant, nam paucis
annotari non poſſunt hæc quæ requirunt diſputationem.

Blaſphemiæ guſtum dabo. In fine libri, quoniam
hæc *Pauli* verba, *fide* Enoch *translatus eſt*, ſic explanaram, Enoch *fidei debet hoc ſeu gloria ſeu felicitatis, quod ſublatus ex hominum contubernio vivit cum Deo*,
cum idem dicam quod *Paulus*, tamen plane *Lutheranum* vocat quod à me poſitum eſt: quæ non me-
diocris eſt in Apoſtolum blaſphemia. Sed hîc *Bedda*
E de ſuo addidit *ſoli*, quæ vox quemadmodum apud
Paulum non additur, ita nec apud me. Quod ſi quiſquis fidem dicit, ſolam fidem intelligit, in eodem
hæret crimine *Paulus*, in quo *Eraſmus*, qui toties
in hoc Capite merita ſanctorum tribuit fidei, nihil
adjungens. Cenſura XLVI. curioſam vanitatem appellat, quod ſcripſerim, *Deus Pater emiſit Sermonem ſuum*,
pro *emiſit Filium* ſeu *Verbum*. Impingit igitur curioſam
vanitatem Eccleſiæ Catholicæ, quæ ex Libro *Sapientiæ*
per orbem terrarum canit Deo Patri, *Omnipotens Ser-*
mo tuus Domine de regalibus ſedibus venit, Dei Filium
intelligens. Sic loquutus eſt *Cyprianus*, ſic *Hilarius*,
F ſic *Hieronymus*, ſic *Ambroſius*, ſic *Auguſtinus* multis locis *ſermonem* legit ubi nos *verbum*, traditque nihil intereſſe utrum dicamus *ſermonem* an *verbum*. Convitium
igitur *Bedda* in me non recidit, ſed in univerſam Eccleſiam Catholicam, & in probatiſſimos Eccleſiæ Doctores.

Verùm hæc miſſa faciemus, quorum multa notavi-
mus

mus in Elencho, multa perſpicua fient ex reſponſionibus, quas in hoc edidimus, nihil immutantes, præter unum locum de *Benjamin*, in qua reſponſione parum fueramus attenti. Quod autem has *Bedda Defenſiones* vocat, multo ſecus habet. Tantum paucis & ex tempore ſignificavi mentem meam, quo certius ex admonitu Theologorum, ſi quid eſſet correctione dignum, aut explicandum, ſicubi ſano ſenſu ex verbis naſceretur offendiculum, ſarcire poſſem. Et ſi *Beddæ* videntur *Defenſiones*, debebat in ſuis *Cenſuris* argumenta refellere quæ illic adfero. Nec his tamen primum offenſus eſt *Bedda*. Sic enim res acta eſt, ut obiter emendem fucatiſſimam hominis in prologo narrationem, qua jactat ſe mihi miſiſſe Propoſitiones ab ipſo notatas, ſperantem fore, ut res inter nos Euangelica caritate tranſigeretur. Imo *Lutetiæ* ſparſerat ſuas Notationes, quæ notarat in *Lucam* exhibuerat Senatui. Hæc ad me per *Franciſcum Deloinum* transmiſſa ſunt. His acceptis, per litteras eblanditus ſum ab eo quæ notarat in reliquas Paraphraſes. Id quanquam ægre, tamen impetravi. Miſit nudas propoſitiones, ſed adeo perperam depravateque ſcriptas, ut in pleriſque locis ne legi quidem poſſent. Ille delicatus juſſit ut ſcripturæ mendas imputarem amanuenſi, ſibi non fuiſſe otium recognoſcendi. Vacabat tam operoſas calumnias in me ſcribere, nec vacabat duas paginas in re tanti momenti recognoſcere. Interea verſabatur in manibus hominum ſupercilioſum illud judicium *Natalis Beddæ* & *Guilhelmi à Quercu*, quod & ipſum huc per amicos tranſmiſſum eſt. *Beddæ* vero non erat animus ut harum rerum quicquam amico & fratri ſuo, *cujus ſalutem*, ut ait, *ſitiebat*, communicaret, ſed totus in hoc erat, ut quod multis annis in *Fabrum* & in me parturierat, liceret evulgare, quod ipſe in ſuis ad me litteris confeſſus eſt. Acceptis igitur aliquot à *Bedda* Propoſitionibus admonui, ut ſuo labori parcens tantum ea notaret quæ facerent ad fidem aut bonos mores, deinde dignaretur tribus verbis indicare quid cur offenderet, nam me frequenter non poſſe divinare: addidi fieri poſſe, ut ipſe quoque falleretur alicubi, hoc itaque noſtrum utrique fore commodum. Hæc cum & reverenter & blandis verbis agerem, tamen dictu mirum quam intumuit generoſum *Beddæ* pectus, perinde quaſi læſa fuiſſet ſacroſancta majeſtas. Itaque quæ deinde ſcripſit in litteris nihil aliud erant quam Σκυθῶν ῥῆσις, diceres Satrapam loqui non Theologum: *Quod ſcripſi ſcripſi, hic figo pedem, neſcio an falli poſſim, hoc ſatis eſt mihi, quod tua ſcripta me non fefellerunt*, aliaque plena ſtomachi. Atqui ubi erat hic illa caritas Euangelica, quæ patiens eſt & benigna, ubi ſitis meæ ſalutis, ubi illud quod adfert in Præfatione, una manus nobis vulnus opemque feret? Miſerat Propoſitiones. In quem uſum? ut canerem palinodiam. Atqui cum in his, quæ miſit, multa eſſent depravata, multa palam falſa, multa obſcura, multa perperam ſcripta, an hujuſmodi palinodiam à me poſcebat: *Video in his Propoſitionibus multa nihil ad rem facientia, multa falſa, multa quæ nec legere poſſum nec intelligere, tamen quicdquid* Bedda *notavit aut notaturus eſt in ſcriptis meis, damno titulis iiſdem quibus ipſi damnare libuerit*? Tum præſtitiſſem animum Chriſtianum, ſi *Beddæ* cenſori tali qualem ſe declaravit in hoc libro, mea ſcripta ſubmiſiſſem. Itaque quod ab illo fruſtra petieram, à collegis illius petii, quo vel illorum admonitione diſcerem quid mihi vel explicandum vel corrigendum eſſet. Neque enim *Facultatem* quam vocant, ſatis occupatam aliis, oneravi moleſtia judicandi de ſcriptis meis, tantum rogavi ut integro cuipam delegarent hoc negotii. Nec interim excutio, quod ſit iſtud gravitatis exemplum, recipere Propoſitiones examinandas, & ante cognitionem *Beddæ* permittere, ut evulgaret ſuas damnatrices cenſuras. Non igitur ſitiebat noſtram ſalutem *Bedda*, ſed quod ſitiebat aſſequutus eſt, ἐγὼ κόρχορος ἐν λαχάνοις. *Natalis Bedda* proſtat inter Bibliographos. Mire jactat nobis zelum dei. Apparet quidem in eo multus zelus, ſed à quo minimum abeſt ſcelus. Livor & odium privatum torſit hominem. Jactat Theologos eſſe Medicos, inter quos *Bedda* ſibi videtur præcipuus. Atqui talium Medicorum opera qualis eſt *Bedda*, *Lutheranum* malum ex minimis initiis huc uſque progreſſum eſt, quod facile ſedari poterat, niſi per imperitos Medicos ſiniſtre fuiſſet exagitatum. Talis enim eſt *Beddæ* deſcriptio, ut citius poſſit excitare novum incendium, quam excitatum reſtinguere. In *Fabrum* quidem moderatior eſt, nec obſcurum eſt quibus de cauſis. Simulatque ventum eſt ad me, ibi repente ex diſputatore fit cenſor, ibi ſingula paginarum frontiſpicia habent *errores Eraſmi*, ibi ſubinde repetiti Capitum tituli ſemidigitalibus litteris habent ERRORES ERASMI. Sciebat enim pleroſque nihil aliud lecturos quam Præfationem, Indicem, ac titulos: eoque in Præfatione tertio Libro præfixa, pauciloquus eſt, in prima Præfatione mirum quas ſycophantias contexuit. Addidit Indicem ſævum ac vanum, frequenter unam propoſitionem in ſex aut ſeptem dividit, quo creſcat numerus errorum. An non hæc palam arguunt malitioſum lædendi ſtudium? Deinde in ipſis cenſuris, quanta calumniandi libido, quanta maledicendi rabies, hæreſibus, ſchiſmatibus, blaſphemiis, *Arrianis*, *Manichæis*, *Valdonibus*, *Wyclevis* & *Beguardis* perſtrepunt omnia. Interim negat ſe recurriſſe ad Annotationes, negat ſe curare meas Apologias, diſſimulat meas reſponſiones. Hæc faciens quid aliud quam ipſa re loquitur: Nolo quicquam deperire meis calumniis, volo meas cenſuras haberi pro oraculis, ſive veræ ſint ſive falſæ, volo eſſe judex, nec cauſam tamen cognoſcere, *quod ſcripſi ſcripſi*, Deus ſum, nec errare poſſum nec falli. Aliquot conjurati claudemus oculos, obturabimus aures, & ſic quanta poſſumus voce clamabimus, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige*. Explebimus omnia noſtris calumniis, Apologias excludemus. Nimirum noſtra erit victoria. Hæ nimirum ſunt artes, quibus *Atlantes* iſti fulciunt nutantem Eccleſiam, ſed non aliis artibus, in crucem ſubactus eſt ille verus Eccleſiæ Paſtor *Chriſtus*.

Bedda ſubinde jactat Theologiam, prædicat Theologos Scholaſticos, ſed obſecro, num ad hunc modum diſputatur in Scholis Theologorum? Unde ſumſit hoc exemplum diſputandi? *Latomus Bedda* vetus ſodalis ſcripſit in *Lutheri* dogmata. Quæſo num ſic debacchatur convitiis, ſic fingit, ſic depravat omnia? *Hieronymus Hangeſtus Bedda* collega pugnat adverſus *Lutheri* dogmata, jampridem damnata non ſolum à *Romano* Pontifice, verum etiam à Theologorum collegio, & tamen à convitiis temperans rem agit argumentis ac Scripturarum Doctorumque teſtimoniis. *Bedda* velut è plauſtro ſic debacchatur in mea ſcripta, quæ nullus adhuc damnavit, præſertim cum tot pulſatus arietibus conſtanter perſtiterim in communione Eccleſiæ quam defendunt Theologi, imo cum ipſe pro mea virili propugnem Eccleſiæ concordiam, denique cum perpetuo mea ſcripta ſubmiſerim Eccleſiæ judicio, ſemperque hunc animum profeſſus ſim, ut ſi quis fraterne doceret, vel explicarem, vel corrigerem, ſi quid in meis ſcriptis eſſet quod officeret pietati. *Bedda* profeſſus dogmatum confutationem, objicit illa quoque quæ mihi in manu non ſunt. Non ſemel exprobrat, paupertatem & fortunam adverſam, corporis imbecillitatem & ſenectutem, ipſe non ita multo me junior. Ingerit conviviorum fabulas; multi dicunt, hoc audivi ab *Anglo* quodam: quaſi ad nos nihil deferatur de *Bedda*. Verùm mihi non eſt pugna cum *Beddæ* fortuna, ſed cum ipſius ſcriptis. Interdum oblitus cenſoriæ perſonæ ſcurram agit ludens inſulſis ſalibus. Ubi inter hæc Theologus ille Scholaſticus? non enim jam dicam, ubi Euangelica caritas? Scribit confecto *Luthero*, non poſſe rem Eccleſiaſticam eſſe incolumem, niſi conficiantur & Græciſſantes Theologi. Utinam defunctum eſſet *Lutheri* negotium!

Vereor

Digitized by Google

Vereor ne hæc tantum proœmia sint. Quod si mihi esset animus tam schismatis appetens, quam fingit *Bedda*, intelligeret se cum suis conjuratis ante tempus hanc telam exorsum esse. Nunc per meam pietatem licebit illi ferocire, si modo Principes talium hominum licentiam dissimulabunt. Arbitror *Leum* posuisse simultatem, ego certe contentionis oblitus sum; *Stunicam* coercuit Card. & Pontificum auctoritas. Scripsit ad me *Bedda Sutoris* intemperantiam sibi displicere, seque fraterne corripuisse hominem, sic enim ille loquitur. Nunc totis viribus hoc agit, ut *Lei Stunicaque* vetus suscitet incendium, & *Sutorem* laudat, quod sic in me scripserit. Scripseram ad illum quod *Clithovei* modestiam semper amassem, eum tamen civilius acturum fuisse, si de *Dionysio* cum *Valla* disputasset, (quod is esset auctor ejus sententiæ) potius quam mecum. Hoc tamen me boni consulere, quod res non esset magni momenti. Hîc geminus dolor cepit animum *Bedda*, & quod bene sentirem de *Clithoveo*, & quod ipse carerem sensu doloris, quem ille impegerat. Mox homo candidus ostendit, Librum, Caput & numerum quo essem attactus à *Clithoveo*, sine nomine quidem, ne hoc me consolaretur, sed ita, ut plerique facile conjectarent quem impeteret. Quis non intelligat hunc *Beddam* esse natum ad excitandas discordias, ac rescindendas amicitias? Clamat meam tubam intonare per Orbem, ipse *Panica* concha perstrepens, vel magis *Alectûs* cornu. Notarat in schedis Senatui datis titulum quem tribueram *Anglorum* Regi. Eam calumniam omisit. Cur ibi notavit? quia bellum erat *Gallo* cum *Anglis*? Cur hîc omisit? Quia coierat fœdus inter Principes. Scripserat se nihil vidisse in *Marco*. Post, multa notavit. Cur tum nihil vidit? quia Rex, cui fuerat dicata Paraphrasis, tum florebat in sua *Gallia*, cujus erga me favorem olfecerat. Cur postea factus est Lynceus? Quia versa est fortunæ scena, quam ille fortassis sperabat fore perpetuam. Hæc est illa nostri censoris gravitas. Quin toto hoc, quem in me scripsit libro nullam video sententiam; quæ resipiat animum simplicem ac syncerum, sed quicquid pro tempore visum est commodum dicitur ac fingitur.

Desinet autem mirari tot esse numeratas Propositiones, qui norit quam multiplex ac πολυμήχανος sit ars censoria *Bedda*, qua de re nonnihil attigimus in Elenchi calce. Nec hîc alienum fuerit explanatius ostendere. PRIMA pars artis est, transferre personam, veluti quod in Euangelio Dominus dicit suis discipulis, revocans eos ab exemplo Gentium & Pharisæorum, ne multiloqui sint in orando, sic detorquet quasi hæc nunc dicat *Erasmus*, taxans solemnes preces Sacerdotum & Ecclesiæ. ALTERA in translatione temporis, veluti cum loquens de his qui ex Paganismo seu Judaismo veniunt ad Baptismum, dico à neutris exigi bona opera, sed solam fidem, ille sic interpretatur, quasi dicam in baptizatis bona opera esse supervacanea, cum tot locis diversa doceam; etiam in Paraphrasibus. TERTIA est depravatio, quæ duplex est, altera verborum, cum mea refert, non ut à me scripta sunt, sed ut sunt accommoda calumniæ. Altera sensus, veluti cum dico *Mosen* vetuisse esum carnis suillæ, *Bedda* clamat me *Manicheum*, quasi sentiam Deum non esse Legis auctorem, sed *Mosen*, cum ipse Dominus sic loquatur *Marci* x. *Quid* Moses *præcepit vobis*? Non ignorabat *Bedda* quid sentirem, verùm ex verbis venatur calumniam, sed quæ recidit in ipsum *Christum*. QUARTA est ambiguæ vocis in pejorem partem interpretatio, veluti cum Dominum facio loquentem, *Pater & ego duo sumus*, interpretatur *duo* neutro genere dictum, non ignarus quo sensu dictum sit à me. QUINTA est additio, frequenter enim addit de suo voces aliquot meis verbis, quo locum faciat calumniæ, veluti cum ajo, *Enoch fides debere quod sublatus ab hominibus*, ille addit, *solis fidei*. SEXTA est prætermissio, veluti cum ex meis ea tantum decerpit quæ patent calumniæ, prætermissis quæ præcedunt ac sequuntur, exclusura calumniam si fuissent addita. Idem facit impudenter in recensendis Doctorum testimoniis, veluti *Matth.* XXVI. cum ajo *tenebras ortas super omnem terram Hierosolymitanam*, objicit mihi *Origenem*, qui dixerit *super universam Judeam*, cum *Origenes* magis probare videatur, ut intelligamus *terram Hierosolymitanam* quam *Judeam*. Sic enim ait Homilia XXXV. *Sicut ergo id quod dicitur*, terra contremuit, *refertur ad terram Hierusalem*, *aut si latius voluerit quis extendere ad terram Judeam*, tenebræ factæ sunt. Ac mox: *Intellige quod super omnem terram Judeam sunt facta*, *aut certe super Hierusalem tantum*. Ex dictis *Origenis* satis liquet quod non loquatur de *Judea*, quæ complectitur duodecim Tribus, sed de ea parte, cujus caput erat *Hierosolyma*. His cognitis qui censuram legerit, perspiciet qualis artifex sit *Bedda*. SEPTIMA est dissimulatio. Cum enim frequenter ex aliis locis sciat quid sentiam, tamen in censura dissimulat, dicens de duplici natura Christi; *si sentit nobiscum*, & hoc toto libello dissimulat responsiones meas, quarum aliquot ad ipsum misi, si tergiversetur quas ad Theologos misi sibi lectas non esse. OCTAVA est applicatio, veluti cum verba Paraphrasis non applicat ad eum locum quem interpretor, sed vel ad alium in speciem contrarium, velut quod ex Capite *Matthei* VI. dico *Christum* suos docuisse, clam & paucis orare, applicat ei quod est *Lucæ* Cap. XVIII. *Oportet semper orare*, *& non deficere*, dissimulans interim, quod in libello *De modo orandi* satis explicuerim quem sensum hæc habeant, imo id feci in ipsa Paraphrasi: vel detorquet mea ad dogmata reprobata, sive ad constitutiones hominum post enatas, sive ad placita Scholasticorum, cum Paraphrases examinare debuerit, ad locum Scripturæ quam explano, vel ad expositiones orthodoxorum quos sequor. NONA est, rejectio troporum, quibus cum & sacræ Litteræ & Orthodoxorum libri scateant; tamen in me calumniatur; veluti cum dico; *mulier quæ sui copiam fecit alteri uxor esse desiit*, cum ego sentiam illam indignam esse conjugis vocabulo & mariti convictu, ille simplicem urget loquutionem, quasi dixerim, rescissum esse matrimonium, & utrique partam novi conjugii libertatem. Item cum dico quod *Christi* lenitas indurarit *Judam*, sentiens illum abusum Domini sui lenitate, *Bedda* depravat, quasi *Christum* accusarim ut auctorem malitiæ. DECIMA est imputatio, veluti cum sciens esse lapsum typographorum, tamen mihi quicquid est imputat. UNDECIMA est, inelegantia, veluti cum ex ignorata vocis emphasi, aut proprietate sermonis Latini struit nobis calumniam. Exemplum hujus indicavimus in responsionibus. Severiter enim carpserat quod his vocibus *Servator* & *servare* frequenter essem abusus, putans recte dici *servare vestes* qui custodit, non recte dici, *servavit hominem*, ubi quis dedit salutem. DUODECIMA est obscuratio, cum fumos offundit lectori quo videatur aliquid subesse lapsus, cum nihil sit, veluti in Censura &c. cum ait, *quasi ita duo testes essent Pater & Filius*, *ut homines duo*, *testes duo sunt*, fumum offundit lectori. DECIMATERTIA sit improbitas, quoties in meis verbis damnat ut hæreticum, quod expressum est in sacris Litteris, traditum à sacris Doctoribus: item cum fortiter asseverat me scripsisse, cui contrarium exstat in scriptis meis. His & aliis id genus artibus *Bedda* contexuit has Censuras, quemadmodum dilucidius aperiemus in supputatione, quam mox dabimus. Hac præfatione lectorem præparasse sufficerit.

Digitized by Google

Quæstionis propositio.

JESVS MARIA B.

Si probatur.

Si phalerata Erasmi *doctrina comprobatur sana, catholica, atque religiosa, si religiosis Viris licita, salutifera, ac amplectenda sit absque ullo discrimine, & si nullum luendæ hæresis hujusce tempestatis virus sub melleo ornatu lateat.*

Responsio *N. Beddæ* Gymnasii *Montis-acuti* Primarii.

EGO *Natalis Bedda* zelo illorum (qui à me ut præscripte responsum diem interrogationi postulant) motus, ita solius Dei in hoc timorem præ oculis habens, satisfaciendum esse dignum duxi, videlicet quod *Erasmi* doctrina, ubi de divinis Litteris seu Theologia disserit, in non paucis erronea est, & bonis moribus impudenter adversatur. Schismatica quoque in plurimis dignoscitur esse: & sacræ Religionis statui impie derogat. Hinc æstimo ab illa maxime arcendos esse Monasticam vitam professos: ne suaviloquio & sermonis lenocinio vane capti, una cum styli dulcedine pestiferum sorbeant poculum. Ne autem gratis hæc me censere quis suspicetur, & non stimulante conscientia ad cautelam fraternæ salutis, hujusmodi dedisse responsum, legantur articuli, quos de eadem *Erasmi* doctrina excerptos pro caritate tum hac nostra scientia tradidimus. Actum & nostra manu scriptum die 7. Mensis *April.* 1524. ante Pascha: sic signatum, *N. Bedda* & *G. de Quercu.*

Erasmus Roterodamus sacratiss. Facultati Theologiæ Parisiis S. D.



HONORANDI Patres ac Domini. Missæ sunt isthinc ad me duæ Censuræ, quarum altera erat communis M. N. *Natali Beddæ*, cum M. N. *Gulielmo de Quercu*, altera erat propria *Beddæ*, quam exhibuit Senatui Parlamentari, duntaxat in *Lucam*. Prior, quam post auxit, habet præfationem, in qua sunt verba quædam ex formulis judiciorum, *Ego* Natalis Bedda, & *solius Dei in hoc timorem præ oculis habens.* Deinde sequuntur multa odiosa, quod mea *doctrina in multis est erronea, bonis moribus impudenter adversans, in plurimis etiam schismatica, & sacræ Religionis statui impie derogans, & quæ habeat pestiferum poculum*, &c. Hæc qualiacunque sunt, si privatim ad me scripsisset, & pro recte notatis, & pro perperam notatis habiturus eram gratiam. Nunc hæ censuræ tam odiosæ volitant isthic per manus hominum, me inscio. Et plerique sunt, qui putent ex vestri Collegii consensu depromtas, quanquam id longe secus habet. Ego sane *Gulielmo à Quercu* non tantum vel otii fuisse crediderim, ut vacarit, vel patientiæ, ut sustinuerit nostra legere: sed arbitror in amici gratiam subscripsisse notatis. Sed *Gulielmus* abiit in locum suum, & juxta proverbium, *vivorum meminisse oportet.* Ne *Beddam* quidem arbitror omnia legisse, sed laboris partem in alios fuisse distributam, arguunt variantes numeri, quibus indicatur pagina. Verùm hoc nihil refert, posteaquam *Bedda* agnoscit Annotationes. Itaque paucis ad singula respondi, divinare coactus quid illum offenderit, quo certius judicetis, an articuli notati respondeant sævis illis dictis, quæ habet præfatio censuræ. Mihi quidem *Bedda* vir bonus est: sed habent & boni viri suos affectus, affatim tribuunt suis studiis, malignius alienis, obsequuntur instigantibus, credunt falsa deferentibus. Breviter, homines sunt etiam boni viri. Certe capitale odium in Linguas & bonas litteras ingenue præ se fert: atque hac de causa fortassis iniquior est mearum lucubrationum censor. De me nihil profiteor, nisi mihi sincerum fuisse animum cum illa scriberem, & provehendæ Christianæ pietatis avidum. Itaque si quid erroris est, vel ab imperitia, vel ab humana incuria profectum est. Adversus *Beddæ* censuras nihil excipiam, nisi ne mihi præscribat, ut si quod hic aut ille dogma contentiosum invexit adversus Ecclesiæ decretum, mihi non liceat his verbis tractare sacras Litteras, quibus veteres orthodoxi tractarunt, salvo intellectu Ecclesiæ: aut si quid in scriptis meis hujus aut illius errori videtur affine, statim rapiatur in suspicionem, præsertim cum ex aliis locis lucubrationum mearum evidens sit quid sentiam. Deinde ne schismaticum appellet, si quid dicatur in malos Episcopos, idque in genere, cum mundus sit plenus Episcopis, utinam talibus quales describit *Paulus*! aut ne clamitet derogatum sacrosanctæ Religionis statui, sicubi Monachos admoneo, quibus in rebus sita sit vera pietas: statum enim nusquam damno, sed suo statui parum respondentes: Aut ne velit in omnes Theologos dictum videri, quod in quosdam eo nomine non admodum dignos dictum est, quales utinam nullos haberet mundus! Certe ordinem & veneror & veneraturus sum donec vixero: Denique ne prædicet, impudenter adversari bonis moribus, si quid dicitur adversus superstitionem aut consuetudinem quæ furtim irrepsit in mores hominum. Quo major est Theologorum auctoritas, hoc magis oportet illorum judicia, non solum matura esse & æqua, verùm etiam candida. Quanquam autem hæc censura non est à Collegii vestri consensu profecta, tamen quoniam *Gulielmus à Quercu* & *Natalis Bedda* inter præcipuos habentur, plerique vestram sententiam ex horum sententia conjectant. Quod ad Linguas ac politiores Litteras attinet, scio vestræ prudentiæ nihil opus esse nostro consilio, tamen mihi videtur vestræ professioni nonnihil dignitatis ac lucis accessurum, si regina studiorum Theologia, veteres pedisequas in suum famulitium comiter recipiat. Vetus est, quod isti clamant esse novum, Theologiæ professionem cum Linguarum & politioris litteraturæ peritia conjungi: quod si qui sunt, qui, cum habeant harum litterarum cognitionem, sequuntur impia dogmata, non æquum est hominum vitia conferri in disciplinas, quæ suapte natura bonæ sunt, & non parum utilitatis olim attulerunt Ecclesiæ Catholicæ. Hæc scribo propter quosdam seniores, qui iniquiores sunt his studiis, quæ juvenes non attigerunt. Dominus vos omnes servet incolumes, Patres ac Præceptores mihi plurimum observandi, quorum pietati cupio vehementer esse commendatus. *Basileæ* 6. Februarii, Anno à Christo nato 1526.

ERASMI

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI DIVINATIONES AD NOTATA PER BEDDAM.

DE PARAPHRASI ERASMI IN MATTHAEVM, ET PRIMO DE DVABVS PRAEMISSIS EPISTOLIS.

Notatio Beddæ 1.

Dedic. pag. 1. *Non omnes quæ* Paulo *adscribuntur Epistolæ, illius esse citra controversiam dicenda sunt.*

Responsio Erasmi.

CITRA controversiam esse dicitur, de quo nullus ambigit. Jam de Epist. *Pauli* ad *Senecam*, de Epistola ad *Laodicenses* dubitant omnes, de Epistola ad *Hebræos*, quod ad Auctorem attinet, dubitatum est à viris orthodoxis, præsertim Latinis. Docuimus hoc respondentes *Fabro*, item in Annotationibus quas in hanc scripsimus Epistolam. Quod si dubitare fas non est, tamen ego non possum in jus trahi, si negavi omnes Epistolas, quæ *Pauli* titulum præferunt, citra controversiam à *Paulo* conscriptas. Non enim profiteor meam dubitationem, sed aliorum. Nec tamen video, cur nefas sit de Auctore dubitare, nisi quia in Templis hoc titulo recitatur. Qualia recitentur in Templis nonnunquam, non libet hîc commemorare. Ubi publicum Ecclesiæ decretum audiero, fatebor & ipse non esse fas de Auctore dubitare. Et hîc *Bedda* sic refert mea verba, ut accipi possit me sentire, dubium non esse, quin quædam Epistolæ *Paulo* adscriptæ, *Pauli* non sint.

b N. Ibid. circa finem: *Veteres Ecclesiæ Doctores in allegoriis explicandis partim sic agunt, ut mihi ludere nonnunquam videantur*, ait Erasmus.

R. Hoc cum indefinite dixerim, intelligi potest de *Origene*, aut *Tertulliano*, quos & ipsos constat aliquando fuisse Doctores Ecclesiæ, nec absurdum si quis eos nunc quoque vocet Doctores Ecclesiæ, cum publicitus legantur, *Origenes* legatur etiam in Templis. Et tamen hoc quod dico demonstravimus & in *Ambrosianis* scriptis & *Hilarianis*, quorum uterque sequutus est *Origenem*. Error autem in allegoria non semper habet periculum fidei. Si quis exemplum requirat, duo succurrunt. Alterum de duobus passeribus qui veneunt asse, alterum de *Petro* dicente, *non novi hominem*. Priorem locum *Hilarius*, *Origenem* opinor sequutus, exponit de corpore & anima: secundum *Ambrosium* huc torquet, ut excuset *Petrum*, qui non abnegarit Dominum, sed divinitatem ejus professus sit. Priorem interpretationem ut coactam notat *Hieronymus* in commentariis, alteram plane rejicit ut falsam & minime consistentem. Hujusmodi loca cum aliquot notarim, cumque plura valeam proferre, non video quid offenderit *Beddam*. Plus est errare quam ludere ingenio. Quod si Doctores errant in dogmatibus fidei, quid flagitii, si quis dicat aliquos illorum alicubi ludere in tractandis allegoriis, quæ res est magna ex parte arbitraria?

3 N. Ibidem: *Sunt in Euangelio loca quædam prorsus mea sententia inexplicabilia, quorum est de peccato in Spiritum Sanctum remittendo.*

R. Explicari dicitur, quod absolvitur submota difficultate. Neque me fugit quid de his locis dicant Interpretes, sed nec consentiunt in his quæ adferunt, & quæ adferunt ejus sunt generis, ut nec ipsi sibiipsis videantur satisfeciſse, tantum abest ut attento lectori satisfaciant. Quod si quid habet *Bedda* quod explicet omnem nodum, lubens accipiam. Neque vero simpliciter affirmavi *inexplicabilia*, sed addidi, *mea sententia*. Non periclitatur fides, si quid mihi videtur inexplicabile, quod alius felicior possit explicare. Nihil est discriminis pietati Christianæ, si nobis in mysticis Litteris multa videantur inexplicabilia, cum difficultas exerceat nostram tarditatem, & desperatio talis nonnunquam admoneat nos humanæ imbecillitatis, ac divinam commendet sapientiam: verùm inde periculum est, si nobis videamur scire quod nescimus. Nunc de exemplis, quæ adduxi, paucis videamus. De peccato in Spiritum Sanctum, nec in hoc seculo nec in futuro remittendo, diligenter quidem, & pene dixerim, ad tædium usque copiose disseruit *Augustinus* Sermone XI. de verbis Domini secundum *Matthæum*, Cap. XII. Ac sententiam quidem, ad quam multis ambagibus circumactus tandem pervenit, veram esse fateor, videlicet cordis impœnitentis usque ad hujus finem vitæ, duriciem nunquam esse remittendam, verùm an ea B nodum explicet difficultatis nescio. Dominus illic ut novum quiddam & incognitum docet. Sententia, quam *Augustinus* adfert, etiam vulgo notissima est, vel ex aliis Scripturæ locis. Et tamen ut huc rem detorqueat, vide quam multa assumat, ne quid aliud dicam, dura. Primum assumit hanc dictionem, *blasphemiam in Spiritum*, cum sit indefinite posita, non universaliter accipiendam, sed particulariter: ut intelligamus non quamcunque blasphemiam in Spiritum, sed certum aliquod blasphemiæ genus, quod nunquam sit remittendum. Id ut faciat probabile, multas adducit sententias, in quibus ad consimilem modum dictio indefinite posita sumitur particulariter, velut illud *Joan.* v. *Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Non C enim caruissent omni peccato, sed eo duntaxat quod accessit ex incredulitate. Et *Jacobi* 1. *Deus neminem tentat*, certum tentationis genus vult intelligi, quo Deus neminem tentat. Rursum *Marci* XVI. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, de certo credendi genere intelligitur quod adfert salutem. Aliaque permulta hujus generis, sed qualia potuisset vel texcenta commemorare. Nihil est in sacris Litteris quod non suam habeat exceptionem. Et illa sunt universalia, si secundum subjectum sensum accipiantur. Quoties enim Scriptura promittit salutem per fidem, aut remissionem per eleemosynam, utique de viva fide deque eleemosyna recte data sentit. At hujus orationis non est D eadem ratio: cum enim distinguitur pars à parte, non potest altera pars secus quam generaliter accipi. Veluti qui dicit, *Omnes fore salvos præter eos qui non sunt viva membra* Christi, sentit nullum fore salvum, qui non fuerit membrum *Christi*. Et qui dicit, *Omne furtum esse capitale, præter furtum mere simplex*, sentit nullum furtum mere simplex esse capitale. Et qui dicit, *Omne reliquum argentum lego* Titio, *sed argentum factum lego* Cajo, utique sentit *Cajo* debere cedere quicquid est argenti facti: pars enim, quæ distinguitur ab universali, fit in E sua specie universalis. Nec ideo *argentum factum* capi dicitur indefinite, quod sit argentum vicini quod hoc verbo non continetur: constat enim non hîc agi de cujuslibet argento, sed de eo duntaxat quod est in bonis testantis. Deinde assumit omne peccatum commissum adversus Patris Filiive personam, esse blasphemiam in Spiritum Sanctum. Deinde quisquis negat remissionem peccatorum quæ est in Ecclesia, hunc blasphemiam dicere in Spiritum Sanctum. Postremo omne peccatum, quod committitur adversus caritatem Dei & proximi, esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, nisi pœniteat, eamque cogitationem

Digitized by Google

cordis obstinati, verbum esse in Spiritum Sanctum. Ex his colligit omne crimen esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, si adsit cor impœnitens, nec ullum peccatum remitti in hac vita, nisi pœniteat commissi, & speretur venia, post mortem autem non esse peccatorum capitalium remissionem. Atqui hoc qui docet, nihil novi docet, nec ipsis Pharisæis incognitum, quibus tunc loquebatur Dominus. Proinde verisimile est altius quiddam & abstrusius latere in verbis Domini. Quæ differit *Augustinus* ut lubens amplector, donec aliquid probabilius occurrat, ita non satisfaciunt animo meo: dicam enim ingenue. Imo nec ipse *Augustinus* videtur in his suo ipsius animo facere satis. Ego dixi mihi videri difficultatem inexplicabilem: ipse non multum abhorrens à meis verbis, scribit hunc in modum: *Dico caritati vestræ, forte in omnibus sanctis Scripturis nulla major quæstio, nulla difficilior invenitur. Unde ut vobis aliquid de me ipso fatear, semper in sermonibus, quos ad populum habui, hujus quæstionis difficultatem molestiamque vitavi.* Sic ingreditur explicationem quæstionis: finit autem hoc pacto: *Ut potui difficillimam quæstionem, si tamen aliquatenus potui, Domino miserante atque adjuvante tractavi, quicquid tamen in ejus difficultate apprehendere non potui, non imputetur ipsi veritati, quæ salubriter pios, etiam cum occultatur, exercet, sed infirmitati meæ, quæ vel intelligenda conspicere vel intellecta explicare non potuit.* Hæc *Augustinus*, qui nec in libris *Retractationum* profitetur hanc quæstionem explicatam, sed accuratius dissertam. Nam idem in libris de sermone Domini in monte habito, putat esse aliquod peccatum ad mortem, pro cujus remissione frustra rogetur Deus, & haud scio an idem scripserit in Commentariis in quibus explicat Epistolam *Joannis* primam. Nam hæc pars abest in codicibus nostris. Et *Beda* Venerabilis recenset quidem obiter hanc interpretationem de peccato, cujus non pœniteat nos usque ad mortem, sed eam præfert quam *Augustinus* in libris nunc citatis posuit, in *Retractationibus* correxit. Argumentum adducit sermonis consequentiam in Epistola *Joannis*. At quod *Augustinus* adfert multo minus congruit cum Euangelici sermonis contextu, si quis expendat. Nec tamen hanc interpretationem damnat *Hieronymus* aut *Ambrosius*, *Hilarius* sequitur: nec abhorret *Chrysostomus*, nec *Origenes*, nec *Theognostus*, nec *Athanasius*, nec *Cyrillus*, nec *Theophylactus*: solius *Augustini* hoc commentum est. Jam illam difficultatem quid sit *hoc seculum*, quid *futurum*, *Augustinus* ne attigit quidem, cum hîc quoque varient sententiæ. Ergo cum extra controversiam sit in sacris Litteris esse quædam nobis inexplicabilia, (explicatum autem dicitur, in quo nihil remanet scrupuli) cum *Augustinus* fateatur hanc quæstionem esse omnium difficillimam, cum de hac varient orthodoxorum sententiæ, quod flagitium admissum est, si hoc exemplum adduxi loci inexplicabilis? In exemplis, si credimus *Aristoteli*, non periclitamur de veritate: nec asseveró tamen, sed addo, ut dixi, *mea quidem sententia*.

Alterum exemplum est *Matth.* XXIV. de die supremo, quem solus Pater novit. Et hanc quæstionem *Augustinus* Sermone XXI. magnam vocat, & attingit duntaxat, nec explicat. Et hîc quanta varietas in priscis orthodoxis. Alius alio tropo nodum explicare conatur. Filius ut homo non novit. Aut Filius hoc nescit quod aliis non aperit. Aut quod universum Ecclesiæ corpus nondum novit, nec Filius nosse dicitur. Alius causatur in emendatioribus Exemplaribus, præsertim *Adamantii*, non fieri mentionem Filii. Est qui dicit Angelos non recte præponi Filio, cum id fiat rectissime. Series enim increscens quod gravissimum est, in fine collocat. Plus est autem diem à Filio nesciri, quam ab Angelis. Nec desunt qui tentant, an hic sensus possit consistere: hoc quoniam ad hominum salutem non pertinebat, humanæ *Christi* naturæ non fuisse revelatum, & juxta hunc sensum accipi posse, Filium vere ignorasse. Jam alia difficultas torquet, quid sit *dies* & *hora* quæ præsciri non possit. Hoc enim videtur in Actis vocare *momenta temporum*. Nondum igitur explicatum videtur, in quo tanta est sententiarum varietas: quibus omnibus expensis, tamen manet animi scrupulus. Quin totum illud Caput, in quo hæc refert *Matthæus*, mihi plenum videtur magnis quæstionum difficultatibus. Non hîc confugiam ad illas tergiversationes, inexplicabile dici quod difficile sit explicatu, & hanc orationem esse ancipitem. Potest enim accipi prorsus inexplicabile, quod nullo modo possit explicari, & quod non possit in totum explicari. Ubi verò hæc loca sic explicata ut nihil in animo resideat scrupuli, fatebor explicari potuisse, quod mihi videbatur inexplicabile, & mutabo exempla, non sententiam.

N. Ibid. pag. 2. in initio: *Explicare dissonantes locos in Euangelistis, nihil aliud est quam in labyrintho versari.* 4

R. Rem perplexam ac difficultatibus plenam appellavi *labyrinthum*: Si ea facilis est, non recte loquutus sum: Sin & illi, qui hoc summo studio conantur ex professo, non paucis locis sic hærent ut nec sibi satisfaciant, cur offendit *labyrinthi* vocabulum? Erat & ex labyrintho exitus adhibito filo. Id si cui porrigat *Christus*, poterit ex his difficultatibus emergere. Adhuc nemo se satis explicuit, vel quia variant inter sese qui in hoc sumserunt operam, vel quia frequenter hærent, nec sibi satisfaciunt.

IN PRAEFATIONEM.

N. Pag. 1. circa medium: *Exclamant* (scilicet Doctores) *indignum facinus, si mulier aut coriarius loquatur de sacris Litteris: at ego puellas quasdam audire mallem de* Christo *loquentes, quam quosdam summos vulgi opinione Rabinos.* 5

R. Cum ego loquutus sim in genere, cur *Bedda* interpretatur Doctores, quasi totum ordinem Theologorum taxaverim? Talia clamant & Jureconsulti, & ebrii quidam. Jam fieri potest ut sit aliqua puella, qualis fuit *Principia*, *Marcella*, aut *Eustochium*, plena divini Spiritus: & fortassis sunt Rabini, qui detriverunt ætatem in spinetis *Scoti*, sacras Litteras nunquam attigerunt, deinde pleni mundani spiritus: Quid miri, si malim audire talem puellam, per cujus os *Christus* loquitur, quam indoctum, superciliosum, & fastu turgidum Rabinum? Quales utinam nulli essent in orbe, lubens canerem hujus dicti palinodiam. Dixerit aliquis, hos non esse Theologos. Assentior: & tamen sibi videntur & vulgo habentur. Ne commoveantur igitur qui vere Theologi sunt, quos ego semper merito sum veneratus, & veneraturus.

N. Ibidem circa finem: *Me auctore Libros sacros* 6 *leget agricola, leget faber, leget latomus, legent & meretrices & lenones, denique legent &* Turcæ. *Si hos non submovit à sua voce* Christus, *nec ego submovebo eos ab illius libris.*

R. Ad hunc articulum non uno loco respondi. Cuperem audire solutionem argumentorum quæ illic adfero. Nec mihi constat ullum esse decretum Ecclesiæ, prohibens ne laici legant sacros Libros. Et si quod est factum, non est receptum usu populi, cum hactenus apud omnes Nationes aliquot sacra Volumina legantur versa in Linguam popularem, cum *Beghinæ* dicant preces suas & Psalterium Lingua vulgi, cum Deo dicatæ Virgines etiam Canticum amatorium legant canantque publicitus in Templis suis. Quod si qua constitutio pro tempore opposita est certorum hominum improbitati, ea non semper nec omnes obligat. Et hîc concedens lectionem laicis, prius stipulor piam mentem, adimo temeritatem judicandi, hortor ad audiendum, si detur vel mediocris doctoris copia. Cumque his alia multa propono, quæ si adsint, quid esse potest periculi? Sed de his, ut dixi, aliàs copiosè respondi.

N. Ibid.

Digitized by Google

7 N. Ibid. in fine: *Nec* Ezechielis *Prophetæ, nec Cantici Canticorum aut cujuſquam librorum Veteris Teſtamenti lectionem illi hominum interdixero.*

R. Ego plane non interdico, niſi interdicat auctoritas Eccleſiæ. Qui probabile hoc eſt illam interdicere, cum ſacræ Virgines, ut dixi, hæc publice legant ac decantent in Templis approbante Eccleſia. Nec ita concedo, ut lectione freti profiteantur ſcientiam Theologiæ, ſed addo: *Hoc certe finibus ceperint, quod inſtructiores ac paratiores venient ad Eccleſiaſticas conciones.* Nimirum hac de cauſa *Chryſoſtomus* hortatur populum ut domi legant Euangelium, quo docciliores veniant ad concionem. Et in Concilio *Nicæno* ſanctum eſt, *ne quis Chriſtianus careat ſacris Voluminibus.*

8 N. Pag. 2. circa med. *Non protinus arcendi ſunt à ſacris Libris idiotæ, ſi quis enortus fuerit, qui per hanc occaſionem prolapſus ſit in errores.*

R. Ita ſimpliciter mihi videtur, ſi modo adſint ea quæ ibidem commoniſtro. Si arcentur omnes idiotæ à ſacris Libris, quod aliquibus hinc data ſit errandi occaſio, arcebuntur & docti, quod pleræque hæreſes natæ ſunt à doctiſſimis, velut *Origeniſtarum* & *Arrianorum*. Et omnino ſi fas non eſt Libros ſacros attingi à laicis, cur paſſim excudunntur ac diſtrahuntur etiam *Lutetiæ?*

9 N. Pag. 3. initio: *Fere per totum perſuadere nititur* Eraſmus, *quod Litteras ſacras expediat transferri in omnium Nationum Linguas, inter cætera ſic dicens in initio illius paginæ.*

R. Non perſuadeo, ſed permitto, cum abeſt copia doctoris idonei: & his conditionibus permitto, quas illic refero & inculco. Et ſi ſuaderem, nihil video flagitii.

10 N. *Primo. Cur indecorum videatur, ſi quiſquam ſonet Euangelium de lingua qua natus eſt, & quam intelligit? Gallus Gallica, Britannus Britannica, &c. Secundo ſic, Mihi*, ait Eraſmus, *magis indecorum vel ridiculum potius videtur; quod idiotæ & mulierculæ pſittaci exemplo Pſalmos ſuos & precationem Dominicam Latine murmurant, cum ipſæ quod ſonant non intelligant.*

R. Hic non video quid offendat *Beddam*, niſi forte ſuſpicatur me ſentire Euangelium vulgata Lingua legendum in Templis, quod nuper quidam aggreſſi ſunt facere. Id olim fieri ſolitum conſtat, & tamen nulli perſuaſerim ut idem nunc faciat, niſi ex auctoritate publica & citra tumultum. Quibus modis ſi fiat, nihilo plus mali fuerit quam olim, cum promiſcua multitudo intelligeret linguam, qua ſacri Libri in Templis recitabantur. Quid decori ſit in mulierculis ſuos Pſalmos & preculas recitantibus Latine, cum ipſæ Latine prorſus neſciant, ego ſane non video, niſi alius oculatior commoniſtrarit,

11 N. Ibidem in medio: *Utrum Symbolum, quod Apoſtolorum dicitur, ab ipſis Apoſtolis proditum ſit neſcio.*

R. Videtur quidem hoc & olim vulgo jactatum, & hodie videmus in antiquis textis ac picturis expreſſum, & arbitror eſſe qui idem prodant hiſtoriis, quibus ego tamen nihilo plus tribuendum arbitror, quam Interpretum ſeptuaginta cellulis, Symbolum, quod nunc Apoſtolorum dicitur, ſic fuiſſe compoſitum, ut ſinguli Apoſtoli ſingulas attulerint ſententias. Id non videtur veriſimile, cum nec numerus articulorum ſit prorſus idem apud veteres orthodoxos, nec apud recentiores ſit eadem diſtinctio. Divus enim *Cyprianus* negat in Symbolo *Rom.* Eccleſiæ, ac ne Orientalium quidem additam hanc particulam, *deſcendit ad inferna*, nec additam in eo quod nunc poſt Euangelium canit Eccleſia, nec ipſe Symbolum recitans atque enarrans addit *ſanctorum communionem. Tertullianus* libro *de præſcriptionibus hæreticorum*, prætermittit, *remiſſionem peccatorum.* Idem adverſus *Praxeam* omittit & alia quædam. Jam & *Gerſon* indicat recentiores partitos Symbolum hoc in quatuordecim articulos: quod non conſiſtit, ſi ex ſingulis ſingulorum Apoſtolorum ſententiis conflatum eſt. Et tamen hanc partitionem *Gerſon* non damnat. Cæterum argumentum, quod *Gerſon* adfert ex etymologia nominis Symboli, quam ſit infirmum, ne dicam frivolum ac pudendum, facile perſpiciet, qui viderit, quibus modis *Cyprianus* Græce doctus interpretetur hanc vocem. Probabilius eſt quod narrat *Cyprianus*, Apoſtolos in varias provincias ſegregandos, ex mutua collatione condidiſſe hoc Symbolum, tametſi tale nihil attingat *Euſebius* Libro III. Capite 1. cum illic agat de Apoſtolis in varias Gentes digreſſuris. Probabile & illud, Symbolum hoc ſtatim ab initio Euangelii decucurriſſe, quemadmodum docet *Tertullianus.* Neque mihi dubium eſt, quin ea, quæ Symbolo continentur, ſint ab Apoſtolis profecta, de quorum veritate dubitare ſumma ſit impietas, cum Symbolum hoc nihil aliud ſit quam ſumma doctrinæ Euangelicæ, neque quicquam illic poſitum ſit, quod *Chriſtus* non vel docuerit, vel geſſerit, vel promiſerit. Proinde quemadmodum de ſingulorum ſingulis articulis dubito, ita hac in parte nihil addubito. Neque quicquam vetat *Apoſtolorum* dici *Symbolum*, quod ab Apoſtolis proditum non ſit: nam prodi dicitur quod ſcripto traditur. Sic Euangelium à *Matthæo* proditum dicitur, à *Thoma* proditum non dicitur, ſed prædicatum. Quin & *Chriſti Symbolum* dici poteſt, & *Euangelicum Symbolum*, quod ex *Chriſti* doctrina geſtiſque decerptum eſt, & cum Euangelio conſentiens: itidem & *Apoſtolicum* dici poteſt, quod ex Apoſtolorum doctrina conflatum. Hoc autem Symbolum ſcripto proditum ab Apoſtolis uſquam legimus, quod ſi factum fuiſſet, non reperiretur in eo varietas articulorum. Cæterum hanc formulam, quam habemus, à priſcis Conciliis ſcripto proditam eſſe, non videtur uſquequaque abſurda opinio. Et tamen verba, quibus offenſus videtur *Bedda*, non elevant auctoritatem Symboli, ſed defendunt adverſus eos, qui dubitant an hoc Symbolum ſit profectum ab Apoſtolis, quorum eſt *Laurentius Valla*: addo enim, *Certe majeſtatem ac puritatem Apoſtolicam præ ſe fert.* Siquidem hoc verbum *Neſcio*, non tam dubitantis eſt quam declinantis contentionem: veluti ſi quis ad hunc modum loquatur de eo, de cujus genere dubitaretur ab aliis: *An ex claris parentibus natus ſit neſcio, certe mores habet clariſſimis imaginibus dignos.* Proinde cupio videri proditum ab Apoſtolis, etiamſi id non poſſum evincere.

12 N. Ibidem. *Quid ſunt humanæ profeſſiones in diverſis ſcilicet Religionibus, niſi ſimulacra quædam profeſſionis quæ in baptiſmo fit.*

R. In baptiſmo profitemur in genere contemtum hujus mundi. Verùm quoniam plerique relabebantur ad amorem hujus mundi, nec Epiſcopis erat cura ſingulorum, inventa eſt profeſſio Virginum & Monachorum, qua ſe adſtringebant nominatim ad quædam quæ videbantur conducere ad ſervandum ea quæ profeſſi fuerant in baptiſmo. Adjungebant ſe conſortio eorum qui videbantur eſſe mundo mortui, ſubjiciebant ſe voluntati patris in quo relucebat ſpiritus *Chriſti*, nec tamen interim non ſuberant Epiſcopis. Sumebant veſtem fuſcam, ut vel ſic ſeſe excuſarent aulæ & cognatorum affectibus. Nonne hoc eſt velut inſtaurare baptiſmum? Quod ſi Monachi profeſſionem ſuam recte vocant velut alterum baptiſmum, quid ego pecco, ſi dixi ſimulacrum illius priſtinæ profeſſionis? Neſcio an *Bedda* ſuſpicetur *ſimulacrum* ſemper in malam accipi partem, veluti pro idolo, ſpectrove, & phantaſmate. Cæterum ſicut eſt imago fallax, qualis eſt quæ videtur in ſomnis aut in aquis, ita eſt imago non fallax, quomodo patris imago relucet in filio, cum tamen filius non ſit pater: ſic eſt & ſimulacrum mendax, & ſimulacrum verax. Itaque profeſſiones humanæ referunt quandam ſimilitudinem profeſſionis quæ fit in baptiſmo, cum tamen non ſit eadem per omnia. Nec obſtat ſi quid vovetur in profeſſione humana, quod in baptiſmo non ſit expreſſum, quo minus dicatur ſimulacrum & imago primæ

Digitized by Google

ſummæque profeſſionis. Frequenter enim qui imitatur exemplar, addit aliquid arti, nec tamen ideo non eſt imitator. Cæterum quid *Bedda* dicat *Religiones*, non ſatis intelligo. Inſtituta vitæ multa video palliaque diverſa, Religionem vero omnibus Chriſtianis communem agnoſco.

13 N. Pag. 3. circa medium: *Baptizati parvuli poſtquam ad pubertatem pervenerint, & in his communibus fidei articulis fuerint inſtructi, debent publice vocari & interrogari, ratum-ne habeant quod ſuſceptores nomine illorum polliciti ſunt in baptiſmo: ſi reſpondeant ſe ratum habere, tum publice renovetur illa profeſſio.*

R. *Debent vocari & interrogari*, verba *Beddæ* ſunt, non mea. Ego tantùm ajo mihi videri conducibile ad pietatem, ſi quod olim fieri ſolet in adultis catechumenis, nunc per Epiſcopos renovetur in his qui infantes baptizati ſunt. Hîc opinor nihil eſſe quod quenquam offendat, niſi forte putatur abſurdum, ſi ſua quiſque voce profiteatur intellectam *Chriſti* doctrinam, quam pro infantulo profeſſi ſunt ſuſceptores, frequenter nec ipſi intelligentes quod ſpondent.

14 N. Et paulo poſt: *Verùm hîc geminus exſiſtit ſcrupulus, primùm quod videatur iterari baptiſmus, id quod fas non eſt: deinde quod periculum ſit, ne quidam audita profeſſione non approbent quod geſtum eſt per vicarios.* Sequitur: *Prior ille facile diſcutitur, ſi hæc ſic gerantur, ut nihil aliud ſint quam inſtauratio priſtini baptiſmi, quod genus eſt cum aqua ſacra quotidie conſpergimur.*

R. Fortaſſis illud offendit quod indico duplex periculum: primum, ne videatur iterari baptiſmus, ſecundum, ne qui reſiliant ab iis quæ polliciti ſunt ſuſceptores, quaſi id innuam licere. Fortaſſis non placet *Beddæ* baptiſmi repetiti ſimulacrum. At cur non itidem offendit quotidiana ſacræ aquæ adſperſio? Vox profitentium, veſtis candida, fronti impreſſa crux non offendit, opinor, cur ſola offendit aqua? Non enim illis diceretur, *baptizo vos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ſed, *perſeverate in* Chriſto, *cui pridem dediſtis in baptiſmo nomen*, aut aliud huic ſimile. Nam mihi non placere baptiſmum iteratum, palam indicant illa mea, *Id quod fas non eſt*. Hoc meum conſilium ſi non placet, Epiſcopi poſſunt invenire melius aliquod. Nam his ſic indico ſenſum meum, ut illis in manu ſit facere quod videtur. Non enim permitto quibuslibet auctoritatem novandi ceremonias Eccleſiaſticas.

15 N. Ibid. *Poſterioris difficilior eſt ſolutio: ſed omnia tentanda ſunt, ne quis reſiliat a prima fide. Quod ſi non poteſt obtineri, fortaſſis expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui animo, donec reſipiſcat: nec ad aliam interim vocari pœnam, niſi ut ab Euchariſtia ſumenda reliquiſque ſacramentis arceatur. Caterùm nec à ſacris nec à concionibus excludatur.*

R. Idem reſpondere poſſum de hoc articulo quod de ſuperiore; tantùm propono diſcutiendum num expediat, dum ajo, *fortaſſis expediet*. Si non pugnat cum Religione Chriſtiana, neminem vi cogere ad profeſſionem Chriſtianiſmi, quod nec in *Judæis* facimus, (nec expediret opinor facere) quî magis adverſatur Religioni noſtræ, non compellere eum ad obligationem Chriſtianiſmi, cui non placet intellectus, quem alii pro ipſo infante ſpoponderunt? Et interim nihil non tentandum ne reſiliat. Quod ſi qui reſilirent, ſic ſinerentur inter nos vivere, quemadmodum vivunt *Judæi*, qui non arcentur ab Eccleſiaſticis concionibus: puniuntur tamen blaſphemiam jaculantes in nomen *Chriſti*. Hæc eo tendunt ut habeamus pure vereque Chriſtianos, potius quam coactos & hypocritas. Ad eam rem ſi quis habet melius conſilium, nolo meum æſtimari pilo. Nunc ſi quis reputet quanta ſit ruditas non dico ruri, ſed in mediis urbibus, quam innumeri ſint, quibus ne per ſomnum quidem unquam in mentem venit, quid ſpoponderint in baptiſmo, aut quid ſibi velit Symbolum, aut Precatio Dominica, non arbitrabitur hanc admonitionem meam omnino ſupervacaneam eſſe.

DE IPSA PARAPHRASI.

N. Pag. 1. E. *Quo homines veteris Legis per anxiam illius obſervantiam magis ad innocentiam & felicitatem contendebant, eo amplius vitiis & cupiditatibus involvebantur.* 16 Cap. I.

R. Hîc *Bedda* quod de multis in commune dictum eſt, ad unam Legem *Moſaicam* detorquet. Sic autem habent mea: Dum enim conor reddere cauſas quare Dominus aſſumto corpore tradiderit nobis Euangelium, loquor hunc in modum: *Univerſi tanto magis ſitientibus animis hanc vere ſalutiferam & efficacem Philoſophiam amplecterentur, poſteaquam comperiſſent ſeſe, neque per ea commoda præſidiaque, quæ mundus præcipua pollicetur, neque per tot Philoſophorum accurata dogmata, neque per tot religionum ſpecies, neque per* Moſaicæ *Legis anxiam obſervationem ad veram pietatem veramque felicitatem potuiſſe pertingere, imo hoc magis involvi vitiis & cupiditatibus, quo vehementius humanis freti præſidiis contenderent ad innocentiam ac felicitatem.* In hiſce verbis, quod dicitur de humanis præſidiis & de conatu in diverſum cadente, magis pertinet ad hujus mundi commoda, ad Philoſophos, & Gentium religiones quam ad *Moſi* Legem. Quanquam ad Legem quoque pertinet, ſi intelligamus de carnali Legis parte, quæ eſt in ceremoniis, umbris ac præceptis, quam ipſe *Paulus* vocat Legem iræ & mandatorum, & eo quod eſſet infirma imperfectaque neminem ad perfectum adducit, & per cujus opera nemo juſtificatur, ſed per quam tantùm fit cognitio peccati, ut ad *Rom.* III. iterum ad *Rom.* IV. rurſum ad *Corinth.* XV. ad *Epheſios* II. ad *Hebr.* VII. Hæc lex ſi juſtificat homines, fruſtra mortuus eſt *Chriſtus*, quemadmodum ſcribit *Paulus* ad *Galatas* II. Huic Legi quo magis fidebant *Judæi* carnales, quoniam ſpiritum Legis negligebant, hoc longius aberant à vera juſtitia. De hac Lege ſentire me, ſatis indicat, quod addidi, *anxiam obſervationem*. Carnalium enim eſt iſta trepidatio, qui carent robore fidei, & fiducia caritatis.

N. Pag. 8. A. *Chriſtus Hieroſolyma circumciſus eſt.* 17 Cap. I.

N. *Bethlehem* erat civitas vicina *Hieroſolymæ* diſtans ſex fere paſſuum millibus, hoc eſt, itinere fortaſſe duarum aut trium horarum, ut facile potuerit puer illuc perferri circumciſionis gratia. Cæterum quoniam non legimus certo ubi fuerit circumciſus, cum Euangeliſta nominatim exprimat eum juxta Legis præceptum exhibitum & purificatum *Hieroſolyma*, diſpunximus eam vocem, hac Editione.

N. Pag. 16. F. *Chriſtus ſolus omnium nulla peccati labe contactus fuit.* 18 Cap. III.

R. Hic locus ſi conjunctim legatur, nihil habet ſcrupuli. Solus enim fuit *Chriſtus*, qui nullo peccato inquinatus ſuſtulit peccata mundi. Et ſi disjunctim legas, non aliter loquor de *Chriſto*, quam Prophetæ vetereſque orthodoxi loquuti ſunt, quo ſenſu, non erat hujus loci diſputare. Porro cum ajo *nulla peccati labe contactus*, complector quicquid ullo modo affine eſt peccato, quæ formula continet & ſegnitiem humanam, & errorem, & humanum affectum quamvis levem, & ignorantiam, & imperfectum amorem Dei. An his omnibus perfecte quiſquam hominum præter *Chriſtum* caruerit neſcio. Quæ *Scotiſtæ* & *Thomiſtæ* diſceptant de conceptione ſanctiſſimæ Virginis, non fuit animus hîc attingere, cum tale nihil ex divinis Litteris demonſtrari poſſit, & ſi quid poteſt, ſacræ Litteræ magis ſtant à ſententia Veterum quam *Scotiſtarum*. De ſolo *Chriſto* pronuntiat *Paulus*, quod *peccatum non fecit*, ſolum *Chriſtum* deſignavit *agnus immaculatus*, & *Joanni* dicitur *agnus Dei*. Æquum eſt igitur ut mihi permittat *Bedda* de *Chriſto* loqui quemadmodum ſacræ Litteræ loquuntur, & has ſequuti veteres orthodoxi. Virginis matris, & ſi qui ſunt alii, privilegiis non obſto: manet enim illis incolumis ſua interpretatio.

N. Pag.

Digitized by Google

19 Cap. IV. N. Pag. 18. B. Christus *mox postquam à* Joanne *baptizatus est petit solitudinem, idque facit non hortatu cujusquam, sed suo ipsius Spiritu.*

R. Hîc non satis conjecto, quid offendat *Beddam*, nisi forte putat *Christum* non statim à baptismo petisse desertum. Ita tamen sonat narratio *Matthaei*, *Marci* & *Lucæ*. Nec enim offendit, opinor, quod negavi illum hæc facere cujusquam hortatu, sed proprii Spiritus impetu. De hortatu humano loquor.

20 Cap. IV. N. Sequitur: *Nam qui baptizatus est, jam exsuit affectus carnales, & factus regeneratione spiritualis, Spiritus Sancti ducitur & agitur arbitrio; non meminit* Bethlehem, *non repetit* Nazareth, *non redit ad matrem aut nutritium*, &c.

R. Misceo narrationem facti, cum exemplo quod nobis imitandum proponitur. *Christus* non habebat affectus quos exsueret, tamen factis suis docuit quid nobis esset faciendum. Ideoque hæc verba, *Qui baptizatus est jam exsuit affectus carnales*, non ad *Christum* pertinent, sed ad nos. Cæterum in his quæ sequuntur, *non meminit* Bethlehem, *non repetit* Nazareth, ex facto *Christi* indicavi allegoriam. Nec affirmo quod nunquam redierit, nec intelligo non licuisse redire, sed indico quid ille secessus nos docuerit. Idem facio in sermone sequenti, in quo similiter misceo narrationem cum allegoria.

21 Cap. IV. N. Ibidem F. Christus *inediam ad* 40. *usque diem produxit*, Danielem, Eliam & Mosen *referens, de* Daniele *enim hoc dicere error est.*

R. Hîc *Bedda* suspicari videtur, quod existimem *Danielem* continuasse jejunium diebus quadraginta, quod ego nec dixi, nec sensi, sed ideo mentionem *Danielis* admiscui, quod is quoque sex dierum jejunio ad mysteriorum cognitionem præparatus legitur; quod patet ex *Danielis* Cap. VII. & Cap. XIV. *In lacu jejunavit, Eductus è lacu vidit visiones.* Quin & usus Ecclesiasticus in Hymno Quadragesimali meminit *Danielis*, *Hoc* Moses *carus Deo*, &c. *Hoc* Eliam *per aera*, &c. *Hinc* Daniel *mysterium victor leonum viderat.* Et nos in Quadragesima dicimur imitari *Christum*, nec tamen continuamus jejunium 40. diebus quemadmodum ille.

22 Cap. V. N. Pag. 32. D. *Jam uxor esse desit mulier, quæ se miscuerit alteri viro.*

R. Hîc quid senserim satis liquet ex aliis locis. Uxor esse desiit, quæ indigna est uxoris nomine, & convictu mariti, imo digna est morte. Nec ideo marito jus facio ducendi alteram. Alioqui si uxoris habenda est loco, cur & hodie Ecclesia permittit divortii genus, cur ipse *Christus* permisit viro jus repudiandi? Sic negamus Christianos, qui parum Christiane vivunt, sic Dominus negat *Israelitas* esse filios *Abrahæ*, & eosdem Propheta vocat populum *Gomorræ*, non quod natura esset mutata, sed dignitas cognominis amissa. Nec hîc erat locus excutiendi quæstionem perplexam, de tota ratione divortii, quod facio in Annotationibus, præsertim in 1. *Corinth.* Cap. VII. Nec me fugit ab Interpretibus alias quasdam rationes adferri, verùm hanc posui quæ mihi præ cæteris placebat.

23 Cap. V. N. Pag. 33. A. *Apud* Judæos, *qui non interposito jurejurando fallit proximum, impunitus est.*

R. Non loquor de votis, de pactis, de contractibus, de blasphemia, deque calumnia, quæ suas habent leges; sed simplicem promittentis sermonem cum jurejurando confero. Jura *Romanorum* habent ex simplici promisso non nasci actionem. Opinor in similibus casibus idem fuisse jus apud *Hebræos*. Lex ut omne mendacium damnat, ita non omne punit. Ita damnavit & concupiscentiam alienæ rei, nec tamen punit, si nihil accedat: loquor autem de pœna corporali per homines infligenda. Veluti si quis dicat proximo, *Cave sis sollicitus, mea sunt tua*, isque fisus huic voci, cum largius vixerit, post egens petat ab illo subinde: hunc qui negarit, opinor, non puniet lex, punitura, si jusjurandum interposuisset promissor.

24 & 25 Cap. V. N. Ibidem: *Lex Euangelica prorsus damnat omne jusjurandum, aut exsecrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, & stipulanti fidem faciat.*

R. Hoc quod interpretor paraphrasi, palam loquitur *Christus*: & da mihi tales quales nos vult esse *Christus*, utique damnandum est quod ex malo proficiscitur. Non protinus damno jurantem, sed jusjurandum: quod ex alterutra parte ex malo venit. Cæterum ubicumque malum est, ibi est quod damnetur, hoc est improbetur. Hîc recitare varias commentariorum divinationes non erat Paraphrastæ. Quidam videntur esse solliciti ne pereat jusjurandum, cum jurantium & pejerantium plena sint omnia: quemadmodum metuunt, ne pereat nobis bellum. Esset nobis potius adversus ista clamandum.

26 N. Ibidem. D. *Non minus est Christianus simplici verbo nudoque obstrictus, quam* Judæus *per omnia sacra dejerans, nec aliter minus fidit, quam si jusjurandum interceßisset.*

R. Sic *Christus*, sic *Jacobus*: *sit sermo vester, est est, non non. Quod amplius est, à malo est.* Hæc verba an non sunt damnantis? Nec mihi putabam hîc laborandum, ut *Christi* sermonem ad Scholasticorum dogmata detorquerem, quas partes ipsis relinquo: in explicandis his, quæ docuit *Christus*, ago Paraphrasten. Qui sequitur perfectionem Euangelicam, nec temere promittit, nec minore fide præstat quod promisit, (si modo justum & pium est,) quam si jurasset, obsequens alterius diffidentiæ. De consiliis & præceptis non erat hîc meum definire, cùm hactenus de his nec inter Theologos satis conveniat. Nec tamen pronuntio damnari quisquis jurat, sed aberratum à perfectione Euangelica, ubicunque jusjurandum intercedit, quemadmodum omne bellum ex malo est. Inter vere Christianos nullum est bellum. Porro quod ajo Christianum, non minus obstrictum simplici verbo, non huc pertinet ut putem, æque peccare Christianum qui fallit simplici promisso, atque is qui fallit perjurio: sed vere perfecteque Christianum æque bona fide præstare quod promisit simplici verbo, ac si jusjurandum interceßisset. Perinde quasi dicas, fidum servum non minus adstrictum esse domino, quam qui compedibus in pistrino alligatus est, quod nihilo plus periculi sit de illo ne fugiat, quam de eo qui compedibus vinctus est. Id sensisse me declarat quod sequitur, *Nec alter minus fidit*, &c. Pone igitur duos æque Christianos, & utrumque perfectè Christianum: nec ei erit opus jurejurando, qui summa fide præstat quod nudo verbo promisit, nec ei qui non diffidit proximo, & simplex promissum habet pro jurejurando.

27 Cap. V. N. Ibidem: *Cum in totum vetem jurare, non abrogo legem, quæ vetat perjurium.*

R. Non video quid hîc offendat *Beddam*, nisi forte *vetandi* verbum. At talibus verbis usus est Dominus: *Ego autem dico vobis, omnino non jurate.* Solvisset autem Legem, si quod Lex prohibet permisisset: nunc perficit Legem, qui longius etiam submovet ab eo quod Lex damnat: quemadmodum de homicidio, convitio, & *Racha*. Noveram hunc locum quæstionibus scatere apud Theologos. In his torqueri, non arbitrabar esse officium Paraphrastæ. Simulque videbam futurum, ut si eas fuissem ingressus, Euangelicæ doctrinæ vigor refrigesceret. Verba Domini paraphrasticè exposui, interpretandi jus relinquens aliis.

28 Cap. V. N. Ibidem E. *Illud doceo vos, pro quamlibet atrocibus injuriis nullam omnino vindictam esse reposcendam, nec damnum damno, nec injuriam injuriæ retaliandam. Nec enim judex dicitur referre injuriam, cum punit nocentem, nec damno afficere, cum cogit reddere, qui mala fide possidet.*

R. De vindicandi animo loquor, non de legitima potestate puniendi. Qui jubet benefacere malefacientibus,

Digitized by Google

tibus, multo magis opinor abstineri vult à regerendo malo, juxta communem hominum consuetudinem. Nec me fugit, quosdam hunc locum sic interpretari, *Dictum est antiquis*, id est, sic interpretati sunt Pharisæi. Hanc interpretationem lubens amplectar, si cætera quoque consimili modo interpretemur. Nunc cum quod toties repetitur, *dictum est antiquis*, pertineat ad Legem, certe carnalem, quam vulgus sequebatur, cur hîc peculiarem sensum inducimus? Non hîc excutiam piam quorundam curiositatem, qui quicquid in Euangelio traditur, contendunt & in vetere Lege comprehensum fuisse: quanquam Dominus in eodem Capite dicit se venisse, non ut destruat Legem, sed ut impleat. Quis autem dicitur supplere cui nihil deest? Sed donemus *Christum* nihil aliud quam vigorem Legis explicuisse; certe littera Legis, (nam de hac loquor) cum jubet diligi proximum hoc est, cognatum aut bene meritum, (sic enim Dominus interpretatur in Euangelio) tacite permittere videtur odium inimici: alioqui dixisset, *diliges omnem hominem, neque quemquam habebis odio.* Neque dico quod Lex probaverit odium inimici, sed permiserit nationi vindici, ut in hos potius evomeret suam malitiam, quam in cognatos & amicos. Certe *allophylorum* odium præcipit etiam Lex. Sic & talionis exactio permissa est, ne si vindictæ modus permissus esset animo læsi, in immanem atrocitatem exiret ultio.

29 N. Pag. 34. C. *Lex dicit:* Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum: *& sic permittit male velle his qui nos laduni.*

R. De crassa Legis parte loquor quam sequebatur multitudo; ea permittere videtur quæ non punit. Sic & hodie interpretantur *Judæi*, & olim interpretabantur Pharisæi. Nec refert, sive hæc referas ad Legis corticem, quem sequebantur *Judæi*, an ad interpretationem Pharisæorum vim Legis ignorantium: sive *Christus* addere dicatur veteri Legi, sive explicare vim Legis.

30 Cap. VI. N. Pag. 36. D.E. *Deus vult rogari, ut excitetur nostra pietate ad præstandum quod non merentur accipere segnes.*

R. Hîc prorsus nequeo conjectare quid offendat, nisi forte Deus non est præscius quid nobis expediat, aut nisi segnes digni sunt beneficiis Dei. Quod hic dico, scribit *Augustinus* in libello *De modo orandi Deum*, scribit *Chrysostomus*, & quis non? Neque enim arbitror *Beddam* offendi verbo *excitandi*, quasi sentiam Deum nonnunquam obdormiscere. Deus simili tropo excitatur, quo miserescit, placatur, irascitur, furit, avertit faciem, ostendit vultum. Quibus tropis cum undique scateat Scriptura divina non hoc opinor, sentit *Bedda*, nobis in totum abstinendum.

31 Cap. VII. N. Pag. 47. D. *Lex nihil aliud vetat quam occidere*, Jesus *exigebat ut nec irascerentur fratri.*

R. Intellige de Lege carnaliter intellecta, & nihil erit incommodi, si sermonem interpretere de materia proposita. Tribus gradibus pervenitur ad homicidium. Primus est ira, secundus est *racha*, tertius est convitium. Crassus igitur *Judæus* existimabat se satisfeciisse Legi, si tantum abstineret ab homicidio, aut ab iis quæ homicidio conjuncta sunt, qualia sunt, ferire, vulnerare.

32 Cap. X. N. Pag. 59. A. *Quinto loco nomina Apostolorum erant* Jacobus Alphæi *filius una cum* Juda Jacobi *filio, qui* Lebbæus *sive* Thaddæus *dictus est.*

R. Hîc *Bedda* recte conjectat calami lapsum esse, *filium* esse positum pro *fratre*. Etenim si sensissem, *Judam* hunc esse *filium Jacobi*, super ea re nonnihil annotassem: nunc verbum nullum facio. Itaque pro hoc officio gratiam habeo monitori, & vox ea hac Editione mutata est. Ac verum quidem est *Judam* in titulo Epistolæ suæ se vocare *fratrem Jacobi.* Cæterum non memini in Litteris sacris ad eum modum addi cognomen fratris, sed patris duntaxat aut mariti. Ast apud *Lucam* Capite VI. *Judas hic dicitur Judas Jacobi.* Certe nec *Chrysostomus*, nec *Theophylactus*, cum admoneant illum *Judam Jacobi* dici, addunt illum fuisse *Jacobi fratrem.* Sed ne quis existimet hîc nos velle digladiari, pro filio fratrem restituimus.

33 Cap. XIII. N. Pag. 80. E. *Deus non vult Pseudoapostolos & Haresiarchas exstingui, sed tolerari, si forte resipiscant, & ex zizaniis vertantur in triticum: Et si non resipiscant serventur suo Judici, cui pœnas dabunt aliquando.*

R. Hæc verba sic refert *Bedda* quasi dicantur à me, & ad hæc tempora pertineant. Imo dicuntur à *Christo* ad Apostolos. Non adimo jus gladii Principibus, nec Episcopis suam ditionem: tantum explano paraphrasi, quod aperte dicit Euangelium, & quemadmodum explano, ante me interpretatus est divus *Chrysostomus*, cujus verba utcunque versa subscribam: *Nam si trucidarentur*, inquit, *hæretici, absque fœdere pacis atque induciis bellum Orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit, altera quia frumentis parum nocent, altera quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare si punire eos vultis, & frumentis nequaquam officere, oportunitas temporis congrua vobis exspectanda.* Hactenus *Chrysostomus.* Hic locus Euangelii palam jubet relinqui zizania. Apud *Paulum* lego, coarguendos esse hæreticos, & post unam aut alteram correptionem devitandos: Lego Pseudo Apostolos sic à *Paulo* toleratos, ut nec anathematis fulmen in eos torserit, quemadmodum fecit in nonnullos: video *Origenem, Hieronymum, Hilarium, Cyprianum*, argumentis & libris pugnasse cum hæreticis, *Augustinum* video etiam apud Cæsareos Præfectos intercessisse, ne sceleratissimi *Donatistæ* occiderentur, ne non essent, qui sanari possent. Et quid nunc fiat videmus, & quantum proficiamus res indicat. Ego nec occidentes, nec occisos judico, Domino suo stant aut cadunt. Quod si quis habet meliorem interpretationem quam habet *Chrysostomus*, eam non excludit mea paraphrasis, quæ nihil aliud est quam textus explanatior. Certe olim Apostolis interdictum erat, ne se gladiis defenderent adversus repugnantes. Hoc quemadmodum tempore mutatum est, fortassis & illud mutatum de tolerandis hæreticis.

34 Cap. XVI. N. Pag. 92. E. *Petrus dicens Christo*, Tu es Christus Filius Dei vivi, *certa & indubitata sententia professus est illum esse Messiam à Prophetis promissum singulari quodam amore Filium Dei.*

R. Opinor nec *Beddam* hîc fugisse typographorum errorem, *amore* positum pro *more*, quod satis arguit vel ipsa sermonis forma, vel eorum quæ præcedunt ac sequuntur congruentia. Etenim si sensissem de amore Filii in Patrem aut Patris in Filium, aut addidissem *amantis* aut *amati* vocabulum, aut si voluissem absolute loqui, dixissem, *singulari quadam caritate Filium Dei*, & hoc si suo loco dictum fuisset, veluti cum Pater dicit: *Hic est Filius meus dilectus*, nihil erat absurdi. Hîc exprimebam vim articuli ὁ υἱός. Omnes enim pii dicuntur υἱοὶ Θεοῦ, sed ille est ὁ υἱός, id est, eximius, & peculiari quadam ratione Filius. Adduntur autem hoc loco tres articuli, ὁ Χριστὸς, ut distinguat hunc à reliquis unctis, ὁ υἱὸς ut discernat à reliquis filiis, ὁ Θεοῦ, ut excludat Gentium Deos. Jam Editio prior, quæ paginis & formis minutioribus prodita est, habet *singulari more*: priori adfui, huic non adfui. Et si maxime adfuissem, non possunt undiquaque vitari tales lapsus, etiamsi *Argum* adhibeas. Nondum tamen video quid hîc suspicetur *Bedda*. Etenim cum meæ lucubrationes innumeris locis ingenue profiteantur divinam in *Christo* naturam, & æqualitatem cum Patre, non arbitror illum suspicatum hîc subesse aliquid impietatis *Arriana*. Præfatus erat, se solum Dei timorem præ oculis habere: cæterum alia quædam nubes videtur hîc oculis illius obversata.

35 Cap. XIX. N. Pag. 103. D. Quisquis uxorem dimiserit & duxerit aliam, adulterium committit: *nisi forte quam repudiat,*

Digitized by Google

pudiat, adulterio commeruit repudium. Sequitur: *Nam quæ alteri viro ſui fecit copiam, jam uxor eſſe deſiit.*

R. Quid hîc pecco, ſi Paraphraſtæ fungens officio hoc explico, quod habet ſermo Euangelicus? Verba *Matthæi* ſunt hæc: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Hæc explano: Nec enim erat meum hîc tractare quæſtiones perplexas, unde nec S. *Auguſtinus* ſe ſatis explicat. Aliorum interpretationes mea paraphraſis non excludit, & aliquod repudium nec hodie damnat Eccleſia. Porro quod ſequitur, *Nam quæ alteri viro ſui fecit copiam, jam uxor eſſe deſiit*, non facio libertatem viro ducendi alteram, ſed oſtendo adulteram eſſe indignam convictu mariti. Id apertius explico in *Marci* Cap. x. his verbis: *Uxor enim quæ ſui corporis copiam fecit alteri, jam etiam ſi non repudietur, deſiit eſſe uxor: & maritus qui ſui corporis copiam fecit alienæ, jam ante divortium maritus eſſe deſiit.* Uxor non eſſe dicitur, quæ indigna eſt uxoris nomine, quemadmodum Chriſtianus impie vivens dicitur non eſſe Chriſtianus.

36 Cap. XIX. N. Ibidem F. *Auctore* Chriſto *non eſt tutum vitare matrimonium, niſi ſi quis ita ſit firmo animo, ut poſſit in totum temperare à coitu. Perpauci autem ſunt qui poſſunt, quia hoc quorundam vires excedit humanas.*

R. Hîc prorſus nequeo conjectare quid offenderit *Beddam.* Si infirmis & qui ſe non continent tutum eſt vitare matrimonium, non recte conſulit his *Paulus* ut jungantur matrimonio. Perpauci autem ſunt, ſi conferas ad numerum incontinentium. Porro quod adjecit, *quia hoc quorundam vires excedit humanas*, unde hauſerit *Bedda* neſcio: Certe in meo codice non reperio. Et tamen ſi eſſet, nihil video periculi, niſi forte dicendum erat neminem eſſe continentem humanis viribus. Atqui apud Ethnicos multi continuerunt humanis viribus: & ſunt quidam vel abhorrentes à coitu, vel ita leviter prurientes, ut facile temperent à coitu. Quid hîc ſomniaverit *Bedda* neſcio. Ego certe ne cogitavi quidem de conjugio Sacerdotum aut Monachorum, cum hæc ſcriberem. Siquidem *Chriſtum* facio loquentem diſcipulis, non ipſe loquor Monachis horum temporum.

37 Cap. XIX. N. Pag. 105. A. *Nullum eſt opus hominis ita bonum, ut mereatur præmium æternæ vitæ.*

R. Hîc meus ſermo non tollit omne meritum hominis nec omne opus bonum, ſed excludit æqualitatem humanorum operum cum præmio vitæ cœleſtis. Nec obſto quo minus valeat Scholaſtica diſtinctio *de congruo* & *de condigno.*

38 Cap. XIX. N. Ibidem. B. *Adoleſcens qui Matthæi* XIX. *à Chriſto quæſivit*, Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam, *audiverat illum docentem, præcepta Legis* Moſaicæ *non eſſe ſatis ad conſequendum regnum cœlorum.*

R. De craſſioribus Legis præceptis intelligo, de quibus ante diſſeruerat Dominus, *non occides, non furaberis, non mœchaberis*, & his carnaliter intellectis. Ea non arbitror fuiſſe ſatis ad conſequendum regnum cœlorum.

N. Pag. 110. B. *Ideo veni*, ait Chriſtus, *ut omnium commodis ſubſerviam, adeo ut nec vitam graver impendere, quo jactura unius animæ multas redimam.*

R. In Sacris Litteris novum non eſt *animam* poni pro vita corporis. Inde illa: *Qui perdiderit animam ſuam inveniet eam.* Et *animam meam pono pro ovibus meis.* Nihil igitur impium in his verbis, *jactura unius animæ*, nec eſt neceſſe ut in proxima parte ſimili modo ſumatur *animæ* vocabulum, *multas redimam.* Satis eſt quod unius morte, multis vita eſt reſtituta.

40 Cap. XXIV. N. Pag. 127. A. *Diem & horam ultimi judicii nec ipſe filius hominis novit: hoc ſibi ſoli ſervavit Pater.*

R. Ad hoc jam ante reſponſum eſt. Explano verba *Chriſti*, ſalvo jure interpretandi iis qui velint.

A N. Ibidem. B. *Non enim opus aut locus aut vitæ genus beabit hominem, ſed affectus.* 41 Cap. XXIV.

R. Adfero meam allegoriam de lecto, domo, agro, & molentibus. Si opus abſque affectu beat hominem, faceſſat allegoria: Si locus confert ſalutem homini, perperam dixi. Si vitæ genus, hoc eſt inſtitutum, quod genus eſt matrimonium, cœlibatus, aut Sacerdotium, beat hominem abſque affectu, fateor errorem. At ſi hoc dicere ſit abſurdum, non queo ſuſpicari quid *Beddam* offendat.

N. Pag. 131. Chriſtus *ſolus omnium à peccatorum maculis fuit immunis.* 42 Cap. XXIV.

R. Ad hoc quoniam alias reſpondimus, non eſt cur hîc repetamus.

B N. Pag. 134. D. *Adveniet* Chriſtus *in die judicii non jam Servator ſed Judex, & quo ad hujus termini uſum ſcilicet, ſervare, ſervator, ſervat, ſervabit, per totum videtur errare* Eraſmus, *recte ponderatis ſententiis textuum.* 43

R. Cum *Servator* idem ſignificet quod *Salvator*, *ſervare* idem quod *ſalvare*, quoniam *ſervator* eſt apud idoneos auctores, *ſalvator* non item, docti maluerunt ſervatorem quam ſalvatorem. *Servator* enim proprie Latinis dicitur, qui in diſcrimine confert ſalutem. Sic olim Principibus qui liberaſſent provinciam aut patriam ab exitio, erecta Statua aut poſita Columna, honorabantur apud Græcos, titulo σωτῆρος, apud Latinos *ſervatoris.* Inde & *ſervorum* vocabulum, quod in bello ſervati eſſent, cum jure potuerint occidi. Si C hæc interpretatio non quadrat ad ſenſum ſermonis Euangelici, perperam ſum uſus hoc vocabulo: aut ſi *Chriſtus* ſecundo adventu, liberabit impios à periculo gehennæ, verum eſt & tum illum fore ſervatorem. Ut à *ſano* dicitur *ſanare*, ita vellem & à *ſalvo* dici *ſalvare.* Porro *ſervatorem* pro *ſalvatore*, nec primus dixi nec ſolus. Invenitur *ſervatoris* vocabulum apud orthodoxos Scriptores: certe σωτῆρα nemo Veterum aliter vertit quam ſervatorem. Et apud Comicum parturientes clamant: *Serva obſecro*, non *ſalva.* Quid *Bedda* ſignificet *ſervator*, & *ſervare*, non queo divinare.

N. Pag. 135. C. Chriſtus *non auſus eſt octo ex Apoſtolis velut imbecilliores, agnis teſtes facere, ne deficerent animis: ſed tres duntaxat ſecum adſumit*, Petrum, *ac duos filios* Zebedæi, *ut quos in monte ſpectatores adhibuerat ſuæ majeſtatis, nunc teſtes haberet extremæ imbecillitatis humanæ.* 44 Cap. XXVI.

R. Hîc non video quid offendat *Beddam:* niſi forte tropus ſermonis, *non auſus eſt*, pro eo quod eſt, *noluit timens illorum imbecillitati.* Alioqui quod dico ſumtum eſt ex *Chryſoſtomo*, cujus verba ſubſcribam: *Quamobrem alios non ſecum accepit? Ne laberentur & caderent. Illos autem ſolos elegit, qui gloriam ejus in monte viderant: quos tamen etiam dimiſit, & paulum progreſſus oravit.*

N. Pag. 143. B. *Cæteris mulieribus digreſſis à loco ſepulchri* Jeſu, *perſeveraverunt illic duæ* Maria Magdalene, *& altera quædam, ſedentes è regione ſepulchri, & exſpectantes quod promiſerat Dominus, ſe revicturum.* 45 Cap. XXVII.

R. Et hîc divinandum quid offendat *Beddam.* Complures fuiſſe mulieres quæ procul ſpectarant Domini mortem narrat Euangeliſta. Duas tantum indicat manſiſſe ſpectatrices ſepulturæ. Hîc opinor nihil eſſe ſcrupuli. Cæterum illud opinor offendit quod ſcripſeram, eas exſpectare reſurrectionem. Somnus quidem ac torpor occuparat animos illarum, & ſic deſperabant ut tamen amarent, optarentque verum eſſe quod ille promiſerat. Ita non in totum abjecerant ſpem, ſed dormiebat in illis ſpes. Et ideo locum annotarunt non ſolum ut ungerent, verum etiam ut experirentur, an præſtaret hoc quod promiſerat. Hic ſenſus ni fallor, nihil habet impium. Et tamen hic quoque locus à nobis correctus eſt.

FINIS MATTHAEI.

Digitized by Google

EXCERPTA EX EPISTOLA IN PARAPHRASES EPISTOLARVM &c.

EX PRAEFATIONE.

1 N. Pag. 771. lin. 10. 11. *Cum ſcriberet Apoſtolus* Romanis *rudibus, & nuper* Chriſto *initiatis, myſteria quædam magis attigit, quam tractavit, & indicavit verius quam explicuit, videlicet tempori ſerviens.*

R. Hanc vocem, *Romanis*, *Bedda* de ſuo addidit. Nam *Romæ* erant variæ nationes: & hanc Epiſtolam ſciebat non à *Romanis* tantum legendam. Et tamen ſi proprie de *Romanis* loquutus fuiſſem, nihil erat erroris. Quod autem dico de myſteriis attactis magis quam explicatis, multo pluribus verbis idem dicit *Hieronymus*, in commentariis quos vertit ex *Origene*. Et ipſe *Paulus* audivit arcana quæ non licet homini loqui, & habet arcanam ſapientiam, quam loquitur inter perfectos, & habet lac quo paſcit infirmos, & fit omnia omnibus, ut omnes lucrifaciat *Chriſto*. Et apud *Athenienſes Jeſum* virum nominat, non Deum. Nimirum hoc erat ſervire tempori: quemadmodum & Dominus ipſe in prima legatione mandat Apoſtolis, ut prædicent inſtare regnum Dei, taceant autem quod ipſe eſſet Meſſias. Obſecro, quid hîc eſt impietatis?

2 N. Ibid. lin. 28. 29. *Multos antehac ab lectione* Pauli *alienavit tum ſermonis peregrinitas tum explicationis, tum rerum difficultas, quorum vel faſtidio vel deſperationi hac noſtra induſtria ſtuduimus ſuccurrere, ita negotium temperantes, ut ei qui nolit quicquam in Sacris Litteris immutari, commentarii vice ſit futurum. Rurſum ei qui vacet hujuſmodi ſuperſtitione,* Paulus *ipſe loqui videatur.*

R. Hîc *Bedda* primum mutavit mea verba: deinde quod erat plauſibile omiſit, connectens quæ calumniæ paterent. Sic enim habet locus: *Compertum enim habeo, quam multos antehac ſermonis peregrinitas, quanto plures tum explicationis tum rerum difficultas, alienarit ab ejus lectione. Quanquam à tam eximio fructu non oportebat ullis incommodis deterreri. Horum igitur vel faſtidio*, &c. Si quis *Paulum* Græce legat, ſentiet peregrinitatem ſermonis, hoc eſt Hebraiſmum. Si quis legat illum verſum, aliquanto plus ſentiet incommoditatis. Si quis legat commentarios Veterum ac Recentium, fatebitur ſummam eſſe difficultatem quæſtionum. Nec arbitror res eſſe faciles quas ibi tractat *Paulus:* alioqui non recte *Petrus* ſcripſit, à Paulo ſcripta quædam difficilia intellectu: Si nihil harum difficultatum ſentiunt Theologi, mea nihil refert, ſatis eſt quod Eruditi litteris ad me ſuis hoc fatentur, ſe ob has cauſas ſemper abhorruiſſe à lectione *Pauli*. At non debebant. Idem ego fateor, & tamen illorum imbecillitati ſuccurro. Hactenus igitur nihil eſt impium: cæterum quod addo, placat utramque partem. Si quis nolit quicquam immutari in ſermone Scripturæ divinæ, putet meam paraphraſim commentarium eſſe, non textum. Qui non anxie curat de verbis, modo ſit eadem ſententia, putet ſic explanatius fuſiuſque loqui *Paulum*. Simile quiddam notarat ex præfatione in Paraphraſim *Lucæ*, cui loco reſpondimus.

3 N. Pag. 775. lin. 10. 11. *Jacobus minor Chriſti Apoſtolus, tametſi prius Act. Cap.* XV. *Gentes Legis onere propemodum liberaſſet, eſſe tamen in hac ſententia videtur Act.* C. XXI. *ut putaret à Judæis exigendam eſſe.*

R. Primum, hæc verba, *Jacobus minor Chriſti Apoſtolus*, *Bedda* de ſuo addidit, quo res eſſet atrocior. Non enim hîc diſputo quis fuerit *Jacobus*. Deinde omiſit quæ depellunt calumniam. Addo enim quod non recitavit *Bedda*, nimirum hoc: *Vel in hoc ut placarentur ii, qui nondum ſic profecerant in Euangelica veritate, ut poſſent omnino patrios ritus contemnere.* Quid autem mirum ſi hoc viſum eſt *Jacobo*, cum idem Gentibus aliquam Legis partem impoſuerit, ne offenderet *Judæos*; cum *Petrus* non auſus ſit congredi cum Centurione; cum illi placandum fuerit murmur fratrum, quod Centurionis familiam baptizaſſet; cum *Paulus* coactus ſit circumcidere *Timotheum*; cum *Petrus* ſubduxerit ſe à convivio; cum *Paulus* ſuſceperit votum tonſo capite. Non dico *Jacobo* viſum, Legis obſervationem eſſe neceſſariam Gentibus, ac ne *Judæis* quidem, ad ſalutem, ſed pro tempore vitandum infirmorum offendiculum. In hoc caſu nonnunquam neceſſarium eſt abſtinere ab iis quæ per ſe maxime conceſſa ſunt, & facere quæ nulla lex præcipit. Nec tamen hîc quicquam aſſevero: ſed utor his verbis, *videtur*, & *opinor*.

4 N. Pag. 777. lin. 14. 15. *Utilitatem Epiſtolæ* Pauli *ad* Romanos *æquat ac pene ſuperat difficultas, tum quia non alibi eſt ſermonis ordo confuſior, nonnunquam oratio hyperbatis magis hiulca, nonnunquam anantapodotis orationis inabſoluta. Utrum hæc difficultas interpreti aut ſcribæ* Tertio *ſit attribuenda, an ipſi* Paulo, *aliorum eſto judicium. Ipſe ſane* Paulus *agnoſcit ſermonis imperitiam, licet rerum inſcitiam deprecetur.*

Ibidem. lin. 27. & ſeqq. *Alteram*, *ait* Eraſmus, *difficultatis cauſam arbitror, quod ob rerum inexplicabilium obſcuritatem, non alia ſit crebrioribus impedita ſalebris, aut altioribus interrupta voraginibus: Adeo, ut ipſe relicto quod inſtituerat, exclamare cogatur:* O altitudo divitiarum &c. Sequitur: *Quid? quod quædam myſteria prudens ſic attingit, ut ceu per tranſennam duntaxat oſtendat, pro temporum illorum ratione.*

R. Hîc totum ſermonem meum *Bedda* depravavit, qua de re tamen non expoſtulabo, cum ſciam hoc illum rejecturum in ſcribam ſuum. Alioqui mea verba ſic habent: *Sed utilitatem hujus Epiſtolæ æquat ac pene ſuperat difficultas: idque mihi tribus potiſſimum de cauſis accidere videtur, ſive quod non alibi ſermonis ordo confuſior, nuſquam oratio hyperbatis magis hiulca, nuſquam anantapodotis crebrius inabſoluta.* Utrum hoc vult videri falſum *Bedda* quod dixi, an contumelioſum in *Paulum*? Verum eſſe cum res ipſa clamitat, tum interpretes fatentur, ſed præſertim *Origenes*, ſive malis *Hieronymus*, multum ſudantes in his difficultatibus explicandis. Si quis quærat exemplum unum è multis, legat quæ ſcribit *Hieronymus* in IX. Capitis eum locum, *Quod ſi Deus volens oſtendere iram*. Rurſum quæ ſcribit in locum, *An neſcitis quia cui exhibetis vos*, &c. Porro quod ad contumeliam attinet, ego facio liberum, ut hoc quicquid eſt incommodi, vel interpreti Latino, vel ſcribæ *Tertio* imputetur. Quanquam quæ tandem contumelia eſt in Apoſtolos, ſi tribuamus ei ſermonis imperitiam, quam ipſe *Paulus* agnoſcit? Et ſic expediebat ad *Chriſti* gloriam, ut virtute Spiritus, non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, Euangelium prædicaretur. Notat & hoc quod dixeram, *Paulum* coactum exclamare: *O altitudo divitiarum!* Atqui *Hieronymus* in hunc locum auſus eſt dicere, non ſolum *Paulum* inveſtigare non potuiſſe hujus myſterii profunditatem, ſed ne creaturam quidem ullam: ſolum enim Filium & Spiritum Sanctum noſſe arcana Conſilii Paterni. Relegat locum, & ſic eſſe reperiet. Nec uno tantum loco hæc ſententia repetitur in Sacris Voluminibus & Orthodoxorum ſcriptis. Jam quod addo Myſteriis quibuſdam tantum attactis, ac ceu per tranſennam oſtenſis, hoc ipſum multis verbis inculcat *Hieronymus* in hujus Epiſtolæ commentariis, conferens illum homini, qui deducit hoſpitem per ædes opulenti, *quædam celans, quædam aperiens, quædam oſtendens tantum, non explicans*, &c. Si omnia patent in *Paulo*, ſi nihil eſt occultum, ambiguum, aut perplexum, ego cum doctiſſimis Veterum erravi.

DE

DE IPSA PARAPHRASI AD ROMANOS.

5 Cap. V. N. Pag. 793. B. *Malum à principe generis humani ortum, in universam posteritatem dimanavit, dum nemo non imitatur primi parentis exemplum.*

R. Fortasse suspicatur me tollere peccatum originis, quod secus esse, declaravi pridem, respondens *Lei* calumniæ, 137.

Quod autem hunc locum interpretatus sum de peccato actionis, sequutus sum *Hieronymum* aut *Origenem*, nisi quod *Hieronymus* immutatis permultis, suum quoddammodo fecit quod vertit: qui cum referat utramque interpretationem, tamen magis hæret illi, quam ego hîc sequor. Sequutus sum *Ambrosium*, cujus in hunc locum verba sunt: *Hoc est, sicuti per unius delictum omnes condemnationem meruerunt similiter peccantes, ita & justitia unius omnes justificabuntur credentes.* Ad eundem modum interpretatur *Theophylactus*, haud dubium quin veteres Orthodoxos sequutus. Nec erat meum hîc excipere paucos; cum prærogativa paucorum non officiat sententiæ generali, & quos hîc *Paulus* dicit *omnes*, post dicat *multos*, sive, ut *Ambrosius* legit, *plurimos*. Nam πολλοὺς Græci dicere solent, cum vulgus hominum significant. *Per* Adam *pereunt omnes:* non simpliciter omnes, sed qui illum imitantur: *per* Christum *justificantur omnes*, non simpliciter omnes, sed qui illi credunt.

6 Cap. V. N. Pag. 794. C. Adam *dum non obtemperat præcepto Dei, plurimos traxit in peccatum, avitæ transgressionis imitatores.*

R. Jam ad hunc articulum eadem opera puto respondum.

7 Cap. VI. N. Pag. 796. B. *Jam non estis obnoxii Legi: quæ cupiditates irritabat potius quam coercebat.*

R. Lex absque gratia magis provocat ad peccandi libidinem. Porro quem ducit gratia, non constringitur lege: nec ideo vitat peccatum quod timeat pœnam, nec ideo tantum facit bonum quod speret præmium, sed ultro volensque facit quod pium est, non ob aliud, nisi quia pium est. Si nulla esset mali concupiscentia, non opus esset legis repagulo. At in hoc statu est, quem agit Dei Spiritus. Ita *Paulus* 1. ad *Timoth.* 1. *Justo non est lex posita.* Hîc nihil erat difficultatis, si *Bedda* addidisset quæ sequuntur eodem in loco, videlicet hæc: *Verum absit interim, ut quis hæc ita interpretetur, ut quoniam dixi vos liberos à lege, existimetis sublata lege impune peccandum, aut Dei gratiam, quæ pristina delicta condonavit, pariter & in posterum delinquendi indulsisse impunitatem.* Certe *Pauli* verba sunt: *Non enim sub lege estis sed sub gratia.* Hoc dictum ut interpretor, interpretantur cum alii Doctores, tum ipse *Ambrosius*. Inspiciat qui volet locum, & ita esse comperiet. Quomodo autem coguntur præcepto, qui afflati gratia volentes plus præstant, quam Lex exigat *Mosaica*? Nam de hac illic agitur non de Episcoporum constitutionibus, quas cum aliis locis, tum in libello *De esu carnium*, ingenue fateor aliquando esse necessarias, tantum abest ut condemnem, haud enim scio an hoc suspicetur *Bedda*.

8 Cap. VI. N. Pag. 797. D. *His qui Deo serviunt, non ut merces debita, sed ut beneficium à propitio patre, reponitur immortalitas.*

R. Ubi merces debita solvitur operario, neuter alteri debet gratiam. Hoc opinor absurde dici de præmio vitæ cœlestis. Certe *Augustinus* non veretur dicere, quod Deus sua dona coronat in nobis. Si quid *Lutherani* docent de meritis, mea nihil refert, & Scholasticorum (ut dixi) distinctiones de congruo & condigno mea paraphrasis non excludit. Interpretor verba *Pauli*, qui fructum vocat non mercedem. Et addit, *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Si vita æterna est merces simpliciter debita, non recte dixit *Paulus:* perperam ita scripsit *Ambrosius, & hoc donum à Patre per Christum nobis datum Dominum nostrum testatur, ut Deo Patri gratias per nullum alterum nisi per suum Filium agamus.* Hæc *Ambr.* Ego *Pauli* verba sequutus, nomino patrem propitium, & excludo conductorem, & gratiam appello beneficium, excludens mercedis vocabulum. Non quod nesciam mercedis vocabulum inveniri in Sacris Litteris, sed ea retuli, quæ congruebant huic loco. Et hîc *Bedda* omisit aliquot mea verba, *Contra qui Deo serviunt pro sua virili.* Nam his verbis significo cultum nostrum esse imperfectum, cum merces sit immensa.

9 Cap. VIII. N. Pag. 800. F. *Lex* Mosi *quatenus carnalis est inefficax est, nec liberare poterat à lege peccati.*

Ibidem. *In una* Mosi *Lege ceu duæ leges sunt, altera crassa & carnalis, altera spiritualis, prior illa legis pars habet* Mosen *auctorem.*

R. Idem quod *Paulus* scripsit explanatius dico. Sic *Paulus*: *Nam quod impossibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem, Deus* &c. Quod *Paulus* dicit *impossibile*, ego dico *non poterat*: quod ille *in quo infirmabatur per carnem*, ego *quatenus carnalis est, inefficax est.* Porro quod *Mosi* Legem (docendi gratia) divido quodammodo in duas leges, ante diligenter docuit S. *Hieronymus*, aut *Origenes* ab hoc versus & emendatus. Nec multum abhorrent ab hoc sensu *Ambrosius* ac *Theophylactus.* Infirmabatur in nobis, quia non aderat gratia, & hanc legem voco carnalem. Quod si quem offendit hic sermo, *lex infirmatur* & *lex inefficax est*, idem offendi debet *Pauli* verbis ad *Hebr.* VII. *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Si quem movet quod legem appello carnalem, fecit idem inibi *Paulus. Qui non secundum legem mandati carnalis factus est.* Et haud scio an illud offendat *Beddam*, quod *Mosen* appello Legis auctorem. Atqui meminisse debebat hanc Legis divisionem esse imaginariam, docendi gratia propositam. Sic enim facio duas leges ex una, quemadmodum juxta *Paulum* duos homines ex uno. Et cum una sit lex, ac totius legis auctor sit Deus, tamen explicandæ rei gratia, fingo duos auctores, *Mosen* & *Christum*. Nam * & *Paulus* distinguit *Christum* à *Mose: Lex per Mosen data est, gratia autem per Jesum Christum facta est.* Hæc autem fictio eo valet, ut, quoniam *Paulus* varie usurpat vocabulum legis, & frequenter componit Novam Legem cum Vetere, *Christum* cum *Mose*, facilius percipiamus quid sentiat.

10 Cap. VIII. N. Pag. 801. C. *Carnalis illa* Judæorum *lex adversatur* Christo *& à* Christo *avocat, & ob id mortem parit videlicet pugnans cum eo.*

R. De lege loquor crassa & carnaliter intellecta, contemto spiritu legis. Hujus legis zelus incitavit *Judæos* ad occidendum *Christum*, & post hunc Apostolos, imo quondam discipulos & *Paulus* persequutus est, sequutus legem carnalem. Id explicant verba mea quæ sequuntur. *Judæi vero, studio zeloque suæ legis, justitiæ vitæque auctorem occiderunt. Contra qui spreta legis littera sequuntur ea quæ spiritus sunt, hi vitam inveniunt in Christo.* Nulla quidem pars legis adversatur *Christo*, sed quatenus carnalis erat in *Judæis*, adversabatur *Christo*, qui spiritum legis docebat. Quam hîc voco legem carnalem, paulo post ipse vocat prudentiam carnis, quam dicit inimicam Deo, quod repugnet legi spirituali. Hæc è Veteribus hausta sunt, & si meum esset commentum, non video quid habeat impium. Cæterum quid *Bedda* suspicetur, non possum divinare, nisi forte putat his verbis damnari ceremonias; & plane damnantur, si quis fretus eis pugnet adversus veram pietatem.

11 Cap. VIII. N. Pag. 803. A. *Angeli non in aliud sunt conditi nisi ut hominum necessitatibus observiant.* Ibidem. C. *Cum universus Angelorum populus nostras calamitates ex alto contemplans, pio quodam erga nos affectu commoveatur, & (quoad licet) nostris malis indolescat, nonne universa rerum natura una nobiscum gemit, ac parturientis in morem optat laborum ac dolorum finem?*

R. Quod dico consentit cum verbis *Pauli*, ad *Heb.* 1. *Nonne omnes administratorii Spiritus sunt* &c. Fortasse *Beddam* offendit particula exclusiva *non in aliud*

* Imo verius *Johannes* Euangelii Cap. I. 17.

Digitized by Google

conditi, hoc certe de cæteris verum est, terra, aqua, aere, & corporibus cœlestibus, nec video quid obstet quo minus idem sentiamus de Angelis. Quod si quis urgeat: hujusmodi particulæ exclusivæ non semper excludunt quidvis, sed ea de quorum genere agitur. Nam Angeli nihil aliud sunt quam administratorii Spiritus, hoc est non sunt conditores mundi, non auctores humanæ felicitatis, non redemptores humani generis. Quemadmodum si quis dicat, *Hic nihil aliud est quam Ædilis*, & tamen idem est fortasse pater aut maritus aut musicus, hæc non excludit particula *nihil aliud*, sed reliquos Magistratus, Consulatum, Præturam &c Itidem cum dicimus, *Nihil aliud quam flebat*, at idem interim forte cœnabat, audiebat, ambulabat, aut stabat, sed *nihil aliud*, excludit excusationem, convitia, vindictam, aliaque quæ solent à dolente fieri. Porro cum *Paulus* dicit *omnis creatura*, videtur & Angelos complecti. Ita sane interpretatur *Hieronymus*, quem hîc sequutus sum. Jam in his quæ subjicio, *cum universus Angelorum populus*, fortasse suspicatur me tribuere Angelis affectus humanos, ut gaudeant & indolescant, verum adjeci, *quoad licet*, significans felicitatem Angelorum non esse capacem dolorum, sed quodammodo ingemiscere, cum adhuc aliquid desiderent. Quemadmodum nec cœlum, nec reliqua elementa vere dolent, & tamen dicuntur gemere nobiscum & parturire. Et tamen in Euangelio Angeli gaudent super peccatore resipiscente. Et apud *Esaiam*, Angeli pacis, videntes bellis misceri omnia, amare flent. Non est igitur absurdum his tropis loqui de Spiritibus Angelicis. Denique si pium sensum habet, quod dicit *Origenes Christum* quodammodo nondum habere felicitatem consummatam, quod adhuc periclitetur ac patiatur in membris suis, & adhuc desideret congregationem totius corporis mystici, & nec dum tradiderit regnum Deo & Patri subjectis omnibus, non habet impium sensum quod nos scripsimus de Angelis ex *Hieronymi* sententia.

12 Cap. VIII. N. Pag. 804. A. *Spiritus Dei etiamsi ipsi fileamus tamen pro nobis interpellat Deum, idque non humano more, sed gemitibus inenarrabilibus. Ipse Spiritus interpellat pro Sanctis indolescens super illorum malis, non juxta humanum affectum interpellat, sed juxta Dei voluntatem.*

R. Non arbitror *Beddam* tam male de me sentire ut suspicetur, me Spiritum Sanctum facere cum *Arianis* Patre minorem, qui Patrem pro nobis interpellet, aut malis hominum obnoxium, ut gemat gemitibus inenarrabilibus; sed ipsa *Pauli* verba interpretor, non multum ab illis digrediens, & interpretor juxta Veterum enarrationem, præsertim *Ambrosii*. Neque tamen rejicio illorum interpretationem, qui *interpellat*, exponunt, interpellare facit, & gemitibus inenarrabilibus, non quos Dei Spiritus patiatur ipse, sed quos gignat in animis piorum. Verùm mea paraphrasis non excludit tales interpretationes. Nec mea refert, si qui nunc docent hominem nihil agere boni, tantum pati Spiritum Dei in se agentem. Porro quod addo *etiamsi ipsi fileamus*, huc pertinet, quod Deus sciens quid expediat nobis, non semper exspectat preces nostras, imo sæpe dat quod deprecamur, & negat quod precamur, videlicet adjuvans infirmitatem Spiritus nostri. Spiritus noster optat ea quæ sunt æternæ salutis, sed nonnunquam errat in delectu, judicans ea esse noxia quæ sunt salutifera, quod accidit *Paulo*. Hanc infirmitatem nostram adjuvat Spiritus Dei, nobis insciis ea procurans quæ pertinent ad salutem.

13 Cap. X. N. Pag. 810. F. *Oportet imaginari eam geminam justitiam, alteram cujus auctor fuit* Moses, *alteram cujus auctor sit* Christus, *illa constat ceremoniis, altera fide & obedientia.*

R. Quoniam *Paulus* distinguit justitiam Dei & justitiam hominum, rursus imaginor docendi gratia duplicem justitiam, & utrique suum affingo auctorem, non quod *Moses* sit auctor Legis aut falsæ justitiæ, sed quod in differendo talem personam sustineat. Etenim *Judæi*, qui se dicunt hærere *Mosi*, sequuntur humanam justitiam, contra qui *Christo* adhærent, agnoscentes suam injustitiam, comprobant Dei justitiam.

DE EPISTOLA AD D. LEODIEN. IN PARAPHRASES EPISOLARUM AD CORINTHIOS.

EX PRÆFATIONE.

1 N. Pag. 849. lin. 32. *De nascentis Ecclesiæ primordiis admiror prope nihil esse proditum historia graviore, cuique tuto possis credere.*

R. Actorum Apostolicorum historiam excipio in eo ipso loco. Præterea si qua est historia cui per omnia tuto licet credere, eam lubens videro, si quis commonstret. Etenim in ipsius *Eusebii* Ecclesiastica, & Tripartita quam vocant historia, multa sunt, quæ non possis tuto credere. Ego puto in solis Sacris Libris nihil esse quod non tuto possis credere, de rebus gestis loquor.

2 N. Pag. eadem. lin. 34. *Dionysius qui in Hierarchia secunda, id est Ecclesiastica, priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, Eruditis recentior quispiam fuisse videtur quam fuit Areopagites ille.*

R. Hoc si verum est, ne mihi fraudi sit, qui narro, sed iis qui ita sentiunt. Horum opinionem ut nolim pertinaciter tueri, ita mihi nondum ad plenum persuasum, hunc *Dionysium* fuisse Areopagitam à *Paulo* conversum. Sed mihi res videtur indigna contentione. Patior hîc in suo quemque sensu abundare.

3 N. Ibid. lin. 36. 37. *Utinam qua* Paulus *in Epistola ad* Corinthios *attigit, ac veluti per transennam ostendit de ritibus Ecclesiasticis, aliquanto copiosius & explicatius tradidisset.*

Ibidem. *Quam circumcise meminit Apostolus de Eucharistia sive Synaxi, quasi veritus ne quid de tanto mysterio secus diceret quam oporteat.*

Ibidem. lin. 40. *Utinam illud saltem aperuisset* Paulus, *à quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus, & Sacro Sanctum Dominici sanguinis poculum.*

R. Quod opto, puto omnes bonos mecum optare. Id si factum esset, obticescerent qui nunc ritus Ecclesiasticos irrident atque contemnunt, aut certe *Pauli* dilucida narratio contentionem dirimeret. *Quam circumcise* &c. Nonne verissimum est quod dico? *Accepi à Domino quod & tradidi vobis*, &c. Quid circumcisius? Quot examina quæstionum excluderet, si totum hoc argumentum tractasset dilucide & copiose. Neque dico *Paulum* veritum ne quid secus de Eucharistia loqueretur quam oportet, sed quasi veritum. Et tamen si veritum dixissem, nihil erat impium. *Utinam saltem illud* &c. Hoc votum meum si valeret, non Mundus jam olim fuisset agitatus tot quæstionibus, neque modo agitaretur, de Eucharistia.

4 N. Pag. 851. lin. 18. *Ex his quæ Apostolus in Epistola prima ad* Cor. *Cap.* VII. *scripsit, mea sententia satis, ne dicam plus satis, mordicus tenemus, veluti de divortio.*

Ibid. lin. 25. & seqq. *Mihi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nulli certum cibi genus præscribatur: admoneantur omnes ut quisque pro corporis habitu vescatur quæ maxime conducunt bonæ valetudini.*

R. Displicet occupatio, *ne dicam plus satis*. Equidem non damno constitutiones & morem Ecclesiæ, sed mihi durum videtur matrimonium inter vix puberes insciis aut invitis parentibus, per lenas, per vinum, per artes conciliatum, haberi pro matrimonio indissolubili. Sed hac de re fusius disputo in Annotationibus meis in Caput prioris ad *Corinth.* VII. *Mihi puriori*

Digitized by Google

ris &c. Quo magis accedimus ad ſpiritum, hoc purius ſumus Chriſtiani, & minus opus habemus ceremoniis corporalibus. Deinde Dominus dixit, *quod intrat in os, non coinquinat hominem*, & *Paulus: Regnum Dei non eſt eſca & potus*, contemnens etiam idolothytum ſubmoto ſcandalo. Qui ad hanc doctrinam propius accedunt, purius ſunt Chriſtiani. Quod ſi ob infirmitatem hominum Eccleſia revocavit aliquot veſtigia Judaiſmi, (Judaiſmum voco, delectum ciborum & ejuſmodi corporalia, quæ ſuapte natura nec bona ſunt, nec mala) non eſt damnanda Eccleſia, ſed noſtra imbecillitas, qui à vigore ſpiritus degeneravimus, ut rurſus egeamus his, quibus purus ille populus coercebatur.

5 N. P. 853. lin. 14. & ſeqq. *Superſtitionis illius quæ cibi dicuntur exſtant hiſce temporibus non obſcura veſtigia, pleriſque bonam pietatis partem in ciborum delectu ponentibus, quos Deus creavit ad veſcendum cum gratiarum actione.* Ibid. *Præpoſterum eſt judicium, dum nemo fere non gravius crimen exiſtimat die ſabbati carnibus veſci, quam mendacii virulentia in famam fratris inceſſere.*

R. Hîc non alio colore me tuebor, niſi quod doleo nimium eſſe verum quod dixi. Et utinam eo proficiat Chriſtiani populi pietas, ut *Eraſmus* mendacii coarguatur. Idem reſpondeo ad appendicem quæ ſequitur: *præpoſterum eſt judicium.* Vulgi judicium taxo, non ſpiritualium.

6 N. Ibidem. lin. 39. & ſeqq. *Utinam* Paulus *aliquanto plus lucis nobis aperuiſſet, qualiter exſtens anima ſemota à corpore, & ubinam exſtent, an fruantur immortalitatis gloria, an impiorum anima jam nunc crucientur, an iis ſubveniant noſtræ preces aut alia benefacta, aut indulgentia ſummi Pontificis ſubito liberentur à pœnis.* Et continenter lin. 42. *Video multos ſuper hiſce rebus ambigere, aut certe diſputare, quod ſupervacuum erat ſi* Paulus *aperte definiſſet.*

R. Quid piaculi ſi opto excludi quæſtiones quibus concutitur Eccleſia. Si quis dicat non eſſe deſiderandam explanationem *Pauli*, cum de his definierit Eccleſia, multos hodie videmus qui placitis Eccleſiæ non verentur reclamare, cum *Paulo* non auſint. Hos cuperem vel correctos vel coercitos. Nam ipſe certe nuſquam obmurmuro decretis Eccleſiæ.

7 N. Pag. 855. lin. 13. *Cum* Paulus *noſter ubique vafer ſit ac lubricus, in his tamen duabus ſic Polypum* &c. *ut cum* Corinthiis *pluſquam* Græcis *agens &c.*

R. *Paulo* vafriciem non uno in loco tribuit S. *Hieronymus*, non verſipellem ac fraudulentam, ſed piam. Et ipſe ſe fatetur omnia, factum omnibus, ut omnes lucrifaceret, cum *Judæis* Judaiſſans, cum Gentibus veſcens quibuslibet, cum infirmis infirmus, &c. An non hæc vafricies quædam eſt? Proinde quid hîc offendat *Beddam* non video, niſi fortaſſe vox illa *vafricies, polypus, chamæleon, Proteus, Vertumnus*: verùm hæc mitigo cum addo *quendam*, & proverbium τοῖς κρῆτα κρητίζειν mitigo cum præmitto *quodammodo.*

8 N. Ibid. lin. 23. *Apoſtolus alicubi cordatum ac ſobrium agit virum, alibi ſumit ſibi ſtulti parumque ſobrii perſonam.*

R. Non ſtatim ſtultus eſt, qui ſibi ſumit perſonam ſtulti. 2. *Cor.* ſcribit, *Sive mente excidimus, Deo, ſive ſobrii ſumus, vobis.* Nam Græce ἐξέστημεν, quod in Euangelio interpretatur, *verſus eſt in furorem* ἔξεστι, & inſanire opponitur τῷ σωφρονεῖν, quod eſt ſanæ mentis eſſe. Et in ſecunda ad *Corint.* Epiſtola ſumit perſonam inſipientis: *Inſipiens factus ſum, vos me coegiſtis. Et libenter ſufferris inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes, in quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego.* Nihil hic eſt quod obſcuret *Pauli* gloriam, ſed illuſtrant omnia.

EX EPISTOLA PRIORE AD CORINTHIOS.

9 Cap. V. N. Pag. 874. A. *Non habebatur dignus qui veſceretur agno paſchali, niſi qui ſeptem diebus fermentum non attigiſſet.*

A R. Hîc opinor *Bedda* ſuſpicatur me ſentire non fuiſſe fas *Hebræis* edere phaſe, niſi prius ſeptem dies abſtinuiſſent à fermentatis. Atqui id ſecus habere, poterat ex meis verbis perſpicere quæ præcedunt. *Hebræi cum emenſi mare liberati fuiſſent ab Ægyptia ſervitute, juſſi ſunt quotannis in hujus rei ſymbolum ac monumentum ſtato tempore, mactato agno anniculo, ſeptem diebus veſci panibus nullo fermento corruptis &c. Quemadmodum fecerant jam fugam adornantes ex Ægypto.* Hæc verba palam indicabant me ſentire, ſeptem diebus ab eſu phaſe abſtinuiſſe illos à fermentis. Dilucidius etiam hoc declaro, cum addo, *quemadmodum fecerant adornantes &c.* Nam Exodi Cap. XI. jubentur edere phaſe primi menſis die decimaquarta, ſic ut nec illo B die quicquam fermenti eſſet in ædibus, rurſum ab hoc die continuare fermentatorum abſtinentiam, uſque ad diem vigeſimumprimum. Quid igitur ſibi voluit, *neque dignus habetur* &c? Non diſtinguitur tempus, ſed citra rationem temporis proponitur obſervatio præſcriptarum ceremoniarum. Illi indigne celebrabant ſuum phaſe, niſi ſeptem diebus abſtinuiſſent à fermentatis, multo magis nos ſi volumus digne celebrare phaſe noſtrum, abſtinere debemus à fermento ſpirituali. Profecto demiror cur *Bedda* voluerit hujuſmodi notationibus & ſuum & meum perdere otium.

N. Pag. 887. A. *Ciborum delectus ſuperſtitioſum facere poteſt, pium nequaquam.* Ibidem. Chriſtus *nullum ci-* 10 Cap. VIII. C *borum diſcrimen docuit: proinde temeritatis eſt, ſi quis homunculus conetur quenquam hujuſmodi conſtitutionibus onerare.* Ibidem. *Pro ſuo quiſque corporis affectu veſcatur quibus velit, modo ſobrie parceque: ſuper omnibus gratias agens Deo.*

R. Hæc ita refert *Bedda*, quaſi ſub mea perſona dicantur, hoc tempore, cum dicantur à *Paulo*, qui clamat, *eſca non commendat nos Deo.* Item ad Romanos, *is qui non manducat, manducantem non ſpernat, & qui manducat, non manducantem non judicet. Et regnum Dei non eſt eſca & potus.* Certe *Pauli* tempore liberum erat veſci quibus libet. Si eſca & potus ex ſe reddit hominem pium, male nos docuit *Paulus.* Cæterum quod addo, *pro ſuo quiſque affectu*, recte dicitur à *Paulo*, D cujus perſonam illic ſuſtineo, & ſi ſecus loquutus fuiſſem, pugnaſſem cum eo loco quem interpretor. *Bedda* videtur imaginari me nunc cum *Lutheranis* clamare: *pro ſuo quiſque corporis affectu, veſcatur quibus velit, modo ſobrie parceque.* Sed durius eſt quod addo, *temeritatis ſit, ſi quis homunculus conetur quenquam hujuſmodi conſtitutionibus onerare.* Et hæc recte dicuntur à *Paulo*, quem interpretor. Si Apoſtoli noluerunt Gentes hujuſmodi præceptis gravare, quanto minus hoc juris ſibi ſumere debet quivis homunculus? Nec uno loco *Paulus* ſtomachatur in eos qui id conarentur. *Eph.* 11. *Nemo vos judicet in cibo aut in potu* &c. & mox: *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis* E *hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne guſtaveris, ne contrectaveris* & cætera. Si quid harum rerum poſtea præſcripſit Eccleſia, non homunculus præſcripſit. Cæterum quorundam ſuperſtitionem qui privato affectu inducunt ſubinde novas ciborum præſcriptiones, defendant alii, ego conſideratis Apoſtolorum litteris, non poſſum. Ex me nemo didicit veſci cibis ab Eccleſia interdictis, cum nulla urgeret neceſſitas, aut gravis alioqui cauſa.

N. Pag. 897. A. *Sumite, edite, hoc eſt meum corpus,* 11 Cap. XI. *quod pro vobis frangitur omnibus impartiendum.*

R. Hîc ſuſpicor illum offenſum quod pro *tradetur* lego *frangitur.* Verùm quid facerem? Hîc mire conſentiunt Græci codices. Sic legit *Ambroſius*, ſic interpretatur *Chryſoſtomus* & *Theophylactus.* Nam fractionem interpretantur communionem & in multos diſtributionem. Nihilo vero abſurdius dicitur corpus frangi, aut diſtribui, quam comedi.

Digitized by Google

12 Cap. XV. N. Pag. 906. D. & E. *Bis dicit* Christum *post resurrectionem apparuisse duodecim, cùm textus Apostoli* 1. ad Corinth. xv. *expresse dicat, sicut oportebat*, undecim.

R. *Græcos* sequutus sum, nec magni refert utrum legas *undecim* an *duodecim*, id quod multis verbis inculcat *Thomas Aquinas*, & audet addere, ubi *Lucas* refert *Jesum* apparuisse *undecim* recumbentibus, scripturam esse corruptam, & *duodecim* esse legendum pro *undecim*. *Duodecim* interpretatur *Theophylactus*. *Ambrosius* citat Euangelium, sed quid legerit non liquet. Cum *Augustinus* doceat non referre utrum legas *undecim* an *duodecim*, cum *Thomas* dicat corrupte legi *undecim* pro *duodecim*, unde constat *Beddæ*, quod hic non potest aliud legi quam *undecim*? Sed hac de re diligenter disserit *Augustinus* de quæstionibus in Vetus Testamentum Lib. 1. Rursus de consensu Euangelistarum. Ego tametsi sequutus Græcos lego *duodecim*, tamen alteram lectionem non rejicio.

13 Cap. XV. N. Pag. 910. F. *Sic creatus est* Adam, *ut anima vel-ut illigata corpori crasso, nihil ageret nisi per organa corporis.*

R. Crassum corpus appello terrenum & mortale. Et arbitror animam humanam juxta naturam nihil agere in corpore, nisi per organa corporis. Nam nec intellectus nec memoria constat sine instrumentis materialibus: quanquam hîc nonnihil dubitat *Aristoteles*. *Bedda* mutavit nomen *conditus* in *creatus*, quod ea vox aptior esset calumniæ. Valet interdum idem *creatus* quod *conditus*, sed vocum proprietas eadem non est. Nam urbem *conditam* dicimus, *creatam* non dicimus, & carmen librumve *condimus* non *creamus*, Ad hæc *conditio* manet, *creatio* non manet. Recte enim & hodie dicimus: *Hæc est humani generis conditio, ut mala bonis permixta sint*: non recte dicturi: *Hæc est humani generis creatio.* Denique non hîc ago quo in statu fuerit *Adam* priusquam peccaret, sed illius originem cum *Christi* origine confero. Ille quoniam habebat corpus terrenum, per sensus corporis (per quos agit anima) sollicitatus est ad peccandum: Non idem fuit in *Christo.*

14 Cap. XV. N. Pag. 911. B. *Non omnes morituri sumus. Nam fortasse dies ille ultimus nostrum aliquot vivos deprehendet.*

R. Ad hanc calumniam respondi *Eduardo Leo* satis diligenter, diligentius etiam proprio libello qui est inter Apologias meas, ostendens ex *Ambrosio* & *Augustino* aliisque Doctoribus, & lectionem & sensum esse Catholicum. *Bedda* cum hæc scriberet, saltem debebat consulere meas in hunc locum Annotationes.

AD GALATAS.

15 Cap. IV. N. Pag. 957. C. *Propior videtur veræ religioni, qui falsa religione tenetur, quam qui prorsus credens nullum esse Numen, nullo religionis affectu tangitur.*

R. Sic *Aristoteles* scribit sanabiliorem incontinentem quam intemperantem, quod intemperans careat judicio, & incontinens scit quidem quid sit honestum, sed ad tempus obruta ratione sequitur affectum. Et *Paulus* superstitiosis Deorum cultoribus *Athenienſibus*, facilius persuadet ignotum Deum: Quibus si persuasum fuisset nullos esse Deos, primum hæc opinio fuerat eximenda, deinde persuadendum, non esse nisi unum summum & optimum: postremo demonstrandum quomodo is esset colendus. Et *Augúst. Ep. de Civit. Dei* scribit, *Romanis* ob falsam religionem studiosè cultam, à Deo quædam præmia fuisse relata. Postremo dico *videtur*, & argumentum est declamatorium, disputet in diversam partem qui velit, incolumi fide.

16 Cap. V. N. Ibid. D. *Inexpiabile flagitium est, post cognitam veritatem ultro in pristinum errorem relabi.*

R. Suspicatur *Bedda* me opinari esse aliquod peccatum cujus remissio desperanda sit, etiam si pœniteat. Verùm hoc me non sentire satis declaravi tum aliis multis locis, tum in libello *De misericordia Dei.* Sed *inexpiabile* dico, quod difficile expietur: quemadmodum *Ambrosius* inexpiabile crimen vocat, solvere jejunium Quadragesimæ. Et hîc *Bedda* meum sermonem detorsit ad calumniam. Scripseram, *Verùm inexpiabile crimen sit:* Ille refert, *Inexpiabile crimen est.* Dicet, Quid refert? Imo plurimum refert. Nam *Sit* potentialis modus est: nec affirmat, sed periculum denuntiat. Potest enim esse tanta malitia, ut Deus non dignetur hominem sua gratia, Sic *Petrus Simoni, Age pœnitentiam, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Deo in manu est impartire resipiscentiam: peccator, quod ad ipsum attinet, inexpiabile crimen admisit.

17 Cap. eod. N. Ibidem. C. *Judæi pro tempore crassa religione vel superstitione magis cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberentur.*

R. Hanc sententiam ex Orthodoxis hausi. Deus sibi jussit immolari pecudes, ne cum Gentibus eas immolarent Diis. Et si offendit verbum *superstitio*, quantum ad rerum naturam superstitiosum est, Deo incorporeo mactare victimas corporeas, & incendere carnes, ut nidore delectetur: quantum ad obedientiam & figuras, secus est.

18 Cap. V. N. Pag. 961. B. *Christi beneficium soli fidei datur, non meritis.*

R. Agit illic *Paulus* de observatione Legis, in quam quidam conabantur *Galatas* inducere, quasi ex operibus daretur justitia Euangelica potius quam ex fide. Sic *Paulus* quem interpretor. Nos enim ex fide spem justitiæ exspectamus. Si gratia Euangelica, quam illic voco Dei beneficium, non datur soli fidei, quæso, quid meritorum secum attulerunt Gentes idololatræ, & omni spurcitie scelerum inquinatæ, ut per Euangelii gratiam acciperent justificationem? *Bedda* suspicatur me sentire cum *Luthero* de meritis & operibus. Id secus esse cum alias sæpe, tum in libello *De libero arbitrio* satis declaro. Non dico nullum esse meritum fidei per dilectionem operantis, verùm Euangelii gratiam non dari meritis, sed soli fidei. Alioqui nullus admitteretur ad Euangelii gratiam, aut ad baptismum, nisi prius egisset bona opera. Hoc cum *Paulus* toties inculcet, hominem ex fide justificari, & *Abrahæ* justitiam imputatam ex fide, non ex operibus, cur Paraphrastæ religio sit idem dicere? Sed habent, inquiet, hæc verba interpretationem. Ea manet incolumis per meam paraphrasim. Neque enim meum erat hîc, cùm crassioribus scribam, inexplicabilium quæstionum nodos tractare.

19 Cap. V. N. Pag. 963. C. *Lex* Mosi *non præcepit ut tuum defraudans genium, fratris inopia subvenias, ut firmus infirmo, doctus indocto, melior deteriori obsecundes, & tamen hoc impetrat caritas.*

R. Lex jubet subvenire proximo, & hunc amare sicut te ipsum. At qui se pro salute proximi exponit vitæ discrimini, pluris facit proximum quam se ipsum. Caritas impetrat quod Lex non præscribit. Loquor autem de Legis crassiore parte.

DE EPISTOLA AD EPHESIOS

EX PRAEFATIONE.

1 N. Pag. 967. lin. 20. *Ex quo per quæstiones tractari cœpit Theologia, ars incœpit esse potius quam sapientia, theatrica verius quam ad veram pietatem accommoda.*

Ibidem: *Hanc Scholasticam Theologiam præter ambitionem, avaritiam, vitiarunt & alia pestes adulatio, contentio & superstitio.*

Ibidem, lin. 24. *Per hanc Scholasticam Theologiam factum est, ut divinæ Scripturæ certissima regula nunc huc nunc illuc detorta, nostris serviret affectibus magis quam gloriæ Christi.*

R. Hîc rursus in *Bedda* desidero judicis synceritatem. Sic enim recitat, *Ex quo per quæstiones tractari cœpit Theologia, ars incepit*, &c. ut totam hanc Scholasticam

Digitized by Google

lasticam Theologiam damnare videar. At mea verba sic habent : *Mox Theologiæ patrocinium capessebant humanis instructi disciplinis, sed ferme quas hodie Rhetoricas vulgus appellat, paulatim magis ac magis adhiberi cœpit Philosophia, primum* Platonica, *mox* Aristotelica : *cœptum quæri de multis quæ vel ad mores vel ad cœlestium rerum speculationem pertinere videbantur. Quæ res primum visa est propemodum necessaria. At sensim eo successit, ut plerique, neglecta Linguarum ac politioris litteraturæ peritia, imo neglectis divinis voluminibus, in curiosis & supervacaneis & immodicis quæstiunculis velut ad Sireneos scopulos consenescerent.* Non igitur in omnes Theologos, sed in eos quos depinxi competunt ea quæ sequuntur, *Jam ars esse cœpit* &c. *Et hanc præter ambitionem*, &c. ubi *Bedda* rursus de suo addidit Scholasticam Theologiam. Idem facit in eo quod sequitur. Nam ego loquor de Theologis ambitione, avaritia, adulatione, contentione, ac superstitione vitatis. Mox subjicio, *Quibus rebus ubi tandem eo venerum est, ut* Christus *ille purus propemodum esset obrutus humanis argutationibus, ac limpidissimi quondam Evangelicæ doctrinæ fontes, Philistæorum scrobe oppleti, divinaque Scriptura certissima regula nunc hanc illuc detorta, nostris serviret affectibus, magis quam gloriæ* &c. Hoc quod dico de corruptis Theologiæ studiis, fatentur etiam ipsi Theologi, & plerique sese ad simpliciora referunt; & ista spinosa *Scoticaque* nusquam non frigescit. Cum hic *Bedda* tot modis mea verba depravet, addens de suo quod commodum est, cogor in eo desiderare timorem illum Dei, quem solum præ oculis ut ait habebat, cum hos notaret articulos.

AD PHILIPPENSES.

1 Cap. III. N. Pag. 999. C. *Ex Judæis, ait Paulus, sum oriundus nec ex quavis Tribu, verum ex præcipua nempe* Benjamin, *unde & Sacerdotes constituuntur.*

R. Cum nemo nesciat unicam Tribum *Levi* designatam fuisse sacerdotio sacrisque functionibus, oscitantia dici potest, ignorantia non potest. Itaque sum ipse miratus qui nam hoc accidisset : in transferendis formis ut vocant, unus versus fuit omissus, quod aliquoties solet accidere, nec dubito quin ita primum scriptum fuerit, *Nempe a* Benjamin, *quæ semper juncta fuit Tribui* Judæ, *unde Reges, & Tribui* Levi, *unde Sacerdotes* &c.

2 Cap. IV. N. Pag. 1001. E. *Te rogo vera germanaque conjunx, mecum in Evangelii negotio consentiens, ut* Euodiæ & Syntychi *adsis.*

R. Cum hujus loci sententia sit anceps, nec licuerit in paraphrasi utramque recensere, sequor eam quæ placuit S. *Clementi*, auctore *Eusebio*. *Clemens* enim ex hoc loco probat *Paulo* fuisse uxorem, quemadmodum in hunc locum annotavi.

AD THESSALONICENSES II.

1 Cap. I. N. Pag. 1028. F. *Vos* Thessalonicenses *glorificabimini per Christum in die adventus illius, non juxta meritum vestrum, sed juxta beneficentiam Dei nostri & Domini Jesu Christi.*

R. Explano quod addit *Paulus secundum gratiam Domini nostri Jesu Christi.* Nec arbitror si quis quid perperam scripsit de meritis Sanctorum, ideo non oportere nos cum *Paulo* extollere gratiam & misericordiam Domini *Jesu Christi.* Merita non in totum tollo, sed his fidere periculosum est, gratia nunquam satis laudari potest, cui niti tutissimum est.

AD TIMOTHEUM PRIMA.

1 Cap. I. N. Pag. 1036. E. *Sincera caritas longe rectius dictat quid sit agendum, quam ulla quamvis multa constitutiones: ea si adsit, quid opus est legis præscriptis?*

Ibidem. *Humana caritas, quoniam sæpe vitiata est affectibus, cum vita parum sincera frequenter coheret, nec aliquoties plena fiducia est. At Evangelica caritas nec fallit unquam nec hæsitat, nec ab officio pietatis cessare novit.*

R. Quod *Paulus* hîc docet, idem docet *Christus*, ex caritate pendere totam Legem ac Prophetas. Quid autem opus lege compellente ad officium, ei qui sua sponte facit? Loquor autem de charitate non qualibet, sed quam impartit spiritus Christi.

Ibidem. *Humana caritas* &c. Amat aliquis uxorem sed voluptatis aut commodi sui gratia. Id solent etiam mali, & ideo non semper plene fidimus iis quos humano affectu diligimus. Talis non est Evangelica caritas. Hîc quid offendat non video.

N. Pag. 1039. B. *Cujus est insincera conscientia, ejus non* 2
potest esse sincera fides.

R. Nec hîc video quid offendat. Nam expono quæ dixit *Paulus*, nisi forte *Bedda* putat sinceram esse fidem in eo, qui fucatam habet conscientiam.

N. Ibid. F. *Pro omnibus orent Christiani, ne videatur angusta Christiana caritas, quasi duntaxat favens suæ factioni.* 3 Cap. II.

R. Hoc quod docet *Paulus* explico, & nos facimus in die parasceves, orantes pro Judæis & Paganis. Verùm haud scio an *Beddam* offendat *factionis* vocabulum sed ea verba ad Ethnicos calumniantes referuntur, non ad personam *Pauli*. Nec tamen *factio* semper sonat in malam partem, quemadmodum nec *hæresis*. Erat hæresis Pharisæorum, qui tamen recte sentiebant adversus Sadducæos. Et cum esset dissidium inter *Pompejum* & *Cæsarem*, si qui Cæsari favebant, audissent Cæsareanæ factionis, non fuissent offensi. Factio dicitur, quoties aliquis favore multorum armatur adversus partem diversam. Proinde dissidii vocabulum est, non sceleris. Est autem summa conspiratio summumque dissidium Christianæ professionis adversus mundum, & contra: quanquam hoc quidem loco nihil erat opus hac excusatione.

DE SECUNDA AD TIMOTHEVM.

N. Pag. 1064. A. *Quorum mores & animus est insincerus, eorum doctrina non potest esse sincera.*

R. Movet illud ni fallor *Beddam: Quæ dicunt facite* &c. Atqui non illius tantum insincera est doctrina qui falsa docet, verum etiam, qui ob quæstum aut gloriam, aut alium affectum non sincerum.

AD TITVM.

N. Pag. 1074. B. *Nihil officit ad pietatem, si nescias cur* 4
Moses *vetuit vesci carne suilla, cur* Judæi *sanguinem mu-* Cap.
stelæ tanta cura putent expiandum, aliaque his stultiora. III.

R. Quoniam proposui quæstiones perplexas, supervacaneas, indoctas, & contentiosas, quod his admisceo de annis *Matusalem*, & de carne suilla, & de *Roboam*, satis est de numero illarum esse, quæ non sunt necessariæ ad pietatem. Cæterum quod adjicio in fine, *& alia his stultiora*, ad proximam particulam pertinet de sanguine mustelæ : velut illud quod refert *Ambrosius*, quosdam docuisse, *Solomonem* Templum auxilio Dæmonum ædificasse.

N. *Tractando Canonicas Epistolas, à pag.* 1079. *contra* 5
expressam divi Hieronymi *sententiam & Ecclesiæ usum, earum ordinem pervertit* Erasmus, *sic enim eas locat:* Petri *duas*, Judæ *unam*, Jacobi *unam*, Joannis *tres*, *quibus omnibus postponit Epistolam* Pauli *ad* Hebræos.

R. Si docuissem alium ordinem quam habet Ecclesia, erat forte quod quereretur *Bedda*. Nunc tantum in meo codice cæteris posthabui. Nec aliud fuit in causa, nisi quod in illam Epistolam non decreveram scribere paraphrasim. Post amici non patiebantur illam prætermitti. Itaque adjeci, non anxius de ordine. Hoc si male habet *Beddam*, quo loco erat Epistola ad *Hebræos*, priusquam esset ab Ecclesia recepta? Deinde quod objicit mihi *Hieronymum*, legat quid scribat in præfatione ad *Desiderium*, cujus initium *Frater Ambrosius*. Ibi loquitur hunc in modum: *Paulus Apostolus ad*

septem

Digitized by Google

ſeptem Eccleſias ſeptem ſcribit Epiſtolas. Octava enim ad Hebræos à plerisque extra numerum ponitur. Proinde ſi ſtudio ſemoviſſem hanc Epiſtolam, poteram auctoritate *Hieronymi* me tueri. Nunc ut dixi caſu factum eſt: & liberum eſt unicuique lectione eam Epiſtolam facere quotam velit, me non reclamante. Et hîc ita loquitur *Bedda*, quaſi in omnibus libris Orthodoxorum idem ſit ordo voluminum Novi Teſtamenti. Eadem opera reprehendere poterat, quod Apoſtolorum Acta ſubtexuerim Euangelio *Joannis*, quæ in noſtris voluminibus admiſcentur Epiſtolis Apoſtolorum. Atque ibi Epiſtola ad *Hebræos* ſequitur Epiſtolam ad *Philemonem*, reliquæque Epiſtolæ ſuum habent ordinem, quem *Bedda* non vult perverti. Quod ſi mihi ſtudium fuiſſet invertendi, illic invertiſſem. Dicet: Quin igitur in paraphraſi ſequeris eundem ordinem? Ob cauſam quam dixi: Non decreveram ſcribere, neque in Epiſtolam *Jacobi*, quod nihil habeat difficultatis, nec in Epiſtolas *Joannis*. Epiſtolæ *Petri* & *Judæ* multum habent caliginis, id quod teſtor in Præfatione ad Card. *Sedunenſem*, ne quis hæc me putet confingere. Dicet: Cur in poſterioribus Editionibus non reſtituiſti ordinem? Ut ingenue dicam, quia non venit in mentem, & ſi veniſſet, putabam nihil referre. Nec abſurde *Petrus* Apoſtolorum princeps præferretur *Jacobo*, & huic recte jungeretur Epiſtola *Judæ*, & ſtylo & ſententiis cum *Petri* Epiſtolis conſentiens. Et *Joanni* Euangeliſtæ non gravatim cederet *Jacobus*, quem negant fuiſſe de numero duodecim. Verùm nihil horum ſpectavi, tantum quæ poſtremo tractavi, poſtremo loco poſita ſunt à typographis.

6 N. Pag. 1113. circa fin. *Epiſtola quæ fertur ad* Hebræos, *multis argumentis conjici poteſt non eſſe* Pauli, *cum ſtylo Rhetorico verius quam Apoſtolico ſit ſcripta.*

R. Hac de re toties ſatisfecimus, reſpondentes *Iacobo Fabro*, rurſus in Annotationibus noſtris. Quid autem piaculi, ſi tribuo Apoſtolis ſtylum ſimpliciorem? Ipſe *Hieronymus* fatetur *Paulum* in hac eſſe eloquentiorem quam in cæteris. Neque enim loquor de ſententiis & ſpiritu Apoſtolico, ſed de phraſi.

DE EPISTOLA BEATI JACOBI.

7 Cap. 1. N. Pag. 1119. D. *Deus non exſpectat merita noſtra, tantum fiduciam erga ſe requirit.*

R. Hîc rurſus ſuſpicatur me tollere merita & bona opera, cum multis locis in hac ipſa paraphraſi dilucide profitear, fidem & caritatem imperfectam & inanem eſſe, niſi acceſſerint pia facta. At non loquor hîc ſimpliciter de factis ac meritis hominum, ſed de fiducia orandi. Hîc Deus nihil moratur noſtra merita, verum etiam impios audit, ſi reſipiſcant & petant cum fiducia divinæ bonitatis. Exemplum habemus de Phariſæo, cui nihil proderant merita quæ jactabat, nec obfuerunt publicano ſua peccata. Et hîc *Bedda* mutavit verba mea. *Non exſpectat Deus*: cum ego ſcripſerim: *Nihil moratur*, id eſt, non curat merita, ſi modo fides adſit in petendo.

8 Cap. 1. N. Pag. 1124. A. *Lex* Moſi *erat imperfecta, & magis metu deterrebat à malis, quam efficiebat, ut homines ſponte recta ſequerentur. At Euangelica Lex per caritatem a volentibus ac liberis plus impetrat quam extorquebat illa.*

R. De craſſa Legis parte loquor, quemadmodum ſæpe loquitur *Paulus*, ut aliàs dictum: & confero Legem mandatorum cum Lege gratiæ.

9 Cap. 11. N. Pag. 1128. A. *Fides cum qua non eſt caritas, non magis dicenda eſt fides, quam cadaver hominis meretur hominis vocabulum.* Ibidem: *Caritas fidei comes eſt individua.*

R. Agit hîc de fide per quam datur ſalus. At mortua fides non magis meretur hîc fidei vocabulum, quam homo mortuus hominis. Nec enim agit, nec confert vitam. Sic habent mea: *Sic nimirum inutilis erit fidei profeſſio, quæ verbotenus conſtat, neque quicquam agit: ſed veluti mortua torpet, neque eſt magis dicenda fides, quam cadaver hominis meretur hominis vocabulum. Quod corpori eſt anima, hoc eſt fidei caritas. Hac igitur ſubducta, mortua quædam & inefficax res eſt fidei vocabulum* &c. Hujus igitur fidei vivæ comes individua eſt caritas. Neſcio an *Beddam* moveat hîc illa Scholaſticorum quæſtio, *an Deus poſſit infundere fidem ſine caritate?* Mea non refert quid poſſit Deus. Certum eſt, illum alterum ſine altero non largiri.

10 Cap. IV. N. Pag. 1135. A. *Lege* Moſaica *licebat odiſſe inimicum, nec habebatur injuſtus, qui vim vi, qui convicium convicio retuliſſet.*

R. *Moſaicam* Legem voco craſſiorem Legis partem, ut crebro jam dictum eſt. Et licere dicitur aliquoties, non quod recte fiat, ſed quod impune.

DE EPISTOLA JOANNIS.

11 N. Pag. 1141. in fine Argumenti. *Duæ ultimæ Epiſtolæ, quæ non putantur eſſe à multis* Joannis *Apoſtoli, tribuuntur* Joanni *cuidam Presbytero, non Apoſtolo.*

R. Quod hîc annoto, non uno in loco refert *Hieronymus*, velut in Catalogo, *Ioannis* titulo, affirmat quod duntaxat ſcripſerit Epiſtolam. Hîc argumentum adfert de duobus ſepulchris ac memoriis *Epheſi*. Idem refert in *Papia*, aliud argumentum ex ipſius verbis colligens. Quod *Hieronymus* hauſit ex Eccleſiaſtica Hiſtoria Lib. III. Capite 39.

12 N. Pag. 772. Paulum *tibi mitto, qui noſtra opera didicit & fuſius & explanatius dicere, idque Latine.*

Ibidem: *Quia noſtra tarditas*, Pauli *ſublimitatem non aſſequebatur: certe effeci, ut frequentius feratur in manibus, quam antea conſuevit.*

Ibidem: *Antehac vix intelligebatur* Paulus *ab Eruditis ſudantibus, nunc intelligitur & à ſemidoctis, modo ne ſint omnino rudes ſermonis.*

Ibidem: *Hîc ſi nihil debetur ingenio meo, ſi nihil eruditioni, certe nonnihil debetur induſtriæ, dum his meis laboribus aliis laborem adimo.*

R. Hîc non video quid offendat niſi tropus ſermonis, *Paulus didicit explanatius dicere, idque Latine.* Sic *Plato* per interpretem Latinum dicitur Latine loqui. Et qui ſcribunt commentarios, dicuntur explanare Prophetas: & hoc ipſum mitigo, addens hæc, *Non quod in illius eloquentia quicquam deſiderem, ſed quod noſtra tarditas illius ſublimitatem non aſſequebatur.* Hoc non mihi dictum eſt de *Bedda* ſimilibus, ſed de mei ſimilibus: eoque dico *noſtra tarditas.*

Ante hac vix &c. Nec hoc dictum eſt in Theologos *Beddæ* ſimiles, ſed in hos qui vulgo docti habentur. Quanquam ſunt & inter Theologos, qui mihi per litteras gratias agunt. Et ſemidocti intelligunt *Paulum*, non quod omnia myſteria percipiant; ſed intelligunt quod antea non intelligebant.

Hîc ſi nihil laudis &c. Hoc fortaſſe *Bedda* videtur arrogantius dictum. At ego extenuo laudem hujus laboris, nihil mihi ſumens præter conatum & induſtriam.

DE EPISTOLA AD HEBRAEOS.

13 Cap. IX. N. Pag. 1180. D. *Ritus & ceremoniæ Legis veteris habebant ſanctimoniam quandam, ſed mundanam, nimirum in rebus extraneis & viſibilibus ſitam, in cujuſmodi nonnihil videtur & apud Gentes.*

R. Expono quod ait *Paulus*, *Juſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare*, quod Græce eſt κοσμικὸν, id eſt *mundanum.* Atque his corporalibus addictum eſſe, *Paulus* vocat *ſervire elementis hujus mundi.* Sanctus *Thomas* ex auctoritate *Hieronymi*, interpretatur de ablutionibus corporum, quibus fiebat, ut liceret ad ſacra accedere. Tales ablutiones erant & inter Gentes.

14 Cap. XI. N. Pag. 1188. B. *Fidei debet* Enoch *hoc ſeu gloriæ ſeu felicitatis, quod ſublatus ex hominum contubernio vivit cum Deo.*

R. *Enoch* ſublatum eſſe conſtat, non igitur vivit inter homines, etiam ſi vivat in corpore. Et ſi vivit felix, utique cum Deo vivit. Cæterum quid alii diſputent de *Enoch* olim redituro, & ab Antichriſto interficiendo, non erat mihi tractandum in paraphraſi. Porro quod

Digitized by Google

• quod hanc felicitatem debet fidei, expreſſe docet etiam *Thom. Aquinas.*

EX PRÆFATIONE IN EVANGELIVM JOANNIS.

1 N. *De Epiſtola in Paraphraſim* Joannis, *ſi rogas quidnam videatur, accipe reſponſum. In ea, more ſuo,* Eraſmus *miris modis animos omnium conciliat ſibi, & ſeſe operam ſuſpiciendam innuit, & re ipſa non pauca utiliter diſſerit pro Principum moribus, detrahit tamen doctrinæ Theologorum, qua ab annis quadringentis uſa eſt Eccleſia, ceremoniis & precationibus, tum his quas Horas dicimus canonicas, quin & Miſſæ auditioni,* &c.

R. Si cui vacabit legere Præfationem illam ad *Ferdinandum*, intelliget *Beddæ* cenſuram multum abeſſe à vero. Nihil illic commemoro de favore Principum in me, quod non ſit veriſſimum: nec illos falſo laudo, ſed liberæ admonitioni nonnihil laudis admiſceo: nec meam jacto operam, ſed negotii difficultatem indico, quo mihi ſit paratior venia, ſicubi non aſſequor quod volo. Me detrahere Theologorum doctrinæ non aliunde colligit, quam ex his verbis: *Quanquam ut ingenue fatear, nullis ſeculis defuerunt, apud quos Euangelio ſuus conſtiterit honos: ſed tamen his annis quadringentis, vigor illius apud pleroſque refrixerat* Hîc nulla Theologorum mentio. Porro quæ præcedunt & ſequuntur, indicant me loqui de corruptis ſeculi moribus. Et ſi in in genere dixiſſem de Theologis, cum ſint tam multi, qui freti ſuis quæſtionibus divinam Scripturam nunquam attingunt, quid erat piaculi? De ceremoniis, quibus honoratur Euangelium, pie loquor, tantum hortor ut quod corpore foris exhibent, idem præſtent intimis affectibus. Et adeo non damno ſolennes Eccleſiæ ceremonias, ut etiam illa excuſem, quæ mulierculæ privata ſuperſtitione faciunt. Sic enim ſcribo: *Non improbo ceremonias, non exagito vulgi ſimplicis religionem: ſed tum demum iſta fuerint nobis uſui, ſi quod ſignis viſibilibus admonemur, re præſtiterimus,* &c. quæ ſequuntur in eandem ſententiam. De precibus horariis illic ago, non quas dicit Clerus, ſed quas hodie Principes miro ſtudio dicunt: atque his freti negligunt ea quæ propria ſunt Principum munia. Idem ſentio de Sacro quod quidam audiunt, ſed tantum audiunt, & audiunt abſque religione Sacro debita. Verba mea ſic habent: *Siquidem Principes perſuaſi nonnunquam ab his, qui perfectæ religionis profeſſione commendantur, exiſtimant ſummam eſſe pietatem, ſi quotidie precum, quas horarias vocant, penſum abſolvant, ſi nullus dies abeat abſque Sacro,* &c. Ac paulo poſt: *Et hoc quoque laudo, de precibus loquor, ſi modo quod eſt præcipuum acceſſerit. Cæterum ſi Princeps exiſtimet nihil ſibi deeſſe ad veram pietatem, fretus obſervatione talium rerum, neglectis aliis, quæ propria ſunt Regiæ functionis, hæc nimirum vera peſtis eſt Religionis, hæc eſt Reipublicæ pernicies.* Ac mox, *Pium eſt adeſſe Sacro, ſi quis modo purus accedat.* Ex his, quæ pie nec minus circumſpecte dicta ſunt, *Bedda* profert tam iniquum judicium. Erant graves cauſæ cur hæc admonerem, & Theologorum erat de hujuſmodi libere monere Principes. Hoc magis conveniebat, quam quod quidam, ut rumor eſt, in *Gallia* fecerunt, è ſuggeſto claſſicum canentes ad bellum: unus etiam Pſalmum detorſit ad Regem, *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, & non timebis à timore nocturno. A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & Damonio meridiano.* Nec deerat qui noſtro occineret, *tantum perſevera in iſta tua pietate,* loquebatur de precibus & ſacris, *Deus belligerabitur pro te.*

EX IPSA PARAPHRASI.

1 Cap. 1. N. Pag. 514. B. Nathanahel *profeſſus eſt eadem de* Chriſto *quæ &* Petrus *profeſſus eſt, ſed quia non eodem animo, ideo non audivit* ſuper hanc Petram, &c.

R. *Nathanahel* dicit, *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael*, ſed nondum erat afflatus eo ſpiritu, quo *Petrus* dixit, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Nec hoc ex me ſomniavi, ſed ex *Chryſoſtomo* hauſi, cujus verba ſubſcribam ex Homilia in *Matth.* LV. Nathanahel *quoque dicebat*, Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael, *nec ſolum beatificatus non eſt, verum etiam quaſi multo inferiora quam oportebat cogitaret, ſic à* Chriſto *erat redargutus:* Quoniam dixi tibi quod vidi te ſub ficu, credidiſti, majora his videbis. *Ea igitur de re* Petrus *beatificatur, quia* Chriſtum *Patris proprie Filium profeſſus eſt, qua etiam de cauſa nihil tale de illis dictum eſt, quale de hoc dicitur*, Pater revelavit tibi. Hactenus *Chryſoſtomus:* ſed hæc fortaſſe *Beddæ* non veniebant in mentem, cum illa notaret. Atqui qui judicis & cenſoris ſumit perſonam, non debet pronuntiare niſi circumſpectis omnibus.

2 N. Pag. 515. B. *Hactenus* (*ait* Chriſtus *matri ſuæ*) *tuæ voluntati me præbui morigerum, quod nunc reſtat ex arbitrio Patris gerendum eſt, non ex humano præſcripto.*

R. Si negotium Euangelicæ prædicationis pendebat ex auctoritate matris, non recte loquutus ſum.

3 N. Ibidem: *Alibi mater fuiſti, poſthac mihi nihil aliud eris quam mulier, quoties verſor in Patris negotio.*

R. Expono, *quid tibi & mihi eſt mulier.* Matrem voco, cui jus eſt in filium: ſi in negotio quod Filio mandarat Pater, *Maria* mater *Jeſu* habebat præſcribendi auctoritatem, male *Chriſtus* indignans per cognatos & matrem interpellari ſermonem Euangelicum, dicit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Igitur *alibi mihi mater eris*, nihil aliud declarat, quam alibi matris jure præſcribes.

4 N. Ibidem: *Patris gloriæ quoties erit ſerviendum, nihil opus tua interpellatione, ultro faciam quod res poſtulabit.*

R. Si *Chriſto* opus erat interpellatione matris, quoties erat ſerviendum gloriæ Patris, novum audio dogma. Nec hæc pertinent ad contumeliam matris. *Chriſtus* nullum humanum affectum aut præſidium admiſcuit Euangelio, cujus totam gloriam voluit adſcribi Patri cœleſti, & idcirco matris auctoritatem nunquam admiſcuit, aliquoties excluſit.

5 N. Pag. 522. D. *Ab illis qui à Judaiſmo ad* Chriſtum *convertuntur, non exigitur pro prioribus ſatisfactio, non legis obſervatio, tantum qui credit, ille tutus eſt à condemnatione.*

R. Explico verba *Chriſti, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et indico fidem eſſe januam ſalutis. Nec opinor in baptiſmo expendi merita vitæ prioris, ſed fidem & propoſitum vitæ correctioris. Secus eſt ſi excluduntur à baptiſmo, niſi qui prius bene vixerunt: aut ſi in baptiſmo indicitur ſatisfactio pro vitæ prioris admiſſis: aut ſi *Judæus* baptizatus tenetur ad præſcripta Legis *Moſaicæ.* Porro de aditu me loqui teſtantur quæ præcedunt: *Et ne quis ſponte periens haberet quod prætexeret ſuæ malitiæ, facilis aditus eſt omnibus ad ſalutem.* Cæterum me non ſejungere bona opera à fide, declarant quæ ſequuntur: *Per quod ſalus æterna datur omnibus, quantalibet peccatorum ſarcina gravatis, ſi modo poſt Euangelicam profeſſionem abſtineat à vita prioris flagitiis, & juxta doctrinam ejus cujus nomen profeſſus eſt, proficere nitatur ad perfectam pietatem.* Obſecro ſi quid alii docuerunt de bonis operibus aut ſatisfactione ſecus quam oportet, idcirco nobis non erit fas ex ſacrarum Litterarum ſententiis fidei, quod illi debetur, tribuere?

6 N. Pag. 549. *Sola credulitas via eſt ad immortalitatem.*

R. Si eſt alius aditus ad immortalitatem quam fides, quam nobis monſtravit Euangelium, *Paulus*, & *Petrus*, cupiam audire. Quod *ſola* dico, non excludit bona opera, quæ fides ſecum trahit, aut ex ſeſe gignit: veluti qui dicit *ſolam virginem ingreſſam*, non excludit veſtem

Digitized by Google

veſtem & ornatum illius. Aut qui dicit, *Hanc ſolam arborem patiar eſſe in horto meo*, non excludit frondes, flores, & fructus.

7 Cap. IX. N. Pag. 575. B. *Non punit Deus liberos ob delicta parentum, niſi filii parentum amulentur vitia. Et ibi loquitur de cæco nato, cui, inquit* Eraſmus, *caſu quopiam accidit cæcitas.*

R. Hîc, opinor, *Bedda* ſuſpicatur me tollere Providentiam divinam, quod hujus cæcitatem tribuam caſui. Non excutiam differentiam *Ariſtotelicam* inter *caſum* & *fortunam*, cum apud Latinos *caſus* dicatur, quicquid accidit præter curam aut exſpectationem noſtram. Parentes non procurarant ut ille cæcus naſceretur, & tamen aliquibus cauſis naturalibus accidit illi cæcitas: neque enim Deus immiſit illi cæcitatem, ſed quod illi acciderat, Deus non prohibuit, & in ſuam vertit gloriam. Nam quod ſequitur, *Ut manifeſtaretur gloria Dei in illo*, *Chryſoſtomus* multis exemplis prolatis è divinis Voluminibus, docet hanc particulam *Ut*, non eſſe cauſæ, ſed eventus. Deo, qui præſcit omnia, nihil eſt caſus. Nobis multa caſu accidunt, quorum cauſas neſcimus, quæque non procuravimus. Aliud eſt, ſi in totum abſtinendum eſt à verbo *caſus*, cum toties habeamus in Litteris ſacris *accidit*. Jam quod dico Deum non punire liberos ob parentum admiſſa, multis verbis inculcat *Chryſoſtomus*, idque ex Prophetarum ſententiis. Non loquor de peccato originis. Cæterum quo modo concordent locus qui eſt Deuteronomii v. *Ego Dominus reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & in quartam generationem*, & qui eſt apud *Hieremiam* Cap. XXXI. *Omnis qui comederit uvam acerbam, dentes ejus obſtupeſcent:* non erat Paraphraſtæ diſcutere. Certe locus Deuteronomii mihi non obſtat, cum non agat de pœna translata à meritis ad immeritos, ſed delata à nocentibus ad poſteros nocentiores.

EX QVIBVSDAM SCRIPTIS ERASMI NONNVLLI SEQVVNTVR ERRORES.

N. *Primo ante finem Epiſtolæ, quam Præfationis loco præpoſuit ſecundæ Editioni Operum* Cypriani, *favens illi hæreſi, quam catholicus aliquando tenuit* Cyprianus, *quod ſcilicet Hæretici & Schiſmatici & ſimiles ab Eccleſia præciſi, quantumcunque in Eccleſiæ forma baptizent, nihil agunt, hinc ab eis baptizati, ſi ad Eccleſiam contriti redeant, ſunt neceſſario rebaptizandi. Hæc ad verbum habet* Eraſmus.

Porro qui diverſam ſententiam, quam ſcilicet determinavit & tenet Eccleſia, ſequi maluerunt, mihi quidem non tam argumentis videntur commoti, quam faviſſe ei parti, quæ magis abhorreret à ſchiſmate Donatiſtarum, *ſimulque perſpexiſſe quam non eſſet tutum eam aperire feneſtram, ſi Sacerdos impius nihil agere crederetur.*

Quantum habeant momenti quæ divus Auguſtinus *affert de Sacramento & effectu Sacramenti, de characteribus, de diverſa ratione baptizantis & remittentis peccata, prolixius ſit quam conveniat hîc expendere. Certe* Chriſtus *iisdem baptizandi jus tradidit, quibus mandavit abſolvendi poteſtatem, nec tamen protinus abſolvit, Sacerdos quiſquis in hoc nomen invocat Trinitatis.*

Si res hæc ab argumentis humanis penderet, & niſi concordia favorem ubique mereretur, potius haberi poterat quod ſequitur Cyprianus, *quam quod eſt receptum. Ad hæc conformiter de baptiſmi Sacramento loquens, in Epiſtola ad pium lectorem ſcripta ante initium Paraphraſis ſuæ in* Matthæum, *paulo poſt medium dicit, quod baptizati in infantia poſtquam ad pubertatem pervenerint, & in communibus fidei articulis fuerint inſtructi, debent publice vocari & interrogari, ratum-ne habeant quod ſuſceptores illorum nomine polliciti ſunt in baptiſmo: Si reſpondeant ſe ratum habere, tum publice renovetur ea profeſſio. Et paulo poſt, ſibi quod tale Eccleſiæ det conſilium, opponens ſic ait: Verùm hic geminus exſiſtit ſcrupulus: primum quod videatur iterari baptiſmus, id quod fas non eſt: deinde quod periculum ſit, ne quidam audita profeſſione non approbent, quod geſtum eſt per vicarios. Prior ille facile,* &c. *Poſterioris difficilior eſt ſolutio,* &c.

R. Quomodo faveo damnatæ ſententiæ, qui adhæreo definitioni Eccleſiæ? Sed *Cypriani* culpam, illi cum tam multis Epiſcopis communem, elevo, qui graviſſimis argumentis perducti ſunt in eam ſententiam. *Si res*, inquam, *penderet ab argumentis humanis, potius haberi poterat.* Non dico, *potius habendum eſt.* Nunc res non pendet ab argumentis humanis, ſed à definitione Eccleſiæ, quam ego ſequor, contemtis argumentis humanis, alioqui citius adhæſurus *Cypriano* quam diverſæ ſententiæ. Quod hîc dico de baptiſmo iterando, idem pie dici poteſt de multis aliis Eccleſiæ decretis, à quibus diſſentirem ſi res penderet ab humanis ratiocinationibus. Ego piæ mentis arbitror plus tribuere præſcriptis Eccleſiæ, quam humanis rationibus. Eat nunc *Bedda*, & exaggeret hunc locum verbis atrocibus. Porro quod addit me ſimilia dicere, hoc eſt, probare damnatam *Cypriani* ſententiam, in Præfatione ad pium lectorem, quæ præfixa eſt Paraphraſi in *Matthæum*, qui legerit, comperiet id quod *Bedda* dicit, longiſſime abeſſe à vero. De catechiſmo renovando illic loquor, & oſtendo viam, qua fieri poſſit, ne cui videatur iterari baptiſmus. Verba mea ſic habent: *Verùm hîc geminus exſiſtit ſcrupulus. Primum quod videatur iterari baptiſmus, id quod fas non eſt.* Audit *Bedda* hîc me profitentem non eſſe fas iterari baptiſmum: quomodo igitur conſentio cum *Cypriano*? Suſpicionem iterati baptiſmi ſic excludo: *Prior ille facile diſcutitur, ſi hæc ſic gerantur, ut nihil aliud ſint, quam inſtauratio quædam ac repræſentatio priſtini baptiſmi, quod genus eſt, cum aqua ſacra quotidie conſpergimur.* Ita-ne iterat baptiſmum, qui adſpergitur aqua conſecrata per Sacerdotem? Si mihi permitterem alicubi diſſentire à decretis Eccleſiæ Catholicæ, citius crederem abſque baptiſmo ſalutem homini contingere, quam neceſſariam eſſe baptiſmi iterationem. Nunc cum illic toto pectore ſentiam cum Eccleſia, multo minus hîc diſſentio. Hîc iterum atque iterum deſiderare cogor Dei timorem, quem ſolum præ oculis habebat, cum hæc tam odioſe, ne dicam calumnioſe notaret.

N. *Anno ſuperiori ſcripſit* Eraſmus *Opuſculum, cui nomen dedit hujuſmodi*: De interdicto eſu carnium deque ſimilibus hominum conſtitutionibus, *in quo quanta licentia Eccleſiaſticas ſanctiones oppugnare moliatur, nullus qui legerit neſciet. Tria enim ille arguit & criminatur, quæ in Eccleſia Dei perſancta ſemper fuere habita, videlicet canonica jejunia, & ciborum delectum ſecundum ſacrorum dierum obſervantiam, tertium Eccleſiæ Miniſtrorum perpetuum cœlibatum. Horum autem deductio quam impia & ſchiſmatica ſit lector facile capiet.*

R. Hunc libellum, quem *Bedda* ſchiſmaticum appellat, ego ſchiſmati oppoſueram tum hîc exorienti non ſine gravi rerum diſcrimine. Et profeci. Id factum meum atroces *Lutheranorum* fremitus primum in me concitavit. Videbam exorituros graviores Orbis tumultus, quos proh dolor & vidimus, & videmus quotidie in pejus proficere. Et agebatur de Concilio vel Generali, vel Provinciali, in quo qui vellent adferrent remedia, quibus hæc mala poſſent componi. Id mihi videbatur fieri poſſe, ſi *Germanorum* querimoniis concederentur quædam, quæ ſalva pietate Chriſtiana concedi poſſent. Proinde qualia ſcripſi in eo libello, talia ſum auſus ſcribere duobus Pontificibus, *Adriano* VI. & *Clementi* VII. atque Cardinali *Campegio*, cui negotium hos tumultus componendi datum erat. Nec tamen hîc ingeſſi memet, ſed rogatus ac juſſus dixi meam ſententiam, rejiciendi aut approbandi arbitrium illis deferens. Nec editurus eram illam Epiſtolam, nam uni Epiſcopo ſcripſeram, nec meum exemplar cuiquam communicaram, & ſic erat ſcriptum, ut nemo fuerit lecturus, ni per Epiſcopum jam apud multos ſparſa fuiſſet, exitura volente nolente me. Itaque ipſius etiam

Digitized by Google

etiam Episcopi jussu recognitam edidi. Nec hactenus A ea Epistola quisquam hîc fuit offensus, præter impense *Lutheranos*. Nec enim illic est ulla criminatio sanctionum Ecclesiasticarum, tantum propono considerandum, an expediret quædam mutari Principum auctoritate, quæ pio quidem animo venissent in consuetudinem aut præceptum, sed hominum vitio verterentur in materiam impietatis ac seditionis. Ad hæc sermonem ita tempero, ut si in Concilio dicta fuissent, sententia fortasse debuerit meliori sententiæ cedere: cæterum auctor sententiæ nec schismatis nec hæreseos possit condemnari. Quod mihi videtur pro re nata expedire, in medium affero, æquissimo laturus animo, si quis habeat melius consilium. Id non semel testificor in eo libello: velut illic: *Dicam enim quicquid dicturus* B *sum, non ut asseverans, sed ut inquirens, apud Præsulem*, &c. Ac rursum: *Hæc sic propono, ut tamen sit integrum suum cuique judicium*. Ecclesiasticas sanctiones adeo non criminor, ut omnibus argumentis ostendam, & jejunia, delectumque ciborum, & dies festos, & cœlibatum Sacerdotum, & pio animo inducta esse, & ad pietatem magnopere conducere, si quis, ut oportet, utatur. A schismate tantum absum, ut atrociter detester eos, gravique supplicio dignos pronuntiem, qui seditiosa licentia constitutiones & consuetudines Ecclesiæ contemnerent. Hæc ita esse comperiet, cui vacabit totum eum libellum evolvere. Deinde cum nihil permittam temeritati privatæ, sed omnia velim fieri ex auctoritate Præsulum ac Principum, unde *Bedda* meminit C schismatis? Si dicat stultum esse meum consilium, patiar. Et tamen qualecunque est hoc consilium, si fuissemus usi aut illo aut simili, fortasse res non perveniset ad hos cruentos tumultus. Atque utinam vel nunc his malis essemus defuncti. Nec tamen hoc ago ut tollantur jejunia, qui volo Christianorum vitam perpetuum esse jejunium, sed obligationem jejuniorum, hac via confidens fieri posse, ut & plures & sanctius jejunent, non gravatis his qui ob causas idoneas jejunare non possunt: nec injiciatur laqueus iis, qui nunc passim contemnunt omnia jejunia. Quod si quis hîc timet, ne semel corruat Ecclesiastica disciplina, fingat ad nos revolutum illud seculum, quo Ecclesia ante præcepta jejunia plures habebat jejunantes, quam D nunc habet. De cœlibatu, palam damno eos qui privata auctoritate ducunt uxores: & ostendo cœlibatum hunc esse contaminatissimum in plerisque Sacerdotibus. Ei malo remedium aliquod ostendo: quod si non placet, inveniatur aliud melius. Porro mihi non displicere cœlibatum, vel illa mea declarant verba: *Nihil magis optandum, quam ut Sacerdos immunis à conjugio, liber ac totus serviat Domino suo.* Nunc videmus mundum esse plenum Sacerdotibus concubinariis. Est apud *Germanos* Episcopus quidam, qui ipse dixit in convivio, uno anno ad se delata undecim millia Sacerdotum palam concubinariorum: nam tales singulis annis pendunt aliquid Episcopo. Dies festos non damno, numerum imminui velim, præsertim E quod videamus multos dies festos non ex necessitate, nec ob magnam utilitatem Ecclesiæ, sed ob humanos affectus vel institutos vel extortos ab Episcopis. Quod si quis hîc quoque metuit Ecclesiæ ruinam, cogitet qualis fuerit Ecclesiæ status aliquanto post tempora *Hieronymi*, cum Orbis Christianus nesciret ullos dies festos præter Dominicos, & duos tresve alios. Cui vacabit, poterit singulis diebus vacare rei divinæ. Cæterum nec gravarentur tenues, nec improbis daretur ansa pejus insaniendi, quam reliquis diebus. Hic erat animus illa proponentis. Nunc paucis ad ea loca quæ notavit *Bedda*.

2 N. *Ad hoc enim usque pervenit, ut diebus festis derogans ad verbum dicat*: *Est*, inquit, *fortasse Episcopus scilicet,* F *qui quondam habuerat in delitiis puellam nomine* Barbaram, *hac gratia vult* Barbaræ *diem esse feriatum. Alii mater fuit nomine* Catherina, *hoc satis est causa visum, ut huic sacer dies populum arceat ab opere.*

R. Debebat addere *Bedda* quod sequitur, hæc exempli gratia ficta esse, quod malucrim uti fictis exemplis, quam quemquam offendere; alioqui potuissem veras historias proferre. Et novi quosdam Episcopos, qui duos dies festos invexere. Si idem sibi permittant singuli, quid futurum est? Nisi forte *Bedda* putat schismaticum quicquam in malos Episcopos dicere. At quoties id facit *Cyprianus* & *Hieronymus*, quid facturi si nunc viverent? Talibus dictis non offenduntur boni, ac ne ipse quidem senum optimus Episcopus *Basileensis*, ad quem hæc scribo.

N. Et jus dicens sic: *Ecclesiæ Pastores mihi videantur* 3 *recte facturi, si per hujusmodi dies festos exceptis Dominicis & paucis eximiis, & in his ipsis quos relinquunt, permittant tenui plebeculæ post Sacrum & concionem, si res urgeat, opificio suo succurrere liberis & familiæ.*

R. Debebat annectere *Bedda* quod præcessit: *Non hæc dico quod velim à Laicis contemni dies festos*, &c. Deinde vox hæc, *hujusmodi*, refertur ad ea quæ præcedunt, nimirum ad festa, quæ sine gravioribus causis ex humano quodam affectu constituuntur. Et quod mihi videtur conducibile, idem Episcopi quidam conati sunt. Aliud est, si quod instituere possunt Episcopi, non possunt tollere. Deinde quod sequitur de labore plebeculæ tenui permittendo, quoniam addo, *Si res urgeat*, puto licere, etiamsi nemo statuat. Verùm id si fieret Episcoporum permissu, minus esset offendiculi, & conscientiæ forent securiores.

N. *Reprehendens vero Canonica jura. Nam primo sic* 4 *in Ecclesia primitiva, primi Christiani, id est, Apostoli, & cæteri, nullo præcepto ad jejunium adigebantur.*

R. *Reprehendendi* verbum *Bedda* est, non meum. Nec tam loquor ibi de Canonicis jejuniis, quam de his quæ inducuntur ab Episcopis, aut ex consuetudine: denique de his, quæ sibi quisque privatim præscribit. Sic enim loquor: *Et reperiuntur qui sibi nihil permittunt*, &c. De Canonicis, fateor hæc recte inducta à majoribus, sed hominum vitio fieri, ut quæ ad pietatem revocandam erant instituta, vertantur in materiam vitiorum. Nec volo mutari, nisi ex auctoritate Præsulum, sic ut his succedant meliora. Sic enim habent mea: *Quorsum ista tam multa? An ut damnem ciborum delectum, quem comprobat usus Ecclesiasticus? Ut ingenue dicam, cupiam omnia quæ sunt hujus generis, aut certe talium exactionem prorsus è medio sublatam, modo vera pietatis studiis accrescat, quod decesserit ceremoniis, & hoc addatur Christianismo, quod Judaismo detractum fuerit.* Et paulo post: *Et tamen hæc posteaquam publica consuetudine fixa radices egerunt, nolim seditiose contemni, sed vel paulatim aboleri, vel majorum auctoritate tolli: sed ita tolli, ut populus ad meliora vocetur.* Hactenus mea retuli, in quibus apparet, quam nihil sit schismaticum aut impium, quod impingit *Bedda*. Porro quod addo, priscos illos Christianos nullo Ecclesiæ præcepto adactos ad jejunandum, non huc pertinet, quod nunc non recte præcipitur jejunium, sed ut declarem si adsit vera pietas, plus impetrari sine obligatione præcepti. Et ad illam pietatem instaurandam hortor, consultor, non dogmatistes.

N. Secundo sic: *Veluti parricida pene dixerim rapi-* 5 *tur ad supplicium, qui pro piscium carnibus gustarit carnes suillas.* Et de hoc sequitur: *Judicium hoc mihi non solum incivile videtur, verùm & præposterum. Indictum erat jejunium, hoc erat ejus rei caput, accessorium erat talibus aut talibus vesci cibis.*

R. Quod dico, hîc non semel factum est. Nec reprehendo quod puniuntur, sed quod acerbius quam oportet. Deinde quod gravius punimus mutatum cibi genus quam violatum jejunium, præposteri est judicii.

N. Tertio: *Reperiuntur qui nihil sibi permittunt præter* 6 *panem & aquam, ut demus hæc non adspernanda, tamen quis non videat quam frigeant, si conferantur ad Evangelica*

Digitized by Google

præcepta, quorum oportuit primam esse curam, deinde considerandum an hoc congruat Euangelicæ libertati.

R. In his quæ locum hunc proxime præcedunt, ago de morosa distinctione ciborum, quæ magna ex parte vel ex consuetudine venit in vitam, vel ex proprio cujusque animo. Quod genus sunt, alicubi diebus Veneris vescuntur lactariis, ovis nequaquam. Alibi diebus Sabbatinis utuntur jure carnium, carnibus ipsis nequaquam. Alicubi sibi permittunt intestina pecudum, non carnes. Et quidam dubitant num canis marinus, aut cochleæ, aut testudines sint inter carnes habendæ. Quidam certis diebus abstinent ab omnibus quæ prius habuerunt animam. De his igitur loquutus subjicio quod decerpsit *Bedda*. Quod si ista non frigent ad præcepta Euangelica, perperam scripsi. Me certe talium pudet, quoties cum Euangelio confero. Et tamen addo ne hæc quidem aspernanda, nec pronuncio non congruere cum Euangelica libertate, sed admoneo considerent Episcopi an congruant. Postremo non simpliciter dubito, an congruant ipsa, sed an cum libertate Euangelica, quam ubique sic prædicat *Paulus*, conveniat, istiusmodi observatiunculas ab omnibus tam rigide exigere, videlicet, ut homines rapiantur in carcerem, qui non per contumaciam, sed vel ob causas aliquas vel humana incuria neglexerint.

7 N. Quartò: *In Regionibus quæ laborant inopia piscium interdicere carnium esum, quid est aliud quam famem indicere?*

R. Lex non est lex nisi sit æqua. At in istis quæ sunt corporalia, vix aliquid certi præscribi potest, quod omnibus congruat. Veluti de vestitu præscribi potest universis, ut simpliciter, ut decore, modesteque vestiantur. Cæterum si quis præscribat universis, ne plusquam unicam tunicam gestent, plus satis fuerit *Indis*, sed interim *Hyperboreus* frigore morietur. Nec omnino dissimile est de præscriptis ciborum generibus. Et possit esse Regio tam sterilis ut arbitrer ne Pontificem quidem velle incolas hac lege constringi. Etenim si casus adducens necessitatem excludit legis præscriptum, quidni idem faciat perpetua Regionis qualitas? Non igitur damno constitutionem Pontificum, sed eos qui per superstitionem exigunt legem, ab his quos Pontifex, ni fallor, non vult obligari.

8 N. *Qui vescitur carnibus scilicet in Quadragesima, citrà necessitatem, si peccat, tantum peccat in legem humanam. Qui vero fratrem condemnat, qui obtrectat, qui defert, qui traducit, adversus Euangelicam doctrinam, mea sententia, gravius delinquit, quam si totum decennium carnibus vesceretur. Et* sequitur, *appellant* Lutheranos *& hæreticos qui carnibus vescuntur: Jam hoc est non vitulorum sed fratris carnem arrodere.*

R. Hîc *Bedda* de suo addidit *in Quadragesima*, cum ipse loquar in genere de diebus in quibus abstinetur à carnibus. Sed ille Quadragesimæ vocabulum judicavit aptius ad calumniandum, quod putetur ab ipsis Apostolis instituta. Ego malitiosam obtrectationem confero cum esu carnium citra contumaciam aut malitiam, sed ex infirmitate seu negligentia commisso. Si jejunare præscriptis hisce diebus est legis divinæ simpliciter, fateor, Pontifex non posset tollere.

9 N. *Vide offendiculum ex his rebus quarum usum non interdicit Euangelium: Imò quarum interdictores damnant Apostolicæ litteræ, prohibentes,* inquit, *cibos quos Deus creavit ad vescendum, & prohibentes nubere.*

R. Disputans de scandalo, confero scandalum *Judæorum* ac Gentium, quod ad tempus vitarunt *Petrus & Paulus*, cum hoc scandalo quo judicamus proximum de jejunio aut de genere cibi. Nisi qui vescitur prodat suam malitiam, non debet quis judicare, in eo quod bene fieri potest. Et tamen maxime judicamus, non solum eos quorum necessitas est nobis incognita, verùm etiam illos, qui manifestas & graves causas præ se ferunt.

10 N. *Mihi displicet quicquid spectat ad seditionem. Attamen si nullus obstat hujusmodi ceremoniis semper in majus gliscentibus, actum plane fuerit de libertate Euangelica.* Sequitur: *Sic paulatim irrepsit consuetudo quæ nobis diem Veneris pisculentum reddidit. Deinde ubi hoc successit ademtus est & Sabbati dies, nunc & Mercurii dies periclitatur.*

R. Si placet ut omnes dies sint festi, & in totum interdicatur esus carnium, male metui. Si nihil est periculi, cum jam bonam anni partem abstineamus, stulte metui. Quid hoc ad fidem nostram?

N. *Cœlibatui denique ordinatorum derogans* Erasmus, 11
de cœlibatu, ait, neque Christus neque Apostoli legem aliquam in Sacris Litteris præfixerunt. Sequitur mox: *Cur hîc humanam constitutionem urgemus tam obstinate, præsertim cum tot causæ suadent mutationem?*

R. Si *Christus* aut Apostolicæ litteræ vetuerunt ne Sacerdotes aut Diaconi ducerent uxores, quomodo Græcis Christianis etiam hodie permittitur matrimonium? Et ætate *Hieronymi* per *Gallias* Presbyteri habebant uxores qui non continerent, neque quisquam legitur ob hoc damnatus. Arbitror autem hoc esse juris humani, quod per Pontificem aut Concilium tolli potest. Constat autem Pontificem quibusdam Sacerdotibus relaxasse legem, & arbitror eum jure posse quod facit instrumento publico. Nec à me damnatur constitutio, quæ tum inducta est, cùm essent infinito pauciores quam nunc sunt, & multo puriores, neque lex obtrusa est, sed volentibus data. Nunc Mundus undique scatet plurimis ac malis Sacerdotibus, an apud vos nescio, certe apud *Germanos*. Tempus itaque mutatum, suadet ut mutetur & constitutio. Opto quidem quod optimum est, sed illud suadeo tanquam levius malum. Ajunt *Pium* II. solitum dicere: *Ob graves causas ademimus Sacerdotibus uxores, sed graviores suadent, ut eis reddamus.* Olim soli Episcopi dicebantur Sacerdotes. Nunc alia res est. Et *Ambrosius* probans Episcoporum cœlibatum, non adfert præceptum Dei aut Apostolorum, sed hanc causam, quod in Lege *Mosaica*, quoniam erant multi Sacerdotes qui suis vicibus serviebant sacris, vacabat illis aliquam temporis portionem dare conjugio. Cæterum tempore ministerii sacri, non adibant uxores, verum apud Christianos quoniam erant pauci Sacerdotes, & quotidie tractanda erant mysteria, non erat idem otium vicissim serviendi divino cultui, & matrimonio.

N. Secundo: *Si his, qui se non continent, Sacerdotibus concederetur matrimonium, & ipsi viverent quietius, & populo cum auctoritate prædicarent verbum Dei.* Sequitur mox: 12
Hæc non eo spectant ut Sacerdotibus auctor aut patronus esse studeam, qui nuper citra Pontificum auctoritatem cœperunt esse mariti, sed ut Ecclesiæ Proceres admoneam, dispiciant an expediat veterem constitutionem ad præsentem utilitatem accommodari.

R. Nolo fieri nisi publica auctoritate, id si fieret cessaret offendiculum. Imaginor hoc posse fieri à Principibus Ecclesiæ. Et profero consilium meum, quod si non placet, cedat meliori. Certe nunc res misere habent, de nostris loquor. Si apud *Gallos* pura sanctaque sunt omnia, vehementer gaudeo.

N. Tertio: *Si frustrà tentatis remediis omnibus vinci non* 13
potest carnis rebellio, superest ut caste vivat Sacerdos ad remedium habens uxorem.

R. Ubique præsumo hanc potestatem esse Principibus Ecclesiæ, qua in re si fallor, nullum est meum consilium, præsertim quod attinet ad hos qui nunc Sacerdotes sunt. De successuris posset facilius caveri. Atque hæc pars non invitat ad ducendam uxorem, sed opponitur eis qui prætexunt incontinentiam, cum non dederint operam ut possint esse continentes.

N. Quarto: *Non dubito quin plerique sint Episcopi, qui* 14
perspiciant hæc ita habere, quemadmodum dicimus. Sed vereor ne hic quoque quæstus obstet, quominus sequamur quod videmus optimum esse.

R. Quod dico *forte*, sine *forte* notissimum est apud nos, de vobis non judico, quid autem opus dissimulare quod nemo nescit?

N. Quinto:

Digitized by Google

15 N. Quinto: *Si Episcopi tentent mutare, fortasse reclament Officiales, qui plus sentiunt redituum ex concubinis Sacerdotum quam sensuri sint ex uxoribus. At non æquum est, ut quæstus apud nos tantum valeat, ut ob eum in re tanti momenti minus syncere consulatur.*

R. Nec hîc video quicquam mali, nisi malum est vera ac manifesta loqui.

ANNOTATIONES BEDDÆ THEOLOGI IN PARAPHRASIM ERASMI ROTERODAMI IN LVCAM.

Hoc sabbato ex die Januarii 1523. *hora 4. post meridiem, incepi examinando legere Paraphrasim* Erasmi *in* Lucam, *& qua merito movere possent, subsequenter designavi.*

1 N. Pag. 271. *Primo in titulo ad* Anglum *sic habetur:* Angliæ & Franciæ * Regi, *quod* Gallos *maxime debet movere.*

R. Primum non exspectabam à Theologo calumniam, quod in titulo vocarim *Henricum* VIII. *Angliæ Franciæque Regem*, & hic addit, *quod* Gallos *maxime debet movere.* Imo quanto ego melius sensi de *Gallorum* atque adeo Regis ipsius ingenio, qui nihil veritus sim, ne solenni titulo commoveretur. Erat fortasse quod mihi succenserent, si titulus is à me repertus esset. Nunc cum palam in moneta, in picturis, in inscriptionibus feratur, nihilo justius mihi succensere possunt *Galli*, quam succensent *Carolo Romani*, quod se scribat *Regem Romanorum*, cum *Romæ* tantundem habeat ditionis, quantum ego, aut *Corinthienses*, quod aliquis Episcoporum à suffragiis se scribat *Episcopum Corinthiorum.* An periculum est, ne *Galliarum* Regnum protinus demigret ad *Anglos*, ob titulum? Atqui quoties *Angliæ* Rex scribit ipsi Regi *Galliarum*, non abstinet ab hoc titulo. Inscriptio, veteris historiæ memoriam habet, non transfert jus ditionis. Et tamen non eram hoc elogium additurus titulo, ni me casus quidam admonuisset, non quod metuerem ne quid ea res moveret *Angliæ* Regem, sed ne quis hinc arriperet ansam calumniandi. Miseram in *Angliam* Epistolam Regi scriptam, sed absque titulo. Ejus exemplar miseram aulico cuidam amico, cum inscriptione ne vereretur reddere litteras, ignarus argumenti. Is mihi gratulatus est, quod omisissem opisthographiam, misitque formulam tituli correcti. Ea diligentia viri non omnino levis me commovit, ut titulum solennem adderem. Hæc res etiam si quem moveret *Gallum*, quod ego non arbitror, (certe nihil erat quod Theologum movere debuerit, nisi forte hoc quoque pertinet ad fidem Catholicam. Quod si ea res tanti momenti est, cur in me reprehendit, quod in Episcopo *Roffensi* dissimulat? nam is utitur eodem titulo.

2 N. Ibidem: In ejusdem Epistolæ exordio sic: *LVCAM Medicum mitto, non alium quam antea habebas; sed Latinis auribus explanatius fusiusque loquentem.*

R. In secundo quid illum offenderit, non satis conjecto, nisi putat me alicubi sensum Euangelistæ non assequutum, itaque non linguam ac phrasim mutasse tantum, verum etiam sententiam. Hoc ut demus esse verum, idem usu venire potest interpreti, qui tamen *Lucæ* titulum addit. Merito reprehendendus sim, si sciens deflectam à mente Scriptoris quem explano. Si imprudens, monendus sum ut homo.

3 N. Ejusdem Epistolæ Pag. 273. circa medium: *De auctore Epistolæ ad Hebræos semper dubitatum.*

R. Quod de auctore Epistolæ ad *Hebræos* semper fuerit dubitatum, multis tum argumentis, tum Scriptorum gravium testimoniis satis opinor declaravi, non uno in loco.

4 N. Ibid. in fin. *Deus Pater misit Sermonem suum qui liberaret universos ab omnibus animorum morbis, tantum ut morbum agnoscamus & fidamus Medico.*

R. Hîc quoniam dixi *tantum ut morbum agnoscamus, & fidamus Medico*, suspicatur fortasse me damnare opera, imo tollo discrimen criminum ante actæ vitæ, sive Judæus quis fuerit, sive Græcus, sive Barbarus. Nam is locus sentit de tempore quo proditum est primum Euangelium. Et si loquutus fuissem de his temporibus, quid erat periculi? An ulla est tanta scelerum, vel magnitudo, vel multitudo, quam non abluat pœnitentia, cum fiducia in Deum conjuncta? Id si est, deleatur, *tantum*. Ne fidit quidem Deo, qui sine bonis operibus spesat salutem æternam, modo præstare queat quod cupit aut debet. Quanquam nescio an offenderit illum quod Filium Dei dixerim non *Verbum* sed *Sermonem.*

5 N. *Citat non nostrum textum sed suum, ut ejusdem Epistolæ* Pag. 277. post medium. *Omnia possum in eo qui me fortem reddit.*

R. Quid autem piaculi sit, si citem versionem meam, quod tamen facio rarissime, ne mea videar obtrudere populo? Nec *Cyprianus*, nec *Tertullianus*, nec *Augustinus*, nec *Ambrosius*, nec *Hieronymus*, semper iisdem verbis citant Scripturam sacram. *Fortem reddit*, dixi pro *confortat*, quod hoc verbum negent esse Latinum. Cæterum nec luci nec veritati sensus quicquam decessit.

6 N. Pag. 279. *Non stant simul quod non plus petit* Erasmus *suæ Paraphrasi tribui, quam cæterorum commentariis, & quod ipse in eis non loquatur sed* Lucas.

R. Pugnant, inquit, quod admoneo lectorem, ne plus tribuat meæ Paraphrasi, quam aliorum commentariis, & quod idem adjicio, me nusquam in Paraphrasi loqui, sed *Lucam*. Principio certum est Paraphrasim commentarii genus esse. Et fieri potest ut erret Paraphrastes, quemadmodum & Commentator. Id sicubi veniret usu, malui meo periculo fieri quam Euangelistæ, poscens eandem veniam mihi, quam tribuimus omnium aliorum Commentariis. Certum est *Lucam* non omnia scripsisse quæ facio illum loquentem. Mihi satis est, si quæ tribuo illius personæ, non pugnant cum his quæ sensit ille. Quod si mihi constaret ubique quid ille sensisset, nihil erat opus precari veniam. Ergo, inquies, non erat abutendum persona *Lucæ*. Audirem, nisi id toties facerent in Commentariis Interpretes laudatissimi *Origenes* & *Hieronymus*. Primum ordinant, ea nihil aliud est quam Paraphrasis, nihil à mea differens, nisi quod perpetua non est. At fieri potest, ut *Hieronymus*, sub persona Dei loquens, aliud dicat quam sensit Deus. Non hîc periclitatur auctoritas Dei, sed humanus est lapsus interpretis, cui tribuitur venia, modo ne sit impium quod divinat.

7 N. Pag. 283. D. *Spiritum Sanctum vocat fatidicum.* Et rursus alibi sæpius.

N. Movet illum quod locis aliquot *fatidicum Spiritum* dixerim pro Spiritu Prophetico, hoc est, quod Latine maluerim loqui quam Græce. Utcunque enim de fato disputant Philosophi, certe *fatidicus* Latinis nihil aliud significat quam qui prædicit eventura: nisi forte putat Sanctum Spiritum, non recte dici *fatidicum*, quod *Apollo* dictus sit olim *fatidicus*. At ista ratione nec *Balaam* liceret appellare *Prophetam*, quod commune vocabulum habeat cum *Esaia*.

8 N. Pag. 284. D. *Non per opera Legis, sed per fidem gratis donatur æterna felicitas.* Cap 1.

R. Si per opera Legis *Mosaica* datur æterna felicitas nos perimus qui non sacrificemus pecudes, qui vescamur carne suilla. Si non datur gratis, falso dicitur gratia. Si ex operibus, non semel mentitus est *Paulus* Apostolus. Porro quid doceat *Lutherus* de fide sine operibus, non arbitror mea referre.

9 N. Pag. 289. D. *Divini favoris est, ait* Gabriel *ad* Mariam, *quod offertur, non meriti tui.*

R. Suspicatur & hîc aliquid subesse *Lutheranum*, ut nunc sub omni lapide scorpius dormit, cum ità facio *Gabrielem* loquentem Virgini, *Non est meriti tui*, quasi cum *Luthero* negem ullum esse meritum Sanctorum. Imo confero magnitudinem dignitatis cum meritis *Mariæ*. Hæc sunt mea verba: *Et lætissimæ rei & maximæ tibi nuntius adsum. Noli expendere merita tua, divini favoris est quod offertur, non meriti tui. Hoc ipso*

* Titulus ille omissus est in sequentibus Editionibus.

Digitized by Google

places Domino, quod tibi non places: Sit illud tibi satis, quod nacta es gratiam & favorem apud Deum, &c. Hæc oratio eo spectat, ut Virgo modestissima, & in oculis suis infima, credat rem inauditam, quam promittit Angelus. Hæc mihi dicenda erant, ut exponerem illud κεχαριτωμένη. Item illud, *Invenisti gratiam apud Deum*. Si tanta dignitas concipiendi & pariendi Deum, prorsus debetur meritis Virginis, quorsum Angelus meminit gratiæ? Cur ipsa Virgo dicit, *Respexit ad humilitatem ancillæ suæ*? & *Beatam me dicent*? Aliquod esse meritum Sanctorum, non inficior, sed impar donis Dei: deinde si quod est, tale est, ut homo non debeat adscribere sibi. Et ideo gratiæ bis meminit Angelus, ut & caveat Virginis modestiæ, & fidem confirmet in re, quæ superabat omnem hominum dignitatem.

10 N. Ibidem: *Omnibus modis maximus erit, si* Christus *posteaquam innotuerit mundo, vocandus sit non Propheta, sed Filius Altissimi.*

R. Scio *Christum* per *Mosen* promissum esse Prophetæ nomine, & turbis aliquando dictum Prophetam, nec impium esse si quis nunc vocet eum Prophetam. Verùm *Petrus* afflatus Spiritu, sublimius nomen illi tribuit, *Tu es ille Christus Filius Dei vivi*. Neque quisquam hodie vocat illum Prophetam, ne videatur conferendus cum reliquis Prophetis. *Joannes* dictus est *plus quam Propheta*, quanto magis ea sublimitas congruit *Christo*? Itaque cum dicitur *non Propheta, sed Filius Altissimi*, non adimitur nomen Prophetæ, sed effertur appellatio peculiaris illi. *Propheta Altissimi* dicitur *Joannes, filius Altissimi* non dicitur. Nec hic tropus debuit offendere Theologos. Sic dictum est, *Misericordiam volo, & non sacrificium:* non quod interdicatur sacrificium, sed quod sacrificio præferatur misericordia. Non dissimili figura dictum arbitror & illud: *Jam non dicam vos servos, vos amici mei istis.* Neque enim ob hunc sermonem nefas erat Apostolos vocare servos *Jesu Christi*, quo titulo gloriatur *Paulus*: sed additur nomen majoris dignitatis.

11 Cap. I. N. Pag. 294. B. *Asseritur* Mariam Elisabeth *priusquam pareret reliquisse.*

R. Non asseritur, sed quod probabilius est narratur. Erat mensis sextus, nondum itaque peractus. Mox surrexit cum festinatione *Maria*. Mansit apud gravidam menses ferme tres. Hîc incertum fateor, utrum paulo diutius manserit, an paulo citius abierit. Deinde subjicit Euangelista: *Et reversa est in domum suam*. Inde mox sequitur: *Impletum tempus ut pareret Elisabeth*. Atqui plenus partus est mense decimo. Hæc itemque causæ, quas addo, fecerunt, ut quod probabilius videbatur auderem sequi. Alioqui à partu maxime solent adesse cognatarum officia, & in pariendo non multum adjuvat virgo.

12 N. Pag. ead. E. *Sunt adhuc hodie, quibus magis arridet nomen* Zachariæ *quam* Joannis, *nimirum ii qui nondum patiuntur aboleri dies festos, jejunia, & delectum ciborum, re videlicet clamitantes, Nomen* Joannis *nolumus, veterem* Zachariam *volumus*: & hoc iterum alibi.

R. Hîc videtur oblitus quæ persona loquatur, nimirum *Lucæ*, quo tempore *Judæi* sic dies festos, jejunia, ac delectum ciborum observabant, ut absque his negarent esse spem salutis. *Bedda* fortasse suspicatur improbari jejunia Christianorum, abstinentiam carnium, ac dies festos. Cæterum cum eodem in loco nominem circumcisionem, neomenias, lotiones, & sacrificia, satis declaro me de *Judaicis* festis ac jejuniis loqui. Quanquam & apud Christianos sunt, qui in his rebus Judaizent, plus tribuentes quam oportet.

13 Cap. II. N. Pag. 299. E. *In hominibus bona voluntas.*

R. Quod Græci legunt reddo. Nec est in sensu quicquam impium, aut absurdum.

14 N. Pag. 300. E. *Solus* Christus *ab omni peccati contagione immunis fuit, & ante tamen excepit* Mariam *ab omni peccato*, pag. 289. A.

R. *Mariam* dixeram immunem ab omni labe vitiorum, non ab omni contagione peccati. Potuit autem esse immunis ab omni labe vitiorum, quæ tamen non fuerit immunis à peccato primorum Parentum, hoc est, ab omni contagione: satis erat quod immunis ab omni labe conceperit *Jesum*. Sed demus *Mariam* fuisse conceptam absque contagio, certe potuit errare, ignorare, quod est quoddam peccati contagium. Denique *Christus* sic solus dicitur immunis ab omni peccato, quemadmodum Deus dicitur solus bonus, solus immortalis, solus potens, nimirum ob excellentiam, & quod ab hoc proficiscatur, si quid horum adest aliis. Addam & illud, posse complexim legi, *Solus immunis ablaturus erat omnia peccata*. Hoc certe non competit in quenquam nisi in *Christum*.

15 Cap. II. N. Ibidem F. *Id nomen* Jesus *Hebraïs sonat Servatorem.*

R. Quid hîc offenderit non satis conjicio, nisi forte quod *Servatorem* dixerim pro *Salvatore*. Certe Latinior est vox *servator*, nec aliud sonat quam *salvator*. Et hic titulus à Priscis solet honoris gratia dari his qui liberassent Rempublicam à magnis periculis. Nam quod ajo *Jesum* sonare Hebræis *Servatorem*, sentio sonare, si vox Hebraice pronuntietur, quam *Lucas* extulit Græcorum more, nimirum Græce scribens.

16 N. Pag. 301. A. *Cum adesset dies à partu quadragesimus secundus, quo Lex purificari*, &c.

R. Hîc nihil aliud adferam nisi quod res est, hoc Typographorum incuria commissum, qui pro notula o. legerunt 2. Quod si quis mihi parum habet fidei, prolatum archetypum me absolvet. Utinam illi non toties præberent justæ querelæ materiam!

17 N. Pag. 303. B. *Simeon puero Jesu bene precatus est.*

R. Videtur hoc offensus, quod *Simeon* dicitur *bene precatus puero*: nam sic interpretor *Benedixit*. At nos non metuimus bene precari Deo dicentes: *Tibi laus, tibi honor, tibi gloria.*

18 N. Pag. 307. D. *Christus Joseph & matri non debebat obedientiam.*

19 Ibidem E. *Puer Jesus nulli debebat obsequium nisi Patri cœlesti.*

R. *Christus* in negotio Euangelico nulli debebat obedientiam nisi Patri cœlesti. Et ideo revocatus à consessu Doctorum dure respondet, sed obtemperat: Jussus edere miraculum, *Quid tibi*, inquit, *mecum mulier*? Evocatus à docendo, *Quæ est*, inquit, *mater mea*? Tota autem vita *Christi* pertinebat ad Euangelium, in quo cedere debebat matris auctoritas. Tum autem vulgaris obedientia est, cum quis facit quod jubetur, non ob aliud, nisi quia jubetur.

20 Cap. IV. N. Pag. 327. C. *Capernaum dicitur pro Caphernaum, & ita sæpissime.*

R. *Capernaum* constanter scribunt Græci, nec absurdum arbitror si sic pronuntio, quemadmodum scripsit *Lucas*.

21 N. Pag. 334. E. *Fides autem obedientia est. Obedit enim qui jussus credere credit.*

R. Ne hîc quidem video quid offenderit: *Paulus* scribens ad *Romanos* primo, obedientiam fidei dicit. Rursus 11. *Corin.* x. de fide loquens, eodem utitur verbo ὑπακοὴν ποιεῖν, & incredulitatem impiorum vocat inobedientiam, παρακοήν.

22 Cap. V. N. Pag. 337. *Christus nullum aliud sacrificium exegit, quam simplicem erga se fiduciam.*

R. Confero *Christum* cum Sacerdotibus *Mosaicis*. Illi exigebant sacrificium ab eo, quem non ipsi quidem mundarant, sed mundum pronuntiarant. *Christus* cum ab omnibus peccatis sanet per baptismum, non exigit ab illis aliud sacrificium quam simplicem fidem. Hoc si falsum est, merito reprehendor. De pœnitentia post baptismum & satisfactione nihil illic disputo, quia *Lucas* nihil hujusmodi tractavit. Et tamen si hæc dicta fuissent sub mea persona, non erat grave discrimen nisi accederet interpres iniquus.

23 Cap. V. N. Pag. 342. C. *Christus à suis nullum exegit jejunium.*

R. Hîc an me fefellerit sensus nescio, certe numerus *Beddæ* fefellit. Ego multis locis probo Christianum Jeju-

Digitized by Google

Jejunium ; cum *Chriſtus* ſuos diſcipulos hîc adverſus calumniam jejunantium defenderit.

24 N. Pag. 371. A. *Brabium dicit pro bravium.*

R. Hîc à me nihil peccatum eſt, niſi quòd *brabium* pronuntiavi, quemadmodum ſcripſit *Lucas* * , vocem Græcam Latine. Quid hoc ad Theologos, cum hac de cauſa cum nemine tria verba commutarim? Et ſi quid eſſet accuſandum, magis illi peccant qui recedunt ab Euangeliſta, quam qui ab imperitorum conſuetudine. Quemadmodum ego ſcripſi *brabium*, ſic olim pronuntiavit *Demoſthenes.*

25 N. Pag. 401. *Taxat Magiſtros noſtros, quos Rabinos vocat.*

R. Quî potuit *Lucas* taxare Magiſtros noſtros, cum illos non noſſet? Nec dubito quin taxaturus fuerit ſi noſſet illorum plurimos. Hîc iterum videtur oblitus perſonæ loquentis ac narrantis. Quod ſi tales reperiuntur apud Magiſtros noſtros, quales hîc deſcribit *Chriſtus*, mutent quod damnat Dominus, me ne reprehendant.

26 N. Item pag. 443. *taxare videtur Religionis varios ſtatus.*

R. Neſcio quid hîc appellet Religionem. Ego nullam novi Religionem niſi cultum Dei. Nec ſtatus novi, niſi quos *Chriſtus* inſtituit. Genera vitæ variaque inſtituta novi, quæ tamen ego nuſquam damno ſimpliciter. Utinam ipſi ſe non præbeant damnandos! Quod *Lucas* narrat *Chriſtum* dixiſſe, explico, in quibus deprehenditur quod ille damnavit, *Chriſtum* in jus vocent, non Paraphraſten, imo ſe ipſos potius corrigant: nam ideo dicta ſunt.

27 N. Pag. 446. C. *Prætendit* Eraſmus *jam illicitum eſſe vim vi repellere.*

R. Rurſus hîc numerus fefellit Annotatorem, aut certe ſcribam. Et tamen verum eſt, nefas eſſe Chriſtianis, vim vi propellere, ut vulgo propellitur, id quod aliis in locis dilucide explano. Alioqui & excommunicatio & objurgatio vis eſt.

28 Cap. XXIII. N. Pag. 461. C. Jeſus *mortem ſuam noluit eſſe lugubrem, nec eam à cæteris deplorari, ſed adorari.*

29 N. Ibidem : *Non enim eſt deflenda mors innocentis.*

R. Si rectè plorabant mulieres, *Chriſtus* non rectè compeſcuit illarum lachrymas: ſi mors *Chriſti* non eſt adoranda, nos peccamus qui crucem illius ſic adoramus. Et hodie ſunt qui deplorant vulgari affectu paſſionem *Chriſti*, quo deplorant ſupplicium latronis. Si mors innocentis deploranda eſt, peccat Eccleſia, quæ tanto gaudio celebrat mortem Martyrum, qui tamen non caruere peccatis.

30 Cap. XXIII. N. Pag. 463. F. *Tenebræ factæ ſunt per totam regionem Hieroſolymitanam.*

R. Qui ſcribit tenebras obortas per totam regionem *Hieroſolymitanam*, is non negat obortas alibi. Nec peſſimus eſt auctor *Origenes*, quem ſequutus ſum. Nec mihi officit ſi quid vidit *Dionyſius Heliopoli*, aut ſi quis aliquid tale confinxit.

31 N. Pag. 464. C. *Illud animadverte*, Theophile, *ſemper in Gentibus plus inveniri bonæ mentis quam in* Judæis.

R. Hîc rurſus videtur oblitus perſonæ. Ætate *Lucæ*, quanto Gentes erant proniores ad fidem Euangelicam quam *Judæi?* Quin ipſe *Chriſtus* per *Cananæam* & Centurionem exprobrabat *Judæis* ſuam perfidiam. Non hîc confertur *Petrus* Centurioni, quanquam & *Petrus* abjuravit *Chriſtum*, ſed genus generi. Tempore *Pauli*, quis odioſius obſtitit Euangelio quam gens *Judæorum*? Nunc quales ſint videmus. Vix iterum atque iterum tincti ferunt *Chriſti* nomen.

32 N. Pag. 471. C. Chriſtus *prohibuit jurare quod non prohibuerat Lex.*

R. In Lege *Moſaica* præcipitur ut quod juraveris præſtes, hoc eſt, ne vane jures. Sed ibidem laudantur quinque civitates *Ægypti*, quæ jurant per nomen Domini, *Eſaiæ* XIX. Si Lex vetuit omnino jurare, peccat *Paulus*, qui non uno loco jurat. Quod *Chriſtus* vetuerit jurare, dilucidiùs eſt quam ut negari poſſit. Cæterum hunc nodum explicare non erat Paraphraſtæ, tametſi nonnihil de his rebus alibi noto.

N. Ibidem : Chriſtus *jubet inimicos diligere, cum Lex vetus permittat & odiſſe & ulciſci inimicum.* 33

R. Scio quoſdam quod apud *Matthæum* ait Dominus dictum eſſe Antiquis, referre non ad Legem, ſed ad Phariſæos Legis interpretes. Atqui cætera *non, mœchaberis, non occides, non pejerabis*, an non ad Legis præcepta referuntur? Jam Lex quo ſpectat niſi ad vindictam temperandam? Ad hæc odiſſe dicitur qui fugitat commercium, ita *Judæi* jubentur abſtinere à conjugiis alienigenarum. Poſtremo Legem hîc appello craſſiorem Legis partem. Alioqui ſcio nihil aliud eſſe Legem, niſi Euangelium involutum, & Euangelium eſſe Legem explicatam. Hæc duo inter ſe confero.

N. Pag. 473. A. *Quid exigit* Chriſtus *à ſuis, niſi fidem?* 34

R. Non excluduntur hîc opera pietatis, quæ ex fide & caritate proficiſcuntur, ſed opera Legis, hoc eſt, circumciſio, ſabbatiſmi, lotiones, & victimæ: id me ſentire plane declarant quæ ſequuntur, *Eccleſiam quæ neſcit opera Legis.*

N. Ibidem: *Deus non judicat ex operibus, ſed ex fide, non ex cibo & potu.* 35

R. Non hîc excludere me pietatis opera, declarat quod addo, *Et per illius juſtitiam juſtificabuntur, principis ſui veſtigiis ingredientes.* Quanquam autem externa non improbantur apud Chriſtianos, modo quis rectè utatur, tamen ex his Deus non judicat hominem, cum non raro peſſimi ſint, qui talium rerum ſunt obſervantiſſimi. Suſpicari videtur *Bedda* & hîc aliquid latere *Lutherani* dogmatis: at meum non eſt præſtare quid quiſque ſuſpicetur.

N. Pag. 486. D. & F. Thomas *erat inter diſcipulos, cum* Chriſtus *in die reſurrectionis veſperi januis clauſis, in eorum ſtetit medio.* 36 Cap. ultimo.

R. De tribus locis, quibus narratur apparuiſſe Dominus, dubitatur, an ad eandem pertineant apparitionem. Quorum unus eſt apud *Lucam* XXIV. ubi narratur quomodo apparuerit aliena ſpecie diſcipulis euntibus *Emaus*, nimirum eodem die quo ſurrexerat. Atque hoc ipſo die duo diſcipuli, quorum alter erat *Cleophas*, narrantur ſub veſperam recurriſſe *Hieroſolymam*, & offendiſſe congregatos undecim, cum aliis aliquot diſcipulis. In hoc colloquio ſupervenit *Jeſus*, & oſtendit illis manus ac pedes. Mox dubitantibus etiamnum diſcipulis, ſumſit cibum cum eis. Alter eſt apud *Joannem* XXI. ubi *Jeſus* ſero una ſabbatorum ingreſſus eſt foribus clauſis, ac dubitantibus oſtendit manus & latus. Tertius eſt apud *Marcum* ultimo, ubi ſic legitur: *Noviſſime autem recumbentibus illis undecim apparuit & exprobravit incredulitatem eorum. Lucas* & *Marcus* conſentiunt in numero diſcipulorum, & conſtat hoc non poſſe accipi niſi de duodecim Apoſtolis. *Joannes* de numero tacens conſentit cum *Luca* in oſtenſione manuum ac pedum, niſi quod alter pro pedibus nominavit latus. Satis autem convenit locum apud *Lucam* & *Joannem* rem eandem referre. De loco *Marci* cum ſe multum torqueat *Auguſtinus*, nec ſatis explicet, tandem mavult quod narrat *Marcus* ad aliud tempus pertinere, non ad eum diem quo reſurrexit Dominus. Quod ſi quis exiſtimat hunc quoque locum conſentire cum cæteris duobus, urget difficultas explicanda manifeſtæ pugnantiæ, quomodo potuerint eſſe undecim Apoſtoli cum *Joannes* dicat abfuiſſe *Thomam*. Quæ difficultas manet, etiamſi largiamur *Marci* locum huc non pertinere : nam & *Lucas* undecim cum aliis adfuiſſe dicit. Ex hac difficultate multis modis elabi conantur. Primam ſolutionem merito rejicit *Auguſtinus*, qua dicunt undecim non pertinere proprie ad Apoſtolos, ſed quoſvis diſcipulos. Primum enim obſtat Græcus articulus, ne de quibuſvis diſcipulis poſſit accipi τοῖς ἑνδεκα, ſed multo magis obſtat quod addit, *Et eos qui cum illis erant.* Jam quod à quibuſdam adfertur, nume-

* Memoriæ Eraſmum fefellit; non enim hoc verbo uſus eſt Lucas, ſed D. Paulus, 1. Corinth. IX. 24. Philipp. III. 14.

Digitized by Google

numerum undecim etiam in decem manere, durius videtur *Auguſtino*, quam ut auſit huic argumento fidere, quod tamen in numero duodecim mollius eſt, quod numerus à *Chriſto* dedicatus maneat in pauciori-
bus, præſertim cum eum mox expleturus eſſet *Mathiæ*. Hunc itaque nodum conatur duobus modis ſolvere. Primum ſi *Joannis* narrationem dividamus in duas apparitiones, ut hæc verba, *Dixit ergo iterum, pax vobis: ſicut me miſit Pater*, &c. pertineant ad alteram apparitionem à ſuperiore diverſam, & in priore quidem adfuerit *Thomas*, in poſteriore non adfuerit. Hoc ſi cui non placet, aperiunt aliam elabendi viam. Ut *Thomas* adfuerit quidem cum undecim congregatis veſpera diei quo reſurrexit Dominus, ſed exierit priuſquam Dominus veniret. Nam hîc ſcrupulus ille, quod apud *Joannem* diſcipuli dicunt *Thomæ, vidimus Dominum*, quaſi ille non ante vidiſſet Dominum, facile ſolvitur, ſi intelligamus, iterum vidimus, & evidenter vidimus. Nam in prima viſione nonnulli adhuc dubitabant, an vere vidiſſent Dominum, præcipue *Thomas*. Hæc ſi videntur probabilia, nihil eſt abſurdi, ſi quis dicat *Thomam* in prima apparitione adfuiſſe: in ſecunda, quam *Joannes* indicat cum ait, *Dixit ergo eis iterum, pax vobis*, non adfuiſſe, ſed poſt octo dies adfuiſſe. Nec enim mea refert an hic dies intelligatur octavus à die reſurrectionis, an ab eo die quo iterum apparuit abſente *Thoma*. Nam ſæpius apparuiſſe Dominum quam referunt Euangeliſtæ, vel ex *Paulinâ* ad *Corinthios* prioris Capite xv. palam eſt. Dicet aliquis, Quî convenit, ut cum *Thomas* adfuerit primum oſtendenti manus, pedes, & latus, cur iterum ſibi oſtendi cupit? Primum viderat tantum, nec enim leguntur contrectaſſe, & erat veſpera, & erant animis perturbatis, denique *Thomas* erat cæteris durior ad credendum, cui non ſufficiebant oculi, præſertim luce dubia: craſſius quærebat teſtimonium ſenſus craſſioris. Itaque cum viderem magnos Auctores, hîc *velut in vado*, quod ajunt, *hærere*, vixque quicquam adferre, quod ipſis etiam ſatisfaciat, ſequutus ſum eam ſententiam, quæ mihi videretur veriſimillima. Ea ſi nihil habet pugnans cum Euangelicis litteris, ſi nihil adverſans Euangelicæ pietati, nihil video commiſſum flagitii, præſertim in Paraphraſi, quæ nihil aliud eſt quam commentarium, quod toties profiteor. Hæc dicere poteram, ſi plane confirmaſſem *Thomam* adfuiſſe in ea apparitione, quam memorat *Lucas* & *Joannes*. Nunc relegens mea, nihil minus video ſenſiſſe me quam quod, ni fallor, ſuſpicatur *Bedda*. Neque enim *inter hos* refertur ad diſcipulos undecim congregatos, ſed ad omnes qui credunt animas hominum vana ſpecie ſeſe oſtendere nonnunquam oculis noſtris, cum careant corpore ſolido. Ac mox ſubjicio, *inter hos erat* Thomas, *hoc eſt, hujus erat opinionis, & ideo ut crederet, opus erat præter curioſam inſpectationem etiam contactu.* Nam quod addo: *Qui negarat ſe fidem habiturum diſcipulis*, &c. Hæc verba non referuntur ad tempus quo hæc geſta ſunt, quo nondum *Thomas* tale quicquam dixerat, ſed ad tempus quo hæc ſcribebat *Lucas*, ſub cujus perſona texitur narratio. Hîc igitur adfuiſſe *Thomam*, nec ajo, nec nego, ſed in medio relinquo. Poſtremo ſi demus hanc apparitionem eandem eſſe cum ea, in qua *Joannes* negat adfuiſſe *Thomam*, & ſi recipiamus *Auguſtini* commentum, quod exierit antequam veniret Dominus, tamen excuſare poteram, *Erat* poſitum pro *Fuerat*, quod apud Latinos Auctores rarum non eſt. Hæc habui quæ ex tempore reſponderem, ad Annotationes *Beddæ* non intellectas. Utinam quod hîc fecit, dignetur & in reliquas Paraphraſes meas facere! Non alio officio poterit me vehementius demereri.

FINIS.

DESIDERII ERASMI IN NATALIS BEDDAE CENSVRAS ERRONEAS ELENCHVS

SI *Natalis Bedda* tantum ſinceris pectori habuiſſet erga me, quantum gerebam erga ipſum, non ita præcipitaſſet ſuas cenſuras, ea re melius conſuluiſſet, tum utriuſque noſtrum honori, tum ſtudiorum utilitati, tum Theologici nominis dignitati. Saltem à manifeſtis mendaciis & evidentibus calumniis temperaſſet. Ante annum ferme miſit ad me locos aliquot notatos, egi gratias ex animo, rogans adderet tribus verbis quid offenderet, quod in multis ne conjectare quidem potui quod improbaret. Obticuit. Cum multis indiciis colligerem animum illius exulceratum, miſi notationes ad ſacratiſſimam Facultatem Theologiæ *Pariſienſis*, cum explicatione mentis meæ &, ſicubi res poſceret, defenſione, hac lege ut ſi mea reſponſio non ſatisfaceret, ex illorum admonitione vel corrigerem vel explicarem quæ offenderent. Quod ſi mihi fuiſſet animus inſectandi *Beddam*, poteram Annotationum defenſiones hîc edere. Id utinam eſſet factum! *Bedda* admonuit, ſed cenſuras ſuas ante exhibuerat præter alios ſenatui, & admonuit Theologus, ſed Theologum profeſſione parem, in quibuſdam ipſi imparem, in quibuſdam fortaſſis & ſuperiorem. Sed fingat quantumvis inferiorem, ſi ideo non ſum illi Theologus, quod ſim inferior eruditione, nec ipſe multis erit Theologus, quod non pauci ſint ipſo doctiores. Audiuntur in publicis confeſſibus parricidii rei, & frater admonens fratrem non poteſt audire fratrem ætate grandiorem & privatim & comiter ſatisfacientem? Si quis Theologus diceret me *Manicheum*, quod nomen exſecror, num piaculum eſſet ſi crimen falſo intentatum depellerem, ſimul & meæ famæ conſulens, & aliorum ſaluti, qui meo exemplo traherentur in periculum, aut in errore confirmarentur. Sed non eſt animus hîc ingredi diſputationem, ex qua non video quid boni fructus queat proficiſci. Omiſit quaſdam è cenſuris ex mea reſponſione, cum tam multas reliquerit, quæ manifeſtam habent vel vanitatem vel calumniam. Sunt odioſa vocabula, fateor, minimumque congruentia Theo-

Digitized by Google

Theologo, ſed utinam his rebus eſſent nomina civiliora! Fortaſſis animum mentiendi calumniandive non habuit *Bedda*, ſed tamen utrumque factum ex libris illius, velut indice demonſtrabo. In Præfatione dicit me nulli monitorum unquam paruiſſe, cum præter alios ex admonitione *Lei* quædam mutarim, nonnulla etiam perperam, quæ *Leus* ipſe recenſuit in ſuo Indice, ne quis dicat me fingere, multa ex calumniis *Stunicæ*, quæ ipſe libris editis numerata exprobrat, & hîc quoque nimium facilis. Nam quod ex illius ſcriptis dixeram, *Chriſtum non debuiſſe parentibus obedientiam*, nimium obſequentis erat. Denique ex ipſius *Beddæ* notulis quædam correxi in Paraphraſibus nuper excuſis. An verum igitur ſcribat *Bedda* me nulli parere, viderint alii.

1. Propoſitio prima manifeſtum habet mendacium. Ait me tradere non omnes Epiſtolas *Paulo* inſcriptas illius eſſe, cum ego nihil aliud dicam, quam de quibuſdam fuiſſe dubitatum, inter quas eſt Epiſtola ad *Hebræos*; & Epiſtolas ad *Senecam*, item ad *Laodicenſes* illius non opinor eſſe.

Et illud plane falſum eſt, omnes Doctores nihil dubitaſſe de Epiſtola ad *Hebræos*, quod multis locis declaravi, & indicavi *Beddæ* locum, quem debebat legere. Et hæc cenſura, quæ complectitur duo manifeſta mendacia, vocat meam propoſitionem temerariam & ſchiſmaticam.

Ad tertiam cum expedite reſponderim in Divinationibus, tamen *Bedda* diſſimulat, quo poſſit temeritatis & Hæreſiarchæ inania nomina infucire.

Ad 12. Symbolum volo videri ab Apoſtolis profectum, cum eo ipſo loco, unde *Bedda* ſumſit anſam calumniandi, profitear hoc eſſe majeſtatis ac puritatis Apoſtolicæ. Et an proditum ſit, hoc eſt, an ſcripto vulgatum ſit, dubito, an ab illis profectum ſit, non dubito. Nec ſtatim dubius eſt in fide qui de auctore libri dubitat: de duabus poſterioribus Epiſtolis *Joannis Hieronymus* pronuntiat non eſſe Euangeliſtæ. De Epiſtola *Jacobi* diu dubitatum eſt. Item de ſecunda Epiſtola *Petri*, de Epiſtola ad *Hebræos*, de Apocalypſi, non dico ab hæreticis, ſed ab orthodoxis viris, qui ſcriptum tamen ut à Spiritu Sancto profectum amplectebantur, de Scriptoris nomine incerti.

CENSURA 13. & 14. ſcatent evidentibus mendaciis: nec enim temero ritus Eccleſiæ, & in eo ipſo loco, unde ſumit calumniam, fateor baptiſmum ſacramentalem iterari fas non eſſe. Item quod debet fieri quod volo eſſe liberum, figmentum eſt calumniatoris, propono enim conſiderandum, non volo, aut præſcribo.

In 17. quod notat in Editione proxima correctum eſt, quanquam hoc fidei non repugnat.

19. manifeſtam habet calumniam, de homine puro illic loquor, non de *Chriſto*, ſed in *Chriſto* exemplum oſtendo.

20. Non lapſus eſt *Eraſmus*, ſed calumniatus eſt *Bedda*. Nunquam ſomniavi *Danielem* quadraginta diebus jejunaſſe, ſed ita *Danielem* adjunxi, quemadmodum Hymnus Eccleſiaſticus adjungit. *Hoc* Daniel *myſterium victor leonum viderat.*

21. Uxor eſſe deſiſſe dicitur, quæ indigna eſt uxoris nomine, & quæ meruit lapidari, aut à toro ſejungi. Sequitur enim eodem in loco continenter, *& matrimonii jus ademit ſibi.*

32. Non eſt in meis verbis hæreſis, ſed in calumniatoris depravatione. Ego quod *Chriſtus* dixit & Veteres interpretati ſunt explico paraphraſi. *Bedda* ſic accipit, quaſi his temporibus hoc dicat *Eraſmus*. Et de viris Apoſtolicis illic loquor, non de Principibus.

33. Editio prima anni 22. cui adfui, habet *ſingulari more*. Nec id latuit *Beddam*, ſed quæſivit anſam calumniæ. Etſi non ſuccurriſſet prior Editio, ſi non monuiſſem ſcripto, ipſe ſermonis contextus ſatis indicat ſenſum meum. Nec illi poteſt obſcurum eſſe quid de *Chriſti* divina natura ſentiam. Et hîc igitur evidens eſt calumnia.

35. Hîc inſigne mendacium eſt: non enim loquor de voto obſtrictis, nec patrocinor illicitæ libidini, & veriſſimum eſt perpaucos poſſe continere, ſi ad incontinentium numerum conferantur. Neque omnes continentiam habent qui vivunt cœlibes.

36. Imo hæreſis eſt dicere, quod homo ſuis operibus mereatur vitam æternam *de condigno. De congruo* non ſum loquutus.

38. De ſubſtantia præmii loquor, non de modo meritorum. De *Lutheri* dogmate nec ſomniabam, cum illa ſcriberem, & ideo quod adfert *Bedda* mera calumnia eſt. Vel ex Libello *de Libero Arbitrio* ſcire poterat me non ſentire cum *Luthero*.

39. Imo animam in priore parte accipio pro vita, & in ſecunda, pro vita, ſed totius hominis. Sic loquitur Euangelium: *Qui perdiderit animam ſuam, in vitam æternam inveniet eam.*

41. Si contradictoria meæ propoſitionis eſt falſa, ut revera eſt, mea vera ſit neceſſe eſt.

43. Audendi verbo abutor, *non auſus eſt*, pro eo, quod eſt, non tutum judicavit, quemadmodum alicubi ponitur in Euangelio. Si pius eſt ſermonis tropus, *Chriſtus timuit infirmis*, pius eſt & hic, *non auſus eſt eos adhibere teſtes.* Cæterum quod expono de tribus tantum aſſumtis, præter alios commentum eſt *Chryſoſtomi* & hunc ſequuti *Theophylacti*. Cæterum an tam profundo ſomno dormierint, ut nec orantem, nec ſuſpirantem ſenſerint, doceant, qui affirmant.

IN LUCAM.

45. Semper dubitatum fuiſſe dixi, non ab omnibus, id ſatis docui in Apologia adverſus *Fabrum*, tum in Annotationibus, quæ *Bedda* ideo non legit, ne quid officiat calumniæ.

46. Ea vanitas placuit *Cypriano*, nec diſplicuit *Auguſtino*, quod libello proprie in hoc edito ſatis declaravimus. Ibidem demonſtravimus *ſermonis* vocabulo congruentius exprimi perſonam Filii quam nomine *verbi*. *Tantum* autem adverbium non excludit opera caritatis & fidei, & quod illic dicitur, pertinet ad eos qui vel ex Judaiſmo vel Paganiſmo veniunt per baptiſmum ad profeſſionem Euangelii. Unde in meis verbis non eſt hæreſis *Lutherana*, ſed in *Beddæ* verbis evidens calumnia.

47. Non eſt *Lutherana* vox, ſed *Pauli*, quam eo ſenſu protuli, quo protulit ille.

48. Expono quod Angelus appellat gratiam, & nego fuiſſe ſimpliciter meriti Virginis quod Deum pareret. Quod adfert *Bedda* de humilitate nugamentum eſt, cum illic humilitas ſit abjicientis ſeſe, non laudantis, ut *Bedda* vult, id declaratum eſt in Annotationibus, quas *Bedda* prudens excluſit, ne non eſſet locus calumniæ.

50. *Feſtinaſſe* legitur, *ſalutaſſe quenquam*, hoc eſt, officii gratia ad quenquam divertiſſe, non legitur.

51. Hîc *Bedda* tota errat via. Ego ſub perſona *Lucæ* loquor de ceremoniis Legis abolitis, non de conſtitutionibus Eccleſiæ, quas *Lucas* tum non noverat. Nomino enim illic circumciſionem, neomenias & lotiones, quæ verba *Bedda* prudens omiſit, quia excludebant calumniam.

53. Oſtendi *Beddæ* typographorum errorem eſſe, non meum, & curavi caſtigandum. Sed *Bedda* noluit ſibi perire hanc calumniolam.

54. Quoties dicimus, *gloria tibi Domine*, bene precamur illi, quod Græci dicunt εὐλογεῖν. Definitio *Beddæ* ridicula eſt, & tamen cum dicimus, *adveniat regnum tuum*, precamur Deo, quod nondum habet, hoc eſt, omnia ſubjecta per Filium. Ita *Simeon* precari poterat *Jeſu*, ut ſua morte redimeret Orbem, & innoteſceret toti mundo, quod nondum erat factum. Itaque in meis verbis nulla eſt blaſphemia, ſed in *Beddæ* verbis impudens calumnia.

Digitized by Google

57. Probabile eſt *Joſeph* & *Mariam* omni ſollicitudine curaſſe *Jeſu* pueritiam & infantiam, qua pii parentes ſolent, hoc eſt, caviſſe ne caderet, ne ſitiret, ne algeret. An tum temporis Virgini perfecte revelatum fuerit, eum eſſe Deum & hominem, mihi non liquet. Certe matris expoſtulatio aliud ſonat. Denique *Maria* utriuſque nomine loquitur, & quod dicit, in *Joſeph* verum eſſe poterat.

58. 59. De Euangelii negotio illic agitur, & in hoc ſoli Patri debebat obedientiam. At *Stunica Bedda* judicio doctus & orthodoxus docuit, impium eſſe ſi quis dicat *Chriſtum* ullo modo debuiſſe obedientiam parentibus humanis. Tamen ille pie loquutus eſt, ego impie, quanquam non idem ſentio quod *Stunica.*

61. Sic Diabolus eſt natura mendax, quemadmodum homines natura filii iræ. Diabolus enim non alieno impulſu mentitur, aut caſu. De natura condita non loquor: quis enim neſcit illum aliter fuiſſe conditum?

62. *Paulus Roman.* 1. vocat, ὑπακοὴν πίστεως, fidem diſtinguens à ſcientia quæ rationibus humanis acquiritur. Eodem ſenſu dictum eſt à me quod carpit *Bedda.*

63. Dominus facturus miracula, tantum exigit fidem, Sacerdotes à mundatis exigunt munus, *Chriſtus* nihil tale exigit. De pœnitentia poſt baptiſmum, de ſatisfactione, de bonis operibus cæteris illic non diſputo.

64. Qui jubet intrare cubiculum, nonne jubet clam orare? Qui damnat in orando multiloquium, & præſcribit brevem formulam, nonne jubet orare paucis? *Bedda* putat *paucis orare* idem eſſe quod infrequenter orare. Et tamen non improbari mihi his verbis piorum hominum apertas, prolixas & aſſiduas preces multis locis doceo, ſi *Bedda* dignetur legere.

66. In Septuaginta conſentiunt omnes Græci codices, & in his præter alios, *Ambroſius*, *Dorotheus* martyr, *Theophylactus*, quemadmodum in Annotationibus docuimus. Porro ſi blaſphemia eſt dicere Apoſtolos miſſos, ut ipſi experimento diſcerent quid poſſet fides, novum blaſphemiæ genus audio. Sic aves ſinunt ſuos pullos volitare, ut experiantur & aſſueſcant. Nec ideo *Chriſtus* neſciebat quid eſſet eventurum, ſed paulatim illos formabat ut rudes adhuc. *Bedda* non videtur intellexiſſe meum ſermonem.

68. Ut hæc peſſime interpretetur *Bedda*, tamen verum eſt quod dixi, qui in talibus ponit *Chriſtum*, & eum dividit, uno quoque ſibi vindicante, plurimum errat. Quod autem *Bedda* dicit his verbis me taxare pie caſteque viventes in cœlibatu, aut in monaſteriis, manifeſtum eſt mendacium. Exoriebantur & *Lucæ* temporibus ejuſmodi ſchiſmata, & illic ſub *Lucæ* perſona loquor. An *Paulus* cum dicit *regnum Dei non eſt eſca & potus*, damnat abſtinentiam Chriſtianorum? Quod autem *Spadonem* dixi, ille interpretatur continentem, cum ego ſenſerim cœlibem.

70. Si *Chriſtus* ſuam mortem vulgari more lugeri voluit, cur bajulans crucem reprehendit filias *Hieruſalem*?

72. 73. Hîc palam calumniatur *Bedda. Lucas* loquitur de ceremoniis Legis jam abrogatis, & *Bedda* interpretatur, quaſi ego nunc loquar de operibus fidei & caritatis. Hoc enim præceſſit verba quæ refert *Bedda.* Hîc cum anditis redimendum in judicio, videtis ſublatam legalium ceremoniarum fiduciam. Det Dominus *Bedda* mentem meliorem.

74. Hac de re cum *Bedda* reſponderim, ſchedis ad ipſum privatim miſſis, demiror cur diſſimulat. *Inter hos Bedda* refert ad diſcipulos congregatos, cum magis referatur ad opinantes ſpectra apparere ſpecie viſibili, cum non habeant ſolidum corpus. Quanquam hujus loci ſcrupum proxima Editione diſcuſſimus. Et alioqui res eſt perplexa, nec paucis verbis explicari poteſt. Et hoc Deus ignoſcat *Bedda.*

78. Ipſa verba, quæ recitat *Bedda*, docent, me non damnare, neque preces in Principe, neque ſacra, ſed id commendare, quod propius ad ipſius munus pertinet. Id magis etiam perſpiciet qui Præfationem eam perlegerit.

79. Non eſt *Lutheranus* error, ſed pia deploratio prolapſi Chriſtianiſmi. Quod autem addit, me tum dicere tum ſcribere ſolitum, collegium Theologorum ſolis uti ſophiſmatibus argutulis, ſeu ſpinoſis Philoſophorum complexionibus, aut tricis, ſplendidum ac forte mendacium eſt, impudenter in hoc confictum, ut mihi moveat invidiam apud Theologorum collegium, quo magis impetret quod agit. Neque nego bonos Theologos adverſus hæreſes frequenter bonam operam navaſſe Eccleſiæ Dei, ſed in horum numero non eſſe *Beddam* declarat hic liber.

80. Error nominis proxima Editione caſtigatus eſt. Et tamen *Philippus* apud *Nathanahelem Chriſtum* appellavit *Meſſiam*, idem ſentiens quod *Nathanahel.* Interpretatio, quam ſequor, non eſt gloſſulæ, ſed divi *Chryſoſtomi*, multis & apertis verbis hoc proſequentis.

81. Per tropum matrem voco, cui jus eſt imperandi filio. In Euangelii negotio Dominus matris auctoritatem interponi noluit. Totam enim gloriam voluit eſſe Patris. Hîc nulla eſt impietas: ſed impietas fuiſſet, ſi dixiſſem Euangelii negotium ex auctoritate matris pendere.

84. Hîc oro te, lector, vide inſignem impudentiam calumniandi. Exponens allegoriam aquæ verſæ in vinum, loquor hunc in modum: *Jam enim tempus erat, ut pro inſipida ac diluta Legis* Moſaicæ *littera, haberemus generoſum illud vinum Euangelici ſpiritus,* Chriſto *videlicet quod erat inefficax & inutile nobis, vertente in melius. Lex enim* Judæis *abſque* Chriſto *non ſolum inſipida eſt, verùm etiam exitiabilis. Qui non crediderunt Euangelio, adhuc bibunt aquam Legis* Moſaicæ: *qui crediderunt* Chriſto, *ſpiritualis doctrinæ muſto feliciter ad vitæ cœleſtis amorem incaleſcunt, ac vegetantur. Nec id factum eſt priùſquam* Chriſtus *ſibi jungeret Eccleſiam ſponſam ſuam.* Hoc quod dico eos qui *Chriſto* crediderunt, bibiſſe vinum ſpiritus, cum *Judæi* non credentes biberint aquam inſipidam litteræ, *Bedda* dicit eſſe hæreſim *Lutheranam*, cum nihil dici poſſit magis pium. Deinde quod à me dictum eſt de Apoſtolis reliquiſque diſcipulis, infirmis, donec biberent muſtum Sancti Spiritus, ille torquet ad Prophetas & Patriarchas, cum de illis nulla ſit mentio. Eccleſia ſecreta fuit ab initio mundi, ſed poſt miſſum Spiritum ſucceſſit ebrietas ex muſto Spiritus, & palam celebratæ ſunt nuptiæ. Quod ſi impie dicitur de illo tempore, quomodo *Petrus* in Actis prædicat *Johelis* vaticinium eſſe completum, non quod antea non fuerit Spiritus, aut Martyres, ſed quod nunquam Spiritus ſolennius aut copioſius effuſus. Obſecro te, pie lector, qualis eſt iſte Theologus, qui in tam pie dictis, hæreſeos & blaſphemiæ ſtruit calumniam? Verùm hujuſmodi nænias illi, Magiſtelli ſuggeſſerunt. Nam plane ſentio illum mea non legiſſe, & opinor nec hunc librum legit, à quocunque ſcriptum.

85. Qui legerit locum, intelliget me loqui de his, qui ex Paganiſmo aut Judaiſmo veniunt ad baptiſmum. An ab his requiruntur opera ſuperioris vitæ, aut imputantur malefacta? Nec hic ſenſus potuit fallere *Beddam*, cum inibi legantur hæc verba: *Non enim exigitur pro prioribus admiſſis ſatisfactio, non Legis obſervatio, non circumciſio.* Quid apertius? Quod in baptizatis non excludo bona opera, declarant quæ inibi ſequuntur: *Per quod ſalus æterna datur omnibus quantalibet peccatorum ſarcina gravatis, ſi quis modo poſt Euangelicam profeſſionem abſtineat à vitæ prioris flagitiis, & juxta doctrinam ejus, cujus nomen profeſſus eſt, nitatur ad perfectam pietatem.* Appello te, lector, eſt hic ſermo excludentis in baptizatis opera fidei & caritatis? Deus illuminet *Beddam* in has tenebras devectum.

86. Hiſtoria incerta eſt, an quinque legitimos habuerit viros, an non, idcirco ad allegoriam reſpexi, illegitimum vocans maritum, qui libidini habetur, etiam-

Digitized by Google

etiamsi rite ductus sit. Logimus enim vir est intellectus spiritualis, quem advocari jubet. Sive igitur interpreteris quinque viros quinque sensus corporis sive quinque libros *Mosi*, si absit spiritus, illegitimi sunt viri juxta sensum allegoricum.

87. Hîc rursus habes splendidum mendacium optime lector. Exponens illud Joan. *Mulier crede mihi*, hunc in modum loquor: *Verum hoc Euangelicæ pietatis mysterium aperturus præfatur fidem, sine qua nullus est idoneus auditor Euangelicæ doctrinæ, nec idoneus cultor Euangelicæ Religionis. Fides enim sola purificat corda, redditque idonea quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana.* Non loquor de vita Christianorum, sed de his qui recipiuntur ad Euangelium: hos, opinor, sola fides purificat, non opera Legis, aut Pagana religio. Sic enim *Petrus* in Actis, *Nihil discrevit inter nos & illos fide purificans corda illorum.* De *Lutheri* dogmate ne somniabam quidem cum illa scriberem. Quam male consulunt honori *Beddæ*, qui hæc tam insigniter calumniosa illi suggerunt! Est cur illi succenseam, sed magis illius misereor quam irascor; ita me Deus amet.

89. Quod per invidiam aut odium commissum est non est ipsa invidia aut odium, nec jam occultum est, sed manifestum: potest enim in jus vocari. Ego de secretis affectibus sum loquutus.

90. Cum *Bedda* probe sciret me non sentire Patrem & Filium esse duas essentias, quid opus erat hîc *duo* accipi neutro genere, quasi non dixerit *Ovidius*, *Nos duo turba sumus*? Quid autem habet mali argumentatio hæc Dialectica: *Si duo homines habent legitimum testimonium, multo magis habebit pondus Patris testimonium cum meo consentiens.* Quorsum autem attinebat nugamentum puerile, *Ad impossibile sequitur quidlibet*? Certe apud homines Patris testimonium esse poterat sine Filii testimonio: nam *Judæi* veteres solum Patrem noverant. O frigidas nugas!

91. Ego *viam* pro *aditu* posui, & utcunque accipis viam, non excludo bona opera, certe fides dux est, & scopum ostendit. Quantum est hodie periculum, fidem sic in Scripturis laudatam honorifice nominare, per istos fidei defensores! Certe me non sentire cum *Luthero*, sexcenta loca declarant in libris meis. Nec adhuc satis intelligo quid sibi velit *Lutherus*, qui fatetur necessario ex fide nasci bona opera.

92. Quod hîc dico, multis verbis inculcat divus *Chrysostomus* ex auctoritate Prophetarum. Nec obstat locus ex Deuteronomii Cap. v. *Ego Dominus reddens iniquitatem*, &c. Item apud *Hieremiam* XXXI. cum non agatur illic de pœna translata à meritis ad immeritos, sed dilata à nocentibus ad posteros nocentiores. Ridiculum autem quod dicit *Bedda*: *Quod denique dicit* Erasmus *cæcitatem illi cæco casu quopiam accidisse, si Deum respicias, aperta blasphemia est.* Quis tam insanus, ut Deo tribuat casum aut imprudentiam? sed quod ex causis nobis ignotis acciderat, hoc Deus vertit in suam gloriam, qui cæcitatem non immiserat. Quas hæreses hîc legimus?

93. Cum ex meis verbis perspicuum sit illic fieri mentionem de consensu dictorum aut factorum Patris ac Filii, quorsum attinebat ingerere mentionem *Sabellii*, nisi quod *Bedda* hoc tum forte lectum voluit bene collocare, quo crescèret modus voluminis?

94. De gladio Principum non loquor, sed de viris Apostolicis, & ex sacris Doctoribus faciam perspicuum hoc voluisse Dominum, quod interpretor. Hîc perlongum esset referre.

95. Quis nescit in Christianorum aulis esse pios ac pias! imo novi multos qui nobis nostram exprobrent impietatem. Id scriptis etiam non semel testatus sum, ego de *Judæorum* & Principum impiis aulis illic loquor. *Christum* autem quodammodo abnegat, qui probitati renuntiat.

96. Quod in mea Paraphrasi velut iniquum & impium damnat *Bedda*, perspicue docet piissimus vir *Hieronymus* in *Catena aurea*. Nam locus in præsentia non occurrit: *Vel*, inquit, *ideo* Jesus *nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a Præside, & crucis utilitas differretur. Multa celavit Dominus, ne impediretur mysterium passionis.* Quod nego liberum *Pilato* fuisse, suspicor *Beddam* somniare de Libero Arbitrio, de quo scit quid sentiam. Si liber est, qui metu cogitur, vicit *Bedda*: si liber est qui non potest, nisi quod permittit Deus, erat *Pilato* liberum absque Dei permissu occidere *Jesum*. Bone Deus, quales Annotationes à tanto Theologo!

97. In schedis ad me missis *Bedda* scripserat, se nihil deprehendisse in *Marco* reprehendendum. Hîc nescio quis Deus illi multa suggessit.

100. Utraque Lex habebat utrumque, sed Euangelium proprie dicitur Lex gratiæ. Ad *Joannem* autem cum & publicani, & meretrices, & milites confluerent, nullum invitavit ad Legis observationes, victimas, vota, jejunia, sed ad resipiscentiam. Loquor illic de votis & jejuniis *Judaicis*. Non damno vota aut jejunia, sed *Joannes* id initio prædicabat quod erat congruentius Euangelio mox succesturo.

101. Si quis ad vivum exigat, eadem est Lex vetus & nova, & tamen dicitur novum Testamentum quod tradidit *Christus* abrogans veteres hostias. Distinguendi causa partem Legis abolendæ voco *Legem carnalem*, cognitionem spiritualem voco *Legem Euangelicam*. Quod *Bedda* docet nihil ad me pertinet.

102. Cur hunc sensum horret *Bedda*, *Lex ceremoniis & terroribus fecit hypocritas*, cum non horreat hæc verba Pauli, *littera occidit*? loquor enim illic de crassiore Legis parte, hoc est, quæ gratiæ est expers. Item quod est apud *Ezechielem*: *Dedi eis præcepta non bona.* Justitia hominum, & terror absque gratia, facit hypocritas. Jam Euangelium magis agit promissis, & ceremonias *Judaicas* submovit, atque hinc minus facit hypocritas, quam Lex *Mosi*.

103. Crassiorem Legis partem voco Legem *Mosi*, quemadmodum & *Paulus* ad *Hebr.* VII. *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Ergo qui servabant Legis præcepta, justi habebantur apud homines, at non item apud Deum.

104. Non derogatur humanis institutis aut doctrinis, sed præfertur auctoritas divina.

105. Quid hac calumnia perversius? Ego admoneo, vel *Marcus* potius, ut Christiani Deum orent, ut *Judæos* affixos litteræ & ceremoniis *Mosaicæ* Legis addictos erigat ad libertatem Euangelicam, videlicet concepto spiritu filiorum, & accensa caritate, quæ foras mittit timorem: at quod *Bedda* interpretatur, nec congruit illi tempori quo loquutus est *Marcus*, nec meæ sententiæ. Et ne quis suspicari posset, me probare licentiam quorundam *Lutheranorum*; addo, *quæ non in hoc valet ut licentius peccemus, sed ut alacres ac volentes obeamus munia caritatis Euangelicæ.* Unde hic articulus non manifeste fovet libertatem *Lutheranorum*, sed manifeste calumniatur *Bedda*. Et si quis hodie moneret Christianos atque etiam Monachos, ut à trepidatione & superstitione ceremoniarum proficerent ad vigorem spiritus, nonne foret pia monitio?

106. Imo pia est admonitio, cessasse nunc donaria & holocautomata *Mosaicæ* Legis, ac pro illis requiri ut peccator agnoscat morbum suum, & medico Deo se totum tradat. Huic contraria docere vere impium est. Qui leget locum, videbit illic nihil non pie dictum.

107. Non dico desperantem, sed desperationi vicinum. Horror peccati præcedit conturbans totum hominem, nonnunquam ad desperationem. Eum horrorem sequitur serenitas spei conceptæ de bonitate Dei. Hîc nec falsitas est, nec ulla pugnantia.

108. Si mea propositio concordat cum Euangelio, qua fronte damnat illam *Bedda*? An etiam Euangelii censor est?

Digitized by Google

109. 110. 111. Quæ illic dicuntur ſub perſona *Marci*, congrua ſunt illis temporibus, & concordant cum ſenſu Euangelico. Et quicquid illic dico, etiam hoc dici poteſt quamlibet bonis Monachis, ut ea quæ faciunt non faciant triſtes, quia præſcripta ſunt, ſed alacres ex caritate. Unde quod hic adfert *Bedda*, impudens calumnia eſt.

112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. Quod illic dicitur de jejuniis, votis, & ſabbatis *Judæorum*, *Bedda* trahit ad Monachos, quos *Marcus* non noverat. Et tamen ſi hæc omnia Monachis dicerentur, nihil eſſet abſurdi. Vere pius ſingulis diebus facit apud ſe, quod diebus feſtis populus cogitur facere. Et qui jejunat cum pernicie corporis & animi, impie jejunat. Et Monachus ſi vocetur ad Epiſcopi munus, liberatur ab obedientia cæteriſque obſervationibus: & ſi ita hortaretur utilitas populi, recte deponeret veſtem. Et ſi quis *Carthuſiano* perielitanti neget carnes, *Gerſon* hunc dicit graviter peccare: & hodie paſſim Monachi, ſi quid timent in itinere, ſumunt veſtem laicam. Loquor etiam de *Carthuſianis*. *Romanus* Pontifex etiam ob leve ſcandalum mutare cultum jubet. Nec eſt *Bedda* mihi præſcribere, quomodo debeam vivere: hoc à me potius ipſe debebat diſcere, qui, ut ſcripta hominis docent, ne ſomniavit quidem unquam quid ſit eſſe vere Chriſtianum, ſed totus eſt Phariſaicus, foris nitidus, intus ſcatens philautia, ſiti gloriæ, faſtu, livore, odio, vanitate, calumnia. Mihi ſatis eſt Epiſcopis meis & Pontifici *Romano* vitæ meæ rationem reddere, meæque conſcientiæ ac Deo ſatisfacere. *Bedda* ſuo miſero gregi præſcribat, & ipſe ſtudeat in primis eſſe pauper ſpiritu, deponat iſtum tumorem, erigat ſeſe ad ſpiritualis vitæ ſtudium, ſi poteſt, ſi non poteſt, obtemperet aliis huc vocantibus.

119. Hoc ſenſit allegoria, profeſſionem Euangelicam eſſe perfectæ pietatis, hoc eſt, ſpiritualis, cum Synagoga, quæ ceremonias urget abſque gratia, habeat invalidos & imbecilles. Eat nunc & hic argutetur *Bedda*.

120. Quid *Lutherus* doceat neſcio, quod ego dixi Euangelicum eſt. Qui vocabantur ad Euangelium, ab his non exigebantur benefacta prioris vitæ, ſed indicebatur reſipiſcentia & fides.

121. Doceo ex Euangelio diſcipulos nullo mundano præſidio fultos docuiſſe Euangelium, ante mortem *Chriſti*. Non habebant litteras ut Scribæ & Phariſæi, non erant prædiți auctoritate publica, ut *Annas* & *Caiphas*, nec erant cincti ſatellitio, nec erant illuſtres genere, nec erant fama celebres, nihil horum attulerunt ad Euangelium, ſed quædam ex Euangelio conſequuti ſunt, tantum obtemperabant Domino, quem adhuc carnaliter amabant ex parte, & tamen hac fiducia edebant miracula. *Bedda* ſomniat me excludere caritatem & bona opera. Imo caritas fidem comitatur, habebant fidem imperfectam, qualem habebant caritatem & opera. Proinde hæc particula, *nihil aliud*, excludit unum genus, hoc eſt, præſidia mundi, non ea quæ natura adhærent fidei.

122. Miror ſi Chriſtianus eſt *Bedda*, qui uſque adeo non poteſt audire nomen fidei. An non qui accedunt ad Euangelium fide juſtificantur?

123. 124. 125. 126. Hæc omnia Chriſtiane dicta *Bedda* calumnioſe depravat, tam evidenter, ut non ſit opus ulla redargutione.

127. Hic nihil pertinet ad hæreſim, ſed quod dicit *Bedda* ad calumniam pertinet. Res ipſa loquitur. O Phariſaicum hominem, & fidei capitalem hoſtem, cujus nomen vix fert! Talis eſt & quæ ſequitur calumnia. Credo *Beddam* cogitare auctionem ſuorum meritorum.

130. Ad hanc jam ante reſpondi, *uxor eſſe deſiit, quæ ſe fecit indignam viri contubernio*, quemadmodum fidem abnegaſſe *Paulo* dicitur, quæ ſuæ domus curam non gerit. In Epiſtola ad *Corinthios* explano ſenſum Catholicum, fatetur hoc *Bedda*, ſed quod hic dico non pugnat cum eo ſenſu: nam adulteram repudiari licere, doctrina eſt Euangelii. Dicit hæreticum, poſt divortium alteri poſſe nubere, hoc à me dictum non eſt. Dicet cur non explicas? Quia hoc non explicat Euangelium, *Paulus* explicat, poſt divortium debere fieri reconciliationem. Suſpicor *Beddam* fuiſſe ſubmonitum à quopiam de loco ad *Corinthios*, nec tamen libuit mutare calumniam.

131. Si Deus præmium intelligitur, error eſt: Sin aliud à Deo, pia Theologorum ſententia eſt, quam damnat *Beda*.

132. Atqui *Lucæ* interpres à *fabulandi* verbo non abhorret, *& factum eſt dum fabularentur*, cum Græce ſit ἐν τῷ ὁμιλεῖν, id eſt, *inter colloquendum*. An ideo *fabulæ* male ſonat, quia male ſonat *fabuloſus*? Bene ſonat *cerebrum*, male ſonat *cerebroſus*. Nec hîc voco *fabulam* narrationem, ut ſomniat *Bedda*, quam Græci vocant μῦθον, ſed actionem, quæ variis perſonis agitur, quam Græci vocant δρᾶμα, Latini item *fabulam*, unde dicitur *exploſa fabula*, & commemorantur Actus, Scenæ, & Perſonæ Fabulæ. Non habebam aliam vocem Latinam, qua commodius eam rem explicarem, etiamſi *Bedda* non intelligit, periti Latini ſermonis intelligunt.

133. Hîc ſtudio calumniandi miſere delirat *Bedda*. Tractans allegoriam, dico *Chriſtum* pro ſuis in nos gratuitis donis, nihil poſtulare præmii, niſi ut quod accepimus in caput ipſius refundamus, hoc eſt, in gloriam illius prædicemus: id enim ſignificabat unguentum illud, cujus odore repleta eſt domus. *Bedda* diverſum interpretatur. Sed hoc nugamentum aliquis Magiſtellus illi ſuggeſſit. Tantam habet ſuis combibonibus fidem, qui fidei erga Deum vocem ferre non poteſt.

134. Qui abutuntur bona valetudine, proſperitate rerum, tranquillitate temporum, opibus, ad turpia, nonne hos benignitas Dei, quæ provocare debuerat ad gratiarum actionem, provocat ad malitiam? An ideo Deus debebat illis ſubtrahere commoda? Non erat culpa in *Chriſto*, qui volebat illum reſipiſcere, ſed in *Juda*, qui obduruit unde debebat molleſcere. Quid his calumniis inſulſius?

135. Ad hæc quid reſponderim *Bedda* diſſimulat. Eadem ratione, qua me ſubmovet à Paraphraſi, ſubmoveri debebant omnes qui ſcribunt Commentarios in *Paulum*. Nam his objici poterat, vis tu dilucidius loqui quam *Paulus*? Imo ideo Spiritus Sanctus paſſus eſt in Litteris ſacris reſidere obſcuritatem, ut noſtram exerceret induſtriam, quemadmodum docet *Auguſtinus*.

137. Et hîc miſere delirat *Bedda*. Superſtitionem voco, ſi quis Scripturæ ſententiam non ferat aliis verbis enuntiari, quam habet vulgata Editio, aut quam *Paulus* ſcripſit. Impudenter autem *Bedda* mentitur me poſtulare, ut qui ſuperſtitioſi non ſunt meas Paraphraſes recipiant pro divinis textibus, imo non ſemel teſtatus ſum me nolle meis Paraphraſibus plus tribui, quam aliorum commentariis, & ſi quid eſt errati, hoc mihi imputandum, non Scripturæ Sacræ. Non pudet iſtum Theologum tam abſurdas nænias evomere?

138. Et ad hanc reſponderam, ſed *Bedda* diſſimulat, caſtigatis tamen quibuſdam quæ ſcripſerat. Non dixi exigendam quaſi neceſſariam ad ſalutem, ſed ad vitandum ſcandalum. In hac ſententia fuit *Petrus* & à *Paulo* reprehenſus eſt. Porro me hoc idem ſentire quod interpretatur *Bedda*, declarant hæc verba mea: *Vel in hoc ut placarentur hi qui nondum ſic profecerant in Euangelica veritate, ut poſſint omnino patrios ritus contemnere.*

139. Quæ hîc deblaterat in Rhetorem *Eraſmum* *Bedda* ſine controverſia non rhetoricus, inſaniora ſunt, quam ut ea potuerit effundere furiis agitatus *Oreſtes*, adeo ut me, ſic me *Chriſtus* amet, etiam hoſtis miſereat, magis autem Eccleſiæ, quæ tales habeat defenſores. Hîc furit cum ſuo *Sutore*. Jam ante reſpondimus, & ſi fuerit opus, evidentius oſtendemus hominis intem-

Digitized by Google

etiamsi rite ductus sit. Legimus enim vir est intellectus spiritualis, quem advocari jubet. Sive igitur interpreteris quinque viros quinque sensus corporis sive quinque libros *Mosi*, si absit spiritus, illegitimi sunt viri juxta sensum allegoricum.

87. Hîc rursus habes splendidum mendacium optime lector. Exponens illud Joan. *Mulier crede mihi*, hunc in modum loquor: *Verum hoc Euangelica pietatis mysterium aperturus præfatur fidem, sine qua nullus est idoneus auditor Euangelicæ doctrinæ, nec idoneus cultor Euangelicæ Religionis. Fides enim sola purificat corda, redditque idonea quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana.* Non loquor de vita Christianorum, sed de his qui recipiuntur ad Euangelium: hos, opinor, sola fides purificat, non opera Legis, aut Pagana religio. Sic enim *Petrus* in Actis, *Nihil discrevit inter nos & illos fide purificans corda illorum.* De *Lutheri* dogmate ne somniabam quidem cum illa scriberem. Quam male consulunt honori *Beddæ*, qui hæc tam insigniter calumniosa illi suggerunt! Est cur illi succenseam, sed magis illius misereor quam irascor; ita me Deus amet.

89. Quod per invidiam aut odium commissum est non est ipsa invidia aut odium, nec jam occultum est, sed manifestum: potest enim in jus vocari. Ego de secretis affectibus sum loquutus.

90. Cum *Bedda* probe sciret me non sentire Patrem & Filium esse duas essentias, quid opus erat hîc *duo* accipi neutro genere, quasi non dixerit *Ovidius*, *Nos duo turba sumus*? Quid autem habet mali argumentatio hæc Dialectica: *Si duo homines habent legitimum testimonium, multo magis habebit pondus Patris testimonium cum meo consentiens.* Quorsum autem attinebat nugamentum puerile, *Ad impossibile sequitur quidlibet*? Certe apud homines Patris testimonium esse poterat sine Filii testimonio: nam *Judæi* veteres solum Patrem noverant. O frigidas nugas!

91. Ego *viam* pro *aditu* posui, & utcunque accipis viam, non excludo bona opera, certe fides dux est, & scopum ostendit. Quantum est hodie periculum, fidem sic in Scripturis laudatam honorifice nominare, per istos fidei defensores! Certe me non sentire cum *Luthero*, sexcenta loca declarant in libris meis. Nec adhuc satis intelligo quid sibi velit *Lutherus*, qui fatetur necessario ex fide nasci bona opera.

92. Quod hîc dico, multis verbis inculcat divus *Chrysostomus* ex auctoritate Prophetarum. Nec obstat locus ex Deuteronomii Cap. v. *Ego Dominus reddens iniquitatem*, &c. Item apud *Hieremiam* XXXI. cum non agatur illic de pœna translata à meritis ad immeritos, sed dilata à nocentibus ad posteros nocentiores. Ridiculum autem quod dicit *Bedda*: *Quod denique dicit* Erasmus *cæcitatem illi cæco casu quopiam accidisse, si Deum respicias, aperta blasphemia est.* Quis tam insanus, ut Deo tribuat casum aut imprudentiam? sed quod ex causis nobis ignotis acciderat, hoc Deus vertit in suam gloriam, qui cæcitatem non immiserat. Quas hæreses hîc legimus?

93. Cum ex meis verbis perspicuum sit illic fieri mentionem de consensu dictorum aut factorum Patris ac Filii, quorsum attinebat ingerere mentionem *Sabellii*, nisi quod *Bedda* hoc tum forte lectum voluit bene collocare, quo crescèret modus voluminis?

94. De gladio Principum non loquor, sed de viris Apostolicis, & ex sacris Doctoribus faciam perspicuum hoc voluisse Dominum, quod interpretor. Hîc perlongum esset referre.

95. Quis nescit in Christianorum aulis esse pios ac pias! imo novi multos qui nobis nostram exprobrent impietatem. Id scriptis etiam non semel testatus sum, ego de *Judæorum* & Principum impiis aulis illic loquor. *Christum* autem quodammodo abnegat, qui probitati renuntiat.

96. Quod in mea Paraphrasi velut iniquum & impium damnat *Bedda*, perspicue docet piissimus vir *Hieronymus* in *Catena aurea*. Nam locus in præsentia non occurrit: *Vel*, inquit, *ideo* Jesus *nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a Præside, & crucis utilitas differretur. Multa celavit Dominus, ne impediretur mysterium passionis.* Quod nego liberum *Pilato* fuisse, suspicor *Beddam* somniare de Libero Arbitrio, de quo scit quid sentiam. Si liber est, qui metu cogitur, vicit *Bedda*: si liber est qui non potest, nisi quod permittit Deus, erat *Pilato* liberum absque Dei permissu occidere *Jesum*. Bone Deus, quales Annotationes à tanto Theologo!

97. In schedis ad me missis *Bedda* scripserat, se nihil deprehendisse in *Marco* reprehendendum. Hîc nescio quis Deus illi multa suggessit.

100. Utraque Lex habebat utrumque, sed Euangelium proprie dicitur Lex gratiæ. Ad *Joannem* autem cum & publicani, & meretrices, & milites confluerent, nullum invitavit ad Legis observationes, victimas, vota, jejunia, sed ad resipiscentiam. Loquor illic de votis & jejuniis *Judaicis*. Non damno vota aut jejunia, sed *Joannes* id initio prædicabat quod erat congruentius Euangelio mox succesturo.

101. Si quis ad vivum exigat, eadem est Lex vetus & nova, & tamen dicitur novum Testamentum quod tradidit *Christus* abrogans veteres hostias. Distinguendi causa partem Legis abolendæ voco *Legem carnalem*, cognitionem spiritualem voco *Legem Euangelicam*. Quod *Bedda* docet nihil ad me pertinet.

102. Cur hunc sensum horret *Bedda*, *Lex cæremoniis & terroribus fecit hypocritas*, cum non horreat hæc verba Pauli, *litera occidit*? loquor enim illic de crassiore Legis parte, hoc est, quæ gratiæ est expers. Item quod est apud *Ezechielem*: *Dedi eis præcepta non bona.* Justitia hominum, & terror absque gratia, facit hypocritas. Jam Euangelium magis agit promissis, & cæremonias *Judaicas* submovit, atque hinc minus facit hypocritas, quam Lex *Mosi*.

103. Crassiorem Legis partem voco Legem *Mosi*, quemadmodum & *Paulus* ad *Hebr.* VII. *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Ergo qui servabant Legis præcepta, justi habebantur apud homines, at non item apud Deum.

104. Non derogatur humanis institutis aut doctrinis, sed præfertur auctoritas divina.

105. Quid hac calumnia perversius? Ego admoneo, vel *Marcus* potius, ut Christiani Deum orent, ut *Judæos* affixos litteræ & cæremoniis *Mosaicæ* Legis addictos erigat ad libertatem Euangelicam, videlicet concepto spiritu filiorum, & accensa caritate, quæ foras mittit timorem: at quod *Bedda* interpretatur, nec congruit illi tempori quo loquutus est *Marcus*, nec meæ sententiæ. Et ne quis suspicari posset, me probare licentiam quorundam *Lutheranorum*; addo, *quæ non in hoc valet ut licentius peccemus, sed ut alacres ac volentes obeamus munia caritatis Euangelicæ.* Unde hic articulus non manifeste fovet libertatem *Lutheranorum*, sed manifeste calumniatur *Bedda*. Et si quis hodie moneret Christianos atque etiam Monachos, ut à trepidatione & superstitione cæremoniarum proficerent ad vigorem spiritus, nonne foret pia monitio?

106. Imo pia est admonitio, cessasse nunc donaria & holocautomata *Mosaicæ* Legis, ac pro illis requiri ut peccator agnoscat morbum suum, & medico Deo se totum tradat. Huic contraria docere vere impium est. Qui leget locum, videbit illic nihil non pie dictum.

107. Non dico desperantem; sed desperationi vicinum. Horror peccati præcedit conturbans totum hominem, nonnunquam ad desperationem. Eum horrorem sequitur serenitas spei conceptæ de bonitate Dei. Hîc nec falsitas est, nec ulla pugnantia.

108. Si mea propositio concordat cum Euangelio, qua fronte damnat illam *Bedda*? An etiam Euangelii censor est?

Digitized by Google

mendacii posset coargui! Hîc non optabo *Bedda* flammas, sed eximium elleborum sanando cerebro tam putido.

167. 168. 169. Hæc opto dilucidius explicata, non quod dissentiam à decretis Ecclesiæ Catholicæ, sed quod optem præsidia majora adversus eos qui pili non faciunt Conciliorum ac Pontificum scita, multo minoris Theologorum definitiones.

170. Imò *Paulina* sunt. Valeat *Lutherus*. *Paulus* palam irridet eos qui dicebant, *ne gustaris, ne tetigeris, ne contrectaris*. Et Judaicas cerimonias ubique profligat. Quid ista ad hæc tempora? Si *Bedda* posset quæ vult, etiam *Paulus* exureretur, adeo illi cordi est Judaismus, quantum video.

171. Hîc *Bedda*, præfatur, perorat, planeque triumphat, cum non alibi turpius cæcutiat. Suspicatur me hoc sensisse, non fuisse fas *Hebræis* edere phase, nisi prius septem diebus abstinuissent à fermentatis. Atqui me non hoc sentire, poterat ex meo sermone perspicere qui inibi præcedit. Sunt autem hæc mea verba: *Hebræi cum emensi mare liberati fuissent ab Ægyptia servitute, jussi sunt quotannis in hujus rei symbolum ac monumentum statо tempore, mactato agno anniculo septem diebus vesci panibus nullo fermento corruptis*, &c. Ac mox: *Quemadmodum fecerant jam fugam adornantes ex Ægypto*. An hæc verba non satis declarant me sentire, septem diebus ab esu phase abstinuisse illos à fermentatis? Dilucidius etiam hoc declaro cum addo, *quemadmodum fecerunt adornantes*, &c. Nam Exod. xi. jubentur edere phase primi mensis die 14. sic ut nec illo die quicquam fermenti esset in ædibus, rursus ab hoc die continuare fermentatorum abstinentiam usque ad diem vigesimum primum. Quid igitur hîc sibi volunt, *neque dignus habetur*, &c. Non distinguitur tempus, sed citra rationem temporis proponitur observatio præscriptarum cerimoniarum. Illi indigne celebrabant suum phase nisi septem diebus abstinerent à fermentatis, multo magis nos si volumus digne celebrare phase nostrum abstinere debemus à fermento spirituali. Hæc cum responderim, demiror cur *Bedda* voluerit prodere suam insciciam, nisi quod fermentum habebat in pectore. Hoc ex mea responsione adjecit, quod bene sentirem. Imo & bene sensi & bene loquutus sum, nisi quod *Bedda* non intelligit Latine.

172. 173. 174. Hæc quæ sub persona *Pauli* dicuntur pro illis temporibus, *Bedda* torquet, quasi hoc tempore dicantur ab *Erasmo*. Paraphrastes quod *Paulus* sentit expono, non damno Episcoporum constitutiones. *Paulus* illic loquitur de cibis in Lege vetitis ac permissis, hoc explico. *Christus* non solum non docuit, sed dedocuit etiam ciborum delectum, quod si docuissem ea quæ docet *Bedda*, pugnassem cum mente illius quem interpretor. Cæterum quod addo, *si quis homunculus*, videtur durius: hoc nihil ad Episcopos. Nam *Paulus* loquitur de Pseudapostolis, qui præter Euangelicam libertatem onera Legis imponebant Gentibus. Ad hæc cum dilucide responderim, tamen *Bedda* non definit calumniari.

175. Miseret me istius Theologi: quod lego *frangitur* apud *Paulum*, consensus omnium Græcorum codicum facit. Sic & legunt & interpretantur, *Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus*, qui fractionem interpretantur communionem. Frangitur autem corpus in Eucharistia sicut comeditur. Quorsum igitur attinebant tam stolida convitia, præsertim cum illi responderim?

176. Græcos sum hîc sequutus. Quid autem refert, utrum legas *undecim* aut *duodecim*? *Thomas* & hoc docet, & addere non veretur, ubi *Lucas* refert *Jesum* apparuisse *undecim* discumbentibus, scripturam esse corruptam, & *duodecim* esse legendum pro *undecim*. *Duodecim* & interpretatur & legit *Theophylactus*, *Augustinus* sentit quod *Thomas*. Ego quanquam lego *duodecim*, tamen alteram lectionem non damno. Eat nunc & vociferetur sexcentas blasphemias *Bedda*.

177. Hîc admonitus mea responsione nihil mutavit, nisi quod pro *creatus* reposuit *conditus*. Ego organa corporis appello non tantum oculos aut aures, sed illa spiritualia organa potentiarum animæ, intellectus, ac memoriæ. An ea quæ dicitur mens ὁ νῦς aliquid agat in corpore sine materialibus instrumentis *Aristoteles* dubitat. De raptu piorum non loquor. *Paulus* dubitat an in corpore audierit, an extra corpus. Hîc mihi citat *Aristotelem*, quasi tale nihil unquam didicerim. O hominem suavem!

178. Ad id respondi primum *Eduardo Leo*, deinde proprio libello in hoc edito, præterea in Annotationibus meis declarans esse catholicam lectionem ex *Ambrosio, Augustino*, cæterisque Doctoribus, quam *Bedda* vocat hæreticam.

AD GALATAS.

179. 180. 181. 182. Quod dixi *Judæis* permissam immolationem pecudum aliaque quædam ne prolaberentur ad ritus profanos, Orthodoxorum sententia est. Quod ex *Fabio* profert *Bedda*, nihil ad rem pertinet. Non agitur hîc de arte, sed de opinione. Cui persuasum est esse Deum, facilius credit qualis sit Deus, quam qui nullum esse credit: primus enim cognitionis gradus est, an sit, deinde quid sit, aut quale sit. Sic *Aristoteles* scribit sanabiliorem incontinentem quam intemperantem, quod uno gradu propior sit virtuti. Mihi sic videtur: nam hoc verbo utor. Si secus videtur *Bedda*, fruatur suo judicio. Si Gentibus venientibus ab baptismum imputetur, quod per ignorantiam coluerunt idola, novum audio dogma, sed mire repugnans *Paulinæ* doctrinæ. *Inexpiabile* voco, quod vix potest condonari. Vulgaris est hyperbole. *Ambrosius* solutionem jejunii quadragesimalis appellat *inexpiabile crimen*, ne quid *Bedda* indignetur. Nec dico, *flagitium est*, sed *flagitium sit*, modo potentiali, significans esse periculum, ne non condonet Deus. Nam aliquod esse peccatum irremissibile, non negant Orthodoxi, non quod Deus non possit, sed quod non dignetur impartire suam gratiam.

183. Loquor de Gentibus ad Euangelium accedentibus. Porro dictio *soli*, non excludit merita quæ sequuntur baptismum, sed præterita. Nam si sine meritis nullus admittitur ad baptismum, quid meritorum adferunt idololatræ? Non est hîc assertio *Lutherana*, imo est sententia *Paulina*. Non pudet hunc toties manifestum proferre mendacium?

184. 185. Non contradico mihi, bone vir. Lex dicit, *Diliges proximum ut te ipsum*. At caritas à quibusdam impetrat, ut malint ipsi spoliari nummis quam proximum. Quod Legem dico verbosissimam, non est contumelia in Deum, sed significatio durissimi populi. Recense quantum illic est præceptorum de sacrificiis, de Templo, de leprarum judicio, de lotionibus, &c. quæ omnia sublata sunt, posteaquam Deus abbreviatum verbum misit in terras. Alioqui blasphemus esset qui diceret Legem involutam umbris ac tenebris. De crassiore Legis parte loquor, quemadmodum fere *Paulus*, quoties Legem *Mosi* confert cum Euangelio *Christi*.

186. 187. 188. 189. Optarim hanc meam querimoniam esse falsam & injustam. Ac mira arte hic miscet *Lutherum, Vallam, Fabrum*, & me. Unicum tantum habet artificium non rhetoricum, sed sycophanticum. *Bedda* credit omnes homines esse tam stupidos, ut si audierint *Erasmum* & *Lutherum*, putent illis esse summam inter ipsos concordiam: cum ipsi libri declarent tam inter nos convenire, quam inter lupos & agnos. Præterea sperat ubi viderint homines in frontispiciis singularum paginarum, & in initiis capitum, ingentibus litteris ERRORES ERASMI, statim arbitraturos esse rem periculosam. Sed frustra hæc somniat *Bedda*. Et laicis nunc est nasus ad judicium. Nimirum assueverunt istis calumniis: itaque non moventur. Docti qui degustarunt librum, invertent titulum, & pro *Censura in errores* ERASMI, legent, *Errores in censura* BEDDAE.

190. Quo

Digitized by Google

190. Quo major eſt abſurditas in verbis, hoc minus debebat ſuſpicari *Bedda* mea commiſſum inſcitia. Quis enim neſcit *Paulum Benjamitem* fuiſſe? Id quî potui neſcire, cum ipſe locus, quem interpretor, exprimat nomen *Benjamin?* Obſtupui itaque cum legerem: ſed illico deprehendi totum verſum omiſſum à typographis: legendum autem in hunc modum: *Nempe* Benjamin, *quæ ſemper juncta fuit Tribui* Judæ, *unde Reges*, & Levi, *unde Sacerdotes*, &c. Præcipuam voco, non quantum ad ordinem, ſed quantum ad pietatem, quo nomine inter præcipuas refertur ab *Auguſtino*. Non confero Phariſæos cum Regibus aut Pontificibus, ſed cum *Sadducæis*, *Herodianis*, *Eſſenis*, & ſimilibus Sectis. Unde demiror quid hîc ſomniarit *Bedda*.

191. Hîc pro me reſpondeo, non pro *Fabro*, *Bedda* impudentiſſime mentitur, me hoc agere, ut Sacerdotes ac Monachi ducant uxores, ſed virgines. Nec rejicio vulgatam lectionem, ſed oſtendo utramque poſſe conſiſtere. An *Paulus* habuerit uxorem, melius potuit noſſe *Clemens* qui hoc ſenſit, quam recentiores. Deinde compar & uxor recte dicitur. Quid autem periculi ſi *Paulus* dicatur habuiſſe uxorem? An ideo protinus licebit Sacerdotibus uxores ducere? Atqui conſtat *Petro* Sacerdotum principi fuiſſe uxorem, idem tradunt de *Philippo* fideles hiſtoriæ. Quis credat hunc Scriptorem eſſe ſani capitis?

192. Si conſequimur regnum cœlorum ex meritis & non ex dono Dei, mentitus eſt *Paulus* quem interpretor, cujus verba ſunt: *Secundum gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Corrigat igitur *Bedda Paulum*, & ſcribat illic, *Secundum magnifica merita noſtra*. Non tollo in totum hominis merita: verùm ea vix poteſt conſtituere *Auguſtinus*, & periculum eſt his fidere, cum gratia tuto prædicetur.

193. 194. Hîc magna cum voluptate audivi M. N. è cathedra detonantem arcana Theologiæ, quibus nihil detritius. *Bedda* non vult affectus humanos aut naturales vocari caritatem, ſed concupiſcentiam. Ego vero apud idoneos Auctores lego caritatem etiam Aſinarum erga fœtus. Affectus humani per ſe nec vitia ſunt nec virtutes, niſi quatenus à ratione diſſentiunt, aut illi conſentiunt: aut ſi qua virtus eſt, depravari poteſt in vitium. Caritas Euangelica nihil agit perperam, quam *Bedda* ex recondita eruditione vocat infuſam, quaſi hoc vocabulum nullus audierit antehac. Hæc caritas pro multis legibus eſt. Ita Dominus, *In hoc pendet tota Lex ac Propheta*. Et huic concordans *Paulus*, *Lex juſto non eſt poſita*. Quid *Beguardi* deliraverint, mea nihil refert.

195. *Paulus* vocat caritatem de pura conſcientia, quæ fucata non eſt, & talem depingit fidem. Ubi fucata caritas, ibi fucata fides: ubi ſincera caritas, ibi ſincera fides. Imo qui perverſe vivunt, etſi profiteantur ore, non vere credunt corde. Nec *Paulus* putat eos habere malam conſcientiam, qui peccant humana imbecillitate, & peccatum ſuum agnoſcunt: ſed qui ſimiles *Bedda*, zelum & caritatem habent in ore, cum intus madeant odio, livore, & malitioſis affectibus. Mecum ſentit *Ambroſius*, cujus hæc verba ſunt de caritate loquentis: *Si tamen ex corde puro ſit & bona conſcientia: vera enim caritas non poteſt malam vitam habere, nec ſimulatam fidem habet, in quibus omnis Lex completur & Propheta*. Ex his liquet *Beddam* nec *Pauli* ſententiam percepiſſe, nec mea verba.

196. Hîc rhetorico-ne, an Poetico ſpiritu agitetur *Bedda*, incertum: potatico magis arbitror. Non enim intelligit hîc nomen *factionis* referri ad opinionem impiorum, qui Chriſtianorum conſenſum *factionem* appellabant, & eſſe credebant. Quod autem colligit *Chriſtum* eſſe factioſum, non magis conſequitur quam ſi quis dicat, ideo *Paulum* fuiſſe confidentem, quod *Chriſto* confiſus ſit, aut *Petrum* fuiſſe cerebroſum, quod cerebrum habuerit, aut *Abraham* fuiſſe vinoſum, quod vineta poſſederit. Porro quod addit de uſurpatione, tantum illud reſpondebo, *ſectam* & *hæreſim* æque uſurpatam in malam partem: & tamen in Actis *hæreſis Phariſæorum* dicitur, quæ non male ſentiebat, & eandem ibidem *Paulus ſectam* appellat, utique laudâns quam profitetur. Sic igitur argumentetur *Bedda*: Paulus *profitetur hæreſim*, *ergo fuit hæreticus*, *profitetur ſectam*, *igitur fuit ſchiſmaticus*. O dedecus nominis Theologici! quis credidiſſet hominem jam annis triginta quatuor aſſidue verſatum in Scholis tam nihil ſcire? Quid actum tanto temporis ſpatio? Supputavit opinor ſua merita.

197. Hæc *Bedda* ſibi videtur ſuibus ſcribere, non hominibus. Primum ajo continentiam habere magnam commendationem in Epiſcopo, ſignificans eligendum ſi quis perpetuo continenter & pudice vixerit. Quod ſi talis non invenitur, proximum eſt ut eligatur qui unica uxore fuerit contentus, qua mortua non curarit alteram ducere. Tertius gradus eſt ejus, qui primam adhuc habeat. An talis non poterit eligi? *Chryſoſtomus* ait poſſe. Et jam olim apud *Græcos* & *Gallos* Epiſcopi habebant uxores, & hodie ducunt apud *Græcos*, etiam poſt ſuſceptum ordinem. Ea res *Petrum* non ſubmovit à principatu Eccleſiæ. An abſtinuerit ab uxore, probabile quidem videri poteſt, at non certum habetur. Quod ſi *Bedda* putat eſſe juris divini, ut Sacerdos ſit cœlebs, cum his diſputet qui contra ſentiunt ac faciunt. Meo ſuaſu nullus Sacerdos duxit uxorem hactenus. Et hæc mihi ſcripta ſunt, priuſquam *Lutherus* ad conjugium provocaret.

198. Hic *Bedda* veluti bonus calumniator in extremo actu ſeipſum vincit, cum in cæteris vicerit omnes. Hoc age pauliſper quæſo te, lector, & jurabis illud, *Nulla eſt in toto pectore mica ſalis*. *Manichæum* me vocat, quod ſcripſerim *Moſen* vetuiſſe veſci carne ſuilla, eo quod divinæ Legis auctorem principalem faciam hominem. Si verum loquitur *Bedda*, *Manichæi* ſunt omnes qui vocant Legem *Moſi*, aut præcepta *Moſi*. Imo *Manichæus* eſt ipſe Dominus, qui ſic loquitur apud *Marcum*: *Quid* Moſes *præcepit vobis*? An non eſt Legislator, qui Regis auctoritate fert legem? An non præcipit qui promulgat legem? An negat Deum auctorem baptiſmi, qui dicit, *ego illum baptizavi?* Sic loquitur *Paulus*. Quid autem ſuſpicatur *Bedda*, me non credere quæ ſcripta ſunt in divinis Libris de Lege per *Moſen*, juſſu Dei lata? Id ſi non ſuſpicatur, quorſum attinent hæc tam rabioſa convitia? Verùm hic aliud gravius crimen. Si Lex eſt Dei, ſequitur me ſtultum ac ridiculum dicere, quod Deus præcepit: is enim vetuit eſum muſtelæ, & inſuper dico alia eſſe in Lege *Moſi* his ſtultiora. O deplorandam hominis cæcitatem! Mea verba, quæ refert, declarant me loqui non de Lege Dei, ſed de ſuperſtitioſis *Judæorum* fabulis, quibus venditabant ſuam eruditionem. Non dico Deum ſtulte præcepiſſe abſtinendum à carne ſuilla, ſed ad pietatem non facere ſcire aut neſcire cur Deus hoc juſſerit, & hîc *Judæi* pro ſuo quiſque capite varias fabulas adferebant. Nec ajo fas eſſe veſci muſtelis, ſed ridiculam fuiſſe *Judæorum* ſuperſtitionem, qui muſtelæ ſanguinem forte effuſum miris ceremoniis expiandum docebant. Et hoc hauſi ex commentariis *Ambroſianis*, in quibus hæc verba ſunt: *Fabuloſa autem non Lex, ſed hæreſis eſt, quantum ad tempus pertinet illud* Judæorum, *dum quidam eorum ſibi vindicarent prærogativam originum Patriarcharum qua de matrimoniis orta ſunt, cum ex hoc nullum meritum ſit apud Deum: Quidam vero urceorum & caterorum vaſorum baptiſma, & ſanguinem muſtelæ magna cura expiandum. Et quia ideo* Moſi *ſepultura abſcondita eſt, ne à Magis excitaretur. Quod ſi verum eſt, & caterorum Sanctorum fuerat abſcondenda ſepultura. Et quia* Salomon *adjutorio Dæmoniorum Templum ædificavit, in quo opere ingens multitudo laboravit. Quid tam fabuloſum?* Hæc *Ambroſius*. Ubi ſunt hîc *Manichæi*, qui denegant veterem Legem eſſe Dei? Ubi hæretici blaſphemi & impii, qui rident præcepta Dei? *Bedda* calumniatur me male velle ordini Theologorum: quem ego ſic odi, ut diſpeream, ni magna pecu-

pecunia redemtum velim opus tam vecors & indoctum nunquam prodiſſe ſub nomine Theologi. *Bedda* putat eſſe luſum ſcribere libros. Nunc fecit periculum æterno ſuo dedecore, etiamſi in una tantum cenſura ſic inſaniſſet. Et ſibi videtur *Atlas* Eccleſiæ, qui tam furioſis convitiis me adoritur dimicantem pro negotio Eccleſiæ.

L. Poſt hæc *Bedda* congerit magnam vim querimoniarum, putat non ferendum quod dubito de ſecunda Epiſtola *Petri*. Hîc primum vanus eſt *Bedda*, non ajo me dubitaſſe, ſed ex auctoritate *Hieronymi* doceo à plurimis Veterum fuiſſe dubitatum, & indico *Hieronymum* alicubi negare hanc eſſe *Petri*, alicubi velle videri *Petri*. In argumento fateor eſſe *Petri*, & addo illius titulum. *Hanc*, inquam, *ut apparet, ſcripſit admodum ſenex*.

M. Altera querela eſt de inverſo Epiſtolarum ordine. Ego nuſquam doceo invertendum Eccleſiæ ordinem, ſed Paraphraſes, ut quæque prius aut poſterius ſcripta fuit, evulgavi. In Epiſtolam ad *Hebræos*, quoniam non habebat multum difficultatis, non decreveram ſcribere. Ad *Petri* Epiſtolas, quoniam videbantur obſcuriſſimæ, admovi manus, quibus ob ſermonis ac ſententiarum congruentiam adjeci Epiſtolam *Judæ*. Nec amplius cogitabam de Paraphraſibus, donec Epiſtolam *Jacobi* flagitarent amici, mox etiam *Joannis*. Tandem exſtiterunt qui contendebant Epiſtolam ad *Hebræos*, cum eſſet una, non prætermittendam, ut totum opus mihi maneret. Obtemperatum eſt. Hoc eſſe verum indicant meæ Præfationes. Hic caſus invertit ordinem Epiſtolarum. Dicet, cur in poſterioribus non reſtituiſti ordinem? Quia non venit in mentem, nec arbitrabar ad rem pertinere. Poteſt lector unamquamque facere ſibi quotam velit. Si ſtudio fuiſſet invertere ordinem, invertiſſem in verſione Novi Teſtamenti. In cultu Eccleſiaſtico ſolenni referre poteſt quis ſit ordo, in privato codice non magni refert.

O. *Hieronymus* ad *Deſiderium* teſtatur Epiſtolam ad *Hebræos* à pleriſque extra numerum ſolere poni, id tamen, ut dixi, ſtudio à me factum non eſt.

Dicit impium & ſchiſmaticum quod duas poſteriores *Joannis* Epiſtolas tribuam *Joanni* cuidam Presbytero, non Apoſtolo. Litiget igitur *Bedda* cum ſancto *Hieronymo*, qui hoc aſſerit non uno in loco, ex auctoritate *Papiæ*. Si *Hieronymus* hoc nuſquam dicit, ego vanus ſum: ſi dicit, aut illum mecum faciat ſchiſmaticum, aut me cum illo abſolvat: nam has eſſe Euangeliſtæ, nullum apertum exſtat Eccleſiæ decretum. Titulus Scribarum me non multum movet, quoties graves Auctores diſſentiunt. Si *Bedda* audet affirmare articulum eſſe fidei, quicquid uſu Eccleſiæ receptum eſt, objiciam illi multa quæ diluere non poterit.

P. Arrodit quod ſcripſeram, *Facturam rerum, probra, carceres, flagra, mortem nemo fert æquo animo, niſi fidem invictam cum Euangelica caritate conjunxerit*. Hîc ut me vanitatis coarguat, objicit mihi neſcio quos maleficos qui mortem alacriter pertulerunt. Si mali erant, non pertulerunt mortem æquo animo, ſed ſimulabant æquanimitatem: maluiſſent enim occidere quam occidi. Dic mihi, lector, nonne periclitabatur Eccleſia, niſi hæc fuiſſent *Lutetiæ* prodita?

Q. Quid eſt Rhetoris? compoſite diſerteque dicere. Jam *Hieronymus* fatetur Epiſtolam ad *Hebræos* eſſe cæteris eloquentiorem. Spiritum Apoſtolicum tribuo Epiſtolæ, ſtylum noto à cæteris diverſum, hoc eſt, magis rhetoricum. Phraſis diſcernitur, nec tamen vituperatur, ſed laudatur: Sententiarum auctoritas æquatur cæteris Epiſtolis. Miratur hæc poſſe ferre Cardinales. Imo demiror Academiam tam celebrem ferre tam inſulſum Scriptorem. Hîc exprobrat mihi paupertatem & miſeriam, quaſi cenſus faciat ad auctoritatem, & quaſi pietas non debeat niſi à *Craſſis* & *Cræſis* tractari. Atqui ſciat hoc *Bedda*, ſi tam avidus fuiſſem habendi, quam ipſe calumniandi, miſerior fortaſſis eſſem quam ſum, certe pauper non eſſem.

A Quanquam non adeo ſum pauper, ut *Bedda* pecuniis egeam, quibus ditior eſt quam litteris. Quod me miſerum appellat, non mentitur, ſed miſerior eſt qui miſero invidet.

S. Quem mihi communem uſum narrat? Ubi prolatum fuerit evidens Eccleſiæ decretum, deficiam ab auctoritate Doctorum. Alioqui Eccleſia multa diſſimulat, multa nolens tolerat quæ invexit uſus.

T. *Bedda* non poteſt pati, quod qui ad baptiſmum accedunt, dicantur fide purificari, verus hoſtis fidei, cujus vult eſſe propugnator. Quoties diſtinguo Legem adverſus Euangelium, intelligo Legis craſſiorem partem, in ceremoniis ac typis ſitam.

B V. Agitur illic de fide, per quam datur ſalus. At mortua fides nihilo plus agit quam homo mortuus. An fides poſſit à Deo infundi ſine caritate, non diſputo, certum eſt, utramque alteri individuam eſſe comitem.

Ibidem, Legem appello craſſam illam Legis litteram, & licere ſentio, quod corporali pœna non punit illa Lex.

X. Quærit *Bedda* cur dedicem meas lucubrationes variis Principibus Orbis. Dicam paucis, ut Monarchis ac proceribus ſtudia commendem, ut illis aliquem Euangelicæ mentis guſtum inſtillem. Denique nonnunquam ad id flagitor à Principum amicis. Hoc
C erat meum conſilium. Si quid aliud è ſuo pectore ſuſpicatur *Bedda*, precor illi mentem magis Chriſtianam. Atque hîc ſatis cum auctoritate taxat Epiſcoporum ordinem his verbis: *Qui utinam* Chriſti *Eccleſiæ regimen multi non quæſierint, ſed impoſitum ut oportet gerant*. Periculum erit igitur Pontifici *Romano*, niſi *Bedda* poſt tam præclarum ac ſanctum opus editum, mittat mitram & pedum. Niſi tales ſint Epiſcopi, nunquam conſiſtet Eccleſia.

Y. Hîc rurſum fio *Manichæus*: Epiſtolæ ad *Hebræos* Caput IX. paraphraſi explanans, utor his verbis: *Veteris Templi religio habebat ritus quoſdam ſtataſque ceremonias, quæ obſervatæ juſtitiæ ſpeciem haberent. Habebant ſanctimoniam quandam, ſed mundanam, nimirum in rebus extrariis ac viſibilibus ſitam, cujusmodi nonnulla videntur & apud Gentes*. Quid his verbis declaro? Horreſco referens, Legem veterem non eſſe profectam à Deo, ſed à Principe Dæmoniorum. Hæc aſſeverat *Bedda*, & adhuc dormiunt Epiſcopi? Verùm quam hæc *Bedda* ſine mente ſine fronte loquatur, paucis aperiam: *Si vera ſunt*, inquit Bedda, *quæ ſcribit* Eraſmus, *non mentitus eſt* Manichæus; *affirmans Principem Dæmonum auctorem fuiſſe veteris Legis. Atqui ſi hic mentitur* Eraſmus, *multo magis mentitus eſt* Paulus. Sed nec *Paulus* mentitus eſt, nec *Eraſmus*, verùm cum ſuo *Manichæo* mentitus eſt *Bedda*. *Paulus* enim toto illo ſermone demonſtrat Templum, ritus, ſacrificia, ceremoniaſque corporales vetuſtæ Legis evanuiſſe ad
E corruſcantem Euangelii lucem. Præceſſerat autem Capite proximo, *Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt*. His verbis ne cui *Paulus* videretur damnare priſcæ Legis ritus, ſic ordior Caput IX. *Dixerit aliquis, An vana fuit igitur veteris Templi religio? Nequaquam*. Num hæc ſunt verba *Manichæi*? Mox ſequuntur, unde *Bedda* ſumſit anſam calumniandi, *Olim quidem & vetus illud Templum, cujus religio ſucceſſione veritatis jam evanuit, habebat ritus quoſdam ſtataſque ceremonias, quæ obſervatæ juſtitiæ ſpeciem haberent*. Eſt in his verbis quicquam falſi? At hîc *Bedda* ſycophantices quam Rhetorices peritior, de ſuo addit *Tantum* & *Solum*, ita recitans, *Juſtitiæ ſpeciem* ſolum *habebant, & ſanctimoniam* tantum *mundanam*. Quod ſi
F etiam à me dictum fuiſſet, quid habebat piaculi? Nunc quod à me ſcriptum non eſt, non eſt opus defendere. At fortaſſis male habet *Beddam*, quod præter Apoſtoli ſermonem addo, *Cujuſmodi nonnihil videtur & apud Gentes*, loquens de ritibus corporalibus: id enim mox præcedit, *nimirum in rebus extrariis ac viſibilibus ſitam*. Nec dixi omnia convenire Gentibus

cum

Digitized by Google

cum *Judæis*, ſed nonnihil. Nonne apud Gentes erant Templa, Sacerdotes, immolatio pecudum, thymiamata, flexio corporum, preces, lotiones, aliaque innumera? Nunc ita colligit *Bedda: Si in ritibus corporalibus fuit aliquid commune Gentibus cum* Judæis, *ergo qua faciebant* Judæi *non erant à Deo præſcripta.* Nihilo ſanior eſt hæc ratiocinatio, quam ſi quis dicat: Hypocritæ jejunant, orant, largiuntur eleemoſynam, quemadmodum pii: ergo quæ pii faciunt, non ſunt præſcripta à Deo, ſi non à Deo, à principe Dæmoniorum igitur. Offendunt fortaſſis hæc verba, *Speciem juſtitiæ.* Volebat igitur me dicere, quod in illis fuiſſet vera juſtitia? & *David* alioſque Patres non per fidem, ſed per has obſervationes corporales fuiſſe juſtificatos? Atqui protinus mihi reclamaſſet *Paulus* dicens, *Qua parabola eſt temporis inſtantis, juxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis & in potibus, & in variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis.* Ac mox, *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Hîc non implorabo Epiſcopos ut *Beddam* è medio tollant: ſed oro Deum ut illi donet ſanam & Chriſtianam mentem. At Chriſtianiſſimum *Galliarum* Regem *Franciſcum*, Senatum *Pariſienſem*, ordinem Theologorum appello, diſpiciant quis ſit futurus exitus, ſi *Lutetiæ* tales Libri impune vendantur, excluſis cæteris. Nihil hîc opus eruditorum judicio. Calumniæ ſunt tam evidentes, ut ſi cauſa Linguâ populari eſſet prodita, poſſet ab olitoribus, aurigis & nautis judicari.

Z. Poſtremo loco taxat, quod in Epiſtolæ ad *Heb.* Cap. XI. ſcripſerim: Enoch *fidei debet hoc ſeu gloriæ ſeu felicitatis, quod ſublatus ex hominum contuberniq vivit cum Deo.* Lutheranum *plane eſt*, inquit, *quod fidei tribuit ſoli & gloriam* Enoch *& felicitatem.* Hîc primum ab inſigni mendacio calumniam auſpicatur. Non enim dixi *ſoli fidei*, ſed *fidei.* Et in ſuperioribus ita loquor: *Sed fide potiſſimum placuit.* An *potiſſimum* Beddæ ſonat ſolum? Hæc declarant *Beddam* mea nunquam legiſſe. An quiſquis nominat fidem, ſolam fidem dicit & *Lutheranus* eſt? Toto igitur hoc Capite *Lutheranus* eſt *Paulus*, omnes Sanctorum virtutes ac felicitates fidei tribuens, neque quicquam addens. Dixeram *Enoch* ex hominum conſortio ſublatum vivere cum Deo, nec explico ubi aut quomodo vivat, in Cœlis ſine corpore, an in Paradiſo cum corpore. *Beddæ* non vult aſſeri quod incertum eſt, nec ego aſſero. Quorſum igitur pertinent levitatis ac temeritatis convitia? An non vivit cum Deo qui pie feliciterque vivit, immunis à malis hujus vitæ? *Paulus* dicit converſationem piorum in cœlis eſſe. Et paulo ante in Paraphraſi dixeram, etiam tum cum Deo vixiſſe *Enoch*, cum adhuc inter homines ageret. Quid igitur mirum ſi nunc dicatur cum Deo vivere? Hæc tam abſurda, quæ *Beddæ* ceu præclara prodidit Orbi, mihi plane ſuſpicionem injiciunt, eſſe *Lutetiæ* facetos homines, qui miſerum gloriæ jejunio, livore odioque furentem, dolo huc propulerunt, ut illum Orbi deridendum propinarent. Ego ſane ſi fuiſſem illi capitalis hoſtis, non optaſſem aliam vindictam, quam ut ipſe tali libro ſe ipſum depingeret. Nunc *Beddæ* quidem me miſeret, ſed magis doleo malis & infirmis eſſe præbitam anſam, ut vel in ſua malitia confirmentur, vel ad impiorum partes deficiant, cum viderint tales eſſe Theologos, per quos *Lutheri* dogmata damnata ſunt. Solet enim populus ex uno æſtimare cæteros, & ſuſpicatur ejuſmodi libros communi omnium opera confici. Quare mihi rogandi ſunt omnes, ne ex *Beddæ* vel moribus vel eruditione cæteros æſtiment. Habet is ordo multos *Beddæ* multum diſſimiles. Cogitent *Beddam* eſſe *Beddam*, nec hunc tanti faciant, ut ab Eccleſiæ pietate reſiliant. Invitus reſpondi. Qui patienter audit, blaſphemus & *Manichæus*, aut ſibi male conſcius eſt, aut talis haberi gaudet. Etſi mihi fas eſſet meam famam negligere, infirmorum periculum negligere non debui. Sunt enim multi, quibus ſi perſuaſum eſſet, *Eraſmum* ſentire cum *Lutheranis*, vel ægrius ab illo divellerentur, vel facilius ad illum deficerent. Doctis qui iſta legerent nihil metuebam. Sed plerique non legunt, tantum audiunt *Beddam* collegiſſe ducentos errores magnos, hoc eſt, titulos uncialibus litteris, in *Eraſmum.* Quidam non legunt niſi titulos. Parum eruditis imponitur fumis titulorum & verborum. Totum autem calumniandi artificium illi conſtitit in conjunctione nominum, translatione temporum ac perſonarum, depravatione ſenſus, ac mendacio. Habet aliquot damnata nomina, *Arios, Manichæos, Sabellios, Huſſos, Wiclevos* & *Lutheros*, ac mire putat rem eſſe perſuaſam, ſi copulet *Eraſmum* & *Manichæum*, aut *Sabellium*; maxime ſi funiculus ſit triplex, *Lutheri, Fabri*, & *Eraſmi*, cum frequenter in ſententiis nihil conveniat. Magnum tamen fumum habet nominum conjunctio, ſed apud ſtupidos, quibus ille ſcripſit hunc librum. Cæterum eodem artificio jungere poterat frequenter nomen *Pauli, Petri*, & *Chriſti* cum nomine *Eraſmi* & *Fabri.* Deinde quod in Paraphraſibus à me dicitur ſub perſona Euangeliſtæ aut Apoſtoli, pro ratione temporum quibus ea tum prodita ſunt, torquet ad perſonam *Eraſmi*, & ad hæc tempora, quibus omnia perſtrepunt *Lutheri* dogmatibus. Itaque crebro vocat hæretica & *Lutherana*, quæ ſunt *Chriſti* aut *Pauli.* Præterea bene dicta depravat, decerpens quæ ſervire poſſunt calumniæ, & ſtudio tranſiliens ea quæ excludebant calumniam: deinde detorquens verba ad ſenſum aliquem opinioni damnatæ vicinum. Verùm hac ratione longe plures errores poterant notari in *Paulinis* litteris. Poſtremo quanquam in his omnibus non abeſt mendacium, veluti ſanguis per omne corpus diffuſus, tamen aliquoties ſplendide fortiterque mentitur me ſcripſiſſe, quod nec eſt in verbis meis, nec in ſenſu, tam impudenter, ut nulli ſit obſcurum illum etiam contra ſuam ipſius conſcientiam loqui. Et tamen minitatur, ſi quis audeat ipſi reſpondere. Et novum profert dogma, valde ſuſpectum eſſe de hæreſi, quicunque quocunque modo male ſentit de Theologis. Quod ad poſteriorem particulam attinet, profiteor me nunquam habiturum *Beddam* inter Theologos, niſi ſcribat aliter: etiamſi dubitabam, donec ille pro theſauro protulit carbones. Quod ad priorem articulum attinet, mihi plus eſt auctoritatis cenſendi ſcripta *Beddæ*, quam *Beddæ* mea. Theologi nomine pares ſumus, doctrinam cum illo certe permutare nolim. Præter hoc habeo peculiarem à Pontificibus ac Cæſare delegationem, ut obſiſtam iis qui repugnant pietati & tranquillitati Eccleſiæ. At *Bedda* tot locis vocat hæretica & blaſphema quæ ſunt in ſacris Litteris. Deinde me dimicantem adverſus eos quos damnavit Eccleſia *Romana*, talibus libris interpellat, ſatis indicans quam faveat Eccleſiæ victoriæ: niſi forte qui Cæſarem adverſus *Turcam* belligerantem à tergo invadat, videbitur favere rei Chriſtianæ. Ad hæc S. D. N. *Clemens* VII. & item Cæſar, vult in pietate conſtabiliri vacillantes, revocari aberrantes, ſanari mediocriter affectos, redargui inſanabiles. *Bedda* contra pertrahere nititur in caſtra hoſtium qui pugnant adverſus illos, & furioſis ſcriptis hunc tumultum, quem Principes exſtinguere conantur, exaſperat. Poſtremo detrahit hujuſmodi ſcriptis auctoritatem Theologis, quorum auctoritate potiſſimum oportebat hoc diſſidium componi, quorum in his cenſuris judicium præverti maluit quam ſequi: & ea ſcribit quæ ſunt gratiſſima iis qui peſſime volunt *Romano* Pontifici. Quod ſupereſt igitur, oremus, ut Dominus *Jeſus* Sponſam ſuam reſtituat priſtinæ tranquillitati, & *Beddis* omnibus impartiat ſpiritum ſobrietatis, ut unanimes idem ſentiamus in Euangelio. Sic *Bedda* habiturus eſt *Eraſmum* amicum fratrem & commilitonem in Domino.

FINIS.

Digitized by Google

SVPPVTATIO.

Supputavimus autem in libro non magno
Vana, ſive mendacia, centum octoginta unum,
Calumnias trecentas & decem,
Blaſphemias quadraginta ſeptem.

Ac ne quis queratur iniquam ſupputationem, non imputavimus illi tam multa indocte, ſtulte, & ſine mente dicta.

Non imputavimus tam multas propoſitiones quas, in cenſuris omiſit. Eas invenies in Divinationibus.

Non imputavimus propoſitiones, quarum cenſuram ceſſit *Jodoco Clitoveo.*

DESIDERII ERASMI
SVPPVTATIO ERRORVM
IN CENSVRIS BEDDAE.

QVOD hactenus operæ mihi ſumtum eſt in vertendis *Athanaſii Chryſoſtomique* ſcriptis citra tædium omne fuit, eo quod ut ipſe me ſentiebam hoc labore reddi meliorem, ita bona quædam ſpes recreabat animum meum pollicens futurum, ut & aliis ea lectio ſtimulos adderet ad ſtudium pietatis. Talibus igitur laboribus vel immori juvaret, quos ſcio me Domino diviti juxta ac benigno fœnerare. Sed me miſerum! retrahor in arenam cruentam vel jugulaturus, vel jugulandus. Potius erat infelicem eſſe quam crudelem, ni me magis permoveret aliorum diſcrimen, quam mea calamitas. Quod ſi ſic erat in fatis, ut hoc ætatis falcem ac rete ſumerem, utinam mihi cum hoſtibus Chriſtiani nominis, aut cum pertinacibus hæreticis incidiſſet digladiatio! Nunc à quo petor? quem peto? Chriſtianus cum Chriſtiano, Sacerdos cum Sacerdote, ſenex cum ſene committor. Et in iiſdem caſtris verſantes cum iiſdem hoſtibus bellum gerentes, pluſquam parricidiali pugna congredimur, multis futuri ludibrio, nullis tamen jucundius ſpectaculum præbituri, quam his, quos *Bedda* pro ſummis hoſtibus Eccleſiæ ducit. Ego velut à fratre ſperabam eruditionem, aut amicam correptionem, ille pro doctrina calumniam, pro remedio venena porrexit, tam avidus lædendi famam alienam, ut interim ſuæ pejus conſuulerit quam meæ. Itaque ſic me *Chriſtus* bene amet, non minus illius vicem doleo quam meam: nondum enim concepi certum odium ac deſperationem in *Beddam*. Homo eſt, præcipitem egere voces undique ſucclamantium, εὖγε εὖγε. Ingens calcar habet immortalis gloriæ nominisque ſitis, ſpes repidenti vultu blandiens, certamque pollicens victoriam, & juxta proverbium, *debetur aliquid veniæ primum experienti*. Poſtremo non illibenter aliquid dederim huic fatali peſtilentiæ, quæ nunc animos linguaſque totius propemodum Orbis occupavit, maledicendi calumniandique ſcabies, nihilo lenius afficiens animos mortalium, quam corpora jampridem occupat, ea quam quidam vulgo *Gallicam* appellant, neque minus late prorepſit lues ad omnes hominum ordines, à ſummis rei Chriſtianæ Monarchis uſque ad infimos cerdones ac textrices. Nec deſunt qui morbum plus ſatis gliſcentem exaſperent, qui medeantur opto magis quam video. Nec ullum proſpicio mali finem, niſi ſummi pariter ac infimi, ſuam quiſque culpam agnoſcentes implorata Domini miſericordia, vitam in melius commutent. Ita fortaſſis ille mirabilis artifex has rerum tempeſtates in lætam tranquillitatem, hæc tanta mala vertet in bonum ſuæ Sponſæ, quam aliquando caſtigat, deſerit nunquam. Itaque, ut dicere cœperam, libens aliquid daturus eram homo homini, ſed libentius ordini Theologico, de quo magni refert, ut quam optime ſentiat populus Chriſtianus, cujus auctoritati quantum derogetur hujuſmodi rixis quis non perſpicit? Sed multo libentiſſime nomini Chriſtiano, quod per hæc rabioſa diſſidia traducitur apud *Turcas* ac *Judæos*, & ſi quos habet alios hoſtes Eccleſia *Chriſti* Sponſa. Ad hæc hoc genus libellis inficiuntur animi plurimorum, irrepit dulce venenum obtrectandi libido, quoque malum ſit immedicabilius, ſpecie religionis, & auctoritate perſonarum commendatur. Quis enim credat ſacræ Theologiæ Profeſſorem, aut inſignem veſte religioſa, mentiri ac ſycophantam agere? & tamen compertum eſt quoſdam è ſuggeſto ſacro ea deblateraſſe nominatim in quoſdam, apud promiſcuam multitudinem, quæ puduiſſet *Balatronem* effutire in *Nomentanum*.

Sed utinam vel tale datum eſſet argumentum, vel ita tractatum eſſet ab adverſariis, ut mihi liceat clypeo tela propellere, citra vulnus antimachi! Hoc quoniam mihi *Bedda* licere noluit, quod proximum eſt faciam: dabitur opera, ut quam minimum lædam. Etiamſi neſcio quibuscum mihi conflictus ſit, dum cum *Bedda* conſero manus. Fortaſſis enim mihi cum equo *Durateo* res eſt, atque hoc nomine infelicior etiam eſt hujus pugnæ conditio, quod in arena gladiatorum unus cum uno committitur: ego quidvis potius quam gladiator, & vix unus, vereor ne multis objiciar ſub *Bedda* latentibus. Cujuſmodi pugnæ ſimulacrum vidimus quondam in urbe *Senenſi*. Diebus iis quibus ſub Quadrageſimam populus Chriſtianus, exemplo minime Chriſtiano, nimium indulget licentiæ, in foro publicitus ex priſco ritu agebantur taurea, veteris Paganiſmi veſtigia. Emittebatur taurus, hunc adoriebantur machinæ, trabibus ligneis contextæ, corioque aut canabe colorato tectæ, quarum alia arietis, alia teſtudinis, aut alterius animantis imaginem præ ſe ferebat. Sed intus latebant complures qui machinam movebant. His per funiculos machinam moderantibus teſtudo late diducebat rictum, inhiabat, crepitabat, huc & huc intorquebat cervicem, dira minitans tauro, devoraturæ ſimilis.

At

At ego dama verius quam taurus, vereor ne mihi cum ſimili machina res ſit. Quæ ſi quos tegit, hos oratos velim, ne ſe petitos exiſtiment. Cupio pugnam hanc unius dolore defunctam, atque adeo nullius dolore ſi liceat. Nam quod ex conſenſu Facultatis, ut vocant, *Bedda* liber excuſus eſt, non arbitror mihi præcluſam reſpondendi facultatem. Erat hoc potius facilitatis quam facultatis. Facilitatem autem dico humanitatem, ne quis hinc quoque venetur calumniam. *Bedda* jam pluſquam biennium miris miſeriſque modis ambiebat, ut libellis editis volitaret per ora mortalium, hactenus vix *Lutetiæ* notus. Sæpe repulſam paſſus, non deſtitit inſtare, hoc in ſuis ad me litteris ipſe fatetur. Quid multis? ſic erat, ut videtur, affectus, ut niſi perviciſſet, mortuus eſſet. Hîc igitur plus valuit Facultatis miſericordia quam judicium. Etenim ſi placuiſſet Editio, non tot annis fuiſſet negata. Nec tamen prius impetravit, quam plerique Theologi *Lutetiam* reliquiſſent. Quanquam autem ex ſyngrapha permiſſoria dubium non eſt, quin *Bedda* commodiſſimas quaſque voces decerpſerit, omiſſis aliis, quæ non perinde faciebant ad ipſius animum, tamen obſecro conſideremus hujus permiſſionis formulam: *Cum multi*, inquit, *dicerentur errores*. Facultas abſtinet à judicio, tantum allegat rumorem. Rurſus: *Scripſiſſetque in confutationem illorum.* Confutationes edi permiſit; at *Bedda* pro confutationibus emiſit cenſuras, & tantum convitiorum de ſuo addidit. Rurſus: *Utiliter & pie poſſunt legi.* Quid hac commendatione moderatius? Et *Averroes* blaſphemus utiliter legi poteſt, & *Homerus* pie legebatur ab iis, qui ſcribebant adverſus Paganos, & hodie *Judæorum* impii libri poſſunt pie legi. Jam nolim attingere, quibus artibus agi ſolent hujuſmodi fabulæ; primùm auditur, deinde deputantur, poſt hæc prodit relator. Equidem de Facultate hactenus omnium laudatiſſima, nihil ſuſpicionis demittam in animum meum, etiamſi non ſum ignarus alibi nonnunquam per has perſonas miras agi fabulas. Deliguntur deputati ad id idonei, quos optant ii, quorum vel auctoritas vel improbitas vincit in collegiis, in quibus frequenter, quod ait *Livius*, *major pars vincit meliorem, nonnunquam minor, ſed importunior ſuperat & majorem & meliorem.* Allegatur relator. Decernitur. Interim cum ſcribis res eſt. Et hîc infulciuntur quædam obiter, quæ vel non ſentiuntur, vel diſſimulantur. Hæc cùm aliquando fieri ſciam in graviſſimis Monarcharum negotiis, nihil eſſet mirum ſi uſu veniſſet in hac cauſa, quam arbitror almæ Facultati tot arduis occupatæ negotiis vix videri ſeriam. Poſtremo ut nihil horum ſit, poſt omnia rite geſta quid obſtitit, quo minus *Bedda*, vel inter excudendum adderet ſuis ſchedis quæ vellet? nam ad me ſcripſerat vix fore 14. paginas quæ ad me pertinerent: nunc accreverunt uſque ad 46. & Præfatio, quæ poſtremo loco ſcribitur, plurimum habet in me virulentiæ; nec minus Index, qui non alio conſilio junctus eſt Præfationi. Jam ut opus ſit lectum à Theologis, hæc certe lecta non ſunt, niſi ſi qui ſunt applauſores. Hæc à me dicuntur, non ut inſimulem Facultatem, ſed quod excuſatum velim, ſi quid ſcripſit *Bedda*, quod ea Facultate ſit indignum, ut certe ſcripſit permulta tam manifeſtæ falſitatis, ut etiamſi ſummus Pontifex ea probaret, ſim appellaturus ab eo dormitante ad eundem vigilantem, tantum abeſt, ut in *Bedda* gratiam ſim agniturus crimen impietatis, ubi tum animus tum ſcripta carent impietate. Neque enim ideo nigrum eſſet album, ſi ita pronuntiaret Romanus Pontifex, quod illum ſcio nequaquam facturum.

Hujuſmodi vero *Bedda* librum eſſe, jam ut doceamus ſupereſt, quemadmodum in Prologo ſumus polliciti. Idque faciemus quam fieri poterit breviſſime, ne vel nobis vel lectori multum operæ temporiſque pereat in hujuſmodi rixis. Sed hîc rurſum præfandum eſt, quod antehac non ſemel factum eſt, me nec *Lutheri* cauſam adjuvare, ſi quid perperam ſcripſit, nec pro *Jacobo Fabro* reſpondere, ut illius negotium meo patrocinio vel rectius vel deterius habeat, pro me tantum reſpondebo, me meaque omnia, quod perpetuo feci, ſubmittens Eccleſiæ judicio. Tantum præfatus, bonis avibus aggredior elaboratam illam *Bedda* Præfationem, ſeu potius *Pandoram*, in quam omnes Dii *Blitei* quod quiſque habuit pulcherrimum contulerunt, etiamſi titulus litteris uncialibus habet NATALEM BEDDAM. Fateor ineptum à Theologo requirere dictionis ornamenta, ſed ineptius eſt ea Theologum affectare, quæ præſtare non poteſt. Et ſi recte nos ſubinde contumeliæ cauſa Rhetores appellat, multo juſtius in ipſum Rhetoriſtæ convitium dici poſſit, qui cùm opes eloquentiæ, quas Theologo, quamvis haberet, diſſimulare laudi datur, præſtare non queat, tamen infelici affectatione moleſtus eſſe lectori voluit, niſi quod hoc tædium ſubinde riſu levat. Mihi quia paulo minus barbare loquor, nuſquam non occinit lenocinia, phaleras, fucos, illecebras, quid non? Et ipſe poſtulat à ſtomacho noſtro, ut tam ampulloſam infantiam, ac pluſquam tragicam balbutiem ferat. Ac nobis quidem concedit eloquentiam *Demoſthenicam*, ipſe vero, quo ſtatim in ipſo ſermonis limine ſeſe declaret eloquentiæ *Tulliana* candidatum, ſic exorditur, *Tametſi*, primam periodum, vix tandem longo verborum ambitu abſolvit, nimirum verſu undecimo. Sic enim exorſus eſt *M. Tullius* Orationem pro *Milone*, *Etſi vereor judices*. Sic Officiorum opus, *Quanquam te* Marce *fili*. Sic opus ad *Herennium*, *Etſi negotiis*. Sic *Philippicarum* duodecimam, *Etſi minime decere videtur*. Sic Orationem pro Lege *Manilia*, *Quanquam mihi ſemper*, &c. Ne commemorem Epiſtolas pene innumeras vel ab *Etſi*, quod illi eſt frequentiſſimum, vel à *Quanquam* exordientes. Hæc imitatus *Bedda*, qua felicitate æmulatur omnia, dixit *Tametſi*, quod tamen magis in medio ſermonis aut in fine quadrat quam initio. Ita *Davus*: *Tametſi hoc verum eſt.* Si paululum addidiſſet hiatus, tum voculas tres, *etiam atque etiam*, *majorem in modum*, *identidem*, *cum & tum*, addidiſſetque clauſulam, *eſſe videatur*, plane *Tullius* erat. Cæterum quod dictum eſt, *tametſi agnoverim*, pro eo quod erat, *quamquam intellexi*, ſupra *Ciceronem* eſt, qui putavit aliquid intereſſe inter Modum indicandi & ſubjunctivum, rurſus inter *agnoſcere* & *cognoſcere*.

Sed valeant hæc puerilia. Non morabimur lectorem id genus tricis apiniſque. Miremur potius hominis inſignem & inauditam dexteritatem, qui ſimulatque percurrit oculis, *Fabri* Commentarios & *Eraſmi* Paraphraſes, ſtatim perſpexit illic eſſe quamplurima catholicæ fidei piiſque moribus adverſantia. Quoque magis admirere, percurrit meas Paraphraſes oculis alienis, non ſuis, ac prætercurrit verius quam percurrit, aut ſi quid inſpexit ipſe, ſiniſtro tantum uſus eſt oculo, ſed extra jocum, multæ conjecturæ ſuadent illum nihil mearum Paraphraſeôn legiſſe. Nam hoc illi jam novum non eſt ferre ſententiam de libro nunquam inſpecto. Quid ſi ſuos illos intendiſſet oculos Lynceus? Vidiſſet, opinor, ea quæ nuſquam ſunt. At qui profitentur judices, etiam in cauſis centumviralibus, præfantur totam cauſam ſibi diligenter auditam, cognitam & examinatam. Nam argumentis haudquaquam levibus docebo, *Beddam* meas Paraphraſes nunquam evolviſſe, ſed Magiſtellis aliquot hoc operæ fuiſſe delegatum. Quanquam id teſtibus queam evincere, propterea quod vulgo quoque notum eſt *Lutetiæ*, qui ſint hujus fabulæ choragi, utcunque ſe jactet *Bedda* ſuis magnificis titulis, niſi quod aliquot ſales inſulſos ac virulentias adjicit de ſuo, prorſus indignas Theologo, cujus humeris innititur Eccleſiæ ſtructura. Sit igitur hoc primum vanitatis exemplum in noſtra ſupputatione, ſi videtur, ut à leviſſimis incipiamus. Nam alterum multo eſt impudentius, quod ait *in quamplurimis meas Paraphraſes adverſari fidei catholicæ*, cum & declaraturus

sim, & ex parte declararim, denique cum ipsa res loquatur, vix esse pauca loca quæ probabili calumniæ pateant, nihil autem esse meum, quod vel fidei catholicæ, vel piis moribus adversetur. At qui dicit *quamplurima*, plus quam majorem numeri partem significat. Verùm hîc fortasse tuebitur aliquis hoc colore *Beddam*, quod elegantiæ causa *quamplurima* dixerit pro *multa*, vel *aliquot*. Jam vero geminam habeo causam expostulandi, si pariter & per insciti am Latini sermonis, impingit nobis calumniam, & in nostris scriptis idem facit, quoties occurrit, quod perperam intelligit, quod esse factum suis locis commonstrabitur. Primum calumniæ sit hoc & vanitatis secundum exemplum. Ecce tertium. In litteris ad me suis scripserat, se misere timere ne futurus essem eodem in statu in quo jam futurus videbatur *Jacobus*, & in hac Præfatione fatetur se summa vi connixum, ut ad id, quod ipse nunc agit, aliorum studia ipse concitaret. Et res ipsa loquitur, eum hoc ipsum quod fieret ambisse, quod fingebat se misere timere. Hæc est illa *Catoniana* censoris nostri gravitas. Quî congruunt hæc, *Misere timeo ne fiat, & satis anxie effeci?* Nam his verbis utitur *Bedda*. Quamquam omnino quid sit *anxie niti* scio, quid vero sit *satis anxie efficere*, non satis intelligo. Sed his etiam omnibus impudentius est (res enim hîc illi non procedit ἐπὶ τὰ Μανδραβούλα) per homines solis humanitatis litteris ac Linguis instructos invectam factionem Ecclesiæ. Hîc *Lutherus* pro se respondeat cum suis, certe *Jacobus Faber*, quod ipsi non inficiantur, Philosophiæ quam humanarum litterarum ac Linguarum callentior est. Ego tametsi mansuetioribus *Musis* impensius sum per ætatem delectatus, tamen mea scripta, ni fallor, & in Philosophorum libris, & in Theologorum scriptis fuisse versatum, meque præter Linguas & politiores litteras aliquid scire testantur, quanquam fateor me in utroque genere studiorum infra mediocritatem esse. Quod si ille nihil scit *Bedda*, qui non profecit ad summa, nec in Grammatica, nec in Rhetorica, nec in Linguis quicquam scio. Nec solis igitur humanitatis litteris sum instructus, nec ulla factio per me invecta est Ecclesiæ, sed ab omni factione semper & constanter abhorrui, quæ magis placere solet *Androclidis*, quibus nihil est gloriæ nisi rebus turbatis. Verùm hîc patiemur, ut hyperbole *Beddam* excuset à mendacio, si modo patietur eundem tropum nobis prodesse adversus ipsius calumnias. Sed hîc *Bedda* studuit onerare bonas litteras invidia, qua de re dicetur aliàs. Falsum est & illud, (nam in me potissimum dixit) quod omnia sacra sum aggressus edisserere, cum non longe progressus ultra Grammatici partes, tantum à mendis repurgarim codices, & quæ circa lectionem incidebant, obiter indicavi: Paraphrasibus subveni pigris, aut fastidiosis, quibus vel non libebat, vel non vacabat, *Lyranos* & *Hugones* evolvere, quo compendio vel gustum ac summam Evangelicæ Philosophiæ citra tædium haurirent, & hoc lenocinio capti proficerent ad magis recondita. Reliqua mea fere ad mores pertinent, & sicubi quid incidit disputationis, ad quam tamen non temere descendo nisi provocatus, nullæ tamen sunt asseverationes. Certe à sublimibus illis & contentiosis dogmatibus, non secus atque à *Maleæ* scopulis deflectere soleo, *Bedda Beddaque* sodalibus illa concedens. Ne illud quidem vere prædicat, *Lutherum* è meis libris aliquid hausisse. Ego sane libros illius non legi, nisi tandem coactus, cum adversus illum in arenam protruderer. Et ipse *Lutherus* fortiter negabit se quicquam è meis lucubrationibus hausisse. Quid enim ex meis hauriat qui fortiter asseverat, me in re Theologica ne tantulum quidem scire? Nam ipse quæ docet, existimat puram putam Theologiam. Nec obscurum est, ex quibus fontibus hauserit sua *Lutherus*, unde stultissime placet quibusdam illud dictum lepidum scilicet, ἢ Λυθηρὸς ἐρασμίζει, ἢ Ἐρασμὸς λυθηρίζει. Sic mihi convenit cum *Luthero*, quemadmodum convenit coccyci cum luscinia, longe diversas cantilenas canimus. Atque hîc novo convitio vocamur Humanistæ theologizantes, sic barbarissat noster Oratorista.

Ne tamen omnia videatur mentiri *Bedda*, fateor illud esse verum, quod locis aliquot taxavi Theologos, qui neglectis Linguis ac politioribus litteris, omnique cognitione rerum antiquarum, imo ipsis etiam Scripturarum fontibus una cum priscis Ecclesiæ Doctoribus, in spinetis Quæstiuncularum consenescerent. Si nulli tales erant in mundo cum illa scriberem, otiosa quidem, sed tamen officiosa fuit admonitio. Sin tales plerisque locis heu! nimium multi sunt, haud frustra monui, nec hac admonitione læsi Theologos, sed profui. Videmus nunc in Academiis efflorescere aliud Theologorum genus, quibus utrumque doctrinæ genus amplexis, multo certius graviusque judicium est. Disputant magis sobrie, concionantur magis pie, scribunt eruditius. At sunt fortassis qui in his litteris velut ad scopulos *Sireneos* consenescentes abhorrent à Scholasticis Diatribis, & sunt fortassis qui Theologos veteres harum litterarum rudes sannis ac dicteriis incessunt. Quæ præclara res unquam prolata est in humanam vitam, quæ venerit absque incommodo? Nos quod in nobis fuit præstitimus, frequenter admonuimus, ne juvenes freti Linguis ac politiore litteratura, negligerent graviores disciplinas, civiliterque deferrent senioribus, quibus per ætatem non contigisset ista discere. Et vociferatur quidam, si *Erasmus* notare voluisset Theologos hoc titulo indignos, debebat aliter loqui. Cum admoneo Principes, nemo sic interpretatur, me de Principibus universis male sentire. Et cum Theologos admoneo, videor odisse Theologos universos? Quoties autem hoc adjicio, me non suggillare Monachorum aut Theologorum ordinem, de malis duntaxat loqui? Jam si una tantum Academia haberet Theologos, aut esset unum tantum in Orbe Monasterium, poterat aliquis probabiliter expostulare. Nunc cum mundus undique plenus sit Scholis ac Monasteriis, universi vulnerantur, si quid admoneantur Theologi aut Monachi? Ad istam sane rationem nec in Christianos quicquam dictum oportuit. Et si qui moverentur, certe *Parisinum* ordinem moveri non oportuit, cui scripta mea non in uno loco tribuunt in re Theologica principatum. Certe cum illa scriberem, de *Bedda* non cogitabam, quem arbitrabar longe alium esse virum, quam nunc sese declarat. Ante annos ferme septem, delatus est ad me *Lovanium* Libellus plenus Epigrammatis & scommatis in *Beddam*, in *Quercum* & alios nonnullos. Qui mittebant cupiebant excudi, ac sperabant rem mihi fore gratissimam, eo quod dicerent eos strenue debacchari solitos in nomen meum. Suppressi Libellum, & objurgans qui sic lusissent. Sic odi Theologos, quibus tamen me sciebam invisum! Jam sunt qui nobis aliud axioma proferunt, *præstare nominatim in aliquos invehi, quam generale nomen attingere.* Verùm hac lege quid impudentius? Aut quis unquam sobriæ mentis hanc legem probavit, ac non potius *Hieronymianum* illud amplectitur: *Generalem de vitiis disputationem ad nullius contumeliam pertinere.* Si neminem lædit, qui nullius perstricto nomine debacchatur in vitia, multo minus lædit, qui admonet potius quam objurgat. Jam illud tam manifestæ vanitatis est, ut nec *Beddam* arbitrer sibi persuasisse quod aliis persuadere conatur, videlicet quod hæc ideo monuerim, ut mihi consummati Theologi nomen vindicarem, qui ne Theologi quidem titulo sum unquam delectatus. Nimium insolens nomen est, etiamsi per omnem vitam feliciter in re Theologica versatus essem. *Joannem* Euangelistam quidam *Theologum* appellarunt, ipse sibi nunquam titulum adeo sublimem, ne dicam arrogantem, vindicavit. *Qui de terra est*, inquit *Joannes* Baptista, *terrenus est, & de terra loquitur.* Solus *Christus* hoc titulo vere dignus fuit. Ad hæc, quî convenit me velle videri consummatum Theologum, cum studio mihi sumserim hactenus infi-

infimam Theologiæ functionis partem, nimirum Grammaticam, aut non multo supra hanc? Legere docui, falso inscripta traduxi, præpostera judicia vulgi commonstravi, de moribus in melius vertendis admonui, Scholas ad simpliciora sed rectiora studia sum hortatus. Paraphrasibus nihil aliud egi quam litterator, qui *Virgilium* enarrans, prius argumentum carminis oratione soluta verbisque planioribus explicat. Ubi inter hæc affectatio superbi nominis? Poteram minore tædio quædam in speciem magnificentiora tractare, si ea scabies tenuisset animum. Theologi titulum invitus ac detrectans accepi. Eum si quis adimere volet, cum hoc nulla mihi erit concertatio.

v. Similis impudentiæ est & illud quod innuit me docuisse, Theologis nihil esse legendum præter utriusque Testamenti volumina. Hæc sane præcipue legenda Theologis, ut verissimum est, ita probatissimum esse debebat. Qui legerit *Methodum* meam, in qua demonstro quibus artibus præparandus sit adolescens ad Theologiam, protinus videbit quam sit
c. alienum à vero quod *Bedda* impingit. Sed ansam hujus calumniæ *Bedda*, ni fallor, arripuit ex *Paracleti*, sed arte interjectis aliquot verbis, quibus ex benedictis reddat maledicta, ex veris falsa. Hanc ille rhetoricam ubi didicerit, nescio, sed tamen mire callet: si modo hoc arte facit, ac non potius natura.
v. Ejusdem est fidei quod ait me docuisse, Theologo nihil attingendum Philosophiæ, ne *Petrum* quidem *Lombardum*, aut quenquam omnino recentiorum. Quorsum attinet hæc refellere tam manifestariæ vanitatis? Qui mea legit, ultro perspiciet hæc à *Bedda* perversa mente, sed prorsus sine fronte confingi. Et his hyperbolis vel potius pseudologiis *Bedda* tuetur sacrosanctam Theologiam; præsertim cum
c. hæc jactet probata Theologorum collegio. Atque interim mirus calumniandi artifex ita sermonem temperat, quasi taxarim universos Theologos, ipse pessime sentiens de Theologis, si quotquot hoc nomine censentur, velut unius farinæ gregem, sub unam, ut ajunt, *Myconum* redigit. Simile quiddam significat & in litteris ad me suis. Si nihil pudet *Beddam*, si plane perfricuit frontem, audiant alii quod verissimum est, quodque crebro dictis ac scriptis testatus sum, nullos mihi perinde reverendos esse atque veros Theologos: nec unquam cum ullo vero Theologo commutavi tria verba. Sed immane quantum discrimen est inter scurram & Theologum, inter Theologum & sycophantam. Cum optimis quibusque Theologis mihi semper fuit arctissima necessitudo. Sed sunt quidam adeo morosi, vafri, maledici, vindices, & intractabiles, ut suis moribus etiam ipsam professionem adducant in suspicionem: quasi studii genus hoc sinceritatem & communem sensum adimat homini. Quod de Theologis dico, idem sentio de Monachis. Bono veroque Monacho nihil esse potest amabilius, nec à me quisquam talis unquam verbo læsus est. Congerit hæc verba *Bedda*, velut à me dicta in Theologos: *Rabini, barbari, crassi, & politioris litteraturæ rudes.* Utinam autem, utinam non essent in quos deteriora competerent elogia quam *Rabini, barbari, crassi, & politioris litteraturæ rudes*! Rabini vocabulum miror cur abominandum ducat, cum *Bedda* cum suis tam libenter audiat Magister noster, nisi forte id facit odio sermonis Hebraici. Si barbari sunt qui loquuntur male Latine, & si *Bedda* negat ullos esse tales; corrigetur hoc vocabulum. Nec satis commemini an eos alicubi crassos appellarim. Et tamen si crassus dicitur qui parum valet judicio, quot exemplis hoc docere possem, si libeat? Unum referam, quod nuper accidit apud *Hispanos*. Theologus Ordinis *Franciscani*, nomen & cognomen tacebitur, quod illic jam nemo nescit, res enim acta est publicitus magnoque tumultu, protulit ex meis libris aliquot damnatas sententias, quarum una fuit. Scripseram, in *Enchiridio*, ni fallor, *Hæc est vera germanaque Theologia, quæ & Philosophorum supercilia & Regum sceptra subjecit Christo.* Hic dira vociferabatur in meum nomen, qui negarim usquam esse veram Theologiam præterquam in *Germania*. Hoc genus exempla plus 30. possim referre, quæ ipsi in publicis concionibus ac prælectionibus, imo libris editis, voluerunt omnibus esse nota. His si *Franciscani* lædi putant Ordinis existimationem, ne mihi succenseant, qui tam atroces contumelias, quas profanæ leges etiam capite puniunt, condono crassitudini, sed illis qui talibus factis publice lædunt Ordinem suum. Quod si qui veri discipuli sunt, sanctissimi modestissimique viri *Francisci*, tales non habeant pro *Franciscanis*, liberati sunt ab ignominia. Idem censeo de Theologis. Neque enim æquum fuerit à me flagitare, ne quid horum litteris committam, tametsi vix centesimam partem refero: nec id nisi per occasionem, cum ipsi linguis faveant & applaudant illis ista publice designantibus. Sed esto, sint Rabini, qui Judaico supercilio profitentur divinorum Voluminum scientiam, sint barbari, quibus sermo scatet solœcismis, sint crassi, quibus judicium est hebetius, sint politioris litteraturæ rudes, qui non versati sunt in eorum monumentis, qui sapientiam cum eloquentia conjunxerunt, quales inter Ethnicos sunt *Plato, Aristoteles, Theophrastus, Plutarchus, Virgilius, Plinius*, & horum similes; inter Christianos *Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Hieronymus*, ne singulos frustra commemorem, utrum *Bedda* putat omnes Theologos esse tales, an nullos? Si dicet nullos; desiderabimus in eo frontem: sin omnes, intolerabilem ignominiam inurit Ordini. Quanquam hæc alioqui pars nihilo plus habet frontis quam illa prior. Quam multos habet hoc seculum, in quos nihil istorum verborum competit, ex quibus à me nominatim aliquot prædicantur! Et hæc seges in dies latius progerminat, utcunque reclament veteris Synagogæ mystæ. Toties ad ravim usque clamo, bonas litteras accedere, non hostes, sed ancillas veterum studiorum, nec insultandum iis quibus aut non licuit, aut non vacavit hanc litteraturam adjungere, deferendum senio, deferendum auctoritati quam occuparunt, dimittendam honorifice Synagogam. Cæterum istos quis ferat, qui, quod clam ambiunt, publice damnant? Et quoniam non succedit affectatio, detestantur, feliciaque juvenum ingenia submovent ab his studiis, ne qui exsistant doctiores quam ipsi sunt. Nam quod nuper *Bedda* cum suis commentus est, Theologis v. probari Linguas ac bonas litteras, si de paucis dicit, fateor esse verum, si de plerisque, falsum; si de omnibus, impudentissimum est mendacium. Sed hoc alias.

Hunc in modum μάλα ῥητορικῶς perorata, seu potius perarata prima Pandoricæ præfationis parte, vertit stylum ad sublimiora, magno artificio conjungens *Fabrum* & *Erasmum*, cumque his, ubi visum est, *Lutherum*, nimirum id sedulo faciens, quod homo frater & amicus verebatur ne fieret, hoc est, in eodem statu ponens utrumque, quoniam utrique metuebat ne in eum statum veniret, quasi vero mea studia cum *Fabri* studiis consentiant: quod in illius contumeliam dictum videri nolim. Sed homo candidus tribuit mihi laudes cum *Fabro* communes, modo lapsus eosdem agnoscam. Appellat enim nos viros prope divinis ingeniis præditos, variisque disciplinis eruditissimos. Quid hac laude candidius? At idem paulo v. ante dixerat nos Humanistas, solis Linguis ac politioribus litteris instructos. *Mendacem* ajunt *memorem esse oportet.* Verùm hîc fortasse dicet ἑτέρωσιν esse numeri. Unde *Bedda* didicit hanc artem Encomiasticam, seu Poeticam verius, attollere virtutem adversariorum, quo plus laudis ipse victor scilicet ferat? Hac stropha *Virgilius* attollit *Turnum*, *Homerus Hectorem*. Supereſt igitur ut mundus intelligat *Beddam* esse supra hominem, qui tales hostes protriverit. Hoc

Digitized by Google

autem quod nunc sequitur, quo nomine donandum sit nescio. Nam ineptum est potius quam vanum aut
v. calumnioſum : quanquam re vera est utrumque.
c. Quid autem ineptius quam nos hîc consolari magnorum virorum exemplis, qui similiter atque nos prolapsi sunt in hæresim? Fateor summos Ecclesiæ Doctores in aliquot errores fuisse prolapsos: nemo tamen illorum est qui in tales sycophantias unquam fuerit prolapsus. Ubi didicit hoc schematum genus Theologus ? *Vir erat alioqui præclarus, sed quod in furto deprehensus sit nemo mirari debet. Idem accidit* Verri, *viro Romana nobilitatis.* Tale fuerit, *Non mirum si* Bedda *mente excidit : Usu venit idem* Herculi *Græcia fortissimo, &* Oresti Agamemnonis *filio.* Hascine strophas callere, qui tam male rhetoricantur in rebus honestis! Ut omittam interim quod hæresim usurpat pro errore in doctrina fidei. Item quod fidei causam nunc metitur placitis Scholasticorum, in quibus supra modum inter se dissentiunt. Quis enim Veterum distinxit hæresim ab hæretico ? Hoc est, quis distinxit populum à populari, aut factionem à factioso? Hæreticos & Hæresiarchas distinguunt Eruditi. Cæterum quisquis habet hæresim, aut hæreticus est, aut Hæresiarcha. Sed has commentitias distinctiunculas quidam habent pro oraculis, cum talibus nihil sit ineptius aut etiam vanius. In errorem incidit *Hieronymus*, in hæresim nusquam, & si incidit, hæreticus erat. Hos fumos objiciunt, qui quo doctores videantur, etiam loquendi novas præscribunt leges, cum Veterum omnium sententiâ remittenda sit verborum contentio, quoties de re convenit. Hîc illud obiter interjiciam, in suis notis *Bedda* subinde schismatis nomen impingit, quoties admoneo quod ad Episcopos pertinet, cum ipse hîc taxare videatur summos Pontifices. Ipsius verba subscribam: *Neque enim primi sunt, quibus istud tam infauste obtigerit. Olim siquidem fuerunt & alii, quorum nominibus ob id parco, quoniam summas in Ecclesia cathedras rexerunt, qui solis cum sacrarum Litterarum studiis, tum crebra veterum Doctorum lectione fulti, neglectis in Theologia præceptoribus, de his disserere aggressi, qui se ipsos absque prævio magistro male docuerant, in varias inciderunt hæreses.* Addit hoc proficisci à superbia mentis. Sic tractat *Bedda* Doctores, qui summas in Ecclesia cathedras tenuerunt: nec est schismaticus, sed sibi suaviter ignoscit *Mevius.* Nec animadvertit has contumelias magis recidere in *Ambrosium*, *Augustinum* & *Bernardum*, quam in *Fabrum* ac me. Quin ipse *Hieronymus*, cujus auctoritatem nobis objicit, unde hausit suam Theologiam, nisi ex fontibus sacrorum Voluminum, & Græcorum commentariis? In qua Schola sedit ad pedes Doctorum, aut quibus gradibus provectus est ad Theologi titulum? In eremo factus est ille magnificus doctor. Vidit *Didymum* diebus aliquot, & *Apollinarem*, hæreticos. Verùm hoc suo loco tractabitur oportunius. Multa interim prætercurro sciens, ne molestus sim lectori.

Post hæc recentiorum Doctorum laudes sic ingreditur: *Haud aliter & in ipsis sacris Libris, si quid asperum adhuc aut indigestum vel inexplicatum superesse videretur*, &c. Quas tragœdias excitasset *Bedda*, si *Erasmus* dixisset, in sacris Voluminibus esse aliquid indigestum aut asperum ? Quid hæ voces *Beddarum* auribus sonent nescio. Latinis asperum est, quod rude est & indolatum : Indigestum vero, crudum, parumque concoctum, quod præter barbariem multo etiam est dictu absurdius. Ubi nunc est ista de
Blasphemia. rebus divinis loquendi religio ? An non hæc est blasphemia in Spiritum Sanctum, cujus afflatu proditi sunt libri divini? Ut dissimulem interim quod *Scoto* & hujus similibus tribuit sermonis facilitatem ac lucem, cum absurditate sermonis, verbisque commentitiis, summis difficultatibus multa obscurarit, quæ fuerant dilucida. Atque ut fateor quædam esse discussa à recentioribus Theologis, quæ à priscis vel præterita fuerant, vel in ancipiti relicta, vel parum dextre tractata: ita difficultates quæstionum innumeræ sunt invectæ, quæ magis faciunt ad ostentationem quam ad pietatem. Ad hæc incredibilis est inter eos opinionum varietas, quod experiuntur qui versantur in *Thomis*, *Alexandris*, *Durandis*, *Albertis*, *Bonaventuris*, *Gregoriis*, *Scotis* & *Gersonibus*, *Nominalibus* ac *Realibus*, *Transalpinis*, ac *Cisalpinis.* Quamvis hoc elevat *Bedda* in suis ad me litteris, dicens paucula supereſſe nondum satis discussa. Nec illud multum habet frontis, quod ait doctrina recentium Scholasti- v.
corum omnes illorum temporum hæreses exstinctas fuisse, cum per istos res non agatur argumentis ut olim inter *Arium* & *Athanasium*, sed articulis & fasciculis. Nec ulla tamen ætas caruit suis hæresibus, nec unquam est caritura. Proinde manifestæ vanitatis est, quod subjicit solis Scholasticæ Theologiæ præsidiis hæreticorum esse confutata dogmata. Ubinam erant illa præsidia, cum jam annis aliquot *Lutherus* velut aper ferus devastaret vineam Domini ? Tandem prodierunt articuli. Ibi statim glisscente malo *Bedda* debebat in campum prosilire cum suis præsidiis Scholasticæ Theologiæ, docere errantes, revocare deficientes, confirmare nutantes, convincere repugnantes. Verùm in congressu latitabat, nunc ferox accurrit ad prædam: & ad pugnam ignavus, ad epinicia fortis est. Atqui talem ducem requirebat primus ille pugnæ fervor. Ubi tum erat iste zelus, quo nunc exeditur miser? Cur homo tot remediis instructus patitur *Judæos* in sua cæcitate persistere? *Bohemos* & *Græcos* in schismate, *Turcas* & horum similes semi-Christianos impune perire? Certe cum *Luthero* cominus oportuit congredi. Hoc erat congruum par gladiatorum. Sed minore labore majorem sibi sperabat gloriam, si cum *Erasmo* rixaretur, qui meis libris multos ad pietatis studium excitavi, à contrahenda factione semper abhorrui, neque quenquam in errorem pertraxi. Quid autem faciebat tot seculis Ecclesia, cum nullas haberet Theologorum Scholas? Unde tunc petebantur adversus hæreticos præsidia? Unde nisi ex divinis Litteris? Et res erat cum eruditissimis *Valentino*, *Marcione*, *Ario.* Utinam autem tantum valeret Scholastica Theologia, quantum illi tribuit *Bedda!* Non his dissidiis jam diu concuteretur Orbis Christianus. Ego Rhetor quosdam sanavi dictis ac scriptis meis, proferat *Bedda* quos suis Scholasticis præsidiis revocarit ad bonam mentem. Falsum & hoc quod toties inculcans sperat se consequu- v.
turum ut verum esse videatur, quod neglexerim præceptores. Ait enim, *Nullis præceptoribus.* Si *Augustinus* paucis cum *Ambrosio* congressibus, quanquam nec ipse *Ambrosius* præceptore usus est prævio, tantus Theologus factus est, ego qui præter auditos publicitus docentes, cum multis eruditissimis Theologis & in *Britannia* & in aliis locis diutinam habui consuetudinem, si non assequutus sum fastigium, certe neque neglexi præceptores, neque nullis præviis sum usus, quod subinde fortiter mentitur *Bedda.* De me duntaxat loquor: *Faber* pro se loquetur.

Sed accipe nunc congeriem insignium & mendaciorum & calumniarum quod ad me quidem attinet. Illius verba subscribam cum suo flore: *Porro* v.
ut non aperte in Manichæi, Arii, Sabellii, *aut* Do- c.
nati *hæreses devoluti sunt, ita perverse quidem cum* Valdone, Wyclevo, Marsilio, *& cæteris secundo loco expressis hæreticis, de fide, de meritis, de libero arbitrio, de consiliis Evangelicis, de pœnitentia, aliisque non paucis: Impie vero de veneratione Sanctorum, de sacris Ecclesiæ constitutionibus ac ritu, deque regulis Patrum, & aliis compluribus, proculdubio sentiunt ac definiunt.* Quam fortiter hæc omnia de me certe mentiatur, partim ostendi, partim declaraturus sum. Hîc illud est artis sycophanticæ, quod in recensendis im-

Digitized by Google

impiis ac perverſis erroribus me perpetuo miſcet cum *Fabro*, quaſi prorſus eadem ſcripſerimus: Alterum eſt fortitudinis, quod impudens mendacium ſic aſſeverat, *Procul dubio*, inquit, *ſentiunt ac definiunt*. Certe mei moris non eſt definire: ſed dubio procul hæc ℣. *Bedda* perfricta facie dicuntur. Et os impudens liberum arbitrium nominat, cum exſtet mea Diatriba, qua tueor liberum arbitrium adverſus dogma *Lutheri*. Verùm hîc ingenue mendax eſt. Tectius mentiebatur cum diceret, *Ut non aperte in* Manichæi, ℣. &c. Mihi neque clam neque palam quicquam eſt conſortii cum *Manichæis* ac *Donatis*. Hoc ridiculum quod hunc librum vult videri remedium adverſus hæreſes ab Eccleſia datum. Imo non pugnat Eccleſia ſycophantiis ac mendaciis adverſus hæreſes, ſed gladio ℣. Spiritus quod eſt verbum Dei. Ejuſdem frontis eſt quod attexit, me (nam pro me reſpondeo) meis velle vivere legibus, qui me ſemper Eccleſiæ judicio ſubmiſi, qui cum Epiſcopo ordinario, cum Pontifice *Romano*, cum Principe perpetuam habui pacem & amicitiam, nec adhuc uſquam me rebellem præbui. An is rebellat Eccleſiæ, qui *Bedda* tam evidentes calumnias non adorat? Audio titulum remedii, ſed video rem veneficii. Audio nomen Theologi, ſed video negotium Diaboli. O deploratum hominem, qui ſe tali cenſori non ſtatim ceu Deo ſubmittat! Hoc honoris ſoli Deo defero, ut ſi quid præcipiat, etiamſi videatur iniquum, nec reddat cauſam quare ſic jubeat, tamen auctoritati cedam. *Bedda* non tantum honoris debere me puto, ut aſſentiri debeam, ſi prædicet mihi eſſe cornua. Monentem, docentem, libenter, atque etiam objurgantem patienter audiam, modo reddat ſui facti rationem. Atqui ſi depello calumniam, decedit aliquid auctoritati *Beddaica*. Debebat igitur ipſe circumſpectius ſtringere calamum. Tantum enim juris, ut vulnerati gratias agant, vix *Phalarides* aut *Neroues* ſibi vindicarent. Hoc mendacium impudens interpretatur impudentiori, *Id eſt*, inquit, *viventes omnes docere, & à nullis inſtrui viventium*. Quid hac voce impotentius? Ego doceo viventes omnes, nec à quoquam doceri ſuſtineo, qui nullius admonitionem non recipio, qui per litteras obnixe rogavi *Beddam* ipſum ut moneret, ſi quid eſſet correctione dignum. At ille pro gravi contumelia duxit quod inſtrui cuperem, cum eſſent de quibus ne divinare quidem potui cur offenderent. Quid dicent cum hæc legent tam multi docti & parum docti, amici & parum amici, quos obnixe rogavi ut monitis adjuvarent? quibus pro officio gratias egi, adeo non pertinax mei ſenſus, ut *Lei Stunicaque* monitu quædam mutarim, quæ mihi poſt erant corrigenda. Quid dicent, quos etiam mercedula conduxi ut mea quædam evolverent, indicaturi ſi quid offenderet? Nonnunquam & famulorum admitto conſilium. Unde igitur *Bedda* venit in mentem ut talia litteris proderet? Sed hæc ſuggeſſit illi temulentia, non vini, ſed odii, quæ multo gravior eſt quam vini. Etenim qui mero factus eſt ebrius, paucis horis aut ſomno redit ad mentis ſanitatem. Odii temulentiæ nec ſomnus nec tempus medetur. Quanquam ipſum opus ſatis arguit *Beddam* non ſimplici temulentia laborare, ſed ebrium eſſe livore, ebrium odio, ebrium amore gloriæ. Fortaſſis & à malis Monachis conductus agit hanc fabulam, ut quartam addas ebrietatem.

Has cauſas bona fide præfatus, jactat nobis ſuum zelum, quo commotus ſumſerit hanc arduam provinciam in humeros ſuos, ne corrueret Eccleſia Dei. Atque ita tandem adjutore Deo prodiit hoc quod cernitur opuſculum. *Opuſculum* appellat opus loquaciſſimum, captans, opinor, vocis diminutivæ delicium, quaſi dicas *Beddula cenſurulas*: quanquam convenientius erat *centunculum* dicere, magiſque fuiſſet ingenuum, ſingulis aſſumentis ſuum auctorem adſcribere, quemadmodum fit in Pandectis, quam ſolidam operis gloriam uni ſibi vindicare. Jam & illud invere-

A cundæ vanitatis eſt, quod *Appius* cenſor ait, ambos, ℣. *Jacobum Fabrum* & me, ejuſdem eſſe litteraturæ. Etſi mihi par eſſet cum *Fabro* litteratura, quod longe ſecus eſſe jactat etiam *Sutor*, & ipſe non inficior, tamen eadem amborum dici non poſſit, cum diverſum ſtudiorum genus ſimus ſequuti, plurimum etiam ipſa Phraſi diſſimiles. Et ambos æquat in litteratura noſter *Ariſtarchus*. Quid hîc dicturi ſunt, qui meas ac *Fabri* lucubrationes evolverint? Quid aliud quam proverbium illud, μύρμηξ ἡ κάμηλον; Aut illud certe ὗς ἔκλαυσεν. Ejuſdem frontis eſt quod ait, eadem ℣. ferme errorum capita mihi cum *Fabro* communia; nec minus fidelium ſaluti noxia. De erroribus ac pernicie fidelium dicetur ſuis locis: certe ipſum opus B *Bedda* declarat quam non ſint ferme eadem, etiamſi vere convenirent quæ tortuoſus hic cenſor contorquet, minimumque frontis *Bedda* eſſe arguit. Illud ℣. tamen non mentitur *Bedda*, quod ait ſe ex Paraphraſibus collegiſſe errores. Sane collegit, ſed ſuos, non meos, ſi modo concedimus illi tropum juris, ut facere dicatur qui per alium facit. Ad hunc modum peroravit, quibus cauſis adductus improbitate ſua moleſtus fuerit Facultati, ut liceret cenſurarum libellum edere, quem ad me ſcripſerat non exceſſurum modum 14. paginarum, cum excreverit ad paginas ferme 46. cum tamen bonam operis partem alteri ceſſerit. In iiſdem litteris promiſerat, nihil ℣. illic eſſe quod non vel ad mores meos, vel ad C catholicæ fidei rectitudinem pertineret, cum calumniis & convitiis ſcateat totus undique liber. Sed nihil agit *Bedda* prætexendis iſtiuſmodi cauſationibus. Obſcurum non eſt, quibus ſtimulis agitatus *Bedda* proſilierit ad pugnam. Quanquam hæc non in unum *Beddam* culpa recidit. Bona pars imputanda eſt Satanæ, qui ſemper invidens utilitati mortalium, miris technis obnititur, nec ullo ſophiſmate magis proficit, quam quoties ſuam malitiam prætexit ſpecie pietatis. Hujus afflatu *Bedda* cum videret meas lucubrationes, præcipue Paraphraſes, toties excuſas teri manibus hominum, perque has multos excitari ad amorem pietatis, ac ſtudium cognoſcendæ Philoſophiæ Chriſtianæ, nonnullos etiam reddi ſegniores ad quæſtiones Sophiſticas verius quam Theologicas, totis viribus incubuit, ut hanc utilitatem hominibus interverteret. Scio fateorque meas lucubrationes nec eruditione nec eloquentia præcellere. Neque enim illa ſummatibus in Theologia viris ſcripſimus, nec ad oſtentationem, ſed ad utilitatem, tamen plurimorum hominum haudquaquam levium litteras proferre poſſum, qui mihi gratias agunt, quod meis ſcriptis expergefacti ſint ad lucem Euangelicæ veritatis. Habeo litteras *Martini Dorpii*, qui nuper ad feliciorem translatus vitam, doctis omnibus grave ſui deſiderium reliquit. Is ſcribit, imo dejerat, ſe meum *de miſericordia Domini* libellum abſque lachrymis non E potuiſſe legere. Idem mihi narrabat quendam ex ipſius ſodalitio (nam id temporis Collegio, quod Theologorum dicitur, *Lovanii* præſidebat) *Methodum* meam non potuiſſe ſiccis oculis perlegere. Quid nunc de cæteris commemorem, quorum nomina reticeo, ne videar de ignotis arte *Beddaica* confingere? Ea res urebat Satanam. Is ſubornavit organum ad hoc impediendum idoneum. Hæc erant præfanda *Beddæ*, ſi veras cauſas adducere voluiſſet. Quod ſi frater erat & amicus, ſi nihil niſi meam ſalutem ſitiebat, cum videret ex meis ſcriptis nullam oriri factionem, imo cum videret me cum improbata factione dimicantem, debebat ſuum libellum F privatim ad me mittere, quo una manus, ut ipſe citat, vulnus opemque ferret: præſertim cum ego pollicerer me, ſi quid eſſet quod quanquam pie dictum, tamen in ſenſum impium rapi poſſet, explicaturum, aut correcturum, ſi quid merito diſpliceret: & ſi id parum eſſet, etiam ſcripto confeſſurum errorem meum. Sed

hîc

Digitized by Google

hîc pœnitebat *Beddam* quantum erat obventurum gloriæ. Quanquam longe plus erat gloriæ laturus quam nunc fert, etiamsi famæ plurimum tulit. Sed ille maluit immensam famam quam justam gloriam. Quod autem hoc gloriæ genus, quod aliorum paratur infamia? Talis est latronum & incendiariorum gloria. Sic notus est *Zoilus*, *Bavius* ac *Mevius*.

Post hæc *Bedda* nobis Polypum agit, sibique mire cavet, ne possit deprehendi vel in mendacio vel in
v. calumnia. Primum ait quædam se reprehendisse, non juxta sensum scribentis, sed juxta sensum qui se communiter offert lectori. Hoc præterquam quod iniquissimum est, æque falsum esse jam multis exemplis demonstravimus in Divinationibus, Elencho & Prologo, nunc demonstraturi pluribus. Hanc unam elabendi rimam paravit, sibi male conscia calumnia. Secundo loco profitetur se notaturum propositiones quasdam, non ut plane impias, sed ut ab Interprete, sive Paraphraste, contra debitum positas. Hæc verba quid sibi velint, vix ipse, opinor, qui scripsit intelligit. Nimirum hic est sepiæ fallere cupientis succus, nisi quod mox sui interpres aperit: *Non enim*, inquit, *sicubi interpretis verba ad Euangelica alludunt, aut illis videntur consona, continuo laudanda: quia interpretis est, Euangelica verba, per receptos ab Ecclesia Doctores expressa ponere, non eadem reponere.* Hoc commentariolo velut atramento dealbavit quod proposuerat. Somnio tamen quid velit, quemadmodum indicavimus in Prologo. Interpretis verbum ambiguum est, ad transferentem in aliam Linguam, & ad commentariis enarrantem. Paraphrastes in cursu quædam obiter arripit, quæ difficultatem explicant, nonnunquam attingens quatenus licet varias Doctorum sententias, tamen paraphrastica lege constrictus, non potest longius ab his quæ tractat excurrere, quod enarratori liberum est: & ubi res nihil habet difficultatis, quid vetat eadem verba reponere? & si difficultas est inexplicabilis Paraphrastæ, tutius opinor eadem verba reponere, quam cum periculo mutare. Quod factum est à nobis in loco de filio hominis nescience diem adventus secundi. Nonnunquam qui loquitur in Euangelio vult obscurum esse quod dicit, hîc pro verbis ambiguis reponere dilucida, non est Paraphrastæ, nisi mutet personam. Quos autem *Bedda* dicit ab Ecclesia receptos Doctores mihi non satis perspicuum est. Equidem ut in Paraphrasibus, ita & in cæteris omnibus receptissimos Ecclesiæ Doctores pro mea virili sequutus sum, quod adeo non mentior, ut hoc ipsum mihi quidam Scholastici Doctores vitio verterint, negantes ex *Chrysostomo*, *Hieronymo*, *Augustino*, & similibus esse petendam fidei Christianæ regulam, sed ex his quæ nunc recepta sunt in Scholis, cum ipsæ Scholæ sic inter se varient. Si *Bedda* non concedit jus, aliis verbis exponere sacras Litteras, quam Ecclesiæ Doctores loquuti sunt, cur ausi sunt recentiores tot novas & inauditas voces comminisci, quæ nec reperiuntur in sacris Voluminibus, nec apud quenquam eorum quos Ecclesia Doctores habet probatissimos? Cur tot voces ab illis usurpatas nunc rejiciunt? *Augustinus* dixit, *in persona Christi hominem Deo permixtum.* Nemo nunc fert *permiscendi* verbum, tantum admittitur *unionis*. Quid est igitur, quod sibi vult *Bedda?* Non liquet, sed tamen vult nescio quid, quod explicari non potest, sed tamen huc pertinet, ut ipsi sine fraude sit, quicquid in aliis fuerit calumniatus. Hunc in modum nobis loquendi legem præscripsit.

Audi nunc quid nobis præscribit de sententiis, sed ita balbutiens ut ægre percipias quid sentiat. Ipsius verba sunt hæc: *Praterea si quando Majores nostri, præsertim in facto aut statu hominum variant, eos qui alteram partem sequuti sunt, non omnino damno, nisi quod rem dubiam pro certa, sine certa aut ratione aut auctoritate definierunt. Quod idem de variis sacræ Scripturæ lectionibus intelligo.* Hæc est phrasis Theologo digna. Cum verto Græca, & in codicibus occurrit varia lectio, quoniam in contextu non *licet* nisi unam ponere, quæ videtur maxime probabilis eam eligo, quod supereſt declaro in Annotationibus, ut si cui magis probatur alia lectio, fruatur suo judicio. Nec est periculum, etiamsi omnes dissonent à Latinis recepta lectione, imo necessarium erat diversam à vulgari translatione lectionem, Latinis auribus tradere. Quam ob rem? Ut intelligeremus egregios Scripturarum interpretes, *Basilium*, *Chrysostomum*, *Athanasium*, aliosque similes, quorum commentarii frequenter non respondent ad nostram lectionem, id quod nos quidem præstitimus in Novo Testamento. Cæterum hoc magis erat necessarium in Veteris Testamenti voluminibus, quod ingenti studiorum fructu curavit apud *Hispanos*, felicis memoriæ *Franciscus* Card. *Toletanus*, ex auctoritate *Leonis* X. Quanquam Græcorum interpretationes aliquoties nec ad Septuaginta versionem, nec ad Hebræorum fontes respondent, *Symmachi*, ut opinor, aut *Aquilæ*, aut *Theodotionis* Editionem sequutæ. Atque utinam haberemus omnes omnium Editiones bona fide versas in Linguam Latinam! Nec usquam v.
definio certa pro incertis, quod insulcit *Bedda*. Nam id semper fuit alienum à mea consuetudine. Nec enim pro certo volo haberi, si quid in Paraphrasi refero, vel ex meo sensu, vel ex Doctorum commentariis haustum, qui toties admoneo testorque lectorem, ne plus tribuat meis Paraphrasibus, quam tributurus erat Commentariis. Quin & aliud suffugium sibi parat dicens, *In omnibus autem à me notandis velim diligentius animadvertat, quo animo quove sensu à me notata sint.* Animum *Bedda* cujusmodi sit abunde declarant ipsa scripta. Quem autem sensum suum nobis prædicat, in quo animadvertendo, jubet lectorem intendere animum? Nam ante testatus est se sequutum eum sensum qui se communiter offert ex verbis. Hîc rursus alium sensum jubet observari, non historicum, non tropologicum, non anagogicum. Quem igitur? Sycophanticum opinor, hoc est, qui commodissimus est ad calumniam. Hæc ideo præstruxit artifex, ut si quod calumniatur, nec liquet ex verbis nostris, aut si ex aliis locis perspicuum est quid sentiam, tamen ad *Bedda* sensum examinetur propositio. Itaque pronuntiabitur hoc modo, *Hæc propositio Latine scientibus, & juxta scriptoris sensum pia est, sed ad* Beddæ *sensum hæretica.* Nimirum sic vinum optimum, si infundas in vas insincerum, acescit. Belle vero nobiscum agetur, si cum isti sint tot ad calumniandum titulis instructi, tam impotens odium præ se ferant, tamen scripta nostra non ad sensum divinarum Scripturarum, nec ad sensum Orthodoxorum veterum, quos plerunque sequuti sumus, sed ad *Bedda* sensum examinabuntur, ad quem si examinentur Epistolæ *Pauli*, detracto titulo, vix ullus erit versus, qui non pateat duabus aut tribus calumniis. Similem rimam aperit sibi in altera Præfatione, testificans se cum hoc opus adornaret, non prospexisse ad Annotationes meas aut Apologias, quibus *Leo Stunicæque* respondi. Quorsum spectat hæc testificatio? Nimirum huc, quod aliquoties in Divinationibus expostulo, quod non saltem inspexerit Annotationes in eum locum quem carpit. Verùm id si fecisset, perierat ansa calumniæ. At ille vir bonus, neque quicquam habens præ oculis nisi solum Deum, sed suum, noluit ullam occasionem calumniandi perdere, ne decresceret propositionum numerus. Quis ferat judicem, qui velit pronuntiare, testatus se nec testes audisse, nec tabulas examinasse? Addit ibidem, se non curare Apologias *Erasmi*. Hæc qui præfatur, quid aliud dicit, quam judicare volo, cognoscere nolo, volo esse legem quicquid pronuntiavero, censor & cæcus & surdus? Si judicas, cognosce, si regnas, jube; quanquam ne Regum quidem hoc est, sed tyrannorum. Et ni me fallit animus, novum quoddam tyrannidis genus *Bedda* concepit animo, speratque futurum

ut

Digitized by Google

ut ex proſtrato *Luthero* parta victoria non cedat *Chriſto*, cui militamus, ſed in quorundam hominum, imo vix hominum, commodum vertatur. Verùm abſit, ut omnia eveniant quæ tales noctu ſomniant. Has igitur tam æquas conditiones ſi impetrat *Bedda*, florebit Theologia, una cum Eccleſia, quam humeris ſuſtinet fortiſſimus *Atlas*. Denique quo magis in tuto ſit noſter cenſor *Appius*, ne dicam impius, omnes haſce nænias ſubmittit judicio Sedis Apoſtolicæ & univerſalis Eccleſiæ, cum omni honore, ſic enim rhetoricatur ille, quaſi nos non idem fecerimus in omnibus ſcriptis. Romanus Pontifex peſſime vult Sectæ *Lutheranæ*, nec id ſine cauſa, neque vero minus male vult Cæſar. Uterque tamen, ſat ſcio, ſi penitus noſſet, qualis Eccleſiæ propugnator ſit *Bedda*, de his loquor quæ ſcripſit in me, haberent illi pro hoc officio peſſimam gratiam. Non enim volunt eos perpelli in partes *Lutheranas*, qui pro Eccleſia pugnant contra *Lutheranos*, nec ea volunt per calumniam reprehendi, quæ pio dicta ſint animo, ſed amanter potius citraque tumultum curari, ſi quid forte per incogitantiam excidit. Nunc enim plus ſatis tumultuum eſt in Orbe.

Jam tempus erat ut finem faceret loquaciſſimæ Præfationis, ſed illi nondum ſatis creviſſe videtur. Orditur novum argumentum, & incipit carpere eloquentiam, quam ipſe in hoc opere tam ambitioſe affectavit, licet parum feliciter. Verùm hîc quoque miris ſchematibus cavit ne capi poſſit. Quod quo magis liqueat, operæ pretium eſt ipſa hominis verba ſubſcribere: *Quanquam vero pulchrum ſit*, inquit, Fabro & Eraſmo *viſum, nec non promovendæ Religioni perutile, novo dicendi genere, id eſt, cultius politiusve divinas tractare Litteras, à prudentibus tamen & expertis viris, maxime incautum, impietati ac ſacrilegio vicinum, ſemper eſt judicatum, pietatis & humilitatis doctrinæ, faſtum ac Gentilium litterarum lenocinia, quaſi hæc de ſe ſaluti conducerent, tam ſtudioſe ſuperinducere, cum ejus auctor Deus per Apoſtolum* Paulum *in pluribus Epiſtolarum ejus locis id omnino diſſuaſiſſe videatur, & hanc ob vanitatem* Hieronymus *ſe divinitus reprehenſum, atque ſeveriter caſtigatum, ad poſterorum cautionem, in Libello* de inſtituenda virgine, *litteris mandatum curaverit. Quod ſi priores Eccleſiæ Doctores ſcribendo non inculto, ſed ornato, non neglecto, ſed accurato, eleganique ſermone nonnunquam videntur uſi, haud tamen in expoliendo ſermone præcipuam fructificandi ſpem, ut iſti, collocaſſe comperientur: quin potius vel hoc auſim affirmare, quod ſi quis maturius rem perpendat, comperiet ipſos ſanctos Doctores ſemper eo minus ac minus ſeculari eloquentiæ ſtuduiſſe, uſosve fuiſſe, quo cum ætate in divinis charismatibus auctiores evaſerunt. Quanquam tamen quis Scholaſticorum*, &c. Obſecro te, lector, nonne tibi videris ipſum audire *Jovinianum?* Euge! hoc ſtylo tractandæ ſunt ſacræ Litteræ! Ubi hîc eſt orationis ſimplicitas? Ubi humilitas ſeſe demittens ad imperitorum intelligentiam? Quid magis turgidum aut faſtuoſum hoc ſermone, niſi hoc illum excuſat, quod obſcure moleſteque dicit? Sed interim dum ſe fucis involvit, in utrumque crimen incidit, & quod affectat id quod damnat, & quod non præſtat ſimplicitatem orationis quam requirit in aliis; nimirum ipſe vicinior impietati & ſacrilegio, qui nec Veterum elegantiam ſequitur, nec Scholaſticorum ſimplicitatem imitatur, ſed tertium quoddam orationis genus invehit, medium inter carmen & orationem ſolutam, quod nunc tragico cothurno attollitur, nunc humi repit, nuſquam æquale ſibi, dicas in febri ſcriptum. Quanquam in totum eſt impudentiſſimum *Beddam* de ſermone polito aut impolito verba facere, apud quem nihil eſt impolitius quam quod ille putat eſſe politiſſimum. Sed excutiamus quantum in hac oratione lateat examen mendaciorum. Primum ait *Fabrum* ac me ſuperinduxiſſe dictionis elegantiam doctrinæ pietatis, cum ipſe fateatur veteres Doctores eleganter politeque tractaſſe ſacras Litteras, nec id ſane mentitur. Tolerabilius erat ſi dixiſſet nos vetus exemplum revocare conatos. Sed illud impudentius, quod ſignificat nos faſtum ac Gentilium litterarum lenocinia, tanquam per ſe conducentia ſaluti, magno ſtudio ſuperinduxiſſe. Primùm quis unquam ſic inſaniit, ut diceret politiores litteras de ſe ſaluti conducere? Id nec de *Ariſtotelica* quidem Philoſophia auſim prædicare, nedum de bonis litteris. Deinde quem faſtum aut quæ lenocinia nobis narrat hîc *Bedda*? Pro me reſpondeo. Si ſentit de divinis Litteris, an à me fontibus divinarum Litterarum invectum eſt aliquid novi, aut ullus apex eſt additus? Si de vertendo ſentit, nonne Novum Teſtamentum ſimplici minimeque affectato ſermone vertimus? nec Romani ſermonis elegantiæ ſuperſtitioſe ſervientes. In Paraphraſibus laudor ab Eruditis, qui ſciunt quid ſit dicere, quod phraſim moderatus ſim ad Chriſtianam ſimplicitatem, non abhorrens interim à quibuſdam verbis, quæ fuerant vitanda, niſi maluiſſem Chriſtianus videri quam *Ciceronianus*. Cum igitur de hac ipſa dictionis qualicunque facultate, quæ mihi non affectanti præſto eſt, prudens etiam nonnihil remiſerim, vaniſſimum eſt quod ait, *tam ſtudioſe*. Eloquentiam nuſquam affecto ſtudioſe, in tractandis ſacris minus adhibeo quam ſeſe offert. Nec illud minus vanum, quod ait ſemper à prudentibus viris, vicinum impietati ſacrilegioque judicatum, ſacris Litteris adhibere litterarum Ethnicarum opes. Divus *Hieronymus* aliter & fecit & docuit, exemplum proponens ex *Ægypti* ſpoliis exſtructum Templum Dei, præterea captivæ mulieris allegoriam. Ne id quidem verum eſt, quod ait *Paulum* frequenter in Epiſtolis prorſus diſſuadere dictionis ornamenta, cum Apoſtolus illic agat de Philoſophorum eloquentia, quæ rationibus humanis pugnabat adverſus fidei dogmata, quæ creduntur, non evincuntur. Nam quod Apoſtoli vulgari ſermone ſunt uſi, congruebat exordio naſcentis fidei, quemadmodum & miraculorum oſtenſio, verùm actis Euangelii radicibus miracula ceſſarunt, & eloquentium hominum litteris defenſa eſt adverſus Gentes & hæreticos Chriſtiana fides. Legat *Bedda* catalogum illuſtrium Scriptorum, & videbit eos plurimum Eccleſiæ profuiſſe, qui maxime præcelluerunt orationis facultate, ſophiſticam balbutiem nuſquam comperiet. Atque hîc recinitur nobis vetus *Hieronymi* ſomnium, de quo puto me ſatis in aliis lucubrationibus reſpondiſſe. Nec intelligit interim *Hieronymum* non vapulaſſe ob ſtudium eloquentiæ, ſed ob affectationem Philoſophiæ: nam Rhetoricen didicerat puer. Hoc ſomnium accidit juveni in eremo ad rem Theologicam paranti ſeſe: erat enim pernox ac perdius in Dialogis *Platonis* & *Marci Tullii*. At *M. Tullius* in Dialogis tractat Philoſophorum dogmata, ſi ſtuduiſſet eloquentiæ, legiſſet illius Orationes: ibi *Tullius* jactavit opes eloquentiæ. Et hoc ſtudium *Hieronymi Bedda* vocat vanitatem, ob quam miſere vapularit *Hieronymus*, ſed in ſomnis, multo acerbius vapulaturus opinor, ſi ſimili ſtudio verſatus fuiſſet in Sophiſtica, quam prædiſcere coguntur Theologiæ candidati, aut in *Ariſtotele*, *Averroe*, & in *Scoto* Metaphyſicis. Verùm id *Hieronymus* litteris proditum eſſe voluit ad poſteritatis exemplum. Iſta quidem ſcribit virgini, verùm ne quis cæterorum ob id ſomnium ab utilibus diſciplinis deterreatur, jam ſenex reſpondet *Magno* Oratori, & adverſus *Ruffinum* deridet hoc ſomnium, æquiparans illud prodigioſis imaginibus, quæ dormientibus ſolent illudere, veluti cum ſumtis alis cum *Dædalo* videmur nobis volitare per aera. Jam quod addit inſigniter vanum, ex ſuperioribus abunde coarguitur, dum ait me præcipuam fructificandi ſpem ponere in expoliendo ſermone.

Quæ ſcribebam adoleſcens nondum natus annos viginti, plus habent politiei quam quæ nunc ſcribo: ſic enim judicant Critici. Et nunc meus ſermo multo ſimplicior eſt, minuſque phaleratus quam hic *Bedda*, & adeo non affectatus, ut non accerſita mundities, ſi qua modo mundities, mihi ſcribenti promtius ad manum ſit, quam *Beddæ* ſua Lingua *Picardica*. Et hoc nomine reprehendor à doctis, præſertim *Italis*, quod nullam expoliendæ dictionis curam habeam, ſed extemporarii trivialiſque ſermonis fluxu contentus ſim. Quid igitur à me flagitat *Bedda*? ut *Scoti* aut *Lyrani* dictionem imiter? Cur ipſe non imitatur? Ut ipſius flores crocumque ſequar? Non vacat tam o-
v. perоſam eloquentiam affectare. Rurſus ſibi dictionis cenſuram ſumit eadem fronte, qua (quod eſt manifeſtæ vanitatis) pronuntiat, veteres Eccleſiæ Doctores quo magis profecerant in donis ſpiritualibus, hoc minus adhibuiſſe ſecularis elegantiæ. Elegantiam, opinor, appellat eloquentiam. *Lyſias* & *Iſocrates* ſenes remiſerunt nonnihil de affectatione ſchematum juvenilium: quod genus ſunt, membra, articuli, comparia, ſimiliter cadentia ac deſinentia, repetitiones, converſiones, complexiones, conduplicationes, traductiones, adnominationes, epiphonemata, periodi, numerique compoſitionis, quæ faciunt ad oſtentationem juvenilem, de elegantia nihil remiſerunt. Ita *M. Tullius* magis oſtentat eloquentiam in *Verrinis*, ſed magis præſtitit in *Philippicis*, quas ſcripſit ſenex. Ita quæ divus *Hieronymus* ſcripſit extrema ſenectute longe ſunt eloquentiora quam quæ ſcripſit juvenis. Qui diffidit meo judicio conferat epitaphium *Paulæ* cum exhortatione ad *Heliodorum*. Idem in totum hoc de doctis viris pronuntiat, omnes vicina morte, cygnorum more, dulcius quiddam ceciniſſe. Nec mirum eſt id uſu venire: cum enim dicendi recte, ſapere ſit & principium & fons, multa addit ætas, uſu rerum, lectione voluminum, colloquio doctorum, ex quibus judicandi vis major naſcitur. Non perinde exſtat ars in ſcriptis ſenum, ſed hoc ipſum eſt artis, artem non exſtare, certe exſtat illud cujus gratia diſcitur ars juvenibus. Verùm *Bedda* nihil horum intelligens, putat nullum eſſe diſcrimen, inter eleganter dicere, & moleſte putideque dicere, inter feliciter dicere & affectate dicere. Itaque ſi *Hieronymus* adoleſcens tam atrociter cæſus eſt ob ſtudium elegantiæ, periculum eſt ne multo durius vapulet *Bedda*, qui ſenex tanto ſtudio affectet faſtuoſam & ampulloſam eloquentiam. Exſpectabam ut aliquando puderet *Beddam* iſta pronuntiare, quæ docti ſciunt eſſe falſiſſima, verùm ille
v. nullum facit modum. Addit quod & docti pariter & indocti ſciunt eſſe vaniſſimum. Pernegat ullum Scholaſticorum Doctorum ægre laturum in nobis eloquentiæ ſtudium, etiamſi *Demoſthenicam* ſuperaſſemus, niſi impegiſſemus adeo miſerabiliter in dogmata fidei, quaſi nemo mortalium ſciat, quid *Lutetiæ* Theologus *Beddanicus* ac σύνδικος è ſuggeſto deblaterarit in Linguas ac bonas litteras, quid *Carmelita Lovanii*, quid alius hujus ſodalis *Mechliniæ*. Omitto nunc conviviorum & colloquiorum fabulas, omitto ſynodorum dogmata. *Lovanii* quidam non ſemel publicitus dixit apud populum, Linguas ac politiores litteras eſſe fontem omnium hæreſeôn, & ob id earum profeſſores fuſtibus ejiciendos ex Academia. Et tamen inter illos nullus erat, qui vel hiſceret adverſus Eccleſiæ decreta.

Poſſim alia multa commemorare, verùm hoc in-
v. terim ſatis eſt ad retundendam *Bedda* effrontem vanitatem. Id improbe dictum, impudentius etiam inculcat, quo vel ſic eſſe verum videatur: *Nullus enim*, inquit, *ita hebes, ac mentis inops (quod ſecus iſti interpretantur) fuerit, qui humanitatis artem, Linguarumque peritiam non ut dona Dei agnoſcat, ac laudet. Non certe illa cuiquam juſte diſplicere poſſunt.* Ut nuſquam ſibi conſtat, qui non ex animo loquitur! Si *Bedda* vult fateri, Theologos ac Monachos, qui privatim ac publice damnarunt Linguas ac bonas litteras, eſſe non ſolum hebetes, verum etiam mentis inopes, liberabitur à vanitatis crimine, proferam illi magnum catalogum cum populi teſtimonio. Sin omnibus notum eſt, quid ſentiant complures, quid dicant in compotationibus, in confeſſionibus, in vehiculis, in navibus, in conciliabulis, in colloquiis, in publicis prælectionibus, & ſacris concionibus, de hiſce ſtudiis non novis, ut ipſi fingunt, ſed poſtliminio reflo-reſcentibus, non pudet Theologum iſta tot verbis aſſeverare, nihilo verecundius quam ſi clamet geminum eſſe Solem? Si talis eſt in cenſuris, qualis in Prologo, quis illi fidem habeat? Sed illic multo eſt impudentior: nam ſi quid eſt bonæ mentis aut frontis, in procemio ſolet ſimulari. Nunc hominis conſtantiam vide. Elegantiæ ſtudium in *Hieronymo* v. dixit vanitatem, & hîc appellat dona Dei. Ita-ne Deus ob ſua dona concupita flagris excarnificat homines? Si dona Dei ſunt, cur vicini ſunt ſacrilegio qui ea adhibent Scripturis Dei? Cur Theologi quidam, amici Dei, magnis contentionibus arcent hæc à ſuis Academiis? Et *Sutor Bedda* ſodalis, identidem appellat harum litterarum ſtudioſos, novitatum cupidos. His hunc in modum peroratis inſultat nobis: *Deſinant*, inquit, *deſinant Theologorum ordini, perverſis eorum dogmatibus opponentium, falſo imputare, id eos odio bonarum, quas dicunt, litterarum agere. Sapiant cum Eccleſia*, & cætera. Vide lector, ut hîc rurſus omnes Theologos ſub unam *Myconum* redigit. Ego non queror niſi de Theologis aliquot, hic urget, aut nullum omnino Theologum infenſum eſſe bonis litteris, aut univerſum ordinem. Quid ſit ſapere cum Eccleſia, poſt excutiam. Nunc illud modo dicam, alio properans. Si conſtat quoſdam Theologos odioſiſſime negotium exhibuiſſe Linguarum profeſſoribus, qui ne *my* quidem fecerant adverſus Eccleſiæ dogmata, quod ſane conſtat, ſciant omnes *Bedda* nihil eſſe frontis. Cæterum *periculum* v. *eſt*, inquit, *ne quidam his litteris abutantur in ſuam & aliorum perniciem.* At plus periculi eſt, à Sophiſtica, *Ariſtotele* & *Averroe*, cum hi minus ſint neceſſarii quam Linguarum cognitio. Denique cum ut in hoc Prologo, ita in toto libro, quem in me ſcripſit, tot falſa, tot calumnias, tot ſannas, tot convitia congerat in nomen meum, tamen ulcera hæc omnia uno tegit malagmate. Excuſat zelum v. fidei, eſt omnino zelus Dei, ſed eſt zelus *Judaicus*, *non ſecundum ſcientiam*, ut *Pauli* verbis utar, & eſt zelus Satanæ, qui complectitur omne ſcelus. Si fidei zelus ſuppeditat iſtam maledicendi licentiam, quin *Irenæus* ſimili ſtylo eſt uſus adverſus *Valentinum* & *Marcionem*, malitioſiſſimos ac peſtilentiſſimos Eccleſiæ perduelliones, quin ſic debacchatus eſt adverſus *Donatiſtas Auguſtinus*, latrocinio quam dogmatibus nocentiores? *Eraſmus* adeo nullum collegit gregem, ut nihil non perpeſſus ſit, ne diſcederet ab Eccleſia. Nullus per me factus eſt impius aut factioſus. Cur *Bedda* non effudit hunc zelum in *Lutherum*, totque viros nec indoctos, nec ignotos, qui libris evulgatis profitentur eadem quæ *Lutherus*, bonam Orbis partem in ſua caſtra pertrahentes? Hîc nihil erat opus depravare, torquere, mentiri, quod facit in meis, ſimpliciter & ingenue profitentur, quod *Bedda* in meis ſcriptis calumniatur. In hos zelus *Beddaicus* tollat cornua. Fruſtra ergo *Bedda* zelum domus Dei ſimulat, Spiritus Dei enim linum fumigans non exſtinguit, nec baculum confractum comminuit, nec veritatis zelus armatur mendaciis & calumniis. Si verum fateri volet, dicet privatum odium, aut ſuæ naturæ morbum, aut ambitionem, aut ſimul hæc omnia ad hoc negotium exſtimulaſſe. Si perſonæ ſalutem optaſſet, poterat ſu- v.
as admonitiones ad me mittere, & ſi quid in moribus of-

Digitized by Google

offendebat, poterat admonere per litteras, & si non respondissem, aut secus quam oportuit respondissem, poterat nobis illud occinere, *hæreticum hominem post unam atque alteram correptionem devita.* Nunc nihil minus sustinuit facere quam hoc quod erat hominis Christiani. Tantum hoc agebat, ut exiret glorioſus ille fœtus. Dicet libros meos jam vulgatos esse, eoque necessarium erat aliorum periculis occurrere. Melius illorum periculis occursum fuisset, si ipse mea vel explicuissem vel correxissem. Postremo si nihil aliud spectabat quam nostram salutem & aliorum incolumitatem, quorsum attinebat ea calumniari quæ pie dicta sunt? quid opus erat tot mendaciis, tot scommatis, tot convitiis, tot figuris ac strophis? Satis erat ea notare, quæ merito fuerant reprehendenda. Sed hîc *Bedda* suo morem gessit animo, proinde hos fumos jam pene solennes incassum offundit lectori
v. de zelo, de studio salutis fraternæ. Allegat falsitatis odium. Itane falsitatis odio, tam multa falsa loquitur? Verùm hic juxta proverbium, *linum lino connectens*, mendacium mendacio confirmat. Ait me hactenus nulli quamvis juste arguenti cessisse, quamvis probe monenti paruisse. Ad hoc mendacium cum illi per litteras diligenter responderim, tamen perfricta fronte repetit & inculcat, quasi nihil responderim: cujus enim illum pudeat? Primum qui me privatim monuerint ille nescit. Fuerunt aliquot *Bedda* longe dissimiles, non minus docti quam integri, & quod inter Eruditos satis rarum est, sani cerebri, sobriique judicii. Quod si de scriptis sentit, utinam suum negotium ageret *Bedda*, nec admoto sulphure bene consopitum ignem suscitaret! Ego nec *Leum* nec *Stunicam* in contentionem provocavi, nec illibenter obliviscor pugnæ superioris; per me certe bellum non instaurabitur. Proinde non hîc excutiam quid sit probe monere, quid sit juste arguere, tantum hoc obiter dicam ad *Bedda* vanitatem coarguendam, quod *Leus* in Indice suo jactat multa loca, quæ ipsius admonitu correxerim, *Stunica* etiam libello edito commonstrat quadraginta ferme loca, quæ gloriatur ipso admonitore castigata. De aliis in præsentia nihil commemoro. Hoc vere-ne an falso jactarint non disputo, mihi satis est quod his testibus *Bedda* vanitas coarguitur, quorum ipse fidem tam magnifice prædicat. Jam quid attinet alios citare testes? In responsionibus meis *Leo* & *Stunicæ* ago gratias, quod quædam admonuerint quæ me fugissent. Si tam inclementer monentibus ago gratias, quanto magis acturus eram *Bedda*, tanto in re Theologica provectiori, fraterne monenti scilicet Euangelica caritate quam jactat? Quin & in his schedis, quas misi Facultati, testor quædam esse mutata, quæ *Bedda* indicarat typographorum incuria commissa, quædam etiam mea, ne quid fingam, incogitantia: homines sumus, & ex tempore scribimus omnia. Sic est ingenium morarum & recognitionum impatiens. Negabit sibi lectas schedas illas. Equidem citius crediderim illi soli lectas: & si non legit, noluit intelligere ut bene ageret. Nam earum meminit in hoc ipso Prologo. Satis arbitror liquere, quanta fide, quantaque religione præfatus sit hactenus *Bedda*.

Nunc accipe *dignum patella*, quod ajunt, *operculum*, narrationem Euangelicæ simplicitatis, planeque columbinam. Ait enim se pleraſque propositiones, quas in hoc libro reprehendit, studio meæ salutis ante annum pro Euangelica sua caritate ad me misisse, quoniam id rogaram, neque fuisse pollicitum per litteras, quod meorum erratorum longe severior judex essem futurus quam fuisset *Augustinus*, & ecce homo intractabilis pro palinodia, quam vir meæ salutis avidissimus exspectabat, mittit defensionem earundem propositionum ad Collegium Theologorum *Parisiense*.
v. Quantum vanitatis ac fuci habeat hæc narratio, partim in Prologo declaratum est. Quod rogavi per litteras, ut mitteret quicquid offenderet, verissimum est, id feci ex animo, feci reverenter atque etiam blande, ne quid offenderet delicatum hominis animum, & inter ferularum pavidos pueros educati, neque quicquam assueti audire, præterquam *Magister noster*, *Magister noster*. Sed quod mihi misit, quemadmodum miserat *Fabro*, falsum esse declarat hæc ipsa Præfatio. Siquidem *Fabro* miserat non roganti, mihi vix obnixe rogatus. Et jam sparserat illam terrificam censuram de scriptis meis, de qua ne somniabam quidem. Post hæc Annotationes in *Lucam* misit ad me *Franciscus Deloinus*, vir immortali dignus memoria. Pro quibus quanquam ab alio missis, tamen egi *Beddæ* gratias, hortans ut idem faceret in cæteris operibus meis. Vix tandem multis precibus multisque blandimentis delinitus misit aliquot notas. Interea mittuntur ad me per amicos quæ in primo judicio sparserat. Id dissimulans, perrexi supplex esse *Beddæ*, ut quoniam quædam perperam scripta nec legere poteram, quædam manifestam haberent vanitatem & calumniam, vel tribus verbis indicaret quid offenderet. Hîc ego dum à fratre & amico exspecto Euangelicæ caritatis officium, ex illius ad me litteris sentio hominem vehementer commotum, quod auderem à Theologo petere rationem. Id si fas non est, quin pro Theologo postulat appellari Theonomos. Siquidem à ratione non à lege dicitur Theologus. Cur Doctor appellari gaudet, qui docere recusat? Flagitet igitur ut pro Doctore, vocetur detortor, ac pro Theologo diabolus, id est, calumniator. Dicet nihil opus esse rationibus confutare, de quibus semel pronuntiatum est. Atqui de meis nemo pronuntiavit cum auctoritate. Sed congruebant, inquiet, cum his quæ erant damnata. Verùm hoc ipsum oportuit probare, quandoquidem nunc res ipsa clamitat, sic mea convenire cum quibusdam damnatis, ut convenit igni cum aqua. Et si non oportuit ullam reddere rationem, cur non edidit nudas propositiones, sed tantum chartarum calumniis & mendaciis explevit? Cur nunc tam multi scribunt in *Lutherum*? Pigebat scriptionis, hoc ipsum quod edidit, mandasset describendum, lubens exsolvissem pretium. Dicet, nihil referebat, cum essem mox editurus, ut tibi liceret cum populo legere. Imo magni referebat. Primum apud pios, doctos & cordatos viros non sibi lucrifeciset opinionem vani, calumniatoris & maledici hominis, nec mihi apud stultos & indoctos conflasset invidiam. Postremo plus fuisset & auctoritatis & otii ad congrediendum cum *Luthero*, fortassis & aliquanto pauciores adhærerent *Luthero*, nisi *Bedda* calumniosa facundia persuasisset, mihi cum illo in plerisque convenire. Exspectabat, ut ait, omnium quas miserat propositionum palinodiam. Cur igitur quasdam in Editione suppressit, si omnes erant dignæ palinodia? Jam si quotquot misit reprobassem, multa fuissem mentitus in caput meum, & in periculum rei Christianæ, sicut jam demonstravimus, plenius etiam demonstraturi. Et si os, quod mentitur adversus proximum, occidit animam, quanto magis quod mentitur in seipsum? Ita-ne veritatis doctor docet impia mendacia? Si turpe est impietatis calumniam proximo immerenti impingere, multo turpius est impietatis calumniam agnoscere. Sed calor imposuit *Beddæ*. Imo totum biennium in hoc opere versatus est. Imposuit gloriæ sitis. Humanum est vitium tangi laudis cupidine, sed inhumanissimum est hanc ex injuriis immerentium venari. Falsum & illud quod ait, me v.
defensionem propositionum misisse Theologis. Videat num usquam sit defensionis nomen. Consultationem misi, nec ad censuram provocavi, sed admonitionis officium rogavi, quandoquidem jam *Beddæ* litteræ nihil crepabant nisi dicta Satraparum. Me quidem hortabatur & alia causa ut id facerem. Quidam mussabant Collegii judicium esse, non *Beddæ*.

Digitized by Google

Id quoniam mihi persuasum habebam esse falsissimum, cum non ignorem quales habeat Theologos aliquot, instrui quærebam, ut hoc refellerem. Exspectabat palinodiam ad singula. Quam, obsecro, palinodiam? Etiam-ne ad manifeste falsa, etiam-ne ad insignes calumnias, etiam-ne ad depravata scripta, quæ ne legi quidem poterant? Hîc culpam rejiciebat in Amanuensem, negans sibi esse otium recognoscendi tres pagellas. O zelum Euangelicum! ô sitim fraternæ salutis! cui grave fuit tantillum laboris devorare. Et quæ tandem est ista tyrannis, ut cum admonitore privato & Euangelico non liceat communicare, quo melius uterque mentem alterius intelligat, præsertim cum id non minus retulerit *Bedda* quam mea, imo publicitus omnium. Nam & monitor labi potest, & monitus falli potest, & lector seduci potest. Tantum malorum excludisset privata communicatio. Deus non indignatur his qui discendi animo percunctantur, quo melius cognoscant ipsius voluntatem, velut *Abrahæ* dicenti: *Quid dabis mihi, non dedisti mihi semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Et tamen ante promiserat illi, *Faciam te in Gentem magnam.* Benigne respondet *Petro*: *Quid ergo erit nobis, qui reliquimus omnia?* Nec indignatus est *Mosi* detrectanti legationem, sed docuit unde foret præsidium. Similiter respondet *Hieremiæ*, munus impositum excusanti. Nec *Gabriel* indigne tulit, quod Virgo subhæsitans responderit, *Quomodo fiet istud?* Et *Bedda* sic intumescit ira, placide blandeque rogatus, ut vel tribus verbis indicaret quid offenderet. An non hæc ferocia *Phalaride* dignior est quam Theologo, quam magistro pauperum: nam hoc titulo sibi placet. Verùm hæc scripta, hæc facta non sapiunt pauperem spiritu, sed argenti fontes, sed pabuli copia ferocientem, sed eum qui fœnum habeat in cornu. Non itaque misi defensionem, aut si misi, cur *Bedda* nihil hîc ad eam defensionem respondet. Sed metuit ne minus esset calumniarum. Nihil aliud captabat quam traducere, præsertim apud crassos, & odio lymphatos. Ad id satis erat turba propositionum, & immanes tituli. Vide
v. quantum proficiat *Bedda*. Antehac tot falsa congessit, nunc etiam dejerat, ne dicam pejerat: *Ob id*, inquiens, *coram judice Deo ipsi* Erasmo *timuerim, ne scilicet adhæreat erroribus, quos firmare sua dicendi arte molitur.* Ille mihi timet, qui tot admovet machinas, ut me protrudat in castra *Lutheri*? Metuit ne adhæream erroribus, qui meos errores mihi commonstrari postulo. Ille adhæret errori qui falsum docet, & quod docuit obstinate tuetur. Verùm ab hac specie procul abest, qui calumniam erroris falso intentatam ab se depellit, paratus ad verorum errorum correctio-
v. nem. *Bedda* erroribus adhærere nolo, nam illius sunt, non mei. Falsum igitur est quod ait, me meos errores dicendi arte velle tueri.

Tandem sumto cothurno suscipit encomium totius Collegii, atque hîc optarim hominem minus videri vanum, quam se præbuit in cæteris, ego certe de illo Collegio semper habui magnificam opinionem, neque nunc dubito quin complures sint tales quales nobis depingit *Bedda*, sed arbitror illic nihilo pauciores esse, etiam cum abest *Bedda*. Sentias hîc aliam phrasim, aliud pectus, aliud numen, quoque major sit orationis majestas infulciuntur Græcæ voces, *Theorice* & *Theoremata*. Interim mihi succurrebat illud *Alexandri*, *O te felicem* Achilles *tali præcone*! Cæterum ut verum sit quod ibi nihil decernitur ex argutiis Dialecticorum,
v. sed ex divinis Scripturis omnia, certe illud falso admiscuit, nos illi Collegio sine fine detrahere, qui in nullum unquam Collegium fuerimus contumelioſi, de me loquor, neque quisquam mihi persuasurus erat ullos esse tales, quales se quidam suis libris prodiderunt, ex quibus moneo cunctos ne in totum Collegium ferant præjudicium. Sic autem mirus artifex ingreditur laudationem: *At certo novi in fidei judicis, nihil in eodem Collegio præcipitanter agi, sed omnia mature tractari*, &c. Hæc si vere, si ex animo loquitur *Bedda*, cur ipse non respondet suo Collegio, sic præcipitans suas calumnias? cur causam illi laudato Collegio commissam eripit è manibus, præitque, sententiam ferens ante cognitionem: quin exspectavit illius judicium? Cur non illius in examinando maturitatem est imitatus? Cur aliunde pronuntiat quam ex divinis Litteris? Cur tot sannas, tot convitia, tot calumnias, tot mendacia, admiscuit, præter illius Collegii morem, præterque Scholasticam consuetudinem? Quid pronuntiaturum sit Collegium *Bedda* nescit, Deus scit. O modestiam, nescit eventum, non nescit suum conatum! Quid autem nunc pronuntiabit Collegium? *Bedda* censor factus ex Scholastico, prodidit suas censuras, in singulis paginis prægrandibus litteris proscripsit immanes errores. Quid igitur reliquum fecit Collegio? Ni damnet omnia mea periculum est, ne *Bedda* styli cuspidem stringat in ipsum Collegium. Sin in quibusdam me absolverit, eadem opera pronuntiabit sycophantam esse *Beddam*, qui non disputarit, sed pronuntiarit, idque non sine convitiis. Cur laudat, quod non imitatur? Cur illi Collegio, quod quidem in ipso est, suis scriptis offundit nebulam? Quod autem non moretur illius judicium, satis ipse declarat, vociferans nihil superesse nisi judicium Ecclesiæ. Quod quidem ipsum decuit exspectare *Beddam*, priusquam hunc in modum debaccharetur in eum, qui perseveranter hactenus steterit ab Ecclesia, quod ipsum, ni fallor, pessime habet *Beddaicos*. Admiscet hîc aliud mendacium, me v.
miris artibus tueri, quæ carpuntur in scriptis meis. Quas artes mihi narrat hîc nugator? *Leo* respondi ex tempore, nullo fuco rhetorices, idque verbis quantum licuit pauciſſimis. Similiter respondi *Stunicæ*, nudis & apertis agens argumentis. Simplicius etiam *Latomo*, nec usquam minus artis adhibeo, si quid tamen adhibeo, quam in Apologiis. Nec strinxi calamum in quenquam, nisi vulgatis libellis hostiliter impetitus, semper tamen impetitoribus modestia superior, multos interim maledicos libellos dissimulans. Proferat loca ubi fumis elabor. Hîc scilicet me provocat, ut vel unum proferam articulum, de quo *Parisiense* Collegium perperam pronuntiarit. Mihi non est res cum Collegiorum articulis, sed cum *Beddæ* calumniis. Ego libentius spectabo Cisalpinos articulos cum Transalpinis conflictari. Proinde quod *Bedda* significat, nullum prorsus articulum ab eo Collegio profectum posse reprehendi, verum-ne, an vanum sit, aliis expendendum relinquo.

Jam insignis quidem, at non nova, vanitas est, quam subjicit, in meis scriptis plurima esse *Lutherana*. Atque hîc triplex mendacium uno fasce complectitur. Primum asseverans esse plurima, cum ipse vix pauca v.
loca valuerit per calumniam ad aliquam suspicionem *Lutheranismi* detorquere. Alterum, quod ipse id com- v.
monstraverit, cum in omnibus propemodum censuris impudentissime calumnietur. Tertium, quod ait v.
Ecclesiam ab erroribus *Lutheranis* repurgari non posse, quam diu tolerabuntur nostra scripta, cum pugnem ex professo cum *Luthero*, nec in ullo articulo mihi cum illo per omnia conveniat, de damnatis loquor; imo ex talibus libellis, qualem in me scribit *Bedda*, citius contaminetur Ecclesia quam repurgetur. Duplex enim lues invehitur. Primum, quod objicit palam falsa, oppugnans pia veraque scripta: deinde, quod tam scurriliter ac maledice. Quod autem homo falsus catholicis viris defert judicium, an in confutandis erroribus Sophistam aut Dialecticum *Scotistam*, an *Occanistam* egerit, nihil erit opus judicibus. Res ipsa loquitur, quod in multis, quæ scribit in me, nec Dialecticum agit, nec *Scotistam*, nec *Occanistam*, (nullum enim tale exemplum exstat apud illos) sed longe aliam personam, hoc est, caco-

cacolecticum, cretiſtam, & myctiriſtam. Hic autem homo zeli plenus, inſtantiſſime requirit, ut in favorem fidei Eccleſiæ judicium ſubſcribat ipſius cenſuris. Avertat *Chriſtus*, ut ipſius ſponſa eo vel malitiæ vel cæcitatis prolabatur, ut tam malitioſis calumniis ſubſcribat. Veritatis magiſtra eſt, non calumniæ, & errantibus mederi cupit, non ſuos perdere. Hiccine eſt favor fidei? Sic favent vino qui cicutam admiſcent & acetum. Quod ſi *Bedda* vivere non poteſt, niſi meruerit Eccleſiæ judicium, convocet Priorem aliquem *Cartuſianum* cum duobus Monachis compotoribus, qui libro etiam non lecto cum jurejurando pronuntient, omnia, quæ *Bedda* ſcripſit aut ſcripturus eſt, profecta eſſe à Spiritu Sancto, & vel ſacroſanctis
v. Euangeliis æquanda. Pergit ſimili impudentia, nequaquam agens Sophiſtam, nam Sophiſtæ nugantur tantum, ſed impudentiſſimum calumniatorem: *Quando igitur*, inquit, *homines iſti, fidei ipſius & Eccleſiæ jura impiiſſime invaſerunt.* Meam unius cauſam agam. Quid ais, venerande *Bedda*, gravitatis & fidei columen? Qui ſe perpetuo ſubmiſit Eccleſiæ Catholicæ judicio, qui pro ſuo modulo pugnat adverſus hoſtes Eccleſiaſticæ concordiæ, num is invadit impiiſſime fidem & jura Eccleſiæ, etiam ſicubi per inſcitiam aut incogitantiam laberetur, quod nulli Veterum non
v. uſu venit? Quam huic cenſori nihil refert quid blateret in quemvis, modo animo obſequatur ſuo. Annectit aliud æque verum, ait ſe neceſſitate compulſum ad hoc negotium. Res ipſa loquitur, quod ſemet in hoc negotium ingeſſerit, cum nemo minus eſſet idoneus. Senatui Collegioque ſuo jam plus biennium moleſtus fuit, ut his næniis innoteſceret mundo *Natalis Bedda*, quod ipſe ſuis ad me litteris fatetur. Ubi igitur neceſſitas? Niſi quod hîc *Bedda* mentiendo dicit verum. Violenta res eſt ira & gloriæ fames, impotens res eſt odium & livor: hi quatuor ſatellites raptum vinctumque *Beddam* perpulerunt, ut tam impudenter calumniaretur in *Eraſmum*, tot ſannis, tot dicteriis laſciviret in hominem, à quo nunquam fuerat verbo læſus.
v. Atqui ſcripſerat ad me ſibi vehementer diſplicuiſſe *Sutoris* maledicentiam, ſeque illum fraterne corripuiſſe. Si diſplicuit, cur imitatus eſt? Ac pene vicit, hoc *Sutore* ſuperior, quod ille nondum laceſſitus à nominibus abſtinuit; hic etiam blandis Epiſtolis ad rem ſine tumultu tranſigendam invitatus, nominatim ſic in me debacchatur, hujus negotii portionem interim & aliis delegans. Adeoque diſplicuit *Sutoris* amarulentia, ut litteras, quas ad ipſum privatim ſcripſeram, protinus ad eum tranſmiſerit, *oleum*, quod ajunt, *addens camino*, quod in his eſſent quædam, quibus exiſtimabat *Sutorem* vehementer commovendum. Adeo nihil homo neque ſcribit, neque loquitur ex animo, ſed utcunque cauſæ, quam agit, commodum videtur. Et poſt hæc audet dicere, *Non illos traduco, ſed eorum inconſultiſſima ſtudia.*
v. Rurſus hîc mentiendo dicit verum: non enim me traducit, ſed ſeipſum traducit, niſi quod vel ſic innoteſcere pulcrum ducit. Quod autem ſentit falſiſſimum eſt. Etenim ſi perſonam noluit lædere, ſed tantum cum opinionibus digladiari, quid opus erat tot convitiis, tot titulis, tot indicibus contumelioſis, tot ſannis, tot ſalibus, tot ſtrophis, tot ſycophantiis? Cur toties objicit etiam fortunæ iniquitatem, quæ nobis in manu non eſt, exprobrans adoleſcentiæ meæ calamitatem non ſcelus, & nunc exprobrans paupertatem ac miſeriam, ipſe pauperum magiſter & fortunæ alumnus. Jam illud non minus *Thraſonicum* quam vanum: *Defenſorem*, inquit, *nempe ago Chriſtianæ pietatis*,

Fortunam Priami *cantabo & nobile bellum.*

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Nempe fumum proferet ex fulgore. Ne quid dicam interim quam in loco illud *nempe* intertexuerit, *annulum*, ut ajunt, *aureum in nare ſuis.* Atqui per tales defenſores, qualis eſt *Bedda*, Eccleſia pervenit in hunc tumultum, ex minimis initiis hucuſque exagitato incendio. Gratulemur Eccleſiæ, cui talis *Hercules Alexicacos*, vel *Atlas* οὐρανοφόρος contigerit. Poſtremo me deterret à reſpondendo verbis *Auguſtini*, v.
cui ſeſe confert glorioſe quidem, ſed admodum ridicule, ſe, qui à puero uſque ad ſenectutem detritus ſit in Scholis Theologicis, tironem appellans, illum faciens veteranum. Debebat illud addere, quod *Auguſtinus* his verbis, quæ neſcio quo ſuggerente refert *Bedda*, non deterret Chriſtianos à diſputatione, ſed Ethnicos à petulanti procacique reſponſione. Et tamen illis ipſis permittit, *ut depoſita jactantia, moderatis ſtudiis vel audiant, vel contradicant.* Sic enim claudit hoc caput *Auguſtinus*. Multo erit felicior, ſi hoc illi omnino non liceat, cum poſſit depoſita inanitate jactantiæ, etiam iſto tempore tamquam ſtudio conſulendi, quicquid voluerit contradicere, & quantum poſſit ab eis, quos conſulit amica diſputatione, hoc eſt, honeſte, graviter, libere quod oportet audire. His verbis *Auguſtinus* Ethnicos invitat ad amicam diſputationem. *Bedda* collegæ Chriſtiano non dignatur quamlibet obnixe rogatus, tribus verbis reddere cauſam cur offenditur. *Auguſtinus* amanter diſputat cum *Pollentio*, *Bedda* nec docere vult, nec interrogari, ſed quicquid ipſi dictavit ſplendida bilis vult pro oraculo adorari. *Auguſtinus* primum diſputabat adverſus hæreſim *Pelagii*, adeo temperans à convitiis, ut ne nomen quidem hominis ederet, & tamen jam erat apud ſuos damnatus *Pelagius*. *Bedda* nullum facit calumniandi, ſubſannandi, convitiandique finem. Neque quiſquam omnino moderatius pugnavit adverſus hæreticos quam *Auguſtinus*. Nam *Hieronymus* in hujuſmodi pugna plurimum habet oſtentationis, neque parum refert ex *Tertulliani* ſalibus, niſi quod illum quoque hac in parte ſuperat. *Auguſtinus* in omnibus libris, quos ſcripſit adverſus *Donatiſtas*, pluſquam hæreticos, non tantum habet amarulentiæ quantum in hoc uno libro *Bedda* ſpirat. Et hunc *Auguſtinus* non intellectum nobis objicit ne reſpondeamus. Imo ſi reviviſcat *Auguſtinus*, videatque hunc Eccleſiæ propugnatorem, reclamaret ſedulo, diceretque: quid facis importune molitor? *Chriſtus* juſſit, ut ſineremus zizania, ne ſimul evelleremus & triticum, & tu pro zizania evellis bonum triticum. Ille noluit linum fumigans exſtingui, & tu quod lucidum eſt offuſcas caligine: ille noluit baculum fractum comminui, & tu quod integrum eſt laceras. Ille juſſit nos eſſe medicos, & tu agis carnificem, pro vino & oleo infundis venenum. Ille juſſit ut bene loquamur maledicentibus, tu maledicis benedicenti. *Paulus* præcepit ut ſimus διδακτικοὶ, tu longe aliud agis. Ille præcepit ut doceamus cum omni manſuetudine, nec ſimus πλήκται, tu ſcates undique convitiis. Ille ſtuduit omnibus placens, omnes lucrifacere *Chriſto*, tu ſummis viribus hoc agis, ut *Chriſti* milites depellas in caſtra Satanæ. Hæc & his plura diceret *Auguſtinus*, ſi nobiſcum ageret hoc ſeculo, ſed fruſtra diceret. Eamus nunc & credamus *Beddæ* lectum *Auguſtinum*, qui unum hunc locum, tam non in loco, nec etiam ſatis intellectum citavit. Optat vir pius ut v.
hæc *Auguſtini* verba mihi ſint documento, ne mordicus, ne meo more tuear quicquid ſcripſero. Imo ſint hæc *Auguſtini* verba *Beddæ* documento, ut admittat communicationem fratris & amici Chriſtiani, cum *Auguſtinus* etiam Ethnicis permittat gravem ac liberam diſputationem. Interim hîc rurſus inculcat mendacium. Quibuſdam reſpondiſſe me fateor, non omnibus, tamen errores nunquam defendi ſciens. Duplex itaque vanitas ineſt his verbis, & quod non v.
quibuſcunque reſpondere ſoleam, cum pluribus obticuerim quam reſponderim, & quod errorem ſemper agnoverim, calumniam moderate depulerim: nec mihi calumniando famam paravi, quo morbo nunc complures ægrotant, à quo *Beddam* liberet Dominus! Amen. Nam nec illa competunt in me, tam teme- v.

Digitized by Google

rarius ac pertinax, ac proterve respondendo errores erroribus superaddere. Hæc blaterat, qui (quod est probabile) nec meas Apologias unquam legit, nec aliorum insectationes, tantum audivit me respondisse.

Et hîc incipit adulari *Jacobo Fabro*, nec obscurum est quibus de causis. Subodoratus est favorem bonorum virorum ac potentum. Et hîc *Bedda* declarat suam æquitatem, cum in Præfatione pronuntiet mihi cum *Fabro* eandem esse literaturam, & errores communes, tamen in *Fabrum* scribit confutationes, abstinet à convitiis, nonnunquam & excusat, quod illi imposuerit Diabolus specie pietatis, tituli & indices sunt moderati. Ubi ventum est ad me, ibi singulæ paginæ loquuntur, *Natalis Bedda* censuras in errores *Erasmi*, ibi singulis Capitibus præferuntur immanibus litteris, ERRORES ERASMI, ibi Index habet sævos titulos, ibi sannæ, convitia & mendacia. In causa æquali unde hæc inæqualitas? Hic scilicet prodidit esse verum quod prædicat, se nihil aliud
V. quam salutem nostram sitire. Ejusdem sinceritatis est quod in notatis adscripserat se in *Marco* nihil comperisse notatu dignum, in quo nunc tantum vidit errorum. Quæ tum caligo texerat illius oculos? aut unde nunc repente factus est Lynceus? Adeo-ne *Bedda* credit se fungis scribere non hominibus, ut hos fucos non intelligant? Et quid attinet ad fidei negotium *Gallus*-ne sim, an *Germanus*? Mihi nunquam pilo minus carus fuit *à Quercu*, quod *Normannus* esset, nec *Sutor* quod *Cenomanus*, & *Bedda* tantum facit discrimen inter hominem Gallicæ ditionis, & hominem Cæsareæ ditionis! Atqui Theologus exemplo *Pauli* non spectat patriam aut ditionem, sed causam. Mihi minitatur, cur non audet minitari *Fabro?* Sed diffisus doctrinæ, vertit sese ad terriculamenta. Objicit Senatus & Collegii auctoritatem, minitatur Ecclesiæ judicium. Spem ponit in conjuratione pseudo-Monachorum, quasi nos nihil possimus, si haberemus animum *Beddæ*. Aliis in rebus *veniam petimusque damusque vicissim*, hîc neque mors neque vita me depellet à recto tramite. Unicam hanc animulam sciens non perdam, etiamsi totius mundi lucrum sollicitet. Nunc cum hic mundus nihil felicitatis addere mihi possit, tanto constantius serviam gloriæ *Christi*. Si juvenis essem, possem ad tempus frui mundo, & fortasse supereset spatium agendæ pœnitentiæ, fortasse à recto deflecterem, nunc cum nec spatium supersit, nec senectus apta sit agendæ pœnitentiæ, non committam sciens, quod dignum sit pœnitentia. Hunc animum spero mihi servabit *Christi* gratia. Quod si tot insectationibus victa humana infirmitas deficeret ad partem diversam, ego quidem non haberer excusatus, *Beddis* tamen imputaret Deus totum hoc malum. Jactat se defensorem Ecclesiæ. Verùm ubi sunt illa arma justitiæ, quibus defenditur Ecclesia? Ubi galea salutis? Ubi scutum fidei? Ubi gladius Spiritus, quod est verbum Dei? Ubi baltheus veritatis? Ubi calcei parati ad prædicationem Euangelii pacis? Denique quod Christianæ mentis vestigium in tot censuris, quas in me evomuit? Amat vocari *Magister noster*, quin igitur docet, ut sit quod audit. *Paulus* jubet Episcopum esse διδακτικὸν, multo magis hoc decet esse Doctorem, qui sibi hoc unum sumit, quod in Episcopo præcipuum erat. Ista carnificem sapiunt, non Doctorem. Sic clamabant Judæi, *Nobis non licet interficere quenquam*, sibique puri videbantur quod per *Pilatum* Christum ad necem adigerent, etiam judici vim facientes non solum reo. Arbitror *Beddam* horum non esse dissimilem. Primum deligitur qui sit impetendus. Ille perstrinxit Theologos ut barbaros, ille male vult Monachis, curatur in carcerem conjiciendus: Ibi tum quæruntur articuli per otium, obtruduntur metu perculso: Dicuntur quæ libet ipsis qui volunt perdere, referuntur ut est commodum: Accersuntur tres Monachi qui pronuntient hæresim & schisma. Horum judicio fretus Magistratus profanus aliquoties tradit hominem incendio. Et interim non ingreditur prætorium, qui prodidit, qui calumniatus est, qui subornavit notarios ac testes ac fefellit judicem. Interim præsidet supplicio. Hæc non eodico, quod existimem tolerandos qui vere sunt hæretici aut schismatici, sed ut ostendam esse parricidas, qui talem habent animum, qualem hîc præ se fert *Bedda*. Fortassis inquisitor est, sed talis ut apparet, quales sunt in confiniis regionum. Narrabo fabulam quæ meo tempore accidit *Lutetiæ*: "Quidam evicta causa, recepe-
"rat aliquid aureorum, ex litis æstimatione. Hunc
"alicubi cœnantem in stabulis cœnopolarum, & for-
"te solus erat, aggrediuntur tres è custodia, quam
"illi *Guetam* vocant: olfecerant enim pecuniam. Ro-
"gant civiliter, quando solus erat, si vellet admit-
"tere cœnæ socios, sic enim sumtum fore leviorem.
"Recepit: Cœnatum est hilariter. Ubi jam serum
"esset, profitentur inquisitionis officium, cogunt pro-
"ferre pecuniam, velut exquisituri si quid inesset mo-
"netæ vetitæ. Ille profert, inquirunt & interim in-
"ferunt ipsi nummum adulterinum unum atque al-
"terum. Territant hominem. Ubi vident animo
"præsenti, restituunt homini pecuniam, hoc tantum
"stipulati, ut solveret cœnæ pretium, & ineunt ma-
"gnam gratiam. His technis dilata est in multam
"noctem compotatio. Quid multis? jam conflata
"familiaritate, deducunt hominem domum. Ubi
"ventum est in vicum angustum, ibi veritatis erat
"simplex oratio. Deferunt optionem, utrum malit
"mori, an deponere totam pecuniam. Deponit quod
"erat vilius. Illi cum præda abeunt. Spoliatus ea-
"dem nocte docuit Advocatum suum rem gestam. Il-
"le recta ad Senatores. Postridie vocati custodes plau-
"sibili titulo, qui venerant pendebant, tertius subo-
"doratus periculum, fugit. Talis inquisitor videtur *Bedda*, qui tot errores submittit, cum in scriptis meis non sint, nec raro sua intertexit verba quo locus sit calumniæ. Proinde non referebat usque adeo diligentem esse in adscribendo diem, annum & locum: Illud magis erat curandum, ut quæ scriberet Theologis essent digna, nullamque daret corruptæ mentis, aut depravati judicii suspicionem. Nunc quid iniquius quam quæ pueris ad litterarum auctorem alliciendis joco scripta sunt, ad Theologorum gnomones exigere? quæ in Schola declamatoria dictionis exercendæ gratia conficta sunt, ad fidei regulas exigere? denique Paraphrases, quæ nihil aliud quam Latine scientibus potissimum paratæ sunt, nec ad verba Scripturæ divinæ, quæ explano, nec ad sensum veterum Ecclesiæ Doctorum, quos profiteor me in hoc scripti genere imitatum, sed ad recentium Scholarum voces, & ad quædam placita Scholasticorum, quæ nec eadem sunt apud omnes, nec semper indubitata, nec nisi paucis nota, complura ejus generis, ut quamvis essent certissima, tamen non conveniant personis ac temporibus, quibus nondum prodierant quæ post sunt instituta, non modo severiter, verum etiam inique discutere? Ad hunc gnomonem si quis examinet scripta *Hieronymi*, si *Ambrosii*, plura deprehendet quam in meis quæ pateant calumniæ. Paraphrases rhetorico quodam orationis fluxu continuant Novi Testamenti sententiam: nec ita longe recedentes à tropis Scripturæ quam interpretantur: nec digredientes ad ea quæ post reperta non congruebant illorum temporum simplicitati, sed huc tantum spectantes, ut qui in Theologorum adytis nondum essent versati, dilucido & utcunque Latino sermone summam Euangelicæ Philosophiæ perciperent. Hæc si quis conetur ad peculiares nec ita pridem repertas Scholasticorum voces examinare, & ad exactas illas definitiones excutere, quid aliud agat, quam si quis amussi frumentum, modio lapidem velit metiri? Si professum cantionem *Phrygii* modi reprehendat aliquis ex legibus *Dorii*, nonne submovebitur ab omnibus, ni cantionem exa-

minet

net ad eum modum quem ille profitetur. Ita si quis differentem juxta viam Nominalium reprehendat ex placitis Realium, nonne rideretur in Scholis? Imo si quis ea quæ divus *Augustinus* dilleruit apud imperitam plebem excutiat ad subtilitatem dialecticam, inique profecto dicetur facere. Jam cum tot sint apud istos modi, quibus quod dictum est potest excusari, schemata, tropi, propositiones universales & indefinitæ, sensus compositi & sensus divisi, voces multifariam acceptæ, ut Ecclesia, *Bedda* semper arripit eam ansam, quæ favet calumniæ. Atqui quod ambiguum erat oportuit in meliorem interpretari partem, præsertim cum aliis ex locis palam fecerim quid sentiam. Et spectandum erat scripti genus, quod piis affectibus excitandis paratum erat potius quam argutiis quæstionum, & Rhetoricis hominibus magis quam Theologis. Hoc candore præter alios legitur *Prudentius*, cujus tertium statim carmen in Psychomachia,

Unum namque Deum colimus de nomine trino,

nonne *Sabellianum* est, qui docuit personas nec re nec proprietate, sed nominibus duntaxat distingui? Quantum igitur abest ab hac æquitate, qui frivola quæque disquirit, qui pie dicta depravat, qui verbis admixtis calumniæ locum facit, qui tragœdiam movet ex his quæ non intelligit? Hactenus de Præfatione Pandorica, vel centone potius ex multis orationibus vesperialibus contexto, in quo dispeream ni plus est ampullarum ac phalerarum, quam in omnibus scriptis meis, cui toties objicit Rhetorum lenocinia. Nunc ad Supputationem, quam in Prologo sum pollicitus, si prius pauca dixerimus de Præfatione, quam præfixit censuris.

IN PRAEFATIONEM ALTERAM.

Hîc profitetur se nec Annotationes in Novum Testamentum, nec sacrorum textuum traductionem, (sic enim ille loquitur) nec Apologias, quibus *Leo Stunicæque* respondi, prospexisse. Quod ego sane verissimum esse credo. Et tamen interim impudenter pronuntiat me nulli cedere, sed omnibus procaciter respondere. Verùm hæc est præcipua *Bedda* dos, de libro ne lecto quidem fortiter pronuntiare. Tantum
V. profecit in re Theologica. Verùm illud esse falsum ipsa res clamitat, quod Paraphrases susceperit examinandas, cum eas nunquam legerit, sed Magistellis aliquot combibonibus hoc provinciæ delegarit, quod mox perspicuum faciemus, etiamsi per se clarum est. Deinde quod inter causas operis suscepti commemorat & hanc, quod videret Paraphrases multorum teri manibus, haudquaquam vanum arbitror. Nam id discruciabat animum hominis, quod Paraphrases magno pietatis fructu legerentur à multis. Porro quod addit quosdam aggressos vertere Gallice, verum sit nec-ne parum liquet. Illud verissimum arbitror, eam rem pessime habuisse *Beddam*, qui totis viribus hoc agit, ut universum populum Christianum submoveat à lectione sacrorum Voluminum, idque contra decretum Synodi *Nicenæ*, contraque sanctorum Patrum,
V. præcipue *Chrysostomi* consilium. Cæterum quod adjicit, *Quæ omnia sub pietatis prætextu, humanæ salutis id procurante inimico, impietati militant*, falsissimum esse, plurimorum doctrina juxta ac pietate præcellentium testimonio docere in proclivi est. Nec illud
V. verum est quod ait, se succinctis rationibus indicasse quid offenderet, cum frequenter verbis nihil ad rem pertinentibus, neque raro convitiis ac strophis expleat
V. miseras chartas. Vanum & hoc, quod ait se simpliciter notasse quæ minus essent vera, cum toto libro nullam det simplicitatis significationem, multaque arrodat, quæ rectissime dicta sunt.

EX EPISTOLA PRIORE IN PARAPHRASIM IN MATTHAEVM.

PROPOSITIO I.

Non omnes quæ Paulo *adscribuntur Epistolæ, illius esse citra controversiam dicenda sunt.*

SVPPVTATIO.

In Divinationibus, in Elencho, & Prologo dilucide demonstravi *Beddam* hîc committere triplicem falsitatem non sine manifesta calumnia. Primum de- V.
pravatis verbis ait me scripsisse, quod non scripsi. Alterum quod ait, id quod calumniatur, ex meis V.
verbis colligi, cum illinc non magis colligi possit quam *de spinis uva*, aut *sorba de ficu*. Qua quidem in re *Bedda* simpliciter agit calumniatorem. Tertium, quod V.
fortiter asseverat, neminem veterum Doctorum de Epistola ad *Hebræos* dubitasse, quin esset *Pauli*, cum in Apologia ad *Jacobum Fabrum*, & item in Annotationibus doceam multos Veteres de Auctore dubitasse, *Romanos* diu nec auctoritatem recepisse, denique & ipsos, quos nominatim ausus est recensere *Bedda*, *Hieronymum* & *Augustinum* de Auctore dubitasse. Quar- C.
tum quod ex falsis assumtis colligit propositionem esse schismaticam, cum ex meis verbis nihil aliud colligi possit, quam ab aliquibus de Auctore hujus Epistolæ fuisse dubitatum. Quod si *Bedda* schismaticum existimat hujus rei meminisse, ridebitur cum suo schismate. Quid enim refert celare, quod à tot celebratissimis Auctoribus memoriæ proditum est? Et annotatoris officium erat talia subnotare, qui litteras ac syllabas atque etiam titulos excutit. Quod si ego schismaticus sum, quod id retulerim, multo magis schismaticum est, indicasse quod historia *De adultera deprehensa*, non sit *Joannis*, sed ex Apocrypho *Nazarenorum* Euangelio in *Joannis* Euangelium adjecta. Atqui id litteris prodidit *Leus*; quem *Bedda* pronuntiat absolutissimum Theologum, in cujus scriptis non decet, opinor, aliquid esse schismaticum. Ego vero nullum arbitror schismatis periculum, si faterer me de ejus Epistolæ Auctore dubitare, præsertim cum nullum extet evidens hac de re decretum Ecclesiæ, nec ego cuiquam molestus sum certo credenti esse *Pauli*, neque secus doceo recitandam in Ecclesia precibusve, nec aliter citavi in libris meis, quam citant cæteri. Quintum quod asseverat omnes V.
Epistolas *Paulo* inscriptas esse *Pauli*; quod si verum est, cur Ecclesia non recipit Epistolam ad *Laodicenses*, quæ, ut ait *Hieronymus*, ab omnibus explosa est, & ad *Senecam*, quæ feruntur nomine *Pauli*? Verùm hîc aliquis dicet me cavillari. Sed istum non pudet in rebus multo levioribus serio calumniari. En tibi, lector, felix Censurarum *Beddaicarum* exordium. Ubi nunc sunt illæ mirificæ artes meæ, quibus omnia tueor? Ubi terrifica nomina, errorum, hæresêon & schismatum? Quam ista non respondent tragicæ Præfationi, sævis Indicibus, atrocibus titulis? Nihil exaggero, rem simplicibus verbis ob oculos pono, ut vel textrices possint judicare, si loquar eadem Gallice.

PROPOSITIO II.

Veteres Ecclesiæ Doctores in allegoriis explicandis partim variant, partim sic agunt, ut nonnunquam mihi luderé videantur.

SVPPVTATIO.

Ad hanc insigniter impudentem calumniam satis responsum est in Divinationibus, qui Libellus Editione proxima sequebatur Prologum. Hîc duo quædam

dam duntaxat addam: Primum *Beddam* ex ignorata proprietate verbi *ludendi* calumniam ſtruere: Deinde verba *Auguſtini*, quæ citat, adverſus ipſius calumniam facere. Somniat enim Latinis *ludere* nihil aliud eſſe quam jocari, cum plerumque ſignificet exercitatione præparari. Neque enim jocus tractatur in ludis litterariis & gladiatoriis, neque Ludi Seculares aut *Apollinares* per jocum agebantur apud Priſcos, neque qui ludunt aleam depoſita ingenti pecunia non ſeriam rem agunt, neque citharœdus dum ludit cithara, ſemper jocatur, neque Poetæ dum ludunt verſus, ſemper rem ludicram agunt. Quanquam nihil vetat per ludum rem ſeriam agere, velut *Horatius* dum carpens vitia, *circum præcordia ludit.* Hæc vel ex Grammaticis *Bedda* ſcire poterat, *ludendi* verbum eſſe πολύσημον. *Ludit hominem* qui deludit, *ludit operam* qui perdit, *ludit* qui jocatur, *ludit* qui rem ludicram agit, unde *ludiones* dicti, *ludit* qui verſatur in re amœna, velut Poeta qui ſcribit verſus, aut *Æſopus*, dum ſcribit Apologos, *ludit* qui verſatur in re facili, *ludit* qui ſe exercet ad rem magis ſeriam; unde & *præludere* dicuntur, qui tractant progymnaſmata. Sic *Homerus* præluſit *Batrachomyomachia* in *Iliadem*, *Hieronymus* commentariis in *Abdiam*, qui interciderunt, *Auguſtinus* multis libellis quos ſcripſit adhuc catechumenus. Sic & in Pagis præludit concionator, poſt apud urbanam multitudinem dicturus, & in Scholis præludunt Theologiæ tirones, exercentes ſeſe ad publicam fidei doctrinam. *Ludit* qui pro ſua libidine rem gerit. Sic ludit in humanis divina potentia rebus. Denique in divinis Litteris *ludunt* qui pugnant. Velut II. Regum II. jubentur ludere pueri *Abner* & *Joab*: Surgunt utrinque duodecim, ac mutuo ſeſe confodiunt. Ad eundem modum interpretantur & illud Geneſis XXI. de filio *Agar* ludente cum *Iſaac*. Rurſum I. Regum XVIII. Præcinunt mulieres laudes *David* ludentes atque dicentes, &c. Quid? an joco laudabant *David?* imo lætitiæ ludus erat non joci. Sic Proverb. VIII. ludit ſapientia, *Et delectabar*, inquit, *per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbem terrarum, Et delicia meæ eſſe cum filiis hominum.* *Michol* Paral. I. Cap. XXXV. *proſpicit* David *ſaltantem atque ludentem coram arca fœderis.* Hic ludus pietatis erat, non joci. Uſurpatur & aliis Scripturæ locis, *ludendi* vox non in ſignificatu rei ludicræ, ſed lætæ piæque. At *Bedda* facturus mentionem Hæreſiarchæ, ſic agit quaſi *ludere* nihil aliud ſignificet, quam rem ludicram minimeque ſeriam agere. Subinde jactant multos in errorem labi ob inſcitiam Dialectices, id quidem fateor eſſe verum, verùm *Bedda* ſæpius labitur per inſcitiam Grammatices.

Nunc operæ pretium eſt videre quam apte tantus Theologus citat nobis *Auguſtinum*. Significat *Auguſtino* diſplicuiſſe quod *Hieronymus* ſcripſerat, *In Scripturarum campo ſi placet invicem ſine noſtro dolore ludamus.* Videamus nunc an *Auguſtinus* damnarit hoc *ludendi* verbum. *Quantum ad me*, inquit, *attinet, ſerio iſta quam ludo agere mallem.* His verbis ſignificat ſibi quæſtionem, de qua agebatur, eſſe difficilem ac moleſtam, etiamſi aliis videretur eſſe facilis. Probat hoc per ea quæ ſubjicit: *Quod ſi hoc verbum tibi propter facilitatem ponere placuit, ego fateor majus aliquid expeto à benignitate virium tuarum, prudentiaque tam docta, & otioſa, annoſa, ſtudioſa, ingenioſa diligentia, hæc tibi non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu Sancto, ut in magnis & laborioſis quæſtionibus, non tanquam ludentem in campo Scripturarum, ſed in montibus anhelantem adjuves.* Hic tacite fatetur *Auguſtinus* alios doctiores poſſe ludere, ſe tamen veluti minus doctum non ludere, ſed anhelum ſudare. Sequitur: *Si autem propter hilaritatem, quam eſſe inter cariſſimos decet, putaſti dicendum eſſe* ludamus, *ſive illud apertum & planum ſit unde colloquimur, ſive arduum atque difficile, hoc ipſum edoce obſecro te, quomodo aſſequi valeam.* His verbis *Auguſtinus* fatetur eos ludere in campis Scripturarum, qui ob eruditionem nullo negotio tractant Scripturas aliis difficiles. Rurſus & illos ludere in campis Scripturarum, qui placide & hilariter inter ſe citra contentionem citraque amarulentiam de Scripturis diſputant. Alterum negat ſe poſſe, ſignificans ſibi difficillimum eſſe, quod *Hieronymo* videbatur ludus. De altero diſputat quo pacto fieri poſſit, ut concertatio careat dolore. Negat autem id fieri poſſe, ſi quod blandius dictum fuerit, ad leniendam diſputationis libertatem, rapiatur in ſuſpicionem fucatæ blandiloquentiæ. Rurſum ſi qui ſuam ſententiam libere tuetur, inſimuletur puerilis jactantiæ, quaſi famam captet accuſando viros illuſtres. Nihil adhuc audivi, quod ad reprehendendum *ludendi* verbum pertinet. Tantum ſuo more cavillatur circa vocem, omnibus modis urgens *Hieronymum* detrectantem ad neceſſitatem reſpondendi. Hîc vero vide mihi *Beddæ* artificium: Relictis quæ ſunt in medio, *ſequitur*, inquit: *Tum vero ſine ullo timore offenſionis, tanquam in campo luditur, ſed mirum ſi nobis non illuditur.* Hic ſimplex lector putat *ludendi* verbum ab *Auguſtino* damnatum eſſe, quod ſic ludere, ſit illudere, cum res longe ſecus habeat. Imo *Auguſtinus* putat licere ludere, hoc eſt, cum hilaritate citraque dolorem diſputare de Scripturis, ſi liberum ſit utrique, & libere proponere quod ſentit, citra ſuſpicionem captatæ gloriæ, & blandius aliquando loqui, citra ſuſpicionem inſidioſæ blandiloquentiæ. Tertium vero modum ſervandæ hilaritatis omnino rejicit, ſed ipſius verba referam potius: *Niſi forte*, inquit, *ille modus eſt, quartumque hoc vitium vel vitii ſuſpicionem caveamus, ſi cum doctiore amico ſic diſputemus, ut quicquid dixerit, neceſſe ſit approbare, nec quærendi ſaltem cauſa liceat aliquando reluctari. Tum vero ſine ullo timore offenſionis tanquam in campo luditur, ſed mirum ſi nobis non illuditur.* *Beddæ* igitur quod *Auguſtinus* dixit, de modò improbato, torſit ad omnem tractationem Scripturarum, & poſt hæc me vocat artificem. Hæc quidem *Auguſtinus* ſatis juveniliter in *Hieronymum* nondum ſatis cognitum, nec ſine aculeis; nec admodum tamen ad rem. Siquidem *Hieronymus* in Epiſtola, cui reſpondet *Auguſtinus*; declarat quid ſentiret in campo Scripturarum ludere. Volebat eam concertationem eſſe conſopitam, quæ videbatur ad contentionem & ſimultatem tendere; præſertim cum *Auguſtinum* haberet ſuſpectum, quod juvenis ex ea concertatione venaretur ſibi gloriam, eaſque materias tractari mutuis Epiſtolis, quæ caritatem alerent, non excitarent contentionem. Sed faceſſant, inquit, iſtiuſmodi querimoniæ. Sit inter nos pura germanitas, & deinceps non quæſtionum ſed caritatis ad nos ſcripta mittamus. Rurſum in fine repetit hoc ipſum, hortans ad priſtinæ contentionis oblivionem, & ad argumenta tractanda, quæ abeſſent à contentione: *Si autem amicus*, inquit, *qui me primus ſtylo petiit, ſtylo repulſus eſt, ſit humanitatis tuæ atque juſtitiæ accuſantem reprehendere non reſpondentem. In Scripturarum campo ſi placet, ſine noſtro invicem dolore ludamus.* Proinde cum *Hieronymus* voluerit eam quæſtionem prorſus omitti, ac deinde ſi placeret per Epiſtolas aliquid tractare de divinis Litteris, abſtineretur à quæſtionibus quæ pugnæ ſpeciem habent, & utrinque hominum ſtudia concitant, ſed ea potius quæ alerent mutuam caritatem, qualia ſunt loca quæ faciunt ad exhortandum & ad conſolandum. *Auguſtinus* vero ſermonem *Hieronymi* torquet ad eandem quæſtionem. Habes ſpecimen, quam ſcite *Bedda* citet veteres Doctores. Quanquam arbitror eum nec hunc locum apud *Auguſtinum* legiſſe, ſed ab alio quopiam ipſi ſuppeditatum eſſe. Eandem cantionem, quippe bellam, nobis occinebat *Sutor*. Addam illud quod *Hieronymi* ſermo non eſt ſimplex, ſed habet metaphoram: id indicat una vocula *in campo*. Unde illud *ludere* non pertinet ſimpliciter

ter ad tractantem Scripturas, sed ad tirones, qui in campo exercentur ad bellum, nihilque non faciunt eorum quæ fiunt in bello, nisi quod abstinetur à vulneribus, aut ad amicos, qui jucundo honestoque ludo recreant invicem & animos & corpora. Simile quiddam faciunt, qui solatii gratia per litteras inter se confabulantur de Scripturis. *Est* quidem *Scriptura divinitus inspirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, sed tamen inter dona Spiritus prophetiæ commemoratur ædificatio, exhortatio, & consolatio, 1. *Cor.* XIV. & *Rom.* XII. *Qui exhortatur*, inquit, *in exhortando.* Consolationis autem, quæ fit per Scripturas, aliis compluribus locis meminit *Paulus*. Ad has partes invitabat *Augustinum Hieronymus*, metuens ne concertatio de quæstionibus præberet occasionem dissidii, non tam inter disputantes, quam inter utriusque fautores. Alter erat *Romanensis*, alter *Afer*, alter senex jam celebrati per universum Orbem nominis, alter Episcopus ætate florente, futurus & ipse summi nominis. His de causis vir prudens & pius detrectabat ulteriorem cum *Augustino* congressum, quem *Augustinus* urget. Jam finge *ludendi* verbum displicuisse *Augustino*, quod *Hieronymo* non displicuerit, utri potius credendum, *Hieronymo* veterano, præsertim in his quæ spectant Linguarum judicium, an *Augustino*, qui tum ad ætatem *Hieronymi* juvenis erat, ad initiationem Christianismi, unde censemur, junior, ad susceptionem muneris Sacerdotalis, aliquanto etiam junior?

Hactenus quæ dicta sunt, nihil faciunt ad causam meam, tantum obiter adjecta sunt, ut ostendam stuporem & insciti*am Bedd*æ. Nunc meum agam negotium, ostendens difficultatem explicandarum allegoriarum in Paraphrasibus, duas adduco causas: Alteram, quod Veteres in his explicandis varient. Id nec *Bedda* negat, & si negaret, nihil aliud lucrifaceret quam impudentiam. Hoc ille sic interpretatur, quasi dixerim omnes veteres orthodoxos in omnibus allegoriis fuisse jocatos, ludosque fecisse. Et hic est noster censor, dissimulans me quicquam ad hæc respondisse prius. Primum quod indefinite dixi de Priscis, potest ad *Origenem*, *Tertullianum*, & his antiquiores pertinere. De *Origene* profitetur *Hieronymus*, quod vim facit Scripturis. De *Papia Joannis* discipulo scribit *Eusebius*, quod homo parum acris ingenii multa tradiderit in libris, quæ ex Apostoli sermone parum intellecto hauserit. *Thomas* rejicit sententiam *Hieronymi*, etiam in negotio fidei, veluti de Episcopo unius uxoris viro: quod argumentum tractat scribens ad *Oceanum*. *Sutor*, *Thomæ* rejiciens sententiam, dicit, *Hoc falsum est.* Ipse *Bedda* in hac Præfatione, significat Veteres omnes, qui stylo rhetorico pugnarunt adversus hæreticos, multa reliquisse obscura, tecta, ac ambigua, multa insuper secum male cohærentia, imo catholicæ veritati parum consentanea, ut ex horum scriptis natæ sint hæreses, *Joachimi*, *Almarici*, *Abaelardi*, *Arnoldi*, *Marsilii Paduani*, *Valdonis*, *Wyclevi*, *Hussi*, & consimilium, quin & summorum Pontificum, ut postea fuerit opus *Beddis* & hujus similibus, qui ambigua resolverent, qui discrepantia revocarent in concordiam, qui denique minus consentanea veritati vel debita cum veneratione declinarent, vel commoda interpretatione ad sanum intellectum pertraherent. Et quod fecerunt in priscis Doctoribus, idem fecerunt in sacris Libris: aspera levigarunt, indigesta digesserunt. Hæc qui scribit de omnibus antiquis Doctoribus, qui ante Scholasticam Theologiam arduo stylo pugnarunt cum hæreticis, in quibus vel præcipui fuerunt *Athanasius*, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, & *Augustinus*, mihi tragœdias excitat quod scripserim, *veteres Ecclesiæ Doctores alicubi sic agere, ut mihi nonnunquam in allegoriis explicandis ludere videantur.* In genere nomino *veteres Doctores*, ut aliquot liceat excipere, addo *Nonnunquam*, ne quis putet omnes allegorias taxari: nec hoc contentus adjicio, *Mihi videantur*, ut aliis liberum sit dissentire. Si dixissem quosdam inducere falsas allegorias, poteram id multis exemplis docere. Jam nonnulla commonstravi. *Bedda* poterat calumniari sermonis incivilitatem: nunc rem asperam verbo mollissimo designavi. Constat enim in allegoriis explicandis (unde tamen non pendet fidei negotium, nisi si quas ipse Dominus aut Apostoli declararunt) Veteres alios fuisse immodicos, qualis est *Origenes*, & hunc sequutus *Ambrosius*, nonnunquam & *Hilarius*: alios sibi nonnunquam indulsisse pro temporum, rerum, ac personarum conditione. Neque quicquam vetat rem seriam ludendo agere, velut ille *Memmius* plebem *Rom.* apologo de conjuratione membrorum adversus ventrem, revocavit in civitatem, rem periculosissimam maximeque seriam ludendo confecit. At *Bedda* putat ignoscendum, si Doctor imprudens falso adducat allegoriam, aut si illic inducat ubi non est sensus allegoricus: non ignoscendum autem si id faciat prudens. Addat modum tertium, si vehementer dubitans, tamen adducat tanquam certum, quod ad causam propositam faciat. Duobus posterioribus modis ludit, tamen agens rem seriam, hoc est, vel deterrens à peccando, vel exhortans ad studium pietatis. Fateor abusum esse Scripturarum, quem mallem in totum abesse. Sed quid facias, posteaquam constat Veteres in hoc sibi indulsisse nonnunquam? præsertim cum id fieret cum utilitate lectoris, & sine fidei periculo. Quod si *Bedda* pernegabit abs quoquam Veterum prudente factum, proferam illi turbam exemplorum, quibus fiet, ut vel cogatur dicere, eos præter animi sententiam lusisse allegoriis, vel impie sensisse, vel insigniter hebetes fuisse. Eligat horum quod volet *Bedda*, ego malo illos lusisse, ac nonnihil abusos Scripturis, ad utilitatem eorum quibus loquebantur. Supputationem scribimus: nec vacat hîc multa repetere. Sumatur unum exemplum pro omnibus. *Hieronymus* in Cap. *Matth.* XVI. scribit hunc in modum: *Scio quosdam pii affectus erga Apostolum* Petrum, *locum hunc ita interpretari, ut dicerent* Petrum *non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum*, Nescio hominem quia scio Deum. *Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit. Sic defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus est Dominus qui dixerat:* Amen dico tibi, quia hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis. *Cerne quid dicat*, me negabis, *non hominem.* Quanquam hoc, *Cerne quid dicat*, suspicor adjectum à scriba. Quod *Hieronymus* damnat, interpretatur divus *Ambrosius*. Non tam hebes erat vir tantus, ut non videret allegoriam non consistere. Nam id temporis *Petrus* hominem noverat, ut inquit *Origenes:* Deum non noverat: aut si novit, per somnium novit. Quî consistit igitur, *Non novi hominem, quia novi Deum? Paulus* recte dixit, *Et si Christum aliquando cognovimus secundum carnem, sed jam nunc non novimus:* Verùm hoc dure torquetur ad *Petrum.* Magis illud congruebat, *Hominem nego, quia non novi Deum.* Nec adeo nihil videbat *Ambrosius*, ut non intelligeret alterum consequi, aut *Christum* falso prædixisse quod esset ter ipsum negaturus, aut falsum esse quod diceret *Petrum* non negasse *Christum*, sed Deum esse professum. Uter igitur civilior? *Hieronymus*, qui hoc frivolum appellat, an ego qui ludere voco? Ludunt hunc in modum nonnunquam & in citandis Scripturarum testimoniis Orthodoxi. *Hieronymus* adversus *Elvidium* scribens, citat *Pauli* locum ex Epist. *Corinth.* I. Cap. VII. item ad *Eustochium* de virginitate servanda, in hanc sententiam, *ut divisum sit mulieris nomen a nomine virginis.* Ergone virgo non recte dicitur mulier, cum hoc nomen sit tributum matri *Jesu?* Rursus idem in priore adversus *Jovinianum* libro, rejicit hanc lectionem, negans esse Apostolicæ veritatis: licet alias eam *pro loci qualitate* diseruerat. Quid est *pro loci qualitate?* pro commodo causæ quam tunc agebat. Nec imprudens id fecit, alioqui dixisset: Secus quidem hunc locum antehac sum interpretatus, sed post comperi non esse veritatis Apostolicæ. Lusit igitur hîc *Hieronymus*.

Digitized by Google

Idem alicubi per alluſionem verbi, quod alio ſenſu dictum eſt in Pſalmis de Satana, *Sedet in inſidiis cum divitibus in occulto*, quoniam Græce eſt ἐν ἀποκρύφοις trahit ad libros Apocryphos. Rurſus *Auguſtinus* quod habetur in Pſalmis, *Ego ſum vermis & non homo*, ſic interpretatur, ideo *Chriſtum* ſe negaſſe hominem, quod in principio eſſet Verbum. Hæc apud populum plauſibiliter dicebantur, in ſeria diſputatione nequaquam toleranda. Ita ſanctus *Athanaſius*, ſi modo non fallit inſcriptio, de paſſione Domini, hæc Verba, *Surgite eamus hinc*, accommodat *Chriſto* evocanti Patres ut ab inferis emigrent ad ſuperos: aliaque id genus non pauca. Itidem *Bernardus* hæc verba, *Pſallite Deo noſtro pſallite*, vult eſſe hominum Angelos invitantium ad laudem Conditoris. Quod ſequitur: *Pſallite Regi noſtro pſallite*, vult eſſe reſpondentium Angelorum. Hoc pie dicitur ab exhortante, ut velut in Angelorum conſortio poſiti pure reverenterque pſallamus Deo, ipſe ad ſeriam diſputationem non adferret. Interim nihil attingo de contemplationibus *Bonaventuræ*, & centonibus Græcis ex *Homero*, Latinis ex *Virgilio*, quorum utrique leguntur & hodie citra calumniam. Sed ad inſtitutum. Hujus formæ ſunt allegoriæ coactiores, aut vehementer ambiguæ. Prioris exemplum eſt de duobus paſſeribus non cadentibus in terram ſine Patre cœleſti, quos *Hilarius* corpus & animam interpretatur. Alterius erit, quod *Origenes* hæc verba *Chriſti* apud *Matthæum*, *Priuſquam gallus cantet ter me negabis*, trahit ad allegoriam, eos qui peccant ante datum Spiritum Sanctum, facile conſequi veniam, quemadmodum *Petrus* mox flevit amare. Cæterum qui poſt accedtum Spiritum Sanctum abnegant *Chriſtum*, qui factis impiis negant, his non eſſe facilem ad pœnitentiam reditum. Hæc allegoria præterquam quod vix conſiſtit, cum *Petrus* poſt primum galli cantum ſemel Dominum abnegarit, ut habetur ex aliis Euangeliſtis, etiam vehementer anceps eſt, an tale quippiam ſignificarit Spiritus Sanctus. Et tamen ſi quis dehortetur baptizatos, aut ſacris initiatos ab iterandis criminibus, pie poterit adhiberi. Quanquam idem *Origenes* cum *Celſo* diſputans, non uteretur talibus allegoriis. Nimirum hoc eſt quod dicebam ludere allegoriis, non jocari, aut ludicra tractare, ſed Scripturas divinas minus exacte excutere. Hujus generis ſunt in ſacris Doctoribus exempla complura. Nec ſtatim jocoſum eſt quod ſerium non eſt: ſed illud remiſſius, & ad hominum utilitatem aut etiam voluptatem accommodatum. Hunc pium ludum videor mihi in priſcis Doctoribus animadvertiſſe. Nec hoc à me commemoratum eſt in illorum ſuggillationem, ſed obiter adduxi cauſam cur eſſem futurus parcior in explicandis allegoriis.

Nunc ſupputemus quot modis hîc peccarit *Bedda*, dum nobis ſtudet unum erratum impingere. Primum falſo aſſumit, omnes veteres Doctores omnia ſerio dixiſſe in Sacris Litteris, cum ſine controverſia frequenter ludat *Origenes*, & hunc imitantes aliquot, quemadmodum modo demonſtratum, & poſſit ſi vacaret innumeris exemplis declarari. Falſo aſſumit & illud, inter *ludere* & *jocari* nihil intereſſe, clamans, nihil joco aut ludo, ſed omnia ſerio: cum multum interſit, ut demonſtratum eſt. Atque hîc adhibet artem calumniandi: tribuit mihi voces has, *Jocum*, *ludumque*, cum ego dixerim *ludere*. Ludere dictus eſt *David*, ludum agitaſſe non dicitur. *Jocandi* verbo non ſum uſus. Tertia vánitas eſt. Aſſumit *Auguſtino* diſplicuiſſe *ludendi* verbum quaſi parum congruens Sacris Litteris, cum declararim evidenter rem longe ſecus habere. Quartum, nondum ſtatui, utrum magis conveniat appellare calumnioſam vanitatem an vanam calumniam, dum mihi tribuit enunciatam propoſitionem, cum modeſtiſſime dixerim mihi ſic videri. Ejuſdem farinæ eſt illud quod mea verba ſic interpretatur, quaſi reprobarim omnes omnium veterum Doctorum allegorias, cum indefinite ſim locutus, & addiderim *nonnunquam*. Supereſt ut audiamus cenſoris noſtri ſententiam. Auſcultа: ſic habet. *Quia*, inquit, *res ita ſeſe habet, hæc propoſitio arroganter, & in veterum Eccleſia Doctorum ſpretum enuntiata eſt, Hæreſiarcha* Lutheri *favet, qui inter alia ſic ſcribit:* In Eccleſiaſtica Hierarchia *Dionyſius* ludit allegoriis, quod eſt otioſorum hominum ſtudium. O terribilem cenſuram! Dic miſerande *Bedda*, ſpernit ille veteres Doctores, qui quippiam in eis parum probat? Et favet Hæreſiarchæ *Luthero?* Quanto magis illi tu faves, qui in tua Præfat. ſic ornas Eccleſiæ Doctores? qui ſtylo arduo, ut ais, pugnarunt adverſus hæreſes. *Eraſmus* adſpernatur Veteres, qui fatetur eos alicubi ludere, hoc eſt, parum exacte, ſed pie tamen, tractare allegorias. At *Bedda* tuetur illorum inviolabilem auctoritatem, qui illis omnibus, præter alia tam multa incommoda, ſententias adſcribit contrarias Catholicæ veritati. Et hîc non contentus dicere *Lutherum*, addit cognomen *Hæreſiarchæ*, quo ſtultus lector putet ſubeſſe magnum malum. Itaque Diis hominibuſque plaudentibus proferam & ipſe meam de cenſore cenſuram, *Beddam* hîc nihil habere neque frontis neque mentis.

Propositio III.

Sunt in Euangelio loca quædam prorſus, mea ſententia, inexplicabilia, quorum eſt de peccato in Spiritum Sanctum non remittendo, de die ſupremo quem ſolus Pater norit, etiam Filio incognitum.

Propositio IV.

Explicare diſſonantes locos in Euangeliſtis, nihil aliud eſt quam in Labyrintho quodam verſari.

Svppvtatio.

Quoniam ad priorem Propoſitionem non indiligenter reſpondimus in Divinationibus, ac rurſum in Prologo, non hîc onerabo lectorem iiſdem repetendis. Tantum ſupputabo quantum vanitatis, quantum calumniarum in una cenſura committit *Bedda*. Primum ait me aſſerere, ſed falſo, diem ſupremum è Sacris Litteris explicandum eſſe, cum id nuſquam ſit in ſcriptis meis, nec unquam fuerit in lingua, nec in animo, nec unquam ex quo natus ſum, vel per ſomnium, venit in mentem talis cogitatio: verum hoc hominum genus ſemper exſecratus ſum. Hîc profecto non poſſum ſatis admirari tam inſignem Theologi vanitatem, ne dicam dementiam, qui non videt quod aſſerit, protinus ab ipſa quam recitat propoſitione coargui. An hæc ſcriberet, niſi plane livor & odium ademiſſet illi ſimul & mentem & oculos? Hoc igitur mendacium in Prologo demonſtravi non ſolum impudens eſſe, verum etiam malitioſum. Jam vide quam multiplex ſit calumnia. Primum propoſitionem appellat, quod ego exempli cauſa propoſui, cum illud forte tum veniret in mentem. Deinde cum ego dixerim *Norit*, ille fecit modum indicativum cum interſit plurimum: Ad hæc cum ego ſcripſerim, *etiam Filio incognitum*, ille de ſuo addidit, *Dei Patris Filio*, quaſi de divina *Chriſti* natura ſim loquutus, quam indicant quoties dicunt Filium Dei, aut Verbum. Porro quod hîc nos docet eandem eſſe Filii Patriſque ſcientiam juxta divinam naturam, quaſi nos uſquam ſignificationem dederimus hac de re dubitationis, non vacat arte calumniæ. Quanquam interim non præſtat quod pollicitus eſt in Præfatione. Non enim perſtrictis rationibus breviter reddit cauſam cur offendatur, ſed multis verbis nihil ad rem pertinentibus explet chartas, velut hîc, & paulo ante de his qui ex Libris Sacris ſupputabant diem extremum, longeque facit ſecus quam ſpoponderat in ſuis ad me litteris, nihil hîc futurum, quod non vel ad ſalutem animæ meæ vel errores meos in fide ſerio pertineret. Hæc certe de ſupputatione diei ac dupliei natura *Chriſti*, nec ad mores meos ullo modo pertinent, nec ad errores in fide, cum idem & ſentiam & doceam quod *Bedda*. Unde rurſus oritur alia ſuſpicio vanitatis. Ait ſe perlegiſſe meas Paraphraſes. Atqui cum in Paraphraſibus idem doceam de die ſupremo non inquirendo quod ſentit *Bedda*, ſed vigilandum ut quandocunque venerit inveniat nos pa-

Digitized by Google

paratos, ſicut oſtendimus in Prologo, conſequitur aut *Beddam* non legiſſe meas Paraphraſes, aut nimis impudentem eſſe calumniatorem, qui pronuntiet hoc aſſerere me, cui contrarium ſcripſerim in ipſo opere quod excutiendum ſuſceperat. Niſi forte ſic elabetur hoc loco, quod ſe dixit percurriſſe oculis, non perlegiſſe. Id ſi per Synecdochen verum eſt, ſiniſtro tantum oculo percurrit, clauſo dextro. Siniſter autem oculus impurus eſt & iniquus, & ea perſuadet eſſe mala quæ bona ſunt, eo quod eſt ambitionis, livoris, odiique pituita vitiatus. Relegat itaque meas Paraphraſes utroque oculo, ſuamque damnet impudentiam, pudeatque Theologum plus quam ſcurrilis petulantiæ. Porro quod ait hanc propoſitionem, *Dies ſupremus incognitus eſt Filio*, in fide eſſe erroneam, manifeſtam habet blaſphemiam, cum ipſe Filius in Euangelio ſententiam hanc pronuntiet. Si *Chriſtus* hoc dixit, dixit quod eſt in fide erroneum. Si ſcripſit Euangeliſta dixiſſe *Chriſtum* quod non dixit, habemus mendax Euangelium. Utrumque deteſtabilis eſt blaſphemia. Eligat utrum malit *Bedda*. An non hîc conſtrictus tenetur *Bedda*? Nequaquam: habet homo providus paratam rimam per quam elabatur. Edixit in Præfatione Cenſor, ut ipſius verba acciperemus in eo ſenſu in quo ipſe poſuiſſet. In quo ſenſu poſuit hanc? In eo ſenſu, quaſi Filius juxta naturam divinam neſciret diem illum. Verum hic ſenſus cum nec ſit Euangelicus, adeoque non ſit meus, ut in Paraphraſibus & in Annotationibus diverſa doceam, quo nomine poteſt appellari niſi ſenſus ſycophanticus? Quis unquam dubitavit an Filius ſecundum divinam naturam neſcierit aliquid? Hîc objicit ignorantiam Theologiæ, proferens 3. opiniones, quibus hic Euangelii locus explicatur: *Neſciebat ex ſeſe ut homo: neſciebat in ſuo corpore. i. Eccleſia; neſciebat quod aliis non putavit indicandum: ſibi ſciens, aliis neſciens.* Has opiniones cum hauſerit ex *Origene*, *Hilario*, *Chryſoſtomo*, unde contexui meas Paraphraſes, impudenter fingit me hæc ignoraſſe, quod vel ex *Gloſſa ordinaria* licebat diſcere. Quod ſi *Bedda* legiſſet meas Paraphraſes, vidiſſet utique quod ſcribo in Act. Cap. I. *Quicquid*, inquam, *Pater voluit vos ſcire, hoc vobis impartii. Tempus illud vobis non aperui, quia Pater ejus arbitrium uni ſibi ſervavit, quo ſemper vigiletis in officio.* Hîc ſatis declaro Filium ſciviſſe diem, ſed celaſſe, quod ſic expediret diſcipulis. In Euangelio negavit & Angelos & Filium ſcire, morem gerens illorum imbecillitati. Non enim tuliſſent, ſi dixiſſet ſe quidem ſcire, ſed nolle patefacere. Hîc rurſus obturbantes objurgat jam aliquanto firmiores, ſed conſolans eos ſpe mox venturi Spiritus, ut eleganter exponunt Græcorum comment. Verùm hæc non legit *Bedda*: atqui poterat, cum hæc Paraphraſis bis fuerit edita anno 1524. Hæc nimirum ſunt illa quæ nemo intelligit abſque prævio Doctore Scholaſtico. Jam cum explicari dicatur, quod expeditur ſubmota dubitatione, an explicatum videtur in quo tres adferuntur opiniones? Unam certam adferas oportet, ſi velis explicare. Omitto interim quam bellis rationibus probat *Chriſtum* juxta naturam humanam nihil neſciſſe, quandoquidem ad me non pertinet: cætera pete ex meo Prologo, ac Divinationibus. Illud obiter indicandum eſt, *Beddam* hîc incipere præſtare quod pollicitus eſt in præfatione, mihi cum *Fabro* pene convenire, & in litteratura & in opinionibus. Mea propoſitio nihil aliud habet quam locum Euangelicum de non remittenda blaſphemia in Spiritum Sanctum videri inexplicabilem. *Fabri* propoſitio ſic habet: *Blaſphemia & peccata quæ in Patrem ut Pater eſt, & in Filium ut Filius eſt, & in Spiritum Sanctum ut talis eſt, committuntur, qualia fuere* Apellis, Arii, Baſilidis, *& cæterorum hæreticorum pertinacium, quibus Deum ut Deus eſt blaſphemaverunt, ſimpliciter irremiſſibilia ſunt, ſicut peccatum Dæmonum, quo in Deum peccaverunt ut Deus eſt.* Vides-ne lector miram congruentiam? Non tam ovum eſt ovo ſimile. *Faber* ut certus pronuntiat: ego ut incertus ajo mihi videri locum inexplicabilem. Et tamen ſententia quam *Faber* addit eſt *Origenis*, *Theognoſti*, divi *Hieronymi*: qui licet geminam adferat interpretationem, tamen utraque conſentit in hoc, eſſe aliquod peccatum nunquam remittendum. In eadem ſententia prius fuerat *Auguſtinus*, poſt reperit aliam, quæ meum quidem animum non omnino quietum reddit. *Beda* Venerabilis præfert priorem *Auguſtini*. Quod ſi mihi placuiſſet *Athanaſii* ſententia, non dixiſſem mihi videri locum inexplicabilem. Et ſi ſatisfeciſſet animo meo *Auguſtini* commentum, nequaquam eum locum exempli cauſa protuliſſem.

Ad IV. *Propoſitionis calumniam.*

Hîc *Bedda* magnifice pollicetur nullos eſſe locos in Scripturis ſpeciem habentes diſſonantiæ, qui per ſacros Doctores non ſint jam olim ad Catholicam reducti conſonantiam, aut facile per Theologos reduci poſſint. Hoc quod ad Scriptores attinet, manifeſtæ vanitatis eſt, cum Veteres ad unum omnes multis locis ſudent, hæreant, divinent, nonnunquam etiam ingenue ſuam profiteantnr ignorantiam. Hærent dubitantque Recentiores, licet adjuti priſcorum lucubrationibus, ut *Bedda*, *Thomas*, *Gerſon*, *Lyranus*, *Carrenſis*. Quid nunc Theologi facile poſſint neſcio. Si omnes id poſſunt, gratulandum eſt rei Chriſtianæ. Sin *Bedda* novit aliquot eximios qui id poſſint, commonſtret nobis. Nec dubito quin ſeipſum in hoc ponat numero. Verùm quî conſentaneum eſt id *Beddam* poſſe, qui in citandis Doctoribus vulgatiſſimis tam eſt infelix, ut modo demonſtratum eſt? Sed fac verum eſſe quod poſterius poſuit *Bedda*, (nam alterum ſimpliciter eſt falſum,) quæ tandem eſt impietas, ſi mihi videntur eſſe aliquot loca in Euangeliis adeo verbis diſſonantia ut difficillimum ſit ea redigere in concordiam, cum videam ſummos Eccleſiæ Doctores in nonnullis ſic torqueri, interdum & difficultati ſuccumbere? Non eſt mea ſententia impia, ſed *Bedda* glorioſa pollicitatio vicina eſt *Lutherano* dogmati, qui prædicat ſacros libros adeo dilucidos eſſe, ut ad intelligendum non alia re ſit opus quam peritia Linguarum & ſenſu communi. Vides & hîc lector impudentem vanitatem cum malitioſa calumnia conjunctam. Nec interim ſatis honorifice tractat veteres ac recentiores Eccleſiæ Doctores, qui tantopere ſe torſerint in locis compluribus, cum nunc ſint apud *Beddam* qui facile poſſint omnem difficultatem explicare. Oportet enim illos aut inſigniter ebetes fuiſſe, aut admodum oſcitantes. Sed *Bedda* putat omnem difficultatem diſcuſſam ſi quidvis reſpondeatur, quemadmodum ipſe ſolet ad objectiones in Scholis reſpondere. Non ſunt intra Eccleſiam, ſed ſunt de Eccleſia, & propoſitio vera eſt, ſed non eſt prædicabilis. At ego ſic interpretor explicatam difficultatem, non cum adferuntur opiniones variæ, non cum adfertur commentum qualecunque, ne nihil reſponſum eſſe videatur, ſed cum unica certaque ſententia quærentis animus liberatur ab omni ſcrupulo. Nec hoc eo dictum eſt animo, ut deterream ſtudioſos à ſcrutinio Scripturarum: ſed rationem adfero, quo conſilio ab hujuſmodi difficultatibus abſtinuerim in Paraphraſibus, in quibus volebam ſermonem eſſe perpetuum & expeditum, quod eas rudibus & occupatis paraſſem. His feliciter peroratis *Bedda* ſe vertit ad convitia, nec id ſine mendaciis quibus condit omnia. Quærit cur ipſe ſim aggreſſus explicare eos locos, quos ita putarem ſecum pugnare, ut labyrinthus eſſe videretur. Primum hîc ſtatim falſum aſſumit *Bedda*, cum ego me profitear tales locos in Paraphraſi declinaſſe, quantum licuit. Nec hoc verum eſt quod aſſumit, labyrinthum dici, unde nullo pacto queas explicari: ſed labyrinthus dicitur unde difficillimus ſit exitus. Nam *Theſeus* emerſit è labyrintho. Quo ſenſu dixeram inexplicabilia, quæ vix poſſent explicari: certe mihi ſunt inexplicabilia, cui dicebam videri talia. Ab aliis nondum ſatis explicata videbam. Apud *Beddam* latere divinos iſtos Theologos nondum audieram: ſed tamen

Digitized by Google

gaudeo, si modo vera loquitur. Quid autem erat absurdi, si quid eorum aggressus essem, quæ judicabam explicatu difficillima? Conanti frequenter adest Deus. Calumnioſæ vanitatis est & illud, quod ait mihi deesse filum Catholicorum Doctorum & Ecclesiæ, cum hactenus constet me sequutum probatissimos Ecclesiæ Doctores, nisi forte *Chrysostomus*, *Basilius*, *Cyrillus*, *Cyprianus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Hilarius* Ecclesiæ Doctores non sunt. Quos (ut opinor) aliquanto felicius sequor quam *Bedda*, cum ille Græcos ne legere quidem possit, nec Latinos satis intelligens, quod ex superioribus liquet, ex sequentibus liquebit amplius. Unde igitur probat hoc mendacium? Expedite, nimirum alio mendacio. Ait me de divinis differentem inter primos & potissimum sequutum fuisse *Origenem*, quem rei Theologicæ longe peritissimum decerno, cum ille & de divinis & de humanis in compluribus absurdissime & sapuerit & scripserit. Primum quid sapiat *Origenes* satis audacter pronunciat *Bedda*, cum vir ille suo more varia tractet inquirens, frequenter lectori deferens judicium. Et de multis dubitare tum temporis non erat impium. Cæterum quod illi tribuo cum primis scientiam & usum sacrarum Scripturarum, si quid hîc criminis est, vocetur mecum in jus *Hieronymus*, *Athanasius*, ac ne sim prolixus, Veteres omnes, quorum nemo non tribuit ei viro summum ingenium, maximam exercitationem ac diligentiam in Sacris Voluminibus. *Athanasius* vir ὀρθοδοξότατος, nusquam citat illum nisi cum præfatione honoris, appellans eum πολυμαθῆ & φιλόπονον. Quid huic laudi potest addi, quæ summam diligentiam copulat cum summa eruditione? Hoc quod in illo prætuli, nemo Veterum non fatetur, & declarant lucubrationum illius reliquiæ, quas utinam haberemus omnes. Quid autem *Bedda* potest censere de *Origene*, cujus nihil habemus ut ab ipso scriptum est, præter libros adversus *Celsum* parum feliciter versos? *Ruffinus* & *Hieronymus* omiserunt, addiderunt, mutarunt, quæ visum est ipsis. Sed *Bedda* gloriatur se scripsisse adversus *Origenem*. Sic olim *Zoilus* scripsit adversus *Homerum*, & *Leontium* meretrix adversus *Theophrastum*, & *Pero* adversus *Maronem*. Nec dubito quin ille *Bedda* liber, cum ingenti doctorum hominum risu cachinnoque legatur. Quanquam quid hoc ad me pertinet, si *Origenes* multa scripsit, quæ nunc dissident ab Ecclesiæ decretis? Sic illum propono imitandum, ut imitati sunt *Basilius*, *Athanasius*, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, & *Hieronymus*, hoc est cum delectu judicioque. Sic enim habet *Methodus*, unde *Bedda*, ni fallor, hausit ansam calumniæ; *deinde ut hos ipsos cum judico delectuque legamus*, etiamsi reverenter legi volo. Homines erant, quædam ignorabant, in nonnullis hallucinati sunt, &c. Quod si *Bedda* doctior est *Origene*, nihil mea refert, siquidem illum cum priscis Doctoribus non cum *Beddis* confero. Nec improbata dogmata, si qua sunt in libris *Origenis*, nec immodicam affectationem allegoriarum, nec litteræ destructionem ubi res ipsa non urget, imitatus sum unquam in *Origene*, nec alios imitari jussi.

Ex Adjecta præfatione altera in *Matthæum*, quam tamen proxima Editione submovimus, quod ei loco non congruebat. Tantum erat adjecta rogatu typographi, ne vacarent aliquot chartæ.

Propositio V.

Exclamant (scilicet Doctores Theologi) *indignum facinus, si mulier aut coriarius, loquatur de sacris Scripturis: at ego puellas quasdam audire mallem de* Christo *loquentes, quam quosdam summos vulgi opinione Rabinos.*

Propositio VI.

Me auctore Libros Sacros leget agricola, leget faber, leget latomus, legent & meretrices & lenones, denique legent & Turcæ. *Si hos non submovit à sua voce* Christus, *nec ego submovebo eos ab illius libris.*

Propositio VII.

Nec Ezechielis *Prophetæ, nec Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum Veteris Testamenti lectionem ulli hominum interdixero.*

Propositio VIII.

Non protinus arcendi sunt à sacris Libris idiota, si quis exortus fuerit, qui per hanc occasionem prolapsus sit in errores.

Propositio IX.

Quidam piaculum arbitrantur, si Sacri Libri vertantur in Linguam Gallicam aut Britannicam. Equidem cupiam in omnes eos verti Linguas.

Propositio X.

Cur indecorum videtur, si quisquam sonet Evangelium ea Lingua qua natus est & quam intelligit, Gallus Gallica, Britannus Britannica, Germanus Germanica, Indus Indica?

Propositio XI.

Mihi, ait Erasmus, *magis indecorum vel ridiculum potius videtur, quod idiota & muliercula psittaci exemplo Psalmos suos & precationem Dominicam Latine murmurant, cum ipsæ quod sonant non intelligant.*

Suppvtatio.

De his arbitror satis dictum in Divinationibus, & fortassis aliquando proprio libello discutiemus hoc argumentum, quod existimem ad totius populi Christiani salutem pertinere. Nunc peragam promissam supputationem. Primum illud est artis calumniatoriæ. Cum ego simpliciter dixerim, *Exclamant indignum facinus*, ille duo verba interserit, *scilicet Doctores Theologi*, cum in verbis meis nihil præcedat, quod ad Theologos proprie pertineat. Quid si idem clamitent Baccalaurei, aut Monachi, aut Nautæ? Sapit & illud calumniandi studium, quod cum hæc omnia faciant ad eandem sententiam, tamen eam secuit in multas propositiones, quo lectori indocto fumos offundat. Illud vanitatis est potius, quod ante pollicitus se nihil positurum, nisi quod vel ad salutem meam, vel ad fidei doctrinam pertineat, tot hîc congerit conclusiones ad horum neutrum facientes. Neque enim hæc ad fidei doctrinam pertinent, neque ego studeo vertendis libris in Linguam vulgatam, ut ad meos mores pertineat. Quin & illud redolet calumniandi studium, quod cum ego tot verbis inculcarim qua ratione legi debeant Sacræ Litteræ, tanta sollicitudine deterream à præcipitando judicio, tum diligenter inculcarim audiendos esse potius Doctores, quoties datur audiendi copia, *Bedda* his omnibus dissimulatis, tantum ea decerpsit quæ videbantur patere calumniæ. Ejusdem artis est hoc quoque, quod cum ego tot argumentis munierim meam opinionem, ac diversam submoveam, quæ non video quomodo possint dilui, *Bedda* facete dissimulans omnia, non aliis præsidiis fretus impingit mihi grande crimen, quam Constitutione Romani Pontificis *Innocentii* III. Nec profert eam Constitutionem, nec indicat unde sit petenda. Fieri potest ut ea Constitutio fuerit extorta, aut particularis, aut pro tempore data, aut minax potius quam seria. Quemadmodum Bulla *Leonis* diris exsecrationibus deterrebat à legendis aut habendis libris *Lutheri*, cum tamen docti, vel cognoscendi, vel refellendi studio, nihil veriti privatim apud se legerint. Proinde satis calumnioſe impingit, quod tam impense adversus Apostolicam, sic enim vocat, Constitutionem contenderim, cum ego Constitutionem natam esse nescierim, nec adhuc satis credo. Et quo rem faciat atrociorem, *Innocentium* appellat virum doctissimum atque optimum, subindicans Pontificum aliorum Constitutiones non perinde valere. Ad hæc cum ego tantum proponam meam opinionem, *Bedda*

Digitized by Google

da clamat me decernere. Ajo non submovendos in totum Laicos à lectione Sacrorum voluminum, præparandos tamen ac monendos ne abutantur. Itidem exaggerat omnia. Quanto studio conatur pulchrum licitum cuilibet sexui, ætati, &c. Miror eum non addidisse nautis, aurigis, cupediariis, scortis, lenonibus. Hanc amplificandi artem præteriit *Quintilianus*, quæ Græcis dicitur *ψευδολογία*. De Constitutione respondebo, simul atque prodierit ea Constitutio. In præsentia nihil aliud excusabo, quam me nunquam fuisse suspicatum ejusmodi Constitutionem profectam à Sede Romana, præsertim perpetuam & universalem, cum & tot seculorum diversa consuetudo, & tot rationes reclamare videantur. Etenim si per se malum ac perniciosum est moribus Christianorum, ut Laici legant Libros Sacros, non oportebat eos ab Euangelistis scribi Lingua Græca, quæ tum erat per omnem *Graciam*, per *Asiam* minorem, per *Ægyptum*, ac bonam *Italiæ* partem, nonnullam etiam *Galliarum*, promiscuæ plebi communis. Nec oportuit eos in Linguam Latinam vertere, quæ tum erat per omnem *Italiam*, *Hispaniam*, *Galliam*, *Africam*, etiam textoribus ac textricibus communis. Jam corruptis Linguis, curandum esset, ne quis disceret Græce Latine aut Hebraice præter Theologos. Quid enim interest inter eum qui tantum Gallicæ Linguæ gnarus, Gallice legit Euangelium, & inter pure Grammaticum qui Græce aut Latine legit? Ne in Templis quidem oportuit recitare Libros Sacros, quod adsint illic pueri qui Latine intelligant, multi Laici qui Latine sciant. Atqui ibi recitatur etiam Canticum canticorum. Quin & sacræ Virgines ediscunt hos libros, & in Templis publice recitant. Si intelligunt, ingens periculum est, si non intelligunt, cui canunt? Angelis opinor. Si periculum est ex lectione Sacrorum Librorum, multo gravius periculum est ex ignorantia Sacrorum Librorum. S. *Hilario* quid aliud fuit quam Laicus? Et tamen circumferebat codicem Euangelicum. Sanctus *Antonius* nec philosophiam attigerat ullam, nec audierat quenquam Theologum, tamen assidue versabatur in Sacris Voluminibus. Quid commemorem de tot examinibus Monachorum veterum? Quid *Franciscus*, *Benedictus*, quid nunc tot inter *Franciscanos*, tot Sacerdotes, tot Clerici, tot Monachi, qui nihil sciunt præter Grammaticam, eamque tenuiter: an omnes arcendi sunt à lectione Sacrorum Voluminum? Quam multa facinora designat ebrietas! & tamen non inciduntur vites, sed admoventur fontes, docentur homines moderatum saluberrimi liquoris usum. Itidem Laici per Sacerdotes monitis ac rationibus instruendi sunt ad lectionem Sacrorum Voluminum, Pastores assidui sint in erudienda plebe. Ita fiet, ut non sit opus lectione, aut certe ut utilis sit lectio. Nec jam Laici dicendi sunt, qui studiose versantur in philosophia Euangelica. Ad *Scoti* speculationes fortasse non omnes sunt dociles, ad Euangelicam philosophiam nemo non docilis est, modo fidem & piam mentem secum adferat, si *Chrysostomo* credimus. Quanto justius alia forent prohibenda, si velimus omne periculum excludere? Præterea periculosa & injusta est constitutio Synodi *Nicenæ*, qua decernitur, ne quis Christianus careat Sacris Voluminibus utriusque Testamenti. Impie sensit *Chrysostomus*, qui non in uno loco, magno studio præcipit promiscuæ multitudini, ut domi legant apud se Sacros Libros, quo magis dociles venirent ad concionem Euangelicam. Locum unum proferam: in Homilia de *Lazaro* III. sic loquitur. *Idque semper hortor, & hortari non desinam, ut non hîc tantum attendatis ea quæ dicuntur, verum etiam cum domi fueritis assidue divinarum Scripturarum lectioni vacetis.* Et ut intelligas hæc Laicis dici, paulo post sequitur: *Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, exerceo artificium, uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere Scripturas.* Ac mox: *Quid ais homo? imo tuum est magis quam illorum.* Hujusmodi multa repetit & inculcat in eadem Homilia. *Chrysostomus* objungat Laicos, quod non habeant Sacros Libros, & *Bedda* non permittit ut habeant. Quis autem Veterum non hortatur Monachos ac sacras Virgines ad Sacrorum Voluminum assiduam lectionem? Verum hæc utcunque habent, non est mei moris adversus publicas consuetudines reluctari. Hæc satis arbitror supputanti: reliqua qui volet petat ex Divinationibus, & ex his quæ respondi *Sutori*, nam is movit eandem calumniam. Quam difficile est istis respondere, qui conspirati reclamant nec legunt nostra, aut si legerunt dissimulant? Claudit hanc censuram *Bedda* impudenti epiphonemate: neminem ausum unquam asserere, Libros Sacros in omnium linguas vertendos. Atqui hoc primus asseruit *Christus: Ite in Orbem universum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Qui prædicat omni Lingua, vult & omnium Linguis legi. Hoc ausi sunt facere vetustissimi Patres, qui sacros libros illico verterunt in linguam *Græcam*, *Chaldaicam*, *Indicam*, *Ægyptiam*. Quid *Hieronymo* venit in mentem cum Sacros Libros verteret *Dalmatice*, nisi ut vulgus quoque legeret? *Paulus* sibi gratulatur, quod omnium Linguis loqueretur. Loquitur autem & qui scribit.

PROPOSITIO XII.

Utrum Symbolum quod dicitur Apostolorum, ab ipsis Apostolis proditum sit nescio, ait Eras.

SVPPVTATIO.

Ad hanc calumniam quod satis dictum est in Divinationibus, & iterum in Elencho, nunc nihil aliud quam supputabo. Ab arte calumniandi profectum est, quod *Bedda* decerpit quatuor verba, quæ calumniæ patebant, reliquit ea quæ protinus sequebantur. Locus sic habet: *Ex Symbolo, quod an ab Apostolis proditum sit nescio, certe majestatem ac puritatem Apostolicam præ se fert.* Quin totus ille sermonis tenor declarat me magnifice pieque sentire de illo Symbolo. Siquidem indico quibus ex libris conflari velim summam philosophiæ Christianæ, quæ facile possit ab omnibus ediscì, ex fontibus inquam Euangelicis, ex Apostolicis litteris, ex Symbolo. An non hæc perspicue declarant me Symbolum illud æquare Canonicis Scripturis, ex quibus haud dubie conflatum est, attestante quod spiret majestatem ac puritatem Apostolicam? Unde quod hîc gannit *Bedda* de infidelitate impioque schismate, mera calumnia est, quemadmodum illud splendidum est mendacium, me suscepisse munus docendi Orbem, omnia quæ fidei sunt: cum ut ante declaravi, studiose temperarim à subtilibus illis & contentiosis dogmatibus, fere versans vel in re Grammatica, vel in sensu morali. Cumque Mundus habeat meus lucubrationes, tamen non pudet talem virum tam manifesto falsa scribere. Atque hîc Decretales quoque trahuntur ad calumniam proximi, *Dubius enim*, inquit, *in fide infidelis est.* Quanquam hîc omisit quod illic mox sequitur: *Nec eis omnino credendum est, qui fidem veritatis ignorant.* Et Glossæ interpretantur de articulis fidei: sed ea nihil faciebant ad structuram calumniæ. Quid ais egregie Doctor, an ego dubito de quoquam articulo qui est in Symbolo Apostolorum? Probabilius est *Beddam* dubitare de toto Symbolo, qui sciens & prudens, contra suam ipsius conscientiam, contemtis eruditorum hominum judiciis, tantum calumniarum, mendaciorum, conviciorum congerit in caput proximi, à quo nunquam vèrbo fuit offensus. Verum operæ pretium est audire syllogismum *Beddaicum*. Sic argumentatur. *Qui dubius est in fide infidelis est, sed nemo Doctor Ecclesiasticus dubitavit an Symbolum esset congestum ab Apostolis, ergo* Erasmus *est infidelis.* Imo potius, ergo *Bedda* est crassus syllogista. Itane nihil interest, inter dubitare de dogmatibus Sacri Voluminis, & dubitare de auctore? Quot sunt libri Veteris Testamenti, quorum scriptor incertus est? An Ecclesiastici Doctores non dubitant de libro *Job*, ne multa repetam? An non multi dubi-

Digitized by Google

tarunt de Epiſtola ad *Hebræos*? Nonne *Hieronymus* dubie loquitur de duabus poſterioribus Epiſtolis *Joanni* inſcriptis? Imo totum Vetus Teſtamentum quidam putant ab *Eſdra* reſtitutum. An omnes numerabuntur inter infideles, qui de ſcriptore dubitarunt? Conferamus exemplum ſyllogiſmi *Beddaici*: Omnes Doctores totaque Eccleſia adhuc dubitat de auctore libri *Job*, ergo omnes cum Eccleſia ſunt infideles. Principalis auctor Sacrorum Voluminum eſt Spiritus Sanctus. De hoc qui dubitat infidelis eſt. Quanquam nec illud vacat à calumniandi vafricie, quod cum ego ſcripſerim *ab Apoſtolis proditum*, ille mutat, *ab Apoſtolis congeſtum*, cum *prodi* dicatur nobis quod ſcripto publicatur. Ubi vero legimus Apoſtolos ſcripto prodidiſſe Symbolum? Et quid hinc decedit auctoritati Symboli, ſi credatur ab Apoſtolicis viris ſcripto proditum, cum conſtet ex Sacris Litteris deſumtum & ex Apoſtolorum doctrina profectum, & à primordiis Eccleſiæ perpetuo curſu ad nos permanaſſe, ut ego ſanè non minus illi tribuam auctoritatis quam ipſis Euangeliis? Sed an ab Apoſtolis fuerit ſcripto proditum, hoc movet dubitationem, eo quod hæc fidei regula non per omnia conveniat apud priſcos Eccleſiæ Doctores. Atqui id probabile non eſt eventurum fuiſſe, ſi Apoſtoli ſcripto prodidiſſent, quemadmodum alias retuli. Quam vero conſequitur, nullus ſcripſit ſe dubitare, ergo nemo dubitavit. Et ubi nunc eſt, quod nobis ſolent occinere, quoties volunt videri valde Dialectici, *Locus ab auctoritate negative non tenet*. Sed Eccleſia, inquiet, vocat Symbolum Apoſtolicum. Et ego voco, & fateor ab Apoſtolis traditum, & Apoſtolis dignum profiteor. An proditum ſcripto ſit dubito, quanquam id ab Apoſtolicis viris factum non dubito, & tamen ita dubito, ut cupiam eſſe probatum. Nunc vide probationes *Beddæ*. *Auguſtinus*, inquit, *ad Valentinum*, auſculta lector, *Judicabit*, inquit, *Deus hunc mundum quando venturus eſt, ſicut tota Eccleſia in Symbolo confitetur, Judicare vivos & mortuos*. Rurſus idem: *Huic ſententiæ proculdubio conveniet, quod in regula fidei confitemur, Venturum Dominum judicare vivos & mortuos*. Scripſit Presbyter de fide & ſymbolo. Jam Epiſcopus & ſenex ſcripſit ad catechumenos libros quatuor. In primi exordio ſic eos alloquitur, *Accipite filii regulam fidei, quod Symbolum dicitur*. Item alibi: *Quod autem dicimus in Symbolo, in adventu Domini vivos & mortuos judicandos*, &c. Hujus poſtremæ citationis locum non indicat. Porro cum duæ ſint Epiſtolæ ad *Valentinum*, ita citat quaſi duntaxat una ſit. In quæſtione *Dulcitii* tertia bis fit mentio Symboli. Miror illum nihil adduxiſſe ex libro *De fide & ſymbolo*, ubi plurimum tribuit illius auctoritati. Sed fac centum tales eſſe locos in Eccleſiæ Doctoribus, ut ſunt complures apud *Chryſoſtomum*, in quibus hoc Symbolum appellatur *regula fidei*, quid hoc ad me pertinet, qui idem ingenue conſtanterque profiteor? Nec enim minus auctoritatis illi tribuo, quam *Bedda* vult videri tribuere. Hæc quid referebat commemorare, niſi ut profeſſus perſtrictas ratiunculas, inani multiloquio paginas expleret, nobiſque declararet, quod cœpiſſet legere *Auguſtinum*, ſi tamen hæc decerpſit ex ejus libris ipſe, cum omnia citet tam infeliciter, ut Laici quidam aliquanto felicius citent Sacras Litteras. Sed hîc teneor medius. *Auguſtinus* in quodam ſermone dividit Symbolum in duodecim articulos, ac ſingulos ſingulis Apoſtolis nominatim adſcribit. Primum, quid ſi negem hunc ſermonem eſſe *Auguſtini*, cum conſtet hujus nomini multos alios falſo inſcriptos, & hîc perbrevis eſt, ac pro argumento ſatis jejunus. Expendat lector qui naſum habet, nihil ibi ſentiet *Auguſtini*. Verum fateamur ab *Auguſtino* dictum, ac fortaſſis exceptum à notariis, an infidelis ſim, ſi dubitem hîc credere *Auguſtino*? Erat vir bonus, & ut eſt Chriſtiana ſimplicitas, impenſe credulus. Serio credidit fabulæ Septuaginta cellularum, quas *Hieronymus* ut mendacio cujuſquam conſtructas deridet. Ac, ni fallor, ne hoc ſerio credidit, ſed abuſus eſt vulgi non impia opinione ad planius enarrandum, & altius infigendum imperitorum memoriæ Symbolum fidei. Quæſita eſt ad facilitatem docendi ratio, quæ tamen non haberet vanitatem. Cum enim omnes articuli ſint ſingulorum, & ſinguli omnium, nihil vetat, quo ſinguli ſingulis adſcribantur docendi gratia. Quod eadem de cauſa & in picturis obſervatum eſt. Idem *Thomas*, *Gerſon*, & alii Recentiores ſunt imitati. Nec arbitror quenquam impietatis accuſari poſſe, ſi hac de re dubitet, quorum de numero profiteor eſſe me. Probabile quidem eſt quod narrat *Ruffinus* ex Eccleſiaſtica Hiſtoria, cui tamen diffidere licet, citra crimen impietatis. Arbitror eos conveniſſe, ſtatuiſſe ſummam Euangelicæ prædicationis, de certis articulis tractaſſe, aut his aut horum ſimilibus, ac fortaſſe pluribus. Mox ab Apoſtolicis viris id quod viva voce tradiderant Apoſtoli, ſcripto redactum eſt in certam formam. Id an ab Apoſtolis ipſis factum ſit, an in aliqua Synodo Patrum, ſic dubito, ut facile ſim creditur ab ipſis Apoſtolis eſſe factum. Hoc debebat docere *Bedda*, quod ne attigit quidem. Nam de partitione articulorum in ſingulos Apoſtolos, nec ipſe videtur urgere, confitens, neque congruentiam perſonarum & articulorum, neque numerum articulorum inter Scriptores conſentire. Ubi eſt igitur iſta infidelis inſcientia quam objicit *Eraſmo?* Hoc dicere debuerat, poſteaquam rem perdocuiſſet. Debebat addere quod ut in articulorum diſtinctione diſſentiunt, ita apud Veteres non iidem ſunt apud omnes articuli, ſicut demonſtratum eſt ante.

Jam infeliciter acta cauſa vadit ad epinicia. Inſultat mihi tribus inſignibus mendaciis: appellat me infidelem, quod ſuſceperat probandum. Deinde vocat me omnium Scriptorum cenſorem, quod aliquot adulterinos titulos indicarim lectori. Hoc ſcilicet eſt in omnium omnia ſcripta cenſorem agere. Tertio ſcribit me aſſeruiſſe, Symbolum hoc fuiſſe editum in Concilio *Niceno*, quod ego nuſquam aſſerui, nec id objecit *Stunica*, quem dejerat eſſe diſertum, ut interim videatur & ipſe diſertus, artifex de artifice judicans. Sed obiter tribus verbis annotaram hoc quibuſdam videri. Id legeram, ni fallor, in invectivis *Laurentianis*. Eas quoniam tum temporis non quivi nanciſci, nihil ad id reſpondi *Stunicæ*, tantum adjeci, *Hec rixa olim exercuit Vallam*. Symbolum *Athanaſii* minus legimus in *Nicena* Synodo comprobatum. De Symbolo Apoſtolorum non eſt veriſimile. Doceat *Stunica* rem tantam. Et tamen verba quibus offenſus eſt *Stunica* ſubmovi ex Annotationibus. Finiturus erat cenſuram ſuam *Bedda*, ſed interim ſodalis aliquis oſtendit illi locum, ex *Ambroſio*, qui jubet quotidie recenſere Symbolum, & repetit quod dixit *Auguſtinus*, quod *tota Eccleſia in eodem Symbolo confitetur*. Quis hæc negat? Quin & *Tertullianus* omnibus his antiquior appellat fidei regulam, etiamſi in forma nonnihil diſcrepat. Nunc audi grave judicium hominis ſolum Deum præ oculis habentis. *Videat*, inquit, *idcirco* Eraſmus *quo ſpiritu concitatus, ſcripſerit ſeſe an Symbolum Apoſtoli prodiderint neſcire, hoc ſane debuit certo noſſe, & non infidelitate ſchiſmatica, de fidei principiorum auctoribus dubitando, quod in ſe fuit, ea infirmare Chriſtiana doctrina fundamenta vilioraque reddere*. Ego propemodum certo credo, doceat *Bedda* & confirmabor, ſed per illum nihilo factus ſum certior.

Cæterum quod hîc rurſus impingit infidelitatem ſchiſmaticam, gemina eſt & evidens calumnia, neque enim quicquam addubito de articulis Symboli, ſed à quibus hæc Symboli forma ſcripto prodita ſit, quod *Bedda* non docet. Et ſi doceret, non eſſet dubitatio ſchiſmatica, quæ & propenſior eſt in eam partem quam vulgus ſequi videtur, & ambit doceri plenius. Jam quod ait me dubirare de fidei principiorum auctoribus, hic ſermo præter inſigne mendacium, habet & blaſphemiam, juxta *Beddaicas* leges. Siquidem alibi cum *Moſen* voco auctorem veteris Legis, excitat *Tyria* maria,

Digitized by Google

ria, quod negem Deum auctorem Veteris Teſtamenti, multaque horrenda commemorat de *Manicheis*, & aliis prodigioſis hæreticis, cum tamen ex ſcriptis meis ſciret me nihil minus ſentire, quam quod calumniatur. *Moſes* tulit, ſcripſit, docuit & adminiſtravit Legem. Si hunc blaſphemum eſt vocare vetuſtæ Legis auctorem, impium erit *Salomonem* vocare Proverbiorum auctorem, cum revera Spiritus ſit auctor, cujus afflatu ſcripſit. At hîc *Bedda* vocat Apoſtolos auctores principiorum fidei. Principia fidei ſunt Sacræ Litteræ. Horum auctor eſt Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Et *Bedda* gloriam æternæ Trinitatis transfert in homines mortales. Nihil eſt in Symbolo cujus auctores ſunt Apoſtoli. Poſſim hîc terque quaterque inclamare blaſphemiam, & æquiſſimum erat ut *Bedda* legem pateretur quam ipſe tulit. Sed piget hujuſmodi rixis diutius immorari. Non eſt infidelitatis ſchiſmaticæ, dubitare quis ſcripſerit librum *Job*, ita non eſt, dubitare
V. quis ſcripto prodiderit Symbolum Apoſtolicum. Proinde falſum & illud, me, quod quidem in me eſt, infirmare vilioraque reddere doctrinæ Chriſtianæ fundamenta. An non ſatis confirmo Symboli auctoritatem, cum profiteor ab Eccleſiæ primordiis una cum Euangeliis pari auctoritate ad nos demanaſſe, ab univerſa Eccleſia pari conſenſu ſemper receptum fuiſſe, præ ſe ferre majeſtatem & puritatem Apoſtolicam? Qui hæc profitetur ſtudet Symbolum reddere vilius? hoc enim ſonat, quod in ſe fuit. Imo hoc ipſum quod adjeceram, non tam indicat meam dubitationem, quam excludit aliorum cauſationem, qui forte fuerant admiraturi, quod hoc unum Symbolum cæteris omiſſis adnecterem Euangeliis & Apoſtolicis litteris. Proinde quaſi *Laurentius* aut aliquis cum illo ſentiens dixiſſet, cur æquas quicquam Canonicis Litteris, quod ab Apoſtolis ſcripto proditum non eſt? hoc ſenſu reſpondeo. An ab Apoſtolis proditum ſit neſcio, nolo nunc tecum contendere, mihi ſatis eſt quod præ ſe fert Apoſtolicam majeſtatem ac puritatem.

PROPOSITIO XIII.

Baptizati parvuli poſteaquam ad pubertatem pervenerint, & in communibus fidei articulis fuerint inſtructi, debent publice vocari & interrogari, ratumne habeant quod ſuſceptores, (id eſt, patrini & matrinæ) illorum nomine polliciti ſunt in baptiſmo: ſi reſpondeant ſe ratum habere, tum publice renovetur illa profeſſio: & paulo poſt:

PROPOSITIO XIV.

Verum hîc geminus exſiſtit ſcrupulus. Primum quod videatur iterari baptiſmus, id quod fas non eſt, deinde quod periculum ſit, ne quidam audita profeſſione non approbent quod geſtum eſt per vicarios. Sequitur: *Prior ille facile diſcutitur, ſi hæc ſic gerantur ut nihil aliud ſint quam inſtauratio ac repræſentatio priſtini baptiſmi, quod genus eſt, cum aqua ſacra quotidie adſpergimur. Poſterioris difficilior eſt ſolutio, ſed omnia tentanda ſunt ne quis reſiliat à prima fide. Quod ſi non poteſt obtineri, fortaſſis expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui animo, donec reſipiſcat, nec ad aliam interim vocari pœnam, niſi ut ab Euchariſtia ſumenda reliquiſque Sacramentis arceatur. Caterum nec à ſacris, nec à concionibus excludatur.*

SVPPVTATIO.

Quo longius progreditur *Bedda*, hoc magis atque
C. magis ſeipſum vincit impudentia. In priore Propoſitione depravat mea verba ad calumniam, non ſine falſi crimine. Sic enim ille refert quaſi præſcripſerim ita debere fieri, cum ego moderate ſimpliciterque ſignificem quod videatur expedire, ſi videatur Epiſcopis ſtatuere. Sic habent mea verba. Quin & illud videtur ad hanc rem non mediocriter conducturum, ſi pueri baptizati, cum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur hujuſmodi concionibus adeſſe, in quibus illis dilucide declaretur, quid in ſe contineat profeſſio baptiſmi. Deinde diligenter privatim examinentur à probis viris, ſatisne teneant ac meminerint ea quæ docuit Sacerdos. Si comperientur ſatis tenere, interrogentur, ratumne habeant quod Suſceptores illorum nomine polliciti ſunt in baptiſmo: ſi reſpondeant ſe ratum habere, tum publice renovetur ea profeſſio, ſimul congregatis æqualibus, idque ceremoniis graviſbus, aptis, caſtis, feriis ac magnificis, quæque deceant eam profeſſionem, qua nulla poteſt eſſe ſanctior. In his nullum præcipiendi verbum. Tantum ajo mihi videri conducturum ad pietatem, & in hoc libello quemadmodum & in aliis teſtor nihil innovandum per tumultum, aut ſine Præſulum auctoritate publica. Nunc audi terrificam *Bedda* cenſuram undique ſcatentem calumniis ac mendaciis: *Inaudita prius & vere miſerabili, & ob id miſeranda temeritate, hic ſacros Eccleſiæ ritus & Sacramenta temerare præſumſit* Eraſmus, *& ac ſi novus Euangeliſta foret, novos ſuperinducere ſatagit, quibus nihil impenſius ſchiſmaticum excogitari poterat, tum quia itprare docet initerabile divino jure Sacramentum.* Quid ad hæc reſpondeam? Cum abſente loquitur, cum ebrio qui litigat, ſed magis qui cum amente. Quid enim mentis habet hæc C.V. debacchatio? Sed quoniam hunc locum tracto in prologo, tantum hîc ſupputabo. Quod ait me *temerare ſacros Eccleſia ritus miſeranda temeritate*, ille miranda & inaudita impudentia mentitur, nec ea cogitatio mihi unquam venit in mentem, neque quicquam novi ſtatuo: tantum admoneo Præſules Eccleſiæ, mihi quidem videri vehementer conducturum ad habendos pure vereque Chriſtianos, ſi quod olim ſolet fieri in adultis catechumenis, hodie renovaretur in adultis qui baptizati ſunt infantes, ut hodie baptizantur omnes. Hoc quantopere referat fieri, rectius intelliget, ſi perpenderit, quales nunc habeat Orbis pleroſque Chriſtianos, qui vix unquam cogitarunt de profeſſione baptiſmi. Proinde calumnia mendax eſt, quod ego temerem Sacros Eccleſiæ ritus, qui nec ſtatuam omnino quicquam, nec rem novam admoneam, ſed jam olim ab Eccleſia ſervatam, licet ante baptiſmum. Aliud eſt ſi Eccleſiæ non licet quicquam inſtituere novi, pro temporum ratione, quod fecit in vigiliis & cantionibus nocturnis per civitatem, in Sacris Virginibus includendis, in Euchariſtia ſub una ſpecie danda populo, aliiſque rebus innumeris. Sed impudentius etiam C.V. eſt, quod addit Sacramenta, cum ego de baptiſmo non loquar, ſed de catechiſmo. Olim nemo baptizabatur abſque catechiſmo, de adultis loquor, & ita præceperat *Chriſtus*, docere primum, mox baptizare. Poſteaquam autem ventum eſt ad ætatem adultam, quid refert eſſe baptizatum, ſi neſciat quid ſit baptiſmus, aut quæ ſit profeſſio hominis Chriſtiani? Atqui hoc baptizatorum hominum genere Mundus eſt plenus, præſertim in agris. Horum ſaluti velle conſulere, pietatis eſt non temeritatis, nec ille præſumit qui ſuam opinionem Epiſcopis tradit in manum. Nec ibi quicquam eſt ſchiſmaticum, ubi res non agitur niſi ex publica auctoritate eorum qui præſident domui Dei, nec exitioſum eſt, quod ad ſalutem omnium pertinet, nec erroneum eſt, moderate proponere, quod videatur in commune conducturum. Proinde *Bedda* in hoc ſermone tot pene calumnias ac mendacia commiſit, quot poſuit verba. Nec ſatis erat dicere, ſchiſmaticum, ſed addidit mendacem epitaſim, *nihil impenſius ſchiſmaticum*: elegantiam orationis diſſimulo, ne Rhetor videar invidere Rhetori. Jam cum in his ipſis verbis, V. quæ refert ex ſcriptis meis, aperte teſter, non eſſe fas iterare baptiſmum, iſte pertricta facie ſic loquitur: *Iterare docet initerabile divino jure Sacramentum.* Nihil eſt uſquam in ſcriptis meis quod ullam præbeat ſuſpicionem mihi placere baptiſmum iterari. Hîc vero palam teſtor neſas iterare, nec pudet Theologum mentiri, quod doceam iterandum eſſe. Venimus nimirum, venimus ad ſummum. Nil intra eſt oleam, nil extra

eſt

Digitized by Google

est in nuce duri. Postquam hæc audet *Bedda*, audebit asseverare mel aloen esse. Et hoc tam impudens mendacium repetit & inculcat, ut locus esset Decretali: *Cæterum*, inquit, *Erasmo qui de baptismi Sacramento dogmata hîc tradit, regulis Romanæ & universalis Ecclesiæ adversa nedum diversa*, &c. Et hîc inculcat evidens mendacium me tradere dogmata, cum simpliciter proponam meum consilium expendendum Ecclesiæ Præsulibus. Addit alterum, quod de baptismi Sacramento, cum constet me agere de catechismo. Itane hoc est adversari regulis Ecclesiæ Romanæ, si adolescentes doceantur quid sit baptismus, & quæ sit baptismi professio? Et si quid tale vel Episcopus vel Pastor faciat in sua Ecclesia sine speciali mandato Ecclesiæ Romanæ, an is ferietur anathemate? Arbitror illos potius adversari regulis Ecclesiæ Catholicæ, qui tantum cantillant populo suo, nec unquam impartiunt alimoniam doctrinæ spiritualis, quod utinam non fieret in tam multis Ecclesiis, præsertim *Italiæ*. Si docentur baptizandi, multo diligentius docendi sunt qui baptismum hoc ætatis acceperunt quo nondum erant dociles, ne baptismus illis cedat in cumulum damnationis. Sed fortassis offendunt aliquæ ceremoniæ quasi sacramentales, veluti conspersio aquæ sacræ, quæ speciem habet iterati baptismi. Cur igitur nunc ab hac conspersione non abstinetur? Olim Ædituus ingredientes Templum adspergebat, id vocabant purificationem, admonens, ut puri ad pura, casti ad casta accederent: & hodie diebus Dominicis ante Sacrum solenniter adspergitur populus: apud *Germanos* unusquisque sacrificans post Sacrum peractum, adspergit populum, multi etiam in sepulchra effundunt aquam, veluti baptizantes defunctos, quod *Chrysostomus* suis temporibus à nonnullis fieri solitum damnat. Quin olim lecto affixi, non tingebantur, sed adspergebantur interdum. Et quod nunc adsperguntur in causa est, quia commodius est adspergi quam tingi. Cur hîc nemo metuit speciem iterandi baptismi? Rursus in multis locis Sacrificus populo distribuit fragmenta panis aliquo ritu consecrati, licet non in corpus *Christi*. Idem alicubi fit etiam post preces vespertinas, quoniam apud Priscos crebrius eodem die fiebat synaxis, id quod liquet ex *Ambrosio*, sed magis etiam ex *Athanasio*, pane sacro, sed non, ut opinor, consecrato in corpus Domini. Alibi ponunt panes in altari sacrificantis, eosque post peractum Sacrum domum cum religione deferunt. Quidam offerunt Sacerdoti panem consecrandum, quem secum domum auferunt. Cur hîc non metuimus ne speciem inducamus iterati baptismi, & corporis Dominici secus dati sumtique quam præscripsit Ecclesia Romana? In quibusdam Templis Sodalitates ex more dant panem & offerunt potum confœderatis, nec hîc metuitur species Eucharistiæ à Laicis sub utraque specie datæ. Quis enumerare queat, quanta sit in Ecclesiis, cantionum, ceremoniarum ac rituum varietas, quos vel ipse populus inducit, vel Parochus absque Præsulum auctoritate? nec quisquam metuit schisma. Et ubi tradenda commendandaque est adolescentibus illa salutifera doctrina, illa sanctissima professio, etiam umbram metuimus omnem. Monachi suas professiones tam magnificis ceremoniis apud populum actis studiose commendant, & *Bedda* putat Ecclesiam ruituram, si similibus ceremoniis commendetur illa communis omnium Christianorum professio, quæ sic abiit in oblivionem, ut pauci sciant se quicquam illic fuisse professos, sic viventes, quasi nihil habeant fœderis cum *Christo*. *Benedictinus* horret mutare vestem humanam ab homine traditam, Christianus non veretur omnia facere, quæ Satanæ grata sunt, *Christo* invisa, pro nihilo ducens quæ juravit, toto pectore palam amplectens quæ abjuravit. Quoniam autem apud infirmos & adolescentes plurimum valent oculis exhibitæ ceremoniæ, ideo doctrinæ cupiebam addi ceremonias, sed aptas ac pias. Quod si usqueadeo meticulosi sumus, ne quis existimet iterari baptismum, id brevi admonitiuncula Sacerdos cavere poterit: *Quæ ante baptismum fuerant discenda, quoniam tunc per ætatem non eratis capaces, nunc didicistis. Baptismus semel datus non iteratur, sed ceremoniis his reducimus vobis in memoriam ut intelligatis quid sit actum in baptismo, & quid illa sibi velint: Proficite in his rudimentis fidei, quæ didicistis, nolite demuo pollui vitiis, quæ semel in baptismo condonata sunt, servate vestem animæ candidam, ut ex tironibus facti robusti milites* Christi *perveniatis ad æterna vitæ triumphum.* Quod si schismaticum est ullas ceremonias inducere præter eas quas Romana tradit Ecclesia, unde tam ingens in Regionibus, Diœcesibus, Monasteriis, Collegiis, Ecclesiis, ceremoniarum varietas, quarum pleræque sunt à Romanæ Ecclesiæ ritibus diversissimæ? Alicubi concio fit ante Sacrum, alibi in medio Sacro, rursus alibi mox post Sacrum, iterum alibi post prandium. Nec in Missis minor est diversitas, ut ad Sacramenta veniam. Alicubi puer totus ter immergitur in aquam: Alibi Sacerdos aquam cava manu haustam infundit in caput infantis: Rursus alicubi summis digitis tantum guttulas aliquot inspergit. Item nonnullis in locis infantes mox à baptismo, unguntur oleo sacramentali: Alibi non priusquam ad decimum aut duodecimum annum pervenerint. Quidam absolvuntur imposita manu, quidam absque manu, nec absolutionis forma per omnia convenit, nec omni tempore fuit eadem. Quanquam illud optandum ut omnes per orbem Ecclesiæ, quemadmodum consentiunt in fidei dogmatibus, ita & in precibus, cantuque solenni, cæterisque ritibus Ecclesiasticis consentirent. Verùm ad hæc accessoria connivet Sedes Romana, modo consensus sit in iis quæ sunt principalia. Ecclesia Romana damnat eos qui putant iterandum baptismum, qui putant citra necessitatem fas esse qualibet aqua tingere, qui corpus Domini consecrant pane fermentato, sanguinem lacte, qui Laicis dant sub utraque specie, qui citra necessitatem vel sumunt vel dant post sumtum cibum vulgarem. In hos fulminat illa Decretalis, quam impudenter huc torsit *Bedda*, quo videatur & Decretales legisse. Quid enim sibi vult capitulum *ad abolendum?* Damnat hæreticos qui secus sentiunt docentque de Sacramentis Ecclesiæ, quam Sacro-sancta Rom. Ecclesia prædicat & observat. Si hoc mihi potest objicere *Bedda*, fatebor ad me pertinere decretale fulmen: Sin pium est, & in rem Ecclesiæ Catholicæ quod propono tantum, non doceo, fateatur se *Bedda* nihil non ad calumniandum torquere. Nam verba, quæ in medio reliquit *Bedda*, declarant Constitutionem loqui de deprehensis & judicatis hæreticis. Ostendi me nihil secus sentire vel docere de Sacramentis, quam tradit Rom. Ecclesia, sed tantum de erudiendis in fide rudibus, dedi consilium. Ostendi & circa tractationem Sacramentorum, tolerari quosdam ritus ab Ecclesia Romana diversos. Sed age, demus ex abundanti, quod non est, me consuluisse quippiam diversum ab Ecclesiæ Rom. traditione, canetur-ne mihi capitulum, *ad abolendum de hæreticis?* Finge tractari in Synodo de reconciliandis Ecclesiæ *Bohemis* ac *Moschovitis*, aut *Græcis*, si qui nondum reconciliati sunt: meque simpliciter inter multos dare consilium, ut liberum fiat omnibus Eucharistiam qui velint sub utraque specie dare ac sumere, num mihi occineretur caput, *ad abolendum?* Fortasse responderetur, Sedulo quidem, *Erasme*, dixisti, sed aliorum sententia melior est. Quid hîc ego responderem? Vincat ea sententia, quæ Spiritui *Christi* vobisque probatior ac Sponsæ *Christi* conducibilior. Hoc animo, atque hac moderatione hæc scripsi, cum jam appararetur Concilium, & fortassis brevi futurum est, & nisi fiat, non video remedium efficax his dissidiis, & tamen nisi fiat aliis rationibus, quam ex recentioribus videntur acta quædam, periculum est ne majus oriatur dissidiorum incendium, aut certe gravior Christianæ pietatis lues. Quod si quis respondeat, nefas esse quicquam admonere nisi viva voce in Concilio, possum objicere tot Orthodoxos, & in primis

Hie-

Digitized by Google

Hieronymum hominem privatum, atque ipſum etiam *Gerſonem* ac *Thomam*, qui tam multa monent extra Concilium, quæ putant conductura Reip. Chriſtianæ, præſertim in hiſce rebus, quæ mutari poſſunt non violato jure divino. Ne quid interim commemorem hoc ipſum aliquoties controverſum eſſe, non dicam inter mei ſimiles, ſed inter Scholas ac ſummos Theologos, quid ſit juris divini, quid non. Hæc præter cauſam adjecimus, cum hîc nihil admonuerim de Sacramentis Eccleſiæ Catholicæ, ſeu ritibus Sacramentorum, ſed tantum de tradenda commendandaque doctrina Euangelica & profeſſione baptiſmi: & hoc ipſum propoſui conſiderandum Eccleſiæ principibus, ut ſi minus probetur, rejiciatur judicium, probetur ſtudium. Equidem nulli præſideo Eccleſiæ, neque me auctore quiſquam Epiſcopus aut Paſtor vel pilum ex veteribus ritibus renovavit. Ad ea quæ ſunt pietatis, ſemper licuit ſemperque licebit hortari.

Supereſt ut audiamus Hipponacteum epiphonema. Sic ait: *Perpendat, inquam, opus eſt* Eraſmus, *quouſque hæc reformidanda quidem ad eum pertingant verba, ut ſua conſulat ſaluti.* His floſculis ludit qui me per contumeliam appellat Rhetorem. Jam perpendi docuique capitulum *ad abolendum*, ne tantulum quidem ad me pertinere, quin potius perpendat *Bedda* cum ſuis an ad ipſum pertineat, ſicut revera pertinet, quod ait Sapiens, *Os, quod mentitur, occidit animam.* Item quod Pſalmographus, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Rurſus *Salomon: Qui congregat theſauros lingua mendaci, vanus & excors eſt, & impinget ad laqueos mortis.* Præterea Eccleſiaſticus, *Noli amare mendacium adverſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias.* Ad hæc quod Paroemiographus ſcribit, *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus, Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Quid eſt in hoc catalogo mali, quod non competat in *Beddam?* Quantus in ſtylo faſtus, quanta vanitas, quas machinas non admovet cor illius, ut *Eraſmum* protrudat in caſtra diverſa? Jam non ſolum agit teſtem fallacem, verum etiam criminatorem, judicem, ac teſtem mendaciſſimum. Quem autem non movet lapidem, ut veteres inter me & *Stunicam* ac *Leum* renovet contentiones, ut cum toto Theologorum ordine, cum omnibus Monachorum gentibus ac populis me committat? Fortaſſis excipiet duo, *Pedes veloces ad currendum in malum*, imo hos pedes habet in animo, qui tam indoctum nec minus virulentum opus præcipitavit in meum, ut putat, exitium, ſed revera in totius nominis Theologici dedecus. Alterum, *manus effundentes ſanguinem.* Sed pro manibus utitur lingua calamoque, nec dubium eſt, quin & manibus ſit idem facturus, ſi liceat. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Qui nec Deum metuens, nec homines reverens audet talem mendaciorum, calumniarum, & convitiorum lernam effundere in proximum, audebit vel veneno, vel ſica perimere, ſi detur commoditas. Et cum hoc animo, quem totus hic liber ſpirat, accedit ad menſam Dominicam, orat, ac ſupputat Domino merita ſua, notat in diario benefacta. Et miramur ſi Deus mota Camarina, voluit hæc impietatis myſteria mundo prodi! Verùm hæc alias. Ut ad rem, perpendat quod in Levitico præcepit Dominus, *Non facies calumniam proximo tuo.* Et in Euangelio *Joannes* Baptiſta militibus præcipit ne cui facerent calumniam, & *Bedda*, columen Theologiæ & *Atlas* Eccleſiæ, tantum calumniarum congeſſit in unum volumen, aperiens os abundans malitia, & lingua ſua concinnans dolos, ſedens adverſus fratrem ſuum loquitur, & adverſus filium matris ſuæ ponens ſcandalum, & perinde quaſi ſcribat *Beguttis* ac fungis ſubinde fumos offundit, atrocium nominum, *Manichæorum*, *Valdonum*, *Beguardorum*, *Wyclevorum*, ad hæc hæreſeôn, Hæreſiarcharum, ſchiſmatum, errorum, anathematum: quoque magis fallat, addit fucos hypocriſeos, zelum, ſtudium ſalutis, Euangelicam caritatem. Interdum orat, Deus miſereatur omnium noſtrum, verùm hæc ita frigide, ut nemo non intelligat eum ludere. Hæc non eſt doctrina Scholaſtica, de qua tantopere gloriatur, ſed latronum & ſicariorum violentia. Et metuendum eſt, ne eveniat quod affectat, hoc eſt, ne vi rem gerens impingat in violentos. Nondum omnes agricolæ mortui ſunt, tum nec ii ferent *Beddaicas* furias, qui *Lutheranas* factiones exſecrantur. Non optandum ut hoc eveniat, ego certe abominor, citiuſque mortem oppetam, quam committam ut per me turbetur Eccleſiæ tranquillitas, tamen hoc oportuit ab his caveri, qui ſe profitentur Eccleſiæ propugnatores.

Sed hæc miſſa faciamus quæ *Beddanis* fruſtra canuntur, prudentes nullo monitore perſpiciunt. Veniam ad ultimum ſcrupulum propoſitionis ſecundæ de reſiliendo. Primum hîc candidus lector perſpiciat, qua moderatione cautioneque rem propono: *Omnia*, inquam, *tentanda ſunt, ne quis reſiliat à prima fide, quod ſi obtineri non poteſt*, &c. Deinde ſi in conſultatione dixiſſem, *mihi ſic videtur*, aut *meo quidem judicio ſic expedit facere*, ſatis eram tutus à calumnia: nunc quod moderatius eſt dico, *fortaſſis expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui animo donec reſipiſcat.* Pro his verbis tam cunctabundis tamque ſuſpenſis, *Bedda* infulcit, *præſumit, docet, tradit dogmata, præſumtione cæcatus, liberum vult baptizatis in infantia poſteaquam adoleverint eſſe, à profeßione Chriſtiana religionis, ſi libet, deficere* Obſecro te, lector, quid hac depravatione malitioſius? imo quid impudentius, cum ipſa verba quæ recitat mea, ultro coarguant calumniatoris improbitatem? Quis unquam dixit cuiquam eſſe liberum à *Chriſto* deficere? Sed non omnes ſuppliciis adigimus, qui quocunque modo deficiunt à Chriſtiana profeſſione. *Bedda* docet omnes homines æterni ſupplicii reos eſſe per judicium univerſale, niſi Chriſtianæ religionis profeſſionem ſuſceperint. Hæc eſſe veriſſima fateor, ſed quorſum huc adducuntur? An quod ego liberem illos gehennæ ſupplicio? quis unquam ſic inſaniit? & tamen *Bedda* me pronuntiat præſumtione cæcatum, ipſe odio plus quam cæcus. Expedire dicitur, quod pro cauſæ circumſtantiis utilius eſt, & *Paulo* non expedit aliquid quod tamen licet. Atque hoc verbum aliquoties uſurpamus, levius malum cum graviore conferentes, velut ſi dicas, *Expediſſet Phariſæis, non audiſſe Chriſti doctrinam ejuſque miracula vidiſſe, levius enim nunc punirentur.* Sic hoc loco dubito utrum malum ſit levius, hominem, qui nullis rationibus induci potuit, ut agnoſceret ſuſceptam profeſſionem, relinquere ſuo animo, non ſimpliciter, ſed donec reſipiſcat, an ſinere illum ſub titulo Chriſtiani nominis Ethnicum eſſe & incredulum, quales heu nimium multos habet Eccleſiæ ſagena! Primum hoc, opinor, mihi cum *Bedda* convenit, neminem cruciatu corporis aut metu mortis adigendum ad Chriſtianiſmi profeſſionem. Fides enim perſuaſio eſt, cogi non poteſt, nec debet. Jam quid intereſt inter eum qui baptiſmo renatus non eſt, & eum qui tinctus infans, nihil credit eorum quæ traduntur in Symbolo, neque quicquam ſervat eorum, quæ ſuſceptores ipſius nomine ſunt profeſſi? Uterque coram Deo æque profanus eſt, niſi quod huic reſipiſcenti, non eſt opus altero lavacro, niſi ſpiritus. Sed qui adolevit in Paganiſmo, fortaſſe citius converteretur ad Chriſtianiſmum, ſi nos nihil intentatum relinqueremus, quam alius qui præter baptiſmum, & quod ipſo inſcio à ſuſceptoribus geſtum eſt, nihil habet hominis Chriſtiani, & tamen pro Chriſtiano habetur, & ſibi quoque videtur Chriſtianus. Quod ſi hic depoſita hypocriſi profiteatur ſe non eſſe Chriſtianæ mentis, diligentius inſtarent omnes ad convertendum illius animum, ſuiſque moribus non perinde multos inquinaret. Nam hac ſpe relinqueretur in numero Chriſtianorum, hac ſpe non excluderetur à ſacris Lectionibus, & concionibus Euangelicis, ut reſipiſceret: quemadmodum & hodie *Ju-*

Digitized by Google

deos sinimus accedere ad Christianorum conciones. Quod si metuitur vita sceleratior, hîc valebunt profanæ leges, si furetur, si occidat, si moveat tumultum, si blasphemiam dicat in *Christum*. Et ab his vitiis nihilo magis abhorrebit, qui sub titulo Christiani nominis celat animum Paganum, hoc etiam illo deterior, quod hypocrisim addit impietati. Sed periculum est ne plures hac aperta fenestra resiliant. Tanto pauciores habebimus fucatos Christianos, & minus erit offendiculorum. Nec hi resilient, sed qui jam resilierant, aut nunquam crediderant, quod sunt profitebuntur. Interim non moveo quæstionem, an parentum ac susceptorum voluntas obliget inscientem. Fingamus enim *Judæorum* aut Paganorum filium infantem furtim à Christianis sublatum, insciis parentibus & reclamantibus si scirent, esse baptizatum, quod olim à Christianis aliquando solere fieri scribit *Augustinus*. Hic si nonquam rescierit se fuisse baptizatum, eoque perstiterit in parentum impietate, nihil retulerit fuisse baptizatum: Sin jam grandis rescierit, nonnulla fuerit dubitatio, num par sit eum suppliciis cogi ad professionem nostræ Religionis, & si pertinaciter recuset, plecti capite tanquam desertorem professæ Religionis.

PROPOSITIO XV.

Quid sunt humanæ professiones (Religionum scilicet) *nisi simulacra quædam professionis sanctissimæ, quæ fit in baptismo? Norunt Monachi suas professiones ceremoniis imitatitiis commendare populo, & sic agunt hanc fabulam, ut nonnunquam erumpant lachryma spectatoribus.*

SUPPUTATIO.

Ad hanc calumniam videor mihi satis respondisse in Divinationibus. Cæterum cum hîc professionem Monachorum conferam cum sanctissima professione quæ fit in baptismo, quomodo dicor infamare statum, perC. fectionem Euangelicam profitentium? Sed è duabus vocibus parum intellectis mihi struit atrocem calumniam existimans *simulacrum* nihil aliud esse, quam inane spectrum, cum oratio recte dicatur simulacrum mentis, ut filius simulacrum patris. Quemadmodum autem per baptismi professionem eximimur à Paganismo, ita per vitæ monasticæ professionem eximimur à mundo relabente ac degenerante à *Christi* præceptis. Et Monachi non illibenter agnoscunt eam professionem dici velut alterum baptismum, eoque commutatur nomen, velut inditur in baptismo, & in adultis aliquando, ni fallor, mutabatur. Spoliant profitentem veste veteri, dant novam, adspergunt aqua sacra, addunt preces, velut imaginem quandam baptismi repræsentantes. Unde eas ceremonias diximus *imitatitias*, probatur nimiC. rum quod rem laudatissimam imitatur. Altera vox est *fabula*, quam ut conjicio *Bedda* putat nihil aliud significare, quam vanum ac ludicrum sermonem. Atqui vox hæc Latina respondet duabus Græcis vocibus, alteri quæ est μῦθος, alteri quæ est δρᾶμα. Jam ut μῦθος Græcis anceps est, ad confictam fabulam, quales sunt apologi, & ad serium verumque sermonem, itidem apud Latinos est *fabula*, unde & à fabulandi verbo non abhorret Euangelium, & *Hieronymus* exponens Epistolæ ad *Philemonem* Caput 1. historiam *Dalilæ* & *Sampsonis* fabulam appellat, *Longum est diversa Judicum gesta percurrere, & totam* Sampsonis *fabulam ad veri Solis*, hoc quippe nomen ejus sonat, *trahere sacramentum*: non quod esset vana, sed quod vulgo narraretur. Quicquid enim vulgo circumfertur sermone populi, fabula dicitur. Idem in Epist. ad *Gal.* Cap. IV. *Paulus Apostolus*, inquit, *qui factus fuerat Judæis Judæus, ut Judæos lucrifaceret, & his qui erant sub Lege quasi esset ipse sub Lege, & infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret, pro qualitate eorum quos salvare cupiebat, mutabat vocem suam, & in histrionum similitudinem (factus siquidem est theatrum mundo, & Angelis & hominibus) habitum in diversas figuras vertebat, & voces.* Non quod id esset, quod se esse simulabat, sed A quod id tantum videretur quod cæteris proderat. Odiosius etiam Romanæ Linguæ peritis *histrionis* quam *fabulæ* vocabulum. Et tamen non veritus est vir sanctissimus hoc tribuere *Paulo* quod ad emphasim sententiæ pertinebat: scribebat enim Eruditis, qui sciunt histrionem nihil aliud sonare quam actorem fabulæ, cum nunc vulgus histrionem appellet eum qui cum reticulo & sphærula plumbea divagatur. Et in Deuteronomio Dominus minatur se populum, ni servet Legem, traditurum *in proverbium & fabulam*. Nam & *Horatius* deplorat se fuisse *fabulam* per urbem, quod esset in ore populi. Idem famulo præcipit, ne Asellæ paternum cognomen vertat B in risum & *fabula* fiat. Rursus apud *Terentium Phormio*, *Et ego quoque olim audivi hanc fabulam*, cum de re vera loquatur. Proinde docti placidas de studiis confabulationes, *litteratas fabulas* vocant. Quanquam autem Poetarum Dramata fere constant argumentis confictis vel figuratis potius, tamen nihil vetat ex veris argumentis contexi Tragœdias & Comœdias, velut si quis ex historia *Thobiæ* faciat Comœdiam, aut ex passione *Christi* Tragœdiam. Si omnis Comœdia ac Tragœdia recte dicitur *fabula*, non quod falsa sit, sed quod agatur per personas, nihil vetuerit & has dicere fabulas. Item δρᾶμα sonat *actionem* à verbo δρᾶν, quod est *agere*, quales sunt *Aristophanis* ac *Terentii*, quæ distinguuntur per Actus: & ad religiosam actionem ea vox pertinet, cum in cereC moniis suam quisque personam agit, quod & olim solet, & hodie fit in ludis sacris. Quin & cultus divinus δραματικὸς est, cum alius præcinit, alius recinit, cumque chorus in duas series divisus, alternis recitat Psalmum, & alias partes agit Sacrificus, alias Diaconus, alias Hypodiaconus, alias Acoluthus, cumque Sacerdos repræsentat *Christum*, Diaconi Apostolos, chorus promiscuam multitudinem, hæc actio Græcis *drama* dicitur, Latinis nonnunquam *fabula*, aut *fabulæ pars*. Unde Grammatici triplex Poematis genus esse docent, *Dramaticon*, *Exegematicon*, & *Mikton*. *Exegematicon*, in quo tantum est persona auctoris recitantis, *Dramaticon*, D in quo tantum loquuntur personæ, *Mikton* quod ex utroque mixtum est. Dramaticum igitur est Canticum *Salomonis*; nihil enim illic dicitur sub persona auctoris, sed aut sub persona sponsi aut sponsæ aut utriusque sodalium. Mixtum est opus *Job*: nec veretur Ecclesia in sacris liturgiis canere de Matre Domini:

Ante thronum hujus Virginis,
Cantate nobis dulcia cantica dramatis.

Hieronymus non veretur verissimam historiam, de qua dubitare sit impietas, appellare *fabulam*, & *Beddæ* mihi movet tragœdiam, quod Monachorum ceremonias appellarim fabulam, nec sine tropo, nimirum quo tragœdiam movere vel agere dicitur, qui rem tristem adfert, aut tumultuose loquitur, & comœdiam adferre dicitur, E qui rem jucundam magis quam atrocem adfert, & tragœdiam dicimus exisse in comœdiam, quoties tumultus habet lætiorem exitum. Quis Latine loquens, non hoc *Lutheranum* negotium appellat tragœdiam, cujus fabulæ, nimium veræ, cum hactenus *Bedda* spectator fuerit, nunc siti gloriæ prosiliit in proscenium, & ipse suas acturus partes. Dicet, quid opus erat tropo? Tropus habebat emphasim, & faciebat ad orationis jucunditatem. Hoc igitur verbum nihil pertinet ad statum Monachorum, sed tantum ad ceremonias, quibus populo commendant quod agitur, quo res videatur sanctior. Nunc audi cæcam *Appii* nostri censuram: *Sacram*, inquit, *ejusmodi observandorum* Christi *consiliorum professionem*, simulacri *nomine vocare, ejusque declarationem & ad illius amplexum suasorium sermonem* fabulam, *impium est, pusillorum scandalizativum, ac cum hæretico* Luthero *divinum & laudatissimum statum impudenter est infamare*. Quorsum hîc attinebat admiscere *Lutheri* C. sermonem? nimirum ut lector simplex crederet aliquid esse cum *Luthero* commune. Atqui *Lutherus*, ut audio, docet, Monachorum statum inventum esse Satanæ, tria vota esse impia, totumque genus hoc esse pestem Christianismi. Quam belle convenit mihi cum *Luthe-*

Jo.,

Digitized by Google

ro, quod ad hanc propositionem attinet. Ego confero Monachorum professionem cum ea professione quæ est omnium sanctissima, hortorque ut quemadmodum illi suas professiones commendant publicis ceremoniis, ita nos in catechismo similibus ceremoniis commendemus adolescentibus totique populo professionem baptismi. Si damnassem Monachorum ceremonias, quid stultius
C. quam eas hìc in exemplum proferre? Sed *Bedda* cohortationem ad professionem vitæ monasticæ, credit à me dici fabulam, cum hac de re ne somniarem quidem cum illa scriberem, ac primum legens, ita mihi faveat *Christus*, non intelligebam quid sibi *Bedda* vellet, donec itefum atque iterum relegens odorarer ridiculum errorem hominis. Quod ni fuisset insigniter hebes, aut ni sinister oculus ille, quo percurrit meas Paraphrases, vehementer lippisset odio proximi, cum dico *aguntfabulam*, vidisset me non loqui de sermone, sed de actione ceremoniarum. Sermo haberi dicitur, agi non dicitur. Age, faciamus illi gratiam vocis non intellectæ, sed quis ignoscat ei, quod vir tantus sua fretus insciti a, nobis tales impingit calumnias, Impietatis, *Luthe-*
V. *ranismi*, impudentiæ, scandali? Et ubi nunc est illa vanissima pollicitatio, quam jactat in Præfatione, Theologorum neminem indigne laturum, si vel *Demosthenica* uteremur eloquentia, modo ne impingamus in dogmata fidei? Nos ob elegantiam non impingimus, sed *Bedda* ob inscitiam Latini Græcique sermonis frequenter impingit in Diabolicum vitium quod est calumnia, unde & Græcis nomen habet. Qui tantam tragœdiam concitat ex vocabulo, cujus vim ignorat, non veretur abuti nomine Religionis præter Veterum & Orthodoxorum omnium consuetudinem. Quod enim dixeram humanas professiones, ille interpretatur, religionum scilicet. Quis unquam veterum Christianorum dixit religiones, nisi forte loquens de variis Gentium superstitionibus, qui diversos Deos Deasque diversis ritibus colebant? Nobis unus est Deus, una lex, unum baptisma, una omnium religio, una est pietas. Quis unquam audivit pietates? Et unde nomen religionum? Ubi hìc erat illa de rebus divinis loquendi religio? Ubi impietas, & scandalum parvulorum quæ nobis impingit? Tali sermone & grandes offendi possent. Quod si varia genera Monachorum significare voluit, poterat appellare sodalitates, instituta, cœnobia, denique quovis verbo potius denotare quam abuti nomine religionis. Demirabor si hic tam turpiter ineptiens, audebit posthac nuda facie prodire in conspectum hominum eruditorum.

PROPOSITIO XVI.

Ex Paraph. in *Matthæum*.

Cap. 1. *Quo homines veteris Legis per anxiam illius observationem vehementius humanis freti præsidiis ad innocentiam & felicitatem contendebant, eo amplius vitiis & cupiditatibus involvebantur.*

SVPPVTATIO.

Ad hanc calumniam in Divinationibus respondimus quod satis est, opinor. Sed *Bedda* noluit per-
C. dere quicquam calumniæ. Primum calumniose, quod sic dictum est ut magis pertineat ad Philosophorum præcepta, leges humanas, & Gentium Religionem,
C. quam ad Legem *Mosi*, torquet quasi proprie dictum in Legem *Mosaicam*, & si de Lege *Mosaica* fuisset proprie loquutus, nulla erat calumniandi occasio. Primum quod illic agam de *Judæorum* vulgo, deinde quod de carnali Legis parte, Judaicaque hujus observatione, quam ideo voco anxiam, quia vacabat gratia & caritate, quæ foras mittit timorem. Non quod nesciam *Paulum* Legem dicere spiritualem, & inter *Judæos* ante *Christi* adventum fuisse complures spirituales & Euangelicæ perfectionis. Quis enim tam impius est ut hoc neget? sed *Judæorum* vulgus neglecta parte Legis spirituali, fidebat corporalibus observatiunculis, quod genus sunt, sacrificia pecudum, delectus ciborum, otia sabbatorum, baptismi, cum interim maderent odio, livoreque erga proximum. Talis erat religio Pharisæorum, qui non ausi sunt in Prætorium ingredi, nec interim veriti sunt innocentem, ac Legis auctorem occidere. Nec tamen hanc legis observationem dixi sensi-ve fuisse tum inutilem per sese, sed imperfectam, perniciosam autem ob fiduciam eorum, qui talibus observatiunculis freti sumebant sibi supercilium perfectæ pietatis: hoc me dixisse declarant illa verba, *humanis præsidiis freti*, utcunque hoc dissimulat *Bedda*. Hos nimirum Legis observatio carnalis reddebat magis impios. Aliis autem infirmioribus Lex erat pædagogus ad *Christum*, nec tamen hæc Legis pars, cui vulgus nitebatur, adducebat eos ad perfectionem. Quod sentire me declarant ea quæ præcedunt locum à *Bedda* notatum. Mea sic habent: *Hanc felicitatem, quam nec humanus conatus, nec laboriosa Philosophorum industria, nec superstitiosa Gentium religio, nec* Mosaicæ *Legis quamlibet diligens observatio præstare potuerunt ad plenum, Deus omnium*, &c. Quod si quem offendit, quod nego Legem ad plenum præstitisse, quod præstitit adveniens Dominus, *Paulum* in jus vocet, qui non veretur Hebræis dicere, *Lex nihil ad perfectionem adducit*, quod *Lex neminem justificat*, quod *Lex infirmabatur*, & *impotens erat*, quod haberet *mandata carnis*, quod esset *Lex mortis*, aliaque his similia locis compluribus. Nec aliter loquuntur Orthodoxi veteres, quoties inter Legem *Mosaicam* & Euangelium faciunt comparationem. Nec inficior hæc habere suum sensum, infirmabatur, non in se, sed in *Judæis*, sive infirmabatur in ea parte quæ carnalis erat. Carnalem voco partem, quæ nunc abrogata est. Quanquam divus *Chrysostomus* audet dicere Legem ipsam ex sese nec puram esse, nec perfectam, si ad Euangelium conferatur, quod à me tamen nusquam est dictum. Ex hujus viri compluribus unum locum, qui forte occurrit, adscribam: is est in concione adversus *Judæos* tertia: *Quanquam alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens immensumque discrimen inveniet, ut juxta comparationis rationem solum hoc purum dici mereatur.* Quodque de lege & gratia dixit *Paulus*, *ne glorificatum quidem fuit quod erat glorificatum propter eminentem gloriam*: idem & hìc jure dixerimus, videlicet quod hoc sacrificium cum illo collatum solum dici debeat purum. Non enim per fumum ac nidorem, non per sanguinem ac redemtionis pretia, sed per spiritus gratiam offertur. Quod si sic loquitur *Paulus* quoties attollit Euangelii gratiam, si sic *Petrus* liberans Gentes onere Legis, si sic *Hieronymus*, & cum his Ecclesiæ probatissimi, cur mihi movetur tragœdia, qui simili studio commendo gratiam Euangelicam? Nec enim in Paraphrasi cursim erat discutiendum, quid interesset inter Legem veterem & Euangelium, quod ab aliis vix longis ambagibus explicatur. Est igitur & hoc manifestæ ca- C.
lumniæ, quod hic asseverat *Bedda*, *Mosen*, *Aaron*, ad veram innocentiam & æternam felicitatem perve- C.
nisse, quasi nos hoc negemus. Item dejerat eos summa diligentia servasse Legis præcepta, quasi nos doceamus Legem non fuisse servandam, aut necessariam
suo quidem tempore. Cæterum quod addit illos anxie V.
Legem observasse, reclamat *David*, qui non veritus est vesci panibus propositionis, contra præscriptum Legis, & *Phinees* non dubitavit occidere duos uno vulnere, cum Lex dicat, *non occides*: & discipuli Domini non metuerunt vellere spicas die sabbati: & ipse Dominus non veritus est sanare ægrotos sabbato, & contingere leprosos, quæ non ausi fuissent qui anxie servabant carnalem Legis partem. Quod si *Bedda* sentit anxiam, id est, trepidam absque caritate & *Blas.* B.
gratia, sermo hujus habet manifestam blasphemiam, nec eam simplicem: addit enim illos humanis præsidiis fretos perveniisse ad æternam felicitatem. Quid magis adversatur omnibus *Pauli* scriptis, omnibus Euangeliis, omnibus Orthodoxorum libris, quam æternam felicitatem humanis præsidiis acceptum ferri debere? Ubi igitur illa gratia, cui *Paulus* adscri-

Digitized by Google

bit omnia? Ubi misericordia quam implorant utriusque Testamenti sanctissimi viri? Quid sonat humana præsidia nisi vires humanas, quid freti nisi confisi? Ut aliquid conferant ad salutem æternam humanæ vires, certe blasphemum est illis confidere. Deinde objicit nobis *Martham*, quæ sollicita fuerit & turbata erga plurima, eamque sic docet fuisse fretam humanis præsidiis, quia *Christus* illi dixerit, *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima*: Idque confirmat auctoritate Pauli, *Qui præest, in sollicitudine*, & *Martha* videlicet præerat iustruendo convivio. Addit testimonium *David*, *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me*. Cum lego censuram, *Propositio hæc manifeste est in fide erronea piarumque offensiva aurium*, &c. imaginor insignem quempiam Theologiæ Doctorem de cathedra pronuntiantem: cum excutio rationes ac testimonia Scripturarum, nihil aliud, ita me *Christus* amet, video nisi febri delirantem. Adeo nihil cohæret, nec usquam deprehendas vel sensum commu-
C. nem. Primum anxietatem, qua voce sum usus, vertit in sollicitudinem, arte qua pollet plurimum. Deinde cum nos agamus de superstitiosa Legis observatione, producit nobis *Martham* sollicitam de parando convivio, quoque *Martha* videatur hoc debuisse cum anxietate facere, citat nobis *Paulum*, *Qui præest, in sollicitudine*, & ait *Martham* præfectam parando convivio. Et ne fortassis non reciperem Euangelii testimonium, addit ex Psalmo, *Dum anxiaretur cor meum*, &c. Obtestor te lector per conscientiam tuam, quis unquam ægrotus somniavit vaniora, quam hic censor Orbi pronuntiat, in fulturam Ecclesiæ ruentis? Ex illo fulgore promissorum titulorum & indicum, hos fumos nobis offundit. Primum demus hoc *Beddæ*, ut quod *Paulus* dicit, *qui præest in sollicitudine*, pertineat etiam ad coquos ac structores, si juxta *Pauli* præceptum *Martha* turbatur erga plurima, cur non defenditur à Domino, sed potius reprehenditur, quod in re corporis plus satis esset sollicita, dum varium apparat convivium, cum simplex ac minus operosum sufficeret necessitati naturæ? Sic enim Græci quidam interpretantur. Cur præfertur *Mariæ* quies, quæ non turbabatur, sed animo tranquillo audiebat Dominum? Quod si vocemur ad allegoriam, esto sane, sit illa sollicitudo in rebus extrariis, quanquam ipse Dominus in his vetuit nos esse sollicitos. Sit *Mariæ* quies in rebus spiritualibus, fateamur oportet unum esse necessarium ad salutem, etiamsi cætera probantur pro tempore. Sed quid sollicitudo in sublevanda pauperum egestate facit ad delectum ciborum, otia sabbatorum, lotiones, mactatas pecudes, vitatos leprosos, de quibus ego loquebar? Non est ceremoniarum sublevare pauperes, sed Euangelicæ caritatis, à qua plurimum abest hic *Beddæ* liber, qui tot calumnias movit in *Erasmum*, cui tamen paupertatem non sublevat quam exprobrat. Sed fingamus, *Martham* fuisse laudatam à Domino, tantum in hoc peccasse, quod plus satis esset sollicita, quodque per errorem judicaret se majus quiddam agere, quam agebat soror. Ubi *Bedda* somniavit illam humanis fretam præsidiis perveniisse ad felicitatem æternam? Si quis nunc percunctaretur *Abraham*, *Mosen*, *Samuelem*, *David*, *Esaiam* cum cæteris Prophetis, *Joannem* Baptistam, matrem *Jesu*, *Petrum* & *Paulum* cum cæteris Apostolis, *Hieronymum* & *Augustinum* cum cæteris Doctoribus, quomodo perveniistis ad innocentiam & æternam felicitatem, quid putas responsuros? Humanis præsidiis nostrisque viribus pervenimus? Nequaquam. Omnes, opinor, uno ore responderent: gratia & misericordia Domini nostri *Jesu Christi*. Tum si quis diceret esse quendam *Beddam*, qui doceret eos præsidiis humanis fretos eo perveniisse, reclamarent eodem ore, *Beddam* illum aliquanto minus sapuisse quam betam. Jam quod ad Psalmi testimonium attinet, non hic repetam varias diversorum allegorias, inter quas nulla est quæ suffragatur *Beddaicæ* calumniæ, testimonium hoc facit contra *Beddæ* sententiam. Sive enim intelligas hanc anxietatem esse tentationum, hoc est, afflictionum Ecclesiæ, sive trepidationem de exitu vitæ, sive diffidentiam operum legalium, pro nobis facit qnod sequitur, *In petra exaltasti me*. Humiles sunt qui serviliter timent, qui fidunt corporalibus observationibus, nec ad spiritum possunt assurgere, sed exaltantur in petra qui est *Christus*, in quo qui sunt humiles, fiunt excelsi, qui trepidi, fiunt audaces. Sic erectus erat *Paulus* cum diceret, *Omnia possum in eo qui me confortat*. Rursum cum ait, *Certus sum enim quod neque mors, neque vita*, &c. *Petrus* cum esset diligens observator Legis, ter abnegavit Dominum, idem facturis cæteris discipulis, si similis incidisset tentatio, sed in uno proditum est exemplum ad omnes pertinens. At posteaquam exsuit anxiam Legis observationem, *cæsus virgis gaudens ibat à conspectu Concilii*, &c. *Paulus* anxius Legis observator, lupum agebat in oves *Christi*, liberatus per gratiam ab hac anxietate, totum Orbem traxit ad *Christum*. Et hanc anxietatem *Bedda* tribuit omnibus Sanctis, ut freti viribus humanis promittant sibi perfectam innocentiam. Perspicuum est me non damnare bona opera, neque docere leges divinas aut constitutiones Ecclesiæ non esse servandas. Sed fortasse tale quiddam docet *Lutherus*. Quid hoc mea? An ideo nobis non licebit ea loqui quæ *Christus*, quæ *Paulus* docuit, si quid docuit *Lutherus* quod non probat *Bedda*? *Scylla* est, dicere nullum esse bonum opus hominis, fateor, sed *Charybdis* est, docere viribus humanis fretos homines pervenire ad æternam felicitatem. Qui medium cursum tenet, incolumis est, sed si deflectendum est, tutius est incidere in *Scyllam Lutheranicam*, quam in *Beddæ Charybdim*. Error illius utcunque attollit Dei gloriam, alter Dei gloriam tribuit viribus humanis. Proinde si *Bedda* sentit quod scribit, major hæreticus est quam *Lutherus*. Verùm ego malim interpretari stuporem aut odii temulentiam quam tantam impietatem. Quam vero doctum, quod hîc probat de præcepto sollicite servando, quoniam *Josue* dixit omni populo, *Estote solliciti ut custodiatis*, &c. Hoc scilicet eramus ignoraturi, nisi *Bedda* nobis hunc locum induxisset, sed in hoc perpetuo peccat quod idem videri vult anxietatem & sollicitudinem. Pharisæorum est reddere conscientias anxias, quo suam tueantur tyrannidem, *Christus* amat conscientias spiritu gratiaque liberas: atque ut fateor esse periculum, laxare habenas vulgo, ita contra *Christi Paulique* doctrinam est, spiritus libertatem opprimere, quod alicubi *Gerson* quoque monet, tametsi Theologus humi fere repens, quod ad verum Christianismum attinet, fortassis aliter sensurus si viveret hac ætate, cui tamen viro magis defuit seculum quàm ingenium, aut industria. Jam quod *Beddæ* pro verbis meæ propositionis, *per anxiam illius observationem*, depravavit, *anxiam illius observantiam*, dissimulari poterat, nisi faceret hoc tam subinde, ac nisi ipse syllabas omnes in meis ac voces calumniaretur. Hoc si factum esset à me, clamaret quantum posset falsarium, præsertim si depravarem ea, ex quibus pronuntiarem errorem in fide. Nec hoc mendæ castigatum est in operis calce, quam legem mihi præscribit, ut quicquid erroris commissum sit in excuso libro, mihi imputetur nisi castigetur in fine.

PROPOSITIO XVII.

Christus Hierosolyma circumcisus est ac purificatus. Cap. II.

SUPPUTATIO.

Hîc cum nihil sit quod pugnet adversus doctrinam catholicam, quoniam hoc incogitanti excidit mihi, monitus mox delevi in proxima Editione quæ jam prostat. Ex hoc nomine *Beddæ* gratiam habeo, habiturus & in cæteris, si de similibus admonuisset, quanquam admonuit odiose. Non est animus tueri, quod dispungendum existimavi. Ineptum est enim hoc asseverare, quod nec docere possis, nec ad rem pertineat,

&

Digitized by Google

& totum hoc quicquid est lapsus, unius dictiunculæ deletione correctum est. Paucis indicabo, quid artis hîc quoque demonstrarit *Bedda*. Objicit ignorantiam. Quam? Quia nesciebam ubi esset circumcisus Dominus. Hoc nec *Bedda* novit. Sed impudentius est quod addit, id quod à me positum erat, rectæ Scripturarum intelligentiæ contrarium esse. Promittit quiddam magnificentius, meam propositionem seipsam interimere. Nunc audiamus Scripturam contrariam: *Christus ac mater purificati fuere, die à partu quadragesimo, & ante eum diem nec puerpera, nec puero fas erat adire Templum.* Lex matrem arcet ab ingressu Templi, de puero nulla est mentio, & tamen *Bedda* de suo adjungit puerum. Jam hunc in modum colligit: *Obviant itaque sibi duo hæc, videlicet quod* Christus *Hierosolymis in Templo fuerit purificatus die quadragesimo, & illic die octavo sit circumcisus.* Hæc ratiocinatio nihilo melior est, quam si dicas, *Petrus* in die Paschæ sacrificavit, ergo non potuit jejunare in Quadragesima. Neque enim usquam dixi *Christum* fuisse circumcisum in Templo, sed *Hierosolymis*, nec dixi deportatum à matre, potuit enim ab aliis deportari, puta à nutricibus. Habemus Scripturæ testimonium. Nunc audi peremtionem: *Puer*, inquit, *nec deportari poterat* Hierosolymam, *quod non posset abesse à mamma matris, nec reportari ob vulnus circumcisionis.* Respondendo dico, poterat infans deferri per mulierem quæ lac haberet in mammis aut in cornu, deinde vulneris dolor non est gravis primo die, sed post exulcerationem. Sed quoniam *Bethlehem* non abest ab *Hierosolymis* nisi non plenis sex passuum millibus, poterat infra duas horas à vulnere esse in sinu matris: non enim erant illa milliaria *Germanica*. Jam an à Chirurgis soleat perpetuo fieri circumcisio nescio, quia non legi hoc scriptum. Hoc tamen si verum est, probabile est *Hierosolymis* fuisse peritiores hujusmodi sectionis. Verùm hæc ludere libuit, quod ait *Bedda* probabilius est, & fateor hoc mihi per incogitantiam elapsum, sine periculo tamen fidei vel pietatis. Cæterum quod hîc *Bedda* censet esse inopinabile quod scripseram, calumnia est: quod adversari Scripturæ divinæ, calumniosius est. Id si verum esset, poterat objicere vel blasphemiam vel errorem in fide. Tum quod adjicit propositionem se ipsam perimere, falsum est, ut docuimus. Ad hæc quod assumit me sentire puerum illuc delatum à matre, vanum est. Rursus quod assumit me sentire pueros nusquam circumcidi nisi *Hierosolymis*, multum abest à vero.

C. V. V.

PROPOSITIO XVIII.

Cap. III. *Christus solus omnium nulla peccati labe contactus fuit.*

SVPPVTATIO.

Huic in Divinationibus videor mihi satis respondisse. De *Christo* prædicavi, quod *Paulus* & Sacræ Litteræ de illo uno prædicant. De matre non erat dicendi locus, cum hæc dicantur sub persona *Matthæi*, cum adhuc viveret mater *Jesu*: & res narratur ejus temporis, quo vix quisquam, exceptis tribus, nosset *Mariam* esse virginem. Quod autem hanc propositionem schismaticam pronuntiat ob decretum Concilii *Basileensis*, si verum dicit, vereor ne Ordo Prædicatorum maxima ex parte schismaticus sit. Jam *Basileensi* Concilio multi derogant auctoritatem, appellantes *acephalon*. De Festo Conceptionis nihil dicam: arbitror tamen Virgini matri longe gratius fuisse futurum, si tali contentione prætermissa, filii reliquissemus arbitrio quomodo matrem suam honorandam judicarit, & quod in hac pugna consumtum est operæ, transtulissemus ad honorem filii, de cujus honore mater magis gloriatur quam de suo. Et utinam sanctissima Virgo haberet tot suarum virtutum imitatores, quot habet dignitatis exaggeratores! Ego profiteor nomen meum inter eos, qui impendio favent honori sanctissimæ Virginis: nec unquam certo sensi illam in peccato originali fuisse conceptam, & contrariam sententiam scriptis edidi, ante annos ferme triginta. Quid de hoc statuerit Ecclesia, mihi nondum ad plenum liquet. Ubi liquebit, mox abjiciam quicquid residet ambiguitatis. Et si maxime liqueat, quod tamen non video quibus argumentis aut quibus Scripturarum testimoniis efficaciter probari queat, non uno modo excludo ignominiam Virginis, quemadmodum demonstratum est in Divinationibus. Quare quod hîc *Bedda* schismatis meminit, mera calumnia est. Quod ait me hîc *Luthero* dextras dare, calumniosum est mendacium. Quod addit, me *Lutheri* sententiam contra honorem immaculatæ Virginis impie concepisse & perniciose edidisse, procacis hominis calumniæ sunt, nisi forte *Paulus* non fuit sapiens, quia tribuit soli Deo sapientis cognomen: aut nisi beata Virgo non fuit bona, quod Dominus in Euangelio Deum solum appellat bonum: aut nisi mortales sunt Angeli, quod *Paulus* de Deo scripsit, *Qui solus habet immortalitatem.* Impium est detrahere laudibus nunquam satis laudatæ Virginis: sed longe periculosissimum est ullam creaturam æquare *Christo*. Ego Filii laudes, juxta *Pauli* doctrinam, extuli, matris honori nihil detraxi: quare sua schismata, suas impietates, calumnias, & convitia, sibi habeat *Bedda*.

C. V. C.

PROPOSITIO XIX.

Cap. IV. Christus *mox postquam à* Joanne *baptizatus est, petit solitudinem, idque facit non hortatu cujusquam, sed suo ipsius spiritu. Nam qui baptizatus est exsuit affectus carnales: & factus regeneratione spiritualis, Spiritus Sancti ducitur & agitur arbitrio. Non meminit* Bethleem, *non repetit* Nazareth, *non redit ad matrem aut nutritium.*

SVPPVTATIO.

Hîc te quæso lector ores pro *Bedda* Dominum, ut ab eo pestem hanc auferat, qui tanta calumniandi rabie laborat, ut nihil omnino pensi habeat. In confesso est quod omnis *Christi* actio nostra est instructio: eoque Dominus multa gessit, non quod ipsi essent necessaria, sed ut nobis ederet exemplum. Sic subinde secessit ad orandum, sic oravit prostratus instante passione, sic veniens ad baptismum implevit omnem justitiam, sic secessit ac tentatus est. Quoniam autem Euangelista dicit eum ductum à Spiritu ut tentaretur, & legitur idem à Spiritu Satanæ sublatus in montem & in pinnaculum Templi, ne quis hoc imaginaretur ab eodem Spiritu factum, juxta sacros Ecclesiæ Doctores, indico eum à suo Spiritu ductum, hoc est, à Spiritu Sancto, non ab impuro Spiritu, cui se postea permisit, neque hortatu hominis, subindicans allegoriam, eum qui se parat Euangelicæ prædicationi, non oportere servire carnis affectibus, sed in omnibus sequi Spiritus cœlestis afflatum. Cedo lector, ecquid vides in hisce verbis blasphemiæ? Atque adeo ne quis suspicetur hæc arte rhetorica deflecti, referam ejus loci tenorem. Cum enim in fine Capitis III. docuissem Dominum *Jesum* à Patre declaratum & consecratum Euangelicæ Theologiæ doctorem, sic auspicor Caput IV. *Ac ne ab his quidem exordiis statim prosiliit ad prædicandum, licet cœlitus auctoritate tradita, sed subito à turbarum oculis subducit sese in solitudinem, quod secessus à populi commercio & auget auctoritatem & acuit desiderium. Eos autem potissimum aggreditur Spiritus ille instigator malorum, qui relictis mundi cupiditatibus, puram ac cœlestem vitam meditantur. Hoc igitur tacite nos docens* Jesus *petit solitudinem, idque facit non hortatu cujusquam, sed suo ipsius Spiritu. Nam qui baptizatus est, jam exsuit affectus carnales, & factus regeneratione spiritualis, Spiritus Sancti ducitur & agitur arbitrio*, &c. Nemo non videt hîc me facti narrationem cum allegoria miscere, ut narratio rei gestæ pertineat ad *Christum*, exemplum facti ad nos: id quod frequenter in hac facio Paraphrasi. Id esse verum, declarant ea verba quæ admisceo, *Hoc igitur tacite nos*

Digitized by Google

docet, id tacite nos docens petit ſolitudinem, indicans & ea quæ præceſſerant ad noſtrum exemplum pertinere, & quæ ſequuntur eodem ſpectare, quaſi moneam lectorem: Obſerva quid faciat Dominus, ut coneris hoc exemplum pro viribus imitari. Hîc cum omnia ſint pie dicta, ni fallor, vide quas calumnias excitet *Bedda*. C. Primum objicit profundam rei Theologicæ ignorantiam: C. deinde errorem in fide: C. mox immanem blaſphemiam. Ait me de *Chriſto* loqui quaſi de puro homine. Quid ſigni? Quod actus ſit in deſertum ſuo ipſius ſpiritu, nullo hominis hortatu. Hoc ſi falſum eſt, doceat *Bedda*, cujus hortatu commotus petierit deſertum. Sed ille colligit me ſentire *Chriſtum* more cæterorum hominum circa agibilia nonnunquam conſultivo eguiſſe diſcurſu, (ſic enim loquuntur Eruditi) aut ad ea quæ agenda erant commonitione provocari: *Alias*, inquit, *etiam ſuo ageret ſenſu, nullis præviis aut prudentiali diſcuſſione, aut alterius exhortatione. Abſit autem ut beata ejus anima ejuſmodi mortalibus auxiliis, hoc eſt, inquiſitione, conſilio, vel provocatione opus habuerit, utpote cui omnium præteritorum, præſentium, atque futurorum, evidentiſſima in creatione collata fuit notitia.* Si hæc *Bedda* non ſcripſit per febrem aut temulentiam, ſcripſit afflatu Satanæ. Ubi eſt in verbis meis quod iſte colligit? Imo debebat potiùs diverſum colligere, Ductus eſt ſuo ſpiritu, nullius hominis hortatu, ergo ut omnia ſciens non eget cujuſquam conſilio, monitu, aut hortatu, ſed ſuo ſpiritu faciebat omnia, quemadmodum ſciebat ab æterno præfinita. Quod autem iſtud ratiocinandi genus eſt, Angelus ſolo voluntatis impetu fertur quo vult abſque motu corporis, ergo Angelus ad motum eget corporis auxilio? Verùm hoc videor innuere *Bedda*, quod aliquando eguerit humano hortatu. Etenim qui dicit, *Bedda* legit totam Epiſtolam abſque conſpicillis, innuit eum aliquando opus habere conſpicillis. Hoc ergo debebat expoſtulare cum Euangeliſta, quamobrem alicubi faciat mentionem Spiritus, alicubi non faciat. Nam & *Joannes* dicit, *Exſultavit Jeſus in ſpiritu*, &, *Infremuit Jeſus ſpiritu*. Sic enim declarat id quod geritur, divinitus geri. Nec iſta differentia pertinet ad animam *Jeſu*, ſed ad diſpenſationem noſtræ eruditionis. Et ſi quid dicitur *Chriſtus* geſſiſſe hortatu cujuſquam hominis, non ſtatim ſequitur eum eguiſſe provocatione, aut conſilio, aut commonitione: ſed ad interpellationem Apoſtolorum abſolvit *Cananæam*, excitatus à diſcipulis ſedat tempeſtatem, ad *Marthæ Mariæque* lachrymas excitat *Lazarum*. Verùm ille præſciebat ab æterno præfinitum, & quid illi eſſent interpellaturi, & quid ipſe eſſet facturus. Non ipſe egebat precibus aut hortatu hominum, ſed homines ipſi. Habebat *Chriſtus* affectus humanos: nam & iratus & miſericordia commotus legitur: verùm eos affectus habebat in manu ſua ſpiritus illius. Quorſum igitur hîc attinebat innectere tantæ impietatis calumniam? Sed *Bedda* voluit infulcire quod in Scholis prævio magiſtro didicit, quaſi nobis iſta nunquam fuerint vel lecta, vel audita. Iſta didicimus ante annos triginta ſex. Nec eſt neceſſe ut hîc tractem Quæſtiones Scholaſticas de anima *Chriſti*. Mihi ſatis eſt, quod ne per ſomnium quidem unquam venit in mentem quod hic impudentiſſime calumniatur, non minus ſine mente quam ſine fronte cenſor. Quanta vero in his verbis balbuties, quanta depravatio? Pro meo hortatu ille ſupponit commonitionem, conſilium, provocationem, conſultivum diſcurſum, prudentialem diſcuſſionem, fumos ac pulverem inſpergens in oculos lectoris, cum ſint meræ verborum inanium præſtigiæ. Vide autem hominis malitiam, in ſchedis, quas ad me miſerat manu deſcriptas, addiderat in margine: *Videndum utrum de* Chriſto *in hac ſecunda oratione loquatur* Eraſmus, *cui littera ejus ſonare videtur*. Tum dubitabat, tametſi non erat dubitandi cauſa: poſt offenſus audacia mea, quod auſus ſim à Theologis flagitare conſilium, pro dubitatore factus eſt impudentiſſimus aſſeverator. Ubi igitur eſt hîc illa deploranda inſcitia rei Theologicæ? An quia neſciebam *Chriſtum* eſſe Deum & hominem? Non dicet, opinor. An quia ſuſpicabar illi eſſe opus humano conſilio quemadmodum nobis? Dico illum ſuo ſpiritu ductum, non alieno hortatu. An quia credidi illum per baptiſmum exſuiſſe carnales affectus? Non poteſt dicere, cum in hac ipſa Paraphraſi reprehendat, quod dixeram *Chriſtum* unum omnium nulla peccati labe fuiſſe contactum, & adeo non egere baptiſmo, ut ipſe peccata tolleret omnium. Quoties autem hoc repeto in mea Paraphraſi! Porro quod dictum eſt de eximendis affectibus, de oblivione patriæ, &c. declarant ea quæ ſequuntur, non ad Chriſti infirmitatem, ſed noſtrum exemplum pertinere. Quid autem hîc novi docuit iſte mirandus Rabinus, quod trium menſium in Theologia tirones ignorent? Ubi eſt error in fide? Ubi blaſphemia quam evomo? Nec his convitiis contentus, addit clauſulam, *Plane itaque*, inquit, *hîc delirat Eraſmus*. Hæc calumnia tam eſt furioſa, ut magis egeat exorciſta quam confutatore.

PROPOSITIO XX.

Chriſtus *inediam ad quadrageſimum uſque diem produxit*, Danielem, Eliam, *ac* Moſen *referens.*

SVPPVTATIO.

Hîc factus civilior ſomnium vocat lapſum meum. Non ego dormivi, ſed ad calumniandum vigilavit *Bedda*. C. Nuſquam enim ſomniavi *Danielem* jejunaſſe quadraginta dies: ſed quoniam jejunio præparatus eſt ad cognitionem myſteriorum, idcirco mentionem illius adjunxi, quem & Hymnus Eccleſiaſticus conjungit cum *Moſe* & *Elia*. Cætera pete ex Divinationibus, quas hîc diſſimulat ſe legiſſe.

PROPOSITIO XXI.

Jam uxor eſſe deſiit, quæ ſe miſcuit alteri viro. Cap. v.

PROPOSITIO XXII.

Nullum volumus eſſe divortium, excepta cauſa ſtupri, quæ pugnat cum ipſa natura matrimonii.

SVPPVTATIO.

Hic locus plenus eſt difficultatum, ita variant antiqui Doctores, etiam ii qui non concedunt iterari matrimonium. Ad hæc multæ rationes ſunt quæ vix ferunt videri probabile, Conſtitutionem Romanæ Sedis congruere cum æquitate naturali. Nec minus difficile eſt expedire, quomodo hujus loci interpretatio ipſa ſecum congruat. Excipit *Chriſtus* fornicationem, neque quicquam præterea: & tamen Romana Sedes ob alias cauſas concedit iteratum matrimonium, in aliis cauſis à *Chriſto* non exceptis, velut ſi conjugum alter prolapſus fuerit in hæreſim, aut quod deterius eſt in Paganiſmum, atque etiam ſi ante carnalem congreſſum alter profiteretur regulam S. *Franciſci*. Jam cum *Judæi* non noſſent aliud divortium, niſi per quod liceret utrique jungi cui vellet, dato libello repudii, non video quomodo nos interpretemur de ſeparatione tori. Præterea cur *Chriſtus* exceperit unam fornicationem, cum ſint alia magis exſecrabilia, ut infanticidium, aut medicamentis accitus abortus, veneficium, non eſt admodum facile expedire. Solus *Auguſtinus* hanc particulam, *Excepta cauſa fornicationis*, vult ad illum tantum pertinere, *facit eam mœchari*. Non enim facit mœcham qui repudiat, ſed jam mœchatam abjicit. Hæc argutia mihi quidem videtur habere acumen, ſed quod, ut inquit *Seneca*, pungat verius quam penetret. Et mirum eſt ſi ille hoc vidit, quod tot *Græciæ* doctiſſimi viri non viderant. Jam an licuerit *Judæis* dato libello ducere aliam abſque peccato, ne inter Scholaſticos ſatis convenit: ac probabilior eſt eorum ſententia qui putant vere licuiſſe; quod Deus expreſſe conceſſit, nihil addens ſignificationis unde cognoſci poſſit, hoc fieri cum culpa. Sunt item alia multa, quæ

quæ-

quæstionum scrupulis agitant animum meum. Ea hîc repetere longum sit: si quis ea velit cognoscere, legat Annotationem meam in 1. *Corinth.* VII. Illic perspicies lector, me quidem optare exactiorem hujus loci discussionem, si fieri possit, tamen nihil aliud vel docere vel docuisse unquam de divortio quam nunc sequitur Ecclesia, sed simpliciter captivare intellectum meum in obsequium Sedis Romanæ. Nec in aliud illa proposui, nisi ut aliquis attentius discussa re, liberet me aliosque mei similes quæstionum scrupulis. Neque enim satis est Theologo, præsertim tali qualis haberi vult *Bedda*, referre nobis Caput *ad abolendum*, aut de suo intertexere parenthesi, *supplendum, causa fornicationis quoad torum*. Theologus excussis collatisque Scripturarum locis, & Veterum opinionibus, debet humanæ constitutionis & interpretationum reddere rationem. Quod si *Bedda* dignabitur legere meam Annotationem, quam indicavi, seque præbere *Tenedium*, ut ajunt, *bipennem*, ut discussis nodis quæstionum liberet animos hominum omni scrupulo, habebitur illi à me plurima gratia. Rursus ex his, quæ respondi *Leo*, perspicuum est me nihil docere quod adversetur Constitutioni Sedis Romanæ. Hoc satis est hîc esse præfatum.

Nunc ad depellendam hujus loci calumniam. Ita pronuntiat censor, *quod in utraque harum propositionum docet* Erasmus, *videlicet conjugium altera partium adulterante sic dirimi, ut non amplius subsistat, sitque soluta pars innocens, plane hæreticum est.* Remitto interim *Beddæ* totum negotium dissolvendi nodos quæstionum: unde docet hoc me sentire quod intentat? In secunda propositione nihil aliud dico quam quod habetur in Euangelio: nisi quod explico causam exceptionis. *Christus in totum vetat divortium, excepta causa fornicationis:* Hoc si hæreticum est, non multum ab-
Blas. est à blasphemia censor, eo quod Euangelium aperte dicit idem quod ego. Sed addo, adulterium pugnare cum ipsa natura matrimonii. Si hoc falsum ait, *Bedda* rursus periclitatur de blasphemia. Nam Deus instituens matrimonium dixit, *Et erunt duo in carnem unam.* Et *Paulus: Quicunque adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Id quod multo magis competit in conjugatos, sicut alibi docet, *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Quod si conjugium ex duobus facit unum, & adulter rursus ex uno facit duo, nonne naturâ pugnat adulterium cum ipsa natura matrimonii? Cum autem variæ causæ referantur, cur Dominus solam fornicationem exceperit, cum sint alia crimina magis intolerabilia, mihi visum est eam ponere quæ cæteris videbatur probabilior. Ergo sublatum est matrimonium? Fateor, quantum ad rigorem Legis. Nam lapidata adultera liber est maritus. Sed humanitas Euangelica favet reconciliationi, & in spem futuræ reconciliationis interdicitur utrique ne se jungat alteri, quod ea res tollat omnem spem reditus in gratiam. Ubi igitur hîc est hæreticus error? An quia separationem à toro voco divortium? Quid piaculi? Nonne cum alter ab altero divertit, divortium est? Nomen est generale divortium, & de amicitia interrupta dicitur, & inter amantes divortium est: denique animæ corporisque divortium est. Verùm offendit illud ex priore propositione, *jam uxor esse desiit, quæ se miscuit alteri viro.* Agnoscebat vulgatissimum tropum *Beddæ*, sed captabat ansam calumniandi. Sic filium esse negamus, qui degenerat à paternis moribus, qui meruit abdicari, & tamen manet naturæ vinculum. Sic Episcopum esse negamus, qui indignus est hoc nomine, & tamen manet consecratio. Sic Christianum esse negamus qui moribus est impiis, & tamen non tollitur baptismus. Ita mihi dicta est uxor esse desisse, quæ se fecisset indignam uxoris nomine. Quod si *Beddam* offendunt verba, non sensus, sciat *Chrysostomum* ab hac sermonis specie non abhorruisse. Siquidem in Commentariis, quos scripsit in Epistolæ ad *Corinth.* prioris Caput VII. causam aperiens quare permittitur uxori ab adultero marito discedere, ab idololatra non item, inter cætera scribit hæc verba: Πάλιν ἐκεῖ μὴ τῶν προγεγενέσθαι ὁ ἀνὴρ οὐκ ἔστιν ἀνὴρ, ἐνταῦθα ἂν κἂν εἰδωλολάτρις ᾖ γυνὴ ἔχει ἀνδρὸς τὸ δίκαιον οὐκ ἀπόλυται. Id est: *Rursus illic quidem post fornicationem vir non est vir: hic vero etiam si cultrix idolorum fuerit mulier, tamen non perdit jus viri.* Et *Hieronymus* in Epist. ad *Ephesios*, Cap. v. loquitur his verbis: *Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum*, Christi *Ecclesia dici potest, nec caput eorum* Christus *est, sic non omne matrimonium, quod non viro suo secundum* Christi *præcepta conjungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium.* Ut igitur est vir non vir, uxor non uxor, ita est conjugium non conjugium. Nec aliud interest, nisi quod post datum repudii libellum non est jus viro repetere quam repudiavit: post discessum privatum, manet reditus in gratiam, absque novo matrimonii contractu. Jam ne qua possim elabi, citat locum ex eadem Paraphrasi Cap. XIX. ubi sic ad verbum loquor: *Scito, quod quisquis ob quamlibet causam abjecerit uxorem, & alteram duxerit, committit adulterium: nisi forte quam repudiat, adulterio meruerit repudium.* Hactenus nihil dico, quod non habeat Euangelium. Sed sequitur, *Nam qua alteri viro sui fecit copiam, jam uxor esse desiit, & matrimonii jus ademit sibi.* His verbis putat me teneri medium, cum potius explicent quod alibi minus explanate dixi, ne quis existimaret per culpam utrumque factum liberum, addo veluti mei ipsius interpres, *Et matrimonii jus ademit sibi.* Jus uxoris est, vivere sub eodem tecto, ibi esse *Cajam*, ubi maritus est *Cajus*, pro sua portione administrare rem domesticam, occupare partem lecti, poscere debitum, frui societate fortunarum omnium. Proinde quæ exigitur ex ædibus, & his omnibus commodis spoliatur in æternum, quod ad ipsam attinet, quæso te, quid habet nisi nomen uxoris? Quanquam ne id quidem agnoscit maritus. Tantum manet locus reconciliationi, quam indulsit Euangelica lenitas. Et hanc ob causam vetitus est novus contractus. Jam quod *Bedda* verba 1. *Corinth.* VII. *His qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, scholiis intertextis, exponit, *supplendum causa fornicationis, & quoad torum*; rursus *Viro suo*, exponit adultero, suo jure facit, cum Veteres interpretentur de aliis offensis, quæ incidunt inter virum & uxorem. Verùm nisi tale commentum nobis obtrusisset, non erat locus calumniæ quam addit: *En rectissima linea decretum Apostolicum* C. *obviat* Desiderii *sententiæ.* Quod si maxime *Paulus* hoc sentiat quod interpretatur *Bedda*, jam docui ad me nihil pertinere, qui nihil ei decreto contrarium trado. Verùm hunc locum insulcire voluit quo videatur legisse *Paulum*: quanquam id poterat absque calumnia. Simili studio insulcit locum ex *Augustino*, quo videatur & hunc legisse. Is rejicit commentum, si quis causetur adulterum haberi pro mortuo, eoque liberum esse mulieri nubere alteri, cum nec illud ad me pertineat. Alioqui probabilior erat causa, virum pro mortuo haberi qui mortem meruit. Hæc cum ita sint ut exposui, tota hæc censura scatet malitiosis calumniis & impudentissimis convitiis; quod doceam esse liberum alteri nubere mulierem, cujus vir commisit adulterium; quod verba *Pauli* de mortuo viro interpreter, C. quoad matrimonium; quod mea sententia pugnat adversus decretum Apostoli, quod ille nobis objicit suis emblematis variegatum. Quanquam ne sic quidem verum est quod ait, quod ego plane sensum hæreticum tenui & sparsi in Ecclesiam. Hæc non pudet Theologum & magistrum pauperum litteris mundo prodere me vivo, cum mea scripta versentur adhuc in manibus C. hominum? adeo satis putat omnibus fore quod hæc scripsit *Natalis Bedda* permissu Facultatis, quæ, ni plane fallor, optaret has censuras nusquam haberi nisi apud salsamentarios. Alioqui proferat venerabilis *Bedda*, quis unquam ex me didicit post matrimonium legiti-

gitime contractum, Christianis licere mutare conjugem? Aut quis unquam hoc me auctore fecit? Verùm *Bedda* semper versatus inter trepidos pueros, inter quos loquitur monosyllaba, *ça*, *va*, *sus*, *point*, *riens*, putat esse ludum libris mundo editis, tam impudentibus sycophantiis impetere famam proximi, ne quid aliud dicam. Et hic est qui nobis legem præscribit, *Quicunque quocunque modo male sentit de quibuscunque Theologis, reddit se de hæresi suspectum.* Sed quo minus omnes bene sentiant de Theologis omnibus, *Bedda Beddæque* similes sunt in causa.

Propositio XXIII.

Apud Judæos *non punitur nisi perjurium. Cæterum qui non interposito jurejurando fallit proximum, impunitus est.*

Propositio XXIV.

Lex Euangelica prorsus damnat omne jusjurandum, ut jam non sit fas jurare.

Propositio XXV.

Non opus est in Contractibus admiscere jusjurandum, aut exsecrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, aut stipulanti fidem faciat.

Propositio XXVI.

Non minus est Christianus simplici nudoque verbo obstrictus, quam Judæus *per omnia sacra dejerans, nec alter minus fidit quam si jusjurandum interceSSisset.*

Propositio XXVII.

Cum in totum vetem jurare, non abrogo legem quæ vetat perjurium.

Svppvtatio.

Egregius calumniandi artifex turba propositionum fumos offundit lectori. Sed arbitror satis esse responsum in Divinationibus. Et si quis quid desiderabit, legat Annotationes meas, & perspiciet me nihil docuisse erroneum in fide aut moribus, ut blaterat *Bedda*. Quid *Lutherus* de jurejurando doceat nescio, quæ scribit *Jacobus Faber* diversa sunt à meis. Quare non onerabo lectorem verbis supervacaneis. Cæterum quod *Bedda* producit nobis *Gratianos*, *Isidoros*, decreta Conciliorum, aliaque similia undique corrasa, quæso, quid aliud agit quam ut *Christi* doctrinam abroget? Si *Christo* placuit jusjurandum inter Christianos, in cassum dixit illa verba, *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, &c. *Sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod amplius est à malo est.* Eadem cum totidem pene verbis præcipiat *Jacobus*, addens *ne sub judicio decidatis*, indicans etiam damnationis periculum esse in jurando, quid agit *Bedda* suis citationibus? Poterat distinguere consilium à præcepto, perfectos Christianos ab infirmis. Nam *Christus* eodem Capite perfectam Christianismi formam præscribit. Poterat distinguere causam, animum & argumentum jurandi. Denique poterat causari de definitione quid esset jusjurandum, de quibus disputo in Annotationibus. Et *Chrysostomus* in Commentariis, quos scripsit in Acta, negat Deum jurasse. Sed *Bedda* præfatus est, se non prospexisse ad meas Annotationes. Quamobrem? Quia non vacabat in tanto calumniandi studio, nec voluit perdere suas censuras. Cum Dominus in Euangelio nihil præcipiat diligentius, quam ne quo pacto juremus, quid volebat *Bedda* dicere Paraphrasten? Dominus quidem vetat jurare, sed hoc est hæreticum, imo debemus in omni contractu interponere jusjurandum, quo sermo sit firmus. Non illic agebatur de consuetudine fori, sed de perfectione Christianismi, qui si adesset, nec Judicibus esset opus, nec Advocatis. Ubi scripsi peccare quisquis jurat? Jusjurandum à malo fatetur & *Augustinus*. Nec excusatur à culpa qui volens jurat, si queat effugere, quod ex *Gratiano* nos docet etiam *Bedda*, *Jacobum* non simpliciter prohibuisse jusjurandum, sed voluntatem jurandi, quoniam dixit, *nolite jurare*. Quanquam hæc argutia non habet locum, cum *Jacobus* Græce scripserit, *μὴ ὀμνύετε*, id est, *ne jurate*. Quale vero bonum est hoc, quod non licet velle? Cæterum visum est hîc censori paulisper frontem exporrigere, ac lectori molestiam excutere: ludit enim mira facetia: *Si non est*, inquit, *fas jurare, vocandus est in jus Angelus ille* Apoc. x. *qui jurat per viventem in secula. Aut igitur peccavit Angelus, aut blasphemus est* Erasmus, *qui Angelo crimen impingit.* Nimirum Angelis non est datum præceptum Euangelicum, qui nec diffidunt cuiquam, nec fallunt, & si jurant, nostræ morem gerunt incredulitati. Sic jurant interdum & perfecti Christiani. Alioqui tempus est ut *Bedda* dicam scribat universis Angelis, quorum nemo servavit hoc præceptum, *crescite & multiplicamini.* Ingens vero periculum, si proficiant eo mores Christianorum, ut simplex oratio non minus valeat quam jusjurandum! Nunc jurantibus ac pejerantibus differta sunt omnia. Saltem illud nos doceat *Bedda:* Cum *Christus* hîc dicat se non venisse ad destruendum, sed ad consummandum Legem, si Christianis commodum & utile est jurare, quod ipse docuit, quid addidit Dominus Legi *Mosaicæ*, quæ ut ipsa vetat perjurium, ita prohibet etiam ne nomen Dei assumamus in cassum, hoc est, ut arbitror in re levi, cum nunc vulgo dejerent ob duas drachmas? In Paraphrasi non erat locus humanis interpretationibus, at in Annotatione in 1. *Corinth.* Cap. xv. doceo quid *Christus* senserit cum vetaret jurare, ea debuisset legere *Bedda*, nisi maluisset ansam calumniandi quam occasionem cognoscendi quid sentirem.

Propositio XXVIII.

Illud doceo vos, pro quamlibet atrocibus injuriis nullam omnino vindictam esse reposcendam, nec damnum damno, nec injuriam injuria retaliandam.

Svppvtatio.

Cum *Christus* doceat suos etiam beneficium rependere pro malefactis, tamen *Bedda* pronuntiat meam propositionem in fide & moribus erroneam. Scilicet cum fungerer officio Paraphrastæ, sic loqui debueram. Error est quod Dominus hîc docet. Imo verus est Christianismus, pro dente excusso excutere decem, & pro impacto palmo, fustem illidere. Verùm jactat se mirifice disseruisse hoc argumentum. Illic enim profert nobis exempla utriusque politiæ, quasi nos de legitimis pœnis agamus, ac non potius de animo referendæ injuriæ damnive. Profert nobis *Christum*, qui ferientem reprehenderit, objicit *Paulum*, qui percussus alapa Judici maledixerit. Quorsum hæc pertinent? Ut intelligamus *Christum* in Euangelio non ex animo fuisse loquutum? Quod ni *Bedda* succurrisset periclitanti Ecclesiæ, metuendum erat ne jam Christiana Respublica nullas haberet rixas, lites, homicidia, pugnas, bella. Reliqua, lector, peta ex Divinationibus, quanquam quid opus? lege Paraphrasim, & exsecraberis hominis petulantiam. Sic enim ingredior hunc locum: *Audistis quia in injuria vindicanda patribus nostris Lex indulserit.* Oculum, *inquit*, pro oculo, dentem pro dente. *Noverat enim animos illorum ultionis avidos. Hactenus igitur coercuit libidinem ulciscendi, ut ex judicum arbitrio delictum talione pensaretur, & oculum amitteret, qui alteri oculum extudisset*, &c. Hæc quæ sequuntur declarant me nec de bellis legitimis, si qua sunt, nec de legum auctoritate, nec de præceptoribus ac parentibus, qui cædunt interdum pueros, nec de Episcopis aut Sacerdotibus, qui carpunt hominum errores, sed de nocendi animo loqui, quem quisquis adfert etiam ad hæc quæ commemoravi, peccat adversus *Christi* doctrinam.

Pro-

Digitized by Google

PROPOSITIO XXIX.

Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.

SVPPVTATIO.

Quæ *Bedda* jactat se scripsisse in Propositionem *Jacobi Fabri* XXVII. super *Matthæum*, ea nihil ad me pertinent. Nunquam scripsi neque sensi Deo placuisse odium cujusquam hominis, sed Legem indulsisse *Judæorum* infirmitati, ne graviora peccarent. Jam an hæc verba, *& odio habebis inimicum tuum*, sint in sacris Litteris, nec-ne, non pugno, licet *Augustinus* enarrans hunc locum putet esse, scribens hunc in modum, *Non quod in Lege dictum est* oderis inimicum tuum, *vox jubentis justo accipienda est, sed permittentis infirmo.* Item *Chrysostomus* tractans hunc locum, fatetur Dominum olim non exegisse ab infirmis, quod suo tempore præcepit jam instructioribus. Si confirmassem esse in sacris Litteris, haberem probatos auctores; nunc non absurde dicitur Lex pro doctrina interpretis, velut à Lege dictum: & sunt in Lege veteri loca quædam, quæ præcipere videntur odium aliarum Gentium. Quod genus est, ne fœdus aut amicitiam inirent cum *Ammonitis* & *Moabitis:* & quod dictum est, *Esau odio habui*, magis pertinet ad prosperitatem rerum temporalium quam ad salutem æternam: his tropis frequenter utitur Scriptura. Legimus Ecclesiastici XII. *Non credas inimico tuo in æternum, sicut enim æramentum æruginat nequitia illius, & si humiliatus vadat curvus, abjice animum tuum & custodi te ab illo: non statues illum pones te, nec sedeat ad dextram tuam, nec conversus stet in loco tuo, ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, & in novissimo cognoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris.* Porro hæc verba, *odio habebis*, non sunt vel prædicentis, vel præcipientis, sed permittentis, quale est & illud, *Irascimini & nolite peccare.* Optimum erat non irasci, sed si continget, cave ne pecces ultra iram. Sic *Judæis* dictum videri potest, si non potes odium penitus ex animo depellere, exerce in inimicum potius quam in amicum. Ad hæc quibus Lex permittit repudium ob quamlibet causam, videtur & odium uxoris indulgere. Item quibus permittit talionis ultionem, videtur & odium aliquo pacto concedere. Nec statim probe fit, quod conceditur, nec tamen pro scelere punitur, quod concedit Lex. Nec admodum repugno, si quis hoc referat ad Pharisæorum interpretationem; licet cætera, quæ confert Dominus, extra controversiam scripta sint in Lege, unde probabile est hoc quoque fuisse scriptum. Ne referam hîc quod *odium* in sacris Litteris multifariam usurpatur: Odit qui aversatur, ut Deus odit omnes operantes iniquitatem. Et *David* perfecto odio oderat impios, cum tamen illis optaret bene, nempe ut resipiscerent. Odit qui affligit ac punit, licet odio vacet, odit patrem & matrem qui illos amore pietatis deserit. Odit animam suam, qui eam exponit periculo studio pietatis. Nec erat igitur necesse, odium interpretari male velle inimico simpliciter, sed affligere eum quo resipiscat. Quod si lex eadem alias & inimico benefacere jubet, non est mirum, si aliud proponit perfectis, aliud concedit infirmis. Non igitur pugnat sibi lex dicens, *odio habebis inimicum tuum*, & *si esurierit inimicus tuus, cibum dato illi.* Hoc enim præcipitur perfectis, illud, ut dixi, conceditur imperfectis. Rursum non consequitur, permisit male velle, ergo permisit male facere. Adstringenda sunt odiosa, si credimus Jureconsultis. Ne illud quidem consequitur, jubebantur allevare jumentum inimici, multo magis ipsum. Insanius est enim ulcisci jumentum rationi expers & innoxium quam hostem. Voluit Deus odium intrà cordis sinus premi, si non posset ejici, nec voluit ad liberos aut jumenta proferri. Jam ne quis in calumniam rapiat, quod alibi pro *odio habebis* scripserim *male velle*, sicut benevolentia nihil aliud sonat Latinis, quam amor, benevolus nihil aliud quam amicus, & bene velle nihil aliud quam amare: ita malevolentia sonat odium, malevolus inimicum, male velle odisse. Odimus quosdam interdum, quos vitamus & aversamur, quibus tamen non optamus quicquam evenire mali. Reliqua, lector, petes ex Divinationibus. Illud non satis intelligo quî conveniat, ut cum alias *Bedda* tam strenue defendat ultionem, cumque Dominus aperte doceat, omnino non resistendum malo, hîc sic abhorreat ab odio etiam inimici? Deinde quî congruit, ut qui nec *Judæis* permittit odium inimici, ipse Christianus ac Theologus tam amaris odiis debacchetur in fratrem & collegam, à quo nunquam fuerat verbo læsus? Sed errores odit, non *Erasmum.* Errores igitur gladio Spiritus jugulare debebat, non convitiis incessere cui volebat mederi. Nunc errores non jugulat, sed fingit, & bene dicta depravans, & quæ dicta non sunt de suo confingens, & quæ in bonam partem accipi poterant, detorquens in deteriorem. *Judæo* non conceditur odisse inimicum, & *Bedda* sic amat fratrem & amicum. Quanquam & hîc quoque in postrema Editione nonnulla moderatus sum, non quod mihi viderentur impie dicta, sed ut excluderem calumniam, cui nunc nihil non patet. Atque adeo vereor ne quo propius accessi ad opinionem *Beddæ*, hoc longius recesserim à sententia *Christi.* Dominus hîc proposuit absolutum exemplar cœlestis illius populi, ad quod Christianis omnibus enitendum est pro sua cuique virili: qui deficit agnoscat imbecillitatem suam, & imploret Domini misericordiam, ne corrumpat exemplar. At vereor ne nos nimium eruditis interpretationibus nostris, quibus conamur *Christum* cum mundo connectere, obruamus Euangelicæ doctrinæ vigorem. Hoc in causa fuit, ut mea Paraphrasis non auderet hîc longius à *Christi* verbis discedere, ne luci Euangelicæ nebulas opinionum humanarum inducerem. Hæc est enim illa catena cœlitus demissa, cui pro viribus adhærendum est, ut nos trahat ad cœlum: nam eam cœlo fixam etiamsi universi mortales conentur in terram detrahere, nihil egerint.

PROPOSITIO XXX.

Lex nihil aliud vetat quam occidere, Jesus exigebat ut nec irascerentur fratri. Cap. VII.

SVPPVTATIO.

Omnium rerum, ut inquit *Homerus*, *quamlibet suavium satietas oboritur hominibus.* At *Bedda* nunquam satiatur calumniando, semper seipsum vincens impudentia. Hanc propositionem vocat terque quaterque hæreticam. Quam ob rem? Quia ex diametro adversatur Scripturæ sacræ. Quî sic? Quia Lex & alia multa vetat præter homicidium. Quæ? Ne quis extundat oculum proximo, ne quis tollat rem alterius, ne quis operetur sabbato, ne quis vescatur anguillis ac suilla, ne quis utatur veste lana linoque contexta, aliaque innumera prohibet Lex, & tamen *Erasmus* asserit nihil aliud vetari quam homicidium. Quis unquam audivit immaniorem hæresim? Hîc scilicet *Beddæ* prototheologo patebat ingens campus enumerandi quæ in Lege ac Prophetis prohibentur præter homicidium. Sed utrum mihi tribuit *Bedda* tantumne oblivionis aut insciitiæ, ut me fugerit hujusmodi multa Veteri Testamento prohiberi, an tantum impietatis, ut sciens pronuntiarim adversus Scripturas divinas, non minus interim stultus quam impius, qui ducentis locis illico possem coargui? Et miror *Beddam* non impegisse legem, quæ paulo ante præcessit, de vetito perjurio. Atqui perjurium non est homicidium: verùm erravi, meminit & hujus prohibitionis, hominem in negotio fidei vigilantissimum. Atqui hoc ipsum debebat admonere, me non sentire de cæteris quæ in Lege prohibentur, sed tantum de consummatione hujus legis quæ est in Decalogo, *non occides.* Cum gradibus, quibus paulatim ad homicidium venitur, eam legem Dominus proposuerat Cap. v. ostendens quantum oporteat abesse Christianum ab ultima linea homicidii. Primus ad homicidium gradus est irasci. Secundus erumpere in *racha*,

Digitized by Google

hoc est, vocem indignationis indicem. Tertius erumpere in manifestum convitium. Huic proximum est homicidium: nam qui victus ira cædit ac vulnerat, jam quantum est in ipso versatur in extrema iræ linea. Hæc igitur inter se conferebam repetens quæ prius contulerat. Nam de extundendo oculo, aut excutiendo dente, tractatum erat in mentione vindictæ. Itaque separavi quod separaverat Dominus, nimirum agens Paraphrasten. Et ubi est vere illud in Scholis decantatum, quo jubemur interpretari sermonem juxta materiam subjectam? Libens autem rogarim *Beddam*, an suspicetur me hoc sensisse quod ipse interpretatur: id etiamsi dejeret, nullus ei crediturus est. Hic igitur appello quicquid est usquam bipedum aut quadrupedum, quis unquam audivit impudentiorem calumniam? Et in sycophantia tam inepta, non contentus est meam propositionem semel appellare hæreticam, repetit & inculcat, credens se peponibus scribere, non hominibus. Additque quod ante fecerat oblitus calumniæ, & Proposit. XXIII. plane esse hæreticam, ubi dicitur, *apud* Judæos *non punitur nisi perjurium*, cæterum qui non interposito jurejurando fallit proximum impunitus est. Hic conferebam juxta doctrinam Christi, *est est*, *non non*, cum jurejurando; non agebatur illic de legibus pactorum aut contractuum. Nec illic lex fraudem & injuriam proprie punit, sed adigit ad præstandum quod promissum erat. Cæterum si quis promitteret se venturum ad cœnam & falleret, quam pœnam irrogaret lex? Sic & convitium punit lex humana, sed non ut homicidium. Erant & levibus delictis præscriptæ purgationes verius quam pœnæ. Hoc loco *Bedda* prætermisit propositionem, quam tamen in Schedis miserat. Ea sic habebat: *Deus vult rogari, ut excitetur nostra pietate, ad præstandum quod non merentur accipere segnes.* Ea si nihil habebat erroris, cur in censura illa terribili cum solum Deum haberet præ oculis recensuit ac sparsit *Lutetiæ?* Sin habebat, cur hîc omisit? Certe non erat indigna quæ inter tales censuras poneretur.

PROPOSITIO XXXI.

Cap. x. *Quinto loco nomina Apostolorum erant* Jacobus Alphæi *filius una cum* Juda Jacobi *filio, qui idem* Lebbeus *sive* Thaddæus *dictus est.*

SUPPUTATIO.

Bedda nondum satis irritatus suspicabatur, calami lapsum esse quod *filio* scriptum esset pro *fratre*. Eam suspicionem cur deposuit? Quia in castigatione, quæ additur in fine, non sit correctus hic locus. Atqui nonnulla sunt quæ depravavit in verbis meis quæ reprehendit, ut suis indicabimus locis, quorum inter castigata nulla fit mentio. Hæc igitur agnoscet ab ipso fuisse falsata. Sciat autem *Bedda* castigationes ejusmodi fere per famulos adjici. His ergo debebat imputare lapsum. Quanquam non est eadem venia docenti & reprehendenti. Verùm hîc admoniti locum mutavimus. Nam forte fortuna tum excudebantur Paraphrases jam ni fallor tertium, & pro *filio* repositus est *frater*, & *Beddæ* monitori gratias egimus. Ne dicat igitur posthac *Bedda* me nulli cedere. Verùm ut ego correxi lapsum calami, ita *Bedda* corrigat vitium animi sui, canatque palinodiam tot convitiorum & scommatum, tot errorum & hæreseôn mihi præter causam impactarum: simulque confirmet me in eo quod monuit, hîc indubitatum esse de *Jacobo* fratre *Judæ*, qui scripsit Epistolam, fieri mentionem. Primùm non arbitror usquam in sacris Litteris in hunc modum addi nomen fratris, sed tantum patris aut mariti, quod & uxor in potestate mariti sit, & filius in potestate patris. Quod si verum est, vix probabile videtur hîc subaudiri posse, *fratem*. Nam alioqui probatio, quam adfert *Bedda*, non habet efficacem demonstrationem, *Judas*, inquit, *in Epistola titulo scribit se fratrem Jacobi*. Verùm *Hieronymus* arbitratur fuisse quendam *Jacobum* ob morum integritatem non ob cognationem dictum fratrem Domini, cognomento *Justum*, primum *Hierosolymarum* Episcopum, qui non fuerit de numero duodecim Apostolorum; hujus frater potuit esse *Judas*, qui patrem habuerit eodem nomine. Quod si *Bedda* mihi objiciet omnes Doctores, *Chrysostomus* ac *Theophylactus* cum appellent illum *Judam Jacobi*, non addunt tamen eum fuisse *Jacobi* fratrem. Nec ausus est hoc ipse *Hieronymus*, tantum addit eum ab Euangelista *Lucæ Judam Jacobi* nominari, cum tamen de cæteris cognominibus diligenter annotarit. Nisi forte *Bedda* putat æquum me gravari auctoritate *Beddæ*, *Rabani*, *Claudiani*, similiumve scriptorum, qui hoc sua tantum auctoritate confirmant, nec ullas adferunt rationes quæ nos urgeant. Quin & illum *Jacobum*, qui in Concilio pronuntiat, & quem *Paulus* ait vidisse se, quidam autumant eundem fuisse quem *Hieronymus* Hierosolymis scribit fuisse 13. Apostolum. Proinde consultius fecisset, si *Beddæ* jussisset omitti quod additum est *filius*, & simpliciter scribi *Judas Jacobi*, quemadmodum scripsit *Lucas*. Omitto interim causari de titulo Epistolæ, qui non habet cognomen Apostoli, quemadmodum nec Epistola *Jacobi*, cum *Petrus* & *Paulus* hujus nominis dignitatem nusquam prætermittant, nisi quod *Paulus* ubi duorum aut plurium nomine scribit, ne videatur se præferre Collegis, omittit cognominis excellentiam. Quod si quis objiciat Epistolam ab *Hebr.* & 1. *Joan.* neutri qui scripsit, præfixit ullum titulum.

PROPOSITIO XXXII.

Paterfamilias, id est, Deus non vult Pseudo-Apostolos & Hæresiarchas exstingui, sed tolerari, si forte resipiscant, & ex zizaniis vertantur in triticum: quod si non resipiscant, serventur suo judicio cui pœnas dabunt aliquando. Cap. XIII.

SUPPUTATIO.

Hic primùm expostulabo cum *Bedda* de falsatione scriptorum meorum, in quibus erat, *serventur suo judici*, quod ille depravavit, *suo judicio*. Nec potest excusare typographorum incuriam, cum ipse legem hanc præscripserit, quod in castigatione non est annotatum, auctori esse imputandum. Ecclesia multos servat suo judici puniendos, quos tamen non relinquit suo judicio, sed increpat, docet, convincit. Ad hæc requiram ab eo, probet-ne Domini parabolam de zizaniis & tritico, an non; Si probat, ut facit, opinor, pergam rogare, probet-ne veterum Orthodoxorum interpretationem, præcipue *Hieronymi* & *Chrysostomi*, an non. Nam horum posterior multis etiam verbis inculcat Dominum prohibuisse ne hæretici occiderentur, inter multa sic loquens: *Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verùm interficere aut trucidare.* Ergo si juxta sermonem Euangelicum, juxta veterum ac probatorum interpretationem recte sum interpretatus, agrum esse Ecclesiam, semen doctrinam Euangelicam, patremfamilias esse Patrem cœlestem, aut si mavis *Christum*, Servos patrisfamilias esse Apostolos ac Præsules Ecclesiæ, Malum hominem esse Diabolum, Zizania esse doctrinam hæreticorum, Messem, seculi consummationem, Messores, Angelos Dei, quorsum attinebat hîc nobis occinere, *Wyclevos*, *Bohemos*, *Lutheranos* damnatos, schismata, Imperatorum, & Ecclesiæ leges? An ego gladium excutio de manibus Principum, quem habent & Ethnici permissù Dei ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. Quanquam & Christianos Principes oportet esse cunctabundos ad occidendum, si queant alia via sanari qui peccarunt. An Episcopis suam auctoritatem eripio, docendi, corripiendi, excommunicandi, & si quod præterea juris habent? Quas autem mihi narrat Ecclesiæ leges? An leges Ecclesiæ sunt quenquam ultricibus tradere flammis? At veteribus Episcopis ultima pœna erat anathema. *Augustinus* & pro *Donatistis* plusquam hæreticis, hoc est, seditiosis latronibus, intercedebat apud Cæsaris Præfectos ne trucidarentur,

tur, addit cauſam, ne non eſſent qui poſſent ſanari, demonſtrans Eccleſiæ profuiſſe pertinaciam hæreticorum. Idem fatetur multos tolerari in Eccleſia laborantes errore in fide, quod non redderent multitudinem in ſe intentam. Nec damnat ſi Deus concitet animos Principum ad coercendos eos qui turbant Eccleſiæ tranquillitatem. Sed quis unquam audivit orthodoxos Epiſcopos concitaſſe Reges ad trucidandos hæreticos, qui nihil aliud eſſent quam hæretici? Hæreticus autem non ferendus eſt *Auguſtino*, qui ob ambitionem aut principatum, aut aliud commodum temporarium colligit erroris ſui diſcipulos. Quod ſi res exeat in ſeditioſos tumultus, & utraque pars clamitet ſe tueri partem Eccleſiæ Catholicæ, re nondum ſatis diſcuſſa, Princeps utramque partem debet compeſcere. Quid autem vetat, ne Princeps hæreticos turbantes publicam tranquillitatem tollat è medio, cum idem jus ſit etiam Ethnico Principi, & idem jus ſit noſtris Principibus in Orthodoxos? Cæſar juſſit puniri hæreticos, ſed addit, legitime convictos & pertinaces. At Epiſcoporum eſt, quod quidem in ipſis eſt, docere, corrigere, mederi. Qualis autem eſt Epiſcopus, qui nihil aliud poſſit quam vincire, torquere, flammis tradere? Quod ſi qui tractant hoc negotium, tales eſſent qualem ſe declarat in hoc libello *Bedda*, hoc eſt, ſi tantum ſpirarent odii, ſi tantum haberent impudentiæ, tam impotens calumniandi ſtudium, tam corruptum judicium, ut videatur citius decem propulſurus in hæreſim, quam unum revocaturus, nonne belle ageretur cum delatis? Niſi fallor, primùm deſignaret, cui male vellet, eum delatum clam curaret rapiendum in carcerem; ibi quærerentur articuli, tales quales plurimos objicit mihi, partim falſos, partim depravatos. Diſputatio, ſi qua fieret, perageretur in carcere: Si quid hiſceret contra, mox accerſitis tribus delectis Monachis pronuntiaretur ſententia definitiva, quod reliquum eſt perageret carnifex. Ubi Theologus defert, rapit in carcerem, urget accuſationem, damnatum tradit Judici profano, Judex non ex ſua cognitione, ſed ex Theologi præjudicio tradit flammis, Theologus velut auctor & exſecutor præſidet ſupplicio, quæſo quantulum abeſt ab effuſione ſanguinis, præſertim ſi res per odium, ambitionem aut avaritiam geratur? Fortaſſe *Bedda* non eſt talis in cæteris item negotiis qualis eſt in hoc libro; attamen talem ego novi quendam, à cujus nomine tempero, quod jam abiit in locum ſuum, infelix ſi talem experitur judicem Deum qualis ipſe fuit aliorum. Hæc nequaquam loquor in favorem hæreticorum, quod hominum genus exſecror, ut ſi quis alius, neque me patrono quiſquam habebit mitius, ſi modo verum cognovero hæreticum, hoc eſt, malitioſe errantem, factioſum & immedicabilem: nec ideo prædico manſuetudinem in hæreticos, ut experiar ipſe, cum *Auguſtino* clamo, *errare poſſum, hæreticus eſſe non poſſum*. Et ita me geſſi in hoc Orbis diſſidio, ut & Cæſari & Rom. Pontifici videar probaſſe ſinceritatem meam, quandoquidem uterque mihi gratias agit, etiamſi quod feci non potui ſine ſcelere prætermittere. Ac fortaſſis ipſum tempus aliquando faciet, ut plures approbent in hoc ſchiſmate ſtudium & animum meum.

Proinde quæ hîc congerit *Bedda*, quod ego doceo tolerandos quamlibet facinoroſos, aliaque dictu atrociora, meræ calumniæ ſunt. Ut Paraphraſtes bona fide quod erat in Euangelio reddidi, non digrediens à veterum Eccleſiæ Doctorum veſtigiis, nec auſus hoc commentum, quod adfert *Bedda*, verbis Euangelicis aſſuere. Res agitur ſub perſona *Chriſti*. Quem igitur ſermonem illi debebat affingere Paraph. Tolle zizania, cum tutum fuerit, & in ignem conjice: nam hoc vociferatur *Chriſtum* ſentire. Sed hoc aperte vetat ne faciant famuli. Quam vero conſtat *Bedda* commentum, cum tuto licebit! Cur igitur Dominus ipſe jubet exſpectari meſſem? Meſſem autem ipſe interpretatus eſt conſummationem ſeculi. Cur vetat ne ante tempus id ſervi faciant, redditque cauſam cur id nolit fieri? Quid autem facient Angeli, ſi interim per ſervos tollantur hæretici? Niſi forte *Bedda* volet hoc de omnibus facinoroſis accipi, quod ego proprie ad Pſeudapoſtolos & hæreticos accommodo. *Sed aliud*, inquit, *nunc facit Eccleſia, aliud docent Pontificum decreta*. Hoc nihil facit ad meam Paraphraſim: neque enim ea dicuntur ſub *Eraſmi* perſona, ſed ſub perſona *Chriſti*, nec dicuntur *hoc ſeculo*, ſed *illo* cum eſſet martyriis plantanda, ſanguine riganda rudis Eccleſia, nec hæc dicuntur multitudini aut Principibus, ſed ſelectis diſcipulis, quibus datum erat noſſe myſterium regni Euangelici. Proinde *Bedda* ſatis calumnioſe recitat ac tractat hæc verba, quaſi nunc à me dicantur, doceamque non eſſe puniendos hæreticos; nec interim diſtinguit inter cenſuras Eccleſiaſticas, & inter capitis ſupplicium civilibus legibus irrogatum: parumque tempeſtive nobis citat Deuteronomii decretum, de tollendo Propheta, quaſi nunc Eccleſia vibraret utrumque gladium. Ad hæc Euangelium, *Dic Eccleſiæ, quod ſi non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & publicanus*, quaſi hîc ulla ſit incendii mentio. Vitari jubentur, non exuri. Rurſus Apoſtolum, *Poſt unam & alteram correptionem devita*. An *devitare* eſt in ignem conjicere? Iterum, *Auferte malum ex vobis ipſis*. Num *auferte* valet idem quod occidite? Id ſi fuiſſet factum, non fuiſſet quem poſterioribus litteris jam correctum commendaret iiſdem *Corinthiis*. Jam quod adfert ex eodem, *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſed ſpiritualia*, &c. facit adverſus id quod *Bedda* propoſuit, niſi forte tam impudens eſt, ut dicat me functionem omnem & auctoritatem adimere viris Eccleſiaſticis. Jam *Petrus* non tulit ſententiam in *Ananiam* & *Sapphiram*, ſed afflatus Spiritu, Dei vindictam denuntiavit. Id ſi placet in exemplum rapere, rapiatur & illud, quod idem *Petrus* excitavit mortuos, umbra ſanavit ægrotos, verbo claudos erexit. Hæc ſæpe fecit, illud non niſi ſemel. Hîc nobis occinitur illud celebratiſſimum dictum, *Vim vi repellere*. Quin potius occinitur illud, quod ſaltem apud Theologos debuit eſſe celebratius? *Non reſiſtere malo*: Et, *non voſmetipſos defendentes cariſſimi*. Jam in omnibus verbis, quæ *Bedda* ſelegit ex *Auguſtini* libris, prætermiſſis quæ faciebant pro diverſa ſententia, nulla eſt mentio de occidendo, ſed de puniendo. Sic puniebantur *Donatiſtæ*, facultatibus, quas habebant illorum Eccleſiæ, translatis ad Eccleſias Orthodoxorum, & actis in exſilium qui non deſinerent turbare publicam tranquillitatem. Poſſem excutere quæ tradit *Auguſtinus* in Epiſt. ad *Bonifacium* comitem: nam ejuſmodi multis utitur argumentis, quibus deberent & *Turcæ* & *Judæi* mortis metu cogi ad fidem, ſi de ſupplicio capitis interpretemur. Verùm hoc non ſentire *Auguſtinum*, arguit quod ait dociles eſſe revocandos, indociles primum metu cogendos, mox docendos. Adduxit exemplum *Pauli* proſtrati, ac mox ad *Ananiam* ire juſſi. Quis docet interfectos? Quis erigit occiſos? In Epiſt. ad *Marcellinum*, quæ eſt numero CLVII. cantionem canit longe diſſonantem ab iis quæ docet *Bedda*: magna enim ſollicitudine agit, ut in eos, qui pluſquam ſupplicio capitis digna commiſerant in Chriſtianos, citra capitis ſupplicium animadverteretur: cujus inter multa ſunt hæc verba: *Si autem nec litteris meis ad hoc conſenſerit, hoc ſaltem præſtet ut in cuſtodiam recipiantur, atque hoc de clementia Imperatoris impetrare curabimus, ne paſſiones ſervorum Dei, quæ debent eſſe in Eccleſia glorioſa, inimicorum ſanguine dehoneſtentur: ſcio enim in cauſa Clericorum Amanuenſium, qui occiſi à Gentibus nunc martyres honorantur, Imperatorem rogatum facile conceſſiſſe, ne illi, qui eos occiderant, & capti jam tenebantur, pœna ſimili punirentur*. An *Auguſtinus*, qui ſicariis *Donatiſtis* vult parci, qui putat ſervorum Dei gloriam inimicorum ſanguine dehoneſtari, ſenſiſſet ſimplicem hæreticum, quamvis pertinacem, flammis exurendum? & tamen ego Principes ad trucidandos hæreticos, nec hortor, nec dehortor. Quid Sacerdotalis ſit officii demonſtro. Verùm ut finiam, quæ hîc multa congerit *Bedda*, confundens omnia, nec diſtinguens Apoſtolicos viros à profanis Magiſtratibus, nec anathema à pœna capitis, nec

Digitized by Google

pœnam capitis à cæteris pœnis, quæ citra vitæ perniciem consistunt, docere studens Principibus esse jus plectendi capite, si malum alio remedio sanari non possit, Ecclesiæ proceribus esse jus anathemate feriendi, qui doctrina monituque corrigi non possunt, Parentibus esse jus castigandi filios suos cum moderatione, nihil ad me pertinet. Hæc enim ipse multis in Paraphrasibus meis dilucide docui, nominatim etiam *Latomo* respondi, suspicionem hujusmodi calumniæ moventi.

Proinde quod toties repetit me cum hæreticis veteribus & novis *Lutheranis* sentire hæreticos non esse puC.V. niendos, quanquam hoc hactenus infirmiter probavit *Bedda*, palam calumniosa vanitas est. Neque enim hoc unquam sensi aut docui, nec in Paraphrasi meam refero sententiam, sed *Christi*: quæ si manifeste exprimitur verbis Domini, si congruunt veterum Ecclesiæ *Blas.* doctorum interpretationes, an non blasphemum est hoc appellare hæreticum & schismaticum, quod verbis Euangelicis exprimitur? Quot blasphemias impegisset mihi, si quid tale deprehendisset in scriptis meis. Vociferabatur cum ego scripsissem mihi videri veteres interpretes nonnunquam in allegoriis ludere; hîc quod omnes Veteres interpretantur non veretur hæreticum ac blasphemum appellare, & sibi ignoscit *Mevius*. Nec aliud mihi potest objici, nisi quod non adjecerim commentum *Augustini*, quo docet ferendos hæreticos, donec citra gravem Ecclesiæ concussionem possint tolli. Sed tolli *Augustinus* intelligit, à communione separari, at ego juxta Veterum sententiam, velli zizania interpretatus sum occidi hæreticos. Duabus autem de causis non addidi commentum hoc. Primum ne volumen crescret in immensum si cœpissem ad humanas constitutiones descendere, quæ frequenter hominem sapiunt, certe ab illa majestate sublimitatis Euangelicæ multum degenerant: deinde quod viderem hoc commentum à probatioribus additum non esse, nec *Augustino* placuisse, nisi cum à *Donatistis* urgeretur, si tamen unquam placuit illos occidi: quanquam ego *Donatistas* inter eos numero, qui vel citra crimen hæreseos meruerint armis Cæsareis coerceri. Itaque satis esse putavi Paraphrastæ, juxta Priscorum sententiam dilucidius explanatiusque dicere, quod clare proposuerat, clarius edisseruerat Dominus, quod reliquum esset commentationum aliis cedens. Neque enim ibi susceperam tractandas perplexas quæstiones, id quod paucis verbis fieri non potest. Sed *Bedda* poterat Constitutiones Pontificum alia ratione tueri citra blasphemiam in *Christum*, citra contumeliam in sacros Ecclesiæ Doctores, citra calumniam proximi, si dixisset eam parabolam proprie pertinere ad viros Apostolicos, hoc est, Ecclesiarum administratores, quorum officium est omnium curare salutem, nulli vitam eripere, deinde parabolam eam peculiarius pertinere ad illa prima tempora, quibus Ecclesia, sub Ethnicis Principibus agens, nullum adhuc habebat jus sanguinis, sed ita dispensante Deo persequutionibus, afflictionibus, mortibus, Principum & hæreticorum insectationibus erat exercenda corroborandaque. Et hunc sensum arbitror esse verum ac germanum, quem mea Paraphrasis sequuta est. Ita *Bedda* mansisset incolume suum commentum cum Romanorum Pontificum Constitutionibus. Verùm hoc dissimulavit, quo locum faceret calumniæ. Et quod Dominus olim dixit selectis Apostolis, instruens eos adversus tempestates ab hæreticis excitandas, hoc *Bedda* fingit nunc *Erasmum* dicere *Lutheranis*, quo illis patrociner.

PROPOSITIO XXXIII.

C. p. XVI. *Petrus dicens Christo*, Tu es Christus Filius Dei vivi, *certa & indubitata sententia professus est illum esse Messiam à Prophetis promissum, singulari quoque amore Filium Dei.*

SUPPUTATIO.

In Annotationibus admoneo hoc loco bis additum articulum, alterum nomini *Filii*, alterum *vivi*, ut & hunc Filium separaret à filiis adoptivis, & hunc Deum vivum separaret à Diis Gentium. Verùm *Bedda* profitetur se non prospexisse ad Annotationes meas, magis intentus calumniæ. Jam prima Editio, quæ prodiit formulis minoribus Anno 1522. cui tantum adfui, habet, *singulari more*, non *singulari amore*. Sed hanc *Beddæ* negabit se vidisse: verùm reclamabunt schedæ, quas primum ad me misit, in quibus numeri paginarum adscripti declarant eum usum hac Editione. Quæ me B res in initio nonnihil torsit, cum enim in cæteris Editionibus fallerent notæ paginarum, in hac tandem comperi. Et si queat hinc elabi, ex Divinationibus, quas misi Facultati, scire poterat hoc esse typographorum incuria non mea commissum. Quod si hîc quoque tergiversabitur, certe dissimulare non poterit, quod hac de re nominatim ad ipsum scripsi. Denique si nec Epistolas meas legit, quibus respondet, ipse sermonis tenor ac forma docere poterat hominem, me non de gradibus amoris, sed de ratione nativitatis loqui. Ut enim omittam quæ præcedunt de Messia, quod sequitur, non finit intelligi de filio adoptivo: *Nullus enim*, inquam, *digne sentit de Filio, nisi Patris instinctu, qui solus novit Filium.* Item quod promittit se sic munitu- C rum palatium suum Ecclesiæ, ut nullis Satanæ machinis queat expugnari, non potest in eum competere, qui nihil aliud sit quam homo. Sed finge scriptum fuisse *amore* pro *more*, quod manifestissimis argumentis docui falsissimum esse, nec id ignorasse *Beddam*, quid poterat suspicari? An me sentire *Christum* non esse natura Filium Dei, sed tantum adoptione voluntatis? Unde id colligit? Quia dixi *singulari amore Filium Dei?* Hoc ipsum, opinor, non negabit esse verissimum: idque tum temporis credere satis erat, pro rudimento fidei. Nihil enim aliud adhuc Pater fuerat professus, *Hîc est Filius meus dilectus*, non dixit naturalis, singularem a- D morem professus est, non *consubstantialitatem*. Cur non mecum incusat *Paulum*, qui *Col.* 1. Dominum vocavit filium dilectionis paternæ? An ideo non est naturæ filius, quia dicitur singulari caritate filius? Imo hoc maximum est argumentum eum germanum esse filium, erga quem parentes maximo ducuntur affectu. *Homusii*, & naturæ verbum nondum erat auditum. Itaque Paraphrastes illic non potui attexere; & tamen attexui quod admoneat lectorem, *Christum* singulari ratione fuisse Filium Dei. Nec est probabile *Beddam* fuisse suspicatum me sentire cum *Arrianis* aut *Origenistis*, qui singulis Operibus meis toties profiteor *Christum* fuisse natura Filium ejusdem cum Patre substantiæ. Memi- E nit quod Apologiis, quibus *Stunicæ* respondeo, Hæc rixa exercuit olim *Laurentium Vallam*, at non meminit quid illic scribam de natura filii. Legit Annotationes *Lei*, at non legit meas responsiones. Saltem Paraphrases legit. Adeo-ne oculus ille sinister non vidit C. quot locis tribuam *Christo* naturam utramque? Ne quid autem habeat quo tergiversetur, ex innumeris locis duo triave citabo. In Caput *Joannis* 1. hæc habet mea Paraphrasis: *Quidam è diverso divinam naturam ei detraherent, mentientes*, &c. Ac mox, *Quomodo Deus verum hominem verum assumserit, ut idem esset utrumque, neque quicquam interim decederet incommutabili naturæ* F *divinæ, & constaret integritas naturæ humanæ.* Et aliquanto post, *Filius itaque dicitur, quod cæteris omnibus par ei unde nascitur, sola personæ proprietate discernitur.* Ac mox, *Non est hæc temporaria nativitas.* Iterum mox, *Et qualis est ipse, talis ab eo semper nascitur Filius, æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo, denique Deus à Deo, nec posterior se gignente, nec inferior, æterna mentis sermo æternus*, &c. Nunc requiro ab oculo *Beddæ*, quo fingit se percurrisse meas Paraphrases, num hæc satis dilucide dicta sint etiam lippis, & an hæc competant vel in beatam Virginem, quam

Digitized by Google

quam *Bedda* libenter æquaret Filio in omnibus, in quibusdam etiam præfert? Et his etiam evidentiora sunt quæ sequuntur inibi. Rursum in *Jo.* Cap. xx. ita loquor; *Jam plena concepta fide exclamavit*, Dominus meus & Deus meus. *Quemadmodum enim fuerat ad credendum difficilior, ita nemo clarius Deum & hominem professus est:* & cætera quæ sequuntur in hanc sententiam. Rursus in Epist. ad *Rom.* Cap. I. inter alia sic loquor, *Sed idem declaratus est eterni Dei eternus esse Filius, juxta Spiritum omnia sanctificantem.* Item in ejusdem Epistolæ Cap. IX., *Siquidem illi quantumvis pii fuerunt, nihil aliud tamen quam homines fuerunt: At* Christus *sic est homo, ut idem & Deus sit, non hujus aut illius Gentis peculiaris, sed universorum Deus.* Hic rursus obtestor oculum *Bedde* quo percurrit meas Paraphrases, satis-ne perspicua videantur hæc esse? Item in Epistolæ ad *Philippenses* Cap. II. hæc scripsimus de Christo, *Atqui ille cum natura Deus esset, atque ipsis factis se Deum declararet*, &c. Hic liberum facimus
V. *Bedde*, utrum insignem agnoscere velit vanitatem cum
C. summa temeritate conjunctam, qui Paraphrases meas, quas jactat se vidisse posteaquam examinandas suscepe-rat, non viderit, sed ex Magistellorum indicio tam procaces censuras scripserit, quod illi non nunc primum fuit objectum: an sceleratam sycophantiam, qui suspicionem tantæ blasphemiæ impegerit, cum sciret
C. me tam evidenter pronuntiasse tot locis sententiam catholicam, etiamsi millies præfetur se non vidisse cæteras meas lucubrationes. Quorsum igitur pertinet illa simulata dubitatio? Sin nobiscum illud catholice sentit, cur illud pro litteræ exigentia non expresserit ipse perpendat. Jam ostendi me expressisse, sed fingat significasse tantum, nonne hoc præstitissem quod exigebat locus? Nec enim satis liquet an Apostoli tum adhuc rudes in fidei mysteriis ad plenum intellexerint illud, *natura Filius & Patri homusios.* Itaque Paraphrastes loco serviens dixi quod erat satis, quod restabat, aliis locis evidentissime declarans. Sed *Bedda* voluit nobis ostendere quod in Scholis didicisset, *Christum* unigenitum ac naturalem esse Filium Dei Patris & consubstantialem, adoptivæ filiationis rationem esse amorem, Filium autem non gigni à Patre per modum voluntatis, amoris aut liberæ voluntatis, sed per naturæ legem, quemadmodum mens fœcunda, suapte natura notitiam in intellectu & non libere producit. Non excutio nunc cujusmodi sint ista, aut quantum ad me pertineant. Hæc si docere voluit, potuit absque calumnia fratris impudentissime captata docere.

PROPOSITIO XXXIV.

Cap. XIX. *Quisquis uxorem dimiserit & duxerit aliam, adulterium committit, nisi forte quam repudiat, adulterio commeruit repudium.* Sequitur, *Nam qua alteri viro sui fecit copiam, jam uxor esse desiit.*

SVPPVTATIO.

Cum hanc propositionem antea censuerit, nec hîc quicquam adferat, quid attinebat repetere? Dicam, ut cresceret numerus Propositionum. Ad hanc calumniam ante respondi, & in Divinationibus nonnihil adjicio.

PROPOSITIO XXXV.

Christus Apostolorum non reprobat responsionem qua dixerant, Si ita est causa hominis cum uxore non expedit nubere, *verùm subindicat non esse tutum vitare matrimonium, nisi si quis ita firmo sit animo, ut possit in totum temperare à coitu. Perpauci autem sunt qui possint, quia id quodammodo vires excedit humanas.*

SVPPVTATIO.

Nunquam eram divinaturus quid hîc offenderet *Beddam*, nisi censura mysterium calumniæ patefeciisset,
V. magnaque statim impudentia vocat me incontinentiæ patronum, cum ipse sim continentiæ professor, & ætate veteranus. Hæc audet iste formosus ac tener adolescens in hominem veteranum, professus & ipse continentiam. Atqui dissimulat quot locis extulerim laudes virginitatis & castimoniæ, & quam optandum prædicarim, ut Sacerdotes ac Monachi prorsus abstineant ab hujus voluptatis contagio, & ostendo viam qua Sacerdotes queant tueri virtutem hanc Angelicam. Hæc cum non paucis verbis doceam in Lib. *de delectu ciborum*, in quem prodidit censuras, tamen perquam facete dissimulat, quasi nihil illic talium sententiarum legerit, & hîc vocor incontinentiæ patronus, & nescio quæ dogmata crepat, cum ego nihil aliud agam quam Paraphrasten verborum *Christi*, à cujus sententia puto me non recessisse. Ait mea verba immodice esse C. perniciosa, quasi laudanda forent si modice essent perniciosa: his frangi animos infirmo[rum] potius quam ut ad perpetuæ castitatis exemplum hortentur. Atqui si totum locum ut habet recitasset, nec arte sycophantica resectis in medio quibusdam, calumniæ centonem consarcinasset, mea verba clamitarent esse vanum quod objicit. Illic præfero castum cœlibatum, sed rem arduam non temere suscipiendam ostendo. Hoc ipse Dominus nos docuit, quod si fieret non haberemus tantam colluviem contaminatissimi cœlibatus. *Christi* sententiam his verbis explico: *Jesus non improbat quidem responsum discipulorum, quos propter Euangelii predicationem cupiebat esse liberos à matrimonii servitute, verùm subindicat non esse tutum vitare matrimonium, nisi si quis ita firmo sit animo, ut possit in totum temperare à coitu, perpaucos esse qui possint, propterea quod hic affectus corporis sic omnium est communis, ut non alius sit violentior aut invincibilior. Quanquam igitur liberius est non alligari matrimonio, tamen tutius est intra conjugii cancellos contineri, quam vago concubitu polluì. Jesus igitur subindicans quid esset optimum & huc invitans præmio libertatis, non audet tamen exigere quod quodammodo vires excedit humanas*, Non omnes, *inquit*, capaces sunt hujus sermonis, *sed hi duntaxat quibus hoc datum est divinitus, quos tantus habet ardor Euangelicæ sanctimoniæ, ut hunc etiam affectum sponte volentesque negligant. Nec enim alioqui laudem habet, quamvis castus cœlibatus, nisi fuerit susceptus studio pietatis Euangelicæ.* Sic habet mea Paraphrasis. Quid hîc offendit *Beddam?* quod matrimonium appello servitutem, cum sit unum è septem Ecclesiæ Sacramentum, & servitutis odiosum nomen pugnare videatur cum Euangelii libertate? Cur non offenditur, quod perpetuam continentiam appello optimum? Hæc dissimulat, quia nihil faciunt ad calumniam. Sed offendit illum dictio paucitatis. Si plures sunt qui continenter vivunt, quam qui utuntur Venere, habet quod inculet. Sin tanta est paucitas continentium, ut vix ullos invenias, impudenter calumniatur de verbo pauci. Sed C. blasphemiæ quoque, ut ait, proximum est, quod ajo paucos esse qui possint: *Facillimum est*, inquit, *si adsit gratia Dei, qui nulli non est præsto si velit.* Apud Ethnicos multi in totum abstinuerunt à coitu, tum viri tum virgines, peculiari quodam naturæ sensu. Verùm paucorum non habetur ratio, quoties generalis agitur tractatio. Et ideo dixi, quodammodo supra vires humanas. Verùm hi sunt Eunuchi de quibus agebat Dominus. Sunt autem plurimi inter Christianos qui volunt continere, nec possunt, sed oppressi violentia carnis prolabuntur, quos tamen non excuso, maxime si liberum est ducere uxorem, aut nubere viro, de Sacerdotibus ac Monachis voto obstrictis hîc non agitur. Sed voluntas hominis non est efficax absque gratia divina eaque singulari; etenim quo gravior est insultus, hoc magis habet præsidio opus divino. *Verùm hac*, inquit, *gratia præsto est omnibus.* Gratia quidem Dei præsto est volentibus ad consequendam salutem, an præsto sit omnibus ad continentiam, *Bedda* viderit, certe *Paulo* non erat præsto ter Dominum roganti, ut liberaretur à Satana colaphista. Si facillimum est continere & si gratia Dei præsto est omni-

Digitized by Google

bus qui velint modo, cur *Paulus* dixit, *melius est nubere quam uri?* Dixisset potius, Volo meos omnes esse sicut ego sum, & possunt omnes facile si modo velint, gratia Dei nulli deerit. Jam ut demus omnes posse, si facillimum est quod ait *Bedda*, cur sancti Patres tot jejunia, tot vigilias, tot alias observationes præscribunt virginibus ac viduis ad custodiam pudicitiæ? Deus non dignatur omnes tam copiosa gratia, qua dignatus est matrem *Jesu*, aut *Joannem* Baptistam: sic operatur in nobis gratia Dei, ut locum relinquat nostro labori. Quam vero facile sit hunc affectum vincere declarat *Benedictus*, qui se nudum conjecit in aquam ac spinas: declarat *Franciscus*, qui multa nive restinxit incendium: declarant alii, qui studio castitatis seipsos exsecuerunt: declarat *Hieronymus*, qui mirandis modis pugnavit adversus carnem spiritui repugnantem, quam & senex, ut ipse fatetur, sentiebat. Libens appellarim & *Beddæ* conscientiam, an ipse sit expertus esse tam facile quam prædicat in totum abstinere. *Hieronymus* vir tam austeræ vitæ fatetur se fuisse lapsum. Ad hæc si gratia Dei facit ut sit facillimum quod præcipitur, facillimum erit quicquid est in præceptis, etiam usque ad martyrium, & falsum erit quod scripsit *Aristoteles*, virtutem circa ardua versari, mentitur & Græcorum proverbium, δυσκολὰ τὰ καλά. Nec video quid sibi velit *Christi* sermo, dicentis viam angustam quæ ducit ad vitam, eoque paucos ambulare per illam. Idem alias ob ingentem difficultatem appellat impossibile divitem intrare in regnum cœlorum. Quin & Sapiens jubet, ut qui accedit ad servitutem Domini stet in timore, & præparet animam suam ad tentationem. *Paulus* ait, omnibus, qui pie volunt vivere in *Christo Jesu*, persequutiones, exsilia, cruciatus, mortes, aliaque dura esse perpetienda. Si hæc omnia facillima sunt, cur tot laudibus celebramus virginum & martyrum gloriam? Jam quod ad perpetuam attinet continentiam, arbitror quibusdam non levius certamen cum innocentia, quam martyribus fuit adversus cruciatus, quod fusius explicuimus in libello, cui titulum fecimus *de comparatione virginis & martyris.* Fateor itaque optimum esse, si quis volens ob amorem pietatis abstineat in totum ab omni libidine. Fateor hoc hominem suis viribus præstare non posse, fateor posse, si gratiæ divinæ suum conatum adjungant. Prius ostendo cum ajo, *sed hi duntaxat quibus datum est divinitus*, posterius ubi dico in sequentibus, *Auferat brabium qui potest, fortiter & ultro certantibus non deerit favor agonotheta.* Hæc mea verba dissimulavit
V. *Bedda.* Falsum est itaque quod ait me dehortari infirmos à studio castitatis, imo potius adhortor ad diffidentiam humanarum virium, & ad implorandum auxilium gratiæ divinæ, dissuadens ne temere suscipiant negotium, cui pares non sunt, sed cogitent illud Pauli, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Et hæc verba *Pauli* debebat emendare *Bedda.* Alius quidem sic vult, alius vero sic vult, quandoquidem reclamantibus uno ore Scriptoribus orthodoxis omnibus docet facillimum esse continere, si quis velit modo. Quid igitur in mea Paraphrasi desiderat censor? Quia dixi paucos id posse quod tamen fateor esse optimum? *Bedda* dicit omnes
B. hoc posse. Expostulet igitur cum *Christo*, qui dixit, *Non omnes capiunt hoc verbum*, atque hoc dixit selectis discipulis, à quibus tamen non exegit hoc ad quod invitavit.

Nunc vide quantum ad me pertineant quæ hîc multa congerit? Objicit mihi *Gersonem* auctorem, facillimum esse continere, ad quod nihil respondeo nisi *Gersonem* esse *Gersonem.* Objicit *Augustinum*, qui videtur optare ut omnes caste vivant, citius enim sic implendam cœlestem civitatem. Ad hoc respondeo, *Augustinum* fuisse bonum virum, & si verum est quod dicit, me idem optare quod optat. Quanquam non satis intelligo quid sibi velit hoc votum *Augustini*, nisi forte conjugatis non patet cœlum. Citius impleretur civitas Dei si optasset, ut & cœlibes & conjugati pie viverent. Nam dictum in favorem virginitatis, quod ubique celebratur, *Matrimonium implet terram, virginitas cœlum*, si à me dictum esset, *Bedda* clamaret hæreticum, qui sentirem solis virginibus patere cœlum. Objicit *Paulum*, qui videtur optare ut omnes essent qualis erat ipse: sed *Paulus* creditur habuisse uxorem cum hæc scriberet. Nec enim se ponit inter ἀγάμους. Ad hæc votum *Pauli* congruebat illi tempori, cum esset adhuc messis multa, operarii pauci, populusque Christianus inter *Judæos* & Ethnicos sparsus erat, ut ita loquar, seminis vice, eoque plures ad *Christum* avocabant à mundo, quo ipsi erant à mundi vinculis liberiores. Huc spectabat *Pauli* votum: nunc tota temporum ratio mutata est. Sed demus *Paulum* fuisse virginem, & optare omnibus tale donum quale habebat ipse, quid hoc ad meam propositionem, an opto diversum? Quod si non facio, nec significo, quorsum V. attinent illa sine mente dicta verba: *Cum igitur omnino adversa euangelizet* Erasmus, *viderit ipse senex*, &c. Quæ sunt ista adversa? Nulla sunt. Sed ista furiosa calumnia *Bedda* adversatur toti doctrinæ & Veteris & Novi Testamenti, non minus quam Spiritus *Christi* adversatur Spiritui *Beelzebub.* Meque hæc legentem, ita *Christus* sit mihi propitius, miseret *Natalis*, qui magno Theologici nominis dedecore, majore totius Reipub. Christianæ detrimento, hæc litteris evulgavit: nec casu, nec temere, nec juvenis, ut aliquid possit excusari, sed Theologus, & quidem *Parisinus*, sed senex, sed perpetuo versatus in Diatribis Theologicis, sed biennium ambiens hujus operis Editionem, postremo tot sociis adjutus. Sed ut ad rem, utrius verba magis adversantur Euangelio, mea, qui doceo præclarum esse continere, sed arduum, eoque non omnium? Nam nec *Christus* hæc loquutus est populo, sed seorsum selectis discipulis, nec tamen ab his exegit, quod erat supra vires hominis, sed libertatis præmio invitavit. *Bedda* dicit esse facillimum, & quemvis posse si velit. Nec est probabile *Christum* voluisse omnes cœlibes, qui honorarit nuptias, & matrimonii Sacramentum ut instituerat ita confirmavit. Non eadem est omnium vocatio, nec totum corpus unicum est membrum. *Christus* ait, *Non omnes possunt capere verbum hoc.* Ego interpretor, quia requirit excelsum animum multaque gratia munitum; *Bedda* interpretatur neminem non posse, si velit. Cæterum quoniam censura tam stolida nondum satis creverat, adjecit aliquid de *Joviniano*, suggerente, nisi fallor, aliquo congerrone: neque enim hæc ab ipso collecta videri possunt, quæ tam male cohærent. Audiamus igitur quid de *Joviniano* scripserit *Augustinus: Joviniana*, inquit, *hæresis sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in urbe* Roma, *ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia nulla suspicio præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur.* Non excutio hæc *Augustini* verba, quæ *Bedda* non intellexit, & si intellexit, ineptissime citat. Tantum hoc agam quod hîc agitur. Appello *Beddam*, an hæc mea propositio, quam depravat, æquet meritum virginitatis cum conjugio, in qua non semel evidenter præfero continentiam, sed continentiam pietatis studio susceptam. Nam plerique istorum, qui nunc continentiam profitentur, longe alio spectant, nimirum ad otium, ad culinam, ad tyrannidem, ad licentius tutiusque peccandum, ad Præbendas & Dignitates, ad Præposituras & Abbatias. Quid autem mirum si ætate *Augustini* dictæ sunt aliquot virgines sanctimoniales nupsisse, cum hoc seculo tot dicantur esse Monasteria, quæ nihil aliud sunt quam publica lupanaria, plura privata, tum in his ipsis quæ maxime probatæ disciplinæ sunt, multo plures sint quæ velum habent, quam quæ virginitatem. Quod equidem dolens refero, atque utinam falso! Quorsum autem attinet hîc conjungere *Fabrum*, *Erasmum* & *Lutherum?* quid *Faber* hac de re doceat nescio, quid *Lutherus* doceat scio, sed quale nihil usquam reperitur

Digitized by Google

tur in scriptis meis, neque quisquam Sacerdos, nec ulla sacra virgo nupsit me auctore, nonnullos in suo instituto confirmavi. Est & illud artis calumniatoriæ, cum nihil habeas quod arguas, insulcire damnata nomina, & addere, *Videat* Erasmus *ecquid simile fecerit.* Imo videat *Bedda* an hujusmodi strophis agat pro Theologo sycophantam, nec mihi imputet si quæ virgines vel resiliunt ab instituto, vel in collegiis secus quam decet sese gerunt, sed parentibus potius, qui minis & blanditiis liberos suos protrudunt in Sacerdotium ac Monachismum, vel Monachis quibusdam, qui callidis artibus rudem ac simplicem ætatem pelliciunt in nassam. Novi quosdam, qui puellas, quibus fuerant abusi, quo res premeretur, sepelierunt in Monasteriis. Isti potius sunt in causa quam ego, quod tam multæ virgines non respondent suæ professioni. Quid autem sibi vult quod subjicit *Bedda*, loquens de libro *Augustini*, cui titulus *de bono conjugali: Opinor autem*, inquit, *quod hæc scribens, nondum viderat quæ in eundem turpitudinis patronum* Jovinianum *scripserat beatus pater* Hieronymus. Nimirum subindicat *Augustinum* nihil boni tributurum fuisse matrimonio, si legisset *Hieronymi* libros. Imo probabilius est *Augustinum* hoc opus adversum *Hieronymum* edidisse, licet nomini pepercerit. Et in *Hieronymi* scriptis de virginitatis laude reperiuntur eadem verba, quæ damnata sunt in *Tertulliano*. Et si divinare licet exemplo *Beddæ*, probabilius est quod *Hieronymus* si novisset horum temporum tam inquinatum cœlibatum; si vidisset inter tot continentiæ professores tam raros esse qui præstarent continentiam, si novisset matrimonium unum esse è septem Ecclesiæ Sacramentis, parcius extulisset virginitatem, ac reverentius fuisset loquutus de matrimonio. Nec his *Beddæ* contentus, adjicit, *Quæ res & adversus Græcissantes hac tempestate Theologos militant.* Quid hîc sensit ingenium *Beddæ*, omnes Theologos, qui Græce norunt, sentire cum *Luthero* & *Joviniano?* Saltem exciperet *Joannem* Episcopum *Roffensem*, ne quos alios commemorem, qui Græcarum litterarum præsidiis adjuti, aliquanto felicius defendunt dogmata fidei quam facit hîc *Bedda*, quo nullus neque Theologus neque non Theologus scripsit infelicius, Ecclesiæ, inquam; nam sibi scripsit felicissime, subito celebris factus Orbi, idque juxta *Thrasonem* Comicum, alieno labore magnam partam gloriam verbis in se transmovens, eo quod habet salem. Cur autem addit, *hac tempestate?* Ne lædat veteres Orthodoxos, qui sine Græcis litteris quid valituri fuerint in re Theologica non video. Quod si tum Græcanica litteratura juvit Ecclesiam Catholicam, quid vetat; quo minus idem nunc efficiat? Sin Græcissantes appellat incontinenter viventes, sunt multi non minus incontinentes ignari Græcarum litterarum. Habebam plurima quæ dicere poteram, sed mihi satis est depulisse calumniam. Cum ego in Paraphrasi nihil hîc scripserim nisi quod docet *Christus*, videat *Bedda* quantum absit à blasphemia, qui hoc appellat hæreticum ac pene blasphemum. Tandem ut rixæ finis sit, quid interest inter *Beddam* & me? Ille facilitatis lenocinio vult quam plurimos præcipitari in professionem continentiæ: ego proposita simul & eminentia virtutis & difficultate, sic firmos invito, ut alios deterream ne temere suscipiant, quod non suscipere liberum est, & susceptum non præstare, turpissimum. Ille vult quam plurimos esse cœlibes, ego volo esse quam castissimos. Ille amat qui profiteantur, ego malo qui sponte præstent.

B.

PROPOSITIO XXXVI.

Nullum est opus hominis ita bonum, ut mereatur præmium vitæ æternæ.

SVPPVTATIO.

C. Hanc propositionem, si Superis placet, appellat hæresim, *Lutheranam*, damnatam, quam tamen vult mihi videri communem cum *Fabro*. Sentit autem, ni fallor, de propositione illius in Epistolam ad *Rom.* 67. Hoc adjecit ne videatur omnino fuisse mentitus quod in Præfatione scripsit, mihi cum *Fabro* fere dogmata esse communia. *Fabri* propositio sic habet: *Non ex operibus salutem attingere possumus, sed Dei electione & gratia illam attingimus, & qui illam ex operibus quærunt, cæci manent.* Quam belle convenit vides, lector, quanquam hoc *Paulus* locis compluribus inculcat, quod damnat *Bedda*. Illud à *Bedda* requiram, an non est axioma per omnes Scholas decantatissimum, *Deum præmiare ultra condignum & punire infra condignum?* Dicet, opinor, esse catholicum. At hoc sane loco nihil aliud à me dictum est. Significo enim nullum hominem absolute bonum esse, itaque nec ullum hominis opus esse perfectum, ut per se sufficiat ad salutem. Sic habent mea verba. Deinde cum de bono percunctatur, non de quovis bono sentit, sed de insigni quopiam bono, quod promereatur vitam æternam: an non confertur hîc insigne bonum cum vita æterna, hoc est, excellentia operis comparatur cum magnitudine præmii, quod est immensum? Sequitur: *Atqui nullus mortalium absolute bonus est, nec ullum est opus hominis quod ita bonum sit, ut mereatur præmium æterna vita.* Cum ajo *ita bonum*, nonne palam exprimo comparationem operis humani cum vita æterna? Unde igitur incidit ista suspicio *Beddæ*, cum in his ipsis Paraphrasibus, quas oculo percurrit, toties faciam mentionem bonorum operum, mercedis & præmiorum; imo cum nominatim Diatriba pugnet adversus *Lutherum*, negantem ullum esse bonum opus hominis, nec ulla Sanctorum merita. Sed fingat me nihil in diversam sententiam scripsisse, sitque hæc propositio hæretica, *homo non promeretur regnum cœlorum de congruo*, sed ut altera sit magis hæretica, quod *homo suis operibus promeretur vitam æternam de condigno*, cum & verba mea possint ad utrumque sensum detorqueri, cur maluit in hanc partem interpretari? Imo cum ex aliis scriptis meis, & ex hoc ipso loco dilucidum sit me Christianam sententiam professum, cur quod bene dictum est detorsit ad calumniam? Sed anxie metuit ne quis parum tribueret meritis humanis. Longe plus periculi erat, ne nimium fidamus operibus nostris, & hanc Charybdim non metuimus.

A

B

C

D

PROPOSITIO XXXVII.

Adolescens, qui Matth. XIX. *à Christo quæsivit* quid boni faciam, ut habeam vitam æternam, *audiverat illum docentem præcepta Legis Mosaica non esse satis ad consequendum regnum cœlorum.*

SVPPVTATIO.

Ait falsum esse, adolescentem audisse à *Christo*. Demus esse speciem temeritatis in eo quod affirmavi quod probabile quidem erat, non tamen expressum in sacris Litteris, unde *Bedda* scit esse falsum, quod nec affirmat nec negat esse falsum historia Euangelica? Non excutiam hîc difficultatem, quod *Hieronymus* contendit hunc adolescentem tentandi animo venisse ad *Jesum*, cum *Marcus* addat, *Et Jesus dilexit eum. Bedda* pronuntiat præcepta Legis *Mosaica* ante proditum Euangelium sufficisse ad regnum cœlorum. Sentit opinor accedente gratia. Ut hoc verum sit, ego non loquor de quibuslibet præceptis, alioqui fides & caritas in Deum continetur præceptis *Mosi*: sed de iis quæ præcipiunt vetantve carnalia, *non occides, non pejerabis, non facies furtum, non facies opus sabbato*, de quibus Dominus disseruerat Cap. v. Et hoc me sentire liquet ex eo, quod probabiliter adjicio juvenem ejusmodi sermones audisse. Nam illa spiritualia, *Diliges Deum & diliges proximum tuum sicut teipsum*, qui maxime videri volebant observatores Legis, minime servabant. Unde quidam annotarunt, juvenem arroganter de se pronuntiasse, cum homo prædives non opitularetur proximo, quod si fecisset, non fuisset æque dives. Et *Hilarius* scribit hunc juvenem gessisse typum

C.

E

F

po-

Populi *Judaici* confidentis in operibus Legis, nimirum extrariis: verba *Hilarii* sic habent, *Juvenis hic namque formam* Judaici *populi habet, & in Lege insolentis, & nihil prater præcepta* Mosi *exspectantis à* Christo, &c. Si hæc verba *Bedda* interpretatur de Legis præceptis universis, juxta *Hilarium* non sufficiebat illorum observatio ad salutem: sin de carnali observatione, nimirum pro me facit. Sed demus usque ad Euangelii prolatam lucem suffeciſſe Legis opera, quid ego peccavi, si dixi tum non suffeciſſe, aut certe in proximo esse ut non sufficerent? jam enim doctrina perfectionis præcedebat. Si *Bedda* sentit de Lege spiritualiter intellecta, illi nihil addidit *Christus*, ut multi volunt: sin de lege carnaliter intellecta, verum est quod colligit, Legis observationem jam non sufficere. Utrumcunque conceſſerit censor, hæret in vado. Porro quod addit nec *Joannem* Baptistam servasse jussa, monita, & consilia, quæ *Christus* post adjecit, ad me nihil attinet, cum existimem *Joannem* Baptistam, si hîc adesset, non adscripturum suam salutem operibus suis, sed gratiæ *Christi*, etiamsi non negarim illius meritis deberi nonnihil, sed ita deberi ut nihil tamen habuerit, pro quo non debuerit agere gratias bonitati divinæ.

Propositio XXXVIII.

Cap. xx. *Omnibus justitiæ cultoribus idem est præmium æterna salutis, modo vocati gnaviter in vinea justitiæ laborarint. Neque enim minus habent qui vocati sunt tempore* Christi, *quam qui tempore* Abrahæ, *aut* Mosi, *aut* David: *neque minus habent qui senes trahuntur ad cultum Euangelii, quam qui pueri aut juvenes.*

Svppvtatio.

Ex hac censura minime liquet quod scripsi esse hæreticum, sed liquidissime patet *Beddam* impudenter omnia calumniari. C. Nec *Fabri* propositiones cum mea conveniunt, nec *Bedda* confutatio facit ad hanc meam. Colligit à me frequenter dictum, vitam æternam gratis nobis à Deo dari, quod alibi forsitan scripsi, pioque sensu dici potest, quod toties dictum est à *Paulo*, certe hoc loco male colligit *Bedda*. Imo interpretor præmium æternæ salutis omnibus ex æquo dari, & priscis, & recentioribus, & *Judæis* in cultu Dei semper versatis, & Gentibus subito ab impia vita ad Euangelii gratiam conversis. Me vero non excludere hîc opera, declarant hæc mea verba, *modo vocati gnaviter in vinea justitiæ laborarint*. Quod autem loquor de summa præmii, non de modo gloriæ, declarat illud, *Idem esse præmium æterna salutis*. Iterum aliquanto post, *In qua qui se gnaviter exercuerunt, his præmium esse vitam æternam, à qua nemo secluditur, qui modo vocatus audiat. Hoc præmium ut non debetur omnino meritis nostris, sed potius beneficentiæ divinæ, tamen non contingit citra conatum nostrum.* Si *Bedda* hæc legit, quid eo calumniantius, qui dissimularit? si non legit, quid impudentius, quam censorem agere in librum quem non legit?

Propositio XXXIX.

Ideo veni, ait Christus, *ut omnium commodis subserviam, adeo ut nec vitam graver impendere, quo jactura unius animæ multas redimam.*

Svppvtatio.

Si hoc verum non est, falsum dixit *Christus*, qui ait se veniſſe ut animam suam daret redemtionem pro B. multis. Idem docet esse perdendas animas, ut in vitam æternam inveniamus eas. Sed offendit *Beddam* quod videar in priore parte accipere animam pro vita corporis, in posteriore pro ipsa animæ substantia. Hoc si nihil vetat fieri, imo si inter schemata Rhetorum refertur traductio, quid habet quod calumnietur *Bedda*? Idem fecit *Christus* in loco modo citato, *Qui perdiderit animam suam*, &c. Quod si contendat aliquis hîc animam utrobique sumi pro vita corporis, belle quadrat. Martyr animam, hoc est, vitam corporis temporariam perdit, ut in resurrectione pro temporaria recipiat æternam. Sic & Dominus impendit vitam pro nobis, ut nobis in resurrectione pararet vitam æternam. Quis autem tam insanus, ut sentiat animam humanam *Christi* periſſe, aut deteriorem factam? Hoc, opinor, nec *Bedda* suspicatus est me sensiſſe. Verùm cum hîc adeo C. nihil esset, quod ullo modo pateret calumniæ, tamen vide quanto supercilio pronuntiet: *Propositio hæc in ea quod dicitur*, quo jactura unius animæ multas redimam, *falso & ignoranter est asserta, nec est à blasphemia multum diversa*. Appello te, lector, an non merito suspectus est de hæresi, qui de talibus Theologis parum magnifice sentit? an non præclare agitur cum Ecclesia quæ talibus fulcitur *Atlantibus?* cumque nec ex verbis meis colligi possit quod vocat in calumniam, nec ipse rem tam absurdam de me suspicari possit, etiamsi non sexcentis locis loquutus essem de anima *Christi*, quæ digna sunt homine Christiano, tamen contra suam ipsius conscientiam mentitur, ex meis verbis plane ostendi quod non loquar de temporali vita corporis, sed de spiritu qui est substantia melior hominis pars. Quid bonæ spei concipiamus de *Bedda*, si horum non pudet? aut quibus legibus regitur *Lutetia*, si hæc impune licent sub nomine Facultatis, quam tamen non accuso, sed *Beddam* arbitror huic imposuisse? Jam illud accedit ad impudentiæ miraculum, quod in Divinationibus ad Facultatem missis explicuerim sententiam meam. Et postea queritur esse qui traducant Theologos. Quis rabula quantumvis maledicus magis possit traducere nomen Theologicum quam *Bedda*, qui hujusmodi calumniis prætexit nomen Facultatis? Et sunt qui studio Theologorum hujusmodi libros curent per Orbem spargendos, & in Exemplaria quamplurima propagandos.

Propositio XL.

Diem & horam ultimi judicii, nec ipse filius hominis novit, hoc sibi soli servavit.

Hanc ut falsam ac blasphemam ante notarat, cum sit oratio non mea, sed *Christi*. Et quasi parum esset D. semel impegisse *Christo* mendacium, repetit hîc.

Propositio XLI.

Non opus, aut locus, aut vita genus beat hominem, sed affectus. Cap. xxiv.

Svppvtatio.

Si hæc propositio in fide & moribus erronea est, *Christus* docuit errorem, cujus verba expono. Sic habet Paraphrasis: *Erunt duo laborantes in eodem agro socii mercedis & operæ, quorum hic assumetur, alter relinquetur. Erunt duæ molentes eadem in mola, quarum una assumetur, altera relinquetur. Quin & è duobus quos idem lectus jungebat, unus assumetur, alter relinquetur. Non enim opus, aut locus, aut vita genus beabit hominem, sed affectus.* Affectum voco pietatem animi; hoc addito satis declaro me loqui de operibus externis. Jam si *Bedda* novit opus, locum, aut vitæ genus, quod sine affectu pietatis beet hominem, ostendat; sin hoc dicere prorsus impium est, agnoscat *Bedda* suam malitiam, & canat suarum censurarum palinodiam. Orabant, jejunabant, dabant eleemosynas, versabantur in Templo, sacrificabant, ambulabant in stolis Pharisæi, tamen à Domino damnantur. Quamobrem? Quia vacabant affectu pietatis. Quem autem morbum mihi prædicat hîc cum *Fabro* communem esse, non video, quando in meis verbis nihil est, sed in *Bedda* verbis multa calumniæ lues. Hic homo festivus censuram claudit joco: *Utinam*, inquit, *non sint similes, de quibus legitur, Curavimus Babylonem, & non est sanata*. Eja, nunc florent gratiæ. Hunc leporem adjecit, quod alioqui censura videretur nimium jejuna. Quanquam sibi potius debebat hanc canere cantionem quam mihi. Nec enim ulli sunt insanabiliores, quam qui Pharisaica sanctimonia fucati, madent vitiis spiritua-

Digitized by Google

tualibus, quibus prætexitur nomen pietatis. Scio quid male habeat *Beddam*: Vult credi omnes qui abſtinent à piſcibus fore ſalvos. Item omnes qui vivunt in ipſius Collegio fore cœlicolas. Rurſus omnes qui geſtant veſtem *S. Brunonis* aut *Franciſci*, quanquam nec illorum ſunt hæc veſtium diſcrimina.

PROPOSITIO XLII.

Chriſtus *ſolus omnium à peccatorum maculis fuit immunis.*

SVPPVTATIO.

Quid de hac definierit Eccleſia, aut quomodo definierit, mihi non ſatis liquet; verùm amoto decreto, *Thomæ* opinio mea ſententia longe probabilior eſt, & ad *Chriſti* gloriam magis conducens. Ad hanc cenſuram ante reſponſum eſt.

Hîc *Bedda* prætermiſit horribilem cenſuram, quod *Servatorem* dixerim pro eo qui adfert ſalutem, & *ſervare* pro ſalutem conferre. Putabat *Paulum* duntaxat debere *ſervatorem* dici, qui ſervavit veſtes lapidantium, & ſervari pecuniam in ſcrinio reconditam. Laudo quod prætermiſit, neque vero gravate fecero illi hujus lapſus gratiam, quanquam cenſor tam in alios iniquus nullam promeretur gratiam. Illud tamen miror, quod non idem fecerit in aliis pleriſque cenſuris, multo quam hæc erat ſtolidioribus.

PROPOSITIO XLIII.

Chriſtus *non auſus eſt octo ex Apoſtolis velut imbecilliores agonis ſui teſtes facere, ne deficerent animis, ſed tres duntaxat ſecum aſſumit*, Petrum *ac duos filios* Zebedæi, *ut quos in monte ſpectatores adhibuerat ſuæ majeſtatis, nunc teſtes haberet extremæ imbecillitatis humanæ.*

SVPPVTATIO.

Bedda pollicitus in Præfatione ſe non indigne laturum, etiamſi *Demoſthenica* uteremur eloquentia, hîc
v. ex Latinæ voculæ cavillatione impingit crimen blaſphemiæ, quod *non auſus eſt* dixerim, pro eo quod erat, non judicavit eſſe tutum infirmis. Nec ſatis erat impingere blaſphemiam, ſed addit, *ſpirat apertam blaſphemiam.* Primum illud requiram à *Bedda*, ſi vere ſentit, aperte blaſphemum eſſe ſermonem hunc, *Jeſus non eſt auſus*, cur non impegit blaſphemiam in cenſura Propoſitionis xxxv. quandoquidem & illic Paraphraſis habet, *Non audet tamen exigere, quod quodammodo vires excedit humanas.* Excuſabit opinor ſe non legiſſe, nec hunc locum, nec illum. Jam novum non eſt in Euangelicis litteris, hujuſmodi tropis loqui de *Chriſto*, propter humanam naturam quam aſſumſerat. Etenim *Joannis* VII. ubi nos legimus, *Non enim volebat in Judæam ambulare*, *Chryſoſtomus* legit, *Non enim poterat.* Id eſſe verum in Annotationibus noſtris declaravimus. Nec aliter videtur legiſſe *Cyrillus*, ſic enarrans, *Ambulabat, id eſt, converſabatur in Galilæa*, quod non ultro nec libenter, ſed neceſſario factum adjecta cauſa oſtendit, *Idcirco enim*, inquit, *in* Galilæa *cum alienigenis longo tempore fuit, quia quærebant ipſum ut interficerent.* Hic certe tropus durior eſt meo. Nam timere infirmis caritatis eſt, non poſſe metu, primum timoris eſt, deinde etiam imbecillitatis, quaſi *Chriſtus* quicquam fecerit non volens. Et apud *Joannem* legimus, *Jeſus non credebat ſemetipſum illis.* Eundem narrant Euangelia fuiſſe turbatum, indignatum, tædio affectum, *Lucas* etiam addit profeciſſe ſapientia & gratia apud Deum & apud homines. Quin & ipſe Deus nondum aſſumto homine legitur iraſci, furere, ignorare, pœnitere, & *Bedda* quaſi nunquam legiſſet ſacras Litteras blaſphemiæ calumniam ſtruit ex tropo longe molliore.
c. Quin eadem opera blaſphemiam impingit ſanctiſſimo viro *Hilario*? cujus hæc de *Chriſto* verba ſunt Canon. 31. *Metuit ne ſe Deum abnegarent, quem cæſum & conſputum & crucifixum eſſent contemplaturi.* Cur non impingit *Chryſoſtomo?* cujus verba ſunt hæc, *Quamobrem alios non ſecum accepit? Ne laberentur & caderent.* An non hæc verba ſunt timentis? Quid autem eſt aliud, *non auſus eſt*, quam timuit ne caderent? Reliqua pete lector ex Divinationibus.

PROPOSITIO XLIV.

Cæteris mulieribus digreſſis à loco ſepulchri Jeſu, *perſeveraverunt illic duæ*, Maria Magdalena, *& altera quædam, ſedentes è regione ſepulchri & exſpectantes quod promiſerat Dominus ſe revicturum.* Cap. XXVII.

SVPPVTATIO.

Hîc aſſumit *Bedda* hæreticum eſſe, ſi quis in Commentariis ex probabili conjectura adjicit aliquid expreſſis in Euangelio. Jam enim toties teſtatus ſum me nihilo plus velle tribui Paraphraſibus meis quam quorumlibet Commentariis. Quoniam autem Euangeliſta duas nominatim recenſet, tacitis cæteris, colligebam eas ſolas ob ſingularem erga Dominum amorem reſediſſe apud monumenti locum. Hujuſmodi conjecturis frequentiſſime ſunt uſi ſacri Doctores in hiſtoria Euangelica, quod genus eſt illud, quod *Gerſon* probabiliter tradit *Joſeph Mariæ* maritum nec fuiſſe ſenem, ut pingitur, nec juvenem, ſed mediæ ætatis, hoc eſt, quadragenarium. At *Bedda* calumniandi ſtudio non aliter agit, quam ſi ego mutarim ſcripturam Euangelicam. Sic enim ait, *Sacram perimens* Matthæi *litteram.* Jam ſi ideo ſenſus meus eſt hæreticus & Euangelio contrarius, quod Euangelium non excludat cæteras mulieres, quanquam hîc ſolas duas nominat, eadem opera pronuntiet hæreticum quod ſcripſit *Gerſon*, qui tantum conjecturis humanis propemodum aſſeverat, cum hujus opinionis nullam anſam præbuerint Euangelii verba. Et tamen hunc locum jam pridem emendatum edidimus, non quod haberet aliquid impium, ſed quod illic minus fuerim attentus. Eat nunc *Bedda* & vociferetur me nulli cedere, qui id fecerim nondum lecta *Bedda* cenſura. Reliqua pete lector ex Divinationibus.

EXCERPTA BEDDAE EX PRAEFATIONE Paraphraſeos in LVCAM.

PROPOSITIO XLV.

De Auctore Epiſtolæ, quæ dicitur Pauli *ad* Hebræos, *ſemper dubitatum eſt.*

SVPPVTATIO.

Primum hîc rurſus probo *Beddam*, quod omiſit horrendam cenſuram, quam notarat in titulum Regis *Angliæ*, ſatis Theologice admonens *Gallos* univerſos ne id ferrent impune. Sed interim non præſtat quod præfatur, nihil illic fore quod non pertineret vel ad mores vel ad fidem catholicam. Nec cauſabor quod mea verba ſecus refert quam à me poſita ſunt. Sic enim habent mea verba: *Pauli, qui ut Doctor erat Gentium, ita ad Gentes ſcripſit omnes Epiſtolas, præter unam ad* Hebræos, *de cujus Auctore ſemper eſt dubitatum.* Ad hanc calumniam quoniam toties reſpondi *Jacobo Fabro*, *Leo*, *Beddæ* in Divinationibus, item in Annotationibus, non eſt cur ea repetens obtundam lectorem. Tantum ſupputabimus quot peccata *Bedda* committat in hac cenſura. Vocat hanc propoſitionem hæreticam & ſchiſmaticam. Id quo doceat eſſe verum, refert hanc Epiſtolam in Concilio *Nicæno* ad numerum Canonicorum librorum fuiſſe receptam. Demus eſſe verum quod narrat *Bedda*, non ego de Epiſtolæ auctoritate dixi dubitatum, ſed de Auctore. Et *Hieronymus* multis locis declarat ne ipſius quidem ætate apud *Romanos* indubitatæ fuiſſe auctoritatis, quod tamen ad me nihil attinet, niſi quod levius eſt dubitare de Auctore quam de auctoritate: gravius eſt omnino neſciſſe Auctorem quam dubitare. Et ſunt aliquot Veteris Teſtamenti libri, quorum auctores prorſus ignorantur: de nonnullis dubitatur etiam

Digitized by Google

ab Orthodoxis. Hactenus igitur calumnioſe mihi impingit falſum & ſchiſmaticum errorem. Addit in tertio Concilio *Carthaginenſi*, cui interfuit *Auguſtinus*, inter quatuordecim *Pauli* Epiſtolas & hanc fuiſſe comprobatam. Demus & hoc eſſe verum: quid tum poſtea? *Ex eo*, inquit, *tempore nemo Catholicus non judicavit illam Epiſtolam eſſe Pauli.* Cur igitur *Auguſtinus*, etiam in his libris quos ſcripſit ſenex, dubitat de Auctore hujus Epiſtolæ? quod eſſe verum multis locis nominatim citatis docuimus non uno in loco. Et ſi tanta erat auctoritas Concilii *Nicæni*, ut totum Orbem obligaret, cur *Hieronymus* audet tot locis de hujus Epiſt. Auctore dubitare? Quin probabilius eſt, nec in Concilio *Nicæno*, nec in *Carthaginenſi* quicquam agitatum fuiſſe de Auctore Epiſtolæ, ſed de auctoritate. Et *Hieronymus* fatetur eam Epiſtolam ab Eccleſiis *Græcorum* recipi ſolitam, ab Occidentalibus pleriſque nequaquam. Quod ſi *Carthaginenſe* Concilium maxime faciat mentionem de *Pauli* 14. Epiſt. ſenſit eas quæ *Paulo* vulgo inſcribuntur. Verùm Eccleſia titulum hunc pronuntiat in Templis. Itidem & ipſe cito ac recito. Ergo nulli licet dubitare de titulo? Sic oratio de Virgine aſſumta recitatur in Templis nomine *Hieronymi*. Num ideo fas non eſt de titulo dubitare? Si *Bedda* nos hac urgeat lege, proferemus multa quæ recitantur in Templis, de quibus dubitare non eſt hæreticum. Non jam loquor de titulo, ſed de veritate. Porro quod *Bedda* citat hìc univerſalem Eccleſiam, difficillimum fuerit illi probare. Ad hæc ſcripſi, *ſemper fuiſſe dubitatum*, non ſcripſi, *ab omnibus dubitatum*, & arbitror omnibus ſeculis fuiſſe doctos, qui de hujus Epiſtolæ Auctore dubitarint. Et ipſe, ut ingenue fatear, adhuc dubito, non de auctoritate, ſed de Auctore, hoc eſt, Scriptore, dubitaturus donec expreſſum Eccleſiæ judicium ſuper hac re videro: neque enim *Nicænum* Concilium aut *Carthaginenſe* ex ſeſe obligabat univerſalem Eccleſiam. Ad hæc donemus perperam de Auctore dubitatum eſſe, quid hoc ad me? non enim pronuntio recte an perperam fuerit dubitatum. Unde igitur *Bedda* demonſtrat eſſe falſum quod ſcripſi? Feſtivum eſt autem quod hìc objicit nobis *Origenem*, quem alias magnifice contemnit. *Origenes* dixit eſſe *Pauli*, ſed idem *Origenes* indicat multos dubitaſſe, cumque hoc *Hieronymus* & *Auguſtinus*. Quin *Bedda* in argumento Epiſtolæ ad *Hebræos*, (nam huic plerique tribuunt) velut dubitans loquitur, *Hanc ergo Epiſtolam fertur Apoſtolus ad* Hebræos *conſcriptam*, &c. Videat igitur *Bedda* quam verum ſit quod aſſeverat, mille centum annis & eo amplius Orthodoxos non dubitaſſe de Auctore Epiſtolæ. Quorſum autem attinebat id, quod impudentiſſime ſcripſerat in prima cenſura, hìc repetere, Nec *Ambroſium*, nec *Hieronymum*, nec *Auguſtinum*, nec *Gregorium*, nec quenquam recentiorum de hujus Epiſtolæ Auctore dubitaſſe? cum ego tot teſtimoniis docuerim & *Hieronymum* & *Auguſtinum* dubitaſſe. Si non legit mea, certe videri vult legiſſe *Auguſtinum* & *Hieronymum*. Jam & illud manifeſtam habet & vanitatem & calumniam, eum quatere fundamenta fidei, qui dubitat de Epiſtola ad *Hebræos*, cum tot ſint in Canone, libri de quorum Auctore dubitatur & hodie. Imo non opinor periclitari fidem, ſi tota Eccleſia fallatur in titulo hujus Epiſtolæ, modo conſtet Spiritum Sanctum fuiſſe principalem Auctorem, id quod interim convenit. Ex hac re quæſo quod ſchiſma naſci poſſit, niſi per *Bedda* ſimiles, qui quavis ex re ſuſcitant ingentes tragœdias?

PROPOSITIO XLVI.

Deus Pater emiſit Sermonem ſuum, qui cœleſti medicina liberaret univerſos ab omnibus animarum morbis, tantum ut morbum agnoſcamus, & fidamus medico.

SUPPUTATIO.

Ad hanc calumniam reſpondimus in Elencho & in in Divinationibus. De *Sermonis* vocabulo Libello peculiari ſatis reſponſum eſt etiam impudentiſſimis, *Beddæ* tamen calumnia quam illorum eſt impudentior, quod hìc non in Euangelio, ſed in meo ſermone, Dei Filium voco *Sermonem*. Quod ſi curioſa vanitas eſt, quam multos Eccleſiæ Doctores perſtrinxit hoc convitio! In altera parte manifeſta eſt calumnia: neque enim hæc dictio, *Tantum*, excludit vel pœnitentiam vel bona opera, ſed differentiam criminum quæ præceſſerunt baptiſmum: loquor enim de adventu *Chriſti*. Ad hæc cum *tantum* ſit nihil aliud hìc Latinis quam *dummodo*, quid carpit *Bedda?* niſi forte vult hominem liberari à peccatis per gratiam Euangelii ſine fiducia de *Chriſto*: quo quid eſſe poteſt magis hæreticum? Bellum vero quod hìc nobis decantat aliquot loca, *Pœnitemini*, *pœnitentiam agite*, &c. in quibus videtur accipere *pœnitentiam* pro macerationc corporis, cum ſit animi reſipiſcentia. Quis autem dixit adultum per baptiſmum purgari, niſi reſipiſcat à priore vita, ſi quid tamen admiſit pœnitendum? Jam illud nos doceat *Bedda*, an olim iis qui veniebant ad baptiſmum, antequam purgarentur, indici oportuerit laborioſas actiones pro peccatis quæ ante baptiſmum commiſerant, ſic ut non ſuffecerit mutatus animus, & fides erga *Chriſtum*. Hìc igitur cum nihil omnino ſit quod excludat vel reſipiſcentiam, quam Euangelium vocat pœnitentiam, vel bona opera, ſed requiratur fides ſine delectu prioris vitæ, tamen *Bedda* miros tumultus excitat in neſcio quos mei ſimiles, qui per Linguarum peritiam conantur inducere novam Theologiam. Primùm illud inſignitæ vanitatis eſt, quod conamur inducere novam Theologiam, cum hoc agamus ut reſtituamus veterem, & hanc operam non eſſe ſupervacaneam nemo magis declarat quam *Bedda:* qui cum habeatur omnis Theologiæ Coryphæus, in uno libello non magno, toties non intelligit quod citat, toties male colligit, frequenter hallucinans & in Latinis vocibus. Jam illud etiam ſtultum eſt non modo vanum, quod his verbis perſtringit & *Lenum* & *Stunicam*, & Epiſcopum *Roſſenſem*, quos ut abſolutos Theologos prædicat. Et tamen hi non minus intendunt Linguis quam ego. Ait eoſdem faſtidire canonica jejunia Eccleſiæ, abſtinentiam ciborum ab Eccleſia præſcriptam, & perpetuam continentiam ut onus importabile prædicare, cæteraque petulantis carnis refrenativa exercitia contra legis Euangelicæ libertatem impudenter aſſerunt, inquit, militare. Hæc tot tam manifeſto falſa deblaterat in proximum homo Theologus ſenex, & magiſter pauperum, cum mea ſcripta per Orbem vulgata longe aliud loquantur. Poſt hæc inſulcit iſtos neſcio quos Antichriſtos. O Theologum zelo fidei accenſum! Antichriſti ſunt qui repugnant veritati, quod nuſquam non facit *Bedda*. Antichriſti ſunt, qui *Chriſtum* in ſuis membris lacerant & arrodunt, quodque in ipſis eſt crucifigunt.

EX IPSA PARAPHRASI IN LVCAM.

PROPOSITIO XLVII.

Non jam per opera Legis, ſed per fidem gratis donatur æterna felicitas. Cap. 1.

SUPPUTATIO.

Hìc mihi primùm laudandus eſt *Bedda*, quod aliquot propoſitiones omiſerit agnoſcens ſuam inſcitiam: id ſi feciſſet in pleriſque, rectius conſuluiſſet nomini Theologico, quod vult apud omnes eſſe ſacroſanctum. Ago illic de differentia veteris Legis & Euangelii gratiæ. Si ad æternam vitam opus eſt obſervatione veteris Legis, mactemus pecudes, abſtineamus à carne ſuilla, circumcidamus præputium. Sin hæc per Euang. abrogata ſunt, quid ſtomachatur *Bedda?* Sed offendit illum quod ajo *gratis dari*. Et hanc vocem appellat *delicatorum militum & hæreticam*. Hæc legens totus inhorreſco. Quid enim hac blaſphemia magis exſecrandum? Vox eſt Spiritus S. per Prophetas, vox eſt Apoſtolorum, quos

quos idem afflavit Spiritus, & hic miſerandus homo vocem appellat delicatorum militum & vocem hæreticam. Clamat per *Eſaiam* Dominus: *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Rurſus per eundem invitans ad Euangelii gratiam: *Venite, emite abſque argento & abſque ulla commutatione vinum & lac*, &c. Huic concinit Apocalypſis XXII. *Et qui ſitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* Jam quid aliud in omnibus Epiſtolis ſuis clamat *Paulus*? *Gratis juſtificati eſtis per gratiam ipſius.* Non erat ſatis dicere *gratis juſtificati*, addit, *Per gratiam Jeſu Chriſti.* Ubi vero non inculcat gratiæ ac miſericordiæ nomen? Ubi non excludit fiduciam operum Legis? *Si ex gratia, jam non ex operibus: ſi ex operibus, jam non ex gratiâ.* Et hanc vocem toties reſonantem in divinis Litteris, & omnibus qui diligunt Dominum *Jeſum* amabilem, iſte pietatis doctor, appellat hæreticam, & vocem delicatorum militum. At *Lutherus* excludit omnia bona opera. Quid hoc mea? An ideo non eſt fas de *Chriſti* bonitate magnifice loqui cum *Paulo*? Sed *Pauli* verba recipiunt interpretationem. Eam nos non excludimus. Nec erat locus argutari an ſit aliquod bonum opus hominis. Dicat *Bedda:* Quid operum attulit in cruce latro ad promerendam vitam æternam? Quid aliud quam fidem? Et *Bedda* negat gratis dari per fidem ſalutem æternam. Hoc calumniandi artificium indicavi in Prologo, quo nimium frequenter utitur *Bedda.* Quod à nobis dictum eſt de his, qui ex Judaiſmo aut Paganiſmo veniebant ad Euangelii gratiam, detorquet ad eos qui infantes ſunt baptizati, quaſi ab his non exigantur bona opera, aut pœnitentia, aut ſatisfactio pro peccatis commiſſis poſt baptiſmum. Deinde quod illic ſub perſona *Lucæ* dicitur illorum temporum hominibus, ſic proponit quaſi nunc dicatur ab *Eraſmo* in ſolatium *Lutheranorum.* Et tamen ſi quis nunc quoque dicat totam hominis felicitatem deberi gratiæ miſericordiæque divinæ, quandoquidem ſi quid noſtrum eſt, tam eſt inquinatum, tam eſt exiguum, ut in ſumma nullius ſit momenti, denique hoc ipſum eſt ex beneficio divino, non promeret vocem delicati militis, ſed pii gratique, totam gloriam imperatori ſuo transſcribentis. Verùm glorioſi militis eſt ſua jactare opera, ſuam prædicare juſtitiam, ſua ſupputare merita, imo etiam aliis impartiri ac vendere, & cum Deo rationem inire, quanta portio ſalutis debeatur ipſius beneficio, quanta benefactis ac meritis humanis. Hunc militem agat *Bedda:* ego malo cum Sanctis omnibus dicere, Quicquid habeo aut habiturus ſum boni, in ſolidum acceptum feró largitati divinæ.

Cap. LII. LV.

C.

PROPOSITIO XLVIII.

Divini favoris eſt, ait Gabriel *ad* Mariam, *quod offertur, non meriti tui.*

SVPPVTATIO.

Hic ſcilicet erat locus etiam præfandi *Beddæ.* Tanta hujus cenſuræ viſa eſt felicitas. Orditur autem illo ſuo florido ſtylo hunc in modum: *Latinæ Profeſſores Linguæ, Paraphraſten quod juxta litteram quam eo transfert genere loquitur, non ſecundum eam, pro perverſo & depravatore accipiunt, quod ſane ſicut plurimis aliis in locis, & hic uſu venit* Eraſmo. Intellextin' lector? Ego non aſſequor, niſi quod divino neſcio quid illum jocari velle in nomen Paraphraſtæ, quem *Sutor* interpretabatur, perverſum interpretem. Tales enim facetias inter ſe communicant, quippe bellas. Hoc docuerunt ſcilicet Latini Profeſſores, quid Græci dicant Paraphraſten. Diſſimulat interim quod *Themiſtius* ſcripſit Paraphraſim in *Ariſtotelem*, quod idem fecit *Beddæ* ſodalis in ejuſdem Auctoris Phyſica, quodque *Hieronymus* alicubi liberum facit lectori, ut ipſum vel Interpretem vel Paraphraſten nominet. Quod ſi vera eſt interpretatio quam adfert *Bedda*, in neminem mortalium magis competit Paraphraſtæ vocabulum quam in ipſum, qui mea torquet, contorquet, depravat, falſat, invertitque omnia. Dicas hominem huic rei natum, ſi vel adſpicias. Sed ad rem. Ait me *Gabrieli* ſermonem affinxiſſe diverſum ab ejus ſententia. Opinor *Beddam* Angelo fuiſſe à conſiliis. Siquidem explanans Angeli ſermonem, *Inveniſti gratiam apud Deum*, dico, *Divini favoris eſt quod offertur, non meriti tui.* Et fatetur priorem partem eſſe veram, *divini favoris eſt*, quod gratiæ Dei præcipua doni pars debeatur, ſed quod addidi, *non meriti tui*, ſchiſmaticum eſt & hæreticum. O vocem horrendam! miror eum non addidiſſe blaſphemiam in Virginem. Suſpicatur me nihil omnino tribuere meritis ſanctiſſimæ Virginis, cum pluribus in locis ac nominatim in Diatriba tribuerim aliquid quorumlibet piorum meritis. Quanquam ſi meritum dicas pro quo non debetur gratia, quemadmodum fit inter homines, ubi conductus præſtitit pactam operam, conductor pactam mercedem, neuter alteri debet gratiam, non video quî meriti nomen poſſit habere locum in hac materia. Verùm cum tot locis in hac mea Paraphraſi, quoties res exigit, prædicem bona opera, mercedem, præmia meritaque Sanctorum, cum Diatriba ſpeciatim pugnet contra *Lutherum* tollentem omnia merita bonaque opera Sanctorum omnium, quomodo *Bedda* ſuſpicari potuit me hîc tale quiddam voluiſſe ſignificare? quale ſi quid ſenſiſſem, certe ſub nomine Virginis adorandæ non poſuiſſem hanc opinionem; maluiſſem ſub nomine *Georgii*, *Chriſtophori*, aut *Barbaræ.*

Verùm ut oſtendam quid ſenſerim. Primum non agebatur hîc de negotio ſalutis, ſed de dignitate honoris qui deferebatur Virgunculæ, modeſtiſſime de ſe ipſa ſentienti, ut pareret Deum. Quoniam autem Angelus videbat illam turbatam, primùm exemit pavorem, quo docilis & attenta perciperet quæ nuntiarentur: mox ne perpendens hinc ſua merita, quæ judicabat eſſe minimi pretii, hinc delati muneris eminentiam, cui nec Angelorum quiſquam par eſſe poſſit, hæſitaret, cunctareturque credere, *Gabriel* huic occurrens hæſitantiæ, primum ſalutat eam κεχαριτωμένην, quo verbo uſus eſt & *Paulus Epheſ.* I. *Qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, ἐχαρίτωσεν, ſignificans Euangelii donum omnibus gratis deferri, ne quis perpenſa magnitudine criminum diffideret Euangelii promiſſis. Ac ne quis ſuſpicetur hæc à me fucis rhetoricis agi, en iterum repetam Paraphraſeos meæ verba: *Et latiſſima*, inquam, *rei & maxima tibi nuntius adſum. Noli expendere merita tua: divini favoris eſt quod offertur, non meriti tui. Hoc ipſo places Domino quod tibi non places. Sit illud tibi ſatis, quod nacta es gratiam & favorem apud Deum.* Hic demus magnam hujus honoris partem fuiſſe meriti, quod tamen ipſa Virgo nunquam dixiſſet, Angeli certe ſermo non reſpexit ad ipſa merita Virginis, ſed ad illius exiſtimationem: perinde quaſi plebejo homini ad difficillimum bellum deſignato, dicat qui defert mandatum, Noli circumſpicere tuas opes aut vires, res tota agetur Regis & præſidiis & auſpiciis: tu tantum obſequere. Porro quod *Bedda* videtur aſſumere per hanc particulam, *non meriti tui*, excludi omne meritum Virginis, vehementer fallitur. Tales enim adjectiunculæ in ſacris Litteris, interdum habent inculcationem dicti prioris, interdum comparationem. Prioris exemplum eſt, *Immolaverunt Dæmoniis & non Deo. Non Deo* ſupervacaneum erat, niſi voluiſſet infigere animis impietatis magnitudinem. Poſterioris illud erit, *Miſericordiam volo & non ſacrificium:* pro eo quod erat, Miſericordiam volo potius quam ſacrificium; alioqui volebat & ſacrificium. Huic ſimile eſt illud *Petri: Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Mentiebatur *Ananias* etiam homini, ſed Deo potius quam homini. Hujuſmodi tropis undique ſcatent ſacri Libri, quos oportebat *Beddæ* non videri novos. Ad horum utrumlibet ſi fuiſſet interpretatus mea verba, non impegiſſet immerenti proximo ſchiſmatis, hæreſeos, & falſi calumniam. Juxta priorem tropum hic ſenſus eſt: Non eſt quod detrectes obſequium expen-

V.

C.

Digitized by Google

sione meritorum tuorum, quæ in oculis tuis sunt infirma. Satis est quod divinus favor huic muneri te delegit. Tu tantum obsequere, cætera permitte Deo. Juxta secundum hic erit: Negotium hoc divini favoris est potius quam tui meriti. Expolui simpliciter quid ego sensserim cum illa scriberem. Superest ut *Bedda* doceat adversari Spiritui Sancto, quod scripsi Paraphrastes: *Spiritus*, inquit, *Sanctus dominam inter alia dicere compulit, Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.* Demiror hîc *Beddæ* placuisse *compellendi* verbum, quasi Spiritus Sanctus sic loquutus sit per os *Mariæ*, quemadmodum loquutus est per os *Caiphæ* Pontificis. Verùm hoc verbo præclusit viam objecturis: cur *Maria*, mulierum omnium modestissima, tam magnifice prædicat de se ipsa, quod meruerit fieri Mater Dei? *Dixit hoc*, inquit, *compulsa a Spiritu divino, cui nemo potest resistere.* Hæc sunt commenta mirabilis hujus Theologi, qui solus præviis magistris tot annis didicit quod tandem doceret Orbem. Atqui debebat hoc prius à Grammatistis & Græcissantibus discere, *humilitatem* in Cantico *Mariæ* non esse ταπεινοφροσύνλω, sed ταπείνωσιν, quod non sonat animi virtutem, sed humilitatem conditionis, si ad res extrarias referatur: sin ad res animi, vitium sonat, non minus quam cum dicimus hominem abjecti animi. Prioris exemplum ad *Thessal.* III. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, ταπεινώσεως. Quoties autem animi virtutem significat ταπεινοφροσύνλω dicit, non ταπείνωσιν. *Humilitas* apud Latine loquentes unicam habet significationem, licet Christianorum voluminum interpretes, neglecta Latini sermonis elegantia, usurparint pro *modestia*. Jam si donemus vocem esse ancipitem, tamen aliunde satis liquere potest, *Mariam* hîc non loqui de virtute modestiæ, qua meruerit fieri Mater Dei. Primùm, quia præfatur se velle magnificare Deum, id non fit cum nostra merita prædicamus. Deinde cum dixisset, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, protinus adjecit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Nullus ob hoc beatus dicitur, quod virtute sua promeruit, velut *Horatius* recusat nomen felicis, quia *Mæcenati* placuisset, eo quod suis dotibus promeruisset illius favorem. Rursus quod sequitur: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, non dixit, *qui justus:* Nec dixit, *retribuit*, sed *fecit*. Ac mox, *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*, ταπεινὲς: hîc *humiles* opposuit *potentibus*, etiamsi non nego *Mariæ* modestiam *Christo* fuisse gratissimam, sed hoc fuisse gratiorem, quo minus ipsa suam virtutem agnoscebat. Facit & illud pro me quod Angelo respondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ verba mea Paraphrasis sibi consentiens interpretatur hunc in modum: *Nec dubito quin possit Deus omnia quæ velit, nec fallat in promissis suis. Quod si ita illi visum est, me puellam omnium infimam ad hujus mysterii ministerium deligere, nihil est quod hinc mihi vindicem vel meriti vel gratiæ. Totum erit divinæ bonitatis, totum erit divinæ virtutis: Me tantum offero ancillam Domino, cui semel dicata sum*, &c. Vel hoc argumento perspicuum est *Beddam* non legisse quæ reprehendit, quod idem liquet ex aliis innumeris locis. Alioqui cur hæc verba non reprehendit *Bedda*, si displicebant Angelo tributa verba. Si verum dixit *Maria*, quomodo hæreticum est quod dicit Angelus? Sed modestiæ, inquiet, causa sic loquuta est *Maria;* sed non modestiæ causa mentita est, opinor.

Post hæc objicit nobis cantionem Ecclesiasticam, *Quia quem meruisti portare alleluja*, quemadmodum alibi citat nobis, *Monstra te esse matrem.* Hæc ut non contemno, ita magis conveniebat, Theologum, qui de hæresi pronuntiat, adducere sacrarum Litterarum testimonia. Sed quid canit Ecclesia? *Meruisti portare:* hoc est, contigit tibi. Sic enim interdum usurpant Latini *mereri*, ut meruisse dicatur, qui precibus & favoribus impetravit. Et alioqui quoniam Deus sua dona nobis imputat pro meritis, quid mirum si *Maria* dicatur meruisse? Verùm hîc vocis est ambiguitas. Meriti erat, & non erat: meruit, & non meruit. Quod hîc subjicit *Bedda*, durum est meis auribus. *Atqui*, inquit, *non gratis omnino in ea hoc fecit Dominus.* Hæc verba quid aliud sonant quam aliquid in *Maria* fuisse, pro quo *Maria* non debebat gratias agere Deo? Quale si quid ego scripsissem, quoties inclamaret blasphemiam? Nec minus durum est quod subnectit, quod *Maria sola tanto beneficio propriis meritis se ipsam dignificavit.* Quid est *se ipsam dignificavit*, nisi Deus eam non dignificavit? Quid est *propriis meritis*, nisi sine gratia Dei? Quid est *tanto beneficio*, nisi merita propria Virginis erant paria magnitudini beneficii? Hæc scribit Theologus ex adytis Scholasticæ Theologiæ, qui non patitur me quicquam explanandi gratia loqui, quod non est in Sacris Litteris, etiamsi pium sit, & ad gloriam faciat *Christi*. Ubi vero colligit hæc verba tam Theologica, *dignificavit* & *sola dignificavit*, & *propriis meritis dignificavit*, & *tanto beneficio dignificavit?* Hæc mysteria nisi prodissent in lucem, actum erat de Ecclesia Christiana, & in eam rem fuit servatus *Bedda*. Perisset enim si propensior fuisset in gloriam Filii Dei, cui Pater voluit acceptum ferri quicquid habemus, cui & ipsa Virgo debet quicquid habet vel virtutis vel gloriæ. Hîc zelum gloriæ *Christi* premo propter offendiculum infirmorum, quandoquidem his temporibus exsistunt, qui parum loto sermone sanctissimam Dei Matrem attingunt: sed alias fortassis aperiam, quanto propius sit blasphemiæ, quod moliri videtur *Bedda*, quam quod peccant in diversam partem intemperantes. Interim hoc silentium dabitur partim hisce temporibus turbulentissimis, partim reverentiæ Virginis matris, quæ utinam tam veros haberet suarum virtutum æmulos, quam multos habet sedulos ac vocales suæ dignitatis præcones. At vereor ne res in diversum cedat, ut illic minima sit imitatio Virginis, ubi cultus illius est ambitiosissimus. Sed verborum satis est, audiamus censoris conclusionem, *Cum itaque*, inquit, *veritas Euangelica humilitatem sanctæ Virginis meritoriam causam cur Dei Mater facta est testetur*, dicens: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, *cui consentanea canit Ecclesia*, Quia quem meruisti portare: *quod hîc asseruit* Desiderius, *in fide erroneum est atque schismaticum.* Hæc *Natalis* auctoritate qua fungitur. Verùm ex his, quæ demonstravi, consequitur alia conclusio. Quoniam Angelus gratiæ tribuit, quod genuit Filium Dei, quoniam ipsa se profitetur ancillam hujus mysterii, quoniam in Cantico dicit Dei bonitatem respexisse ad extremæ sortis ancillam, quoniam se beatam hoc favore prædicat, non promeritam, quoniam in procemio Cantici promittit se magnificaturam Dominum, non seipsam, quoniam in eodem Cantico prædicat misericordiam Domini, quoniam quod addidi, *non tui meriti*, pium & sanum habet sensum, consequitur, *Beddam* in hac una censura multa se digna commisisse. Primum quod insulse ludens in nomen Paraphrastæ, vocat me depravatorem ac perversorem Euangelii. Deinde quod extra jocum addit mea verba adversari Spiritui Sancto. Ad hæc quod non sine specie blasphemiæ scribit Virginem à Spiritu divino compulsam dicere, *quia respexit.* Præterea quod ait, *Sola dignificavit semetipsam tanto beneficio*, non simplici blasphemia. Nam quod addit obiter, *præveniente & cooperante gratia*, pugnat cum his quæ dixit. Hæc *Beddæ* censura tota scatet inscitia, mendaciis & blasphemiis, cujus precor ut aliquando misereatur Deus, si modo putat in ipso quicquam esse quod egeat misericordia Dei.

PROPOSITIO XLIX.

Ubi libido intercedit in coitu, ibi quod nascitur, immundum nascitur.

SUPPUTATIO.

Ad hanc antea responsum est. Ut demus alios fuisse na-

Digitized by Google

natos ſine peccato originis, ad *Chriſtum* tamen comparati mundi non fuerunt, ſicut homines juſti ad Dei juſtitiam collati negantur habuiſſe juſtitiam. Præterea non erat neceſſe ob unius exceptionem, ſolvere ſententiam generalem, etiamſi conſtaret quid Eccleſia definiſſet de conceptione Virginis. De communi mulierum conceptione loquitur Angelus, dicens, *quod ex te naſcetur ſanctum.*

PROPOSITIO L.

In toto itinere (quo ſcilicet acceſſit Eliſabeth) *neminem ſalutavit* Maria.

SVPPVTATIO.

Mariam properaſſe legimus, divertiſſe ad quenquam ſalutandi gratia non legimus. Quam vero longum fuerit iter ad ædes *Elizabeth*, neque *Bedda* ſcit, neque ego, quanquam ille aſſeverat. Et recte docet quod *Gieſi* vetitus eſt quenquam per viam ſalutare, quodque Dominus idem interdixerit Apoſtolis, hoc ſchemate nihil aliud ſignificari quam celeritatem in peragendo negotio, vitationemque diſpendii à ſuſcepto negotio remorantis: debebat idem ſchema in meis verbis agnoſcere. Sic enim habent mea: *Amat ſecretum Virgo, nec evocatur ab aliis intimis niſi provocet officium, in publico properat, in officio lentior eſt, in toto itinere neminem ſalutavit, donec ventum eſſet ad* Eliſabeth: niſi *Bedda* putat me tam ſtupidum, ut exiſtimem *Mariam* nemini toto itinere dixiſſe ſalve, aut vale, neque ad quenquam refocillandi corpuſculi gratia divertiſſe, ſed perpetuo curſu pertendiſſe ad cognatam ſuam: ſed quod Euangelium exprimit celeritatem itineris, ſilet de divertendo, traxi ad ſignificationem vitati diſpendii. Proinde quod ait *Bedda* me meum ſenſum addidiſſe Euangelio, calumnia eſt, non cenſura.

PROPOSITIO LI.

Adhuc hodie ſunt quibus magis arridet nomen Zachariæ *quam* Joannis, *nimirum hi qui nondum patiuntur aboleri dies feſtos, jejunia, delectum ciborum, ſacrificia,* &c. *Videlicet clamitantes, nomen* Joannis *nolumus, veterem* Zachariam *volumus.*

SVPPVTATIO.

Hîc triumphat *Bedda*. *Eja*, inquit, *non hic in ænigmate Orbi loquitur* Eraſmus *à* Chriſto *& Eccleſia diſſentiens*, cum ipſe non alibi calumnietur evidentius. Solito artificio, quod dicitur ſub perſona *Lucæ*, detorquet ad perſonam *Eraſmi*, quod ad illa tempora pertinebat, quibus erat abroganda Legis obſervatio, hac ſane in parte, detorquet ad hæc tempora, quibus ſunt qui damnant Eccleſiæ Conſtitutiones, de jejuniis, deque delectu ciborum, de diebus feſtis, de Miſſa Sacerdotali. Me vero loqui de ritibus *Judaicis* nunc abolitis, declarat quod in hoc loco nominatim exprimo, *circumciſionem, neomenias, lotiones*. Hæc verba, quæ præcedebant, in catalogo *Bedda* prætermiſit. Quanam arte? Nemo non intelligit, vel me tacente. Et hîc geſtiens *Bedda* clamitat me manifeſte loqui de ritibus & conſtitutionibus Eccleſiæ. Quod ſi vere credidit, quin eadem opera impingit, me damnare baptiſmum, cum illic nominem *lotiones*. Nuſquam habebat juſtiorem cauſam clamandi *Eja*. Si non credidit, cur cætera, quæ ſequuntur, trahit in calumniam. Imo ſi ſimpliciter vacabat ſuſpicione, cur eas voces prætermiſit quæ refragabantur calumniæ, maxime cum in recenſione præcedant. Sed fefellit illum vox *hodie*. Itane quoties *hodie* legit in ſacris Libris, putat eum diem ſignificari quo legit illa, *Hodie mecum eris in paradiſo*? Ubi datur quod poſſit calumniari, tunc meminit *Lucam* loqui, clamatque mea verba non quadrare in Euangeliſtæ perſonam: hîc velut oblitus ſui, pro *Lucæ* perſona meam ſupponit, quo locum faciat calumniæ. Si placent dies feſti *Judæorum*, cur non occiditur agnus paſchalis, cur non mactantur pecudes? Si placent *Judaica* jejunia, cur non ſonant tubæ ductiles cum cæteris ceremoniis? Si placet ciborum delectus, cur veſcimur ſuilla, leporina, & anguillis, & cochleis? Si placent ſacrificia *Judæorum*, quare laniones cum coquis non vocantur è macellis ac popinis in Templum. Porro quos tumultus excitarint Apoſtolis ii qui mordicus tenebant veterem *Zachariam*, nam hunc facio typum Veteris Teſtamenti, nimirum patrem *Joannis*, qui nomen habet à gratia, palam eſt ex Actis Apoſtolorum & Epiſtolis beati *Pauli*. Hos deſignabat *Lucas*, non ritus quibus nunc utitur Eccleſia. Jam libris editis declaravi me non damnare jejunia, neque delectum ciborum, neque feſtos dies quos inſtituit Eccleſia, imo ſcripſi adverſus eos qui iſta contemnunt. De multitudine feſtorum nonnihil queſtus ſum: de obligatione jejuniorum, quandoquidem vix à quoquam ſervantur, alicubi diſputavi, item de ſuperſtitioſo ciborum delectu, hinc *Bedda* potuit utcunque anſam arripere calumniandi. Quis unquam audivit me loqui de tollenda Miſſa, cur hoc admiſcuit cenſor? Non ob aliud, niſi quia faciebat ad me gravandum invidia. Verùm alibi noto quoſdam, qui corporalibus exercitiis freti negligunt ea quæ ſunt veræ pietatis. Quid hac admonitione magis neceſſarium? Mundus eſt plenus feſtis indictis, ſed quomodo ſervantur? Jejuniorum indictorum eſt affatim, ſed ubi vere jejunantes? In delectu ciborum plerique ſunt ſuperſtitioſi, ſed in delectu rerum ſpiritualium quam nullus delectus! Sacrificis plena ſunt omnia, ſed utinam omnes digne ſacrificent! Hîc *Bedda* liber patronus jejuniorum, quantis calumniis & convitiis in proximum explet ſeſe: Docet abſtinentiam à pecudibus, & avide rodit laniatque carnem & famam immerentis proximi. Et fortaſſis hæc *Bedda* ſcribit diebus feſtis, vacans ab opere manuario, ſed verſans in opere Satanæ, cujus proprium eſt incuſare fratres. Conſcientiam ipſius judicabit Dominus, ſed ſi talis eſt animus *Beddæ*, qualis eſt hæc illius ſcriptio, tot manifeſtis mendaciis, tot inſignibus calumniis, tot amarulentis convitiis, tot ſcurrilibus ſannis petulans procaxque, videat quam digne accedat ad illam pacis & caritatis menſam. Satis demonſtratum eſt hoc loco, nullam omnino datam occaſionem calumniandi, nunc videamus calumniandi malitioſam impudentiam. Principio falſiſſimum eſt, quod negat me hîc loqui in ænigmate, cum ipſe nullo ænigmate ſimpliciter ac palam agat ſycophantam. Prætermittit verba, quæ palam excludebant ipſius calumniam, manifeſta ſignificatione malitioſi cujuſdam artificii. Verba, quæ ſupererant, detorquet ad conſtitutiones & ritus horum temporum, evidente calumnia. Quot igitur hîc ſunt verba, tot ſunt calumniæ. Pro perſona *Lucæ*, ſciens ſupponit perſonam meam, & illud tempus in hoc transfert ſeculum inſigni calumnia. Ait me indignari iis qui frequentibus ſacris ſincere conantur avertere iram Dei, quod mendacium tam eſt impudens, ut vehementer admirer illi veniſſe in mentem. Nec minus eſt impudens quod addit, *diſciplinam omnem Eccleſiaſticam exoſam haberi*. Qua fronte *Bedda* putat hæc legi ab his, quibus lectæ ſunt meæ lucubrationes? Aut unde miſer judicat animum hominis, quem triginta ſeptem opinor annis non vidit? Addit aliud æque impudens, *Libera vult omnibus omnia eſſe*. Nec hoc contentus, *relegat*, inquit, *Quadrageſimam*, ac mox, *Tempora quæ dicuntur quatuor, confundit. Ciborum delectum cum feſtis diebus*. In extremo actu, præclarus artifex vincit ſeipſum, *reprobat*, inquit, *matris Eccleſiæ ſacrificia*. An non videtur hîc ipſe Satanas calumniæ mendaciique pater per os hominis loqui? An is dubitaret *Eraſmum* ferro necare, aut veneno tollere, ſi liceat, qui calamo ſic furit? Sed hîc promittit operam auxiliarem *Clithovei*, ne neſciremus cujus impulſu *Jodocus* ſtrinxerit calamum in nos præter morem ſuum. Et illi quidem *Bedda* tradidit diſſerendi provinciam, ſibi ſumſit convitiandi, nimirum veritus ne

Digitized by Google

Jodocus mitior esset quam pro stomacho ipsius, cui nihil est satis.

Propositio LII.

Cap. II. Christus *solus ab omni peccati contagio fuit immunis.*
Responsum est jam bis.

Propositio LIII.

Cum adesset dies à partu quadragesimus secundus, cum Lex jubet masculinum fœtum exhiberi Domino.

Suppvtatio.

Jam demonstravi id incuria typographorum fuisse commissum, & in proxima Editione veram lectionem
C. restitutam. Hoc *Bedda* dissimulans, nihilominus edit suam calumniam satis evidentem, etiam me tacente, nisi forte putat me non posse numerare, quot dies intercedant inter natalem *Christi* & festum purificationis, nunc est evidentior, quoniam nec admonitus omisit hæresis & schismatis calumniam. Hîc tamen præter morem civilis excusat incuriam meam, at cur non excusat in aliis locis, ubi lapsus est insignior quam ut scriptoris ignorantiæ queat imputari.

Propositio LIV.

Simeon *senex puero* Jesu *bene precatus est.*

Suppvtatio.

Nusquam *Bedda* petulantius debacchatur convitiis, quam ubi prorsus nullam habet occasionem reprehendendi, id quod hîc ut palam sit efficiam. *Lucas* narrat quod *Simeon* primum benedixerit Deum, mox versus ad homines benedixerit illis. Hoc interpretor ut etiam ad *Christum* pertinuerit, exponens benedicere bene precari, his verbis utens: *Caterum ubi puero simul & parentibus bene precatus esset* Simeon, *versus ad* Mariam *dixit*. Hunc sermonem *Bedda* fatetur esse pium, si referatur ad *Mariam* & *Joseph*, impium si ad *Christum*, etiamsi secundum humanam naturam. Quod ex placitis Scholasticis hîc affirmat *Bedda* de humana natura *Christi*, non est animus excutere: crassioribus agam argumentis. Si *Lucas* scripsisset εὐλόγησεν αὐτοῖν sive αὐτῶ, tamen anceps erat, an designasset puerum & matrem, an *Joseph* & matrem: nunc cum scribit αὐτὸς numero multitudinis, potest ad plures pertinere: tametsi non inficior *Græcos* hoc numero abuti & de duobus. Verùm quoniam simul præcesserat trium mentio, *Erant mater & pater admirantes super his quæ dicebantur de illo*, *Simeonis* benedictionem interpretatus sum ad omnes pertinere: præsertim cum probabile sit olim senes pios ceu patres infantibus benedixisse, quemadmodum & Dominus complexus parvulos eis benedixisse legitur. Ut autem planius exprimerem *Lucæ* sermonem, prius illud, *Benedixit Deum*, interpretatus sum laudem Dei: alterum *& benedixit eis*, ne quis rudis putaret mota manu pictam crucis imaginem, quod vulgo credunt esse benedicere, explanavi, Bene precatus est. Constat enim hoc verbum εὐλογεῖν in Scripturis divinis duo significare, *laudare*, & *bene precari*, sive *bene ominari*. Bene precari autem nihil aliud est quam optare læta. Quod si *Christo* gratissimum erat ac desideratissimum redimere genus humanum, quemadmodum ait, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*: Et, *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur*, quæ impietas erat hoc optare primùm advenienti, quod optabat ipse? Atque haud scio an *Bedda* fallatur hujus vocis ignorantia, putans bene precari cuipiam, esse precibus impetrare, quod non erat habiturus alioqui. Verùm ut Græcis εὔχομαι sonat *oro* & *opto*, sic Latinis *precor*. Sic votis favemus certantibus, qui tamen per nos nihilo melius habent. Jam an *Simeon* ad plenum intellexerit utramque naturam in *Christo*, & pleniſſimum ab ipso statim conceptu divinitatis influxum in hominem, non ausim affirmare, cum hîc mater & pater dicantur admirari super his quæ dicebantur de puero: & Apostoli post tot conspecta miracula, post editam illam cœlestem professionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, tamen velut illa per somnium dicta fuissent, multa de eo tanquam de homine puro loquuntur. Ita Spiritus pro tempore temperabat afflatum suum. Quin probabile est & *Joseph* & Virginem tanquam parentes crebro benedixisse puero *Jesu*, quemadmodum Patriarchæ suis filiis benedixerunt. Sed donemus *Simeoni* omnia fuisse per Spiritum patefacta, donemus verum esse quod tradunt dogmata Scholastica, citra manifestam Scripturarum auctoritatem, quid absurdi est bene precari homini, cum innumeris Scripturæ locis bene precemur, hoc est, optemus Deo? Quid aliud sonat Ecclesia, toties recinens, *Gloria tibi Domine*, & *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*? Quoties *Paulus* in mediis Epistolis erumpit in hujusmodi vota? In Precatione Dominica non optamus Patri ut sanctificetur nomen illius, ut adveniat regnum illius, ut fiat voluntas illius? Sed non eget Deus votis nostris, fateor: ita nec eget laudibus nostris, nec gratiarum actionibus, nec precibus. Hæc nobis conferunt, non illi: sed tamen ille pro sua bonitate talibus laudibus, votis, gratiarum actionibus ac precibus delectatur, qui natura bonus est. Non eget ille gloria, sed tamen omnia creavit in suam gloriam. Erat certum tempus ab æterno præfinitum, quo venturus esset Dei Filius ad redimendum genus humanum: & tamen assidue pii hortabantur illum ad accelerandum adventum, *Veni Domine & noli tardare*. Quin in his verbis offenditur blasphemia, quasi Deus egeat monitis hominum, ut excusso somno properet venire? Quod si hujusmodi verba non congruunt ad amussim in Deum, prorsus de Deo silendum asserit, si non est fas qualibuscunque verbis de eo loqui, cum nulla sint hominum verba, quæ proprie quadrent in divinam naturam. At si tropis hujusmodi passim divinæ Scripturæ sacrique Doctores loquuntur de Deo, cur nobis impingitur blasphemia, qui similiter loquimur de *Christo* adhuc mortali? Ubi est igitur hæc blasphemia? Utrum in verbis, an in sensu? Si in verbis, erunt in sacris Litteris multæ blasphemiæ: Si in sensu, sensus meus nihil habet indignum *Christo*, cui non optamus ut cæteris hominibus, quibus votis bonum aliquod procuramus: sed in *Bedda* interpretatione blasphemia est, si qua est. Quod autem negat *Christo* bonum optari posse quod non habet, quomodo igitur profeciſſe legitur gratia, ætate & sapientia? Si proficiebat, aliquid accessit, saltem extrinsecus, quod non habebat. Hoc illi cur non poterat optari pie, in ipsius gloriam ad nostram salutem? Quod si sumas totum *Christum* juxta sensum mysticum, non absurde dicitur multum adhuc deesse felicitati illius, quandoquidem nondum subjecit sibi omnia, nondum tradidit regnum Patri, nondum omnia membra sua collegit in tutum. Hanc felicitatis consummationem qui votis desiderant, nonne pie dicentur optare *Christo* quod cupit ipse? Duobus igitur modis bona poterant optari *Christo*, vel ab his qui nondum perfectè sciebant illum esse Deum & hominem, quo de numero fortassis erat *Simeon*, etiamsi per Spiritum Messiam esse noverat: vel sub ratione totius *Christi*, qua caput & corpus illius pro eodem accipimus. Jam cum Ecclesia Deo optet gloriam, honorem & imperium, nihil boni procurat Deo, sed suum bonum optat in gloriam & honorem illius. Admonet *Bedda*, si quid hujusmodi locutionum reperiatur apud receptos Doctores, aut ad bonum sensum esse trahendum, aut simpliciter declinandum. Atqui cum *Bedda* sciret me nihil aliud sentire de *Christo* quam sentiunt Orthodoxi, quæ res ex omnibus meis lucubrationibus satis liquet, cur maluit mea verba depravare, quam ad bonum trahere sensum? Sed quorsum attinebat hîc meminisse Doctorum, cum ipsa divina Scriptura scateat hujusmodi tropis? Nonne Psalmus CXVII. habet, *O Domine salvum me fac, ô Domine bene prosperare, benedictus qui ve-*

Digitized by Google

venit in nomine Domini. Item Pſal. XLIV. ſic Propheta *Chriſtum* venturum alloquitur: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, Specie tua & pulchritudine tua, intende proſpere, procede & regna.* An non hic ſermo partim hortantis eſt, partim optantis ſucceſſum & regnum? Quibus autem verbis magis convenit loqui de *Chriſto* ac Deo, quam ſacrarum Scripturarum? Dicet: Debueras exponere, ne quis laberetur: id in curſu Paraphraſeos non vacabat, in qua tum nihil aliud agebam, quam ut hiſtoriam explanatius enuntiarem. Jam ſi hoc tantopere offendit *Beddam*, quod *Simeon* benedixerit *Chriſto*, cur non offenſus eſt loco qui præceſſit? ubi ſic facio loquentem *Lucam*: *Poſteaquam Sacerdos oblatum puerum amplexus eſſet, eique benedixiſſet, non ſe continuit pietas ſenilis, quin*, &c. Reſpondebit, Sacerdotem ignoraſſe *Jeſum* eſſe *Meſſiam*: & fortaſſe *Simeon* non certo noverat eum eſſe Deum. Sic & Hebræorum pueri adgratulantur advenienti Domino, quem *Meſſiam* eſſe credebant, Deum eſſe nondum intelligebant, & regnum aliquod hujus mundi ſperabant.

Proinde quod hîc *Bedda* impingit blaſphemiam, C. C. mera calumnia eſt; quod impietatem, calumnia eſt; quod C. ſacrilegam præſumtionem, calumnia eſt; quod hac in V. parte Theologiæ ignorantiam, falſum eſt. Hîc quæſo te, lector, ut pauliſper expergiſcaris. Aperiet *Bedda* conſummatus Theologus unde natus ſit tantus error meus, ac de cathedra docebit Theologiæ myſterium quod ſcire non poſſunt, niſi qui prævios Doctoribus diu didicerunt quod doceant. *Quoties*, inquit, *Scriptura ſic loquitur*, benedixit eum, *ſonat*, *laudavit: quoties* benedixit ei, *ſonat*, *bona precatus eſt ei. Hoc* Eraſmus, inquit, *ob imperitiam Theologiæ non vidit. Præceſſerat*, Simeon benedixit Deum, *in poſteriore loco non dictum eſt*, benedixit eos, *ſed* benedixit eis. *Quid apertius? Et tamen hoc non vidit* Eraſmus, *ignorans quantum ſit diſcriminis inter* benedixit eum *&* benedixit eis. Atqui *Lucas*, qui Græce ſcripſit, nullum fecit diſcrimen inter priorem benedictionem ac poſteriorem: nam in utraque poſuit accuſandi caſum, illic Θεὸν, hîc αὐτούς. Quid apertius? Et tamen hoc non vidit *Bedda*, quia non amat Græciſſantes Theologos. Atqui non debebat contemnere Græciſſantem Euangeliſtam. Sed cauſabitur *Bedda* differentiam tantum habere locum in ſermone Latino. Corrigat igitur *Bedda* quod Eccleſia legit *Eſdræ* VIII. *Et benedixit* Eſdras *Domino Deo voce magna.* Et Capite proximo: *Surgite benedicite Domino Deo noſtro ab æterno.* Rurſus quod hactenus canit Eccleſia Pſal. CII. *Benedic anima mea Domino.* Sed quid hæc replico? Non ſaltem *Bedda* venit in mentem, quod quotidie toties remurmurat, *Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite omnia opera Domini Domino.* Hæc declarant mirum hominis ſtuporem. Tam cæca res eſt livor & odium. Hæc tam abſurda cum docuiſſet, etiam triumphum agit glorioſus miles: *En*, inquit, *ex plana conſtat littera, quia handquaquam ad* Chriſtum *referri poteſt, quod dictum eſt*, Et benedixit eis. Quis non admiraretur hujus Theologi ſuavitatem, *Ex plana & handquaquam?* Nunc audi Theologicam concluſionem: *Perverſè igitur pro Euangelica veritate Eccleſiæ Dei, de corde ſuo* Eraſmus *impietates depromit.* Ne hæc quidem erant ſatis animo *Bedda:* addit quod ad hanc rem nihil attinet: *Sic tamen dicit quodam in loco:* mihi monendus eſt lector craſſior me nuſquam in Paraphraſi loqui, ne quod ſub Euangeliſtæ perſona modeſte vereque dicitur, ſub mea videatur arroganter dici. *Per hæc vult Paraphraſtes novus Theologus, quæcunque in beati* Lucæ *perſona loquutus eſt, pro Euangelico ſenſu omnino recipienda eſſe in nihilque* Eraſmicum *in omnibus contineri, cum tamen plurimis longiſſime à vero abhorreat. Eſt autem id, pro experterum ac doctorum Theologorum ſententia, ſacrilege præſumere.* Hæc *Bedda* vetus Theologus doctus & expertus. Quid ajo? Omnia, quæ ſcripſimus in Paraphraſi, pro Euangelico ſenſu habenda? Hoc *Bedda* ſacrilegium eſt, non me-

A um: nam ne quis hoc ſuſpicari poſſet, procemiis non ſemel admonuimus aliàs, ac rurſus admonemus lectorem, ne plus tribuat noſtræ Paraphraſi, quam tribueret aliorum Commentariis. Et paulo poſt ſequitur, quod artifex calumniandi decerpſit *Bedda.* Cur hæc præfatus ſum? Ut ſi quid ineſſet humani lapſus, mihi imputaretur, non Euangeliſtæ. Cur alterum ſubjicio, quod ad calumniam decerpſit *Bedda?* Ne lector obliviosus ac rudis, quoniam videt titulum *Eraſmi*, putet quicquam ſub mea perſona dici, quod meæ perſonæ non convenit, qualia incidunt plurima. *Homerici* Dii *Vulcanum* habent γελωτοποιὸν, fortaſſis Schola *Parienſis* habet *Beddam.* Alioqui demiror, ſi tam celebris B Schola ferat hominem tam indocta, tam malitioſa, tam non cohærentia ſpargere in Orbem. Ut alibi fuerit lo- V. cus, quid ad hanc cenſuram facit quod adjecit *Bedda*, niſi quod crevit calumnia cum volumine? Ut meæ Paraphraſes alicubi diſſideant à vero, quod nulli commentatorum non accidit, certe in plurimis diſſidere, falſiſſimum eſt. Addit facetam clauſulam: *Appendat*, in- V. quit, *has ob res juſta lance* Eraſmus *ſe ipſum, & procul dubio inveniet, quia eſt à veritate minus habens, ſicut Balthaſar Rex Babyloniæ Danielis.* Hæc ſi ſerio ſcripſit, ſtultiſſime ſcripſit, ſi joco, ſcurriliter.

PROPOSITIO LV.

C Simeon *iſte juſtus, nec Sacerdos, nec Levites erat.*

SVPPVTATIO.

Ut demus incertum eſſe, *Simeon* utrum Sacerdos fuerit, an non, certe falſum eſt quod aſſeverat *Bedda*, certiſſimum eſſe *Lucam* minime voluiſſe, quod ego ſum interpretatus. Addit alterum mendacium, quod hoc de me ſum commentatus, cum eam ſententiam hauſerim ex *Theophylacto* Græco, nec dubium quin ille ex *Baſilio Chryſoſtomove* hauſerit, ex quorum ſcriptis fere ſuos contexuit commentarios. *Lyranus* vult fuiſſe Sacerdotem, ſed argumento plane frivolo. Jam ut D pares faciamus Auctores, tamen mihi magis arrideret Græcorum commentum, idque variis de cauſis. Primùm quod cum cæteris tribuantur ſui tituli, ſolus *Simeon* dicitur homo juſtus & ſenex. Quod ſi fuiſſet Sacerdos ac purificationis ritum peregiſſet, non eſt probabile *Lucam* hoc fuiſſe taciturum: auctoritas enim addidiſſet pondus teſtimonio. Præterea quod nos ſequuti ſumus, aptius congruit *Auguſtini* ac Veterum interpretationi, piæ cum primis, mea quidem ſententia. Annotavit enim, quoniam Dominus nullum hominum genus venerat excluſurus à ſalute, ideo prædicatum fuiſſe Paſtoribus, adoratum à Magis Ethnicis, deſignatum à *Zacharia* Sacerdote, agnitum ab *Eliſabeth* E conjugata, prædicatum ab *Anna* vidua, prædicatum à *Simeone* privato ſene juſto, natum ex Virgine puella ipſum virginem puerum. Hæc ſub perſona quidem *Luca*, (quid enim aliud potui Paraphraſtes?) ſed jure commentarii dicta ſunt, quod jus excepi mihi in Præfatione, citra perſonæ periculum. Porro quod *Bedda* conjecturas aggerit, quibus doceat, *Simeonem* præter vicem ſuam veniſſe in Templum ac functum purificationis miniſterio, ſomniculoſum eſt ſomnium. Aſſumit, hoc negotium ſolere per Sacerdotem geri. Fatemur. Beata Virgo nihil omiſit de ritu Legis. Eſto. Solus *Simeon* tunc miniſtraſſe per *Lucam* refertur. Fal- V. ſum eſt: nihil enim tale *Lucas. Ergo*, inquit, *de* F *corde ſuo prophetat* Eraſmus. Ergo baculus ſtat in angulo, & de ſuo corde calumniam, velut araneus filum, C. gignit *Bedda.*

PROPOSITIO LVI.

Cunctis tamen rite peractis, quæ ad purificationem præſcripſerat Lex, reverſi ſunt in Bethlehem, *ubi natus erat puer.*

SVPPVTATIO.

Hic fateor ſomnum obrepſiſſe, qui dum propero, *Beth-*

Digitized by Google

Bethlehem legerim pro *Nazareth*, & *Bedda* quamvis ſævo monitori tamen habeo gratiam. Tametſi quo lapſus hic erat evidentior, hoc minus erat periculi lectori. Et iſtiuſmodi non raro vel per amanuenſes vel per typographos committuntur; nonnunquam & nobis, quoties inter properandum varia cogitat animus, aliud loquitur calamus quam oportet. Ita forte pro *Nazareth* poſita eſt *Bethlehem*, & pro *conceptus* natus. Nam illud me ſenſiſſe ſcio, quomodocunque diverſum habet ſcriptura. Nec id *Bedda* potuit obſcurum eſſe, nam mox ſequitur: *Non in* Bethlehem, *ſed in* Galilæam *in civitatem* Nazareth *ubi conceptus fuerat infans:* & præceſſerat circa Capitis principium, *quod tanta rei gloriam inter duas civitates partiebantur, videlicet ut in* Nazareth *conciperetur & educaretur Rex Orbis, in* Bethlehem *juxta prophetiam naſceretur.* En correcta ſunt hæc duo verba. Corrigat nunc *Bedda*, tot calumnias, tot mendacia, tot convitia, quæ præter meritum congeſſit in proximum, non ex ignorantia Theologiæ, ſed ex contemtu præceptorum divinorum: *Non facies calumniam proximo tuo, Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Levit. XIX.

PROPOSITIO LVII.

Pater tuus & ego jam dies aliquot anxii te quæſivimus, omnia metuentes tibi, qua parentum pietas ſolet amatis liberis metuere.

SVPPVTATIO.

An beata Virgo tum temporis evidenter cognoverit filium eſſe Deum & hominem, mihi parum liquet, cum paulo ante dicti ſint admirari de his quæ dicebantur de puero. Hoc utcunque habet, vehemens amor etiam tuta timet, quod *Maria* potuit accidere, nec loquor de malis animi, ſed de corporis incommodis. Et meo judicio pium eſt credere, beatam Virginem materna ſollicitudine curaſſe filium, quod ad corporis neceſſitatem attinebat, quaſi purum hominem, ignaram quando placeret illi prodere ſuam divinitatem. Poſtremo quod *Maria* ſub utriuſque nomine refert, poteſt ad ſolum *Joſeph* pertinere, per hypallagen numeri. Sin vero ſciebant illum eſſe Deum, neque quicquam paſſurum quam oportuit, quid eſt quod dolebant metuentes, ne parentes ſuos relinqueret? nam hoc adfert *Theophylactus*. Si id placuiſſe Deo non ignorabant, quid habebant quod expoſtularent? Nunc expoſtulatio eſt, *cur feciſti nobis ſic?* Et audiunt: *Quid eſt quod me quærebatis?* Hæc ſi non placent *Bedda* ſtudioſo Virginis, audiat *Ambroſium* in hunc locum præter alia ſic loquentem: *Alibi ad miniſterium mater impellit, hîc mater arguitur, quia adhuc qua humana ſunt exigat.* Audis argui matrem, quod exigat humanum obſequium. Proinde apertam blaſphemiam, quam intentat hoc loco, faciet mihi cum *Ambroſio* communem, ſi me nolit abſolvere.

PROPOSITIO LVIII.

Jeſus *demiſit ſe morigetumque præbuit matri & Joſeph nutritio ſuo, non quod illis deberet obedientiam, ſed ex ſua bonitate obſecutus eſt ad tempus eorum imbecillitati.*

PROPOSITIO LIX.

Jeſus *nulli debebat obedientiam, niſi Patri cœleſti.*

SVPPVTATIO.

Hîc ſi quid eſt impietatis docuit *Stunica*, *Bedda* judicio Theologus abſolutus, non ob aliud niſi quod ſcripſerit in *Eraſmum*. Nam ipſe putabam *Chriſtum* obediſſe parentibus juxta naturam humanam, non ex præcepto, quo non tenebatur præſertim in negotio paterno, ſed obediſſe ſponte quo nobis pietatis erga parentes exemplum exhiberet. Nec abſurdum putabam ſi idem juxta divinam naturam diceretur obediens Patri, citra jacturam æqualitatis. Patri probati Doctores, quorum eſt *Ambroſius*, tribuunt hæc verba, *fiat lux, & facta eſt lux*, nimirum per Filium ex Patris delegatione. Verùm his de rebus nonnihil attigimus in Annotationibus poſtremæ Editionis in hunc locum, rurſus in Elencho. In præſentia tantum excutiam ſyllogiſmos *Beddæ*. Lucas *ait*, *Erat ſubditus illis, ergo debebat obedientiam.* Contra ſic argumentabor, Chriſtus *baptizatus eſt à* Joanne *baptiſmo pœnitentiæ, ergo commiſerat aliquid pœnitendum.* Audi aliud enthymema. Chriſtus *dixit*, *Non veni ſolvere Legem*, &c. *Ergo debuit obedientiam. Imo hoc erat implere Legem, etiam iis obedire, qui debebant ex ipſius præcepto pendere.* Chriſtus *erat ſupra omnem Legem, & tamen noſtra cauſa voluit implere omnem juſtitiam. Hæc arbitror digniora* Chriſto. Accipe tertium enthymema. *Deſcendi*, inquit *Chriſtus, de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, ſed voluntatem Patris qui in cœlis eſt, ſed voluntas Patris eſt, ut filii obediant parentibus bene monentibus*, &c. Quaſi *Chriſtus* eguerit parentum monitis! Si *Maria* noverat filium eſſe Deum, quod aſſumit *Bedda*, qua fronte auderet illum monere aut præcipere? Antea non patiebatur matrem quicquam timere filio, quem ſciret eſſe Deum, hîc permittit illi ut ſuo jure præcipiat moneatque filium. Nec his contentus vult *Chriſtum* Dominum omnium quæ ſunt in cœlis & in terris adhuc obſtrictum matri lege obedientiæ, juxta naturam humanam. Id probat arguto lemmate. Quoniam Eccleſia canit, *Monſtra te eſſe matrem*, quaſi dicat, jure matris impera redemtori. Si hæc non ſapiunt blaſphemiam, neſcio quid ſit blaſphemia. Quæ ſi veriſſima B. forent, tamen non erant ingerenda auribus hominum: ſunt enim quædam certiſſimæ veritatis, quæ tamen non ſine blaſphemia dicerentur, niſi forte ſic eſt viſum *Beddæ* ludere, tamen illud aſſeverat ſerio, *Chriſtum* ſedentem ad dexteram Patris, etiam nunc debere matri obedientiam. Id ne temere videatur aſſerere, ſubjicit rationem: *Quoniam*, inquit, Jeſus *cœpit facere & docere*, quaſi lex illa ſcripta ſit Angelis aut cœlitibus. Dure tractatur *Chriſtus*, ſi cum humanæ leges emancipent liberos à poteſtate parentum, cum liceat invitis parentibus profiteri Regulam S. *Brigidæ*, *Chriſtus* adhuc manet in poteſtate matris. *Bedda* ſodalis addit *Chriſtum* etiam in Euangelico negotio matri debuiſſe obedientiam, cum nullus Epiſcopus in ſuo munere debeat obedientiam parentibus. Hæc nos docent qui ſoli tenent myſteria Theologiæ, multo duriores in filium quam in matrem, quam arbitror illis iratam ob hos honores.

Porro quod hîc admiſcet *Bedda*, blaſphemum eſſe, ſi quis dicat *Chriſtum* juxta naturam divinam obediſſe C. Patri, Primum calumniam ſapit, propterea quod ipſe ſciat me hîc de homine loqui. Deinde extra cauſam arbitror pio ſenſu dici poſſe Filium Dei Patri obedire, non ut homo obedit homini, ſed ut legatus leganti, citra diminutionem æqualis dignitatis. Pater miſit Filium in mundum. Filius venit. An non hoc eſt quodammodo obedire? Veteres non dubitarunt dicere, Filium Dei juxta naturam ſubjectum Patri, & blaſphemia eſt dicere obedientem? Tribuunt auctoritatem abſolutam Patri, qua major eſt Filio, & auctoritati reſpondet obſequium. Hæc ne videar ex me proferre, referam *Ambroſii* verba in Cap. 1. *Corinth.* xv. ubi *Paulus* ita ſcribit: *Cum autem ſubjecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit illi qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* *Ambroſius* interpretatur ita loquitur: *Traditio autem hæc eſt regni, ut cum omnia Filio fuerint ſubjecta, & adoraverint illum ut Deum deſtructa morte, tunc Filius oſtendat illis non ſe eſſe ex quo omnia, ſed per quem ſunt omnia, & hoc erit tradere regnum Deo Patri, oſtendere ipſum eſſe ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Hæc *Ambroſius*, ex quibus liquet ſubjectionem Filii nihil aliud eſſe quam auctoritatem delatam Patri, quæ delatio locum habet & juxta naturam divinam. Rurſus inter alia, quæ

Digitized by Google

quæ brevitatis ſtudio prætermitto, ſic ſcribit: *Quia cum omnium principatuum, ac poteſtatum, & dominationum fuerit preſſa ſuperbia, & adoraverint* Chriſtum *quaſi Deum, tunc* Chriſtus *propter unicam auctoritatem Patris, Deum quidem ſe oſtendet, ſed de Deo, ut unius principii ſublimis & ineffabilis auctoritas maneat: hoc eſt, ſubjicere ſe Filium Patri, hoc eſt, Deum eſſe omnia in omnibus.* Et ne quis poſſet hæc ad humanam *Chriſti* naturam detorquere, ſubjicit *Ambroſius: Non tamen ſic ſubjicitur Filius Patri, ſicut Filio creatura.* His conſentanea ſcribit *Theophylactus*, qui *Bedda* eſt *Athanaſius.* Nec diſſentit *Chryſoſtomus*, oſtendens hîc *Paulum* tam magnifice locutum de auctoritate Patris, ne quis crederet eum eſſe Filio minorem, qui tanta geſſerat. Apud *Hilarium* verba in *Synodis* hæc referuntur, cum ſermo ſit de Filio Dei, nondum homine facto: *Nec coæquatur Filius Patri, dum ſubditus per obedientiæ obſequelam eſt, dum pluit Dominus à Domino, dum ad dexteram Dei tum conſedit, cum ſibi ut conſideret dictum eſt, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus qui ſe miſit, obſequitur. Sed pietatis ſubjectio, non eſt eſſentiæ diminutio: nec religionis officium degenerem facit naturam, cum per id quod cum & innaſcibilis Pater Deus eſt, & unigenitus Filius Dei Deus eſt, Deus tamen unus ſit, & ſubjectio Filii doceatur & dignitas, dum ei ipſi non niſi Filius nuncupandus ſubjicitur, quod cum Dei Patris ſit, tamen ſibi ex natura ſit, nomen habens alienum, ſed ejus cujus & Filius eſt, & ſit Patri & obſequio ſubjectus & nomine; ita tamen ut ſubjectio nominis, proprietatem naturalis atque indifferentis teſtetur.* Rurſus alibi in eodem opere: *Patri*, inquit, *ſubjectus eſt ut auctori. Nimirum Pater auctor eſt* Chriſto, *ut Deus generans Deo naſcenti.* Idem in opere *de Trinitate*, fatetur Filium, obſequentem Patris mandato, condidiſſe Mundum, interpretans hæc verba, *Fiat lux*, eſſe Patris mandantis Filio, & hæc, *facta eſt lux*, pertinere ad Filium, qui Patris mandatum ſit exſequutus. Hîc audimus *obſequelam* aut *obedientiam*, atque etiam *ſubjectionem* citra injuriam dignitatis. Rurſus libro *de Trinitate* VIII. ſcribit in hunc modum: *Et tamen ſe Deo Patri & Filii honore, & hominis conditione ſubdente, cum & nativitas omnis ſe referat ad auctorem, & caro ſe univerſa ſecundum Deum profiteatur infirmam.* Hîc palam facit Filium ſubdentem ſe Patri juxta divinam naturam. In his verbis audimus nomina *ſubjectionis, obſequelæ* & *obedientiæ*, juxta divinam naturam, & hæc Eccleſiæ tradita ſunt ab his viris, quos Eccleſia veneratur ut præcipuos propugnatores adverſus *Arrianorum* inſultus, atque hos ſingulos & univerſos *Bedda* cenſor condemnat hæreſeos ac blaſphemiæ *Arrianæ.* Non hîc attingam, quod quidam indigne ferunt hunc ſermonem, *Pater ſimpliciter eſt auctor omnium*, non intelligentes quid *Latinis* ſonet *auctor* & *auctoritas. Principii* vocabulum recipiunt, *auctoris* rejiciunt, cum hæc vox congruentior ſit rei quam illa. *Principium* enim ad ea relatum quæ exoriuntur, videtur eſſe prius, id enim vox ſonat: at in *auctoris* vocabulo ſine ratione temporis, tantum principatus originis ſignificatur. Jam *obſequii* verbum humilius eſt quam *obedientiæ: obſequimur* enim abſque judicio noſtro voluntati alienæ. *Obedimus*, cui dicto ſumus audientes. At frequenter *obedimus* illi, qui præſcribit quod ipſi volebamus, ſed cujus auctoritate res erat gerenda. *Cauſa* vocabulo nunquam uſus ſum in ſcriptis, quanquam ne ab hoc quidem abſtinuerunt Græci. Nec eſt quod nos magnopere moveat, ſi *Ariſtoteles* in Phyſicis diſtinxit *principia, cauſas* & *elementa:* de rebus divinis loquentes velimus nolimus, abutamur oportet vocabulis: qua quidem in re magis convenit ſequi conſuetudinem Scripturarum, aut Orthodoxorum, quam *Ariſtotelis* aut *Averrois*, qui fidei noſtræ myſteria, ne per ſomnium quidem attigerunt. Quod *Chriſtus* obſequutus eſt matri, diſpenſationis erat, quod obediens eſt Patri, naturæ eſt. Nam ut ipſe natura gignens eſt auctor, ita Filius naſcens natura obediens eſt gignenti. Si quis clamet, ergo inferior. Nequaquam. Sed obedientiæ vox declarat Patris auctoritatem, inferior autem dicitur, qui natura, potentia, ſapientia, aut bonitate minor eſt. Verùm hæc extra cauſam dicta ſint.

PROPOSITIO LX.

Naaman Syrus juſſus ab Eliſæo ter mergi in Jordane obtemperavit. Cap. IV.

R. Id quo caſu acciderit neſcio, utcunque accidit, erratum correximus, pro *ter* repoſuimus *ſepties*, & hoc nomine gratias habemus monitori.

PROPOSITIO LXI.

Etenim cum Satanas natura ſit mendax, etiam ſi quando verum prædicat, non in aliud tamen hoc agit, niſi ut fallat.

SVPPVTATIO.

Hîc *Bedda* calumniam movet ex vocula *naturæ*, quæ ſi nunquam invenitur pro natura corrupta, merito mihi movet quæſtionem. Sin id frequens eſt, nec ignorabat quid ſentirem, ſine cauſa tam multa congerit hîc de lapſu Angelorum, quæ nemo negat, aut neſcit. Nam & vulgo vehementem animi proclivitatem appellamus *naturam.* Et *Paulus* ad *Epheſios* ſecundo, *Eramus*, inquit, *natura filii iræ*, non quod ſic ab initio conditus ſit homo, ſed quod à parentibus vitiatam naturam trahimus. Et *Hieronymus* notat *naturæ* vocabulum anceps eſſe, interdum ſignificare *conditionem*, interdum idem quod *prorſus* ſive *omnino*, eoque nonnullos hunc locum ſic transtuliſſe, *Eramus prorſus filii.* Et quod aliquis nullius impulſu facit, *natura* facere dicitur. Sic & *Ariſtoteles* natura cognoſcibilia vocat univerſalia, quod ex ſeſe certius cognoſcantur, licet ſingularia ſint notiora ſenſibus. Et *Terentius* quendam *naturæ miſerum* vocat, quaſi vehementer miſerum, & ad miſeriam natum. Jam *Diabolus* non conditionis nomen eſt, ſed vitiatæ naturæ. Quoniam autem *Joannes* Cap. VIII. ſcribit, *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater ejus mendacii,* hoc velut exprimens dixi *naturam.* Quod ſi naturam hominis depravatam, & tamen ad rectiora vertibilem recte dicimus *naturam*, quanto minus abſurdum eſt, *Diaboli naturam* dicere, qui mox à conditione ſic depravatus eſt ut nunquam ſit reſtituendus? C.

PROPOSITIO LXII.

Fides autem obedientia eſt, obedit enim qui juſſus credere credit. Cap. V.

SVPPVTATIO.

Si fidem accipias non pro habitu, ſed pro actione, nihil prohibet, quamvis virtutis actionem, ſi conferas ad præcepta, dicere obedientiam: nec abſurdum eſt eaſdem diverſis diſtingui nominibus, ſi vel ad materiam, vel ad objectum, vel aliud ſimile reſpicias. Ego tamen peculiariter obedientiam appello fidem, videlicet ut excluderem *Judæorum* in operibus fiduciam, ac prodigiorum exactionem, præterea Philoſophorum ratiocinationes, cum Euangelica doctrina credenda potius ſit, quam prodigiis aut humanis rationibus probanda. *Chriſto* clamanti *pœnitentiam agite, inſtat regnum cœlorum*, reclamabant *Judæi, quod ſignum nobis oſtendis?* quia carebant fide. Sic cum *Athenienſibus Paulus* diſputans, quia carebant fide, *ſpermologus* illis erat. Cæteri ſimpliciter obediebant. Hæc ea occaſione dixi, quod exponerem nomen *Simonis* Eccleſiæ principis: lege locum, & videbis rem ſic habere. Nec hîc ullus eſt error in Philoſophia aut Theologia, cum ſit doctrina *Pauli*, qui non uno loco fidem obedientiæ nomine deſignat, & obediendi verbum uſurpat, pro verbo credendi, velut ad *Rom.* I. *Ad obedientiam fidei*, juxta Græcos appoſitive, aut ſi mavis, *ut obediatur fidei*, quemadmodum nos vertimus, minimum

Digitized by Google

intereſt, fides enim eſt & promittentis & credentis. Obedit igitur qui credit Euangelicis promiſſis, Græce legitur εἰς ὑπακοὴν πίστεως. Iterum ejuſdem Epiſtolæ Capite ultimo, *In obedientiam fidei*, εἰς ὑπακοὴν πίστεως. Rurſum II. *Corinth.* x. utitur eodem verbo dicens, *In obſequium Chriſti*, ὑπακοήν. Ac mox ſequitur, *Ulciſci omnem inobedientiam*, quod Græce eſt παρακοήν: fidem vocat *obſequium*, incredulitatem *inobedientiam*. Item I. *Petri* I. *In obedientiam & adſperſionem ſanguinis*, &c. Quo loco rurſus eſt ὑπακοή. Rurſus ad *Rom.* x. *Non omnes obediunt Euangelio*, ὑπήκουσαν, unde ὑπακοή. Quod autem de credendo ſentiunt, declarant quæ mox ſuccedunt, *Quis credidit auditui noſtro?* Item II. *Theſſ.* I. *Iis qui non obediunt Euangelio*, ὑπακούουσιν: *obediunt* dixit pro credunt. Rurſus ad *Galat.* v. *Quis vos impedivit non obedire veritati.* Πείθεσθαι, id eſt, *obedire*, dixit pro credere. Quod quo certius intelligas, ejuſdem Epiſt. Cap. IV. *Quis vos faſcinavit non credere voluntati.* Idem eſt verbum πείθεσθ, quod ante verterat *obedire*, hîc ver-
C. tit *credere*. Cum igitur piam habeat ſententiam quod à me poſitum eſt in Paraphraſi, cum Apoſtolicæ doctrinæ conſentaneam, quorſum attinebat hîc ex verbis ſophiſticam ſtruere calumniam?

PROPOSITIO LXIII.

Solus Jeſus *omne morborum genus tollit, nullum aliud exigens ſacrificium quam ſimplicem ac puram erga ſe fiduciam.*

SUPPUTATIO.

Alibi *Bedda* clamat me ſacrilegum, qui *Luca* ſermonem tribuam illi non congruentem, hîc diſſimulans
C. quam perſonam inducam, calumniatur duo, alterum quod negem hodie Sacerdotes abſolvere à peccatis, cum ea de re ne ſomniarim quidem, quanquam & hodie Sacerdotes ut baptiſmi, ſic & abſolutionis duntaxat miniſtri ſunt, non auctores. Fatentur & Theologi per contritionem illico remitti peccatum priuſquam abſolvat Sacerdos, qui magis abſolutum pronuntiat quam abſolvit. Certe ſolus *Chriſtus* abſolutionis eſt auctor. Cæterum cum *Lucas* ibi *Chriſtum* ſanantem ægrotos ac leproſos conferat cum Sacerdotibus Veteris Teſtamenti, calumnioſe *Bedda* detorquet mea dicta ad horum temporum Sacerdotes, de quibus illic non agebatur, nec meus ſermo dedit illi anſam reprehendendi quæ diſſeruit adverſus *Fabrum*, ſed ipſius animus præter cauſam arripuit occaſionem calumniandi. Quod ſi pari malignitate libeat interpretari verba cenſoris, quod negat
B. ſolum *Chriſtum* tollere omne morborum genus, cum de eo ſolo teſtificatus ſit *Joannes*, *Ecce qui tollit peccatum Mundi*,
C. minimum abeſt à blaſphemia. Alterum calumniæ genus ex eodem fonte naſcitur. Loquitur illic *Lucas* de his qui ex quacunque vita ſeſe convertebant ad Euangelii gratiam, ad quam omnibus ſine diſcrimine patebat aditus per fiduciam erga *Jeſum*, id *Bedda* contorquet ad horum temporum contentioſas quæſtiones, de bonis operibus ac ſatisfactione. Cæterum ut dicerem quod dixi, miraculorum quæ geſſit *Chriſtus* ratio fuit in cauſa. Nulli legitur dixiſſe, *Nolo te ſanare, quia hactenus male vixiſti.* Aut, *non ſanaberis, niſi toties jejunaveris.* Tantum liberabat, quoſdam admonens ne repeterent priſtina peccata.

PROPOSITIO LXIV.

Quanquam Chriſtus *frequenter oraret, tamen ſuos docuit, & paucis & clam eſſe orandum, nec ullum exegit jejunium.*

SUPPUTATIO.

Quis tam leni ſit animo qui ferat hunc ſenſorem ſine fine de nihilo criminantem, nec aliud crepantem quam tragicas blaſphemias? *Chriſtus* ſuos docuit clam & paucis orare: Hoc eſſe verum nemo poteſt inficiari.

A Qui jubet intrare cubiculum, & oſtio clauſo orare, nonne jubet orare clam? Qui dicit, *cum oratis, nolite multum loqui, hoc enim Gentes faciunt*, & qui damnatis aliorum multiloquiis præſcribit orandi formam brevem, nonne docet orare paucis? Hoc itaque qui negat eſſe B. verum quod expreſſum eſt in Euangeliis, nonne palam blaſphemus eſt? Sed alibi Dominus juſſit ſemper orare, & nunquam deficere, & *Paulus* docet ſine intermiſſione orandum, & Eccleſia publicitus orat; quid tum poſtea? Ergo contraria Euangelio docet Paraphraſtes. Quî minus Euangelio contraria docet cenſor? Quod dico expreſſum eſt Euangelii verbis & conſiſtit, quod affert *Bedda*, non conſiſtit abſque tropi fultura. Quis
B enim poteſt ſemper aut ſine intermiſſione orare? *Verùm hæc*, inquit, *in ſpeciem contraria, debebat* Eraſmus *in concordiam redigere, conſultis Eccleſiæ Doctoribus*, quorum de numero eſt *Bedda*, quaſi nos Doctores, quos nuper pernicibus oculis cœpit percurrere *Bedda*, nuſquam viderimus, cum ex his contexuerimus & Paraphraſes & Annotationes. Hoc ſcilicet vacabat in Paraphraſi, & tamen id facio in Paraphraſi quantum licet, in Annotationibus & in Libello *de modo orandi* diligenter explico nodum. Proinde calumnia eſt, quod C. ait me à Catholicorum ſenſu deviaſſe. Mendacium eſt, V. quod ait me Linguarum præſidiis fretum neglexiſſe, quid ſuper hac re dixerunt catholici Doctores. Men- V. C dacium item, quod crebro tradam Euangelio contraria. Æque falſum, quod hîc ipſe mecum pugno. An hæc V. inter ſe pugnant, *Chriſtus* frequenter oravit, & non multis verbis oravit? *Chriſtus* quædam faciebat quæ tum temporis nondum exigebat à ſuis diſcipulis. Jejunabat ipſe, jejunabant *Joannis* diſcipuli, ſuos non jejunantes excuſabat. Ita tum temporis Apoſtoli nondum erant apti prolixis precibus, exemplum tamen edebatur à Domino, quod poſt accepto Spiritu Sancto ſequerentur. Cur non clamat eſſe ſchiſmaticum, quod vulgo dicitur, *Oratio brevis penetrat nubes?* Cur *Auguſtinus* in Libello *de modo orandi Deum*, laudat hujuſmodi breves precatiunculas, ſubinde velut ejaculatas, quod difD ficile ſit animum in prolixis verbis ſemper intentum eſſe? Sed *Bedda*, ut videtur, putat orationem durare quandiu in labiis perſtrepit Pſalmus. Hîc ſcilicet *Bedda* habebat ingentem campum laudandi deprecationes ac jejunia, quaſi paucis locis eadem ipſe commendarim, quaſique quicquam hîc adverſus ea dixerim. Et perinde quaſi hoc docuerim, ſic pronuntiat *Appius* cenſor, ne dicam impius, *Quod hîc ſcribit de oratione Paraphraſtes, Scripturæ veritati adverſum eſt, ſchiſmaticum, & Cleri moribus pernicioſiſſimum.* Quid ſcripſi, miſerande *Bedda*? *Chriſtum* frequenter oraſſe? an hoc tale eſt quale prædicas? *Docuit ſuos clam & paucis orandum.* An non hoc clare narrat Euangelium?
E Sed accipis, inquit, in perverſum ſenſum. Imo *Bedda* perverſe interpretatur. *Debebas*, inquit, *in concordem ſenſum redigere verba quæ pugnare videntur.* Id cum toties fecerim, quid refert, cum *Bedda* nihil legat, niſi quod aliqua pateat calumniæ. Hîc annotavi quid pro eo tempore *Chriſtus* ſuos verbo docuerit, quid exemplis exhibuerit. Jam quale eſt hoc enthymema, Chriſtus à ſuis non exegit jejunium, ergo nobis non eſt jejunandum? Sic itaque invertenda eſt hæc cenſura, Quod hic ſcribit cenſor *Appius*, Scripturæ veritati adverſum eſt, concordiæ venenum eſt, & Chriſtianorum moribus exemplum eſt pernicioſiſſimum. De jejunio diſputationem delegat *Clithoveo*, ipſe maF ledicendi provinciam obiit. Quanquam hanc propoſitionem diu multumque quæſitam non reperio in meis Paraphraſibus, nec arbitror ipſum *Beddam* ſcire unde ſit decerpta, per magiſtellum quempiam ſcheda ſine titulo in manu tradita. Nam innumeris argumentis colligo illum nihil meorum operum legiſſe, qui ſi vel Paraphraſes legiſſet, niſi plane Diabolici ſpiritus ſit, nunquam potuiſſet tanta petulantia in eas debacchari. Adeo multa ſunt illic quæ piam mentem poſſint delinire. Rurſus tam multa quæ *Bedda* ſimilis

ju-

Digitized by Google

justius poterat calumniari, quam hæc in quæ sic debacchatur.

PROPOSITIO LXV.

Luc. x. *Designavit* Jesus *è numero discipulorum septuaginta, quemadmodum & antea selegerat duodecim.*

PROPOSITIO LXVI.

Sermonibus instructos Dominus Jesus *emisit septuaginta discipulos facturos sui periculum in Euangelii prædicatione.*

SVPPVTATIO.

Cum magno consensu Græci codices habeant 70. non 72. cum sic legat *Ambrosius*, *Dorotheus* martyr, & *Theophylactus*, oportuit hos prius consulere *Beddam*, quam calumniam impingeret. Saltem in Annotationibus paratum locum inspexisset. Verùm hoc præfatus erat, se non respecturum ad Annotationes. Quamobrem? Ne non haberet locum calumnia. *Sed apertam*, C. inquit, *impietatem haud dubie spirat & in* Christum *blasphemiam*, quod dixi, *facturos sui periculum*. Ubi impietas, ubi blasphemia, mortalium omnium βλασφημότατε? *quasi Christus*, inquit, *nescierit quid esset eventurum*. Quis hoc dixit aut sensit infelix? Volebat ut discipuli rudes adhuc præluderent, ut ita loquar, ad Euangelii prædicationem, & experirentur, quid possent suis viribus, quid possent fiducia nominis *Christi*. Hoc consilio passus est illos cadere, ut discerent suis viribus diffidere, hoc nunc emittit, ut experirentur quantam vim habeat per fidem invocatio nominis *Jesu*. Si dixissem *facturus periculum*, habebat solœcista quod calumniaretur, nunc cum dixerim *facturos*, impudenter calumniatur, sic interpretans quasi scripsissem *Christum* experiri voluisse, quid possent discipuli. *Delegerat*, C. inquit, *illos*: verum, sed quos elegerat eosdem paulatim finxit ac formavit, donec essent idonei. Non veretur divus *Chrysostomus* Dominum, exercentem ac per gradus provehentem ad perfectiora discipulos imbecilles, comparare avi, quæ pullos nondum satis volucres paulatim docet librare alas, mox aliquo usque è nido provolare, donec jam idonei sint ad quo velint devolandum, & ego blasphemiam loquor, dicens pri- C. mum discipulos emissos ad prædicandum ut sui periculum facerent, hoc est, experirentur quid possent in Euangelico negotio? Si hoc non est sycophantam agere, quid est obsecro?

PROPOSITIO LXVII.

Pharisæus stans vicinus propitiatorio, veluti dignus qui cum Deo cominus loqueretur, sic orabat.

SVPPVTATIO.

Vicinum dixi, non quod esset intra sanctum sanctorum, sed quod propinquior esset, quam Publicanus. Nam *Lucas* exprimit procul stetisse, veluti non ausum propius ad propitiatorii locum accedere, ex quo colligitur Pharisæum ut sibi placentem fuisse propinquum. Quod diligenter explicat *Augustinus*. Proinde quod hîc C. docet *Beddæ* de propitiatorio, poterat absque proximi calumnia docere, nec opus erat nebularum aut tenebrarum, ignorantiæ & præsumtionum convitio, cum tale nihil sit in verbis meis.

PROPOSITIO LXVIII.

Alius ostendit aliquem ex Pharisæorum genere nigro pallio, & dicit adspice, hîc est Christus. *Alius rursus indicat alium candido pallio & dicit*, ecce hîc est Christus. *Alius diversos indicans colores & formas vestium, clamat*, hic est Christus. *Alius demonstrat vescentem piscibus, & dicit*, hic est Christus. *Alius spadonem, id est, continentem, & dicit*, hic est Christus. *O Judaicum & incredulum genus, vis videre* Jesum? *Conscende arborem, sume tibi oculos* Zachæi.

SVPPVTATIO.

C. Primùm hîc *Bedda* palam in hoc calumniatur, quod sub persona *Lucæ*, de illorum temporum superstitione dictum est, detorquens ad meam personam & hæc tempora. Deinde prætermissis aliquot verbis quæ calumniam excludebant, quemadmodum ante prætermiserat, circumcisionem, neomenias & lotiones, ea decerpit, quæ commode poterat ad calumniam detorquere. Præcesserant enim hæc: *Pharisæi clamant, Ecce hic est Jesus, Sadducæi clamant, ecce hic est, Ebionita* clamant, ecce hic est.* Hæc verba quoniam declarant *Lucam* de superstitiosis *Judæorum* sectis loqui, qui *Christum* quærebant in rebus corporeis, negligentes ea quæ sunt veræ pietatis, hoc est, vestem *Jesu* quærentes, non faciem, & in rebus humilibus perfectam B statuentes religionem, *Bedda* velut obsistentia calumniæ prætermisit, haudquaquam arte rhetorica, sed alia quadam qua nimium valet ubique. Et in his verbis clamat nihil esse Euangelicum, quale si quid à me dictum esset, quoties inclamaret blasphemiam? Imo quid B. aliud docet *Christus*, qui toties insectatur *Judæorum* stolas, phylacteria, jejunia, sabbata, sacrificia, delectum ciborum, Templum, docens Deum adorandum in spiritu, & Deum esse Spiritum, & qui de Spiritu natus sit spiritum esse, qui dicit expedire discipulis ut sui corporis subducat præsentiam. Quid æque nobis inculcat spiritualis ille *Paulus*? Sed *Bedda* putat allusum ad horum temporum Monachos. Demus hoc esse verum, C quid tum postea? An non est Euangelica monitio, ne Monachi pietatem constituant in vestium formis aut coloribus, sed in fide & in *caritate*, sine quibus nemo Christianus est? Quid poterat dici magis Euangelicum, aut Monachis utilius? Nisi forte *Bedda* putat nullos esse Monachos, qui vestitui fidentes, negligunt ea quæ sunt veræ pietatis. Utinam hoc vere liceat dicere! Veruntamen si nulli sunt, fortassis fuere tales, & in posterum exoriri poterunt. Quid autem istultius, aut blasphemiæ vicinius, quod vestem poly- B. mitam *Joseph*, & vestem inconsutilem *Jesu*, interpretatur varios colores, ac figuras Monachorum? Videat an quisquam Orthodoxorum sic ausus sit interpretari polymitam *Joseph*, & *Christi* tunicam inconsutilem. Atque hîc rursus geminam parit calumniam. Primo quod C. C. damno varietatem virtutum in Domino *Jesu*, quodque scindam Ecclesiæ concordiam, cum ubique pro mea virili prædicem *Christi* gloriam: deinde quod damnem cultum Monachorum, cum ex meis verbis nihil aliud colligi possit quam in vestium discriminibus non esse sitam veram pietatem, cum tamen illic agam de superstitione *Judæorum*, quæ si eadem quadrant in aliquot Monachos, corrigatur quod erroris est, & laudetur monitor. Si quis idem moneat de vestibus sacris, quibus induti Sacerdotes rem divinam peragunt, an non recte monuerit? Nequicquam enim ornantur illis ve- E stibus, si desit ornatus internus. Sed multo impuden- C. tior est calumnia, quod ait me per hanc parabolam mordere castitatem Ecclesiasticorum & professorum, qui toties etiam conjugatorum castimoniam laudavi scriptis. Quis enim sic insaniat, ut vituperet in Sacerdote aut C. Monacho castitatem, qui criminetur omnem victus abstinentiam, austeritatemque vestitus, etiamsi essent qui exemplo *Joannis* vestirentur pilis camelorum, vescerenturque locustis, modo ne in his collocarent fastigium pietatis. Nec minus est impudens calumnia, quod C. ait me pœnitentiæ officia, appellare Judaica & Pharisaica, sed illis plus satis tribuere Pharisaicum est, & de talibus dicit *Paulus*, *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas ad omnia valet*. Præposterum itaque judi- F cium taxo, non res ipsas. Sed omnium impudentissi- C. mum est, quod *Basilium*, *Augustinum*, *Benedictum* & *Franciscum*, & reliquos ejus generis, impiissime & exsecrabili blasphemia blaterat à me dictos incredulos. Excutiat omnes meas lucubrationes, & reperiat si queat usquam vel unum verbum, quo perstrinxerim

* Hîc videtur Erasmus memoriæ lapsu *Ebionitas* scripsisse pro *Essenis*.

Digitized by Google

istos, quos nominat Ecclesiæ probatissimos viros. An quisquam illorum clamavit, *Ecce hîc Christus sub nigro pallio, ecce hic sub candido*? Imo probabilius est ab illis nihil traditum præter vestis honestatem ac simplicitatem, hæc discrimina colorum ac figurarum ab aliis adjecta sunt. Et arbitror si reviviscceret *Franciscus*, videretque posteros suos in tot colores, in tot calceorum ac cingulorum formas, in tot titulos dissectos, magno studio cohortaretur eos ad pristinam simplicitatem.
C. Calumnioſum & illud, quod spadonem interpretatur continentem, cum ego cœlibem significaverim. Utinam autem casti sint quotquot sunt cœlibes! haberemus Ecclesiam aliquanto mundiorem. Sed esto, sit dictum in professores continentiæ, an per se pietas est abstinere à coitu? Cur igitur excluduntur virgines fatuæ?
C. Nec vacat à calumnia quod hîc objicit, *Mauros* nescio quos, qui juxta *Benedicti* institutum viventes pervenerunt ad æternam felicitatem: quasi ego negem *Benedictinos* posse fieri salvos, aut quasi illi, quos commemorat, fiducia vestitus eo pervenerint. Nec his
C contentus, addit me damnare eos qui studeant observare consilia Euangelica. Quæ sunt ista consilia, ut quis gestet nigrum aut album pallium, ut vescatur piscibus? *Noli resistere malo*, consilium est Euangelicum; *Noli irasci fratri*, consilium est Euangelicum; *Castra te*, sed *propter Euangelium*, consilium est Euangelicum; *Noli omnino jurare*, consilium est Euangelicum; *Benedic maledicentibus*, *Bene fac inimicis*, consilium est Euangelicum. Hæc mihi *Bedda* commonstret in Monachis. Non quod nullos existimem esse tales, sed quod doleam esse tam raros. Et in his qui vere tales sunt, minimum fidunt vestitui; licet eum gestent,
V. ne sint infirmis offendiculo. Jam quod addit me ridere verba, nescio quæ, *Gregorii* opinor, vel me tacente lectorem videt esse falsissimum. Consimilis est impu-
V. dentiæ, quod adjicit me cum nescio quibus hæreticis damnare statum religionum factitiarum, cum hîc nihil aliud agam quam de superstitiosa fiducia vestium: quod si in Episcopos aut Sacerdotes dixissem, admonens ne in pedis, mitris, infulis, & annulis aut rasura ponerent finem pietatis, sed in animi pietate, nemo poterat reprehendere: nunc multo minus debet reprehendi quod dictum est in Monachos, qui ad quem Ecclesiæ statum pertineant non hîc disputo, constat Episcopos, Presbyteros & Diaconos ab Apostolis agnosci. Sed quas mihi *Bedda* factitias religiones narrat? An est aliqua pietas factitia? nam religio pietas est. Quid autem aliud sonat factitia religio, quam fucatam & commentitiam, quales erant religiones Gentium ab hominibus excogitatæ? Quod si sentit, ut arbitror, de diversis Monachorum institutis, satis honorifico titulo notat eos quos vult efferre. Jam de religionum vocabulo prius admonui, quo parum Christiane compluB. res abutuntur. Cum sit una Christianorum omnium religio, dicere religiones varias, non multum abest à blasphemia, & hoc est vere scindere *Christi* tunicam inconsutilem. Olim honoris gratia Christianus Christianum appellabat sanctum, sed quis unquam negavit alterum esse sanctum, aut sibi vindicavit sancti cognomen? Nunc dicunt, *Nos Religiosi*, & si quis percunctetur de eo qui Monachismum professus non sit, *est-ne Religiosus*, non est, inquiunt, hîc contumelioſi in proximum, illic arrogantes. Sed finem faciam si hoc unum addidero, videat lector, uter nostrum magis faveat Monachis, ego qui admoneo ne freti vestitu negligant veram pietatem, an *Bedda* qui vult eos perfectam pietatem collocare in rebus extrariis? Dicet, non excludimus illa; verùm illa addunt ex more, sed hæc inculcant, hæc efferunt, ob hæc cœlum terræ miscent. Ita *Christi* doctrinam paulatim vertimus in synagogam, cum oporteat contra facere. Illa potissimum inculcanda auribus atque animis hominum, sine quibus nemo Christianus est, reliqua pro tempore vel probanda vel negligenda.

PROPOSITIO LXIX.

Nisi Christus Petrum *evidenter castigasset, existimassemus nobis licere adversus impiorum violentiam armis nos defendere, ac vim vi repellere. Nunc cùm* Petrus *reprehensus sit, quod adversus impios & sceleratos pro innocentissimo Domino strinxerit ferrum, quæ poterit esse post hac causa, ut homo Christianus injuriam injuria repellat?*

SUPPUTATIO.

Nec hîc immemor est artificii sui *Bedda*, quod dictum est sub persona *Luca*, ad prima nascentis Ecclesiæ tempora pertinens, detorquet ad hæc tempora C.
meamque personam. Addit & alterum artificium de- C.
pravans meum sermonem. Ait me statuere, ne liceat
Christiano, vim vi ullo repellere casu. Ac post repe- V.
tit impudens mendacium, me cum hæretico *Luthero* Mundo Euangelizare, *Christi* præceptum transgredi quisquis injuste illatam vim, satagit quocunque casu repellere. Hoc *quocunque casu* de suo addidit, quo locum faceret calumniæ. Primum *Lucas* illic agit de vindictæ cupiditate, non de juridiciali coercione. Sic enim ingredior hunc locum, *Tum* Jesus *ut prorsus revelleret ex animis illorum omnem vindictæ cupiditatem*, &c. Si vim vi repellere animo vindicandi fas est Chri-
C stianis, ante mentitus est *Bedda*, qui noluit hoc esse concessum *Judæis*. Deinde *Lucas* illic agit de Euangelio non defendendo adversus impios, ne periret Euangelii gloria. Hæc sententia placuit *Augustino* quoque, cum id ætatis tantæ essent Christianorum opes, ut idololatras etiam armis possent opprimere. Postremo cum in genere nominem Christianos, non dico, *vim vi repellere*, sed ajo, *injuriam injuria repellat*. Et C.
hoc artis est calumniatoriæ. Obtestor censorem *Beddam*, est hîc aliquid quod sapiat hæresim? Sed voluit ostendere se nonnunquam etiam inspexisse libros Jureconsultorum. Verùm cum hac de re non paucis locis declamem, & in Paraphrasibus & in Annotationibus,
D præsertim in XXII. *Luc.* Caput, otiosum fuerit hîc repetere. Illud annotabo quod *Bedda* stulte addidit, de cæteris per Linguarum artem Theologiam tractantibus. Nam in his est & *Stunica*, & *Lens*, & Episcopus *Rossensis*, quos vult videri Theologos absolutos. Sunt & alii complures & apud *Anglos*, & apud *Italos*, qui tractant rem Euangelicam præsidiis Linguarum, quas si *Bedda* non contemneret, non toties cæcutiret magno Theologici nominis dedecore. Quanquam Latine scribit, affectat tamen nescio quid tragicæ grandiloquentiæ, licet infeliciter. Magis congruebat *Gersonico* stylo tractare rem, si Linguæ nihil faciunt ad Theologiam. Subinde nobis objicit *Lenum* & *Stunicam*, mi-
E sere cupiens vetus ulcus refricari, igneſque sopitos suscitare, jactitans illos mira felicitate scripsisse in me, me perseverare intractabilem. Per me sane non recrudescet contentio cum *Leo* & *Stunica*, cujus, quod ad me quidem attinet, jam pridem oblitus sum. Verùm si quis legat ea quæ *Stunica* ac *Lens* scripserunt in me, contra, quæ ego respondi, fatebitur *Beddam* nec illorum invectivas, nec meas apologias unquam legisse, aut impudentissime contra suam ipsius conscientiam hæc V.
fingere. Certe utrumque vici civilitate, idque omnium judicio, qui ullo sunt judicio. Et tamen illi provocarunt, ego lacessitus me defendi. Quem autem unquam rejeci recte monentem? qui etiam *Bedda* cedo, si quid
F recte moneat, quo nullus adhuc monuit, neque sævius neque indoctius, contemtis omnium doctorum judiciis deblaterans quicquid in buccam venit. Verùm il- V.
lud jocans dicit homo lepidus, me docere vim vi non esse repellendam, nihilque minus servare quam quod doceo. Quamobrem? Quia lacessitus respondeo, cum ipse neminem adhuc stylo provocarim, nisi ad amicitiam. Scilicet oportebat agnoscere silentio quicquid *Bedda* libuit impingere, impietates, blasphemias, schismata. An non merito me vocat Scriptorum omnium im-

Digitized by Google

impatientiſſimum, qui tam amicas admonitiones, quibus ſcatet hic liber, ferre non queam? Et interim vim eſſe negat, cum conjuratis aliquot famoſis libellis famam & vitam immerentis impetere? Quid refert, ſica graſſeris an calamo, modo idem ſit animus, & ſcopus idem? Nocentior eſt aſpis armata veneno, quam taurus cornibus. *Et hic*, inquit, Eraſmus *præſtitit ſe* Lutheri *vel diſcipulum vel præceptorem.* In quo? Quia
V. reſpondeo. Quid eſt tam vanum aut abſurdum quod non auſit pronuntiare cenſor abſque ſenſu? Hac certe in parte nihil mihi convenit cum *Luthero*. *Lutherus* reprehenſus adeo nihil corrigit, ut addat aliquid ei quod diſplicuit. Ego & *Eco* & *Stunica* in nonnullis ceſſi, tantum ea defendi, quæ perperam erant notata. Præterea *Lutherus* articulos damnatos agnoſcit ac tuetur, ego depello calumniam, docens eos articulos non eſſe in meis ſcriptis qui falſo impinguntur. Atque hîc rurſus vult videri feſtivus, homo natus gratiis. *Illius*, inquit, *& noſtri Dominus miſereatur.* Hoc eſt unum de dictis *Beddæ* melioribus. Atqui ſi ſatis agnoſceret ſe ipſum, non joco, ſed ſerio imploraret Domini miſericordiam, quem ſi tam ſeverum experietur ſuorum benefactorum judicem, quam ipſe eſt aliorum cenſor iniquus, miſerabilis erit *Beddæ* conditio, cum res non fucis ac fumis agetur ſub judice cardiognoſta.

PROPOSITIO LXX.

Cap. XXIII. Jeſus *mortem ſuam non lugubrem, ſed glorioſam eſſe voluit, nec deplorari, ſed adorari.*

SVPPVTATIO.

C. Tota hac cenſura veluti lymphatus nulla de cauſa furit *Bedda*. Exponens illud, *Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me*, &c. ſubjicio quæ refert *Bedda*, ſed addo quod ille prætermiſit, *Non eſt deflenda mors innocentis, ſed illorum exitium deplorandum eſt, qui pro ſuis ſceleribus*, &c. Priora dicuntur ſub perſona *Lucæ*, poſteriora ſub perſona *Chriſti*. Nec dubium eſſe poteſt, quin loquar de affectu vulgari, quo cruciatum cujuslibet commiſeramur. Si hoc affectu *Chriſti* mors deploranda eſt, cur igitur Eccleſia tantis gaudiis celebrat natalitia martyrum, qui tamen non caruere peccatis? Hîc potius erat plorandum. Et ſi *Chriſtus* voluit hoc pacto mortem ſuam deplorari, cur compeſcit fletum mulierculârum, pio tamen affectu lachrymantium, admonens eas ut ſeipſas potius ac ſuos liberos deplorarent? Videmus & hodie ſimplices quoſdam, præſertim mulierculas, *Chriſtum* miſerabili ſpecie pictum ac ſculptum, veluti commiſerantes illius calamitatem, deplorare, quos ſimiliter oportebat admoneri à Theologis, ut ſua potius peccata deplorent, quæ *Chriſtum* ad illa perpetienda adegerunt, caveantque ne ſubinde relabentes in priſtina peccata, iterum atque iterum ſibi crucifigant Dominum. Nunc concionatores quidam licentia ſculptorum ac pictorum exaggerant in immenſum *Chriſti* dolores, quoque reddant eum miſerabiliorem, affingunt permulta quæ nuſquam leguntur, nec ſunt veriſimilia, multa philoſophantur de nobilitate complexionis Dominici corporis, deque ſenſuum omnium ſubtilitate, pronuntiantes nullum eſſe cruciatum acerbiorem, excepto eo quem damnati patiuntur apud inferos, atque ita demum aniculis aliquot excutiunt lachrymulas aliquot temporarias ac ſuſpiria. Euangelii teſtimonium pro me facit, produxi rationes, ut arbitror, non impias. Nunc audi quibus argumentis *Beddæ*, vetus Theologus, intentet criminum ingens agmen. Primum fatetur Dominum noluiſſe reſurrectionem ſuam glorioſiſſimam deplorari, ſed mortem eſſe luctuoſiſſimam. Unde id probat? Quoniam *Mariæ* dixit, *quid ploras?* idque bis. Sed uter ſermo dilucidior eſt, *Nolite flere ſuper me*, &c. an, *Mulier, quid ploras?* Illic manifeſte vetantur flere, hîc tantum fletus cauſa quæritur: & tamen *Bedda* adfert certa piaque, ego adverſa Euangelio & blaſphema. Atque hîc eloquentia futile argumentum adjuvat, *Dum Chriſto*, inquit, *ut homini pro hominis redemtione omnibus deploranda lachrymis ab iniquis inferebantur, tempus erat flendi ac gemendi, quod vere deploranda tum recogitando proponerentur. Nunc vero reſurrectionis conſideranda venit gloria.* Sic *Bedda*. Si tempore reſurrectionis plorandum erat ob præſentem cruciatum, quoniam *Chriſtus* qui revixit jam non moritur, non eſt illius mors nobis deploranda, ſed applaudendum victoriæ. Aliud audi lemma: *Auguſtinus legens quartum Æneidos librum, cum ſciret eſſe fictum quod Poeta narrat de morte Didonis, tamen lachrymas tenere non potuit: multo magis nos flere debemus cum recitatur mors Domini.* At tales lachrymas nihil moratur Dominus, quales puer *Auguſtinus* emittebat *Virgilium* legens. Sic interdum & latronum ſupplicio lachrymas damus, contemplatione ſortis humanæ. Accipe rurſus aliud argumentum: *Si* Chriſti *paſſio non eſt lugenda, cur adhibita etiam muſica ſeveriore, qua conſtat διὰ τεσσάρων, quotannis recitatur in Eccleſia?* Quid ni? nimirum ut ſic *Chriſti* miſerandum interitum deploremus, quemadmodum olim mulieres deplorabant *Adonidem*, ac pullati ad Domini cenotaphium lugubres nænias perſonemus. Cui dum recitatur Domini mors, lachrymas excutit propriorum ſcelerum conſideratio, pro quibus pœnas luit Dominus, pie luget, ſeipſum videlicet, non Dominum: cui lachrymas excutit immenſa Dei caritas, qui ſic dilexit Mundum, ut Filium unigenitum traderet pro redemtione Mundi, pie flet. Cæterum qui Domini mortem ſic flet, quemadmodum deflemus mortem cujuslibet innocentis, nonnunquam & nocentis, ſtultas & inanes fundit lachrymas, quæ mox exareſcunt, nec ullum pietatis fructum gignunt in plorante: isque magis arguendus eſt cum *Hieroſolymitanis* mulierculis, quæ nondum intelligebant eam paſſionem eſſe triumphum, non interitum. Male ſentit de *Chriſto* qui eum ut miſerandum deplorat. Non eget ille noſtra miſericordia, ſed nos potius illius. Adjicit vetus Theologus Apoſtoli teſtimonium, *hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu.* Ita ſolent citare Scripturas qui non amant Græciſſantes Theologos. *Paulus* illic admonet, ut modeſtiam & caritatem, quam *Chriſtus* erga nos exhibuit, nos viciſſim alii in alios exhibeamus, & hoc *Bedda* trahit ad deplorandam *Chriſti* mortem. Verùm ut finiam, quid poſtulabat *Bedda* dici à Paraphraſte in hunc locum, *Nolite flere ſuper me?* Nimirum hæc, Deplorate me nunc miſera patientem, verùm ubi ex his miſeriis pervenero ad felicitatem, tum gaudete. Hoc erat juxta *Beddæ* ſententiam, Euangelio conſentanea ſcribere.

Tandem re probata ſic perorat, ut mihi, in quem ſcribit, nolenti præ riſu lachrymas excuſſerit. *Vere*, V.
inquit, *deflenda molitur* Eraſmus, *id eſt, jejunia re-* V. V.
prehendit, à carnibus abſtinentiam ut Judaicum mo- V. V.
rem damnat, veſtitus aſperitatem ridet, omnemque pœ- V.
nitentia diſciplinam reſpuit, paſſionis denique & mortis Chriſti *memoriam lætam contra rei naturam vult eſſe non flebilem, regnare vult non militare, gloria & honore coronari non certare, quaſi jam non eſſet in lachrymarum valle, ſed elevatus in monte ſancto. Non tranſibit profecto novus Euangeliſta* Deſiderius *à delitiis ad delitias. Nullus ſic docuit Sanctorum*, &c. Ac mox: *Quid precor facere poterimus huic novæ* Lutheranorum *factioni? Si utique illis crederet Eccleſia, non ultra luctus retineret tempora, nulla dierum feſtorum vigilia relinquerentur, nihil de Septuageſima, nihil de quadrageſimali jejunio, nihil de Dominica in paſſione, nihil de poſtrema, quæ & ſancta dicitur & pœnoſa, hebdomada ageret: tempus omne per annum pro diebus duceret paſchalibus; non legeret lugendam Dominicæ paſſionis hiſtoriam; non Pſalmos illam prænuntiando deſcribentes, non Prophetam* Eſaiam, *non* Threnos *& conſimilia.* Cur hoc? *quoniam ejuſmodi vix legi poſſunt à piis & fidelibus, quin erumpant compaſſionum lachrymæ*, &c. Obſecro te, lector, cum à me nihil dictum ſit, niſi mortem *Chriſti* non eſſe deplorandam vulgari affectu, ſed glorificandam magis & adorandam, quid ad rem faciunt hæc tragi-

Digitized by Google

ca, quæ hîc congerit *Bedda?* Quis mente captus diceret alieniora, minuſque cohærentia? Et perpetuo *Bedda* ſic agit, quaſi defutura ſit nobis flendi materia, niſi deploremus miſerandam *Chriſti* mortem, aut quaſi non ſint lacrymæ niſi quas exprimit miſericordia. Habet & pietas, habet caritas, habet ſpes, habet gaudium ſuas lacrymas, denique habet & riſus ſuas lacrymas, quod mihi ſane in his legendis uſu venit. Sed timet vir pius, ne pereat hebdomada pœnoſa, ne *Chriſtus* indefletus maneat, cum olim honoris gratia conducerentur, qui plorarent in funere. Quid autem eſſet piaculi ſi homines accederent ad *Chriſti* mortem celebrandam læti & alacres? In Euchariſtia quid aliud fit, quam commemoratio mortis *Chriſti?* Quid autem hoc convivio lætius aut alacrius? Eſt enim & ſpiritus alacritas. Sed vis pati cum *Chriſto*, quod videtur exigere *Bedda?* Ne ſis triſtis ac torvus in proximum tuum, ne corrugata fronte, demiſſiſque ſuperciliis jactes jejunium, ſed potius ungas faciem tuam oleo, cui prius ſuccenſebas, oſtende vultum amicum, quem prius rectis oculis obtueri non poteras, nunc placide adſpice; imo quod in te peccavit frater, ex animo condona, macta livorem, odium, gloriam, hoc fuerit agere pœnoſam hebdomadem, hoc ſentire in nobis quod fuit in *Chriſto Jeſu*. Sed *Bedda* vult nos velut in funere, veſte, triſtitiaque vultus, lacrymis & ſingultibus lugentium perſonam agere, quo mox ad Paſcha lautioribus epulis, ſplendidaque veſte triumphanti reſpondeamus. Ut in his nonnihil tribuatur affectibus vulgi, quid alienius à Theologo quam hæc tradere quæ procul abſunt à ſpiritu? Magna crux eſt amare qui te læſerit, orare pro eo qui tuum optat exitium, hanc tollat qui vult eſſe pœnoſus in Quadrageſima. Sed *Bedda* vult nos eſſe miſericordes in *Chriſtum*, in fratrem tales quales
V. in *Chriſtum* fuerunt Phariſæi. Siquidem hæc dum diſputat, de ſympathia mortis *Chriſti*, pro deliciis habet toties in fratrem recinere manifeſta mendacia, me damnare omnia quæ ſpectant ad caſtigationem corporis, nec animadvertit ab iis qui mea legunt protinus animadverſum iri tam inſignem vanitatem. Sed multa admiſcet tam ridicula, ut Morionis cujuſdam eſſe videantur. Supereſt poſt tam bellam argumentationem, poſt tam vehementem perorationem definitiva ſententia: *Has ob res* Eraſmum *conteſtor*, inquit, *quia non eſt Theologia, quod tradidit in his & aliis non paucis, ſed*
B. *Satanæ traditio, gladio & ignibus conſectanda.* Audi contra: Quæ tota hac cenſura blaterat *Bedda*, nihil habent ſani hominis, ſed cerebrum ſapiunt, quod multo elleboro indigeat. Si quod ego interpretor, non eſt conſentaneum Euangelio, ſed traditio Satanæ, talia ſcripſit *Lucas:* ſin ſecus, *Bedda* palam blaſphemus eſt.

PROPOSITIO LXXI.

Ab hac hora ſexta, videlicet qua maxime ſolet fervere Sol, tenebræ ſubito obortæ ſunt per totam illam regionem Hieroſolymitanam *uſque ad horam nonam.*

SVPPVTATIO.

Hîc *Bedda* factus civilior, concedit eſſe verum quod Sol in meridie maxime fervet, admonens tamen Solem ex ſeſe neque fervidiorem eſſe, neque frigidiorem, ſed in meridie maxime calfacere terram quam ferit radiis, licet cum alibi meridies eſt, alibi ſit media nox, cum hæc regio maxime ferveat, illa rigeat frigore, ob occultas naturæ cauſas quas norunt Philoſophi. Hæc à me prætermiſſa in Paraphraſi, *Bedda* ſuggeſſit ex adytis Philoſophiæ, me tamen excuſans quod vulgari more ſim locutus. Hactenus igitur nihil eſt calumniæ. Cæterum quod ait me aſſerere quod *Origenes* non aſſerit: ut paucis reſpondeam: non licuit in Paraphraſi ſub perſona *Luca* dubitare, ſed in Annotationibus ubi licuit dubito. Deinde quod aſſumit *Origenem* tenebras extendere uſque ad *Judæam*, quæ totam *Judæorum* regionem complectitur, non eſt probabile, cum *Origenes* ſic loquatur: *Arbitror ego ſane ſicut cetera ſigna, quæ facta ſunt in paſſione ipſius, in* Hieruſalem *tantum facta ſunt, ſic & tenebræ tantummodo ſuper omnem terram* Judæam *ſunt factæ.* Ac mox: *Nec enim extra* Judæam *petræ diſruptæ ſunt*, &c. Item in ſequentibus, probabilius eſt eum *Judæam* accipere quæ duas tantum Tribus complectitur, hoc eſt, pro regione finitima *Hieroſolymis.* In hoc tamen ſibi conſtat *Origenes*, quod negat tenebras factas per univerſum Orbem, neque firma eſt *Beddæ* collectio, qua colligit tenebras fuiſſe per univerſum terrarum Orbem, quod in Euangeliſtis legatur *per univerſam terram.* Neque enim Græcis eſt ἅπασαν, aut σύμπασαν, ſed in *Luca* & *Marco* ὅλην, in *Matthæo* πᾶσαν, quod ſimpliciter ſonat *totam.* Ad hæc articulus additus, ὅλην τὴν γῆν, facit pro *Origenis* ſententia. Refert enim eam terram in qua hæc gerebantur, perinde quaſi quis verba faciens de latrone, qui ferro graſſatus in *Gallia*, dicat, *perturbavit totam regionem.* Et in hanc ſententiam *Origenes* videtur eſſe pronior, qui in ſequentibus citat locum ex III. libro Regum; ubi *Abdias* diſpenſator *Achab* dixit, *Vivit Dominus Deus tuus, ſi eſt gens aut regnum, ubi non miſit Dominus meus quærere te, & dixi, non eſt, & combuſſit regnum & regiones ejus, quoniam non invenit te. Origenes* arbitrabatur abſurdum ſi quis accipiat hæc eſſe facta per omnes regiones totius
C Orbis, ſatis eſt, ſi in regionibus *Judæa* finitimis illum intelligatur quæſiſſe, ubi commode poterat. Similis tropus eſt in Euangelio *Lucæ*, de univerſo Orbe deſcripto. Proinde quod hîc pronuntiat *Bedda*, me inconſultiſſime planam Euangeliſtarum ſententiam reliquiſſe, cum adeo plana non ſit, ut magis vergat ad id quod ſequutus ſum, non abeſt à calumnia. Sed hac de re C. reſpondimus, ni fallor, *Sutori*, neque multum ad rem pertinet quæſtio.

PROPOSITIO LXXII.

Chriſtus *diſcrevit nobis utriuſque Legis diſcrimen, interdicens divortium, quod* Moſi *Lex conceſſerat, prohibens quod non prohibuerat Lex prior, jubens etiam inimicos diligere, cum vetus Lex permitteret & odiſſe & ulciſci.* Cap. XXIV.

SVPPVTATIO.

Hæc *Bedda*, ut ait, confutavit plus ſatis, ego ſatis reſpondi, partim in ſuperioribus, partim in Divinatione.

PROPOSITIO LXXIII.

Quid exigit Chriſtus *à ſuis niſi fidem?* Et poſt pauca: *Deus non judicat ex operibus, ſed ex fide, non ex cibo aut potu, non ex veſte aut otio, ſed ex animi pietate.*

SVPPVTATIO.

Nuſquam non calumniatur *Bedda*, ſed hîc inſigniter idem facit. Quod à me dictum eſt de ceremoniis Legis abrogatis, hîc torquet ad opera pietatis & caritatis, quæ & ante Legem Deo placuerunt. Verùm artifex, quo locum faceret calumniæ, decerpſit aliquot voces idoneas calumniæ. Quod ſi totum ſermonem recitaſſet, nihil erat loci ſycophantiæ. Sic autem habet: *Quid autem* Chriſtus *exigit à ſuis niſi fidem? Et ideo ſuam Eccleſiam, quæ neſcit opera Legis, urbem fidelem dixit, totam ipſi uni innitentem: hanc cum auditis redimendam in judicio, videtis ſublatam ceremoniarum legalium fiduciam.* Appello te, cenſor, ſatis-ne mea verba dilucide declarant me ſentire de ceremoniarum legalium obſervatione, hoc eſt, de delectu ciborum, de veſte contexta ex lino & lana, de quiete ſabbatorum? Quod ſi *Bedda* cauſetur, alluſum ad opera pœnitentiæ, quod tamen ſecus habet, & hanc calumniam excluſi, cum ajo, fiduciam. Non enim eſt in extrariis operibus collocanda fiducia, quæ ſæpenumero fiunt abſque caritate. Porro me non excludere bona opera, perſpicue docent quæ ſubjicio: *Hoc eſt autem indicium, quod*

C.

Digitized by Google

quod qui crediderint Chriſto, *per illius mortem qui pœnam dependit pro omnibus, redimentur à peccatis ſuis, & per illius juſtitiam juſtificabuntur principis ſui veſtigiis ingredientes.* Rurſum hîc appello cenſorem *Appium*: Eſt-ne nunc aditus ad ſalutem per circumciſionem, ſabbata, aut delectum ciborum, aliasve ceremonias *Judaicas*? Non, ſed per fidem ac baptiſmum. Unde nobis datur juſtitia in baptiſmo? ex operibus? an ex promiſſis Dei? Ex promiſſo. Qui dicit principis ſui veſtigiis ingredientes, num is excludit bona opera à Chriſtiano? Excludit, ſi *Chriſtus* princeps noſter nihil geſſit boni operis. Ubi igitur eſt vel frons vel mens hujus cenſoris? Imo totus ille ſermo nihil aliud agit, niſi ut oſtendat per Legem Euangelicam abrogata Legis ceremonialia. Sed in Euangelio *Matthæi* Cap. xxv. commemorantur opera. Verum, ſed caritatis, *paviſtis eſurientem, veſtiſtis nudum*, &c. nulla tamen illic fit mentio ciborum, veſtium, jejuniorum aut ſimilium. Quod ſi ex his tantum Deus nos judicabit quæ illic commemorantur, cur tanti fiunt hodie feſti dies, jejunia, abſtinentiæ delectuſque ciborum, diſcrimina veſtium, quorum illic nulla fit mentio? *Nec de fide*, ut inquit *Bedda*, *fit mentio.* Verum, ſed commemorantur opera fidei per caritatem exſerentis ſeſe. Quod ſi talia opera ſine fide nihil ſunt, ſi fides in his principatum obtinet, congruentius eſt dicere Deum judicare nos ex fide quam ex operibus. Debebat illud annotare *Bedda*, quod illic Dominus commemorat illorum benefacta, ipſi adeo non imputant ut neſciant ſe feciſſe: multum diſſimiles his qui ſupputant ac venditant veſtes, piſces, inedias, cantiones, & his ſimilia. Proinde periculum eſt ne *Bedda*, ni reſipiſcat, cum ſuis audiat, quod apud *Lucam* XIII. audiunt ſuorum operum commemoratores, *neſcio unde ſitis.* Sed cur Dominus illa commemorat? non ut excluderet fidem, ſed ut Phariſæos abduceret à fiducia legalium obſervationum: qui ſe credebant abſolute ſanctos, inſidiantes, invidentes, mordentes, calumniantes, denique omnia facientes quæ in hoc libro facit *Bedda*, modo ſervarent ſabbatum, dies feſtos, ſacrificia, jejunia, aliaque hujus generis. Hos Dominus invitat ad opera fraternæ
C. caritatis. Non igitur hîc palam delirat *Eraſmus*, ſed *Bedda* palam calumniatur. Et quæ tandem erat hîc occaſio denuo mordendi Græciſſantes Theologos? Quid hîc peccavit Græcanitas? Nec ſatis intelligo quid hîc deſtomachetur *Bedda*, eſſe qui clamitent, bonorum operum meritis non reſpondere præmium. Primum in hoc vere delirat *Bedda*, quod hîc non agatur de bonis operibus ex fide viva proficiſcentibus, ſed de ceremoniarum legalium obſervatione. Deinde ſi correſpondere, idem eſt quod eſſe par, quis hoc docuit *Beddam*, hominum benefacta paria eſſe præmio vitæ cœleſtis?
B. Quoties objiceret blaſphemiam, ſi quid tale nobis excidiſſet? Neque multo mollius eſt quod ſubjicit, *De operibus tantummodo Dominus in judicio ſeſe diſceptaturum pronuntiat, quod illis debetur Cœli præmium.* Mihi *debendi* verbum videtur eſſe durum in hoc genere ſermonis, quod ſi repetas tantummodo quod præceſſit,
B. minimum abeſt à blaſphemia, ſi ſine fide Cœli præmium debetur operibus. Sed quid arbitramur eſſe in cauſa, quod *Bedda* tam parum tribuit fidei & caritati, operibus vero totum? Divino, quoniam opera videntur & venduntur, fides nec oſtentari poteſt, nec eſt venalis.

PROPOSITIO LXXIV.

Inter diſcipulos erat Thomas *vel cum eis, quando* Chriſtus *venit in die reſurrectionis veſperi januis clauſis ad illos intravit.*

SVPPVTATIO.

Cum ad hanc propoſitionem reſponderim ſchedis privatim ad ipſum miſſis, tamen perinde gerit rem quaſi nihil ſit reſponſum, quaſi nefas eſſet quicquam
C. detrahere calumniæ. Quare non eſt opus ut hîc repetam, quæ ſcripſi in Divinationibus & Elencho. Niſi quod ad artem pertinet calumniandi pro *inter eos*, mutare *cum eis.*

Ex Præfatione Paraphraſis in JOANNEM.

PROPOSITIO LXXV.

Sic multa dicuntur à Domino, ut non prius intelligenda ſciret, nec prius intelligi vellet, quam rerum eventus quod dictum erat, explanaret.

SVPPVTATIO.

Ne nihil hîc calumniaretur *Bedda*, ait hoc præter rem à me dici, cum nihil faciat ad Scripturæ obſcuritatem. Sed *Bedda* dum percurrit oculo volucri mea, C. non animadvertit me difficultatem hanc ſeparare à reliqua Scripturæ obſcuritate. Sic enim habent mea verba: *Accedebant & illæ peculiares huic negotio difficultates, quod totus fere ſermo tribuitur Domino* Jeſu, *ſic ænigmatis involutus, qua ſi explices paraphraſi, jam non coherent quæ reſpondentur ab his, qui quod dictum erat non intellexerant: Velut illud*, Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. *Hoc ſi Paraphraſtes explicet, non congruit quod ſequitur*, Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc, &c. *Item illud*, Quo ego vado non poteſtis venire. *Et*, modicum & non videbitis me, & iterum modicum, &c. *Quod genus eſt illud apud Lucam*, Cavete à fermento Phariſæorum. Verùm hæc levis eſt calumnia, non ex malitia nata, ſed ex Latini ſermonis ignorantia. Illa gra- C. vior, quod impium appellat, *Chriſtum* quædam noluiſſe ſuos intelligere, priuſquam eveniſſent, aut priuſquam eſſent capaces. At quod *Bedda* dicit impium, ſacri Doctores exiſtimant valde pium, Dominum humaniſſimum ſic paulatim promoviſſe ſuos diſcipulos rudes & oblivioſos. Dicere poterat, *occidite hoc corpus, & in triduo reviviſcet.* Verùm ubi ſurrexit à mortuis, intellexerunt quod de templo corporis ſui dixiſſet. Quare non dixit aperte? Quia nolebat illos ante tempus contriſtare, quorum imbecillitatem noverat. Cur igitur dixit, quod noluit intelligi? Ut intelligerent nihil horum fortuito accidiſſe, ſed omnia præſcita, decretaque fuiſſe ut fierent. Itidem & alia quædam veluti ſemina infixit animis ſuorum diſcipulorum, quæ ſuo tempore progerminarent. Ante mortem negavit Filium hominis ſcire diem ſupremum. Quare? Ut blande coerceret in illis inutile ſtudium cognoſcendi quod non expediebat: improbum enim erat velle ſcire quod ipſe Filius ignorabat. Quod ſi dilucide dixiſſet, *vobis neſcio, mihi ſcio*, vehementer contriſtaſſet infirmos animos diſcipulorum. Verùm adſcenſurus in Cœlum, non negat ſe ſcire, ſed increpat jam aliquanto firmiores, *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta*, &c. tamen ne hic quoque ſermo contriſtaret, illico conſolatur eos promiſſione Spiritus mox venturi. Hæc cum diligenter explicentur ab orthodoxis piiſque Doctoribus, cum illuſtrent amabilem illam & admirabilem Domini caritatem erga ſuos, unde *Bedda* venit in mentem ut hîc calumniam impingeret impietatis? Quanto Chriſtianius erat hanc *Chriſti* manſuetudinem æmulari quam calumniari *Beddam*, qui in nobis rudibus ac craſſis erudiendis tam immitis eſt.

PROPOSITIO LXXVI.

Principes perſuaſi nonnunquam ab his qui perfecta religionis profeſſione commendantur, exiſtimant ſummam eſſe pietatem, ſi quotidie precum, quas horarias vocant, penſum abſolvant, ſi nullius dies abeat abſque Sacro.

PROPOSITIO LXXVII.

Hæc quidem ut in profano ſimul ac juvene Principe fateor argumentum aliquod eſſe pie mentis, ita permulta ſunt quæ propius ad Chriſtiani Principis officium attinent.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO LXXVIII.

Etenim ſi Princeps proſpiciat, ne belli tempeſtas oriatur, ne publica libertas violetur, ne populus tenuis ad famem adigatur, ne Magiſtratus corrupti creentur, mea quidem ſententia, Sacrum Deo gratius obtulerit, quam qui ſex annis recenſuerit preculas illas, & tamen hoc laudo, ſi modo quod præcipuum eſt acceſſerit.

SVPPVTATIO.

Hîc *Bedda* ſententiam unam in tres diſſecat propoſitiones, quo creſceret numerus calumniarum. Apparet hîc non fuiſſe adjutum à combibonibus ſuis, adeo frigide rem gerit. Tota illa præfatione cohortor Principes ad pietatem ac religionem, nominatim etiam hoc ipſum probans, quod nunc Principes quidam quotidie dicunt preces ſolennes Sacerdotibus, & vereor ne inter hos ſint, qui quod ore ſonant non intelligunt, quique credunt ſe rem mirificam facere, ſi tantum illa verba ſonent lingua. Et fieri poteſt, ut aliquis hiſce rebus occupatus negligat ea quæ ſine ſummo Reipublicæ diſcrimine prætermitti non poſſunt. Denique fieri poteſt, ut aliquis iſta faciat non ex animo, ſed partim ut integritatis opinionem ſibi paret, partim ut hoc prætextu plus ſit otii à negotiis. Nam Principi dicere preces, otium quoddam eſt præ cæteris negotiis. Ad preces horarias nemo Princeps tenetur, ad ea munia, quæ commemoravi, tenetur. Neque tamen non orat, qui eas non recitat, imo ſæpenumero vehementius orat, qui paucis verbis ſed magno affectu Deum alloquitur. Res item eſt cum primis pia, Principem adeſſe ſacris, verùm in his bonam diei partem inſumere, an expediat neſcio. Si Principes haberent concionatores Euangelicos, ſicut arbitror habere quoſdam, optarim omnes, utilius exiſtimo frequenter audire concionantem, quam audire Sacrum. Et Princeps inter Sacrum quid aliud quam orat, ſi tamen vere pius eſt. Jam ſi libet *Martham* à *Maria* dividere, Princeps *Martha* eſt, Epiſcopus *Maria*. Proinde ut demus orare, meditari, ſacrificare ex genere perfectius eſſe quam curare Rempublicam, tamen illud peculiarius ad Principem pertinet. Et ut demus Sacerdotem facere opus ex ſuo genere perfectius, quam ſi Princeps ex ſua vigilantia bellum componat, tamen hoc ex circumſtantiis melius eſt, quia plus excludit malorum, & pluribus adfert utilitatem, præſertim cum in bellis non minus ſit periculi animabus quam corporibus ac facultatibus. Jam cum Princeps ſuſtineat immenſa negotia, tot Civitatibus, tot Regionibus, tot Monaſteriis, tot Eccleſiis vigilans, ne poteſt quidem multum temporis decidere dicendis precibus, præſertim prolixis. Nec has tamen improbo, ſi modo quod præcipuum eſt acceſſerit: præcipuum appello, quod eſt peculiare Principis munus. Si peculiare Principis munus eſt orare preces ſolennes, adeſſe ſacris & concionibus, in quo igitur differt à Monachis & Sacerdotibus? Jam finge mihi, incidere caſum Sacerdoti, ut aut ſint illi prætermittendæ preces Sacrum ve, aut homo periturus. Nonne pie Sacerdos ibi relictis precibus aut Sacro conſulet fratris ſaluti? Sed in hujuſmodi periculis nunquam non verſatur Princeps, ut unica dormitatio graves tempeſtates excitet in Orbe terrarum. Dicet, poterit utrumque facere. Nos igitur utrumque probamus. Sic enim habent mea verba: *Et tamen hoc laudo, ſi modo alterum acceſſerit.* Hæc cum ad hunc habeant modum, quorſum attinet impudentiſſima *Beddæ* calumnia, qui prædicat mea dogmata prorſus eſſe *Lutherana*? *Lutherus* damnat preces Sacerdotum ac Monachorum, ego moneo Principes ne freti dicendis precibus, ad quas dicendas non obligantur, negligant curam Reipublicæ quam profeſſi ſunt. Ubi vero doceo parvifaciendas preces aut ſacra? Hæc probo, ſed oſtendo quid peculiariter ſuſceperit Princeps. Ejuſdem generis ſunt reliqua convitia quæ hîc congerit. Quod adjicit in fine ridiculum eſt. Arguit Principibus gratiſſimum fuiſſe preces & ſacrificia aſſidua, quo tot Eccleſias, tot Monaſteria ſumtuoſiſſima inſtituerint. Hinc illæ lacrymæ. At nos de Principum precibus, non de Monachorum agebamus. Et utinam Principes tam poſſint exſtruere ſancta Monaſteria quam facile poſſunt magnifica! Atque utinam talis eſſet omnium Monachorum vita, ut illorum ſacris ac precibus delectaretur *Chriſtus!* Quid eſt autem in his meis verbis, quod impie derogat ſtatui Monaſteriorum? Quod certe nuſquam facio, & ſi quid alibi dictum eſt, quod ad hanc calumniam trahi queat, ſaltem hîc nulla data eſt anſa. Neque enim ullum eſt verbum, quod Monachorum lædat vel ſtatum, vel cubitum, vel ſeſſum, vel curſum. Sed *Bedda* voluit oſtendere quam admirandos Theologos habeat *Lutetia*, qua de re proxima cenſura ſtomachatur. Nam ad hanc reſpondimus in Divinationibus & Elencho.

PROPOSITIO LXXIX.

Nullis ſeculis defuerunt homines, apud quos Euangelio ſuus conſtiterit honos, ſed tamen his annis quadringentis vigor illius apud pleroſque refrixerat.

SVPPVTATIO.

Lutheranum, inquit, *omnino eſt*. Quod *Lutheranum*? Chriſtianorum mores eſſe prolapſos ad mundum? Hoc idem deplorat & *Bedda*. Sed qui nunc in ore habent Euangelium, non præſtant mores Euangelicos. Et hoc libris editis teſtatus ſum mihi diſplicere in *Lutheranis*. Etiam-ne id *Lutheranum* eſt, damnare *Lutheranos*? Nec diſſimulo quoſdam impia licentia, pro Euangelica uti libertate. Ubi igitur *Lutheraniſmus*? Sed clam taxo Theologos Scholaſticos. Imo ſi conferas quæ præcedunt, quæque ſequuntur, nihil aliud taxo, quam prolapſum Chriſtianiſmum. Sed *Lutheraniſmus* eſt in quadringentis annis, quibus regnare cœpit Scholaſtica Theologia, Philoſophorum decretis, ac Sophiſtarum argutiis vehementer onerata. Fateor, de hac nonnunquam queſtus ſum, quod per eam apud nonnullos relanguerat vigor Euangelicus, mortalium ingeniis ad quæſtiones argutas magis quam pias aut neceſſarias avocatis: queſtus ſum multos negligere fontes divinæ Philoſophiæ. Utinam injuſta eſſet querela! Scholaſticam tamen Theologiam ſemper probavi, ſi ab ejuſmodi ſupervacaneis repurgaretur. Non damnavi vini uſum, ſed temulentiam. Ego ſobriam Philoſophiæ ac diſciplinarum cognitionem omnibus ſcriptis meis approbo in Theologo, quanquam ipſe rudis omnium. *Lutherus* quid doceat palam eſt. Illa juſtius retuliſſet *Bedda* quæ ſequuntur in Paraphraſi: *In moribus ſeculi tam corruptis, in tantis opinionum diſſidiis, quibus nunc miſcentur omnia, quo potius confugiendum eſt, quam quod recte monet divus* Hilarius, *ad puriſſimos divinæ Scripturæ fontes?* Hoc propius attinebat ad *Lutheraniſmum*, quam priora quæ magis ad refrigeratum caritatis ardorem pertinebant. Quomodo ſit itum obviam factioni *Lutheranæ* per Scholaſticam Theologiam, aut quantopere promotum, in præſentia non diſputo, neque mihi cum Scholis, ſed cum *Bedda* res eſt, qui niſi has calumnias emiſiſſet in mundum poſt tam multos Eruditos qui ſcripſerunt in *Lutherum*, triumpharet illa factio. Quod addit de Collegiorum judiciis, in quibus ſophiſticis cavillationibus res tranſigitur, nunquam à me damnatum eſt ullum Collegium, & tamen ſi quod eſſet in quo ſederent multi *Beddæ*, quam cæca ſint futura judicia declarat hic *Bedda* liber.

EX PARAPHRASI IN JOANNIS EVANGELIVM.

PROPOSITIO LXXX.

Philippus *profeſſus eſt eadem de* Chriſto, *quæ poſtea* Petrus *profeſſus eſt, ſed quia non eodem animo, idcirco non audivit eadem quæ ille audivit.* Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni Cœlorum. Cap. 1.

SVP-

Digitized by Google

SVPPVTATIO.

Ad hanc cum satis responderim & in Divinationibus & in Elencho, tamen *Bedda* facete dissimulat, ne quid detereretur calumniis, quas solidas prodere cupiebat.
C. Hîc igitur tantum agam supputatorem. Quod impingit hæreticum sensum, is non est in verbis meis, cum apud *Joannem* & *Philippus* eadem prædicet de *Christo* quæ *Petrus*, licet aliis verbis, cum ait, *Quem scripsit Moses in Lege & Prophetis, invenimus Jesum.* Hic profitetur de *Jesu*, quicquid in Lege & Prophetis scriptum erat de *Messia.* Minimum itaque referebat, sive hæc sub nomine *Philippi*, sive sub nomine *Nathanahelis* à me dicerentur. Proinde nullum hîc locum habebant *Bed-*
V. *daica* convitia. Deinde quæ cavillatur, *Petrum* non eadem dixisse de *Christo* quæ dixit *Philippus*, primum falsum est, cum constet *Petrum* dixisse, *Tu es Messias Filius Dei vivi; Nathanahelem* autem, *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* In Filio Dei conveniunt. Porro quod *Petrus* dixit *Christus*, id est, unctus, quod Regum est cognomen, *Nathanahel* dixit, *Rex Israel:* nam de vocula *vivi* non est cavillandum, quasi potuerit alium Deum sentire quam vivum: ea vox à *Petro* addita tantùm ardorem indicat fidei, non aliam
B. sententiam. Præterea blasphemum in sanctissimum Ecclesiæ Doctorem *Chrysostomum*, cujus verba recitavi in Divinationibus. Hujus interpretationem honoris gratia *Bedda* noster appellat *glossulam*, ipse mera scribens oracula. Sed interim declarat quam versatur in sacris
V. Doctoribus. Deinde quod ait nomen *Filii Dei* non competere nisi in unum *Christum*, refellit ipse Dominus, qui sanctos viros etiam *Deos* docet appellatos fuisse, non modo *Dei Filios.* Cæterum quod ad articuli vim attinet ὁ υἱὸς, etiam in *Nathanaelis* professione additus est articulus. Et mihi probabile videtur utrumque idem de *Christo* sensisse, sed veluti per somnium, licet *Petrus* jam multis conspectis miraculis sublimiorem de *Christo* concepisset opinionem, eoque majore cum ardore professionem reddiderit, sed adhuc semisomnus, quod declarant complura quæ postea tum dixit, tum fecit. Misso Spiritu, tum demum divinæ naturæ cum humana conjunctæ mysterium plene vigilantesque intelligebant, pro mea quidem sententia.

PROPOSITIO LXXXI.

Cap. 1. *Hactenus, ait* Christus *matri suæ, tuæ voluntati me præbui morigerum, quod nunc restat ex arbitrio Patris gerendum est, non ex humano præscripto.*

PROPOSITIO LXXXII.

Alibi mater fuisti, posthac mihi nil aliud eris quam mulier, quoties versor in Patris negotio.

PROPOSITIO LXXXIII.

Patris gloriæ quoties erit serviendum, nihil opus erit tua interpellatione. Ultro faciam quod res ipsa postulabit, habeo tempus à Patre præscriptum.

SVPPVTATIO.

Jam hoc novum non est, quod *Bedda* sententiam unam dissecuit in tres propositiones, quo lector, qui nil aliud quam titulos numerat, putat esse magnum errorum agmen. Hîc vero blasphemiarum agmen effundit *Bedda*, sed quas ipse gignit ex sese, non aliter quam
C. fila ducit araneus. Primum objicit inconstantiam, qui cum *Luca* Cap. II. scripserim, *Christum* nulli nisi Patri cœlesti debuisse obedientiam, hîc faciam eum loquentem matri, *Hactenus tuæ voluntati me præbui mo-*
C. *rigerum.* Primum illud artis est calumniatoriæ, cui nimium indulget *Bedda*, addidit de suo, *nullo jure matri aut* Joseph *obtemperare devinctus erat*, tantum à me dictum est, *Soli Patri debebat obedientiam*, & tamen
C. poterat aliquo jure devinctus esse parentibus. Deinde non aliud illic à me dictum est, quam hîc dicitur, cum utrobique agatur de negotio Euangelico, in quo tum versabatur, unde interpellatus durius respondit: *Quid est quod me*, &c. Hoc quoniam non intelligebant, morem gessit illorum infirmitati, sed monitorum ne simpliciter interpellarent in Euangelico negotio. Quod cum post iterum fieret, durius etiam quam nunc respondit, *Quæ est mater mea*, &c. Probabile est *Joseph* aliquando dixisse *Jesu*, fili, adfer amussim, aut tolle serram, & Dominum obtemperasse, & quidem alacrius quam *Bedda* parent ipsius discipuli. Item Virginem aliquoties dixisse, fili, nuntia patri adesse hospitem, qui ipsum conventum velit, & filium obtemperasse. In negotiis humanis hominum more se gerebat. Solam autem matrem legimus interpellasse filium in negotiis altioribus, quam hoc tentantem semper cohibuisse legitur. Hîc lubens rogarim *Beddam*, quæ Dialectica
B docuit ipsum hæc esse contraria, *morem gessit illi*, & *non debebat obsequium?* Sic maritus frequenter morem gerit intractabili uxori, & herus præfracto servo. Verùm hîc agitur cornutis syllogismis. Morem gessit. Verum. Utrum hoc erat consentaneum legi naturæ an non? Lex naturæ præscribit ut liberi ament parentes, & obtemperent donec egent illorum consiliis. Cæterum ubi jam delirant parentes, naturæ lex præcipit ut illi filiorum monitis obtemperent. Quemadmodum eadem lex jubet, ut parentes alant liberos ætate tenera, sed eadem præscribit, ut versis rerum vicibus liberi parentes ætate defectos nutriant ac foveant. Caritas & honos semper debetur: obsequium nec semper, nec
C in omnibus, nullus enim debet obsequium parenti dementi. Hoc de lege naturæ. Quod ad legem à Deo traditam attinet, *Bedda* distinguere debebat inter honorem & obedientiam. Honos, id est, subsidium, semper debetur parentibus, si nobis in manu sit, obsequium nec semper, nec in omnibus, nec ab omnibus exigit lex, velut in ducenda uxore, & in professione vitæ monasticæ, docent ipsi Theologi. Nam quod *Paulus* jubet ut filii obediant parentibus, de his loquitur qui per ætatem adhuc egent parentum gubernatione. Quanquam per omnem vitam civile obsequium debetur auctoritati parentum, si præstari queat citra magnum incommodum. Quod si parentibus jus sit
D quidvis per omnem vitam præcipere filio, quid intererit inter filium & servum, aut quid sibi vult legum civilium emancipatio, quas agnoscit & Ecclesia? Jam si quis urgeat, utrum *Christum* adstrinxerit ea lex per *Mosen* lata, an non? Respondeo mihi videri congruentius dignitati *Christi*, ut quoties fit mentio de debendo, aut adstringendo, secludamus illum ab hoc sermone. Lex non adstringit, nisi quibus est data, data est rebelli crassoque populo, à quorum conditione secludenda est *Christi* præeminentia: hoc ut opinionem probabilem sine fraude dictum velim. Restat tertium cornu, an consilii fuerit, quod *Christus* obedierit matri? Ne consilii quidem mentionem aures meæ ferunt æ-
E quanimiter in *Christo.* Superavit illius caritas omne consilium. Quod his subjicit *Bedda* non intelligo, *Si puer ex consilio obedivit matri, nemo mittens manum ad aratrum*, &c. *debuit igitur obedire per omne tempus.* Videtur hîc somniare *Bedda* Christum obstrictum professione trium votorum, à quibus non liceat resilire, cum olim Anachoretæ se subducerent ab obedientia patrum. Et hîc somniat immanem blasphemiam, si *Christus* dicatur respexisse retro. Imo ante prospexit, cum ipse semper aggrediens sublimiora, parentes & infirmos discipulos paulatim evexit ad perfectiora, ad
F nostram interim imbecillitatem sese demittens, ut per illum crescerem us. Sic se submisit matri, sic obsecundavit discipulis, nullam aliam secutus legem quam caritatis, quæ perfectio legis est, nec in ullo ulla eguit lege. Quantum autem *Bedda* debet *Jesu* mater, cui vult filium etiam ad dexteram Dei Patris sedentem debere obedientiam, ut hominem juxta naturam humanam! Hoc opinor est ex adytis Scholasticæ Theologiæ depromtum, quod etiamsi verum esset, tamen non erat ingerendum Christianis auribus. Hanc propositionem damnat *Bedda: Convenientius est, ut concionaturus invocet Spiritum Sanctum aut Christum quam*

Digitized by Google

beatam Virginem. Quo titulo damnat? *Quia vera quidem eſt*, inquit, *ſed non eſt prædicabilis.* Verùm hæc eſt prædicabilis, *Chriſtus in Cœlo debet obedientiam matri.* At *Paulus* dicit in Cœlis omnia evacuari præter caritatem, quæ nunquam excidit. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Tum vero regnabit in omnibus ſpiritus Domini, nec erit ulla rebellio, ſumma igitur erit libertas, quæ ubi adeſt, locum non habet debendi verbum. Mitigat tamen hoc dictum admodum durum *Bedda*, confitens matrem *Jeſu*, etiam ut homini, ſubditam eſſe filio jure ſpirituali. Etiam-ne in Cœlo jus eſt carnale, ubi ſpiritualia omnia, etiam ipſa corpora? quanquam ne hoc quidem conſtat matrem cum corpore eſſe in Cœlo. Verùm hæc affirmare non eſt Theologum agere, ſed novas leges condere. Quod genus eſt & illud, filium ad ſummum Pontificium, aut imperium evectum nihilo ſecius debere parentibus obedientiam. Nam *Bedda* honorem interpretatur obedientiam. An in cæteris debeat obedientiam parentibus neſcio, certe in functione ſuſcepti muneris non debet tanquam parentibus, ſi quid debet, debet tanquam Reipublicæ membris. Honorem, hoc eſt, ſubſidium, hoc magis debet, quo potentior eſt. Sed increſcunt blaſphemiæ, *Bedda* maledico interprete. Hæc verba, *hactenus tua voluntati me præbui morigerum, quod reſtat* C. *ex arbitrio Patris gerendum eſt, non ex humano præſcripto*, &c. nihil aliud ſpirant quam exſecrandam, ſtultiſſimam & inſipientiſſimam blaſphemiam. Sic tumultuatur homo blaſphemiis ſcatens. Quaſi mater ſolita ſit filio præcipere voluntate propria citra voluntatem Dei, vel injuſta aut imperfecta, quod jam quoniam ipſe *Chriſtus* ætate & auctoritate creviſſet, veniret corrigendum aut mutandum in melius. Hunc in modum depravator C. bene dictorum *Bedda*. Quam impudenter de ſuo addidit, de ætate & auctoritate *Chriſti*, cum ego nominatim loquar de negotio Euangelico! Priuſquam Dominus aggrederetur palam negotium prædicandi, nec aliud videri ſtuderet quam homo, paternis monitis ut homo morem gerebat, cæteris prodens pietatis exemplum erga parentes, nec ipſi *Joſeph* aliter obtemperans quam ſi fuiſſet natura pater, quoniam ab aliis talis habebatur. Cæterum ubi jam vellet omnibus innoteſcere, quam ob rem à Patre miſſus eſſet in Mundum, excluſit omnem humanam auctoritatem, ut ſcirent omnes redemtionis negotium ab æterno præfinitum cœleſti conſilio geri, matris autem & fratrum auctoritatem hoc diligentius excluſit, ne caro & ſanguis ſibi vindicarent aliquam gloriæ portionem, quæ tota debebatur Patri. Et ideo puer interpellatus in Templo, durius reſpondit, & ſi vera dicit *Ambroſius*, *arguit parentes.* Similiter hoc loco de vino interpellatus quam non blande reſpondet, admonens matrem ne affectu humano ſeſe ingerat cœleſti negotio! Rurſus inter docendum interpellatus à matre & fratribus, verbis utitur, quibus velut abnegare videtur matrem & cognatos juxta carnem, quaſi juxta *Pauli* ſententiam dicat: Et ſi alibi cognoſco matrem & fratres juxta carnem, in hoc cœleſti negotio non cognoſco. Quid autem appellat *Bedda* imperfectum? vitium? Non tribuo matri vitium. Errorem aut infirmitatem humanam? Nihil arbitror abſurdum tale quippiam tribuere matri *Jeſu*, quæ legitur & mirata de iis quæ ferebantur de puero, & juxta *Lucam* non intellexiſſe ſermonem filii, & juxta *Auguſtinum* ſubdubitaſſe de reſurrectione, & juxta *Chryſoſtomum* habuiſſe humanos affectus, quaſi poſſet quæ vellet imperare filio. Hæc an omnia ſint vera non dimico, in hoc adduco ne videatur impium, matri *Jeſu* tribuere ignorantiam aliquam aut errorem, qui non involvat peccatum, veluti ſi quid timuiſſet filio quod non erat timendum, aut ſi quid voluiſſet facere filium, quod non expediebat fieri. Hac occaſione poterat aliquid præſcribere filio quod erat citra voluntatem divinam, abſque peccato. Quanquam enim aderat illi generalis voluntas nihil cupiendi, quod adverſaretur voluntati divinæ; tamen in rebus mediis potuit neſcire quid Deus vellet fieri. Solus enim Filius noverat, quid, quo tempore, quibus modis Pater fieri vellet in myſterio redemtionis humanæ. Sic & *Paulus* voluit adire *Aſiam*, ſed vetitus eſt à Spiritu Sancto, voluit adire *Bithyniam*, ſed ab eodem prohibitus eſt Spiritu, voluit liberari à colaphiſta ſuo, ſed audit, *ſufficit tibi gratia mea.* Sed demus tale nihil fuiſſe in matre, tamen *Chriſtus* noſtra cauſa noluit admiſceri cognationis auctoritatem, ut tota gloria rediret ad Deum.

Atque hanc fuiſſe meam ſententiam non potuit latere *Beddam*, cum inibi præcedant hæc verba: *Jeſus autem jam aggreſſurus cœleſte negotium Euangelii, cujus ſolum Patrem auctorem eſſe volebat, non patitur ullam humanam auctoritatem admiſceri. Non enim in hoc gerebat miracula, ut ſuorum cognatorum affectibus ſerviret, ſed ut apud incredulam nationem ſignis corporalibus ſpirituali doctrinæ fidem præſtrueret. Durius itaque matri reſpondit, non quod hanc talem non unice diligeret, qui ſic amabat univerſum hominum genus, ſed ut miraculorum auctoritatem ab humanis affectibus aſſereret, ac divinæ virtuti totam gloriam vindicaret. Hoc enim expediebat hominum ſaluti, quam ſitiebat* Jeſus. *Itaque non abnegans matrem, ſed ab hujus negotii, quod gerendum erat, auctoritate declarans alienam reſpondit*, &c. Hæc ſi non legit *Bedda*, cur ſe profitetur cenſorem operis non lecti? Sin legit, cur non pudet in pio ſermone comminiſci tot blaſphemias? *Quid*, inquit, *aliud redolet, & in matre delictum, qua non ex æterni Patris arbitrio Filium rexiſſet, ſed humano præſcripto, & itidem in Filio quandam imperfectionem, quod ſeſe paſſus illuc uſque fuerit, non eodem Patris ſui arbitrio deduci, ſed humana, quæ Dei non eſſet, voluntate, quod plane hereticum eſt & blaſphemum.* Si ipſe calumniæ pater voluiſſet hunc meum ſermonem interpretari, quid potuiſſet magis διαβολικῶς quam hic *Bedda*? Non fugiebat *Beddam* quid ſentirem, & ſciebat me hoc non ſentire, quod interpretatur. Quorſum igitur attinebat ex verbis tam atroces moliri calumnias? Si Litteræ ſacræ frequenter utuntur humanis & communibus tropis, qui minus idem jus eſt Paraphraſtæ? Diſpenſationem divinæ ſapientiæ in negotio redemtionis interpretatur imperfectionem in *Chriſto:* excluſam ab Euangelico negotio matris auctoritatem, interpretatur matris delictum, & humanam voluntatem interpretatur, quæ contraria ſit divinæ voluntati: & aggreſſionem Euangelici myſterii interpretatur priorem ætatem à matre perperam gubernatam. Si quis evectus ad ſummum Pontificium diceret matri, *Hactenus tibi parui, hoc negotium eſt ſupra tuas vires, in hoc igitur non agnoſcam auctoritatem tuam*, num is & ſe & matrem incuſaret, illam quod male præſcripſiſſet, ſe quod ſtulte paruiſſet? Imo diſtingueret potius negotii modum. Item ſi cui Regis ſui nominis legationem obeunti mater præſcriberet, iſque reſponderet, *Boni conſule mater, in privatis negotiis tibi me præbui obſequentem, in hoc regiis præſcriptis paream oportet, non tuis*, an ullam injuriam irrogaret matri? Jam ne quid prætereat non arroſum, quod à me dictum eſt, *quoties in negotio Patris verſaretur*, ſic interpretatur, quaſi aliquando in alienis negotiis verſatus ſit. Quin igitur *Bedda* calumniatur & hoc quod ait puer *Jeſus*, *An neſciebatis, quod in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Cur non ſic perpetuo reſpondit matri? Dominus etiam naſcens verſabatur in Patris negotio, ſed poſtquam cœpit innoteſcere toti Mundo miraculis ac doctrina, tum proprie dicitur verſari in Patris, à quo legatus fuerat, negotio. Tot enim annos egit Dominus in terris, quibus nihil miraculorum geſſiſſe legitur. Hominibus igitur, quibus erat incognitus, non verſabatur in negotio delegato. Pergit arroſor, clamans C. inſanum eſſe quod ſcripſi, *Chriſtum* in Euangelii negotio non eguiſſe monitrice matre. Quid igitur docet nos *Beddæ? Chriſtum* in hoc negotio eguiſſe matris interpellatione? Quid eſt ſi hæc non eſt manifeſta in B. *Chriſtum* blaſphemia? Atque hic homo ſuavis deplorat etiam

Digitized by Google

etiam ſortem meam, qui tam impia prodiderim litteris. Deploret *Bedda* miſerandam ſortem ſuam, qui tanta maledicendi calumniandique rabie laborat in proximum, à quo nunquam verbo læſus eſt. Quid faceret injuria laceſſitus? Hîc aliquis illi ſuggeſſit locum ex *Auguſtino*, quem ſi legiſſem nunquam tantas blaſphemias in litteras miſiſſem, quaſi nos nunquam viderimus *Auguſtinum*. Quisnam is eſt? *Auguſtinus* explicans nodum quomodo debeat accipi, quod *Chriſtus* negat ſe veniſſe ut faceret voluntatem ſuam, ſed ejus à quo miſſus erat, loquitur hunc in modum: *Faciunt homines voluntatem ſuam non Dei, quando faciunt quod volunt, quod non jubet Deus: quando autem ita faciunt quod volunt, ut tamen ſequantur voluntatem Dei, non faciunt voluntatem ſuam, quamvis quod volunt faciunt.* In quem uſum nobis hæc recitat *Bedda?* Ad accuſandum an ad defendendum quod à me poſitum eſt? Nam hæc magis pro me faciunt, & ſi recte negatur humana voluntate fieri quod fit voluntate Dei, recte negabitur ex humano præſcripto fieri, quod geritur ex delegatione ſpeciali Dei. Hîc igitur *Auguſtini* locus aut nihil ad rem facit, aut pro me facit. Tanta eſt hujus *Bedda* prudentia, qui mihi ſubinde impingit ſtultitiam. Quid igitur colligit *Bedda? Chriſtum* recte dixiſſe, *deſcendi de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me?* Quis hoc negabat? Quanquam *Chriſtus* hoc tropo non abnegavit ſuam voluntatem, ſed indicavit auctorem, quemadmodum alibi dixit, *ſermo meus non eſt meus*, hoc eſt, non ex me proficiſcitur homine, ſed ex auctoritate Dei, qui me miſit, ac per me loquitur. Non me ſpernitis, ſed Deum, quo auctore hæc facio. Hæc erant magis conſentanea Scripturæ. Ergo ſi *Chriſtus* recte dicturus erat, *Euangelii negotium mihi gerendum eſt, non ex voluntate mea, ſed ex voluntate ejus qui me miſit*, blaſphemum eſt ſi matri dicat, *hoc negotium gerendum eſt, non ex voluntate tua, quæ nihil aliud es quam homo, ſed ex voluntate Patris?* Sed dicens *tuæ voluntati*, voluntatem humanam diſtinguo à voluntate Dei, contra regulam *Auguſtini*. Quid ego audio? Ergo poſthac non licebit hominis voluntatem dicere, niſi cum ſignificamus, voluntatem divinæ adverſam? Et ſic accipiendum erit quod legimus Jud. v. *Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.* Rurſus illud Pauli, *Fratres voluntas quidem cordis mei & obſecratio.* Item, *Cui vult nubat in Domino*, voluntas nubentis adverſabitur voluntati divinæ? Quod ſi libet ſophiſticari, quoniam Deus univerſum hunc Mundum voluntate ſua moderatur, quicquid uſquam in Mundo geritur dicetur negotium Dei, ac voluntate Dei fieri, non hominum. Nec lumbricus prorepit è terra, nec paſſerculus cadit in terram ſine voluntate Patris. Poſtremo nec adulteria nec homicidia permittuntur ſine voluntate Dei. Jam de tropo, *poſthac mihi nihil aliud eris quam mulier*, primum occaſionem habet ex Scriptura, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Quo nomine compellavit eam etiam in cruce pendens, ſed de his & alias reſponſum eſt. Habes cenſuram differtam calumniis, blaſphemiis & convîtiis.

PROPOSITIO LXXXIV.

Qui crediderunt Chriſto, *ſpiritualis doctrina muſto feliciter ad vitæ cœleſtis amorem incaleſcunt ac vegetantur, nec id factum eſt prius, quam* Chriſtus *ſibi jungeret Eccleſiam Sponſam ſuam.*

SVPPVTATIO.

Ad hanc calumniam ſatis reſponſum in Elencho, hîc tantum ſupputabitur. Ait primum quod indefinite dicens, *qui crediderunt Chriſto*, &c. meum & *Lutheranorum* firmem errorem. *Lutheranum* igitur docet *Chriſtus* dicens indefinite, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Item, *qui credit in me habet vitam aeternam.* Rurſus, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri qui credunt in nomine ejus.* Iterum, *qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Habes unam inſigniter impudentem calumniam. C. Altera eſt, Quod illic dicitur de iis qui per fidem veniunt ad Euangelium, hîc torquet ad opera poſt baptiſmum exigenda. C. Tertia eſt, quæ illic dicuntur de *Judæis* incredulis, & in littera Legis adhuc infirmis, quales tum erant Apoſtoli, cum poſt hauſto muſto Spiritus cœperint incaleſcere, hîc torquet ad Patriarchas & Prophetas, quaſi negarim illis fuiſſe *Chriſti* Spiritum. Nonne fuiſſet actum de *Chriſti* Eccleſia, niſi tantus Theologus & quidem *Pariſienſis*, hæc tam docta tradidiſſet Mundo, dum *Eraſmus* ſcribit libros indoctos & ſupervacaneos? Sed obſecro te, lector, ne reliquos Theologos æſtimes ex unius ſtultitia. Habent & Dii γελωτοποιὸν *Vulcanum*, non mirum ſi Theologi habent ſuum *Sannionem*. Reliqua pete ex Elencho.

C.

C.

C.

PROPOSITIO LXXXV.

Deus miſit Filium ſuum, ut ſua morte Mundo per fidem conferret ſalutem gratuitam, & ne quis ſponte perieus haberet quod pratexeret ſuæ malitiæ, facilis aditus datus eſt omnibus ad ſalutem. Non enim exigitur pro prioribus admiſſis ſatisfactio, non Legis obſervatio, non circumciſio, tantum qui credit illi, tutus eſt à condemnatione.

SVPPVTATIO.

Hîc conteſtor quicquid eſt uſquam bipedum quadrupedumve, ecquam audierint calumniam æque malitioſam aut impudentem? Ipſe locus, quem arrodit, declarat me loqui de iis qui ex Paganiſmo aut quocunque vitæ genere veniunt ad baptiſmum, quæque mox ſequuntur evidenter declarant exigi à baptizatis opera caritatis & pietatis: & his omnibus diſſimulatis cenſor intentat calumniam hæreſeos *Lutheranæ*, cum hîc doceam contrarium, quemadmodum fuſius in Divinationibus & Elencho docui. Si Deus nihil donat nobis gratis, vehementer nos fefellit divus *Paulus*, qui toties inculcat gratuitam Dei erga nos beneficentiam. Quod ſi maxime demus abſque fide aliquid mereri opera moraliter bona, tamen mea conſiſtit ſententia, Gratiam Euangelicam omnibus offerri gratis, nec exigi à quoquam opera vitæ prioris.

C.

PROPOSITIO LXXXVI.

Chriſtus mulieris Samaritanæ vitam comiter arguens, Cap. IV. *Recte*, inquit, *dixiſti tibi non eſſe virum, etenim cum quinque viros habueris ad libidinem, nullum tamen habuiſti legitimum.*

SVPPVTATIO.

Ad hanc reſpondimus in Elencho. Incerta eſt hiſtoria. Proinde nos alluſimus ad allegoriam. Porro quod *Bedda* aſſumit, quoties vir nominatur in ſacris Litteris, intelligi maritum, non ita res habet. Deuter. XXII. *Si dormierit vir cum uxore alterius*, &c. Arbitror hanc legem pertinere & ad cœlibem adulterum. Et *Paulus*, *Si fuerit cum altero viro*, de adultero ſentit. Quod ſi reſpondeat hîc eſſe ſpeciem conjugii, & in concubinatu conjugii ſpecies eſt.

PROPOSITIO LXXXVII.

Fides ſola purificat corda, redditque idonea, quibus credantur Philoſophia cœleſtis arcana.

SVPPVTATIO.

Ipſa verba mea, quæ præcedunt in Paraphraſi, perſpicue declarant, me loqui de iis qui ex Judaiſmo aut Paganiſmo veniunt ad baptiſmum. Si inter *Judæos* & Gentes nihil diſcernebat Deus, ſed utrorumque corda purificabat fides, utique ſola purificabat, quando-

Digitized by Google

quidem Gentes nihil boni secum ferebant. De bonis operibus post baptismum, hoc est, de fructibus fidei non hîc agebatur. Et si dixissem etiam à baptismo nos justificari sola fide, poterat habere pium sensum. Primum enim *solum* dicitur quod est præcipuum. Ita Satyricus, *Nobilitas sola est, atque unica virtus.* Et *Hieronymus* ad Heliodorum, *Solum pietatis genus est in hac re esse credulum.* Quo tropo non semel & alias utitur. Unde & *singulare* vocamus quod est egregium, & unice dicimur amare quem eximie diligimus, non solum, & *unica* voluptas dicitur, non sola, sed præcipua; ita *solus* Deus dicitur bonus & immortalis. Deinde *sola* vox non excludit ea quæ suapte natura adhærent, velut *Christus* cum Patri dicit, *ut cognoscant te solum verum Deum,* non excludit Filium & Spiritum Sanctum natura junctos, sed Deos Gentium. Verùm hoc sane loco nihil opus hac tergiversatione.

PROPOSITIO LXXXVIII.

Cap. VII. *Illud mihi considera prudens lector, nusquam esse majorem penuriam eorum qui Christiana veritati ex animo faveant, quam inter religionis & doctrinæ proceres.*

SVPPVTATIO.

Hîc solito artificio *Bedda* quod in Pharisæos, Scribas, & Pontifices *Judæos* dictum est, ad Theologos ac Monachos horum temporum detorquet, alibi memor quam personam inducam loquentem, hîc oblitus. Nec causari potest, hoc ipsum latuisse, cum mox sequantur hæc verba in Paraphrasi, *In tam frequenti concilio Pharisæorum, Scribarum, & Seniorum ac Sacerdotum, non erat quisquam præter unum* Nicodemum, &c. Dicet allusum. Si tale nihil est in re, optandum est ut ne unquam habeat locum allusio; Sin tales nimium multi sunt, curemus esse dissimiles Pharisæorum & Scribarum, ne indignemur Euangelicæ veritati. Quid autem referebat hîc commemorare bonorum Theologorum benefacta, quasi nesciam à bonis Theologis plurimam Ecclesiæ proficisci utilitatem, sed vereor ne nunc quoque major sit turba malorum, futura numerosior si pergant sitire Præbendas & Dignitates, velùti præmia defensæ fidei. Sed nimium ridicule mihi canit quod *Lutherus* ad suum sensum detorquet Scripturas, cum hoc ipsum illi objiciam in *Diatriba* & *Hyperaspiste*, qui Libelli non ob aliud displicent *Beddaicis*, nisi quod ab *Erasmo* scripti sint. Quis autem nescit Monachorum Collegia, in quibus viget regularis disciplina juxta doctrinam Euangelicam, summopere favere religioni Christianæ, sed supputa quantus sit numerus Collegiorum, in quibus nulla est disciplina, rursus Monachorum, qui ceremoniis suis fidentes longissime absunt à consiliis Euangelicis. Hæc si ad me quoque pertinent, sunt in me scripta.

PROPOSITIO LXXXIX.

Cap. VIII. *Lex* Mosi *non punit nisi publica crimina, superbiam, fastum, invidiam, odium non punit, sed hæc magis exsecratur Deus quam ea quæ punit Lex.*

SVPPVTATIO.

Cum nihil esset hîc quod ad calumniam detorqueri possit, tamen impiæ falsitatis crimen impingit, bis peccans. Primum in hoc quod cum ego conferrem crimina nota, cum criminibus animi soli Deo notis, memorat nobis lapsus oblivionis & ignorantiæ, de quibus non agebam, quanquam hæc expiabantur verius quam puniebantur. Quod loquor esse verum declarat ipsa res: agitur enim illic de muliere adultera, & de confutatis Pharisæis, quorum conscientiam secretis vitiis madentem percussit Dominus. Deinde quod tota hac disputatione objicit mihi, quæ per odium, invidiam, aut superbiam commissa punit Lex, cum ego de secretis affectibus sim loquutus. Si quis per odium occidat hominem, quis nescit factum Lege puniri? Aut si quis per invidiam exurat horreum vicini sui, quis negat puniri Lege? Sed quam pœnam Lex præfixit odio dissimulato in proximum, aut invidiæ latenti? Hîc igitur pulchre triumphat *Bedda*, & Scripturæ contraria scripsit *Erasmus*.

PROPOSITIO XC.

Duo sumus ego & Pater, sed duorum idem testimonium, idem judicium, sed ex his duobus unus est, qui si solus esset, tamen esset irrefutabile judicium ejus.

SVPPVTATIO.

Et ad hanc paucis respondimus in Elencho. Hîc tantum supputabimus calumnias. Prima est quod ait me asserere, *Patrem & Filium simpliciter esse duo*, cum hoc verbum *simpliciter* non sit in scriptis meis. Altera est, quod à me non est scriptum, nec cogitatum, Filium & Patrem esse duo, sed Filium de se ac Patre sic loquentem induco, *Duo sumus ego & Pater.* Quod si per obliquos casus fuissem loquutus, *duos* dixissem *audistis testificantes*, non *duo testificantia.* Quod si hæc propositio est impia, *duo sunt Pater & Filius*, impia erit & hæc, *tres sunt Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Porro cum hæc de testium numero non de essentia Dei loquar, si hæc propositio est hæretica, *Filius & Pater sunt duo testes*, hæreticum erit quod scripsit *Joannes*, *Tres sunt qui testificantur in cœlo*: nam Græce dixit οἱ μαρτυροῦντες. Porro quid sentiam, interpretatur quod mox sequitur, *duo sumus, sed duorum idem est testimonium, idem judicium.* Et hæc sunt in verbis quæ ad calumniam decerpsit *Bedda.* Proinde frustra philosophatur hîc *Bedda*, docens Patrem & Filium unius esse essentiæ. Quanquam nec hic locus efficaciter hoc evincit quem adducit: æque ἀπροσδιόνυσα sunt quæ miscet de *Arrianis.* Tertia calumnia est, quod affirmat me aliud interpretatum quam sensit *Joannes.* Atqui constat ex his quæ præcedunt & consequuntur, Euangelistam agere de numero & ponderе testium: præcessit enim, *Et si ego perhibeo de me ipso testimonium, testimonium meum verum est.* Et sequitur: *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso*, &c. Quin & paraphrastici sermonis tenor talis est, ut non possit alius accipi sensus. Hæc enim præcedunt: *Ego testimonium perhibeo de me ipso, sed ex auctoritate Patris, qui & ipse testimonium perhibet de me, nec aliud de me pronuntio quam ille testificatus est.* Ac mox: *Si meum testimonium rejicitis, & illius rejiciatis oportet. Si meum judicium rescinditis, & illi contradicatis necesse est: duo sumus*, &c. Quin ex ipsis verbis, quæ *Bedda* recitat, dilucidum est me, *duo sumus*, dixisse genere masculino, alioqui quomodo cohæret quod mox sequitur, *Sed ex his duobus unus est, qui si solus esset:* dicendum enim erat, *sed ex his duobus unum est.* Quarta calumnia est, quod ait me non debuisse populo Christiano ad explanationem Euangelicæ veritatis trahere, quod dictum est in Lege *Mosaica* de duobus testibus, quasi ita duo testes essent Pater & Filius, ut homines duo testes duo sunt. Primum, in his *Bedda* verbis blasphemia est, qui negat oportere fieri quod fecit ipse Dominus, qui Legem objicientibus ex Legis præscripto respondet. Deinde ait me proponere populo Christiano, quod narro propositum *Judæis.* Quod si hæc argumentatio non confirmat apud Christianos auctoritatem *Christi*, vehementer decepti sunt Orthodoxi, in quibus ego me numero. Sed impudentissima calumnia est, quod insimulat me, quasi putem Patrem & Filium sic esse duos testes, quemadmodum duo homines sunt duo testes. Neque enim illic loquor sub persona mea, sed *Christum* facio loquentem, qui cum *Judæis* disputat velut homo, qualis ab illis putabatur, subindicans tamen obiter argumenta suæ divinita-

nitatis. Non hîc excutio an Pater & Filius possint dici duo testes juxta divinam naturam, certe duo testificantes dici possunt, nisi *Joannes* impie tres dixit testificantes. Testificatus est Pater in baptismo & Spiritus Sanctus, testificatur ipse de se Filius. Certe juxta naturam humanam duo testificantes dici possunt Pater & Filius. Et ut nihil horum sit, apud quos tamen loquebatur duo testes dici poterant Deus & *Christus*, qui nihil aliud quam homo credebatur. Nec ex re disputat cum illis, sed ex concessis. Quod sequitur in censura festivum est, cum ajo, *qui si solus esset*, pono impossibile, sed *Aristoteles* ait, *Relativa posita se ponunt, peremta se perimunt.* Nec potest esse pater sine filio, nec filius sine patre. Hoc ex adytis Philosophiæ scilicet. Verùm argumentandi gratia fingo esse quod est impossibile, sed ad impossibile sequitur quidlibet. Quid his nugis frigidius, non ex Dialectica sed ex Sophistarum Schola depromtis? Nihil enim tritius in Orthodoxorum libris quam fictio, quod genus argumentandi *Fabius* ostendit Græcis dici κατ' ὑπόθεσιν. Unde fluxit ludus puerorum in Schola argutandi ex obligationibus. Fictio vero locum habet non solum in probationibus, verum etiam in amplificando. In probatione hoc modo: *Lex jubet ut liberi parentes alant aut vinciantur, Qui Reipublica causa abfuit, deposcitur ad vincula*, opponit fictionem, *Ponite*, inquit, *me esse infantem, conjiceretis in vincula? Si infans excusatur quia non licuit alere, nec mihi licuit per negotia Reipublicæ.* In amplificando sic, *Si* Christus *nihil aliud esset quam homo, qui nobis tanta caritate demonstrasset recte vivendi viam, nec ullum post hanc vitam præmium esset pollicitus, tamen æquum erat illum redamare, illiusque præceptis herere: nunc cum Deus sit & æterna vitæ præmia promiserit*, &c. Neque quicquam refert an impossibile sit quod fingitur, an non. In hoc genere tractando mirificus artifex est *Chrysostomus*.

PROPOSITIO XCI.

Sola credulitas via est ad immortalitatem.

SVPPVTATIO.

C. Hoc scilicet restabat, ut *Bedda* doceret nos Latine loqui, quasi viæ ingressum non liceat appellare viam, & qui commonstrat totam viam indicet. Et fides sic patefacit aditum ad salutem, ut nihilo secius primas partes agat in deducendo usque ad portum. Cætera pete ex Divinationibus & Elencho.

PROPOSITIO XCII.

Cap. IX. *Non punit Deus liberos ob delicta parentum, quemadmodum docet Lex, nisi filii parentum æmulentur vitia, sed huic (scilicet cæco nato) casu quodam accidit cæcitas.*

SVPPVTATIO.

Cum plura sint loca in sacris Litteris, quæ negant filios esse occidendos pro patribus, *Bedda* tantum ea citat quæ pro ipso faciunt. Debebat inter se pugnantia loca conferre, & in concordiam redigere, potiusquam calumniari meam Paraphrasim. Nos eam partem assumsimus quæ conveniebat Euangelico loco, sequuti *Chrysostomum* auctorem, qui multis verbis differit quod à nobis pauciſſimis verbis perstrictum est. Quid decreverit Epistola Decretalis, nihil pertinet ad Paraphrasim Euangelicam, præsertim cum illa tractet de confiscandis facultatibus, non de læsione corporis. Hæc C. una calumnia est. Altera quod ex *casus* vocabulo blasphemiæ crimen impingit, quasi negarim Dei providentiam. Imo Paraphrasis ipsa declarat hoc illi accidisse causis hominibus incognitis, Deo sciente quidem, sed consulto non prohibente. Verba mea sic habent: *Sed huic casu quopiam accidit cæcitas, nullius vitio, quemadmodum multa accidunt in vita mortalium, sed hujus infelicitas in hoc prohibita non est, ut per eam declaretur*, &c. Qui dicitur non prohibuisse, videlicet indicatur scisse, & prohibere potuisse. Bellum vero C. quod *Bedda* hoc ipsum citat adversum me, quod à me positum est in Paraphrasi, *Quia*, inquit, *sic natus est ut manifestentur opera Dei in illo.* Quid ex his colligit *Bedda*? Non sine Dei providentia accidisse cæcitatem. Atqui hoc ipsum explico Paraphrasi, quam *Bedda* multis modis declarat se non legisse. Quod si legit, multo magis accusandus est, qui talibus næniis impingit blasphemias & hæreses. Reliqua pete ex Divinationibus & Elencho.

PROPOSITIO XCIII.

An nondum vos quoque creditis omnia Patris esse quæ per me dicuntur aut geruntur, & nullum inter nos duos esse discrimen. Hoc mihi docenti toties credere debueratis.

SVPPVTATIO.

Etiam atque etiam admiror *Beddam* his frigidissimis næniis voluisse miseras explere chartas. Fingit hîc periculum ne cum *Sabellio* confundam discretionem Personarum, quod scripserim, *nullum inter nos duos esse* C. *discrimen.* At quî fieri potest, ut qui duo sunt, non sint duo? Plus erat periculi in illis verbis ubi dicit, *Pater & ego unum sumus*, quam ex meo, quo profiteor esse duos. Verùm hîc vult Paraphrasim esse commen- C. tarium, & suspicionem hanc debuisse præcludere. Non existimabam quenquam tam insanum, qui hoc suspicaretur, aut quenquam tam impudentem qui auderet calumniari; sed hic ad calumniandum vult Paraphrasim esse commentarium, alias non vult idem esse jus, ob personas loquentes. Utcunque tamen est, an non videor *Bedda* satis hanc excluſisse suspicionem, cum in hujus ingressu sermonis sic loquar? *Qua fronte mihi dicis ostende nobis Patrem, quasi qui me viderit, non idem viderit & Patrem; non quod non alius sit Pater quam ego, sed quod inter duos nulla sit dissimilitudo juxta naturam sublimiorem.* Quomodo poterat evidentius excludi *Sabel-* C. *liana* blasphemia? Et tamen *Bedda* criminatur quod non expresserim. Ad hæc cum eodem in loco Filius appellet se Patris imaginem, illi per omnia similem, an non satis exprimit discretionem Personarum, & naturam eandem? An hîc quoque cavillabitur per omnia similem dici, qui nec personæ proprietate sit discretus, cum totus ille sermo de æqualitate potentiæ, qua Filius in Patre manens, & Pater in Filio operabatur, loquatur. Et post hæc tam manifesta non pudet *Bed-* C. *dam* argutari, cum ajo inter nos duos nullum esse discrimen, me non sensisse de divina essentia. Quo tandem argumento? *Quia nec ipse*, inquit, Erasmus *hu-* V. *jusce modi divinarum varietatem Personarum capere videtur, neque prospicere.* Quid ais, os impudentissimum? Ego non prospicio discretionem Personarum, quam tot locis Sole dilucidius profiteor? Non capio humano intellectu quomodo Persona differat à Persona, quod nec *Beddam* nec quenquam è *Sorbonicis* arbitror intelligere, sed certissima fide teneo, non tamen prorsus ignorans quæ super his tradunt *Athanasius*, *Hilarius*, *Augustinus*, & *Petrus Lombardus*. O fatum meum qui cum hujusmodi blateronibus rixari compellor! Verùm divino, quo casu sic ineptierit *Bedda*. In propositionem nudam ab aliquo decerptam scripserat censuram, nactus locum de *Sabellio*. Postea monitus à quopiam quod & eo loco, quem carperet, catholice scriberem, maluit quidvis comminisci, quam perdere tam bonam calumniam. Sed fingat nihil aliud esse scriptum, quam inter duos nullum esse discrimen, an ex his verbis intelligemus nullum esse discrimen Personarum? Si quis ostendat duos gemellos dicens, inter hos nullum videbis discrimen, an dicit duos esse unum? Quis non intelliget illum loqui de similitudine staturæ, formaque corporis, quemadmodum hîc loquitur Filius Patri simillimus.

Digitized by Google

Propositio XCIV.

Passus est Dominus futurum Ecclesiæ Principem in hunc errorem pio quodam affectu cadere, quo certius & efficacius in posterum eximeret omnem ulciscendi libidinem, ac jus armorum in totum excuteret, posteaquam & illum objurgasset, qui nondum accepto interdicto, pium Dominum pio affectu adversus impios tueri pararet.

Svppvtatio.

Ad hæc paucis respondsum est in Elencho, copiosius in Annotationibus in *Lucæ* Cap. II. Non est periculum ne Principes amittant jus armorum; usurpant plus satis, & utinam soli Principes! nihilo segnius hodie pugnant Episcopi & Abbates. Quod interpretor verissimum est, in viris Apostolicis, quorum personam gerebat *Petrus*, in omnibus etiam Christianis aliquot seculis, donec cœpissent & publicis fungi magistratibus, & Principes adjungerentur Ecclesiæ, quibus ipse *Ambrosius* circumspecte tribuit jus, armis defendendi tranquillitatem Ecclesiæ adversus incursum Barbarorum. Ridiculum est autem, quod negat *Petrum* animo ulciscendi strinxisse gladium, cum fateatur per tumultum cœpisse pugnam. Alioqui solus non fuisset aggressus tam multos armatos gladiis & fustibus.

Propositio XCV.

Hæc nimirum est prima professio volentium Principum aulis sese addicere, abnegare Christum, *hoc est, veritatem.*

Svppvtatio.

Qui toties impingit mihi loquentis personam, cur hîc non meminit non me loqui, sed *Joannem* Euangelistam? Sed utitur suo jure, cum persona servit calumniæ, loquitur Euangelista, cum non servit, ego loquor: cum facit ad calumniam, Paraphrasis est commentarium, cum non est commodum, nihil aliud est quam Paraphrasis. Calumnioſe vero quod hîc *Joannes* dicit
C. de aulis *Judæorum* trahit ad aulas nostrorum Principum, nec pudet hominem ad eundem lapidem toties impingere. Quoniam *Joannes* narrat *Petrum* mox ut in atrium fuerat introductus negasse Dominum, explicui sermonis allegoriam, quam hauseram ex *Ambrosio*, qui scribit hæc in *Lucam*: *Ubi tandem negat* Petrus? *Non in monte, non in Templo, non in sua domo, sed in prætorio* Judæorum, *in domo principis Sacerdotum, ibi negat ubi veritas non est, negat ubi* Christus *captus, ubi* Christus *ligatus est.* Quin hæc sub *Ambrosii* persona dicta, *Bedda* trahit ad aulam Romani Pontificis, quandoquidem mea sub *Joannis* persona dicta torquet ad aulas Principum Reipubl. profanorum? Sed huc, inquiet, allusum est; sed has allusiones nimium frequenter impingit *Bedda*. Verùm demus allusum, si huc allusit Euangelium, si sacri Interpretes, quid piaculi si alludat Paraphrastes? *Bedda* fatetur sub sua persona, in plerisque aulis raram esse fidem, multaque perperam fieri in Principum ædibus, & mihi objicit allusionem sub aliena persona? Quis autem unquam hoc dixit,
C. generalem de vitiis sermonem ad singulorum & universorum contumeliam pertinere? At *Hieronymus* toties pronuntiat, eum ad nullius contumeliam pertinere. Nullus igitur hîc locus tot *Bedda* convitiis, quibus nunquam satiatur.

Propositio XCVI.

Nihil Christus *respondit eorum quæ exspectabat Præses, qui ad causæ defensionem cupiebat instrui, pro judice futurus patronus. Verùm ea quoniam speciem præbuisset, quasi nolens pateretur, nihil hujusmodi, tantum de potestate, quam sibi* Pilatus *arrogabat, respondit, subindicans nec illi liberum esse absolvere, cum illius potestas servire cogeretur furori* Judæorum.

Svppvtatio.

Quod hîc *Bedda* vocat impium & iniquum, *Hieronymus* manifeste docuit; sed manifestius etiam *Chrysostomus* in concione adversus *Judæos* tertia: *Nemo*, inquit, *tamen juxta juris rationem de illo suffragium tulit, sed falsa potius adversus illum recipiebant testimonia. In causa erat quod tum nolebat elabi: nam si voluisset, omnia turbasset, concussisseque.* Quod addit, de libero C.
arbitrio, ni fallor, sentiens, mera calumnia est. Super his vide Elenchum.

Ex Paraphrasi in Marcvm.

Propositio XCVII.

Attulerunt Legum conditores & Philosophi quoddam Cap. I.
Euangelium suum, sed partim vanum & fallax, partim dilutum & inefficax. Certius autem & solidius Euangelium proditum est à Mose *& Prophetis, præparans tantum ad cognitionem veritatis, nec satis efficax ad præstandam perfectam salutem.*

Propositio XCVIII.

Horum (scilicet *Mosi* & Prophetarum) *Euangelium plus habet terroris quam lætæ promissionis, magisque prodidit malitiam hominum quam diluit, ac Dei potentiam magis ingessit animis hominum, quam clementiam ac bonitatem commendavit, terrorem incutiens potiusquam amorem inserens.*

Propositio XCIX.

Quid enim supererat, nisi posteaquam per Legem didicerant homines se peccatis obnoxios, nec posse ab his temperare, simulque scirent Dei severi vindicis judicium neminem posse effugere, nisi ut trepidarent, horrerent ac desperarent. Quis autem amare potest quem horret?

Svppvtatio.

Quod ex Præfatione queritur *Bedda* me contumelioſe sentire de Theologis, qui nonnunquam impares inveniantur idiotis, non de *Beddis* dictum est, sed de mei similibus. Et tamen possum aliquot exempla commemorare, quibus idem acciderat quibusdam inter primos Theologos habitis. Sed *Bedda* fortassis idiotas vocat qui litteras nesciunt; ego Laicos appello, qui nec Sacerdotem nec Theologum profitentur, inter quos sunt aliquando ingenia feliciſſima. Quale sit autem ingenium *Bedda* satis hoc libro declaravit, ne quis miretur alios inveniri parum felici præditos ingenio. Ad Decretalem hoc tantum respondeo, eam non deterrere Laicos à sobria lectione sacrorum Voluminum, studioque cognoscendi quæ conducunt ad pietatem, alioqui damnaret hoc quod præcipit *Christus*, ad quod hortantur sacri Doctores. Nam *Augustinus* proposita populo quæstione, quem sensum haberet, quod *Joannes* qui prius testificatus fuerat de *Christo*, postea de eodem dicit, *& ego nesciebam eum*, hortatur populum, ut ipsi inter sese super ea quæstione conferant, communicentque cum aliis, qui non adfuerant concioni, si cui forte Deus reseraret ejus nodi solutionem. Et *Chrysostomus* diligenter admonet multitudinem, ut domi lectione sacrorum Voluminum, & collatione mutua, semet exerceant, quo paratiores veniant ad sacram concionem, idque non uno in loco. Decretalis autem taxat arrogantes Laicos, qui conventiculis inter ipsos factis, insolenter disputabant de sublimibus speculationibus, de essentia divina, de distinctione Personarum, de differentia Filii nascentis, & Spiritus procedentis, de prædestinatione, de libero arbitrio, quæ vix etiam in Scholis utiliter disputantur, nisi sobrie religioseque tractentur: & hac persuasione scientiæ tumidi despiciunt Sacerdotes imperitos, sibique sumunt auctoritatem docendi populum, quod genus hominum mihi non probari satis declaravimus in Appendice Præfationis in *Matthæum*, pro qua nonnihil antea respondimus. Hanc autem esse mentem hujus Decretalis, declarat altera quæ habetur in Decretali, *de hæreticis*, Cap. *Cum ex*

in-

Digitized by Google

injuncto. Cæterum Pontificis fulmen emicat quidem in terrorem omnium, at non ferit niſi noxios. Poſtremo non hîc laudo Laicos, qui contendunt cum Theologis, ſed gratulor huc uſque profeciſſe, ut poſſint contendere. Multi hauſto ſemine Euangelico fecerunt abortus, ſed abortus ſpes eſt partus τελείς, quem, ut ſpero, dabit *Chriſtus*, & ex hoc miſero diffidio, ut eſt incomparabilis artifex, gignet aliquid magni boni, nimirum ut Sacerdotes ac Theologi diligentius ac religioſius tractent Euangelicam Philoſophiam, & populus ſit hujus ſolito docilior. Proinde quod hîc *Bedda* ſchiſmatis & calumniæ meminit, calumnia eſt. Cui ſimilis C. eſt quæ ſequitur, eaque duplex, altera quod Ethnicorum Philoſophiam dixerim Euangelium. Cum Euangelium ſonet lætæ rei nuntium, ſi non licebit ea voce abuti in nativo ſignificatu, nec Teſtamentum conditum, & poſtea novatum, licebit Vetus ac Novum Teſtamentum appellare. Nec tamen ſimpliciter dixi Euangelium, ſed *ſuum quoddam Euangelium.* Promittebant enim Philoſophi felicitatem quandam ac C. ſummum bonum. Altera eſt, quod Vetus Teſtamentum appellarim Euangelium. Cum eadem promittantur in Veteri Teſtamento quæ in Novo vel præſtantur vel promittuntur, quid prohibet & hoc aliquo modo dici Euangelium, modo propria vocis appellatio maneat Euangelio *Chriſti?* Huc enim per gradus pervenio exponens *Marci* titulum, *Euangelium Jeſu Chriſti,* nimirum hoc Euangelium diſtinguens ab Euangelio C. cæterorum. Addit tertiam calumniam, quod Prophetarum ac Legis Euangelium contulerim cum Euangelio Legum ac Philoſophiæ Gentium, quod inter ea quæ confero nulla ſit proportio. Ratio *Bedda* falſa eſt. Nam & in Philoſophis fuit magna cognitio rerum divinarum, & ad mores pertinentium, vel *Paulo* teſte, licet inefficax ad ſalutem. Præterea quod aſſumit con- C. firmationem ex meis verbis, qui dixerim Philoſophorum ſcripta eſſe vana, fallacia & diluta, mala fide recitat *Bedda.* Neque enim damnavi quicquid ſcripſerunt Philoſophi, ſed ajo partim eſſe vana, hoc eſt, habere falſitatem admixtam, & ea quæ vera ſunt eſſe diluta, hoc eſt, ineffieacia ad ſalutem, cum nihil hujuſmodi ſit in ſacris Litteris. Proinde ſatis impudenter colligit *Bedda: Si hæc locutio non eſt admittenda, Euangelica veritas certior eſt falſitate, nec hæc* Eraſmi *comparatio recipi debet.* Hæc analogia magis hîc congruebat, *Beddæ* liber minus eſt vanus quam veræ narrationes *Luciani*, quod in hoc inſint multa vera falſis admixta, in illis nihil ſit veri.

C. Reſtat adhuc una calumnia: Dixi *Moſi Euangelium præparaſſe tantum ad cognitionem veritatis, ac plus habere terroris quam lætæ promiſſionis,* &c. An non hæc eadem dicit *Paulus? Per Legem enim*, inquit, *cognitio peccati.* Et, *Lex per Moſen data eſt, gratia autem per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Item, *Lex pædagogus fuit ad Chriſtum.* Quoties autem eadem leguntur apud Eccleſiæ Doctores? Cum exactius diſcutimus quid interſit inter Legem & Euangelium; utrumque fatemur in utroque eſſe. Cæterum quoties *Paulus* Vetus Teſtamentum confert cum Novo, illud facit nubilum, aſperum ac ſervile, hoc lucidum, ſuave ac liberum. Jam mihi vide quo rigore lata ſit *Moſi* Lex, quæ exempla habeat edita in contemtores. Ex adverſo, vide qua manſuetudine, lenitate ac caritate *Chriſtus* pellexerit ad ſe Mundum, ſanans omnes, nullum puniens, & iraſcere mihi, ſi dixi in veteri Lege plus fuiſſe terroris quam in Euangelio! Ad hæc confer ſub Lege paucis datam gratiam ſpiritualem, cum gratia tam exundanti, ut ita loquar, diluvio ſubito in tot hominum millia effuſa, qui Dei veri mentionem nunquam antehac audierant. Putabam eſſe calumniandi finem, verùm addit etiam C. unam. Ait in Lege potuiſſe homines temperare à peccando. Quid igitur ſibi vult *Paulus* cum ait, per Legem tantum irritari concupiſcentiam, non vitari peccatum, ſed prodi? Rurſus cum ait, *Concluſit Deus omnia ſub peccatum, ut omnium miſereretur.* Dicet à generali ſermone excipi paucos, in genere verum eſt quod ait *Paulus*, eo quod paucis *Judæis* addita erat gratia, aut ſi erat, non tam efficax, ut viverent ſine peccato. Ad eundem modum debebat interpretari mea verba, nec illa blaterare, falſum, erroneum, & in Deum blaſphemum.

PROPOSITIO C.

Joannes *hoc habebat vetuſtæ Legis, quod exitium minitabatur omnibus ni mature reſipiſcerent. Hoc habebat novæ Legis, quod non vocabat ad victimas aut holocaustomata, non ad vota ſeu jejunia, ſed ad baptiſmum & pœnitudinem vitæ prioris, quodque nuntiabat jam adeſſe clementiſſimum illum* Meſſiam, *qui gratis omnibus condonaret omnia peccata, fiduciam omnem in ſe collocantibus.*

SVPPVTATIO.

Ut doceam *Joannem* fuiſſe confinium vetuſtæ Legis, & Euangelii, oſtendo in ejus doctrina fuiſſe utrumque, & quod terreret, & quod ſaperet gratiam Euangelicam: exordium prædicationis fuit ſeverius, *Genimina viperarum quis vos monuit fugere à ventura ira? Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*, aliaque ſimilia, quæ ad terrendos rebelles *Judæorum* animos dicebantur: nec interim ſanabat quenquam, ſed auſteritate vitæ ſibi conciliabat apud carnales *Judæos* auctoritatem, quo gravius eſſet teſtimonium quod ferebat de *Chriſto.* Cæterum quid *Chriſtus* jubet diſcipulos prædicare? Nihil niſi pœnitentiam, hoc eſt, reſipiſcentiam, & inſtare regnum cœlorum, & quo blandior eſſet prædicatio addebat præſentem vim ſanandi morborum omne genus, pellendi Dæmones. Jam *Chriſtus* quanta beneficentia, quanta morum ſuavitate, quanta vitæ civilitate ſuum Euangelium molliit! condonans peccata, ſanans paralyticos, exigens Spiritus immundos, mundans leproſos, complexans parvulos, infames mulieres admittens ad oſcula pedum, verſans & convivia agitans cum publicanis & peccatoribus, audiens *Cananæam*, liberans adulteram, morem gerens Centurionibus, denique benefaciens omnibus dignis & indignis, & poſt hæc clamitans, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos:* poſtremo ſemetipſum immolans pro nobis, & interim orans pro iis, à quibus crucifigebatur, à quibus afficiebatur blaſphemis convitiis. Quid ſimile *Joannes?* Et poſt hæc indignatur *Bedda*, quod annoto prædicationem *Chriſti* minus habuiſſe terroris quam prædicationem *Joannis?* Ubicunque plus eſt caritatis, ibi minus eſt terroris. Sed minitatur & *Chriſtus.* Quis negat? Ergo quod minitatur *Joannes* magis pertinet ad Euangelium quam ad Legem? Bellum enthymema, ſi concedimus in Euangelio gratiæ plus eſſe terroris quam in Lege *Moſaica.* Sin ſecus eſt, claudicat *Beddæ* colle- C. ctio, & cadit calumnia. Sed exoritur altera gravior. C. Patet *Joannem* invitaſſe ad totius Legis obſervationem: Quid docuerit incertum, ego hoc aſſumo quod in Euangelio ſcriptum eſt, ſervaſſe Legem arbitror, quod fecit & *Chriſtus.* Cæterum Legis ceremonias quid oportebat commendare mox ceſſaturas, à quarum fiducia *Chriſtus* paulatim avocabat *Judæos?* Verùm hujus erfati *Bedda* mihi facit gratiam. Reſtant duo non remittenda nec in hoc ſeculo nec in futuro. Unum eſt C. quod nego *Joannem* vocaſſe quenquam ad vota & jejunia; doceat igitur eum vocaſſe. Ad pœnitentiam vocaſſe legimus, & ipſum jejunaſſe legimus cum ſuis diſcipulis. Cæterum in prædicatione Euangelii, de quo hîc fit comparatio, nullam facit mentionem jejuniorum aut votorum. An hoc ſapit *Lutheraniſmum?* imo ſapit Chriſtianiſmum. *Chriſtus* diſcipulos ſuos non jejunantes excuſat, fingens illos ad ultronea jejunia. Ego vero vota jejuniaque *Judæorum*, de quibus illic ago, propemodum inter ceremonias abolitas colloco. Alte- C. rum eſt, quod ajo *Chriſtum* omnibus condonaturum gratis omnia peccata. Quoties hic cenſor occinet eandem

Digitized by Google

dem calumniam? De his loquor qui accedunt ad Euangelii gratiam. An ab his aliquid exigitur niſi fides? Et ſi quis diceret in totum nos ſalutem noſtram debere gratuitæ Dei beneficentiæ, quid magis dici poteſt in gloriam *Chriſti*, & ad retundendam virium operumque noſtrorum fiduciam. Per hujuſmodi calumniatores de his quæ frequentiſſima ſunt in ſacris Litteris præſertim *Paulinis*, quæ maxime conducunt ad hoc, ut homines agnoſcant miſericordiam divinam, amentque beneficentiam, ut ſibi quamminimum tribuant, poſthac non licebit mutire, quin mox audiat *Lutheranus*, & in concionibus extollentur opera meritaque hominum, ſuppreſſa *Chriſti* gloria.

PROPOSITIO CI.

Joannes *inter Legem* Moſi *carnalem*, *& Legem Euangelicam ſpiritualem medius intervenit, quo facilius homines à carne ad ſpiritum transfigurarentur.*

SVPPVTATIO.

Jam ad hanc calumniam non ſemel reſpondimus, ſed ſurdo. *Paulus* appellat Legem ſpiritualem, ſanctam & bonam. Quis negat? Sed *Bedda* diſſimulat quoties idem vocat Legem infirmam, & imperfectam, & ſervilem. Quodque legimus in Prophetis, *Dabo eis leges non bonas.* Ergo-ne ſecum pugnat Scriptura? Non, ſed aliter accipitur Lex. *Lex* Moſi *carnalis* dicitur ob ceremonias, ob *Judæos* litteræ affixos: Euangelium *Lex gratiæ* dicitur, ob abundantiam chariſmatum, & latius exſertæ caritatis divinæ. Quod ſi ſententiam probat *Bedda*, ac verbis tantum offenditur, litiget cum orthodoxis Eccleſiæ Doctoribus, qui ſimiliter loquuntur una cum *Paulo*. Hæc una calumnia eſt, quam ſi volet, centies poterit intentare, verùm non mihi ſolum, ſed Orthodoxis priſcis ad unum omnibus, qui *Paulum* ſequuti, ſic loquuntur de comparatione veteris Legis, cujus typum ſuſtinet *Joannes*, & novæ, cujus auctor eſt *Chriſtus*. Nec admiror quo *Bedda* ducentas propoſitiones ſupputat obnoxias calumniæ, magis admiror quod non recenſuerit tria millia, quandoquidem illi viſum eſt hoc modo calumniari. Nec minus impudens eſt calumnia, quam ſubjicit, ex meis verbis ſubindicari, *quotquot ante* Chriſtum *fuerunt ſub Lege, in carne fuiſſe, non in ſpiritu, & ſecundum carnem vixiſſe, non juxta ſpiritum.* Si *Pauli* ſermo generalis, *Omnes in Adam peccaverunt*, non lædit *Chriſtum* aut divam Virginem *Mariam*, aut aliquot eximios viros, quod ad actuale peccatum attinet; cur hic ſermo meus non univerſalis, ſed indefinitus, (nihil enim aliud dico quam *homines*) complectitur ſingulos & univerſos? De vulgo *Judæorum* loquor, non de paucis ſpiritualibus, & in illis Lex erat carnalis, in illis *Lex* infirmabatur. Poſt hæc ex uno me facit multos, & miratur iſtos homines, qui ſic efferunt Euangelium, quaſi tantum ſpiritualia præcipiat, non ſatisfactionis opera, cum *Joannes* fuerit maxime ſpiritualis. Primum qui ſunt iſti homines? Cur eos non nominat? Cur me gravat illorum invidia, quos non novi? Deinde quod nemo fuerit ſpiritualior *Joanne*, *Bedda* de ſuo fortiter pronuntiat. *Chriſtus* negat quenquam id temporis majorem, æquans eum Prophetis, non præferens, ſed arbitror Apoſtolos hauſto Spiritu fuiſſe magis ſpirituales. Addit bellum argumentum, *Quia nemo duxit vitam magis auſteram:* quaſi hinc colligatur ſpiritualis pietas. Multi Philoſophi duxerunt vitam inſigniter auſteram, qui nihil habebant ſpiritus. Sed ſomniat *Bedda* ſuggillari meis verbis *opera pœnoſa*, ut ipſius floſculis abutar. Quam *pœnoſe* vivat *Bedda* neſcio, ſed cujuſmodi juſtos nobis dederint iſta, quæ ſola miratur *Bedda*, Mundus jam nimium intelligit, nec eſt neceſſe profundius hanc agitare Camarinam. Poſtremo quid colligit *Bedda*? Prophetas vixiſſe juxta ſpiritum? Quid tum poſtea? Ergo in fide erroneum eſt, quod ſcripſit *Eraſmus*. Quid ſcripſit? Fuiſſe plurimos homines in Mundo, qui fidebant litteræ Legis carnali, hoc eſt, præceptorum obſervationibus, abſque caritate? Utrum hoc verum eſt an falſum? Et hos præparavit *Joannis* prædicatio, quo capaciores eſſent ſpiritualis *Chriſti* doctrinæ. Sed *Chriſtus* quoque præſcripſit ceremonias. Quas? Baptiſmum. Tantillum exactum eſt pro omnibus Legis ceremoniis: ſed baptiſmum exegit ex qualibet aqua, & conceſſit à quovis adminiſtrandum. Et hoc ipſum datum eſt infirmitati noſtræ. Si tam eſſemus ſpirituales quam erat ipſe, nec baptiſmum præſcripſiſſet. Quæ deinde præſcripta ſunt, ob infirmitatem hominum, ab hominibus præſcripta ſunt, de quibus non agebat *Marcus*, ſub cujus perſona loquitur Paraphraſis.

PROPOSITIO CII.

Lex Moſi *ſuis umbris, victimis ac terroribus fecit hypocritas.*

SVPPVTATIO.

Hîc dum ex unius abuſu voculæ, blaſphemiæ calumniam intentat, ipſe incidit in manifeſtam blaſphemiam. *Lex fecit hypocritas* dictum eſt, pro eo quod erat, per occaſionem Legis *Judæi* facti ſunt hypocritæ verius quam juſti, quia ſine caritate ſervantes Legis præcepta, cum revera non ſervarent, tamen ſibi placebant quaſi ſervarent. Quî magis hic meus ſermo blaſphemus eſt, quam ſermo *Pauli* Rom. IV. *Lex iram operatur.* Item I. *Cor.* XV. *Virtus peccati Lex.* Iterum ad *Rom.* V. *Lex ſubintravit ut abundaret delictum.* Blaſphemum & illud quod ſcribit *Moſes* de Deo, *Indurabo cor Pharaonis.* His tropis cum Scriptura ſcateat undique, cum ſacri Doctores interpretentur dictionis formam, *Bedda* quaſi nunquam quicquam tale audierit, clamat blaſphemiam. Atqui meus ſermo declarat me de Legis eventu loqui, nec loqui ſimpliciter de tota Lege, ſed de parte Legis, quæ præſcribit ceremonias & minitatur pœnam abſque gratia. Sic habent mea, *Lege naturæ, quam Deus inſcripſerat cordibus omnium mortalium, abuſi ſunt.* Philoſophorum ſapientia reddidit Mundum ſtultiorem quam fuerat, Gentium religio hactenus ſumma fuit impietas, Lex *Moſi* ſuis umbris, victimis ac terroribus fecit hypocritas. *Bedda* videt hîc notari eventum Legis naturæ, Philoſophiæ, ac Legis *Moſaicæ* juxta litteram: audit fieri mentionem de abuſu, & tamen ſomniat blaſphemiam, credens neminem ſcire diſcrimen inter cauſam & occaſionem, quod nemo puerorum neſcit. Sed argumentatur ab analogia, *Si hæc*, inquit, *propoſitio ferri poteſt*, Chriſtus *& Euangelium ejus fecit hypocritas, & hæc poteſt ferri, Lex fecit hypocritas*, perinde quaſi dicas, Si pharmacum, quod dejiciendo alvo dedit Medicus non ut oportuit, ſumtum, occidit hominem, ergo Medicus occidit hominem. Et concludit, *Non fecit ergo Lex hypocritas, plus quam Euangelium.* Imo Euangelium ſuſtulit victimas ac ceremonias, auxit gratiam & caritatem, & terrores imminuit, atque ita per occaſionem minus facit hypocritas, quam Lex, niſi quod quidam ex Euangelio ſtudent facere Legem *Moſaica* pene graviorem.

PROPOSITIO CIII.

Ad Moſaicæ *Legis æſtimationem fortaſſis aliqui juſti ſunt, ad Euangelicæ Legis exactionem peccatores ſunt omnes homines.*

SVPPVTATIO.

Hæc dicuntur ſub perſona *Chriſti* provocantis omnes *Judæos* ad pœnitentiam. His quoniam fidebant operibus Legis, adimit ſupercilium, ſignificans aperiri juſtitiam ſublimiorem, quam hactenus fuerant amplexi, juxta illud: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum*, &c. Ea *Bedda* cenſor huc torquet, quaſi nunc à me dicantur. Et *Paulus* diſtinguit juſtitiam Dei à juſtitia hominum. Non huc adferam quod toties repetitum eſt apud Orthodoxos, *Nec aſtra eſſe munda in conſpectu Dei*, & *in Angelis re-*

Digitized by Google

repertam iniquitatem. Et, *ſapientiam hominum ad Dei ſapientiam eſſe ſtultitiam.* Et, *omnes noſtras juſtitias ad Dei juſtitiam eſſe pannum mulieris menſtruo profluvio impuræ.* Et quod *Chryſoſtomus* adverſus *Judæos* audet pronuntiare *Judæorum* ſacra fuiſſe impura, ſi ad Euangelium conferantur: ut non excutiam quam verum ſit quod ait *Auguſtinus, Nihil eſſe præceptum in Euangelio, quod in Lege præceptum non ſit:* certe *Paulina* vox me liberabit à calumnia *Rom.* III. *Ut omne*, inquit, *os obſtruatur, & omnis Mundus ſubditus fiat Deo.* Ac mox, *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Ad hæc Dominus hîc loquitur de craſſiore Legis parte, deque juſtitia vulgari. Nec obſtat generali ſermoni paucorum ſingularitas.

PROPOSITIO CIV.

Friget quicquid humanum eſt, quoties divina virtus exſerit ſuam potentiam.

SVPPVTATIO.

Hîc quid ſibi velit cenſor plane non intelligo: talem enim addit cenſuram: *Quatenus humanis Propoſitio hæc detrahit inſtitutis aut doctrinis, ſuperius jam damnata eſt ut Lutherana.* Quid ego audio? Ita-ne detrahit humanis qui præfert divina? Etiam-ne peccat qui Deum præfert homini? Quæ eſt hæc nova *Lutherana* Propoſitio? Quanquam illic non agitur de Conſtitutionibus Pontificum, ſed doctrina *Chriſti* plena auctoritatis & miraculorum præſente virtute potens, confertur cum Phariſæorum conſtitutiunculis, & carnali Legis interpretatione. Sic habet locus, unde *Bedda* collegit venenum: *Admirabantur ſermonem vim quandam ſpirantem, neque enim Scribarum in morem docebat frigidas conſtitutiunculas & aniles fabulas, de genealogiis, ſed dictis aderat auctoritas, ac ſermoni veraci fidem adſtruebat miraculorum magnitudo. Friget quicquid humanum eſt*, &c. Sed cauſabitur alluſum eſſe. Scilicet nos ob *Bedda* ſuſpiciones audiemus blaſphemi & ſchiſmatici. Sed age, fingat hoc ſub mea perſona dictum de Pontificum & Epiſcoporum Conſtitutionibus, & Theologorum doctrina, an *Lutheranum* erit Deum illis anteponere? Nonne Theologi inter ſe diſſentiunt? Nonne multa tradunt ambigua, quædam etiam infrugifera? Eſt-ne tale quippiam in *Chriſto* docente? Et in Pontificum Conſtitutionibus nonne quidam inter ſe variant? Nonne quaſdam abrogavit uſus? Certe poſſunt abrogari. Quid tale in præceptis Euangelicis? Non hîc excutio cujuſmodi ſint quædam Epiſcoporum & Abbatum conſtitutiones, quas ſi quis velit ad Euangelii doctrinam expendere, quam frigeant, facilè perſpiciet. Hîc *Bedda* non metuit blaſphemiæ crimen, dum homines ſtudet æquare Deo. Supra dignitatem hominis eſt, ſi Deo vel conferatur.

C. B.

PROPOSITIO. CV.

Rogemus nos qui ſumus in Eccleſia Jeſum, *ut dignetur meticuloſos, litteræ affixos, ad libertatem Euangelicam erigere, quæ non in hoc valet ut licentius peccemus, ſed ut alacres & volentes obeamus munia caritatis Euangelicæ.*

SVPPVTATIO.

Hîc audi, lector, inſigniter impudentem *Bedda* calumniam. *Jeſus* ingreſſus domum *Simonis* ſanavit ejus ſocrum decumbentem ad eorum preces qui erant in domo. Et *Simonis* domum interpretor Eccleſiam, ſocrum Synagogam: hanc febricitantem circa frivolas genealogias, & humili affixam litteræ decumbentem, nec erigentem ſe ad ſenſum Legis ſpiritualem, erexit *Jeſus* rogatus ab his qui aderant in domo. Ad hanc allegoriam dico ſub perſona *Marci*, *Rogemus & nos qui ſumus in Eccleſia.* Marcus *vult rogari pro* Judæis, *qui pertinaciter inhærebant occidenti litteræ, ut erecti per* Chriſtum *ſpiritualiter intelligerent Legem.* Quo quid magis pium dici poteſt? Hoc ſi *Lutheranum* eſt accuſet *Marcum*, cujus perſonam facio loquentem. Et ſi diſplicet allegoria, proferat *Bedda* meliorem; mihi hæc videbatur congruere, quod in Synagoga liberatus eſſet Dæmoniacus, in Eccleſia mulier adhuc languens ad vigorem Euangelicum, quales tunc erant ipſi etiam Apoſtoli, & adhuc opinor eſſe multos, pro quibus ſi nunc orent perfecti ut proficiant ad ſublimiora, nonne rem piam facerent? Et tamen hæc ſententia videtur *Bedda Lutherana.* Quî ſic? Quia quidam nullis Eccleſiæ ceremoniis deferre volunt, nullis teneri hominum legibus, nullis quoque Eccleſiæ religari edictis. Quid *Lutherani* faciant neſcio, ſed *Bedda* ſuſceperat meam Propoſitionem cenſendam, non facta *Lutheranorum.* Quid igitur nos hîc de *Bedda* pronuntiabimus? eum laborare graviore febri, quam illa *Petri* ſocrus tenebatur. Oremus igitur & nos Dominum, ut miſere febricitantem erigere dignetur.

A B

PROPOSITIO CVI.

Deus à peccatoribus nec holocautomata requirit, nec donaria, tantum agnoſce morbum & confide medico. Cap. II. C

SVPPVTATIO.

Hîc adſcribit cenſor, *Lutherana hæc eſt aſſertio, crebrius antea rejecta eſt & confutata.* Quantum auctoritatis ſibi ſumit hic cenſor. Sat habet dixiſſe *Lutheranam* aſſertionem, *αὐτὸς ἔφα.* At ego credebam *Beddam* animal eſſe rationale, nunc nulla utens ratione damnat nudo verbo, & tamen vult appellari doctor, & ſubinde jactat Theologos *Pariſinos* nihil decernere, ſine diligenti perpenſione, ſed ex Scripturarum teſtimoniis & idoneis rationibus. Nec ſatis divinare queo, quid *Beddam* offenderit. Expono quod ait *Marcus.* Cum autem *Jeſus* vidiſſet fidem illorum, ait paralytico: *Fili dimittuntur tibi peccata tua.* Conferoque *Jeſum* ſanantem & remittentem peccata, cum Sacerdotibus Legis *Moſaicæ*, qui pro lepra purgata exigebant oblationem, & commiſſa *Judæorum* certis victimis ac donariis expiabant: At *Jeſus* nihil tale. Vidit fidem tacentium, nec aliud moratus, condonat paralytico ſua peccata. Obteſtor hîc *Bedda* conſcientiam, eſt-ne hîc aliquid *Lutheranum?* Verùm ille fortaſſis torquet ſermonem ad meam perſonam, & ad nummos quos confitentes dant Sacerdoti abſolventi, aut ſacrificanti, aut fortaſſis ad redimenda bona opera. Verùm hæc eſt una ratio calumniandi, quam oſtendimus in Prologo. Hac *Bedda* nimium frequenter, parumque pudenter utitur. Perlubens rogarim illum, quos lectores proponebat ſibi cum hæc mandaret litteris, homines-ne, an ſues?

C. D E

PROPOSITIO CVII.

Quo propior eſt deſperationi peccator reſipiſcens, hoc ſaluti vicinior eſt.

SVPPVTATIO.

Eia, hîc cenſor, quo lectorem exhilararet, agit Sophiſtam, ſed ſic ut non multum abſit à ſycophanta. Quod eſt pharmacum corpori ægroto, hoc eſt agnitio peccati animæ peccatrici. Si pharmacum non movet corpus, nulla eſt ſpes ſalutis, quoniam eſt inefficax: Sin vehementer concutit totum corpus, ſpes eſt ſalutis poſt concuſſionem ſequuturæ. Ita quo major eſt dolor ex conſiderata magnitudine ac multitudine peccatorum, hoc major eſt ſpes ſalutis. Primus autem ille horror, qui partim naſcitur ex enormitate peccato-

F C.

Digitized by Google

rum, partim ex metuendo judicio Dei, ſic conſternat frequenter hominem, ut deſperationi ſit proximus, ac tum maxime ſpes eſt ſalutis. Hoc enim dixi viciniorem eſſe ſaluti, in proxima ſalutis eſſe ſpe: veluti ſi ad magnificum palatium per foſſas ſit aditus, quarum extrema ſit tranſitu difficillima, ſi quis ad eam pervenerit, recte dicetur palatio proximus, cum eſt in ſummo periculo ſubmerſionis. Nec enim hîc expendo gradus ſalutis, ſed confero tranſitum ab exitio, in quo fuerat, ad ſalutem ad quam præparatur. Dum peccator ſibi placet exſultans in rebus peſſimis, longiſſime abeſt à ſalute: Cum incipit ſibi diſplicere, propior eſt ſaluti, dum totus concutitur horrore turpitudinis ſuæ, tum proximus eſt gratiæ conſolanti. Jam ſalus habet initium, progreſſum & conſummationem. Juxta hanc rationem verum eſt quod dicit *Bedda*, hoc quemque propiorem eſſe ſaluti conſummatæ, quo majorem habet in Deo fiduciam; verùm juxta noſtram conſiderationem C. ſecus eſt. Proinde frivolum eſt quod cavillatur *Bedda*, me mihi non conſtare, qui alibi tantum tribuam fidei, hîc pronuntiem eum ſaluti proximum, qui deſperationi ſit proximus. Salutem enim appello ſalutis aditum, C. non totam ſalutis conſummationem. Ego deinde diffidentem facio non Dei miſericordiæ, ſed ſuis meritis, & *Bedda* nobis aliud diffidentiæ genus objicit ex arte ſophiſtica. Imo hæc duo fere conjuncta ſunt, diffidentia ſui, & fiducia erga Deum. Itaque perperam ex male intellectis colligit, ex meis ſequi hanc ſententiam eſſe veram, *deſperans ſalvus eſt*. Hîc bis Sophiſtam agit C. cenſor: Primum fingit me ponere peccatorem in deſperatione, cum ego ponam reſipiſcentem, ac deſpe- C. rationi proximum. Deinde deſperantem facit eum, qui diffidit de bonitate Dei, cum ego ponam pene deſperantem ob magnitudinem peccatorum, non ſine ſpe miſericordiæ divinæ, licet pene obruta. Porro quod objicit meam propoſitionem nec eſſe in ſacris Litteris, nec apud Orthodoxos, fateor quod interpretatur *Bedda*, nuſquam eſſe, verùm quod à nobis dictum eſt crebro legitur. Sub perſona peccatoris reſipiſcentis canit Eccleſia Pſalmum, *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, Dolores inferni circumdederunt me.* Ecce proximus deſperationi. Et ſequitur in eodem Pſalmo conſolatio liberationis. Rurſus *Chriſtus* ſuſtinens perſonam membrorum ſuorum orat, *Deus meus quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea verba delictorum meorum.* Audis vocem deſperationi proximam. Et in Euangelio legimus: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient.* Et, *cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Et, *dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.* Et Publicano propior erat Deus quam Phariſæo. Hanc tam piam ſententiam miror quare *Bedda* putarit inceſſendam cavillis ſophiſticis. Quale ſi quid à me factum eſſet, quos cieret tumultus, quomodo vociferaretur me revocare homines à contritione, per quam iter eſt ad remiſſionem peccatorum!

PROPOSITIO CVIII.

Chriſtus *dicens paralytico*, condonantur tibi peccata, *relaxat univerſa, nec ulla præteritorum malorum mentio, nec ulla ſacrificiorum aut ſatisfactionis exactio, tantum fiduciæ fit mentio. Satis ſacrificavit, qui ſe cum plena fiducia oſtendit.*

SUPPUTATIO.

Marcus hîc loquitur de ſanato paralytico. Si *Chriſtus* non donavit omnia commiſſa, ſi priuſquam condonaverat fecit mentionem præteritorum meritorum, ſi exegit ſacrificia aut ſatisfactionem, ſi fit alterius rei mentio quam fidei, ſi non fuit hoc *Chriſto* ſatis quod paralyticus ſeſe cum plena fiducia curavit exhibendum oculis *Jeſu*, ſermonem falſum tribui *Marco*. Sin

A hæc ſunt veriſſima, quantum abeſt à blaſphemia cen- B.
ſor, qui *Lutheranum* errorem vocat, quod expreſſum eſt in Euangelio. Quod ſi *Bedda* voluiſſet & hæc torquere ad noſtra tempora, ad baptiſmum potius conveniebat detorquere, quam ad ſacramentum abſolutionis, aut ad bona opera baptizatorum. Si ſibi permittit his artibus ad calumniandum uti, nihil eſt in Paraphraſi quod non poſſit calumniari, imo nihil in Epiſtolis *Pauli*.

PROPOSITIO CIX.

Ut cibus corporis non confert juſtitiam, ita nec jejunium, ac ſæpe fit ut veſcens juſtior ſit jejunante.

B

SUPPUTATIO.

Hîc rurſus congeſſit agmen Propoſitionum, quas univerſas damnat una ſententia, cum vix ad unam reſpondeat. Unam enim ſententiam ſector noſter diſcidit in tres Propoſitiones, quibus tamen ego ſeparatim reſpondebo. Expono locum, quo *Chriſtus* defendit ſuos diſcipulos quod non jejunarent, & oſtendo diſcrimen inter triſtia *Judæorum* jejunia, & alacria Chriſtianorum jejunia: & oſtendo cibum animi ſpiritualem, verumque jejunium, & inter cætera dico quæ decerpſit C ad calumniam *Bedda*. Quod ſi in meis verbis nihil eſt C.
falſi, quid calumniatur *Bedda?* Si quis jejunus tales blaſphemias evomat in proximum immerentem, nonne pejor erit eo, qui cum gratiarum actione ſatisfacit neceſſitati corpuſculi? Et *Judæi* jejunantes adegerunt *Chriſtum* in crucem. Et Dominus clamat per *Eſaiam*, *In die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Quid igitur ſibi vult *Bedda?* an cibus ex ſeſe juſtificat hominem? Mentitur itaque *Paulus*, qui dixit, *Regnum Dei non eſt eſca & potus*. An quiſquis jejunat, ſtatim melior eſt non jejunante? Ergo Phariſæi erant meliores diſcipulis *Chriſti*. Atque hæc ſub perſona *Marci* juxta ſen- D tentiam Euangelicam dicuntur, tamen non pudet *Beddam*, pronuntiare, me damnare jejunia canonica Chriſtianorum, quæ nondum erat inſtituta.

PROPOSITIO CX.

Qui ſciens ſeſe in hiſce rebus eſſe liberum, & ex caritate ſua ſponte jejunat, is latus & alacer jejunat, non quia præſcriptum eſt, ſed quia ſic hortatur caritas.

SUPPUTATIO.

Quid hic eſt quod damnet canonica jejunia? Apo- E ſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum nonne ſponte je- C.
junabant? Et poſt canonica jejunia, ſi quod *Marcus* dicit, libet ad hæc tempora detorquere, nonne verum eſt quod dico, nonne liber eſt ille, qui ſponte facit, quod præſcribit conſtitutio?

PROPOSITIO CXI.

Meis diſcipulis, quos in hoc delegi rudes, ut eos ad hanc maſculam ac robuſtam Philoſophiam inſtituam, nihil iſtarum rerum præſcribo, his veſcere, ab his abſtine, nunc quieſce, nunc labora, ſic veſtire, hoc ne contingas, illud ne contrectes, ne ſemper maneant imbecilles, ſi me præceptore ſemel didicerint hujuſmodi rebus corporalibus fidere. F

SUPPUTATIO.

Si quid hîc eſt falſi, cur non refellit *Bedda?* Sin omnia ſunt Euangelica, quantulum abeſt cenſor à blaſ- B.
phemia, qui vocat ea *Lutherana!* An *Bedda* putat nihil recte inſtitutum ab hominibus quod *Chriſtus* non tradidit? Atqui hoc eſt *Lutheranum*. Quod ſi licet

pro

Digitized by Google

pro re nata constituere quod *Christus* non docuit, cur humanis constitutionibus detraho, qui demonstro quid ille docuerit. Ille non solum nihil præcepit de cibo potuve aut de veste, ut pene diversum pronuntiaverit, *Quod intrat in os non inquinare hominem*, ut non dubitarit traducere Pharisæorum jejunia. Et quid mirum si de vestitu nihil tradidit, nec Apostoli colores vestium commemorant, cum ipse corpus suum à suis
C.V. abduxerit, ne esset infirmis offendiculum? Itaque calumniosa vanitas est, quod *Bedda* calumniatur hîc detrahi constitutionibus Pontificum, quas *Marcus* non noverat, aut Monachis regulariter viventibus, sed admonentur potius per allusionem ne putent in extrariis rebus esse perfectam pietatem, neve fidant iis quæ per se non faciunt hominem Deo gratum. Et *Bedda* perinde loquitur, quasi omnes, qui vestem aut cibum observant, vivant regulariter, quod utinam verum esset! *Christus* sublimiora docuit, horum observandorum prima cura debet esse Monachis. Si quid adjecerunt homines, pro tempore proque causis emergentibus, servari potest aut non servari. Quid autem hîc mihi convenit cum *Luthero? Lutherus* in totum damnat omnes omnium hominum constitutiones, & in his indicta jejunia: ego sub persona *Marci*, ultronea Christianorum jejunia præfero coactis *Judæorum* inediis. *Lutherus* exsecratur omnes Monachorum ordines, vestes, regulas, vota, & constitutiunculas: Ego ostendo quanto sublimiora docuerit *Christus*, nihil mutiens adversus hominum constitutiones: quas utinam sic servarent homines, ut harum fiducia non negligerent præcepta *Christi*! quorum de numero videtur esse *Bedda*, qui tantum tribuit his rebus externis, ut ludum existimet contra tot *Christi* præcepta mendaciis & calumniis malitiosis incessere famam proximi, & vitam si posset. Satis apparet *Beddam*, cum hæc scriberet, ita cogitasse: ubi hæc tam amara legerit, deficiet homunculus imbecillis, aut in *Lutheranorum* partes concedet: utrumcunque evenerit, potiemur optatis.

PROPOSITIO CXII.

Fuit olim tempus cum nulla esset sabbati religio, & futurum est ut vere pius quivis dies sit æque sacer.

PROPOSITIO CXIII.

Pie violat sabbatum, qui vacuus à tumultu malarum cupiditatum juvandi proximi studio violat sabbatum.

PROPOSITIO CXIV.

Pia res est jejunium, sed fit impia, si quod ad salutem hominis est institutum, vertitur in perniciem corporis & animæ.

PROPOSITIO CXV.

Res est religiosa votum, sed fit irreligiosa, quoties hujus servandi superstitione, revocatur aliquis ab his, quæ propius spectant ad veram pietatem.

PROPOSITIO CXVI.

Sancte facit qui donum offert ad altare, sed profanum est donum quod offertur irreconciliato proximo.

PROPOSITIO CXVII.

Recte negligitur color aut forma vestis, quoties id commodum est homini.

PROPOSITIO CXVIII.

Quovis cibi genere vesci fas est, quoties postulat hominis necessitas.

SVPPVTATIO.

Has tot Propositiones simul uno telo jugulat, auctoritate, qua fungitur, pronuntians esse *Lutheranas*, cum in his pronuntiem piam rem esse jejunium, rem religiosam esse votum, sanctum esse offerre donaria. Quis autem nescit quæ *Lutherus* docuerit de jejuniis, votis & in totum de omnibus hujusmodi constitutionibus? Et hæc omnia tamen à *Marco* dicta, torquet ad hæc tempora quasi à me dicantur. Porro cum constet hæc à *Christo* dici adversus Pharisæos calumniantes, quod discipuli *Jesu* non jejunarent, quod ipse sanaret homines sabbato, cum Pharisæi non nossent vota Monachorum, quis non videt esse violentam detorsionem?

Sed ut ad singulas paucis respondeamus: De sabbato C. belle sophisticatur, ego loquor de quiete sabbati, *Bedda* B profert sanctificationem. Proferat igitur exemplum, quis unquam veritus fuerit opus facere sabbato, aut iter suscipere ante latam Legem? Quis enim nescit tropologice dictum, *sanctificavit Deus diem sabbati?* Jam enim condiderat hominem sexto die in quo solo conquiescit, ideo mox in septimo requievit: aut hunc diem præfinierat, quem olim vellet *Judæis* haberi sanctum, aut hunc diem delegerat, quo *Christus* requiesceret in sepulchro. Hujusmodi tropologias adferunt Ecclesiæ Doctores, non quod adfert *Bedda*, etiam ante Legem otia fuisse sabbatis. Jam an non verum est, apud Christianos nullam esse religionem sabbati Judaici? Nonne *Paulus* dicit: *Alius judicat diem ad diem, alius judicat omnem diem?* C & quid est quod scribit *Paulus Coloss.* II. *Nemo ergo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum?* Nonne hic in totum abrogat festorum & sabbatorum religionem? Si religionem appellat abstinentiam ab impiis factis, studium rerum cœlestium, *Pauli* temporibus omnes dies erant religiosi, & hodie sunt. Sin præscriptionem otii, & similium rerum observantiam, ubi legit hoc in primis Ecclesiæ temporibus fuisse præscriptum? Verùm ubi jam refrixit caritas, populusque gravaretur ad Templum accedere, malens versari in theatris, accessit humana constitutio de abstinentia operis servilis. Quod si ferveret in nobis studium pietatis, quo- D tidie docerent Sacerdotes, quotidie discendi avidus ad Templum confluueret populus, non ob præscriptum diem, sed fame verbi cœlestis. De sabbato *Judæorum* ibi loquitur Dominus, nec potest aliter accipi, reclamante toto sermonis tenore.

Jam in Propositione CXIII. quid offendit *Beddam*? C. An-ne hæc quoque *Lutherana* est? Quid superest, nisi ut Christum *Bedda* pronuntiet hæreticum? *Christus* B. dicit recte violari sabbatum, si tamen hoc est violare, asino collapso in foveam educto, & *Bedda* putat impie violari, si succurratur periclitanti proximo. Si *Bedda* videret hominem collapsum in aquam die Dominico, sineret illum perire potius, quam violaret E diei religionem.

In Propositione CXIV. habet-ne quod damnet? Non habet, nisi velit damnare *Christum* una cum Euangelio. Si *Christus* die sabbato, quod Deus tam accura- C. te præceperat observari, aperte pronuntiat, *Sabbatum esse factum propter hominem, non hominem propter sabbatum*, hæreticum est si dixi, jejunium ab hominibus institutum, hoc enim somniat *Bedda*, fieri impium, si ejus superstitio observata vertatur in perniciem corporis & animæ? Si peritus Medicus ob insomniam periclitanti dicat, Ni sumta cœna concilies tibi somnum, non effugies paraphronesim, an *Bed-* F *da* jubebit exspectari delirationem? Quod si hæc B. verissima est, si doctrinæ *Christi*, si litteris Apostolorum, si Pontificum animis, qui jejunium instituerunt, consentanea, non metuit *Bedda* tantæ blasphemiæ crimen, qui dicat hæc esse *Lutherana* & hæretica?

Sed durior est Propositio CXV. Primum illic, ut dictum est, *Christum* facio loquentem de votis *Judaicis*, quale erat tondere caput, uti nudipedalibus, aut donum aliquod destinare Templo, aut non tondere cæ- C. sariem novacula, aut à certis rebus abstinere: an non im-

Digitized by Google

pie faceret qui horum votorum occasione negligeret uxorem, liberos, aut parentes, aut qui his fisus negligeret fidem & caritatem, quales erant apud *Judaos* permulti, & utinam hodie pauci sint apud Christianos! Sed largiamur *Beddæ*, posse ad horum temporum vota pertinere, nonne faciunt impie, qui neglectis parentibus, conjuge, liberis qui pendent à parentis subsidio, currunt *Compostellam*? Sit enim hoc exempli causa positum, cum liceat alia innumera proferre, quæ contra pietatem votorum occasione committantur. Sed *Beddæ* fortassis somniat aliquid de votis Monachorum, quasi *Christus* de his loquatur. Age, fingamus alludsum ad vota Monachorum, quid enim non concedendum est animo *Beddæ*? Vota Monachorum sunt tria principalia, minus principalia longe plura. Age, *Franciscus* vetuit tangere pecuniam, pone quempiam periclitari de vita, nisi *Franciscanus* accepta pecunia redimat eum qui periclitatur, tanget-ne, an sinet perire proximum? *Beddæ*, opinor, consulet, ne tangat. Verùm is si tangat peccat adversus obedientiam. Et merito, quia plus obedientiæ debetur Deo quam homini. Quanquam nec is obediret *Francisco*, qui ob contactum pecuniæ sineret periclitari proximum. Est cui sit pater vetulus, morbidus, egens, ac destitutus, filius Monachus quid faciet? Succurret, an non succurret? Si succurrat, reclamabit Prior *Cartusianus*, vovisti constantiam loci: Si non succurrerit, violabit præceptum Dei, *honora patrem & matrem*. Orabit, inquiet, pro patre. Atqui hoc Pharisaicum commentum *Christus* ipse Sophistis omnibus sapientior diluit in Euangelio: *Quodcunque donum ex me tibi proderit*, &c. Omitto nunc loqui de eo qui deserit sponsam, non sine illius infamia, qui fit Monachus, sponsa & parentibus, quibuscum pactus est fortassis & jurejurando interposito, invitis & reclamantibus. In hunc labyrinthum non ingredior altius. Neque enim necesse est, mihi sufficit multis ostendisse modis omnibus *Beddam* nihil aliud quam calumniari. Neque me clam est quamobrem sic offendatur *Bedda*, quoties aliquid dicitur quod parum faciat ad favorem religionum, sic enim loquitur, hoc mysterium aperietur suo tempore. Si *Beddæ* ex animo placerent hi qui profitentur Euangelii consilia, ipse non sic debaccharetur in proximum adversus præcepta Dei. Et si tantum tribueret professioni Monachorum, non tam evidenter negligeret professionem, quam in baptismo professus est non Abbati, sed Christo. Verùm nihil hîc dictum est in odium bonorum Monachorum. Quid enim est amabilius vero Monacho, qui purus est ab inquinamentis hujus Mundi, qui nec opes venatur, sed laborat manibus, ut succurrat necessitatem patienti, nec honores ambit, sed & oblatos recusat: & adeo non occupat alienas uxores, ut in totum temperet ab omni Venere: qui quovis cibo, quamlibet humili veste contentus est: qui nemini vult male, sed orat, vigilat, ac jejunat pro salute omnium: qui bene vult ac facit etiam inimicis: denique qui vigorem Euangelicum ac spiritualem alacritatem in tanta morum corruptela Mundo refert. Talem amarent etiam avarissimi, libidinosissimi, & superbissimi, non modo boni. Sed utinam tales quam plurimos haberet Mundus! Vereor ne plures sint, qui ideo suscipiant vota ut effugiant quod pollicentur, hoc est, ut abundent pecuniis, antea pauperes, facti Procuratores, Priores, Abbates, ut tectius ac licentius indulgeant Veneri, & liberiores sint ab obedientia legum & Episcoporum. Hæc omnia *Bedda* dissimulat, sic ubique loquens, quasi omnes afflatu Spiritus Sancti se tradant Monasteriis, ut mortui Mundo servent Euangelii consilia. Quo spiritu suscipiuntur vota, nobis incertum est: quid Deus præcepit, in aperto est. Atque hæc extra causam dicta sunt, quo morem geremus animo *Beddæ*.

Sed magis etiam admiror quid pium ipsius animum
B. offenderit in Propositione CXVI. quæ si hæretica est, *Christus* hæretica docuit, qui jubet donum ad altare relinqui donec reconcilietur frater: atque id Doctores interpretantur de eo qui non offendit ipse, sed citrà culpam suam habet infensum proximum. Hoc dictum Euangelicum nequaquam mirum est, si non placet *Beddæ*, qui sic impetito proximo, ceu purus accedit, non ad altare *Mosaicum*, sed ad sacratissimam *Christi* mensam. Nec video quid hîc respondeat, nisi illud, Quod volumus sanctum est. At apud illum Judicem, apud quem utrique brevi sistendi sumus, non erit sanctum quicquid volumus, nec illic erunt auxilio mali Monachi, quorum causam nunc agit, ob causas quas alias dicam, nunc propero.

Venio ad CXVII. Si recte negligitur sabbatum à Deo præceptum, quoties invitat magna fratris utilitas, quanto magis id faciendum in veste? Quasi vero Pontifex Romanus non jusserit etiam, ut Monachi, qui ob certa negotia convenerant diverso cultu, similem omnes vestem acciperent ob scandalum: quasique non hodie etiam hi, qui strictissimam religionem profitentur, laica veste faciant iter, quo tutius veniant ad suas synodos: ne quid dicam de his, qui passim quacunque veste Principum agunt negotia. Quod idem si suadeat causa gravior, quid obstat quo minus fiat? Et si ob indictum à Deo jejunium aut sabbatum Deus non vult perire hominem, *Bedda* postulabit ut ob vestem periclitetur is, quem *Christus* suo redemit sanguine? Sed objiciet, opinor, qui temere, qui sine causa, qui cum contemtu Ecclesiæ mutant vestem. Audio, nec illos excuso: sed plures enumerare licet, qui ad flagitia, ad superstitionem abutuntur veste: horum apud *Beddam* nulla mentio. Merito sub tali præceptore formantur, qui destinantur ad Monachismum *Beddaicum*.

Ad CXVIII. quid attinet respondere, cum *Joannes Gerson*, vir pius quidem & ingeniosus, sed trepidulæ meticulosæque conscientiæ, quod ex ejus lucubrationibus colligitur, in quibus tam multa tam anxie scripsit de pollutione, aliisque consimilibus, cui tamen seculum defuit potius quam ingenium, probet hoc axioma: *Potest dari casus necessitatis, in quo peccaret* Cartusianus *qui nollet vesci carnibus, & peccaret qui negaret petenti*. Si *David* excusatur à *Christo*, quod contra Legis præscriptum ederit panes propositionis, cur *Bedda* vellet hominem Christianum periclitari de vita ob constitutionem hominum, imo contra mentem eorum qui tales constitutiones prodiderunt? Vide quantum errorum *Bedda* congessit ex uno capite, quantaque arte sententiam eandem in multas dissecuit propositiones. Et tamen in schedis ad me missis adscripserat, se nihil vidisse in *Marco*. Ubi tum perdiderat oculos suos, aut unde nunc repente factus est usque adeo Lynceus? Eamus nunc & credamus hunc hominem quicquam veri dicere. Potest tamen excusari. Primùm non viderat quod offenderet, quia non legerat: post oblatus est qui locum notarat.

PROPOSITIO CXIX.

Ecclesia Christi neque surdos, neque mutos, neque cecos, neque debiles, neque claudos recipit, hujusmodi autem habet Synagoga. Cap. III.

SUPPUTATIO.

Facit hîc *Bedda* quod nusquam non facit. Æquat C. baptismum circumcisioni, quia liberat à peccato originis. An æque condonet omnia peccata, an conferat parem gratiam, ipse viderit. *Judæi* circumibant mare & aridam ut facerent unum proselytum, qui fieret duplo filius Gehennæ. *Christus* tales non recipiebat, sed sanabat omnes quos recipiebat. Neque enim hîc fit comparatio baptismi & circumcisionis, sed *Christi* & Pharisæorum, Synagogæ & Ecclesiæ. Quanquam & hoc intererat, quod Christianismus habet perfectæ religionis professionem, si conferatur ad Pharisæorum doctrinam.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO CXX.

Cap.VI. *Apoſtoli duodecim denuntiabant omnibus ut pœnitentiam agerent anteactorum malorum, neque quiſquam fideret ſuis factis, ſed tantum promiſſis Euangelicis.*

SVPPVTATIO.

C. Quid faciam huic effronti, qui non deſinit ad eundem impingere lapidem? Agitur illic de prima Apoſtolorum prædicatione. Euangelium ſic habet: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent:* nec additur quicquam de exigendis operibus. An ille vocat ad fiduciam operum, qui denuntiat vitæ prioris pœnitentiam? Dominus enim voluit ſuos exordiri, quemadmodum exorſus fuerat *Joannes* Baptiſta: *Pœnitemini*
Marc.I. *& credite Euangelio.* Hîc videlicet eſt mentio fidei, nulla operum. Cum his congruit *Paulus* Rom. III. *Quia ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Rurſus *Galat.* II. *Scientes autem quod non juſtificabitur homo ex operibus Legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Jeſu Chriſto credimus, ut juſtificemur ex fide Jeſu Chriſti, & non ex operibus Legis.* Quid eſt *credite Euangelio*, niſi credite promiſſis Euangelii? Quid eſt *juſtificari ex fide Jeſu Chriſti, & non ex operibus Legis*, niſi diffidere Legis obſervationi, & fidere
B. *Chriſti* promiſſis? Et hîc *Bedda* brevi cenſura pronuntiat hæreticum Euangelium, *Chriſtum*, Apoſtolos duodecim, & *Paulum*, & poſt hæc mihi ſubinde intentat crimen blaſphemiæ. Sed *Lutherus* negat ullum opus hominis eſſe bonum. Si verum eſſet quicquid docet *Lutherus*, Deum immortalem! quantum bonorum operum perderet *Bedda*, præter has cenſuras, quibus ſuperos & inferos omnes ſibi mire devinxit! Quod ſi poſtulet, ut nos agnoſcamus cenſuram ipſius, prius in Euangelium & *Paulum* pronuntiet oportet, itaque nos cum illis erimus Chriſtiani: *Bedda*, ſi volet, manebit impius & blaſphemus. Quorſum iſta tendunt, niſi ut totus Euangelii vigor ſepeliatur opinionibus & calumniis humanis? Sed nihil aget *Bedda*. Quo magis tumultuabitur adverſus *Chriſti* gloriam, hoc magis increſcet Euangelii majeſtas, quam nec *Lutherani* nec *Beddaici* poterunt opprimere.

PROPOSITIO CXXI.

Apoſtoli Euangelium Chriſti *ſui præceptoris in carne mortali viventis prædicantes, nec litteras habebant, nec magiſtratum, nec ſatellitium, nec generis claritatem, nec famam, nec auctoritatem: nihil habebant niſi ſimplicem fiduciam erga nondum ſatis cognitum Jeſum.*

SVPPVTATIO.

Quæſo te, Chriſtiane lector, quid hoc calumniatore miſerabilius? Ego cum Orthodoxis omnibus exaggero Apoſtolorum imbecillitatem juxta Mundum, quo magis extollam *Chriſti* gloriam in proferendo Euangelio: qui primum miſſi ad prædicandum nec celebres erant, nec eruditi, nec auctoritate publica præditi, nec ſatellitium ſecum ducebant, nec generis claritate commendabantur, nec auctoritate pollebant, utpote piſcatores, imperiti, ignoti, & humiles, & tamen per ſimplicem fiduciam, quam habebant erga *Jeſum*, edebant miracula. Hæc ſi prædicaſſem de Apoſtolis poſt acceptum Spiritum, quid aliud prædicaſſem, quam quod prædicant omnes orthodoxi Scriptores, qui per illorum humilitatem extollunt *Chriſti* gloriam? Nunc multo minus oportuit calumniari, cum dicantur de Apoſtolis adhuc rudibus. Hujus ſermonis initium omiſit *Bedda*, qui ſic habet: *Nimirum hæc erat vis regni cœleſtis. Quid humilius, quid contemtius Apoſtolis? Sed quo minus erat illis roboris, hoc magis*

A *liquebat virtutis eſſe divinæ quod agebatur, nec opes habebant, nec litteras*, &c. Nunc mihi vide varium calumniandi ſtudium, quod ego de mundanis præſidiis dixi, cenſor torquet ad famam & auctoritatem poſt C. Euangelio partam. Si de Magiſtratu Eccleſiaſtico voluit ſtruere calumniam, cur non calumniatur opes & ſatellitium? Hæc ſatis declarant me non de Magiſtratu, quem poſt tradidit *Chriſtus*, agere, ſed de Magiſtratu *Judaico*, quem nec *Chriſtus* uſurpabat juxta Mundum. Loquor, inquam, de Mundi præſidiis, quæ diſcipuli non attulerunt ad prædicationem, ſed tantum fidem, per quam operabantur miracula. Quid hîc eſt impium? imo quid non facit ad gloriam *Chriſti*? Sed adeo *Bedda* metuit auctoritati ac potentiæ
B hominum, ut obſcurari velit *Chriſti* gloriam. Hæc C. eſt una calumnia ſatis impudens, ſed addit impudentiorem. Ait ſimpliciter eſſe falſum, Apoſtolos non habuiſſe niſi ſimplicem fiduciam. Quî ſic? *Quia habebant & caritatem & opera juſtitiæ*, &c. Verùm habebant & naſum, & oculos, & linguam. Sed per fidem edebant miracula: & qui dicit *ſimplicem fiduciam*, non excludit opera ſi qua ſunt. Neque enim ſimplicem dixi ſolam, ſed ſimplicem dixi fidem imperitorum hominum, ſine diſquiſitione ſimpliciter credentium quod Dominus præſcribebat. Addit tertiam calumniam: *Jeſus*, inquit, *erat illis cognitus quantum* C.
C *pro illo ſtatu oportebat.* Mira vero cæcitas hominis: cum idem dicamus, tamen mea calumniatur. Etenim quod ego dico *nondum ſatis cognitum*, quid aliud eſt quam nondum plene cognitum, ſed pro illo ſtatu cognitum quo nondum acceperant donum Spiritus Sancti? Hæc tam inſulſa cum ſcribat, tamen cenſuras appellat, & ſe Theologum jactat, qui prævîis magiſtris omnia didicerit.

PROPOSITIO CXXII.

Lege Euangelium ſincera fiducia, mox ſanaberis.

SVPPVTATIO.

D
Si *Chriſtus*, ſi *Joannes*, ſi *Paulus* pollicentur ſalu- C. tem credenti Euangelio, & ſi credit qui legit ſincera fiducia, aut me abſolvat oportet *Appius* cenſor, aut mecum *Joannem*, *Chriſtum*, & *Paulum* condemnet erroris hæretici.

PROPOSITIO CXXIII.

Quemadmodum Phariſei & Scribæ vivunt, ſic alios Cap. *inſtituunt, docentes humanas conſtitutiunculas, quæ ne-* VII. *minem commendant.*

E

PROPOSITIO CXXIV.

Quantum intereſt inter hominem & Deum, tantum inter hominum conſtitutiones & præcepta Dei.

PROPOSITIO CXXV.

Quod ſpirituale eſt perpetuum eſt, nec unquam oportet negligi: quicquid corporale eſt, temporarium eſt.

PROPOSITIO CXXVI.

F *Si fas eſt negligere ceremonias à Domino præſcriptas, quoties id ſuadet proximi caritas, quanto minus convenit ob humanas conſtitutiones violare Dei præcepta?*

SVPPVTATIO.

Hîc rurſus habes Propoſitionum congeriem ad inanem oſtentationem paratam. Attende quæſo, lector, & miraberis impudens calumniandi ſtudium. Reprehendit illic Dominus Phariſæos quod obſer-

Digitized by Google

varent lotiones urceorum, calicum, ac ſimilium rerum, & his freti negligerent præcepta. Hæc *Bedda* torquet ad conſtitutiones Pontificum: & in prima Propoſitione objicit falſi crimen. Cæterum illud quod adfert, *Supra cathedram Moſi ſederunt*, &c. *Ergo aliter*, inquit, *vivebant quam docebant, quæ dicunt facite*, &c. Sed contrarium ſcribit *Marcus*, *Docentes*, inquit, *doctrinas & præcepta hominum*. Docebant igitur humana. Et ſequitur: *Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominum, baptiſmata urceorum & calicum, & ſimilia his facitis multa*. Vivebant igitur ut docebant. Quod ſi mea Paraphraſis conſentit cum Euangelio quod interpretor, cur non veritus eſt eadem opera in me calumniator eſſe, in Euangelium blaſphemus? Cum ſedent in cathedra tunc docent præcepta Dei, *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum*. Et hæc quæ docebant non faciebant. Cum hujuſmodi nænias tradebant, non ſedebant in cathedra *Moſi*, ſed in ſua cathedra.

In ſecundam cavillatur quod humana conſtitutio aliquo modo includit auctoritatem Dei: Etiamne Phariſæorum de lotionibus manuum, urceorum, calicum, & æramentorum? nam de his agitur in Paraphraſi. Quod ſi ſimiles conſtitutiones ſunt inter homines, non pluris faciendæ ſunt, quam *Chriſtus* voluit fieri conſtitutiones Phariſæorum. Jam ſi placet alluſio, ne conferat quemvis hominem cum Deo, ſed hominem auctoritate præditum. Deinde conferat conſtitutionem mere humanam, quales erant Phariſaicæ cum præceptis Euangelicis: nam Phariſæos divinis conſentanea docentes, etiam Dominus audiri juſſit. Poſtremo extollat quantum volet humanas conſtitutiones, ſed ſic ne detrahat pene ad æqualitatem præcepta Dei, quod quidam ſedulo conantur.

In tertia quid taxat? An tantum *Lutherana* eſt? nihil enim adfert. Ipſe *Bedda* docuit nos *Chriſtum* in Cœlis regnantem, adhuc ſubditum imperio matris ex præcepto, *honora patrem & matrem*: non igitur offendit prior Propoſitionis pars. De ceremoniis illic agere me declarant quæ ſequuntur: *Certe in his Eccleſia poteſt, exigentibus cauſis idoneis, mutare conſtitutionem*. Proinde calumnia eſt quod *Bedda* clamat his dictis foveri ſchiſmata, niſi forte *Chriſtus* docuit ſchiſmatica cum ſuo *Paulo*.

In ultima ne fingere quidem potuit quod arroderet, Si ob aſinum delapſum in foveam, ſine crimine violatur ſabbatum, nefas erit ob humanas conſtitutiones ſubvenire periclitanti proximo? Hæc apertiſſime docuit *Chriſtus*, & *Bedda* non ſine blaſphemia ſcribit ad *Lutherana* ſchiſmata pertinere.

PROPOSITIO CXXVII.

Filii Iſrael *ſunt, quicunque non meritorum ſuorum commendatione ſibi poſtulant aperiri regnum Cœlorum, ſed Euangelicæ fiduciæ violentia conantur irrumpere.*

SVPPVTATIO.

Explicatur hîc allegoria de *Cananea*, quæ cum eſſet Pagana, tamen fidei violentia velut extorſit à Domino filiæ ſanitatem, cum *Judæi* diffiderent. Obſecro quæ merita attulerunt Pagani ad Euangelii gratiam? Quid aliud quam fidem? Nam illic loquor non de vita Chriſtianorum, ſed de his qui accedunt ad Euangelium. Alibi Dominus dicit, *regnum Cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*. Quæ vis admovebatur niſi fidei?

Hanc ſententiam cum toties inculcet *Paulus*, toties *Chriſtus*, tamen *Bedda* blaſphema calumnia pronuntiat ad *Lutheranam* hæreſim pertinere. *Detrahit*, inquit, *meritis*, ſed *Bedda* nimium frequenter detrahit gloriæ *Chriſti*. Si quicquid attollit miſericordiam gratiamque, & hominum fiduciam premit, pertinet ad hæreſim, detrahantur omnes Epiſtolæ *Pauli*, quæ nihil aliud crepant quam gratiam *Chriſti*, miſericordiam Dei, diffidentiam operum noſtrorum. Demiror, ita me Deus amet, quid ſibi velit iſte ſpermologus, qui tantas blaſphemias ſerit in Mundum. Sed finge accipi de benefactis poſt baptiſmum, quod ſermonis tenor non ſinit, quis unquam commendatione meritorum poſtulavit ſibi aperiri regnum Cœlorum? In Euangelica parabola narrantur opera caritatis. Verum. Sed hi qui fecerant neſciebant ſe feciſſe. Qui commemorabant ſua benefacta, hos non agnovit Dominus. Cavendum eſt *Bedda* cum meritorum admiratoribus, ne hîc agni tum ſocientur hœdis. Et Dominus docet Apoſtolos, cum omnia feciſſent, dicere, *ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus*.

Nec illud vacat calumnia, quod cum ego regnum Cœlorum dixerim Euangelium, *Bedda* interpretatur immortalem apud Superos vitam. Quid poſſit eſſe tutum ab his ſycophantiis? Et hujuſmodi libros poſthac legent regularem vitam agentes in Monaſteriis, hinc haurient ſpiritum pietatis!

PROPOSITIO CXXVIII.

Quiſquis in ſe præſidia ſalutis collocarit, peribit. Quiſquis omnibus ſuis præſidiis diffiſus, ſe totum in me conjecerit, ſalvus erit. Cap. VIII.

SVPPVTATIO.

Interpretor hoc, *abneget ſemetipſum & ſequatur me*. Non illic agitur de meritis, ſed de contemnendis omnibus quæcunque poſſunt hominem à cruce remorari. Et tamen *Bedda* ſuo more torquet hæc ad calumniam: ne quid fingere videar, mea verba ſic habent: *Cæterum quiſquis volet eſſe verus aſſectator mei, ſi volet eſſe ſocius felicitatis & gloriæ, paret interim animam ſuam, ut ſit ſocius afflictionis & mortis, abneget ſemetipſum, nihil ſibi ſervans in hoc Mundo, ſed omnia pro derelictis habens, uſque ad vitæ contemtum, tollatque ſuam quiſque crucem & ſequatur me. Nec alia via quiſquam velit ad gloriam pervenire, quam qua me viderit pertendere. Quiſquis in ſe præſidia*, &c. Et ſequitur continenter, *Nec ſatis eſt agros, domos, parentes, uxorem ac liberos mea cauſa negligere, ipſa etiam vita negligenda eſt*. Hactenus de meritis nulla mentio, ſed inſtruitur martyr futurus ad perferendos cruciatus. Id non poterit, ſi circumſpectet ſuas vires, aut ſi ſupputet quid relinquat, ſed ſe totum *Chriſti* voluntati tradat oportet, ſecurus ſe non poſſe perire, ſi moriatur in *Chriſto*. Et tamen hæc Propoſitio reſipit hæreſim; imo *Bedda* cenſura crepat manifeſtam blaſphemiam.

PROPOSITIO CXXIX.

Secundum Euangelium una tantum cauſa dirimit conjugium, hoc eſt, violata conjugii fides. Uxor enim cum ſui corporis copiam fecit alteri, etiamſi non repudiatur, deſiit eſſe uxor. Cap. X.

PROPOSITIO CXXX.

Maritus, qui ſui corporis copiam fecit aliena, maritus eſſe deſiit.

SVPPVTATIO.

Vomiturio ad hujus hominis cramben, toties eandem ingeſtam. Primum quid opus erat ex eadem ſententia facere duas Propoſitiones, ut fumos offunderet ingens numerus? Antea declaravi me nuſquam per-

Digitized by Google

permittere repudiatæ aut repudianti jus iterandi cum alio matrimonii. Sed ubi rejicio ſenſum catholicum? quia nego eſſe uxorem, hoc eſt, dignam nomine uxoris & convictu conjugis? Id enim ex meis verbis poterat colligere, nimirum his, *etiamſi non repudietur*. Atqui nec apud *Judæos* jus erat marito ducendi alteram, niſi dato libello repudii. Conſtat igitur ex his meis verbis non poſſe colligi ſenſum quem interpretatur *Bedda*. Hîc vero libuit ridere ſtultitiam hominis, qui huc refert mea verba ex Paraphraſi in 1. *Corinth.* VII. quibus me coarguat, cum plane pro me faciant. Verba, quæ refert, ſic habent: *Vetuit Dominus ne vir uxorem rejiciat ob mediocres offenſas, unam cauſam excepit, ſi uxor cum alio rem haberet, ſive quod tum exciderit à jure conjugii, quæ uni pacta ſui copiam, ſemet alteri communicavit: ſive quod iniquum videatur à quoquam exigere, ut cum ea lectum, focum, ac menſam habeat communem, quæ prodita conjugii fide, qua nihil eſt ſanctius, turpi adultero ſeſe admiſcuit.* Hactenus mea.

Non videt hîc homo, cæcus odio, me loqui de convictu domeſtico. Sed quomodo perdidit jus conjugii? Quomodo? Quia non poteſt exigere à marito, quæ jure conjugii poterat antea. Quæ? uſum corporis, lectum communem, menſam communem, fidem mutuam, omnium rerum ſocietatem. Hæc omnia quæ perdidit, nonne vere dicitur perdidiſſe jus conjugii? Verùm ad hanc objectionem reſponſum eſt in ſuperioribus.

PROPOSITIO CXXXI.

Cap. x. *Qui præmii cauſa certat, non certaturus niſi ſciat dandum præmium, ſeipſum præmio fruſtratur.*

SVPPVTATIO.

Dominus retundit ſtultam poſtulationem filiorum *Zebedæi*, qui regnum neſcio quod mundanum ſomniantes, ambiebant adſciſci inter proximos aſſeſſores. Proinde quod his rudibus à Domino reſponſum eſt, *Bedda* C. calumnioſe torquet ad Scholaſticam quæſtionem, an liceat amare Deum ob aliud quam ob ipſum Deum? Noluit enim Dominus illis nondum tempeſtivis aperire myſterium, quod ſervabatur Spiritui Sancto. Et ideo reſponſo ambiguo compeſcit illorum poſtulationem. Atque hanc reſponſionis moderationem oportebat imitari Paraphraſten. Id me facere ſtudio declarant mea verba, quæ *Bedda* prætermiſit: *Nec veſtrum eſt*, inquam, *diſpicere modum meritorum veſtrorum, cum ex vobis ipſis nihil poſſitis, neque circumſpicere, quanto ſitis aliis ſuperiores. Tantum pro viribus à Deo datis, conandum eſt ut me ſequamini: non fraudabimini præmio, etiamſi de præmio non cogitetis. Etenim qui præmii cauſa certat*, &c. Hæc Paraphraſis. Carnale regnum ſomniabant, quid eſſet baptizari baptiſmo Domini, quid bibere calicem non intelligebant: nam poſtea fugerunt abnegaturi cum *Petro*, ſi ſimilis data fuiſſet occaſio. Hunc igitur locum *Bedda* de temporali præmio debebat interpretari. Tametſi Dominus, cum pollicetur vitam æternam iis qui relinquerent agros, domos, liberos, uxores, &c. addit *propter nomen meum*. Et Deus *Abrahæ*, *Ego ſum merces tua magna nimis*. Si præmium appellat Deum, præmii cauſa certare pium: Sin alicujus commodi gratia, quod non eſt Deus, quod tanti ſit, ut ſi non ſollicitet, non ſis certaturus, arbitror eſſe piam opinionem, & ſacris Litteris, & Orthodoxorum ſententiis conſentaneam.

PROPOSITIO CXXXII.

Cap. xi. *Novo ſeſſori* Jeſu *Hieroſolymam venienti, novo jumento, id eſt, pullo aſinæ opus eſt. Adjuvant hanc fabulam Apoſtoli, nondum intelligentes quid ageretur. Inſternunt pullo ſua pallia, ne nudum tergum premeret* Jeſus.

SVPPVTATIO.

Ex inſcitia vocis mihi denuo ſtruit calumniam, ad C. quam in ſuperioribus copioſe reſpondi. Fatetur *Bedda fabulam* aliquoties dici veram narrationem, verùm hîc non narrationem ſignificat ex perſonis variis conſtantem, quod Græci vocant *drama*, quo verbo utitur Eccleſia in laudibus Virginis, & in Euangelio legimus *fabulantes* pro colloquentes, ne *Bedda* fingat has voces eſſe inauditas in ſacris rebus, ſed actionem quandam rei ſpectabilis, quæ variis conſtat perſonis. Nimis autem ridiculum eſt quod colligit, *Si myſteria* Chriſti *poſſunt dici fabulæ*, Chriſtus *ipſe diceretur fabuloſus*. Quid ais egregie doctor? Ubi unquam dixi myſteria *Chriſti* C. fabulas? Hanc pompam, puerorum occurrentium & canentium, ſubſternentium ramos, Apoſtolorum inſternentium veſtes, aliaque ſimilia voco *fabulam*, hoc eſt, actionem quandam, qualis eſſe ſolet in ludis ſolennibus. Non ſoleo ſic loqui de *Chriſti* myſteriis, ſed ad collectionem, ſic qui cerebrum habet, continuo dicetur *cerebroſus*, aut qui vino abundat *vinoſus*, qui litteratis fabulis inter ſe commentantur, dicentur *fabuloſi*. Quoties hujuſmodi calumnias pati neceſſe eſt, quia *Bedda* non didicit Grammaticam, cui tamen ingenui cives credunt ſuos liberos in re Grammatica inſtituendos. In *Luca* Cap. XXIV. ſic διαφέρω: *His aliiſque fabulis itinere peracto.* Cum hac voce ſim uſus de colloquio Domini cum duobus diſcipulis euntibus *Emauntem*, an id non erat calumniaturus *Bedda*, ſi Paraphraſes meas legiſſet?

PROPOSITIO CXXXIII.

Jeſus *gratiæ auctor nihil poſtulat præmii, hîc tantum ambitioſus eſt.* Cap. XIV.

SVPPVTATIO.

Quanquam ad hanc ſatis reſpondimus in Elencho, tamen hîc ſupputatorem agemus. Hîc ſciens ac prudens *Bedda* calumniatur quod eſt pie dictum, & *Chriſti* bonitatem illuſtrat, cujus gloriæ *Bedda* non magis favere videtur quam meæ Paraphraſi. Exponens allegoriam unguenti profuſi in caput *Jeſu*, loquor hunc in modum: *Ubi nunc ſunt qui murmurant adverſus profuſionem gratam auctori gratiæ? Dat ipſe de ſuo largiter, ut odor benignitatis ipſius latius ſpargatur. Nihil poſtulat præmii, hîc tantum ambitioſus eſt. Vult agnoſci ſuam beneficentiam, non quod egeat hac laude, ſed per hanc placuit illi largiri nobis ſuas divitias.* Quid aliud horum verborum allegoria declarat? niſi quicquid habemus boni, hoc habere nos ex benignitate Domini *Jeſu*, pro qua non petit à nobis aliquod præmium, ſed tantum ut agnoſcamus ipſius erga nos gratuitam liberalitatem, quod ni facimus, periculum eſt ne quod datum erat amittamus. Quid autem interpretatur meus cenſor? Officium *Mariæ*, quo perunxit Dominum unguento, non fuiſſe gratum illi. Imo declaro fuiſſe gratum auctori gratiæ. Quid apertius? Quanquam hîc tracto ſenſum allegoricum. Sed quî conſtaret in allegoria profuſionem eſſe gratam, ſi in hiſtoria non fuiſſet gratum officium? Et ſi eſſet ingratum, quî cohæreret quod addo, Dominum hîc eſſe ambitioſum, hoc eſt, vehementer cupientem noſtræ gratitudinis? Quid igitur ſibi vult quod ait, *Vult* Eraſmus, *quantum conjicio?* Quis hîc erat locus ſiniſtræ conjecturæ? Jam cum effundere unguentum nihil aliud ſit quam agere Deo gratias pro ſuis donis, *Bedda* ſic loquitur, *Poſtulat nimirum Deus, ut omnis homo pro acceptis ab eo beneficiis gratias agat.* Hoc cum ipſum ſit quod hîc doceo, tamen C. ille refert quaſi diverſum doceam. Rurſum cum addit, *non ut inde ipſe proficiat, ſed ne creatura per ingratitudinis vitium deficiat.* Quid aliud doceo cum ajo, *non quod egeat hac laude, ſed per hanc placuit illi largiri nobis ſuas divitias.* Nam ideo vult agi gratias ut det co-

copioſius. Quis unquam vidit hominem miſerabilius delirantem? Sed ne nimium hîc urgeam hominem, liberum illi facio fateri-ne velit Paraphraſim ſibi lectam non eſſe, ſed hunc locum cum cæteris à Magiſtello quopiam ſuppeditatum, an ſe non fuiſſe ſobrium cum hæc ſcriberet, an ſcientem prudentem malitioſe fuiſſe calu-
C. mniatum. Alteram calumniam ſtruit ex abuſu voculæ, quod ajo *Chriſtum* hac una in re ambitioſum eſſe. Quid eſt ambitioſus? Honoris ac laudum cupidus. Sed in *Chriſtum* non cadit ambitio. Itaque ne quis hoc poſſit calumniari, ſubjeci, *Non quod egeat hac laude, ſed per hanc placuit illi nobis largiri ſuas divitias:* hoc eſt, ambit noſtrum bonum, non ſuam gloriam. Velut alicubi tractans allegoriam de talentis & uſurâ, dico Dominum talium lucrorum avarum eſſe. An hîc *Bedda* intentabit calumniam? Utraque ſententia pia eſt, Dominum velle nos agnoſcere celebrareque ſuam erga nos munificentiam, & cupidiſſimum eſſe noſtri profectus. Piæ ſententiæ catachreſis minime dura, ſed ex proximo deflexa, non parum addit gratiæ. Sic & *indulgentem* dicimus *Chriſtum*, cum *indulgentia* Latinis in malam partem dicatur. Et quaſi parum fuiſſet de *fabulæ* vocabulo tam inepte fuiſſe fabulatum, repetit hîc, *quo in præcedente*, inquit, *propoſitione Euangelicam hiſtoriam hoc nomine* fabula *dehoneſtavit*. Atqui jam docui *fabulam* illic non poni pro hiſtoria, ſed pro diverſa actione diverſarum perſonarum. Hoc nimirum ſupererat, ut *Bedda* nos doceret Latine loqui. Et æquum autumat, ut quoties in ſcriptis noſtris inciderit verbum, cujus elegantiam ignorat, hæreſeos & blaſphemiæ calumniam patiamur.

PROPOSITIO CXXXIV.

Quod ſaxum, quem adamantem non emolliret tanta manſuetudo hominis, qui nutu poterat ladere? Sed hæc magis etiam illum animat ad maleficium.

SVPPVTATIO.

C. Cum conſtet de ſententia, tamen de vocis uſu, blaſphemiæ calumniam intendit. Si dixiſſem, *Chriſtus animavit Judam ad maleficium*, durior erat ſermo, & tamen ſic loquitur in * Geneſi Dominus, *Indurabo cor Pharaonis*. Et *Moſes*, *Induravit Dominus cor Pharaonis*. Et *Paulus*, *Si cui vult miſeretur, & quem vult indurat*. Oſtendunt ſacri Doctores tropum, quo quis facere dicitur qui dedit occaſionem, quæ forma ſermonis etiam vulgo familiaris eſt, ut indicat *Origenes*. Pater videns filium abuti lenitate ipſius dicit, *Ego te perdidi*. Atque pater hoc agebat, ut filium haberet obſequentiorem. Nec exhorrent hanc propoſitionem Theologi, Deum eſſe occaſionem mali, licet cauſam mali negent. Quid autem frequentius quam cauſæ vocabulo abuti pro occaſione: nunc hoc tropo non ſum
E uſus, ſed quod mollius eſt dixi, *Manſuetudo Chriſti Judam animabat ad maleficium*, hoc eſt, *Judas* abutebatur *Chriſti* manſuetudine ad malefaciendum. Et ne quis eſſet locus calumniæ *Beddaicæ*, faciunt quæ præcedunt, *quem adamantem non molliret tanta manſuetudo hominis, qui nutu poterat ladere?* Hîc oſtendo *Chriſti* animum, qui voluerit avocare à maleficio, ſed addo vitium abutentis Domini manſuetudine. Perinde quaſi dicas, *Tuæ virtutes occiderunt Zoilum*. Quomodo homicida eſt virtus? Quia dedit occaſionem inimico, ut in-
B. vidia contabeſceret. Habes egregiam blaſphemiam, ſed *Beddæ*, non meam, qui ſermonis tropum ait blaſphemiam ſonare, & quaſi id parum ſit, addit, *omnino ſonare*, quem frequenter habent ſacræ Litteræ, quem agnoſcunt Eccleſiæ Doctores. Et orator vehemens, ſed parum dulcis, tamen addit inſaniæ convitium, ſi quis vel cogitet quod dixi, alioqui *Chriſtum* non oportuit uti ea manſuetudine erga *Judam*. *Chriſtus* præſciebat abuſurum, & tamen uſus eſt. Sciens igitur dedit occaſionem. Poterat illius proditionem excludere ſi voluiſ-

* Hîc iterum labitur ex incogitantia Eraſmus, voluit ſcribere *Exodum*.

A ſet. Alioqui nec læta nec adverſa debet immittere impiis, qui in rebus ſecundis indulgent libidini, in adverſis blaſphemias jaculantur in Deum. Etiam atque etiam te rogo, lector, num tibi videntur hæ tam malitioſæ calumniæ, pulchre ſuo reſpondere titulo cenſurarum, nonne belle quadrare cum his quæ toties jactavit tum in Præfatione, tum in opere, Theologos, quorum ordini ipſe ſemet cum primis annumerat, nihil temere, nihil præcipitanter agere, nihil ſophiſticis cavillationibus, ſed omnia graviter ex ſacris Litteris & idoneis rationibus, nihil ex affectu humano, ſed ex mero fidei zelo omnia? De cæteris interim non loquor, de *Bedda*
B loquor. Hi ſunt, opinor, articuli, quales niſi quam plurimos prodidiſſet, jaceret Eccleſia *Chriſti*, regnarent hæretici. Hæ tam deliræ, tam indoctæ, tam perverſæ malitioſæque cenſuræ ſcilicet promerebantur titulos ſubinde ſemidigitalibus litteris præfixos, ERRORES ERASMI. Quoque magis admireris, hunc librum non præcipitavit, ut ſoleo meos, ſed toto biennio dedolavit: nec id ſolus, ſed multis fortibus viris ad hoc negotium ſuppetias ferentibus. Et hujuſmodi libros parat in Monaſteriis legendos, excluſis *Eraſmicis*. Eamus nunc & negemus eſſe verum, quod præfatus eſt in primo judicio, ſolum Deum præ oculis habentes.

EX PRAEFATIONE IN PARAPHRASIM Epiſtolæ ad ROMANOS.

PROPOSITIO CXXXV.

Ita Græce Romanis loquutus eſt Paulus, *ut à mere Græcis non ſatis queat intelligi, ob paſſim admixtam ſermonis Hebraici proprietatem.*

PROPOSITIO CXXXVI.

Quod ſi maxime Græca ac pura fuiſſet oratio, multum tamen adhuc difficultatis ſupereſſet lectori. Quod cum ſcriberet Apoſtolus Romanis, rudibus adhuc & nuper Chriſto *initiatis, myſteria quædam magis attigit quam tractavit, & indicavit verius quam explicuit, videlicet tempori ſerviens.*

SVPPVTATIO.

Ut cenſor noſter velut egregius artifex uſque & uſque ſeipſum vincit in progreſſu fabulæ, quod victoriæ genus, ut juxta *Platonem* in rebus honeſtis pulcherrimum eſt, ita in calumniando turpiſſimum eſt. Totam enim hanc cenſuram non aliter ex meris calumniis contexuit, quam opus *Moſaicum* ex variis teſſellis con- C.
cinnari ſolet. Aſſumit in Apoſtolis nihil fuiſſe niſi divinum, meque calumniatur qui putarim aliquid eſſe humanum. Ut paucis reſpondeam, quod ad Euangelii negotium attinet, fateor, *Chriſtum* omnia Apoſtolorum dicta factaque ſic fuiſſe moderatum, ut quam maxime tum conducebat ad fidei propagationem. Cæterum nihil in eis fuiſſe quod non ex ſpeciali dono Spiritus acceperant, non arbitror eſſe verum: nam homines erant, & quod ut homines habebant idoneum ad Euangelii prædicationem, Spiritus non auferebat ab illis, ſed temperabat: Puta *Paulum* natura fuiſſe vocaliorem aut facundiorem quam *Barnabam:* nam eo *Mercurius* eſt creditus, hanc ſeu naturæ dotem, ſeu ſtudio quæſitam facultatem, non ademit Spiritus, ſed moderatus eſt. Alioqui ſi nihil erat in illis humanum, quomodo diſſentiebant in nonnullis, in nonnullis erra-
F bant? Quomodo *Petrus* juxta *Pariſienſes* articulos erravit in fide, ſic ut objurgandus eſſet à *Paulo?* Nihil tamen in illis erat, quod Spiritus non verteret in bonum Euangelii. Idem cenſendum eſt de peritia Linguarum, quam ex convictu populi diſcere potuerant. Habes C.
unam calumniam. Addit alteram, quod hujus Epiſtolæ difficultatem exaggerarim, meæ gloriæ jaciens fundamenta. Etiam-ne cenſor eſt judex cordium humanorum, an aliorum animos æſtimat è ſuo? Si gloriæ eſt, quod indico difficultatem, cur idem cri-

Digitized by Google

crimen non objicit *Hieronymo*, qui ſcribens in Epiſtolam ad *Epheſios* teſtatur, nullam Epiſtolam hac plus habere difficultatis? Idem præfatur in *Eſaiam*, in *Ezechielem*. Imo quis interpres hæc non facit aliquando? An hæc omnia ſapiunt gloriam? Imo potius reddunt lectorem attentum: præterea veniam poſtulant, ſicubi ſcriptor non aſſequitur quod vult. Habes alteram calumniam. Tertiam accipe. Calumniatur, quod ſentiam *Paulum* non mere Græce ſcripſiſſe nec ſatis decenter. Hæc *Bedda* verba ſunt, non mea. Ajo ſic ſcripſiſſe Græce, ut à mere Græcis non queat intelligi. Pone aliquem eſſe qui nihil aliud ſciat quam Linguam Græcam, non ſatis intelliget *Paulum*: quamobrem? Ob *Hebraei* ſermonis proprietatem, quam mere Græcus non agnoſcit. Quid autem miri ſi hoc contingat nihil ſcienti niſi Græce, cum hodie contingat idem Theologis quibuſdam in *Paulo* Latine verſo? Hoc ſi veriſſimum eſt, cur *Bedda* calumniatur; ſin falſum, cur non refellit? Addit quartam calumniam, quaſi me judice non ſatis decenter Græce ſcripſerit. Perfrica frontem, *Bedda*, & ſi quid ſupereſt pudoris abſterge, & aude dicere hoc uſquam à me ſcriptum eſſe quod interpretaris. Imo ſtylus ille maxime decuit prædicationem crucis, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, quo gloria cederet virtuti divinæ. Hoc cum à me multis locis multiſque verbis diſſertum ſit in Paraphraſibus, tamen *Bedda* profert hîc ſuum ſomnium, nec reputat quid de cenſuris hujuſmodi cenſuri ſint, qui mea legerint. Itaque prudenter facit, ſatagens ne mea legantur apud Monachos, apud quos cupit magnifieri ſuas præclaras cenſuras. Si quis diceret *Paulum* humili vilique veſte tectum, an is diceret eum parum decenter veſtitum? Accipe quintam calumniæ teſſellam, *Quaſi ratio*, inquit, *phraſis ipſius pure humana ſit dicenda*. Cum maxima pars phraſis ſit in ſententiis, quis ſic inſaniit, ut *Pauli* phraſim diceret pure humanam? Sed fingamus de verbis tantum accipi *phraſis* vocabulum, quî conſequitur, *Paulus* Græce loquens admiſcet idiomata *Hebraiſmi*, ergo phraſis illius pure eſt humana? Fieri potuit ut *Paulus* hanc phraſim habuerit ex humano ſtudio uſuve partam, quæ placuerit Spiritui Sancto, mutaturo ſi diſplicuiſſet; & fieri potuit ut Spiritus Sanctus hoc ſermonis genus illi inſpirarit, tanquam Euangelio prædicando congruens. Aſſuit emblema ſextum, *Et quaſi non tenuerit*, inquit, *loquutionis regulam, quam Deus illum omnino ſervare volebat*. Ubi quid ſimile eſt in verbis meis? ſed hujuſmodi ſycophantias & blaſphemias *Bedda* de ſuo gignit cerebro, fretus lectorum ſtultitia. Addidit concluſionem æque calumnioſam: *Blaſphemiæ igitur*, inquit, *multum accedit, qui de ſtylo, quo ſacri ſunt editi libri, queritur: Deum enim imperitiæ inſimulat*. Si queri eſt, teſtari difficultatem, quis Orthodoxorum non aliquando queritur? Si queri eſt expoſtulantis & officium requirentis, quis ſic queritur? Quanquam in meis verbis nulla eſt querelæ mentio, tantum eſt difficultatis teſtificatio. Jam hic ſermo, *Deum inſcitiæ inſimulat*, tam eſt impudenter mendax, ut ne apud ſcurras quidem proferri debuerit, tam blaſphemus, ut etiamſi ſententia quadraret in aliquem, tamen aliis verbis fuerit efferenda. Et hic zelo Dei plenus, de nihilo provomit hujuſmodi facetias. Aſſuit ſuo centoni pannum octavum: Ait ſubindicare me, quod *gratius ac decentius* ſcribam divina quam ipſe *Paulus*. Primum quod ad phraſim attinet, *Paulus* Græce ſcripſit non Latine; ita quod hîc dicitur, *Paulus* Romane loqui, non ſimpliciter dictum eſt, ſed per tropum vulgatiſſimum; ſicut dicimus, *Platonem* operâ *Politiani* didiciſſe loqui Romane. Quod autem ad obſcuritatem ſententiarum attinet, aut interpretis dictionem, quæſo quid agunt qui ſcribunt Commentarios, nonne ut indicatis idiomatis, explicatis ænigmatis, redactis in ordinem hyperbatis, veluti clarius fuſiuſque loquatur quem enarrant? Idem profiteor me ſuſcepiſſe in Paraphraſi. Si illi non faciunt contumeliam Scripturæ divinæ, cur ego dicor blaſphemus qui non aliud profiteor, tantum commentarii genus mutatum eſt? Quid autem ſibi vult *Bedda* cum dicit *gratius?* An hîc agitur ut tantum deliniatur auditor aut lector? Quanquam quid hoc eſſet flagitii, ſi quis dictionis amœnitate lectorem faſtidioſum pelliciat ad amorem divinorum Voluminum? Nonne Commentatores faciunt, ut plures habeant *Paulum* in manibus, magiſque delectentur quo magis intelligunt? Hoc pacto ſtudui commendare *Paulum* nonnullis vel occupatioribus vel delicatioribus. Nec hoc diſſimulo cum addo: *Compertum enim habeo quam multos antehac ſermonis peregrinitas, quanto plures tum explicationis, tum rerum difficultas alienarit ab ejus lectione*. Tales, inquit, indigni ſunt qui legant ſacras Litteras. Nec hoc taceo ſubtexens: *Quanquam à tam eximio fructu non oportet ullis incommodis deterreri*, & ſequitur: *Horum igitur vel faſtidio vel deſperationi, hac noſtra induſtria ſtuduimus ſuccurrere*. An non pium eſt infirmis morem gerere donec proficiant? Pium, inquiet, ſed citra injuriam *Paulinæ* ſcripturæ. Quid ego audio? An *Paulus* aliter loquitur hodie Græce, (nam Græce ſcripſit) quam loquebatur ante annos mille quingentos? Quis apex à me mutâtus eſt in *Pauli* ſcriptis? Atque utinam haberemus eum integrum, ut ſcripſit. Nos commentatoris partes agimus, non mutamus *Pauli* ſcripturam. Quid autem eſt *decentius* ſcribere? Sic pro illo tempore decebat Apoſtolum ſcribere, me Paraphraſten decet aliter ſcribere, præſertim hiſce temporibus. Non omnia congruunt omnibus. Quod ſi nefas eſt, quod ſcribendi genus eſt diverſius à phraſi ſacrorum Voluminum, quam *Scoti*, *Alberti*, *Thomæ*, *Bonaventuræ*, *Gerſonis* & ſimilium? An non abunde ſatis erat calumniarum? Non ita viſum *Beddæ*. Annectit nonam omnium graviſſimam. Ajo *Paulum* myſteria quædam attigiſſe potius quam explicuiſſe. Quid hîc impiiſſimæ impietatis? *Quaſi*, inquit, *nondum* Paulus *myſteria pro debito tractarit, ſed* Eraſmo *Paraphraſtæ, ad plenum explicanda reſervarit*. Quam ſuaviter hic ſcurratur noſter cenſor! Ubi ſunt hæ barbaræ voces in ſcriptis meis, *pro debito*? Difficultatem reconditorum ſenſuum oſtendo. Quod ſi nulla eſt, cur toties hæret ac ſudat *Origenes* in divinis Litteris exercitatiſſimus, velit nolit *Bedda*? Tractavit *Paulus* myſteria, ut tum pro temporum qualitate Spiritus Sanctus tractari volebat. Quæ ſi fas non erat aliter tractare, cur tot Græci Latinique Scriptores auſi ſunt in eum edere commentarios? Dicet, ſufficiebant Veteres. Cur igitur non abſtinuit *Lyranus*? Cur tot loca poſt Veteres commonſtrata ſunt à nobis, in quibus & lapſi ſunt & hæſitarunt, tum veteres, tum recentiores, excepto uno *Bedda*, quem nihil fugit? Sed fac nihil in Veterum commentariis deſiderari. Aliis illi ſcribunt, aliis ego. Illi ſcribunt doctis, otioſis, & avidis, ego rudibus, occupatis & faſtidioſis, quo dociliores veniant ad *Paulum*, & illorum commentarios. Unde tandem in mentem *Beddæ* venit illud *non pro debito?* cum ego cauſam expromſerim, quare non explicuerit omnia: Quia ſcribebat *rudibus & nuper Chriſto initiatis*. Quo quidem loco *Beddæ* fidem in recitandis meis deſidero, qui *nuper* adverbium omiſerit, nec id caſtigatum eſt in Appendice. Sic & nos catechumenis fidei myſteria tradimus, nec tamen explicamus omnia, quippe nondum capacibus. Sed eſto *Paulus* non omnia, prout debuit, explicuerit, quid habet ſalis cavillum, quod non multum abeſt à caulis, eum mihi ſervaſſe quod deerat explicandum? quaſi ego primus aut ſolus ſcripſerim in Epiſtolas *Pauli*. Quam iſta cohærent! Sed ſupereſt adhuc unum dictum de dictis melioribus: Recinit nobis facetiam de *Paraphraſis* interpretatione. Euge florent Muſæ cum Gratiis! O lepidum caput! Tuum-ne hoc dictum, *Bedda*? Fertur in primis, verùm hoc *Sutor* occupavit. Quanquam Lexica vetera in explicanda dictione *Paraphraſis*, paraphraſim commiſerunt. Nunc audi bellum colophonem: *Hinc*, inquit, *& à Graciſſantibus Theologis, etſi in plurimis errorum capitibus con-*

ſentiunt Eraſmo, *minime tamen probatur, quod ſacros Novi Teſtamenti libros ipſe Paraphraſi ediſſeruerit.* Quid igitur volebat cenſor, ut ipſi provinciam hanc delegarem, quando non reprehendit factum, ſed quod à me factum eſt? Atqui *Bedda* liberum eſt, & meas Paraphraſes doctioribus extrudere. Sed haud ſcio num aliud ſentiat *Bedda* quam loquitur. Siquidem accipio quoſdam quiritari Scripturam divinam, cujus nec litteræ nec apices vacant myſterio, adeo non admittere Paraphraſim, ut vix etiam admittat Commentarios. Atqui ſi quid eſt talium myſteriorum, eſt in ipſis fontibus, quibus ſi tantopere metuimus, ne vertere quidem oportebat ſacros Libros. Nunc ſi nec ex Translationibus, nec ex tot Commentariis quicquam decedit illis myſteriis, quid metuunt à mea Paraphraſi? Fortaſſis hoc metuunt, ne quidam capti ſermonis illecebra, pro ſacris Libris noſtra legant. Primùm in Paraphraſi dejeci ſtylum, etiamſi nuſquam ejus rei ſum curioſus. Plus erat periculi, ſi *Bedda* negotium ſuo cothurno fuiſſet aggreſſus. Deinde quid iſtum timorem fingimus? cum ego toties in Præfationibus iterem, ne quis plus tribuat Paraphraſi quam tribueret Commentario. Verùm cum ad hæc reſponderim, inter alios *Sutori*, *Bedda* lepide diſſimulat, ſic cogitans, mea legentur, *Eraſmica* non legentur, itaque vicero. Cæterum cum cenſore *Bedda*, tot ſint in his articulis errores, hæreſes, blaſphemiæ, ſchiſmata, qui ſunt iſti Theologi Græciſſantes qui in plurimis capitibus mecum faciunt? An tales ſunt *Lutetiæ?* O grave periculum!

PROPOSITIO CXXXVII.

Compertum habeo, quam multos antehac ab lectione Epiſtolarum Pauli *alienarit tum ſermonis peregrinitas, tum explicationis & rerum difficultas, quorum vel faſtidio vel deſperationi hac noſtra induſtria ſtudnimus ſuccurrere, ita negotium temperantes, ut qui nolit quicquam in ſacris Litteris immutari, commentarii vice ſit futurum, rurſus ei qui vacet hujuſmodi ſuperſtitione,* Paulus *ipſe loqui videatur.*

SUPPUTATIO.

Ad has nænias reſponderam *Beddæ* ſchedis ad ipſum miſſis: nam idem notarat in *Lucam*. Id mire diſſimulat. Hîc tantum annotabo manifeſto falſa, quæ non
V. pudet Matæologum toties occinere. Derogo locutioni *Paulinæ*, cum res ſecus habeat. Cum *Hieronymo* litiget potius qui toties *Paulum* dicit imperitum Græci
V. ſermonis. Pergit: *Et ſibi*, inquit, *qualibet arrogat.* Quid impudentius? Plus præſtiti, quam ſum polliciV. tus. Habes alterum mendacium. Addit tertium: Vult enim antehac nullos fideles Apoſtolicos hujus Epiſtolæ ſenſus accepiſſe. Quid ſigni? *αὐτὸς ἔφα*. Ego dico multos fuiſſe, quorum alii deſperarint, alii faſtidierint, *Bedda* colligit nullum antehac intellexiſſe *Paulinas* Epiſtolas. *Hieronymus* in Veteri Teſtamento nonne ſuſtulit Hebraiſmum, & ſermonis peregrinitatem, quam habent Septuaginta, & hos ſequuta priſca illa Translatio? Quod illi licuit in textu, mihi non licuit in Paraphraſi? Addit *Sardonium* riſum, Opus fuiſſe Eccleſiæ, ut Spiritus Sanctus mitteret *Eraſmum* Paraphraſten. Hoc dictum cum ſit ſcurrilius quam ut reſponſum mereatur, tamen aliquanto probabilius erat me à Spiritu miſſum, qui faſtidioſos allicerem ad amorem ſacrorum, quam *Beddam* à Spiritu miſſum ut talibus cenſuris fulciat nutantem Eccleſiam, tueatur auctoritatem nominis Theologici, ac Monachorum propugnet majeſtatem. Quod ego ad ſenſum lectoris accommodavi, ille ad rem refert. Qui non fert ſermonem tribui *Paulo*, niſi totidem verbis, quibus ille ſcripſit, exiſtimet hanc non eſſe Paraphraſim, ſed Commentarium: Sin eſt qui non ſit tam ſuperſtitioſus, putet ipſum loqui, ſed fuſius & explanatius. Rurſus hæc verba mea: *Et qui nolunt aliquid immutari*, interpretatur, qui nullatenus acquieſcunt hominum ſenſus accipere pro divinis. Et ſi quis vacuus ſit hac ſuperſtitione, putet ipſum *Paulum* loqui, quaſi ſuperſtitionem dixerim, ſi quis nolit meas Paraphraſes pro divinis recipere textibus. Et hîc geminum blaſphemiæ cornu, vitari non poteſt quin in alterum incidat *Eraſmus*. Dicere *Pauli* ſcripta nihil aliud eſſe quam commentarium, blaſphemia eſt. Rurſus dicere meas Paraphraſes eſſe Scripturam ſacram, blaſphemia. Antiſtrepſo. Si mea Paraphraſis idem dicit quod ſentit Paulus, nihil vetat imaginari, *Paulum* ibi fuſius loqui, cujus perſonam ſuſtineo. Sin alicubi videor aberrare à ſenſu *Pauli*, putet ſe non *Paulum* audire, ſed *Eraſmi* Commentarium legere. Interim ſalva manet ſcriptorum *Paulinorum* majeſtas, & *Bedda* laudem fert impudentiſſimi calumniatoris. Quorſum autem attinebat ex verborum meorum paraphraſi, hoc eſt, perverſa interpretatione comminiſci tot blaſphemias, cum ingenue quod hîc teſtor, teſtatus ſim etiam in *Lucam*. Idem repeto in *Joannem*. Sed *Bedda* ad omnia talpa, tantum ad ea quæ patent calumniæ caprea eſt. Habemus libros *Clementis* ſub perſona *Petri* aliorumque diſcipulorum: ea legimus abſque blaſphemia. At ego non affingo *Paulo* ſermonem, niſi quem ex ipſius verbis collegerunt probatiſſimi Eccleſiæ Doctores. Humanum eſt opus, pio tamen ſtudio ſuſceptum, & ut ſpero non abfuit in totum favor Spiritus. In quo ſi quid eſt *Paulo* dignum, ſit *Pauli:* Sin ſecus, mihi imputetur.

EX ARGVMENTO EPIST. AD ROMANOS.

PROPOSITIO CXXXVIII.

Jacobus *Minor*, *tametſi Gentes prius onere Legis* Moſaicæ *propemodum liberaſſet, eſſe tamen in hac ſententia videtur* Act. XXI. *ut putaret à* Judæis *exigendam Legis obſervationem.*

SUPPUTATIO.

Ad hanc næniam, quoniam præter alios *Bedda* reſpondi, & in Divinationibus & in Elencho, ſupervacaneum arbitror toties eadem repetere. Calumnioſe *Bedda* inculcat hîc exigi Legem ad neceſſitatem ſalutis, quaſi non ſufficeret Euangelium, cum ego dixerim exactam ob invincibile ſcandalum. Tota autem hominis interpretatio tortuoſa eſt.

PROPOSITIO CXXXIX.

Utilitatem Epiſtolæ Pauli *ad* Romanos *æquat ac pene ſuperat difficultas, tum quia non alibi eſt ſermonis ordo confuſior, nuſquam oratio hyperbatis magis hiulca, nuſquam anantapodotis crebrius inabſoluta.*

PROPOSITIO CXL.

Utrum hæc difficultas interpreti an ſcribæ Tertio *ſit attribuenda, an ipſi* Paulo, *aliorum eſto judicium. Ipſe ſane* Paulus *agnoſcit ſermonis imperitiam, licet rerum imperitiam deprecetur.*

PROPOSITIO CXLI.

Hieronymus *alias* Paulo *vindicat orationis artificium, alias adimit, ingenue confitens ex corrupto* Cilicum *ſermone nonnihil traxiſſe vitii.*

PROPOSITIO CXLII.

Alteram, ait Eraſmus, *difficultatis cauſam arbitror, quod ob rerum inexplicabilium obſcuritatem non alia ſit crebrioribus impedita ſalebris, aut altioribus interrupta voraginibus, adeo ut ipſe relicto quod inſtituerat,* ex-

Digitized by Google

exclamare cogatur, O altitudo divitiarum, &c. Sequitur: *Quid quod quadam prudens ſic attingit, ut ceu per tranſennam duntaxat oſtendat pro temporum illorum ratione.*

SVPPVTATIO.

Rurſus artificio ſuo ſententiam unam in multas diſſecuit Propoſitiones. Quicquid *Bedda*, ſine controverſia non Rhetor, ſed admirandæ faſtuoſæque grandiloquentiæ affectator, potuit depravando, convitiando, calumniando, mentiendo, id totum in hac cenſura depromſit, effudit, explicuit, evomuit, adeo ut mihi magis deplorandus videatur quam refellendus. Etiamſi quod ſatis erat in Divinationibus reſponſum eſt, nunc ſumma rerum faſtigia ſubnotabimus, diſſimulatis maledictis, quibus nunquam ſatiatur.

Primùm aſſumit auctoritate qua fungitur, quod me
V. profitear præceptorem Dei Spiritus & Apoſtoli *Pauli*, imo quod me judicem Apoſtolo ſuperiorem, quaſi plus quam ſemi-Deus ſim: tum quod me faciam judicem divinorum. Obteſtor te, candide lector, quid poſſet *Oreſtes* impotentius dicere? An quod alicubi tribuam Apoſtolis ſermonis imperitiam ac ſimplicitatem? Hoc eſt laudare Apoſtolos, non damnare, hoc eſt virtuti divinæ tribuere gloriam Euangelii, non docere Dei Spiritum aut *Paulum*, uti jam demonſtravimus. An quod memini de hyperbatis & anantapodotis? Cur hæc omnia, quæ hîc congerit, non potius jaculatur in *Hieronymum*, *Origenem*, *Ambroſium* & *Chryſoſtomum* ac *Thomam*, qui fatentur idem quod ego? & ſi non faterentur, ipſa *Pauli* ſcripta clamitant eſſe verum quod dico. *Origenem* etiam hoc loco citabam, *crebrius*, inquiens, *inabſoluta, quod ſubinde queritur interpres* Origenes: quæ verba ſubtraxit *Bedda*. Et ſi contemnit *Origenem*, *Hieronymus* hos commentarios vertit Latine, detrahens & addens quæ viſum eſt, ac plane ſuos fecit. Cur his diſſimulatis tam furioſe blaterat in me, qui talium virorum auctoritatem ſum ſequutus? An ſe facit judicem divinorum qui de phraſi judicat? Cur igitur *Hieronymus* præfert eloquentiam *Eſaiæ* cæteris omnibus, nonnullis tribuſit ruſticitatem ſermonis, nonnullis obſcuritatem? Cur indicavit Pſalmos metro fluere, Prophetas non item? Cur pronuntiavit *Lucam* plus habere Græcanicæ eloquentiæ, quam cæteros Euangeliſtas? Cur pronuntiavit Apoſtolum *Paulum* diſertiorem in Lingua Hebræa quam in Græca? Cur *Auguſtinus* indicat cola, commata, gradationes, comparia, aſyndeta, numeros, & periodos in ſcriptis *Pauli*, & ſchemata in nonnullorum Prophetarum libris? An non hoc eſt judicare? Cur indicant *Paulum* in quibuſdam Epiſtolis diviniora ſcribere quam in cæteris, pro captu eorum ad quos ſcribit? Aliter enim ſcribit ad *Romanos* ſimplices & arrogantes, aliter ad *Galatas* ſubſtupidos, aliter ad *Epheſios* Dæmoniacis artibus deditos. An qui hæc litteris mandarunt, faciunt ſe judices divinorum, & ſunt plus quam ſemi-Dei? Sed operæ pretium eſt intueri quam ſtulta ſunt omnia, quæ cenſor *Appius* velut ex adytis Theologiæ profert, me ſubinde Rhetorem compellans, cum nihil hîc adferat quod non quivis Grammatiſta poſſet appoſitius adducere. Serio citat, *Dabo vobis os & ſapientiam*. Quis hoc negat? *Ergo*, inquit, *dedit facundiam qua illos uti volebat*. Quis inficiatur? Et quoties id fateor? *Ergo Spiritus dedit & genus eloquii*. Dedit, aut certe moderatus eſt. Quid tum poſtea? *Illud ergo hîc carpens tumens Rhetor, Dei & Apoſtoli correctorem ſeſe ac judicem impium ac blaſphemum præſtitit*. Ubi eſt in meis *carpendi* verbum? Quod ſi nihil dico niſi quod à ſanctis Doctoribus dictum eſt, cur uni mihi hæc canit?

Hîc alium ingreſſus campum, docet canonicorum Librorum ſcriptores alio atque alio ſtylo fuiſſe uſos. Quid hîc facit *Bedda*? Non præbet ſe judicem divinorum? *Diſcere*, inquit, *debuerat*: quaſi myſterium ingens prolaturus. Quid diſcere? Varium eſſe dicendi genus? Opinor hoc me rectius poſſe judicare quam *Beddam*. Sed unde diſcam? Ex doctrina *Auguſtini* Chriſtiana. Quaſi liber ille nobis ſemel ſit lectus, aut quaſi *Bedda* rectius illa poſſit intelligere quam ego. Sunt enim in iis libris permulta, quæ divus *Auguſtinus* hauſit è Rhetorum litteris. Sed quid dicit *Auguſtinus*? Audiamus de cathedra recitantem *Beddam*: *Multis & multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere divinas legunt Scripturas, aliud pro alio ſentientes: quibuſdam autem locis quid vel falſo ſuſpicentur non inveniunt, ita obſcure quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt*. Hactenus *Auguſtinus*. Miror ſi hîc non laceret *Auguſtinum* iiſdem convitiis quibus me paulo ante. An non hîc *Auguſtinus* judicat divina? Quid aliud habet mea Propoſitio? aut quid intereſt inter meum ſermonem & *Auguſtini*? niſi quod ille generalem fert ſententiam de omnibus Scripturis canonicis, ego tantum loquor de Epiſtola ad *Romanos*. Sequitur in *Auguſtino*: *Quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque vileſcunt*. Ac rurſus alibi: *In omni quippe copia Scripturarum Sanctarum paſcimur apertis, exercemur obſcuris. Illic fames pellitur, hîc faſtidium*. Hæc omnia vere pieque ſcripſit *Auguſtinus*. Sed *quid iſta ad Bacchum*, ut ajunt? Ergo cum & ſententiarum & phraſis ſit auctor Spiritus, temerarie præſumſit Rhetor *Eraſmus*, orbi prædicare quod utilitatem Epiſtolæ ad *Romanos* æquat ac pene ſuperat illius difficultas. Atqui nonne *Bedda* nos docuit auctore *Auguſtino*, in ſacris Libris ineſſe ſummam obſcuritatem, ut lector aliquoties ne falſam quidem ſententiam queat ſuſpicari? Quid igitur ego pecco, ſi ſcripſi in Epiſtola ad *Romanos* eſſe plurimum difficultatis? Sed æquo ac pene præfero difficultatem utilitati. Quid aliud divinare poteſt, quam me ſignificare duo quædam in Epiſtola eſſe conjuncta, ſummam utilitatem cum ſumma difficultate, ut hinc prædicata utilitas provocet ad cupiditatem diſcendi, hinc prædicata difficultas excitet ſtudii vigilantiam? Id me ſentire declarat ipſe ſermonis tenor, dum capitulatim explico, quam multa digna cognitu doceat, quantaſque quæſtionum difficultates attingat. Ergo cum idem loquamur *Auguſtinus* & ego, ille Theologus, ego temerarius, impius, & blaſphemus. Verùm hîc rem mirandam aſſeverat *Bedda*, multos dum anhelant in hac Epiſtola explicanda, plurimum utilitatis retuliſſe, atque adeo plus ex hac quam ex his in quibus eſt minus difficultatis. An non hîc palam eſt, *Beddæ* non eſſe ſenſum communem? Eadem aliis verbis loquitur quæ ego, & me vocat impium, ſuperbum, blaſphemum, & quid non? Ipſe pius, doctus, modeſtus, ac Theologus. Dum ille meminit anhelationis, nonne fatetur ſummam difficultatem, quam & ipſe profiteor? Cum exaggerat fructum, nonne commendat utilitatem, quam & ipſe exaggero? Quod ſi difficultas Scripturarum procurata eſt ad utilitatem noſtram, cur *Bedda* putat impium difficultatem cum utilitate comparare? *Quis*, inquit, *vellet colere agrum, in quo colendo plus eſſet laboris quam fructus?* O Rhetorem! Sed interim oblitus eſt, ſic Deo viſum, ut in Scripturis difficultas excitaret noſtram oſcitantiam. An expoſtulabit cum Deo, cui ſic placitum eſt? Sed ſi meus antirhetor gaudet collationibus, fingat eſſe fundum hujus naturæ, ut in eo quo quis vehementius inſudaverit, hoc fructum copioſiorem reportet. Et ſi quis de tali fundo prædicet, Hic eſt fundus plurimi fructus, ſed laboris item plurimi, an ille vituperaret agrum? Si de viro, de quo dubitare poſſis doctior-ne ſit, an melior, dicat aliquis, Hujus probitas æquat ac propemodum ſuperat eruditionem, an is videbitur eruditionem vituperare? Nequaquam: duas enim res frugiferas inter ſe confert. Sic & ego dum attollo difficultatem, attollo ſimul & utilitatem. Atqui totidem verbis de agro illaudato

loquimur. Hîc difficultas æquat ac ſuperat etiam utilitatem. Verùm hîc de re fiebant verba, in quam non cadit ſuſpicio vituperationis, niſi apud impios, & ex his, quæ præcedunt ac ſequuntur, liquet me magnifice de *Pauli* ſpiritu linguaque ſenſiſſe. Imo cum *Paulum* præ cæteris ſemper admirer in ſcriptis meis, laudibus vehens & eloquentiæ fulmen & pectus ardens, quî *Bedda* potuit ſuſpicari me hîc tam impie tamque blaſphemè ſentire de *Paulo?* Fateor, duo verba, *ac propemodum ſuperat*, nullo incommodo poterant omitti: quod reliquum erat ſententiæ, poterat ad hunc efferri modum: *Hæc Epiſtola ut multum habet difficultatis, ita plurimum habet utilitatis.* Verùm cum illa ſcriberem, non divinabam ullum *Bedda* ſimilem eſſe ſub Sole. Et in curſu non ſemper occurrunt optima ſcribenti. Proinde ſi quid exciderit, quod aptius aut circumſpectius dici poterat, opinor *Beddam* poſthac æquiorem futurum, qui in libello non magno, quem toto biennio adornavit, tam multa profuderit omnino ſine mente dicta. Refert & illud Eccleſiaſtici: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Meminit-ne *Bedda* quid dixerit? Qui elucidat, num profitetur Scripturam eſſe obſcuram? Dei Spiritum igitur incuſat, eumque corrigit qui ſic ſcriptum exiſtimet, ut opus ſit elucidatore. An non hoc objecit mihi, cum tantum de phraſi loqueremur? Qui ſunt qui elucidant? Qui ſcribunt commentarios, & qui ſcribit paraphraſim non elucidat? Sed judice *Bedda* illi habebunt vitam æternam, *Eraſmus* erit cum blaſphemis. Quantus lethargus habebat miſerum *Beddam*, cum hæc chartis illineret!

Ex his tam appoſite citatis ſic colligit cenſor, reddam enim ipſius verba cum ſuo flore: *Ad meram deinde Poetæ vel Oratoris ſecularis peculiarem pertinent vanitatem, quæ impudenter adjecit noſter Rhetor, dicti ſui cauſam ſignans dum dicit*, Quia non alibi eſt ſermonis ordo confuſior, & quæ ſequuntur. Si hæc ſermonis incommoda reperiuntur in hac Epiſt. ſi torquent *Origenem*, *Hieronymum*, *Ambroſium*, & *Chryſoſtomum*, ut alios inferioris notæ taceam, quomodo quod dixi pertinet ad ſecularis Poetæ peculiarem vanitatem? Imo hæc *Bedda* verba potius pertinere videntur ad hominis male febricitantis inanitatem. Hîc exſpatiatur in alium campum, de *Gregorio* qui ſermonis cultum contemſerit, quod ego vitio dem in ſcriptis *Pauli*, quemadmodum toties impudentiſſime mentitur *Bedda*. Oſtendo ſermonis incommoda, non vitupero. Non excutiam interim quantum ſit tribuendum his *Gregorii* verbis, qui ſic affectat orationis compoſitionem, numeros, ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinentia, periodos, quæ prorſus ad Scholæ Rhetoricæ pertinent oſtentationem, ut non æque vel *Hieronymus*, vel *Cyprianus*. Et majore cum laude dicitur contemnere, qui potuit præſtare ſi voluiſſet. Illud obiter dicam, ſi indignum eſt ſacram Scripturam ſermone Grammatico tractare, multum ſceleris admiſerunt *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Nazianzenus*, *Hieronymus*, qui non Grammatice tantum, ſed & Rhetorice loquentes tractarunt ſacras Litteras. Verùm hîc *Bedda delapſus*, ut ajunt, *ab aſino*, à paraphraſi tranſilit ad textum. Excutiat Græca *Pauli*, & videat an illic mutarim aliquid. Et translatio Latina per me manet incolumis: mea eſt Græcæ lectionis, vel ob hoc neceſſaria, quo rectius intelligamus Græcorum orthodoxorum commentarios, qui legunt quod ego verti. Hîc ſi calumniatur, quod quædam orationis Græcæ incommoda ſuſtuli, conferat priſcam Veteris Teſtamenti translationem, cujus veſtigia reperiet apud *Auguſtinum* in libris *de loquutionibus ſacræ Scripturæ*, cum hac quam dedit *Hieronymus*. Et ubi viderit quam multa vir ille ſit auſus in tollendis Hebræi ſermonis idiomatibus, quo lectori minus eſſet difficultatis, veniat accuſaturus me, qui eodem ſtudio mutarim quædam in translatione privatim legenda. Faſtidio quorundam, qui requirunt in ſacris Litteris munditiem orationis, non faveo, ſed medeor. Et ipſe teſtor eſſe quaſdam voces receptiores in divinis Litteris, quam ut mutari debeant: frequenter incuſans illorum ſtomachum, qui cum ferant tot voces, quas uſurpant peculiariter Rhetores, Dialectici, Grammatici, extra tractationem diſciplinæ aut longe aliud aut nihil omnino ſignificantes, nihil ſimile ferant in Scriptura ſacra. Sequitur *Bedda* cothurnus: *Folia*, inquit, *intuentur, & ab aliis malunt attendi, quam pretioſiſſimum, ſed deformem exterius fructum.* Quæ portenta audio? Fructum, opinor, appellat utilitatem ſententiarum, quod exterius eſt, phraſim veluti corticem. Quas blaſphemias intonaret, ſi *Eraſmus* dixiſſet in ſacris Litteris eſſe aliquid deforme? Ego difficultatem oſtendi, non reprehendi, hyperbata & anantapodota, quæ reperiuntur etiam in eloquentiſſimorum ſcriptis, & *Bedda* ſermoni Spiritus Sancti tribuit deformitatem. Si dixiſſet *ruſticitatem* ut *Hieronymus*, aut *ruditatem* ut *Athanaſius*, aut *vilitatem* ut *Auguſtinus*, tolerabilius erat, etiamſi his quoque molliora ſunt quæ in meis ſcriptis tam inſanis vociferationibus exagitat *Bedda*.

Prætermitto hîc multa, quæ prorſus extra cauſam clamitat, de *Auguſtino* qui quaſdam voces parum Latinas tulerit in ſacris Libris, quod & ipſe facio, & debere fieri doceo. Sed omnium irreligioſiſſimum quod liberum facio lectori, utrum malit hanc difficultatem ſermonis attribuere *Tertio* Scribæ, an ipſi *Paulo*, ſubindicans alterutrum parum expedite potuiſſe quod ſenſerant Græce explicare. Atqui divus *Hieronymus* non veretur amanuenſi tribuere, quod Epiſtolæ *Petri* ſecundæ phraſis multum diſcrepet à ſtylo prioris. Nec eſt impium ſi quis opinetur Græce non potuiſſe ad plenum explicare quod ſentiebat, id quod non veretur aperte fateri *Hieronymus*. Ubi tum Spiritus? Imo Spiritus ea balbutie ſermonis abuſus eſt ad Euangelii gloriam. Quod ſi res poſtulaſſet *Demoſthenicam* eloquentiam, utique ſuppeditaſſet. Sed quemadmodum Dominus multa geſſit humano more, latitans, fugiens, clam ſe ſubducens, ne ſpectrum aut phantaſma putaretur: ſic & in Apoſtolis multa reliquit humana, ne pro Dæmonibus haberentur. Et tamen his humanis uſus eſt ad gloriam crucis. Poſt hæc quod dixi, *Paulus agnoſcit ſermonis imperitiam*, cenſor ait hæreticum & blaſphemum. Nam has voces frequenter inculcat, quo videatur eſſe zelotes Theologus. Interim tamen efficit ut homines aſſueti contemnant. Audi *Bedda* cothurnum, ſic ingreditur: *Unde putavit Rhetor iſta tenere Apoſtolum, quaſi abſolute fateretur ſe non ſatis commode, ſapientiam, quæ in eo divina erat, ad aliorum frugem ſcire verbis exprimere.* Habes eloquentiam febricitantis. Ad hæc reſpondi *Sutori*, quod facete diſſimulat, ne malam bene perderet calumniam. Et cum *Hieronymus* palam affirmet quod ego tantum propono, mihi in eadem cauſa blaſphemias & impietates impingit, de *Hieronymo* ſilet. Hîc rurſus adſcendit cathedram docturus nos, quomodo ſint intelligenda verba *Pauli*, *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia.* Primum ut aſſerat *Paulo* facundiam, citat ex Actis *Paulum* eſſe creditum *Mercurium*, quod dux eſſet verbi. Atqui hic ipſe locus à me refertur in eo ſermone quem arrodit *Bedda*. Nihil vetat eundem facundum & infacundum, eloquentem & balbutientem dici. Fieri poteſt ut aliquis infacundus ſit in verbis, facundus in ſententiis, ut facundus in Lingua Gallica qui in Latina balbutiat, facundus apud populum qui apud eruditos ſit incloquens, facundus in hiſtoria qui in dialectica ſit infacundus. Hæc nihil opus eſt à *Beddis* diſcere, quæ frequenter in ſcriptis meis admoneo. Verùm hujus quæſtionis ſolutionem jubet me à ſanctis Eccleſiæ Doctoribus mendicare, *quod quia neglexit*, inquit, *audiat vel nunc*, &c. Audio, arrectiſque auribus adſto: *Beatus*, inquit, *Ambroſius ſcribit.* Quaſi nos nunquam legerimus *Ambroſium*, quem toties cito in Annotationibus, quem inter præcipuos ſequor in Paraphraſibus. Accidit *Beddæ* quod ſolet neoplutis, inſolenter jactant quod habent. Ita hic quoniam nuper cœpit attingere veteres Theologos, omnia miratur,

Digitized by Google

tur, nec putat à quoquam lectum quod ipse legit. Commentum, quod adfert, etiam pueris notum est, quod tamen hîc non alto fastu quam corde delatum nobis proponit. His tam belle peroratis quæ brevitatis causa transilio, redit ad suas blasphemias impudentissime vanas: Ait me in pseudapostolorum vicem successisse, qui querar in divinis Litteris deesse verborum lenocinia. Ubi queror, os impudens? Ne de munditie quidem queror. Nam *Bedda* calumniandi studio nullum facit discrimen inter lenocinium & munditiem, & arbitror omnino non intelligere quid Latinis sonet mundities, quæ media est inter sordes & luxum, quam *Horatius* simplicem vocat. Quod si fingimus tantos metus ex verbis interpretum incolumi Scriptura originali, multo plus periculi est ab his, qui suo arbitratu interpretantur sensum Scripturarum, & ad humanos gnomones exigunt oraculorum cœlestium mentem: non illinc petentes quid sentiendum sit, sed ad sensum humanum quem secum adferunt, vel ex Philosophia Gentium, vel ex humanis constitutionibus, vel ex affectu corrupto, detorquentes quod scriptum est à Prophetis. Hîc multo plus discriminis est, quam si *Erasmus* pro, *dimitte nobis debita*, vertat *remitte nobis*. Hoc ænigma quid sibi velit secum reputet *Bedda*, si quid omnino mentis residet integræ: nec improbitate sua perpellat nos, ut omnia proferamus, quæ nunc publicæ tranquillitatis causa subticemus.

C. Deinde assumit quod totam vim sacrarum Litterarum ponam in elegantia sermonis. Hoc mendacio quid apertius? Supereſt id quod unum in initio tractare debuerat: cum *Hieronymus* crebro tribuat *Paulo* imperitiam Græci sermonis, id quod ego tamen nusquam aperte facio, (sed difficultates & incommoda ejus sermonis indico, non ob aliud nisi ut pro virili tollam, & excusatior sim sicubi non præsto quod volo) quicquid blasphemiarum in me congerit, debebat prius in *Hieronymum* congerere, aut me cum illo absolvere, etiamsi dixissem quod ille dixit. Sed hîc se suo succo obnubilans elabitur sepia, *Quoad Apostoli*, inquit, *dicendi artem, quomodo id dicere debuerit ipse videat.* Imo debuerat *Bedda* videre, quomodo tot impietates, blasphemias, hæreses, & insanias impingeret *Erasmo*, quæ justius omnes recciderent in divum *Hieronymum*. Ex locis compluribus aliquot *Beddæ* recitabo. *Hieronymus* in Epistola ad *Algasiam* Quæstione x. *Illud*, inquit, *quod crebro diximus*, etsi imperitus sermone, non tamen scientia, *nequaquam* Paulum *de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos & reconditos sensus lingua non explicat. Et cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone, quem cum in vernacula Lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis & eruditus apud pedes* Gamalielis *viri in Lege doctissimi, se ipsum interpretari cupiens involvitur.* Idem in Epistolam ad *Galat.* VI. *Qui putant* Paulum *juxta humilitatem, & non vere dixisse*, etsi imperitus sermone, non tamen scientia, *defendant hujus loci consequentiam: Debuit quippe secundum ordinem dicere*, vos qui spirituales estis, &c. Et tamen hoc loco in Annotationibus meis defendo *Pauli* sermonem adversus *Hieronymi* sententiam. Rursus in Epistola ad *Hedibiam* Quæstione XI. inquit: *Cumque* Paulus *haberet scientiam Scripturarum sacrarum & sermonis diversarumque Linguarum gratiam possideret, unde ipse gloriatur in Domino & dicit*, Gratias ago Deo quod omnium vestrum Linguis magis loquor: *divinorum sensuum majestatem, digno non poterat Græci eloquii explicare sermone*, &c. Item in Epistolam ad *Galat.* IV. *Scisse autem* Paulum, *licet non ad perfectum, litteras seculares, ipsius verba testantur:* dixit quidam ex eis proprius eorum Propheta, &c. Item in Epistolam ad *Titum* I. *Qui non juxta humilitatem, ut plerique existimant, sed vere dixerat*, Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Hebræus ex Hebræis, juxta Legem Pharisæus, *profundos sensus Græco sermone non explicat, & quod cogitat in verba vix promit*, &c. Sic enim legendum arbitror, quanquam vulgati codices habent, *promisit.* Item in Epist. ad *Ephes.* Cap. III. *Porro quasi imperitus loquutus est, ut pluralis tribulationum numero gloriam subjungeret singularem, & diceret:* In tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra, *pro eo quod est*, quæ tribulationes sunt gloria vestra: *Nisi forte quis altius per hyperbaton, vel ad fiduciam & accessum, vel ad fidem hoc existimet esse referendum, & dicat*, In quo habemus fiduciam, & accessum, & fidem, &c. An non hæc satis dilucida sunt? Quid simile *Bedda* legit in scriptis meis? Hæc si legis *Bedda*, quin in *Hieronymum* detonat potius quam in me blasphemias, impietates & hæreses, qui longe moderatius de stylo *Pauli* scripsit quam ille. Si non legit, unde hausit istam admirandam Theologiam, quam toties jactat, cujus insciticm tam insolenter aliis exprobrat? Porro si hæc citra *Pauli* contumeliam ad utilitatem studiosorum dici possunt & solent, cur de nihilo tantas movet tragœdias? Sed *Bedda* negabit posse. Præsto est idem *Hieronymus* sibi mihique patronus, ita scribens in Epistolam ad *Ephes.* Cap. III. *Si vero quis potest etiam juxta sermonis & eloquii contextum docere, Apostolum fuisse perfectum, & in artis Grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescunque solœcismos aut tale quid annotavimus, non Apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus, quod* Hebræus ex Hebræis *absque rhetorici nitore sermonis & verborum compositione & eloquii venustate, nunquam ad fidem* Christi *totum Mundum traducere potuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Nam ipse ad* Corinth. *ait:* Et ego cum veniſſem ad vos fratres, non veni in eminentia verbi aut sapientiæ annuntians vobis testimonium Dei. *Et rursus:* Et verbum meum & prædicatio mea, non in suasoriis sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. *Iste igitur qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sententiam concludere, audacter sibi vindicat sapientiam & dicit*, Quoniam secundum revelationem, &c. Si hæc excusatio placat *Beddam Hieronymo*, debebit & mihi placatus esse, qui temperavi sermonem magis quam *Hieronymus*, imo qui non semel tuear *Paulum* ab inscitia sermonis, quam illi tribuit *Hieronymus*. Supereſt adhuc una impietas, dixi *Paulum* difficultate rerum victum coactum fuisse dicere, *O altitudo*, &c. Impius est igitur *Hieronymus*, qui hunc edisserens locum negat ullam creaturam assequi posse mysteria divini consilii, sed ea solis Patri, Filio & Spiritui Sancto nota esse. De his respondimus, primum *Sutori*, mox in Divinationibus, quibus dissimulatis *Bedda* suo arbitratu veluti surdus ac cæcus peroravit nobis tragicam calumniam, qua ita me *Christus* amet, nihil adhuc in vita legi stultius, indoctius, aut malitiosius.

Ex Paraphrasi Epist. ad Romanos.

Propositio CXLIII.

Malum à principe generis humani ortum in universam posteritatem dimanavit, dum nemo non imitatur primi parentis exemplum. Cap. V.

Propositio CXLIV.

Adam *dum non obtemperat præcepto Dei, plurimos traxit in peccatum, avitæ transgressionis imitatores.*

Svppvtatio.

Ad hanc calumniam pridem respondi *Leo*, item in Annotationibus, & rursus in Elencho quod satis est. Quod interpretatur *Bedda* peccatum originis nihil aliud esse, nisi primi parentis imitationem, eoque in infantibus nullum esse peccatum, nec scriptum est à me, nec somniatum, sed hæc ipsius impudens est calumnia. C.

Digitized by Google

Hunc *Pauli* locum expono de peccato actionis ſequutus orthodoxos interpretes. Legat qui volet Annotationes meas, & intelliget *Bedda* nihil eſſe frontis, qui quid calumnietur in ſecunda Propoſitione non video, niſi forte putat eſſe paucos, qui peccando referant exemplum primi parentis.

PROPOSITIO CXLV.

Non eſt modo periculum, ne peccatum nos nolentes in priſtinam retrahat ſervitutem. Quandoquidem jam non eſtis obnoxii Legi, quæ cupiditatibus irritabat potius quam coercebat, ſed gratia Dei.

SVPPVTATIO.

A me ſcriptum eſt, *Neque vero periculum eſt.* Id *Bedda* ſuo artificio depravavit, quaſi nunc à me dicatur horum temporum hominibus. Quid hunc pudet hominem? Ad hanc breviter, ſed quod ſatis eſt, reſpondi, primum in Divinationibus, mox in Elencho, declarans me non loqui de propenſione ad peccandum, ſed de regno peccati, de quo illic agit *Paulus* dicens, *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub gratia.* Expono Legem, quæ ſine gratia præcipiebat, & per quam facta eſt cognitio peccati. Ab illius Legis dominatu liberat gratia, quæ facit ut volentes faciamus quod Lex præcipit. Per gratiam itaque poſſumus à peccato temperare: quod ſi facimus, non ſumus obnoxii Legi. In hanc ferme ſententiam *Ambroſius*. Quod ſi quis objiciat, & *Judæis* ante *Chriſti* adventum adfuiſſe gratiam, *Theophylactus* ſolvit quæſtionem, per Euangelium auctam gratiam, ut levior ſit cum carne colluctatio. Quod ſi qui diverſum interpretantur, mihi liberum erat ſequi quod vero proximum videbatur. Jam demus *Bedda* legem hîc accipi pro concupiſcentia peccandi, quid colligit? Obnoxium eſſe legi nihil aliud eſſe quam in corpore vivere. Proinde rogat me an ego ſim liber ab hac lege. Si mihi *Bedda* reſponderit an ipſe ſit liber, tum de me reſpondebo. Quod ſi omnes ſumus ſub lege, ſecundum *Bedda* ſententiam, qui vivimus in corpore, mentitus eſt *Paulus* qui dicit, *Non enim eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia.* Quod Apoſtolus dixit eſſe ſub Lege, mox explicuimus, obnoxium eſſe Legi. *Paulus* autem non ait hominem carere propenſione carnis ad peccandum, ſed negat ullum obnoxium dominio Legis, qui vivit ſpiritu, ſic ut titillari poſſit peccandi libidine, pertrahi non poſſit in crimen, niſi velit. Quid igitur eſt erroris in hac Propoſitione, quæ nihil aliud quam exponit *Pauli* mentem, non excluſis aliorum interpretationibus? Et tamen titulus habet errorem.

PROPOSITIO CXLVI.

Hoc magis abſtinendum eſt à peccatis, quod jam ad benefaciendum non cogimur præſcripto, ſcilicet Legis, id eſt, præcepto, ſed meritis & amore provocamur.

SVPPVTATIO.

Quid mihi cum *Beguardis* aut *Lutheris?* Explano paraphraſi quod juxta Doctorum enarrationes ſenſit *Paulus*. Si verum eſt quod hic dicit, *Non eſtis ſub Lege*, item quod alibi, *Juſtis non eſt Lex poſita*, rurſum ad *Gal.* v. *Si ſpiritu ducimini non eſtis ſub Lege*, quomodo verum eſt quod dicit *Bedda*, omnes juſtos eſſe obnoxios Legi? Quis cogitur niſi nolens? At quomodo juſtus dicetur qui nolens facit quod præceptum eſt? Ergo qui ducitur ſpiritu, tanto minus peccat, quia lege non conſtringitur, ſed ultro plus præſtat quam lex exigit. Qui deſinit volens benefacere, is fit obnoxius legi, quia deſinit agi gratia. Ad hunc modum cum Orthodoxi locum hunc interpretentur, quid eſt quod hîc *Beguardos* ſomniat *Bedda* nihil ad rem pertinentes? Proinde mera calumnia eſt quod interpretatur *Bedda*, me prætendere *Chriſti* legem profeſſos non cogi legis præceptis ad bene agendum. Non enim loquor de quibuſvis baptizatis, ſed de his qui perſeverant in gratia ſemel hauſti ſpiritus.

PROPOSITIO CXLVII.

His qui ſerviunt Deo, non ut merces debita, ſed ut beneficium à propitio patre reponitur immortalitas.

SVPPVTATIO.

Reſpondimus quod ſatis eſt & in Divinationibus & in Elencho: ſimulque declaravimus hîc *Beddam* uſum ſolito calumniandi artificio. Etenim cum ipſe ſcripſerim, *qui Deo ſerviunt pro ſua virili*, ille *pro ſua virili* prætermiſit, quod his verbis excludebatur calumnia. Indicant enim hæc verba noſtrum obſequium eſſe imperfectum, & idcirco non eſſe par præmio. Quod ſi ſimpliciter debetur, quod aſſeverat *Bedda*, mentitus eſt *Paulus* qui dicit: *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Proinde quod ait in meis verbis aſſertionem eſſe *Lutheranam*, impudens *Beddæ* calumnia eſt. Reliqua pete ex Divinationibus & Elencho.

PROPOSITIO CXLVIII.

Lex Chriſti, *quæ ſpiritualis eſt & vitæ parens, efficacior ac victrix, liberavit nos à lege peccati, & à morte hujus comite.*

PROPOSITIO CXLIX.

Lex Moſi, *quatenus carnalis eſt, inefficax erat, nec liberare poterat à lege peccati.*

PROPOSITIO CL.

In una Moſi *duæ leges ſunt. Altera craſſa & carnalis, altera ſpiritualis. Prior illa legis pars* Moſen *habet auctorem. Et ut perpetua non eſt, ita parum efficax ad præſtandam ſalutem.*

PROPOSITIO CLI.

Carnalis illa Judæorum lex adverſatur Chriſto, *& à* Chriſto *avocat, & ob id mortem parit, videlicet pugnans cum eo*, &c.

SVPPVTATIO.

Unam ſententiam in tot ſecuit Propoſitiones, & omnes una cenſura jugulat, meras blaſphemias & hæreſes comminiſcens ex verbis, cum ſciat in ſenſu nihil eſſe ſcrupuli. Si lex gratiæ Euangelicæ non liberavit nos à lege peccati, & à morte peccati comite, aut mentitus eſt *Paulus*, aut à blaſphemia minimum abeſt *Bedda*. *Pauli* verba, quæ interpretor, ſunt hæc: *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu, liberavit à lege peccati & mortis.* Et juxta meam paraphraſim interpretantur ſacri Doctores. Quod autem hîc *Bedda* interpretatur, legem peccati dictam fomitem, ſomnium eſt. Imo legem peccati vocat jus & obligationem peccati, *Ambroſius* legem *Moſi*, quæ mortificat irritata concupiſcentia. Addit eſſe blaſphemum, quod docendi gratia *Moſi* Legem partior in duas partes, carnalem & ſpiritualem, alterius facio auctorem *Moſen*, alteram à *Chriſto* abſolutam. Primum arte calumniandi *Bedda* truncatim refert mea verba, quæ ſic habent: *Quemadmodum in uno homine veluti duo ſunt homines, carnalis & ſpiritualis: ita in una* Moſi *lege ceu duæ ſunt leges, altera craſſa & carnalis, altera ſpiritualis.* Quid hîc eſt blaſphemiæ? In una lege contineri duas leges? At ego dixi ſic eſſe duas, ut

in

in homine uno dicuntur esse duo homines, exterior & interior, vetus & novus, carnalis & spiritualis. Et sub hac distinctione *Paulus* frequenter loquitur de lege, nunc legem gratiæ nominans, nunc legem vitæ, nunc legem mandatorum carnis, nunc legem spiritualem. Et ad eundem modum loquuntur omnes Ecclesiæ Doctores, qui scripserunt in Epist. *Pauli*. *Hieronymi* verba in VII. Epistolæ ad *Rom.* Caput sic habent: *Puto tamen*, inquit, *quod legem* Mosi *& hic, sicut & in aliis sæpe diximus, in duas partes Apostolus dividat, & aliud in ea carnem, aliud spiritum nominet, & illam quidem observantiam, qua secundum litteram geritur, sensum carnis appellet, sicut dicit de hujusmodi* Judæis, *frustra inflatos sensu carnis suæ: illam vero, quæ accipitur spiritualiter, spiritum nominat, sicut & alibi dicit:* Littera occidit, spiritus autem vivificat, &c. Verùm in hoc fortassis est blasphemia, quod carnali parti tribuerim auctorem *Mosen*, quasi negem Deum totius Legis auctorem, juxta *Manichæorum* blasphemiam. Est-ne hoc in verbis meis quod interpretatur *Bedda?* Non opinor, sed de suo cerebro pronuntiat censor. An non ad hunc modum distinxit *Joannes* in Euangelio legem & gratiam? *Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est.* Sed in una vocula est blasphemia, qua *Mosen* dixi auctorem. Quid autem vetat unius rei duos esse auctores? Nonne *Paulus* est auctor eorum quæ scripsit? Et tamen principalis auctor est Spiritus Sanctus. Et quid prohibet *Mosen* dici auctorem Legis, quam tulit, quam administravit, quam docuit, quam exegit? Nonne Dominus in Euangelio loquitur, *Moses dedit vobis Legem?* Et *Marci* X. *Quid vobis præcepit Moses?* quod frequens est in Euangelicis litteris. Atqui si quis urgeat, non *Moses* præcepit, sed per *Mosen* Dominus. Et quomodo Lex *Mosi* dicitur, si nullo modo fuit auctor? Nec tamen simpliciter dixi *Mosen* auctorem, sed docendi gratia Legem partitus in duas partes, utrique suum assigno auctorem. *Judæi* carnales jactabant suum *Mosen*, Christiani spirituales gloriantur in suo Legislatore *Christo*. Porro me non sensisse cum *Manichæis*, si non satis erat *Bedda* me tot locis in lucubrationibus meis declarasse, certe ex hoc ipso loco, quem carpit, poterat perspicere, nisi quod prudens omisit quod non serviebat calumniæ. Hæc enim inibi sequuntur: *Prior illa legis pars* Mosen *habet auctorem: & ut perpetua non est, ita parum efficax ad præstandam salutem. Altera pars est spiritualis, efficax, & potens, & immortalis, quam* Christus *velut alter* Moses *nobis absolvit.* Audis censor, non dictum est, *cujus auctor est Christus* quasi sint auctores duo, sed *quam Christus nobis absolvit*, ut significarem *Christum* utriusque Legis auctorem, per se ipsum tamen Legis absolutionem administrasse, cum in altera fuisset usus *Mosi*. Rursus cum ajo, *velut alter Moses*, nonne satis intelligit me non absque tropo loqui? Obtestor fidem tuam, lector, nonne audis hîc horrendam blasphemiam? Verum hactenus calumniatus est, nunc decernit: *Blasphemum*, inquit, *denique dictum atque hæreticum, asserere quamlibet Legis partem* Christo *adversari, ab eoque avocare.* Tota calumnia est in vocibus: nam sensum esse pium novit etiam *Bedda*. Perçunctabor igitur à *Bedda*, num littera pars sit Legis. Fatetur, opinor. Atqui cum *Paulus* dicit, *Littera occidit*, loquitur blasphema. Si occidit, nonne avocat à *Christo* qui spiritualia docet? Nonne pugnat cum *Christo?* Rursus cum in hoc ipso Capite, Legis hanc partem vocat legem mortis, num blasphema loquitur? Præterea *Ambrosius* hunc enarrans locum cum scribit, *Lex vero mortis* Mosi *lex est, quia mortificat peccatores*, an blasphema loquitur? Iterum *Paulus* II. *Cor.* III. cum *Mosi* legem appellat ministrationem mortis, blasphemus est? Rursus ad *Rom.* IV. cum scribit, *Lex iram operatur*, num blasphemiam scribit? Et quis erit blasphemiarum finis, si velimus ad istum modum litteras & syllabas calumniari? Sermonis tropus frequens est apud *Paulum*, ab hoc non abhorrent Ecclesiæ probatissimi Doctores, & *Bedda* velut ad rem inauditam vociferatur blasphemias: adeo familiariter versatus est in sacris Litteris. Sed si quid est jactatum in Scholis de Lege secta in moralia, judicialia, & ceremonialia, miro supercilio jactat, quasi nemo tale quicquam unquam audisset, quæ sunt detrita. Jam si nihil addidissem, tamen non oportuit offendi, si Paraphrastes utor his verbis quibus utitur *Paulus* & *Ambrosius*, cum cæteris Orthodoxis. Nunc ipse sermonis, quem carpit, tenor explicat quid senserim. Sequitur enim, *Videlicet pugnans cum eo qui solus auctor est vitæ:* Judæi *vero studio zeloque suæ Legis, justitiæ vitæque occiderunt auctorem.* Quid his verbis dilucidius? Ajo Legem carnaliter intellectam, animasse *Judæos* ut *Christum* occiderent. Non accuso litteram Legis, sed eos qui studio litteræ rebellant spiritui. Hæc cum sint pie, plane, perspicue dicta, juxta consuetudinem Scripturæ sacræ, juxta morem orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum, tamen *Bedda* pene rabiose clamat manifestam blasphemiam. Et addit: *Nec est hic Scripturis aut rationibus in hac* Erasmi *scripta agendum, sed aliis certe armis.* Quis credat hunc hominem esse mentis sobriæ? Nec ego puto scriptis aut rationibus agendum cum *Bedda*, qui videtur ab omni ratione prorsus excidisse: & si quid scribas, non legit: sed arbitror tali capiti chirurgum aliquem celerem ac fidum adhibendum. Reliqua lector pete ex Divinationibus.

PROPOSITIO CLII.

Terra, aqua, aer, ipsa corpora cœlestia, denique & ipsi Angeli, non in aliud conditi sunt, nisi ut hominum necessitatibus observiant.

PROPOSITIO CLIII.

Cum universus Angelorum populus nostras calamitates ex alto contemplans, pro quodam erga nos affectu commoveatur, & quoad licet, nostris malis indolescat: nonne universa rerum natura una nobiscum gemit, ac parturientis in morem optat laborum ac dolorum finem?

SVPPVTATIO.

Et ad hanc respondi quod satis est in Divinationibus, ostendens, hanc particulam, *non in aliud*, non excludere quidvis, sed tantum ea, quæ pro suscepta materia cadunt sub exceptionem: veluti cum dicimus, *hic nihil aliud quam potat*, non excludimus somnum ac cibum, sed studium litterarum aliarumque rerum honestarum functionem, quarum significamus illum negligentem. Quod autem nobis objicit, in Philosophia finem esse potiorem iis quæ propter illum adhibentur, ut sit apud Philosophos verum, nos hîc de rebus à Deo conditis agimus, in quibus non recipimus Philosophorum auctoritatem. Ad hæc ratio collationis non semper pendet à natura rerum, sed à dignatione agentis, velut est in proverbiis de iis qui piscantur aureo hamo: hamum faciunt propter piscem, cum pisce sit potior hamus. Ita Deus dignatus est hominem hoc honore, ut Angelos destinaret in illius ministerium, natura præstantiores, quemadmodum decreverat naturam humanam evehere supra dignitatem omnium Angelorum, quod absque dubio verum est in *Christo*, & beata matre *Jesu*, & idem probabiliter credendum de *Joanne* Baptista, aliisque compluribus Sanctis. Quod si perpetuo verum est finem esse potiorem iis quæ finis causa fiunt, Filius Dei propter hominem homo factus est, hic, nisi fallor, locum non habet illa Philosophorum regula. Cibus propter hominem capitur, & tamen in Eucharistia sumenda, cibus est potior vita sumentis. Minister propter Dominum est, & tamen *Christus* ministraturus inferioribus venit in Mundum. Nimirum dignatio Dei naturalem ordinem invertit. Porro quod adducit, *Christum* propter formam servi paulo minus imminutum ab Angelis, hoc est, juxta naturam humanam

An-

Angelis inferiorem esse, cum humana natura *Christi* constet corpore & anima, quæ nunquam caruit influxu divinitatis, meæ quidem aures abhorrent ab hoc sermone, ut nunc quoque dicamus *Christum* in Cœlis Angelis inferiorem esse juxta naturæ essentiam. An verum sit viderint alii, mihi magis libet aliis de rebus audire. Jam quod nobis recitat ex Psalmo *Christum* propter formam servi minutum ab Angelis paulo minus fuisse, locum attingit plenum difficultatis. Primum *Paulus* scribens *Hebræis* sic locum hunc adducit, ut significet illum non propter hominem assumtum, sed propter afflictionem mortis fuisse diminutum infra Angelos. Sic enim loquitur: *Eum autem qui modicum quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Hic si objicias, hoc non erat paululum minui, idcirco *Chrysostomus*, *paulo minus diminutum*, quod Græcis est βραχύ τι, refert ad tempus, non ad naturæ dignitatem. Afflictio fuit temporaria, gloria sempiterna. Nam *paulo minus* quid Interpreti significet nescio, Latinis nihil aliud sonat quam *propemodum*. Porro qui propemodum minutus est, manet in æqualitatis linea, quemadmodum qui propemodum ceciderat, non cecidit. Illud constat, Psalmum scriptum esse ad declarandam hominis dignitatem, qua illum dignatus est conditor Deus. Sequitur enim ex Genesi, *Omnia subjeciisti sub pedibus ejus, oves & boves universos, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris*, &c. quæ quomodo congruant in *Christum* non video. Quod itaque dicit, *Minuisti eum paulo minus*, id est, *paululum ab Angelis*, ad declarandam humanæ naturæ celsitudinem dictum videtur, quæ non multum abfuerit ab Angelorum dignitate. Verùm *Paulus* accommodat *Christo* demisso ad nostram humilitatem. Ergo quærendum quomodo difficultas hæc possit explicari. Mihi videtur hic locus unus esse de numero eorum, quibus offensæ priscæ Ecclesiæ, præsertim *Romana*, diu detrectarunt recipere hanc Epistolam inter canonicas Scripturas. Dubitari non potest, quin recte citatus sit locus, sed optarim *Beddam* tantum Theologum has difficultates nobis discutere. Hîc si tantum philosophicum errorem objecisset, levis erat calumnia, sed adjecit in Theologia quoque erratum esse, quod ego sane nondum intelligo. Denique quod profert ex Proverbiis, *universa propter semetipsum operatus est Dominus*, nihil adversum me facit. Quis enim nescit Deum summum & principium & finem omnium rerum? An ideo non recte dicimus, fruges terræ, oves & boves, Solem & Lunam propter hominem condita? Imo gramina propter boves creavit, boves propter hominem. Proinde cum sint finium gradus, quid habet hic sermo absurdi, Angelos in hoc creatos, ut ministrent electis, licet ad Deum velut ad principalem finem referantur omnia?

Multo minus mirari debebat, quod diximus Angelos *pio quodam affectu* erga nos commoveri. Quo quidem loco *Bedda* geminam admisit calumniam. Primùm depravate recitat mea verba, legens *pio quoque affectu:* quanquam id in Indice monitus correxit, *quodam aut quoquam*, quasi nihil interfit inter *quodam* & *quoquam*. Ad hæc non sat erat corrigere vocem, calumniam hinc natam correctam oportuit. Deinde quod à me per tropum dictum est, torquet ad simplicem sensum, quasi credam Angelos hominum more tangi affectibus. Opinor *Beddam* mihi non tribuere tantum stultitiæ, ut id existimem. Quod si non putat, quorsum attinebat ex verbis calumniam quærere, præcipue depravatis? Etenim nisi *quodam* depravasset in *quoque*, non erat locus calumniæ: etenim qui dicit, *quodam*, negat esse affectum juxta vulgarem sensum: & quasi non satis esset ad excludendum quod intentat *Bedda*, subjeci, *& quoad licet nostris malis indolescat*, satis aperte declarans Angelicam naturam non esse capacem talium affectionum. Hæc cum sint in ipsis verbis quæ refert *Bedda*, tamen ille veluti clausis oculis & obturatis auribus, occinit nobis suam calumniam. Sed age, fingat me nihil addidisse quod indicaret sermonis tropologiam, non oportebat hanc orationis formam Theologo videri novam, cum legat Angelos lucis amarè flere, cum legat eosdem gaudere super peccatore converso, cum apud *Paulum*, omnem creaturam parturire & congemiscere. Et inter creaturas numeratur Angeli, quod admonet interpres *Hieronymus*. Utrum est dictu absurdius, cœlum & terram ingemiscere, an Angelos condolescere? Rursus utrum durius est auribus, Deum indignari & furere, an Angelum pio affectu commoveri? Utrum durius auribus, Spiritum interpellare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ut *Paulus* loquitur *Romanis*, an Angelos nostris malis indolescere? His tropis cum undique scateat Scriptura divina, quid erat quod *Bedda* semper in his Litteris versatus, ad hos tanquam ad rem inauditam prius sic obstupesceret? Intelligit prudens lector quid taceam. Dicet aliquis, quid opus erat his tropis? Imo quid opus erat *Paulum* his uti tropis in loco quem explico. Illic est, *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat:* ac mox, *Vanitati enim creatura subjecta est non volens*, &c. An terra exspectat aliquid? An cœlum vult aliquid? Et tamen hunc tropum expono sic loquens, *Quandoquidem etiam in rebus anima carentibus inest nativa quædam perfectionis appetitio.* Hoc saltem debebat agnoscere *Bedda* versatus in *Aristotele*, qui scripsit, quod *naturâ materia appetit formam, & turpe bonum.* Sequitur apud *Paulum*, *Ipsa creatura liberabitur à servitute.* Ac mox, *scimus quod omnis creatura ingemiscit ac parturit.* Hic *Hieronymus Origenis* interpres docet Angelos hoc sermone comprehendi. Quin idem alibi monet non esse sermonem impium, si quis dicat *Christum* adhuc desiderare consummationem suæ felicitatis, quatenus est caput Ecclesiæ. Et tamen hunc quoque *Pauli* sermonem non carere tropo, bis indicavi, cum ajo, *pio quodam affectu*, rursum, *quoad licet indolescat.* In Commentariis fas est longius à verbis Apostoli recedere, quam licet in Paraphrasi. Et tamen quid diceret *Bedda*, si Paraphrastes scripsisset, quæ scripsit in hunc locum *Ambrosius? Parturire*, inquit, *dolere est. Ipse sensus est, quia omnis creatura per quotidianum laborem ingemiscit & dolet usque modo.* Mox: *Ipsa enim elementa cum sollicitudine operas suas exhibent, quia Sol & Luna non sine labore statuta sibi implent spatia. Et spiritus animalium magno gemitu arctatur ad exhibenda servitia. Nam videmus illa gementia cogi invita ad laborem.* Nonne hic interpres videtur cum *Virgilio* dicere,

Defectus Solis varios Lunæque labores?

Hic tamen pia scribit, ego qui textum explanatius refero, & tropum explico, loquor erronea & dissentanea Scripturæ, sic enim perorat *Bedda: Ignoranter igitur & ad Scripturas dissentanee hæc* Erasmus *scripsit.* Ignorantiæ calumniam facile fero, mihi cum *Ambrosio* communem, mendacium multo levius fero, quod ait mea dissentire à Scriptura, cum ostenderim omnia consentire cum loco *Pauli* quem interpretor, non ex mei capitis somnio, sed ex probatissimorum Ecclesiæ Doctorum Commentariis, nisi quod evidentius explano tropologiam, & minus duris utor verbis quam illi sunt usi.

C. C. C. V.

PROPOSITIO CLIV.

Spiritus Dei etiamsi ipsi sileamus, tamen pro nobis interpellat Deum, idque non humano more, sed gemitibus inenarrabilibus.

PROPOSITIO CLV.

Ipse Spiritus quoties interpellat pro sanctis indolescens super illorum malis, non juxta humanum affectum interpellat, sed juxta Dei voluntatem.

SUP-

Digitized by Google

SVPPVTATIO.

Hîc me relegat ad ea quæ divinitus ſcripſit in *Fabrum*. At ego ſemel teſtatus ſum, me non commiſſurum, ut *Fabri* cauſa meo patrocinio fiat deterior. Nec mihi tantum eſt otii, ut tam ampulloſas legam nænias. Pro me reſpondeo. Nam cum *Fabri* Propoſitiones diverſæ ſint à meis, miror quomodo *Bedda* unica confutatione putarit utrumque jugulandum, quaſi malus Medicus diverſos morbos velit eodem tollere pharmaco. Ac in meis quidem nihil refellit, tantum pronuntiat nos impia, blaſphema, hæretica & Philoſophiæ adverſa pronuntiaſſe, ac per illuſionem Dæmonum exiſtimaſſe hîc Eccleſiam cæcutiſſe, cum ipſi ſimus talpa cæciores. Audis cenſuram mire Theologicam, ſine ulla probatione, nec ipſe divinare poſſum quid offendat hominem. Si tropus offendit, qui videtur Spiritum facere minorem Patre ac Filio, curet igitur ut aliter loquatur *Paulus*, ne rixetur mecum. *Verum hoc aliter*, inquit, *intelligendum eſt quam intelligunt Ariani*. Et ipſe longe ſecus intelligo atque etiam expono, & in exponendo ſequutus ſum probatiſſimorum Eccleſiæ Doctorum auctoritatem. Quid quærit *Bedda*? Sancti viri licet non errent in voto generali, quo deſiderant æternam ſalutem, tamen in delectu ſingulari errant nonnunquam, & pro ſalutiferis petunt quæ non expediunt, quod accidit ipſi *Paulo*, qui audivit, *Sufficit tibi gratia mea*. Hoc mihi, ni fallor, & cum *Bedda* convenit. Ergo quoties humanus affectus precatur commoda aut deprecatur incommoda, commoda quia jucunda, incommoda quia naturæ moleſta, Spiritus hîc ſuccurrit imbecillitati humanæ, nec ea dat quæ petuntur, ſed quæ conducunt, reſpiciens ad illud generale votum, quod eſt ſecundum Deum, non ad hanc poſtulationem quæ eſt ex errore humano: quod *Paulus* dicit, *Secundum Deum*, ego expreſſi, *Non more humano*: Ac mox, *Non juxta humanum affectum interpellat, ſed juxta Dei voluntatem*. Cæterum pronomen *ipſe*, quoniam diſcernit hominem orantem ab orante Spiritu, cupiens exprimere dixi, *Etiamſi nos ſileamus*. Minus eſt ſilere, quam orare noxia. Vir pius, qui omnia facit amore Dei, ſpe vitæ cœleſtis, ſemper orat quandiu perſeverat in ſuo voto. Huic Deus nihil nominatim oranti providet ad ſalutem conducentia, & oranti quæ non oportet, donat quæ expediunt. Cum hac interpretatione conſentiunt *Origenes*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, & *Thomas*. Cum igitur in ſenſu nihil ſit ſcrupuli, ſuſpicor *Beddam* offendi verbo *interpellandi*, & *gemitibus inenarrabilibus*. Quis autem ſic inſaniat, ut exiſtimet Dei Spiritum, cum ſit Deus, vere indoleſcere, aut ingemiſcere? nam de Perſonarum æqualitate *Bedda* quoque profeſſus eſt me catholice ſentire. Proinde Spiritus in piis habitans & agens eodem tropo dicitur interpellare, ingemiſcere, & indoleſcere, quo dicitur in Apoſtolis loqui, in aliis contriſtari: quemadmodum *Paulus Epheſ.* IV. *Nolite contriſtare Spiritum Dei in quo ſignati eſtis*: item quo ſenſu dicitur clamare, Abba pater. Hoc enim ille dicitur agere, quod illius energia fit in nobis interdum etiam neſcientibus. Et interpellare dicitur, cum hoc dat pro quo nos interpellaſſemus, ſi ſciſſemus quid eſſet petendum. Et gemitibus inenarrabilibus interpellat, cum ea largitur à Filio & Patre, quæ nobis erant inenarrabilibus gemitibus poſtulanda, ſi per infirmitatem carnis ſcire potuiſſemus quanta eſſent illa quæ dantur. Ergo juxta tropum homo petere dicitur, cum humano affectu petit quod naturæ commodum eſt, aut deprecatur quod naturæ eſt incommodum. Spiritus poſtulare dicitur, quoties ea petuntur quæ conferunt ad ſalutem. Item quoties ſilentibus aut perperam etiam petentibus nobis, Deus ſubveniens infirmitati noſtræ ſuppeditat ea quibus ſcit nobis opus eſſe ad ſalutem. Ne quis autem exiſtimet me quicquam fingere, referam hunc ex Paraphraſi locum. Obſecro lector ne ſit moleſtum: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*, &c. ſic interpretor: *Moleſta eſt interim afflictio juxta carnem, verùm fortaſſe ſic expedit nobis affligi. Spiritus tamen boni conſulit, & cum corporis infirmitate pugnat: ſed adſpirat Dei Spiritus adjuvans imbecillitatem carnis noſtræ, & ſpe erigens ad omnia toleranda, commonſtrans quid votis optandum ſit, aut quid deprecandum. Nam ipſi juxta humanum affectum neſcimus quid ſit optandum, neque quomodo ſit optandum. Unde non raro ſit ut pro ſalubribus oremus peſtifera, quod mihi ipſi uſu venit, cum agre ferens corporis afflictionem, improbus implorabam opem divinam, ter rogans ut relinqueret me Satanas, à quo tum affligebar, & ob id negatum eſt quod poſtulabam, pro jucundis data ſunt ſalubria. Audit quidem Deus vota ſuorum, ſi modo non precentur juxta carnis affectum, ſed juxta votum Spiritus: Is, etiamſi ipſi ſileamus, tamen pro nobis interpellat Deum, idque non humano more, ſed gemitibus inenarrabilibus. Ab hominibus poſtulandum eſt oratione quod velis impetratum, quibus neque cognitum eſt quod optas, niſi didicerint, neque ſatis diſcernunt quid ſit optimum. At Deus, qui intimos etiam cordis ſinus rimatur penituſque introſpicit, novit & ſilentibus nobis quid deſideret Spiritus, qui quoties interpellat pro ſanctis, indoleſcens ſuper illorum malis, non juxta hominum affectum interpellat, ſed juxta Dei voluntatem. Non optat niſi quæ ad ſalutem æternam, non optat niſi quæ ad Dei gloriam faciunt. Ea qui ex animo optat, etiamſi erret in delectu, non errat tamen propoſito. Largitur ergo Deus non quod poſtulatum eſt, ſed id quod maxime conducit ad hoc ad quod votorum tuorum ſummam deſtinaſti.* Quod in his meis verbis ſubindico duplicem ſpiritum, noſtrum & Dei, hauſi ex *Origene*, qui *Beddæ*, quoties eſt commodum, *Hieronymus* eſt. Cujus verba ſubſcribam: *Igitur infirmitas noſtra ex carnis infirmitate deſcendit: ipſa eſt enim quæ concupiſcit adverſus ſpiritum. Ea dum concupiſcentias ſuas ingerit, impuritatem ſpiritus ingerit, & ſinceritatem orationis offuſcat: ſed ubi viderit Spiritus Dei laborare ſpiritum noſtrum in adverſando carni, & adhærendo ſibi, porrigit manum & adjuvat infirmitatem ejus. Et velut ſi magiſter ſuſcipiens rudimenta*, &c. Quod ſi *Bedda* clamitet, à *Paulinis* tropis abſtinendum fuiſſe, hoc juſtius petere debebat ab iis qui ſcribunt Commentarios quam à Paraphraſta, qui quantum licet aſſidet contextui, cum Commentator ſeparet verba contextus à ſuis, ego mixtim in curſu pronuntiem. Atqui divus *Ambroſius* non abſtinet, cujus Commentarium ſic habet: *Non humanis eloquiis poſtulare pro nobis dicit Spiritum Domini, ſed more naturæ ſuæ. Cum enim quod de Deo eſt, Deo loquitur, eo more loquatur neceſſe eſt, quo ille loquitur de quo eſt. Nemo enim cum cive ſuo alia lingua loquitur. Superfundit enim ſe precibus noſtris Spiritus datus nobis, ut imperitiam & improvidentiam noſtram motu ſuo operiat, & illa nobis à Deo petat quæ proſint nobis.* Hæc *Ambroſius*. Vides illum ne in Commentariis quidem abſtinuiſſe à verbo loquendi & petendi. Cujus dicta ſi quis velit ad *Beddaicam* regulam excutere, multo viciniora ſunt *Ariana* calumniæ quam mea, nimirum hæc: *Cum enim quod de Deo eſt, Deo loquitur, eo more loquatur neceſſe eſt, quo ille loquitur de quo eſt.* Non interim excutiam Veterum ſententias inter ſeſe manifeſte pugnantes. Nam *Origenes*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, & hunc ſequutus *Thomas*, vult hunc locum accipi de Spiritu Dei: quoque conſtet ſenſus, *Auguſtinus* in Epiſtola ad *Sixtum* Presbyterum, rurſus in Epiſtolam *Joannis*, aliiſque locis, quos in rhapſodia citat *Bedda*, defendit ſermonis tropum. Contra *Theophylactus*, & ante hunc *Chryſoſtomus*, contendunt accipiendum de ſpiritu hominis, hoc eſt, de homine ſpirituali, qui dono Spiritus noverit quid & quomodo ſit orandum. *Theophylacti* verba ſunt in promtu, *Chryſoſtomi* verba reddam bona fide, quoniam nondum verſa ſunt: *Vides*, inquit, *quod non de Paracleto loquitur, ſed de corde ſpirituali: alioqui dicendum erat, Qui autem ſcrutatur*

ſpiritum. Verùm ut intelligeres verba fieri de homine ſpirituali, qui donum haberet orandi, ſubjunxit, Qui autem ſcrutatur corda, οἶδε τὸ φρόνημα τῦ πνεύματος, *quod noſter vertit*, Scit quid deſiderat ſpiritus, *hoc eſt, hominis ſpiritualis*, quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis. *Neque enim Deum*, inquit, *ignarum docet, ſed hoc fit, ut nos diſcamus orare quæ oportet, ac poſcere à Deo quæ ipſi placita ſunt: nam id eſt quod dicit*, ſecundum Deum, &c. Jam & is, qui ſcripſit Scholia in omnes *Pauli* Epiſtolas, quibus addiderunt *Hieronymi* nomen, docet hîc Spiritum dici donum Spiritus. Quin & *Origenes* indicat hujus loci difficultatem, quem hujuſmodi claudit ſententia: *Itaque quamvis hæc inenarrabilia eſſe* Paulus *ipſe ſignarit, & inenarrabilibus gemitibus gemere, tamen prout poſſibile nobis fuit, imaginem quandam rerum, quæ divinitus gerantur, quaſque ipſe objectus profert, edidimus. Qui autem ſpiritualis eſt examinet omnia, & ſi quid altius inveſtigare potuerit, habeat apud ſe: Fidelis enim ſpiritu, celat negotia. Theophylactus, Chryſoſtomus*, & Scholiaſtes videntur odio metuque ſuſpicionis *Ariana* declinaſſe ad donum Spiritus. Quanquam minimum intereſt, utrum dicas ſpiritum hominis afflatum à Dei Spiritu interpellare, an per tropum, Spiritum afflantem interpellare. Nos tamen *Auguſtini* & *Ambroſii* opinionem ſequuti ſumus, quod ea receptior eſſet apud Scholaſticos. Ubi ſunt igitur iſtæ blaſphemiæ, impietates, hæreſes, Philoſophiæ læſa majeſtas? in *Paulo*? Non dicet, opinor. In *Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo*? Quis feret *Beddam* ſic βλασφημεῖντα? Sed in *Eraſmo* ſunt. Atqui neceſſe eſt ut aut *Eraſmum* cum illis abſolvat, aut illos cum *Eraſmo* damnet. Eligat cenſor utrum velit. Quod ſi cupit elabi, fateatur id quod veriſſimum arbitror, ſe non legiſſe meas Paraphraſes, & abuſum verbo *percurrendi* pro *pretercurrendi*.

PROPOSITIO CLVI.

Oportet imaginari eam geminam juſtitiam: alteram cujus auctor fuerit Moſes, *alteram cujus auctor ſit* Chriſtus. *Illa conſtat ceremoniis, altera fide & obedientia.*

SVPPVTATIO.

C. Hanc de vocabulo *auctoris* calumniam oſtendi *Beddaicam* ac frivolam eſſe. Nec hîc recedit à ſua conſuetudine. Quod ego dixi imaginandum, interpretatur, quadam probabilitate tenendum ac ſuſtinendum. Sic videlicet cum in mathematicis jubeamur imaginari lineam ſine latitudine, jubemur hoc probabiliter ſuſtinere. O glorioſum cenſorem!

EX PRAEFATIONE IN EPISTOLAM I. AD CORINTHIOS.

PROPOSITIO CLVII.

De naſcentis Eccleſiæ primordiis admiror prope nihil eſſe proditum hiſtoria graviore, cui tuto poſſis credere.

PROPOSITIO CLVIII.

Dionyſius, *qui in Hierarchia ſecunda, id eſt Eccleſiaſtica, priſcos Eccleſiæ ritus ſatis copioſe deſcribit, eruditis recentior quiſpiam fuiſſe videtur quam Areopagites ille.*

SVPPVTATIO.

Ad hæc quoniam reſpondimus in Elencho, hîc tantum ſupputabimus geminam calumniam: alteram quod cum titulus habeat INGENTES ERRORES prægrandibus litteris, tamen in priore Propoſ. nullum oſtendit errorem, & veriſſimam arbitror, niſi *Bedda* præter canonicas Scripturas proferat hiſtoriam, in qua nulla ſit falſi ſuſpicio. In altera cum idem committat, admodum *Beddaice* interpretatur mea verba, *eruditis*, id eſt, *Lutheranis* & ſchiſmaticis, errorumque veterum relatoribus ac inventoribus recentium. Hi quippe ſunt, qui antiquis Eccleſiæ ritibus ac diſciplinæ derogant. Hîc iterum atque iterum in *Bedda* deſidero frontem. Cum illa ſcriberem primum *Lovanii*, nondum exierant *Lutheri* dogmata de *Dionyſio*. Proinde quî potui, dicens *eruditos*, ſentire de *Lutheranis* aut *Luthero*? Deinde cum ego in Annotationibus meis, in locis, quos citat *Clithoveum*, nominem eruditiſſimum Theologum *Guilhelmum Grocinum* & *Laurentium Vallam*, non debuit ignorare de quibus ſentirem. Poſtremo quæ congerit hîc *Bedda* de iis qui damnant ritus, ac diſciplinæ derogant Eccleſiæ, quorſum obſecro ſpectant? Eſt tale quippiam in ſcriptis meis? Ne *my* quidem. Imo nonnunquam deploro noſtram ætatem à vetere prolapſam eſſe, ac ſimplices illos priſcæ Eccleſiæ ritus alicubi deſidero: tametſi ne has quidem Eccleſiæ ceremonias unquam damnavi. C.

PROPOSITIO CLIX.

Utinam quæ Paulus *in Epiſtola ad* Corinth. *attigit ac veluti per tranſennam oſtendit, de ritibus Eccleſiæ, aliquanto copioſius & explanatim tradidiſſet!*

PROPOSITIO CLX.

Quam circumciſe meminit Apoſtolus de Euchariſtia ſive ſynaxi, veritus ne quid de tanto myſterio ſecus diceret quam oportet: de quo recentiores quidam quam illotis, ut ajunt, pedibus, quid non diſſerunt, quid non definiunt?

PROPOSITIO CLXI.

Utinam illud ſaltem aperuiſſet Paulus, *à quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus verbis conſecrari ſoleat panis ille myſticus, & ſacroſanctum Dominici ſanguinis poculum!*

SVPPVTATIO.

Et hîc mirabili artificio ſententiam unam ſecuit in multas Propoſitiones *Bedda*. Nec alibi facundior eſt in maledicendo, quam ubi ne tantulum quidem eſt cauſæ. Nam hoc meum votum non habet querelam de *Paulo*, aut indignationem adverſus Spiritum Sanctum, hæ ſunt *Beddarum* blaſphemiæ, ſed ardorem declarat plenius cognoſcendi res quas *Paulus* attigit, optat ut ſimus inſtructiores adverſus eos qui nobis de hujuſmodi rebus faceſſunt negotium. Dices inane votum eſt, ſi ſecus expediſſet ſcribere, ſuggeſſiſſet quod oportebat Spiritus. Sit inane votum, modo pium. Sic *Paulus* optat anathema fieri pro fratribus ſecundum carnem. Laudatur ejus voti pietas. Si blaſphemus eſt qui deſiderat copioſiorem explanationem in Scripturis, ego nuſquam fere non ſum blaſphemus. Prorſus hoc votum in me ſentio; nec tamen indignor Spiritui Sancto, ſed pro his quæ dignatus eſt impartiri, gratias ago. Jam quod objicit hæc optanti *Bedda*: *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit*, &c. Idem poterat objicere peccatoribus, qui optant bonam mentem, ægrotis qui proſperam valetudinem, egenis qui facultates, afflictis qui relaxationem, ſi hæſitans oret Deum ut ſibi referet Scripturæ ſenſum, quem non poteſt aſſequi. *Cur iſta optans incuſas Deum? dediſſet hæc ſi voluiſſet.* Verùm ad hoc reſpondimus & in Divinationibus, quas toties ſe legiſſe diſſimulat, non minus impudenter, quam ſe ſimulat legiſſe Paraphraſes. Nunc ſupputantes, tot numerabimus calumnias, quot impingit convitia. Prima eſt, quod me faciam ſapientiorem *Paulo* & *Chriſto*, quo quidem in loco miris ſalibus ludit, homo Gratiarum alumnus. Altera quod ſignificem *Paulum* humano ſenſu potius quam afflatu Spiritus ſcripſiſſe, cum C. C. C.

Digitized by Google

C. cum ipſe tot locis diverſum teſter. Tertia, quod, ut ait, iniquo animo feram *Paulum* tam conciſe ſcripſiſſe quædam. An qui dicit Deo, Utinam ſim liber ab his libidinum ſtimulis, indignatur Deo, quod tale corpus
C. eſſe patiatur? Quarta eſt, quod, ut ait, indicem *Paulum* veritum ne de tantis myſteriis ſecus quam oportebat loqueretur. Non dixi *Paulum* veritum, ſed quaſi veritum. Sic enim ſolent loqui de rebus arcanis, de quibus multa loqui periculoſum eſt. Speciem ſermonis indicavi, non animum *Pauli*. Et tamen apparet & *Paulum* de Euchariſtia religioſe reverenterque loquutum. Hoc cum pie dictum ſit, hinc tamen colligit manifeſtam infidelitatem meam, ego contra *Beddæ*
C. colligo manifeſtam pravitatem. Quinta eſt, quod repetens ait me taxare Spiritum Sanctum & ejus Scriptores, cum hæc cogitatio nunquam deſcenderit in ani-
C. mum meum, nec appareat in verbis meis. Sexta eſt, quod ſuggillat me quaſi totus illotus de ſacris omnibus pronuntiem, cum nemo minus attingat Scholaſticorum dogmata quam ego, & ſi quid horum incidit, nemo minus pronuntiet quam ego. De ſynaxi quam varia pronuntient diverſi, non eſt obſcurum. De verbis, quibus nunc fit conſecratio, ego ſemper acquievi in auctoritate Eccleſiæ, ſed tamen nec ex divinis Litteris, nec ex Scholaſticis Doctoribus adhuc poſſum ſatisfacere quibuſdam, qui me ſuis urgent quæſtiunculis. Quod ſi *Bedda* dignabitur explicare, plus ſibi parabit boni nominis quam ex hujuſmodi rabioſis inſectationibus.

PROPOSITIO CLXII.

Tradi hominem Satanæ tempore Pauli, *aliud non erat quam ad tempus vitari à cæteris, quo pudor ad reſipiſcentiam adduceret.*

SVPPVTATIO.

Quoniam in Elencho quod ſatis eſt reſpondi, variantibus Doctorum opinionibus, quod magis congruebat Apoſtolicæ lenitati, ſequutus ſum. Hîc tantùm
C. ſupputatorem agam. Calumnia eſt quod inſinuat, quaſi ſenſerim carnem interimi, quoties ejectus vitatur à cæteris, cum tale nihil nec dixerim nec ſenſerim, ſed interitum accepi pro afflictione quæ lædit hominem tendens ad interitum. Id planiſſime declarat mea in
V. hunc locum paraphraſis, ſi libet inſpicere. Altera eſt vanitas magis quam calumnia, quod negat ejectum habere carnis afflictionem, imaginans me carnem vocare corpus, cum carnis afflictionem appellem, temporariam afflictionem, quemadmodum *Paulus* de conjugatis loquens, *Verumtamen carnis tribulationem habebunt hujuſmodi*, & *Paulus* humanas afflictiones vocat *ſtimulum carnis*, juxta Doctorum interpretationem. Quanquam hic pudor & corpus afficit, quemadmodum omnis animi mœror. Sed nimis quam impudens calumnia eſt, quod hæc verba *ad tempus vitari*, ſic interpretatur, quaſi ſenſerim excommunicationem non eſſe perpetuam, ſi nunquam reſipiſcat peccator, cum illic reſpiciam ad mentem Apoſtoli, qui hoc animo tradebat inceſtum Satanæ ut reſipiſceret, non ad eventum. Nam illic protinus ſequitur in meis, *Quo pudor ad reſipiſcentiam adducat*. Sciebat quid ſentirem, & tamen tam ſophiſtice cenſorinus Theologus accenſus fidei zelo calumniam venatur ex verbis. Hîc cum nihil ſit occaſionis tamen calumniatur, quod me magiſtrum exaltaverim in Eccleſia, daturus pro arbitrio jus de quibus vellem. Quis minus ſe facit magiſtrum quam ego? Grammatica tractabam, ſi per *Beddas* licuiſſet. Imo *Bedda* viderit quo magiſterio inſtructus ſcripſit
C. tam inſulſas cenſuras. Nec his contentus addit extremam omnium maximam, quod ferme in omnibus *Lutheranorum* factioni ſuppetias feram. Et tamen in tot articulis, hactenus non potuit docere, vel in uno mihi cum *Luthero* convenire, niſi forte *Lutheranum* exiſtimat, plus tribuere gratiæ Dei quam noſtris operibus, plus pietati quam corporalibus exercitiis. Hæc ſi *Lutherana* ſunt, reperiet affatim in *Paulo*, & *Auguſtino*, vetus Theologiæ magiſter.

PROPOSITIO CLXIII.

Ex his, quæ Apoſtolus in Epiſtola prioris ad Corinth. Cap. VII. ſcripſit, quædam mea ſententia ſatis, ne dicam plus ſatis, mordicus tenemus, veluti de divortio.

SVPPVTATIO.

Ad hæc reſponſum & in Divinationibus & in Elencho quod ſatis arbitror. Item in ſuperioribus Propoſitionibus CXXIX. & CXXX. Nunc unam tantum annotabimus calumniam, quod hic interpretatur de divortio, cum ego quod per occupationem adjeci *plus ſatis*, ſenſerim de conjugiis perperam initis, quæ tamen valere volumus. Altera poteſt addi, quod pronomen *nos* in- C.
terpretatur Eccleſiæ Patres & Magiſtros, cum hæc verba de vulgo Jureconſultorum poſſint intelligi.

PROPOSITIO CLXIV.

Mihi purioris Chriſtianiſmi videtur, magiſque conſentaneum Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, ſi nulli certum cibi genus præſcribatur, ſed admoneantur omnes ut quiſque pro corporis habitu, veſcatur quæ maxime conducunt bonæ valetudini.

PROPOSITIO CLXV.

Superſtitionis illius, qua cibi decernuntur, exſtant hiſce temporibus non obſcura veſtigia, pleriſque bonam pietatis partem in ciborum delectu ponentibus, quos Deus creavit ad veſcendum cum gratiarum actione.

PROPOSITIO CLXVI.

Præpoſterum eſt judicium, nemo fere non gravium crimen exiſtimat, die ſabbati carnibus veſci, quam mendaci virulentia famam fratris inceſſere.

SVPPVTATIO.

Et ad hæc reſponſum eſt & in Divinationibus & in Elencho, & in ſuperioribus Supputationibus. Hîc tantum calumnias annumerabimus. Prima eſt, quod in C.
prima Propoſitione ſolita arte prætermiſit voces aliquot calumniam excludentes. Sequitur enim, *Non ad luxum, ſed ad ſobrietatem, cum actione gratiarum ac ſtudio bonæ mentis.* Utrum igitur eſt nunc purior Chriſtianiſmus, an Apoſtolorum tempore? Opinor Apoſtolorum tempore. Sed tum adeo non erat præſcriptus ciborum delectus, ut *Judaicas* etiam præſcriptiones ſuſtulerint Apoſtoli. Et tamen arbitror tum plus fuiſſe ſponte jejunantium & abſtinentium à cibis carnium pro multitudinis portione, quam nunc ſint utcunque temperantes, plerique coacte. Nec minus uſus eſt arte ſolita Propoſitionem recitans. Omiſit enim quædam ver- C.
ba quæ ſecludebant calumniam, nimirum hæc, *Paulus nullo pacto ferendum putat, utpote palam repugnans fidei ſanæque doctrinæ, quod quidam ſic ab eſu carnium abſtinerent, ut eos qui veſcerentur, pro immundis ducerent. Exſtant & hujus*, &c. His omiſſis, *Bedda* inter- C.
texuit de ſuo, *Superſtitionis illius qua cibi decernuntur*, ut lector putet me loqui de Conſtitutionibus horum temporum, cum illic agam de ſuperſtitione *Judæorum*, qui contra doctrinam Apoſtolorum judicabant proximum ex delectu ciborum per Legem præſcripto. Reliqua Propoſitio quid habet non veriſſimum? Stultam illorum fiduciam taxo, qui præcipuam pietatem metiuntur delectu ciborum, cum etiam hodie qui abſtinent non ſtatim pii ſint, & qui veſcuntur non ſtatim ſint impii. In tertia vero quid poteſt vel comminiſci calumniæ? Mundus exemplorum plenus eſt, & ſi quis urgeat præſto eſt exemplum.

Digitized by Google

Bedda, qui cum religioſe, ni fallor, abſtineat cibis vetitis, tamen tot calumniis & amarulentis convitiis inceſſit famam proximi ſui, à quo nunquam dicto laceſſitus eſt. Ut igitur hujus ſannionis dicteria, quibus ſuaviter ſibi placet homo delitioſus, omittam, primum
V. evidens mendacium eſt, me palam pronuntiare adverſus jejunia & ciborum delectum ab Eccleſia præſcriptum. Certe de jejunio nulla fit hîc mentio, & in delectu taxatur improba fiducia, ac præpoſterum judicium. Calumnioſum mendacium & hoc eſt, quod ait me palam ſubſcribere erroneæ ac ſchiſmaticæ *Lutheranorum* factioni. Conferat animal omnium bipedum impudentiſſimum, mea dicta cum dogmatibus *Lutheri*. Ego opto tales Chriſtianos quales erant priſcis temporibus, ut his hujuſmodi præſcriptionibus ciborum non foret opus: *Lutherani* docent omnes hujuſmodi Pontificum & Epiſcoporum conſtitutiones eſſe fortiter rejiciendas, cum nullum habeant jus talia præſcribendi. Quid ais cenſor, ſunt-ne hæc palam eadem? Tam eadem, quam idem eſt vitrum cum gemma. Multo vero minus ſecunda ac tertia Propoſitio convenit cum dogmatibus *Lutheranis*. Et non pudet Theologum has vocare aſſertiones, palam ſubſcribentes *Lutherano* errori! Quid enim iſte non audet dicere? Ergo cum perſpicuum ſit hîc nihil eſſe quod jure calumniari queat, vide quam impotenter debacchetur: *Cæterum*, inquit, *adverſus hæc jam me judice, non niſi ultricibus dimicandum eſt flammis. Alia prodeant arma neceſſe eſt, alioqui de Eccleſiaſtica actum eſt diſciplina, cujus ſeſe hoſtes publicitus manifeſtare non verentur*, Lutheranæ *ſectæ fautores & aſſeclæ*. Quid facies iſti rabulæ, qui cum neminem audiat, tamen ſine fronte ſine mente dicit quicquid collibuit? Si fuiſſem hoſtis Eccleſiæ, non latuiſſet Theologos *Pariſienſes*. Quid impudentius quam dicere me in his ſequi *Lutherum*, cum tum ſcripſerim adverſus eos, qui contemnunt Eccleſiæ conſtitutiones?

PROPOSITIO CLXVII.

Utinam Paulus *aliquanto plus lucis nobis aperuiſſet, qualiter exſtent animæ ſemotæ à corpore, & ubinam exſtent, an fruantur immortalitatis gloria, an impiorum animæ jam nunc crucientur, an eis ſubveniant noſtræ preces, aut alia benefacta, aut indulgentia ſummi Pontificis ſubito liberentur.*

PROPOSITIO CLXVIII.

Video multos ſuper hiſce rebus ambigere, aut certe diſputare, quod ſupervacaneum erat ſi Paulus *aperte definiſſet.*

PROPOSITIO CLXIX.

Apoſtolus ubique vafer eſt ac lubricus. Et paulo poſt, *Ipſe alicubi cordatum ac ſobrium agit virum, alibi ſumit ſibi ſtulti parumque ſobrii perſonam.*

SUPPUTATIO.

C. Habes novam Propoſitionum pompam. Ad primam & ſecundam, in quibus nihil reprehendit niſi pium ſed inutile votum, jam plus ſatis reſponſum eſt. *Bedda* vafrum non putat dici niſi in malam partem; imo pia vafricies erat, qua ſolitus eſt omnia fieri omnibus, qua *Chriſti* Divinitatem diſſimulavit apud *Athenienſes*, qua titulum aræ Dæmonibus inſcriptæ torſit ad argumentum Euangelii. Nimirum hæc eſt prudentia ſerpentis, quæ laudatur in Euangelio. De perſona inſipientis, quam ſibi ſumit cum gloriatur de revelationibus & factis ſuis, notiſſimum eſt. Nihil hîc tribuo *Paulo*, quod illi non locis aliquot tribuat *Hieronymus*. Cum hoc igi-
B. tur *Bedda* communicet impietates, blaſphemias & infidelitates, quas in me jaculatur, id cum fecerit, declarabit ſeſe blaſphemum.

A

EX PARAPHRASI EPIST. I. AD CORINTH.

PROPOSITIO CLXX.

Ego, *ait* Paulus, *Chriſtum vobis ſcopum propoſui. Si quis hujus exemplo doceat innocenter vivendum, benemerendum & de inimicis, non fidendum operibus, adſpernandos honores*, &c. *is ſtructuram addit* Chriſti *fundamento dignam. Sin humanas addit conſtitutiunculas, de cultu, de victu, de frigidis ceremoniis, deque ſimilibus rebus, quas homines comminiſci ſolent, non in rem* Chriſti, *ſed in ſuam ipſorum gloriam, aut etiam in quæſtum, ut orſi à tam nobili fundamento degenerent in ſuperſtitioſos pro piis.* Cap. III.

B

SUPPUTATIO.

Quando *Bedda* deſinet ad eundem impingere lapidem? Quod *Paulus* illic dicit in pſeudapoſtolos, qui præſcribebant Chriſtianis Phariſaicas ceremonias, adverſus quas in omnibus ſuis Epiſtolis omni machinarum genere pugnat Apoſtolus, hic torquet ad meam perſonam, & ad Pontificum conſtitutiones. Proinde juxta mentem *Pauli*, juxta Doctorum præſertim *Ambroſii* ſententiam, *aurum*, *argentum & lapides* interpretor
C doctrinam ſinceram veræ pietatis: *lignum*, *fœnum ac ſtipulam*, doctrinas ac præſcriptiones *Judaicas* pſeudapoſtolorum. Libero meipſum à calumnia, & pronuntio *Beddam* ſimpliciter blaſphemum & in *Paulum* & in B. *Ambroſium*. Hîc manifeſto ſigno colligo cenſorem *Appium* non legiſſe meas Paraphraſes. Eſt enim in Capite huic proximo locus, quem ſat ſcio plus quam tragicis clamoribus exagitaſſet ſi legiſſet. Quis ſit, prudens lector facile divinabit.

C.

PROPOSITIO CLXXI.

Non habetur dignus, ſecundum veterem Legem ſcilicet, qui veſcatur agno paſchali, niſi qui ſeptem diebus fermentum non attigerit. Cap. V.

D

SUPPUTATIO.

Ad hæc reſponſum eſt evidenter & in Divinationibus & in Elencho, ſic ut *Bedda* nihil ſit reliquum niſi pudeſcere, ſi tamen id poteſt. Cum ubique fœde labens, C. nuſquam tamen turpius delirarit *Bedda* quam hoc loco, tamen triumphabundus inſultat mihi, qui oſcitanter, qui indiligenter, qui ignoranter tractarim ſacra, ipſe non intelligens quod reprehendit. Et incuſat orationis fucandæ ſtudium, per quod factum eſt, ut ſcriberem palam adverſantia Scripturæ ſacræ. Deinde poſt
E azymorum hiſtoriam miro ſupercilio decantatam, perorat, deplorans meam incogitantiam, qui tam abſurda litteris prodiderim, occinens illud *Horatii*,

Membranis intus poſitis delere licebit,
Quod non ediderîs, neſcit vox miſſa reverti.

Ego fateor me mea omnia præcipitare verius quam edere. Sic eſt ingenium, & agnoſco culpam: ſed longe gravius *Bedda*, qui librum biennio laboratum, tot ſubſidiariis operis auxiliantibus, ante tempus emiſerit, in quo toties tam turpiter delirat, non intelligens neque quod reprehendit, neque quæ citat, neque vocem propriam. Saltem legiſſet meas Divinationes,
F non hac cenſura propinaſſet ſeipſum Orbi deridendum.

PROPOSITIO CLXXII.

Ciborum delectus ſuperſtitioſum facere poteſt, pium nequaquam. Cap. VIII.

PROPOSITIO CLXXIII.

Chriſtus *nullum ciborum diſcrimen docuit, proinde temeri-*

Digitized by Google

meritatis eſt, ſi quis homunculus conetur quenquam hujuſmodi conſtitutiunculis onerare.

PROPOSITIO CLXXIV.

Pro ſuo quiſque corporis affectu veſcatur quibus velit, modo ſobrie parceque, ſuper omnibus gratias agens Deo.

SVPPVTATIO.

En iterum Propoſitionum τριὰς, ex una ſententia,
C. *Numero Deus impare gaudet.* Et hîc ſolito artificio quod à *Paulo* dicitur de Phariſaicis Conſtitutionibus, quas abrogavit Lex Euangelica, cenſor detorquet ad *Eraſmi* perſonam & hæc tempora. Proinde quando *Bedda* pronuntiat hæc eſſe *Lutherana*, erronea in fide, ſchiſmatica, quid non? nec aliud interpretor, niſi quod ſenſit *Paulus*, ſecundum Orthodoxorum inter-
B. pretationem, ego pronuntio *Beddam* non ſemel turpiter βλασφημῶν, & in *Paulum* & in ſacros Doctores. De conſtitutionibus Epiſcoporum illic non agit *Paulus*, quæ nondum erant proditæ, ſed de præſcriptionibus
C. *Judaicis.* Itaque malitioſa calumnia, conjunxit hîc
C. *Lutherum*, *Fabrum* & *Eraſmum*. Æque malitioſa calumnia eſt, quod ait me docere cuilibet liberum eſſe quocunque tempore quibuslibet cibis veſci. Hæc toties de ſuo cerebro mentitur *Bedda*, nec pudeſcit. Ejuſdem pudoris eſt quod vocat me, (nam pro me reſpondeo) licentiæ carnalis patronum. Quid *Lutherus* doceat nulli obſcurum eſt, quid *Faber* doceat neſcio: ego certe diverſa doceo à *Luthero*, quod intelligeret *Bedda*, ſi modo legiſſet quæ reprehendit. Reliqua pete ex Divinationibus & Elencho.

PROPOSITIO CLXXV.

Cap. XI. *Sumite, edite, hoc eſt meum corpus, quod pro vobis frangitur omnibus impartiendum.*

SVPPVTATIO.

Dicas in hoc homine fontem eſſe maledicentiæ, adeo nunquam exhauritur blaſphemiis, nunquam impotentius debacchans convitiis, quam ubi nullam habet cauſam, præſertim cum ad hanc calumniam reſponderim in Divinationibus, quas ideo aut noluit legere, aut diſſimulat ſe legiſſe, ne quid deperiret calumniis, *Mala mens, malus animus.* Primum perinde agit, quaſi ſenſus Græcæ lectionis pugnet cum ſenſu Euangelico, hoc eſt, quaſi non poſſit dici frangi quod dicitur tradi. Deinde ſatis glorioſe profitetur ſe velle tueri ſenſum *Pauli.* Quem ſenſum? Arbitror *Paulum* ſenſiſſe quod nos ſentimus, corpus Domini in ſignum concordiæ indiſſolubilis, inter caput ac membra, & membrorum inter ipſa unanimitatis, diſtribui & communicari fractione ſignorum ſacramentalium, aut ſi ita loqui fas eſt, panis ſub quo latet corpus Domini. Quid igitur reſtat iſti propugnatori tuendum? Quid niſi lectio? Eam unde docet? Apud MATTHAEUM ita legimus, *Accepit panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* In MARCO ſic, *Accepit Jeſus panem & benedicens fregit & dedit eis, & ait, Sumite, hoc eſt corpus meum.* Apud LUCAM ſic, *Accepto pane Jeſus gratias egit, & fregit & dedit eis. Hæc*, inquit *Bedda, omnia ſunt verba Chriſti.* Quis negat? Verùm hæc verba magis faciunt pro lectione quam habet *Ambroſius* & Græci. Si quod plerique putant, benedicendo conſecravit, & poſt benedictionem ſequitur *fregit*, utique fregit aut panem ſub quo occultabatur corpus Domini, aut corpus ipſum in ſacramento. Certe probabile eſt Dominum conſecraſſe panem antequam frangeret ac porrigeret. Debebat potius recitare quod additur apud LUCAM, *quod pro vobis datur*, pro quo *Paulus* dixit *frangitur.* Cur autem *Bedda* tam impotenter offenditur verbo *frangendi*, cum de calice legat apud LUCAM, *accipite & dividite inter vos?* Quod *Paulus* dixit *frangi* de corpore loquens, hoc LUCAS de calice dixit, *dividite*, quoniam calix frangi non poteſt, & panem conſecratum fractum legimus antequam porrigeretur. Jam nihil obſtat quo minus accipiamus *Chriſtum* utrumque dixiſſe, *datur & frangitur*, aut *frangitur & datur*, quandoquidem hæc duo verba non pugnant inter ſeſe, imo conveniunt potius: ſolet enim frangi quod multis datur ac diſtribuitur. Qui canoni Miſſæ tribuunt parem cum Euangeliis auctoritatem, ſic excuſant, quod illic addatur *novi & æterni Teſtamenti*, cum *æterni* nuſquam legatur in Novi Teſtamenti libris. Poſtremo ipſe *Bedda* docuit nos ex
B Hymnis & Proſis *Thomæ*, pio ſenſu corpus dici frangi, quemadmodum dicitur comedi & manducari. Tanta erat cura dilatandi voluminis, ut doctorem eximium profeſſus, vulgatiſſimos Hymnos & Proſas nobis occinat. Ubi eſt igitur in mea Paraphraſi, iſta horrenda blaſphemia, quæ * intonat *Bedda*, quia *Paulum* exponens ſcripſi, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur?* Ubi eſt illa perverſa & blaſphema, quam Mundo tradidit *Eraſmus* de corde ſuo, ſententia? Oſtendi nullam eſſe blaſphemiam, quod nec ipſe negat. Sed qua fronte audet dicere, quod hanc ſententiam de promſerim de corde meo? cum Græcorum codicum
C mirus conſenſus ſit, cum ſic legant & interpretentur orthodoxi Græci Commentatores, & apud Latinos *Ambroſius*, & *Beda Anglus* huic *Beddæ* multum diſſimilis, citans hunc locum in ſcholiis quæ ſcripſit in *Lucam*, nec dubito quin vetuſtiſſimi codices inveniri poſſint in quibus reſideat germana lectio. *Chryſoſtomi* verba ſubſcribam, quoniam cum ederetur proxime Novum Teſtamentum is codex ad manum non erat: Λάβετε φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον· εἰ τοίνυν ἐπ' Εὐχαριστίᾳ προσέρχῃ καὶ σὺ, μηδὲν ἀνάξιον ποιῇ τῇ Εὐχαριστίᾳ, μηδὲ καταίσχυνε τὸν ἀδελφὸν, μηδὲ πρόσεχε πεινῶντι, μηδὲ μέθυε καὶ ὕβριζε τὴν Ἐκκλησίαν· προσέρχῃ γὰρ δι-
D καριστῶν ὑπὲρ ὧν ἀπέλαυσας. ἐκεῖνος καὶ αὐτὸς ἀμοιβὴν ἀποδίδου, καὶ μὴ ἀποχώριζε σεαυτὸν τοῦ πλησίον· καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς πᾶσιν ἐξίσης ἔδωκε λέγων, λάβετε φάγετε. ἐκεῖνος τὸ σῶμα ἐξίσης ἔδωκε, σὺ δὲ οὐδὲ τὸν κοινὸν ἄρτον δίδως ἐξίσης· καὶ γὰρ ὑπὲρ ἁπάντων ὁμοίως ἐκλάσθη, καὶ σῶμα γέγονεν ὑπὲρ ἁπάντων ἐξίσης. Vertam Latine ſi quis Græce neſciat: *Sumite edite, hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur. Itaque ſi tu quoque accedis ad Euchariſtiam, ne quid indignum feceris Euchariſtiæ, neque pudefacito fratrem, neque deſpicito eſurientem, neque ſis temulentus, neque contumelia afficias Eccleſiam: accedis enim gratias agens pro bonis acceptis. Itaque tu quoque vices repende, neque ſepares teipſum à proximo, quandoquidem* Chriſtus *omnibus ex æquo dedit dicens, Sumite edite. Ille corpus ex æquo dedit, tu vero ne vulgarem quidem panem das ex æquo:*
E *& quidem pro omnibus ſimiliter fractus eſt, & corpus factum eſt pro omnibus ex æquo.* Quo quidem loco, an pro σῶμα recte legendum ſit ψῶμα, conſideret prudens lector. Jam *Theophylacti* interpres quanquam ſuo more reddit Græca, tamen Auctoris verba ſic habent: Ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔκλασε καὶ εἶπε, λάβετε φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. ἀναμνήσθητέ φησι, ὅτι ταύτην ἐκάστην ὑμῖν δέδωκα τὴν μυσταγωγίαν, καὶ αὐτῇ τῇ νυκτὶ ᾗ ζφάτιζθ ἔμελλε, καὶ τὸ προδότην εἶχε συνεσθίοντα, καὶ σὺ ἀπαξίσας τὸν ἀδελφὸν; καὶ ἐδιδάχθης μὲν εὐχαριστῶν, ἐκ
F δὲ καρκῶν ἠνχαρίστησε, τύπον ἡμῖν διδὺς. ἀνάξια οὖν τῆς Εὐχαριστίας ποιεῖς, ὑβρίζων τὴν Ἐκκλησίαν, ἐκ πεινῶντα ἄμα αὐτὸς μεθύων. ἐκ ὁ μὲν πᾶσιν εἶπε κοινῶς, λάβετε φάγετε. ἐκ ταῦτα τὸ σῶμα αὐτοῦ, ὁ ὑπὲρ πάντων ἐξ ἴσης ἔκλασε διδὺς εἰς θάνατον. ἐκ σὺ προλαμβάνῃς ἐθίων, καὶ οὐδὲ τὸν κοινὸν ἄρτον εἰς τὸ μέσον τίθης καὶ οὐδὲ κλᾷς αὐτὸν ἵνα δοθῇ πολλοῖς, ἀλλὰ σαυτῷ κατέχεις. Id eſt, *Quoniam Dominus Jeſus in nocte qua tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit, Sumite, edite, hoc meum eſt corpus quod pro vobis frangitur. Memineritis, inquit, quod hoc ultimum vobis dederit myſterium, & eadem nocte*

* Legendum videtur, quam.

Digitized by Google

qua occidendus erat, etiam proditorem habebat convivam, & tu dedignaris fratrem? Ac doctus quidem es agere gratias, nam & ille gratias agebat, formam nobis præbens. Indigna vero gratiarum actione facis, contumelia afficiens Ecclesiam, & alio esuriente ipse temulentus. Et ille quidem omnibus dixit in commune, sumite edite, & ille quidem corpus ipsius quod pro omnibus ex aquo fregit dans in mortem, tu vero præoccupas ad comedendum, ac ne vulgarem quidem panem in commune ponis, neque frangis eum ut detur multis, sed tibi ipsi servas. Hactenus *Theophylactus*. Hic non solum dicit frangi corpus, verum etiam frangi in morte, quod à me dictum non est. Nunc accipe verba *Bedæ* Venerabilis in Caput *Lucæ* XXII. *Frangit*, inquit, *ipse panem quem porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non sine sua sponte futuram, sed sicut alibi dicit, potestatem habere se ponendi animam suam, & iterum sumendi eam.* Et aliquanto post: *Quod autem dicit, hoc facite in meam commemorationem, exponit Apostolus* Paulus, *qui cum verba ipsius poneret dicens, hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Et iterum, hic est calix meus*, &c. Ex his *Bedæ* verbis subodorari licet etiam apud *Lucam* fuisse scriptum *frangitur* pro *datur*. Nec dubito quin *Athanasius*, *Basilius*, *Nazianzenus*, cæterique probati Doctores idem legant quod hi quos citavimus, si librorum adesset copia. Certe in duabus Liturgiis, altera *Chrysostomi*, altera *Basilii*, quas nuper ex approbatione *Clementis* VII. nobis misit *Roma*, sic recitantur hæc verba, Λάβετε φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ita *Chrysostomus*: *Basilius* sic habet, Ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ Ἀποστόλοις εἰπών, λάβετε φάγετε, sicut modo recitatum est. Cum itaque sententia nihil haberet impium, imo cum congrueret mysterio Cœnæ, quam *Paulus* ob communionem omnium vocat Dominicam, nec pugnaret cum eo quod legitur apud Euangelistas, sequutus sum id quod mihi visum est probabilius. Cur igitur aliquot Latini codices habent hoc loco *tradetur*? Fieri potest ut id acciderit vitio scribarum, aut studio piorum hominum, qui voluerunt offendiculum adimere infirmis, præsertim cum *Lucas* habeat *datur*. Sunt in Libris sacris & alia quædam hujusmodi, ad quæ connivet Ecclesia. Sed dicet, cur tu non vitasti offendiculum? Partim quia mihi non placet tanti fieri paucorum infirmitatem, ut in horum gratiam mutemus aliquid in sacris Libris. Deinde mea Paraphrasis non legitur nisi privatim, ut hinc non possit esse periculum. Postremo his infirmis satisfeci in Annotationibus meis, declarans quo sensu dicatur frangi, idque quantum licuit significavi in Paraphrasi, cum ajo, *frangitur omnibus impartiendum*, tacite monens fractionem esse communem. Ac mox, *Ad eundem modum post tributum panem, & poculum sumsit in manus*, &c. In Annotationibus sic loquor: *Frangatur corpus, non quod vere frangatur, sed quod, ut ait divus* Augustinus, *per partes sumatur*. Ac mox, *Quemadmodum* Christus *à singulis comesus vivit, nec dentibus discerpitur, ita hoc quo dixi modo fractus non laceratur in partes*. Quorsum igitur attinebat ut nobis caneret Hymnum *Thomæ* aut modulatam illam Prosam? An ut rem prius inauditam nos doceret? Nam multo minus ad rem faciunt quæ recitat de corpore Domini in cruce non fracto. De ossibus non fractis legimus, alioqui corpus erat abunde laceratum virgis, spinea corona, clavis, postremo lancea. Verùm hîc divino quid acciderit. Cum *Bedda* scripsisset horrendas blasphemias, amicus aliquis submonuit illum de loco quem ex Annotationibus retuli, qui declarat me sentire, quod *Bedda* vult videri sentire. Noluit tamen aliquid tollere de prioribus convitiis, sic decrevissent censuræ, sed rem in calce mitigavit, nec id tamen absque calumnia, *Opinor autem*, inquiens, *quod nec ista inficiatur* Erasmus, *sed mobiscum ea verissima fatetur*. Opinatur quasi dubitaret, cum hoc ipsum in hunc locum litteris prodiderim. Verùm ne hic locus illi objiceretur, cujus illum aliquis admonuit, testatus est in Præfatione se non prospexisse ad Annotationes. Atqui debuit prospicere, priusquam eas blasphemias in proximum evulgaret. Locus erat in promtu distinctis capitibus. Certe postquam erat monitus ab amico, dein & schedis meis ad Theologos missis, debebat omittere tam stulta convitia, quæ non minus competunt in me quam in *Chrysostomum*, in *Basilium*, in *Theophylactum*, in *Bedam*, in *Augustinum*, in Græcos omnes qui non aliter legunt; nec tam impudenter mentiri me de corde meo protulisse, quod tot tantosque viros sequutus posui, nisi forte putabat se stipitibus scribere, non hominibus. Nec in fine desinit redire ad calumniam. Ait me litteris inclamare Mundo his repugnantia. Quibus ô bone censor? Quod os non sit comminutum ex eo? Ego de ossibus non sum loquutus, nec de carne lacerata, sed de distributione corporis Dominici in Sacramento. Quibus igitur? Quæ nos docuit ex *Thoma*, fractionem esse signorum non ipsius corporis? Hoc ipsum dilucide explicui etiam juxta *Thomæ* sententiam. Habes censuram mendaciis, calumniis, blasphemiis & convitiis differtam.

PROPOSITIO CLXXVI.

Christus *redivivus multis se conspiciendum præbuit: Primum* Cephæ, *deinde duodecim illis:* Et paulo post: *Deinde conspectus Apostolis omnibus, non tantum illis duodecim, à quibus primum ortum Apostoli cognomen in plures derivatum est.* Cap. XV.

SUPPUTATIO.

In Divinationibus, Elencho & Annotationibus in Novum Testamentum, declaravi perspicue ex auctoritate *Augustini* & aliorum, sinceriorem lectionem esse *duodecim* quam *undecim*, quod numerus Apostolicus in duodecim illis consecratus, maneat etiam in undecim aut in decem. Eoque *Ambrosius* addit articulum *illis*, ex quo suspicari licet illum legisse *duodecim*. Porro vim articuli diligenter annotat *Augustinus* τοῖς δώδεκα, *illis duodecim*, ne de quibuslibet numero duodecim possit intelligi. Sed numerus duodenarius celebratus erat, non undenarius. Dabo simile: Erant *Romæ* Decem-viri præfecti condendis Legibus, erant Centum-viri judices. Ex hoc numero etiamsi quis intercidisset, tamen ante novum suffectum Decem-viri, & Centum-viri dicebantur. Et ad sensum nihil refert, utrum legas *undecim*, an *duodecim*. Hoc cum in propatulo sit, non potest esse obscura calumniosa vanitas *Beddæ*, qui scribit me de meo capite *duodecim* posuisse pro *undecim*.

Præterea quicquid hîc calumniarum & convitiorum congerit in me, totum competit ex æquo in divum *Augustinum*, *Chrysostomum*, *Theophylactum* & *Thomam*, ut de cæteris taceam. Quin & ipse *Beda*, non hic censor sed doctus ille ac pius, legisse videtur *duodecim*, ut conjicere licet ex *Augustini* Commentariis quæ adjecit. Hos igitur cum sim sequutus, falso dicit Anti-Beda *Bedda*, me de meo capite falsitatem historiæ somniasse, & insignem illam culpam debebat saltem cum tot probatissimis viris facere communem. Nec hac tam impudente calumnia ne dicam blasphemia contentus, addit aliam. Ut exprimam differentiam inter reliquos discipulos, & selectos illos duodecim, dico, *Conspectus discipulis omnibus, non tantum illis duodecim à quibus primum ortum*, &c. quandoquidem hoc loco typographorum incuria pro *discipulis* comperi positum *Apostolis*, duntaxat in Editione *Frobeniana* cui non adfui, nam prima facta est *Lovanii*. Hoc *Beddam* latere non potuit. Quid enim stultius quam bis dicere *Apostolis omnibus?* Etenim qui dicit decem digitos manuum, cum non sint plures, omnes digitos dicit. Aut quis adeo rudis est sacræ Historiæ, ut existimet ante adscensionem fuisse plures Apostolos duodecim? Vehe-

Digitized by Google

hementer autem iniquum fuerit, ſi *Bedda* velit à nobis præſtari quicquid Typographi regionibus à nobis ſemoti deſignant in lucubrationibus noſtris, cum id *Bedda* nequiverit in ſuis cenſuris, cum tot ſit uſus manibus, auribus & oculis ſubſidiariis. Imo nos ipſi vitare non poſſumus, quin aliquando labatur calamus. Hîc rurſus apparet. *Beddam* admonitum fuiſſe de iis quæ ſcripſi in Annotationibus, ad quas noluit proſpicere, ne quid decederet calumniæ, & admonet in *duodecim* eſſe figuram ſynecdochicam, alioqui mentiretur Apoſtolus. Vide quantum valeat Grammaticorum figura! liberat *Paulum* à mendacio. Sed quare non patitur me quoque liberari eadem figura? Hîc ſubito Paraphraſis fit Commentarius, *Debebas*, inquit, *explicare*. Hoc feci quatenus licuit in Paraphraſi, exprimens articulum, *duodecim illis*. Quod niſi fateor me perperam uſum officio Commentatoris, hæreticum ſenſum agnoſcam oportet. O dilemma terribile! Paraphraſis eſt Commentarii genus, ſed minus liberum, meam perſonam interponere non licuit, & quod erat ſcrupuli diſcuſſi in Annotationibus.

PROPOSITIO CLXXVII.

Ita conditus eſt Adam, *ut anima beneficio viveret, ſed ita ut anima illata corpori craſſo nihil ageret niſi per organa corporis.*

SVPPVTATIO.

Hic per *Beddam* revocamur ad eorum recordationem, quæ puer natus annos quindecim didici, an anima dum eſt in corpore, quicquam agat ſine corporeis adminiculis. Ac ne gladium in tenebris ventilemus, primum ab hoc ſermone ſecluſum volo ſi quid patitur aut agit animus humanus afflatu divini Spiritus. Deinde pono totum corpus eſſe inſtrumentum animæ, cui connexa eſt, & inſita, cujuſque affectione ſimul & ipſa ſegnius aut rectius exſerit vires ſuas, etiam interiores. Aſſumo præterea duplices eſſe vires animæ, ſive affectus, ſive ut quidam vocant ſenſus: exteriores, quod genus ſunt, viſus, auditus, guſtus, olfactus, tactus; interiores, ut amare, odiſſe, iraſci, concupiſcere; & his etiam interiores, imaginatio, memoria, & reminiſcentia: omnium intima eſt, τὸ νοεῖν, id eſt, *intelligere*, unde & ſumma pars animæ minime obnoxia materiæ Græcis dicitur ὁ νῦς. Jam ut conſtat totum corpus eſſe totius animæ organum, ita ſine controverſia, ſingulæ vires habent in corpore certam ſedem & organum, ut viſus organum eſt oculus, iræ cor, concupiſcentiæ hepar, aut aliud ſimile. Nam rationi *Plato* ſedem tribuit in cerebro. Sic & imaginatio, & intellectus communis, & memoria ſuas habent in cerebro cellulas. De ſolo intellectu dubitat *Ariſtoteles*, an habeat aliquid cum corpore commune. Sic enim habet *Ariſtoteles*, Libro *de anima* 1. *Eſt enim de affectibus animæ dubitatio, utrum omnes communes ſint cum eo, quod continet animam, an ſit & ipſius animæ proprius aliquis.* Ac mox: *Atqui plurimi ſunt, quorum ſine corpore nullum, aut agere aut pati videtur, aut iraſci, conſidere, cupere, omnino ſentire. Maxime autem ipſum intelligere, proprio ſimile eſt. Quod ſi hoc etiam imaginatio ſit quædam, aut ſine imaginatione non ſit, nec iſtud eſſe ſine corpore poteſt. Si igitur operationum animæ vel affectuum aliquis proprius ſit ipſius, fieri poteſt, ut ipſa anima ſeparetur: Sin vero nullus ſit ejus proprius, non ſeparabilis eſt*, &c. Hîc palam eſt *Ariſtotelem* in dubio relinquere, an animus intelligat aliquid ſine corporis adminiculo, & videtur in hanc ſententiam propenſior, ut quando intelligere nihil aliud eſt quam imaginari, aut certe ſine imaginatione non eſt intellectio, (phantaſmata vero corporalia quodammodo ſunt, quod à ſenſibus corporum accipiuntur) nullus ſit affectus animæ ſine corpore. Hîc illud interim ſuperioribus adjiciendum, biſariam accipi organum. Eſt enim quoddam in ipſo corpore, ut oculi, aures, &c. Eſt aliunde ſumtum, ut rerum phantaſmata, ſine quibus non intelligit anima donec eſt in corpore. Hanc igitur dubitationem ut alias frequenter repetit, ita renovat Libro III. in quo jam definiendum erat quid ſentiret de ſingulis. Inter alia multa ſic loquitur: *Dubitabit autem non injuria quiſpiam, quonam modo intelligit intellectus, ſi ipſe quidem ſimplex ſit, ac paſſionis expers, nihilque habeat cum ulla prorſus commune, ſicut* Anaxagoras *aſſerit, intelligere autem pati quoddam ſit.* Ac mox: *Præterea ambiget quiſpiam, ſi ipſe etiam intelligibilis ſit.* Quare ſi uſque adeo conſtat intellectum non uti corporeis adminiculis, cur toto opere dubitat *Ariſtoteles*? Intelligimus Deum & ſubſtantias ſeparatas, ipſam animam, & formas ſubtractas à materia, ſed non ſine imaginibus rerum ſenſibilium. Jam ut extra controverſiam eſt, oculo vitiato minus videre animam, organo memoriæ vitiato minus meminiſſe, organo imaginandi vitiato minus recte contemplari rerum imagines: ita non abſurdum videtur, ſi quis dicat organo intellectus vitiato minus intelligere animam, licet animæ ſubſtantiæ nihil decedat. Alioqui cur in pueris quodammodo dormit intellectus, in juvenibus viget, in ſenibus poſtremus quidem omnium, ſed tamen aliquando deficit? Poſtremo ſi hæc pars nihil habet commercii cum corpore, cur aliter intelligit anima ſemota à corpore, aliter juncta corpori? Deinde quid ſibi vult quod cum ſit in Scholis jactatiſſimum, nobis velut inauditum occinit, *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu?* & oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari: niſi idem quod ego dico, animam dum eſt in corpore quicquid agit, aliquo modo per organa corporis agere: Sive quod habet partem corporis propriam velut officinam, ſicuti memoria, ſive quod utitur adminiculis ſenſuum tradentium phantaſmata, ſive quod eſt illigata corpori, cujus affectionibus gravatur, quemadmodum teſtatur & Sapientia, *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Quanquam illic non proprie loquebar de ſpeculabilibus, ſed de affectionibus animæ, quæ miniſtrant occaſionem peccandi, ob corpus terrenum. Audivit *Eva* Serpentem, & credidit, vidit pomum, & concupivit, *Adam* amore conjugis pertractus eſt in culpæ conſortium. De hujuſmodi ſentiebam affectionibus, quibus homo ſollicitatur ad peccandum, & quas habet propemodum cum brutis animantibus communes. Quanquam autem probabile eſt eandem eſſe ſubſtantiam, quæ in nobis ſentit, concupiſcit, meminit & intelligit, tamen ſicut ab anima dicitur animal, ita fere vocant animam juxta affectus qui nobis ſunt cum brutis communes, intelligendi vim appellant λόγον, id eſt, *rationem*, ſive νῦν, hoc eſt, *mentem*, quam vocem noſtri ſæpe vertunt *ſenſum*. Quin & *Paulus* dividit affectus hominis in tres partes, in *animam, carnem* & *ſpiritum*. Idem *animales* homines appellat, qui ducuntur humanis affectibus, & corpus his obnoxium affectionibus vocat *animale*. Similiter & *Jacobus* appellat *animalem* ſapientiam quæ caret ſpiritu Dei, ſed tumet humanarum rationum fiducia, & *Judas animales* dicit, ſpiritu vacuos. Oportebat itaque cenſorem ex tenore ſermonis mei perpendere quid illic agerem, nec ignorare Linguam divinæ Scripturæ. Nunc nihil aliud ſpectavit quam *Ariſtotelem*, qui de præcipua animæ vi toto de anima opere dubie loquitur. *Paulus* ſignificanter diſtinguit animam viventem prioris *Adæ*, & ſpiritum vivificantem poſterioris. *Bedda* objicit non fuiſſe cauſam, cur hanc ſententiam adferrem in medium. Imo expono verba Pauli, *Primus homo factus eſt in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Ac mox: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Me porro loqui de corporis cupiditatibus declarant hæc mea verba: *Adam ille prior ut de limo factus erat, ita terrenis affectibus fuit obnoxius.* Ac mox: *Conditus eſt primus Adam ut ani-*

animæ beneficio viveret, &c. At intellectus non dat vitam, sed anima vegetabilis ac sensibilis. Vides quot modis absim ab eo quod impegit *Bedda*.

Propositio CLXXVIII.

Non omnes morituri sumus : nam fortasse dies ille ultimus nostrum aliquot vivos deprehendet.

Svppvtatio.

Ad hanc calumniam respondi pridem *Eduardo Leo*, item in Divinationibus & Elencho, rursus peculiari Libello in hoc composito, postremo in Annotationibus in Novum Testamentum. Illic ajo sacros Ecclesiæ Doctores, *Ambrosium*, *Augustinum*, *Chrysostomum*, *Theophylactum*, *Origenem*, *Tertullianum*, Scholiasten Epistolarum *Hieronymi*, *Petrum Lombardum* fuisse in hac sententia, ut aut sequerentur lectionem, quam ego sequor in Paraphrasi, quæ mihi videtur germana, aut putarent esse liberum utramvis sequi lectionem. Id aperte prædicat *Augustinus* in Libro *de Dogmatibus Ecclesiasticis*, & repetit ad *Dulcitium* Quæstione tertia.
C. Adversus hos igitur *Bedda* pronuntiet sententiam, eos errare in fide, aut me cum illis absolvat.

Ex Epistola ad Galatas.

Propositio CLXXIX.

Cap. IV. *Quemadmodum* Judæi *pro tempore crassa religione vel superstitione magis cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberentur, ita vos cum Deum verum ignoraretis, ex majorum instituto coluistis Dæmones.*

Propositio CLXXX.

Propior videtur Religioni, qui falsa Religione tenetur, quam qui prorsus credens nullum esse Numen, nullo Religionis affectu tangitur.

Propositio CLXXXI.

Nec Judæis *imputatur, quod pro ratione temporis majorum institutis servierint, nec vobis imputatur cultus simulacrorum, quæ rati numen habere per errorem adorastis.*

Propositio CLXXXII.

Inexpiabile flagitium est, post cognitam veritatem ultro ad pristinum errorem relabi.

Svppvtatio.

Habes lector ex una sententia Propositionum quadrigam. Si quis constuprasset Vestalem virginem, arbitror satis exactum pœnarum, si tantas, tam morosas, ineptas & indoctas calumnias legere cogeretur. Ad hanc censuram videor mihi satis respondisse in Elencho.
C. Nihil hîc supereſt nisi Supputatio. Primum quod à me dictum est de Legis abrogatis per Euangelium ceremoniis, *Bedda* calumniose detorquet ad totam Legem. Agit enim illic *Paulus* cum *Galatis*, quos pseudoapostoli revocabant ad circumcisionem, cæteraſque Legis præscriptiones, declarans illis jam nihil opus ad salutem quæ per fidem Euangelicam præstaretur & *Judæis* & Gentibus, nec habita ratione prioris *Judaismi*, nec prioris Paganismi. Cæterum *Judæi* velut infirmi, de vulgo Gentis illius loquor, detinebantur sub Lege, veluti sub pædagogo, donec veniret uberior Euangelii gratia. Cultus igitur Legis, hoc est, victimæ pecudum & similia, versa sunt in victimam spiritualem, longe puriorem & efficaciorem illis omnibus. Cæterum falsa Gentium Religio mutata est in veram Religionem. *Judæorum* crassiorem cultum indicat *Paulus* his verbis : *Et nos cum essemus parvuli sub elementis*
A *Mundi eramus servientes*, *At ubi venit plenitudo temporis*, &c. Paganismum excusat his verbis, *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt Dii serviebatis. Nunc cum cognoveritis Deum*, &c. Ex his constat me non de tota Lege loqui, sed ceremoniis abrogandis, in quas retracti fuerant aliquot *Galatæ*. Id cum *Bedda* satis aperte declarare potuerit ipse Paraphrasis progressus, tamen dissimulat, nisi quod vero propius est, arbitror illum non legisse, sed tantum in Propositiones, quas illi suppeditavit aliquis, declamare, in tenebris *Andabatarum* more gladium ventilantem. Unde non mirum si cum ignoret quibus de rebus agatur, pronuntiet blasphema & hæretica, cum
B antea docuerimus, & Legem mortis recte dici, & Legem mandatorum carnis, & Legem infirmam & imperfectam, & Legem occidentem juxta litteram. Porro cum carnale dicam id quod crassius est minusque spirituale, quid vetat hoc Legi tribuere? cum in novæ Legis mandatis sint quædam crassiora, quædam magis spiritualia : velut in baptismo maxime crassa sunt, aqua, sal, unguentum, minus crassa, voces quibus peragitur baptismus, spirituale, vis purificationis à Spiritu Sancto proficiscens : atque hæc Theologi distinguunt formæ & materiæ nominibus. Idem dici potest & de Eucharistia, in qua sunt signa sacramentalia, est corpus Dominicum, est sumtio corporalis, quæ tamen
C nihil prosunt, nisi accedat illud quod est maxime spirituale. Et unde sic miratur *Bedda* vetus Theologus, quod Legem, qua parte erat antiquanda, dixerim crassam & carnalem ad collationem Euangelii spiritualis? Quis vero nescit Legem fuisse sanctam & immaculatam, aut quis negat Prophetas fuisse spirituales? Sed ille maxime spiritualis *Esaias*, quomodo clamat in sacrificia jejuniaque *Judæorum* carnalium ? De vulgo *Judæorum* agimus, non de Prophetis aut spiritualibus, quorum erat mira paucitas. Cæterum cum in Scripturis Sacris crebro diversa prædicentur de eodem, velut illud quod *Paulus* vocat Legem bonam, sanctam & immaculatam, quam alicubi vocat Legem mortis, Legem imperfectam,
D & non valentem justificare : per *Ezechielem* Cap. xx. vero sic loquitur Dominus, *Et ego dedi eis præcepta non bona, judicia in quibus non vivent ;* & alia id genus innumera : pulchre nobiscum agetur, si quoties nos in Paraphrasi pro loco, quem exponimus, dicimus quod illi congruit, aliquis ex loco diversa loquente proferat calumniam hæreseos & blasphemiæ. Lex igitur juxta litteram crassa est, juxta sensum mysticum spiritualis est : juxta ceremonias abrogatas carnalis, juxta id quod illis adumbratur spiritualis : juxta præscriptiones erat Lex mortis, juxta fidem in *Christum* & gratiam, erat Lex vitæ : religiosa erat intelligentibus mysterium, superstitiosa qui tantum in illis observatiunculis collocabant justitiam. Quid enim superstitiosius iis quæ
E præscribuntur de exploranda lepra, & de delectu ciborum, de ritibus sacrificiorum, si nihil aliud spectes quam rerum superficiem ? Itaque superstitio est in his qui hærent litteræ Legis, non in ipsa Lege.

Pergit calumniari, negans illam Legem ob hoc *præcipue* C. datam *Judæis*, ne prorsus ab omni religione dilaberentur. Quis dixit, *ob hoc præcipue datam?* Hanc vocem, *præcipue*, *Bedda* de suo cerebro addidit, quo locus esset calumniæ. Hoc si sibi permittat, reperiet & in Precatione Dominica quod calumnietur, nedum in humanis scriptis.

Subest hîc & altera calumnia, quod Legem accipit C.
F pro tota Lege, cum ego non agam nisi de circumcisione, victimis & similibus. Si *Bedda* negat has hostiarum ceremonias in hoc quod dixi datas, audiat *Hieronymum* in *Esaiam* Cap. I. *Hostia ergo*, inquit, *& immolatio victimarum, non principaliter à Deo quæsita sunt, sed ne idolis offerrentur, & ut de carnalibus victimis quasi per typum & imaginem ad spirituales hostias transiremus*, &c. Item in *Ezechielem* Cap. xx. *Potest & hoc dici, quod ante offensam Decalogum tantum acceperint, post idololatriam vero & blasphemiam multiplices Le-*

Digitized by Google

Legis ceremonias, ut Deo potius offerrent victimas, quas Dæmonibus offerebant, & comparatione ſacrilegii, levius fieret quod non erat per ſe bonum, & nequaquam malum, quia Deo offerebatur: & tamen non bonum, quia boni auctorem offenderant. His ſimilia multis verbis inculcat *Chryſoſtomus* in concionibus adverſus *Judæos*. Leviculum eſt quod adjicit, nullam Nationem prorſus caruiſſe Religione, cum fuerint & Philoſophi qui negarint eſſe ullos Deos. Nam quod *Paulus* ſcripſit de Gentibus, quæ naturaliter quæ Legis ſunt faciunt, non loquitur de religione, ſed de moribus.

C. Verùm demus nullam fuiſſe Gentem, quæ vacaverit in totum Religione, quid ad me, qui hîc religionem appello cultum veri Dei? Et nullam religionem B appello, cultum Dæmonibus exhibitum. Ritus quidem cum Gentibus communes permiſſi ſunt *Judæis*, mactationes pecudum, lotiones, ſuffitus, adſperſiones ſanguinis, ne his negatis, plane cum Gentibus ſacrificarent idolis. Quæſo te, lector, quid hoc homine calumnioſius, qui ſe putat eſſe mirum Theologum, quod ſubinde crepat hæreſes, ſchiſmata & blaſphemias? Arrodit quod ſcripſerim, mihi videri propiorem eſſe veræ Religioni, qui falſa Religione tenetur, quam qui nulla, falſum appellans & inopinabile. Atqui *Ariſtoteles* putat ſanabiliorem in quo conſuetudo tantum corrupta eſt, velut in incontinente, quem *ἀκόλαστον* appellat, cum ratio ſit incorrupta, quam eum qui quodam- C modo natura incontinens eſt habens & rationem corruptam: hunc vocat *ἀκρατῆ*, Interpres vertit *intemperantem*. Et inter elementa ſymbolo quopiam cognata, facilior eſt tranſitus. Pro nobis facit & naturæ ſenſus: propior eſt perfecto partui, quæ cum viro congreſſa abortit, quam quæ nihil gignit: & vicinius eſt ſanitati corpus febricitans, quam corpus mortuum: & vicinius eſt animanti ovum jam putreſcens, quam ovum inane. Qui credebant à *Jove* Mundum hunc adminiſtrari, per varios Deos, non magno negotio poterant adduci, ut pro *Jove* crederent verum Deum, pro Diis minoribus Angelos. Unde & *Paulus* ſubito mutatus eſt, quod er- D raret non affectu, ſed judicio. Hîc ſcilicet erat tempus ut *Bedda* nobis occineret illud *Quintiliani*, *Graviorem eſſe dedocendi quam docendi laborem*. Et obiter me ſuggillat, quod in *Quintiliano* ſim aliquando verſatus. Fateor, nec me pœnitet, quod ſi idem feciſſet *Bedda*, nunquam tam inſulſis & inconditis cenſuris ſeipſum doctis omnibus deridendum propinaſſet. Cæterum ut agam quod eſt in manibus, non hîc agitur de diſciplinis, quæ per habitus parantur, ſed de perſuaſione. Ibi habitus habitu mutandus eſt, hîc fundamento ſubſtrato ſuperſtruendum eſt. Bonam religionis partem habet, qui credit quendam eſſe ſummum omnia pro ſuo arbitrio moderantem, qui credit eſſe ſubſtantias incor- E poreas & immortales, ſummo illi Principi ſubſervientes. Nihil ſupereſt niſi ut huic addas, qui ſit ille ſummus, quæ ſint illæ ſubſtantiæ, & quibus ritibus ſummus ille coli poſtulet. *Paulus* apud *Athenienſes* ex ara, Ignoto Deo inſcripta, gradum ſumit ad prædicandum Chriſtum, *Ego*, inquit, *quem ignotum colitis, vobis notifico*. Non hîc locum habet quod dixit *Fabius*, tametſi id quoque facete dictum eſt magis quam vere: *Reperit cauſam, qua plurimum mercedis extorqueret ab omnibus*. At *Auguſtinus* fatetur multo minus eſſe negotii in catechiſandis Philoſophiæ peritis, quam illitteratis: ſed tamen ſi locum haberet uſquam, locum haberet in eo qui conaretur *Beddam* docere Grammatice rhe- F toriceque dicendi rationem. Et hoc nugamentum trahit ad negotium fidei.

C. Nondum finis calumniarum, taxat quod *Judæorum* ceremonias appellarim *inſtituta majorum*. At *Bedda* non intelligit, quæ ſint inſtituta. Inſtitutum eſt vitæ genus, quod quis vel ratione ſuſcepit, vel ab aliis traditum accepit. An ideo non poteſt dici hujus aut illius, *Franciſcani* aut *Dominicani* inſtitutum, quod ipſe non fuerit auctor ejus vitæ, ſed *Franciſcus* aut *Dominicus*? Ita nihil vetat dici *inſtituta majorum*, quæ ipſi à majoribus accepta, poſteris ſuis tradiderant, quanquam Deus fuit principalis auctor. Sic & *Moſi præcepta* dicuntur quæ populo tradidit, ſed accepta à Deo. Quanquam hîc non tantum loquor de iis quæ præſcripſit Lex *Moſi*, verùm de his quoque quæ Scribæ & Phariſæi præſcribebant, inter quæ referuntur plurima ridicula & ſuperſtitioſa; tamen hæc vulgus *Judæorum* obſervabat.

Sed intolerabile eſt ſcilicet quod *Judæorum* ceremonias ex æquo confero cum idololatrarum ſuperſtitioſa religione. Imo *Bedda* calumnioſe depravat mea dicta. C. Ego perſpicue doceo nihil referre ad gratiam Euangelicam omnibus paratam, utrum accedas ex *Judaiſmo* cum obſervatione ceremoniarum, an ex Paganiſmo liber ab illis. Pagano non imputatur idololatria prior, *Judæo* non imputatur illarum ceremoniarum obſervatio ad ſalutem, ſed fides. Quod autem *Bedda*, *imputatur*, exponit duobus verbis *ad culpam*, ſuo more facit. C. Nam *imputare* generale verbum eſt, quemadmodum *acceptum ferre*, quod in bonum, in malum & in neutrum accipitur. Veluti cum dicitur, quod in itinere impenſum, ne imputes huic ſummæ, aut mihi imputa, non patri. Quod ſi *Judæo* imputaretur obſervatio ceremoniarum, non juſtificaretur ex fide, ſed ex operibus Legis, quod *Paulus* negat, nec admitteretur ad Euangelii gratiam qui leges eas neglexiſſet. Hîc ſcilicet erat locus declamandi quantopere Deus oderit idololatriam.

Supereſt una calumnia, quod *inexpiabile* crimen dixi, C. pro graviſſimo, vixque condonando, in quo quoniam *Pauli* ſententiam refero ex Epiſt. ad *Hebr. Impoßibile eſt enim*, &c. debebat ſic interpretari mea verba, quemadmodum interpretatur eum Apoſtoli locum. Etſi dixiſſem abſque tropo, quid aliud dixiſſem, quam quod ex Euangelicis dictis ſunt interpretati Doctores veteres pene omnes, excepto *Auguſtino*, qui ſenex novum commentum reperit? Verùm ad hæc ante reſpondimus in Divinationibus, cum ageremus de peccato in Spiritum Sanctum.

Sapit & hoc calumniam, quod meum, *ſit*, vertit in C. ſuum *eſt*, quaſi nihil interſit inter *ſit δυνητικὸν* & *eſt ἐνεργητικόν*. Verùm hîc cauſabitur inſcitiam Linguæ Latinæ, quam illi facile condonabimus, modo ne talibus utatur enthymematis, quale hoc eſt, Ego *Bedda* non intelligo ſermonis proprietatem, ergo *Eraſmus* erravit in fide.

PROPOSITIO CLXXXIII.

Beneficii Chriſti *participes eſſe non poſſunt qui diffidunt: nam ſoli fidei datur, non meritis.*

SVPPVTATIO.

Si hæc Propoſitio eſt *Lutherana*, *Paulus* multis in C. locis eſt *Lutheranus*. Loquor iſtic de iis qui accedunt ad Euangelium, deque obſervatione ceremoniarum Legis. Unde *Judæi* ſuis meritis adſcribebant ſalutem, obſcurantes gratiam Euangelii. Sic ordior hunc locum: *Etiamſi vere creditis ab hoc perfectam ſalutem præſtari poſſe, cur accerſitis circumciſionem? Sin diffiditis, nondum agnoſcitis beneficium* Chriſti, *cujus*, &c. Explano enim quod Apoſtolus dicit, *Nos enim ſpiritum ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus*. Spiritum opponit ceremoniis, fidem opponit fiduciæ ſervatarum ceremoniarum. Sed offendit additum *ſoli? Soli* non excludit futura opera, C. de quibus mox *Paulus*, ſed fides quæ per caritatem operatur. Cæterum ſi ad rationem gratiæ Euangelicæ, neque præputium eſt aliquid, neque circumciſio, quid remanet niſi ſola fides?

PROPOSITIO CLXXXIV.

Lex Moſi *non præcipit, ut pro capite amici tuum caput opponas, ut tuum defraudans genium, fratris inopia ſubvenias, ut firmus infirmo, doctus indocto, melior deteriori obſecundes, & tamen hoc imperat caritas.*

PROPOSITIO CLXXXV.

Quicquid verboſiſſima Lex innumeris præceptis cona-

Digitized by Google

tur efficere, id totum unico brevique sermone completur, nimirum hoc quem legimus in Levitico, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

SUPPUTATIO.

Ad hanc calumniam respondimus & in Divinationibus & in Elencho. Tantum hîc supputabimus. Objicit quod ipse mecum pugnem. Quî sic? Quia scripsi *Mosaicam* Legem non exigere, *ut pro capite amici tuum caput opponas, ut tuum defraudans genium, fratris inopiæ subvenias*, &c. Fateor. Et tamen subjicio ex Levitico, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Hîc medius tenetur *Erasmus*, hîc triumphat *Bedda*. Quid ni? Non hîc excutio quod *Judæi* proximum interpretantur ejusdem Gentis, aut amicum hominem, secus quam Christiani. Utcunque interpreteris Levitici præceptum, exigit æqualitatem amoris, aut similitudinem potius: caritas plus imperat, ut quis etiam pro inimico servando suam salutem exponat periculo. Sed agit *Bedda* Scripturis: *Qui diligit*, inquit, *proximum, legem implevit*. Quam legem? *Non occides*, &c. At caritas plus præstat ultro quam exigit Lex. Ita secum *Erasmus* pugnat, ut *Bedda* sit delapsus ἀπὸ τοῦ. Hîc cum pie sim loquutus, tamen subito fio *Manichæus*, quia dixi Legem verbosissimam, nimirum sequutus *Paulum* quem explano. Is enim ait, *Omnis enim Lex in uno sermone impletur, Diliges proximum*, &c. Si Lex collata ad tam pauca verba non est verbosissima, mentitus est *Erasmus*: Sin est, tot præcepta congerens, toties eadem repetens & inculcans, calumniator est *Bedda*. *Paulus* ad *Rom.* XIII. scribit, omnia Legis præcepta hoc uno brevissimo dicto ἀνακεφαλαιοῦσθαι, id est, recapitulari. Idem IX. *Verbum enim breviatum faciet Dominus super terram*. *Bedda* putat verbosos tantum dici, quemadmodum ipse verbosus est in suis scriptis. At non ferunt aures *Beddæ*, Deum dici verbosum. Deus non eget verbis, sed nostra durities multis præceptis, promissis, minis, blanditiis egebat, ut obtemperaremus. Sic Deus dicitur indignari, minitari, blandiri, quemadmodum dicitur verbosus loquens in Prophetis. Quanquam Deus à me nusquam dictus est verbosus, sed Lex. At Lex à Deo, fateor, & hyems à Deo, non tamen ideo frigidus Deus: periculum est, ne quoniam in Scripturis Deo frequenter tribuitur furor & ira, colligat Deum esse furiosum ac bilio sum. Quid vero prodigii, si Deus nostræ duritiæ semet attemperans multa loquutus est cum nostra causa factus sit homo? Proinde convitia, quæ hîc congerit, meræ calumniæ sunt.

EX PRAEFATIONE IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

PROPOSITIO CLXXXVI.

Paulatim ad Theologiæ patrocinium magis ac magis adhiberi cœpit Philosophia, primum Platonica, *mox* Aristotelica. *Cœptum quari de multis, quæ vel ad mores, vel ad cœlestium rerum speculationem pertinere videbantur. Quæ res primum visa est propemodum necessaria. At sensim eo succrevit, ut plerique neglecta Linguarum ac politioris litteraturæ peritia, imo neglectis divinis Voluminibus, in curiosis, supervacaneis, & immodicis quæstiunculis velut ad Sireneos scopulos consenescerent.*

PROPOSITIO CLXXXVII.

Jam ars esse cœpit Theologia potius quam sapientia, Theatrica verius quam ad veram pietatem accommoda.

PROPOSITIO CLXXXVIII.

Hanc (scilicet Scholasticam Theologiam) *præter ambitionem & avaritiam, vitiarunt & aliæ pestes, adulatio, contentio ac superstitio, quibus rebus tandem eo ventum est, ut* Christus *ille purus, propemodum esset obrutus humanis cogitationibus, ac limpidissimi quondam Euangelicæ doctrinæ fontes,* Philistæorum *scrobe oppleti, divinaque Scripturæ certissima regula, nunc huc nunc illuc detorta, nostris serviret affectibus magis quam gloriæ* Christi.

PROPOSITIO CLXXXIX.

Quidam pia mente conati sunt Orbem ad pristinam studiorum simplicitatem revocare, atque à lacunis jam fere turbidis, ad vivas illas ac purissimas scatebras reducere. Eam ad rem conficiendam, Linguarum ac bonarum, ut vocant, litterarum cognitio visa est in primis conducere, quarum neglectu videmur huc prolapsi.

SUPPUTATIO.

Ad hanc veterem querimoniam quoniam plus satis responsum est, & in Divinationibus & in Elencho, non demorabor pluribus lectorem. Tantum hoc annotabo, me hîc debere *Beddæ*, quod in Catalogo mihi primum tribuit locum, *Erasmus*, inquiens, *Luther*, & *Faber*. Quod ait actum de libris *Lutheri*, quam sit verum nescio, quandoquidem tot millia voluminum excuduntur, ac distrahuntur omnes. De meis lucubrationibus quid sit futurum Deus novit. Quid *Bedda* moliatur nemo nescit, cujus judicio quid tribuendum sit, judicet prudens lector, quando censet ea quæ nunquam legit, & si legeret non intelligeret, præsertim cum in tot articulis nullum adhuc offendere potuerit adversari pietati. Deinde si stylus ille humilis tam appositus est ad discutiendas quæstiones, cur ipse non utitur eo? Nunc enecat lectorem operosa balbutie, multoque molestior est, quam si *Gersonico* stylo loqueretur. Me de Theologis Scholasticis non male sentire, declarat quod in scripturis meis tam multos nominatim prædico, quodque mihi cum multis est arctissima perpetuaque necessitudo. Quod si Theologicum ordinem capitali prosequerer odio, non optassem alium eventum, quam ut *Bedda* tales emitteret libros. Nunc pudet me, rogoque mortales omnes, ne reliquos Theologos ex paucorum intemperiis æstiment. Declarat & illud, quod pro mea qualicunque portione tantum laborum juvandis Theologiæ studiis exhausi. Agnoscunt hoc juniores: nam utres vetuli non capiunt novum mustum. Et tamen vidimus seniores quoque rediisse ad fontes, evolvere priscos Ecclesiæ Doctores, excutere, rimari, amplecti Linguas ac meliores litteras. Nec aliud videtur agere *Bedda*, quantumvis oblatrat, moderatius oblaturus tum mihi tum hisce studiis, si meas lucubrationes aliquot evolvisset.

EX PARAPHRASI AD PHILIPPENSES.

PROPOSITIO CXC.

Ego Paulus *Judæus ex Judæis sum oriundus, nec è quavis Tribu, verùm è præcipua, nempe* Benjamin, *unde & Sacerdotes constituuntur, Hebræus ex Hebræis juxta genus, juxta Legis sectas Pharisæus, cujus ordinis semper fuit prima dignitas.* Cap. III.

In Divinationibus & in Elencho demonstravi, Typographorum incuria versum unum in fine paginæ prætermissum, quod non raro accidit.

PROPOSITIO CXCI.

Te rogo vera germanaque conjunx, mecum in Euangelii negotio consentiens, &c. Cap. IV.

SUPPUTATIO.

Ad hanc responsum est in Elencho quod satis est, si quid desiderabit lector, petat ex Annotationibus meis in Epistolæ ad *Philipp.* Cap. IV. item in prioris ad *Corinth.* Cap. IX. Nunc ut tantum supputem. Falsum est quod ait me relegare alterum sensum, id perspicuum est ex Annotationibus meis, in quibus neutram rejicio, sed utramque ut probabilem propono. In Paraphrasi quoniam utramque sequi non licuit, sequor eam quæ mihi tum visa est probabilior ex sententia *Clementis*, cui maxime potuit hoc esse notum. Deinde calumniosum mendacium est me docere, ut Monachi ac Sacerdotes ducant uxores, quanquam arbitror illos levius peccare, V. C. V.

Digitized by Google

re, quam *Beddam* dum hujuſmodi calumniis traducit proximum ſuum. Quid enim refert an *Paulum* habuerit uxorem, necne, cum extra controverſiam ſit, *Petrum* Eccleſiæ principem habuiſſe? *Hieronymum* nobis citat, qui eſt Scholiaſtes & rhapſodus falſo titulo; tum *Theophylactum* titulo *Athanaſii* nobis producit. Supereſt *Ambroſius*, *Auguſtinus* & *Gregorius*, quibus ego præfero Priſcos hac duntaxat in parte. Jam quod ait eos eſſe impios in Eccleſiam, qui putant *Paulo* fuiſſe
B. uxorem, ut in nos contumelioſum eſt, ita blaſphemum in omnes Eccleſiæ Doctores, qui negant *Petrum* ordinis Apoſtolici principem fuiſſe cœlibem. Si impium eſt Apoſtolo tribuere uxorem, à qua tamen tum abſtinebat, ut eſt probabile, multo magis impium eſt idem tribui ſummo Eccleſiæ Paſtori. Quanquam & *Philippo* putant fuiſſe conjugem. Ad hæc cum *Hieronymus* fateatur γυναῖκα Græcis verbum eſſe ambiguum, unde ille probat de uxore non fieri mentionem, cum materia ſermonis congruat utrique ſignificationi? Nonne videatur ridicule diſputare, qui dicenti cuipiam, *Petrus comedit urticam*, ac ſentienti eum eſitaſſe herbam ejus nominis, reclamaret, erras, *urtica* piſcem quoque ſignificat, ergo piſcem edit, non herbam?
C. Quin & illud calumnioſum eſt, quod clamat ſchiſmaticum eſſe quod dicimus, cum ſuper hac re nullum Eccleſia prodiderit decretum, nec omnes Doctores in hoc conſentiant. Jam quod allegat nobis *Paulum* ex 1. *Cor.* VII. *Dico autem non nuptis & viduis:* quaſi ex his demonſtretur illum permanſiſſe virginem: res ipſa potius loquitur, quod *Paulus* illic ſe miſcet medium inter conjugatos & viduos ac viduas: conjugatos admonuerat ne ſe fraudarent niſi ad tempus, idque orandi gratia, optans tamen ut ſi queant in totum abſtineant à congreſſu carnali: mox ſubdit, *Volo autem omnes eſſe ſicut meipſum*, quid hoc? id eſt, tam firmos ut poſſint continere. Mox redit ad viros viduos, quos articulo maſculino ſignat, τοῖς ἀγάμοις. ἄγαμος autem dicitur *cœlebs*, etiamſi decem habuit uxores. Quod autem hîc loquitur de his qui extulerant uxorem, arguit quod mox ſubnectit viduas, moxque redit ad conjugatos, abſoluturus quod cœperat. Deinde pergit ad virgines: *De virginibus autem præceptum Domini non*
C. *habeo.* Hinc apparet quam diligenter *Bedda* verſetur in Apoſtolicis litteris, qui nos toties appellat Rhetores. Imponit calumniis tandem colophonem, ſe belle docuiſſe, me perverſe & ſchiſmatice mutaſſe Scripturam Apoſtolicam. An aliquid mutatum eſt in Græcis Apoſtoli verbis? Et fortaſſis Interpres germana vertit, non germane. Quanquam & hanc translationem habent intactam qui volunt. Mihi puto licere in paraphraſi ſequi lectionem quam video Priſcis arriſiſſe: nec quen-
C. quam urgeo ut mecum ſentiat. Αὖθις αὖ. Quid hæc ad incontinentiam *Lutheranorum?* Si *Paulus* uxorem legitime ductam ob Euangelium reliquit, an ideo doceo fas nunc profeſſis continentiam uxorem in Sacerdotio ducere, quam non habebant? Atqui nihil hîc habebat *Bedda*, quod mecum rixaretur, debebat vir fortis irrefutabilibus telis retundere *Lutheri* argumenta, quibus hoc perſuadere conatur, quod *Bedda* vocat ſchiſmaticum. Sed maluit in nos vociferans aucupari gloriam.

Ex Epistola ad Thessalonicenses Secvnda.

Propositio CXCII.

Cap. 1. *Vos* Theſſalonicenſes *gloriabimini per* Chriſtum *in die adventus illius, non juxta meritum veſtrum, ſed juxta beneficentiam Dei & Domini noſtri* Jeſu Chriſti.

Svppvtatio.

His reſponſum eſt & in Divinationibus & in Elencho, ut non ſit opus quicquam addere, niſi *Beddam*
B. C. & in nos uti calumnia, & in *Paulum* blaſphemia. *Paulus* dicit, *Secundum gratiam Domini noſtri* Jeſu Chriſti, & *Bedda* clamat *juxta merita noſtra.*

Ex Priore ad Timothevm.

Propositio CXCIII.

Sincera caritas longe rectius dictat quid ſit agendum, quam ullæ quamvis multæ conſtitutiones. Ea ſi adſit, quid opus eſt Legis præſcripto?

Propositio CXCIV.

Humana caritas quoniam ſæpe vitiata eſt affectibus, cum vita parum ſincera frequenter coharet, nec aliquoties plena fiducia eſt. At Euangelica caritas nec fallit unquam, nec hæſitat, nec ab officio pietatis ceſſare novit.

Svppvtatio.

Ad hæc paucis quidem, ſed quod ſatis eſt, reſponſum eſt in Elencho. Tantum ſupputabuntur glorioſæ calumniæ. Dixi caritatem dictare quid ſit agendum, *Bedda* interpretatur dictare pro judicare, quod officium eſt rationis, non voluntatis. Quaſi id quiſquam neſciat. Fides in nobis pro ratione eſt, quæ juxta *Paulum* per dilectionem operatur, urgens & incitans nos ad pietatis opera. Hunc impulſum vocavi dictaturam, Lex dictat, ſed minis, caritas dictat volenti. Nec hîc caritatem facio cæcam, ſed cum fide bonaque conſcientia conjunctam. Quod dictum eſt de humanis conſtitutionibus, ſi refutatum eſt, refutatum eſt id quod docet *Paulus*, dicens, *finis Legis caritas*, & *juſto non eſt lex poſita.* Et Joanes: *Qui diligit proximum, implevit legem.* Quid igitur nobis hîc cum *Beguardis? Paulus* negat eos qui hauſerunt Spiritum Dei, eſſe ſub Lege, quoniam ultro faciunt quod Lex præcipit, ut ante dictum eſt. Si recidant à ſpiritu, relabuntur in obligationem Legis. Hîc taceo quantum *Joannes Gerſon* tribuat illuminato Theologo, id eſt, homini ſpirituali. Jam conſcenſa cathedra Bedda, *Audiat ergo*, inquit, *ſi libet, & vel ſenex diſcat prima Theologiæ rudimenta*, &c. Hîc miro ſupercilio docet, quæ nec iis ignota ſunt, qui cum Theologis aliquoties egere convivium, tantum abeſt ut ego ignoraverim, qui hæc ex *Thoma* didiceram nondum natus annos viginti. Protrita res eſt quam adfert. Sed unde colligit tam craſſam inſcitiam *Eraſmi?* Unde ſuſpicatur me nuſquam hactenus diſcere potuiſſe quod *Beddam Lutetiæ* diſcere contigit? Ex eo quod caritatem dixerim pro cupiditate, ſive concupiſcentia. Non rejicio quod docendi gratia diſtinxit *Auguſtinus*, modo ne quis nos urgeat, ut ad hanc legem perpetuo loquamur. Græcis eſt verbum ἀγαπᾶν, quod plerumque vertunt *diligere*, eſt ἀγάπη, quam aliquando vertunt *caritatem*, aliquando *dilectionem*, eſt ἀγαπητὸς, quod interim transferunt *dilectus*, interim *cariſſimus.* Jam verbum eſſe anceps & ad bonum & ad malum, declarat *Joannis* Epiſt. 1. cap. 11. *Qui diligit*, inquit, *fratrem ſuum in lumine manet*, ὁ ἀγαπῶν. Hic de laudata caritate loquitur. Ac paulo poſt: *Si quis*, inquit, *diligit mundum, non eſt Patris caritas in eo*, ἀγαπᾷ τὸν κόσμον, Idem verbum uſurpatum eſt in malam partem. Rurſus apud *Paulum* II. Timoth. II. *Demas reliquit me diligens hoc ſeculum*, ἀγαπήσας, non dubium quin in malam partem. Jam Græcis ἐπιθυμία vox eſt anceps in bonum & in malum. Eam alias vertunt *concupiſcentiam*, alias *deſiderium.* Similiter ἐπιθυμεῖν, hoc eſt, *concupiſcendi* verbum anceps eſt. *Carnis curam ne feceritis in deſideriis* dixit *Paulus*, utique in malam partem. Rurſum, *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, dixit in bonæ rei ſignificationem. Et *Daniel* dictus eſt *vir deſideriorum.* Quin & ipſe Dominus *Lucæ* XXII. dicit, *Deſiderio deſideravi*, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. Ac *Paulus* ad *Gal.* V. *Et deſideria carnis non perficiatis: Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Hic eadem ſunt verba ἐπιθυμία & ἐπιθυμεῖν, quibus uſus eſt *Lucas.* Et caro & ſpiritus dicitur concupiſcere, caro in malum, ſpiritus in bonum. Quoties autem concupi-

Digitized by Google

scendi verbum in Litteris sacris usurpatur in bonam partem, non obstante quod Lex juxta *Paulum* dicit, *non concupisces: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Et, *concupivi salutare tuum Domine*, & his similia permulta. Quorsum hæc, an ut declarem *Augustinum* perperam hæc distinxisse? Non, sed docendi gratia distinxit ille, quemadmodum idem distinguit interrogationem & percunctationem, quæ distinctio non diutius obligat nos, quam donec versemur in docendo. Alibi fas est verbis in nativo significatu uti. Tale est quod idem Opus *de doctrina Christiana* auspicatur à distinctione duorum verborum *frui* & *uti*, utimur humanis, fruimur divinis. Ad demonstrandum quod illic instituerat valet distinctio. Hæc tamen non obstat quo minus Jureconsulti dicant uti, frui possessione. Et senes dicimur frui rebus in adolescentia bene gestis. Nec *Paulus* veritus est scribere *Philemoni*, *Ita te fruar in Domino.* Nec absurde dicimur abuti bonitate Dei, & laudantur qui illius donis recte utuntur. Utimur enim iis quibus est opus, aut quibuscum habemus consuetudinem, fruimur jucundis, aut iis unde fructum capimus. Nec puduit *Prudentium* virum pium juxta ac doctum scribere, *Fruimurque mensis affatim plenis.* Jam si caritas nihil aliud significat quam præscribit *Augustinus*, quid est quod scribit *Plinius* de caritate asinarum erga fœtus suos, *Valerius* de caritate parentum erga liberos, de caritate conjugali, an hîc intelligenda est Euangelica caritas? Quod si provocas ad sacras Litteras; nonne *Judith* IX. legis, *Et percuties eum ex labiis caritatis meæ?* nimirum hîc turpem *Holophernis* amorem sentit Scriptura. Nec obsto quo minus omnis caritas dicatur Euangelica, sive infusa sive acquisita, modo sit talis qualem ibi depingit *Paulus*, *de corde puro*, *& conscientia bona*, *& fide non ficta.* Quoniam autem *Paulus* his notis distinxit caritatem de qua loquitur, à vulgari caritate, ego quo crassius explanarem quod ille sensit, discerno caritatem humanam & Euangelicam. Humanam voco qua homo diligit hominem, vel instinctu naturæ, vel ob aliquod commodum temporale sine respectu Dei, velut parentes amant liberos, aut pauperes amant bene meritos: is affectus sæpe vitiosus est, vel dum amamus plus satis, vel dum ob rem turpem. Nihil hujusmodi habet caritas Euangelica. Quod autem hîc sophisticatur de affectu naturæ, qui si nunc se flectat ad spiritum fiat virtus, si ad carnem fiat vitium; simplex naturæ affectus nec virtus est nec vitium, sed ex accedentibus vertitur in actionem virtutis aut vitii. Scilicet hic erat locus in cursu Paraphraseos differendi, quæ dona juxta Scholasticos adhæreant voluntati, quæ rationi, deque officiis singulorum. Expono in transcursu locum *Pauli* dicentis, *finis præcepti est caritas.* Quare? Quia caritas complectitur omnia Legis præcepta. Ergo quod Lex tot præceptis præscribebat, hoc compendio dictat caritas ex fide proficiscens. Lex dictat infirmis, in piis, quoniam caritas pro lege est, dictare vice legis dicitur. Et ne quis putaret *Paulum* de quavis caritate loqui, distinguo naturalem ac vulgarem caritatem ab Euangelica. Quid autem hisce tropis vulgatius? Hoc tibi persuasit odium mei. Amorem habebas in consilio cum ista de me judicares. Et amor cæcus est judex, cæcior odium, & pessimi consultores sunt amor & voluptas. Non usus sum verbo judicandi, sed dictandi, hoc est præscribendi. Ratio deligit, caritas exsequitur. *Paulus* ait, *caritas non cogitat malum.* Nonne cogitamus mente non voluntate? Ut autem finiam, nihil erat hîc quod merebatur ullam calumniam, sed *Bedda* visus est sibi nactus occasionem qua declararet, quam profunde sit ingressus adyta Theologiæ. Atqui poterat hæc suo loco docere citra proximi contumeliam.

PROPOSITIO CXCV.

Cujus insincera est conscientia, ejus non potest esse sincera fides.

Ad hanc sophisticam calumniam in Elencho respondimus quod satis erat. C.

PROPOSITIO CXCVI.

Non solum pro Christianis orationes fiunt, verum etiam pro universis hominibus, ne videatur angusta Christiana caritas, quasi sua duntaxat fovens factioni.

SUPPUTATIO.

Et ad hanc indoctam calumniam responsum est. Quod hîc dico *factionem*, ad eorum opinionem pertinet, qui de Christianismo male sentiunt. Iis certe *factio* est. Quod clamat annis innumeris neminem usum *factionis* vocabulo nisi in malam partem, docui falsum esse. Et si verum esset, nihil contra me facit. C.

PROPOSITIO CXCVII.

Quoniam in Episcopo pudicitia magnam habet commendationem: si non contingit qui voluptatem hanc in totum contemnat, illud certe spectandum, ut fuerit aut sit unius uxoris vir. Cap. III.

SUPPUTATIO.

Responsionem idoneam invenies in Elencho. Hîc tantum annotandum quod meum sermonem calumniose interpretatur, deinde quod pro *contemnat* verbo potentiali supponit commentum quasi scripserim *contemnit*, cum meorum verborum sensus sit, qui non potuerit aut possit contemnere. Ego probabilem opinionem arbitror olim apud Græcos orthodoxos, Episcopos qui voluissent, servasse uxores prius ductas. Magnifice vero *Bedda* clamat, *Absit, absit, ut quisquam admittatur ad Sacerdotii dignitatem, qui carnis in totum non contemnit illecebras*, cum hodie recipiantur, qui quinquaginta habent concubinas, ne quid addam sceleratius. Et utinam omnibus cœlibatum professis tam possimus persuadere continentiam, quam rigide exigimus. C.

EX EPISTOLA AD TITVM.

PROPOSITIO CXCVIII.

Quid officit ad pietatem, si nesciam cur, &c.

Ad hanc calumniam omnium impudentissimam satis responsum est in Elencho, quæ cum in plures dividi queat, tamen pro una supputabitur. C.

Jam ut conjicio feliciter absolverat suas calumnias *Bedda*, cum ecce familiares alicunde suggerunt & alia quædam loca quæ prius non commonstraverant, *Beddam* enim nihil illic legisse, res ipsa jam dudum clamitat. Nam mihi persuadeo, si legisset Opus in quo sic attollitur *Christi* gloria, sic animatur homo ad fidendum promissis Euangelii, sic armatur ad contemtum Mundi, sic erigitur ad studium vitæ spiritualis, (in quibus tamen nihil mihi vindico: quicquid est boni aut *Pauli* est unde hausi, aut Dei) etiamsi qua deprehendisset per humanam imbecillitatem excidisse secus quam oportuerat, tamen non potuisset sic in illud debacchari, nisi totus ageretur spiritu Satanæ. Sequuntur aliquot Propositiones tumultuariæ.

Ad id autem quod sub littera L. queritur de posteriore *Petri* Epistola, in dubium vocata cujus sit, responsum est in Elencho, & si quis quid præterea desiderabit, petat ex Annotatione in hanc Epistolam postrema novissimæ Editionis, quæ fuit anno à *Christo* nato M.D.XXVII. Cæterum quod ait me dubitare falsum est, tantum ajo Veteres dubitasse. Hîc obiter admiror *Bedda* lenitatem, qui non exclamet ad hæc *Hieronymi* verba quæ citat, *Sicut Euangelistas dudum ad veritatis lineam correximus.* In me debacchatur, si per tropum ajo *Paulum* mea opera fusius loqui. Quid si dixissem *Paulum* correximus? Sed in Ecclesiæ Doctoribus, si quid offendit, aut declinat, aut commode interpretatur. Probo. At non probo, quod eadem,

Digitized by Google

dem, imo leviora in noſtris ſcriptis tot convitiis exagitat, etiam ea quæ rectiſſime dicta ſunt depravans, frequenter non intelligens, crebro ſciens aç prudens. In Præfatione permiſit nobis loqui *Demoſthenice*, in cenſuris non permittit nobis loqui Grammatice, cum tamen ſubinde convitii loco nos appellet Rhetores, videlicet ſe ſubindicans eſſe Theologum, cum nullus unquam Rhetor ſic ineptierit in cauſa forenſi, ut hic in cauſa fidei, adeo ut prævaricator videri poſſit, niſi totus liber vicinior eſſet ſuſpicioni ſtultitiæ. Quod ſi non intelligit Latinum ſermonem, multo minus rhetoricum, cur ſibi ſumit cenſuram in eum quem vocat Grammaticum ac Rhetorem? Quis enim ferret me, ſi de Libro Gallice ſcripto mihi ſumerem auctoritatem pronuntiandi, cum ejus Linguæ phraſin in pleriſque non aſſequar? At *Bedda* noſtra non raro ſic interpretatur, quemadmodum *Plautinus* ille, Punice loquentis, *Barbocca* interpretatur miſeram buccam. Aut igitur debebat nobis in totum Latine loquendi jus interdicere, aut ſi hoc permiſit, à cenſuris ſcriptorum noſtrorum debuit abſtinere, & hanc provinciam alteri cedere.

Jam quæ ſub elemento M. queritur, longe minus habent frontis, quibus ſic reſponſum eſt in Elencho, ut ſupervacaneum ſit quicquam addere. Nam illic de-
C. monſtravi calumniam inſignem cum inſigni inſcitia conjunctam. Inſcitiam ubique condono, calumnias tantum numero.

C. Temeritatem ſchiſmaticam, quam impingit ſub littera O. docui in *Hieronymum* magis congruere quam in me. Nam quod *Hieronymus* aſſeverat, ego recito tantum. Vide Elenchum & Annotationes. Quod incu-
C.C. ſat ſub elemento P. plane ſophiſticum eſt nugamentum, ego loquor de fortitudine Chriſtiana, ille detorquet ad immanitatem latronum, ego de æquanimitate, ille de duritia ſceleratorum. Quis unquam dixit ſceleratos æquo animo tuliſſe ſupplicia? Ne fortiter quidem ferunt, ſed immaniter etiam Philoſophorum judicio.

Querimonia ſub tribus litteris Q. R. S. nihil habet confutatu dignum, & ſi quid eſt, affatim refutatum eſt in Elencho.

Sub littera T. miror illum velle repetere ad quæ toties reſponſum eſt in Divinationibus miſſis antequam hic prodiret liber, niſi quod miſere cupiebat volumen eſſe magnum.

Ex Paraphraſi *Jacobi* Cap. II. *Fides ſine operibus non magis eſt dicenda fides, quam cadaver hominis meretur hominis vocabulum.* Item ſic, *Natura conjunctiſſima ſunt fides & caritas, adeo ut alterum ab altero divelli non poſſit, eſt enim caritas fidei comes individua: nam fides abſque caritate ne fides quidem eſt.*

Loquor illic de fide juſtificante, ac juxta *Paulum* per caritatem operante. Ea multa complectitur, Primum credulitatem omnium quæ tradita ſunt ſacris Litteris. Deinde plenam fiduciam ac ſpem de promiſſis Dei: talis fides non eſt abſque caritate. Quod ſi qua ſit fides Dæmonum aut impiorum, ſic dicitur fides, ut homo mortuus dicitur homo. Jam quod in Scholis argutantur, utrum ſimul infundatur fides & caritas, an fides poſſit eſſe ſola, cui ſi accedat caritas fit viva, ſi decedat fit mortua, cum eadem maneat qualitas, magis valet ad exercitanda ingenia quam ad pietatem. *Jacobus* mortuam appellat, quæ per caritatem non operatur, nec viſum eſt in Paraphraſi Scholaſticas argutias admiſceere. Item Cap. IV. *In Lege* Moſaica *nonnihil dabatur humanis affectibus. Licebat odiſſe inimicum, fas erat ſtudere parandis opibus, non habebatur injuſtus qui convitium convitio retuliſſet.* Cum ajo *dabatur humanis affectibus*, ſatis indico conceſſionem fuiſſe non voluntatem Dei. Et licere dico quod non punitur.

Epiſtolæ *Joannis* primo Cap. *Judicii divini metus ex mala conſcientia naſcitur.*

Hoc arbitror in genere verum eſſe. *Paulus* cupit diſſolvi, utique judicandus. Et *Auguſtinus* in ſermone quodam de adſcenſione Domini, *Bonam*, inquit, *cauſam habeamus, ut futurum judicium non timeamus.*

Ex Paraphrasi in Cap. IX. Epistolæ ad Hebraeos.

Veteris Templi religio habebat ritus quoſdam, &c.

Hic oſtendimus *Beddam* inſigniter eſſe calumnia- C.
tum.

Ex ejuſdem Cap. XI. *Enoch fidei debet hoc*, &c.

Hîc oſtendimus *Beddam* calumniam cum blaſphemia C. B.
conjunxiſſe. Vide Prologum & Elenchum.

Eat nunc *Bedda*, & cenſuras ſuas tam ambitioſo numeratas renumeret, & perſpiciet, niſi prorſus ipſi livor & odium ademit oculos, quanto crebrius quantoque gravius ipſe peccarit adverſus præcepta Dei, & adverſus Chriſtianam caritatem, quam ego adverſus Scholaſticorum placita: circumſpiciatque num quem inveniat Theologorum, qui tam impotenter debacchatus ſit in ullum Hæreſiarcham, quam ipſe debacchatur in ſuæ communionis hominem, in iiſdem caſtris adverſus eandem aciem dimicantem. Jam ſicubi maxime deflexiſſem à Chriſtiana veritate, nimirum hoc eveniſſet mihi quod omnibus pene veteribus Eccleſiæ Doctoribus evenit, quorum nunc & monumenta & memoriam ſacro-ſanctam habet Eccleſia Catholica. Sed proferat ullum *Bedda*, qui ſic calumniis, mendaciis, convitiis, ſannis, ſtrophis, dicteriis in quenquam vel hæreticum ſit debacchatus. Ac lapſum humanum ignoſcere cupienti prodeſſe, videtur æquum. At non meretur eandem veniam qui ſe profitetur cenſorem, qui tanto ſupercilio numerat errores alienos. Et ſi cadit à toto, qui cadit à ſyllaba, (nam hoc nobis ex Juriſperitorum litteris undiquaque doctus recitat *Bedda*) quanto juſtius tota cauſa cadit cenſori, qui toties deprehenditur aperte mentiens, malitioſe calumnians, ſcurriliter convitians, toties non intelligens noſtra quæ reprehendit, toties depravans à nobis pie rectèque dicta, toties judicans quæ non legit, toties perperam adducens & Scripturarum teſtimonia & Doctorum ſententias? Certe pleraque in his tam evidentia ſunt, ut ne tergiverſari quidem poſſit. In his næniis ſolidus fere menſis mihi conſumtus eſt. Quare nihil ſupereſt, niſi ut *Beddam* horter, dextrum aperiat oculum, & ubi perſpexerit in quas tenebras ipſum deduxerit livor & ambitio, primum ſemet abjiciat ad pedes omnipotentis Dei, qui nullis magis indignatur quam qui talibus ſycophantiis & famam inceſſunt immerentis, & ſimplicium animos obtrectationis inficiunt veneno, & ſtudiorum turbant tranquillitatem, & Eccleſiæ pacem diſcindunt: deinde ſumat Chriſtianam ingenuitatem, agnoſcat ſuos ipſius errores in quos impegit, dum inſectatur alienos, calidas ſuas cenſuras, quas gloria livoreque ebrius evomuit, reſorbeat, medeatur animis ſimplicium, quibus hoc libro venenum inſtillavit. Mecum facile redibit in gratiam, ubi ſenſero hominem ab his intemperiis reſipuiſſe. Et quoniam per ſaltum, ut ajunt, doctor factus eſt, redeat ad neceſſariam Grammaticam & Latinam & Græcam, ex cujus inſcitia toties gravem calumniam intendit proximo, toties non intelligit Auctores qui Latine ſcripſerunt, ut de Græcis taceam. Ne pudeat ſero diſcere, quod ſcire neceſſarium eſt. Quod ſi diſſimulatis omnibus quæ à nobis reſponſa ſunt, pergat ſimiles cenſuras ſpargere, profiteor me poſthac in his indoctis & rabioſis contentionibus non luſurum operam, cujus nimium jam periit. Ne vero ſperet Eccleſiam unquam eo dementiæ venturam, ut cenſuras, quæ nec mentem habent nec frontem, approbet. Quod ſi quando evenerit, tum mihi libebit à tali videlicet Eccleſia recedere. Verùm ut certum eſt hoc nunquam futurum, ita certa mens eſt nunquam à conſortio pie ſentientium recedere.

SVPPVTATIONVM FINIS.

Digitized by Google

EX ENCHIRIDIO MILITIS CHRISTIANI

NOTATA QVAEDAM.

ENCHIRDION MILITIS CHRISTIANI diu fuit gratioſum & apud Theologos, & apud Monachos, exſtitere tamen nuper qui hoc quoque cœperint arrodere, duobus potiſſimum offenſi locis, quorum alter eſt canone vigeſimo, his verbis: *Neque eſt alia flamma, in qua cruciatur dives ille comeſſator Euangelicus, nec alia ſupplicia inferorum, de quibus multa ſcripſere Poetæ, quam perpetua mentis anxietas, qua peccandi conſuetudinem comitatur.* Hîc colligunt me ſentire, nullum eſſe ignem materialem apud inferos. Nihil minus tum ſentiebam, quam quod iſti interpretantur, & ſi quid hujuſmodi ſenſiſſem, hæc opinio non tam adverſaretur Scripturæ ſacræ, quam placitis Scholaſticorum, nec ſane audio quid tantopere conducat ad pietatem, an animæ torqueantur igne corporali, an ſecus, modo per vermem intelligamus acerbiſſimum conſcientiæ remorſum, per ignem intolerabilem cruciatum: neque enim novum eſt in Litteris divinis per ignem intelligi vindictam Dei. Quod ſi quis ex his verbis, *vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguitur*, urgeat nos ignis vocabulo, cogetur & vermem accipere corporalem, & lucem facere corporalem quam precamur defunctis. Ex aliis vero locis lucubrationum mearum percipere potèrant, me non hoc ſenſiſſe quod interpretantur. Quin ipſe ſtatim hujus Operis canon primus refellit iſtorum calumniam: *Quis*, inquam, *uſque adeo ſceleſtus eſt, ut non reſiliat à vitiis, ſi modo penitus credat, momentaneis his voluptatibus prater infelicem illum conſcientiæ mentis cruciatum, æternos quoque emi cruciatus.* Rurſus in Paraphraſi qua explico verba *Matthæi* Cap. IX. *Vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur*, loquor in hunc modum: *Ibi vermis exedens pœnitentia miſerorum conſcientiam non moritur. Vivunt enim tantum in pœnam. Ibi ignis, quo cruciantur, nunquam exſtinguitur.* Ac paulo inferius: *Ubi nec incendium exſtingui poteſt, nec vermis moritur.* Hîc ſatis liquide ſeparo cruciatum ignis à verme conſcientiæ. Sed fingant nihil eſſe in ſcriptis meis unde liqueat quid ſenſerim, poterant tamen hæc mea verba candidius interpretari. Etenim cum ignis ille corporalis non aliter agat in animam quam reddendo illam anxiam, excuſari poterat per tropum vulgatiſſimum, quo cauſam pro effectu, effectum pro cauſa ponimus, quemadmodum *Ariſtoteles* in libris *de anima*, dicit iram eſſe ſanguinis efferveſcentiam circa cor, cum revera ira non ſit efferveſcentia ſanguinis, ſed gignat eam. Quemadmodum de homine vehementer moleſto dicimus, *hic eſt mors mea.* Simili forma dictum puto illud *Pauli* Rom. VI. *Gratia autem Dei vita æterna*, quod pariat nobis vitam æternam. Sic idem *Paulus* ſcribit *Chriſtum* factum juſtitiam noſtram, quod eam nobis largiatur. Verùm urgent quod dictum eſt, *nihil aliud*: Qui ſic loquitur, inquiunt, excludit omnia. Id perpetuo verum non eſt. Etenim qui dicit de luxurioſo, *hic nihil aliud quam bibit*, non excludit actiones communes, ſed ſtudia litterarum, aut alias honeſtas functiones. Rurſum cum dicimus, *hic nihil aliud eſt quam Grammaticus*, tantum excludimus diſciplinas ejuſdem generis, ut Philoſophiam, Dialecticam, aut Theologiam. Rurſus ſi quis loquatur de homine privato, *hic nihil aliud eſt quam Petrus*, non excludit litteras aut divitias, ſed publicos magiſtratus. Interdum hoc ſermonis colore ſignificamus, non quod ſolitarium eſt, ſed quod præcipuum: quemadmodum *Demoſthenes* pronuntiationi totum attribuit, non quod inventio, elocutio, cæteræque partes Oratoris nihil ad rem faciant, ſed quod hæc eſſet præcipua. Itidem *Socrates* apud *Platonem* dicit, virtutes nihil aliud eſſe quam ſcientiam expetendorum ac fugiendorum, quod ex hoc velut è præcipuo fonte virtutes manarent. Similiter interpretari poterant, quod dixi nihil aliud ignem illum eſſe quam conſcientiæ cruciatum. Verùm his præſidiis nolim uti ad hujus loci defenſionem. Nihil enim horum cogitabam cum illa ſcriberem, nec ulla tum habebat animum meum dubitatio de igne gehennæ, ſed Euangelicam parabolam traxi ad demonſtrandum quam res ſit infelix, mens ſibi male conſcia, & jam hîc quodammodo præguſtans æternos gehennæ cruciatus. Sic enim ordior hunc locum, quem arrodunt: *Quæ præparavit Deus diligentibus ſe, nimirum in hac vita. Cum interim vermis impiorum non moritur, & inferos ſuos jam apud ſuperos patiuntur. Nec alia eſt flamma*, &c. Hæc ſatis arguunt me non loqui de pœnis inferorum. *Macrobius* autem Lib. *Saturnalium* I. docet ex ſententia priſcorum Philoſophorum, tum animam mori, cum ex priore vita demittitur in corpus, in quo patitur quicquid Poetæ finxerunt animas apud inferos perpeti, *Phlegethontem* interpretans ardores irarum & cupiditatum, *Acherontem*, dolorem pœnitudinis, *Cocytum*, varias lugendi cauſas, *Stygem*, triſtitiam ſimultatum, atque item de cæteris. Nec mea refert, ſi falſa fuit Philoſophorum quorundam opinio, de animabus, quæ prius abſque corporibus aut in corporibus felicioribus vixerunt, antequam in hæc dejicerentur; tantum mihi decerpſi quantum ſatis erat ad id, quod agebam. Idem faciebam in Parabola Euangelica. Quam ſi quis contendat hiſtoriam eſſe, non magnopere laboro: *Lucas* quidem non appellat parabolam, verùm idem alia multa commemorat abſque titulo parabolæ, ſimillima tamen iis quæ apud alios Euangeliſtas dicuntur parabolæ, veluti de filio prodigo, de villico divitis: verùm quoniam ſemel dixerat, *Et ait ad iſtos parabolam iſtam dicens, Quis ex vobis homo qui habet centum oves*, &c. probabile eſt narrationes, quæ ſequuntur, eodem titulo comprehendi. Quanquam nihil vetat idem hiſtoriam eſſe ſimul & parabolam. Nam tales fere ſunt omnes parabolæ *Chriſti*, ut aut crebro fiant, aut fieri potuerint. Quod genus eſt de Domino qui ſervis diſtribuit talenta, de muliere quæ invenit drachmam, de ove reducta. Hiſtoria eſt *Paulum* à vipera fuiſſe ictum, quam protinus excuſſit in ignem. Verùm *Prudentius* hanc hiſtoriam trahit ad allegoriam, docens hæreticorum virus protinus excutiendum ne ſerpat. Simili ſtudio nos quoque narrationem de divite & *Lazaro* accommodavimus ad id quod tum agebamus, & ex narratione fecimus parabolam collatione. Quod ſi pertineret ad rem, utrum hæc parabola ſit an hiſtoria, potius hæc debebat videri parabola, quam cæteræ complures, in quibus nihil refertur, quod fieri non potuerit, hîc multa ponuntur quæ non conſiſtunt citra tropum. Velut de ſinu *Abrahæ*, de chao dirimente, de colloquio. Nec erat illic aqua vera, nec *Lazarus* tum habebat digitum, nec dives linguam, hæc omnia per allegoriam dicuntur, unde & flammam interpretatus ſum per allegoriam de cruciatu conſcientiæ. Porro cum hîc piis æternæ felicitatis ſit initium, impiis contra ſuppliciorum æternorum quaſi præludium, frequenter ſacri Doctores, quæ ſunt alterius ſeculi, accommodant ad vitam præſentem, & contra. Quod genus eſt, eum reſurrectionem interpretantur vitam à ſceleribus ad pietatem converſam, & immortalitatem quandam eſſe perpetuam innocentiam, & virginitatem perpetuæ incorruptibilitatis meditationem.

Diſplicuit & hic locus in fine Enchiridii: *Monachatus non eſt pietas, ſed vitæ genus pro ſuo cuique corporis ingeniique habitu vel utile vel inutile.* Verùm hic ut calumniæ quæreretur locus, pro monachatu ſuppoſuerunt religionem, quaſi ſcripſiſſem, *religio non eſt pietas.* Cæterum cum religio ſit pars ac ſpecies pietatis, ſi negaſſem religionem eſſe pietatem, nihilo minus abſurde fuiſſem loquutus, quàm ſi dicerem juſtitiam non eſſe virtutem. Quod ſi Monachus eſt quiſquis profeſſus eſt tria vota, conſtat non omnes eſſe pios, qui ta-

Digitized by Google

talia profeſſi ſunt. Quod ſi Monachatus eſt pietas, oportet omnes fateri pios qui ſunt Monachi. Et tamen qui hoc non ferunt dictum de Monachiſmo, ferrent opinor æquis animis dictum de Chriſtianiſmo. Chriſtiani dicuntur quicunque baptizati ſunt, hoc eſt, qui Chriſtianam pietatem profeſſi ſunt. Et qui Chriſtianus eſt, Chriſtianiſmum habet. Cum itaque ſint plurimi Chriſtiani impii, ſequitur Chriſtianiſmum non eſſe pietatem. Quanquam hoc intereſt, quod ſine Chriſtianiſmo nemo fit ſalvus, ſine Monachiſmo licet ad Cœlum pertingere.

Quod addam poterat videri jocus, niſi nomen & cognomen hominis, locus, & dies ab amicis transſcriptus, teſtaretur rem actam ſerio, publicitus, ingentique tumultu. Nam interim prudens à nominibus tempero. In Enchiridio extollens alicubi prædicationem Apoſtolorum virtute Spiritus potentem, ſic loquor: *Hac eſt vera germanaque Theologia, qua olim Philoſophorum ſupercilia, & Principum ſceptra* Chriſti *jugo ſubjecit.* Ibi quidam, eximium Religionis columen, vociferatus eſt, rem intolerabilem, quod negem uſquam eſſe veram Theologiam præterquam apud *Germanos*, non intelligens *germanum* Latinis dici quod Græci dicunt γνήσιον. Idem ex canone quinto damnavit quod ſcripſi: *Magnum quiddam putas, ſi* Franciſci *cucullo obvolutus ſepulchro inferaris. Nihil proderit veſtis*, &c. Judicavit me ſentire cum *Montano*, qui lapſis negavit reditum in gratiam, quaſi per ſolam cucullam eſſet reditus in gratiam. Quod ſi ipſis *Franciſcanis* nihil prodeſt, etiamſi triginta cucullis obvoluti ſepeliantur, niſi habuerint *Franciſci* pietatem, quanto minus hoc proderit iis, quibus morientibus aut mortuis inducitur veſtis *Franciſcanorum*, quæ nec ipſa tamen fuit *Franciſci?* Imo ſi vere ſaperent *Franciſcum*, deberent illos virgis cædere, qui perſuadent mulierculis, viris, atque etiam Sacerdotibus, magnum quiddam eſſe, ſi corpus veſte *Franciſcani* tectum deferatur in ſepulchrum, præſertim ſi id fiat ſpectante populo.

Idem ex Paracleſi damnavit hæc mea verba, *Optarim ut omnes mulierculæ legant Euangelium, legant &* Paulinas *Epiſtolas*, velut hæretica, quod adverſentur *Paulo* 1. *Tim.* II. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.* Quis autem neſcit hîc *Paulum* repetere quod ſcripſit 1. *Corinth.* Cap. XI. & rurſus XIV. *Mulieres in Eccleſia taceant. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & Lex dicit, Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulierem loqui in Eccleſia.* An ea loquitur in Eccleſia docetque, quæ legit in cubiculo ſanctum Euangelium? Imo ſilet verius, ac diſcit in ſilentio. Utinam autem vigeret inter Chriſtianos *Pauli* lex, ne quid diſcerent uxores à Monachis, niſi per viros ſuos! Triginta ferme tales articulos collegerant ex Enchiridio, ſed hujus pene farinæ omnes.

In altera quadam Academia cumprimis celebri, (tacebitur enim & hominis & loci vocabulum) quidam inter Theologos præcipuus jactavit *Eraſmum* teneri medium in gravi articulo, nec poſſe jam ullis antibus elabi. In Vita *Hieronymi* nego illum fuiſſe virginem, eo quod ipſe fatetur ſe lapſum in adoleſcentiæ lubrico. En tibi laqueum inevitabilem, quo conſtringitur *Eraſmus*! *Hieronymus* in Libello ad *Euſtochium*, ita ſcribit: *Si tibi placet ſcire quot moleſtiis virgo libera, quot uxor adſtricta ſit, legas* Tertullianum *ad amicum Philoſophum, & de virginitate alios libellos, & beati* Cypriani *volumen egregium, & Papæ* Damaſi *ſuper hac re verſu proſaque compoſita, & Ambroſii noſtri quæ nuper ſcripſit ad ſororem opuſcula, in quibus tanto ſe effundit eloquio, ut quicquid ad Laudes virginum pertinet exquiſierit, expreſſerit, ordinarit*, ſive *ornarit*, ut legendum ſuſpicor. *Nobis diviſo aut diverſo tramite incedendum: Virginitatem enim non tantum efferimus, ſed ſervamus. Nec ſufficit ſcire quod bonum eſt, niſi cuſtodiatur attentius quod electum eſt.* Hactenus *Hieronymi* verba. Quid, inquiebat, apertius? *Virginitatem ſervamus.* Nullus autem ſervat quod non habet: cum *Hieronymi* ſenſus fit, ſe in eo libro non ſuſcepiſſe, prædicanda commoda virginitatis, ſed oſtendendam rationem, qua virginitatis theſaurus poſſit ſervari: unde & libro titulum indidit, *de cuſtodia virginitatis*, in quo tractat de puellarum Deo conſecratarum pudicitia, non de ſua. Quando enim Eccleſia exegit virginitatem à ſexu virili? Servabat itaque *Hieronymus* alienam virginitatem non ſuam, quemadmodum ſubulci mercenarii ſervant alienos porcos non ſuos, & Eunuchi, Regum uxores ſervant non ſuas. Quis malus genius impellit iſtos, ut ſuam ſtultitiam traducant Mundo? His ſimilia permulta dabimus in lucem, niſi deſinant inſanire.

FINIS.

DESIDERII ERASMI RESPONSIO AD NOTVLAS BEDDAICAS.

VTINAM *Natalis Bedda* præſtet eam ſinceritatem ipſa re, quam nunquam non jactat oratione! ſed nihil agit apud cordatos, nihil eſt iſtis fucis jam vulgatius. Nunc eſt beatus *Agatho*, nunc *Ezechias*, nunc *Auguſtinus*, cum ſcripta hominis clamitent eum eſſe plenum amaritudinis ac fellis, ac natum excitandis in populo Chriſtiano tumultibus. Nam talium quorundam pſeudo-Theologorum improbis motibus, res *Lutherana* hucuſque profecit, ac vereor ne per *Beddæ* ſimiles latius proficiat. Reſpondet quibuſdam ineptis libellis clam editis, quos adeo non probo, ut ſi noſſem auctores, in ipſos palam ſtringerem calamum. An mihi faveant neſcio. Me certe gravius lædunt quam hoſtes profeſſi. Quid igitur opus erat tot convitiis in me detortis, quid erat neceſſe malitioſam adhibere vafritiem, præſertim cum præfatus eſſet, ſe nolle maledicta maledictis retaliare? Sic agò cum *Beddâ*, quemadmodum *Petilianus* pene cum *Auguſtino*, ſic enim adjecit *Bedda* pene, quaſi ſignificet me pejus ipſum tractare, quam *Petilianus* Donatiſta tractaverit *Auguſtinum*. Utinam, utinam, utinam *Beddæ* noſter tam prope accederet ad *Auguſtini* ſinceritatem, modeſtiam, manſuetudinem, pietatem, ingenium & eruditionem, quam ego procul abſum ab impietate *Petiliani!* Nihil addubito quin mihi cum *Auguſtino* pulchre conventurum fuerit, ſi in eadem tempora incidiſſemus. Ubi *Auguſtinus* detorquet bene dicta hæreticorum in perverſum ſenſum? Ubi tam procaciter debacchatur in plus quam hæreticos, quam *Bedda* debacchatur in hominem ſuæ communionis, & in eiſdem caſtris militantem? Rhetorica mea, ut ait, perſuadeo quidlibet mihi addictis. Imo nullos habeo mihi addictos, ne diſcipulos quidem in re Theologica. Quos igitur addictos ſingit os impudens, ad mihi concitandam

Digitized by Google

dam invidiam? Non habet quod queratur de mea Rhetorica, qua non ſum uſus adverſus eum. Nam Supputationes menſtruo labore ſunt abſolutæ, cujus temporis maxima pars danda fuit legendis *Beddæ* calumniis, & inſpiciendis locis quæ petebat. Nullis Rhetorum fucis, ſed ſimplici ſermone ruſticanaque veritate res geſta eſt. Quibus artibus ſum uſus in *Sutorem*, *Leum* & *Stunicam*? Depuli paucis calumniam, & omnes ſuperavi modeſtia. *Leo* tribus reſpondi libellis: & his abſolvendis, & illius næniis ante prælegendis dati ſunt quadraginta non amplius dies. *Stunicæ* vix octo dati ſunt, *Sutori* totidem, cujus impendii me vehementer pœnitet.

Quicunque, ut ait *Bedda*, ſcribit in me, protinus fit æmulator & invidus, mendax, calumniator, hæreticus, temerarius, aliaque multa quæ acervatim congerit noſter *Bedda*. Ubi quicquam hujuſmodi dixi in *Beddam*, aut in *Leum*, aut in *Stunicam*, aut in *Jacobum Fabrum*, aut in *Dorpium*, aut etiam in *Sutorem*? Sed ſibi permittit homo zeli plenus deblaterare in nos quicquid illi ſuggerit ſplendida bilis. Semel in Supputationibus dico, *miſerande Bedda*. Quis non eget miſericordia Domini? Ille cum impingit hæreſes ac blaſphemias manifeſtis calumniis, velut agnus coram tondente obmuteſcit, nec aperit os ſuum, & aliis ipſi maledicentibus homo placidus nihil aliud quam orat. Nec ego depingo illum talibus coloribus, quemadmodum falſo queritur, ſed ipſe depinxit ſeipſum talem in libro quem ſcripſit in me. Nam de cæteris, quos ſcripſit in *Jacobum Fabrum* nihil pronuntio, quando non legi nec animus eſt legere, quod hîc teſtatum eſſe volo. Objicit inconſtantiam, quod cum prius mihi fuerit eximius Doctor, vir egregius, abſolutiſſimus Theologus, nunc alius habeatur. Euge, incipit nobis agere morionem, ſi Superis placet: agit enim ex opiſthographiis Epiſtolarum. Atqui cum ſcribimus piratis aut prædonibus, tamen Epiſtolæ titulus habet honorifica verba. Et hujuſmodi titulos frequenter addunt amanuenſes ex formula. Periculum eſſe video, ne ſi quis *Beddam* honoris gratia ſalutet dominum, aſſerat ſalutatorem ſuum in ſervitutem. Verùm hîc me tuebor Epigrammate *Martialis*:

Cum voco te Dominum, noli tibi Bedda *placere,*
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

Nunquam admodum magnifice ſenſi de *Bedda*, ſed talem eſſe nunquam eram crediturus, niſi ſeipſum nobis expreſſiſſet in tabulis ſuis. Audi aliud morionicum. *Mihi*, inquit, *&* Deſiderio *dimittat pius Dominus peccata omnia*. Pro me quidem gratiam habeo, pro ſe qua fronte orat, qui bonis operibus incedit onuſtus? En tibi aliud crimen. Ipſe mecum pugno. Qui ſic? Negavi illum auctorem operis quod in me ſcripſit, & idem ajo, quod biennio multorum præſidiis adjutus id effecerit. Quis non hæc rideat? An ille ſuo Marte ſcribit librum, qui non legit opus quod impugnat, qui articulos ab aliis decerptos accipit, qui magnam operis partem aliena opera peragit? Auctorem operis fuiſſe nunquam negavi, nam auctor eſſe poteſt, qui tantum juſſit ſcribi. Non eſt obſcurum quorum ſuppetiis ſcripſit in *Fabrum*. In eo libro, quo me impetit, uſus eſt levioris armaturæ ſatellitibus. Suo Marte nihil gerit. Rurſus aliud telum. Ajo, ut prædicat, quod nuſquam ſim à *Bedda* jure reprehenſus, quanquam hoc ut ſolet mentitur, cum in Elencho tam multas Propoſitiones tranſilierim. Putat enim à me damnatas, quaſcunque ſilentio prætereo. Imo ſi quis non gravetur inſpicere, nullas præterii niſi quæ nihil ad fidei negotium pertinerent, aut aliarum ſolutione ſimul eſſent diſſolutæ. Elenchum ſcripſi non reprehenſionem, hoc eſt notulas quaſdam profiteor, unde cætera poſſent æſtimari, vel quia non vacabat plura, vel quia non libebat ejuſmodi Næniis juſtam operam dare. Quod ſi *Bedda* contendit nos agnoſcere, quicquid non nominatim refellimus, ipſe videlicet agnoſcit omnes calumnias, mendacia & blaſphemias, quæ ex illius libro decerpta omnibus ob oculos poſui, ad quorum perpauca reſpondet, ſed ita fere, ut calumnias calumniis, mendacia mendaciis, accumulet. Agnoſcat hîc ſuam legem & fateatur ſe damnare quæcunque non defendit. Et tamen hujuſmodi floſculis ac gemmis ornatus incedit *Bedda* noſter, & inter ſuos triumphum agit. Audaciam vocat, quod poſt omnibus reſponderim, cum modeſtiam potius debuerit appellare: nam *Jacobus Faber* non eſt illum hoc honore dignatus. Imo quis *Lutheranorum* tam abjecti eſt animi, ut illius libros reſponſo dignatus ſit? Vix reperti ſunt pauci qui legere dignarentur, & hi mirum quam in ſuis dogmatibus confirmati ſint. Et ante reſponderam omnibus articulis quos ad me miſerat, idque moderatiſſime, quod utinam in ſuis cenſuris fuiſſet imitatus! Gloriatur quod aliquot loca ex *Lei*, *Stunicæ*que calumniis mutarim. Quid ni? Sæpe famulorum admonitione muto quod ſcripſeram, ſed in his quæ nihil ad fidem pertineant. Et ex *Beddæ* primum miſſis notulis emendavi duo aut tria loca, fateor, ſed quæ Typographorum incuria fuerant depravata, at *Bedda* quamlibet præfractus, viciſſim admonitu meorum ſcriptorum, quoſdam articulos ſuppreſſit, quos prius damnaverat, ſed tam impudenter, ut ipſum quoque puduerit qui nihil ſolet habere frontis. Verùm dum hæc jactat *Bedda*, agnoſcit evidens mendacium: objecerat enim mihi, quod omnia defenderem, quod nullius monitis auſcultarem, reſpondi quod hîc criminatur *Bedda*, quæ mea reſponſio ſi vera eſt, ut eſt, mendacium erat quod fortiter objecit *Bedda*. Quid hoc homine ἐλεγχικώτερον? Si nihil muto, criminatur, ſi muto criminatur, & tamen huc me invitat. Epiſtolas ultro citroque inter nos miſſas, nondum intelligo quo conſilio putarit edendas, niſi ut mihi vir pure Chriſtianus apud *Lutheranos* conciliet aliquid periculi. Tantus eſt homini zelus adverſus hæreticos, ut homini orthodoxo in illorum gratiam faceſſat negotium. Amiciſſime tranſmiſit ad me notas errorum, ut ait; imo *Pariſiis* volitabant per manus omnium annis aliquot, antequam ad me mitteret verbum, nec unquam miſiſſet niſi multis blanditiis incantatus. Dein ſimulatque ſum auſus rogare, ut tribus verbis indicare dignaretur quid offenderet, protinus ſumſit hoſtiles ſpiritus. Sed ſi eſt tam candidus quam vult videri, cur loca, quæ porrexeram, tam furioſe exagitat? Neſciebat? Nec id fatetur, nec decet hoc hominem, qui fratri crimen hæreſeos impingit, potuerat minimo negotio conferre loca. Ergo ſi ſciebat, ut vult videri, ſaltem id debebat admonere lectorem in ſuo volumine, hîc *Eraſmus* parum eſt caute loquutus, ſed alias explicat quid ſenſerit; alias excuſat ſuam intemperantiam, quod ſcripſerit ad cautelam. At alii *Bedda* doctiores ita ſcribunt ad cautelam. Hunc locum aliquis calumniari poſſet, ſed illis & illis locis, & hoc eodem opere palam exprimit ſenſum catholicum. Hoc *Bedda* compluribus poterat locis. Id ſi feciſſet, ſimul & caviſſet infirmo lectori, & proximum non læſiſſet calumnia, nec multorum animos inflammaſſet in odium & obtrectationem. Sed aliud molitur *Beddæ* ſpiritus quo agitatur.

Sæpe provocat me ad exemplum *Auguſtini*. Quando *Auguſtinus* recantat quæ bene ſcripſerat? Nonne ad falſe objecta fortiter reſpondet? Mira vero temeritas, quod cum *Bedda* ſordida ſcheda denuntiaret, ut ab edendis libris temperarem, donec ipſe præclarum opus abſolveret, malui Principum & eruditorum voluntati morem gerere. Non ſuſpicabar ſub iſto miſero corpuſculo latere tantum *Phalaridem*. Quin ipſe nunc imitatur *Auguſtinum*, ut furioſum illum librum ſuum, juxta Regis edictum aboleat, ſi pium eſt *Auguſtini* exemplo male ſcripta corrigere? Sed fecit hoc quod futurum prædixeram, & quod ſolent effrontes, quodque apud *Maronem* faciunt paſtores *Damœtas* & *Coridon*, ad objecta nihil reſpondent, quoniam non poſſunt, ſed quod eſt facillimum, convitia convitiis aggerant, atque ita vincunt.

Ni-

Digitized by Google

Nihil facit nisi adhibitis in consilium amicis, at ipsa res declarat, illum nullos amicos magis adhibere in consilium, quam consultores pessimos, iram, odium, livorem, impudentiam & gloriam. Tam Theologice præfatus orditur. Ac primum singularis modestiæ nobis speciem edit, profitens nec sacratissimam Facultatem nec ipsum id velle, ut hos *Beddæ* libros pro canonicis Scripturis habeamus. Quanto periculo vir pius liberavit Orbem! Scilicet hoc erat futurum, ni in tempore monuisset. Atque hoc colore putat affatim excusatum, quicquid vel delirat, vel furit in scriptis suis. Detur hæc venia moderate scribentibus, non illi qui tanto supercilio, tanta rabie pronuntiat ac deblaterat in ea quæ non legit, quæ non intelligit, qui manifesta calumnia depravat pie dicta, qui nusquam non crepat hæreses & blasphemias, qui nihil spirat, nisi odium parricidiale, qui calumniis & mendaciis impudentibus rem gerit. Is postea nobis dicet, homo sum, labi possum, bono animo scripsi.

Præfatus se velle ab omnibus convitiis abstinere, non semel vocat mea juramenta exsecrabilia. Illius jusjurandum sacrosanctum est. Et hîc etiam se Deum facit, pronuntians de occultis mentium.

Ergo fieri potest ut *Bedda* quoque lapsus sit in libris suis. Quid igitur inter *Erasmum* & *Beddam* interest? Intentio discernit nos, *Bedda* quicquid scribit, scribit pia intentione cooperante Deo, *Erasmus* impia. Quam bellam sibi fenestram aperit hic καρδιογνώσης! Et hîc malitiosa sua vafritie conjungit *Lutherum*, *Erasmum* & *Fabrum*, & addit per humanitatis artes Theologizantium, quasi *Lutherus* rudis sit Scholasticæ Theologiæ, *Faber* Philosophiæ. Ac perpetuo jungit me cum *Fabro*. Quamobrem? Ut possit orbem convitiorum absolvere, ut si quid non quadret in me, quadret in *Fabrum*. Si quid minus hæret in *Fabrum*, hæreat in *Lutherum*. Et hinc ille circulus toties repetitus, *Lutherus*, *Faber*, *Erasmus*. Alioqui non haberent locum illa de corruptis, addictis, de discipulis, de præservatis, cum nihil horum in me competat. Ob piam igitur intentionem omnia, quæ scribit *Bedda*, sunt approbanda, juxta sensum scribentis intellectui consentaneum, & ut ille sensus defendatur, aliorum pie scripta debent in pravum detorqueri. Reperit *Bedda* colorem, quo sua omnia excuset, sed interim usurpat sibi partes Dei, cum de cordis intentione judicet. Unde illi constat quod Paraphrases impio animo scripserim? Si tester *Christum*, clamabit exsecrabile jusjurandum. Gloriatur illud admirandum Opus denuo *Coloniæ* fuisse excusum, quasi mirum sit alicubi reperiri unum atque alterum *Beddæ* simile. Ex illa Academia primum ortum est hoc incendium, dum *Reuchlinum* exagitant, & tamen excusi Operis pœnituit Typographos, quia nemo dignabatur emere. Verùm ut gloriatur excusum, ita silet, quod idem Opus Regis edicto fuerit *Lutetiæ* distrahi vetitum. Id Edictum, ne gravaretur Facultas, ipse *Bedda* sacro suo ore Bibliopolis edere coactus est, quanquam nihilo secius clam distrahebatur, delusa Regis auctoritate, quæ mirum quantum laudatur, cum reponit statuam adorandam. Eos, qui nescio quid ediderunt adversus *Beddam*, in favorem, ut videtur, *Fabri* ac meum, cum ignoret qui sint, tamen appellat clancularios *Lutheranos*. Quid ni? Quisquis non magnifice sentit de *Bedda*, non potest non esse *Lutheranus*. Hanc legem *Lovanii* sanxisse dicitur *Nicolaus Ecmondanus*. Quisquis mihi non aperit caput, nec assurgit, nec meas audit conciones, certo certius habetote illum esse *Lutheranum*. An nemo potest *Fabro* aut *Erasmo* amicus esse, nisi protinus fiat *Lutheranus*? Quin potius suspicor istos quicunque sunt, nec amore *Lutheri*, *Fabri* aut *Erasmi* facere quod faciunt, sed odio *Beddæ*, cujus nomen sic invisum est bonis omnibus, ut istam celeberrimam Academiam, & sacratissimam Facultatem in nonnullam odii portionem vocet. Mira vafritie narrat historiam, Regem Christianissimum laudat, videlicet Asinum ex Apologis referens catellæ imitatorem, quod Edicto jusserit, ut duodecim Articulos, in *Beddam* notatos, tota Universitas aut probaret aut damnaret, idque quam primum, nec id solito more, sed evidenter & expresse. Rex Christianissimus negat se perpessurum in suo regno monstra, blasphemias & hæreses. Hoc in genere cum illi perpetuum sit, non erat necesse testari. Verùm illud potius in *Beddam* dictum videtur. Delatum enim erat Christianissimo Regi, duodecim Articulos scatere blasphemiis & hæreticis erroribus. Hoc *Bedda* satis rhetorice dissimulat, quanquam non didicit Rhetoricam, & ad suum detorquet commodum. Merito laudat Regis pietatem, sed cur illi non obtemperatum est, cum illius pietas vetaret distrahi tres libros? Cur nihilo secius distracti sunt? Ubi hîc erat Regis pietas? Quare Rex jussit supprimi libros? Honoris opinor gratia, quod indignum judicaret tales margaritas projici porcis, & sanctum canibus. Et ubi tum erat illud *Pauli* non semel jubentis obedire Principibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam? Verùm quoties adversus *Beddam* facit Edictum, non habet pondus, sed detorquetur ad sensum ipsius intellectui consentaneum. Dira minitatur his, qui libellis nescio quibus ipsum impetierunt. At cum *Lampertus Campester* falsaret mea Colloquia, cum nuper editus sit libellus plusquam furiosus ficto titulo, nullo Typographi aut loci nomine, *Bedda* fruitur aliena insania, & fortassis sua, neque queritur. Hæc est *Beddæ* justitia. Multa comminiscitur, quare quod Rex illico fieri jubebat, tam diu dilatum sit. Jam enim ut opinor plusquam annus est. Atqui si Edictum Regium fuisset in rem *Beddæ*, vel improbitate perpulisset Academiam ad absolvendum negotium. Ut omittam multa valde *Beddaice* dicta, quos prius appellavit defensores hæreseôn & hostes Catholicorum, quorum propugnator est *Bedda*, eos nunc rogat, cur si erroris odio movebantur, non ad illum miserint suos Articulos, cur non appposuerint nomen suum? Non patrocinabor illis, quorum factum damno, sed cur *Bedda* non prædicat fidem suam in *Germania*? Aut cur non persequitur illos, qui *Lutetiæ* famosos libellos edunt in *Erasmum*?

Rursus numerat nobis suos Articulos, in *Fabrum* CCCLII. in *Erasmum* CXCVIII. In summa DL. sed addere debebat, exceptis mendaciis & calumniis. Mirum artificium, ubique nos duos conjungere. *Bedda* habet auriculas duas, pedes totidem: Asinus *Indicus* habet auriculas duas, pedes quatuor, cornu unum, si in summam conferas, reperies XI. Si Rex Christianissimus egeret morione, quem alium adsciseret potius quam hunc *Beddam*, tam serio ridiculum? Sed quis dubitet de scriptis *Beddæ*, posteaquam summi *Germaniæ* Theologi litteris suis testati sunt, Deum in eis libris ipsi fuisse συνεργόν. Mox *Colonienses* Academia cœpit illi inclyta esse, posteaquam illic divinum Opus excusum est. Et quid aliud possit esse quam summus Theologus, qui *Beddæ* scripta miratur? Quanquam suspicor illum usum heterosi, & ex Theologo feciisse Theologos. Cum toties fingat se judicium aliis deferre, tamen subinde inculcat se certum esse, quod nullus bonus Theologus non sit omnia probaturus quæ scripsit, duntaxat juxta sensum ipsius: deinde nullum fore bonum Theologum, qui non dicet meos libros damnandos. Post tam grave præjudicium quis audebit adversus *Beddæ* libros hiscere, nisi statim audire velit, malus Theologus & *Lutheranus*? Jam quid si ego proferam Epistolas Theologorum complures, inter quos & Episcopi sunt, adeo vitæ sanctimonia, recondita doctrina, sobrio judicio præcellentes, ut *Beddæ* sit indignus qui illis matulam porrigat, salvus sit aurium honos, num protinus omnes erunt mali Theologi, & hæreseôn fautores? Utrum hîc agitur de sensibus *Beddæ*, an potius de calumniis, quas impingit immeritis, de mendaciis, quæ sine fronte profundit, de blasphemiis, juxta sensum

eorum qui vere diligunt *Christi* gloriam. Incusat suam memoriam, quæ nihil retinet eorum quæ legit, quasi pilo felicius esset ingenium. Atqui cum opus sit scripturo multarum rerum memoria, quin aliis cessit istam provinciam? Totam ferme ætatem detrivit in quæstiunculis *Scoticis*, nunc pene sexagenarius incipit legere *Augustinum*, hoc est versatur in alio Mundo, quem ideo non tenet memoria, quia non intelligit. Transilio quæ blaterat in Articulos *Fabri*, quanquam aliquanto modestius quam in me, formidine fustis: nec tuebor, si quid ineptierunt qui libellis anonymis ludunt, nullius majore malo quam meo. Tantum obiter indicaturus sum, *Bedda* deploratam impudentiam. Asseverat hanc propositionem, *dies judicii incognitus est Filio Dei*, &c. esse in fide erroneam. Sed addit, *secundum sensum quem primum facit*. Primum hæc verba nusquam sunt in scriptis meis. Quis enim nunc dicit diem esse incognitum *Christo*? sed verissimum est, *Christum*, cum fuisset in carne, sic fuisse discipulis loquutum. At major debebatur reverentia Scripturæ Euangelicæ, quam *Bedda* tribuit, *hæc propositio falsa est*. Satis erat dicere, talis hujus sermonis interpretatio est in fide erronea. Sed *Bedda* ubique videtur plus deferre suis distinctiunculis quam auctoritati Scripturæ divinæ. Ad locum qui est in Epistola ad Cæsarem, cum abunde responderim, tamen *Bedda* dissimulans repetit eandem calumniam: cum ajo, *quem solus Pater norit*, mutato verbi modo, effeci ne quis possit ad meam personam referre: & si dictum fuisset, *novit*, quid aliud poterat interpretari lector sobrius, nisi indicatum Euangelii locum in quo talia habentur? Tam est impudens, ut scribat in Opus, quod nunquam legit, & non lecta responsione, aut certe non intellecta, pergit calumniari quasi nihil sit responsum. Sed quid refert illum legere, cum prius effluat è memoria, quam influxerit? Quorsum opus erat hîc philosophari, quod *solus* non excludat alias personas, cum *Marcus* expresse Filium excludat? *Sed hic sermo* Marci *juxta sensum Grammaticum*, inquit, *est erroneus in fide, sive sententias de divina natura* Christi, *sive de humana*. At iste sensus Grammaticus mihi ne per somnium quidem unquam in mentem venit, & reddidi causam idoneam, cur ibi non explicuerim verba *Christi*. Nec est Paraphrastæ, omnes Scripturæ difficultates enarrare. Quod si meis verbis offendetur lector, quæ ex Euangelio recito, multo magis offendetur ipso Euangelio. Et cum in mea responsione monuerim, me multis locis explicare sensum ejusmodi locorum, nominatim quendam indicans qui tum forte occurrebat, tamen iste perfricta fronte, confirmat me semper in Paraphrasibus sequi sensum Grammaticum. O linguam ferro resecandam! Ac triplicem loci expositionem cum in Paraphrasibus alicubi complectar, cum sit apud eos auctores in quibus potissimum versor, tamen videri vult mihi nihil tale venisse in mentem, priusquam ipse nos doceret. Nec mirum, omnia quæ legit *Bedda* in talibus auctoribus, sunt illi nova, nec putat à quoquam ante lecta. Et interim nec mendacia depellit, nec calumnias quas illi in os impegi. Sed *Bedda* catholice loquutus est secundum suum sensum, bona intentione, & ad cautelam. Applaudite zelotæ. Etiam nomen invidet meis Paraphrasibus, in quibus requirit brevitatem. Præscribat igitur nobis, quot verba liceat addere. Sed quî convenit, ut in me requirat brevitatem, & incuset, quod non explicuerim triplex commentum? Nec tam excusavi brevitatem quam personam loquentis, cui non potui tribuere sermonem interpretantis. Et tamen illa ipsa verba, quæ calumniatur *Bedda*, non repugnant sensui mystico, imo subindicant. *Quoniam Pater sic intelligit expedire saluti vestræ, sibi uni servavit hoc arcanum: uni*, non excludit alias personas, & sibi servat qui non mandat prædicandum, & Filius legatus hoc quodammodo nescit, quod non recepit evulgandum. Quid hac calumnia de verbis malitiosius? Et hujus generis sunt omnia fe-

A

B

C

D

E

F

te *Beddaica*. In uno Capite *Lucæ*, sum prolixior, explicans illud, *incipiens a Mose & Prophetis*, & facio *Christum* ea loquentem, qualia probabile est illum dixisse. In cæteris videor mihi non excedere modum Paraphrasis. Quis autem præscripsit huic rei modum ante *Beddam*?

Hîc re feliciter perorata, exspatiatur in locum communem, me esse *Proteum*, & eloquentiam sine sapientia multùm officere civitatibus; & quicquid excusat *Erasmus*, tamen esse verum illud lepidissimum *Stunicæ* proverbium, *aut Erasmus Lutherissat, aut Erasmissat Lutherus*. O morionem! Addemus & hoc adagium, *aut Coræbus Beddaissat, aut Bedda Coræbissat*. Quid ais? Si Paraphrasi explicem illud Pauli, *Regnum Dei non est esca & potus*: aut illud, *Noli judicare fratrem in cibo & potu*: non refert, utrum hoc sub *Pauli* persona ut illo tempore dictum proponatur, an hodie sub persona *Erasmi*? Id cum perspicuum sit & pueris, tamen *Bedda* non potest divinare, quid sit personæ decorum, tantum adsuetus conclusionibus & corollariis. Notat quod in Diatriba cum *Luthero* tantum tres tractem quæstiones, nec asseram, sed aliis judicium deferam. An non satis asserit, qui solide argumentatur? Et in initio libelli tracto de auctoritate Ecclesiæ & veterum Orthodoxorum, unde pendet tota *Lutheri* causa, & tamen audet dicere, quod ea disputatio nihil offecerit causæ *Lutheri*. Atqui *Lutherus* ipse fatetur, me petisse totius negotii sui caput. Addit, quod scripserim, eo compulsus auctoritate Principum. Quod silui erat modestiæ, quod obtemperavi pietatis. *Beddam* quis huc furoris adegit? Amici prædicti, quos habet à consiliis. Sed laudavi quiddam in *Luthero*. Quid tum? Nihil in eo probandum, quemadmodum *Bedda* nihil probat in *Erasmo*? At *Ecmondanus* evulgans diploma Pontificis in *Lutherum*, appellavit illum virum doctum, scripsisse quosdam libros in quibus nihil inesset erroris. Id audivi præsens. Quo plus tribuimus operibus nostris, hoc minus tribuimus bonitati divinæ, cui debentur omnia. Et si quid in benefactis nostrum est, extenuare pietatis est, ut extollamus divinam misericordiam. Hactenus probo *Lutherum*, cum *Bedda* probet eos qui sua bona opera vendunt heminatim. Novit enim *Bedda* quantum emolumenti colligatur ex hujusmodi nundinationibus operum. Itaque quoniam vere Græcorum proverbio dictum est, χαλεπὸν χοιρίων κύνα γεῦσαι, non mirum si nolit avelli. Cætera quæ disseruit *Lutherus* de bonis operibus, si probassem, non refellissem in eodem libello. Theologi Scholastici plus tribuunt *Augustino* quam *Hieronymo*, aut *Ambrosio*: hoc alicubi scripsit *Erasmus*. Quis hoc negat? Sed offendunt hæc verba, *in Scholis occuparunt tyrannidem*. Hoc pulcherrime quadrat in *Beddam* ac *Beddæ* similes. Ajo me plus pii affectus colligere ex una pagina *Origenis* quam ex decem *Augustini*. Num ideo probo, si quid lapsus est *Origenes*? Aut num protinus mihi putet *Augustinum*? Quid mihi usu veniat dico, si *Bedda* plus pietatis colligit ex *Scoto*, & ex resumtis suis, fruatur. Ubi vero contemno *Gregorium*? Imo mihi videtur aliquando castius tractare sacras Litteras, quam *Augustinus*. Reliqua convitia de regno meo, non minus me delectarunt, quam olim *Herculem* rusticus ille *Lindius*.

Ad X. Articvlvm.

Rursus hunc tractat, quasi nihil omnino responsum sit, cum plus octies ad ista responderim. Quid faciam isti rabulæ? Ait me abusum vocabulo *injuriæ*, cum ajo, *injuriam injuria repellat*, imo proprie sum usus, ne legitimam animadversionem excluderem. Ajo, *ut jus armorum Christianis in totum excuteret*. Rursus indico, de quibus armis loquar, quoniam præmiseram omnem ulciscendi libidinem, de ultione loquor quam dictat ira, non justitia. Et utcunque accipias, si spectas personam *Christi*, cujus verba interpretatur Euangeli-

Digitized by Google

gelista, si Apostolos & illa nascentis Ecclesiæ primordia, verissimum est, jus omne bellandi fuisse interdictum Christianis. Denique quod expono, commentum est Orthodoxorum. Et hîc quiritatur ad Reges omnes & Cæsarem, quasi illis de manibus arma excutiam, palam & suo more mentiens. Utinam nulla esset bellandi necessitas! Atqui tot locis doceo, qua moderatione bellandum sit. An hoc est damnantis bellum? Sed *Bedda* nihil legit nisi quod calumniatur. Nescio qualis sit *Bedda* zelus: nusquam acrius incandescit, quam cum attingitur fiducia bonorum operum, cultus imaginum. Quidam in concione, loco salutationis Angelicæ, invocari jussit divinum Spiritum. Nonne periclitabatur ibi tota Ecclesia, nisi *Bedda* præstitisset *Atlantem?* De vera ac spirituali pietate nulla illi cura est. Totam horum temporum calamitatem imputari vult scriptis *Fabri* & *Erasmi*. Quo argumento? Quia post editos libros nostros accidit. Ego vicissim illi imputo Romanæ urbis miserabilem ruinam, quia postquam edidit suos maledicos libros *Bedda*, accidit illud excidium. Et hîc addit, omnes Ecclesiæ proceres dormitasse, solo vigilante *Bedda*. Quantum illi debet Ecclesia!

AD XI.

Si *Christus* in terris agens exegit à suis jejunium quemadmodum *Joannes* à suis, doceat *Bedda*. De jejuniis, quæ Lex exegit, non loquor, nec de jejuniis post ab Ecclesiæ primatibus indictis. Quo modo sit intelligendum de prolixe & semper orando, & paucis orando, pluribus explicui locis, & in Paraphrasibus, & in Annotationibus, & in libello *de modo orandi* dilucide expedivi, & melius quam *Bedda*, qui nobis distinxit preces publicas & privatas. Sed venenum latet in gerundio, *orandum: docuit orare*, recte erat, *docuit orandum*, hæreticum: ô tricas verborum! Quod *Christus* docuit facere, utrum faciendum est an non? Et Precatio Dominica utrum brevis est an non? hanc præscripsit *Christus*. Sed damno prolixas preces, quæ fiunt in Templis. Ut compendio respondeam, mentitur *Bedda*, nec id facit insolens. *Christus* non dixit simpliciter, *nolite multum loqui*, sed addit, *sicut Gentes faciunt*. Nec paucis locis doceo, nihil fuisse semper majori studio Christianis, quam deprecari non sine vigilia & jejunio. Et tamen nihilo deterius haberet Religio Christiana, si publicæ preces aliquanto breviores essent, modo tanto ferventiores. Postremo Divus *Augustinus* laudat breves precatiunculas, subinde cum affectu ejaculatas. Atque hîc obiter rixatur cum *Fabro*, quasi debeam pro illo pœnas dependere. *Bedda* fortassis *Enchitarum* causam agit, qui Psalmos suos frigide demurmuratos, nec intellectos, numero venditant, quemadmodum venduntur ova & mala.

AD XII.

Propositio respicit eandem hæresim, *hoc non intellexit Erasmus*, ait *Bedda*. Imo Prologo testatus sum, *Beddam* ubique connectere *Lutherum*, *Fabrum* & *Erasmum*, ut faciat locum calumniæ. Cum mea propositio sit sententia *Pauli*, quî magis respicit hæresim *Lutheri*, quam *Pauli?* Sed docet me idem sensisse. Quid? Opera bona nihil conferre ad salutem? Imo nihil in omnibus scriptis meis ago frequentius, quam ut provocem ad pios mores, nec aliam prædico fidem, quam per dilectionem operantem. Cur ex his locis innumeris nullum adducit? Decerpit quædam malitiose, dissimulans ad illa abunde responsum esse. *Nullum*, inquam, *est opus hominis ita bonum, ut mereatur præmium vitæ æternæ*. An hoc consentit cum eo, nihil referre qualia nostra sint opera? Dico *opus hominis*, quota vero portio nostra est in bono opere? Et confero hoc opus cum præmio vitæ æternæ, cum ajo *ita bonum*. Si nostra opera æquant præmium æternæ vitæ, agnosco errorem. Sin multo secus habet res, agnoscat *Bedda* calumniam suam. Revocatur & illud, *Sola credulitas via est ad immortalitatem*. Negat igitur *Bedda*, fidem ostium esse salutis. Et ad hæc cum responderim, impudenter dissimulat. Quanquam ubique fere Paraphrasis agit de meritis *Judaicis* præcedentibus baptismum, quemadmodum in eo quod citat, *Beneficium* Christi *soli fidei datur, non meritis*. Hujusmodi sententiis cum undique scateat *Paulus* & *Petrus*, tamen *Bedda* pronuntiat hæreticas, nec usquam aliud videtur agere, quam ut Euangelici spiritus vigorem exstinguat suis frigidis cavillationibus.

Cum *præsidium* sit Latinis principale auxilium, cum in bonis operibus minima pars sit hominis, tamen hæreticum putat, si quis vetet hominem *præsidia* salutis in suis operibus collocare.

Nusquam nego ex bonis operibus ali spem ac fiduciam, nec usquam doceo post baptismum non esse studendum bonis operibus, imo palam exsecror eos qui diversa docent. Et tamen colligit pariter de *Fabro*, *Luthero*, & *Erasmo*, quasi simul doceamus bona opera nihil adferre momenti ad salutem. Quid *Lutherus* aut *Faber* super his rebus doceat nescio: in meis scio nihil esse tale. Verùm ut loquamur de operibus caritatis post baptismum, quis unquam Orthodoxus docuit, nobis spem aut fiduciam esse collocandam in bonis operibus nostris, quatenus nostra sunt? Quis unquam sanctus hoc ausus est dicere? Ac non potius diffisus factis suis, confugit ad Dei misericordiam? Necessaria sunt bona opera, sint, exceptis ut ajunt excipiendis, sed quis in illis ponit salutis fiduciam? *Maledictus qui confidit in homine*. Et cum hæc tam stolide deblaterarit, addit atrocem clausulam, clamitans non esse tolerandos ejusmodi libros in Ecclesia, tam pestiferis refertos erroribus. Imo nihil doceri potest nostræ religioni perniciosius, quam operum humanorum fiducia, sive loquaris de crassis & ceremonialibus, sive de quibuscunque, sive de his quæ præcedunt baptismum, sive de his quæ sequuntur. Et si Christianissimus Rex satis pernosset istius *Beddæ* ingenium, non sineret illum suis sycophantiis celebrem illam Academiam inficere pariter & dedecorare, sed aliquo in terras ultimas deportari juberet. Quod utinam concedat Ecclesiæ & fidei catholicæ pius & misericors protector Deus! Amen.

Post hæc *Bedda* noster ex censore fit notarius, vel quod ipsi magis blanditur, notularius.

Ad dogma quartum, quintum & sextum notat, quod ex Orthodoxorum commentariis reddens rationem, quare *Christus* negaverit filium hominis scire diem extremum, ajo, *ni ita fuisset loquutus, nec consolatus fuisset animos suorum, nec sciscitandi studium compescuisset*.

Hîc *Bedda* conatur docere, me significasse quod *Christus* non potuerit suos alio modo vel compescere vel consolari. Hoc objici potest omnibus qui explicant rationem humanæ dispensationis Christi. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. clamet hîc quoque, an Deus non potuit alium aditum patefacere in regnum Cœlorum? Non disputavimus, miserande *Bedda*, quid potuerit Deus, sed quid illi dispensationi congruerit, non compescuisset, non consolatus fuisset tali sermone, juxta rationem destinati consilii. Alia calumnia: si hoc voluisset *Christus* quod divino, dixisset ex animo verba discipulis, unde certo colligerent eum non esse Deum. Imo hoc congruebat illi dispensationi, ut discipuli multa veluti per somnium intelligerent, nec intelligerent, & *Christus* sciebat illos non intellecturos quod dicebat. Jam si hinc certo colligi poterat non esse Deum, multo magis illinc colligi poterat, quod esuriit, quod delassatus est, quod indoluit, quod mortuus est. Postremo suspicari poterant, quod divina natura nondum revelarit humanæ diem illum. Hoc mihi tamen ex superfluo dicitur, cum nihil simile sentiam. Quæso lector, nonne vides bellas notulas?

Post hæc mire destomachatur, mihique lethæum somnum objicit, sed adeo ridicule, ut vix referre libeat;

Digitized by Google

& ſi maxime libeat, non ſatis intelligo quid ſibi velit. *Si Paraphraſis*, inquam, *mea ſic* Chriſtum *feciſſet loquentem, Scio quidem, ſed vobis neſcio*, &c. *Quid enim*, inquit *Bedda, confert Apoſtolis, quorum anima Cœlum feliciter intrarunt ante annos quadringentos ſupra mille*, Eraſmica *Paraphraſis?* Atque hîc mire geſtit noſter morio, contra ſtupet, dormit altum, deſipit, deprehenſus eſt *Eraſmus*, nec divinare poſſum quid homini acciderit, niſi quòd ſuſpicor hoc illum male habere, quod hodie Paraphraſis, id eſt, *Eraſmus* ipſe (ſic enim interpretatur *Bedda*) ſollicitus eſt, ne Apoſtoli fraudentur conſolatione, cum nunc in Cœlis agentes, nulla egeant conſolatione. Quo quid unquam ſtultius dixit *Calietus* aut *Nago?* In Paraphraſi explico ſententiam *Chriſti Petrum* increpantis, *vade retro Satanas*, &c. Cur hîc itidem non exclamat, indignum facinus, *Eraſmus* reprehendit *Petrum* in Cœlo cum *Chriſto* regnantem? Adeo miſer non intelligit, quid ſit perſonæ ratio. Idem dico in Paraphraſi quod *Chryſoſtomus* in commentario. Ille pie dixit, ego inſanio, ô Theologum, ô cenſorem, ô Syndicum, ô *Beddam!*

Ad dogma ſeptimum, *Bedda* omnino vult nos regerere malum, hoc eſt, injuriam injuria penſitare. Nam juſtitia, qua Magiſtratus legitime punit nocentem, non eſt malum ſed bonum, nec injuria ſed jus, & Notularius manifeſto falſum colligit, me jus armorum in totum excutere Chriſtianis. Atque ſic agit hîc *Bedda*, quaſi duritiæ *Judæorum* non aliqua permiſſa ſint, quæ nobis non conceduntur, veluti remedium zelotypiæ, ac divortium levibus etiam de cauſis. Aut quaſi nullum ſit odium, niſi quod optat alteri ſempiternum exitium. Nam hoc odio videtur potiſſimum laborare *Bedda*, ad cujus intellectum pravum, multa perperam dicimus.

Rurſus movet rixam, quod *animam* dixi pro vita corporis, & vult videri me tam inſanum, ut exiſtimem *Chriſti* animam, hoc eſt, ſubſtantiam animæ vel interiſſe morte, vel in æternum damnatam. Si frequenter Scriptura ponit *animam* pro vita corporis, cur *Eraſmus* ignoranter loquutus eſt? Imo ſi Dominus in eadem ſententia bis animam nominans, priore loco ſentit de vita corporis, poſteriore de ſalute ſpiritus, ut, *qui dilexerit animam ſuam perdet, qui perdiderit, inveniet*, cur mihi impingit calumniam quæ recidit in *Chriſtum?* Et hic eſt qui negat ſe jam olim vel in leviori-bus rebus deſiiſſe mentiri, cum hujus generis innumera effundat. Videtur autem ſentire, levius eſſe mentiri in rebus maximis quam in minimis. O cœlum, ô terra, ô maria *Neptuni! Eraſmus* falſi crimen commiſit in *Beddam*. In ſacra cenſura *Bedda*, amanuenſis aut typographus omiſit adverbium, *gratis*. Quoties tale crimen in meis admiſit *Bedda?* Sed quid refert omiſſum eſſe in cenſura, cum tota reſponſione nihil aliud audias quam *gratis?* Verùm neſcio in quem ſtomachetur. Certe in meis Supputationibus additur *gratis*. Litigat, opinor, cum libello quodam anonymo. Repetit quod callidiſſima dicendi arte, faveam abolendis feſtis, canonicis jejuniis, religionis votis, formis veſtium, ac ciborum delectui; imo hoc impudentiſſime mentitur *Bedda*. Et hîc rurſus exſpatiatur debacchans in alienum inſtitutum, de quo judicat, cum non intelligat rei circumſtantias, ſimul injuriam faciens illi, cujus eſt irrefragabilis auctoritas quoties pro ipſo facit, & judicans de aliena conſcientia, quod ſibi Deus reſervatum voluit. Neque raro nobis occinit illud *Bernardi*, ſed ſuis verbis ob inopiam memoriæ: *Non placet Deo quicquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris.* Ergo ſi *Bedda* videret hominem de vita periclitantem, ſineret illum interire, & diceret preces veſpertinas. Sic enim argumentatur, quaſi ſolum hoc debeatur Spiritui Sancto, quod humanis conſtitutionibus præſcriptum eſt, chariſmata meliora, non ſpectent ad Spiritum Sanctum. Multa item ſuo jure mentitur, quod improbem Ordines Religioſorum, cum multos confirmarim vacillantes. Sed hac de re brevi reſponſurus ſum accuratius, quando ita vult. Interim precor ut Domini miſericordia liberet ipſum iſto ſpiritu ſycophantico, & ad omnem malitiam inflammato. Prætereo nugas aliquot pluſquam pueriles. Arrodit denuo, de quinque viris & ſexto *Samaritana*, quos ideo negavi viros, quod eos licet in matrimonio, tamen ad libidinem habuerit. Atqui hoc docet *Tertullianus* in libello *de monogamia*, & idem, ni fallor, affirmat *Hieronymus*. Certe probabilis eſt ſententia. Nec *Bedda* poteſt docere contrarium, præſertim cum in Scripturis *vir* pro legitimo marito uſurpetur, non pro amatore.

Aſſertio 7. Cum toties declararim, in Paraphraſi me loqui de operibus baptiſmum præcedentibus, tamen *Bedda* diſſimulat ut ſit locus calumniæ. Diſſimulat item quod docui, *ſola*, frequenter uſurpari pro præcipua.

Aſſert. 8. Cum loquar de teſtimonii declaratione, *Bedda* interpretatur de ſimplicitate eſſentiæ. An non potuit Patris teſtimonium, ſive *Bedda* malit teſtificatio, innoteſcere ſine Filii teſtimonio? Tum enim Filium multi non credebant. *Judæos* illos craſſiores, Filium & Spiritum Sanctum aut ignoraſſe, aut per nebulam intellexiſſe, non mea eſt aſſertio, ſed Orthodoxorum veterum.

Aſſert. 9. Imo *Auguſtinus* ubique defendit, *Pharaonem* non potuiſſe non peccare, quod ad ipſum attinebat, & tamen non fuiſſe innocuum. Nec ſtatim innocens eſt, qui ſua cupiditate victus peccat. Quiſquis peccat, juxta *Auguſtinum* hactenus libere agit, quia ſua voluntate peccat, hactenus non libere, quia perverſam voluntatem non poteſt ex ſe mutare.

Aſſert. 11. Angelos propter hominem creatos manifeſte docet *Paulus*, appellans eos miniſtratorios Spiritus. Nec dubito an Angelus ſit perfectior homine ſecundum naturam, ut nugatur *Bedda:* ſed an ſimpliciter ſit perfectior, quod diſſimulat *Bedda*. Certe beatam Virginem credimus Angelis perfectiorem. Porro quod me ſignifico ſummum Theologorum, *Bedda* ſumma, ut ſolet, mentitur impudentia. Nihil tracto in Theologia quod à Grammatico tractari non poſſet. Quandoquidem & *Badius* ſcripſit in Epiſtolas *Pauli*, ſequutus neſcio quem obſcurum, mihi non licet ex probatiſſimis Eccleſiæ Doctoribus concinnare Paraphraſes?

Aſſert. 12. Quid faciam iſti lebeti *Dodonæo*, ſemper eadem recinenti? *Chriſtus* dedocuit delectum ciborum, & eum delectum revocare non erat fas Apoſtolorum temporibus. Hæc nihil ad conſtitutiones *Franciſci* ac *Benedicti*.

Aſſert. 13. *Bedda* interpretatur *imputat* pro *exprobrat*. *Exprobrat* ad pœnitentiam, ſed non *imputat* ad hoc, quo minus baptizentur æque atque *Judæi*. Hoc me ſentire, ſermonis mei tenor indicat.

Aſſert. 14. Qui infirmitate lapſus peccatum ſuum agnoſcit, videlicet pœnitens, jam incipit habere bonam conſcientiam. Sed quoniam ex numeris à *Bedda* notatis nihil potui invenire, multa cogor omittere.

Aſſert. 15. An Græci recte faciant viderint alii, certe hoc hodie faciunt, & Sacerdotum continentiæ ſic faveo, ut vehementer doleam apud illos eſſe tantum incontinentiæ. Verùm ut nunc ſunt res, dubitari poteſt, utrum minus ſit mali Sacerdotibus concedere conjugium, an pati tam impurum cœlibatum, nec tamen loquor de conſecratis, ſed conſecrandis.

Aſſert. 1. ex libris Supputationum. Meras nugas adfert, oſtendi verum eſſe quod dixi, docui titulum in libris additum non cogere nos, docui nullo Concilio hoc fuiſſe decretum.

Aſſert. 2. Nugas agit, & abunde reſpondi multis locis. Belle ſequitur, expoſitio Scripturæ peti debet à doctis, ergo non eſt fas Laicis evolvere ſacros Libros. Sic ratiocinatur *Bedda*, qui detritus eſt in Dialectica.

Aſſert. 3. Nihil agit, nec reſpondet ad ea, quæ dixi-

Digitized by Google

diximus in Supputationibus. Nec me dixi non credere quod depravat Notularius, sed dubitare.

Assert. 4. Hîc præter calumniam malitiosam, nihil est.

Assert. 5. Mera cavillatio est.

Assert. 6. 7. 8. 9. Abunde responsum est, cum aliis locis, tum in Annotationibus 1. *Corinth.* VII.

Assert. 10. 11. 12. Suo more mentitur *Bedda*, quod compluribus locis testor in meis litteris. *Christus* voluit suos esse perfectos, & inter perfectos non est opus jurejurando. Nec usquam dico peccare quisquis jurat, sed à malo proficisci, sicubi necessarium est jusjurandum.

Assert. 13. Quod carpit *Bedda*, retulit Episcopus *Rossensis*, *Hieronymum*, ni fallor, sequutus. Nec alterum sensum nego.

Assert. 18. Meras blaterat calumnias. Quin omnibus Deus impartit voluntatem continentiæ, & quorundam voluntatem aliqua de causa destituit. Quis dixit *Paulo* non præsto fuisse gratiam ad continentiam? Imo sæpius doceo *Paulum* non fuisse tentatum libidinis stimulis, sed hactenus non fuit præsto, quia non impetravit quod orabat.

Assert. 19. 20. Ut omittam alias *Bedda* nænias, vide insigniter impudentem calumniam. *Paulus* scripsit, *Volo omnes esse sicut ego sum*, & ajo quosdam putasse, *Paulo* fuisse uxorem, ergo, inquit, volebat omnes esse conjugatos. Sterquilinium. *Paulus* si habebat uxorem, abstinebat ab usu conjugii. Hactenus volebat omnes sui similes esse. Et hic est ille qui nihil mentitur, nihil calumniatur, sed fraterna caritate facit omnia.

Assert. 21. 22. Nihil est responsione dignum. Calumniatur & mentitur *Bedda* suo jure, suoque more.

Assert. 23. Mira sed non nova *Bedda* impudentia. Dixi primos Scripturarum interpretes Latinos ex Græcis hausisse quæ differebant, veluti, *Cyprianus*, *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Ambrosius* & *Augustinus*, & *Bedda* sic interpretatur, quasi contemnam omnes Theologos, qui Græce nesciunt. Scripsit hac de re *Latomus*, verum, sed respondi.

Assert. 24. Quod dubitarim unquam cum *Elvidio* de puritate vitæ beatæ Virginis, quod attinet ad peccatum, suo more mentitur *Bedda*. Nunquam mihi ea cogitatio venit in mentem. Si impius est qui de conceptione illius dubitat, magis impii sunt veteres Orthodoxi, qui laudis hoc uni *Christo* tribuunt. Nec locum opinor ita à me positum, pro *quo animo*, refert *quomodo*: nec numerus illius indicat mihi suum locum, fortasse corruptus. Quanquam hîc quoque dissimulata responsione mea, repetit calumniam.

Assert. 25. 26. Meras nugas agit. In Conciliis nusquam præcipitur hanc Epistolam habendam pro *Pauli*, ita ut qui dubitet de auctore sapiat hæresim. Alioqui mecum oportet accuset *Hieronymum* & *Augustinum*, quos doceo de auctore dubitasse post *Nicænum* Concilium, & fortasse *Carthaginense*.

Assert. 27. 28. nihil habent responsione dignum.

Assert. 29. Ego fateor me dubitare, doceat *Bedda* quod ad plenum intellexerit mysterium divinæ naturæ humanæ unitæ. Quod autem *hominem* posui pro humana natura, si blasphemum est, imputet *Augustino*, cæterisque Orthodoxis qui nobis sic loquuntur, imputet Ecclesiæ quæ sic canit. Quid opus erat hac cavillatione?

Assert. 30. merum est nugamentum. Assumit, quod *Joseph* perfecte noverit *Christum* esse Deum & hominem, assumit quod Patriarchæ timuerint semper suis ne abuterentur. Et indicavi quomodo potuerit illi bene precari sine injuria divinitatis, quemadmodum Deo precantes dicimus, *gloria tibi Domine*. Denique stultam differentiam, *benedixit illi*, & *benedixit illum*, refelli, quam tamen repetit *Bedda* dissimulans quid responderim.

Assert. 31. 32. 33. 34. Dixeram, *an evidenter cognoverit*, *Bedda* sic ratiocinatur, quasi dubitem an ullo modo cognoverit. Deinde quod ajo, probabile esse beatam Virginem curam egisse sui infantuli, more cæterarum matrum, quod etiamsi sciebat esse Deum, dubitare tamen poterat, quando aut quomodo vellet divinitatem suam proferre: quid habet hîc *Bedda* quod calumnietur?

Assert. 35. Ad hanc abunde respondi. Quod obedientia non est, nisi ubi est major & minor, falsum est: potest enim fieri ut præceptor obediat discipulo, aut amicus amico. Verbum *debendi* non est in scriptis meis. *Pater jubet*, *Filius exsequitur*, *fiat lux*, *& facta est*. Nec hæc jussio tollit æqualitatem naturæ, sed indicat originis principalitatem.

Assert. 36. Assumit quod auctor & causa idem valeant apud Latinos: id falsum esse docui. Jubet me loqui more Patrum, sic loquutus est *Hilarius* in libris *De Trinitate*, multis locis. Si Pater creat per Filium, omnia per ipsum facta sunt, relatio quædam est inter principium mandans, & inter Filium exsequentem.

Assert. 37. 38. 39. Mentitur hîc *Bedda*, idque suo more, me conferre instituta Monachorum aut Regulas *Benedicti*, *Francisci*, & *Augustini* cum idololatriis, tantum noto abusum hujus vocis *religiones*, multitudinis numero, quæ apud Priscos non reperiebatur, ut declararet instituta varia Christianorum. Deinde quod negant alios Religiosos esse, qui Monachismum non sunt professi. Ut nihil pudet hunc furiosum rabulam!

Assert. 40. 41. 42. 43. quoniam nihil habent, nisi rabiosam cum summa vanitate maledicentiam, non est quod respondeam.

Assert. 44. 45. 46. Nihil adfert responsione dignum.

Assert. 47. De caritatis & fidei comparatione nunc non disputo: *Paulus* illic non affirmat, sed docendi gratia fingit fidem absque caritate, & caritatem appellat, non quamlibet, sed eam proprie quæ inservit commodis proximi. Ego fidem vivam, & quoties datur facultas per dilectionem operantem, confero cum ipsis operibus. *Bedda* confert fidem mortuam cum caritate. Porro quod dixi, fide sola justificari qui veniunt ad baptismum, justitiam quam ego voco innocentiam remissis peccatis, ille detorquet calumniose ad officia pietatis, quæ tota vita præstanda sunt.

Assert. 48. Si de Patre, Filio & Spiritu Sancto recte dicimus tres sunt, quod in *Joanne* legimus, *tres sunt qui testimonium dant in Cœlo*, itidem licebit de Patre & Filio dicere, duo sunt. Agit enim Dominus ex Legis præscripto, *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, cum ait, *ego de me ipso testimonium perhibeo*, *& testimonium perhibet de me Pater*. Non enim congruit collectio, nisi aliquomodo liceat dicere duos testes. Jam durum est nobis præscribere, ne quibus verbis utamur nisi compertis in divinis Voluminibus, præsertim cum Theologi recentiores tot verbis ex Philosophia confictis abutantur: sed caute addidit, *quæ non recipit Schola*, quasi sit una Theologorum Schola, aut quasi Scholæ nunquam errent. Quanquam ego non dixeram, *duo testes sumus*, sed *duo sumus*, ut responderet *in ore duorum vel trium testium*: nec erat causa cur *Bedda* torqueret ad calumniam, quasi duo posuerim neutro genere, ubicunque tres sunt, ibi unus est, & duo. Jam sunt Theologi Scholastici, qui putant has propositiones, tres sapientes, tres omnipotentes, non esse impias, de rigore sermonis, sicut impiæ non sunt, tres sapiunt, & tres omnia possunt, modo intelligamus esse tres Personas, quarum unaquæque sapiat, sed eadem sapientia. Cæterum quod pro *testimonium dant*, dixi *tres testificantur*, nescio quid sibi velit *Bedda*. *Joannes* Græce scripsit, *tres testificantes*. Ad hanc calumniam cum accurate responderim, *Bedda* nugatur quasi nihil sit responsum. Nec aliud illi supereſt, quod calumnietur, nisi quod, *duo sunt*, de Personis divinis, nusquam est in Scripturis divinis. Sed ubi est in Scriptura, quod nobis ex

Digitized by Google

Thoma recinit, cujus rhythmis videtur mire delectari, *Nulla rei fit scissura, Signi tantum fit fractura?*

Assert. 50. Admiscet de jejunio, cujus non memini. De constitutionibus hominum non loquor, nec unquam eos defendi qui temere vescuntur, aut bibunt, aut vestiuntur, contra probatas hominum constitutiones: quod de *Christo* dixi, verissimum est: & quod his rebus apud multos plus satis tribuitur, verissimum est.

Assert. 51. De voce calumnia est, quanquam hæc narratio non est simplex, sed metaphoris involuta, quomodo Proverbia *Salomonis* vocamus parabolas. Pios autem dixi nescire sua opera, non quod ignorarent, sed quod non jactarent. Nec enim illis verbis res agetur, sed ita proponitur ad exemplum modestiæ. Quid est quod hic homo non trahat in calumniam?

Assert. 52. Abeat *Bedda* cum suis *Beguardis* & *Beguinis* in rem suam, de quorum dogmate nunquam somniavi. Imo exposui verba *Pauli*, quemadmodum exponunt Orthodoxi, eos esse sub Lege, qui metu abstinent à peccando: pios & Spiritu *Christi* afflatos, ad eum modum non esse sub Lege, sed sponte facere plus quam Lex exigit.

Assert. 53. Hîc nihil adfert præter rabiosa convitia, cum satis explanarim quid sentiam, in quo non meum somnium, sed *Paulum* & veteres Orthodoxos interpretes sum sequutus.

Assert. 54. Simpliciter debetur pro quo soluto nulla habenda est gratia. Et sic deberi vitam æternam docet nos *Bedda*. Deinde si utrumque verum est, & gratiam esse vitam æternam, & mercedem, cur alterum juxta *Pauli* locum explicantem Paraphrasi reprehendit? An ubi *Paulus* appellat gratiam, ibi *Paulo* contradicens inducerem præmii debiti mentionem? Deus hîc justus dicitur non quod persolvat debita, sed quod præstet promissa: & si quando debere dicitur, ideo dicitur, quia debet ex promisso suo, non ex merito nostro: tum quod *Paulus* aliquando vocat mercedem, intelligendum est juxta sensum divi *Augustini*, quod Deus sua dona coronat in nobis.

Assert. 55. Nusquam *Bedda* magis declarat insignem mentiendi impudentiam quam hîc. Ne hîc commemorem omnia, ubi doceo, Dei matrem conceptam in peccato? ubi vitam fuisse inquinatam peccato? Imo diversam opinionem, ut magis piam, præfero. Ubi probatos Ordines, Paganorum idololatriis confero? Sed homo simpliciter furit. Dominus *Jesus*, qui solet profligare Dæmonia, sanet animam istius misere laborantem! Respondens *Fabro*, dixi *Christum* juxta naturam assumtam, longe infra Angelos fuisse, non simpliciter, sed quatenus erat obnoxius & corporis & animi doloribus ac morti. Verùm hîc loquutus sum de natura humana quam habet in Cœlis. Hoc satis indico cum ajo *Christum* in cœlis. Habet & nunc naturam humanam opinor, & hanc, quam nunc habet, postponere Angelis, durum videtur auribus meis. Et hoc docuit *Bedda*, qui putat Virginem matrem etiamnum imperare Filio cum Patre regnanti, & universum Orbem gubernanti. Eat nunc *Bedda*, & intonet hîc sexcentis convitiis.

Assert. 56. Ad hanc plus millies respondi, nec aliud hîc *Bedda* quam furit, magis egens exorcista quam refutatore.

Assert. 57. *Bedda* ut solet usque seipsum superat. Nego Apostolorum tempore fuisse præscriptum ciborum delectum, & *Bedda* furit quasi negarim Apostolos, vel jejunasse, vel à cibis lautioribus interdum abstinuisse. *Timotheus*, inquit, biberat aquam, verum ex suo affectu non ex præscripto, sed ex præscripto *Pauli* bibebat vinum. Imo usque ad ætatem *Augustini* apparet nullum cibi genus fuisse vetitum, Ecclesiæ dumtaxat auctoritate. Miror neminem hunc hominem fideli Medico committere.

Assert. 58. Cum nusquam non deliret *Bedda*, hîc ipsam superat delirationem. Negat vafrum dici in bonam partem, cum de *Horatio* dictum sit in laudem, *Omne vafer vitium*, &c. Qui novit simulare ac dissimulare, vafer est. Id fieri potest, & solet, etiam in optimam partem. Nunc addo *pia vafrities*, ut etiam si dixissem *pia fraus*, *pia superbia*, nihil futurum fuerit offendiculi. Et ipse *Paulus* dicit se fieri omnia omnibus. Sed vafri nomen non invenitur in Litteris sacris: dicat nobis *Bedda*, ubi legat in Litteris sacris, hominem debere salutis præsidia ponere in suis operibus, aut vitam æternam simpliciter deberi piis? Deinde putat hæreticum, quod *Hieronymus* narrat aræ titulum fuisse, *Diis* ASIAE, EUROPAE & AFRICAE, *Diis ignotis*: & suspicatur hoc à falsariis admixtum *Hieronymi* Commentariis, aut *Hieronymum* post aliud sensisse. Utitur & argumento conjecturali: *Si Paulus*, inquit, *secus narrasset titulum quam habebat, clamassent Athenienses, mentiris.* Omnino id fecissent, si fuissent *Bedda* similes. Imo non deerant apud Veteres, qui sciebant unum esse Deum, sed eum variis coli nominibus, & ubi multi sunt Dii, ibi intelligitur unus. Nihil igitur est hîc mendacii, si pro Diis dixit Deo. Sed non egebat, inquit, *Paulus* hoc argumento ad prædicandum *Christum*. Sed hoc dicit *Hieronymus* quod forte conspectum titulum verterit in argumentum Euangelii prædicandi: & hæc est optima ratio, ex his quæ jam persuasa sunt, ducere auditorem in cognitionem cæterorum. Furiosa sunt igitur omnia quæ *Bedda* hîc blaterat de mendacio in sacris Litteris. Porro quod Apostoli initio non protinus nec apud quosvis prædicarint *Christum* esse Deum, indicant omnes Orthodoxi veteres, & res ipsa declarat. Et falsum est quod ait *Bedda*, cum *Paulus* diceret se prædicare Deum ignotum, expressisse *Christum* esse Deum, cum id annotatum sit ab Orthodoxis, quod in ea concione, *Christum* appellet virum. Sed Deum absolute nominavit. Hîc si velim commorari, quanta patet dicendi sylva! Sed harum næniarum jam me piget.

Assert. 59. Nullum vidi Græcum codicem, in quo non habeatur, *frangitur*, & hoc interpretantur Orthodoxi veteres, & ostendi, *frangendi* verbum sonare distributionem consecrati corporis, non distractionem. Ea vox habetur apud *Paulum* 1. *Corinth.* x. *Panis quem frangimus.* Rursum xi. *quod pro vobis frangitur.* Atque ita legit *Ambrosius*, & fortassis alii plurimi: neque enim verisimile est *Ambrosium* secus legisse quam tum legebat Ecclesia Romana. Nec damno alteram lectionem, nec eam rado è libris Latinis, tantum inquiro unde nata sit varietas lectionis. Quid igitur hîc stomachatur *Bedda* noster?

Assert. 60. Furiose debacchatur, quod Novum Testamentum explanaverim stylo paulo puriore, quam solent quidam. Atqui *Basilius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, multo eloquentius tractarunt sacros Libros quam ego vel fecerim vel possim. Et tamen in Paraphrasibus non parum dejeci stylum meum ad simplicitatem Christianam. Quod si credit mea Paraphrasi mutatum sermonem Scripturæ, multum delirat, cum exstet & legatur ab omnibus vetus Editio, incolumis & integra, & si illa non exstaret, exstant Græcorum codices. Post hæc nescio quis suppeditavit sycophantæ nostro locos aliquot, sed ita ut facile non sit invenire ubi sint, & fortasse depravavit ut solet mea verba. Quamobrem transiliam quædam, & alioqui frivola nec semel diluta. Cum ab Orthodoxis traditum sit, Euangelium secundum *Marcum*, *Petri* auctoritate, *Marci* ministerio traditum, dico Religionem Christianam non protinus ruituram, si quis malit appellare Euangelium *Petri* quam *Marci*. *Bedda* putat totam Ecclesiam corruituram, & in me clamat, quasi qui titulum mutet, mutet totam Scripturam. Nec loquor de lectione Ecclesiastica publica, sed de quacunque. Quod *Paulus*, ne offendat *Judæos*, aliquoties aliter loquitur quam sentit, non mentiens, ut interpretatur *Bedda*, sed reticens quædam, & nonnulla blandius proponens quam merentur, à *Chrysostomo* sa-

Digitized by Google

sæpe notatum est. Hoc non est auctoritatem Scripturæ detrahere, sed ostendere prudentiam ac mansuetudinem Apostolicam, quarum neutram agnoscis in *Bedda*, sed summam stultitiam cum pari ferocia conjunctam. Sic argumentatur, *si* Christus *tradidit claves corpori* Christi, *hoc est*, *Ecclesiæ*, *igitur non tradidit Pontifici Romano*. Sed ad hoc responsum est toties. An Ecclesia receperit omnes libros auctoritate pari, mihi nondum constat, nec est verisimile, *Bedda* nihil refert, quia sicut apparet nunquam attente legit Scripturam sacram, occupatus quæstiunculis & resumtis. *Ecclesia*, inquit, *recitat*. Eadem recitat Legendas Sanctorum, quibus non teneor per omnia credere: recitat historiam *Susannæ*, & in Euangelio adulteræ deprehensæ, quæ Veteres, in quibus *Hieronymus*, putabant apocrypha. Neque tamen statim falsum est, quod est apocryphum. Quando desinet nobis delirare *Bedda*? In Annotationibus ajo, divum *Hieronymum* indicasse, ultimum *Marci* Cap. in omnibus pene Græcorum libris in fine poni velut adjectitium. Addo eundem *Hieronymum* indicare, coronidem, cujus initium, *Postea cum accubuissent undecim*, &c. *& illi satisfaciebant dicentes*, *seculum istud iniquitatis*, &c. haberi in nonnullis Græcorum Exemplaribus. *Bedda* clamat coronidem hanc legi in Templis. Sed ipsa res reclamat *Beddæ* in os, si tamen quicquam habet oris. Nusquam enim legitur, nec habetur vel apud Græcos vel apud Latinos, excepto initio. Hoc cum admoneat *Hieronymus*, quid mecum rixatur *Bedda*? Sed initium hodie legitur, cur hoc negas haberi? Retuli sicut retulit *Hieronymus*, nec est obscurum quare sic retulerit, ut indicaret quibus verbis esset attexta coronis. Quoniam autem illam coronidem alibi citat ex Euangelio *Nazaræorum*, dico suspicari me illic esse decerptam. Eat nunc *Bedda* & damnet quod non intelligit.

Pari rabie carpit, quod in Præfatione in *Hilarium* scripsi, *audemus Spiritum Sanctum Deum vocare*, quasi temeritatis sit hoc facere. Est ergo temeritatis quod in Sacro canimus, & divina institutione formati audemus dicere. Imo illic narro Veterum religionem, qui verebantur Spiritum Sanctum pronuntiare Deum, quod nos non veremur edocti magisterio Ecclesiæ. Euge *Bedda* non te horum pudet? Quid autem pudeat *Beddam*? Et hoc dictum, quod non intelligit, appellat blasphemum, cum tamen edito libello responderim illi stolidissimæ calumniæ, quam prædicant à *Leo* profectam. Alicubi scribo: *Arrianorum error*, *factio schismaque verius erat quam hæresis*, *quod adversarii numero prope pares erant*, *eloquentia doctrinaque superiores*. Hoc cum non intelligat *Bedda*, (quid enim intelligat?) ait me negare, *Arrianorum* opinionem de inæqualitate Personarum esse hæresim: atque ita tractat rem quasi dicam eam opinionem nunc non esse hæreticam, cum agam de illo tempore, quo fervebat illa disputatio, cumque Mundus nutaret utro se inclinaret, cum *Augustus*, *Augusta* & Pontifex *Romanus* faverent illi Sectæ, cum res armis ageretur potius quam argumentis, tum, tum, inquam, infelix *Bedda*, factio erat magis quam hæresis: hæresis enim opinionibus constat, schisma studiis: & tamen erat utrumque, perinde quasi dicat aliquis, *Bedda stupidus est potius quam malus*, sentiens illum utrumque esse, sed plus habere stupiditatis quam malitiæ. Nunc hæresis non est, quia nulli sunt *Arriani*. Nec enim hæresis error est, ut somniat *Bedda*, sed multorum consensus in dogmatibus aut instituto quopiam ab aliis diverso. Dogma vero impium, quis nunc non exsecratur? Et tamen in his ipsis verbis quæ citat, impudens dicitur error, quis autem favet errori? Jam in scholiis, quæ addo Dialogo *Hieronymi* in *Luciferianos*, exponens *verum Deum*, adjicio, *hoc est à nullo creatus*, *cum Filius creatus sit à Patre juxta* Arrianos, *& Spiritus Sanctus sit creatus à creato Filio*. Hîc ita colligit bipedum stupidissimus *Bedda*: Erasmus *dixit schisma verius esse quam hæresim*, *& hic recitat dogma nec refellit*, *vide an non assentiatur* Arrianis. O detestandum caput! Expono scholio dictionem *verum*, non illic disputo contra *Arrianos*, & cum dico *juxta Arrianos*, nonne satis refello? Veluti si quis dicat, juxta *Manichæos*, sunt duo principia, alterum bonum, alterum malum. Sed non appellas hæresim, inquit. Legat argumentum in eundem Dialogum: sic incipit: *Nulla hæresis gravius afflixit totum Orbis Ecclesius quam Arrianorum*. Et aliquanto post, *Quibusdam patlim* Arrianam *hæresim uti catholicam defendentibus*. Et mox, *de hæresi* Arrianorum *disputari cœpium*. Hîc in eodem argumento, tum alias innumeris locis exsecror *Arrianorum* hæresim, ac plus ducentis locis, dilucide, expedite, vivide, trado catholicam sententiam de trium Personarum eadem natura, & libello edito respondi stolidissimæ calumniæ, quam, ut dixi, scribunt à *Leo* profectam in *Hispania*. Nec hæc nescit *Bedda*, cum in suis censuris admonitus sit, me hîc sentire catholice. Verùm hunc unum locum ad *Beddam* detulerunt Magistelli, præterea nullum. Quid autem insanius, quam scribere tam odiose adversus hominem, cujus libros non viderit? Tribui *Arrianis* eloquentiam & doctrinam. *Eloquentia*, inquit, *fere fuit omnium Hæresiarcharum*, cum pauci hæretici fuerint eloquentes, velut, *Elvidius*, *Jovinianus*, *Pelvicius*, *Faustus*, *Vigilantius*, *Beguardi*, *Wicleus*, *Joannes Hus*: Ecclesiæ protectores fere omnes eloquentissimi. Doctrina vero Philosophiæ duxit *Arrianos* in errorem, *Bedda* pro doctrina supponit prudentiam & sapientiam. Eat nunc *Bedda*, & jactet se nihil mentiri, nihil per calumniam objicere, sed zelo fidei cuncta sinceriter agere, sic subinde se confert *Augustino*, qui acriter scripsit in hæreticos. Imo nusquam *Augustinus* sic furit in *Donatistas* plusquam hæreticos, quemadmodum *Bedda* in suæ professionis hominem, à quo nusquam antea fuerat læsus. *Augustinus* frequenter illos molliter tractat ut revocet. Nec cum deploratissimis agit mendaciis, calumniis ac depravationibus, quemadmodum hic agit ubique. Interim subinde fingit se cupidum meæ salutis. Abi cum tuis fucis infelix hypocrita, omnia tua scripta nihil aliud spirant quam mentem odio lymphatam, nec ullius rei magis cupidum, quam ut *Erasmum* in *Lutherana* castra perpellat. Sed absit, ut ego propter unum portentum, cerebrosum, impotens, stupidum, delirum ac demens, faciam animæ meæ jacturam. Utinam resipiscat & agnoscat qualem seipsum universo Mundo depingat!

Sed ventum est ad Epistolas. Egregium scilicet Theologicæ civilitatis exemplum, evulgare litteras privatim scriptas. Opinor futurum, ut tandem edat & amatorias ad *Bertas* & *Archerias*. Quanquam in his quoque sui similis est, omittit prolixam, in qua depictum est cerebrosi Theologi exemplar. In cæteris addidit ac detraxit, quæ libuit. Ubi primum dederam ad *Beddam* litteras, statim objurgatus sum amicorum litteris, quod talem moverem *Anagyrim*: fore enim, ut sive scriberem humanius, sive secus, intumesceret *Beddæ* θυμὸς ἀγλώσσῳ. Si Ecclesia talibus nititur *Atlantibus*, tempus est ut illi scribatur epicedium. Non patrocinor his qui sub Euangelii prætextu serviunt carni, nihil est mihi cum *Lutheri* dogmatibus: illud in confesso est, *Lutheri* doctrinam propius accedere ad germanam illam ac spiritualem *Christi* Philosophiam, quam accedat *Beddæ* Theologia: loquor de libris quos in me scribit, nam cæteros nec legi, nec quo auctore proditi sunt scio. Quid enim aliud molitur quam ut magni fiant constitutiones hominum, adorationes Statuarum, delectus ciborum, discrimina vestium, fiducia humanorum operum, pœnosa hebdomada, Scholasticæ de vocibus cavillationes? quanquam ego nihil horum damno, nisi vel immodice fiant vel superstitiose. De vigore pietatis Euangelicæ, aut nihil dicit, aut ita frigide loquitur, ut facile sentias non ex animo loqui: *Debemus*, inquit, *fiduciam ponere in Deo*, *sed non solo*, *quin imo & aliis mediis necessariis*, *præcipue bonis operibus nostris*. Ut ægre, ut frigide fassus est fiduciam in Deo collocandam, in cæteris mire vehemens!

Quid

Quid autem habent hujus ſcripta, niſi malitioſas de verbis cavillationes, & hoc exiſtimat eſſe palmarium illius Theologiæ, quam ſubindicat nuſquam doceri niſi *Lutetiæ*, cum ait: Latomus *hic Theologiam doctus eſt*. Nihil eſt tam recte dictum, quod non detorqueat ad calumniam: & interim numerat ſuos Articulos, ſi Superis placet. At iſtiuſmodi Articulorum polliceor me collecturum ex probatiſſimis Eccleſiæ Doctoribus intra paucos dies quinque millia, atque adeo ſi libet ex libris maxime divinis. Quid enim ſanctius Precatione Dominica? Hîc, ſi libet, agam *Beddam*. *Pater*, ô, ſpectat hæreſim *Arrianam*, quaſi ſolus Pater ut verus Deus ſit orandus, cum de Filio & Spiritu Sancto nulla fiat mentio; item *Lutheranam*, quaſi fas non ſit adorare Sanctos. *Noſter:* periculum ne quis putet diſcipulos natura eſſe Filios Dei quemadmodum fuit *Chriſtus*. Debebant ſic orare, *Pater noſter adoptione, non natura. Qui es in cœlis;* Blaſphemiæ proximum, quaſi Deus definitive aut circumſcriptive ſit in loco, cum natura divina non magis ſit in uno quam in alio. *Sanctificetur nomen tuum:* Non bene ſonat, quia videntur contemnere gloriam Sanctorum. *Adveniat regnum tuum:* periculoſe dictum, videtur adimere Principibus regnum: & utroque ſermone, ſignificatur homines bene precari Deo, deinde Dei gloriam & regnum tempore mutari. *Fiat voluntas tua:* Deus ſervet Eccleſiam ſuam. Voluntas Dei eſt ipſa divina eſſentia, in quam non cadit verbum, *fieri*. Quicquid enim fit, aliquando non fuit. *Auguſtinus* de verbis Domini in *Joannem* Homilia 1. dicit, quod verbum illud æternum, de quo *Joannes*, *In principio erat verbum*, nullius eſt pretii. Qua voce quid dici poteſt magis blaſphemum? Trita veſtis invenit emtorem, & eſt alicujus pretii, ſi vel aſſe vendatur, & verbum illud *Deus de Deo* nullius eſt pretii? Rides lector? Quis non rideat? Tales ſunt fere *Beddæ* ſycophantiæ, niſi quod aliquoties multo mentitur impudentius, neque raro non intelligit ſermonem Latinum, & hinc fortiter calumniatur, nec alio nomine putat ſe magnum eſſe Theologum, niſi quod nihil non torquet ad calumniam. Quid, quod multis in locis manifeſtam dementiæ ſpeciem edit: quo magis admiror Theologos *Lutetianos* ſic agere, quaſi *Beddaicæ* intemperiæ nihil ad ipſos pertineant, cum interim nemo *Lutheranus* gravius lædat Eccleſiæ negotium, nemo magis dedecoret Theologorum nomen, quam iſte tumultuarius. Quid, quod interim totius iſtius Academiæ neſcio moleſtior-ne ſit vomica, an fœdius dehoneſtamentum, inficiens rudem juventutem ſuis virulentiis, & obtrectationibus. Et poſt hæc occinit nobis, *vera loquens inimicus factus ſum vobis:* imo mentiendo & calumniando factus eſt inimicus omnibus qui ſinceriter diligunt *Chriſti* gloriam. Saltem exſiſteret aliquis, qui Regem Chriſtianiſſimum admoneat, quantum malorum improbus *Ardelio* conciliet ipſius regno. Id ſi factum eſſet, non pateretur ejuſmodi hominem, ſat ſcio, triduum ſic debacchari in ditione ſua. Multi ſunt *Lutherani*, ſed ſanabiles, quos iſtius odioſi libelli alienant: præter zelum nihil habet in ore, zelotypia verius eſt quam zelus, adeo ubi nihil eſt mali, ſuſpicatur peſſima. Ac fortaſſis æquum putat, ut nos, juxta Legem *Moſaicam*, ipſius inſulſiſſimas virulentias velut exſecratam aquam devoremus, quo medeamur fictis etiam ſuſpicionibus. Verùm æquius eſt, ut ipſe bibat elleborum, ſuumque cerebrum purget iſtis intemperiis. Quod ſi decretum eſt, abjecta fronte, ſubmota ratione, profligata omni æquitate, rem vi gerere, vide ne res celerius quam credit, quo provocat deveniat. Cum illi tot inexcuſabiles calumnias ac mendacia ipſius in os impegerim, tamen adhuc jactat ſuos Articulos, ac ſibi videtur pulchre purgatus, quod omiſſis pleriſque prioribus calumniis, novas aliquot adjecerit. Et hujuſmodi *Atlas* humeris fulcit nutantem Eccleſiam. Sed jam pœnitet his næniis totum ferme perditum triduum. Dominus liberet Eccleſiam ſuam à talibus propugnatoribus. Mihi decretum eſt poſthac à tali ſcabie ungues abſtinere, nec habere rem cum homine, qui nihil habet penſi quid ipſe ſcribat, nec legit aut intelligit quæ reſpondentur ex adverſo, ne videamur non duo maledici commiſſi, quod ait *Auguſtinus*, ſed duo ſcurræ aut Moriones.

FINIS.

ORNA-

Digitized by Google

ORNATISSIMO

D. JOANNI SELVAE,

AUGUSTISSIMI SENATUS GALLIARUM SUMMO PRÆSIDI,

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

SCITE quidem dictum est ab Antiquis, vir clarissime, ex malis moribus natas esse bonas leges, *cæterum illud certius exitium minitatur rebus humanis, quod vicissim ex optimis legibus nascuntur mores pessimi. Etenim quæ supereſt spes salutis, si remedia vertuntur in venenum, & quæ morbo propulsando reperta sunt, morbum exasperant? Id ne accidat, vix alia ratione caveri potest, nisi pharmacum, quod Medicus doctus ac fidus præscripsit, idem administret. Optima lex erat opposita temerariis ac famosis libellis, veluti pessimo morbo gliscenti salubre necessariumque remedium. Cæterum rem salutiferam hominum perversitas vertit in majus malum, nisi qui legem tulerunt, iidem administrent ac tueantur. Alioqui video futurum, ut cum constitutio in hoc prodita sit, ne quid excuderetur* Lutetiæ, *nisi tali Academia talique Senatu dignum, exsulent istinc optimi quique libri, & excudantur impune tales, quales jam duos provolasse videmus: quorum alter impudentia plusquam scurrili corrupit* Colloquia *mea, addita Præfatione falso mei nominis titulo. Ibi me facit de me ipso loquentem quicquid ipsi collibuit. Si vacabit opus inspicere, videbis ingenium deploratum, quod nullum facinus exhorresceret, si qua causa provocaret vel ad incendium urbis, vel ad veneficium, vel ad parricidium. Si non vacat, ex Operum meorum catalogo, quem nunc simul ad te mitto, poteris non multo tædio quale sit perdiscere. Auctor notus est, nec ignotus Typographus: uterque fruitur suo maleficio. Ea quoniam bene cessit audacia, prosiliit* Petrus Sutor *cum suo libro. Sed hac de re verbum non addam. Tua prudentia si parum deprehendet ex* Apologia *nostra, quale sit opus, qualis sit artifex, ipse liber velut in speculo repræsentabit tibi totum* Sutorem.

Non me clam est inter Theologos esse quosdam, qui contenti iis, quæ juvenes didicerunt, magno odio ferantur in Linguas ac bonas litteras, adeo ut illis nihil placere queat, quod sapiat aliquid politioris litteraturæ. Et instructi sunt sexcentis titulis & articulis innumeris. Qui si desint, condunt pro suo arbitratu nova dogmata, quemadmodum hic facit Sutor. *Vel ipsi* Paulo *Apostolo mille locis calumniam struere poterit, qui tot laqueis instructus talem animum adferat ad censuram, qualem præ se fert* Sutor. *Optima lex est, quæ Schismaticorum & Hæreticorum impietatem, si sanari nolint, coërcet. Sed quorumdam perversissima mens est, qui privatis affectibus observientes medicinam paratam ægrotis vertunt in perniciem bonorum, atque abutentes cauterio, quod sanum est exulcerant, rectius suo nomini consulturi, si recentium libros cum candore legant, & Linguas ac bonas litteras comiter in suum contubernium recipiant. Neminem tamen arbitror esse* Parisiis *Theologum tam iniquum rectioribus studiis, ut istam* Sutoris *debacchationem approbet. Quo severius puniendi sunt, qui illudunt optimæ constitutioni: quibus si licebit impune quod libet, tales nimirum libros nobis dabit* Lutetia. *Si quis apparet ab sese depellere manifestam calumniam, aut aliquid edere quod conducat publicis studiis, tum vigebit lex, & vigilabit censura. Et fere fit, ut in omni consessu plus valeat paucorum improbitas, quam multorum æquitas. Nec enim novum est, si pars major superat meliorem. Hic frequenter & minor & deterior superat majorem ac meliorem. Adversus horum malitiosam pervicaciam, ni principum virorum candor & æquitas opituletur humanioris litteraturæ cultoribus, futurum est, ut oppressis elegantioribus disciplinis etiam illa collabantur, quæ isti sola vellent esse in pretio. Mors ornatissimi viri* Francisci Deloini, *quali patrono, quali propugnatore, orbavit optima studia. Nisi fortuna nobis Regem* Franciscum *ad tempus eripuisset, hac querimonia non obtudissem aures tuas, ipsum imploraſſem Musarum vindicem, adversus barbarorum incursiones. Interim tuarum partium erit, cum tui similibus fortiter sustinere causam studiorum, vestraque æquitate* Sutorum *iniquitatem moderari. Siquidem complurium eruditorum litteræ mihi persuaserunt, te unum esse, qui ingenii, doctrinæ, judicii vim admirabilem naturæ bonitate morumque comitate superes. Quibus dotibus non mediocre decus apponis Senatui cum primis augusto, cui merito præsides. Cæterum hoc officio non solum consulueris honestissimis studiis, verum etiam nomini Theologico, quod nunc ob paucorum cerebrosorum iniqua calidaque judicia pessime audit apud plurimos. Videmus quanto odio laboret universus ordo Sacerdotum, ob paucorum vitia. Videmus quam indigna patiantur etiam boni Monachi, ob quorumdam intolerabilem improbitatem. Itaque nemo magis consuluerit Theologorum vel dignitati vel auctoritati, quam qui tales rabulas, non Theologos, sed ordinis Theologici carcinomata vomicasque, compescuerit. Nec ulli facinori justius applauserint sani probique Theologi. Erat mihi talis heros auspicatiore quopiam argumento conveniendus, verum hoc in præsentia* Sutor *obtrusit avis inauspicatissima. Bene vale.*

Digitized by Google

APOLOGIA
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
ADVERSUS DEBACCHATIONES
PETRI SUTORIS.

QUASI parum hactenus indultum esset caninæ facundiæ, tot rabiosis libellis undique provolantibus, ecce præter omnem exspectationem prosiliit nuper in medium plane Molossicus liber, vero ne an falso titulo parum liquet, nisi quod nomen præferret cujusdam *Petri Sutoris* quondam Theologi *Sorbonici*, nunc Monachi *Cartusiani* de novis *Tralatitiis*. Sic enim ille loquitur solœcista, mire nobis referens *Sutorem* illum, de quo est in proverbiis, *ultra crepidam* judicantem. Etenim si sibi sumpsisset thema aliquod ex eorum numero, quæ solent in *Sorbonicis* Diatribis tractari, videri poterat, si non equus, certe hemionus in suo campo. Nunc homo tam rudis Linguarum, ut in Lingua Latina subinde committat flagitia, quæ non *Orbilius* tantum, quem *Horatius* plagosum appellat, sed litterator quamlibet lenis in elementario puero ferulis ac virgis sit castigaturus: tamen hoc argumentum tractans, quod multarum Linguarum peritiam requirat, quid aliud quam ridiculum cantherium nobis exhibet in fossa? Quanquam nec tam ineptus est cantherius in fossa, nec tam juste submotus est ab *Apelle* sutor, quam hic *Sutor* ineptus est in hoc argumento. Etenim sutor calceorum tametsi non novit pingendi rationem, tamen nosse poterat muliebre corpus nihilominus quam pictor, nec deesse ratio, qua formam conspectam cum adumbrata imagine conferat. Etenim faciem hominis expressam coloribus agnoscunt etiam illi qui longissime absunt a pingendi peritia. Et cantherius in cava via, tametsi parum expeditus est ad liberum cursum, tamen itineri carpendo valet. Hic autem *Sutor* in negotio Linguarum versans, Linguarum omnium rudis, nihilo facit pudentius, quam si cæcus nobis commonstraret iter. Utcunque tamen ferri poterat, si rem tractasset moderatis rationibus. Est enim argumentum non inamœnum, si tam modeste tractatum fuisset ab isto, quam est tractatum operose, loquaciter, ac vehementer, ne dicam rabiose. Decebat ea moderatio Theologum, sed multo magis Monachum *Cartusianum*. Nunc toto hoc libro nihil habet in ore, nisi *Theologogulos*, *Theologastros*, *Rhetorculos*, *sciolos*, *Philosophastros*, *Apologistas*, *asellos*, *insanos tralatistas*, *Grammatistas*, *Latinisatores*, *insanias*, *vesanias*, *dementias*, *temeritates*, *perversitates*, *hareses*, *blasphemias*, *Diabolos*, *Antichristos*, *Tartareas interpretationes*, *plusquam insanas*, *sacrilegas*, *hæreticas ac diabolicas tralationes*, *Tartareos Spiritus*, *Luciferianos tumores*, *damoniacas calliditates*, *bestias*, *stultos*, *doctores sub camino doctos*, *somniatores*, *portenta in ultimas terras deportanda*, *& flagellis oneranda*, nec ullus convitiorum modus aut finis. Titulus habet, *cujusdam Theologastri ratiunculis respondetur*, *& garrulitatibus neoterici cujusdam*, & *cujusdam Theologastri phantasmatibus respondetur*, *& Rhetorculi neoterici*, *qui se Theologum jactat*. Simile est initium capitis, similis est finis. Arsim argumentationis sic incipit, *Adhuc protervit adversarius veritatis*, *adhuc debaccharis & dicis*. Solutionis hoc est procœmium; *O plusquam asinina evasio*, *O tergiversator ineptissime*, *Dic precor*, *sciole*, *Hæc deliramenta sunt plusquam anilia*. Asseverationes autem & argumentationes epiphonemata hæc habent: *Aliter putare*, *est perversi hæresi assentire*, & *qui non putat tales hæreticari deluditur*, & *qui hoc credit*, *totus insanus est*, *aliter sentire est hæreticari*, *imo sic scribere est phreneticari*. Nec aliud ructat crepatque toto hoc opere. Cum ipse adfert suas frigidas ratiunculas, *Respondemus*, inquit, credas oraculum e tripode reddi.

Mihi quidem non usque adeo mirum videbatur, si inter tam multos egregios Theologos, quos nobis dedit hactenus datque *Sorbona*, unus exstitisset cerebrosus: minus autem mirandum videri poterat, si e *Cartusianorum* sodalitiis, quæ plurimos habent vere mundo mortuos, unus quispiam exortus esset, cui foret opus elleboro, cum ipsa solitudo vitæque durior ratio nonnullos, quos sanos quidem accepit, sed parum firmi cerebri, reddat insanos. Illud demirabar, hæc excudi *Lutetiæ*, ubi nefas esse dicitur quicquam excudi, nisi prius recognitum & approbatum calculis Theologorum: inter quos ut sit unus aut alter stupidior, aut morosior, nullum tamen esse crediderim, qui patiatur tales libellos excudi. Imo nihil addubito, quin e Theologis cordatissimo cuique vehementer displiceat hujus *Sutoris* intemperantia: & Patres, ni fallor, Ordinis *Cartusiani* magno emptum velint, hujusmodi nænias nunquam a *Cartusiano* fuisse profectas: non quod illis curæ sit *Faber*, aut *Erasmus*, sed quod intelligant hinc sibi conflari gravem invidiam apud homines, iniquissimo quidem judicio, sed vulgato. Quam enim iniquum est, ob unum hominem merito attactum, totum Ordinem commoveri, tam iniquum est ex unius aut paucorum stultitia universum æstimare Ordinem. Itaque videri potest *Sutor* hic quæsisse compendium, quo pariter & Sodalitatem *Sorbonicam* & Ordinem *Cartusianum* dedecoret. Idque fecit, quod quidem in ipso est, per me certe non faciet. Auctoritati Theologorum ex animo faveo, *Cartusianum* Ordinem veneror. Cum uno *Sutore* mihi res est, qui tam impotenter debacchatus est in me, in Linguas, in bonas litteras, ut carptim degustans opus, nihilque reperiens non plenum insanis convitiis, non semel optarim homini fidum Medicum, aut si Medicorum arte superior esset morbus, fortem Exorcistam. Verum ubi nactus otium totum librum evolvissem, cœpi esse æquior homini, quod mihi visus sum subodorari *Sutorem*, si quis tamen *Sutor* est, naturæ vitio peccare potius, quam malitia. Siquidem e scriptis deprehendere licet, hominem esse vehementi præditum ingenio, & ira præfervidum, deinde gloriæ sitientem. Iracundis non admodum sum iniquus, vel quod ipse cum *Horatio* sim irascibilis, sed verbis duntaxat, in scriptis facile tempero, cum datur spatium: vel quod natura iracundi solent esse simplicioribus moribus, fucique nesciis, ut hoc vitii sæpe magnis virtutibus pensent. Et in rebus humanis *nihil est ab omni parte beatum*. Porro gloriæ cupiditas sic fere generosis ingeniis insita est, quemadmodum optimis ficis, palmulis, & piris innascuntur vermiculi. Ab hoc affectu, qui cum stultitia conjunctus est, oportebat quidem abesse Theologum divinæ sapientiæ professorem: sed homines sunt & inter Theologos: longius etiam abesse oportuit *Cartusianum*, ter quaterque mundo mortuum, primum quia Christianus, deinde quia Sacerdos ac Theologus, postremo religionis arctissimæ sanctissimæque professor. At docuit *Sutor* longe facilius esse vestem induere *Cartusianam*, quam animum ea professione dignum. Totus enim hic liber clamitat, quod *Sutor* totum illum Rabinum fastu turgidum, supercilio sævum, philautia cæcum, gloriis inanibus distentum, secum in *Cartusiam* detulerit. His vitiis quo plus admixtum est stultitiæ, hoc minus est malitiæ. Certe sanabilior est, qui ira, stultitia, gloriaque peccat, quam qui destinata malitia. Itaque malo *Sutorem* hunc glorioſum quam malitioſum existimare, malo *manon* quam malum, malo stultum quam perversum. Ira deferveſcit, stultitia corrigi potest, ea correcta perit & gloriæ sitis. De iracundia nihil opus est dicere, liber talis est totus, ut si ipsa loqui vellet iracundia, non posset iracundius. Imo si quis Poëta *Megæram* aut *Alecto* produceret ab inferis, non aliam magis orationem decebat affingere.

Stul-

Digitized by Google

Stultitiæ & gloriæ argumenta pauca proferam, nec aliunde quam ex ipſius ſcriptis. Quandiu verſabatur in paleſtra *Sorbonica*, non vacabat ei Sacros Libros evolvere, imo ne *Petrum* quidem *Lombardum*, opinor, unquam perlegerat. Ubi *Cartuſia* dedit otium, cœpit evolvere libros utriuſque Teſtamenti, certe Præfationes indicat ſe legiſſe, præterea nonnihil Auctorum veterum. Hic ſibi viſus eſt in alio mundo verſari. Nec hos tamen perpetuo legit, ſed carptim, ut locus inciderat citatus, vel a nobis, vel ab iis qui in nos ſtrinxerant calamum. Id ita habere res ipſa loquitur. Totum autem hoc opus ex alienis, velut ex meis, ex *Stunica*, *Latomi*, & *Lei* libellis contexuit, nec hic quicquam reperies ipſius, præter aliquot inſana convitia. Viderat illis ante obſcuris ſubito contigiſſe famam ſat celebrem ex calumniandis aliorum laboribus. Placebat gloriæ parandæ compendium, non ſuppetebat domi, unde id faceret, imitari placuit corniculam *Æſopicam*. *Sutor* ex alienis pannis picato filo conſuit hunc librum ſycophanticum, nihilo majore laude, quam ſi quis ex alienis ſed incultis hortis ſuffuraretur lappas, ſpinas, anagyres, & urticas, quibus aliis moleſtus eſſe poſſet: aut ſi quis inermis ſibi cornua taurorum, dentes aprorum, ſpinas hiſtricum, ungues leonum aptaret, cum hoſte congreſſurus. Sic nimirum ichneumon ſe luto obarmat, ac veluti frequentibus coriis ſeſe loricat, congreſſurus cum aſpide & crocodilo. Imo *Sutor* noſter nihil aliud eſt, quam *Telenicia* echo, cum alienam tantum maledicentiam recinit, cum vulgaris echo bonas etiam voces referat. Quod a nobis propoſitum eſt libris editis, hic recenſet tanquam ab ipſo repertum. Quod in me jacit, hauſit ex tribus libellis editis: quod in *Fabrum* torquet, hauſit ex meis annotationibus & *Stunica* taxationibus. Imo totam diſputationem, qua refello *Fabri* calumniam, *Deminuiſti eum paulo minus ab Angelis*, *Sutor* contraxit in compendium, ac ſibi vindicat, ac *Fabrum* admonet, ut poſthac a rebus tam arduis abſtineat, & in re tam ardua tantus Theologus non veretur compilare miſerum Theologaſtrum. Conferat, cui vacat, meam *Apologiam*, qua *Fabro* reſpondeo, cum hujus capite XXI. & comperiet me nihil mentiri. Capite IX. impingit *Nicolao Lyrano* craſſam barbariem, & alibi taxat illius barbariem, quod dixerit *tentorizavit*, quaſi Latinius ſit *Latiniſare* quam *tentoriſare*, aut quaſi non ſoleant eruditi, dum conantur emphaſim aut compoſitionem alterius vocis explicare, abuti voce factitia, veluti ſi quis dicat παραδειγματίσαι Latinis ſonare *exemplificare*. Ac rurſus cap. III. *Britoni* cuidam *Franciſcano* impingit cognomen ſcioli ac barbari, quod *hyperaſpiſten* interpretatus ſit *protectorem*, cum *Hieronymus* alicubi ſit interpretatus *ſatellitem*. Recte quidem *Hieronymus*, neque tamen non recte *Brito*. At *Sutor*, qui ſit *ſatelles* Latinis, non intelligit. Eſt enim *ſatelles* regii corporis ſtipator & cuſtos. *Sutor* in cap. XXII. docet *ſatellites* recte dici ſceleratiſſimos graſſatores. *Hyperaſpizein* autem Græcis eſt *clypeo protegere*. *Brito* igitur vim & etymologiam Græcæ vocis explicuit. Nec *Sutor Britonem* recte damnare poteſt, niſi eadem opera damnet hanc Tranſlationem, quam aſſeverat eſſe proditam a Spiritu Sancto. Ea Pſal. XVII. pro eo, quod Septuaginta tranſtulerunt *protector meus*, habet ὑπερασπιστής μου. Et in eodem: *Et dediſti mihi protectionem ſalutis*, eſt ὑπερασπισμὸν σωτηρίας. Rurſus eodem: *Protector eſt omnium*, ὑπερασπιστής. Iterum Pſalm. XXVI. *Dominus protector meus*, ὑπερασπιστής. Rurſum Pſalm. XXX. *Eſto mihi in Deum protectorem*, Θεὸν ὑπερασπιστήν. Supervacuum eſt ſingula perſequi. Toties in Pſalmis *protector* eſt ὑπερασπιστής, & *Sutor* ceu flagitium inſectatur in *Britone*, quod approbat uſus Eccleſiaſticus. Cæterum Græcam vocem non abhorrere ab Hebraïca docet *Hieronymus*, qui juxta veritatem Hebraïcam pro *protectore* vertit *ſcutum*, unde Græcis dictum ὑπερασπίζειν. Eat nunc *Sutor*, & clamet Græcas litteras in Sacris Voluminibus nulli eſſe uſui. Certe illud præſtitiſſent officii, ſi eas amplexus fuiſſet ſutor, obſtetiſſent ne dum tam arroganter alienam flagellat inſcitiam, ſuam turpiter prodidiſſet.

Quam vero ridiculum quod hic aliis impingit barbariem, quaſi totus ipſius ſermo croco floſculiſque vernet undique, cum undique cacographiis ſoloeciſmiſque ſcateat & barbariſmis. Quoties hic cum riſu legimus lachrymabile verbum, *Proth dolor*, quoties *Ieronimus*, quoties *Symachus* quaſi *pugnam ſuum*, quoties *aſtericos* pro *aſteriſcos*, quoties *ypoſtaſim*, *ydiomata*, *ypocrates*, *yſtorias*, ut intelligas *ſtramenta ſuam*, *prothotipa*, *aſyllum*, *malluit*, *didiſci* pro *didici*, *ſcromata* pro *ſtromatis*: ut periculum ſit, ne *Sutor* ex *ſtropha ſcropham* faciat, quoties occurrit *ydolatria*, ut intelligas aquam pro Deo coli: quoties *dyalogus* duorum ratio, & *dyabolus* duplex bolus, *oppinio*, *tema* pro *thema*, *protheus*, qui ſit ante Deum, *chronali* pro *chromati*, *Ethſiphon* pro *Cteſiphon*: quoties *cyrographum* velut a Cyro ſcriptum, *apocriſa*, *ſcola*, ex otio faciens claudicationem, *onix* pro *onyx*, *ſpera* pro *ſphæra*, *jacintina* pro *hyacinthina*, *diſcutio* pro *diſcuſſio*, quoties pro *neotericis*, hoc eſt, recentioribus, facit *neothericos*, hoc eſt, novos meſſores. Hujuſmodi cacographiis totus liber florulentus eſt. Illa magis arguunt quam *Sutor* abſit a barbarie Grammatiſtarum, quod *coronidem* poſuit pro *colophone*, dicas illum legiſſe proverbia, quod *hauſuri* pro *hauſturi*, quod *rubea* pro *rubra*, quod ex *xuſticis* facit *ruſticos*, ex *emphaſi emphraſim*, quod ex *Apoſtilas* facit *Apoſtolos*, quod pro *ipſorum opera* dicit *ſuo medio*. Omitto nunc veneres illas, *tralatiſtas*, *Latiniſatores*, *bibliam* fœminam, *identidem* pro *itidem*, cum *identidem* ſonet frequenter, *itidem* eodem modo. Alicubi *flectent* habet pro *flectant*, & interpretatur *perſuadeant*, cum *Fabius* & *Auguſtinus* hoc ad affectus movendos referant. His floſculis vernat, his gemmis, his myrotheciis fragrat Theologus, qui Theologis objicit craſſam barbariem: & tamen abunde ſibi cultus videtur, quod aliquoties dicit *inſit* pro *inquit*, *veſanire* pro *inſanire*, *faciunda* pro *facienda*, *his in locis* pro *in his locis*, ob hæc ſibi videtur alter *Tullius*, quem adeo tenet, ut ne nomen quidem illius poſſit recte pronunciare. Atque eo ipſo in loco, quo flagellat ſciolum ac barbarum *Britonem*, dicit ac poſt repetit *yperaſpitis* pro *hyperaſpiſtes*, quo quid fingi poterat barbarius? Verum hujuſmodi ſylvam errorum rejiciet in Typographos, qui ſimili modo tractarint elegantiſſimum libellum, quem ſcripſerat *de Vita Cartuſiana*, cum ipſe miſiſſet Exemplar elegantiſſime ſcriptum & pulcherrime caſtigatum. Perſuaderet, ſi id in paucis locis uſu veniſſet. Nunc totus liber a capite uſque ad calcem abſurdiſſimis cacographiis plenus eſt, ut citius credatur, aliquot errata a Typographis ſublata fuiſſe. Quod ſi reſpondeat ſe hæc negligere, credemus, ſi æquo animo ferat ſe pro *Petro* dici *Phetrum*, aut ex *Petro Sutore* verti in *tetrum putorem*. Quis non rideat, ſi loripes loripedem derideat, Æthiops Æthiopi nigrorem exprobret. Sed quid miraculi, ſi *Britoni* & *Lyrano* barbariem objiciat homo tam diſertus ac floridus, ut *Eraſmus* illi ſit Grammatiſta, Rhetorculus, & Latiniſator, non ob aliud opinor, niſi quod in ſcriptis meis nuſquam legit *inſit* pro *dicit*, quo frequenter uſus eſt *Sutor*. Non hic pluribus urgebo *Sutorem*, tantum horum meminerit, cum alibi damnat Linguarum peritiam. Siquidem hujuſmodi portenta debet imperitæ Linguæ Græcanicæ, etiam Latine ſcribens. Item cum negat Libros Sacros depravatos, & ſi depravati ſint, ex Græcis non poſſe reſtitui. *Yperaſpites* legit in ſuo codice, niſi quod maluit dicere *yperaſpitis*, quo videretur ſcire Græce, quo conſilio & alibi *anagogin* dicere maluit, quam *anagogen*. Hæc an non ſatis arguunt quam ſuaviter hic glorioſus *Sutor* ſibi placuerit, quam ſe miretur, quam geſtiat philautia, quam ex alto deſpiciat omnes?

Proinde cum *Sorbona* quoſdam habeat ſani judicii, bonarum litterarum egregie peritos, nonnullos & Græcanicæ litteraturæ non vulgariter gnaros, tamen unus *Sutor Cartuſianus* multis impeditus morbis, & arduis diſtractus negotiis, tum vero nullis etiam præſidiis ad hoc certamen inſtructus, cæteris, ut ſcribit, diſſimulantibus, proſiliit in arenam, ut novis telis recentique acie fundituſ recentes deleret *Amalechitas*: ac *Lutherum* quidem unico telo protinus letho dedit, appellans eum ſceleratiſſimum Hæreſiarcham. Hoc unum eſt e novis telis, vixit *Lutherus*. Quam vero glorioſe, ne dicam ſtulte, ſin-

Digitized by Google

git obiter inter negotia ſibi relatum de tralatiſtis, mox-
que ad calamum accurriſſe, quo videatur auctor hujus ar-
gumenti, cum *Leus* & *Stunica* priores tractarint idem,
ex quibus nihil ſuffuratur, quod non reddat deterius.
Nec minus impudenter vanum eſt quod addit, cæteris
diſſimulantibus ſe negotium capeſſuiſſe. Imo jam *Lutetiæ*
volitabat liber. Exierat Dialogus *Latomi*, *Stunicæ* liber
Lutetiæ fuit excuſus antequam ad nos perveniret. At in-
terim novum Teſtamentum bis editum verſabatur in
manibus hominum, & tertia Editio erat præ manibus
Frobenio. Hæc omnia diſſimulat *Sutor*, ſperans fore, ut
obliteratis aliorum libellis totam hujus negotii gloriam
in ſeſe transferat. Quid autem magis inglorium, quam
bellum jam olim depugnatum, ac cicatricem jam obdu-
ci cœptam denuo ſuſcitare? Quid erat cauſæ, cur poſt
illos tractaret idem argumentum? Nec doctius, nec
diſertius potuit, quam ab illis tractatum eſt, loquacius
ac furioſius tractavit. Hoc ſolum laudis auferat *Sutor*,
videlicet quod hîc deſideratum eſt in *Leo*, *Latomo*, &
Stunica, ſupplevit Theologus *Cartuſianus*, modeſtiæ
columen, cum tamen in *Leo* tantum fuerit amarulentiæ,
ut nec a ſuis *Anglis* probatus ſit, & *Latomus* æquo animo
paſſus ſit obſoleſcere ſuum Dialogum, *Stunica* ſic placuit
Pontificibus, ut non ſemel ſit impoſitum illi ſilentium.
Quam igitur laudem ſibi ſperabat iſte *Sutor*, omnibus
illis ad hanc ſane provinciam ineptior? Videlicet huic
uni non plus cordis, ſed minus oris aderat. Nunc artem
& judicium hominis vide Lector: cum *Horatius* præ-
cipiat,

Denique ſit quod vis ſimplex duntaxat & unum,

hic uno faſce quam variam argumentorum farraginem
complexus eſt. Eadem acie fundit *Lutheranos*, inſectatur
quoſdam blaſphemos in *Chriſtum*, proſcindit milites in-
cendiarios, Principes exactores immodicos taxat, op-
primit Linguas & bonas litteras, impetit *Lyranum*, *Bri-
tonem*, & *Laurentium Vallam*, lapidat *Fabrum* & *Era-
ſmum*, tractat locos communes ab aliis tractatos. Hæc
tam diverſa ſub unam *Myconum* omnia convolvit, veluti
cum multa jura confundit coquus, & interim ſupprimit
noſtra nomina. Quod ſupprimit eorum nomen, unde
ſublegit ſuas calumnias, ingratitudinis eſt: quod noſtra
confundit cum *Lutheranis*, cum neſcio quibus blaſphe-
mis, cum militibus, cum incendiariis, videri poterat
malitiæ, niſi mallem quicquid hactenus peccavit *Sutor*
tribuere ſtultæ cuidam gloriæ. Verum non oportuit uſ-
que adeo deſipere Theologum, ut exiſtimaret neminem
fore tam oculatum, qui tantam ſtultitiam deprehende-
ret. Et tamen ſi hæc ex ſeſe commentus fuiſſet, laudem
tuliſſet *Zoïli*, hoc eſt, diligentis ſycophantæ: nunc cum
vulgo protrita ſuffuretur, ac recinat obſoleta, quid fin-
gi poteſt ſtultius aut inanius? Congerit ex alienis libellis
Hebræa, Græca, nova, vetera, quid non? quo Le-
ctor hoſpes admiretur unum hominem tam varias diſci-
plinas potuiſſe tenere. Subinde nominat *Tullium*, quaſi
& illum legerit, ac nonnunquam de phraſi, de ſtilo,
de elegantia & eloquentia diſputat, nihilo meliore fron-
te, quam ſi ſurdus diſputet de harmoniis, cæcus de co-
loribus. Quid multis? Gloriarum plena ſunt omnia.

Nunc videre eſt operæpretium, quanta ſit in ordine
prudentia. Primo capite refellit, imo recinit quæ ſunt
acta pridem inter *Stunicam* & me, de Evangelio *Mat-
thæi* Hebraïce ſcripto, quo volumen velut allia creſceret
in caput. Mox pluribus capitibus altiſſime repetit hiſto-
riam de interpretatione Sacrorum Voluminum, atque
obiter flagellat *Lyranum*, *Burgenſem*, *Amarcanum*, &
alium quemdam *Lyrani* patronum. Decimo quarto capi-
te conſerit manus cum Apologia *Jacobi Fabri*, quam
præfixit *Paulinis* Epiſtolis denuo verſis, obiter admi-
ſcens nonnulla quæ putat ad me quoque pertinere. Cap.
XVII. proſternit *Eraſmum* telis illis ſuis recentibus, hoc
eſt, e vulgatiſſimis aliorum libris emendicatis, imo fur-
to ſublatis. Poſt hæc capitulis aliquot pluſquam tragice
debacchatus in humanas bonaſque litteras, quas ille dia-
bolicas appellat, in collegia Linguarum, ſubinde in-
clamans illud ſuum *Proh dolor*, quaſi *procti dolor*, tan-
dem cap. XX. carpit meam Tranſlationem locis aliquot e
Stunica emendicatis. Cap. XXI. recipit ſe ad *Jacobum
Fabrum*, & obiter arripit *Laurentium Vallam*, renovans
veterem querelam de perſona. Tandem cum omnia ſtul-
tiſſime diſſeruerit, quaſi re jam evicta, perorat tam
ſtulte, ut quod perorationi convenit, lachrymas etiam
excutiat Lectori, tractans obiter quæſtionem de Libris
Sacris in Linguam vulgatam vertendis. Poſtremo deplo-
rat orbem tot tumultibus concuſſum, & precatur homo
pius, ut ſaltem bene ſit *Gallia*, de cæteris non admo-
dum ſollicitus. Ad hunc denique modum perficit *Hora-
tianam* tabulam, qua

Collatis undique membris turpiter atrum
Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Quid jam referam in opere medio, quoties repetit
eamdem quæſtionem, quoties inculcat ea quæ paulo an-
te dixerat, quoties recitat citata. Quam lente deſidet in
locis communibus, quæ nihil ad rem pertinent. Quam
operoſe probat ea, quæ nihil egent probatione, quod ea
nemo neget. Statim in principio quam novam rem do-
cet, Sacros Libros, quibus utuntur Latini, verſos ex
alia Lingua. Deinde cap. VI. quanto molimine probat
Sacros Libros verſos, aut caſtigatos ab *Hieronymo*,
mira ſedulitate percurrens ſingulos Veteris ac Novi Te-
ſtamenti libros. At quis iſthuc negabat? An hæc Tranſ-
latio talis eſſet integra, qualis ab *Hieronymo* fuerat tra-
dita, vocabatur in quæſtionem. Cap. VIII. multis te-
ſtimoniis docet non eſſe neceſſe interpretem verbum
verbo reddere, de quo nulla erat controverſia. Cap.
XIII. multis teſtimoniis docet *Hieronymum* vertiſſe No-
vum Teſtamentum, aut certe caſtigaſſe, id quod ne-
mo negabat. Probat *Hieronymi* Tranſlationem ad *Augu-
ſtinum* perveniſſe. Ne hoc quidem quiſquam negat. Cap.
XIV. ſudat ut doceat *Hieronymum* in Commentariis ali-
quoties referre ſententiam alienam: quis hoc ignorabat?
Cap. XV. docet hanc Tranſlationem, etiamſi *Hieronymi*
non eſſet, tamen auctoritatem habere, vel ob hoc quod
ab Eccleſia ſit recepta: ne iſtud quidem quiſquam infi-
ciatur. Cap. XVI. ſerio docet multis teſtimoniis Codices
Græcanicos & olim variaſſe nec caruiſſe mendis, cum
id fateamur. Cap. XXII. ſedulo probat litteram, ſi ſo-
la ſit, infrugiferam eſſe. Mox probat in Sacris Litteris
eſſe obſcuritatem aliquam. Quis hæc ſcire poterat, niſi
Sutor docuiſſet? Hujuſmodi multa infulcit, quo magis
creſceret voluminis magnitudo. Videtur enim potius
habuiſſe ſtudio, ut liber eſſet magnus quam bonus.
Quicquid obiter occurrit in tumultuaria lectione, inful-
cit, & quavis occaſione totam renovat diſputationem,
videlicet ne pereat illa lectio. Inde eſt illud, *Sed dices,
unde id probas?* cum ante toties juraverit id ſic eſſe pro-
batum, ut inſanus ſit qui diſſentiat. Forte legerat apud
Jureconſultos aliquid de generibus argumentandi. Ad-
miſcet, & hinc rurſus exorditur argumentationem. Ad
hæc cum verſetur in argumento, quod pendet a conje-
cturis, hoc eſt, a topicis argumentis, quæ iſte putat
eſſe tantum probabilia, tamen non aliter pronunciat de
ſingulis, quam ſi Deus e machina promeret oracula, &
ex frivolis ratiunculis fabricatur hæreſes, ſchiſmata,
ſcandala, tumultus, quid non? Nonnunquam ex ſe di-
vinat, quid ſit conſequuturum. Cum urgetur argumen-
tis inſolubilibus, adfert frigidiſſimas ſolutiones, *poteſt
dici*, &, *forte ſic eſt*, &, *ſi non placet hæc ſolutio*, *adfer
meliorem*: aut aliud aliquod anile nugamentum adfert:
de quibus ſuo loco nonnihil attingemus. Quodam loco
citat divi *Hieronymi* Commentarios in *Marcum*. Alibi
volens probare, quod *Hieronymus* afflatu Spiritus Sancti
verterit, ait eum ideo fuiſſe raptum in tertium cœlum,
ut ibi diſceret Sacræ Scripturæ myſteria, & ne quis du-
bitet hoc eſſe factum, citat Regulam Monacharum, ab
impudentiſſimo rabula confictam. Ubique vero tam lo-
quax ac moleſtus, præſertim aliena, veluti cramben
recoctam, nobis identidem ingerens, ut malim illi de-
ferre palmam quam ſpectare ſaltantem fabulam uſque ad
finem.

Indignatur alicubi mihi, quod interpretationes dixe-
rim lacunas, & exclamat hîc: *Miſer homuncio, qua
fronte audes Tranſlationem* Hieronymi *lacunam vocare?*
Atqui ego de quavis interpretatione loquebar. Et ſi pro-
prie de *Hieronymi* Tranſlatione dixiſſem, quid erat flagi-
tii?

Digitized by Google

tii? Si Veteris Teſtamenti fons eſt Hebræa Lingua, Verſio Septuaginta lacuna ſit oportet: & ſi Novi Teſtamenti fons eſt Græca Lingua, Latina Interpretatio lacuna ſit oportet, etiamſi vertiſſet ſanctus *Lucas*. Atqui divino quid offenderit *Sutorem*: ſomniat lacunam nobis ſonare latrinam vel cloacam. Cap. 11. dicit *Theodotionem* patria *Epheſinum*, vel, ut *Platina* ſcribit, genere *Aſianum*: prius, opinor, legerat in *Euſebio*, ab hujus opinione putat diſſidere *Platinam*, non intelligens eam *Aſiæ minoris* partem proprie dici *Aſiam*, in qua eſt *Epheſus*: unde & *Aſiani* Rhetores dicti. Nam *Aſia minor* latiſſime patet. Itidem proprie *Græcia* dicitur, in qua eſt *Peloponeſus*, imputatis aliquot civitatibus ultra *Iſthmum*, cum alioqui *Græcia* ſit etiam in *Italia*. Quod autem me miſerum homuncionem vocat, non potuit, fateor, brevius totum *Eraſmum* exprimere. Sed unde nobis iſte Gigas? E cœlo, opinor, delapſus? Unde triſmacarios Heros? Ex Inſulis, opinor, fortunatis. Non arbitror *Sutorem* hunc ex eodem limo compoſitum eſſe, quo ſunt mortales cæteri, ſed ex meris unionibus ac gemmis conflatum eſſe, ſeu potius ex quinta quadam eſſentia. Quod niſi ſubinde putidi cerebri pituita negotium illi faceſſeret, plane Deus erat inter homunciones. Fortaſſis hoc illi tollit criſtas, quod nomen habet cum Apoſtolorum principe commune, cognomen cum eo qui *Joppæ Petrum* Apoſtolum excepit hoſpitio. Erat & *Paulus* coriarius, & dum eſſet *Corinthi*, apud coriarium diverſabatur, verum *Paulus* coria conſuebat, *Sutor* hic ſycophantiarum centones conſarcinat. Sed Theologus *Sorbonicus* e ſublimi deſpicit Theologaſtrum. Nam alicubi infulcit quod me jactem Theologum, *Stunica* mendacium recinens. Imo nomen hoc a celebribus Academiis non ſemel delatum reſpui, nec admodum volens tandem accepi, idque in Academia non incelebri. Et hunc titulum mihi non invidit *Adrianus* Pontifex, longe alius Theologus quam eſt *Sutor*. Quis autem minus jactat hoc nomen quam ego? A titulo tam arroganti libenter abſtineo. Abunde magnum fuerit, ſi qui primas tenent inter *Sorbonicos*, dicantur Theologiæ ſtudioſi, quemadmodum illi, repudiato ſuperbo Sophorum cognomine, Philoſophos ſeſe dici maluerunt. Ea modeſtia ſi minus decebat *Cartuſianum*, certe decebat Theologum tam infeliciter eruditum, ſi ad cæteros conferatur. In hoc opere tam elaborato quod obſecro veſtigium reconditæ lectionis, aut liberalis diſciplinæ? Cum mirum fuerit ſtudium in hoc opus congerendi quicquid ſciret aut neſciret, nihil adfert præter illa protrita & in compotationibus proverbiorum vice jactata: *Nolite projicere margaritas ante porcos. Sus reverſa ad volutabrum luti. Quacunque hora ingemuerit peccator. Noli transferre terminos patrum.* Et hæc ipſa quam non in loco! Alicubi ſignificans, ex ratione proficiſci debere quod agimus, citat illud ex *Paulo*, *rationabile ſit obſequium veſtrum*. Hæc ex Divinis Litteris. Ex Philoſophia & Jureconſultis: *Fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora. Quod modicum eſt pro nihilo reputatur. Scriptura propoſitio eſt univerſalis.* Ex Veteribus: *Eſt fluvius, in quo agnus ambulat, elephas natat. Evangelio non crederem, niſi me Eccleſia compelleret auctoritas*, cum *Auguſtinus* dicat *commoveret*. Quis enim unquam compulit aliquem ad fidem? Iſta tenent, qui nec Sacros Libros, nec Jureconſultos, nec *Ariſtotelem*, nec orthodoxos Scriptores attigerunt. Sunt hujus generis alia multa, quæ ſuo loco dicentur. Hæc interim ſufficiunt ad declarandam hominis ſuaviſſime ſibi placentis glorioſam ſtultitiam.

In fine Præfationis, in opere tam inſulſo, & in rhapſodia ex alienis calumniis conſarcinata, jactat ſe imitatum illuſtres viros, qui ſimiliter opus aliquamdiu intermiſſum tandem ex intervallo receptum in manus abſolverit. Sic *Hieronymus* abſolvit opus Prophetarum. Sic *Auguſtinus* libros de Trinitate, quos juvenis orſus fuerat, ſenex edidit. Sic *Bernardus* abſolvit excultiſſimos commentarios in Canticum amatorium *Solomonis*. O glorioſam collationem! Quid *Sutor* ad tales viros? Quid hic ineptus libellus ad talia opera? Quid unquam *Thraſo* dixit glorioſius? Et has nænias homo ſuavis dignas judicavit, quas dedicaret venerabili Collegio *Sorbonico*. Sed audi quiddam etiam magnificentius. In calce tam elegantis libri teſtatur, ſe ſtudioſe totam hanc diſputationem abſolviſſe viginti duobus capitibus, propterea quod apud Hebræos ac Latinos ſint viginti duæ litteræ: Græcos in medio tranſiliit, quod litteras habeant viginti quatuor. O Græcos infelices, qui non recepti ſunt in hoc contubernium! Verum indicabo remedium: duæ potius reſecentur a Græcorum litteris, ut ad *Sutoris* capitula tres Linguæ conſentiant, quemadmodum conſenſerunt in cruce Domini. Quæſo cujus erat prudentiæ, tam anxie numerare capita? Tum an non licebat capita quædam in duo ſecare, aut ex duobus unum facere? An putabat aliquid tale congruere tali libro, quale videmus in Pſalmis ac Prophetis, qui per elementa præfixa diſtinguunt ſententias ac verſus? Fortaſſis homo ſibi placens tale quiddam ſibi pollicetur, ut inter Prophetas hæ næniæ canantur in Templis. Si ex numero quærebat honorem libro, poterat in viginti quatuor capita diducere, tria retuliſſent ſacram Triadem, reliqua novem choros Angelorum, & altera duodecim Apoſtolos. Sed extra jocum facile conjecto quid captarit *Sutor*. Noluit hoc latere quam eſſet litteratus *Samius*. Quid enim hoc homine litteratius? Tenet numero litteras Hebraïcas, Græcas, & Latinas. Appellet me *Sutor* terque quaterque miſerum homuncionem, ſi pilo ſanior eſt in argumentando, quam in his quæ propoſui.

Sed priuſquam accingar ad congreſſum, dividam quæ confudit *Sutor*. Primum mihi cum *Lutherana* cauſa nihil omnino rei eſt: nec *Fabri* patrocinium ſuſcipiam, *ætatem habet, pro ſe loquetur ipſe*. Tantum illud dicam obiter: merebatur illius viri nota perpetuaque vitæ probitas ac pietas, merebatur veneranda canities, merebantur tot labores juvandis publicis ſtudiis exhauſti, ut etiam, ſicubi velut homo lapſus eſſet, aliquanto civilius tractaretur, quam eum tractat *Sutor*, qui ſic tractat, ut cum cane loqui videatur, non cum homine. Sciolum appellat, Philoſophaſtrum, arrogantem, inſanum, monſtrum, phantaſticum, ſomniatorem. Legat quæ ſcripſit *Origenes* adverſus *Celſum* hominem plane blaſphemum, legat *Auguſtinum* diſputantem cum *Arianis*, cum *Pelagianis*, cum *Donatiſtis* pluſquam hæreticis, & videat an uſquam inveniat tam rabioſam maledicentiam, quam hic effundit in doctum ac ſenem, cujus perpetua integritas non poteſt ulli malitioſæ voluntatis ſuſpicioni eſſe obnoxia. Nec cum bellis quidem, aut militibus hic mihi res erit. Si quid Principes turbant mundum, aut ſi quid deſignant milites, hoc ex meis certe ſcriptis non didicerunt. Tantum paucis ad ea reſpondebo, quæ videntur ad me pertinere. Quorum primum erit de Verſione Novi Teſtamenti. Alterum de Linguis ac bonis litteris, quas iſte ſtultiſſime facit omnium malorum quæ ſunt in orbe parentes. Tertium de Sacris Voluminibus in Linguam vulgarem vertendis.

Primum igitur ad rixam, quam velut extra ordinem echo nobis reboat in primo capite. Hîc enim movet tragœdiam, vel renovat potius a *Stunica* motam, de Evangelio *Matthæi* Hebraïce ſcripto. Quæ res cum nihil faciat ad Religionem Chriſtianam, tamen hic quoque crepat ſcandala, hæreſes, & ſchiſmata. Non hîc igitur inſtaurabo rixam de lana caprina cum loquaciſſimo *Sutore*. Satis explicui mentem meam reſpondens *Stunicæ*, quæ ſi intellexiſſet omniſcius *Sutor*, non tantum ineptiarum in caſſum effudiſſet. Tantum indicabo tribus verbis hominis ſapientiam. Sic propoſueram, multis conjecturis colligi *Matthæum* non ſcripſiſſe Hebraice: aut ſi ſcripſit, Exemplar ab *Hieronymo* non fuiſſe viſum. Diſputationem ſic finio: *Quod ſi cui non placet mea ſuſpicio, ſua fruatur opinione*. Hîc nihil eſt arrogans, aut contumelioſum. Nunc videamus hujus admirandi Theologi, cui ſumus omnes Theologaſtri, & ſcioli, raram in argumentando peritiam ac ſapientiam. Primum locis, quos illic citaram ex Auctoribus vetuſtis, pugnat adverſum me, cum in his ſint quæ contra ipſum faciant. *Origenes* dicit, *Ita enim tradidere patres*. Auguſtinus, *Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio*. Chryſoſtomus, *Hebræo*, inquit, *dicitur ſcripſiſſe ſermone*. Hæc cum declarent illos dubitaſſe, tamen noſter *Thales* ex his probat nullam

unquam fuisse dubitationem. Hoc nimirum est argumentandi genus, quod Græci βίαιον appellant, hoc est, *Goliath suo jugulare gladio*. Deinde cum *Hieronymus* distinguat Evangelium *Nazaræorum* litteris quidem Hebraïcis, sed verbis Chaldaïcis scriptum, ab eo quod scripsisse creditur *Matthæus* & litteris & verbis Hebraïcis, *Thales* noster etiam illa loca, in quibus fit mentio Evangelii Hebraïcis litteris scripti, torquet ad hoc, ut doceat *Hieronymum* vidisse codicem Hebraïcis verbis scriptum. Præterea cum ego proposuerim thema biceps, *probabile est*, inquiens, Matthæum *non scripsisse Hebraice*, *aut* Hieronymum *non vidisse quod ille scripserat*, *Sutor* omnes conjecturas huc torquet, quasi simpliciter colligam *Matthæum* non scripsisse Hebraïce. Nec pudet hominem in Dialectica detritum sic perpetuo ratiocinari, ut e duabus partibus, disjunctim propositis, priorem duntaxat repetat, videlicet quo videatur absurda mea collectio, cum interim ipse declaret se sycophantam malæ fidei in recensendo collectionem alienam. Mihi satis est alterutram partem consequi. Ipsius erat utramque refellere, si nostram ratiocinationem destruere volebat. Proinde hîc quidem dormitavit *Sutor*, verum in eo, quod sequitur, Dialecticus est: *ut Hieronymus*, inquit, *non viderit*, *non statim consequitur neminem vidisse*. Proferat igitur *Sutor*, qui dicat se vidisse, præter unum *Hieronymum*, de quo controversia est, an de Evangelio probato loquatur. Non vidit *Origenes*, non vidit *Eusebius*, probus quidem Historiographus, sed non tanti ponderis, ut impium sit ab eo dissentire, præsertim cum referat alienas opiniones, quarum non paucas rejecit Ecclesia. Alioqui si impium erat dubitare, num *Matthæus* scripserit Hebraïce, sit & illud impium dubitare, an Apocalypsis sit *Joannis* Evangelistæ, & an hujus sint duæ posteriores Epistolæ, & an Epistola *Jacobi* sit Apostoli, & an secunda *Petri* & *Judæ* habeant auctoritatem. Similiter dicendum de Epistola ad *Hebræos*, quandoquidem & hæc in dubium vocat *Eusebius*, sed majore periculo doctrinæ Christianæ. Plus enim habet momenti, dubitare de Auctore, quam de Lingua, qua proditus sit liber. Denique licebit ex *Eusebii* auctoritate dubitare, num Græco Interpreti sit fidendum, vel quod incertus sit, vel quod apud eumdem lib. tertio cap. xxx. *Papias* sic loquitur: *Matthæus scripsit Hebræo sermone*, *interpretatus est autem ea quæ scripsit unusquisque sicut potuit*. Bella laus Interpretis! Illud vero festivum, quod *Sutor* dubitat an viderim Evangelium *Matthæi* Græce versum. Quid igitur supereſt, nisi ut *Sutor* proferat suam translationem. Jam conjecturam, quam in συναθροισμῷ retuleram de congruentia stili inter *Marcum* & *Matthæum* Græce loquentem, sic eludit, nihil esse affinitatis inter Græce scriptum & Hebraïce scriptum, quasi de vocibus senserim, ac non magis de figuris, tropis, & sermonis idiomatibus. Verum hoc mox me facit objicientem, quasi non id legerit in scripturis meis. At quid interim opus erat illi in medio convitiis, cum non mecum, sed cum umbra luctetur? Quorsum attinebat locus communis de aditu patefaciendo sexcentis hæresibus? nisi quod erat explendum hoc primum caput. Verum hîc medium tenet *Erasmum*. Scripseram *Eusebium* libri III. cap. XXIV. quod *Sutor* XXV. facit, indiligentius numerans aliena capita, quam sua, meminisse Evangelii secundum *Hebræos*, cum alterius non meminerit. Atqui *Sutor* non satis perpendit quid illic agam: de volumine Hebraïce scripto agebatur, sed apocryphum supereſſe fatetur *Eusebius*, alterum supereſſe non declarat, etiamsi refert opiniones quorumdam, qui putarint *Matthæum* Evangelium Hebraïce scripsisse. Sciebam multos esse testes auritos, ego requirebam oculatum, qui, juxta *Plautum*, pluris est decem auritis. At *Eusebius* adeo non vidit hoc Evangelium, ut neminem citet, qui fateatur se vidisse. Nam quod lib. v. cap. x. refert de *Pantæno*, qui *Matthæi* Evangelium repertum apud *Indos* ad *Alexandrinos* detulerit, significanter additum est, *Hebraïcis litteris descriptum*, idque non tantum apud *Eusebium*, verum etiam apud ipsum *Hieronymum* in *Pantæno*. At *Hieronymus* hac nota distinguit *Nazaræorum* Evangelium, quod est apocryphum, ab eo quod scripsit *Matthæus* litteris & verbis Hebraïcis. Si *Nazarai*, qui videbantur, ut inquit, Christiani, ætate *Eusebii* legebant Evangelium Hebraïcis litteris scriptum, exstabat igitur. Sed idem de altero nusquam confirmat. Hoc debebat noster *Thales* refellere, priusquam diceret, *Hoc plane falsum est*. Hanc, opinor, civilitatem retulit nobis e Scholis adolescentum, ubi regnat impune qui docet. De illo posset aliquis tergiversari, cur illud Evangelium, quod narratur Hebraïcis litteris scriptum, & apud *Eusebium* & apud *Hieronymum* dicitur *Matthæi*, Quia hoc titulo ferebatur, quia sic plerique credebant. Alioqui si sensit *Hieronymus* Evangelium, quod *Alexandriam* detulit *Pantænus*, vere fuisse *Matthæi*, quod ait litteris & verbis Hebraïcis scriptum, quorsum attinebat sic loqui, *litteris Hebraïcis scriptum*, cum brevius licuisset dicere *Hebraïce scriptum*? An qui sentiret *Ciceronem* de consulatu Græce scripsisse, expedite loqui videretur, si diceret illum *de consulatu Græcis litteris scripsisse*? Aut qui diceret eumdem orationem *Demosthenis Latinis litteris vertisse*? Rejicit & hoc enthymema: *Si non vidit Exemplar Hebraïcum* Hieronymus, *non statim sequitur* Matthæum *non scripsisse*. Imo si nemo testatur se vidisse, cum testentur alterum sibi conspectum, descriptum ac versum, probabilis est conjectura nunquam exstitisse, præsertim cum hanc conjecturam alia confirment. Illud ridiculum, quod ratiocinatur *Sutor*, si hoc veniat in dubium, an *Matthæus* Hebraïce scripserit, periculum esse, ne fides omnium scriptorum collabatur. Imo tam multa rejecta sunt, quæ tradit *Eusebius*, & tamen constat humanis historiis sua fides. Et hîc *Sutor* prorsus desipit, qui credat subversam omnium scriptorum auctoritatem, si quis alicubi dubitet de fide scriptorum veterum etiam in historia, cum Theologi plusquam sexcentis locis dissideant a dogmatibus veterum orthodoxorum, nec putant esse periculum, ne labascat tota Theologia.

Hîc mihi quæso Lector, ut paulisper attendas hujus *Sutoris* æquitatem. Ego nihil pronuncio adversus sententiam *Hieronymi*, tantum indico suspicionem meam ex variis argumentis conceptam, nihil obstans quo minus suo quisque judicio fruatur, & tamen periculum est, ne doctorum omnium labascat auctoritas, ne hæreseon agminibus patefiat aditus. Ipse capite IV. fortiter ac sine honoris præfatione pronuncians adversus sententiam *Hieronymi* plus quam viginti locis suggillantis Translationem Septuaginta, quam sibi suaviter ignoscit *Mævius*, nec ullum est periculum. Non semel impudens est quod illic pronunciat *Sutor* interpretationem Septuaginta fuisse ex afflatu Spiritus, & stultissimis argumentis probat quod asserit. Et tamen mavult in totum abrogari auctoritatem *Hieronymo*, quam in illius ire sententiam. Dicit illum in multis hallucinatum, & sæpe dicere secum pugnantia. Nec magni facienda quæ scripsit juvenis, & tamen senex hoc scripsit, repetiit, inculcavit, quod refellit *Sutor*. Ridendum & illud, quod hîc tota disputatione tumultuatur ex amphibologia Linguæ Hebraïcæ, quæ apud Veteres nonnunquam significat eam, qua *Syri* vulgo utebantur, ex Chaldaïco, Hebræo, atque etiam Latino, ut videtur, mixta, nonnunquam eam Linguam, qua veteris Instrumenti libri proditi sunt. Hæc cum non distinguat in argumentatione, quid aliud quam gladium in tenebris ventilat? Linguam Hebraïcam, hoc est, corruptam illam & permixtam intelligebat vulgus, qua loquutus est Dominus & Apostoli. Ea Lingua scriptus erat titulus, ea Lingua *Paulus* in Actis loquebatur populo, ea Lingua referuntur in Evangeliis Hebraïca quædam, *Thabita cumi*, & *Heloi Heloi*, *lama sabachthani*, & *Raboni*, & si qua sunt alia. Ast exigit, ut hoc probem. Id docui in Annotationibus, quas lectas oportuit, antequam hanc leonten indueret *Sutor*. Quod si mihi diffidit, consulat Hebraïcæ Linguæ peritos. Certe *Stunica* fatetur, neque quemquam adhuc audio contradicentem, qui norit Hebraïce. Quam elegans autem, quod hic nobis objicit commentarios in *Marcum Hieronymi* titulo. Porro cum argumentor, si divus *Hieronymus* præter *Nazaræorum* Evangelium habuit aliud γνήσιον, cur hinc fere

Digitized by Google

re nunquam citat teſtimonia, cum ex altero frequenter id faciat? Hunc nodum varie diſſolvit. *Cum in Græco*, inquit, *Exemplari nihil eſſet ſcrupuli, quorſum attinebat confugere ad Exemplar Hebraicum?* Hoc quam impudenter dictum ſit a *Sutore*, paucis aperiam. *Matthæus* cap. XII. refert de *Chriſto* vaticinium ex *Eſaiæ* cap. XLII. ſed ita refert, ut nec cum Editione Septuaginta, nec cum Hebraïca veritate ſatis conſentiat, id quod ipſa res loquitur. Deinde ſanctus *Hieronymus* enarrans hunc *Eſaiæ* locum, & rurſum in Epiſtola ad *Algaſiam* Quæſtione ſecunda, docet vaticinii partem oblivione ſcribarum ſibi videri prætermiſſam, nimirum hæc verba: *Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium.* Cum tantus nodus inciderit in Evangelio *Matthæi*, cumque *Hieronymus* teſtetur ſe tortum fuiſſe hoc ſcrupo, nec tamen confugiat ad Exemplar illud a *Matthæo* traditum, nonne ſatis fatetur ſibi non fuiſſe Codicem illum, ac ne Exemplar quidem ex eo caſtigatum? Eat nunc & clamet *Sutor*, *Hieronymum* confugiſſe ad illud Exemplar, quoties opus fuit. Rurſum cum *Matthæi* cap. II. vaticinium, *Et tu Bethlehem* &c. quod refertur ex *Micheæ* cap. V. neque cum Septuaginta concordet, & adeo diſcrepet ab Hebræis ut ſenſum habeat etiam contrarium, cum *Hieronymus* hîc uſque adeo torqueatur, ut omnem movens lapidem etiam hoc attigerit, an Evangeliſtæ veteris Inſtrumenti teſtimonia non e libris ſed e memoria deſcripſerint, non meminit tamen in tantis anguſtiis Exemplaris Hebræi. Rurſum eodem capite cum vaticinio quod refertur ex *Oſeæ* capite XI. ſimilis incidat ſcrupulus, nulla tamen Exemplaris Hebraïci mentio. Fatetur idem accidere *Hieronymus* in omnibus fere teſtimoniis, quæ referuntur èx veteri Teſtamento. Fortaſſe dicet, contulit, licet non meminerit. Non eſt tam ſupinus *Hieronymus*, ut qui toties adducat *Nazaræorum* apocryphum Evangelium, in tot anguſtiis non ei venerit in mentem Evangelii gneſii. Rurſum *Matthæi* capite V. *Qui iraſcitur fratri, ſine cauſa* &c. *Hieronymus* indicat has voces, *ſine cauſa*, ſibi videri adjectitias, nec eſſe veritatis Evangelicæ. Dicit hoc in Commentariis, repetit in ſecundo Dialogo adverſus *Pelagium*. Certe hîc erat citandum Exemplar Hebraïcum, ſi modo ullum exſtitiſſet. Ejuſdem cap. II. prophetia *Hieremiæ* mutila fertur in noſtra Tranſlatione, quam *Sutor* vult eſſe *Hieronymi*: *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus*, cum & apud Hebræos & apud Septuaginta tria ſint verba, *lamentatio, fletus, & luctus*, cur in hoc ſcrupulo *Hieronymus* non conſuluit Exemplar Hebraïcum? Affirmat *Sutor* Evangelium *Matthæi* Græce ſcriptum tam fuiſſe perfectum & emendatum, ut nihil opus fuerit Hebraïco, cum in nullo aliorum Evangeliſtarum occurrant plures difficultates. Et hujus generis multa demonſtro loca in Annotationibus meis. Verum ea, opinor, non legit ſeculi noſtri *Numa*. Atqui id factum oportuit, antequam ſibi ſumeret perſonam Areopagitæ, & capitis ſententiam proferret in libros alienos.

Nunc inſpiciamus duo loca, quæ refert ex Evangelio Hebraïco. In Epiſtola ad *Hedibiam* Quæſtione quarta ſic loquitur *Hieronymus*: *Mihi videtur Evangeliſtam* Matthæum, *qui Evangelium Hebraïco ſermone conſcripſit, non tam veſpere dixiſſe quam ſero.* Non hîc excutiam quam hoc κρησφύγετον opituletur *Hieronymo*. Si *Hieronymus* habebat Exemplar, cur dicit *videtur*? Si Hebraïca vox pariter anceps eſt, unde ſumit illud *videtur*? Si non eſt, cur non pronunciat ex fonte quod verum eſt? Alter locus eſt de *Oſanna*, quem ita citat in Epiſtola ad *Damaſum*: *Denique* Matthæus, *qui Evangelium Hebræo ſermone conſcripſit, ita poſuit, Oſanna, Berama.* Primum locus, quem citat, non multum facit ad explicandam quæſtionem, & fortaſſis locus hic erat in Evangelio *Nazaræorum*, quod *Matthæi* vocat, vel quia id plerique credebant: vel quia probabile erat hunc locum in utroque conſentire.

Ad aliam conjecturam; ubi rogo, cur *Hieronymus* verterit Evangelium *Nazaræorum* apocryphum in Græcam Linguam pariter ac Latinam, cum germanum illud *Matthæi* non verterit, aut certe caſtigarit? Eadem bipenni diſſecat hunc nodum, *Quoniam*, inquit, *recte verſum erat.* Mira felicitas, ſi, cum cætera omnia variarent, in hoc uno nihil fuit ſcrupuli. Atqui hoc longe ſecus habere jam demonſtravimus, demonſtraturi copioſius ubi locus poſcet. Certe in hoc erat ſervandum Exemplar, ut ex eo Græci Latinique Codices, ſi contingeret vitiari, corrigerentur. Neque vero mediocrem uſum attuliſſet enarrantibus Evangelium, propter verborum emphaſes, tropos, & idiomata ſermonis Hebraïci, quæ per interpretem ſæpe reddi non poſſunt. Et *Hieronymus* ſolet libenter oſtentare, ſi quid nactus eſſet novarum opum, qui toties infulcit Evangelium *Nazaræorum.*

Cum quæro, cur *Hieronymus* toties tam diligenter meminerit Evangelii *Nazaræorum*, cur in altero non idem fecerit? Reſpondet hoc eſſe factum, *ut apocryphum Evangelium traduceret.* An id facit qui toties addit, *quod a pleriſque creditur eſſe Matthæi?* Quin potius dicit, ab hæreticis inſanis fingitur eſſe *Matthæi*, ſi traduci voluit? Libro tertio adverſus *Pelagianos* ſic citat: *Quo utuntur Nazareni ſecundum Apoſtolos, ſive ut plerique autumant juxta Matthæum.* Sunt hæc verba volentis traducere? At quæ tandem citandi neceſſitas?

Ubi quæro, cur apocryphum ſervatum eſt, cum interciderit illud germanum? *Quoniam hæretici*, inquit, *apocrypha libenter amplectuntur, & conculcant quæ recta ſunt.* Expedite quidem *Sutor*. Atqui non omnes *Nazareni* erant hæretici. Et ſi tantum poſſunt hæretici, cur exſtinctis reliquis Evangeliis ſola quatuor ſuperſunt?

Audi aliud Sophiſma: *Si Evangelium* Matthæi *fuiſſet corruptum*, ait *Sutor*, Hieronymus *non ſcripſiſſet in hoc Commentarios.* Atqui *Hieronymus* nominatim indicat loca, quæ putat eſſe corrupta, tum in hoc Evangelio, tum in Epiſtola ad *Epheſios*, & tamen in hæc ſcribit Commentaria. Quis ſubulcus argumentaretur ſtupidius quam hic divinus, ut ſibi videtur, Theologus? Addit, *ſi nunc viveret* Hieronymus, *non confugeret ad fontes Hebræorum, cum in Tranſlatione nihil ſit vitii.* Iſtud fortiter quidem *Sutor*, ſed reclamantibus una voce omnibus, qui tenent Hebraïcam litteraturam. Fatetur hoc & ipſe *Stunica*, fatetur *Aleander*, *Hieronymum* in Hebræis vertendis crebro lapſum eſſe, qua de re nonnihil attingetur alias. Poſtremo proponit ſibi quæſtionem, cur *Matthæus* ſolus Hebraïce ſcripſerit, & rationes adfert *Sutore* dignas, quas non eſt animus exagitare, quandoquidem ad me nihil attinet. His felicibus auſpiciis fidei propugnator abſolvit *Alpha*, cui magis conveniebat *Theta.*

Quoniam autem *Sutor* ſubinde taxat in meis ineptum argumentandi genus, non diſſimulabo, quanto ipſe ſit ineptior. Verſabar in re conjecturali, & in conjecturis, quæ certam non habent probationem, valet argumentorum congeries, ut quæ non proſunt ſingula, multa juvent. At *Sutor* cum ſingulis conjecturis ſic pugnat, quaſi triumphum adornaturus, ſi quamlibet vicerit. Verum quemadmodum *una hirundo non facit ver*, ita una conjectura non facit probabilem opinionem. Cæterum ille συναθροισμὸς facit probabile quod agitur. Quod genus, *Non amabat hominem, erat cur invideret, erat quod ex illius morte ſperaret commodi, ſæpe de illo parum amice loquutus eſt, quo tempore facta eſt cædes, non viſus eſt his locis quibus ſolet; appellatus expalluit, inconſtanter locutus eſt: cum interveniret, e vulneribus cadaveris cæpit profluere ſanguis, in veſte illius deprehenſa eſt gutta cruoris. In funere inimici fuit officioſior, quam ſolet in exſequiis amicorum*: horum ſingula levia ſunt, tamen ipſo agmine reddunt cauſam probabilem. Oportebat igitur *Sutorem* adverſus agmen conjecturarum pugnare agmine denſiore, ſi vellet vincere, aut certe pugnare neceſſariis argumentis adverſus probabilia. Nunc refellens mea dicit *forte*. Mecum igitur ſentit, ſi dubitat.

Nunc quod reſtat pauciſſimis abſolvemus; nihil enim hîc a *Sutore* objicitur, quod non diluerim Apologiis ac Præfationibus meis. Et ſatis conjicio *Sutorem* eorum nihil legiſſe, præter aliquot capita, quibus reſpondeo *Stunicæ*. *Latomi* libellum legit, Apologiam meam non legit. Cæterum nec reliquas Apologias, nec Præfationes,

Digitized by Google

nes, nec Annotationes in novum Teſtamentum legiſſe videtur. Alioqui non tam ſtolide provocaret, ut vel unum Doctorem proferam, qui legerit, *In principio erat ſermo*, cum in Apologia jam non ſemel tam multos protulerim: nec tam impudenter vociferaretur, ut unum locum commonſtrem, in quo Doctor aliquis lapſus ſit, vel ob depravata aut male reddita, vel ob inſcitiam Græci ſermonis, cum ego in Annotationibus, atque etiam in Indice, non paucos oſtenderim: nec tam improbe flagitaret, ut vel unum canonem proferam, qui jubeat vetus ac novum Teſtamentum ex Hebræorum ac Græcorum fontibus emendari, cum aliquot tales non ſemel indicarim. Fortaſſe non fuit illi lucubrationum mearum copia, aut ſi fuit, non vacavit arduis ac multis Reipublicæ negotiis diſtracto perlegere. Audivit Cæſar *Adrianus*, cum negaſſet ſibi otium audiendi mulierculam, *ergo ne velis imperare*. Si non vacat *Sutori* legere noſtra, quomodo vacat tot convitiis debacchari in ea quæ non vidit? Quis judex unquam auſus eſt pronunciare de cauſa incognita? Id quidem ne in tyrannis quidem tolerari ſolet. Et hanc tyrannidem ſibi ſumit Theologus, & cenſor tam ſupercilioſus, non pronuncians de herciſcunda hæreditate, aut de ſtillicidio, ſed de cauſa pluſquam capitali, nihil habens in ore præter *hæreſes*, *hæreſiarchas*, *ſchiſmata*, *blaſphemias*, *flagra*, eſt & hoc ſutorium verbum, *deportationes*, *incendia*. Si legit quæ damnat ac diſſimulat, quam parum decet fucus Theologum *Cartuſianum*? Quin refert bona fide, quæ pro nobis faciunt? Si legit carptim & oſcitanter, oportuit iterum atque iterum perlegere, priuſquam ſic debaccharetur in quemquam. Si non legit quia non fuit otium, ſi non fuit otium cognoſcendi cauſam, non debebat eſſe otium ad condemnandum. Si contempſit, nec dignatus eſt legere, quis talem dignabitur habere pro judice?

Verum ad primum caput veniam de Verſione novi Teſtamenti. Qua de re primum propoſitis aliquot ſententiis, Lectoris tædio conſulam, quo ſtatim intelligat, & noſtri conſilii rationem, & quid ſibi aſſumat impudens hic *Sutor*.

Primum quo ſimul & Græcis litteris, quæ tum cœperant efflorescere, conſuleremus, & pietatis ſtudium accenderemus in his, qui hactenus in profanis litteris hærebant, viſum eſt edere novum Teſtamentum Græce, cum aliquot Annotationibus.

Decreveramus addere vulgatam Editionem: quod addidimus noſtram, non erat noſtræ mentis, ſed huc perpulerunt amici quidam docti, quorum voluntati ceſſi verius quam judicio.

Eum laborem dedicavimus Pontifici *Leoni* decimo, cujus legatus *Antonius Puccius*, nunc Epiſcopus *Præneſtinus*, tum erat *Baſileæ*, cum hoc opus excuderetur. *Leo* gratias egit diplomate, quod operi præfixum eſt, cohortatus ut pergerem. Idem *Frobenio* indulſit privilegium.

Totum hunc laborem meum ſubmiſi judicio Eccleſiæ, frequenter exhortans eruditum Lectorem, ut admoneret, ſi quid offenderet, correctionem pollicens in Editione proxima.

Multis Præfationibus teſtatus ſum, ne quis fideret Editioni meæ, ſic ut deſciſceret a vulgata Tranſlatione, niſi res ipſa & auctoritas eorum, quos allego, perſuaderet in noſtra Tranſlatione nodum aliquem eſſe, ſive per incuriam ſcribarum, ſive culpa interpretis. Habebam perſuaſum argumentis pene neceſſariis, hanc novi Teſtamenti Tranſlationem non eſſe eam, quam caſtigavit *Hieronymus*, aut certe integram non eſſe. Et tamen hanc habebam pro authentica, etiamſi *Hieronymi* non eſſet, quod eſſet uſu pene totius Eccleſiæ recepta.

Opinor non ſtatim eſſe neceſſe, ut omni prorſus errore vitioque careat, quod in uſum recepit Eccleſia, cum in Divorum vitis, quas legit publicitus Eccleſia, ſint quædam de quibus dubitare non ſit impium. Eſt erroris genus, qui poteſt occupare totam Eccleſiam citra periculum fidei, aut ſalutis æternæ. Veluti ſi falleretur in ſupputatione diei Paſchalis, aut ſi per errorem perſonæ pro Divo coleret, qui non eſſet hoc honore dignus. Sic arbitrabar, & adhuc arbitror, poſſe vitium aliquod eſſe in Codicibus, quibus utitur Eccleſia, citra diſpendium ſalutis noſtræ, quod tamen non inutile foret indicare.

Vulgatam Editionem intactam reliqui, nec hoc ambii, nec optavi, ut mea publicitus legeretur, aut veterem expelleret. Totum hoc arbitrio procerum Eccleſiæ reliqui, quibus non eſt meum præire, quid poſſint, aut quid debeant facere.

Et in poſterioribus Editionibus adeo non contempſi monitiones eruditorum, ut multos Theologos obnixe rogarim, admonerent libere, ſi quid offenderet. Et ad horum judicia quædam mutavi, quæ nunc ab aliis Theologis reprehenduntur: tantum abeſt, ut pertinaciter inhæſerim meæ ſententiæ. Hæc ſumma eſt hujus cauſæ.

Nunc audi *Sutoris* molimina, qui, ut totum hunc laborem annotandi faciat hæreticum, blaſphemum, & ſchiſmaticum, aſſumit hæc. *Hieronymum* peculiari ac perpetuo afflatu Sancti Spiritus, qualis fuit in Prophetis & Evangeliſtis, vertiſſe vetus ac novum Teſtamentum, nec idem illi contigiſſe uſquam præterquam in hac ſola Tranſlatione. Et hanc Editionem, qua utitur Eccleſia Latina, eamdem eſſe, quam tradidit *Hieronymus*. De qua dubitare nunquid inſit vitii, aut incommodi, aut quod mutandum ſit, hæreticum eſſe & blaſphemum. Interim non diſtinguit inter Scripturam Sacram, & Scripturæ Tranſlationem, aut Codices ſcriptos, cum fieri poſſit, ut ſit aliquid vitii in Tranſlatione aut Codicibus, Scriptura tamen in ſua ſinceritate permanente. Affingit & illud quod palam eſt falſum, me hoc animo vertiſſe novum Teſtamentum, ut receptam Tranſlationem extruderem. Aſſumit & hoc, Septuaginta Tranſlationem fuiſſe profectam e ſimili afflatu, quo vertit *Hieronymus*, nec in hac quicquam fuiſſe erroris, ſed tamen a primo ſcriba fuiſſe depravatam, eam depravationem ab *Hieronymo* correctam. Proinde hæreticum eſſe moliri ullam aliam Tranſlationem, aut in hanc Paraphraſes aut Annotationes ſcribere, quod ab *Hieronymo* nihil ſit præteritum. Aſſumit omnes libros Græcos & Hebræos ſic eſſe depravatos, ut ex eis nihil debeat aut poſſit reſtitui. Ex his ſequitur, nec Pontificibus, nec Synodo, fas eſſe quicquam immutare de vulgata Tranſlatione. Hæc eſt baſis *Sutoriæ* diſputationis.

Nunc mihi pauliſper cum *Sutore* conſerendæ manus, qui hactenus cum *Latomis* & *Fabris* ſoleo congredi. Hujuſmodi quidem baſibus opus erat *Sutori*, ad ſubſtructionem ædificii quod parabat, eas ille fortiſſimis quidem aſſeverationibus communit, ſed omnino ſtupeis rationibus. Ac primum illi largiar ad tempus omnia eſſe vera certaque quæ aſſumit. Si hæc Interpretatio eſt *Hieronymi*, & auctorem habet Spiritum Sanctum, erit eadem auctoritas Interpretis, quæ fuit Evangeliſtæ ſcribentis. Quod, opinor, nemo ſanus fatebitur, & tamen ſi ita res haberet, omnia convitia blaſphemiæ, hæreſeos, inſaniæ, pravitatis, quæ *Sutor* torquet in me, eadem jacienda erant in *Bedam*, in *Rabanum*, in Gloſſam ordinariam, in *Thomam*, in *Lyranum*, qui ſæpenumero duplicem adferunt lectionem, & aliquoties neutram rejiciunt, cum alteram appellare debuerint perverſam, hæreticam, & blaſphemam; perverſam, quod deroget auctoritatem *Hieronymo*; hæreticam, quod diſcrepet a lectione, quam unam probat Eccleſia; blaſphemam, quod pugnet adverſus Spiritum Sanctum. Nam aſſumit *Sutor*, hæreſim ac blaſphemiam ſapere, ſi quis incolumi ſententia mutet verba, ſi quis tollat ſolœciſmos etiam manifeſtos, ſi quis adimat ambiguitates, hyperbata, reliquaque ſermonis incommoda, quod horum quoque ſingula referat ad Spiritum Sanctum auctorem. Atqui hæc omnia fecit *Beda*, *Rabanus*, Gloſſa ordinaria, *Laurentius*, *Lyranus*, *Hugo* Cardinalis, aliique permulti, cum jam ſufficienter, ut opinor, recepta eſſet uſu *Hieronymiana* Tranſlatio. Neque levius peccaverunt, quam ſi *Matthæus* ſcripſiſſet Latine, & eam ſcripturam aliquis mutare conaretur, aut certe in dubium vocare, quam Eccleſia recepiſſet. *Laurentius*, inquiet, non vertit totum Teſta-

Digitized by Google

Teſtamentum novum, ſed hoc moliens cohibitus eſt auctoritate Pontificis. Quid hoc refert? Vertit ea loca quæ damnat, ut male reddita a Latino Interprete. An quod in toto blaſphemum eſt, in parte blaſphemum non eſt? Si blaſphemus eſt, qui refragatur auctoritati totius Scripturæ Sacræ, non abeſt a blaſphemia qui idem facit in tribus aut quatuor capitulis, imo totam labefactat, qui partem convellit. Mihi impingitur hæreſis & blaſphemia, quod addubitem an *Hieronymus* alicubi reliquerit aliquid, aut non aſſequutus ſit quod voluit, cum *Lyranus* quædam loca palam reprehendat in *Hieronymo*: & tamen hunc ſublevat, adulans, opinor, *Franciſcanis*, dicens illius libros non eſſe indignos lectu, cum a meis tanquam a blaſphemis velit omnes procul abeſſe. Judex æquus in cauſa ſimili debebat eamdem pronunciare ſententiam, nec habere perſonæ reſpectum. Imo deterior eſt illius cauſa, qui damnat quod fatetur eſſe *Hieronymi*, quam qui dubitans de auctore Tranſlationis, addubitat an aliquid poſſit melius reddi. Adjiciam illud: ſi recte fecit *Laurentius*, quod, ut ait *Sutor*, juſſu Pontificis a vertendo conquieverit, ego cur accuſor, quod hortatu juſſuque Pontificis operam hanc ſuſceperim? An *Sutor* eſt de numero iſtorum, quibus Pontifex Deus eſt, cum largitur ſacerdotia, immunitates, & privilegia, rurſus ubi parum eſt commodus, nihil aliud eſt quam homo. Sic tractant laterunculos, qui ſubducunt rationem. Editæ ſunt correctiones *Vallæ* ante viginti ferme annos *Lutetiæ*. Si blaſphemum erat opus, cur *Badio* non eſt exhibitum negotium? In re tanta non oportuit Theologos eſſe mutos. Si non viderunt quod videt *Sutor*, mira cæcutientia, ſi neglexerunt, ubi zelus fidei?

Deinde ſi noſter labor eſt blaſphemus & hæreticus, non ſolum ad me pertinet hoc crimen, verum etiam ad eos, qui inſtigarunt, qui adjuverunt, qui comprobarunt. Multi docti piique viri, inter quos & Pontifices, & Epiſcopi, & Theologi, ad hoc laboris hortati ſunt, pecuniis ac monitis adjuverunt, egere gratias pro fructu non mediocri, quem ex meo labore ceperant. Comprobavit *Leo* Pontifex duntaxat ut opus frugiferum rei Theologicæ ſtudioſis. Idem comprobavit laborem *Felicis*, qui poſt *Hieronymum* edidit novam Pſalterii Tranſlationem. Quis huic oblatravit? Quis vitio vertit felicis memoriæ Cardinali *Franciſco* quondam Archiepiſcopo *Toletano*, quod Sacros Libros curarit excudendos Græce cum interpretatione, quæ verbum verbo redderet, qui noſtram etiam induſtriam in ſimili negotio comprobavit? Toties editum eſt noſtrum opus, neque quiſquam damnavit præter *Leum* & *Stunicam*. Stultus fuiſſem, ſi *Lei* judicium tot eruditorum calculis prætuliſſem. De *Stunicæ* calumniis quid ſenſerint, res ipſa loquitur. Nam Pontifices impoſuerunt illi ſilentium. *Joannis* Epiſcopi *Roffenſis* tanta ſemper apud me fuit auctoritas, ut verbo potuerit a cœptis revocare. Is unice gratulatus eſt induſtriæ noſtræ. Prudens ſupprimo multorum nomina, ne quid illis conflem invidiæ. *Lovanii Joannes Atenſis* ejus Academiæ Cancellarius, quem ego non dubitem triginta *Sutoribus* anteponere, primam illam operis Editionem citra exceptionem approbavit. Et ſi forte nonnullis non probabantur aliquot loca ſecus reddita quam vellent, nemo blaſphemiam aut hæreſim appellavit, quod in utilitatem ſtudiorum, incolumi & intacta vulgata lectione, privatim dediſſem alteram.

Quod ſi ſenſiſſent eſſe verum quod conſtantiſſime vociferatur *Sutor*, aut egregie ſtulti ſunt, aut inſigniter impii, qui paſſi ſunt tale opus toties excudi. At *Adrianus* Cardinalis, mox Pontifex, ex Hiſpaniis mihi mandavit per *Petrum Barbirium*, qui ipſi erat a ſacris, ut idem facerem in veteri Teſtamento, quod feciſſem in novo. An huic viro judicium detrahet *Sutor*, an eruditionem, an vitæ ſanctimoniam?

Eadem de re non ſemel mecum per litteras egit *Ægidius Delfus*, litteræ ſunt adhuc in faſciculis ſchedarum mearum. Is erat etiam *Sorbonæ* ſodalis doctrinæ nequaquam adſpernandæ, nec tam nullius judicii, ut ad rem blaſphemam voluerit adhortari.

Habeo ſcrinia plena litteris eruditorum hominum, qui gratulantur his laboribus meis, qui mihi gratias agunt, quod meis lucubrationibus provocati ſint ad amorem ſtudiumque Sacrarum Litterarum, quod multa didicerint, quæ prius non intelligebant. Quî factum eſt, ut inter hos nullus exſtiterit, qui ſenſerit me rem blaſphemam moliri? Sunt & *Baſilea* Theologi, ſub quorum oculis hæc toties agitur fabula. Ex his neminem exſtitiſſe, qui ſubmoneret me pugnare cum Spiritu Sancto? Hos ſi contemnit *Sutor*, an in re tanta ſiluiſſet *Lodovicus Berus*, vir pius & eruditus, perſpicacis judicii, tum adeo liber ac ſimplex, ut etiamſi vellet fucum facere reclamante natura non poſſet. Hoc conſcio, hoc teſte, opus hoc ter excuſum eſt *Baſilea*. An non monuiſſet amicum, præſertim a me rogatus, ut in hoc officiorum genere potiſſimum exhiberet amicum? An hujus oculos fugit, quod vidit *Sutor*? Atqui hujus eruditionem adeo non contempſit ſenatus & ordo Theologicus, ut inter multos primam Lauream huic detulerit. Nec tamen hoc honoris adeptus, velut emeritus ceſſavit a ſtudiis, quod a quibuſdam fieri videmus: imo tum velut in novum ſtadium emiſſus ſumma vi cœpit incumbere Sacris Litteris, nec aliud agit hodie. Quînam igitur accidit, ut ſolus *Sutor*, poſteaquam demigravit in *Cartuſiam*, viderit iſtas perverſitates, hæreſes, blaſphemias, & ſchiſmata? Si ſomniavit, deſinat agere nugalibus ratiunculis, proferat viſionem ſuam. At commovetur his malis, quæ nunc concutiunt orbem. Mox oſtendam, ne micam quidem malorum ex noſtra Tranſlatione natam eſſe, ſed plurimum fructus, & unde tumultus ſit aperiam.

Si blaſphemum eſt in Sacras Litteras ſcribere Paraphraſes, æque blaſphemum erit ſcribere Commentarios. Paraphraſis enim nihil aliud quam Commentarii genus eſt, niſi quod perpetuo ſuſtinetur perſona loquentis. At idem faciunt enarratores laudatiſſimi, *Origenes* & *Hieronymus*. Primum enim quod a Propheta dictum eſt obſcurius & ſtrictius, idem aliis verbis & additis multis explicant dilucidius ac fuſius, nonnunquam loquentes ſub perſona Patris, interim ſub perſona Filii, interdum ſub perſona Prophetæ. Nec hîc periclitatur auctoritas Dei aut Prophetæ, ſi quid fefellerit Paraphraſten. Quoties audis apud *Gregorium*, *quaſi dicat*, paraphraſim exſpectas.

Dicet, non eſt continua paraphraſis. Quid refert? An quod blaſphemum eſt ſi perpetuo facias, pium eſt ſi facias ex intervallo?

At *Arnobius* pene continuam paraphraſim condidit in Pſalmos. Et hunc, ni fallor, imitatus eſt *Jacobus Faber*. Quis unquam vel *Arnobio*, vel *Fabro*, ſuper hac re movit calumniam? Quare *Sutor* non eadem opera vocat illorum paraphraſes diabolicas? Rurſum lubens quæſierim a *Sutore*, ſi fors ita viſum fuerit Patribus & Synodo, num fas ſit futurum illis orbi Tranſlationem dare, vel dilucidiorem, vel emendatiorem, vel Latiniorem? Si blaſphemia eſt in Spiritum Sanctum vel apicem mutare in hac Tranſlatione, nulla Synodus facere poteſt, ut blaſphemia non ſit blaſphemia. Citius hoc concedat *Sutor*, quam de gradu cedat. Verum iſtam cantionem non recipient Eccleſiæ Præſules.

Age, *Damaſus*, cum mandaret *Hieronymo* novum Teſtamentum emendandum, utrum ſciebat illum afflatum iri, an neſciebat? Si ſciebat, unde id habebat certum, cum in cæteris *Hieronymus* ſeſe declaraſſet hominem, in quibuſdam hæſitans, quædam perperam exponens? Ex revelatione? Ubi revelationis hujus mentio? Si ignorabat, quis igitur Deus revelavit *Sutori*, quod ignorabat *Damaſus*? Denique ſi totum opus erat afflatus divini, quorſum opus erat Linguarum peritia? Quid opus collatione Codicum? Certior fuiſſet auctoritas, ſi abſque præſidiis humanis fuiſſet peractum hoc opus. Rurſum quid opus erat emendatis Exemplaribus Græcorum? Nam & hoc addit *Sutor*. Præterea ipſe *Hieronymus* utrum ſcivit ſe afflatu Spiritus vertiſſe, an ignoravit? Si ignoravit ipſe, unde novit *Sutor* quod ſic aſſeverat? Si ſcivit, cur rem tantam non ſaltem indicavit amicis, ut poſt obitum accederet operi perpetua auctoritas, excluderetur que omnis dubitatio? *Paulus* non tacuit ſe raptum in tertium cœlum, quia ſic expediebat *Corinthiis*: hoc magis ad totius mundi ſalutem pertinebat, ut haberet Scripturam quemadmodum erat a

Digitized by Google

Spiritu Sancto dictata. Denique si *Hieronymus* sciebat eam Translationem sic a Spiritu Sancto perfectam esse, ut nihil adimi, nihil adjici posset, nec opus esset ullis Linguarum præsidiis, cur in Commentariis Prophetarum sic subinde torquet Lectorem, intertexens Hebraïca, Chaldaïca, & Græca? Cur Lectorem ad Hebræorum Codices relegat? Dicet, Nondum erat orbi persuasum. Imo ne nunc quidem orbi persuasum est quod asseverat *Sutor*. Quis Doctor, quæ Synodus unquam pronunciavit, hanc novi Testamenti Translationem esse *Hieronymi*, & hanc omnium solam sic esse profectam a Spiritu Sancto, ut qui vel solœcismum tollere voluerit, committat blasphemiam in Spiritum Sanctum? Et tamen hoc est telum, quo *Sutor* totam hanc peragit disputationem. Verum hoc alias. Ait *Sutor* neminem posse vertere Sacras Litteras, nisi perfecte teneat omnes sensus omniaque mysteria, id nemo potest absque peculiari afflatu Spiritus, qui post Septuaginta soli contigit *Hieronymo*, duntaxat in hoc negotio. Itaque si cum verteret penitus intelligebat omnia mysteria Spiritus, quî factum est, ut post in enarrandis iisdem Scripturis frequenter hæreat, suam ipsius confitens ignorantiam, nonnunquam etiam lapsus sit? An quod semel dederat Spiritus, postea veluti pœnitens liberalitatis retraxit? Istuc ne *Sutoribus* quidem erit verisimile, præsertim cum in præfationibus enarrationum toties imploret opem Divini Spiritus, & aliorum etiam precibus adjutus sit. Si ideo Spiritus voluit adesse *Hieronymo* vertenti, ne vacillaret totius Scripturæ auctoritas, non minor erat causa, cur adesse debebat enarranti.

Sutor fatetur id quod est, Scripturam plerisque in locis obscuram, nec hanc a quoquam intelligi, nisi ex dono Spiritus. Etenim habere Scripturam, quam non intelligas, perinde est ac si non habeas. Sed cum in tanta interpretandi dissonantia, hæsitantia, hallucinatione hactenus constet sua Divinis Libris auctoritas, cur *Sutor* arbitratur totam eam vacillare, si quis verbulum ausit mutare, quantumvis incolumi sententia, idque in Translatione duntaxat? Ad hæc cum *Paulus* enumeret dona Linguarum & interpretationes sermonum, quibus interponit donum Prophetiæ, per quod enarrantur Scripturæ, cur non vult quemquam loqui Linguis, nisi adsint duo tresve qui prophetent? Si quisquis habet scientiam Linguarum ex afflatu Spiritus, idem habet perfectam cognitionem mysteriorum, quid opus erat dono Prophetiæ perfectiore in aliis?

Jam si tota Scriptura pendet ab integritate Translationis *Hieronymianæ*, & si hoc adeo curæ fuit Sancto Spiritui, cur idem non adest scribis, ne libri depraventur? Cur saltem non adfuit illi, qui primus Codicem a *Ptolemæo* Rege acceptum depravavit, quemadmodum opinatur *Augustinus*, cum hîc sit idem periculum quod ab Interprete? Quemadmodum enim non referebat Septuaginta recte vertisse, cum subito depravatis Codicibus opus fuerit novo Interprete: ita non magni refert *Hieronymum* ex afflatu Spiritus omnia recte vertisse, si passim per Librarios depravatur quod restitutum est.

Sutor affirmat neminem esse tam impudentem, qui ausit depravare *Hieronymianam* Versionem, cum ipse in uno hoc libello vix ex intervallo tandem absoluto tantam nominum sylvam corruperit, cum tot libri ferantur falso inscripti *Hieronymo*, cum constet illius Commentariis esse quædam admixta, cum tot mendas indicarim etiam in his quæ publice recitantur in omnibus Templis. Imo cum ad *Fretelam* scribens queratur sublatis notulis omnia confundi, & ad *Paulam* & *Eustochium* doceat ipso vivo per Librarios fuisse depravatum Psalterium, quod emendarat. Quid tandem non ausi sunt Librarii?

Denique si blasphemum est quicquid dissidet ab eo quod tradidit Spiritus Sanctus, multis annis Ecclesia sequuta est blasphemam lectionem, variantem a Versione Septuaginta, cujus auctor est Spiritus Sanctus. Et si quis dicat illos excusari ob ignorantiam, certe res ipsa fuit blasphema. Veritas enim Scripturæ Divinæ fuit ante Septuaginta, nec mutatur tempore. Minus erant blasphemi qui negabant Messiam venisse priusquam esset orbi prædicatus, & tamen ipse sermo non minus erat blasphemus, & tamen hoc *Sutor* tribuit Ecclesiæ.

Certe *Hieronymus* ipse nullo modo potuit excusari a crimine blasphemiæ, qui cum afflatu Spiritus Sancti vertisset utrumque Testamentum, non lymphatus utique, sed sanus, tamen in posterioribus libellis vellicat quædam & corrigit, quæ illic habentur, si quidem hæc Translatio est *Hieronymi*. Quo colore *Sutor* ipse vitabit crimen blasphemiæ, qui sententiam ex *Ezechiele* citat, secus quam illic habetur: *Quacunque hora ingemuerit peccator*, &c. An dicet sic passim citari a Theologis? Non effugit crimen, sed prodidit socios criminis. An dicet sic referri in libro *de vera & falsa pœnitentia*? Atqui vir sapiens & vigilans scire debebat eum librum falso inscribi *Augustino*, cum hic fere totus transcriptus sit in libros sententiarum.

Subit obiter admirari temporum illorum vel stupiditatem, vel credulitatem, vel infelicitatem, quibus talis liber *Augustini* titulo lectus sit tanta cum auctoritate, ut pene totus descriptus sit in decreta Pontificum & sententias Theologorum. Quin & hodie serio citatur a summis Theologis. Non saltem orationis phrasim admonuisse quemquam, quam nulla ex parte referret *Augustinum* parentem? Stilus ubique jacet, male cohæret, dicas arenam sine calce. Ubi sic loquitur Augustinus: *Qui igitur omnino confitetur, Sacerdoti meliori quam potest confitetur?* Ubi, *Ita quod nec purgatorium sentiunt, qui in fine baptizantur?* Ubi, *Illi quidem adeo caci erant, quod summam sapientiam sperabant capere suis insidiis: adeo doleo peccasse, quod mihi tam grave est, quod non velim contra me vindicare.* Ubi *Augustinus* dicit *anxianti* pro *discruciato*? Ubi *necessarium* pro *involuntario*? Ubi, *& secum onus portare*, id est, *cum eo*? Quoties hic nominat *Sacerdotem* pro *Presbytero*, cum apud *Augustinum* Sacerdotis vocabulum solis Episcopis tribuatur? Deinde quod opus scripsit *Augustinus* ad quemquam, cujus nomen suppresserit? Quam vero litterate illud: *Pœnitere*, inquit, *est pœnam tenere.* Meminit & Romani Pontificis, qui titulus nescio an usquam apud *Augustinum* legatur. Verum ut hæc levia sint, num *Augustinus* tam oscitanter citat Sacras Litteras? *Scriptum est*, inquit, *sine charitate neminem salvum esse.* Et rursum, *Credo quidem illi qui dixit: Quacunque hora peccator ingemuerit, & conversus fuerit, vita vivet.* Cur hunc *Sutor* non incusat blasphemiæ, quod audeat orationem Spiritus Sancti pro suo arbitrio mutare? Ac rursus: *Propitius eris peccato meo, multum est enim.* Psalmus enim sic habet, *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Sed gravius etiam flagitium est, quod adjungit: *non quia multum erat, sed quia id* David *multum reputabat.* Quis unquam dixit adulterium cum homicidio fidelissimi ducis, & aliorum qui cum illo ceciderunt, esse leve peccatum, præsertim in Rege? Et huic libro vide quantum ipse tribuat qui scripsit: *Tua itaque*, inquit, *trado dilectioni, quicquid de pœnitentia sentio auctoritate Patrum, & illustratione Sancti Spiritus.* Saltem illud non excitasse, vel *Petrum Lombardum*, vel *Gratianum*, quod in cap. XVII. Scriptor hic refellit opinionem *Augustini*. Verba illius hæc sunt, sunt enim venusta: *Quod quamvis licet de ejus salute* Augustinus *potuit dubitare, credo quidem illi* &c. Liber Decretorum ac Sententiarum hujusmodi scatet testimoniis ex pseudepigraphis crebro & indoctis libris decerptis. In his ne turpiter hallucinentur hamaxiæi Doctores, & colossei Theologi, præstant illi monogrammi Grammatistæ, ac Pygmæi Theologastri. Sed jam ad id, quod institutum erat, nostra sese referat oratio. Quomodo excusabit *Juvencum* a crimine blasphemiæ, qui majestatem Evangelii non veritus est submetri leges mittere? Et hic laudatur ab *Hieronymo*. Atqui hoc erat plusquam paraphrasim scribere. Illud potius videndum, ne, si divinam auctoritatem, quæ solis canonicis Scripturis debetur; tribuamus uni homini, videamur in blasphemiæ crimen incidere, non aliter quam si quis honorem soli Deo debitum tribuat *Petro* aut *Paulo*. Jam quod *Hieronymus* in Epistola ad *Desiderium* vatici-

Digitized by Google

ticinium tribuit Spiritui Sancto, verſionem humanæ peritiæ, facillime diluit *Sutor*, dicens *Hieronymum* præſertim juvenem erraſſe, poſt cognita veritate profeſſum Septuaginta afflatu Spiritus vertiſſe. Imo ſenex toties ſuggillat illorum interpretationem, uno aut altero loco probat, ſed oppreſſus invidia. Hinc illa vafricies. Nec alia re *Hieronymus* ſe putat præſtare Septuaginta, niſi quod peracta viſaque melius ac plenius novimus, & certius explicamus: nec ſuæ Tranſlationis calumniatores refellit auctoritate *Damaſi*, aut Divini Spiritus, ſed relegat ad collationem Hebræorum Voluminum. Frigidus eſt hic modeſtiæ prætextus, in re tanti momenti, quanti videri vult *Sutor*, juxta quem ſi *Hieronymus* ſe narrat virginibus raptum in tertium cœlum, non admodum gravi de cauſa, multo minus hîc tacuiſſet afflatum Spiritus.

Nec minus frigidum illud quod adfert, *Si* Hieronymo *adfuit gratia Spiritus in exponendis Sacris Voluminibus, multo magis adfuit in vertendo.* Imo ſi majus eſt donum prophetiæ quam linguarum, magis illic debebat adeſſe Divinus Spiritus. Neque nos negamus adfuiſſe, ſed ſimiliter in utroque, ut quemadmodum labi potuit & lapſus eſt in enarrando, ita etiam labi potuerit in vertendo, ſic tamen ut neutrum labefactet auctoritatem Sacræ Scripturæ, ſicut mox indicabimus.

Illud inſigniter impudens, quod ibidem ſcribit, *Hieronymum* in eo loco, quem modo citavimus, loquutum de genere Interpretum, qui vertunt humano ſpiritu, de quorum numero tum putarit eſſe Septuaginta, quos tamen poſtea re diligentius penſiculata repoſuerit in alterum ordinem, cum palam ſit *Hieronymum* ſenem & poſt editam ſuam Verſionem taxare Septuaginta. Quomodo afflatus Spiritu non agnovit eodem afflatos Spiritu? Quid his commentis coactius aut anilius? Sed omnium frigidiſſimum eſt, quod fatetur *Hieronymum* quædam aliter vertiſſe, quam erat in Hebræo, idque inſtinctu Divini Spiritus, qui ſemper adeſt *Sutori*, ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς, quod alioqui videret illius Tranſlationem vix poſſe recipi, niſi in vertenda *cucurbita* diſſentiret a Septuaginta, & ſequeretur *Aquilam*, *Symmachum*, ac *Theodotionem*, eo quod horum auctoritas tum gravis eſſet apud *Judæos*. Verum hujus ſolutionis pudet ipſum *Sutorem*, atque ſubjicit: *Hæc reſponſio ſi tibi grata non ſit, quære meliorem.* Tam anilibus lemmatis agit, qui condit novos articulos fidei. Et *Hieronymo* concedit, ut pro *hedera* vertat *cucurbitam*: me clamat falſarium, qui quod ſcriptum eſt ab Evangeliſtis verterim *Solomonem* pro *Salomone*. Porro quod ait *Hieronymum* non caſtigaſſe, quod verterant Septuaginta, ſed quod a Librariis fuerat depravatum, credi poterat, niſi toties *Hieronymus* in ipſos Interpretes culpam rejiceret, & niſi paſſim occurrerent, non verbis tantum diſſonantia, nec aliquo pacto variantia, ſed toto ſenſu pugnantia. Id quod fortiter negat *Sutor*, ſed parum prudenter, cum ipſa res aliud loquatur. Minimum vero gratiæ debetur *Hieronymo*, ſi tantum ad libros emendatos ſuſtulit mendas librorum. Sed quid opus erat novare totum ſermonem veteris Inſtrumenti, cum ſermo ſimpliciſſimus maxime conveniat Sacris Libris, nec temere ſint convellenda, quæ jam uſu publico recepta ſunt? *Sutor* autem *Hieronymum* in has anguſtias detrudit, ut ſi de Septuaginta ſentiat quod dicit illos ſimilitudine litterarum alicubi deceptos eſſe, prorſus inſaniat, ac riſu dignus ſit. Nam hoc agit ferio cap. v. cum *Hieronymus* hoc nominatim & aperte ſcribat, quod *Sutor* negat illum ſenſiſſe, cumque levius ſit falli ſimilitudine elementi, quam non intelligere quod ſcriptum eſt. Id tamen *Hieronymus* illis non veretur tribuere. Quo magis autem credamus Tranſlationem LXX. fuiſſe vitiatam incuria ſcribarum, lemma profert admodum grave, ſuum quoque librum, quem ſcripſit *de Vita Cartuſiana*, miſere fuiſſe depravatum a Typographis, cum ipſe miſiſſet Exemplar optime ſcriptum & omni diligentia caſtigatum. Jam quod inibi probat ex *Hieronymi* verbis, Verſionem LXX. fuiſſe depravatam a primo ſcriptore, quæſo Lector ut pauliſper attendas *Sutoris* hujus ingenium. *Hieronymus* enarrans vaticinium de *Chriſto*, quod eſt apud *Eſaiam* cap. XLII. *Ecce puer meus*, &c. annotat hæc verba, *Splendebit, & non conteretur, donec ponat ſuper terram judicium*, non addi in *Matthæo*, & ſuſpicatur, *errore ſcriptoris ſublata*, quæ interceſſerant inter judicium & judicium, quod ſane frequenter accidit Librariis. *Sutor* hinc ratiocinatur LXX. Tranſlationem depravatam, cum hic locus ſit in utraque Tranſlatione plenus, tum LXX. tum ex Hebraïca veritate, licet verbis varians. Si deeſt in *Matthæo*, quid hoc ad Septuaginta? Illud artis erat, quod *Sutor* de ſuo addidit *primi*, cum *Hieronymus* tantum dicat *ſcriptoris*. Sic confirmant ſua Theologi *Sutores*. Præterea ſi LXX. Tranſlatio ſtatim per primum ſcribam vitiata fuit, quod affirmat *Sutor*, poſt *Hieronymi* Tranſlationem erat ut blaſphema rejicienda. Nunc paſſim inculcatur ab *Hieronymo*, etiam cum toto ſenſu diſcrepat ab ipſius Tranſlatione. Nec enim ferendum, quod habet blaſphemiam in Spiritum Sanctum, nec refricandum cum auctoritate nonnulla, quod tantum ſcandalum eſſet pariturum. Ad hæc *Hieronymus* caſtigaverat ante Tranſlationem Septuaginta, quæ ſi conſentit cum Hebraïca veritate, quid opus erat nova Tranſlatione? Si non conſentit, quomodo dicitur caſtigaſſe, quod manet depravatum? Rurſus ſi Spiritus Sanctus conſtanter adfuit *Hieronymo* in Veteri Teſtamento vertendo ex Hebraïca veritate, cur Pſalterium ex Hebræo verſum pene habetur inter apocrypha, & Editio LXX. ſola tractatur in Eccleſia? An in parte operis adfuit, in parte non adfuit Spiritus? Atqui *Sutor* in fine cap. VIII. dicit peculiarem Spiritus illuſtrationem ubique in Tranſlatione adfuiſſe ſancto *Hieronymo*, & tamen vix uſquam ſunt majores diſſonantiæ, quam in *Pſalmis*. Inſuper cur quæ *Hieronymus* obelis jugularat, veluti *Suſannæ* hiſtoriam, & *Belis*, quas fabulas vocat, Eccleſia publice legit in Templis? An hîc quoque deſtituerat illum Spiritus? Cur tertium & quartum *Eſdræ*, quæ ſomnia vocat, non damnat Eccleſia, cum damnarit apocrypha cætera?

Cum in Hebraïcis traditionibus *Hieronymus* multa corrigat ex Hebraïca veritate, quæ nunc aliter habentur in hac Tranſlatione, ut conſequatur aut hanc Tranſlationem non eſſe *Hieronymi*, aut non eſſe ſine vitio, ſic explicat nodum *Sutor*: *Forte illam quam ex Hebræo fecerat interpretationem nondum ad unguem diſcuſſerat, nec adhuc coronidem illi, ut ajunt, adhibuerat.* Nam hanc gemmulam inſerit *Sutor*. Si vertit peculiari Spiritus afflatu, quid opus erat diſcuſſione? Hîc cum eſſet nodus egregius, tamen hæſitanter loquitur, *forte*, & *opinor*, & *credendus eſt*. At qui præciſe pronunciat hæreſes & blaſphemias, non debet uti probationibus, quæ pendent a *forte*.

Nihil eſt autem, quod ait levem eſſe diſſonantiam in verbis, & idcirco Spiritum Sanctum paſſum, ut alicubi conſentiret cum Septuaginta, niſi forte leviter diſcrepant, *adoravit ad caput lectuli*, & *adoravit ſummitatem virgæ ejus*, quorum prius *Hieronymus* oſtendit eſſe Hebraïcæ veritatis, poſterius eſt in noſtra Tranſlatione.

Sed age, fac Hebraïcas traditiones ſcriptas ante perfectam Tranſlationem, cur tantum errorem non alicubi retractavit vir ſanctiſſimus, præſertim in re tam periculoſa? Cur non ingenue profeſſus eſt, quod affirmat *Sutor*, illa ſcripta humano ſpiritu, hæc divino? Nihil enim dicam de ſpiritu diabolico, quem levioribus de cauſis aliis impingit *Sutor*.

Quanquam argumentis tam mirificis abunde docuit *Sutor Hieronymum* peculiariter afflatum vertiſſe Teſtamentum utrumque, tamen adjicit argumentum adamantinum. *Ideo*, inquit, *fuit raptus in tertium cœlum, ut ibi Divinæ Scripturæ miro modo audiret myſteria.* Primum unde ſcit *Sutor*, quod ante Verſionem raptus fuerit in cœlum? Deinde ſi detur hoc, quomodo poſt oblitus eſt quæ illic audierat, damnans ea quæ prius verterat, & aut non intelligens, aut perperam enarrans quod bene verterat? Et quoniam non decet Theologum abſque Scripturæ teſtimonio loqui, citat locum ex capite XXVI. Regulæ virginum, quæ falſiſſimo titulo *Hieronymum* auctorem mentitur. Ibi narrat ſuppoſititius *Hieronymus*, ſe fuiſſe raptum in cœlum, totaſque hebdomadas inter Angelorum choros fuiſſe verſatum, atque interim di-

Digitized by Google

vina visione fruitum esse: deinde post multorum forte dierum spatia, præscium futurorum rediisse ad corpus. Addidit *forte*, quasi nescierit quot dies illic fuerit peregrinatus, & tamen ante nominarat hebdomadem. Ex talibus libris talia proferunt testimonia, quibus student alios hæreseos convincere. Atque adeo jam periculum est, ne *Sutor* novas bases substruat, quibus evincat hoc quoque blasphemum esse, dubitare de auctore, si titulus habeat nomen *Hieronymi*. Dictu vero mirum, in quas angustias concludat, & universam Scripturam Divinam, & Synodos, & orthodoxorum libros, in quibus ne mica quidem auctoritatis remansura sit, si doceri possit, vel unum verbum in Translatione secus esse positum quam oportet: cujusmodi sunt structuræ Mathematicæ, si vel tessellam detraxeris, collabuntur omnia. Talis est *Sutori* propositio universalis, quæ tota falsa est, si vel in una particula falsa sit. Mihi vero constabit Scripturarum auctoritas, etiamsi centum locis vel dormitasset Interpres, vel mendum induxisset Librarius. Sicuti constitit aliquot seculis, cum tot essent Exemplaria, quot erant Codices, cumque juxta *Sutoris* sententiam primus scriba Septuaginta Translationem vitiasset. Imo si quicquid est Codicum intercideret, non tamen occideret Divinæ Scripturæ auctoritas. In exsilio *Babylonico* perierant Sacra Volumina, per *Esdram* restituta sunt. Sic cœlestis Spiritus distribuit dotes suas, ut nulli ætati defuerint præsidia, quæ requirebantur ad salutem. Habebat suas tenebras Lex *Mosaica*, quæ præparabat ad Evangelium. Eodem nonnihil promovit Gentes qualiscunque Septuaginta Translatio. Quædam vel ignoravit, vel in dubiis habuit prisca Ecclesia, quæ post per Concilia sunt explanata. Recentioribus etiam Theologis aliquid revelatum est, quod fugerat veteres. *Scotus* alicubi est *Thoma* oculatior. Et his nonnulla contulit *Gerson*. Nec adhuc intercluſa est Spiritus liberalitas. *Petrum* Ecclesiæ principem in Evangelii negotio non recte incedentem corripuit *Paulus*, cui male convenit cum *Barnaba*, nec tamen ob hæc collapsa est auctoritas Ecclesiæ. Verum hisce de rebus abunde diximus in nostris Apologiis, in quibus excussimus istiusmodi quorumdam objectiunculas, quas subinde recinit *Sutor*. Adversus *Helvidium* divus *Hieronymus* refert locum ex Epistolæ ad *Corinthios* prioris cap. VII. *divisa est mulier & virgo*. Rursus adversus *Jovinianum* scribens fatetur hoc non esse veritatis Apostolicæ, quod citarat & exposuerat. Sed hîc elabitur *Sutor*, dicens: *Ante Translationem peractam, scripsit adversus* Helvidium, *& putabat esse germanam lectionem quam adduxerat, post per afflatum Spiritus mutavit sententiam*. Ut hìc illi donemus omnia, quomodo expediet, quod in Epistola ad *Ephesios* cap. IV. ostendit aliquot voces superesse in Latinis Codicibus, quas tamen hodie legit & canit tota Ecclesia? Quod autem hos Commentarios scripsit post Versionem vel illud est argumento, quod hujus operis in operum catalogo non meminit, cum mentionem faciat Commentariorum in Epistolam ad *Galatas*, ad *Titum*, & ad *Philemonem*. Unde colligitur hanc Translationem aut non esse *Hieronymi*, aut *Hieronymum* reliquisse quædam, quæ non erant Apostolicæ veritatis. *Hieronymus* enarrans Epistolæ ad *Ephesios* caput tertium, in his Apostoli verbis, *Propterea curvo genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas*, &c. pronunciat hæc verba, *Domini nostri Jesu Christi*, esse in Latinis Codicibus addita, & hac interpretatione rejecta, sequitur Græcorum lectionem. Si hæc Translatio est *Hieronymi*, & eadem sic est prodita a Spiritu Sancto, ut vel jota convellere sit blasphemum, quomodo deprehenditur in ea, quod post absolutam & editam castigationem damnat *Hieronymus*? Non hîc exhorruit blasphemiam? Non puduit inconstantiæ? Nec hîc agitur de vocabulis, in sensu dissonantia est. Alioqui leviculum videri poterat, quod *Hieronymus* legit *curvo genua*, cum Ecclesia legat *flecto genua*, nisi *Sutor* nos docuisset hanc solam Translationem sic editam a Spiritu Sancto, ut apicem nolit convelli, ne a manifestariis quidem solœcismis. Ejusdem Epistolæ cap. II. *Gratia salvati, & coexcitavit* &c. Ita legit omissa conjunctione, sic habent Græci Codices, sic per parentheſim legendum admonet *Theophylactus*. Unde in hac Translatione conjunctio *enim*, quæ sensum germanum perturbat? Item in hujus capitis calce: *Et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu*. Unde nostra Translatio addidit *sancto*, cum *Hieronymus* etiam in Commentariis legat, *ut universi pariter fiant habitaculum Dei in spiritu?* Ac mox, *fierique habitaculum Dei in spiritu*. Consentiunt hîc Græci Codices, Græci Interpretes, *Ambrosius*, ac *Hieronymus*. Eodem capite: *Et vos convivificavit cum essetis mortui delictis*, verbum *convivificandi* nec est apud *Hieronymum*, nec apud *Ambrosium*, nec apud Græcos. Et tamen canitur in Templis, & si *Sutori* credimus, est ex Translatione Spiritus Sancti. Rursum cap. II. pro *interficiens inimicitias in semetipso*, *Hieronymus* legit & interpretatur *inimicitiam in ea*, ut ad crucem referatur pronomen, non ad *Christum*. Nec tantum hunc ad modum legit atque interpretatur, verum etiam rejicit Latinam lectionem, dicens: *Per crucem interficiens inimicitiam in ea*, non ut in Latinis Codicibus habetur, *in semetipso*, propter Græci nominis ambiguitatem ἐν αὐτῷ. Cæterum quod *Hieronymus* utrobique legit *inimicitiam* pro *inimicitias*, cum Græcis Codicibus concordat, a nostra Translatione discrepat. Item primo capite: *Instaurare omnia in Christo quæ in cœlis* &c. *Hieronymus* legit & interpretatur *recapitulare* pro *instaurare*, & miratur quod translatores non expresserint Græcam vocem. Hujusmodi multa comperiet, qui volet conferre, aut certe qui nostra legere volet. Et hujus causæ natura est, ut si *Sutor* protulerit multa loca in hac Translatione quæ probat *Hieronymus*, non statim evincat, hanc esse *Hieronymi*. Variabant enim & Græcorum & Latinorum Codices, nec protinus erat in omnibus Græcorum aut Latinorum Exemplaribus, quod *Hieronymus* indicat illic fuisse scriptum, qui ne viderit quidem omnia. Et fieri potest ut in hac Translatione sint aliqua loca ex annotationibus *Hieronymi* castigata.

Verum unus locus prolatus in hac Translatione evincet eam non esse *Hieronymi*. Studiosus itaque Lector ex sese facillime deprehendet esse verissimum quod dicimus, sed tamen aliunde unum atque alterum proferam, quo vel cæco perspicua sit hujus *Sutoris* impudentia, qui nusquam hæsitat, sed omnia præcipit, dicas eum in Theologiæ Republica dictaturam gerere. *Paulæ* Epitaphium *Hieronymus* scripsit extrema senectute. Sic enim loquitur in calce: *Vale* ô Paula, *& cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva*. In hoc Epitaphio *Michææ* vaticinium sic adducit: *Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur qui sit princeps in Israël, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. Propterea dabis eos usque ad tempus parientis, pariet, & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israël.* Cum hac itaque citatione congruere debet Hebraïca veritas, & vulgata Translatio. Vulgata sic habet: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis: Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israël.* Hìc primum illa dissonant, quod *Hieronymiana* citatio habet *domus*, Vulgata non habet. Deinde illa habet, *non minima es*, hæc habet, *parvulus es*. Illa habet nomen *principis*, hæc *dominatoris*. Illa meminit *parturientis*, hæc non meminit. Nunc audi veritatem Hebraïcam: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis: Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet* &c. Citatio *Hieronymi* consentit propemodum cum Editione Septuaginta, cum Vulgata & Hebraïca veritate dissidet. Qua fronte secus citat quam Spiritu dictante verterat? An veretur uti Translatione, quam volebat ab omnibus recipi? Ad *Fretelam* utique scripsit post absolutam & editam Translationem. In ipso enim opere testatur Psalterii Translationem, quam verterat ex Septuaginta, *Hierosolymæ* & in Orientis Ecclesiis decantari solitam. In hac Epistola declarat, quod est in hoc versiculo Psalmo LXIII. *Sagitta parvulorum*

Digitized by Google

rum facta sunt plagæ eorum, melius haberi in Hebraïco, *Percutiet eos Deus jaculo repentino, & inferentur plagæ eorum.* *Sutor* affirmat nihil posse fieri melius hac Translatione, & *Hieronymus* dicit aliquid esse melius. Rursum Psalmo XXVI. dicit esse melius, *exquisivit facies mea*, quam *exquisivit te facies mea.* Atqui id quod deterius est, nostra habet Translatio. Iterum Psalmo XXXIX. nostra Translatio habet, *Et legem tuam in medio cordis mei*, cum Hebraïca veritas & Editio Septuaginta habeat, *in medio ventris mei.* Fatetur *Hieronymus* hoc esse factum propter euphoniam, non ab ipso, sed ab aliis Interpretibus, nec tamen probat quod ab illis factum est, subjicit enim, *& tamen non debemus subtrahere quod verum est.* Est igitur aliquid in hac Translatione quod non est veritatis Hebraïcæ, nec Septuaginta, nec probatum ab *Hieronymo.*

Quisquis evolverit *Hieronymi* Commentarios, quibus enarrat Prophetas majores, quorum bonam partem cudit extrema senectute, quam multa comperiet aliter citata ex novo Testamento quam nunc habet vulgata Translatio. De loco *Pauli* ad *Romanos*, *cogitationum invicem accusantium aut etiam defendentium*, indicavimus alias. Locum, qui est ad *Colossenses* III. *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, *Hieronymus* in cap. *Ezech.* XVI. refert hunc in modum: *Induimini ergo visceribus misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ.* Rursum quod est in Epistola ad *Galatas* cap. VI. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris*, ita refert *Hieronymus*: *Si præventus fuerit homo in aliquo peccato, vos qui spirituales estis perficite hujuscemodi in spiritu mansuetudinis.* Rursum quod est apud *Matthæum* cap. IX. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento*, &c. *Hieronymus* sic refert eodem cap. *Ezech. Nemo assumit commissuram panni rudis in vestimento veteri. Alioqui tollit de plenitudine ejus, & pejor scissura fiet.* Item quod est ad *Romanos* cap. II. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* *Hieronymus* ibidem ita refert: *An divitias bonitatis ejus, & sustentationis, & patientiæ contemnis? ignorans quia bonitas Dei ad pœnitentiam te provocat?* Ad hæc quod est in Epistola ad *Hebræos* cap. XII. *Accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam*, in Commentariis sic refert: *Accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem, & millia Angelorum frequentium.* Hæc omnia in unius capitis Commentariis sese obtulerunt. Eorum quantam vim comperiet, qui singula conferet. Hoc quoniam cuivis in promptu est, ineptum sit hîc Lectorem onerare talium recensione.

Qua tandem rima hîc elabetur *Sutor*? Non absolverat? non ediderat? non erat recepta nova Translatio? Quid hoc ad *Hieronymum*, qui recipi volebat? Nondum erat sufficienter recepta? Ne hoc quidem ad *Hieronymum.* *Rabanus* & *Beda* citant lectionem diversam ab hac Translatione, nec improbant. Idem facit *Thomas* ac *Lyranus* illis etiam recentiores. Præscribat igitur nobis *Sutor*, quo tempore *Hieronymi* Translatio fuerit sufficienter approbata. Post editum ipsius librum? Ne sæviat igitur in eos, qui prius conati sunt hanc Translationem emendare. Aut si non potest certum tempus præscribere, maneat quidem hæc Translatio quoad visum erit Ecclesiæ proceribus: cæterum fas sit Linguarum peritis pro sua quemque virili in medium conferre, quod ad Codicum emaculationem, quod ad sensuum illustrationem conducat. Si quisque contulerit modeste quod possit, & si quod adfertur candide comiterque recipiatur, nihil decessurum est Ecclesiæ vel auctoritati, vel tranquillitati. Et si quid hinc oriretur incommodi, non desunt remedia. Errata quædam tolerat Ecclesia, non solum in moribus, verum etiam in Sacris Libris & ritu Ecclesiastico: ut non protinus consequatur, hoc publice canit aut legit Ecclesia, igitur qui dissentit, hæreticus est. In omnibus libris, quibus nunc utitur Ecclesia, legitur & canitur: *Sic eum volo manere donec veniam*, nec dubium est quin mendose, & tamen non vacillat auctoritas Evangelii. In Epistola ad *Hebræos* negari non potest, quin mendose legamus: *Quidam placuerunt Angelis hospitio receptis.* Rursum *Joannis* cap. I. legit usus Ecclesiasticus: *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*, cum constet *Bethaniam* nec in deserto esse, nec trans *Jordanem.* Si quis hîc occinat, quod minimum est, pro nihilo reputatur, eam cantionem non potest canere *Sutor*, cum mihi impingat hæresim, quod in *Matthæo* verterim ἀποστολοις *missis satellitibus*, cum in *Marco* sit mentio *speculatoris.* At qui speculatorem dicit, non excludit multitudinem. Nec speculator peragit suum ministerium absque ministris utique speculatoribus & ipsis. *Lucas* cap. XXIII. scribit unum e latronibus convitia jecisse in Dominum, & ab altero fuisse reprehensum, quod scripsit *Lucas* utique verum est. Quomodo igitur excusabimus *Matthæum* & *Marcum*, quorum uterque refert latrones convitia dixisse in Dominum? *Augustinus* excusat hypallagen numeri. Hîc certe mollior est hypallage, quod apud *Marcum* dicitur missus speculator, unus missus non dicitur. Et qui speculatorem dicit, totum illius familitium dicit. Publicus usus habet in Epistola ad *Timotheum* priore cap. II. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione*, cum ex Græcorum Exemplaribus, & Veterum enarratione, inter quos est & *Hieronymus*, constet legendum, *si permanserint*, ut ad filios referatur, non ad matremfamilias. Totus sensus ob numerum immutatum diversus est.

Hujus generis non pauca sunt, quæ scriptorum incuria videntur commissa, & utinam omnia liceret imputare Librariis. Facile paterer hanc civilitatem, modo ne nos ea supra modum gravet. Cæterum quædam ejusmodi sunt, ut non possint nisi Interpretis incuriæ imputari. Quale est illud *Luca* III. *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis*, pro *exigatis.* Et *Actorum* XVIII. *Et nemo apponetur tibi*, pro eo quod erat, *Nemo invadet te*, cum Græce sit ἐπιθήσεται. Librariorum crimen est, quod omnibus Latinis Codicibus legimus *Proverbiorum* XVI. *Pondus & statheræ judicia Domini sunt, & opera ejus omnes lapides seculi*, pro *lapides sacculi.* Et *seculum* pro *sacculo* interpretatur, sive *Beda*, sive quis alius auctor est ejus operis. Ubi sunt hîc glossæ, quas ad omnia sufficere putat *Sutor*? Hîc Scripturæ nodum glossa confirmat, & Lectoris errorem conduplicat. Hujus generis permulta sunt in Ecclesiæ Codicibus, ac multo plura forent, si mundus sequens *Sutoris* consilium negligat Linguas, & abjiciat fontes Divinorum Voluminum. Nunc nihil est negotii tales lapsus ex Hebræorum aut Græcorum Codicibus restitui. Aliaque permulta sunt hujus generis, ob quæ non statim labascit Divinæ Scripturæ auctoritas. Est enim unde hæc farciri queant, & sunt ex hoc genere errorum, quæ non requirantur necessario ad salutem. Codices vetustiores, quibus in Templis sunt usi majores nostri, inter se non consentiunt, sicut multis locis indicavimus in nostris Annotationibus. Imo eadem Ecclesia aliud canit in introitu, graduali, tractibus, ac responsoriis, aliud in melodia Psalmorum. Et in lectionibus auditur *Ambrosius* & *Augustinus* aliter citantes Sacram Scripturam, quam hæc habet Translatio. Exstat & Gallicum Psalterium a Romano diversum, nec ea res vel tantulum labefecit auctoritatem Divinæ Scripturæ. Quodque mirabilius est, Gallicum Psalterium fere consentit cum emendatione *Hieronymi*, cum in Romano reperiantur quæ notat *Hieronymus.* Veluti Psalmo XXXI. *Non est in spiritu ejus dolus.* Sic habet Translatio LXX. Sic *Theodotion* & *Aquila.* Sic quinta & sexta Editio. Sic veritas Hebraïca. Unus *Symmachus* posuit *in ore ejus.* Et tamen quod damnat *Hieronymus*, legitur hodie in Psalterio Romano. Pungit obiter ille scrupulus, nunc quod *Hieronymus* ait esse solius *Symmachi*, legi in Græca Versione, quæ tribuitur Septuaginta. Unde conjectandum est, ut quemadmodum Psalterium, quod nunc habet usus Ecclesiasticus, nulli proprie Editioni congruit,

Digitized by Google

ſed quædam habet ex *Theodotionis* Editione aut Hebraïca veritate caſtigata: ita Græcum Pſalterium non eſſe proprie Septuaginta, ſed ex Græcorum Exaplis temperatum. Verum hæc hujus inſtituti non ſunt. Iterum *Pſalmo* XLVII. *Quoniam ecce Reges congregati ſunt*, *Hieronymus* teſtatur in Latinis Codicibus fuiſſe ſcriptum, *Ecce Reges terræ*, ſed ab ipſo ſuperfluam vocem *terræ* fuiſſe ſublatam, quæ nec apud Hebræos, nec apud Septuaginta reperiretur. Et tamen hæc vox reperitur in Pſalterio, quod Romanum vocant. Ac rurſus quod hîc *Hieronymus* negat inveniri apud LXX. exſtat in Græca Verſione, quæ putatur eſſe LXX. Proinde ut largiamur hanc Tranſlationem eſſe *Hieronymi*, cum olim Eccleſia uſa ſit tot Editionibus, cum & hodie recipiat *Ambroſium* ac *Cyprianum* diverſa legentes, cum ipſa in Templis diverſa canat, unde docetur, quod huic ſoli ea debeatur reverentia, quæ deberetur Evangeliis, ſi Codices exſtarent Evangeliſtarum manu deſcripti? Etenim ſi Tranſlatio *Hieronymi* ex hoc obtineret divinam auctoritatem, ſic enim loquitur *Sutor*, quod *Damaſi* juſſu ſuſcepta eſt, Tranſlatio veteris Inſtrumenti non habet eamdem auctoritatem, quod eam ſummi Pontificis juſſu non ſuſcepit. Et *Damaſi* juſſu legimus caſtigatum Novum Teſtamentum, ſed approbatum non legimus: & fieri poteſt, ut Tranſlatio vicerit, quæ latius occuparat Eccleſias. Sin inde quod Synodi ſint uſæ hac Tranſlatione, illud demonſtrandum erat *Sutori*, quod hac ſola ſint uſæ. Imo probabilius eſt illic Græcos ſuam lectionem fuiſſe ſequutos, & *Ambroſium* ac *Cyprianum*, ſi eò conveniſſent, ea uſuros fuiſſe Tranſlatione, cui aſſueverant. Nec eſt conſentaneum Patres illos tam moroſos fuiſſe, quam moroſe diſputat *Sutor*. Nec ſtatim conſequitur, ſi qua re utitur Synodus, eam eſſe talem, ut melior reddi non queat, aut ut depravari non poſſit. De ſenſibus illic agebatur, non de verbis. Et *Sutor* blaſphemiam vocat, etiam ſi quis verbum aliquod mutet in privata lectione. Quid *Tertulliani* Verſione a noſtra diverſius? Et tamen agnoſcitur ſententia. Satis eſt Scripturæ veritatem in Eccleſia manere, etiamſi nemo ſit omnium, qui Codicem habeat undiquaque purum a mendis. Conſuluimus Codices Græcos, qui ſunt in Bibliotheca Pontificis, & comperimus ab hac Tranſlatione diſſentire, concordare cum noſtra. Imo puto illum ipſum Codicem, quem oſtendunt tanquam *Hieronymi* manu deſcriptum, in nonnullis diſſentire ab hac Tranſlatione, quam unam inviolatam vult eſſe *Sutor*. Jam cum tam frigidis lemmatibus utatur *Sutor*, cum tot argumenta diverſum ſuadeant, cum nulla cenſura Eccleſiaſtica, nulla Synodus id pronunciaverit, nec certa revelatione proditum ſit, tamen in fine cap. XI. vult hanc eſſe ſententiam, pro qua mors eſſet oppetenda, adeo ut hæreticus eſſet habendus, qui pertinaciter diſſentiret. Quanquam hoc jam olim in deſuetudinem abiit, ut Theologi pro veritate mortem oppetant. Ipſi citius occidant alios ob ſuas opiniones, quas æquant articulis fidei. Complectitur autem hæc ſententia duos articulos, quod hæc Tranſlatio ſit *Hieronymi*, & quod nihil ſit in ea mutandum, propterea quod afflatu peculiari Spiritus prodita ſit, in tantum, ut non minus ſit peccaturus, qui conetur aliquid in ea corrigere, quam ſi quis Evangelium a *Matthæo* ſcriptum, ſi manus illius exſtaret, vellet immutare. Quam autem hoc nemo pius vellet, tam impudens eſt quod aſſerit *Sutor*. Ad hæc ſi maxime verum eſſet, quod aſſerit *Sutor*, & ſi tam irrefutabilibus argumentis approbaſſet, quod nequaquam fecit: tamen non oportebat hîc meminiſſe hæreſeos, niſi conſtaret hoc ab Eccleſia definitum. Nunc contra videtur Eccleſia multum a *Sutore* diſſentire, cujus proceres amplectuntur eorum induſtriam, qui corrigere ſtudent Sacros Codices. Et his magno conſenſu comprobantibus, tantum obſtrepunt cerebroſi quidam ac lividuli, qui nihil putant rectum, niſi quod ipſi faciunt. Arbitror futurum, ut *Sutor* enthymematis ſuis orbi perſuadeat, hunc quoque librum, quem edidit, ex peculiari Sancti Spiritus afflatu ſcriptum eſſe, ne quis poſthac auſit contra hiſcere, niſi malit haberi hæreticus. Etenim ſi Theologus illuminatus & *Cartuſianus* juxta *Trecas* dicat, quis auderet contradicere? Qui pertinaciter obſtreperet, is negaret eſſe dona Sancti Spiritus in Eccleſia.

Sed redeamus ad *Sutoris* enthymemata. *Si hæc*, inquit, *Tranſlatio non eſt Hieronymi*, *detur alia*: imo det illam qui hoc aſſeverat *Sutor*, cum hîc tot ſint argumenta hanc non eſſe totam *Hieronymi*; vel quia libri, quibus utitur publicitus Eccleſia, non conſentiunt, vel quia in hac habentur quæ conſtanter reprobat *Hieronymus*. Objicit titulos & præfationes. Si titulis credendum erat, habebamus pro quatuor quatuordecim Evangelia. Et conſtat titulum in tam multis voluminibus eſſe mendacem. Nec ideo vacillat tota Scripturæ auctoritas, ſicubi proditur titulus ſuppoſititius. Nulli titulo credere ſtultum eſt, ſed multo ſtultius omnibus credere titulis. Et tamen poteſt liber eſſe bonus, etiamſi fallat titulus. Veluti de duabus Epiſtolis poſterioribus *Joannis* dubitatum eſt ab orthodoxis. Item de Epiſtola *Jacobi*, de *Apocalypſi*, de Epiſtola ad *Hebræos*, de Epiſtola *Petri* ſecunda, duntaxat quod ad auctorem attinet. Et tamen hæc dubitatio non pertinet ad hæreſim, niſi diverſum pronunciaret Eccleſia. Sed auditur hic titulus in Templis. Fateor. Verum illic audiuntur quædam, quæ citra riſum audire non poſſumus, Hymni ridiculi, proſæ prodigioſæ, leguntur hiſtoriæ quædam non admodum certa fide. Quod ſi urget nos auctoritate titulorum ac præfationum, reddat omnia quæ pollicentur iſtæ præfationes, obelos, aſteriſcos, reddat etiam litteras miniatas, quas pollicentur. Nihil horum videmus in *Pſalterio*, nihil in *Daniele*, nihil in *Heſter*. Quid quod ipſæ præfationes additæ coarguunt eam converſionem non eſſe *Hieronymi*? Præfatio in librum *Heſter* docet eum librum ex Archivis Hebræorum ad verbum eſſe redditum, cum nuſquam minus verbum e verbo expreſſerit. In *Job* duæ ſunt præfationes, quarum poſterior non reſpondet ei Tranſlationi, quam habemus. Ubi igitur præfationis auctoritas, quam aſſeverat *Sutor*? Clamat, quis fuiſſet tam temerarius, qui feciſſet divortium inter præfationem & opus? Quaſi hæc temeritas ab ullis Veterum libris ſibi temperarit. Porro quod ridet Apologiſtam quemdam, qui titulorum auctoritatem elevarit hoc argumento, quod circumferantur præfationes aliquot falſo inſcriptæ *Hieronymo*, tametſi non faciant mentionem Tranſlationis: certe ratio hæc valere deberet apud *Sutorem*, qui nihil receptum vult convelli, & ſi labefiat unum aliquod, corruunt omnia. Quod ſi *Sutor* fatetur aliquot eſſe præfationes falſo titulo, nimirum labaſcet omnium titulorum auctoritas.

Probabile eſt Vetus Teſtamentum bona ex parte eſſe Tranſlationis *Hieronymianæ*, locis aliquot immutatis, vel quia diſplicebant eruditis, vel quia ſine tumultu convelli non poterant. Idque factum eſt ab his qui favebant *Hieronymo*. Præfationes quæ non congruunt ob hoc additæ ſunt, quod doceant aliquid cognitu dignum, & indicant alteram fuiſſe Verſionem.

De Veteri Teſtamento loquar, in cujus Tranſlatione ſi nihil eſt de quo fas ſit dubitare, ſed omnia ſunt divinæ auctoritatis, impii ſunt Pontifices & Epiſcopi, impii Theologi, qui ſuis ſuffragiis approbarunt eorum induſtriam, qui conati ſunt quædam reſtituere.

Inſaniunt omnes Hebraïcarum litterarum periti, qui magno conſenſu prædicant *Hieronymum* in multis hallucinatum. Idem affirmabat *Leus*, deguſtatis duntaxat Hebræorum litteris. Idem affirmat *Hieronymus Aleander* nunc Archiepiſcopus *Brunduſinus*, quatuor Linguarum haud vulgariter peritus. Ad rem blaſphemam hortabatur *Adrianus* Cardinalis, qui poſt factus eſt ſummus Pontifex, cum me hortaretur, ut idem facerem in Veteri Teſtamento, quod feciſſem in Novo, ne quid loquar de inferioribus. Denique deſipit *Auguſtinus*, qui Vetus Teſtamentum ex Hebræorum, Novum ex Græcorum fontibus cenſet examinandum. Reſpondebit *Sutor*, in hoc tum erraſſe *Auguſtinum*. At ſi hoc blaſphemum eſt conari, cur ea ſententia refertur in tam celebri volumine Decretorum, nec refertur in altera parte controverſa, ut refellatur, ſed inter certas

& in-

Digitized by Google

& indubitatas ſententias. Scripſerit hoc *Auguſtinus* ante receptam *Hieronymi* Tranſlationem, certe poſt receptam editum eſt Decretorum volumen.

Clamat inſanum eſſe, ſi quis dicat prologos exſtare, cum non exſtet opus. Quaſi non perierint orationes *Demoſthenis* & *Æſchinis* a *Cicerone* verſæ, cum exſtet præfatio: aut quaſi non ſuperſit præfatio *Job* ex Septuaginta caſtigata, cum opus interciderit: aut quaſi non habeamus præfationem in *Heſter*, cum opus non exſtet.

Fatetur non poſſe demonſtratorio ſyllogiſmo evinci, hanc Tranſlationem eſſe *Hieronymi*, ſed ratiocinatione topica. Non debuit igitur tam arroganter aſſeverare, nec ex conjecturis rem eò diſcriminis perducere, ut ſi hæc Tranſlatio non ſit auctoritatis divinæ, ſic enim ille loquitur, aut ſi non ſit *Hieronymi*, tota totius Scripturæ Divinæ corruat auctoritas. Quanquam, ut & hoc obiter admoneam, ridicule *Sutor* credit omnia argumenta topica tantum eſſe probabilia, cum in definitione ad definitum, & viciſſim, neceſſaria ſit probatio. Similiter a differentiis & propriis ad ſpeciem. Rurſus a genere ad ſpeciem removendo, & a ſpecie ad genus affirmando. Ex his enim fontibus ſumuntur etiam illæ demonſtrationes, quæ proprie dicuntur apud Dialecticos demonſtrationes. Item ab enumeratione partium, ſive formarum, ad totum neceſſaria collectio eſt. Quin etiam ex cauſis & effectis, ex repugnantibus & adjunctis ſæpe neceſſaria collectio eſt, tametſi non perpetuo.

Quî credibile eſt, inquit, *ut tam utilis labor interciderit*? Imo quî factum eſt, ut perierit Evangelium a *Matthæo* ſcriptum Hebraïce, & *Pauli* Epiſtola ad *Hebræos*?

Quî fieri potuit, inquit, *ut quod* Damaſus *injunxit*, *non vixerit*? Injunxiſſe legimus, probaſſe non legimus. Nec *Auguſtinus* per omnia probavit *Hieronymi* Verſionem.

Sutor in fine cap. XII. dicit pauca vitia librorum, ſi non ſint in locis ſuſpectis, pro nihilo duci ſolere, juxta regulam Juriſconſultorum, *de minimis non curat prætor*. Atqui alias blaſphemiam eſſe pronunciat, ſi quis vel unam ſyllabam mutet adverſus Tranſlationem Spiritus Sancti.

Et illud ridicule colligit, *Hieronymi* Tranſlationem per orbem fuiſſe diffuſam, eo quod ad *Auguſtinum* ac doctos aliquot pervenerit. Illud certiſſimum eſt, undique fortiſſime reclamatum fuiſſe novæ Tranſlationi *Hieronymi* a doctis, non minus ſeditioſe, quam reclamatum eſt noſtræ a ſtolidis.

Adducit & hoc enthymema non topicum, ſed tophicum. Auguſtinus *ſcribit utriuſque Teſtamenti canonicam & indubitabilem eſſe auctoritatem*. Verum. *Sed idem* Auguſtinus *id temporis legebat*, *quod* Hieronymus *poſt correxit*. *Sed refertur in Decretis*, *& ejus operis auctor non novit aliam Tranſlationem quam hanc. Igitur de hac intelligendum*. Unde conſtat hoc *Sutori*, quod *Gratianus* non novit aliam Tranſlationem quam hanc vulgatam, qui refert undecunque quod ſcriptum invenit? Quod ſi de verbis intelligitur hæc falſitas, non hinc pendet Eccleſia: ſi de ſententia, eſt & in ſententiis aliqua varietas, ob quam non periclitatur Eccleſia. Quod ſi ob hoc pondus habent hæc *Auguſtini* verba, quod referantur a *Gratiano*, pondus habere debent & illa quæ referuntur in eadem diſtinctione de examinatione Veteris & Novi Teſtamenti. Si veritas undiquaque eſt indubitata, quid opus eſt *Lydio* lapide, ad quem examinentur? Mox poſtulat ut oſtendamus, ubi, per quos, & quando ſit variatus uſus Eccleſiaſticus Sacrorum Voluminum, cum a temporibus *Auguſtini* conſtet nihil eſſe mutatum. Imo doceat ipſe, Tranſlationem *Hieronymi* fuiſſe temporibus *Auguſtini* receptam uſu publico, cum illud conſtet, *Auguſtinum* in libris, quos ſcripſit poſt obitum *Hieronymi*, ſecus citare Scripturam quam habet hæc Tranſlatio, velut in libris, quos ſcripſit adverſus *Julianum Pelagianum*. Non morabor Lectorem plurib. exemplis, vel unum ſuffecerit ad faciendam fidem. In hujus operis lib. v. citat hæc verba ex *Eſaia*

A cap. XIX. *Dominus enim miſcuit illis ſpiritum erroris, & ſeduxerunt Ægyptum in omnibus operibus ſuis, ſicut ſeducitur ebrius.* Eccleſiaſtica Tranſlatio ſic habet: *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Hic *Auguſtinus* ſequutus eſt Editionem Septuaginta, quæ tametſi non ita multum diſcrepat ab Hebraïca veritate, tamen juxta *Sutoris* opinionem hæreticum ac blaſphemum eſt, vel unam voculam demutare ab his quæ dictavit Spiritus Sanctus. Mox ex ejuſdem Prophetæ capite LXIII. *Quid errare feciſti nos Domine a via tua, obtudiſti corda noſtra, ut non timeremus te?*
B Noſtra Tranſlatio ſic habet: *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis, induraſti cor noſtrum ne timeremus te?* Non hîc excutiam lectionis varietatem. Etenim in ea columna, quæ pollicetur Editionem Septuaginta, additur epitheton viæ, *ſancta*, cum hoc in Græcis Codicibus non inveniatur: & *obtudiſti*, nec eſt in Hebraïca veritate, nec in Septuaginta, qui habent ἐσκλήρυνας. Mihi ſatis eſt, quod *Auguſtinus* aliqua diſſentit a noſtra Tranſlatione. Refert ibidem ex III. *Regum* cap. XII. *Erat converſio a Domino, ut ſtatueret verbum ſuum, quod de illo loquutus eſt in manu Prophetæ.* Noſtra Tranſlatio ſic habet: *Quoniam averſatus fuerat eum Dominus, ut ſuſcitaret verbum ſuum, quod loquutus fuerat in manu Abiæ Sylonitæ.*
C Quorſum attinet his detineri Lectorem, cum cuivis in promptu ſit ex eodem opere colligere magnam vim exemplorum. *Hieronymus* diu vixit poſt editam Tranſlationem ſuam, & hæc *Auguſtinus* ſcripſit poſt illius obitum, quod declarat in calce libri ſecundi. Jam ipſum *Hieronymum* aliter referre Scripturam, quam hæc habet Tranſlatio, etiam in his libris, quos ſcripſit poſt editam Tranſlationem, vel citra probationem attento Lectori poteſt eſſe perſpicuum: velut illud quod nos legimus in Epiſtola ad *Romanos* cap. II. *inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium*, enarrans *Ezechielem* cap. XVI. ſic refert: *inter ſe cogitationibus accuſantibus ſive defendentibus*, &c. Hoc exempli
D cauſa duntaxat adfero, cum hujus generis loca ſint innumera. *Actorum* cap. XXVI. legimus: *De omnibus quibus accuſor a Judæis Rex Agrippa, æſtimo me beatum apud te, cum ſim defenſurus me hodie, maxime te ſciente omnia quæ apud Judæos ſunt conſuetudines & quæſtiones.* At *Hieronymus* in libro ad *Pammachium* de optimo genere interpretandi refert hunc in modum: *De omnibus quibus accuſor a Judæis ô Rex Agrippa exiſtimo me beatum, cum apud te ſim hodie defendendus, qui præcipue noſti cunctas quæ in Judæis ſunt conſuetudines & quæſtiones.* Si quod noſtra habet Tranſlatio dictavit Spiritus Sanctus delectatus tam inſigni ſolœciſmo, qua fronte *Hieronymus* auſus eſt aliter citare locum? An prius legebat ut refert, & poſt afflatus Spiritu Sancto, nimirum reverſus e tertio cœlo, correxit, *omnia conſuetudines & quæſtiones*? Imo librum ad *Pammachium* ſcripſit poſt editam Tranſlationem. *In Commentariis*, inquit, *non habet eamdem auctoritatem.* Si ſcivit ſe vertiſſe afflatu Spiritus, aut contempſit, aut oblitus eſt quod bene verterat. Unde ergo docetur ille receptus uſus? Imo *Sutor* obambulet per antiqua Collegia ac Monaſteria, & inveniet Codices, ex quibus olim pronunciabatur Evangelium a noſtris diſſentire. Eſt apud me Editio utriuſque Teſtamenti, typis excuſa ante annos, ut conjicere licet, ſexaginta, plurimis in locis diſcrepans a noſtra lectione. Eſt in Bibliotheca illuſtriſſimæ D. *Margaretæ*, Cæſaris amitæ, liber aureis litteris deſcriptus, unde ſolet in ſacris Evangelica lectio recitari, non paucis in locis diſcrepans a noſtris; contulimus enim diligenter. Habui duos Codices vetuſtiſſimos ex Bibliotheca Collegii quod eſt *Londini* ſacrum divo *Paulo*, ex his quam multa reſtitui? Vidi *Gandavi* apud Abbatem ſancti *Bavonis* Codicem Evangelicum, unde ſanctus *Livinus* ſolitus eſt recitare Evangelium, non conveniebat per omnia noſtræ. Vidi in Bibliotheca ſancti *Donatiani Brugis* vetuſtiſſimos Codices aliquot, quos aliquoties cito. Habebam *Baſileæ* duos vehementer antiquos, quique declarabant ipſa ſpecie ſeſe in publico Eccleſiæ uſu fuiſſe. Vidi Codicem Evangelicum in Bibliotheca *Conſtantienſi*,

Digitized by Google

tienſi, & inſpectis locis aliquot deprehendi cum noſtra caſtigatione conſentire. Hæc cum ſcriptis prodiderim, *Sutor* velut integra re poſtulat ut indicemus aliquid.

Jam quod objicitur ipſi *Hieronymum* in Commentariis ſuis, etiam his, quos poſt editam Tranſlationem ſcripſit, aliter citare quam habemus in vulgata lectione, ſic eludit, ut dicat *Hieronymum* in Commentariis nonnunquam alienam referre ſententiam, eam eſſe libertatem Commentariorum. Quid hoc ad lectionem? Refert Editionem Septuaginta, *Theodotionis*, *Aquilæ*, *Symmachi*, ſed admonito Lectore. Cætera ſumit vel ex vulgata lectione, vel ſua Tranſlatione.

Mire vero deridet, quod dixit neſcio quis, Scripturæ ſinceritatem in ſuis fontibus ſervari, eam evaſionem appellat phantaſticam & aſininam. Atqui tam aſinus fuit *Auguſtinus* & *Gratianus*, qui illius dicta refert in Decretis.

Operæpretium eſt audire, quemadmodum hic homo feſtivus laſciviat. *Ubinam eſt*, inquit, *illa ſacroſancta Biblia? Num in cœlo? num in aëre? vel infra terram? Si abs te putetur eſſe in aliquo acervo librorum carioſo, quid illic quaſo tantiſper jacere & jugem ſitum contrahere paſſus es? Nonne vides, quantum riſu digna ſit tua hæc inſania*, &c. Stolidiſſime bipedum, an tibi videtur putreſcere ſitu, quod toties orbi eſt editum, quod ſervatur in Bibliothecis Pontificum & Cardinalium, quod volitat per manus hominum eruditorum? An nuſquam eſſe putas, quod non vides in antro tuo? ex quo tamen veluti ſpecu *Trophonii* nobis iſta promis oracula?

Sed variant & Græci Codices, nec carent mendis. Nihil vetat ex diverſis Exemplaribus Hebræorum & Græcorum, quæ tamen non uſquequaque careant mendis, reſtituere quædam in noſtris, quando videmus & ſutores ex pannis, quos excidunt ex veſtibus non omni ex parte integris, conſuere centonem integrum, & coquos ex ovis, quæ delegerunt ex numero in quo ſunt nonnulla ſupputria, conficere bonam placentam. Addam exemplum, cum in omnibus noſtris Codicibus perperam legatur, *placuerunt Deo Angelis hoſpitio acceptis*, tamen id nequaquam fuit difficile ex Græcorum Codicibus reſtituere, etiamſi aliis in locis nonnihil habeant mendæ. Item quod eſt in Evangelio *Joannis*; *Sic eum volo manere*. Et quod eſt in *Proverbiis*, *lapides ſeculi*, ex Hebræis Codicibus facile repoſita eſt germana vox *ſacculi*. Verum hæc a nobis multis in locis diſſerta ſunt.

Multas hujus argumentationes prætereo prudens, tam frigidas ut pigeat vel referre. Quoniam autem frequenter nobis obgannit vitium, falſitatem, maculas, & rugas in Divinis Litteris, nemo ſic inſanit, ut Spiritui Sancto, aut Prophetis, aut Evangeliſtis tribuat falſitatem: ſed fieri poteſt, ut interpres, ut ſcriba labatur alicubi, ſine detrimento gravi totius Eccleſiæ. Et iſte perpetuo ſic loquitur, quaſi quiſquam divinitus datam Scripturam arguat falſitatis.

Cæterum quod toties exaggerat, omnia corruere, ſi quis dubitet de ſcribis aut interpretibus, auctoritatem Scripturarum, fidem, charitatem, Eccleſiam, auctoritatem Synodorum, Pontificum, veterum orthodoxorum, Theologorum, ſimile quiddam mihi facere videtur *Sutor*, quale fecit is, qui luſit batrachomyomachiam, qui ob ridiculum concurſum ranarum ac murum fingit omnes Deos & Deas cogere concilium, ac diſcordibus ſtudiis inter ipſos diſceptare, neque unquam finem futurum fuiſſe, niſi *Jupiter* ſuo fulmine prælium diremiſſet. Jam tot annis teritur omnium manibus mea Verſio, ne muſca quidem ulla moviſſet tumultus, niſi rabulæ quidam indocti juxta ac ſtupidi ſeditioſe clamaſſent apud populum, ad quem hæc res nihil attinebat.

Et ſi revera tantum eſſet periculi, quantum verbis exaggerat *Sutor*, non in eos ſæviendum erat, qui pro ſua virili conſulunt ſinceritati Divinæ Scripturæ, ſed in Librarios potius & ſciolos, qui depravant libros, quibus utitur ritus Eccleſiaſticus. Hîc erat ferenda lex, ne quis deſcriberet Sacros Libros, niſi ad Exemplar probatum, & quod ſcripſiſſet religioſa diligentia conferret. Idem multo magis præſcribendum erat Typographis. Hanc decebat eſſe curam Epiſcoporum ac Principum.

Adfert aliud lemma, *Si Jureconſultis, ſi Philoſophis, ſi Aſtrologis, ſi Medicis, ſi cæteris artificibus ſua diſciplinæ manſerunt incolumes, quomodo periit Theologia?* Imo ſi cum conſtet omnes omnium diſciplinarum libros mire depravatos, & tamen non omnino intermoriuntur diſciplinæ, ſic nec Theologia periit, etiamſi quid vitii reperiatur in libris. *Ariſtoteles* ſerio citatur in Scholis, cum extra controverſiam ſit illum etiam apud Græcos plurimis ſcatere mendis, & apud Latinos haberi non optime verſum. Sed Medici cæterique gaudent ex fontibus depravata reſtitui, ſoli *Sutores* nolunt audire rectiora.

Poſt hæc probat *Hieronymum* in ſuis Commentariis aliter citare quædam quam nos vertimus. Quis hoc negat? Sed contra quoties diverſa citat ab hac Tranſlatione, nobiſcum faciens?

Et conſtat *Hieronymum* frequenter citare lectionem, quam non probat. Quod ſi mea Verſio verbis duntaxat diſſidet ab *Hieronymiana* relatione, nihil eſt abſurdi, iſtud nec ſuſceperam, nec expediebat ſtudiis, ut verbis cum eo convenirem. Sin in ſenſu diſcordia eſt, quid mihi poteſt imputari, qui Græcos Codices vertendos ſuſceperam? Accuſandus eram, ſi aliud vertiſſem quam habebant. Ad hæc ſi mea Verſio ſucceſſura fuiſſet in locum vulgatæ, fortaſſis expediebat quam minimum diſcedere a verbis receptæ Editionis. Cæterum quoniam hæc noſtra veteris velut explanatio quædam eſt, quo major eſt in verbis diſſonantia, hoc plus diſcit Lector. Illud arbitratur eſſe præcipuum telum, quo evincat hanc novi Teſtamenti Editionem eſſe *Hieronymi*, quod in hac reperiantur quæ *Hieronymus* probavit, & abſint quæ improbavit. Si *Sutori* placet hoc argumentandi genus, colligam & ipſe non eſſe *Hieronymi*, quod adſint in hac quæ *Hieronymus* rejicit, & deſint quæ *Hieronymus* judicavit eſſe primitivæ veritatis, quædam etiam diverſa ſint ab iis quæ probat *Hieronymus*, etiam in his lucubrationibus, quas edidit poſt abſolutam Tranſlationem. Non conſequitur, quædam abſunt quæ notavit *Hieronymus*, itaque tota hæc Tranſlatio *Hieronymi* eſt. At neceſſario conſequitur, multa inſunt in hac Tranſlatione, quæ reprobavit *Hieronymus*, igitur hæc non eſt *Hieronymi*. Variabant & Græcorum & Latinorum Codices: & fieri potuit, ut caſu quædam congruerent. Fallit & hoc *Sutorem*, quoties *Hieronymus* citat Græcos aut Latinos Codices, ſuſpicatur illum ſentire de omnibus, cum de pleriſque loquatur. Quod ſi toti Codices ob id probantur, quod in nonnullis conſentiant cum *Hieronymo*, probandi ſunt & Græci Codices, quorum lectioni plerumque ſuffragatur *Hieronymus*. Addit quoſdam dicere legendum eſſe, *hominibus bona voluntas*, hoc a me nuſquam eſt dictum, verum indicavi Græcos ſic legere. Et tamen auſim jurare, quod hunc locum non intelligit *Sutor*, quantumvis abſolutus Theologus. Vulgus enim interpretatur, *homines bonæ voluntatis*, qui habent bonam voluntatem: & Angeli ſentiunt, homines in quibus Deus habet bonam voluntatem: hoc enim indicat vox εὐδοκία, ſignificat enim filios gratiæ. Proinde ſenſus idem eſt, ſive dicas bonam voluntatem, aut, ut quidam loquuntur, beneplacitum Dei eſſe in hominibus: ſive pacem eſſe hominibus bonæ voluntatis, ſi bonam voluntatem referas ad Deum. Id quoniam non intelligit *Sutor*, de nihilo movet tragœdiam. Adjicit nullum eſſe Doctorem qui legerit, *In principio erat ſermo*, cum toties ſit apud *Cyprianum*, cum *Auguſtinus* teſtetur & hanc lectionem eſſe in nonnullis Codicibus, eamque probet, ſicuti copioſe docuimus in Apologia, ſimul & illud approbantes, ſi quid eſt diſcriminis inter utrumque ſermonem, magis congruere *ſermonis* quam *verbi* vocabulum. Eam Apologiam toties jam editam a *Sutore* lectam oportuit, priuſquam ad hanc cenſuram deſcenderet. Nunc quid impudentius, quam eum, qui ſibi perſonam judicis induit, aſſeverare quod illico refelli poteſt?

Intolerabile vero ſi addidi *uxor*, ne putaretur eſſe mater

Digitized by Google

mater aut filia *Cleophæ*. Quasi Interpres non frequenter addat de suo.

Porro quod reprehendit nescio quem, qui pro eo quod legimus, *Dimitte nobis debita nostra*, legendum censuerit, *Dimitte nobis delicta nostra*, quid sibi velit *Sutor* non satis intelligo. Nam ipse *Matthæi* cap. VI. ubi Græce scribitur ὀφειλήματα, verto *debita*, & *Lucæ* XI. ubi scriptum est ἁμαρτίας, verto *peccata*, quemadmodum habet etiam vulgata Translatio. Unde plane conjicio *Sutorem* hîc dormitasse, & quod reprehendit non sumpsisse ex scriptis nostris, sed ex delatione cujuspiam parum attenti compotoris. Si non recte dicitur, *dimitte delicta*, pro *dimitte debita*, *Lucam* accuset, non me: illi canat istud mirabile sophisma ex Theologiæ mysteriis, quod *condonata culpa, manet obligatio pœnarum & infirmitatis*. Si tam insignem errorem comperisset in meis libris *Sutor*, quibus convitiis in me debacchatus fuisset, cum sic debacchetur nesciens quid dicat. Sic enim claudit hanc reprehensiunculam, quod his animadversis putat eum esse insanum, qui ausus sit tam ineptam facere mutationem, & ingenti quoque animadversione dignum esse. Imo censet flagellis onerandum insanum illum, qui hoc ausus sit. Vapulet itaque pro me *Lucas*, aut si ille nolit, vapulabit sycophanta *Sutor*, ut resipiscat ab his intemperiis. Exaggerat velut horrendum facinus, aliquid immutare in sacrosancta oratione, quam *Christus* sacro ore deprompsit. Quid ego audio? An *Christus* Latine loquutus est? An nos immutamus quod scripsit Evangelista? Et hujusmodi muliebres nænias recinit nobis Echo *Telenicia*, veluti de corrigendo *Magnificat*. Atque hic Theologus, qui tam evidenter delirat, cæteris dissimulantibus, sumit sibi leonis exuvium, rectius facturus si sibi sumpsisset pellem asini.

Sed perit, inquit, *hujus precationis energia, si pro* debita *legas* delicta, *quod a condonatis peccatis superstant pœnæ*. Quin ergo hac de re litigat cum *Luca*, cujus verba nos non sumus ausi depravare. Meminerit in posterum tam fœdi lapsus glorioſus iste, quoties apparat in alienos errores debacchari.

Hic exspatiatur in *Apocalypsim*, & mihi impingit quod de hujus operis auctore dubitarim. Imo doceo vehementer a Veteribus fuisse dubitatum. Cæterum quod *Hieronymus* hanc citat nomine *Joannis* Apostoli, quid opus erat docere, cum nemo neget? Cum Ecclesia jusserit, ut qui velit orthodoxus esse, profiteatur hoc opus esse *Joannis* Evangelistæ, profitebor & ipse. Cum in lectionis negotio versarer, erat hoc quoque monendum. Interim & nos interdum citamus ex *Apocalypsi* testimonium, titulo *Joannis* Evangelistæ.

His feliciter expeditis aggreditur *Methodum* meam, sive *Compendium veræ Theologiæ*, in quo, si *Sutori* credimus, erratorum multitudo æquat foliorum numerum. Agnoscis *Sutoriam* hyperbolen. Illic adhortans Theologiæ candidatos ad studium Linguarum, inter multas rationes, quas *Sutor* plusquam asininas appellat, & hanc adfero, *Multum referre, ex ipsis fontibus haurias, an ex qualibuscunque lacunis*. Hanc sententiam καθολικῶς dictam *Sutor* torquet proprie ad *Hieronymum*. Loquor enim de qualibuscunque Translationibus, inter quas sunt quædam parum felices. Deinde non meminit quod illic assumo hanc Translationem novi Testamenti non esse *Hieronymi*, unde lacunæ convitium non lædit *Hieronymum*, sed ignotos Interpretes. Et si maxime credidissem hanc Translationem esse *Hieronymi*, quid erat flagitii vocare Translationem, quantumvis absolutam, lacunam? Si Scriptura Divina primum prodita est sermone Latino, Latinam lectionem non recte dixeris lacunam, cum sit fons. Nunc Latina Translatio, juxta Septuaginta, in veteri Testamento secunda a fonte lacuna est, in novo prima. Non omnis lacuna corrupta est, & tamen si corrumpatur, fons manet incorruptus. Certe verum est, quod ait *Ovidius*,

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Nisi idem multis in locis prædicat *Hieronymus*, me vanum appellet *Sutor*. Si nihil est in fontibus, quod non idem sit in Translatione, cur *Hieronymus* repetit proprietatem & emphasim vocis ab Hebræis? nonnunquam & a Græcis? Cur *Hilarius* idem subinde facit e Græca Septuaginta Translatione, hoc est, e proxima lacuna, quoniam e fontibus non potuit? Quod idem non raro facit *Augustinus*. Cur *Hieronymus* tantopere laudat studium *Paulæ* & *Eustochii*, quod fœminæ Psalmos Hebraïce canerent? Legat *Sutor Aristotelem* Græce, si Græce novit, & intelliget quantum intersit inter fontes & lacunas sive rivulos. Id si non potest ob insciti am Linguarum experiri, credat probatis Auctoribus, qui passim hoc clamitant. Nec me fallit quid offenderit *Sutorem*. Arbitratur, ut initio dixi, lacunam esse cloacam aut latrinam, aut aquam quæ constitit in simario quopiam. Verum æquum ne videtur ut ego vapulem, propterea quod *Sutor* non didicit Latine? Idem accidit mihi cum *Joanne Atensi* quondam *Lovanii*. Multa fortiter dixerat in me publicitus, in frequentissimo conventu Scholasticorum, non abstinens interim a mentione hæreseos. Deinde cum expostularem privatim cum illo, deprehendi causam erroris. Existimabat *declamationem* sonare Latinis concionem Ecclesiasticam, & *cœlibem* sonare cœlestem vitam agentem. Persuasi tandem homini, voces illas longe aliud sonare, & tamen interim ego dederam pœnas alienæ insciti æ. Mirum autem quam isti velint dissimulari, si quid errent, in alienis lapsibus inexorabiles. Jam cum in re nihil sit incommodi, vide quam tragice destomachatur *Sutor*: *Heu*, inquit, *miser homuncio, qua fronte audes Translationem* Hieronymi *lacunam vocare? Haccine est ratio veræ Theologiæ, quam tuos Theologulos doces, Bibliam scilicet ab Ecclesia probatam dicere lacunam?* Quam gravis objurgatio! Atqui quod nunc tantopere detestatur *Sutor*, est idem illud σοφὸν, quod initio libri sui docuit, Scripturam Sacram, qua nos utimur, ex aliis Linguis fuisse transfusam. Quod si verum non est, & ego perperam dixi lacunam. Si verum est, ut est verissimum, quicquid hîc *Sutor* in me dicit, in ipsum recidit. Reliquas illius nænias sciens prætereo, ad finem properans.

Mox *Sutor* agit *camelum saltantem*, ex *Leo Lutomoque* referens quod ipsi visum est perquam festivum. Scripseram in *Methodo*: *Quid quod quædam ob sermonum idiomata ne possunt quidem ita transfundi in alienam Linguam, ut eamdem lucem, ut nativam gratiam, ut parem obtineant emphasim? Quid quod quædam minutiora sunt, quam ut omnino reddi possint?* Hactenus mea. Nunc audi lepores *Sutoris*: *Rogo*, inquit, *in primis, an sint peregrina Linguæ propterea discendæ, ut ex eis transfundantur ea, quæ traduci nequeunt, vel ob Linguæ proprietatem, vel propterea quia minutiora sunt, quam ut transfundi queant? At hoc stultum est putare. Stultum est enim aliquam discere Linguam pro transferendis eis quæ transferri non possunt*. Ad hunc modum scurratur *Sutor*. Quasi illic egerim de vertendo, ac non potius de judicando. Hoc si sciebat, quid opus erat tot inanibus verbis & convitiis?

Verum ait satis esse, *præcipuum Auctoris intentum intelligere ex Translatione*. Delirant igitur omnes, qui in Commentariis excutiunt Græcas aut Hebræas voces. Et verum fatebor quod fortiter asseverat *Sutor*, nisi palam demonstravimus, magnos Ecclesiæ Doctores in enarrando lapsos, ex occasione non intellectæ Translationis, cum in fontibus nihil esset offendiculi. Quid autem *Sutor* appellat *præcipuum intentum*? Nimirum hoc quod ipse somniat. *Non intellexit igitur*, inquit, *Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Bernardus, Beda vetus Testamentum, utpote litterarum Hebraïcarum ignarus?* Magnum periculum, si id fateamur. Ne *Hieronymus* quidem ad plenum intellexit vetus Testamentum, cum ipse toties fateatur suam ignorantiam, multo minus *Ambrosius* & *Augustinus*. Etenim totam Scripturam ad plenum intelligere, uni *Sutori* datum est.

Fatetur in me consequi, me Scripturam non intelligere, quod Hebraïce nesciam, in illis non sequi. Quasi ego profitear me totam Divinam Scripturam intelligere. Verum quibus non vacat Hebraïce discere, saltem me imitentur, qui scripturus in *Psalmos* consulebam Hebraïcæ Linguæ peritos, & de his, de quibus judicare non possum, suspendo sententiam.

Cætera quæ nugatur de via compendiaria, & glossis, quoniam abunde respondimus *Latomo*, non est cur

Digitized by Google

hîc repetam: legat illa cui vacat, quæ *Sutor* non dignatus eſt legere, & tamen alienis cavillis ludit in me. Sequitur in *Methodo*: *Quid quod permulta ab* Hieronymo *reſtituta, temporum incuria interciderunt, veluti novum Teſtamentum ad Græcorum veritatem emendatum, velut obelorum & aſteriſcorum notula, veluti Prophetæ commatis, colis, & periodis diſtincti?* Hîc *Sutor* miro acumine demonſtrat me mihi non conſtare, ſed pugnantia loqui. Quin potius audi Lector *Sutoris* verba, ſunt enim perquam feſtiva. *Vide*, inquit, *in primis prudens Lector, quam varias in formas ſe Proteus iſte mutet. Etenim cuidam* Stunicæ *reſpondere ſatagens, inficiatur non ſemel Tranſlationem Latinam ab*. Hieronymo *recognitam fuiſſe. Sic enim ait:* „Quoniam & illud aſſumit parum verecun„de, hanc Tranſlationem, quam nunc habet uſus Ec„cleſiaſticus, aut eſſe *Hieronymi*, aut certe ab *Hiero„nymo* caſtigatam, cum in Annotationibus tot argu„mentis doceam, imo cum res ipſa clamitet hoc eſſe „fallûm. *Et poſtmodum*: „Atque hîc rurſus impuden„ter aſſumit *Stunica*, hanc Tranſlationem, qua nunc „utitur Eccleſia, ab *Hieronymo* fuiſſe recognitam. *Et tamen hîc profitetur novum Teſtamentum ab eo fuiſſe emendatum. Quid obſecro aliûd dicturus es de homine tam vario ac verſipelli, quam illud Catonianum*:

Conveniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe.

Audiſti *Sutoris* eloquentiam, nunc inſpice acumen ingenii. Reſpondens *Stunicæ* negabam hanc vulgatam Tranſlationem novi Teſtamenti eam eſſe, quam *Hieronymus* emendavit. Et in *Methodo* fateor novum Teſtamentum ab ipſo fuiſſe recognitum, ſed addo *Hieronymi* laborem injuria temporum intercidiſſe. An hæc inter ſe pugnant, emendavit novum Teſtamentum, ſed quod emendavit non exſtat? Ab *Hieronymo* novum Teſtamentum fuiſſe recognitum nullus inficiatur. Verum an hæc Tranſlatio ſit ab eo recognita, controverſum eſt. His blateramentis explet viginti duo capita cenſor alienorum librorum.

Sed falſum eſt, inquit, *quod dicis intercidiſſe*. Hoc igitur erat agendum, & illa de *Proteo* reſecanda, niſi maluiſſet librum magnum quam bonum.

Nugamentum autem, quod adfert de notulis, plane ridiculum eſt. Somniat enim eas notulas tantum fuiſſe in his, quæ caſtigarat, aut verterat ex Editione Septuaginta, cum has addiderit etiam *Danieli*, ac reliquis Prophetis, & *Heſter*, quam vertit ex Hebræorum fontibus, & Pſalterio caſtigato. Relegat *Sutor* præfationes *Hieronymi*, & pudeat hominem talium deliramentorum.

Piget referre ſingulas hujus Theologi nænias, præſertim cum ad iſta pridem libris editis copioſe reſponderim. Illud optarim eſſe verum, quod *Sutor* negat ab ullis vitiari Sacros Codices, præterquam a me, meique ſimilibus. Sed ipſa res longe aliud clamitat, niſi quod *Sutori* ſunt integra etiam quæ depravatiſſima ſunt. Nec pudet *Carluſianum* iſta perfricta fronte aſſeverare, cum ego tot depravationes Codicum indicarim, etiam in Indice præfixo novo Teſtamento, cumque quotidie tot vocum portenta videamus in Codicibus.

Accedit ad epitaſim fabula. Refert hæc mea ex *Methodo*: *Quid quod* Hieronymus *omnia nec reſtituit, nec potuit reſtituere? Quid ſi idem quædam perperam vel emendavit, vel tranſtulit? Aufer mihi hîc illa tragica, ô cœlum, ô terra, liceat vera loqui. Quamlibet vir pius, quamlibet eruditus, homo erat, & falli potuit, & fallere. Multa, ut opinor, illum fugerunt, multa fefellerunt.* Hactenus mea. Nunc audi fulmen *Sutoris*.

Audiſti, mi Lector, verba perverſa, hæretica, & blaſphema: perverſa quidem, quod ſacro Doctori Hieronymo *calumniam impingant; hæretica, quod veritati catholicæ ab Eccleſia definitæ refragentur, palamque diſſentiant; blaſphema, quod injuriam faciant Spiritui Sancto, cujus afflatu* Hieronymus *ipſe decenter Bibliam edidit, nec quicquam perperam vel tranſtulit, vel emendavit.* Ita *Sutor*. Audiſti, mi Lector, vocem perverſiſſimi cerebri, non hæreticam, ſed phreneticam, vereque blaſphemam omnium bipedum & quadrupedum petulantiſſimi *Sutoris*. Si perverſitas eſt dubitare, an alicubi errarit *Hieronymus*, ipſe *Sutor* fortiter ab eo diſſentit, cum eſt commodum. *Sed in Commentariis*, inquit, *duntaxat*. Et ibi potuiſſet omnia afflatu Spiritus, tametſi viribus humanis non potuit. *Verum in Tranſlatione*, inquit, *agebatur negotium totius Eccleſiæ*. Imo hoc eſt delirum ſomnium *Sutoris*, quod jam toties refellimus. Id cum nec Synodus ulla, nec Pontifex, nec ex veteribus orthodoxis quiſquam pronunciarit, ex unius glorioſi *Sutoris* anilibus ratiunculis fit hæreſis & blaſphemia. Si perverſum, hæreticum, & blaſphemum eſt dubitare, an *Hieronymus* omnia reſtituerit, magis hæc omnia quadrant in eos, qui palam fatentur in hac Tranſlatione eſſe multa, de veteri Teſtamento loquor, quæ digna ſint correctione. Rurſus in eos, qui noſtrum laborem adjuvant & comprobant. Inter quos ſunt hi, quos antea recenſui, Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, & Theologi, minime ſutorii, ſed ſani cerebri, diligenter verſati in omni Auctorum genere, & Linguarum periti. In eoſdem quadrabit quod ſubjicit jam inſania temulentus: *Non auferemus illa tragica, ô cœlum, ô terra, ſed nonnihil adjicientes exclamabimus, O portenta in ultimas terras deportanda, & duriſſimis quoque exterminanda flagellis*, & cætera tam inſana, ut non ſani eſſe hominis non ſanus juret *Oreſtes*. Et hic furioſus rabula vult eſſe cenſor alienorum librorum, in negotio cujus eſt imperitiſſimus, & iſtas rabioſas debacchationes appellat debitam admonitionem, ac niſi canatur palinodia, denunciat crimen hæreſeos.

Hîc ſcilicet illi in tempore venit in mentem *Origenes*, cujus defuncti dogmata quædam damnata ſunt, quod non comperiatur ea in libris ſuis recantaſſe. An ideo damnatus eſt *Origenes*, quod de fide Interpretis alicubi dubitavit? Quid autem novi, ſi in libris illius quædam notata ſunt, cum idem factum ſit in libris *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Cypriani*, *Ambroſii*, *Lactantii*, *Bernardi*, *Petri Lombardi*, *Gratiani*, *Thomæ*, *Scoti*, *Gerſonis*? Non arbitror laturum *Sutorem*, ſi dixero tanto Theologo non ſatis perpenſam argumentationem meam. Siquidem in argumentando movens omnem lapidem, primum excludebam illorum tergiverſationem, qui negabant operæpretium conſulere Linguas, quod *Hieronymus* ſatis annotaſſet & expoſuiſſet, ſi quid erat ſcrupuli. Proinde hæc verba, *quid quod* Hieronymus *omnia nec reſtituit, nec potuit reſtituere*, non pertinent ad illius Tranſlationem, ſed ad Commentarios & Annotationes, in quibus *Sutor* ipſe contendit eum erraſſe, quod ni obtineat, vitari non poteſt, quin fateatur eum erraſſe in vertendo. Et tamen hæc torquet *Sutor* ad Verſionem, cum ſolvit nodum, *Ut non potuerit*, inquit, *humanis viribus, potuit adjutus ope divina*. Quaſi quiſquam hoc inficietur, ſed quatenus unicuique Spiritus adeſſe velit, non ſemper nobis liquet, opinor. Non dubium eſt, quin Spiritus Sanctus adfuerit *Hieronymo* Prophetas enarranti, & tamen multa non eſt aſſequutus. Olim in conventibus Chriſtianorum ſingulis aderat Spiritus Sanctus, ſed alius aliud habebat donum, & nonnunquam in eodem doni genere, quod priorem latebat, poſteriori patefactum eſt. Porro quæ ſequuntur pertinent ad vetus Teſtamentum verſum, & novum emendatum, in quorum alterutro ſicubi lapſus eſt *Hieronymus*, non habet *Sutor* quod vociferetur. Certe Pſalterium ex Hebræo verſum non recipit in publicum uſum Eccleſia. In eo cum multa ſint quæ toto ſenſu pugnant cum hac Tranſlatione, neceſſario conſequitur, ut aut in vertendo lapſus ſit alicubi *Hieronymus*, aut Eccleſia quod deterius eſt, nec errore vacat, amplexa ſit. In novo Teſtamento leguntur quæ non probat *Hieronymus*: in vetere lapſum eſſe, non ſolus *Lyranus* affirmat, ſed uno ore cuncti qui norunt Hebraïce. In illos iſta detonet *Sutor*. Ego multos ſcrupulos congero, e quibus ſi conſtant aliquot, obtineo diſcendas eſſe Linguas. Si rectius hauritur Theologia e fontibus, quam e lacunis. Si quorumdam verborum emphaſis ab Interprete reddi non poteſt. Si quædam minutiora ſunt, quam ut peregrina Lingua queant exprimi. Si quædam bene reſtituta, injuria temporum interciderunt. Si Codices a ſciolis & ſcribis vitiati ſunt. Si *Hieronymus* non omnia reſtituit.

Si

Si idem alicubi lapſus eſt judicio. Hujuſmodi multa colligo, nihil periclitans, etiamſi non omnia ſunt vera, ſed vincens, ſi quædam vera ſunt. Atqui meus ſermo ſapit dubitationem. Imo propono dubitationem Lectoris. Qui ſi diffidit, quomodo confirmabitur niſi conſultis archetypis? Ego qui dubitare poſſum, qui perſuaſum habeam novum Teſtumentum, quod habemus, non eſſe caſtigatum ab *Hieronymo*: de vetere non eſt meum judicare, de quo ſi quid dubito, ex aliorum auctoritate dubito. Dubitatum eſt olim ab orthodoxis, an Spiritus Sanctus procederet a Filio, donec proditum eſſet ſuper hac re oraculum Eccleſiæ. *Hieronymum* fuiſſe lapſum in vetere Teſtamento, multis impune licuit affirmare. Mihi dubitare non licuit, priuſquam *Sutor* ex antro ſuo promeret hunc novum & inauditum articulum fidei. Quis negat *Hieronymum* decenter vertiſſe Sacros Libros? Sed idem decenter edidit Commentarios in Sacros Libros. Et tamen in his videre eſt, quod illum fefellerit. *Auguſtinus* errata ſua non diſſimulavit. Sic & Interpretis calamum ita moderatus eſt, ut fidei baſis non labefieret. Hoc ſatis erat Sancto Spiritui. Jam illa poſtrema, *multa, ut opinor, illum fugerunt, multa fefellerunt*, ad univerſas *Hieronymi* lucubrationes pertinent, de quibus vere dici quod aio nec *Sutor* negat.

Reſtat igitur unicus ille ſcrupulus, an fas ſit dubitare, nunquid perperam verterit aut emendarit *Hieronymus*? In hoc ſunt iſta portenta monſtraque, quæ manifeſtam habent hæreſim. Primum quod dictum eſt perperam, partim in verbis eſt, partim in ſenſu. *Sutor* hanc novi Teſtamenti vel caſtigationem vel emendationem contendit eſſe *Hieronymi*. At negari non poteſt, quin hæc oratio, *& inter ſe invicem cogitationum accuſantium aut etiam defendentium*, habeat vitium, cum ſit ex bene Græca facta male Latina, nec ulla probabilis appareat cauſa, cur hic ſoloeciſmus induci debuerit. Si recte vertit *Hieronymus*, cur in libris, quos edidit poſt hanc Tranſlationem, vitavit ſoloeciſmum? Si recte citat *Hieronymus*, ſequitur in hac Tranſlatione relictum quod ſit emendandum. Rurſum quod eſt in *Actis* cap. VIII. *Multi eorum qui habebant ſpiritus immundos clamantes voce magna exibant*, ſi ſermonis rationem ſpectes, quid abſurdius? præſertim cum Græca ſecus habeant, Πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ ἐξήρχετο, quæ ſic ad verbum reddi poſſunt, *A multis enim habentibus ſpiritus immundos, clamantes magna voce exibant*. Nec hîc ulla videtur cauſa, cur Interpres ad eum modum loqui debuerit. Nec enim repræſentavit ſermonem *Lucæ*, nec in his verbis ullum eſt myſterium. Item in Epiſtola ad *Romanos* cap. II. *His quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam*. Quis ex his verbis deprehendat, quid ſenſerit *Paulus*, cum Græca ſint perſpicua, quæ ſine dubio ſunt *Pauli*, conſentientibus omnibus Exemplariis? Rurſus XI. cap. *ut illos æmulemur*, pro *provocemus*. Hujus generis alia permulta ſunt, in quibus negari non poteſt ineſſe vitium ſermonis. Quod tamen uſque adeo contemni non debet, cum demonſtraverimus magni nominis Theologos ad hæc impegiſſe. Nec tamen ob hæc periclitatur tota Eccleſia, cum paratum ſit remedium. Ita fieri poteſt, ut alicubi in ſenſu dormitarit Interpres citra grave diſcrimen fidei Chriſtianæ. Docendi gratia ſumatur hoc exemplum. Ad *Romanos* cap. XII. *Spiritu ferventes, Domino ſervientes*. Nonnulli Græcorum Codices habent, *tempori ſervientes*. Et *Hieronymus* in Epiſtola quadam ad *Marcellam* præfert hanc lectionem, qua nunc utimur, *Domino ſervientes*. Nec tamen ullam adfert cauſam cur præferat, ac mihi circumſpicienti quid illic agat *Paulus* ex iis quæ præcedunt quæque ſequuntur, & quæ docet aliis locis, plane videtur aptius ac ſignificantius, *tempori ſervientes*. Ex Græcis Codicibus nihil agit *Hieronymus*, cum utraque lectio fuerit apud Græcos. Non hîc pugnabo utra ſententia ſit verior, ſed demus *Hieronymo* placuiſſe, quod ab Apoſtolo non fuit ſcriptum, quid diſcriminis patitur Eccleſia? Utraque ſententia pia eſt, & altera alteram complectitur, quiſquis enim tempori ſervit, juxta ſenſum Apoſtoli, Domino ſervit. Et ex

A orthodoxis Auctoribus Eccleſia cognovit utramque lectionem apud Græcos fuiſſe, ut, ſi qua gravis urgeat cauſa, liberum ſit illi utram velit eligere. Similiter quod eſt in *Geneſi* de *Joſeph*, qui fratres ſuos apud patrem detulerit de crimine peſſimo, Tranſlatio Septuaginta, & interpretatio orthodoxorum habet diverſam ſententiam, videlicet quod *Joſeph* delatus ſit apud patrem a fratribus de crimine peſſimo. Hic ſenſus primum magis congruit invidis fratribus, magis etiam quadrat iis quæ ſequuntur: *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios*. His enim verbis ſignificatur adeo nihil profeciſſe fratrum delationem, ut auxerint etiam ſenis erga *Joſeph* charitatem. Poſtremo magis congruit in *Chriſtum*, cujus typum gerit *Joſeph*. Siquidem hunc *Judæi* B fratres ipſius accuſarunt de blaſphemia, quod eſt crimen peſſimum. Et hodie quidem in libris Hebræorum habetur quod vertit *Hieronymus*. At fieri potuit, ut Hebræus aliquis corruperit eum locum, qui putarit non convenire in ſanctiſſimum & innocentiſſimum puerum crimen peſſimum, haudquaquam intelligens ejus loci myſterium. Nullus enim mirabitur ab invidis fratribus mali criminis calumniam intentatam innocenti *Joſeph*, cum Filio Dei ſit intentatum crimen blaſphemiæ. Rurſum quoniam exemplis agimus docendi tantum gratia prolatis, non contendam utra lectio ſit Hebraïcæ veritatis, ſed ponamus eam eſſe quam expreſſerunt Septuaginta, quid diſcriminis imminet Eccle- C ſiæ, cum in theſauris ſuis habeat utramque? Hanc habet ex Converſione *Hieronymi*, illam ex Tranſlatione Septuaginta, ex enarratione *Chryſoſtomi*, aliorumque ſcriptorum orthodoxorum. Quam diu videt ex varietate lectionis nihil oriri diſpendii, diſſimulat. Si res urgeat, habet unde pronunciet. In Pſalterio, quod ad uſum publicum attinet, ſequitur Tranſlationem Græcorum, quæ fere eſt Septuaginta, exceptis his, quæ partim ex Hebræo fonte, partim ex aliorum Editione ſunt addita, & tamen non damnat *Hieronymi* Tranſlationem, quam dedit ex Hebraïca veritate. Ita in cæteris veteris Inſtrumenti libris ſequitur *Hieronymi* Verſionem, nec tamen damnat Tranſlationem Septuaginta, nec eorum Commentarios, qui veterem illam ut ſacroſanctam ſequuti ſunt. Eſt dubitatio diffidentis, & eſt dubitatio inveſtigantis. Si nullo pacto fas eſt de veritate lectionis ambigere, toties *Hieronymus*, toties *Beda*, toties *Rabanus*, toties *Lyranus*, toties *Hugo* Cardinalis, toties *Thomas Aquinas* citant diverſam lectionem, nullam rejicientes, ſed omnibus expoſitionem attemperantes. Hoc qui facit, an non aliquo modo dubitat de germana lectione? Quid eſt igitur quod ſic in me debacchatur petulantiſſima lingua *Sutoris*? Quam vero palinodiam poſtulat delirus iſte *Sutor*? An quod in *Luca* verterim pro *debitis peccata*? Recantet prius ipſe *Lucas*: aut recantet ipſe *Sutor* temulentam inſectationem. An quod hactenus non tribuerim *Hieronymo* in Tranſlationibus divinam auctoritatem? Ab Eccleſia didici hanc ſolam deberi canonicæ Scripturæ auctoribus, quorum de numero non eſt *Hieronymus*. Neque quiſquam hactenus hoc tribuit *Hieronymo*, nec *Hieronymus* unquam ſibi vindicavit. An hæreticus eſt, qui non adorat iſtius *Cartuſiani* ſomnia, cum in uno libello toties tam turpiter deliret?

Alibi diſſolvit nodum, cur *Hieronymus* in Commentariis erravit alicubi, in Tranſlatione nuſquam? *Ne*, inquit, *crederetur Deus*. Cur igitur *Eſaiam*, *Matthæum*, *Petrum*, & *Paulum* non adoramus pro Deo, quia nuſquam errarunt in ſcriptis? Toties nobis occinit Eccleſiæ probationem, quæ ſi definit hanc Tranſlationem eſſe certo *Hieronymi*, & talem ut nihil in ea deſiderari poſſit, ſed a Spiritu Sancto ſic proditam per *Hieronymum*, quemadmodum Spiritus Sanctus per *Moſem* & Prophetas, Evangeliſtas & Apoſtolos prodidit Scripturas canonicas, proferat decretum, & deſinemus dubitare.

An iſti loquaciſſimo *Sutori* credemus, qui tot indicia non ſanæ mentis præ ſe fert? Et illi fidemus in rebus divinis, qui in his tam manifeſte labitur, quæ ſunt ſenſus communis? Ego ſemper doctis viris libenter ſubmi-

Digitized by Google

fi ſcripta mea, *Sutori* non committam, niſi prius reperero ſani capitis hominem, qui ſe tonſori aut medico ſimpliciter inſano curandum tradere velit. Ex *Leo* nonnihil didici, *Latomus* adduxit nonnulla non indigna cognitu, *Stunica* multa docuit, licet aliena. Ex hoc loquaciſſimo libro *Sutoris*, ita me Deus amet, non video quid diſci poſſit, niſi rabioſa maledicentia, præſertim cum cætera omnia ſint aliena, præterque inſana convitia, nihil hîc habeat proprium.

Sequitur in *Methodo*: *Quod ſi ſemel ſufficiebat* Hieronymiana *Tranſlatio, quorſum tandem attinebat caveri Pontificum decretis, ut veteris Inſtrumenti veritas ab Hebræis Voluminibus, novi fides e Græcorum fontibus peteretur? Quod ipſum non uno in loco præcipit divus* Auguſtinus. Ad hoc ita reſpondet *Sutor*, Falſum eſſe quod adduxeram, *Cum enim* Auguſtinus, inquit, *diſſuadeat* Hieronymo *ne vertat vetus Teſtamentum ex Hebræorum fontibus, multum tribuens Editioni Septuaginta, quomodo nunc juberet recurrere ad fontes Hebræorum?* Rideat igitur *Sutor Auguſtini* verba, quæ recitantur in Decretis diſt. IX. ea ſic habent: *Ut veterum librorum fides de Hebræis Voluminibus examinanda eſt, ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.* Eat nunc *Sutor* & dicat falſum eſſe quod adduxi. Rogabit, cur igitur diſſuadet Tranſlationem? Quoniam metuebat tumultum in Eccleſia, quoniam exiſtimabat Tranſlationem Septuaginta receptam eſſe ſacroſanctam. Quod autem in hoc erraverit, res ipſa docet. Relicta eſt Editio Septuaginta, ac recepta eſt *Hieronymi*, in veteri duntaxat Teſtamento maxima ex parte. Et tamen *Auguſtinus*, qui diſſuaſit ne nova Tranſlatione mutaretur recepta, nuſquam diſſuaſit, ne locus obſcurus aut depravatus ex fontibus Hebræorum reſtitueretur, quod vetat *Sutor*. Imo frequenter ipſe facit hoc ex lacuna Græcorum in veteri Teſtamento.

Prætermitto quod nugatur *Auguſtinum* ad *Creſconium* juſſiſſe conſuli Græcum Codicem, ante proditam *Hieronymi* Tranſlationem, cum id probari non poſſit. Eadem temeritate pronunciat, quod ad *Fretelam* ſcribens *Hieronymus* jubeat ad Hebræorum Græcorumque fontes recurrere, ſi quid ambigitur, id eſſe ſcriptum ante Tranſlationem ipſius perfectam, aut certe receptam. Vel dic, vel dic, vel dic, neſcio. Quid opus erat iſtiuſmodi ſomniis, cum gignat hæreſes & blaſphemias?

Sic vult intelligi verba *Auguſtini*. At ſi ſic ſunt intelligenda, fruſtra referuntur in Decretis, jam vulgata receptaque hac Tranſlatione. Hîc certe locum non habet illud, *Diſtingue tempora, & concordabis Scripturas*. Et plus eſt eſſe relatum in Decretis quam ab *Auguſtino* fuiſſe ſcriptum. Id cum pueri quoque ſciant, tamen tantus Theologus flagitat vel unum canonem exhiberi, ſatis declarans quam ſtudioſe verſatus ſit in canonibus. Nec cauſari poteſt *Hieronymi* Tranſlationem nondum fuiſſe receptam, cum hæc ſcriberet *Gratianus*, cum ipſe fateatur alibi, *Gratiano* nullam aliam fuiſſe notam quam *Hieronymi*.

Sequitur in *Methodo*: *Si hac Tranſlatio, qua vulgo utimur, ſatis erat, quî poſtea factum eſt, ut tot manifeſtariis ac pudendis erratis lapſi ſint primi nominis Theologi, in quibus eſt &* Auguſtinus *primi nominis præcipuus?* Hic rurſus intumeſcit *Sutoris* ſplendida bilis: *Det*, inquit, *in primis calumniator iſte arrogantiſſimus, in quibus tam aperte, ut ait, lapſi ſunt* Auguſtinus, *aliique Doctores, præſertim quando Scripturæ veſtigia ſequuti ſunt, quemadmodum inſinuat. Det vel unum Bibliæ communis locum, ſi plures non poſſit, qui occaſionem errandi per ſe tribuerit ipſis primi nominis Theologis. Quod ſi nequeat, ut re vera nequit, deſinat tum Sacris Litteris, tum Doctoribus ſanctis, calumniam prorſus inviſam impingere.* Imo perlegat Annotationes meas inſulſiſſimus iſte *Sutor*, & inveniet non paucos locos eſſe commonſtratos. Saltem inſpiciat Indicem, quem tertiæ Editioni præfixi, & inveniet jam olim exhibitum, quod poſtulat exhiberi. An non lapſus eſt interpretando divus *Auguſtinus*, *Joannis* XVIII. quod Latini Codices habent, *Adducunt ergo Jeſum ad Caïphan in prætorium*, cum Græci legant a *Caïpha*, hoc eſt, ab ædibus *Caïphæ*? In loco, qui eſt ad *Coloſſenſes* cap. II. *& poteſtates traducit confidenter palam triumphans in ſemetipſo*, nonne *Thomas Aquinas* duas adfert ſententias, quarum utraque *neque cælum*, ut ajunt, *attingit, neque terram?* In loco, qui eſt in Epiſtola ad *Hebræos* cap. XI. nonne *Thomas* inſigniter lapſus eſt in *melotis*, qui *melotem* interpretatur veſtem factam ex pilis camelorum, ſubjiciens alia his etiam abſurdiora? In loco, qui eſt ad *Romanos* cap. XI. *ut illos æmulentur*, nonne *Thomas* ob Græcam vocem male redditam, ſudans ac torquens ſeſe, quadruplicem ſenſum inducit, nec tamen attingit verum? Quis enim Latinus ſomniaret *æmulari* eſſe ad æmulationem provocare? Profecto non magis quam *loqui* ad loquendum provocare. Simili modo vertit eamdem vocem Epiſtolæ ad *Corinthios* prioris cap. X. *An æmulamur Dominum?* pro eo quod erat *ad iram provocamus*. Et hæc eſt Lingua, quæ juxta *Sutoris* revelationem ſola placuit Spiritui Sancto, utpote quæ doctis pariter & indoctis eſſet dilucida. In Epiſtola ad *Romanos* cap. III. *credita ſunt illis eloquia*, *Lyranus* interpretatur, quod *Judæi* fidem habuerint eloquiis, cum *Paulus* ſentiat Legem & Prophetias traditas fuiſſe Genti Judaïcæ. In loco, qui eſt *Lucæ* capite II. præter *Lyranum* & *Hugonem* Cardinalem, nonne lapſus eſt & *Auguſtinus?* II ad *Corinthios* VIII. nonne ſimpliciter labitur *Thomas*, qui *deſtinatam voluntatem* interpretatur ab æterno prædeſtinatam, cum Græce ſit προθυμίαν, quod nihil aliud ſonare poteſt, quam *promptam animi voluntatem?* I *Petri* III. quomodo tumultuantur recentiores Theologi, qui pro *in fine* legunt *in fide*, cum Græce ſit τὸ δὲ τέλος, id eſt, *in ſumma*. *Petrus* enim ſermonem peculiariter dictum de maritis, vertit ad univerſos. Sed quid ego hæc perſequor, per mare quærens aquam? Plus eſt hujuſmodi lapſuum quam credi poſſet, niſi paſſim occurrerent. Quid opus e longinquo petere exempla, cum hic *Sutor* omnium Theologorum, qui ſunt, fuerunt, quique poſt futuri ſunt, abſolutiſſimus, probaturus nihil eſſe gerendum abſque ratione citet verba Pauli, *Rationabile ſit obſequium veſtrum*. Hæc arguunt *Sutorem* noſtra non legiſſe, de quibus tanta petulantia pronunciat. Si arrogantiſſimus calumniator eſt, qui rem compertam ponit ob oculos, idque in publicam ſtudiorum utilitatem, quid cognominis meretur is, qui pernegat quod oculis cernitur, manibus tangitur? Quid autem ſibi vult nugamentum, quod addit *Sutor*, *per ſe & per accidens, & Sacram Scripturam ſequentes*. An a me dictum eſt, quod Scriptura Sacra *per ſe* ducit in errorem? Mihi ſatis eſt ad probandum in hac Tranſlatione, vel depravata, vel parum commode reddita eſſe, quod magnis viris præbuerit vel cauſam, vel occaſionem errandi, quod Græcos fontes vel non intellexerint, vel non conſuluerint: ex quo conſequitur non ſine fructu diſci peregrinas Linguas. Nec accuſo Sacras ipſas Litteras, de Tranſlatione, deque depravatione loquor. Hîc invitabat locus communis. *Errarunt*, inquit, *interdum & magni Doctores, ne pluſquam homines putarentur*. Eſto ſane. An non erit fas eos errores tollere? Atqui hoc ſine Linguarum præſidio fieri non poteſt. Si *Sutor* ipſe fatetur ſacros Doctores alicubi labi, uter noſtrum eſt linguax maledicus, ac Luciferiano tumore agitatus, ille ne qui mecum fatetur illos erraſſe, an ego qui reverenter conor illis erroribus mederi, ne fallant & alios? Et tamen hîc in me ita deſtomachatur *Sutor*, ut dicas illum vere Luciferi ſpiritu agitatum, cum hæc ſcriberet. Sed de Linguis & Collegiis trilinguibus dicetur alias. Nunc ad caput illius decimum octavum pauca. *Non eſt*, inquit, *facienda nova Tranſlatio, cum futura ſit inutilis, & ideo nullius frugis, quia careat auctoritate*. Quæſo igitur quis fructus ex Commentariis orthodoxorum, quibus nec eſt divina auctoritas, nec certa fides?

Quoties *Sutor* inculcat novam Tranſlationem, offundit nobis paralogiſmum. Etenim cum ego non labefactem receptam Tranſlationem, ſed extraordinariam addam, quo magis illa intelligatur, & a mendis vindicetur, *Sutor* huc torquet argumentationis tela, quaſi nova depellam veterem.

Quid utilitatis adferunt humani Commentarii? Nimirum ut deprehendamus quid in litteris depravatum ſit,

Digitized by Google

sit, ut intelligamus quod obscurum est. Idem præstat nostra Translatio, præsertim additis Annotationibus. Eas si sanus & sobrius legat *Sutor*, nisi fatebitur centum esse loca, quæ prius perperam intellexerat, fatebor hunc laborem prorsus inutilem esse. Et si pudebit humilem *Cartusianum* hoc fateri, sunt Episcopi, & iidem Theologi, sed sani cerebri, qui hoc ingenue fatentur, quorum nomina si promam, nemo non fatebitur *Sutorem* hunc modis omnibus indignum esse qui illis matulam porrigat. Hic rursus veterem occinit cantilenam, de malorum pelago, quod divinat consequuturum ex nova Translatione. Habemus varias Translationes Psalterii. Quid mali consequutum est? Habemus in Epistolis *Pauli* Translationem *Ambrosii* diversam a nostra vulgata. Ubi sunt ista schismata? Non habet auctoritatem *Erasmus*, sed auctoritatem habent ex sese rationes & Auctorum testimonia, quæ adduco. Quod reliquum est auctoritatis dat Ecclesia quibus vult. Nihilo vero plus periculi fuerit ex multitudine Translationum, quam ex multitudine Commentariorum. Quantum habemus Commentariorum in Psalmos? Et laudantur qui pro sua virili post Veterum laborem aliquid adferunt lucis.

Porro quæ nugatur *Sutor* de dotibus, quæ requiruntur in eo qui tractat Sacras Litteras, neque meum est, neque illius, de spiritu alieno pronunciare. Neque nostrum est affirmare, neque fuisse quemquam, neque futurum, qui *Hieronymum* omnibus dotibus æquet. Certe probabile est, & fuisse, & esse, & fore, qui nonnullis in locis videant quod *Hieronymus* non vidit. Nec æquum est, ut *Hieronymi* magnitudo quemquam deterreat ab investigatione veri. Quandoquidem tam multiplex ac dives est vena Scripturæ Divinæ, ut nunquam defuturum sit quod eruas.

Hic rursum *Sutor* exspatiatur in locum communem, in Divinis Scripturis non esse recipiendam sermonis elegantiam. Hic citatur *Paulus*, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, &, *non enim in sermone est regnum Dei*, cum Apostolus in hujusmodi locis agat, non de munditie sermonis, sed de pompa Philosophicarum rationum. Neque nos usquam immutamus verba Prophetarum, aut Apostolorum, ac ne vulgatæ quidem Translationis, ex qua tamen si tollerentur incommoda sermonis Latini, nihil decederet simplicitati sermonis Apostolici.

Sed non repetam hic loquacissimas nænias, quas *Sutor* deblaterat, cum olim adolescens ad ista responderim in *Antibarbaris*, post in variis Apologiis. De ficu belle monet *Sutor*, in quo mihi prorsus accidit, quod accidit in ficu *Christo*. Cum titulum legerem Theologi *Sorbonici*, protinus accurri exspectans singularem quamdam & reconditam eruditionem, cum Monachi *Cartusiani*, sperabam raram quamdam sanctimoniam cum summa modestia conjunctam. Ubi librum evolvo fructum quærens, nihil reperio præter indoctissimas nænias, muliebrem loquacitatem, *Thrasonicas* glorias, rabiosam maledicentiam.

Tandem luculenter expeditis, quæ gesserat Divinæ Scripturæ *Camillus*, vertit sese ad nostræ Translationis reprehensionem, decerpens aliquot sycophantias ex notationibus *Stunicæ*, quod pro *de Thamar* verterim *e Thamar*, & putat Latine dici *de Thamar*, quia sic loquitur *Hieronymus*. Item quod *Solomonem* pro *Salomonem*, quasi nefarium esset dictionem reddere, quemadmodum eam posuerant Evangelistæ Græce scribentes. Item quod *transmigrationem* verterim in *demigrationem*, cum *Calepinus* in Lexico referat *transmigrationem*. Rursum, quod pro *in utero habebit*, verterim *erit prægnans*, cum *in utero habere* pro gravidam esse sit usitatum apud Latinos, nec ambiguum sit nisi asellis, cum interim ne unum quidem locum ex Latino Auctore valeat proferre. Item quod verterim, *in Bethlehem Judææ*, quasi aliter vertere debuerim, quam constanter habent omnes libri Græci. Non enim susceperam negotium corrigendi libros Græcos, sed vertendi, sive bene haberent, sive male, ut stultissime sint illa dicta *Sutori*, *Si* Hieronymus *opinative loquutus fuisset, cur iste pari modo loquutus non est? Cur oppositum asserere voluit?* Non hic agebatur quid opinaretur *Hieronymus*, sed quid constanter haberent Græci Codices. Cæterum quod *Hieronymus* hoc loco scribit: *putamus enim ab Evangelista primum editum, sicut in ipso Hebraico legimus, Judæ*, si *Hieronymus* habebat Evangelium, ut erat Hebraice scriptum a *Matthæo*, quid opus erat dicere *putamus?* Requirit autem *Sutor*, ubi legerim *Judæam* positam pro ea parte, quæ est Tribus *Judæ*. An non satis declarat hic ter maximus Theologus quam sit versatus in Sacris Libris, qui rem tam obviam discere cupiat a Theologastro? Age docebitur hoc, modo posthac me vocet Theologum. *Joannis* cap. III. cum scribitur, *Post hæc venit Jesus in terram Judæam*, unde creditur venisse? ex *Britannia?* Erat in *Judæa*, & venit in *Judæam*, in qua est *Hierosolyma*. Rursus cap. IV. *Reliquit igitur Judæam, & abiit in Galilæam*. Rursum cap. VII. *Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam. Non enim volebat in Judæam ambulare*. Rursum cap. XI. *Eamus in Judæam iterum*. An exiverat regionem *Judæorum*, ut illuc rediret? Rursum *Matthæi* cap. II. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ*. An *Archelaus* imperavit toti *Judæorum* regioni? Rursus cap. III. *Joannes prædicat in deserto Judææ*. *Actuum* I. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa*. *Hierusalem* pars erat *Judææ*. Et hinc nata est Evangelii prædicatio. Item cap. IX. *Ecclesia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem*. Rursum cap. XII. *Descendensque a Judæa in Cæsaream*. Porro quemadmodum sub nomine *Israël*, sive *Ephraïm*, nonnunquam designatur totus *Judæorum* populus, nonnunquam decem Tribus, ita sub nomine *Judæorum* aut *Judææ* nonnunquam designatur universus ille populus circumcisorum, interdum duæ tantum Tribus. Nam *Judas* duas habuit Tribus, ut docet *Hieronymus*, enarrans primum caput *Oseæ*, & *Johelis*, in quorum posteriore hoc additur: *quemadmodum prophetia* Oseæ *pertinebat ad decem Tribus reliquas, sic vaticinium* Johelis *ad* Hierusalem *&* Judæam *pertinere*. Id cum toties sit obvium in Divinis Libris, cum toties doceat *Hieronymus*, quem tantopere miratur amatque *Sutor*, demiror cur hoc requirat a sciolo Theologastro. Hæc debebat inquirere, priusquam debaccharetur convitiis modestiæ specimen *Cartusianus*. Ridiculum vero, quod addit teste *Matthæo* legendum *Judæ*, non *Judææ*. *Hieronymus* non citat testem *Matthæum*, Prophetam citat, de *Matthæo* quid Hebraice scripserit dubitat, & si dubitat, non vidit, fortasse *Sutor* vidit. Carpit, imo arrodit quod carpserat *Stunica*, de missis speculatoribus, & hic ex ἀποστείλας facit *apostolos* litterarum censor, & interim dubitat an credendum sit Exemplaribus Græcis. Ἀποστείλας habetur etiam in aliis Evangelistis, qui sine controversia Græce scripserunt, verum in his locis nusquam sunt *Apostoli*, quos somniat *Sutor*, ambulans in densissima caligine, dum ea disputat, quæ non intelligit. Piget reliquas ineptias referre, præsertim loquacissimas, & de his *Stunicæ* respondimus. Salsissime vero ludit *Sutor* in lunatico, colligens humano aut diabolico spiritu scribi, in quo sit quod corrigas. Dicat igitur quo spiritu scripsit *Augustinus*, qui tam multa retractat, nec omnia tamen corrigit? Mihi satis est si simili spiritu scripsi, præsertim cum hic si quid est erroris, non sit nisi in vocula. Quod verti, *gratias ago*, pro *confiteor*, accusat me falsitatis, & verum dicit *Sutor*, si in Sacris Litteris non dicitur *confiteri*, qui agnoscit Dei beneficentiam & gratias agit. Sin id passim est obvium, ille sycophantam agit. Cæterum quod *stultis* verteram pro *parvulis*, appellat hæreticum, hanc præscribens regulam, Sapientis *vocabulum semper sonare in bonam partem*, stulti *in malam*, *nisi voces addita, aut contextus sermonis aliud suadeat*. At sic habet res hoc in loco: nam *sapientes* vocat *hujus seculi*, vere stultos apud Deum, & suos, *stultos* vocat *hujus seculi*, cum illis Deus impartisset suam sapientiam. *Cur igitur*, inquit, *reposuisti parvulis?* Nimirum ob parvulos, quos senseram offendi, cum mea sententia magis quadret stultis. Quemadmodum autem hactenus mecum pugnavit ex calum-

Digitized by Google

niis *Stunica*, sic nunc aggreditur *Fabrum*, sublectis aliquot locis ex nostris Annotationibus, præcipue de *Eloïm*, qui locus est in Epistola ad *Hebræos* cap. 11. Nihil enim argumenti reliquit in Apologia mea, quod non huc suffuratus transtulerit pro suo, vir crudelis, qui non veritus sit indoctum & nullius rei Theologastrum hunc in modum compilare.

Jam videri vult hujusmodi nugalibus argumentis abunde demonstratum, hæreticos esse quicunque conantur aliquid immutare in vulgata Translatione, quod tamen hactenus a me certe tentatum non est, cum multis præfationibus obtester Lectorem, ne quid ex mea Versione radat in suo Codice. Unicum autem telum habet, quo conficit omnia. In fabulis nec frequenter, nec in omnibus, sed in quibusdam semel duntaxat apparet ὁ ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς, qui rerum difficultatem explicet, & *Horatius* præcipit,

Nec Deus interfit, nisi dignus judice nodus,

hîc tota disputatione omnia solvit Spiritus Sanctus. Cur *Hieronymus* ausus est mutare Septuaginta Translationem? Quia Spiritus Sanctus voluit. Quare hîc nusquam erravit, cum in aliis erraverit? Quia Spiritus in illis passus est, hîc non est passus. Quare igitur in hac Versione sunt quædam solœca, quædam ambigua, quædam obscure reddita? Quia Spiritus Sanctus voluit nos exerceri difficultatibus. Et tamen *Sutor* obstrepit nobis, conantibus eas difficultates explicare. Etenim si in hoc relictæ sunt, ut industriam nostram exerceant, cur damnatur studium hoc agentium, quod Spiritus Sanctus voluit? Cur in vertendo ex Hebræis fontibus Psalterio non perinde adfuit Spiritus Sanctus, ut in cæteris veteris Instrumenti voluminibus? Quia non ita visum Spiritui Sancto. Quis cognovit sensum Domini? Cur perierunt illæ notæ, quas *Hieronymus* addidit suis Translationibus, cum ipsæ Translationes exstent? Quia Spiritus Sanctus non curavit illas. Atqui longe diversum sensit *Hieronymus* scribens *Fretela. Et hinc*, inquit, *apud vos & apud plerosque error exoritur, quod scriptorum negligentia virgulis & asteriscis subtractis, distinctio universa confunditur.* Cur Spiritus Sanctus non prohibet, ne scribæ depravent libros? Quia non hoc illi placuit. Cur passus est interpretationem Septuaginta a primo statim scriba depravari? Quia sic illi visum est occulto consilio. Cur unius *Hieronymi* Versionem non passus est vitiari? Quia volebat ab hac Translatione pendere negotium totius Ecclesiæ. Quis hæc omnia patefecit *Sutori*? Spiritus Sanctus, qui illi ad aurem assedit hæc scribenti in specie graculi. Proinde si quis consulat oraculum *Sutorium*, Ergo ne qui scribit Paraphrases in Sacros Libros hæreticus est, etiamsi non aberret a sententia? Respondebit, Maxime. Ergo ne qui vel unam voculam secus pronunciaverit, quam *Hieronymus* vertit dictante Spiritu Sancto, hæreticus & blasphemus est? Maxime. Ergo ne qui putat non recte legi in Evangelio *Joannis*, *Sic eum volo manere donec veniam*, hæreticus est? Maxime, quia mutat verba Sancti Spiritus. Sed Codex mendosus est. Hoc est incredibile. Quare? Quia Spiritus Sanctus non passus est. At Græci Codices indicant rectam scripturam. Ex corruptis schismaticorum libris nihil probari potest. At eosdem Græcos Codices habemus, quibus usi sunt orthodoxi. Hoc non credit Spiritus Sanctus. Ergo si Romanus Pontifex hortaretur aliquem ad emendandum hanc Translationem vulgatam, esset hæreticus & blasphemus? Maxime; pugnaret enim contra Spiritum Sanctum. Et si probaret alicujus novam Versionem, æque esset hæreticus ac blasphemus atque ille qui vertit? Maxime. Imo hoc ipsum quod dissimulat hæreticum est, etenim *qui tacet consentire videtur.* Ergo si Pontifex cum generali Synodo tentaret inducere Translationem magis dilucidam, minusque depravatam a scriptoribus, aggrederetur rem hæreticam & blasphemam? Maxime. Ergo qui citaret sententiam e Sacris Libris, aliis verbis quam illic habetur, hæreticus esset? Maxime. Ergo Theologi, qui præter alia multa citant ex *Ezechiele*, *Quacunque hora ingemuerit peccator*, &c. cum illic ea verba non habeantur, hæretici sunt? Si Theologaster hoc faceret, citra controversiam esset hæreticus, si Sorbonicus, non esset. Quare? Propter honorem nominis Theologici. Ergo tot Episcopi, tot Theologi, qui Græce discunt & Hebraïce, quo rectius intelligant Sacras Litteras, rem hæreticam & blasphemam agunt? Maxime, ni a *Sutore* moniti cito resipiscant. Equidem vix arbitror *Sutorem* esse tam stultum, ut hæc ipse sibi persuaserit quæ sic asseverat. Verum hæ bases erant erigendæ, confirmandæ, insulciendæ, quo posset nostrum laborem facere hæreticum, maluitque tot Cardinales, Pontifices, & Theologos in hæreseos & blasphemiæ crimen involvere, quam nos absolvi cum illis. Imo maluit omnibus Synodis interdicere, ne vel a Librariis inductas mendas tollant ex hac Translatione, quam nobis permittere potestatem consulendi bonis studiis.

Ac visa est mihi tota hæc *Sutoris* disputatio similis lusui puerorum, in quo unusquispiam consistens in colle provocat omnes, nihil aliud agens quam ut deterreat volentes detrahere, aut e prendentium manibus elabatur, nihil non faciens ut possit consistere. Ita *Sutor* mire figit pedem in hoc gradu. Hæc Translatio sic est profecta a Spiritu Sancto, ut nihil in ea mutare liceat. Hinc ne quis ipsum dejiciat, habet sua terriculamenta, hæreses, blasphemias, schismata frequenter intonans. Sæpe lubricus est, & prehensus elabitur, Nondum *Hieronymus* absolverat suam Translationem, aut nondum erat sufficienter recepta. Septuaginta Translatio fuit vitiata per primum scribam. *Augustinus* credebat illam depravatam esse Spiritus Sancti. *Hieronymus* aliud sensit quam dixit, aut mutavit sententiam. Non esse dissonantiam in locis suspectis, & quod modicum est pro nihilo reputatur. Ad hunc modum *Sutor* sutorio pingui unctus elabitur e difficultatibus argumentorum, nonnunquam *Hieronymum* aut *Augustinum* citans pro oraculo, nonnunquam strenue rejiciens illorum sententiam. *Athenienſibus* inconsulta consilia bene fortunabat *Minerva*. Id quoties acciderat, noctua volasse dicebatur. *Sutori*, quoties stultissime est argumentatus, Spiritus Sanctus omnia vertit in felicem exitum, & nusquam illi non volat.

Sed tempus est, ut de Linguis ac bonis litteris nonnihil attingamus, non quod egeant patrocinio, & si quid opus esset, abunde factum est hoc a nobis tum in *Antibarbaris*, quod opus adolescentes scripsimus, tum in cæteris Apologiis, sed ea præsertim, qua *Latomo* respondimus, verum ut carptim hac etiam in re prudentiam hujus ter maximi Theologi declaremus.

Ait post hanc Translationem, nihil opus esse præsidio Linguarum, quod in ea nihil desit, cum sit a Spiritu Sancto prodita; nec opus esse, si quid hæreas, recurrere ad Græcorum aut Hebræorum fontes, cum liceat ex duplici Versione collata deprehendere quicquid dignum est cognitu. Interim haud meminit in utraque Translatione non paucas esse mendas, inductas vitio Librariorum, tum Translationes nonnunquam inter sese confusas, imo in ipsis Exemplaribus, unde hæc tum cudebantur, magna erat varietas. Si non credit *Sutor*, faciat periculum, aut consulat harum rerum peritos. Hoc cum negari non possit, & asseveret ex corruptis Hebræorum & Græcorum Codicibus nihil posse restitui, nihil supereſt, nisi ut totum hoc negotium committamus Spiritui Sancto.

Insanum est, inquit, *ingredi viam dispendiosam, cum eodem liceat pervenire compendio.* Et compendiariam indicat per Doctores & Glossas. At quisquis volet facere periculum, ipsa re doctus affirmabit, nullam esse viam magis compendiariam, quam si puer Theologiæ destinatus discat tres Linguas, Hebraïcam, Græcam, & Latinam. Nam ad intelligendas Glossas aliis Glossis opus est. Et cum lucubrationes eorum, qui nonnulla tractant, quæ ad Linguæ negotium pertinent, scateant depravationibus, a Librariis inductis, sic ut illorum correctiones egeant alia correctione, denique cum ipsi quoque vel errent, vel hæsitent, vel inter se discrepent, nimirum ad Linguarum fontes recurrendum est. Verum hac de re satis respondimus *Latomo*, cujus hic libellos legisse videtur, nostram Apologiam legisse non vide-

Digitized by Google

videtur, ut opinor, & hìc compendia ſectans, homo plurimis maximiſque diſtentus negotiis. Vis autem audire quam compendiariam viam ingrediantur, qui Gloſſis fidunt & Commentariis? Primum Gloſſarum varietas, turba ſcriptorum, diſſenſio, Codicum depravatio Lectorem inextricabilibus involvit labyrinthis, ut ſemper diſcens nunquam perveniat ad ſcientiam, niſi malit mutato curſu denuo reverti ad carceres, felicius curſurus, aut reflexa ad portum unde ſolvit navi, aliò dirigere clavum. Quid multis? Credemus *Sutori*, niſi compertum eſt eos, qui deſtituti Linguarum præſidiis Gloſſas ſequuti ſunt, in pluribus locis errore pudendo & lapſos fuiſſe, & alios in ruinam traxiſſe. Quo conſilio *Paula Euſtochii* mater provectæ jam ætatis pervicit Hebraïcæ Linguæ difficultatem? Si *Sutor* reſponderit erraſſe mulierem, cur hunc errorem in illa tantopere laudat *Hieronymus*? Si tergiverſabitur *Hieronymum* nondum vertiſſe Libros Sacros afflatu Spiritus, cum *Paula* diſceret Hebraïce, cur *Euſtochium* laudat, quod defuncta matre non ceſſaret facere, quod cum matre cœperat? Certe jam omnia verterat *Hieronymus*. Siquidem addit hoc in Epitaphio, quod quidem uſque hodie in ſancta filia ejus *Euſtochio* cernimus. Denique cur ipſe *Hieronymus* jam ſenio lippus ac tremulus adhuc torquet ſe ſtudio Linguæ inutilis? Sic enim de ſe ſcribit: *Hebraam Linguam, quam ego ab adoleſcentia multo labore ac ſudore ex parte didici, & infatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab ea deſerar, diſcere voluit.* Quid eſt cur ſuam ſenectutem inſano labore maceret *Hieronymus*? An ut quædam exactius vertat? Id conari blaſphemum erat. An ut quorumdam verborum emphaſim explicaret? Ad id nihil opus eſt fontibus, cum ex interpretatione liqueat ſenſus principalis, quem tenere ſatis eſt. An ut Codices depravatos emendet? Iſtos non oportet aliunde corrigere, quam ex Tranſlatione Latina, quæ purior eſt omnibus fontibus, ſi *Sutori* credimus.

Pronunciat ex tripode *Sutor*, hæreticum eſſe, ſi quis arbitretur ullas Linguas eſſe diſcendas, ob novam verſionem, aut etiam emendationem, denique ob intelligentiam Scripturæ Divinæ. Atque ægre permittit ut ob verſionem Græcorum Auctorum diſcantur Græcæ litteræ, ingens interim denuncians periculum. Quod autem periculum? Longe maximum. Quod tandem? Ne quis videatur plus ſapere quam ſapit *Sutor*. Quis enim ferat, ſi Baccalaureus dicat multorum annorum Magiſtro noſtro: *Non hoc ſentit* Paulus, *locus, quem citas ex* Hieronymo, *depravatus eſt?* Hìc nimirum labaſcet univerſa Eccleſia.

At ego multos novi candidos Theologos, ac longe diſſimiles iſti *Sutori*, qui ſenes & cani hortabantur tamen tyrones Theologiæ, ut Linguas ac bonas litteras amplecterentur, deplorantes infelicitatem ſui ſeculi, quod ipſis non contigiſſent eadem, non invidentes junioribus ſtudiorum acceſſionem. Ex his unum nominabo, quem in *Anglia* plurimi norunt, & arbitror adhuc ſupereſſe. Nomen erat *Melton*, Cancellarius Eccleſiæ *Eboracenſis*. Edidit Libellum *de examinandis his, qui ſacris cupiunt initiari*. Erat vir impeditiore lingua, ſed impenſe doctus, vita inculpatiſſima, moribus candidiſſimis. Teſtes erunt qui ſtudent *Cantabrigiæ*, virum illum uſum apud juvenes hac adhortatione, quam *Sutor* vocat hæreticam. R. P. *Joannem* Epiſcopum *Roffenſem* nec ipſe *Sutor*, opinor, audebit contemnere, ea eſt hominis integritas, eruditio, & auctoritas apud bonos omnes. Et tamen is jam vergens ad annum quadrageſimum magno ſtudio didicit Græcas & Hebraïcas litteras, & ut idem faciant inſtigat alios, ac ſumptibus juvat: non ut intelligant *Homerum* aut *Lucianum*, nihil minus illi cordi eſt, ſed ut plenius intelligant Divinas Scripturas. An & hunc *Sutor* ſcribet inter inſanos, hæreticos, & blaſphemos? R. D. Cardinalis *Eboracenſis Oxoniæ* inſtituit Collegium regali magnificentia, quod *apum* dicitur, ac præfecit illi Theologum, ut intelligas negotium agi Theologiæ. Idem ante paucos annos factum eſt *Lovanii*, cui & ipſi Theologus præſidet. Simile Collegium naſcitur *Tornaci*, faventibus & approbantibus bonis omnibus. Pontifices Romani condu-

A cunt, alunt, ac provehunt, qui publice doceant tres Linguas, Collegia donant amplis privilegiis, an hos omnes agitat Spiritus Diabolicus? Agitat haud dubie, ſi *Sutori* credimus. At ſi cogamur alterum credere, malim profiteri tales *Sutores* tam impotenter maledicos, tam perverſi cerebri, tam ſiniſtri judicii, agitari Satanæ ſpiritu. Si Lingua Hebraïca non eſt diſcenda propter Cabalam & Talmud, multo minus propter vetus Teſtamentum, inſanus ſit, aut etiam hæreticus, qui huic dat operam.

Inſanit & hæreſim præcipit, præter locum quem ex Digeſtis citavimus, Decretalis illa conſtitutio titulo *de Magiſtris*, quæ jubet in celebribus Academiis conduci, B qui tres Linguas doceant, quod conducant ad intelligenda Divinæ Scripturæ myſteria. Hæc ſi non legit *Sutor*, inſigniter indoctus eſt, ſin diſſimulat, egregie nugator eſt.

Dicit *Sutor: Quid prodeſt ſcire Linguas, cum Graci Codices nec ubique conſentiant, nec omnino mendis vacent?* Imo quid prodeſt diſcere Theologiam, cum Theologi neque conſentiant inter ſeſe, & ſæpe labantur? *Sutor* diſcernit inter vinum & vinum, inter ovum & ovum, & in opinionibus tollit omne judicium. De novo Teſtamento pronuncio, pauciſſima ſunt loca, quæ a noſtra diſſident Tranſlatione, quod ad ſenſum attinet, & ubi diſſident, nulla poteſt eſſe ſuſpicio, quod ab hæreticis ſint depravata. Sequuti ſumus Codices emendatiores, & conſtat iiſdem Exemplaribus uſos *Cyrillum*, C *Chryſoſtomum*, ac *Theophylactum*. Neque quicquam nobis rei eſt cum inſanis *Manicheis*, aut *Marcionibus*, qui mutilabant & corrodebant Sacros Libros, quoſdam in totum abjicientes ac damnantes, quibuſdam abrogantes auctoritatem. Nos in Græcis Codicibus reperimus integram Scripturam novi Teſtamenti. Quod ſi nulla prorſus eſt auctoritas Codicibus, in quibus deprehenditur aliqua varietas, nec Latinis Codicibus ulla erit auctoritas, quam tamen *Sutor* vult eſſe ſacroſanctam. Niſi forte perfricabit faciem, & negabit in Latinorum Codicibus ullam eſſe diſſonantiam. Diſſentit *Eraſmus* a *Stunica*, dicens: *Ubi nunc eſt Codex ille* Rhodienſis, *quaſi* D *totæ Scholæ non maximis de rebus inter ſeſe diſſentiant?*

Libens rogarim *Sutorem*, num permittat diſcere Grammaticam Latinam. At ſi qua magnis Auctoribus fides, ne hanc quidem aſſequemur ſine Græcarum litterarum peritia. Probat hoc eſſe veriſſimum hic *Sutoris* liber, nuſquam non ſcatens ſolœciſmis, barbariſmis, & cacographiis.

Si bonæ litteræ ſunt Diabolicæ, ut vocat *Sutor*, & hæ ſolæ præſtant ne ſimus barbari, cur *Britoni* & *Lyrano* impingit craſſam barbariem? maxime cum ex hac abroget illi fidem.

Ad hæc cum bonæ litteræ ſint bona pars artium liberalium, ubi illa profeſſio ſeptem artium liberalium? An hìc pejeravit *Sutor*, quemadmodum in Theologia? E Stulte aſſumit & illud, ideo non oportere Litteris Sacris adhibere ſermonis perſpicuam munditiem, quod perpauci ſint etiam inter Clericos, qui ſciant Latine. Imo ne inter Theologos quidem eſſent admodum multi, ſi omnes *Sutori* forent ſimiles, utcunque odit barbaros. Qui nihil ſciunt Linguæ Latinæ, his fruſtra vertit *Hieronymus*. Qui mediocriter ſciunt, hi citius intelligent quod *Hieronymus* & *Ambroſius* refert Latine, *teſtimonium reddente ipſis conſcientia ipſorum, & inter ſe cogitationibus invicem accuſantibus, aut etiam defendentibus:* quam quod habetur in vulgata Tranſlatione, *teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium.* F Sit enim unus hic locus exempli cauſa productus. Qui plura deſiderat, petat ex Indice noſtro. Quanquam hæc ſatis refellimus in Apologia, qua *Latomo* reſpondimus.

Dicit alicubi cap. XVIII. *Nonne ſatis ſit rivo, ſi ita mundus ſit, ut fons a quo profluit?* Non hìc exclamabo, O portentum in ultimas terras deportandum, qui non veritus ſit divinam *Hieronymi* Tranſlationem appellare rivum, cum me ſic conſpuerit, qui eam vocarim lacunam, cum prima lacuna plerunque purior ſit rivo, in quo

Digitized by Google

quo nonnunquam volutantur & ſues, macerantur coria, quique nonnunquam proluit latrinas. Verum ut demus ſermonem Apoſtolicum, de novo Teſtamento loquor, non omnino carere vitiis, ſi conferas ad eorum ſermonem, qui ſcribunt exacte Græce, an ea ſolœciſmorum portenta reperiuntur in ſcriptis Apoſtolicis, quæ reperiuntur in hac Tranſlatione? Nequaquam. Et tamen hæc quoque ferimus ob reverentiam Divinæ Scripturæ, modo nobis fas ſit curare ne talibus vitiis obſcuretur ſenſus myſticus, & jus ſit Eccleſiæ principibus, ſi viſum fuerit, pro vulgata Tranſlatione ſubſtituere minus barbaram, magis emendatam, magiſque perſpicuam. Id quod *Sutor* e ſuo ſpecu latrans, vetat fieri, præſcribens illis leges a quibus æquum erat leges accipere. Et hîc *Sutor* audet ſupra crepidam.

Eadem, inquit, *ratione, vel inſania potius, Biblia, tum Hebraïca, tum Græca, eſſet cultiori venuſtioreque ſtilo recenter faciunda.* Hæc ſunt verba *Sutoris*, in quibus dum audis, *Biblia recenter faciunda*, vides juxta proverbium, τὸ ἐν φακῇ μύρον. Bella vero collatio inter fontes Prophetarum & Apoſtolorum, & inter Tranſlationem incerto auctore vulgatam! Quis unquam ſic inſaniit, ut ſciens vel unum apicem mutaret ex canonicis Scripturis? Qui ſermonis interpretes explanat, qui amphibologiam explicat, qui mendum tollit e libris, an ille facit novam Bibliam? Hoc ne *Eſdras* quidem eſt auſus, ſed veterem reſtituit. Jam utitur dilemmate, *Si Biblia vertatur ſtilo* Ciceroniano, *perpauci intelligerent: ſin mediocri, & ſic temperato, ut a quamplurimis poſſit intelligi, ad id non eſt alius ſtilus utilior quam hujus vulgatæ Tranſlationis.* Quod primum aſſumit, falſiſſimum eſt. Imo ſi *Cicero* vertiſſet Libros Sacros, cum illius oratione nihil eſſe poſſit dilucidius, longe facilius perciperetur ab omnibus, qui vel mediocriter ſcirent Latine. Alterum non modo falſum eſt, verum etiam pugnans cum his quæ docet *Sutor*. Non enim vult Sacros Libros legi a populo, & hunc ſtilum præfert, quod a doctis pariter & indoctis poſſit intelligi. Alioqui rurſus eſſent vertendi in Linguam vulgarem, quemadmodum olim verſi ſunt.

Non vult haberi rationem eorum, qui delectantur ſermonis munditie, propterea quod plures ſint qui neſciant Latine. At ego volui conſultum utriſque. Qui neſciunt Latine, & quos delectant Epiſtolæ obſcurorum virorum, habent novum Teſtamentum ſimpliciter ſed impure verſum, ſi tamen ullus ſermo ſimplex dici poteſt qui purus non eſt. Qui delectantur ſermone puriore, legunt privatim meam Verſionem.

Belle vero citatur hîc *Gregorius* de fluvio, in quo natet elephas, ambulet agnus. Nam hæc de ſenſibus dicta ſunt illi, non de ſtilo. Scriptura Divina lacte alit puſillos, & tamen nemo eouſque profecit, ut illius profunditatem aſſequi poſſit. Alioqui verebar ne *Sutor* adderet de ſuo, in quo ſus volutetur.

Excluſus argumentis incipit eſſe Propheta, quod quidem ſubinde facit, de quo dicemus in operis calce, ſi prius nonnihil attigerimus de Sacris Libris in Linguam vulgatam vertendis, quod dogma meum non eſt, nec ego unquam fui auctor, ut quiſquam Sacros Libros verteret in Linguam vulgatam, nec ipſe tale quicquam unquam aggreſſus ſum, & ingenue fateor optimum eſſe ut populus diſcat viva voce, ſi contingat boni Doctoris copia, nec omnia tamen apud populum promiſcuum effundenda: tantum locis aliquot adverſus illos diſſerui, qui putant actum de fide Chriſtiana, ſi vulgus attingat Sacras Litteras. Id qua moderatione velim fieri declaro cum aliis locis, tum in Appendice, quæ intercedit inter Præfationem ad Cæſarem & Paraphraſim in *Matthæum*. Inde qui volet petat, quid ſentiam. Tantum nunc oſtendam quam hîc quoque *Sutor* ſui ſimilis eſt in argumentando.

Ubi mecum pugnat, qui conatus ſim addere novo Teſtamento munditiem ſermonis, clamat Spiritui Sancto placuiſſe ſtilum humilem & popularem, quo Sacra Scriptura legi poſſit & intelligi a doctis pariter & indoctis, & ſubinde vocat *Bibliam communem*. Hæc ſi dixit ex animo, cur eos reprehendit, qui Libros Sacros vertunt in Linguam populi? Nam hanc Tranſlationem ſæpe nec docti intelligunt, niſi conjectent e Græcis aut Hebraïcis, aut niſi didicerint novum ſermonis genus, nec indocti, ſi vocat indoctos, qui Latine neſciunt. Ea res adegit *Auguſtinum*, ut de tropis veteris Teſtamenti ſcriberet. Iis quid opus erat ſi quod male Latinum eſt facilius intelligitur, aut cur hanc ſermonis incommoditatem ſuſtulit *Hieronymus*?

Jam ſi tantum eſt periculi Libros Sacros ab idiotis legi, ferenda lex eſſet, ne paſſim diſcerent pueri Latine, quod nunc etiam puellæ faciunt, videlicet, ne vulgus intelligat Evangelium, quod ideo, ut opinor, canitur in Templis, ut ſoli poſtes intelligant.

Si nemo debet legere Sacros Libros, niſi qui jam intelligit re cognita Spiritus myſteria, nemo prorſus leget, cum ideo legamus Libros Sacros, ut incipiamus intelligere. *Sutor* priuſquam in adyta myſteriorum penetraſſet, legebat, opinor, multa non intelligens. Certe divus *Hieronymus* non ſolum legit quod non intelligebat, verum etiam auſus eſt interpretari. Fatetur ipſe de Commentariis, quos priores ſcripſerat in *Abdiam*. Idem accidit *Auguſtino*. Habent etiam ſummi profectus ſua rudimenta.

Olim Pſalterium Catechumenorum erat lectio, & nunc periculum eſt ſi Chriſtianus legat Pſalterium nota Lingua. Cæterum adverſus obſcuritates, aut allegorias, quæ gignere poſſent offendiculum, occurri poſſit commodis Præfationibus, & Annotationibus, quæ parum eruditis prælucerent. Apte vero citat illud *Hieronymi, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant.* Non damnat vir ſanctus, quod promiſcue legeretur ab omnibus Scriptura Divina, ſed quod eam docerent, qui nondum didicerant.

Apud *Judæos* craſſos Prophetæ legebantur promiſcuo populo, Lingua omnibus nota, & Chriſtiani arcentur a lectione Sacrorum Voluminum. Quid nobis cum *Bohemis* & *Valdenſibus*? Quomodo aut quid illi legant neſcio. Veliem omnes Chriſtianos ſic legere Libros Sacros, quemadmodum legit Eunuchus ille *Candaces* Reginæ. Excludatur malorum temeritas, quantum fieri poteſt, & provehatur bonorum pietas.

Hieronymus gratulatur Religioni Chriſtianæ, quod etiam apud *Scytas* & *Britannos* arator aliquid e Pſalmo decantet ad ſtivam. Et *Tertullianus* oſtendit fuiſſe ſolenne, ut in conviviis unus quiſpiam juberetur ſuum Pſalmum pronunciare. Idem in *Paulæ* collegiis fiebat, ut ſingulæ ſuum Pſalmum recitarent, Lingua utique tum vulgo nota. At nuſquam ſunt reconditiora myſteria quam in Pſalmis. Et hæc, ut diximus, erat lectio Catechumenorum.

Jam quod ſcripſeram Apoſtolos ſcripſiſſe Lingua vulgo nota, & hanc Tranſlationem fuiſſe cerdonibus etiam notam apud *Italos*, *Hiſpanos*, & *Gallos*, *Sutor* rem tam evidentem ſuaviter deridet tanquam incredibilem. *Quomodo ergo*, inquit, *periit Lingua Latina?* Imo *Gallorum, Italorum*, & *Hiſpanorum* Lingua manifeſtis veſtigiis declarat populum olim loquutum Latine. *Auguſtinus* quam multa dixit apud promiſcuam multitudinem, quæ per notarios excepta ſunt? Et exſtat illius cantio in *Donatiſtas*, quæ vulgo canebatur, in quo teſtatur ſeſe ſic moderatum orationem, ut nullum ineſſet verbum, quod non ab infimis etiam idiotis intelligeretur. Hæc ſi negat *Sutor*, *nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.* Saltem noſtra debebat legere priuſquam ſic debaccharetur.

Exaggerat difficultatem Scripturæ Sacræ, cujus agnitio ſine ſummis ſudoribus percipi non poſſit. At primus laborum gradus eſt lectio, unde Theologis etiam incipiendum eſt.

Cum nuſquam non ineptiat *Sutor*, tamen haud alibi rem gerit infelicius, quam ubi citat Sacras Litteras. *Nolite*, inquit, *ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Jam primum iſtud non dictum eſt de libris, ſed de prædicatione Evangelii, ne prædicaretur indignis & averſantibus. Nec tamen hoc dicto deterriti ſunt Apoſtoli, quo minus Evangelium & Epiſtolas Lin-

Digitized by Google

Lingua vulgo nota proderent, nec tanti faciebant *Celſum* & *Porphyrium* & *Julianum*, ut ob horum impietatem fraudarent ſimplices ac dociles ſacro pabulo. Nec *Petrus* reprehendit *Paulum*, quod Lingua vulgari ſcripſerit quædam difficilia intellectu, ſed eos reprehendit, qui bene ſcripta ad ſuum ſenſum depravarent.

Demiror hîc non veniſſe in mentem *Sutori* lepidum argumentum, quo quidam Doctor, ut ſibi videtur adprime ſapiens, elaborato libello conatur evincere, Libros Sacros non eſſe attingendos ab idiotis. In Evangelio *Joannis* ſcriptum eſt: *Puteus altus eſt, & in quo haurias non habes.* Hîc *puteum* interpretantur Divinam Scripturam. *Samaritana* habet unde hauriat, & *Chriſtus* non habet unde hauriat. Imo ille puteus *Jacob*, puteus carnalis, qui non ſedat affectus animi: Scriptura Divina potius eſt fons ille paradiſi, unde prodeunt quatuor flumina, quæ irrigant univerſam terram.

Proinde ſi qua conſtitutio prodita eſt a Patribus, ne vulgus habeat Sacros Libros, ſic cenſeri debet ut pharmacum, pro ratione temporum ac perſonarum datum. Mihi quidem non liquet, & tamen fieri poteſt, ut talis aliqua conſtitutio prodita ſit adverſus quorumdam idiotarum arrogantiam. Certe liquet eam non eſſe comprobatam uſu publico. Jam olim enim populus habet Sacros Libros in Linguam vulgatam verſos, ac legit palam. Bellum vero quod populum Chriſtianum *Sutor* appellat *canes* & *porcos*, cum eos *Chriſtus* appellet *filios thalami*. Ethnicis bonæ ſpei communicabantur myſteria, reclamantibus & convitiantibus non ingerebantur. Quod ſi canes ſunt, qui turpiter vivunt, quemadmodum *Sutor* interpretatur, ne doctis quidem ac Sacerdotibus quibuſdam ac Monachis fortaſſis nec Theologis fas erit attingere Sacros Libros, quod inter hos ſint plures mali quam boni. Si Scriptura Divina nihil aliud eſſet quam cibus animi, poterant arceri profani, nunc quoniam & medicina eſt, profuit & malis eam attigiſſe.

Sit populus eo loco doctis, quo olim erant catechumeni Chriſtianis. Illis ante baptiſmum enarrabantur hiſtoriæ veteris Inſtrumenti, & ad ſacram lectionem admittebantur, quæ tum intelligebatur a promiſcua plebe. Et *Auguſtinus* docet cum nullis catechumenis minus fuiſſe negotii, quam cum eruditis, qui Sacros Libros prius evolverant. Ita concionator populum habebit certe magis docilem, ſi fuerit utcunque lectione Sacrorum Voluminum præparatus.

Sit ſane elephas Theologus *Sorbonicus*, qui profunditatem myſteriorum non aſſequitur, ſed interim ubi agnus qui ambulat in hoc flumine? Si agnus mergitur ac præfocatur, mentitus eſt *Gregorius*. At non eſt mentitus *Gregorius*, ſed *Sutor* hunc perperam citat, ut citat Sacras Litteras omnes, quas opinor hominem nunquam ſerio legiſſe. Similes ſunt hujus rationes: *Mulier*, inquit, *occupata lectione Sacrorum Voluminum, negligit curam rei domeſticæ.* Imo illic diſcet quid debeat marito, quid liberis, quid famulis. Hac de cauſa magis arcendæ eſſent mulieres a libris, qui nihil habent præter ineptas fabulas, a chartis, aliiſque luſibus. Et forte miles erit ſegnior ad bellum. Magnum vero periculum! Sed ideo ſunt populo eripiendi Sacri Libri, quod hinc *Valdenſes* prolapſi ſint in errorem, eripiendi forent & eruditis, quod *Origenes*, & *Arius*, & *Wyclevus*, & *Huſſus* hinc hauſerint ſuas hæreſes.

Rurſum tollenda erat e medio Philoſophia profana, quod hinc plerunque hæreſes natæ ſint, quod non inficiatur etiam *Sutor*, ſed plures, inquit, ex Biblia non intellecta. Hoc an verum ſit in medio relinquo. Cur regnat apud iſtos Philoſophia? cur etiam pueris traditur? Cur admittitur ad Theologiam, qui Grammaticam neſciat, non admittitur, qui neſciat Philoſophiam?

Adfert aliam rationem: *Multis in locis Divinorum Voluminum reprehenduntur vitia Paſtorum & Principum, quæ ſi legat populus, obmurmurabit præfectis ſuis.* Imo ideo prodita ſunt iſta Sacris Voluminibus, ut lux veritatis arguat omnium mala opera. An eam lucem *Sutor* vult abdi ſub modium? Unde diſcent Principes vitia ſua, ſi premantur Sacri Libri? Si Principes mutent vitam, non erit quod murmuret populus, & populus ex Sacris Libris diſcet, quid ſit obmurmurare bonis Principibus, exemplo filiorum *Chore*, & ex *Paulo* diſcet etiam duris ac moroſis præpoſitis obtemperare, ne fiat tumultus, & omni creaturæ ſubjectus eſſe propter Deum.

Sed imminet periculum humanis conſtitutionibus, ſi populus ſenſerit eas non eſſe in Sacris Libris. Nam & hoc argumentum adfert *Sutor*. Imo diſcet facere diſcrimen inter præcepta Dei & conſtitutiunculas Phariſaïcas, pias autem & frugiferas Patrum conſtitutiones amplectetur cum reverentia, cum intelliget ab Apoſtolis quædam inſtituta, quæ *Chriſtus* non expreſſerat. Hiſce telis pugnatur adverſus novos *Amalechitas*.

Poſtremo profert fabulam ex jocis, opinor, veſperialibus. „Mulier Theologo concionanti, cum is locum „citaſſet e Sacris Libris, aſſurgens obſtrepuit, dicens „eum locum in alio haberi capite, quam citaſſet. Ibi Theologus, tace fatua, locus idem eſt in duobus capitibus. Et probabile eſt Theologum vere lapſum fuiſſe in numero capitis. An non hæc gravis cauſa, cur in totum populus arceatur a lectione Sacrorum Voluminum?

Huic ſimillimum eſt illud lemma: *Si populo fas ſit tractare Sacros Libros, periculum eſſe, ne quando veniant in locum parum honeſtum, & contrectentur manibus corio aut ſebo unctis.* O graves rationes! quaſi Sacri Libri non dignentur jacere, niſi inter pulvillos ſericos, neque contractari manibus, niſi balſamo unctis. Ne perſequar omnes hominis nænias, tandem permittit idiotis, ut habeant Lingua vulgata decenter verſa Evangelia & Epiſtolas, quæ ſolent in Templis recitari, & a Concionatoribus exponi. Velim autem nobis explanet, quid dicat morem? Nam multis in regionibus mos eſt nullam fieri concionem in Templis, in nonnullis Epiſtolæ & Evangelia ſic recitantur, ut nec Sacerdos qui recitat exaudiat. An hîc inutile fuerit ea piis idiotis legi verſa una cum Homiliis Sanctorum? Quod ſi fuerit mos, ut quod alicubi conſuevit, quicquid recitatur in Templis, exponat Sacerdos, totum fere novum Teſtamentum ibi recitatur, & veteris non minima pars. Atqui in his ipſis ſunt iſta incommoda, ob quæ nolebat ab idiotis quicquam attingi Sacrorum Voluminum. Ibi traducuntur impii Principes, ibi clamatur in cæcos & hypocritas Phariſæos, ibi damnantur conſtitutiones Phariſaïcæ, ibi audiunt Diſcipuli: *Sinite illos, cæci ſunt cæcorum duces.* Ibi ſunt amphibologiæ, ibi multa quæ videntur inter ſe pugnare, ibi multa abſurda, niſi per allegoriam accipiantur. Quid quod Canticum amatorium *Solomonis* canitur & legitur in Templis? Alicubi mos eſt, ut Parochus totum Evangelium, aut *Paulinas* Epiſtolas apud populum enarret ordine. Et quid eſt labilius idiotarum memoria? An hîc non licebit habere verſum quod audiunt? Si fas eſt quicquid permiſerit *Sutor*, exſpectabimus quid hac de re ſtatuat. Sin auctoritas Eccleſiaſtica in totum ſubmovet Laïcos a lectione Sacrorum Voluminum, quanam auctoritate *Sutor* permittit hoc quod permittit? Mihi, ut dixi, nondum liquet quid hac de re ſtatuerit Eccleſia. Et ſi quid ſtatuit, utique noluit, ut opinor, illam conſtitutionem eſſe perpetuam, ſed pro ratione temporum ac perſonarum valere aut non valere. Cum enim paſſim ſint viri ac fœminæ religioſæ, qui Sacros Libros in Linguam popularem verſos habeant, legant, recitent etiam in Templis diſſimulante Pontifice, non difficile eſt conjectare quo conſilio legem hanc tulerint Patres.

Verum hac de re nihil contendo. Conſtat olim Sacros Libros ea Lingua ſcriptos, quam infima plebs intelligebat. Conſtat verſos in eas Linguas, quas maxima pars orbis vulgo noverat. Conſtat *Hieronymum* aliquot Libros Sacros vertiſſe in Linguam *Dalmatia* vernaculam. Si quid e re nata diverſum conſtituit Eccleſia, & ſi quod conſtituit, moribus utentium receptum eſt, hactenus ſervandum eſt quatenus illa ſervari voluit.

Ad cauſam meam veniam, quæ mihi partim communis eſt cum *Fabro*, partim eſt mihi peculiaris. Si impium eſt aliquid novæ Tranſlationis moliri, etiam pri-

Digitized by Google

vatæ lectioni, fateor hoc mihi cum *Fabro* commune: si reprehendor quod non recte verterim, pro me respondebo, non pro *Fabro*. Linguarum ac bonarum litterarum negotium ad me proprie pertinet. Paraphrases in novum Testamentum solus fabricatus sum. Cum hæresiarchis mihi nihil est negotii, tantumdem cum schismaticis ac seditiosis, nec ad me pertinet quid designent diabolici milites, quibus mortuis, ut ait *Sutor*, enata sunt cornua. Ego pacis & concordiæ perpetuus fui buccinator, & sum. Incivilis autem civilitas erat, quod suppressis nominibus hæc omnia sub unam *Myconum* convolvit *Sutor*, veluti cum multa jura confundit coquus. Civilius erat *Luthero* nominatim impingere, si quid peccavit *Lutherus*, & *Fabro*, si quid in illius libris displiceret, & mihi, si quid in meis, speciatim etiam indicato loco. Hoc est cominus congredi, & pedem pedi, manum manui conserere, nunc quid aliud quam fumos offundit Lectori: Quidam dicunt, alius dicit. Nec minus falsus divinator est de futuris, quam vanus enarrator de præteritis. Non pudet illum dicere totam hanc tragœdiam *Lutheranam*, contemptum Theologorum, direptionem Monachorum, tumultus militum, motus agricolarum natos e Linguis ac bonis litteris. At non distinguit causam a symptomate. Et fere solet magnis bonis reflorescentibus aliquis malus genius obstrepere. Fateor esse nonnullos Linguarum ac bonarum litterarum peritos, qui non sunt prorsus alieni a *Luthero*. Sed rursus plurimi sunt inter *Lutheranos*, qui damnant & exsecrantur bonas litteras. Et multi sunt bonis litteris præditi, qui scriptis pugnant adversus *Lutherum*. Inter hos certe sunt Rex *Angliæ*, Episcopus *Roffensis*, *Christophorus Longolius*, de me nihil dicam. *Aleander* Linguarum ac bonarum litterarum antesignanus, primus omnium internecinum bellum gessit cum *Lutherana* factione. Proinde qui monent studiosos ne sic Linguis & humanioribus studiis incumbant, ut disciplinas graviores ac necessarias negligant, qui hortantur ut has ipsas litteras vertant ad pietatem, recte monent. Cæterum qui blaterant apud populum, ex his studiis omnes hæreses nasci, qui debacchantur in Collegia trilinguia, digniſſimi sunt, qui pro insanis conjiciantur in vincula, aut ut inauspicata portenta in ultimas terras deportentur. Quæ Pontifices & Episcopi, quæ religiosi Principes, quæ cordatissimi viri magnis impensis instituunt, in publicum ornamentum totius regionis, in maximam utilitatem omnium studiorum, sed præcipue Theologici, num ea demolienda sunt, ob perversa cerebella paucorum senum, qui nollent quemquam plus sapere, quam ipsi sapiunt, maluntque cœlum terræ misceri, quam ut patiantur exoriri juvenes, qui judicio solidaque doctrina longe præcurrant vetulos Doctores, qui hactenus pro Diis habebantur?

Quid an ideo subruenda sunt Collegia, an ideo obruendæ sunt bonæ litteræ? Quibus etiamsi quis abutatur, potius ac prius incidendæ fuerant vites, quoniam mundus tot ebriosis ac temulentis abundat. Tantum est stuprorum & homicidiorum, quæ nobis gignit temulentia. Ergo pro falsis incommodis, quæ divinat impudentissime *Sutor*, accipe divinationem verissimam. Si solennium studiorum professores Linguas ac bonas litteras civiliter in suum contubernium receperint, habebimus & disciplinas & Codices multo repurgatiores, quam hactenus habuimus, ad hæc artes liberales multo tum suavius, tum purius, tum brevius hauriemus e fontibus, quam hactenus hausimus e depravatis ac perturbatis lacunis. Deinde multum lucis ac decoris accedet singulis disciplinis, posteaquam polities ac nitor orationis accesserit. Postremo velut ad solem exorientem facile evanescent illa portenta somniorum, & inutiles labyrinthi, quibus hactenus crudeliter excarnificarunt adolescentiam ii, qui Philosophiam, qui Grammaticam, qui Dialecticam, qui Juris utriusque scientiam, qui Medicinam, qui Theologiam in Scholis profitentur, quorum magna pars hoc agit, non ut quamplurimum proficiant discipuli, sed ut illos quam diutissime apud se remorentur, docentes & inculcantes argutias ac difficultates quasdam, quæ ad nihil conducunt, nisi ut simplex ætas magis suspiciat Doctores suo compendio servientes. Hæc Collegia dabunt aulis Principum Legatos non elingues, Consiliarios cordatos, Secretarios facundos ac doctos. Quin & ipsi Monarchæ consuescent aliquam diei partem evolvendis bonis Auctoribus impendere, & si quando res postulabit oraculum *αὐτόφωνον*, non pendebunt ab aliena lingua. Denique in omni professione disciplinarum habebimus, & exactius eruditos, & moribus commodioribus. Siquidem & hos emolliunt bonæ litteræ. Non hæc ariolor tantum, possem exempla permulta referre: sed ea tantum attingam, quæ *Sutori* quoque possunt esse nota, si quid omnino bonæ rei notum est illi. Quid augustius Senatu *Parisiensi*, quod vulgo *Parlamentum* vocant? At quantum illi decoris appositit *Franciscus Deloinus*, ex accessione bonarum litterarum? Clament *Sutores*, quid opus est ætatem terere in supervacaneis, cum vix sufficiat seriis disciplinis? In quibus igitur *Sutor* detrivit ætatem suam, qui præter muliebrem maledicentiam nihil egregie scire videtur. Puto neminem esse inter eos, qui nihil aliud profitentur quam Juris prudentiam, quin *Deloini* suspexerit eruditionem etiam in hoc genere. Præter has dotes, quantum illi adjunxerunt humanitatis litteræ? quantum tenebat disciplinarum? quas scribebat Epistolas? Nam adhuc aliquot apud me sunt, extemporales quidem, nec ulla ex parte lucernam olentes, sed, Deum immortalem! quam felices, quam elegantes, quantum sani judicii, quantum vigorem ingenii, quantum candoris & humanitatis, quam nihil gloriæ, nihil arrogantiæ, nihil quæstus præ se ferentes. Quis erat illo sene (nam admodum natu grandis erat) commodior magisque comis ad vitæ consuetudinem? quis magis amicus amico? quis æque puri niveique pectoris? Qualis evasisset ille, si puer attigisset rectiora studia, quæ tunc temporis nondum in *Gallias* demigrarant? Quid optabilius quam si omnes Juris professores tales essent, qualis erat *Deloinus*? Quantum ille sui desiderium reliquit apud optimum quemque, cum tamen justa senectute decesserit? Quis illi non optabat immortalitatem? Non inficior apud *Gallos* esse Medicos egregie doctos, nec libet collatione personarum quemquam offendere: tantum illud dicam, quod neminem latere potest, *Guilhelmum Copum* etiam summis esse suspiciendum. Quantum vir ille Medicorum arti lucis, judicii, decorisque adjunxit? An quoquam inferior est in ulla parte Philosophiæ, aut in Mathematicis, quod Linguarum peritiam & veterum Auctorum notitiam addiderit? Pauci sunt anni, quod *Parisiis* inter Theologos prima laurea delata est *Hermano a Gauda* conterraneo meo, (liceat enim hactenus gloriari) juveni & Linguarum peritia & politioribus litteris affatim instructo. Erant in ea classe, qui præter solennia nihil attigerant. Et tamen hic cæteris palmam præripuit, imo toti potius ordini Theologico multum decoris addidit. Horum similes non paucos commemorare possim. Eat nunc *Sutor*, & ex sui putidi cerebri vaticinio pericula proferat, si quis quid Linguarum aut litteraturæ politioris attingat.

Quod si quis Deus studiis iratus tantum licere voluerit inauspicatis quibusdam ingeniis, ut bonas litteras pessundent, simul cum illis obsoleſcent, frigescent, abolebuntur, conculcabuntur omnia studia. Proinde livor est, non judicium, quod quidam causantur, ob bonas litteras minus florere solita studia, veluti Philosophiæ, Juris, Medicinæ, & Theologiæ, quæ nos certe cupimus esse quam florentissima. Imo quorumdam stolida morositas in causa est, qui cum scire debeant esse rerum humanarum vices, videantque seculi verti scenam, tamen nihil demutari patiuntur de veteri fabula, nec aliam viam excogitare possunt honestandæ suæ professionis, quam vituperandis & obruendis aliorum studiis. Et in hoc tantum concordes sunt, fortiter contemptis mundi judiciis. Atqui hac in parte civiliores videmus Calcearios & Cervisiarios, quam quosdam Theologos. Etenim si quis exstiterit, qui felicius consuat calceum quam alii, non continuo conspirant in illum

lum cæteri, nec obstant ne calceos suos divendat, sed huc incumbunt, ut illum arte superent, ut sic emptorem ad sese pelliciant. Rursum si quis exortus fuerit, qui cæteris felicius coquat cervisiam, nemo feret cæteros, si cervisiam illius sapone inficiant, aut obstent quo minus divendat suam cervisiam, sed expiscantur artem & adnituntur, ut illum æquent aut superent, atque ita revocant emptorem. Itidem qui cursu certant, non huc spectant, ut currentem præcipitent, sed ut excitatis viribus, si queant, antevertant. Nunc qui raro, qui frigide & indiligenter profitentur, nec aliud quam ἀρχαῖα illa, non alia ratione sibi parant auditorium, quam iis excludendis a professione, qui diligentius ac felicius profitendo gratiores sunt auditoribus. Quare dicitur *Universitas*, nisi quod illic liceat omnes honestas disciplinas profiteri? Nec statim est movenda tragœdia, si quid huic aut illi Collegio decedat, sed illud agendum, ut universa floreat Academia. Verum de bonis litteris fusius quam statueram.

Revertor ad id quod ad me propius attinet. Arte consimili struit vaticinium de nostra Translatione. Primum enim assumit ingens & splendidum mendacium, huic addivinat quicquid ipsi commodum est. Hæc singulis paginis iterat, asseverat, inculcat, credens fore, ut quod natura falsum est, fiat crebro asseverando verum, ac mendacium esse desinat, si constanter idem ac subinde mentiaris. Assumit enim totam hanc tragœdiam *Lutheranam*, & hoc orbis dissidium, denique *Trecas* versas in tricas apinasque, & quicquid videt hæc ætas malorum, ex nostra Versione nostrisque Paraphrasibus esse natum. Quo tandem argumento? Quia paucis annis post editum novum Testamentum ortum est negotium *Lutheri*. Si licet magnis ac divinis Theologis, qualis est *Sutor*, ex symptomate causam facere, cur non potius imputat hoc *Leoni* Pontifici Maximo, quod post hunc Ecclesiæ gubernaculis admotum hoc malum oriri cœperit, aut *Carolo* Principi, quod post hujus inaugurationem incendium hoc natum est, aut morti Cæsaris *Maximiliani*, quod ab hujus obitu lues hæc glisscere cœpit? Quod si hoc impudens videtur, non minus impudens est nostræ Versioni nostrisque Paraphrasibus imputare *Lutheranum* incendium. Et si quid hausisset ex libris meis, mihi non magis imputari debebat, quam Sacris Libris, ex quibus ille fulcit sua paradoxa. Nemo nescit negotium primum esse natum ex conjuratione quorumdam stolidorum adversus Linguas ac bonas litteras. Ea quoniam parum succedebat, additus est fucus defendendæ fidei. Ad hanc fabulam protractus est *Reuchlinus*. Cum interim nihilo secius agerent, quod agebant, commodum ortus est ex transverso *Lutherus*. Occasio data est per *Dominicanos* quosdam, qui Pontificias indulgentias prædicabant tam impudenter, ne dicam impie, ut populus ferre non posset. His *Lutherus* opposuit suas conclusiones, ad quas primus respondit *Prierâs*, sed sic, ut tantum irritarit crabrones. Mox præproperis ac stultis quorumdam apud populum vociferationibus, deinde maledicis libellis utrinque provolantibus, ex parva scintilla late sparsum est incendium. Neque defuerunt in utraque parte, qui Linguarum ac bonarum litterarum studiosos conarentur involvere tragœdiæ, alteri, quo suas constabilirent partes horum accessione, alteri, ut invisum ipsis hoc studiorum genus sub favorabili titulo fidei funditus perderent. Hac de re possum plura verissime dicere, verum hoc interim satis esse puto ad refellendam *Sutorii* vaticinii falsitatem. Huic mendacio annectit alterum non minus impudens. Me non alio consilio suscepisse laborem vertendi, quam ut excuterem Ecclesiæ suam Translationem. Quid non arrogat sibi divinator iste, qui quod solius est Dei, καρδιογνώστης haberi velit? Ego quod ad hanc rem pertinet de sinceritate conscientiæ securus sum apud Dominum *Jesum*, quem & testem habeo & judicem, & a quo pro hisce meis laboribus exspecto nonnihil boni præmii. Apud homines sæpe testatus sum. Quin ipsa res aliud loquitur quam *Sutor*. Primum illud constat, quod verti, non fuisse mei consilii, sed amicorum instinctum: obsequium illud erat, non meum judicium. Deinde docent Epistolæ, me nihil aliud petisse a *Leone*, quam ut adversus blateronum clamores tueretur opus, hactenus duntaxat, ut privatim a studiosis legeretur. Nec ulli mortalium unquam verbum feci super eo, quod ex suo cerebro confingit *Sutor*. Id si vel leviter voluissem, quorsum attinebat tot præfationes emittere, quæ Lectorem monerent, ne plus tribueret nostræ Versioni quam expediret? Postremo si mihi propositum fuisset, quod perfricta fronte mentitur *Sutor*, ubique conatus fuissem refellere Versionem vulgatam, nunc variam lectionem fere sic recito, ut nullam improbem. Non paucis in locis vulgatam lectionem antepono Græcis Codicibus. Nec interim pudet *Sutorem* asseverare manifestum mendacium, quod nec ipse sibi persuasit, opinor, sed alioqui non constabat calumniæ fabrica. Quid autem mihi futurum erat commodi, si vulgatam Translationem loco depulissem? Eram inter magnates novæ factionis habendus? Atqui quam procul abfuerim ab hac cogitatione, res ipsa clamitat, cum hactenus nec illectamentis, nec fucis, nec odiis, nec minis, nec convitiis, nec ullo denique malorum genere perpelli potuerim, ut vel unum digitum porrigerem ulli factioni, quam non agnoscit Ecclesia. Quid valiturus fuerim non jacto, certe non erant mihi defutura Principum præsidia. Nec me fugiebat, quam immitibus belluis me solum & inermem objicerem. Et hoc tamen malui, quam ab Ecclesiæ Romanæ consortio discedere, non quod approbem quorumdam tyrannidem, sed quod amem concordiam, oderim dissidium. Cœperam scriptis editis cum *Lutheranis* dogmatibus congredi, hoc quam sit hîc tutum, veniat *Sutor* & experiatur. Interim iste velut ex insidiis immittit in caput meum rabiosum libellum. Nimirum hoc erat quod a quibusdam pseudomonachis jactatum est inter pocula, Committemus *Lutherum* cum *Erasmo*, deinde perdemus utrumque. At interim non perpendunt quanto facilius sit lædere Monachorum totum examen, quam unum aut alterum: nec illud cogitant, quam periculosum sit contemnere tacita populi judicia. Diu contempsit *Nero*, diu *Caligula*, diu *Heliogabalus*, sed vide catastrophen. Tutissimum est optima sequi. Deum immortalem! quales libellos isti spargunt in vulgus, quantum stoliditatis, imperitiæ, malitiæ, vanitatis, impudentiæ, insaniæ præ se ferentes? Nec ipse crediturus eram talia portenta latere inter Theologos & Monachos, ni ipsi libellis serio scriptis fidem facerent. Aut odio cæci sunt, aut credunt in mundo non esse homines, sed stipites & fungos. Quod si magis hæc audent, eo quod videant a mea moderatione non esse multum periculi, sciant esse Nemesim, quæ talium improbitatem non sinet inultam. Audimus & videmus hæc non sine gravi dolore, quæ patiuntur apud *Germanos* Monasteria, verum ob quorumdam intolerabilem improbitatem affliguntur & indigni.

Cæterum ne longius digrediamur a proposito, Chiromantes, Physionomi, Astrologi, reliquique divinatores de præteritis vera & indubitata referentes, fidem sibi conciliant prædicturi futura: *Sutori*, qui suam divinationem a tam manifestis mendaciis exorsus est, quis fidem habiturus est de futuris vaticinanti? Audi nunc bellum vaticinium: „ Si per novam Translationem re„scitum fuerit, esse in vulgata Translatione, quod „corrigi mereatur, uno loco labefactato semel corruet „universa Divinæ Scripturæ auctoritas, exstinguetur „charitas & fides, inundabunt hæreses & schismata, „committetur blasphemia in Spiritum Sanctum, qui „parum diligenter adfuerit *Hieronymo*, cum hunc unum „ad hoc delegerit, nec alium habuerit idoneum, nec „alium idoneum facturus sit. (nam id quoque vaticina„tur de Spiritu Sancto, cui est, opinor, a secretis) „Pontificibus, Episcopis, probatis Doctoribus, qui„bus contigit utriusque Linguæ peritia, crimen atrox „impingetur, qui tot seculis passi sint in Sacris Libris „aliquid residere mendæ. Vacillabit auctoritas Theo„logorum, qui dicentur hactenus non intellexisse Sacras „Litteras. Denique sic futurum est, ut a fundamentis „collabatur Ecclesia catholica. Si divinationem recipimus, audi nunc contra vaticinium longe probabilius:

Digitized by Google

Si Linguæ & bonæ litteræ viguerint, in omnibus Auctoribus erit minus mendarum, in omnibus disciplinis erit major puritas, erunt certiora judicia, non licebit posthac cuivis ebrio, sciolove, depravare Sacros Codices. Qui Commentariis explanare volent arcanam Scripturam, habebunt viam stratam, ac præparatam materiem. Quibus non vacabit aut non licebit omnia perdiscere, iis bona pars laboris detracta fuerit. Qui volent in Scripturarum pratis obambulare, pauciori-bus salebris ac lamis offendentur, & facile vitabunt offendicula, ad quæ passim labuntur recentiores Interpretes, nonnunquam & veteres alioqui probatissimi. Quibus arridet stilus ille popularis, quo novum Testamentum primum, ni fallor, proditum est, oblectabunt sese vetere saliva: quibus grata est sermonis perspicua simplexque mundities, habebunt quo alliciantur ad amorem sacræ lectionis, quoque Libri Sacri minus habebunt mendarum, minus solœcismorum, minus amphibologiarum, minus hyperbatorum ac difficultatum, tanto major erit illius auctoritas. Nihil vero decedet auctoritatis orthodoxis & Scholasticis Doctoribus, si qui frequenter antehac perperam citabant Sacras Litteras ex depravatis libris, ex corruptis ac falsis Commentariis, nunc apte citent ad rem. Nec ulla nota impingetur vetustis Doctoribus, *Cypriano*, *Hieronymo*, *Ambrosio*, *Augustino*, *Bedæ*, qui pro viribus excluserunt eos, qui Sacros Libros vel corroderent, vel amputarent, vel depravarent. Nec ulla infamia intentatur Pontificibus, Episcopis, & Conciliis, qui frequenter hac de re tractarunt, sed gravioribus negotiis impediti sunt. Et tamen in hunc usum prodiderunt Decretum dist. IX. rursus alterum in Decretalibus titulo *de Magistris*. In hunc usum fovent aluntque viros Linguarum peritos, inter quos sunt *Hieronymus Aleander* nunc Archiepiscopus *Brundusinus*, *Jacobus Sadoletus* Episcopus *Carpentoractensis*, *Felix* Episcopus *Theatinus*, *Christophorus Longolius*, qui nuper decessit, magna studiorum jactura. E plurimis paucos recensui. De me nihil dicam, cui tamen non erant defutura præmia laborum, quos in hoc negotium insumpsi, si tam avidus fuissem accipiendi quod offerebatur, quam *Sutor* est avidus obstrependi alienæ industriæ. Nihil autem esse periculi Ecclesiæ, vel ipsa res arguit. Olim seculis aliquot universa Ecclesia, tum Græcorum, tum Latinorum, sequebatur Editionem Septuaginta, quam *Sutor* fatetur fuisse depravatam, & tamen constitit Ecclesia. Jam plus decem, ni fallor, anni sunt, quod mea Versio teritur manibus hominum, nec hinc ullum exortum est malum, nisi quod plures attentius legunt Sacros Libros. Tantum vociferari cœperunt ventres quidam, quibus nihil placet, nisi quod ipsi faciunt. Nec aliud profecerunt, nisi quod suam insscitiam cum insania pari conjunctam prodiderunt orbi. Et si pergant, probabile est illis imminere supremum fatum. Ante ruinam enim exaltatur cor. Mundus resipuit, deludi fucis puerilibus diutius non potest. Jam inter istos ipsos rabulas non pauci sunt, qui mea domi legunt, quæ reprehendunt, & ex me discunt, quod in me jaculentur. Quanto hæc divinatio probabilior est ariolatione *Sutoris*, quam e suo cerebello non admodum sano comminiscitur?

Fatetur sæpe agitatum inter Patres, ut libri Missales & Scripturæ canonicæ Codices emendarentur, sed duntaxat e libris Latinis. Ubi legit hoc, quod novum ac vetus Testamentum, de Codicibus loquor, non possit restitui Græcorum etiam atque Hebræorum præsidiis? Quid si mendum occupavit universos Latinorum Codices, unde restitues? Aut cum maxima Codicum Latinorum pars locum habet depravatum, unde scies quod Exemplar sequi debeas? In hoc articulo *Sutor* jubebit cani Missam de Spiritu Sancto. Est ille quidem semper invocandus, sed interim vigilare decet humanam industriam. Hic certe fontes ambiguitatem expedient. Quod dico paucis exemplis approbabo ob quosdam stupidos ac pervicaces, cum alioqui supervacuum sit in re manifesta Lectorem exemplis obtundere. *Psalmo* XLIV. legimus: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentis-*

A *sime*. Incertum est utrum adverbium sit *potentissime*, an nomen. Quid faciam? Consule Glossas. Pareo, & adeo Commentarios *Hieronymi*. Illic lego: *potentissime, non segniter, neque leviter, sed viriliter*. Ex his verbis apparet adverbium esse. Digredior ad Commentariolum ejusdem ad *Principiam*. Non attingit hanc vocem. Consulo *Augustinum*. Ille me circumagit multis ambagibus, tandem hoc addens, *potentissime etiam circa femur*, subindicare videtur esse nomen. Tale quiddam significat & *Cassiodorus*. Hinc igitur dimittor incertus. Consulo *Hugonem* Cardinalem. Is nominatim admonet, *potentissime* sumendum adverbialiter. Confugio ad *Lyranum*. Is nihil attigit. Hinc ad *Arnobium*. Tantumdem. Restat Glossa, quam vocant Ordinariam. Dissimulat. Denique consulo *Fabrum Stapulensem*. Is videtur *potentissime* indi-
B casse nomen esse. Si simili studio circumagar per omnes Glossas, dimittar incertior quam veneram. Et hæc est via compendiaria, quam nobis commonstravit *Sutor*. Quanto brevius erat non hac solum de causa inspicere Psalterium Græce versum, ubi scriptum est δυνατὲ, id est, *ô potens*. Aut si quis adhuc dubitet, Hebraïcum, ubi legis גבור *gibbor*, id *Hieronymus* vertit *fortissime*. *Hieremiæ* cap. III. legimus: *Novi diluculo. Multa est fides tua*. Hærens in sententia primum adeo Commentarios, qui falso inscribuntur *Hieronymo*, cum probabilius sit esse *Bedæ*. Is nullo scrupulo torquetur in voce
C *novi*, torquendus utique, si sensisset *novi* nomen esse. Hinc proficiscor ad Glossam Ordinariam. Exponit, *novi constantiam*. Aliter: *Novi*, id est, *approbavi*, *quæ humiliter gemens enumerasti*. Hinc ad Glossam Interlinearem. Reperio: *Novi*, id est, *dilexi*, *& te cognoscere feci*. Hinc rursum moveo castra, & ad *Lyranum* proficiscor. Audio: *Novi a pueritia mea, quæ dicitur diluculum vitæ humanæ, sicut senectus dicitur vespera*. Consulo Appendicem Tropologiæ, nescio quo auctore. Reperio: *Novi diluculo*, id est, *novi a novi Testamenti principio, quod dicitur dies*. Convertor ad *Hugonem* Cardinalem. Reperio: *Novi*, id est, *laborem tuum & patientiam approbavi*. Aliter: *Novi diluculo*, id est, *in*
D *initio gratiæ approbavi te*. Consentiunt omnes in errore, quibus si fidam, plane fallar. Adeo Versionem Septuaginta. Reperio lectionem nonnihil diversam. Pro his enim quæ nos legimus: *Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Novi diluculo, multa est fides tua, Pars mea*, &c. legimus apud Græcos: Ταύτην τάξω εἰς τὴν καρδίαν μου· διὰ τοῦτο ὑπομενῶ· τὰ ἐλέη Κυρίου, ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με, ὅτι οὐ συνετελέσθησαν οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ· μείνας εἰς τὰς πρωΐας ἐλέησον Κύριε, ὅτι συνετελέσθημεν, ὅτι συνετελέσθησαν οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ· καινὰ εἰς τὰς πρωΐας· πολλὴ ἡ πίστις σου μερίς μου. Quæ Latine sic
E sonant: *Hanc* (nempe memoriam præteritorum malorum) *ordinabo in corde meo: propterea sustinebo misericordiæ*, sive *misericordias Domini*, *quia non defecerunt me*, *quoniam non consumptæ sunt miserationes illius. Cum exspectaris usque ad dilucula, miserere Domine, quoniam consumpti sumus, quoniam consumptæ sunt miserationes ejus. Inania in dilucula. Multa fides tua, pars mea*. Nunc incertior etiam sum quam antea. Potest enim suum habere sensum, si legas *inania*, ut intelligas, inania desperationis durare usque ad diluculum exorientis gratiæ, quæ discutit ludibria nocturni pavoris. At movet me recepta Translatio, quæ habet *novi*. Hinc suspicor
F Exemplar, quod nobis dedit *Aldina* Editio, non vacare mendo, & pro καινὰ habere κενὰ, in quarum vocum confinio facillimus lapsus est. Nam magis distinguuntur scriptura quam pronunciatione. Sed adhuc offendit genus diversum, quem scrupulum facile discutit, quod sciamus frequenter apud Græcos ac Latinos neutrum genus pro quovis genere poni. Proinde consulo Hebræos. Apud hos igitur reperio חדשים *hadoschim*, quod illis sonat *novi*. Hic casus docet, quam dispendiosa res sit ex glossematis petere, si quid hæsites, deinde declarat etiam ex corrupto Codice posse deprehendi germanam lectionem. Quanquam enim in Græcis scriba depravavit κενὰ pro καινὰ, tamen hinc conjecto, *novi*, quod est in nostra Translatione, non esse verbum,

sed

Digitized by Google

ſed nomen. Poſtremo ut Hebræi Codices non undiquaque careant vitio, tamen hìc nullæ Gloſſæ me liberaſſent errore, niſi Græcos & Hebræos conſuluiſſem. Atque id niſi factum eſſet, quo majore ſedulitate conatus fuiſſem explicare Prophetici ſermonis myſterium, hoc longius aberraſſem a vero. Nunc utcunque deprehenſa lectio germana præbet aliquid lucis, ut intelligam hæc verba non pertinere ad perſonam Dei, quemadmodum interpretantur omnes, ſed Prophetæ, aut juxta tropologiam ad Eccleſiam novam. Itaque ſenſus infimus erit, poſt noctem adverſitatum ſequuturum diluculum lætioris fortunæ. Allegoricus erit, rudem & infirmam Eccleſiam, poſt noctem paſſionis, quæ mœrore ac diffidentia dejecerat animos Diſcipulorum, ſequuturam reſurrectionis auroram, quæ abſterſa vetuſtate noverat omnia in *Chriſto*. Moralis erit, poſt luctum & angores pœnitentiæ ſuccedere lucem gratiæ. Proinde quod ſequitur, *multa eſt fides tua*, non dicitur a Deo, ſed a plorante. Promiſit Deus ſeſe populum ſuum erecturum a malis quoties ad ipſum clamaverit. *Clamabit*, inquit, *ad me, & ego exaudiam eum.* Ita *Job* poſt tenebras afflictionis ſperat lucem conſolationis. Promiſit & Diſcipulis ſe tertio die reſurrecturum, quemadmodum promittit & in Pſalmis, *Exſurge pſalterium, exſurge cithara, exſurgam diluculo.* Promiſit pœnitentibus & ad meliora converſis remiſſionem omnium peccatorum. *Deus*, inquit *Paulus, verax eſt, ſeipſum abnegare non poteſt.* Huic itaque dicit afflictus orans liberari, *Multa eſt fides tua.* Huic dicit Eccleſia exſpectans promiſſam reſurrectionem, *Multa eſt fides tua.* Huic dicit peccator macerans ſeſe ſpe veniæ, *Magna eſt fides tua in promiſſis, Juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris.* In his ſi quis volet jam philoſophari, quanto certius ac felicius id faciet, quam ſi depravata lectione niteretur. Nec jam multum refert utrum dicas, *novi in dilucula*, an *nova*. Etenim novatis hominibus novantur omnia, depoſito vetere homine per baptiſmum, exſiſtit nova creatura. Atque hìc jam campus patet latiſſimus. Porro καιναὶ, quod eſt apud Græcos, referri poteſt & ad ἐλέη, id eſt, *miſericordias*, quæ vox illis neutri generis eſt. Certe Hebræi Interpretes חדשים *hadoſchim*, id eſt, *novi*, referunt ad חסדים *haſodim*, id eſt, *miſericordias*, quæ vox apud illos maſculini generis eſt, putantque hunc eſſe ſenſum, quod miſericordiæ Domini in ſingulos dies innovent ſeſe, ſubinde cum novo die proferente ſeſe nova miſericordia. Hujus generis ſingula perſequi perlongum eſſet, ſed unum adhuc addam ac deſinam. Lego *Pſalm.* XCI. *Benepatientes erunt ut annuncient.* Miror quid ſit *benepatientes*. Nam *patientes* novi. Adeo Commentarios inſcriptos *Hieronymo*. Nihil reperio. Vertor ad *Auguſtinum*. Offendo ſcripturam aliam, pro *benepatientes erunt*, *tranquilli erunt*. Hinc ad *Lyranum*. Is ſomniat neſcio quid, a Philoſophis *beneficiatos* dici qui bene paſſi ſint a benefactore. Hinc ad *Hugonem*. Is interpretatur de patientia, quæ opus perfectum habet. Hinc ad *Arnobium*. Is diſſimulat hunc locum. *Caſſiodorus* aliquid lucis oſtendit, mentionem faciens de præmiis recipiendis. Adhuc incertus hæreo, & conſulo Græcos Codices, & invenio ſcriptum εὐπαθοῦντες ἔσονται. Agnoſco Græcis εὐπαθεῖν qui beneficio afficiuntur, aut qui bene affecti ſunt animo, nam illi affectus aut affectiones πάθη vocant, & ſtatim intelligo quid ſibi voluerit quod *Auguſtinus* legit, *tranquilli erunt*, & quod ex Hebræo *Hieronymus*, *pingues & frondentes erunt*. De emphaſi vocum, de idiomatibus Linguarum, de depravationibus ſcribarum, de amphibologiis & obſcure redditis non hìc repetam toties a me dicta, commonſtrata, & inculcata.

Eat nunc *Sutor* & clamet Linguarum peritiam nihil prorſus utilitatis adferre ad Sacras Litteras. Clamet inſanum eſſe & hæreticum in hunc uſum velle ſcire Græce aut Hebraïce. Citius illud perſuadebit ſanis omnibus, eum qui hæc ſcribit minime ſanum eſſe.

Non invitus dimittam *Sutorem*, ſi unum etiam divinationis caput excuſſero. Sub finem hujus præclari operis, ubi mira *dinoſi* movet affectus, adeo ut cordatus Lector lachrymas non teneat præ riſu, multa diſſerit de tranſlatis terminis Patrum. Quicquid enim obiter legit aut audivit, dum in hoc opere tumultuaretur, ſutorio filo contraxit ad ſuum negotium, ſed nuſquam eſt infelicior, quam cum tot annorum Theologus tractare nititur aliquid e Sacris Litteris. Quam illi non adſunt ad manum? Quam non dextre tractantur? Nihilo magis litaſſe videtur Sacris Litteris, quam *Mævius* aut *Bavius* Muſis. *Præcipit*, inquit, *Dominus per* Moſen, Deuteronomii XIX. *non transferendos terminos, quos poſuerunt priores: & cap.* XXII. *maledicitur, qui transfert terminos proximi ſui: & apud* Job *cap.* XXIV. *increpantur qui terminos tranſtulerunt: denique* Proverbiorum XXII. *dicitur: Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.* Tantam teſtimoniorum nubem collegit ex Elencho per elementa digeſto, quam vocant *Concordantiam*. Nec enim probabile eſt *Sutorem* unquam evolvere Sacros Libros. Mentiar, niſi hæc omnia loca ſic ordine referuntur in Indice. Nam quod ſecundum locum citat ex *Deuteronomii* cap. XXII. cum ſit in cap. XXVII. non imputandum eſt *Sutori*, ſed Elencho depravato. Cæterum quid venit in mentem *Sutori*, ut hujuſmodi locos transferat ad noſtras Tranſlationes, niſi quod apud hunc *termini* dicuntur *voces*, cum hìc *termini* dicantur *ſaxa* in hoc erecta ut dirimant poſſeſſionem a poſſeſſione? Proinde *Sutori* terminos transfert, qui mutat rerum vocabula. Quis autem unquam ſomniavit hoc commentum quod adfert *Sutor*? Quidam allegoriam transferunt ad hæreticos, qui ſeſe non continent intra ſepta Eccleſiæ. An qui ſua induſtria pro viribus emendant & illuſtrant Sacros Codices, idque adhortantibus & comprobantibus Eccleſiæ proceribus, transferunt terminos? An qui primi Commentariis explicuere Litteras arcanas, tranſtulerunt terminos Eccleſiæ? Quod alii conati ſunt Commentariis, ego conatus ſum Verſione, Caſtigatione, Annotationibus, & Paraphraſibus. In tales magis arbitror convenire, quod ſcribit *Sirach* XXIV. apud quem ita loquitur ſapientia: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quod ſi non ubique ſuccedit conatus, nec *Auguſtino*, nec *Hieronymo*, nec *Petro Lombardo*, nec *Thomæ*, nec *Scoto* ſuccedit ubique. Fortaſſis hæc allegoria de transferendis terminis aptius conveniret in eos, qui limpidiſſimis divinæ ſapientiæ fontibus tantum Sophiſtices, tantum *Ariſtotelicæ* Philoſophiæ, tantum *Scoticæ* Metaphyſices invexerunt. Quam vero quadrat terminos proximi interpretari præſcripta Eccleſiæ. Secus hoc interpretabuntur qui habent agros *Sutori* vicinos. Frequenter audivi tales querimonias.

Porro cum toto libro fortiter inſanierit *Sutor*, hìc in ſupremo Actu veluti probus artifex vincit ſeipſum, aſſumens impudentiſſimum mendacium, quaſi nos Annotatiunculas noſtras vetuſtis Doctoribus, ſanctis Pontificibus, generalibus Synodis, Eccleſiæ univerſali, denique toti mundo poſtulemus anteferri. Si hæc dixit in *Lutherum*, cur nos cum illo commiſcet? Si in nos, quid impudentius? Mox enumerat capita transferendorum terminorum, ad ſingula fortiter mentiens. *Ceremoniæ*, inquit, *velut inutiles improbantur, & ceremoniæ dicuntur deſpective*, cum ego tot locis probem ceremonias ab Eccleſia inſtitutas, eos noto, qui in illis finem pietatis ſtatuunt, & ſine ceremonias præ his quæ ſunt veræ pietatis contemnere, magna pietas eſt. *Contemnuntur*, inquit, *orationes, quas & indevoti preculas vocant*, cum ego libellum etiam ediderim de laude modoque precandi, tantum illos noto, qui fidunt illis preculis utcunque demurmuratis nec intellectis. *Jejunia*, inquit, *ducuntur pro nihilo.* Hoc mendacio quid impudentius? cum ſexcentis locis probem Chriſtiana jejunia, Judaïca & ſuperſtitioſa noto, quæ taxat & *Eſaias*. *Continentia*, inquit, *reprobatur.* De coacto & impuro cœlibatu alicubi diſputo, cæterum caſtitatem, quam hic *continentiam* vocat, adeo non damno, ut ſuadeam etiam connubium haberi, quantum fieri poteſt virginitati ſimillimum, nec uno in loco decanto laudes virginitatis, & exſtat libellus meus *de comparatione virginis & martyris. Secularis*, inquit, *ſtatus religioſo vel æquatur vel antefertur.* Quid ſit *ſecula-*

Digitized by Google

ris ſtatus neſcio. *Chriſtus* omnes ſuos elegit e mundo. Nec ſatis intelligo, quos dicat religioſos. Arbitror omnes Chriſtianos eſſe religioſos. Utinam omnes Monachi ſeſe ſubducerent e mundo, & ſic viverent, ut ipſorum ſinceritas argueret corruptam vitam reliquorum. Fortaſſe *Sutor* fatebitur, ſe nunc magis eſſe in mundo, quam cum eſſet ſecularis Scholaſticus, & ut magis diſtringitur profanis negotiis, ita plus, ni fallor, habet pecuniarum, quam priuſquam profeſſus eſſet ſanctiſſimam illam paupertatem. In Præfatione quadam, fateor, contuli Monachum non mali generis cum bono conjugato, non ut damnarem vitam Monaſticam, ſed ut adimerem ſupercilium quibuſdam Phariſaïcis Monachis, qui ſibi ob titulum, veſtem, ac ceremonias adeo placent, ut reliquos Sacerdotes ac Laïcos pene pro Ethnicis habeant. Nec uſquam vellicantur a me probi Monachi, qui probitatem amplector ſub quocunque pallio, ſed aliquoties per occaſionem indico, quibus in rebus ſita ſit vera Religio. Non eſt dubium quin *Sutor* ſeſe cum primis inter probos Monachos numeret, cum multo gravius ſit crimen, librum tam petulantem, tam mendacem, tam rabioſum ſcribere in eum, qui certe ſtudeat prodeſſe, quam pro *Cartuſiana* veſte ſumere chlamydem militarem, & levior ſit culpa pecudis carnem eſſe, quam proximum arrodere, fruſtraque venter rugiat inedia, ſi animus talibus maledictis ſemet ingurgitat. Quid prodeſt quies cellæ, ſi tumultuoſus animus per orbem graſſetur? Pergit, *Probi*, inquit, *mores paſſim ſunt ludibrio, Sana pene omnia contemnuntur.* Hoc quod ad me pertineat non video, qui nuſquam non adhortor ad probos mores, malos mores ubique deteſtor. Illud ridiculum, quod hîc *Sutor* de ſanitate loquitur, qui toto hoc libro nullam micam indicat ſanæ mentis. *Theologi*, inquit, *a rhetorculis & ſciolis nihili fiunt.* Ego veros Theologos ſemper unice veneratus ſum ac veneror, & illorum ſtudiis aliquid commoditatis adjungere conatus ſum, & adjunxi, quantumvis diſſimulent quidam. Cerebroſos quoſdam ac ſophiſticos ad manſuetudinem & Sacrorum Voluminum lectionem adhortatus ſum. Si nulli ſunt qui egeant hac adhortatione, fruſtra mihi ſumpta eſt hæc opera. Certe liber hic declarat, *Sutorem* unum eſſe ex eorum numero, qui nec veteris ac novi Teſtamenti libros attingunt ſerio, nec veteres Doctores evolvunt, ac ne Decreta quidem Pontificum, aut *Petrum Lombardum*, imo ne *Scotum* quidem ac *Thomam*. Tantum cognitione dogmatum ac Scholaſticarum aliquot difficultatum, deinde nexibus certis ac ſuffugiis, quibus vel irretiunt adverſarium, vel elabuntur ipſi, ſemet inſtruunt ad conflictationes illas ſolennes, quas ego ſane non improbo, ſi cætera accedant. Nec interim quæritur veritas, ſed victoria. Poſt jam pene detriti in hac palæſtra, quidam caneſcentes conferunt ſeſe ad legendos Veteres, verum id parum feliciter, vel quia ſero, vel quia deſtituti bonis litteris, ſine quibus illi non intelliguntur. Quidam prorſus non attingunt, exiſtimantes indecorum, ſi Doctor incipiat diſcere. Interim illæ Scholaſticorum argutiæ progreſſu temporis paulatim elabuntur, ut ſolent res tenues, veluti ſuffitus aut fumi, nec aliud diſcere libet, aut vacat, quid igitur ſupereſt, niſi merus *Sutor*? Nullos tamen videas ſuperciliioſiores, quam tales qualis hic eſt *Sutor*. Sed pergit, *Solida diſciplina deſpiciuntur, & pene ſolæ habentur in pretio futilitatis artes, quas humanitatis bonaſque litteras iſti Grammatiſtæ nuncupant.* Non excutiam hîc, quod cum bonæ litteræ complectantur Linguarum, hiſtoriarum, antiquitatum, Poëtarum, & omnium bonorum Auctorum cognitionem, præter bene dicendi laudem, *Sutor* eas vocat *artes futilitatis*: quid impudentius illo mendacio, quod ſcribit negligi ſolidas diſciplinas? Etenim ne quid dicam de Philoſophis, Medicis, & Jureconſultis, quam multos nunc videas Baccalaureos, qui rectius judicent, qui ſolidius argumententur, qui felicius citent Sacras Litteras, quam *Sutor* tot annorum Theologus? Videas nunc juvenes ſedecim annorum, & crebrius & aptius referre Sacrorum Voluminum teſtimonia, quam poſſint decem *Sutores*, qui nihil tenere videntur ex ulla diſciplina, præter ea quæ proverbiorum vice circumferri ſolent inter pocula: *Nolite projicere margaritas ante porcos*, & *ſus reverſa ad volutabrum luti.* Vides igitur quantum hîc mendaciorum congeſſerit. Nec pudet Theologum ſenem, Monachum *Cartuſianum*, tam manifeſtam calumniam impingere mihi deſudanti juvandis ſtudiis publicis. His ſubnectit, *Proh nefas, inſolitas exactiones, diluvia burſarum, incendia urbium ac vicorum*, videlicet hæc quoque mala bonis litteris imputans. Niſi *Sutor* bonus fuiſſet, non potuiſſet iſta contexere. Tandem deplorat ſublatam libertatem eorum, qui perſonati ſolent actiunculis ſuis taxare quoſvis. *Nunc*, inquit, *tempus advenit, in quo nec ſapientes, nec ſtulti veritatem proloqui audent.* Si hoc non audent Theologi, quis audebit? Cur hîc muſſat *Sutor* ſapiens, cum in meos labores tot inſanis mendaciis debacchetur? & poſt hæc queritur ſublatam e medio libertatem, & ſtultis, quorum maxima turba eſt, & ſapientibus, quorum ipſe eſt coryphæus.

Tandem *Sutor* præter naturam incipit eſſe mitior ſaniorque. *In calce*, inquit, *libenter moneremus ipſos tralatiſtas, ut reſipiſcerent, ut palinodiam canerent, ut ſuas tralationes de medio tollerent, ut ſuas quoque Paraphraſes ſupprimerent, vel certe viris doctis traderent caſtigandas, ut demum ſuæ ſaluti & rei Chriſtianæ propter hujuſmodi novas inventiones turbatæ conſulerent, ſed aſellis fruſtra perſonat lyra. Ita enim ſtupidi, ita præpoſteri, ita demum obcæcati videntur, ut æqui bonique conſulere nolint. Nolint inquam prudentiſſimis viris audire, ſed ſe omnium longe doctiſſimos arbitrantes, aliena conſilia parvipendunt.* O mira charitas Theologi *Cartuſiani*, qui noſtræ ſalutis ac publicæ tranquillitatis cauſa ſemet ad has blanditias demiſit!

Quam eſt in blandiendo ſuccinctus, imo quantum ipſæ blanditiæ habent amarulentiæ. Dicas *Demeam* præter naturam vix tria verba blandius dicere. Illud ſuave, quod hujus indoctiſſimi libri rabioſam loquacitatem appellat citharam. Quæ bellua tam eſt fera, quam hæc cithara non demulceat? opinor & quercus & ſaxa poſſe duci. Atque hæc lyra facile moveret aſellos, niſi tantus aſinus tam aſinine illam temperaret. Ego doctorum ac ſapientum virorum judicium adeo non reſpui, ut illorum cenſuram ſemper ambierim, ſemper etiam corrogarim, illorum quoque, quos mihi ſciebam parum æquos eſſe. Ex *Lei* monitu quædam mutavi, quæ poſt mihi fuerunt corrigenda. *Caranzæ* Theologo debeo, quod nunc quidam *Lutetiæ* reprehendunt, *Chriſtum* non debuiſſe obedientiam parentibus. *Stunicæ* ſi per omnia obtemperaſſem, multa erant hæretica in libris meis. Nec *Lovanii*, nec in *Anglia*, nec *Baſileæ*, nec in *Italia* quiſquam eſt Theologus mihi notus, quem putabam in hoc genere poſſe judicare, quin obnixe rogarim ut dignaretur libere monere, ſi quid offenderet. Et in his ſunt, quorum eruditionem, integritatem, judicium triginta *Sutoribus* antepono, quem tamen natum neſciebam, niſi ſe nobis in hoc libro velut in tabula depinxiſſet. Is cum nihil aliud oleat, ſpiret, crepet, quam ſtolidiſſimam admirationem ſui, contemptum & odium extremum noſtri, furioſam maledicentiam, quid hinc exſpectes ſani judicii? An ille ſanus eſſet, qui ſe Medico non ſolum imperito, verum etiam inſano, & odium pluſquam capitale præ ſe ferenti committeret? Qui corpus Chirurgo commotæ mentis, & occidendi animum præ ſe ferenti, ſecandum & urendum crederet? Nihil moror *Sutorem* curatorem, qui ipſe maxime eget curatore. Tales enim hæreticos facere ſolent, non mederi lapſis, aut confirmare vacillantes. Sic propulſus eſt ab Eccleſia *Arius*, ſic *Tertullianus* egreſſus eſt ab Eccleſia, ſic *Wyclevus* factus eſt factionis auctor, quod in eum Monachi quidam nullum faciebant debacchandi modum. Adeo mihi non placeo, ut natura pene putidulus ſim, ſed neſcio quo pacto tales Theologi faciunt, ut aliquando mihi minus diſpliceam. Tot jam annis imploro correctionem eruditorum, ſed eam qua dignus eſt is, qui ſedulo conatur prodeſſe ſtudiis publicis, & conſtantiſſime abhorret a factione, quam non agnoſcit Eccleſia. Non ſolum præbebo aures, verum etiam maxi-

Digitized by Google

maximas agam gratias, modo ne sint in hoc albo *Sutores*. Et tamen duo tresve tales admixti sodalitio, plus fere valent improbitate sua, quam cæteri judicio. Purget *Sutor* cerebrum elleboro, evolvat Sacros Libros, evolvat veteres orthodoxos, discat Linguas, evolvat nostras lucubrationes, deponat istum hostilem animum, & hunc quoque dignabimur audire: hanc rabiosam vereque Tartaream debacchationem illi condonabimus, si posthac nactus lucidius intervallum scribat magis sobria, digna Theologo *Sorbonico*, digna *Cartusiano*. Subinde jactat patrem *Brunonem*. Ille profecto tales filios non agnoscit tam ipsius dissimiles. Quod si pergat sui similis esse *Sutor*, vertetur in proverbium versiculus ille in laudem optimi *Brunonis* scriptus,

O Bruno Bruno, non es laudandus in uno,

videlicet in *Sutore*, tam maledico, tam glorioso, tam procaci, tam contumelioso, tam experte fraternæ charitatis. Lectorem autem bonæ spei lubens admonuerim, ut ab hujusmodi rabiosis libellis abstineat, ne quid inde contagii serpat ad incautum. Nostra si volet legere, legat cum judicio, legat cum candore, lapsibus humanis ignoscat, quod nobis in magnis etiam Auctoribus faciendum est, illud ubique persuasum habeat, animum esse sincerum, etiamsi quid aberratum sit a scopo.

Ego in scriptis meis nihil video, quod vel obscœnitate quapiam inficiat animos juventutis, vel ad seditionem pertineat, vel aberret a regula fidei. Sunt tot arcana dogmata Scholasticorum, tot opiniones, tot novæ bases, quales hîc erigit pro suo arbitrio *Sutor*, deinde tot myriades articulorum damnatorum, suspectorum, erroneorum. Ad hæc tot reprehensionum tituli, velut, *Hoc minuit auctoritatem Theologorum recentium*, *hoc adversatur laudabili consuetudini*, *hoc redolet errorem* Waldensium, *illud affine est hæresi pauperum de* Lugduno, *illud sapit aliquid* Wyclevicum, *hoc non abhorret ab articulis* Hussi, *hoc resipit nescio quid* Lutheranum. Ita sub omni lapide dormit scorpius. *Hoc novitate turbat Ecclesiam*, *hoc jam obsoletum non debebat revocari cum offendiculo Magistrorum*, *hoc detrahit honori Sanctorum*, *hoc revocat homines ab impartiendis eleemosynis*, *hoc derogat auctoritati Religiosorum*, *ex hoc posset tale malum exoriri*, *de hoc fas non est disputare*, *hoc non debebat taceri*, *nec in medio relinqui*. Quid, obsecro, dabis tam circumspecte scriptum, quod non alicunde pateat calumniæ, si incidat in judicem iniquum, qui etiam rectissime dicta depravat? Nec est quod juventus abhorreat a studio Theologiæ, ob ingenia quædam male auspicata, ob vetulos deploratos. Nulla est enim tam felix Academia, quin ferre cogatur tales aliquot vomicas & carcinomata. Tu morum ac studiorum tuorum exemplum a bonis sumito. Illud deplorandum, quod in Academiis nulli sunt molestiores, incommodiores, & iniquiores, quam hi quorum æquitate, sobrietate, ac tolerantia decebat aliorum tumultus sedari. Nulli magis rixas movent de re qualibet, nulli sunt implacabiliores, si quis attingat verbo. Quid multis? meræ vomicæ sunt. Proinde qui quærit exemplum imitabile, ne spectet vestem, sed mores: ne pallium, sed animum. Finem dicendi faciam, si prius, quando *Sutor* nonnullam rei componendæ spem facit, scisciter ab eo quibus conditionibus possit tantus heros placari. Primum illud mihi cum *Sutore* convenit, auctoritatem Divinorum Voluminum inviolabilem esse oportere. Sed hanc auctoritatem *Sutor* non recte transfert ad interpretem etiam incertum, nec recte vult illam universam periclitari ob scribarum aut interpretum culpam, cum negari non possit quædam in Templis cani depravata. Quod autem fortiter & constanter affirmat in hac Translatione nihil deesse, nec extra hanc opus esse ullis Linguarum præsidiis, optaremus esse verum quod dicit. Verum nunquam fuit ea rerum humanarum felicitas, ut contingat quicquid optamus. Hîc certe consentiunt vota *Sutoris* ac mea. Jam quod toties vociferatur de nova Biblia facienda, nunquam a me somniatum est, & me procul ab hoc animo fuisse res ipsa clamitat etiam tacente me. Nec tale quicquam unquam ab Ecclesiæ principibus petere institi. Quibus si non præscribo ne quicquam ausint ex hac vulgata Translatione novare, dabit veniam. Non enim mihi est ea auctoritas quæ *Sutori*.

Ad hæc scire cupio, quid potissimum damnet *Sutor* in Versione mea & Paraphrasibus, an simpliciter genus hoc laboris, an quod hinc multa proficiscantur incommoda, an quod in eo parum dextre versatus sim? Sicubi labor in vertendo, meus unius est lapsus, manet illabefacta publica lectio, & pauci lapsus tot locis feliciter restitutis debebant condonari, præsertim cum ipse singulis Editionibus mea reddiderim emendatiora.

Præcipitasti, inquit, *Editionem*. Idem fecit *Hieronymus* in *Abdiam*, & *Augustinus* in multis opusculis, sed *Sutor* multo turpius præcipitat censuram, damnans ea quæ nec legit, nec intelligit.

Si hoc ipsum vertisse crimen est, etiamsi nusquam non præstitissem boni interpretis officium, cur hoc tam sero monet *Sutor*? Et si ad illum in *Cartusia* latitantem rumor hic non pervenit, quî factum est, ut nec in *Anglia*, nec *Basilea*, nec *Lovanii*, nec *Lutetia* quisquam exstiterit Theologus, qui post primam saltem Editionem jusserit me quiescere. *Leus* initio favebat secundæ Editioni, & si voluissem illius notationes admittere, futurum erat opus sanctum. Ubi cœpit odisse, totum opus erat impium. *Joannes Atensis*, perlecto opere, pronunciabat sibi videri pium ac doctum, vir inter Theologos eruditissimus. *Leus*, qui nunquam versatus fuerat in Schola Theologica, damnabat. Utri par erat credere?

Tot eruditi Theologi & Episcopi gratulabantur industriæ meæ, *Stunica* oblatrabat. Utris oportebat credere?

Leo Pontifex scribit, *Macte igitur istius animi tui esto, ac publicæ utilitati studens, operi tam sancto, ut in lucem exeat, sedulo invigila*. *Sutor* clamat, tollat suas Tartareas Translationes. Utri potius obtemperandum? Summo Ecclesiæ Pastori, an cerebroso *Sutori*?

Ut par potestas fuerit *Damaso*, certe nunc notior & celebratior est Pontificum auctoritas. Itaque si *Damasum* opponas *Leoni* & *Adriano*, si *Pammachium* & *Chromatium* tot eruditis Theologis & Episcopis, non sum admodum inferior *Hieronymo*, sive spectes auctoritatem, sive doctrinam, sive vitæ integritatem. Porro quod alicubi *Sutor* me profanum confert cum divo *Hieronymo*, ut fateor nihil esse simile, ita stulte comparat me mortalem cum vita defuncto. Illius memoria nunc merito sacrosancta est omnibus. At dum in vivis erat, mordebatur ac remordebat, allatrabatur ac vicissim allatrabat, labebatur & fallebat: qui si incidisset in hoc sceleratissimum seculum, in quo regnant pseudomonachi, non multo melius audiret quam ego audio, nec hunc homuncionem fortasse tam adspernaretur quam facit *Sutor*, qui cum sua rabie tam displiceret *Hieronymo* quam sibi placet ipse.

Veniam ad id, quod e tribus recensui medium, de offendiculis, quæ parit nova Versio. Ea plane τραγικῶς, hoc est, *hircine*, exaggerat insulsissimus *Sutor*. *Si fuerit*, inquit, *auditum in Sacris Libris esse aliquid vitii*, *semel corruet auctoritas totius Scripturæ Divinæ*, *Pontificum*, *Orthodoxorum*, *Conciliorum*, *Theologorum*, *breviter totius Ecclesiæ*. Hæc quo vehementius exaggerat *Sutor*, hoc in majus periculum vocat Ecclesiam, cum negari non possit in hac Versione esse quædam oscitanter reddita, quædam relicta, quæ *Hieronymus* negat esse germanæ lectionis, quædam publicitus cani legique in Templis palam depravata, quemadmodum abunde declaravimus. Proinde dum ista sedulo debacchatur *Sutor*, pugnat adversus auctoritatem Scripturæ & totius Ecclesiæ. Veluti si quis asseveraret Regem non esse Regem, cui quicquam inesset nævi in cute, cum constaret Regium corpus non vacare nævo, is non tueretur Regiam dignitatem, sed eam in periculum vocaret. Etiamsi nævi, de quibus nos agimus, magis in veste sunt Scripturæ Divinæ quam in corpore. Si *Sutor* id præstare posset quod affirmat, recte consuleret cum nobis tum Scripturæ Sacræ. Nunc suo stulto patrocinio

Digitized by Google

nio gravat Scripturam arcanam & in anguſtias detrudit, unde non poteſt eam eruere. Porro quoties nobis res eſt cum hæreticis aut allophylis, non multum eſt controverſiæ de lectione, quæ fere convenit, aut ſi quid diſcrepat, non multum facit ad victoriam, qualis diſſonantia comperitur & negligitur in diplomatis Pontificum de rebus etiam arduis, cæterum de ſenſu tota eſt digladiatio. Quam ingens vero inter enarratores varietas?

Quod ſi ob quamvis levem varietatem vacillat tota Eccleſia, quomodo tot annis conſtitit, cum & Latinorum & Græcorum Eccleſia ſequeretur Septuaginta Tranſlationem a primo ſtatim ſcriba vitiatam? Quomodo deinde conſtitit, cum hodie quoque varient Latini Codices, & ab ætate *Hieronymi* variaſſe declarent Interpretes, ſubinde citantes diverſam lectionem, nonnunquam ejuſdem loci triplicem aut quadruplicem.

An ita demum conſtabit auctoritas Scripturæ Divinæ, ſi fortiter negemus in libris eſſe quicquam varium aut mendoſum? Quid profuerit, ſi res ipſa mox redarguat noſtram aſſeverationem? Quod ſi prodere varietatem aut depravationem, eſt ſubvertere Eccleſiam, faciunt hoc omnes Interpretes uſque ad *Hugonem* Cardinalem. Fecit hoc jam pridem *Laurentius Valla*, nec vacillavit Eccleſia. Faciunt hoc Commentarii Veterum, *Cyrilli*, *Chryſoſtomi*, *Theophylacti*, *Cypriani*, *Auguſtini*, *Ambroſii*, qui diverſam ſequuntur lectionem. Faciunt idem libri, qui magna cura ſervantur in publicis Bibliothecis, oſtendentes nobis triplex Pſalterium, & utramque Tranſlationem e Septuaginta, & ex Hebraïca veritate. Hæc omnia erant abolenda, ne quis poſſet dicere, quid mecum agis ex auctoritate Scripturæ, quæ vacillat nec ſibi conſtat? Denique cur patitur Eccleſia vetus Teſtamentum Hebraïca Græcaque Lingua excudi, novum Græca? Hæc enim non ſolum arguunt varietatem lectionis, verum etiam indicant in novo Teſtamento duntaxat eſſe apud nos ſolœciſmos abſurdiſſimos, ambigue, obſcure, ac perplexe reddita, aliaque incommoda, quæ in litteris Apoſtolicis non fuerant, ſed a nobis inducta ſunt. Quin & *M. Tullius* erat abolendus, ne cui ex guſtata hujus dictione tam expolita ſordeſcat incultus ſermo vulgatæ Tranſlationis. Et hæc eſt illa horrenda totius Eccleſiæ calamitas, quam ſomniat *Sutor* exorituram ex noſtra Verſione.

Si *Sutor* ſimili clamore poſſet efficere, ne quid eſſet corruptum, aut ſubmiſſitium, aut pſeudepigraphum in veterum orthodoxorum monumentis, optarem illi *Stentoream* vocem, hortarer ut quam poſſet clariſſime vociferaretur. Nunc cum iſti clamores nullam partem mali tollant, illud potius agendum, ut quantum licet corrigantur depravata, & adhibeatur cautio ne liceat in poſterum depravare quod rectum eſt.

Qua in re cum a nobis hactenus ſudatum ſit animo ſincero, magno ſtudio, comprobantibus induſtriam noſtram ſummis Pontificibus, gratulantibus eruditis, applaudentibus & adjuvantibus Epiſcopis, collaudantibus & Theologis, idque non abſque fructu, niſi forte mentiuntur omnes, qui mihi per litteras gratias agunt, quod ex meis laboribus fructum haud mediocrem ceperint, quorſum attinent illa furioſa, quæ *Sutor* quodam in loco detonat, in *Fabrum* ne an in me incertum, ſed omnino in cauſa pari. *O temeritatem*, inquit, *pluſquam diabolicam! Scis ne miſer cur nullus præcedentium Patrum eam caſtigare attentavit poſt* Hieronymum? *Nempe quod omnes in communi perſuaſum habuere, eam eſſe, veriſſimam ac certiſſimam, nihilque penitus vel erroris vel falſitatis complecti. Eam ob rem non ſunt auſi temerarias manus adhibere, & caſſo imo impio labore ſe fatigare, quemadmodum miſerrime feciſti, qui auſus es promptuario Spiritus Sancti vim inferre, & ſuperbia Luciferiana ſuccenſus, tabernaculum Altiſſimi, domum Dei, theſaurum Chriſtianiſmi, columnam Eccleſiæ, & denique fundamentum totius veritatis ac bonitatis infamare. Quo denique modo id moliri auſus es, quod nec hæreticorum nec inſanorum hominum ullus præſumpſit? O miranda ſupra modum arrogantia!* Audivimus *Ajacis* eloquentiam, quæ verba ſi dicerentur in *Manicheum* aut *Marcionem*, ſatis habebant amarulentiæ, nunc cum dicuntur in eum, qui pro ſua virili Sacros Libros repurgat a mendis, illuſtrans obſcura, explicans impedita, quid fingi poteſt inſanius aut dementius? In eos hæc erant detonanda, qui radunt, qui corrodunt, qui depravant Sacros Codices, qui perperam citant, qui perperam interpretantur Sacras Litteras, quorum de numero *Sutor* eſt, qui cum nihil ſciat, omnia præcipit, omnia pronunciat, omnia præſcribit. Talibus debemus quod habemus Sacros Libros adeo contaminatos.

Non ſubvertit Templum Domini, qui ſarcit ac reſtituit quod vitiavit caries, quod arroſere mures, quod detraxit ſacrilegus. Imo in Templis maxime venerandis ſemper eſt quod operentur artifices. Idem faciendum eſt & ſemper factum eſt in Libris Sacris. An is injuriam facit limpidiſſimo fonti, qui repurgat aut ſarcit canalem, qui tollit injecta cadavera? An is contaminat theſaurum Chriſtianiſmi, qui ſordes injectas conatur abſtergere? Neque vero falſitas eſt Scripturæ, ſed hominum, neque vitium eſt Scripturæ, ſed noſtrum: quod homines incurii invexere, fas eſt ab homine diligenti tolli.

Quæram & illud a *Solone* noſtro, num fas fuerit novum Teſtamentum Græce ſcriptum edere? Non negabit, opinor. Et jam factum erat in *Hiſpaniis*. Quis fructus ejus Editionis? Varius, ut jam frequenter oſtendimus. Addam unum, ut Græcorum Commentarios intelligamus Latine verſos. Frequenter enim illorum expoſitio non quadrat noſtræ lectioni, quod palam eſt in *Chryſoſtomo* ac *Theophylacto*. Ergo ſi multiplex utilitas erat ex Græcis, quæro num oportuerit eam utilitatem invidere iis, qui Græce vel omnino neſciunt, vel tenuiter ſciunt? Atqui nihil aliud præſtat mea Verſio. Unde igitur locus iſtis inſanis clamoribus *Sutoris*?

Petam & hoc a nomotheta novo, ſi mihi citandus ſit locus ex *Paulo*, utrum fas piumque ſit ſic referre, quemadmodum refert *Hieronymus* in *Ezechielem* Latine loquens, *cogitationibus inter ſe accuſantibus aut etiam defendentibus*, an ſervandus erit ſolœciſmus vulgatæ Tranſlationis? Item ſi parem citare locum ex *Actis*, utrum licebit eum referre verbis *Hieronymi*, an dicendum erit *omnia quæſtiones & conſuetudines*? Si ſequor *Hieronymum*, fateor hanc Editionem non eſſe *Hieronymi*: ſin minus, diſſentio ab *Hieronymo* ubi non oportet; & volens nolens coarguor hanc non eſſe *Hieronymi*, in qua reſideat, quod ille correxit.

Hactenus de Verſione noſtra. Nunc de Paraphraſibus, in quibus ſcire cupio, utrum reprehendit hoc ipſum, quod hoc ſcripti genus tentarim, an quod alicubi lapſus ſim. Si poſterius, nihilo plus ſit periculi, quam ſi lapſus eſſem in Commentariis. Certe Veterum probatiſſimos ſequutus ſum. Et ne quid periclitetur perſona, quam facio loquentem, id non ſemel teſtatus ſum Præfationibus meis. Alioqui quoties *Gregorius* dicit, *quaſi dicat*, periclitaretur perſona, cui ſermonem docendi gratia affingit, non quod ille talia dixerit, ſed ut intelligat auditor ſententiam.

Sin exiſtimat non eſſe fas id facere in Sacras Litteras, quod in *Ariſtotelem* fecit *Themiſtius*, adferat rationes, quare mihi non liceat uti continua paraphraſi, cum *Hieronymus* & *Auguſtinus* utantur in parte?

Si nihil offendit niſi novitas, ante *Thomam* nemo ſcripſerat catenam auream in Evangelia, & nihil eſt nunc vetus, quod non aliquando fuerit novum. Quin & illud ſcire velim, unde *Sutori* tantum auctoritatis, ut e ſuo cerebro pronunciet, quod hactenus nemo pronunciavit, ut divinet de animo noſtro, cum ſolus Deus ſit inſpector cordium, ut impudenter mentiens de præteritis, impudentius vaticinetur de futuris, ut cæteris diſſimulantibus, *Sutor* claudus proſiliat ferox ſimul & actor & judex & ſcurra, ut Eccleſiæ Primatibus atque etiam Synodis omnibus legem præſcribat, ne quid corrigant aut mutent ex hac vulgata Tranſlatione, ut hæreſeos ac blaſphemiæ crimen impingat ſummis Pontificibus, tot Epiſcopis, Theologis, eruditis juxta ac probis viris, qui collaudant & adjuvant negotium hæreticum & blaſphemum, niſi forte *Sutor* quoque raptus fuit

Digitized by Google

fuit in tertium illud cœlum, in quod raptus fuit falsus ille *Hieronymus*. Imo probabilius est *Sutorem* hunc abreptum in sextum gradum phreneseos, adhuc agitari simulachris earum rerum, quas olim audivit in *Sorbona*. Nec enim est eadem omnibus insaniæ species. *Hercules* furens videt nutare cœlum. *Ajax* pro Rege ac ducibus cædit porcos. *Orestes* matrem videt & Furias impetentes. Quin & hodie videmus nautas, si mens vitietur, somniare tempestates ac naufragia, milites bombardas, prædas, ac cædes, amantes amicas ac rivales. Ita *Sutor* sibi videtur adhuc sedere inter adolescentes, quos solitus est verbis ac verberibus territare, alium appellans onagrum, alium bubalum, aut cynocephalum, sua somnia dictans pro oraculis, & ex Theologorum conciliabulis ac colloquiis adhuc somniat hæreses, schismata, blasphemias, synodos, articulos, & palinodias.

Lubens & illud didicero, num Regi jus sit quavis de re legem ferre capitalem? Non opinor. Deinde si legem tulerit æquam, an ex ea possint ad pœnam vocari, qui nondum lata lege commiserunt quod lex vetat. Si tacet *Sutor*, una voce respondebunt Jureconsultorum filii, non posse. Unde igitur isti *Sutori* nova tyrannis? Subito prodidit novum oraculum, Hanc Translationem esse *Hieronymi*, eam solam sic esse proditam a Spiritu Sancto, ut nihil insit erroris, nec a quoquam potuisse depravari, & ad hanc emendandos Græcorum & Hebræorum Codices, non contra. De his qui dubitet, perversum esse, hæreticum, blasphemum, & insanum. Ex hac nova lege pronunciat de nostra Versione, quæ prodiit ante annos, ni fallor, decem.

Jubet nos e medio tollere, quod jam pridem per orbem sparsum volitat. Hoc denunciatum oportuit antequam emitteretur. Paraphrases jubet supprimi, vel certe viris doctis tradi castigandas. Eas supprimere scit ipse mihi in manu non esse. Viris doctis castigandas tradidi jam olim, qui eas publico judicio exposui, ultro etiam rogans eruditum Lectorem, ut admoneat, si quid offendit. Nec adhuc præter *Sutorem* quisquam exortus est qui calumniaretur Paraphrases, præter aliquot *Lutheranos*, quod illic maluerim Veterum interpretationes sequi quam ipsorum dogmata.

Primam Paraphrasim dicavi Cardinali *Grymano*, viro non vulgariter erudito. Egit gratias per Epistolam. Paraphrasim in *Matthæum* suscepi hortatu R. D. *Matthæi* Cardinalis *Sedunensis*, non imperiti Litterarum Sacrarum. Cæsar ex judicio *Joannis Glapionis*, *Lodovici Coronelli*, Episcopi *Palentini*, & aliorum qui tum aderant, per litteras egit mihi gratias. Hujus germanus *Ferdinandus* accepta Paraphrasi in *Joannem*, præter humanissime scriptas litteras, etiam munus honorarium misit. Idem fecit *Clemens* septimus. Unus *Sutor* improbat. Utris credam? Tantis orbis Principibus, an uni *Cartusiano*, qui ne tum quidem erat sani cerebri, priusquam hoc vitæ genus profiteretur?

Ego semel lucubrationes meas omnes submisi judicio Ecclesiæ. Illius est designare judices, si quis nodus sit judice dignus. Cæterum eruditos omnes libenter audiam, si quid admoneant aut doceant, modo meminerint se quoque in judicando labi posse, quemadmodum ego videor lapsus in scribendo, mihique permittant, ut ipsorum sententiam vicissim expendam. An postulat *Sutor*, ut statim ad cujusvis clamorem curramus ad palinodiam? Cum aliis valde placeant, quæ offendunt alios, erit & palinodiæ canenda palinodia. Nonnunquam & mendaci palinodia recantandum erit quod verissimum est, & profitendum quod est falsissimum. Agnoscam crimen falsarii, quod in *Matthæo* pro *debitis* verterim *delicta*, cum id sit falsissimum. Recantabo, quod in *Luca* verterim *peccata nostra*, quod aliter verti non potuit, & itidem vertit Interpres vetus. Profitebor errorem, quod scripserim orthodoxos aliquot legisse, *In principio erat sermo*, & ita recte legi posse, cum id sit verissimum. Profitebor me corrupisse locum apud *Matthæum*, quod verterim *verebuntur filium meum*, omisso adverbio *forte*, cum res ipsa doceat a *Matthæo* non additum adverbium. Profitebor me falsarium & hæreticum, quod in Epistolæ ad *Corinthios* prioris cap. xv. verterim, *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*, cum hoc verterim quod solum reperi in Græcorum Codicibus, indicans variam lectionem, non damnans quod habet nostra Translatio, cumque sensum Græcæ lectionis, tum *Augustinus*, tum ipsa res doceat esse orthodoxum. Et eadem opera profitebor me sustulisse resurrectionem mortuorum, quod annotarim quosdam in hac fuisse sententia, ut crederent eos, quos adventus Domini reperisset vivos, non morituros, sed tamen immutandos. Profitebor me hæreticum, quod negarim matrimonium esse sacramentum proprie dictum, eo quod annotarim ex verbis *Pauli*, *Sacramentum hoc magnum est*, non satis evinci quod affirmant Theologi. Profitebor intolerabilem errorem, quod alicubi scripserim *Hieronymum* non fuisse virginem, cum ipse palam affirmet se fuisse, quod in libro *de custodia virginitatis* ad *Eustochium* scribat hunc in modum: *Virginitatem non tantum efferimus, sed servamus*. Theologus quidam magni nominis, *Hic*, inquit, *coarguitur* Erasmi *impudentia. Nemo servat quod non habet*, Hieronymus *servat virginitatem*, *habet igitur*. Atqui *Hieronymus* ei libro titulum indidit *de custodia virginitatis*. Est enim duplex propositum scribentium de virginitate, alii laudant exhortantes ad illam, alii docent, quibus modis thesaurus ille vitreus tuto possit servari. Proinde qui cupiunt audire laudes virginitatis, eos relegat ad *Tertullianum*, ad *Cyprianum*, ad *Damasum*, ad *Ambrosium*, qui id copiosissime præstitissent, sibi magis esse propositum in eo libro, ut servet virginitatem, quam ut efferat. Hoc sentiunt ejus verba, *non tantum efferimus, sed servamus*. Servat enim ille, qui servandi rationem tradit. Suam non servat, quam amiserat, sed *Eustochii* virginitatem servat. An Eunuchus servans uxorem Principis, habet eam uxorem, aut subulcus qui servat sues conductus, habet sues?

Agnoscam crimen inexpiabile, quod mea Versione prodita, quod provectis industria mea Linguis ac bonis litteris, quicquid erat bonarum rerum profligarim e mundo, quicquid malarum invexerim. Hinc enim natum *Lutheranorum* & *Carolstadianorum* incendium, hinc odium Episcoporum & Sacerdotum, hinc animos populi a Monachis aversos, hinc Theologici nominis contemptum, hinc quod a Medicis parum diligenter curantur ægroti, hinc quod causæ litigantium non satis expediuntur, hinc quod fœminæ minus sollicite curam gerunt rei familiaris, hinc quod coqui parum scite condiunt sua jura, hinc quod agricolæ tumultuantur adversus Principes, Monachos, ac Sacerdotes, hinc quod impii milites inclementer tractarunt urbem *Trecas*, nihil reveriti vicinum *Sutorem*. Hæc sunt quæ tragicis vociferationibus exaggerat *Sutor*, horum exigit palinodiam. Et hujus generis sunt admonitiones quorundam Theologorum, qui sibi primas occupant. Hæc tam stupida produnt libellis, vociferantur in concionibus, pronunciant in prælectionibus publicis, deblaterant in conciliabulis. Et ô pertinacem *Erasmum*, qui talibus monitoribus non auscultet, ô plus quam asinum, qui tali cithara non demulceatur. Nec adhuc quisquam illorum resipuit, ut manifestissimam agnosceret calumniam, ut insaniæ puderet. De his quid aliud suspicari possum, quam quod res ipsa loquitur, eos aut mente commotos esse, aut odio livoreque cæcos ferri præcipites. Quidam quæ laudarunt propitii, carpunt offensi: & quod prius erat pium, fit hæreticum verso pollice. Quidam fortiter damnant quod non legerunt. Mox ne pudefiant ob manifestariam calumniam, venantur alia quæ calumnientur. Ita consulunt Theologico nomini. An fidendum talibus? Cum tales comperiamus inter Theologos, num protinus ut hic aut ille clamarit errorem esse, procidemus, & puerorum more, qui vapulaturi sunt, agnoscemus culpam, etiamsi culpa non sit? Qui monetur homo est, si Deus est qui monet, æquum est non respondere, sed simpliciter obtemperare. Nunc qui monet non minus est homo, quam qui monetur, par est igitur, ut moderatius admoneat, & vicissim audiat, ne forte cæcutiat in judicando.

Digitized by Google

Quod si criminaliter agit, saltem ea lex sit inter nos, quæ solet esse in judiciis. Qui intentat crimen falsum, vocatur ad pœnam talionis, *Sutor* exigit palinodiam, canat ipse prius palinodiam, tot erratorum, tot mendaciorum, quæ congessit in hunc librum. In causis forensibus est rejectio judicum. Nobis non erit fas eos rejicere, qui tam manifeste delirant in multis, qui tantum odii, tantum malitiæ, tantum impudentiæ præ se ferunt? qui carpunt quod non intelligunt, qui damnant quod ne legunt quidem?

Res ipsa declarat *Sutorem* non legisse mea quæ carpit, & tamen nihil crepat, nisi hæreses, blasphemias, & schismata. Ne Tyranni quidem pronunciant nisi cognita causa. Unde isti Areopagitæ tantum auctoritatis, ut solus damnet inaudita causa? Imo quis genius malus agitavit animum istius *Cartusiani*, ut in dedecus *Gallicæ* gentis, in dedecus ordinis hactenus venerandi, in dedecus nominis Theologici sumeret tantum operæ in consarcinandis aliorum calumniis, & novus histrio fabulam veterem & explosam revocaret in theatrum, eamque tam non dextre saltaret, ut etiamsi per se bona esset fabula, tamen saltator Cyclops redderet eam invisam? Opto *Sutori* bonum ac fidum Medicum, & si malum arte superius est, opto peritum Psaltem, qualis erat *David*, qui modulis efficacibus abigat ab eo Spiritum malum. Si ne is quidem reperietur, ad Exorcistam, velut ad sacram ancoram, confugiendum censeo. Hîc me vocabit contumeliosum. Gravior est contumelia semel appellare hæreticum qui non sit, quam centies appellare *Sutorem* furiosum, quem si maxime prædicarem esse sanum, ipse quem evulgavit reclamaret liber. Veluti si claudus prodeat in publicum, nihil illi profuerit, si nemo claudum appellet, cum nemo non intelligat vitium corporis. Satis erat dissidiorum ac tumultuum in mundo, etiamsi hæc *Alecto* non personuisset sua tuba.

Etenim si qua Furia veniret ab inferis, concitatura tumultus inter homines, quid posset furiosius hoc libro *Sutoris*? Quanto magis conveniebat Theologo, seni, *Cartusiano*, nec vulgari more nec semel mundo mortuo, meditari, quod mundum tumultuantem ad concordiam, quod animos Principum ad pietatis studium, quod populum ad tranquillitatis amorem redaccenderet. Proposuisset sibi *Brunonem*, quem jactat patrem, quem facit Ordinis sui principem. Proposuisset sanctum *Bernardum*, quem mellifluum Doctorem vocat, quanquam hic est unus ex eorum numero, quos *Sutor* sub fumario doctos appellat. In hoc argumento quid aliud erat *Sutor* quam *canis*, quod ajunt, *in balneo*? A Theologo, qui se post palæstram *Sorbonicam* recepisset in secessum *Cartusianum*, exspectabatur aliquid, de mysteriis Psalmorum, de orando, de contemplatione rerum cœlestium, de revellendis affectibus carnis, de arcanis afflatibus piorum. Et si nondum exciderat *Sorbona*, cum minus ignoraret inter Theologos esse, qui minus ea præstarent quæ requirit Theologiæ professio, debebat aliquid excudere, quod illos in viam reduceret. Deinde cum itidem experimento comperisset, inter *Cartusianos* esse triplex hominum genus, unum quod vere meditaretur mortificationem carnis, alterum quod carnis affectibus obnoxium nihil habet *Cartusianum* præter cibum cultumque reliquaque quæ corporis sunt, tertium quod in ceremoniis constituit finem pietatis, debebat primum genus exstimulare ad sublimiora, secundum revocare ad ea quæ sunt bonæ mentis, tertium erudire, ne in his rebus conquiescant, in quibus non est vera religio, sed adminicula parata infirmis, ut per hæc proficiant ad veram pietatem spiritualem. Hoc erat vere favere Ordini Theologico. Hoc erat bene velle genti *Cartusianæ*. Nunc satis esse putat, si subinde dicat, pater *Bruno*, si se profiteatur *Cartusianum*. Qui dicit pater *Bruno*, præstet *Brunonis* spiritum. Qui se prædicat *Cartusianum*, exhibeat animum, hujus mundi cupiditatibus mortuum, odio, livori, gloriæ, malevolentiæ, detractioni, viventem autem sobrietati, modestiæ, charitati. Harum rerum ne mica quidem apparet in hoc toto libro.

Erat satis argumentorum in quibus exerceret calamum prurientem, si non poterat quiescere. Sed stimulabat miserum gloriæ sitis, malebat magnam famam quam bonam, malebat citam gloriam quam perennem. Sit hoc vanum, nisi totus hominis liber undique spirat *Thrasonicas* glorias. Verum cum sic esset affectus, adeone erat inops ingenii, ut non valeret aliquod argumentum invenire novum & ab aliis intactum, qua se quoque posset tollere humo, *victorque virûm volitare per ora*. Cæterum in argumento jam a multis tractato quid sperabat laudis, nisi publicam materiam tractandi dexteritate privati juris facere potuisset? Quod si maxime placuit hoc argumentum, quo minus in eo valebat ob Linguarum insicitiam, hoc debebat magis temperare stilo. Nunc ad indecoram maledicentiam abusus solitudine & otio *Cartusiano*, suam prodidit intemperantiam, ne dicam insaniam, me nihil docuit, & adeo non reddidit meliorem, ut, ni me confirmaret gratia *Jesu Christi*, potuerim & ipse cum insaniente insanire. Ac nunc quoque mihi displiceo qui protractus sim in hanc gladiatoriam arenam. Libebat obticescere, nisi impietas esset agnoscere crimen impietatis, cujus mihi conscius non sum. Certe corpusculum hoc haud gravatim impenderim pro gloria *Christi*, tantum abest ut mea scripta velim adversari gloriæ illius. Omnia convitia feram satis æquanimiter, ad hæreseos & blasphemiæ crimen mutus esse nec volo nec debeo. Interim & simplex Lector fraudatur utilitate, quam capere poterat e lucubrationibus meis. Nec dubito quin sint inter *Cartusianos* qui talem magistrum nostrum ordini suo gratulentur, fortassis & hunc addent arbori glorioſæ, qua solent Episcopos, Cardinales, ac Theologos ordinis sui depingere. Non ambio ut quisquam legat libros meos in gratiam meam, si non invitat utilitas. Illud non dubitem affirmare, *Cartusianos* majore cum fructu lecturos Paraphrases ac Versionem meam, quam si legant hujusmodi libellos, qualis hic est *Sutoris*. Proinde si *Cartusiani* gloriari volunt, ne glorientur in maledicis *Sutoribus*, sed in Domino glorientur. *Paulus* Apostolus, cui tot erant argumenta gloriandi, non gloriabatur, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, & *Cartusiani* gloriantur in glorioso Rabino? Non hæc dico, quod existimem *Sutorem* placere *Cartusianis*, scio hujus intemperias ejus ordinis optimo cuique displicere. Quod si omnes vere favent ordini suo, sollicitent Dominum precibus suis, ut det huic *Sutori* mentem saniorem, mihique concedat otium utiliora meditandi. Jam enim accingebar ad libros, olim a me promissos, & a multis flagitatos, *de ratione concionandi*, ni latrator iste de improviso prosiliisset. Sed tamen ad institutum negotium me recipio.

DESI-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
APPENDIX
RESPONDENS AD QUÆDAM
ANTAPOLOGIÆ
PETRI SUTORIS.

MULTIS jam annis nihil a me factum memini, cujus æque pœnituerit, ut quod priori libello *Petri Sutoris* respondi, tantum abest, ut nunc velim illius *Antapologiæ* respondere, in qua seipsum impotentia maledicendi longe superavit. Eam non legi, nec legere est animus. Tantum primas aliquot paginas percurri, & pauca quædam carptim ut in oculos incidebant annotavi, non sine gravi gemitu, videns eò recidisse mores Christianorum, ut ab his, qui Religionis debebant esse columina, talia nobis proficiscantur, qualia nullus Ethnicus unquam deblateravit in Ethnicum. Res enim in manifestam rabiem exiit. Nihil habet pensi quid dicat, tantum magna libertate, sine fronte, sine mente detonat, quicquid illi suggessit splendida bilis. Nec ipse tamen e scriptis meis collegit quæ reprehenderet, sed e *Lei Stunicæ*que notis mutuatus est convitiandi materiam, & si quis quid illi præterea suorum Commentariorum suppeditavit. Nec dubito, si *Lutheri* Servum arbitrium legisset, quin fuerit hinc quoque multam calumniarum vim hausturus. Verum illud parum pudenter facit, quod illorum reprehensiones objicit, & in immensum exaggerat, dissimulans quid illis responderim. Proinde frequenter accidit, ut manifestissimæ vanitatis sint quæ objicit, & tamen ex his verbosissimas excitat tragœdias, quibus si parem respondere, repetenda forent omnia, quibus illorum reprehensiones dilui. Quoniam autem non video quid bonæ rei nasci possit ex hujusmodi rabiosis contentionibus, satius esse duco negligere, & interim deprecari Dominum, ut talibus det mentem sobriam, ac Theologi Monachique professione dignam. Tantum gustum præbebo Lectori, paucis locis propositis, ut ex his cujusmodi sint cætera possit æstimare. Cum ego neminem unquam impetiverim stilo, nisi atrociter lacessitus, semper tamen hîc quoque civilitate vincens provocatorem, tamen *Sutor* me facit adeo maledicum, ut nec Deo, nec Dei Filio, nec ejus sanctissimæ Matri, nec Divis, nec ulli mortalium generi pepercerim.

Primum igitur ut me declaret blasphemum in Deum, profert ex *Moria* locum, olim arrosum a *Martino Dorpio*, vel ut melius dicam, ab aliis per *Dorpium*, quod Deo tribuerim stultitiam. Verum dissimulat quod *Dorpio* respondens declararim illic nihil esse tale; fortassis illud reprehendi poterat, quod inepte locum Theologicum admiscuerim argumento jocoso. Habes unam blasphemiam, sed mihi cum Apostolo *Paulo* sacrisque Doctoribus communem, qui Deo tribuunt stultitiam eodem tropo, quo ego tribui. Accipe alteram. Ludens alicubi *Moria*, quod opus jam olim consopitum *Sutor* revocat in memoriam, vindicat sibi gloriæ partem ex inventis artibus, quod aliquot rerum cognitionem reperit casus, quem *Plinius* ob hoc Deum facit. Sed casus *Moriæ* comes est: ubi enim consilium & prudentia, ibi nec casus est, nec *Moria*. Multa item reperit stultorum magistra experientia. Sapientes autem ad experiendum incognita segnes sunt & cunctabundi. Non enim sapiens fuit, qui primus ausus est per Oceanum navigare. Deinde in Cantico *Annæ* legitur: *Deus scientiarum Dominus est*, hoc est, Deus novit abdita cordium, & rerum exitus, qui non semper respondent hominum exspectationi, sequitur enim, & ipsi præparantur cogitationes: sic & Veteres interpretantur, & ipse Psalmi tenor hunc sensum præbet. Nunc *Sutoris* audi syllogismum: *Deus novit arcana cordis, & præscit rerum exitus.* Hæc est major. *Sed multa res reperta sunt, non hominum prudentia, sed casu.* Hæc est minor. *Ergo* Erasmus *blasphemiam dixit in Deum. Plinius* dicit remedia a mutis animantibus esse monstrata, & hirundines docuerunt artem linendæ maceriæ. Si idem diceret *Erasmus*, num *Sutor* occineret mihi, Deus scientiarum Dominus est, & mihi blasphemiæ crimen impingeret? In has tam horrendas blasphemias fortiter destomachatus, hausit tertiam ex *Methodo* mea, in qua, quemadmodum *Sutor* ait, alicubi *Christum* appello *ceu Proteum quemdam ob doctrinæ vitæque varietatem, & quod aliquoties dissimularit divinam naturam, puri hominis speciem præ se ferens.* En hîc tibi *Sutoris* enthymema: *Christus est Deus, & Deus est immutabilis. Ergo blasphemus est Erasmus.* Opponam enthymema simile, *Christus est Deus, Christus mortuus est & revixit, esurit & satiatus est, lassatus est & recreatus, fuit infans & adolevit. Ergo in Deum cadit mutabilitas.* Quanquam dissimulat *Sutor*, quod illic non tribuo *Christo* varietatem, sed speciem aio fuisse variam, qua se nobis exhibuit. Hæc varietas erat dispensatio consilii divini, non mutatio divinæ naturæ. Sic nimirum ipse Deus in veteri Testamento nonnunquam loquitur per somnia, nonnunquam per visiones, aliquando per ora Prophetarum, interim prodigiis & miraculis, interdum per Angelum, alias ore ad os. Interdum acriter punit, interdum clementissime revocat. Sic nobis varius est Deus, cum ipse suapte natura sit immutabilis. Jam *dissimulandi* verbum non putat competere in Deum, cum legamus *Sapientiæ* XI. *& dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam:* cumque in *Evangelio* de *Christo* legamus, *finxit se longius ire.* Durius est *fingendi* verbum, quam *dissimulandi.* Quod dixi eum dissimulasse divinam naturam, sic interpretatur quasi senserim eum ubique & apud omnes dissimulasse. Cum jubet tres Discipulos silere quod in monte viderant, nonne dissimulari voluit majestatem suam? Cum interrogat *Herodianos, Cujus est hæc imago & inscriptio?* nonne dissimulat divinam naturam? Denique quoties sese fame, siti, lassitudine, lachrymis, ira, tædio verum hominem declarat, nonne apud *Judæos* dissimulat naturam divinam? An Apostoli ante missum Spiritum Sanctum, aut certe ante resurrectionem, liquido intellexerint illum esse Deum & hominem, in medio relinquo. Certe multa postea dixit fecitque *Petrus*, ex quibus videtur de *Christo* veluti de homine cogitasse. Denique si nullo pacto dissimulasset divinitatem suam, non fuisset crucifixus. Sic enim *Petrus* in *Actis: Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quod autem *Sutor* hîc admiscet de ficta *Christi* doctrina, dicens, *ut interim de fictione eruditionis taceam*, mera sycophantia est. Tale nihil a me nec scriptum nec cogitatum. Rursus hîc mihi considera enthymema: *Alicubi significationem dedit divinæ naturæ. Igitur nusquam dissimulavit.* Et his næniis ἐνιφωνεῖ, *O sacrilegam linguam & in frusta discerpendam!*

Mox objicit blasphemiam in sacratissimam Virginem *Mariam.* Ad hujus probationem assumit quædam manifesto falsa. Primum non licere nobis de rebus divinis loquentibus aliis uti verbis, quam quæ reperiuntur in Sacris Litteris. At quot novis verbis utuntur Theologi de divinis Personis disputantes? Deinde assumit *coïtus* vocem esse obscœnam, cum sit verecunda, significans rem non turpem, sed cui debetur orationis honor: verecundius autem *coïtus* significat congressum uxoris cum marito, quam *concubitus*, & tamen *concubitus* vocabulum non horruit *Paulus.* Deinde fingit me loqui de divina natura unita humanæ in *Christo*, cum

Digitized by Google

ego loquar de Deo Patre & Virgine. Imaginatio non erat impia, quam hauserim partim ex *Hilarii*, partim ex *Joannis Damasceni* verbis. Imaginabar enim Deum Patrem sponsum, Virginem Dei sponsam, Angelum paranymphum, qui sponsi voluntatem detulit & Virginis assensum excepit, *Ecce ancilla*; hîc erat quidam matrimonii contractus. Deinde Patris majestas obumbravit Virginem; hîc erat quidam arcanus complexus, & quod viri semen peragit in vulgari conceptione, hoc in Virgine peregit ineffabili modo Spiritus Sanctus. Sed offendit *coitus* verbum, verum addo, *novus*, *ut ita dicam*, *coitus*, nimirum cœlestem quemdam congressum sponsi ac sponsæ significans, quo Pater quodammodo Filium suum, quem ab æterno gignit, denuo genuit ex Virgine; hîc iste vociferatur, periculum esse ne Virgo videatur ex hoc congressu perdidisse virginitatem suam. Addit alia quædam, quæ mihi ne per somnium quidem venerunt in mentem, de *Gabriele*, quasi is Virginem suo complexu fecerit gravidam, tam abominanda, ut non sine horrore legerim. Jamque periculum esse putat, ne sanctissima Virgo videatur bis constuprata, semel a Deo, rursus ab Angelo. Et in his blasphemiis, quas impudentissime fingit, velut in re seria, Theologus *Cartusianus* argumentatur, colligit, disputat, denique tragicis exclamationibus miscet omnia. Et hanc calumniam hausit ex Annotationibus *Lei*, dissimulans quid ibi responderim. Similibus argumentis objicit blasphemiam in Apostolos, cum ea verba, quæ nullam habebant blasphemiam, sed offendebant quosdam, ut ex *Martino Dorpio* cognoveram, sustulerim in secunda statim Editione. Id cum sciat ex his, quæ *Leo* respondi, tamen dissimulat. Hinc ut faciat me blasphemum in *Petrum* & *Paulum*, objicit quod impegerim utrique simulationem. Negat autem in Apostolos convenire verba *simulandi* ac *dissimulandi*, cum *Paulus* ad *Galatas* secundo *Petri* factum appellet *simulationem*, & *Augustinus* vocat *superstitiosam simulationem*, rursus *pravam simulationem*. Cur has blasphemias non exagitat *Sutor*? Nec animadvertit me, cum utrique tribuo simulationem, non meam referre sententiam. Lege Lector quæ super his scripsimus annotantes in secundum caput ad *Galatas*, & perspicies impudentissimam *Sutoris* calumniam, cum illic adversus Veterum opinionem tuear Apostolorum sinceritatem.

Jam cum per occasionem indico, quod non probem in sacris Doctoribus, veluti cum aio divum *Hieronymum* alicubi varium sibique parum constantem, perinde vociferatur quasi totum *Hieronymum* damnem. At cum ipsa scripta doceant hoc aliquot locis esse verum, quid faciet *Sutor*? Item cum aio Veteres in allegoriis alicubi ludere, clamat me damnare omnes omnium allegorias. Rursus cum indico *Ambrosium* aut *Hieronymum* pugnantes adversus hæreticos alicubi torquere Scripturas, vociferatur totam illorum auctoritatem per me sublatam. Prius excuset loca quæ produco, deinde clamet. Id si non potest, taceat, aut fateatur esse verum quod scripsi. Clamat esse falsum quod scripseram *Augustinum* ad Episcopi munus adscitum juvenem ac neophytum: & addit ex *Lei* verbis, quod *Paulus* vetuit. Imo non dixi juvenem factum Episcopum, sed adscitum ad functionem Episcopi, mox enim Presbyter pertractus est ad docendum populum, quod ipse queritur in Epistolis. Et si dixissem quod calumniatur *Sutor*, eadem opera, qua me clamat mentitum, vanitatis damnat & *Hieronymum*, qui in Epistolis ad *Augustinum* jam Episcopum, & fortassis aliquot annorum Episcopum, juvenem eum vocat. Bellum vero quod nobis hîc velut Evangelium objicit orationem quamdam de baptismo *Augustini*, falso inscriptam *Ambrosio*. Itidem facit me blasphemum in Præsules, quod scripserim, *Tuere auctoritatem*, *sed cura ut adsit spiritus*. Rursum quod tyrannidem appellarim auctoritatem Episcopi, suum non *Christi* negotium agentis. Quomodo distinguit *Aristoteles* Regem a Tyranno? Nimirum quod hic sibi gerit regnum, ille Reipublicæ. Cur non idem dicere liceat de Episcopo? Et multis locis doceo malis etiam Episcopis obediendum, nisi præcipiant impia. Quorsum igitur hîc hæreseos mentio? Satis autem impudenter objicit, quod nescio quis *Lutherisans* annotavit in margine: quanquam ne illic quidem multum est vitii, nisi torqueas. Post hæc sicubi per occasionem taxo curiosas & supervacaneas Theologorum quorumdam quæstiunculas, ex propositione indefinita aut etiam particulari facit universalem, sic vociferans, quasi omnes omnium Theologorum quæstiones in totum damnarim, & hoc eò facit impudentius, quod aliquot exempla proferam ejusmodi quæstionum, ne cui videar de omnibus loqui. Et cum tot sint in orbe Theologorum legiones, me provocat ut unum proferam, qui non lectis Sacris Libris, ne *Petri* quidem *Lombardi* Sententiis, tantum in quæstionibus sit exercitatus. Protinus hîc aperiuntur loci communes, quam sit res salutifera exerceri in Litteris Divinis, & Scholasticis Diatribis adversus hæreticos armari, quantaque sit impietas damnare disputationem, cum ipse *Christus* disputarit. Disputavit & *Paulus*, sed non de instantibus. Hîc obiter impingit, quod in Epistola *Petri* pudendam interpretationem intulerim de *vasculo muliebri*, cum ego ne somniarim quidem unquam ibi *vasculum muliebre* aliud significare, quam ipsam mulierem. Non ego sic interpretatus sum, sed sic calumniatus est *Leus*, cujus reprehensionem legit, ut esset quod carperet, Apologiam meam non legit, ne proximo impingeret evidens mendacium. Simili dialectica, si quid generatim admoneo Monachos, ne summam pietatis ponant in ceremoniis, clamat a me damnari Monachorum ordines, & populos universos. Ex his tam belle probatis sic colligit epilogum hunc: *Satis audisti mi Lector, quemadmodum maledictus* Erasmus *temere detraxit omnibus, hoc est, Deo, Christo, beatæ Virgini, Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, Patribus, Pontificibus, Theologis, & Religiosis.*

Ubi mire taxat ordinem Apologiæ nostræ, inter exempla, quibus ipse mecum pugno, ponit hoc. Dixeram, *Si* Damasum *opponas* Leoni & Adriano, Pammachium & Chromatium *tot eruditis Theologis & Episcopis, non sum admodum inferior* Hieronymo, *sive spectes auctoritatem, sive doctrinam, sive vita integritatem.* Alibi dixi, quod *alicubi* Sutor *me profanum confert cum divo* Hieronymo, *ut fateor, nihil esse simile, ita stulte comparat me mortalem cum vita defuncto.* Hæc inter se pugnare credit, cum in priore parte meas dotes non conferam cum dotibus *Hieronymi*, sed eos, quibus auctoribus & approbatoribus scribo, confero cum his, quorum auctoritate & applausu scripsit *Hieronymus*. In secunda parte de meis ac *Hieronymi* dotibus loquor, in quibus nego quicquam esse simile. Vides Lector miram pugnantiam. Et hujus generis sunt cætera, quæ prætermitto, ne frivolis onerem te. Cum tam multa jaculatus sit in Linguas ac bonas litteras, cumque tam multi publicis concionibus digna atque indigna detonarint in hæc studia, negat ullum Theologum esse tam insanum, ut oderit bonas litteras. Et quicquid dixit, sic interpretatur, quod non dixerit in ipsa studia, sed in homines studiis bonis utentes male. At cur non eodem interpretatur modo quod ego loquor in Theologos ac Monachos? In hoc perpetuo peccat, si quid loquor de nævo translatoris, aut scribæ, ille torquet ad Scripturam a Deo traditam, quasi carpam illam. Quod scripseram Ecclesiam tolerare quædam errata, & fieri posse ut erret in aliquo, quod ad fidei summam non pertineat, trahit ad universam, & ad fidem bonosque mores, quos excipio. Omitto novam differentiam inter *ignorare* & *nescire*. Jam quod ait me scripsisse, *Matthæum* male citasse vaticinium Prophetæ, *Et tu Bethlehem*, &c. nusquam est in meis scriptis ista blasphemia, sed adfero *Hieronymi* testimonium, affirmantis hoc loco Evangelistam a Propheta non solum verbis dissidere, sed etiam sensibus esse contrarium, atque hanc pugnantiam conor illic tollere. Quoniam dixeram Hebraïce peritos affirmare *Hieronymum* in multis esse lapsum, in me destomachatur, quasi hoc a me dictum sit. Atqui hoc non solus *Leus* prædicavit, verum etiam *Hieronymus Aleander*, & omnes quotquot audivi sermonis Hebræi peritos, adversus quos frequenter pro *Hieronymo* depugnavi. Scripseram quod scribit *Hieronymus*, *Tertul-*

Digitized by Google

tullianum invidia Clericorum pulsum ab Ecclesia. Sic interpretatur, quasi sentiam hæreticos non submovendos ab Ecclesia. De his loquutus sum, qui cum hæretici non sint, tamen ob invidiam rixis & contentionibus expelluntur ab Ecclesia. Quod aio a Veteribus de *Apocalypsi* dubitatum, sic exagitat, quasi scripserim me dubitare. Quod in lib. *de vera & falsa pœnitentia* citatur *Augustinus*, in argumentum traxi opus hoc non esse *Augustini*, ille sic diluit, *Augustinus* ibi de seipso sub tertia persona loquutus est. Et negat ibi refelli sententiam *Augustini*, satis impudenter, cum ipsa res aliud loquatur. Quod autem indignatur hoc opus detrahi *Augustino*, *Jacobus Latomus* in publica Schola confessus est *Lovanii*, non esse illius. Satis seditiose fingit me mordere Senatum Parlamentarem, imo noto quosdam magistellos, qui bonam legem male exsequuntur, servientes suis affectibus, quorum nomina non sunt ignota. Quasi vero nesciamus quibus technis ista peragantur. Itaque cum ego de Senatoribus ne cogitarim quidem, perinde quasi totius Senatus majestatem læserim vociferatur, *Punite hominem quamvis absentem. Non est opus probatione, habetis ipsius scripta.* O clementiam Theologi *Cartusiani!* Lector nonne tibi videris audire *Annam* laceratis vestibus exclamantem, *Quid adhuc egemus testibus? audistis blasphemiam.* Si *Annas* & *Cajaphas* habuissent tales accusatores, nihil opus habuissent rejicere testes, *Sutor* unus expedisset criminationem. An lædit Pontificis majestatem, qui diplomata quædam dicit esse surreptitia? Nonne malorum astutia frequenter imponit bonis? Solus Deus judex est, quem nemo potest fallere. Rursus cum ego dico genus esse *Cartusianorum*, quod carnis affectibus obnoxium est, ille interpretatur de voluptatibus, cum ego magis loquar de livore, odio, gloria, fiducia sui. Obnoxios carnis affectibus oppono iis, quos primo loco posueram vere *Cartusianos*, qui studeant mortificare carnem. Cum in tertio genere ponam aliquot superstitiosiores, qui pietatem collocant in ceremoniis, ille fortiter negat ullum esse talem in toto ordine.

Cap. VIII. pueriliter nugatur de *hypothetica* & *categorica*, & hanc profert hypotheticam, *Si* Matthæus *scripsit Hebraice*, *Exemplar ab* Hieronymo *visum non est*. Imo non hæc est mea propositio, sed *Sutoris*: sic enim loquutus sum, *videtur* Matthæus *non scripsisse*, *& si scripsit*, Hieronymus *non vidit Exemplar*. Conjunctio, *si*, non est hîc conditionis, sed concessionis. Quasi dicas, *Joannes* non habet pecuniam, & si haberet, tibi non dabit. Non igitur facio ex categorica hypotheticam & contra, sed duas propono categoricas, quarum alteram si non obtineo, alteram tamen urgeo: sic autem proposui *Stunica*: *Aliquoties admonueram mihi non videri*, Matthæum *Evangelium suum scripsisse Hebraice*, *aut si scripsit*, ab Hieronymo *non fuisse visum*. Ubi est hîc conditionalis? Disjunctiva est bicornis: *Aut non scripsit* Matthæus *Hebraice*, *aut certe* Hieronymus *hoc Exemplar non vidit*. Nec refert hîc utrum copulativam usurpes conjunctionem an disjunctionem, ob peculiarem usum *si*. Copulativa fuerat, si dixissem, Matthæus *non scripsit & Hieronymus non vidit*. Nunc nec hypotheticam posui, nec copulativam. Cap. X. contendit totum vetus Testamentum ab *Hieronymo* versum: *id declarant*, inquit, *præfationes*. Imo præfatio, quam præfixit Commentariis in *Ecclesiasten*, declarat *Hieronymi* Translationem in publico usu Ecclesiæ non esse, & præfationem in Codices vulgares translatam ei, quam legimus, Versioni non respondere. Id enim vertit quod exponit, sed quod exponit diversum est ab eo quod nunc legit usus Ecclesiasticus. Hunc nodum expediat *Sutor*. Cum *topica* proposuisset veluti probabilia tantum, sic explicat se, ut addat *proprie topica*. Deinde quod dixi, *a definitione ad definitum esse necessariam probationem*, fatetur esse bonam *consequentiam*, *probationem* esse negat. Atqui hoc *probationis* verbo delectatus est *Quintilianus*. Et hujus argumentationis exempla ponunt *Aristoteles*, *Boëtius*, *Tullius*, & *Quintilianus*. *Repetitio principii* fortasse dici posset, si definitio & definitum vel æque nota essent, vel æque ignota. Nunc sæpe contra est, ut *tyrannus est, qui sibi gerit principatum*. Quod dixi, *demonstrationes ex iisdem sunt principiis*, depravat, quasi sensérim syllogismum demonstrativum non differre ab eo, qui proprie dicitur dialecticus, cum ego sentiam ex genere, specie, differentia, & proprio velut ex principiis constrúi demonstrationes. Deinde carpit, quod nesciam differentiam inter *probationem*, *illationem*, & *consequentiam*, quam inepte *collectionem* vocem. Imo has nænias, quarum putat me nihil scire, didici non omnino infeliciter natus annos tredecim, hoc *Sutore* superior, quod *Aristotelem* Græcum non semel evolverim, ex quo possum ostendere ducenta loca, quæ *Sutor* hactenus non intellexit: si tamen unquam legit *Aristotelem*. Cum præcipiam de dialecticis, tum distinguam *probationem*, *consequentiam*, *illationem*, & *collectionem*, nunc his verbis juxta nativam significationem & doctorum consuetudinem usus sum. In opere *de ratione conscribendi Epistolas* distinxi & ipse formas argumentationum, quas in præceptionibus distinguunt Rhetores, in orationibus non observant. Objicit, quod *amphibologiam* posuerim pro *æquivocatione*. Quid mirum? Non enim interpretabar elenchos *Aristotelis*, sed ubicunque est æquivocatio, ibi est amphibologia, non contra, dicens igitur amphibologiam, non excluси æquivocationem. Alibi objicit mihi, quod nesciam discrimen inter *causam per se* & *causam per accidens*, sive inter *causam* & *occasionem*, & hæc quæ pueri tenent docet nos velut arcana sapientiæ. Adeo quod ipse didicit in Scholis, arbitratur *Erasmum* nusquam potuisse discere. Similiter objicit alibi, quod non intellexerim quid sit *sophisma*. Quicquid scite excogitatum est Græcis dicitur *sophisma*, neque tamen nescio quid Dialectici vocent *sophisma*. Alicubi dicit me nihil scire in Philosophia, Logica, naturali, morali, cum Logicæ pars sit Rhetorica. In morali me diligenter versatum declarant libri mei. Naturales illas speculationes de principiis, de materia prima, de motu, de tempore, de infinito, adolescens attigi, sed his non sum perinde delectatus, etiamsi nihil non legi. Libros de animalibus & similes diligenter excussi. Jam cum Rhetorica nihil differat a Dialectica, nisi quod manus complicata ab explicata, quomodo nihil Dialectices scit *Erasmus*? Sed ineptum sit hîc contendere quid sciam aut nesciam in Philosophia.

Folio 93. probaturus quod *Damasus* approbaverit *Hieronymi* castigationem, *Platinam* nobis adducit. Sed unde docet hoc *Platina* recens auctor? Itidem alibi nobis citat Epistolam insulsam pro *Hieronymiana*: *Legi litteras apostolatus tui*, &c. Eadem prudentia citat nobis Commentarios nescio cujus in Parabolas *Solomonis* pro *Hieronymianis*. Folio 94. ait hanc Translationem ab omnibus habitam pro *Hieronymiana*, cum curiosius eruditi semper hac de re disceptarint, offensi conjecturis. Pagina 110. si superis placet, docet me quî & quomodo Grammatici solœcismum distinguant a barbarismo, quasi *Sutorem* ob unam voculam dixerim solœcistam. Si non licet *barbarismi* & *solœcismi* vocibus uti in nativa significatione, eo quod Grammatici docendi gratia sic distinxerint, non licebit, *propositionis panes* appellare, quod Dialectici peculiarem significationem imposuerint ei vocabulo. Certe *Aulus Gellius* solœcon verbum dixit, pro male Latino. Nec hoc dissimulat *Donatus*. Et in his mihi *Sutor* impingit imperitiam. Quantæ sunt *Cartusiani* deliciæ! Pagina 115. quod dixi *seculi* corruptum esse pro *sacculi*, respondit hoc a solo *Lyrano* dictum, verum debebat addere pro *Lyrano* facere libros Hebræorum consentientes. Pagina 116. ut expediat se ex angustiis de *Bethania* & *Bethavara*, facit duas *Bethanias*, ex auctoritate Glossæ ordinariæ & *Lyrani*. Id si verum esset, *Hieronymus* non dissimulasset in *Locis*. Et in his habet hoc peculiare ac pene perpetuum *Sutor*, ut diluturus quæ objeceram dicat, *Sed objiciet*, quasi non a me sint objecta, sed ipse sibi objiciat. Ibidem luculenter expedit nodum de *Joannis* loco, *si eum volo manere*, perfricta fronte affirmans & Græcos & Latinos legere *sic*, cum in Annotationibus ostenderim aliquot Codices vetustos habuisse *si*, non *sic*, & post in Bibliotheca *Constantiensi* compererim *si* scriptum, sine ullo rasuræ vestigio. Nec dubito quin in innumeris vetustis codicibus liceat idem deprehendere. Certe Græcorum hîc summus est consensus. Quod autem *Sutor* nobis objicit *Chrysostomum* Latine versum, ridiculum est.

Digitized by Google

Atque hîc ſic agit *Sutor*, quaſi dixerim Interpretem male vertiſſe, imo dico Codices eſſe depravatos. Demiror autem hominem, qui ſibi videtur acutus, perpetuo ſic argumentari, ut non diſtinguat inter notatos Librarios & notatum Interpretem: velut illud ad *Caipham*, non taxo Interpretem, ſed oſtendo *Auguſtino* fuiſſe mendoſum Codicem, hoc quidem loco. Diſtinguit diverſas lectiones a contrariis, & variam lectionem approbat, tamen interim fatetur ſe neſcire utra ſit a Spiritu Sancto. Non patitur manifeſtum ſolœciſmum tolli, quod hunc tribuat Spiritui Sancto, & patitur diverſam lectionem. Qui recipit variam lectionem, ſalva ea qua utitur Eccleſia, cur rejicit variam Tranſlationem, quam *Auguſtinus* ſcripſit conducere ad intelligentiam Scripturæ? Quæ adducit de *latuerunt* & *placuerunt*, apertiora ſunt quam ut mereantur refelli. Quid autem frontis habet, quod cum lectio Latina ſit apud Latinos varia, ſic ut altera reſpondeat Græcæ lectioni, altera multis conjecturis appareat depravata, tamen vulgatam anteponit & Græcorum conſenſui, & veterum Latinorum citationi. Ludit autem homo feſtivus, *ubi*, inquiens, *latuerunt Abraham & Loth?* Hîc non agnoſcit Græcam loquutionem, cum toties hoc colore prodigioſos excuſaverit ſolœciſmos, veluti, *cogitationum invicem accuſantium ac defendentium*. Nunc portentum eſſe judicat, ſi pro ἔλαθον vertiſſet *latuerunt*. Illud perſuave, quod ex Lexico & *Calepino* docet quid ſit *Paraphraſtes*, id eſt, perverſus Interpres. Sic quidem habet Lexicum ab *Aldo* datum, unde hauſit *Calepinus*, ſed aliud habent Lexica a doctis aucta caſtigataque. Alioqui cur *Hermolaus Barbarus Themiſtium* appellat *Paraphraſten Ariſtotelis*. Porro quod divus *Hieronymus* ſcripſit in *Prologo Galeato*, *Et cum intellexeris quod ante neſciebas, tum me vel Interpretem æſtimato, ſi gratus es, vel Paraphraſten, ſi ingratus. Paraphraſten*, inquit, *in malam partem dixit: non enim ab ingrato exegiſſet, quod bene ſonat*. Sed quomodo *Paraphraſtes*, id eſt, perverſus Interpres, efficere poteſt, ut aliquis intelligat quod ante non intelligebat? *Hieronymus* ſe profitetur Interpretem. Qui gratus eſt, hujus honorem tituli non detrahet. Qui ingratus eſt, fatebitur eum explicuiſſe ſententiam, ſed a verbis digreſſum. Atque hic jocus videtur mire feſtivus & *Bedda*, toties enim repetit.

Non hîc refricabo quanto ſupercilio contemnat Pontifices, Epiſcopos, & Doctores, ut ipſe loquitur, quos ejus operis habui, vel auctores vel adjutores. *Leo*, inquit, *nihil approbavit, niſi ſtili elegantiam, quo delectabatur*. Imo probavit ut opus multum utilitatis allaturum & Theologiæ ſtudioſis & orthodoxæ fidei. Eodem titulo probavit *Joannes Atenſis* Lovanienſis Academiæ Cancellarius, longe alius Theologus quam *Sutor*, cum prædicaret totum opus ab ſe perlectum. *Leonis* decimi memoriam parum reverenter attingit, inter cætera dicens: *Etenim qui ſalubribus carnibus interdictus ſum, non debeo jam putrefactas rodere*. Nec *Adrianum* ſextum dubitem *Leoni* primo opponere, duntaxat in re Theologica. Cæterum non fingere me quod de illo narro, ſcripti Epiſtolis docere poſſum. Nec *Leo* nominatim probavit novam Verſionem, non enim eſt nova Verſio, reſpondens Eccleſiaſticæ, ſed Tranſlatio lectionis Græcanicæ. Porro cum toties clamem ad ravim uſque, ne quis fretus hac Verſione mea contemnat lectionem Eccleſiaſticam, tamen ad hæc omnia *Sutor* adhuc videtur eſſe ſurdus. Cætera quæ diſſerit de locis a me male redditis, de bonis litteris, de Sacris Libris in Linguam populi vertendis, fere talia ſunt, ut non ſit operæpretium excutere. Illud tantum dicam, me de Conſtitutione *Innocentii* tertii nunquam admonitum fuiſſe: ſi exſtaret Conſtitutio, fortaſſis magis intelligeremus, quo animo vetuerit. Hoc unum ſciebam, in *Niceno* Concilio fuiſſe decretum, ut populares ſibi pararent Sacros Codices, & idem hortatur populum divus *Chryſoſtomus*, quo magis dociles venirent ad concionem. Et hîc ſic elabitur: *Tum jubebantur habere Sacros Codices cum inde nihil ſcandali naſceretur, nunc prohibetur ob mala inde proficiſcentia*. Imo circa tempora *Chryſoſtomi* ſæviebat factio *Anthropomorphitarum*. Eam Monachi ſimplices & idiotæ hauſerant e Sacris Libris, in quibus legerant faciem, oculos, aures, pedes, & manus Dei: nec tamen ideo lex lata eſt, quæ ſubmoveret Laïcos à lectione Sacrorum Voluminum. Illud bene dixit *Sutor*, quoniam rationibus hoc nunquam potuiſſet effici, ne populus haberet Sacros Codices in Linguam vulgi verſos, idcirco interpoſitum eſſe Senatus interdictum. Tandem *Sutor* affectus tædio prolixi certaminis jubet me valere aliumque concertatorem quærere. Ego vero non minus libenter ab eo diſcedo, & utinam aut ille non tam immoderate ſcripſiſſet, pius, ut ſibi videtur, monitor, aut ego illius intemperias neglexiſſem. Quod autem ait omnium manus eſſe adverſus me, meaſque manus adverſus omnes, id nequaquam eſſet, ſi, quod *Sutor* impingit, a *Lutheri* partibus ſtarem, haberem plurimos, qui pro me *Beddis* ac *Sutoribus* reſponderent. Nunc ſanctiſſimis Theologis do pœnas, invictæ erga catholicam communionem conſtantiæ, & conflictationis cum *Luthero* ſuſceptæ. *Sutor* & *Bedda* non profitentur favorem erga *Lutherum*, ſed præſtant. Quod autem in calce libri Lectorem obnixe rogat, ne quis mihi credat, ipſum autem exiſtimet virum undiquaque doctiſſimum optimumque, qui nullo maledicendi gloriæve ſtudio ad ſcribendum acceſſerit, bene facit quod hæc precario conatur impetrare: facilius tamen impetraturus, ſi aut non ſcripſiſſet, aut aliter ſcripſiſſet. Utinam aliquando *Sutor* & *Eraſmus* tam concordes ſint apud Superos, quam nunc nihil inter eos convenit!

FINIS.

DESIDERII ERASMI
APPENDIX DE SCRIPTIS
JODOCI CLITHOVEI.

JODOCI CLITHOVEI libros, quibus titulum fecit *Propugnaculum fidei*, nondum, quod doleo, vacavit legere. Tantum inſpexi ſi quid ad me valde pertineret. Quæ concionatur de continentia, abſtinentia, & regulari vita, valde conſentiunt cum animo meo, & utinam adeſſet illi tanta dicendi ſuavitas, ut omnes Monachos, omnes Sacerdotes ad harum virtutum amorem poſſet inflammare. Cæterum quod in Indice ponit, me uſum legis de continentia Sacerdotali niti diſſuadere, ſi mecum pugnare voluiſſet, rectius ad hunc modum propoſuiſſet, *Eraſmus*, ut nunc habent res profitentium cœlibatum, dubitat utrum ſit minus malum, Eccleſiam indulgere uxores iis, qui tentatis omnibus tamen non continent, an ſinere res in eo ſtatu, in quo nunc ſunt. Quin & in his, quæ refert ex *Encomio matrimonii*, cogor illius deſiderare candorem. Novit enim ut in bonis litteris olim non infeliciter verſatus, quid ſit *declamatio*, nimirum argumentum fictum, quod exercendæ dictionis gratia tractatur in utramque partem. Quis unquam audivit exempla Grammaticorum, aut Dialecticorum, qui artis præceptionem tradant, exigi ad Theologorum placita? Quod ſi illis tantum eſt otii, quin ad eamdem trutinam expendunt *Donatum*, & *Pogii* facetias? Qui inter Theologos proferunt *Ariſtotelis* placita ex diametro pugnantia cum doctrina *Chriſti*, ſat habent dicere, loquor ut Philoſophus. Quod ſi Rhetoris eſt in veris cauſis non ſemper vera dicere, ſed probabilia, modo faciant ad victoriam, multo

Digitized by Google

multo iniquius est in ficto themate singula ad Theologicum rigorem excutere. Qui declamationem profitetur, ipse sibi fidem abrogat, nec potest nisi de ingenio periclitari. Veluti qui laudaturus justitiam, prius laudaret injustitiam. *Jodocus* ita citat mea, quasi ego Theologum agens serio suaserim illa populo Christiano: potius imaginari debet, id quod res est, puerum aliquem Rhetorices studiosum in Schola declamatoria verba facere, ingeniique sui specimen dare, quantum valeat in eodem argumento diverse tractando. Nam hoc exemplum subjeceram præceptionibus suasoriis, in Libro *de conscribendis Epistolis*, quod ne videar fingere, sunt in *Anglia* qui habent Archetypum mea manu descriptum ante annos ferme triginta. Et apud me est Exemplar ab amanuensi descriptum ante annos viginti, ubi reperitur etiam altera pars delineata. Si in priori parte nullum esset argumentum quod refelli posset, quid haberet quod diceret, is qui diversam declamaret. Age si proferrem ex divo *Thoma*, quod ait in sacramento Eucharistiæ Dominicum corpus pro nobis occisum potius repræsentandum fuisse carnibus pecudum, quam specie panis & vini, eo quod illa perfectius repræsentent id quod significant, & impingerem divo *Thomæ* crimen blasphemiæ, nonne statim reclamaret *Clithoveus*, me non æquum facere, qui calumniam struerem ex argumentis, quæ sunt ante oppositum. Sic enim illi loquuntur. Hoc si valet in disputatione Theologica, quanto magis valere debet in ficto themate, in quo declamator neutram partem præstare cogitur. Deinde quoniam hæc declamatio non versatur in quæstione generali, an melius sit matrimonium cœlibatu, sed in quæstione circumstantiis implicita, hoc est, utrum tali qualem fingo sit utilius matrimonium quam cœlibatus. Et quanquam versor in ficto themate, non tamen usque adeo indulsimus declamatoriæ licentiæ, ut hoc egerimus quod objicit *Clithoveus*, videlicet quod censeam recte consultum iri rebus humanis, si continentia Sacerdotalis atque Monachorum Deo consecrata pessundetur, conculcetur, violetur, atque in conjugalem societatem commutetur. Verbum *censendi* non est in mea declamatione, nec ea loquor sub mea persona, sed is, quem loquentem facio, dicit, *Mihi videtur*, nec damnat Sacerdotum & Monachorum continentiam, quam ipsa declamatio probat etiam in matrimonio, quod vult esse virginitati simillimum, hoc est, ut quam minimum detur libidini, proli gignendæ tantum detur opera. Dein virginitatem confero Angelis, matrimonium tribuo hominibus, nimirum iis qui ex Dei dono continenter vivere possunt, aliquid tribuens supra hominem. Nec ibi declamator agit de castis Sacerdotibus & Monachis, sed de impure viventibus, quorum ubique heu nimium magna turba est, etiamsi dissimulemus secretas immunditias. His si non sit aliud remedium, declamator putat expedire ut Ecclesia indulgeat matrimonium, tanquam secundam naufragii tabulam. Et addit, *si res ita poscat*, hoc est, si ita visum fuerit Ecclesiæ principibus expedire. Quod si quis respondeat, Ecclesiam non posse relaxare votum solenne, reddat igitur causam idoneam, cur possit relaxare votum simplex, etiamsi publicum sit ac notum. Et arbitror hoc Ecclesiam posse facere, quod publicis instrumentis facit Romanus Pontifex summus Ecclesiæ pastor, qui gravibus de causis ex Monacho facit non Monachum. Quanquam hîc non contendo, cum mea declamatio non tam loquatur de initiatis quam de initiandis, certe hoc potest Ecclesia statuere, ne qui posthac fient Sacerdotes aut Monachi, teneantur obligatione voti continentiæ, si tentatis omnibus vincantur a carnis infirmitate. Hoc sensit ille declamator, ac plurimum abest ab his verbis, quæ magna vehementia protulit *Clithoveus*. Nihil enim istiusmodi fuit unquam in animo meo, nec est in scriptis meis quamlibet ludicris. Tametsi declamator ille Rhetorum jure detorquet argumenta quædam ad suæ causæ commodum. Quale vero spectaculum futurum sit, si ei, qui in palæstra declamatoria *Alexandro* magno dissuasisset ne oppugnaret *Tyrum*, Theologus aliquis respondeat ex Scholæ seriis decretis. Atqui nihilo convenientius est, quod facit *Clithoveus*. Ad cætera non vacat in præsentia respondere, sero liber illius mihi redditus est, & jam urgebant nundinæ, vixque poterant absolvi quæ erant in manibus. Respondi quædam ante complures annos *Joanni Atensi*, nonnulla dein ad notas *Beddæ*, ignorans etiamnum, quod *Clithoveus* attigisset hoc argumentum. Habebam & peculiarem Apologiam adversus declamationis illius calumniatores, quam nunc per temporis angustiam dare non vacabat. In hac declarabo me, nec de pudicitia cœlibatum profitentium, nec de matrimonio quicquam secus sentire quam sentit Ecclesia catholica. Ad cætera quoque, quæ reprehendit de esu carnium, deque jejunio, sic partim respondimus, partim responsuri sumus, ut æquo certe Lectori simus satisfacturi. Præstaret in hoc incumbere, ut hæc dissidia redigantur in concordiam, quam ut iniquis inquisitionibus novis dissidiis seminarium præbeamus.

FINIS.

DESIDERII ERASMI
DECLARATIONES
AD CENSURAS LUTETIÆ
vulgatas sub nomine
FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS.

PRÆFATIO FACULTATIS.

DECANUS & Facultas Theologiæ Scholæ Parisiensis *omnibus fidelibus in* Christo *salutem. Cum a nobis, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto circa finem* Julii, *a multis & gravibus viris quæreretur, quid sentiendum foret de quibusdam propositionibus excerptis e Paraphrasibus* Desiderii Erasmi *in novum Testamentum, & similiter de quibusdam aliis extractis ex quodam ejus libello dictarum propositionum defensivo, qui dicitur* Elenchus, *nec non & paucis aliis in aliis illius libris repertis: Nos rationem reddere volentes de ea, quæ in nobis est, fide: re diutius atque maturius perspecta, & inter nos discussa, tandem non solum super dictis propositionibus respondendum censuimus, sed & rationes & Scripturarum testimonia, pro instituti brevitate, pauca ad cautelam subjicere, ubi opus visum est, curavimus: ut clare agnoscant qui ista lecturi sunt tantam esse vim veritatis, ut quamvis interdum impudenti insipientium hominum temeritate exagitetur, nunquam tamen possit convelli. Nam si adversus eam portæ inferorum prævalere nequeunt, neque certe potestas ulla super terram præ-*

Digitized by Google

prævalebit. Proinde non ſolent viri prudentes etiam Ethnici pertinaci animoſitate ea tueri quæ levius forſan aut inconſultius aſſeruere, ubi veritas ipſa ratione reddita manifeſte cognoſcitur. Cæterum in concluſione præſentis operis hujuſmodi noſtri inſtituti ratio pluribus explicatur.

INDEX ARGUMENTORUM, QUÆ A PRÆFATA DOCTORUM UNIVERSITATE DISCUSSA FUERE ET DEFINITA.

DE parvulis baptizatis I. De morte *Chriſti* II. De jejunio & delectu ciborum III. De juramento IV. De reparatione injuriæ V. De matrimonio VI. De fide VII. De quibuſdam deſideriis ſpectantibus ad fidem VIII. De Lege veteri IX. De auctoribus librorum novi Teſtamenti X. De Symbolo Apoſtolorum XI. De traductione ſanctarum Scripturarum in Linguam vulgarem XII. De iis in quibus a communi uſu Eccleſiæ Latinæ Paraphraſtes recedit in ſuis Paraphraſibus XIII. De quibuſdam propoſitionibus, quæ poſitæ videntur ex inadvertentia vel ipſius Paraphraſtæ vel Typographorum XIV. De quibuſdam propoſitionibus, in quibus non ſatis officio Paraphraſtæ ſcriptor Paraphraſis reſpondet XV. De meritis XVI. De fiducia bonorum operum & meritorum XVII. De fiducia corporalium ceremoniarum & ſtatutorum Religionis XVIII. De oratione vocali XIX. De cœlibatu Sacerdotum XX. De peccato originali XXI. De pœna filiorum temporali propter peccata parentum XXII. De pœna hæreticorum XXIII. De defectu vigoris Evangelii XXIV. De Sabbato XXV. De Eccleſia XXVI. De beata Virgine *Maria* XXVII. De Angelis XXVIII. De *Petro* XXIX. De *Paulo* XXX. De *Dionyſio* Areopagita XXXI. De Theologia Scholaſtica XXXII.

DESIDERII ERASMI
PRÆFATIO
IN DECLARATIONES SUAS.

EQUIDEM ſperabam tandem hujuſmodi rixarum finem, vel delaſſatis impetentium animis, qui ſi non contigiſſet, animus erat mihi ſilentio pertinaci quietem ab irrequietis redimere. Nam quod *Alberto Pio* reſpondi, nominis illius celebritati datum eſt, quæ me videbatur gravatura potius quam res ipſa. Cæterum ſimul atque præter omnem exſpectationem prodierunt Cenſuræ titulo Facultatis Theologiæ *Pariſienſis*, plane fluctuabam animo, reputans, nec tutum obticeſcere, ne vel tam celebris Collegii majeſtatem viderer habere contemptui, vel agnoſcere quæ intentantur: nec reſpondere, ne pervicaciæ tribueretur, quod non vererer ſacratiſſimæ Facultatis oraculis reſponſare. E duobus malis, quando utrumque vitari non poterat, in id, quod levius viſum eſt, incurrere malui. Levius enim exiſtimarim, haberi procacior, quam impiorum auctor dogmatum. Quanquam mea reſponſio multum abeſt ab improbata quorumdam pertinacia, qui quod objicitur, non ſolum tuentur ac vindicant, verum etiam malis adjicientes deteriora, conduplicant errorem, ac dum homines videri refugiunt, fiunt hæretici. At mihi reſponſio ſic temperabitur, ut & Theologorum auctoritati quantum debetur honoris deferam, & ſicubi per humanam incuriam, oſcitantiam, aut inſcitiam lapſus ſum, agnoſcam & corrigam errorem: rurſus ubi ſermonis obſcuritas aut ambiguitas anſam præbuit errori, declarem bona fide, quid ſenſerim. Cæterum quoties inciderit, quod aut ſimpliciter vanum eſt, aut perperam intellectum, aut calumnioſe detortum, id ingenue rejiciam non in ipſum corpus ſacræ Facultatis, ſed vel in Commiſſarios vel in alios quibus hoc negotii fuit delegatum: qui mea, vel trunca, vel depravata, vel ab aliena perſona ad me detorta, vel perperam interpretata, ſacratiſſimæ Facultati obtruſerunt. Nam ea cum ſit graviſſimis occupationibus diſtricta, haudquaquam mirum eſt, ſi non habet otium meas lucubratiunculas propius ac fixius inſpiciendi, ſed de his tantum pronunciat, quæ deferuntur: quæ ſi perperam proponuntur, jam non mea damnat illa, ſed quæ deferuntur. Equidem ſummopere cupiam ejus Collegii dignitatem ſimul & auctoritatem quam maxime ſartam tectam haberi, quod haud neſciam ad Chriſtianæ Religionis integritatem vehementer pertinere, ut omnes de *Sorbonica* ſodalitate quam magnificentiſſime ſentiant, nec ſecus quam oraculum excipiant quicquid ab ea communibus ſuffragiis decretum ac ſimili conſenſu proditum fuerit. Idque mihi perpetuo, tum in ſeriis tum in ludicris, ſtudio fuit, ne quam gentem ordinemve læderem, eo quod ſciam ubique bonos malis permixtos, ac malos bonis. Quicquid uſquam mihi dictum eſt acerbius, in certorum hominum mores, non in ipſos ordines dictum eſt. Porro ut qui taxat hominum vitia, juvat rem Chriſtianam, non labefactat: ita qui convellit probatos ordines, turbat & convellit Eccleſiæ ſtatum. Inter ordines autem vix alium eſſe puto cui plus honoris debeatur quam Theologico, qui quod olim fuit Epiſcoporum proprium, in ſe receperunt. Rurſum inter Theologorum Collegia, magno orbis conſenſu, principem locum tenet Schola *Pariſienſis*, quam merito quis Chriſtianæ Religionis *ἀκρόπολιν* eſſe dixerit. Quo minus fas eſt hujus dignitati quicquam derogare.

Proinde mihi in hac Apologia minor erit ſollicitudo, quibus modis meam tuear innocentiam in his nimirum in quibus præter meritum accuſor, quam ut caveam, ne quid mea defenſio lædat minuatve *Sorbonicæ* ſodalitatis auctoritatem. Equidem nec Decanos, nec Commiſſarios, nec Amanuenſes novi, ſed tamen eſſe illic aliquot, qui flagrant impotenti quodam odio mei, res ipſa declarat: & ſunt fortaſſe quos rapit zelus Eccleſiæ, ſed vehemens magis quam ſecundum ſcientiam. Nec deſunt forſitan qui metu ſuffragantur. Sunt qui privato favore adſunt, cæteri vel connivent vel ſubducunt ſeſe, prius habentes cedere, quam cum irrequieti ſpiritus hominibus & contentioni natis digladiari, mox audituri, ſi quid æqui dixerint, *Lutheranus*. Optarim tamen has cenſuras alio titulo quam Facultatis prodiſſe in lucem, idque non tantum mea ipſius cauſa, quem ſupra modum gravabit fulgor *Sorbonici* nominis, etiamſi nullus inſit error meus: verum etiam quod ipſius Facultatis referat nihil ab ea proficiſci, quod jure poſſit reprehendi. Atque ut facile credo hæc agitata in conſeſſu Theologorum, ita certis omnium ſuffragiis decreta ac legitimo conſenſu publicata mihi non fit veriſimile. Quædam videntur admixta præſertim in titulis, concluſionibus, ac præfationibus, quæ plus odii quam judicii præ ſe ferunt. Et haud ſcio an quiſpiam vel Theologus vel Amanuenſis tantum juris ſibi ſumat, ut in mediis etiam Cenſuris aliquid de ſuo admiſceat, ſtomachoque ferventi privatim indulgeat. Hæc Facultas aut neſcit aut diſſimulat. Non ſtatim quicquid agitatur inter Theologos publicandum eſt. Multa illic ventilantur exercitamenti gratia. Si placuiſſet Facultati has Cenſuras edere, cur poſt annos quatuor nunc demum prodeunt? Ad hæc, cum Cenſuris, quas ediderunt in *Lutherum*, diligenter additus ſit dies definitionis, ac mox dies quo decretum eſt ut definita publicarentur, non ſine commemoratione Gymnaſiarchæ, Regiorum Conſiliariorum, & aliorum *ἀξιωμάτων*, hîc de publicandi auctoritate nulla fit mentio. Verum donemus has Cenſuras

Digitized by Google

ſuras eſſe univerſi Collegii, nec pronunciatum ex fragmentis delatis, ſed ex perpetua ſcriptorum meorum lectione, tum legitimo omnium conſenſu in lucem proditas, ſaltem hoc mihi juris ſupereſt, opinor, apud Theologos, quod apud *Macedonum* Regem *Philippum* licuit reo, videlicet ut a Facultate dormitante appellem ad eamdem vigilantem. Quemadmodum enim *Paulus* nihil ſe poſſe fatetur ad deſtructionem Eccleſiæ, cum eſſet tantus Apoſtolus: ita Theologis nulla eſt auctoritas adverſus evidentem veritatem: homines ſunt & ipſi, quibus imponi poteſt præſtigiis improborum, etiamſi nec affectus, nec incuria, nec ignorantia pariat errorem. Quid quod inſpiciendi provincia non ſemper ex judicio libero, ſed interdum ex ambitu quorumdam delegatur: itaque fieri poteſt, ut res geratur vel per non ſatis Linguæ Latinæ peritos, ut damnent quod non intelligunt: vel in veterum Auctorum lectione minus exercitatos, ut, niſi videant concluſiones, aphoriſmos, & corollaria, videantur ſibi in alio eſſe mundo: vel odio corruptos, ut damnent & pie dicta: vel adeo pigros, ut tantum ea legant, quæ notata ſunt, cum ex his quæ præcedunt ac ſequuntur liqueat ſcriptoris animus.

Videor autem mihi deprehendiſſe quibus ex rebus potiſſimum naſcatur offenſio quorumdam in libris meis. Primum quia dum aliorum animos ex meo metior, ſimplicius ac liberius effero quod ſentio, haud ſuſpicans in inſidiis latere calumniam. Deinde quod a Scholaſtica phraſi recedens, conor interdum paulo Latinius quod ſentio proloqui. Diſplicet autem quibuſdam quicquid non intelligunt, & carpunt quod perperam intelligunt. Præterea quod ubique fere gaudeo ſequi vetuſtiſſimos quoſque Doctores Eccleſiæ potius quam placita Scholaſticorum: quorum aliqua ſunt dubiæ veritatis, aliqua etiam inter ipſos controverſa ſunt, quædam ipſa ſpecie ab Evangelico vigore degenerantia. Proinde cum Veteres fere ſecutus ſim, ad recentiorum placita meas examinare lucubrationes, perinde eſt, quaſi ſi quis cantionem *Lydiam* ad *Phrygios* modos excutiat. Quod ſi quis conetur ad eoſdem gnomones examinare libros *Baſilii*, *Chryſoſtomi*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, reperiet pluſquam duo millia propoſitionum, quæ graviorem mereantur cenſuram, quam pleræque mearum. Perquam vero iniquum ſit, in illorum ſcriptis nihil non excuſare, etiam ubi graviter lapſi ſunt, & in meis etiam quæ pie dicta ſunt ad calumniam trahere. Fit enim interdum, ut quod in *Auguſtino* & *Cypriano* cum plauſu legitur, in meis ut impium carbone notetur. Apud Jureconſultos liberatur a crimine calumniæ qui probatum ſequutus eſt auctorem: me nec *Auguſtinus* nec *Hieronymus* omnium probatiſſimi quicquam ſublevant, ſed in reprehenſione gravat etiam *Aymo* & *Richardus de Sancto Victore*. Quin & illud obeſt mihi, quod priſcorum Theologorum, atque adeo Divinorum Voluminum morem ſequutus a tropis non abſtineo. Atqui tropos non agnoſcunt, qui tantum in Aphoriſmis Scholaſticis triverunt ætatem. Sed vix ulla occaſione frequentius præter meritum male audio, quam quod quæ ſub aliena perſona dicta, congruunt primordiis Eccleſiæ, ſic proponuntur quaſi nunc a me dicantur adverſus præſentem Eccleſiæ ſtatum. Porro qui non recipiunt perſonarum excuſationem, in argumento quod perſonis conſtat, hi quid aliud quam profitentur ſe nolle præſtare æquos judices? Ad excuſandum Priſcos ſatis eſt unius loci teſtimonium, & ad evincendum illos recte ſentire ſatis eſt unica ſententiola, licet compluribus locis aliud ſentire videantur. Mihi, licet trecentis locis expreſſerim probatam ſententiam, unus locus objicitur ac detorquetur ad calumniam, nec illa tam multa bene dicta quicquam opitulantur. Poſtremo in Dialogis, ubi quod ab alio dicitur ab alio refellitur, mihi objicere partem deteriorem altera diſſimulata, quis non intelligat ab omni ſpecie æquitatis abeſſe plurimum? Atqui ad hunc modum ſubinde tractor in Cenſuris, quibus expenduntur mea *Colloquia*. Quod ipſa res ſuis locis abunde declarabit. Levius quidem illud, ſed interdum officit mihi, quod aliò ſpectat Cenſura, aliò ſermo meus. Illa contemplatur quod in quaque re eſt, aut eſſe debet, optimum: meus ſermo ſpectat, quo degenerarint hominum mores. Et cum interdum idem agamus, illi provocantes, ego revocans, tamen diſſentire videmur. Hîc mihi ſuccurrit quiddam e profanis litteris, ſed tamen ad hoc quod agimus ſatis accommodum: *Philoxenus* Tragœdiarum ſcriptor, interrogatus quamobrem in fabulis ſuis mulieres induceret malas, cum *Sophocles* eas induceret bonas, *ille*, inquit, *eas inducit quales eſſe deberent, ego quales ſunt*. Idem igitur agunt, & qui propoſita honeſti forma, ad virtutem provocat, & qui vitia prodit ac traducit, præſertim ea quæ ſe fucant imagine pietatis.

Ad prioris examinationis Propoſitiones fere omnes pridem reſpondimus *Natali Bedda*. Ea fuiſſe lecta a Commiſſariis conſtat, quandoquidem aliquot loca citant ex *Supputationibus* & *Elencho*. Verum cum illic ad multa ſic reſponderim, ut opiner Theologis integris factum ſatis, diſſimulatis omnibus, tantum objicitur quod gravat. Unum exempli cauſa proferam. Ex loco Paraphraſis in *Matthæi* cap. XVI. *Bedda* objecerat quod ſcripſiſſem, *Chriſtum ſingulari amore Filium Dei*, non leve crimen impingens, ſed impietatem execrabilem *Arianorum*, quaſi ſenſerim *Chriſtum*, non natura, ſed adoptione Filium Dei. Atqui ego docui id Typographorum incuria commiſſum in Editione poſteriore, qui ex *more* fecerant *amore*. Id palam arguit prima Editio in minuſculis, quæ prodiit anno 1522. Illic comperi ſcriptum *ſingulari more Filium Dei*, hoc eſt, ea ratione Filium Dei, qua nullus alius eſt præter ipſum. Poſterior Editio peracta eſt me inſcio, nec, ſi adſim maxime, mihi liceret quicquid illorum incuria committitur corrigere. Expreſſi maxime catholicam ſententiam, & tamen audio *Arianus*. Hoc a me diligenter commonſtratum, ſi Commiſſarii bona fide retuliſſent ad Facultatem, nequaquam addidiſſent eam Cenſuram, nec dubito quin idem facturi fuerint in aliis compluribus. Jam & illud offendit quoſdam iniquiores, quod Veteres imitatus orationem ad præſentem materiam accommodo, vehementius incumbens in eam partem, unde moribus hominum gravius imminet periculum: veluti cum deterreo a furore bellandi, a perjurio, a fiducia virium ac operum noſtrorum, a fiducia ceremoniarum, a ſuperſtitioſo cultu Divorum, a præpoſteris rerum judiciis. Hujuſmodi locos qui tractat perpetuo dictionis fluxu, calore quodam interdum eò fertur, ut videatur id unde deterret in totum damnare, juxta vetus proverbium, *iniquum interim petens ut æquum ferat*. Videmus quò feratur interdum *Hieronymus* amore virginitatis. Dicas eum minus quam par eſt tribuere matrimonio. Contra qui impenſe laudat matrimonium, vix effugiet quin alicubi videatur derogare virginitati. Idem interdum tanta vehementia provocat ad contemptum mundi, ut ſi quis urgeat verba, videri poſſit extra Monachiſmum adimere Chriſtianis ſpem ſalutis. Alicubi ſic Clericos deterret ab amore divitiarum, ut in totum illis videatur adimere jus habendi quicquam proprium. Alias ita dejicit quorumdam Epiſcoporum tyrannidem, ut eos propemodum cogat in ordinem æquetque Presbyteris. Ne ſingula commemorando ſim prolixior, hujus generis permulta reperiuntur, & in Divinis Voluminibus, & in ſanctitate celebrium virorum ſcriptis, præſertim veterum. Hinc eſt quod in Apoſtolorum ac Doctorum litteris quædam videntur ex diametro pugnare inter ſeſe. Quale vero ſit, ſi quis apud bellaces magna contentione dehortantem a bellis & ad concordiam exhortantem ſic interpellet: Heus tu, cur damnas bellum, quod interdum recte ac neceſſario ſuſcipitur? Quid audire mereatur ille interpellator? Nonne hoc? Amice, verum eſt quod dicis, ſed nunc aliud agitur: medeor horum morbo, ad id nihil conducit tuum pharmacum. Servetur iſtuc alteri tempori. Aliud eſt in Scholaſtico

Vide Propoſitionem 89.

conflictu veritatem exactam scrutari, aliud est affectus hominum orationis impetu rapere ad meliora. Dominus ad benignitatem exhortans, clamat, *Omni petenti te tribue*, jubens ut de inimicis quoque bene mereamur. An hoc agenti convenit occinere dogma Scholasticum? Neminem obligari ad impertiendum de suis proximo, nisi in extrema necessitate, quod ipsum tamen liceat ab eo reposcere, ad meliorem fortunam provecto. Haud tamen hæc eò loquor, quasi negem in scriptis meis inesse lapsus. Non sum felicior *Hieronymo*, *Ambrosio*, & *Augustino*, quibus hoc non contigit: sed perversum animi studium semper abfuisse quamvis sancte dejerare vel ipso *Christo* præsente nihil verear, laudo tamen piam Theologorum vigilantiam, quibus non satis est evellere zizania dogmatum improbatorum, sed infirmorum etiam offensionibus student occurrere. Nam id cum in multis Censuris, tum in ipsa Præfatione significant, cum ajunt *ad cautelam*. At mea sententia rectius cautum fuisset infirmis, si certis delegassent negotium e meis lucubrationibus decerpendi, quicquid ibi pugnat cum dogmatibus, ob quæ nunc turbatur Ecclesia, quæ sunt innumera: aut ita temperassent sermonem, *si hoc sensit* Erasmus, *errat*. Nunc ex verbis incommode decerptis interdum & de animo meo pronunciatur, idque præter causam, ut suis locis commonstrabimus. Cur illa non vident, pro quibus sto ad depellendam calumniam, quæ communes hostes vident ad intendendam? Atqui cum hactenus constanter adhæserim Ecclesiæ catholicæ, cum eorum, quos ipsi pro perduellionibus habent Ecclesiæ, & animos & calamos in me concitarim, si minus eo dignus favore videbar, ut incircumspectius a me dicta commode interpretarentur, saltem hac æquitate non indignus videri poteram, ne mihi tam odiosis nominibus impingerentur, quæ nec scripsi, nec sensi, ac fragmentis male decerptis & in sensum impium depravatis mecum ageretur. Postremo si pie cogitat qui studet simplicium & imbecillium periculis occurrere, rem non impiam mihi videor facturus, si & illorum occurram periculo, qui quoniam me existimant aliquid esse, cum nihil sim, hoc ipso possent in errorem prolabi, aut in errore confirmari, si persuasum fuerit, me hoc sentire quod quidam magni nominis interpretantur. Qualis autem ille Medicus videatur, qui dum aliorum ulceribus mederi studet, alios integros sauciet? Incauta cautela est, sic consulere nescio quibus infirmis, vel morosis vel iniquis potius, ut immerentem gravius lædas. Porro Theologos collaudo, quod non gravati sint de ea quæ in ipsis est fide rationem reddere: licet non temere adjecerit Apostolus, *cum modestia & timore*: ut & reprehensio sapiat Christianam mansuetudinem, & judicium sit circumspectum, consideratione fragilitatis humanæ, ne forte hallucinetur ipse qui errorem impingit. Sed expressius specimen Christianæ mansuetudinis datum fuisset, si tantum docuissent, non etiam convitia quædam adsperssissent, quod nec adversus *Lutherum* factum est. Neque video in quem jaciantur illa verba: *ut clare agnoscant qui ista lecturi sunt, tantam esse vim veritatis, ut quamvis interdum impudenti insipientium hominum temeritate exagitetur, nunquam tamen possit convelli*, &c. Hæc si in alios dicuntur, alieno loco dicuntur: sin in me, contumeliose dicuntur: si admonendi gratia in genere dicta sunt, rapiat e medio qui volet: ego me ab eo affectu semper alienissimum & fuisse profiteor, & esse gaudeo, & opitulante *Christo* futurum confido. Postremo fateor & apud Ethnicos esse turpe repugnare cognitæ & exertæ veritati, sed apud eosdem nunquam fuit honestum, quemquam calumniis incessere. Hæc præfatus rem aggredior: sed prius Lectorem admonitum volo, si quid cui vel in hac Præfatione, vel in sequentibus Declarationibus minus reverenter dictum videbitur, intelligat nihil ad Facultatem pertinere, quæ non nisi ex delatis pronunciavit. In delatores igitur, velut ad *Pyrrhæam*, (ut ajunt) si quid mali. Quicquid autem in legitima protestatione solet dici, id hîc pro expresso haberi cupio.

FINIS PRÆFATIONIS.

PROPOSITIONUM ERASMICARUM CENSURÆ FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS.

Tit. I. *De parvulis baptizatis. In Epistola præposita Paraphrasi in* Matthæum *Propositio* Erasmica.

MIHI videtur non mediocriter conducere, si pueri baptizati, cum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur concionibus adesse, in quibus illis dilucide declaretur quid in se contineat professio baptismi: deinde diligenter privatim examinentur a probis viris, satisne teneant ac meminerint ea quæ docuit Sacerdos. Si comperientur satis tenere, interrogentur, ratumne habeant quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo? Si audita professione approbent quod gestum est per vicarios, omnia tentanda sunt, ne quis resiliat a prima fide. Quod si non potest obtineri, fortassis expediet illum non cogi, sed illum suo relinqui animo, donec resipiscat: nec ad aliam interim vocari pœnam, nisi ut ab Eucharistia sumenda reliquisque Sacramentis arceatur. Cæterum nec a sacris, nec a concionibus excludatur.

CENSURA.

Consilium hoc quantum ad id quod suadet petendum a parvulis baptizatis dum jam sunt adulti, ratumne habeant quod susceptores illorum nomine in baptismo promiserunt, & si non approbent, fortassis expedire eos relinqui animo suo, donec resipiscant: nec interim aliter puniri, nisi quod non tradantur eis Sacramenta Ecclesia, impium est, & in perniciem vergit fidelium, viam aperiens abolendæ Christianæ Religioni.

RATIO.

Si enim qui parvuli baptizati sunt, ubi adoleverint, interrogati negent se rata habere quæ susceptores nomine illorum polliciti sunt, mox & ipsi suæ perversitati adhærentes a Christianismo deficerent, & eorum exemplo multi alii. In dubium præterea revocare, an baptizati parvuli, ubi ad annos discretionis pervenerint, possint cogi ad tenendam fidem catholicam, apertam præfert impietatem. Nam cum fide teneatur, baptizatos parvulos esse fideles filios Dei & hæredes regni cœlestis, fide quoque tenendum eosdem jam adultos esse de gremio Ecclesiæ: ideoque eisdem legibus esse obnoxios, quibus cæteri orthodoxi adstringuntur: haud secus quam aliarum communitatum parvuli, ubi ad pubertatis annos pervenerint, legibus suarum politiarum devinciuntur: quamvis in illas formaliter per se non consenserint. Unde nec minus possunt cogi parvuli Christianorum baptizati ad fidem Christi *servandam, quam olim parvuli* Judæorum *circumcisi ad Legem* Mosaïcam: *de quibus tamen nefas est hæsitare. Sub Lege siquidem circumcisos universa Legis faciendæ debitores pronunciat Apostolus: & decrevit Dominus in Lege veteri morte plectendos, quoscumque a semel susceptæ Lege recedentes. Declararunt item nonnulli summi Pontifices, tanquam contra hæreticos procedi oportere adversus eos, qui cum parvuli essent, baptizati sunt: ubi autem doli facti sunt capaces, ad ritus se converterunt* Judæorum. Gal. 5. Deut. 13.

DESIDERII ERASMI DECLARATIO I. AD PRIMAM CENSURAM.

Nunquam dubitavi quin infantes baptizati pertinerent ad corpus Ecclesiæ, nec unquam dubitavi quin Ecclesia jus habeat animadvertendi in eos, qui a fide baptismi resilierunt: ut jam illa verba Censuræ, de quibus tamen nefas est dubitare, nihil ad me pertineant: tantum dubitavi an expediret. Multa enim licent, quæ non expediunt. Porro quod ad illam particulam attinet, quam sola notat Censura, *consilium* proprie dici non potest: *consultatio* potius est. Qui enim dat consilium, jam judicavit. Qui proponit dubitans, petit consilium verius quam dat: nec judicat, sed aliis defert judicium. Verum ut omittamus de ver-

Digitized by Google

verbo contentionem, quo pacto poteſt *impium* dici, A quod pio animo proponitur? Nihil obſtat quominus utraque pars, cum æque pio ducatur ſpiritu, in ſumma conſentiat, in mediis diſſentiat. Illi perpendentes quam prodigioſa ſit hiſce præſertim temporibus ad omnem novitatem volubilitas, neceſſarium exiſtimarunt temeritatem præcipitem oſtenſo fuſte compeſci. Ego reputans quot ſint hominum millia etiam inter Chriſtianos, qui vel nihil omnino ſciant de dogmatibus fidei, vel nihil omnino credant: id quod partim ex plurimorum colloquiis deprehendimus, partim ex eorum narratione cognovimus qui audiendis arcanis confeſſionibus vacant: quærebam tanto malo remedium. Sperabam autem, ſi Præſulum auctoritate renovaretur catechiſmus in adultis, & poſt cognitam Evangelicam philoſophiam renovaretur profeſſio, fore ut plures haberet Eccleſia germane vereque Chriſtianos. Id autem videbatur melius ſucceſſurum, ſi ducerentur homines magis quam cogerentur. Fides enim perſuaderi gaudet potius quam compelli. Ad hæc, ſperabam, Catechiſtarum vigilantiam adjuvante *Chriſto*, nullos aut certe quam pauciſſimos fore qui reſilirent, de quibus expendendum proponebam, an expediret non ſtatim tradere externo judici, ſed monitis, hortatibus, pudore, ac remediis pro Chriſtiana charitate lenioribus provocare, donec ex animo profiterentur. Nec interim eſſent liberi a ſeveritate legum principalium, ſi aut blaſphemias evomerent in *Chriſtum*, aut alios ad defectionem ſollicitarent, aut noſtram Religionem petulantius inceſſerent. Poſtremo non diſputabam de tollenda lege, ſed de moderando legis uſu. Quis enim neſcit quam olim leniter actum ſit cum hæreticis, quamque ſero ventum ſit ad capitis pœnam, cum tamen idem eſſet puniendi jus. Non eſt minor poteſtas Eccleſiæ in ſuos quam Synagogæ fuit in ſuos, fateor: ſed aucta charitas priſtinæ Legis ſeveritatem in pleriſque diluit, magis ſpectans quid expediat filiis, quam quid ipſa juris habeat: quemadmodum beatus *Paulus* agnoſcit quidem ſuam poteſtatem, quam acceperat a Domino: ſed ea frequenter non utitur, dum ſtudet utilitati diſcipulorum adhuc lactentium. Adulterii pœna mitigata eſt per Evangelium. Et *Paulus* in pſeudapoſtolos ſubinde ſtomachatur, nuſquam tamen eos nominat, tantum abeſt ut illos tradiderit Satanæ: non quod illi deeſſet auctoritas, ſed quod aliò vocaret charitas Evangeliique profectus. At hæc, inquiunt, lenitas invitaret improborum temeritatem. Videbam & hoc periculum, eoque adjeci *fortaſſis*. Sed rurſus occurrebat, metu pœnarum Eccleſiam impleri pſeudochriſtianis. Illi nolunt hunc Reipublicæ ſtatum moveri, ne quid accidat deterius: ego ſinceriorem quemdam populum induci cupiebam, minore jactura quam nunc patitur Eccleſia, ut mihi quidem tum videbatur. Nam qui non credunt, jam reſilierunt apud Deum. Hi fortaſſis & minus inficerent alios, & citius ad meliorem mentem redirent, ſi ſemoverentur, quemadmodum ſemovebantur olim flagitioſi, contumaces, & pœnitentes ad tempus; metus enim legum frequenter hypocritas facit, & linguas cohibet verius quam corrigit animos. Charitas autem leges, quatenus licet, accommodat ad utilitatem. Et hodie multi dubitant, utrum conſultius fuerit *Judæos* in *Hiſpaniis* ut erant ſinere, quam nunc habere nobis permixtos, mutato titulo verius quam animo. Recte citant *Bonifacii* octavi reſcriptum ex v. Decretalium titulo *de hæreticis* II. cap. XIII. contra Chriſtianos. At contra hæreticos, vel perſuaſione ſeductos, vel per inſcitiam errantes, quanta manſuetudine, quanta lenitate ſunt uſi priſci Doctores Eccleſiæ? A ſupplicio capitis revocabant ipſos Imperatores, ne non eſſent quibus mederentur. Quanquam ne *Bonifacius* quidem, licet Pontifex non admodum laudatus, illic ſuadet extremum ſupplicium, ſed admonet cenſuræ Eccleſiaſticæ: quæ quoniam paterna eſt, non regia, non ſemper utitur ſuo jure, ſed ad ſanandum quam ad puniendum eſt proclivior: partim quod hoc pacto B magis refert Dominum ſuum, partim quod hinc ſperat plus lucri. Jam lex, quæ *Deuteronomii* XIII. minatur reſilientibus a *Judaïſmo*, magis intentatur avocantibus ad impietatem quam ſeductis, & ubique addit defectionem ad Deos alienos. Abſit autem tanta lenitas, ut, ſi quis forte, quod Deus avertat, baptizatus infans jam adultus nollet teneri profeſſione lavacri, permittatur illi cultus idolorum, aut Dæmonum, quod ne *Judæis* quidem conceditur, quamvis ab Eccleſiæ poteſtate alienis. Porro infantes per circumciſionem tranſire in jus Synagogæ, in tantum confiteor, ut exiſtimem etiam e *Judæis* parentibus natos eidem juri fuiſſe obnoxios. Nam circumciſio multis occaſionibus fuit intermiſſa, velut in captivitate *Babylonis*. Nec tamen incircumciſis impune fuiſſet, opinor, ad Gentium tranſire ritus. Quin & illud nonnihil habet dubitationis, an infans Ethnicis parentibus natus, & furtim a *Judæis* circumciſus, fuiſſet obligatus Legi *Moſaïcæ*. Ad hæc *Paulus* ad *Galatas* non videtur pronunciare quod ſentit, ſed deterret *Galatas* a circumciſione, odio reliquarum obſervationum *Judaïcarum*, a quibus Gentes abhorrebant. Alioqui quis *Paulo* diceretur obligari ad rem inutilem? Multo minus ad pernicioſam. Si *Judæos* ex *Judæis* prognatos ac legitime circumciſos, poſt exortam Evangelii lucem, non obligabat ad ritus *Judaïcos* reſecta pellicula, quomodo obligaret *Galatas* jam *Chriſtum* profeſſos? Aut quomodo dicitur deberi, quod omiſſum laudatur a piis? Sed, ut dixi, territat illos *Paulus*, quaſi dicat: ſi hac in parte auſcultaveritis pſeudapoſtolis, conjicietis voſipſos in miſeram ſervitutem. Totam enim Legem exigent a vobis, velut obſtrictis arrabone circumciſionis. Sed hæc propemodum extra rem mihi dicuntur, non quod locum parum appoſite citarint Theologi. Perſpicuum eſt, opinor, meam cogitationem plurimum abfuiſſe ab impietate cum illa ſcriberem, eoque legenti mihi verba illa in Cenſura, *conſilium impium eſt, & in perniciem vergens fidelium, viam aperiens abolendæ Chriſtianæ Religionis*, penitus inhorruit animus. Quanquam quomodo ad perniciem, cum Eccleſia primum feliciſſime & creverit & confirmata ſit, quando nullus adhuc occidebat reſilientes. Tunc cum præmium eſſet reſilientibus, tot millia virorum ac mulierum habuit Eccleſia, qui pro *Chriſto* nulla ſupplicia, nullum mortis genus recuſarent. Nunc vix invenias qui pecuniam contemnant. Partiamur igitur hanc inter nos laudem ſi videtur, ut Theologi prudentius metuerint, ego ſperarim benignius: & in illis magis vigilaverit fidei zelus, in me charitas juxta *Paulum* omnia ſperarit. Et tamen omnia verba, quoniam ut videtur offendunt, delebuntur: imo totum illud emblema jam pridem rejectum eſt. Neque enim eſt præfatio in *Matthæum*, ut hîc citatur, ſed aſſumentum alienum ex tempore interjectum, ad explendas paginas, quæ tum ſupputatoris indiligentia vacabant.

Tit. II. *De morte Chriſti*, Lucæ XXIII. *Propoſitio* Eraſmi *prima*.

JEſus ſuam mortem non lugubrem, ſed glorioſam 11
eſſe voluit: nec eam deplorari voluit, ſed adorari, ut quæ ſponte pro ſalute totius mundi ſuſcipiebatur.

CENSURA.

Et ſi pretioſa eſt mors Chriſti *& glorioſa, ut quæ mortem & mortis deſtruxit auctorem: non continuo non eſt & ipſa lugubris, & fidelibus deflenda, pro quorum ſalute exhibita ſponte eſt. Nam cum per Regium Prophetam* Chriſtus *conqueratur, dicens*: Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: qui conſolaretur, & non inveni. *Et per* Zachariam *prædictum ſit*: Dolebunt ſuper eum ſicut doleri ſolet in morte primogeniti. *Pia quoque matris animam in filii paſſione doloris gladius, juxta vaticinium* Symeonis, *pertranſierit: planum eſt quod* Chriſtus *ſuam paſſionem & mortem minime vetuerit deſleri: ſed cum illa, peccata voluerit lugeri, propter quæ expianda moriebatur, tanquam cauſam tanti do-*

Pſal. 68. *Zach.* 12. *Luc.* 2.

Esa. 53. *loris: quandoquidem* attritus est (*ut scribit* Esaias) propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus. *Proinde cum hæc propositio catholicorum Doctorum sententiæ, universalis Ecclesiæ ritui, quo singulis quibusque sextis feriis in memoriam Dominicæ passionis a carnibus abstinetur, nec non & rectæ Sacræ Scripturæ intelligentiæ adversetur, temeraria est, impia, & hæretica.*

DECLARATIO ERASMI II.

II. Certe sub hoc lapide non suspicabar tantum latere scorpium. Paraphrastes explanans verba *Christi*, sequutus sum orthodoxos ac probatos Auctores, quos plurimum arbitror abfuisse ab hæretica sententia. Primum *Theophylacti* verba subscribam: *Mulieres quidem*, inquit, *genus hominum est facile lachrymans & plorans: quasi grave quiddam accidisset Domino; plorant compassionem præ se ferentes magnam, & injustitiam lamentantes. At ille non approbat, sed magis increpat illas. Voluntarie enim patiebatur. Non decet autem lamentari eum, qui sponte & pro salute omnium patitur, sed congruum est, ut ille magis laudibus efferatur & celebretur. Per crucem enim & mors destructa est, & infernus captivus factus. Lamenta enim his qui sponte patiuntur nullam consolationem adferunt, proinde Dominus eas quæ ipsum lugebant increpat* &c. Nec his dissimilia scribit *Bedda* cognomento *Venerabilis*, scriptor ab ipsis laudatus Theologis: *Ne me*, inquit, *morituram lamentemini, cujus cita resurrectio mortem solvere potest, cujus mors & omnem mortem & ipsum mortis destructura est auctorem.* Hæc *Bedda*. *Ambrosius* vero licet hunc Domini sermonem ad fœminas prætercurrat, tamen ad crucis mentionem statim erumpit in verba triumphalia, non lugubria: *Sed jam trophæum*, inquit, *victor suum attollat.* Ac deinde: *Nunc quoniam trophæum jam vidimus, currum suum triumphator adscendat* &c. Et ipse Dominus commendans nobis memoriam suæ passionis, non dicit mortem Domini lugebitis, sed *mortem Domini annunciabitis*, hoc est, prædicabitis ac celebrabitis. Quin etiam Ecclesia Dominicæ mortis commemorationem, non luctum appellat, sed *Eucharistiam*, id est, gratiarum actionem. Eucharistia vero lætitiæ vox est, non mœroris. Quî conveniret autem, ut cum aliorum Martyrum mortes Ecclesia tantis celebret tripudiis, qui tamen non caruere peccatis, Domini mortem luctu vulgari celebremus? Porro Psalmus LXVIII. *Sustinui qui simul contristaretur*, &c. non hortatur nos ad luctum, sed vaticinatur quomodo Dominus in passione foret ab omni humano solatio destituendus. Ac tum quidem Dominus juxta naturam humanam requirebat solatium, & cum illo mœrente recte mœrebant Discipuli, licet humano etiamnum affectu. Quid porro mirum cum moriente rerum omnium Domino perturbata est universa creatura. Neque minus hodie mœrerent homines pii, si similia pateretur. At nunc magis & juvat & decet cum gaudente gaudere, & utilius est ea deflere, propter quæ ille tam acerba passus est. Hæc autem *Zachariæ* verba, *Et plangent planctu quasi super unigenitum*, *Hieronymus* interpretatur de planctu impiorum in judicio. *Tunc*, inquit, *dolebunt a se crucifixum, cum videbunt in claritate regnantem.* Atqui ut hic locus maxime accommodetur ad mœrorem Discipulorum ac piarum mulierum de morte Domini, vaticinium est rei gestæ, non exhortatio gerendæ. Quid quod in ipso *Parasceves* die, quo maxime celebratur mors & sepultura Domini, tamen Ecclesia Domini non continet gloriam suam de morte Redemptoris, canens Hymnum illum, *Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis*, quidvis potius quam lugubrem: veluti & per hebdomadam passionis canitur Hymnus triumphalis, *Vexilla Regis prodeunt* &c. Item diebus Veneris, scilicet quando peragitur commemoratio mortis Dominicæ, canit Ecclesia, *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri*, nec ullam præfert luctus speciem. Quod autem Discipulorum animos adeo consternavit mors Domini, partim infirmitas, partim incredulitas fuit in causa. Nondum perfecte noverant redemptionis mysterium, & de resurrectione desperabant, aut certe dubitabant. In eo affectu nec illos expediebat manere, nec nos esse congruit, qui scimus quod *Christus* jam non moritur, sed cum Patre regnat immortalis. Quomodo igitur possumus nunc eam mortem adeo lugubrem ducere, quæ fons est omnis solatii, omnis gaudii, omnis gloriæ nostræ? Sed mater, inquiunt, sensit doloris gladium. Omitto variam hujus loci expositionem. Nam *Augustinus* interpretatur de gladio diffidentiæ. Sensit affectum naturæ mater, sed reluctata est spiritu. Verum eum dolorem omnem, opinor, abstersit resurrectionis lætitia. Idem enim Dominus promiserat Discipulis suis: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Non tamen damnandus est affectus illorum, qui tum *Christo*, ut homini dira patienti, communi naturæ sensu condolescebant: nec *Christus* simpliciter reprehendit lacrymas mulierculârum, sed admonet quid potius sit flendum: atque harum occasione commonuit posteros, ut commemorantes Domini mortem, sua suorumque crimina deplorent potius quam illius mortem: siquidem illa sunt, quæ innocentissimum egere in crucem. Qui luget, aut ejus vicem dolet, qui decessit, aut suam ipsius, aut utriusque: sed *Christus* sitiverat eam horam, nobis autem illius mors fons vitæ fuit. Vulgo qui lugent mortuum, ejus desiderio cruciantur, quem præsentem amabant. Quis hunc luctum probet in Christianis? *Christus* enim nobiscum est usque ad consummationem seculi, & adhuc lugemus velut absentem? Bene luget, qui sua peccata luget, ob quæ *Christus* mortem suscepit: justius luget, qui subinde relabens in peccata, iterum atque iterum, quod quidem in ipso est, Dominum crucifigit. Non constat autem sanctas ac pias mulieres a Domino reprehensas, sed probabilius est fuisse vulgares: nam turbam vocat, quæ non tam judicio, quam sexus mollitie fundebant lacrymas. Talibus lacrymis, opinor, *Christus* non vult a nobis deplorari mortem suam.

Secunda ejusdem Propositio in Elencho Annotat. VII.

III. CHristus si suam mortem vulgari more lugeri voluit, cur bajulans crucem reprehendit filias Hierusalem?

CENSURA.

Noluit se Christus *a filiabus* Hierusalem *defleri, ut infirmum aut non potentem se ab illatis malis defendere: quemadmodum illæ erant deflendæ, ob imminens* Hierosolymitanæ *civitatis excidium. Neque tamen eam ob rem id fieri prohibuit, quod natura suggerit, ratio suadet, sacra eloquia comprobant: Christianos videlicet* Christi *membra* Christo *capiti suo conformari: eidemque patienti & dolenti compati & condolere: quemadmodum suo generali ritu Ecclesia observat. Hac autem interrogatione oppositum innuens hic Scriptor, neque Scripturam quam assumit intelligens, manifeste errat.*

DECLARATIO ERASMI III.

III. Si minime vetuit Dominus defleri mortem suam, quid sibi volunt illa verba, *Nolite flere super me?* Si inquiunt, defleri nolebat. Idem ego tum dico, tum sentio, vulgari more nolebat defleri. Est ergo luctus aliquis, quo lugeri non vult. Quod si concedunt, non mentitur mea propositio. Rursus, si, quod fatentur, glorioſa ac triumphalis est mors *Christi*, videlicet pium est aliquo modo negare mortem illius nobis esse lugubrem. Ut autem maxime probatum sit, Domini mortem nobis aliquo pacto lugendam esse, non conveniebat ut Paraphrastes dicerem contraria loco, quem explanabam. *Christus* dicit, *nolite flere*, egone dixissem? Imo deploranda est Christianis omnibus mors *Christi*. Denique ut fuerit humanus affectus illacrymare *Christo* patienti, quando similem affectum in nobis gignit interdum audita conspectave mors hominis etiam sceleroſi: quale est post devictam mortem, exactis jam annis mille quingentis adhuc humano affectu legere mortem Domini? *Debent*, inquiunt, *membra conformari suo capiti*: fateor, hoc est, debent imitari *Christi* crucem, mortificandis affectibus, qui mili-

Digitized by Google

militant adversus spiritum, non deplorando *Christum*, tanquam miserabilem. Hoc enim *Paulus* appellat *compati Christo*, ad illius exemplum pro justitia affligi, ut cum illo regnemus. Accedit huc, quod vix congruere videtur sublimitati doctrinæ *Christi*, requirere a nobis affectus vulgares. *Paulus* præcipit, ut viri diligant uxores, sed addit aliquid dignum Apostolo, *sicut Christus dilexit Ecclesiam*: præcipit, ut servi obediant heris suis, sed addit, *tanquam Domino*. Miror autem cur commemorandum existimarint, quod Ecclesia diebus Veneris in memoriam passionis Dominicæ abstinet ab esu carnium. Nam id, mea sententia, non est lugere mortem Domini, sed imitari. Commemorandum potius erat, quod in diebus extremis Quadragesimæ Ecclesia ritibus quibusdam repræsentat perturbationem Discipulorum, strepitum ac vesaniam *Judæorum*, velum Templi scissum, ac sepulturam. At hæc non sunt proprie luctus, sed repræsentatio quædam eorum, quæ tum gesta sunt. Quemadmodum in die Paschæ candido vestitu aliisque ritibus repræsentat Ecclesia lætitiam resurrectionis, non quod luctum posuerint de *Christo*, sed pœnitentiæ habitum mutarint in symbolum innocentiæ restitutæ. Postremo si tenemur lugere mortem *Christi*, quin eadem opera lugere jubemur afflictiones, pericula, mortesque beati *Pauli*? Nam si hæc valet ratio de sympathia membrorum, Martyres omnes membra nostra sunt, quorum nonnulli tam immania passi leguntur, ut animus interdum & ad commemorationem inhorrescat. Horum tamen mortes Ecclesia quibus gaudiis, quibus tripudiis celebrat? Natales, victorias, palmas, triumphos appellat, non mortes. At ubi hîc illa membrorum sympathia? Nimirum quia certamen præteriit, successit læta victoria. Natura exprimit lacrymas in morte amici. Sed laudantur qui hunc naturæ affectum spiritus robore vicerunt. Nec natura nec ratio dictat, ut speciosa morte defunctum perpetuo luctu prosequamur, quemadmodum olim mulieres lugebant mortem *Adonidis*. Quis probet eum, qui tritavi mortem fortiter in bello pro patria cæsi post ducentos annos adhuc pullatus lugeat? Quis non rideat, si nunc *Romani* defleant *Qu. Curtium* ac *Decios*, qui se pro salute patriæ devoverunt Diis Manibus? Aut si nos *Adæ* & *Evæ* parentum nostrorum obitus cum luctu commemoremus? Præsentibus aliorum malis illacrymare, conditionis est humanæ, quale sit autem in mediis triumphis adhuc meminisse luctus? Apostoli mœrebant capto ac mortuo Domino, quoniam adhuc affectu carnali illum prosequebantur. Cæterum ubi inclaruit resurrectionis triumphus, ubi accepto cœlesti Spiritu cum *Paulo* dicebant, *Et si Christum novimus secundum carnem, sed nunc jam non novimus*, luctus omnis conversus est in gaudium, quod ipse Dominus voluit esse plenum: nec unquam leguntur deflesse mortem Domini, aut lugubribus verbis de illa fuisse loquuti, sed contra summa cum alacritate veluti triumphalem prædicasse. Quod si Theologi sentiunt quosdam pios homines commemoratione Dominicæ passionis sibi quasi renovare quæ pro nobis passus est Dominus, hisque perinde ut præsentibus commoveri, nihil attinet ad nostram Paraphrasim, quæ de vulgari luctu sentit. Ego tales piorum affectus non possum reprehendere, qui sic quoque gaudent conformari Domino. Quanquam hoc ipsum, mea sententia, non tam luctus est, quam imitatio Dominicæ mortis, & affectus ille plus habet gaudii quam mœroris, & quod ibi funditur lacrymarum, charitatis est, non luctus. Ego cum illa scriberem, vulgi temporarium fletum notabam. Videmus interdum in spectaculis, cum per homines etiam leves repræsentatur mors *Christi*, quibusdam præsertim mulierculis erumpere singultus ac lacrymas. Idem efficiunt picturæ etiam mendaces, veluti quæ repræsentant *Christum* novies collapsum: similiter & eorum oratio, qui Domini cruciatus effictis atrocitatibus reddunt miserabiliores, præterea & tabulæ statuæ-

A

B

C

D

E

F

ve, ad speciem quam maxime miserabilem effictæ, non ex historia Evangelica, sed ex artificis imaginatione. Sic quidam pingunt *Jesu* matrem syncopi sub cruce collabentem exanimari, sed reclamante *Chrysostomo*. Eamdem pingunt septem perfossam gladiis. Ad hoc genus imagines suspirant & illacrymant idiotæ. Sed iidem illacrymaturi sint, si spectent agi *Euripidis Hecubam*. Quemadmodum *Augustinus* nondum renatus librum *Æneidos* quartum non potuit absque lacrymis legere, cum sciret totum argumentum de amore & morte *Didus* a Poëta confictum. Talibus, opinor, Christianis hodie *Christus* dicit, *nolite flere me, sed vos ipsos deflete*. Ingemiscunt ad imaginem Redemptoris, & non ingemiscunt ad sua scelera, quibus Dominum iterum, quod in ipsis est, crucifigunt. Si quis quæret igitur, an damnem naturæ affectum, incunctanter respondeam, Nequaquam: est enim humani & exorabilis ingenii indicium. Sed quid hoc ad vigorem ac majestatem Evangelicæ Philosophiæ, cujus illic agebam Paraphrasten? Multo minus damno piorum hominum affectum, qui contemplatione mortis Dominicæ commoventur ad quamdam condolescentiam, modo ne illic hæreant: quanquam, ut dictum est, arbitror & talium lacrymas magis esse charitatis & gaudii quam luctus ac mœroris. Funestum & odiosum verbum est lugere, Judæis aptius quam Christianis, resurrectionis filiis. *Moses* in typo cum luctu sepultus est, *Jesus Nave* non lugetur. Quid igitur mihi objicitur? Quod probem *Stoicorum ἀπάθειαν*? Absit quod damnem affectum naturæ! Tale nihil expressum est in Paraphrasi. Sed addere debebam me non damnare naturalem *συμπάθειαν*. Non addidit Evangelium, ac ne *Theophylactus* quidem interpres. Mihi vero ad Dominicæ mortis gloriam intento non venit in mentem luctus ille nescio quis, qui nunc objicitur, cum ejus nemo Veterum meminerit. Dein reputans quam multi sint idiotarum qui *Christum* deplorant, quasi miserandum quempiam, idque lacrymis ut temporariis, ita infrugiferis & *Christo* ingratis, in diversam partem malui inflectere. Quanquam quod exprimi volebant, non omnino tacitum est. Sic enim habet Paraphrasis: *Jesus autem, qui suam mortem non lugubrem, sed glorioſam esse voluit, nec eam deplorari voluit, sed adorari, ut quæ sponte pro totius mundi salute suscipiebatur, compescuit illarum indecoram lamentationem quanquam ab affectu pio proficiscentem.* An damnare videtur, qui vocat pium affectum? Cæterum hæc verba quo consilio prætermiserint referendarii, demiror. Jam si quis rem propius intueatur, perspiciet Theologos idem docere quod ego doceo. Etenim si cum ajunt, *Dominus mortem suam minime vetuit lugere*, proloquium efferunt universale. *minime*, id est, nullo pacto: sibi ipsi contradicit Censura, quæ fatetur illum sic noluisse lugeri, quasi coactus pateretur more cæterorum. At mea Paraphrasis cum ait, *ut quæ sponte pro totius mundi salute suscipiebatur*, nonne palam exprimit modum, quo Dominus mortem suam noluit esse lugubrem, consentiens cum interpretatione Theologorum? Neque enim ait, nulla ratione voluit esse lugubrem, sed indefinite, *noluit esse lugubrem*. Quod si urgeant proloquium indefinitum interdum idem valere quod universale; vicissim quod ab ipsis dicitur, *minime lugeri voluit*, erit proloquium universale, & recident in incommodum, quod paulo ante monstravi. Denique erit & *Christi* sermo universalis, qui nihil excipit, cum ait, *nolite flere* &c. Quod si maxime fuissem usus universali proloquio, oportebat Paraphrastæ sermonem ad locum quem interpretatur accommodare, præsertim cum luctus modum exprimat. Postremo quod ajunt mulieres ideo reprehensas, quod deflerent *Christum* quasi necessitate patientem, ex parte verum est, sed non huc tantum spectavit Dominus. Et tamen hoc quoque Paraphrasis exprimit. Quod si illæ tum merito reprehensæ sunt cum suo luctu, jure & hodie reprehenduntur, quæ simili lugent affectu. Proinde cum natura brevi luctu con-

Digitized by Google

tenta sit, cum nulla ratio dictet speciosos triumphos luctu contaminare, cum in Paraphrasi sequutus sim orthodoxos ac probatos Auctores, cum mea verba juxta loci sensum accepta non repugnent ulli loco Scripturæ, nec ulli ritui Ecclesiæ, non est cur dicar parum intellexisse locum, quem explano, aut hæreticam sententiam protulisse.

Tit. III. *De jejunio & delectu ciborum.* Erasmi *Propositio prima, in Epistola præposita Paraphrasi prima ad* Corinthios.

IV. MIhi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nullum certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur quæ maxime conducunt bonæ valetudini: non ad luxum, sed ad sobrietatem, cum gratiarum actione, ac studio bonæ mentis.

CENSURA.

IV. *Hæc Propositio significans magis conforme esse Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, omne ciborum discrimen a Christianis auferri, ut quisque pro suo arbitrio iis vescatur quæ existimat conducere suæ valetudini, modo sobrie id faciat & cum gratiarum actione, ex erroneo Scripturæ intellectu asserta, Ecclesiastica est disciplinæ enervativa, & Evangelicæ ac Apostolicæ doctrinæ, quæ jubet superioribus obedientiam præstari, adversatur: Ecclesiæ catholicæ, quæ hujusmodi escarum delectum fidelibus observandum religiose & prudenter constituit, contumeliam irrogat. Et* Aërii, Joviniani, Valdensium, & Lutheri *hæresi consentit. Non tolerandam denique arrogantiam eam asserentis indicat, qui suam unius sententiam totius Ecclesiæ judicio præferre non erubescit.*

DECLARATIO ERASMI IV.

IV. Nullus reperietur locus in scriptis meis, in quo reprehendam Ecclesiæ consuetudinem de abstinentia carnium, sed aliquot sunt in quibus pugno adversus eos, qui temere citraque necessitatem vescuntur interdictis. Nec hîc quicquam adsevero, tantum dico quid mihi videatur, nullo pacto præjudicans constitutionibus aut consuetudini Ecclesiæ: nihil enim novari volo sine majorum auctoritate, eoque nihil facio adversus illud, *Obedite præpositis vestris:* nihilo magis quam si in Concilio sedens, in quo ageretur de mutandis quibusdam in Ecclesia receptis, dicerem, mihi hoc videtur expedire, decernendi auctoritatem deferens Ecclesiæ. Puriorem autem Christianismum appello, qui longius recedit a specie *Judaïsmi*, a qua tantum abhorrebant veteres orthodoxi, ut in sacris ritibus multa maluerint ab Ethnicis mutuari, ne viderentur Judaïsare. Et *Chrysostomus* miro studio adhortatur ad solvendum jejunium iis diebus, quibus *Judæi* jejunium celebrabant. Vix autem alia res irrepsit in Ecclesiam, quæ propius accedat ad speciem *Judaïsmi*, quam delectus ciborum, & unde minus nascatur fructus ad veram pietatem, & unde plus exsistat offendiculorum. Arbitror autem puriorem fuisse Christianismum temporibus Apostolorum ac Martyrum, quam nunc est, quando sic refrixit hominum charitas. At illis temporibus cum nullum exstaret præscriptum de ciborum discrimine, plures ultro abstinebant a carnibus, atque etiam a piscibus, quam nunc faciunt coacti lege. Laudatur Philosophus ille, qui rogatus quid fructus cepisset e Philosophia, *ut*, inquit, *sponte faciam, quæ leges præcipiunt.* Et beatus *Paulus* negat justo positam legem, quod ubi est spiritus Domini, ibi sit & libertas. Proinde si quis percontetur Ecclesiam, utrum malit talem populum qualis olim fuit, qui spiritus fervore ductus, non egeret externis præceptionibus de cibo potuve: an hunc tam segnem, qui tot præscriptis ad qualemcunque temperantiam vix cogitur, nec tot cancellis septus cohiberi potest quin in luxum ac temulentiam prorumpat: nonne statim fateretur se malle priorem illum? Et *Erasmus* lapidatur, si idem optat, quod optat Ecclesia: atque ipsi etiam, ni fallor, Theologi. Multitudo constitutionum non arguit puritatem Christianismi, sed pietatis ruinam. Quemadmodum enim multitudo Medicorum declarat ægrotare multos, ita legum multitudo arguit hominum malitiam. Jam cum Dominus ait, *quod intrat in os non coinquinat hominem*, utique magis dissuadet ciborum delectum quam suadet. Et *Petrus* in *Actis* liberat Gentes ab omnibus hujusmodi observationibus. Similiter *Paulus* nusquam non clamat adversus eos, qui judicabant fratrem in cibo & potu, quique *Judaicam* in cibis superstitionem conabantur invehere in Christianismum. Scio Ecclesiam non prohibere cibos veluti natura immundos, sed nimium nutrientes. Atqui plurimi sunt & hodie non multum absimiles *Judaicis* illis, qui etiam in morbo, suadente utroque Medico, abhorrent ab esu carnium: & quod deterius est, qui fratri in necessitate, quamvis hortante Medico, non audent porrigere carnes, & judicant recte pieque & ex voluntate Ecclesiæ vescentem. Nec ideo reprehendo consuetudinem Ecclesiæ, quæ videns refrigescere charitatem, & plerosque nimium ad luxum carnisque delicias degenerare, pronam hominum imbecillitatem talibus constitutionibus veluti freno coërcuit, idque præter doctrinam Apostolicam potius quam contra. Nec læditur præpositorum obedientia, ubi nihil novatur nisi ex illorum auctoritate: nec ulla irrogatur Ecclesiæ injuria, si quod ipsa prudenter & religiose instituit, ob causas enatas æque prudenter & religiose mutet in id quod pro tempore magis expedit. Neque tamen simpliciter volebam abrogare discrimen eduliorum, sed hactenus tantum, ut pro indicta abstinentia certorum ciborum succederet perpetua sobrietas in omni ciborum genere: & quod decederet externæ observationi, accresceret ad lucrum veræ pietatis. Sic enim habent mea verba: *non ad luxum, sed ad sobrietatem, cum actione gratiarum ac studio bonæ mentis.* Itaque cum citra assertionem proponam meam opinionem, cum multis lucubrationum mearum locis refellam eos, qui temere violant in his Ecclesiæ vel constitutiones vel consuetudines, cum nihil novari velim sine auctoritate Ecclesiæ, quam obsecro contumeliam irrogo Ecclesiæ? *Aërios*, *Jovinianos*, & *Valdenses* non novi. Fortassis illi docebant, nihil interesse inter vescentem & non vescentem, inter jejunantem & cœnantem. Ego non loquor de spontanea abstinentia, sed de præscripto. Et isti sic agunt, quasi sublata constitutionis obligatione nulli sint temperanter victuri: cum Ecclesia tum maxime floruerit jejuniis & abstinentia, cum nulla minitaretur humana constitutio. *Lutherus*, ni fallor, docet nullum esse jus Episcopis condendi ullas leges, & conditas fortiter esse violandas velut impias: itaque res ipsa loquitur, quantum ab illo dissentiat mea propositio. Eos nusquam non probo, qui parsimonia victus subigunt carnem suam & in servitutem redigunt: & libris editis detestor eos, qui sub Evangelii titulo gulæ indulgent & inguini. Plurimum itaque dissentio ab *Aëriis*, *Jovinianis*, ac *Valdensibus*, qui libris item editis damno eos, qui citra necessitatem violant etiam in levissimis publicam Ecclesiæ consuetudinem aut decretum. Qua fronte igitur dictum est, mea verba consentire cum *Lutheri* dogmate? Porro intolerabilem arrogantiam bono stomacho mihi impingunt, qui meam unius sententiam totius Ecclesiæ judicio præferam, cum nec pronunciem, & arbitrer esse multa piorum hominum millia, quibus idem videatur quod mihi. Neque vero in hac constitutione Ecclesia profitetur se Christianismum sequi puriorem, aut proxime ad doctrinam Evangelicam Apostolicamve accedere, sed degenerantibus hominum moribus pro tempore remedium admovit. Aliud est, si constat hæc ita constituta, ut Ecclesia nec possit nec velit unquam innovari, cum tot Apostolorum decreta sint abrogata. An nullus unquam exstitit ante me, qui questus est de multitudine constitutionum? Nullus qui dubitavit, an expediret quasdam constitutiones Ecclesiasticas novari? Certe *Joannes Gersonensis*, scriptor illis nec ignotus nec illaudatus, id interdum facit. An quisquis aliquid tale proponit

Ec-

Digitized by Google

Ecclesiæ primoribus, laborat intolerabili arrogantia? Et quomodo tam multa gravioribus de rebus innovata sunt in ritibus ac decretis Ecclesiæ, si nemo proposuit? Itane nihil interest inter eos qui dicunt, nihilo sanctior es, si pietatis studio maceres corpus tuum, eo qui deliciis indulget, & eum qui dubitat an hoc tempore expediat obligationem de ciborum delectu verti in exhortationem, eo consilio ut quod ceremoniis detrahitur accrescat ad spiritualem pietatem? Rursus inter eos qui clamant, hujus generis constitutiones esse prorsus impias & a Satanæ spiritu profectas, & eum qui nihil vult innovari nisi ad utilitatem Ecclesiæ, idque eorum auctoritate qui præsident Ecclesiæ.

Secunda ejusdem de eadem re Propositio complectens multas: in Paraphrasi octavi capitis prima ad Corinthios.

V. APprobo quod dicis: *Esca non commendat nos Deo.* Cum enim Deus universa creaverit ad usus humanos, neque quicquam a nobis exigat præter vitæ pietatem, quid illius refert, piscium an quadrupedum an volatilium carnibus vescamur? Nihil enim horum pietati quicquam vel addit, vel adimit: horum delectus superstitiosum facere potest, pium nequaquam. *Christus* nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritatis sit, si quis homunculus conetur quemquam hujusmodi constitutionibus onerare. Pro suo quisque corporis affectu vescatur quibus velit, modo sobrie parceque, super omnibus gratias agens Deo.

CENSURA.

Quamvis ut per verba illa, esca nos non commendat Deo, *prætendit Apostolus, quod cibus aut potus aut eorum sumptio, suapte natura bona morum non sint aut mala, nec pios reddant nec impios: abstinentia tamen ab illis, ad virtutes comparandas ex præcepto Ecclesiæ, aut juxta conditionem personarum ex voto aut devotione voluntarie assumpta, laudabilis est & meritoria: ac pietati deservit, ad illam præparans, ac magnum illi afferens subsidium: alioqui non toties abstinentiam & sobrietatem commendaret Scriptura: nec Deum alloquens coneineret Ecclesia:* Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia. *Quapropter dogma istud sic indistincte positum, & ex Scripturis perperam intellectis assertum, a pietate trahit, atque errori suffragatur præfatorum hæreticorum* Aërii & Joviniani, *ante annos mille damnato, & rursus postea in* Valdensibus, Witclefo, & Luthero *reprobato. Nec tam explicat Scriptor litteram Apostoli, quam ad hæreticum sensum eam contorquet: præsertim habita ratione præcedentis Propositionis, scilicet,* Mihi purioris Christianismi videtur *&c. qua mentem clare satis aperit scribentis. Hoc item comperto quod ab ipsis etiam Apostolis delectus ciborum inductus est, qui abstinentiam a suffocato & sanguine præceperunt. Eorum insuper decreto, auctoribus* Ignatio, Hieronymo, & Maximino, *Quadragesima instituta est. Et ubi certe per se* Christus *nullum præcepisset discrimen ciborum, non recte inde eliciatur quod temeritatis sit ad utilitatem fidelium super hujusmodi rebus leges ab Ecclesia constitui. Quin potius magna est temeritatis, usque adeo procaciter Ecclesia instituta convellere eniti.*

DECLARATIO ERASMI V.

V. Verba, quæ in Paraphrasi recitantur sub persona beati *Pauli*, atque illis temporibus sancte pieque dicebantur juxta mentem Apostoli contra eos, qui *Judaïcam* in cibis superstitionem Christianismo admiscere nitebantur, aut qui putabant carnes simulacris immolatas inquinare Christianum bona conscientia vescentem, perinde referunt, quasi nunc sub mea persona dicantur adversus Ecclesiæ constitutiones. *Paulus* compluribus locis depugnat adversus eduliorum delectum. Hoc nimirum illa requirebant tempora, quibus per pseudapostolos *Judaïsmum* inducere molientes periclitabatur Evangelii sinceritas. Eo periculo sublato, jam Ecclesia adversus luxum inundantem induxit alias constitutiones. Itaque si distinguamus personas ac tempora, locus ille Paraphrasis nihil omnino facit adversus Ecclesiæ consuetudines longo post tempore natas: & arbitror me *Pauli* mentem ex Veterum enarratione bona fide reddidisse, non, quod Censura contumeliosius dicit quam verius, depravasse ad sensum hæreticum. Tempore *Pauli* recte dicebatur, temeritatis sit, si quis homunculus conetur hujusmodi constitutionibus onerare *Christi* populum. Siquidem hic sermo petit pseudapostolos, qui privata auctoritate *Judaïca* quædam præscribebant Christianis, clamantes, *ne gustaris, ne tetigeris, ne contrectaris.* Utcunque torqueas, hic sermo non potest ad Ecclesiam pertinere, quæ non est homunculus, sed aut corpus *Christi* mysticum, aut hujus præfecti *Christi* vices gerentes. In pseudapostolum quempiam ista dicta sunt sub *Pauli* persona, non in Ecclesiam. Demiror autem cur hîc existimarint laudanda Christianorum jejunia, cum præsens locus atque etiam superior tantum loquatur de delectu ciborum, præsertim cum a me pluribus in locis commendentur jejunia, velut in ipso libello *de delectu ciborum*, & in libello *de modo orandi Deum*, nusquam certe doceam, quod *Aërius*, *Jovinianus*, *Wiclevus*, & *Lutherus*. Nec video cur commemorandum hîc putarint, quod *Jacobus* in Concilio Gentibus imposuerit, ut abstinerent a suffocato & sanguine. Nam hoc decretum non ex Apostolorum sententia proditum est, sed pro tempore datum est invincibili *Judæorum* importunitati. Alioqui malebant Apostoli plenam libertatem Gentibus relinquere, quam *Petrus* in eo Concilio citra exceptionem decreverat. De Quadragesima rursus non huc pertinet, cum, ut modo dixi, non agatur de jejunio, sed de eduliorum discrimine, nisi forte putant carnium & lactariorum abstinentiam semper conjunctam fuisse cum jejunio. At hodie quoque disputatur, utrum delectus escarum res sit consuetudinis, an legis. Aliud autem est inducere, aliud præcipere. Adhortatio & usus præcesserat, præceptum oppositum est refrigescenti Christianorum pietati. Sed hæc extra causam, cum, ut dixi, Paraphrasis agat de temporibus Apostolorum, non de posterioris ac jam senescentis Ecclesiæ præscriptis. Itaque quod colligunt, quasi ego temeritatis accusem Ecclesiam, quod præscripserit jejunia, aut abstinentiam ciborum, quasique procaciter nitar convellere instituta Ecclesiæ, præter causam præterque omne meritum meum, odiose impingitur verius quam erudite, cum multis locis horter ad servandas Ecclesiæ constitutiones. Nec *Paulus* damnat eos, qui pietatis studio a lautioribus epulis ac vino abstinebant: probabile enim est tunc plurimos fuisse Christianos, qui per omnem vitam & a vino & a carnibus in totum abstinebant, oleribus & leguminibus contenti: sed *Judaïcam* præscriptionem hujusmodi rerum damnabat Apostolus, pro illo quidem tempore, quo periculum erat Evangelicæ libertati a *Judaïcis* observationibus: quemadmodum *Chrysostomus* pro suo seculo damnat eos, qui iisdem diebus jejunabant, quibus *Judæi* ex præscripto Legis, quod hodie prorsus negligitur. Priscis Canonibus proditum est, ultro volentibus a carnium usu temperare, non prius esse permissum, quam aliquot testibus carnem gustassent, ne *Manichæorum* superstitione viderentur abstinere, non pietatis amore. Sunt qui locum *Pauli*, *esca non commendat nos Deo*, sic exponunt, ut dicatur ab objiciente: & hos sane sequuta est Paraphrasis: verum a quibuscunque hoc dictum est, *Paulus* non improbat, cum eamdem sententiam compluribus aliis locis inculcet: hîc tantum adjicit, ut qui scientiam habet, ex charitate vitet offendiculum infirmorum. Ubi est igitur ille qui tam procaciter convellere nititur instituta Ecclesiæ? Si *Erasmus* est, idem facit *Paulus*, quem enarrat. Quod si Apostolus non præjudicat constitutionibus Ecclesiæ post futuris, nec ego illis præjudico Apostolici sensus interpres. Sed non habita personarum ac temporum ratione, frequenter

Digitized by Google

ter dat parum attentis ansam calumniæ. Cum illic agam Paraphrasten, loquarque sub persona *Pauli*, non licuit ab illius verbis recedere longius. Ille dicit, *neque si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus deficiemus.* Paraphrasis interpretatur juxta Veterum sententiam, nihil enim horum pietati quicquam vel addit, vel adimit. Horum delectus superstitiosum facere potest, pium nequaquam. *Chrysostomus* ac *Thomas* interpretantur, ex esu & abstinentia nihil accedere vel decedere virtuti. *Ambrosius* ita: *Quia non ideo Deo placebimus si omnia comederimus, aut offendemus si quædam contempserimus. Thomas* audet addere de suo, *quia esca ventri, non menti proficit*, & in hunc locum accommodat ex Epistolæ ad *Romanos* capite XIV. *Regnum Dei non est esca & potus.* Item ex Epistolæ ad *Hebræos* ultimo: *Bonum est gratia stabilire cor, non escis.* Apostolus 1 *Cor.* cap. x. citra ullam exceptionem dicit, *Quicquid venit in macello comedite.* Et, *Si quis infidelium vos vocat, comedite quicquid apponitur, nihil interrogantes.* Adeo voluit initiatos *Christo* de ciborum discrimine esse securos. Præcinit his Dominus *Lucæ* x. *In eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Hunc Evangelii locum sic enarrat Paraphrasis, *Quod si continget ingredi in civitates, edite ac bibite sine delectu nulloque fastidio quicquid vobis apponitur* &c. Cur hic locus mihi non objicitur tanquam adversans constitutionibus Ecclesiæ? Dicent, opinor, quoniam illic loquitur *Christus*, nondum proditis Ecclesiæ constitutionibus, cui erat in manu & a legalium præscriptionum obligatione liberare. Accipio responsum, sed nihilo magis locus erat insectandus, in quo facio *Paulum* loquentem, eo tempore quo adeo nulla erant præscripta de generibus eduliorum, ut Christiani potius ad libertatem Evangelicam revocarentur, ne prolaberentur in *Judaismum*. Quod si mihi nolunt hîc prodesse temporis aut personæ rationem, nec Evangelii loco modo citato, nec aliis innumeris prodesse deberet. Dicent, occurrendum erat hisce novis dogmatibus. Atqui cum illa mihi scriberentur anno 1519. ne per somnium quidem venerunt in mentem hæc nova dogmata. Et si veniissent maxime, non mihi licuit in Paraphrasi quod licet in Commentariis. Verum nec *Thomas* nec *Theophylactus* nec *Chrysostomus* id faciunt in Commentariis in quibus licuit, & ego accusor cui non licuit in Paraphrasi. Dixerit aliquis, offenduntur infirmi, qui non noverunt personæ decorum, ac temporum conditionem. Quid faciam his, quos nec titulus admonet, nec tot præfationes erudiunt? *Thomas* commentans dicit, *Esca ventri prodest, non menti*, & recipitur commentum tanquam *Paulinæ* sententiæ congruens, atque ego Paraphrastes dicor verba *Pauli* depravare ad sensum hæreticum.

Propositio ejusdem tertia: ex libro de interdicto esu carnium.

VI. UNde offendiculum ex iis rebus, quarum usum non interdicit Evangelium, imo quarum interdictores damnant Apostolicæ Litteræ: *prohibentes* (inquiunt) *cibos, quos Deus creavit ad vescendum.*

CENSURA.

Hæc Propositio innuens præceptum de jejunio & delectu ciborum certis diebus Ecclesiam contra doctrinam Apostolicam instituisse, diabolica suggestione asserta, hæretica est, & Ecclesiæ catholicæ injuria, ac insanam libertatem cum præfatis hæreticis inducere molitur. Nec intentioni Apostoli consentanea est: qui illos solum in loco assumpto damnat, qui creaturas natura malas esse asserebant: non autem eos, qui ex instituto Ecclesiæ, aut ob satisfactionem, aut virtutem, a certis cibis statutis temporibus abstinent.

DECLARATIO ERASMI VI.

VI. Rursus admiscent hîc de jejunio, cum locus ille tantum agat de eduliorum discrimine. Nec *Christus* nec Apostoli nec pii Doctores usquam damnant jejunia pietatis studio suscepta, & a me sæpe laudata sunt. Interim non excutio quod dicunt, pseudapostolos, quos damnat *Paulus*, quosdam cibos interdixisse, quasi per se essent immundi & inquinarent: sed tamen quo longius Christiani abessent ab hoc periculo, Apostoli plenam libertatem reliquerunt Christianis in delectu ciborum. Nec sermo meus innuit constitutionem Ecclesiæ de cibis adversari doctrinæ Apostolicæ: absit tanta impietas: tantum confero scandalum cum scandalo. Nunc ingens scandalum est, si quis in Quadragesima vescatur ovis, aut caseo sicco, at si quis inebrietur aut scortetur, nullus offenditur, cum hæc vetent Apostolicæ litteræ, illud hominum constitutiones, vel consuetudines potius. Aliquid dandum erat olim offendiculo Gentium, qui Christianum immolatitiis vescentem non potuerunt sibi persuadere cum pura conscientia vesci: item *Judæorum*, qui ob inveteratam & a majoribus traditam persuasionem non ferebant Gentes vesci cibis communibus. At nunc non est locus offendiculo, si quis videat fratrem vescentem cibis ab hominibus duntaxat interdictis, cum fieri possit ut ille ob causas occultas cum bona conscientia vescatur. In dubiis autem oportet interpretationem vergere in partem benigniorem. Particula porro illa, *imo quorum interdictores damnant Sacra Litteræ*, ad Epitasin addita est: quasi dixissem, adeo usum ciborum non interdixit Evangelium, ut Apostolicæ Litteræ damnent potius eos qui prohibebant. Jam non est verisimile *Judæos* omnes fuisse tam stupidos, ut cibos judicarent natura malos esse, quod est *Manichæorum*: sed quoniam multi nitebantur *Judaismum* admiscere Christianismo, putabant in hac quoque parte legem Christianis observandam esse: adversus hos *Paulus* tuetur discipulorum libertatem a Domino concessam. Itaque quod illic ajunt Apostolum tantum loqui de *Manichæis*, vix est probabile. Certe de constitutionibus nostris non sentit, quæ nondum erant natæ. Quod nos *immundum* dicimus, Græcis est *commune*, hoc est, profanum. Quemadmodum & Sacerdotes abstinebant a panibus laïcis, non tanquam a natura immundis, sed tanquam a vetitis. Ita totus ille populus Deo peculiaris pro consecrato habebat quod Lex concedebat, pro profano quod vetabat. Nec statim Ecclesia pugnat cum Apostolo, si quod ille pro suis temporibus recte docuit, Ecclesia pro diversa temporis ratione secus constituit. Itaque diabolica suggestio, & insanam libertatem cum hæreticis inducendi studium, procul abest ab animo nostro, nec usquam, opinor, tale quicquam sonant mea scripta. Tantum quorumdam temeritatem retundo, qui ob esum non aliter horrent proximum, quam si parentem ferro necasset. Fateor tamen hoc a me dictum incircumspectius, præsertim hoc seculo: & ob infirmos, primo quoque tempore medebimur illi loco.

Quarta Propositio ejusdem. Marc. II.

TRistia sunt jejunia quæ præscribit Lex, & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem. VII.

CENSURA.

Hæc Propositio falso asserens tristia esse jejunia, & quasi servili affectu semper fieri, quæ ex præcepto fiunt, cum sæpe libera exerceantur charitate, erronea est, & differmiter ad sanctam Scripturam asseritur: quæ obedientiam præceptis superiorum exhibitam maxime Deo gratam esse demonstrat. Ordini quoque juris naturalis adversatur: quo indictum est, ut inferiores superiorum legibus dirigantur. Quod si contingat talia jejunia servari ut vitetur pœna quæ incurreretur transgrediendo præceptum, non propterea semper sunt Deo ingrata, nec inde rationem perdunt meriti.

DECLARATIO ERASMI VII.

VII. Et hîc verba Paraphrasis, quæ dicuntur sub persona *Christi*, incommode detorquentur ad personam meam, & ad tempora. Conferuntur illic Pharisaïca jejunia, quæ Deus damnat apud *Esaiam*, & *Christus* in Evangelio detestatur, cum spontaneis jejuniis, quæ Apostoli hausto cœlesti Spiritu citra præceptum ullum erant jejunaturi. Dominus enim illic excusat

Disci-

Digitized by Google

Discipulos suos, quod non jejunarent quemadmodum Discipuli *Joannis* & Pharisæorum, cum ipse nullum jejunium præscriberet suis. Hæc comparatio nihil facit ad Ecclesiæ constitutiones, quæ multo post sequutæ sunt. Loquitur autem Dominus potissimum de legibus ac præscriptis Pharisæorum. Nequaquam vero vel animo sensi vel verbis expressi, quicunque jejunant juxta Legis præscriptum, eos semper servili metu jejunare: neque enim dubitandum est, quin & apud *Judæos* multi fuerint, qui, quod Lex præscribebat, cum alacritate spiritus observarent. Sed in genere loquutus sum de vulgaribus *Judæorum* jejuniis, quæ fiebant absque charitate. Illud autem *semper* de suo infulserunt nescio qui, quo locus esset calumniæ, cum non sit in scriptis meis. Quod autem sit meritum ejus qui occisurus sit hominem, nisi lex deterreret, aliis expendendum relinquo. Certe vox Domini est: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ita qui jejunat absque charitate, non jejunaturus nisi timeret pœnam legis, videtur jam violasse jejunium, & bis ingratus est Deo, tum quod odit legem, tum quod hypocrita est, simulans jejunium, cum revera non jejunet. Talia jejunia *Origenes* appellat *Judaica*, non quod omnes *Judæi* sic jejunarent, sed quod plerique. Porro qui metu jejunat, non jejunaturus nisi lex cogeret, hujus jejunium hactenus certe triste est & ingratum Deo, quod caret alacritate spiritus, qua præcipue delectatur Deus. Neminem igitur revoco ab obedientia superiorum, sed ostendo quid Deo sit gratius. An is revocat ab obedientia majorum, qui monet, ut quæ præscripta sunt cum alacritate serventur potius quam metu pœnæ? Neque vero ideo infirmi liberi sunt a constitutionibus, quod Deus cum alacritate ac sponte jejunantes præfert iis, qui legis impulsu jejunant potius quam ex animo. Quid quod video Theologos nihil aliud sentire quam quod ipse sentio. De verbis modo controversia est. Lex geminam habet vim, dirigendi & cogendi; præludendo dirigit filios, cogendo trahit aut cohibet servos. At mea Paraphrasis ultronea Discipulorum jejunia conferens cum *Judaïcis* jejuniis, præscriptum Legis appellat coactionem. Theologi vero cum ajunt jejunia, quæ ex præscripto fiunt, sæpe libera exerceri charitate, sentiunt de vi legis dirigente. Alioqui quo pacto illic est libera charitas, ubi pravam voluntatem compescit metus? Deinde quod addunt obedientiam præceptis superiorum exhibitam maxime Deo gratam esse, nullus inficiabitur esse verum, præsertim si loquamur de præceptis divinis: sed qui sine charitate cum prava voluntate jejunant, aut tantum metu pœnæ, nec eo tendunt ad quod jejunium est institutum, non præstant obedientiam præceptis debitam, eo nimirum prætermisso, quod in primis spectat mens Legislatoris. Rursus cum ajunt, *Si contingat talia jejunia servari ut vitetur pœna quæ incurreretur transgrediendo præceptum, non propterea sunt semper Deo ingrata, nec inde rationem perdunt meriti*, fatentur aliquando Deo esse ingrata, alioqui redundabat adverbium *semper*. Sentiunt autem, ni fallor, tunc non omnino esse ingrata, cum charitati languenti stimulos addit metus: tunc esse ingrata, cum adest odium legis, & prava voluntas, aut hypocrisis. Sed infirmitas adacta metu, si non perdit rationem meriti, certe perdit optimam meriti partem. In his, opinor, animo consentimus. Jam si scripsissem, *& ob hoc minus grata Deo*, nihil erat scrupuli. Et tamen id sensisse me declarat mea Paraphrasis: *Tristia sunt jejunia quæ præscribit lex, & ob hoc ingrata*, hoc est, hactenus ingrata Deo, quod non ex charitate libera, sed ex metu *Judaico* fiunt. Porro si *ingrata* dixissem pro minus grata, tropus non est alienus a Scripturarum consuetudine. Declarat testimonium, quod ex *Osee* Dominus citat *Matthæi* IX. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, pro eo quod erat, misericordiam volo potius quam sacrificium. Id esse verum declarat particula, quæ accinitur apud Prophetam, *scientiam Dei plusquam holocaustum*: quod in priore membro sententiæ dixerat *& non*, hîc mutavit *plusquam*. Adde his, *Christum* illic loqui de coactis ac tristibus *Judæorum* jejuniis, palam declarant Evangelii verba. *Matthæus* ait: *Non possunt filii sponsi lugere, quandiu cum ipsis est sponsus.* Ecce jejunium *Judaicum* appellat luctum. *Lucas* ita: *Nunquid potestis filios sponsi dum cum illis est sponsus facere jejunare?* Hîc *facere* dixit pro cogere, significans *Judæorum* esse coacta jejunia: quo loco *Hieronymus* libere damnat Discipulorum *Joannis* jejunia, unde sibi non solum sumpserant supercilium, verum etiam invidebant *Christi* Discipulis, & ipsum Dominum fugillabant. Et *Chrysostomus* illorum jejunium pronunciat inutile, quod & sibi placerent, & alios despicerent ob externam inediam, cum intus maderent vitiis. Similia jejunia *Judæorum* Paraphrasis comparat cum jejuniis Discipulorum *Christi* post haustum cœlestem Spiritum. Perseverabant in jejuniis & precatione, libera spiritus alacritate, nulla cogente præscriptione. De constitutionibus Ecclesiæ ne potuit quidem loqui Paraphrasis, cum ea dicantur sub persona *Christi*, quo tempore nulla erant Ecclesiæ de jejuniis præscripta. Quanquam si quis hodie dicat in genere esse tristia Christianorum jejunia, & hactenus ingrata Deo, quia non ex charitate, sed tantum ex obligatione jejunant, nec ad ea spectant ob quæ jejunium indictum est, non multum, opinor, aberraverit a doctrina Evangelica.

Tit. IV. *de juramento. Propositio* Erasmi *prima.*

Matthæi V.

VIII. LEx Evangelica, quo tutiores sint homines a perjurio, prorsus damnat omne jusjurandum, ut jam fas non sit jurare.

Propositio secunda ejusdem. Matth. V.

Christus in totum vetat jurare.

CENSURA.

Christum *& Apostolos usos fuisse juramento manifestum est: quod non fecissent, si lege Evangelica omne juramentum esset illicitum. Ordo etiam juris frequenter juramentum exposcit, dicente Apostolo,* Quod omnis controversiæ finis est juramentum. *Quamobrem utraque harum Propositionum Legi Evangelicæ & ejus latori* Christo *injuria, & a sana Scriptura intelligentia aliena, de damnata* Catharorum, Valdensium, *& eorum qui se jactitant de ordine Apostolorum, doctrina desumitur.* *Heb. 7.*

DECLARATIO ERASMI VIII.

VIII. Valeant *Cathari* cum *Acarthartis* cumque *Valdensibus* & *Apostolicis*, quibus cum mihi nihil est commune. Illud in confesso est, *Christum* in Evangelio expresse verbisque dilucidis prohibere omne jusjurandum, & *Christo* succinit *Jacobus* Apostolus. Quoniam autem is locus varie tractatur ab Ecclesiæ Doctoribus, non congruebat Paraphrastæ longius ab Evangelistæ verbis digredi, & humanarum opinionum rivulos sectari. Duas tantum opiniones attingo, quarum una est *Augustini*, sed non unius: ideo in totum esse prohibitum jusjurandum, quo longius absimus a periculo perjurii. Altera est fere Scholasticorum, qui volunt hunc Evangelii locum esse consilii, non præcepti, & ad perfectos modo pertinere. Dominus enim illic proponit imaginem perfecti Christianissimi, qui si nobis adesset, supervacaneum esset jusjurandum, sed ad omnia satis esset, *est est, non non*: nimirum inter eos, inter quos nemo diffideret alteri, nemo meditaretur alteri fraudem, sed quisque quod simplici verbo dixisset, non minore fide ac religione servaret quam si jusjurandum interceSSisset. Nec desunt qui sic explicent difficultatem, ut dicant jusjurandum promovendo Evangelio concessum esse, in profanis externisque negotiis non item. Atque hac ratione excusant *Paulum* jurantem. Jam evitari non potest, quin aliquo modo nefas sit facere, quod tam expresse tot verbis vetat Evangelium, simul cum Apostolo *Jacobo*. Alioqui hic sermo *Christi* prorsus esset supervacaneus, si tantum vetaret perjurium aut jusjurandum temerarium. At quoniam nobis objicitur hominum

Digitized by Google

consuetudo, si quid diversum moribus hominum receptum est, æquius est, ut nostra vita corrigatur ad regulam Evangelicam, quam ut illa ad nostros mores detorqueatur. Neque enim Dominus illic agit de jure forensi, cum talem formet populum, in quo nullæ lites possent exsistere. Durius etiam me locum hunc exponit *Hieronymus*, qui putat *Judæis* non aliter concessum jurare per Deum, quam ne jurarent per Dæmones. Verba illius sic habent: *Et hoc quasi parvulis fuerit Lege concessum, ut quemadmodum victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, sic & jurare permitterentur per Deum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere quam Dæmonibus. Evangelica autem veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit.* Hæc ille. Nec mitiora scribit *Theophylactus*, cujus hæc sunt verba: *Jurare & adjicere amplius etiam vel non, a Diabolo est. Porro si dixeris quod & Lex* Mosi *mala erit, quoniam jurare jubet, Disce quod tunc non erat malum jurare: post* Christum *autem malum est, sicut & circumcidi, & in summa quicquid est Judaicum.* Hæc *Theophylactus*. Nec ab his dissonat *Hilarius:* cum enim dixisset, rudi populo *Judæorum* permissum jurare per Deum, de Christianis subjicit: *Fides vero sacramenti consuetudinem removet, vita nostra negotia in veritate constituens, & abjecto fallendi affectu simplicitatem loquendi audiendique præscribens.* In quibus verbis *Hilarius sacramentum* vocat, quod nos *jusjurandum*, idque Latine. Et aliquanto post: *Ergo in fidei simplicitate viventibus jurejurando opus non est*, &c. Eamdem cantionem canit *Chrysostomus* in hunc locum, docens jusjurandum concessum infirmitati *Judæorum:* Christianos autem ne tum quidem jurare oportere, cum exigitur jusjurandum, aut cum urget necessitas: sed omne jusjurandum inter Christianos esse malum, atque adeo crimen gehenna dignum: minaturque Clericis, qui non verebantur juraturis Evangelicum Codicem porrigere. *Ambrosius* enarrans *Psalmum* CXVIII. non permittit jurare, quibus periculum est ne pejerent: sed quoniam omnis homo mendax est, soli Deo concedit jusjurandum, & his qui per divinam inspirationem certi sunt se posse præstare quod jurant. Hæc ausi sunt probati Ecclesiæ Doctores in litteras mittere. Quos tamen in Paraphrasi non omnino sequutus sum, tantum ajo inter perfectos Christianos supervacaneum esse jusjurandum. Neque tamen sentio perfectum illico peccare, si juret ob gravem causam, aut magna quapiam necessitate coactus: sed ubicunque jusjurandum est, ibi malum est, ut nihil aliud, certe infirmitatis. Verba Paraphraseos ad hunc habent modum: *Quid autem opus est ullo jurejurando inter eos, inter quos nec pro sua simplicitate diffidat quisquam, nec pro sua sinceritate fallere cupiat quisquam, etiamsi liceat impune?* Et paulo inferius: *Quod si quid accesserit, ex vitio accesserit oportet. Aut enim parum bene sentit qui jurat de eo cui jurat, aut diffidit qui jusjurandum exigit. At neutrum competit in vos, quos omnibus modis perfectos esse volo*, &c. Hactenus Paraphrasis. Imperfectis igitur conceditur jusjurandum, non laudatur neque præcipitur. Cur autem mea Propositio est injuria Legi Evangelicæ & ejus auctori *Christo*, cum hoc ipsum explanem, quod ille verbis expressis docet, quodque Doctores orthodoxi expresse sunt interpretati, nihilo secius rationem interim indicans, qua permitti debeat jusjurandum? Aut quo jure dicor errorem hausisse ex *Catharis*, *Apostolicis*, & *Valdensibus*, cum quod pro errore damnatur, habeatur expressum in tot ac tantis Ecclesiæ luminibus? Si sentirem jusjurandum nec exigi posse nec suscipi sine peccato, a probatis Ecclesiæ Doctoribus hausisse videri poteram. De *Catharis* & *Apostolicis* nihil tale refert *Augustinus*. *Valdenses* quod animalium genus fuerint, nec scio, nec scire laboro.

Dicent probatos Ecclesiæ Doctores aliis locis declarasse, se non in totum damnare omne jusjurandum. Ut hoc largiamur, idem a me factum est. Annotans enim in v. *Matthæi* caput non solum indico hunc *Christi* sermonem pertinere ad perfectos, ac infirmis esse concessum jusjurandum, verum etiam ostendo novam rationem explicandæ difficultatis. Referam mea verba: *Hæc autem*, inquam, *ratione multarum quæstionum nodi dissolvi poterunt, si intelligamus* Christum *non simpliciter hæc vetuisse, sed vetuisse eo more fieri, quo vulgato hominum more fiebant. Sic vetuit irasci*, &c. Hæc, opinor, non sunt simpliciter damnantis omne jusjurandum. Quod si dixerint se pronunciare de Propositione mea, multo duriores jam retuli ex probatissimis Ecclesiæ Doctoribus: cum illis liberum fuerit in Commentariis varias extricandæ quæstionis rationes tentare, quod mihi in Paraphrasi non æque fuit liberum, cum ibi loquar sub persona *Christi* & Evangelistæ. An oportuit hoc supprimere, quod Dominus tam evidenter expressit? Qui scribunt Commentarios, recitant verba Domini: quid piaculi, si Paraphrastes bona fide reddidi sententiam? Si quis dicat: Paraphrastæ erat indicare, quomodo sit intelligendus Domini sermo: nec id a me prætermissum est, sed a Commissariis omissum. De sententia mihi convenit cum Theologis, tantum de verborum fragmentis disceptatio est, quoniam quod Evangelista dixit *omnino*, Paraphrastes dixit *in totum*. Quod si verbis urgemur, & hæreticum est contradicere Scripturis, uter propius accedit ad hæreseos speciem: qui dicit, *in totum abstinendum a jurejurando*, consonans Evangelio & Apostolo: an qui dicit, *in plurimis casibus valde utile ac laudandum esse jusjurandum*, quod nusquam legimus in Evangelicis Litteris? Illud expresse dicit Dominus, hoc dicunt, hoc faciunt homines. Jam ut hoc aliquo pacto recte tum dicatur tum fiat, non conveniebat Paraphrasi recensere quot utilitates habeat jusjurandum; nam id non fuisset explanare sermonem Domini, sed diluere vigorem Evangelicæ Philosophiæ. An ita loqui debebam sub persona Christi, *Dico vobis, ne omnino juretis, sed sit sermo vester, est est, non non: quod amplius est a malo est.*

„ Cæterum quanquam ita loquor, multis tamen no„minibus utile atque etiam necessarium est jusjuran„dum, in controversiis, in judiciis, in fœderibus Prin„cipum, in suscipiendo Magistratu, in initiationibus „sacrorum ordinum ac liberalium disciplinarum, aliis„que mille occasionibus? Nonne belle functus fuis„sem Paraphrastæ officio? Sed explicandus erat, inquiunt, quæstionis nodus. Istud non profitetur Paraphrastes, qui tantum explanatius refert quod scriptum est: præsertim cum inter Doctores non conveniat, & qui maxime quærunt hujus nodi solutionem, sudent æstuentque satis. Quod si quis dixerit vitandum errorem nescio quorum, qui simpliciter ex omni Christianorum vita submotum volebant jusjurandum: multo plus periculi est a moribus hominum, qui frequenter jurando discunt pejerare, & frequenter pejerando discunt perjurium pro levi culpa ducere. Nunc enim jurantium ac pejerantium plena sunt omnia. Ab hac Charybdi revocanda erat prona in malum mortalitas. Eoque videmus hunc esse morem Scripturis ac priscis Ecclesiæ Doctoribus, ut qua mentes hominum maxime pronæ sunt in vitium, illic occurrant, hyperbolis, ac tropis, in diversum retrahentes, ut in medio sit virtus. Ita Dominus a cupiditate vindictæ revocans clamat: *Ego autem dico vobis, ne omnino resistatis malo. Et si quis tibi percusserit unam maxillam, præbe illi & alteram.* Ab avaritia deterrens ait: *Omni petenti tribue.* Itidem *Hieronymus* dehortans Christianos a furia belligerandi, dicit nobis simpliciter interdictum bellum: deterrens Clericos ab opum accumulandarum studio, negat Clericis esse concessum quicquam habere præter Dominum. Hoc exemplum imitatus soleo nonnunquam vehementior esse adversus eam partem, in quam magis propendent hominum ingenia, & unde gravius imminet periculum. Quod sicubi jurat Deus, aut *Christus*, aut Angeli, nihil ad nos attinet: & si quid jurant Sancti veteris Testamenti, nihil ad Evangelii Discipulos. Idem dicendum de scriptis Apostolorum, quæ constat non humano sensu, sed Divini Spiritus afflatu prodita. Postremo ad *Hebræos* scribens Apostolus,

Digitized by Google

ſtolus, non probat jusjurandum, ſed a publica conſuetudine ducit argumentum : niſi forte cum ait, *qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet*, exiſtimatur commendaſſe nobis theatrica certamina: aut *Chriſtus* parabola de divite, qui diſtribuit talenta ſervis in uſuram locanda, probavit uſuram. Porro me non ſentire ſimpliciter jusjurandum nullo modo licitum Chriſtianis, præterquam quod, ut dictum eſt, ſignifico in Paraphraſi, clariſſime declaro in Annotationibus: nam ibi licuit, quod in Paraphraſi fuiſſet intempeſtivum. Perjurium blaſphemiæ genus eſt. Ab hoc latere periculum erat. Non eſt periculum, ne jusjurandum pereat in mundo, ſed ne inundet perjurium. Quid quod Domini ſermo non ſolum videtur interdicere omne jusjurandum, verum etiam omnem aſſeverationem. Ait enim, *quod amplius eſt, a malo eſt*. Et re vera inter perfectos, quales optat Dominus, ſupervacua eſſet omnis aſſeveratio: quod genus, *crede mihi, non te fallam*, cum tamen frequenter & aſſeveret & juret Apoſtolus *Paulus* : ſi modo jurat, qui teſtem citat Deum. Nam ſunt qui negent *Paulum* jurare, quos refellit beatus *Auguſtinus*, in cujus ſententiam jam olim pedibus diſceſſi. *Thomas* putat illum, cum ait, *teſtem invoco Deum in animam meam*, non ſolum juraſſe, ſed juraſſe cum exſecratione. Jusjurandum eſt, *teſtem invoco Deum*: exſecratio, *in animam meam*. Sunt qui dicunt *Chriſtum* non vetuiſſe jusjurandum, ſed tantum eas formas, quas illic commemorat, *per cœlum, per terram, per caput alterius*, &c. quomodo tum vulgo jurabant Gentes ac *Judæi*: quaſi fas ſit jurare per Deum, per creaturas non item. Atqui *Paulus* cum jurat per ſuam gloriam, videtur jurare per creaturam. Rurſum cum *Philemoni* ſcribit, *ita te fruar in Domino*. Quod ſi recipimus ſanctorum Patrum interpretationem, ideo jusjurandum prorſus eſſe interdictum Chriſtianis, quod quiſquis jurat exponit ſe graviſſimo perjurii periculo, propterea quod homo ob imbecillitatem mentis, ob oblivionem, ob ſenſus fallaces, ſæpenumero putat ſe ſcire quod neſcit, putat ſe poſſe præſtare quod non poteſt: *Paulus* ab his periculis ſecurus recte juravit in litteris, quas afflatu Sancti Spiritus prodidit. Nam hoc colore divus *Ambroſius* excuſat etiam veteris Teſtamenti ſanctos jurantes, ut jam hoc exemplum nihil ad nos pertineat, quod tamen unum pro ſolidiſſimo adducunt argumento, qui probant in Chriſtianiſmo jusjurandum. Et tamen ſi nitimur exemplo *Pauli*, juremus more *Pauli*. Ille non jurat niſi cum exigit Evangelii negotium apud infirmos. Nos quavis de cauſa juramus. At ſi *Valdenſes* nimium inhærentes verbis Domini plus ſatis abhorrent a jurejurando, apud nos tantum certe valere debebat tam accurata Domini præceptio, ut ægre reciperetur jusjurandum. Nunc jurant etiam ii qui perfectionem Evangelicam profitentur, & jurant ex more magis quam ex neceſſitate. Quæ vero neceſſitas aut quæ magna utilitas eſt, ut jurent artium magiſtelli? *Iſocrates* Ethnicus, non Philoſophus, ſed Rhetor, non vult recipi jusjurandum delatum, niſi ut quis vel ſeipſum a turpi crimine liberet, vel amicos e gravi periculo ſervet: pecuniarum gratia non vult jurare quemquam, etiamſi verum ſit juraturus. At in vita Chriſtianorum vulgatius eſt jurare, quam fuit olim Ethnicis, ac minor eſt jurisjurandi religio, quaſi Dominus illa fruſtra præceperit. Quanquam autem verum eſt, eum Domini ſermonem ad perfectos pertinere, tamen omnium Chriſtianorum eſt, pro ſua quemque virili ad perfectionem eniti. Hæc dixerim, non quod in totum damnem omne jusjurandum, ſed ut appareat me non temere in approbando jurejurando fuiſſe parciorem, ac propius hæſiſſe verbis Evangelii minuſque longe receſſiſſe a veterum orthodoxorum interpretatione.

Propoſitio ejuſdem de eodem tertia. Luc. XXIV.

IX. CHriſtus prohibet jurare, quod non prohibuerat Lex prior.

CENSURA.

Cum eadem ſint moralia præcepta in utraque Lege per Evangelium a Chriſto *confirmata, erroneum eſt dicere, juramentum in Lege nova ſimpliciter eſſe prohibitum, cum in Lege veteri licuerit.*

DECLARATIO ERASMI IX.

Si quid hîc erroneum eſt, primum imputari conveniebat priſcis ac magno conſenſu probatis Eccleſiæ Doctoribus, qui uno ore docent *Judæis* conceſſum quod Chriſtianis interdictum eſt. Jam illud adverbium *ſimpliciter* ab ipſis additum eſt: ego tantum ajo ſic interdictum jusjurandum, quemadmodum interdictum eſt repudium, quod *Judæis* erat conceſſum. Nihil hîc moror quorumdam argutationes, qui putant conceſſum, ut Chriſtianæ leges concedant lupanaria. Probabilius eſt, ſic eſſe conceſſum, ut ſine peccato liceret. Alioqui Lex videri poterat impoſuiſſe *Judæis*, concedens quod erat illicitum. Jam illa *Auguſtini* diſtinctio, quam docendi gratia commentus eſt, de *moralibus*, *ceremonialibus*, & *judicialibus*, multos habet ſcrupulos, ſi quis exactius excutiat. Sed ut hoc interim largiamur, ſi in moralibus Evangelium nihil addidit Legi perfectius, veterum orthodoxorum libri pleni ſunt talibus verbis, quaſi multa licuerint *Judæis*, quæ Chriſtianis non licent, & quaſi longe perfectior ſit Evangelica doctrina quam *Moſaïca*. Quæ ſi perperam dicuntur, & viſum fuit infirmorum offendiculis occurrere, illorum verba potius erant corrigenda quam mea, quandoquidem illos ſequutus ſum auctores, & hoc plus ab illorum dictis periculi eſt, quo majore cum auctoritate leguntur etiam in templis. Hîc ſi dixerint, *Chriſtum* in moralibus nihil addidiſſe Legi, tantum mentem Legis, quæ ſpiritualis eſt, clarius ac perfectius expreſſiſſe quam Scribas ac Phariſæos, haudquaquam novus eſt ſermonis color, hoc tribuere Legi, quod verbis Legis expreſſum eſt, & ad quod *Judæorum* vulgus ſe tantum credebat obligari. Nam Sacræ Litteræ variis modis uſurpant *Legis* vocabulum. Dominus cum dicit, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, *Legem* appellat typos ac ceremonias Legis, *Prophetas* appellat eorum de *Chriſti* priore adventu vaticinia. Item *Paulus* cum ait, *reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex*, non ſentit de tota Lege, ſed ceremoniarum præſcriptione, quam paulo ante dicit *Legem mandati carnalis*. Hac ratione primarii Doctores Eccleſiæ plurimis in locis dicunt Evangelium perfectiora exigere, quam exegit Lex, Legem appellantes non ſenſum ſpiritualem illum ac reconditum, ſed verba Legis juxta vulgarem *Judæorum* intellectum. Præceptum, quod ipſi Phariſæi fatentur in Lege eſſe maximum, tantum dicit, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*. An huic præcepto nihil addit *Chriſtus*, cum ait, *diligite inimicos veſtros* &c. Rurſum ſi nihilo plus exigitur a Chriſtianis, ubi eſt illud toties a ſanctis Patribus repetitum, *cui plus donatum eſt, plus ab eo exigitur*? Quod ſi illorum verba commode interpretamur, nec judicamus erronea, poterant & mea ſimili candore accipi.

Hebr. 7.

Propoſitio ejuſdem quarta. Matth. V.

X. NOn minus eſt Chriſtianus ſimplici verbo obſtrictus quam *Judæus* per omnia ſacra dejerans.

CENSURA.

Hæc Propoſitio erronea eſt, & honori Dei derogat: cujus auctoritas interponitur per juramentum: ratione cujus novum vinculum obligatorium inducitur.

DECLARATIO ERASMI X.

Hîc longe aliud interpretantur delatores quam ego ſenſi. Neque enim hoc ſentio, non peccare gravius eum qui pejerat, quam qui fallit ſimplici ſermone: ſed perfecto Chriſtiano tam certam eſſe debere in dictis fidem, ut non minore religione ſervet quod ſimplici verbo promiſit, quam *Judæus* aut homo *Judaïcus*, quolibet interpoſito jurejurando. *Judaïcus* enim homo non putat ſe teneri ſimplici promiſſo, at perfecto Chriſtiano ſimpliciſſimus ſermo pro jure-

Digitized by Google

jurando eſt. Et ſi tales eſſent omnes Chriſtiani, quid tandem derogaretur honori Dei? Meo judicio illuſtraretur potius tanta ſinceritate ſuorum. Optat Dominus omnes ſuos eſſe perfectos, & gloria Regis eſt populus bene moratus. Quis igitur hîc locus illis atrocibus dictis, *erronea, & derogans honori Dei?* Quod ſi Deus honoratur jurejurando, cum pium ſit honorare Deum, cur ſanctiſſimi viri magno conſenſu deterrent a jurando? Cur & hodie, ut quiſque mentis eſt religioſiſſimæ, ita maxime abhorret a jurando, adeo ut complures malint relato jurejurando perdere rem, quam jurare verum? Divus *Chryſoſtomus* in Homilia quadam magno ſtomacho interdicit ingreſſum templi iis, qui contra Domini præceptum jurarent, non dicit pejerarent. Idem ita ſcribit in *Matthæum: Quid ſi quis exigat jusjurandum, & jurandi neceſſitatem imponat? Sit tibi timor Dei omni neceſſitate violentior. Nam ſi velis iſtiuſmodi cauſationes ſemper objicere, nihil eorum quæ præcepta ſunt ſervabis.* Hæc ille. Peccat qui divini nominis auctoritatem ſecus adhibet jurans quam ad honorem Dei, ſed ideo dehortantur homines pii ab hoc honore, quod in perjurio ſit graviſſima Dei contumelia. Quis autem neſcit Chriſtianum obligatiorem eſſe juratum quam ſimplici promiſſo? Neque enim ibi Paraphraſis confert Chriſtianum juratum cum injurato, ſed Chriſtianum injuratum cum *Judæo* jurato. Itaque quemadmodum Chriſtiano perfecto concupiſſe uxorem alienam pro adulterio imputatur, & odiſſe fratrem pro homicidio: ita ſimplici promiſſo fallere proximum non minus grave crimen eſt Chriſtiano, quam *Judæo* videbatur perjurium. Et hîc probatorum Eccleſiæ Doctorum auctoritatem ſum ſequutus. *Hieronymus* dicit: *Evangelica veritas non recipit juramentum, ſed omnis ſermo fidelis pro juramento eſt.* Nec meis verbis quiſquam poteſt offendi, ſi legat continentem Paraphraſeos ſermonem, præcedit enim: *Inter vos igitur ſanctior ac firmior eſſe debet ſermo ſimplex, quam apud* Judæos *quamlibet religioſum jusjurandum.* Et aliquot ſententiis in medio poſitis, repetit quod ante dixerat: *Neque enim alter minus obſtrictus eſt ſimplici nudoque verbo, quam* Judæus *per omnia ſacra dejerans: neque alter minus fidit, quam ſi jusjurandum interceſſiſſet* &c. Quod prius dictum eſt, *ſanctior ac firmior eſſe debet*, hîc iteratur aliis verbis, *non minus obſtrictus eſt.* Obſecro te Lector, quid hujuſmodi cavillationes faciunt ad Chriſtianam pietatem? Decerpere quod carpas, decerptum incommode interpretari, & in alium detorquere ſenſum? Vereor ne iſti gnomones, ad quos quidam examinant Veterum dicta, pro mundo faciant magis quam pro *Chriſto*, & Evangelii vigorem diluant verius quam confirment. Quid opus eſt docere mundum, jusjurandum multis utilitatibus & neceſſitatibus eſſe commendabile? *Auguſtinus* jusjurandum ponit inter neceſſaria, non inter probata. Sunt enim & mala neceſſaria. Et ſi quod eſt jusjurandum quod malum non eſt, nullum certe eſt quod non ſit a malo: quod quoniam *Matthæus* cum articulo dixit, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *Chryſoſtomus* interpretatus eſt *a Diabolo.* Id mitigans *Auguſtinus* interpretatur *a malo* vel culpæ vel pœnæ.

Propoſitio ejuſdem de eodem quinta. Matth. V.

XI. NOn opus eſt in contractibus admiſcere jusjurandum, exſecrationes, aut ſimile: quod & promittentem obſtringat metu, & ſtipulanti faciat fidem.

CENSURA.

Hæc Propoſitio prætendens non eſſe conveniens, utile, aut neceſſarium, adhibere juramentum ad confirmandos humanos contractus, univerſaliter intellecta, falſa eſt, ad errorem Witclefi *accedens. Quandoque enim utile eſt, quandoque neceſſarium hominum commercia juramento roborari: juxta rei, ſuper qua eſt contractus, magnitudinem, & perſonarum contrahentium ſeu politiarum utilitatem inde provenientem, ut videre eſt in Principum fœderibus.*

DECLARATIO ERASMI XI.

Eam Propoſitionem non poſui univerſaliter, ſed de his ago, qui ſimplicitate Evangelica perfecti non in alium uſum habent ſermonem quam ut invicem ſignificent quid habeant in animo. Sic enim habet Paraphraſis: *Apud vos enim, apud quos nihil eſſe debet in labiis, quod diſſideat ab animo, non eſt alius uſus ſermonis, niſi ut mutuo ſibi ſignificent homines quod animo ſentiunt.* Hinc continenter ſequitur: *Nec opus eſt in contractibus admiſcere jusjurandum* &c. Si tenorem loci recitaſſent, nihil habebat offendiculi. De perfectis illic ago; ſequitur enim: *At neutrum competit in vos, quos omnibus modis perfectos eſſe volo* &c. Nec jam refert an tales ſint in mundo. Satis eſt quod tales depingit & optat *Chriſtus.* Nam & Rhetores talem proponunt perfectum oratorem, qualem negant adhuc eſſe repertum. Jam ſi tales eſſemus quales ibi depingit *Chriſtus*, quæ eſſet utilitas, aut quæ convenientia, aut quæ neceſſitas jurandi? An non ſupervacaneum eſt jusjurandum inter eos, inter quos nemo diffidit, nemo meditatur dolum? An ibi convenit ac decet jusjurandum, ubi cuique ſimplex ſermo pro jurejurando eſt? An hoc neceſſarium eſt, quod nec convenit, nec ulli eſt uſui? Ad hæc, quid opus erat illa exceptione univerſaliter intellecta, cum mea Propoſitio non poſſit univerſaliter intelligi, nimirum obſtantibus quæ præcedunt & quæ ſequuntur. Nec inficior inter Principes, quales ſunt plerique, interdum vel utile vel neceſſarium eſſe jusjurandum: optabilius tamen ſit, ſi ea eſſet fides Principum, ut citra jusjurandum fœdera tranſigerentur, ac perinde ſervarentur, quaſi jusjurandum interceſſiſſet. Quod ſi nos commovent exempla Principum in fœderibus jurantium, ut approbemus jusjurandum, juſtius toties icta ac rupta Principum fœdera deterrere debent a jurando. Ne quid interim commemorem de negotiantibus ac litigantibus, quorum plerique frivolis de cauſis & dejerant & pejerant magno Chriſtiani nominis dedecore. *Chriſtus* non ideo venit in mundum, ut agoranomiam ageret, ſed ut ſuos ad cœleſtem inſtitueret Philoſophiam. Quanto magis autem laudatur jusjurandum, tanto plus detrahitur vigori Evangelico, quod melius relinquitur in ſuo fonte, quam mundanis rebus admiſcetur.

Tit. V. *De reparatione injuriæ. Propoſitio* Eraſmi. Luc. XXII.

XII. NIsi *Chriſtus* humanum affectum, quo ipſum Apoſtoli diligebant, evidenter caſtigaſſet, exiſtimaſſemus nobis licere adverſus impiorum violentiam armis nos defendere, ac vim vi repellere. Nunc autem cum *Petrus* reprehenſus ſit, quod adverſus impios & ſceleratos pro innocentiſſimo Domino ſtrinxerit ferrum, quæ poterit eſſe poſthac cauſa, ut homo Chriſtianus injuriam injuria repellat?

CENSURA.

Quanquam inter Chriſtianos, quantum fieri poteſt, fugienda ſint bella & lites: hæc tamen Propoſitio, ut jacet, innuens nunquam licitum eſſe bellum adverſus impiorum violentiam, quaſi nunquam, juris ordine ſervato, ſe defendendo juſta ſit belli cauſa, enervat omnem politiam, & a lege naturali & a divina diſcrepat: alioqui enim non commemorarentur in libris Numerorum, Joſuë, Judicum, Regum, & Machabeorum *multa bella, quæ ex divina ordinatione geſta ſunt. Scriptis præterea per Apoſtolum & alios ſanctos viros hæc Propoſitio obviat, atque hæreſi conſentanea eſt* Pauperum de Lugduno & Lutheri. *Neque Scriptorem excuſat quod adjicit*, quæ poterit eſſe poſthac cauſa, ut homo Chriſtianus injuriam injuria repellat? *cum in præcedenti parte clare tradat, ſimpliciter non licere nos armis defendere, aut vim vi propulſare: unde manifeſte colligitur ſenſus Auctoris. Neque etiam ea ratione* Petrum Chriſtus *reprehendit, quaſi nunquam liceat vim vi, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, rejicere: ſed quod ipſum defendere niteretur, perinde ac ſi aliquo* Chriſtus *indigeret humano ſubſidio, & mortem, juxta Patris decretum, abſque contra-pugnatione non acceptaret voluntarie.*

DE-

Digitized by Google

DECLARATIO ERASMI XII.

XII. Cum videamus vix unquam esse quietem a bellis, quæ ut ex ambitione aut ira Principum fere nascuntur, ita pessimis rationibus plerunque geruntur, frequenter in scriptis meis a bellis deterreo, idque veterum Ecclesiæ Doctorum exemplo. Multis tamen in locis declaro me non improbare simpliciter omne bellum, velut in *Panegyrico* ad Principem *Philippum Maximiliani* Cæsaris filium, & in *Principe Christiano* ad *Carolum* nunc Cæsarem, postremo in libello *de bello suscipiendo cum Turcis*. Quod autem ad hunc locum attinet, primum injurium est, quod sub persona *Lucæ* dicitur in Paraphrasi, & recte dicebatur illis temporibus de Evangelii præconibus, id ad meam personam & ad hæc tempora accommodare. Quod enim Paraphrasis dicit nobis, Censura videtur ad me meorumque temporum homines detorquere, cum *Lucas* loquatur de se suisque Collegis. Rursum quod dicit *jam*, accommodat ad præsentem ætatem, qua hæc scribuntur, cum Paraphrasis sentiat de ætate, qua scripsit Evangelista, cum Legi *Mosaica* succederet Evangelii prædicatio. Nolebat enim Dominus, ut Evangelium armis aliisve præsidiis hominum propagaretur, quo tota gloria Deo cederet. Apostolis autem suis nihil permisit, nisi ut de civitate fugerent in civitatem, & per patientiam suam possiderent animas suas. Quod si licuit Apostolis ac viris Apostolicis in Ecclesiæ primordiis armis tueri sese adversus Ethnicos, quos impios appello, fatebor Paraphrasim meam non recte fuisse loquutam. Sed *Augustinus*, qui tanto intervallo sequutus est Apostolorum tempora, non vult armis opprimi idololatras, cum tamen id temporis ea fuerit Christianorum potentia, ut, quod ipse fatetur, in conflictu potuerint esse superiores: quin & intercedit, ne Cæsar ulciscatur mortem ab Ethnicis cæsorum, causam addens, ne per vindictam obscuraretur gloria Martyrum. Dicet aliquis, aliud est laudare Veterum mansuetudinem, aliud adimere illis jus inculpatæ defensionis. *Non erat*, inquiunt, *Apostolis ac Martyribus ademptum jus defensionis, sed illis temporibus non expediebat ad Evangelii profectum uti jure suo.* Donemus hoc: ego respiciens ad illa tempora, quibus non expediebat vim vi repellere, nec id fieri Dominus voluit, quod ipse non fecit, nihil, opinor, impium proloquutus sum, si negavi fuisse fas, quod tum nec expediebat, & Dominus id certe temporis fieri vetuit. Adde quod si *Petrus* illic gerebat typum Episcoporum, beatus *Ambrosius* dicit arma Sacerdotum esse preces & lacrymas, & si libet adde totam panopliam, qua *Paulus* instruit *Ephesios* cap. sexto, & *Thessalonicenses* quinto. Nec illic simpliciter loquitur Paraphrasis de quacunque defensione, sed de ea quæ nascitur ex affectu vindictæ. Sic enim locum ingredior: *Tunc* Jesus, *ut prorsus revelleret ex animis illorum omnem vindictæ cupiditatem, fallit eos ad tempus obscuritate sermonis, sed in hoc patitur errare, quo certius & efficacius eximat omnem cupiditatem ulciscendi. His autem affectibus id temporis adhuc erant obnoxii Discipuli, nondum hausto Spiritu cœlesti* &c. Quod satis liquet ex eo quod indignantes civitati *Samaritanæ* ob excluſum Dominum volebant illi imprecari cœlestem ignem, quo simul & civitas & homines conflagrarent. Itaque si meus sermo accipiatur, ut dictus est, de cupiditate vindictæ, accommodeturque ad viros Apostolicos & ad illa tempora, quibus Evangelium sanguine Martyrum erat propagandum, nec stans, nec jacens, nec ambulans damnat omne bellum, nec enervat omnem politiam, nec a naturali divinaque lege discrepat, sed consentaneus est doctrinæ *Christi* & Apostolorum. Quod enim jus vim impiorum vi repellendi iis, qui jubebantur diligere & inimicos, benefacere malefacientibus, orare pro persequentibus, & quibus dictum est, *Nolite omnino resistere malo*, concinente *Paulo*, *Non vosmetipsos ulciscentes charissimi, sed date locum iræ.* Si jus naturale vocant instinctum naturæ, sæpenumero magna pietatis laus est, illi non obsequi. Natura penitus insitus est amor propagandi speciem nostram, & tamen laudatur continentia. Jus naturæ dictat obsequi parentibus, & tamen laudantur qui eos amore pietatis contemnunt. Quod autem meminerunt de scriptis Apostolicis, suspicor illos notare locum, qui est *Rom.* XIII. *Non sine causa gladium portat.* Sed ubi docuit Apostolus, ut Discipuli adversus persequutorum sævitiam arma capesserent, & occidere volentes occiderent? Quid quod hæc verba, *vim vi repellere licet*, juris Cæsarei sunt, non Evangelii, quæ tamen ipsa multas recipiunt exceptiones. Quid quod jura Pontificia Clericis interdicunt arma invasoria, defensoria concedunt. Defensoria vocant loricas, clypeos, & galeas, quanquam nos nunc interpretamur defensoria, quæ defendendi animo sumuntur: nimirum posteaquam Pontifices honoris gratia stipari cœperunt profano satellitio, etiam in mensa ac templo, posteaquam Episcopi ad honorem Ecclesiæ cœperunt iter facere comitati trecentis armatis equitibus, posteaquam Cardinales honoris gratia cœperunt appellari Legati campi. Omitto nunc disquirere quantum valeat exemplum a vetere Testamento ductum ad novum, cum *Judæis* multa permissa sint, quæ Christianis non licent. Porro quod adjeci, *ut homo Christianus injuriam injuria repellat*, per Epitasin dictum est. Si non licuit in hoc statu temporum, quo scripsit *Lucas*, vim vi repellere, multo minus injuriam injuria pensare. Sive intelligas vim Lege concessam, Apostolis pro illo tempore non licuit, quod licuerat *Judæis*, & hodie concessum est Christianis, modo addas non solum moderamen inculpatæ tutelæ, verum etiam respectum Christianæ mansuetudinis, ad cujus exemplum decet nos pro viribus eniti. Sive intelligas vim talionis, quæ *Judæorum* moribus nimium ad vindictam propensis concessa est, ne in immensum ultio procederet. Posterius dictum prioris est interpretatio. Talis erat vis, quam parabat *Petrus*. Dominus vocabatur ad Judicem, *Petrus* homo privatus molitur homicidium, & rapitur ardore vindictæ, non utitur legitima potestate. Quid autem Dominus reprehenderit in *Petro*, nunc non disputo: certe *Augustinus* totum hoc, quod fecit *Petrus*, ait Domino displicuisse. Et probabilius est Dominum non hoc tantum reprehendisse in *Petro*, quod existimaret illi opus esse præsidiis hominum, sed penitus externam defensionem ab Evangelii negotio semotam voluisse. Siquidem hoc tum agebat Dominus, ut in se præberet exemplum Discipulis, videlicet, ut quemadmodum ipse noluit defendi armis adversus impios, ita ipsi solo gladio verbi spiritualis armati subigerent orbem Evangelio, nec de humanis præsidiis penderent, sed a voluntate Dei. Nec enim hæc loquitur *Erasmus* de Principibus horum temporum, sed *Lucas* de suorum temporum Evangelistis. Unde quod hîc probant non esse damnandum simpliciter omne bellum, plane mecum faciunt, nec Theologorum Censura pugnat cum mea Propositione, si tota recitetur cum circumstantiis, quas adjicio. Nec innuit hoc quod suspicantur in ipsa Paraphrasi, sed fortassis innuit in fragmento decerpto & perperam intellecto. Quod tamen non est imputandum Facultati, sed Referendariis, aut aliis, quorum illi sunt usi opera. Quale vero fuisset, si fecissem *Lucam* ita loquentem Apostolis ac Discipulis in Ecclesiæ primordiis, *Quod Dominus jussit* Petrum *recondere gladium, non admittit vobis jam* Judæorum *ac Gentium Evangelio rebellantium vim vi repellere, eisque machinari mortem, qui vos trucidant, aut alias moliri vindictam in eos qui vos exulant facultatibus, & in exsilium abigunt, modo sit spes victoriæ.* Mihi videtur multum gloriæ detrahi Apostolorum ac Martyrum victoriis, si dicamus eos ideo non restitisse impiis, quia non potuerunt. Et si potuissent, Dominus noluit hoc pacto nasci ac propagari suam Ecclesiam. Proinde quod Theologi docent, fateor esse recte dictum hisce temporibus, quanquam hujusmodi sententiarum heu nimium dociles sunt Christiani

Rom. 12.

ſtiani. Ego ſcribens Paraphraſim ſpectabam ad Eccleſiæ naſcentis exordia, quam Dominus nec per opes humanas, nec per nobilitatem, nec per ſapientiam, nec per vires humanas creſcere voluit, ut mundus agnoſceret totum hoc arbitrio Dei geri. Eodem ſpectabant priſci Doctores, qui nec Paganos, nec *Judæos*, nec Hæreticos occidi volebant, quod horum omnium malitiam Dominus verteret in ſponſæ ſuæ commodum. Eoque divus *Ambroſius* auſus eſt in hunc *Lucæ* locum ſcribere: *Lex tamen referire me non vetat, & ideo fortaſſe* Petro *duos gladios offerenti*, ſat eſt, *dicit, quaſi licuerit uſque ad Evangelium: ut ſit in Lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.* Hæc ille. Ego vero ſermonem ad Evangelicam attemperare manſuetudinem non ſolum debui ut Paraphraſtes, verum etiam malui, reputans quantopere ab Evangelii vigore defluxerit populus Chriſtianus. Aliud agunt qui demonſtrant, qua ratione Chriſtiani quam proxime poſſint ad mundum accedere, aliud qui conatur hominum mores ad abſolutum archetypum revocare.

Tit. VI. *De matrimonio. Prima Propoſitio* Eraſmi. Matth. XIX.

XIII. QUæ alteri viro ſui fecit copiam, jam uxor eſſe deſiit, & matrimonii jus ademit ſibi, diviſa carne: cum Deus unam & indiviſam eſſe voluit.

Secunda ejuſdem Propoſitio.

XIV. Inter Evangelicos una duntaxat cauſa dirimit conjugium, hoc eſt, violata conjugii fides.

Tertia Propoſitio. Marci X.

XV. Uxor, quæ ſui corporis copiam fecit alteri, jam, etiamſi non repudietur, deſiit eſſe uxor: & maritus, qui ſui corporis copiam fecit alienæ, jam ante divortium maritus eſſe deſiit.

Quarta Propoſitio. Marci X.

Quemadmodum ignis non eſt ignis, niſi caleat: ita conjugium non eſt conjugium, niſi ex duobus fiat unus: ex tribus aut quatuor una caro fieri non poteſt.

CENSURA.

Hæ quatuor Propoſitiones, quatenus per eas prætendi videtur, matrimonium per adulterium diſſolvi quantum ad vinculum, hæreticæ ſunt. Eſt enim vinculum matri-
1 Cor. 7. *monii jure divino indiſſolubile, ut ad* Corinthios *ſcribens Apoſtolus demonſtrat, cum inquit*: His qui matrimonio vincti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. *Et rurſum*, Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. *Et eadem omnino eſt ratio de viro, ſicut de muliere: quia ejuſdem beati* Pauli *ſententia*, Sicut mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ita & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. *Tanta præterea eſt indiſſolubilitas matrimonii, ut nec per hæreſim (quæ fornicatio eſt ſpiritualis) diſſolvatur.*

DECLARATIO ERASMI XIII. XIV. XV.

XIII. Recte additum eſt in Cenſura, *prætendi videtur*:
XIV. nam re vera nihil minus cogitabam illa ſcribens,
XV. quam quod interpretantur. Sentio eam deſiſſe eſſe uxorem, quæ ſe præſtitit indignam uxoris nomine & conjugii commodis. Sicut filius abdicatus negatur eſſe filius, quod amiſerit jus filii: & hominem exuiſſe dicimus eum, qui vehementer eſt inhumanus. Id autem me ſentire declarant verba, quæ ſubjicio, *& matrimonii jus ademit ſibi.* Jus autem conjugii eſt individua vitæ ſocietas, tectum, menſa, & lectus communis, rei familiaris in partem adminiſtratio, fortunarum omnium conſortium, petere debitum, frui liberis, &c. Hæc quæ perdidit ſua culpa, quæſo quid habet uxoris? Quod ſi verba tantum offendunt, non abhorruerunt a talibus ſacri Doctores. Quorum *Chryſoſtomus* in prioris ad *Corinthios* Epiſtolæ caput VII. ita loquitur: *Rurſus illic quidem poſt fornicationem vir non eſt vir. Hîc vero etiamſi cultrix idolorum fuerit mulier, tamen non perdit jus viri* &c. Ecce virum vocat non virum qui excidit a fructu conjugii. Quam autem non poſſum explicare nodum, quomodo *Chriſtus* loquens *Judæis* ſentiat de divortio, quod manente conjugii vinculo tantum ſeparat ab uſu matrimonii, cum illi non aliud noſſent repudium, quam unde fit jus cum alia contrahendi: tamen ita tempero ſermonem, ut quod dico dirimi matrimonium ac fieri divortium, de ſeparatione thori poſſit intelligi, nec ullum admiſceo verbum, quo jus faciam iterandi conjugii. Teſtimonia, quæ citantur, non excutio. De his abunde nobis dictum eſt in *Annotatione* ſuper 1 *Cor.* cap. VII.

Tit. VII. *De fide. Propoſitio* I. *ejuſdem.* Jacobi II.

FIdes quæ friget abſque charitate, nec ſe profert XVI.
ubi res poſtulat, nec fides quidem eſt: tantum eſt inane fidei nomen.

Propoſitio ejuſdem ſecunda. Jacobi II.

Fides & charitas natura conjunctiſſima ſunt, & al- XVII.
terum ab altero divelli non poteſt. *Et paulo poſt*, Charitas fidei comes eſt individua.

Propoſitio ejuſdem tertia: in Elencho.

Certum eſt utramque alteri individuam eſſe co- XVIII.
mitem.

CENSURA.

Hæ tres Propoſitiones ſunt hæreticæ, & ſententiæ Apoſtolorum Pauli *&* Jacobi *contrariæ.* Paulus *namque fidem ſine charitate poſſe eſſe oſtendit, cum inquit*: Si ha- 1 Cor. 13.
buero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Jacobus *etiam* Jacobi 2.
in eo capite in quo dicit, fidem ſine operibus mortuam eſſe, appellat fidem ſimpliciter illam quæ eſt ſine operibus, dicens: Quid proderit, fratres, ſi quis dicat ſe fidem habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſalvare eum? *Unde patet quod fides abſque charitate aut bonis operibus fides appellanda eſt.*

DECLARATIO ERASMI XVI. XVII. XVIII.

Nemo neſcit *fidei* vocabulum late patere. Multa XVI.
enim de Deo credebant etiam Ethnici, & juxta *Ja-* XVII.
cobi dictum, *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Quin XVIII.
& Philoſophi credunt *Ariſtoteli*, & Medici *Galeno*. Eſt fides informis, eſt fides infuſa & acquiſita, fides integra, languida, & mortua, eſt fides actualis & habitualis. Eſt fides quæ nihil differt ab opinione. Eſt fides quæ fuit in *Chriſto*, eſt quæ non fuit: eſt fides quæ manet in patria, eſt quæ non manet: eſt fides hiſtorica, eſt fides dicta pro fiducia, minimum differens a ſpe: & ſi quæ ſunt aliæ fidei rationes, de quibus ſubtiliter diſputant Scholaſtici. Verum iſta diſcutere non ſpectabat ad Paraphraſim, quæ ſecuta *Paulum* ac priſcos Interpretes, ſentit de fide juſtificante & purificante cor. Eam non habebant qui de fide ſua gloriabantur adverſus beatum *Jacobum*. Siquidem hæc natura conjunctiſſima eſt dono charitatis, & charitati comes eſt individua. Jam eſt & charitas humana, quemadmodum eſt fides. Nam & impii quodam modo diligunt Deum ac proximum. Siquidem & impii diligunt uxorem, parentes, ac liberos: & omne bonum, ſive morale ſive externum, generali ſenſu dici poteſt donum Dei. Sed quid hæc ad Evangelica dona Spiritus, de quibus loquitur *Chriſtus*, *Paulus*, & cæteri Apoſtoli? Sint igitur meæ Propoſitiones terque quaterque, ſi libet, hæreticæ juxta ſenſum alienum, modo juxta ſenſum meum ſint *Paulinæ*. Porro quod ſcripſi fidem mortuam, nec operantem per dilectionem, ne fidei quidem vocabulum mereri, vulgatiſſimo tropo dictum eſt: quo hominem inutilem & ignavum negamus eſſe hominem, & vinum vapidum nihilque vigoris habens negamus eſſe vinum. Id me ſenſiſſe deprehendet, qui totum eum locum Paraphraſeos legerit. Atque ut ita loquerer, *Jacobus* Apoſtolus præbuit occaſionem, qui fidem per dilectionem non operantem appellat mortuam. Sed epitheton *mortui* tollit nominis rationem, licet maneat nominis abuſus: quemadmodum dicimus ſepeliri hominem, cum revera non ſit homo qui caret anima. Sic quodam modo anima fidei eſt charitas, addens fidei motum & actum. Quin potius miniſtra fidei

Digitized by Google

dei est charitas, vigor autem fidei est vis purificandi cor divinitus addita. Quod ille vocat *mortuum*, ego voco *inane* nomen : & quod inane est ac mortuum, nego dignum illo præclaro nomine fidei, tam magnifice a *Christo* & Apostolis prædicatæ. Postremo hoc ipsum exponit sermo, qui sequitur in Paraphrasi: sequitur enim continenter: *Etenim quemadmodum corpus anima destitutum mortuum est & inutile: ita fides, si desit charitas nunquam otiosa, mortua est & inefficax.* Proinde testimonia, quæ citant e Scripturis, quanquam ad me nihil attinent, tamen non usque adeo solida sunt, ut nullam recipiant tergiversationem. Neque enim *Paulus* affirmat fidem peculiare donum esse Dei absque charitate, sed fictione utitur ad exaggerandum laudem charitatis: veluti qui dicit, *Etsi mihi lingua centum essent ac totidem ora, non possem rem ut habet enarrare*, is nequaquam sentit esse quemquam cui sint centum linguæ ac totidem ora : sed fictione difficultatem explicandi exaggerat. Eodem tropo, mea sententia, *Paulus* dixit, *etsi linguis hominum loquar & Angelorum.* Neque enim Angelis sunt linguæ, sed hoc exaggerandæ rei gratia fingitur, ad significandum eximias quasdam linguas humanis longe præstantiores. Simili figura dixit : *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia:* non erat imperitus sermone, qui plus omnibus linguis loquebatur, sed per fictionem concedit, quod non est. *Basilius* magnus locum hunc citans in Epistola quadam ad *Neocæsarienses*, hæc subjicit: *Non quod horum quæ commemoravimus singula sine charitate possint inveniri, sed quod sanctus* Paulus *voluerit testimoniis confirmare quod dixerat, præceptum charitatis infinitis partibus esse reliquis omnibus excellentius.* Ita *Basilius*. *Theophylactus* autem indicat hîc *Paulum* ad exaggerandum charitatis eminentiam conferre illam cum dono omnium maximo, fide: nec simpliciter cum fide, sed cum summa fide, nimirum integra & sincera, cum ait, *omnem fidem.* Itidem & *Chrysostomus* annotavit, *Paulum* non simpliciter nominasse fidem, sed universam fidem. Jam ut largiamur aliquam inveniri sine charitate, quis illam dixerit integram, sinceram, & universam, hoc est, omnibus numeris absolutam ? Similiter & *Thomas Aquinas* omnem fidem interpretatur perfectam fidem. Quæ si non reperitur sine charitate, quemadmodum sentit *Basilius*, necesse est, ut hîc agnoscamus hyperbolen ac fictionem, quam inter amplificandi formas commemorat etiam *Quintilianus*. Illud arbitrantur quidam, Apostolum hoc loco, cum linguas, prophetiam, & scientiam nominat, sentire de donis gratuito datis, non de gratum facientibus, quod hæc sine charitate non subsistant. Cæterum jam frigebit amplificatio, si charitatem donis inferioribus atque inutilibus comparet, perinde ac si quis hominis excellentiam exaggerans conferat illum cum leone aut camelo mortuo. Probabilius igitur est hîc dona gratum facientia, ut isti loquuntur, conferri cum donis ejusdem generis: quemadmodum facit eodem capite, cum ait: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum charitas.* Neque enim hîc fidem sentit mortuam, sed vivam. Alioqui diluta sit amplificatio, si veram charitatem comparet fidei mortuæ. Scio quosdam hîc confugere ad nescio quam fidem, quæ si firma sit, quamvis non adsit charitas, tamen edit miracula: sed quomodo hujusmodi fides dici possit summa, integra, & sincera, non video. Imo *Paulus* ipsam fidem justificantem amplificat his verbis, *ita ut montes transferam*, quo magis attollat charitatis excellentiam. Multi siquidem fidem habent justificantem, qui tantam non habent, ut per eam edant miracula. Tutius igitur arbitror sequi divum *Basilium*, ut accipiamus hoc exaggerandi gratia fingi, quod non est, nec esse potest. An Deus possit infundere perfectum fidei donum absque charitatis dono, non erat Paraphrastæ discutere. Mihi satis est ea quæ scripsi competere in fidem justificantem, & ubi ubi est, ac licet, per dilectionem operantem. *Jacobus* autem cum ait, *si quis dicat se fidem habere*, significat illos carere vera fide, qui per dilectionem non operantur: nec enim statim fidem habet, qui dicit se habere fidem. Quod si Propositio dicitur hæretica, quæ pugnat cum Scriptura canonica, aut cum his quæ ex ea evidenter colliguntur: sique declaratum est quod ex locis citatis parum solide colligitur inveniri fidem speciale donum Dei sine charitate: demiror quare Propositiones hæ dicantur hæreticæ, quas tamen legimus apud probatissimos Ecclesiæ Doctores. Jam ut sit hæreticum, negare fidem esse donum Dei speciale, si desit charitas: quid ad me pertinet, cum, ut dixi, tenor sermonis in Paraphrasi declaret me loqui de fide justificante, cui non potest abesse charitas. Quid enim conducit ad pietatem Christianam, si juxta dogma Scholasticum credamus inter dona Spiritus esse numerandam fidem absque charitate? Aut disquirere quomodo fidei donum remanserit in lapsis Angelis, aut in Christianis in letale crimen revolutis. Et an quod remansit, mereatur dici spiritus Evangelici donum, cum dona Spiritus post adventum Domini pleniora fuerint, quam sub vetere Lege. Aut quid ad *Jacobi* locum explanandum conducebat commemorare, quomodo in *Christo* fuerit summa charitas absque fide, quemadmodum & in Angelis. Quod tamen ipsum inter Theologos controversum est. Certe *Durandus* non putat impie dici, *in* Christo *fidem cum charitate fuisse conjunctam* : nec hæreticum dictum esse, *in patria manere fidem.* Hoc apud beatum *Jacobum* agebatur, ut illis supercilium detraheretur, qui sibi pollicebantur ex fide mortua salutem, cum & charitate vacarent, nec ullis bonis operibus abundarent. Hujus autem loci in Paraphrasi tale est exordium: *An satis per se putandum est ad salutem consequendam solam fidei professionem? Quid autem est fides absque charitate?* Ac paulo post: *Quæ si desit, fratres mei, quæso an inane fidei nomen servabit hominem? Infrugifera fides est quæ per charitatem non operatur, imo titulo tenus duntaxat fides est.* Rursus aliquanto post: *Sic nimirum inutilis erit fidei professio, qua verbotenus constat, neque quicquam agit, sed veluti mortua torpet: neque magis est dicenda fides, quam cadaver hominis meretur hominis vocabulum. Quod corpori est anima, hoc est fidei charitas: hac igitur subducta, mortua quædam & inefficax res est fidei vocabulum.* Est post aliquammulta: *Tu tibi places, quod persuasum habeas unum esse Deum, cum error Paganorum credat innumeros esse Deos. Recte facis, nam isthoc nomine præcellis: sed frustra credis esse Deum, & esse Deum unum, nisi sic credas ut ab illo salutem consequaris. At id non facies, nisi fidei jungas charitatem, ac piis operibus testeris & quod credis & quod amas.* Ex his perspicuum est me illic non agere de dogmate Scholastico, sed in hoc dejicere fidem absque bonis operibus, ut adimam inanem fiduciam iis, qui jactant fidem suam, cum veram ac vivam non habeant. Non inficior in illis fuisse fidem aliquam, qui dicunt, *in nomine tuo ejecimus Dæmonia*: non nego *Caiphæ* aliquod fidei donum habuisse, cum diceret, *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo.* Fateor & in sceleratissime viventibus Christianis nonnullam fidem esse posse: licet eos omnia vere credere, quæ requiruntur ad salutem, ego vix credam. Sed aliud agebam in Paraphrasi. Arbitror eos, qui tum edebant miracula, non omnino fuisse vacuos a charitate. Quale vero prophetiæ donum, cum *Caiphas* sonat, quod ipse non intelligit? Longe aliud prophetiæ genus erat in Apostolis. Porro in Christianis, quorum tota vita sapit mundum, aut extincta est fides, aut vehementer languet, nec purificat, sed magis aggravat damnationem. Quod si non res sed verba gignunt offendiculum, quin offenduntur verbis beati *Gregorii*, qui convivium filiorum *Job* interpretatur donorum consensum, quemadmodum *Plato* dicebat omnes virtutes morales inter se connexas esse? Hæc tamen ita disseruerim, ut paratus sim meliori sententiæ cedere. Imo non pronuncio quid sentiam, sed discendi studio inquiro.

Pro-

Digitized by Google

Propositio IV. Erasmi. *Joan.* III.

XIX. SOla fides purificat corda, redditque idonea quibus credantur cœlestis Philosophiæ arcana.

Propositio ejusdem quinta: Joan. VIII.

XX. Sola credulitas via est ad immortalitatem.

Propositio ejusdem sexta. Luc. XXIV.

XXI. Quid exigit *Christus* a suis nisi fidem?

CENSURA.

Tametsi requiritur fides ad assequendam beatam immortalitatem, & ad cordium purificationem, ut docent Sacræ Litteræ: non tamen eam solam ad hoc requiri adstruunt, sed potius oppositum. Unde ait Jacobus *Apostolus:* Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. *Et Paulus:* Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur. *Quare Propositiones cum hujusmodi exclusione positæ Scripturis non consonant, quæ ubique bona opera prædicant. Et offendiculum eædem Propositiones aptæ sunt præstare pusillis: quasi videlicet non sint fidelibus necessaria bona opera, sed sola fides sufficiat ad salutem.*

DECLARATIO ERASMI XIX. XX. XXI.

XIX. XX. XXI. In Paraphrasibus meis vix aliud tracto sæpius aut diligentius, quam non sufficere professionem fidei, nisi accedat vita professione digna. Quod satis liquet ex Paraphrasi in caput *Jacobi* secundum. Idem facio frequenter & in cæteris lucubrationibus meis, ut hæc suspicio in me nullo pacto possit hærere, quasi sentiam non esse necessaria post baptismum in adultis bona opera. Hæ vero Propositiones sic truncatim recitatæ fortasse pariant offendiculum infirmis: at si legantur in contextu Paraphrasis, non video quem possint offendere. Nam *Joannis* tertio ipse sermonis tenor declarat me illic loqui de his, qui ex Paganismo aut Judaïsmo veniunt ad gratiam Evangelicam. Ipsa Paraphrasis verba subscribam, quæ declarant me non de tota salute loqui, sed de aditu ad salutem: *Tamen,* inquit, *hoc tempore, quod clementiæ datum est, non misit Deus Filium suum ut condemnet mundum pro suis sceleribus, sed ut sua morte mundo per fidem conferat salutem gratuitam. Et ne quis sponte periens haberet quod prætexeret suæ malitiæ, facilis aditus datus est omnibus ad salutem: non enim exigitur pro prioribus admissis satisfactio, non Legis observatio, non circumcisio: tantum qui credit illi, tutus est a condemnatione, nimirum illud amplexus, per quod salus æterna datur omnibus, quantalibet peccatorum sarcina gravatis. Habes viam unicam ad salutem.* Sequitur autem continenter inibi: *si modo post Evangelicam professionem abstineat a vita prioris flagitiis, & juxta doctrinam ejus, cujus nomen professus est, proficere nitatur ad perfectam pietatem.* Ad hunc modum Paraphrasis. An hæc videntur esse hominis contemnentis bona opera post baptismum? An potius juxta catholicum sensum Gentes pariter ac *Judæos* provocantis ad Evangelii gratiam: quod toties beatus *Paulus* tanto ardore agit in suis Epistolis, deterrens a circumcisione & a fiducia operum Legalium, ac *Judæos* simul atque Gentes æquans in gratia fidei, qua gratis purificantur corda credentium. Quanquam hæc Propositio perperam citata est ex *Joannis* tertio, cum sit cap. IV. rejicietur hoc in Amanuensem aut Typographum, sed talium censorum erat, quod illorum incuria commissum erat, sua vigilantia corrigere. Quid autem illic agit Paraphrasis? De excludendis bonis operibus post baptismum? Nihil minus. Sed ostendit hominem ad percipiendam Evangelicam doctrinam indocilem, nisi purgatus fuerit a vitio incredulitatis. Siquidem explanans verba Domini ad *Samaritanam, Mulier crede mihi, venit hora,* loquitur hunc in modum: *Verum hoc Evangelicæ pietatis mysterium aperturus, præfatur fidem, sine qua nullus est idoneus auditor Evangelicæ doctrinæ, nec idoneus cultor Evangelicæ Religionis. Fides enim sola purificat corda, redditque idonea quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana.* Mulier, *inquit,* fidem habe mihi &c. Ita Paraphrasis. Unde huc invehitur mentio de operibus baptizatorum? Quid autem aliud dicit Paraphrasis, quam quod Propheta: *nisi credideritis, non intelligetis.* Rursum quod *Paulus* Heb. XI. *Credere oportet accedentem ad Deum.* Porro in *Joannis* octavum sic habet Paraphrasis: *Nisi resipueritis, nihil vobis proderit generis auctor* Abraham, *nihil* Moses, *nihil Sacerdotes, aut Pharisæi, nihil Deus Pater, ut verbis gloriamini. Illud habetote pro certissimo, Si quis obtemperaverit sermonibus meis, quemadmodum frequenter dixi, mortem non videbit in æternum. Sola credulitas via est ad immortalitatem* &c. Viam autem dixi aditum ac veluti januam ad salutem, revocans Gentes a fiducia Philosophiæ, *Judæos* a fiducia ceremoniarum. Quanquam fides sic aperit ingressum ad salutem, ut etiam in deducendo præcipuas agat partes. Rursus *Lucæ* XXIV. manifestum est me loqui de ceremoniis *Judaïcis,* quas *Christus* jam a nobis non exigit, si convertamur ad Evangelii gratiam, sed fidem. Verba Paraphraseos sic habent: *Quid autem exigit* Christus *a suis, nisi fidem? Et ideo suam Ecclesiam, quæ nescit opera Legis, urbem fidelem dixit, totam ipsi uni innitentem. Hanc cum auditis redimendam in judicio, videtis sublatam Legalium ceremoniarum fiduciam.* Hæc Paraphrasis, manifeste *Judaïcas* ceremonias excludens, non opera charitatis. Supererat scrupulus de epitheto *sola*: offendit enim particula exclusiva. Atqui ea non semper excludit, sed frequenter indicat eminentiam, quemadmodum *unus, unice,* & *singulariter.* Veluti si quis dicat de *Plutarcho, Unus commiscuit utile dulci,* non sentit hoc ab illo solo factum, sed ab illo egregie factum. Item cum dicimus, Petrus *unice amat* Joannem, aut *singulariter amat,* nequaquam sentimus neminem alium a *Petro* diligi, sed *Joannem* insigniter diligi. Similiter cum *Terentius* dicit, *solus est amico amicus,* indicat eximium amicum. Præterea *Hieronymus* cum *Heliodoro* scribit, *Solum pietatis genus est, ibi esse crudelem,* nequaquam excludit reliquas pietatis actiones, sed intelligit eximiam quamdam esse pietatem, ob Evangelium pietatis affectum erga parentes vincere. Itidem cum Apostolus appellat *solum Deum sapientem & immortalem,* & *Christus* appellat *solum Deum bonum,* non sentit nullum hominem esse sapientem, aut Angelos esse mortales, aut neminem esse bonum, sed hæc in Deum per eminentiam competere. Rursum cum Lex dicit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies,* non excludit, opinor, adorationem & cultum Divorum, sed quod in his summum est, Deo tribuit. Sic *David* cum ait, *Unam petii a Domino, hanc requiram ut habitem in domo Domini,* &c. non excludit alias petitiones, quas & ipse habet plurimas, sed hanc unam dixit, quia præcipua est. Consimilis ratio est de *nisi.* Velut cum dicimus, *nihil hic sitit, nisi aurum,* sentit aurum ab illo præ cæteris expeti rebus. Verum ut hæc excusatio mihi nihil prosit, certe exclusio debet accipi juxta materiam præsentem. Veluti cum *Joannes* dicit de Patre loquens, *ut cognoscant te solum verum Deum,* non excludit Filium & Spiritum Sanctum, sed falsos Gentium Deos. Rursum *Lucæ* nono, *inventus est Jesus solus:* quî solus, cum adessent tres Discipuli? Sed excluduntur illi duo qui prius cum eo colloquebantur. Iterum in eodem cap. *Cum solus esset orans,* erant autem cum illo & Discipuli. Vox *solus* non excludit Discipulos, sed reliquam turbam quæ solet adesse. Similiter cum Ecclesia in prosa beati *Thomæ* canit de Eucharistia, *sola fides sufficit,* non aliud excluditur, quam humana ratio, & sensuum experientia. Rursus cum *Marci* quinto Dominus dicit Archisynagogo, *noli timere, tantummodo crede,* non excludit reliquas virtutes, sed admonet, ad miraculi perpetrationem præcipue requiri fidem. Itidem mea Paraphrasis, cum ait solam requiri fidem ab iis qui accedunt ad Evangelium, non excludit bona opera, quæ in purificatis gignit fides, sed vel Philosophiam, vel Legis opera, quæ præcesserant baptismum. Nec in his refert, utrum addas an omittas *sola.* Cum enim *Ephes.* II. dicit, *gratia salvati estis,* æque excludit opera Legis, ac si dixisset, sola gratia sive sola fide, & non

Digitized by Google

non ex operibus. Quod ad *Titum* tertio dicit explanatius, *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et ad *Rom.* XI. *Et si ex operibus, jam non est gratia.* Si talibus dictis non excluduntur opera charitatis post baptismum, qua fronte mea Paraphrasis vocatur in calumniam, præsertim cum eadem innumeris locis exigat opera bona a *Christum* professis. Et hujusmodi dictis pleni sunt Orthodoxorum libri. *Chrysostomus* adversus *Judæos* Oratione IV. *Quid est hoc*, annunciavi justitiam in Ecclesia magna? *Non dixit* dedi, *sed* annunciavi. *Quid tandem igitur? Non ex benefactis, nec ex laboribus, nec ex pensatione, sed ex sola gratia justificavit genus nostrum.* Si talibus Orthodoxorum verbis non excluduntur bona opera post baptismum, cur Paraphrasis vocatur in calumniam? Neminem autem offendi puto quod *viam* dixi pro *aditu*, quando Doctores orthodoxi fidem appellant januam ad salutem. Fides autem sic est aditus, ut perpetuo prosequatur progredientem, & in actionibus pietatis præcipuas agat partes. Quod igitur in his offendiculi periculum, aut quæ cum Scripturis dissonantia? Si quid est incommodi, detruncatoribus imputetur: qui si non legerunt, nec Paraphrases meas, nec quæ toties pro hoc loco respondi, ubi gravitas Theologica? Si legerunt ac dissimulant, ubi Christiana sinceritas? Quid porro gratiæ debetur illis, qui talia sparagmata obtrudunt sacratissimæ Facultati?

Tit. VIII. *De quibusdam desideriis ad fidem spectantibus. Propositio* Erasmi I. *In Epistola præposita* I. *ad* Corinthios.

XXII. UTINAM illud saltem aperuisset *Paulus*, a quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus, & sacrosanctum Dominici sanguinis poculum.

CENSURA.

Curiosum est hoc desiderium & futile atque impium, si ex existimatione procedat, qua credantur minoris auctoritatis esse multa a Christo *per Apostolos nobis voce tenus tradita, quam sint ea quæ in Scriptura sunt expressa. Sufficienter enim sunt per Scripturam Sacram determinata, quæ pro salute fidelium expedivit per eam determinari. Nec, auctoribus* Dionysio, Basilio, *&* Augustino, *in minori habenda sunt auctoritate, quæ a* Christo *ex Apostolorum traditione ad nos usque pervenere, de sacramentis & aliis multis, quam quæ Scripturis Sanctis definiuntur. Docet enim Apostolus tenendas esse institutiones Apostolicas: non solum quæ Scripturis exarantur, sed etiam quæ nudo sermone ab Apostolis tradita sunt. Reliqua vero commodius & decentius relicta sunt dispositioni Ecclesiæ, ut de illis definiat & determinet, prout tantorum sacramentorum dignitas, & ipsius Ecclesiæ profectus exposcit.*

Secunda ejusdem Propositio. In Epistola præposita I. *ad* Corinthios.

XXIII. UTinam *Paulus* aliquanto plus lucis nobis aperuisset, qualiter exstent animæ semotæ a corpore, & ubinam exstent: an fruantur immortalitatis gloria, an impiorum animæ jam nunc crucientur, an eis subveniant nostræ preces aut alia benefacta: an indulgentia summi Pontificis subito liberentur a pœnis. Quod video multos super hisce rebus ambigere, aut certe disputare: quod supervacuum erat, si *Paulus* aperte definivisset.

CENSURA.

Supervacaneum est hoc desiderium, & periculosum. Multis siquidem occasionem afferre potest scandali, tanquam quæ illic ponuntur, sufficienti Scripturarum testimonio non suffulciantur: cum tamen illa omnia satis sint per sacra eloquia definita, excepta ultima particula de indulgentiis. Nam quod anima justorum post hanc vitam cum Deo regnent beata, monstrat Christus *dicens in die mortis suæ bono latroni,* Hodie mecum eris in paradiso. *Et* Paulus, *mori lucrum existimans, hincque cupiens dissolvi & esse cum* Christo. *Insuper cum Angeli hominum custodes semper videant faciem Patris, qui in cœlis est, ante diem judicii: eadem ratione vident & animæ piorum, chirographo peccati jam pridem* Christi *morte sublato. Docet similiter Scriptura, animas impiorum suppliciis inferni deputari, cum per beatum* Job *dicitur:* Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Et per beatum* Judam Thaddæum *de iis, qui sectati sunt perversa desideria, scribitur, quod sint ignis æterni pœnam sustinentes. De divite item epulone scribit sanctus* Lucas, *quod mortuus sepultus est in inferno. At vero qui ex hac luce cum Dei amicitia migrarunt, nondum plene a scoria peccati expiati, vivorum juvantur suffragiis: id quod in Evangelio* Christus *demonstrat, dum suadens ut viventes, amicos sibi comparent de Mammona iniquitatis, qui eos, ubi defecerint, in æterna tabernacula recipiant. Huc accedit, quod illi membra sunt corporis* Christi, *quare aliorum membrorum ejusdem corporis subsidio par est sublevari. Nam hoc natura insitum est, ut ubi unum membrum patitur, reliqua membra compatiantur. Regius quoque Propheta idem insinuans in eorum persona qui Deo sunt accepti, ait:* Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua. *Patet itaque, quod viventium preces atque alia benefacta magnopere illis succurrunt. Neque tamen propterea asserendum est quod semper per indulgentias subito a pœnis liberentur. Nec hoc in suis Bullis Pontifices prætendunt, aut ex vi hujusmodi Bullarum Pontificiarum sane intellectarum id habetur. Nam cum non in destructionem, sed in ædificationem data sit potestas Ecclesiæ, non pro quavis causa omnes quarumcumque pœnarum debitores per hujusmodi indulgentias protinus a debito pœnarum eripiuntur, etiamsi sint in charitate. Unde nulli mortalium certum est, quantum per quasvis indulgentias Deo satisfiat pro pœnis, quæ peccatis debentur. Neque tamen si certus indulgentiarum valor fidelibus ignoratur, eam ob rem contemnendæ sunt indulgentiæ: quas probaverunt sacra Concilia, summi Pontifices, atque universalis Ecclesiæ consuetudo & usus: ideoque prodesse illas haud dubie tenendum est. Quandoquidem per ipsas uberes virtutum fructus & magna satisfactionis emolumenta Christianis proveniunt. Quare hæc Propositio, exemplum noxiis dubiis in fide vacillantium inepte proponens, offendiculum præbet indocto & infirmis dubitandi circa ea, quæ certa fide tenenda sunt: in quibus non solum superfluum est dubitare, & dubitando disputare, sed etiam illicitum. Quod si qui super his dubitant, non novis Scripturis veniunt instruendi, sed legitimis supplicis debet usque adeo impia temeritas coërceri. Disputare nihilominus de his citra hæsitationem ad majorem elucidationem veritatis, si modo per eos fiat talis disputatio, quibus ex officio incumbit, non est temerarium aut illicitum, quin potius pium & expediens: ut parati sint, juxta Scripturam, tanquam Pastores & Doctores rationem reddere de ea, quæ in eis est, fide & spe: & eos qui contradicant arguere.* 1 Petri 3. ad Titum 1.

DECLARATIO ERASMI XXII. XXIII.

Sit quantumvis curiosum ac futile desiderium, modo sit pium; non enim ibi fugillo divinam Scripturam, quasi non satis ea tradiderit quæ nobis necessaria sunt ad salutem; quæ quidem impietas procul absit a me; sed opto nos instructiores esse adversus eos, qui hisce de rebus ambigunt ac dissentiunt. Hoc votum cum ab affectu pio proficiscatur, quomodo dici potest impium? Optat interdum charitas quæ fieri non possunt, veluti cum *Moses* postulat deleri de libro vitæ, & *Paulus* optat anathema fieri pro fratribus suis. *Chrysostomus* in Epistolam ad *Philemonem* amore *Pauli* cuperet etiam minima quæque de illo litteris ipsius esse prodita. Et tamen quod ad salutem satis erat, a *Paulo* proditum est. Nec ideo dicitur incusare *Paulum*, sed animi sui pium affectum expromit. Quod si id impium est, fateor me frequenter hoc affectu tentari, cum ob id ne pilo quidem deterius sentiam de inviolabili Scripturarum auctoritate. Veluti cum apud *Matthæum* lego multa sanctorum corpora moriente Domino surrexisse, ac post Domini resurrectionem venisse in sanctam civitatem XXII. XXIII.

& apparuiſſe multis: hujuſmodi cogitatio titillat animum meum. Utinam expreſſum eſſet an revixerint ante reſurrectionem Domini, tum qui fuerint, & quibus apparuerint: non quod hoc ſcire pertineat ad neceſſitatem ſalutis, ſed quod eſſet pia animi oblectatio. Jam ſunt in arcanis litteris loca non pauca, in quibus mirum in modum ſeſe torquent Interpretes, nec ſeſe expediunt. Opinor & illis interdum hujuſmodi cogitationem veniſſe in mentem, ut optarent pluſculum lucis. Veluti cum *Auguſtinus* ſic laborat, ſic æſtuat, ſic omnem movet lapidem, ut explicet quæſtionem de Spiritus blaſphemia, nec tamen per omnia tranquillat auditoris animum. Hic affectus non naſcitur ex contemptu Scripturarum, ſed ex amore cognoſcendi res cognitu dignas. Denique non mihi illud opto, cui ſufficit Eccleſiæ decretum, ſed adverſus contentioſos diſceptatores. Nobis unicus Scripturæ locus ſufficit ad certam perſuaſionem: gaudemus tamen plura Scripturarum teſtimonia conquirere adverſus contentioſos. Jam ut fateamur ea, quæ Apoſtoli viva voce tradiderunt, pari auctoritate recipienda, atque ea quæ ſunt Divinis expreſſa Voluminibus, tamen contentioſi poterunt tergiverſari, negantes illa ab Apoſtolis tradita, ſed vel a recentioribus inventa, vel uſu multitudinis irrepſiſſe in Eccleſiam. Hæc certe rima fuiſſet obturata diſputatoribus, ſi *Paulus* fuſius & explanatius hiſce de rebus diſſeruiſſet. Nam me de his nihil ambigere, puto ſatis liquere e tot libris meis. Multa vero ſunt, de quibus non ſolum dubitarunt olim homines contentioſi, verum etiam docti juxta ac pii: veluti de Purgatorio diu dubitavit *Auguſtinus*, nec ille tamen ſolus. Quibus verbis conſecravit Dominus, nec hodie ſatis convenit. Quibus autem verbis conſecrarint Apoſtoli, nec e Divinis Voluminibus, nec e Veterum libris ſatis liquido percipi poteſt. Atque adeo ne id quidem; quibus verbis conſecrarint, *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, aut *Auguſtinus*. Siquidem duorum priorum exſtant Liturgiæ, ſed inter ſe diſſimiles: & *Auguſtinus* in Epiſtola quadam depingit paucis ſummam Miſſæ, ſed inter precationes, quibus benedicitur, hoc eſt, conſecratur, id quod eſt in altari, ſic enim ille loquitur, præcipuam appellat Precationem Dominicam, quam nos non pronunciamus, niſi conſecrato corpore & ſanguine Domini. Hîc ſi dicamus ab Apoſtolis traditum, quod nunc ſervat Eccleſia *Romana*, nos quidem libenter acquieſcemus: ſed vix habemus quo curioſis obturemus os, habituri ſi clarius expreſſum eſſet in Sacris Litteris. Divus *Auguſtinus* belligerans adverſus quoſdam de baptiſmo parvulorum, non audet aſſerere hoc manaſſe ab Apoſtolis, ſed probabile videri, quod ignotum eſſet, quis ejus exempli fuiſſet primus auctor. Adde quod Eccleſiæ variis uſurpantur modis. Nam *Græcorum* ac *Romanorum* Eccleſiæ in multis diſcrepant, & olim diſcreparunt in his, quæ tamen non levis ſunt momenti, veluti de materia Euchariſtiæ, & hujus ſumptione, deque Spiritus Sancti proceſſione. Quid quod eadem Eccleſia nonnunquam a ſeipſa diſſentit; velut olim Occidentalis, & quantum animadvertere licuit, etiam Orientalis Eccleſia, parvulis baptizatis tanquam rem neceſſariam dabat corpus & ſanguinem Domini. Id ſi hauſerunt e Scripturis, ut interpretatur *Auguſtinus*, quomodo nunc omittitur? Si e traditione Apoſtolorum, perinde ſervandum erat, quaſi Scripturis fuiſſet expreſſum. Atqui hoc nunc in totum ſublatum eſt, adeo ut de hæreſi ſit periclitaturus, ſi quis nunc infantibus porrigat corpus Domini. Jam mihi quidem ſemper fuit perſuaſiſſimum, piorum animas a corpore ſemotas regnare cum *Chriſto*. Sexcentis locis id liquet e ſcriptis meis. Sed contentioſus dicet verba *Chriſti* habere nubilum allegoriæ, dubitabitque quid illic appellet Paradiſum. Nam anima *Chriſti* creditur ad inferos deſcendiſſe, & quadrageſimo demum die adſcendit in cœlum. Paradiſum forte dixit quietem, quam Evangelium ſignavit per *ſinum Abrahæ*. Clarius eſt quod ait *Paulus*, *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Etiam vivus erat cum *Chriſto*, ſed cupiebat moleſtiarum finem, & optabat certam requiem pro laborioſo certamine. Angelos contemplari faciem Patris nemo dubitat. Sed hinc parum efficaciter colligitur, idem datum animabus. Ad verba *Job* cavillabuntur, olim & piorum animas ad inferos deſcendiſſe, & *deſcendere ad inferos* Scriptura appellat *mori*: velut in Cantico *Ezechielis*, *Vadam ad portas inferi*. Et *Geneſeos* XLII. *Jacob* Patriarcha loquitur, *deducetis canos meos cum dolore ad inferos*. In *Judæ* verbis, licet ſatis claris, cavillabuntur, *ſuſtinentes* poſitum pro *exſpectantes*: nec enim eſt ἀνέχεσθαι, ſed ὑπέχεσθαι. In *Pſalmo* XXXII. *Anima noſtra ſuſtinet Dominum*. *Hieronymus* pro *ſuſtinet* vertit *exſpectavit*. Item *Marci* XIV. *Suſtinete hîc & vigilate*, Græce eſt μείνατε, id eſt, *manete* ſive *exſpectate*. De divite epulatore tergiverſari poterunt eſſe parabolam, impudenter quidem, ſed tamen aliquo fuco: præſertim cum animæ nec linguam habeant, nec aqua poſſint refocillari: nec anima *Lazari* habebat digitum, nec *Abrahæ* ſinum. Unde *ignis* videri poteſt remorſus conſcientiæ: *refrigeratio* ſpes liberationis. De conciliandis amicis ex Mammona iniquitatis poteſt ad vivos pertinere, qui de ſe bene meritos recipiunt in æterna tabernacula, dum pro temporariis bonis impetrant illis precibus ſuis vitam æternam. Ad *Pſalmi* teſtimonium tergiverſabuntur, verba Prophetæ ad vivos pertinere, nec illic agi de communicatione meritorum, ſed de afflictionum ſocietate. Certe quod ſequitur, *& cuſtodientium mandata tua*, neſcio quo pacto ad animas exutas poſſit accommodari. Hîc eſt ſocietas afflictionum, in futura vita erit ſocietas gaudiorum. In hunc ſenſum interpretantur orthodoxi Patres. Quid indulgentiariæ Bullæ prætendant non inſpexi, quanquam publicus rumor eſt de quibuſdam, in quibus Pontifex præcipiebat Angelis Dei. Quid promittere ſoleant Commiſſarii, plus ſatis notum eſt. Nemo dubitat Pontificem, atque etiam ſingulos Epiſcopos poſſe relaxare nonnihil de ſatisfactionibus ab homine indictis, ſed gravibus de cauſis, atque id ſane modice, ne evaneſcat vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ: verum an ea poteſtas ſe porrigat uſque ad Purgatorium, dubitatum eſt a non paucis, etiam piis hominibus. An vero tales indulgentias approbarint ſacra Concilia, nondum ſatis liquet. Mihi non fit veriſimile. Itaque non ſatis intelligo quod dicunt, *per eas magna ſatisfactionis emolumenta Chriſtianis provenire*, cum videamus per iſtiuſmodi condonationes magna ex parte tolli legitimas ſatisfactiones: veluti cum qui rapinis ac ſacrilegiis ditati ſunt, liberantur ab onere reſtitutionis, etiamſi templa ſpoliarint, ut jam non ſit locus cauſationi, non liquet, cui debeam reddere. Quod ſi in hoc conducunt indulgentiæ, quod per eas homines excitantur ad confitendum, & ad vitæ correctionem, aut opus aliquod pium, velut ad exſtruendam baſilicam, aut noſocomion, non video quid donet Pontifex, niſi quod hortatur: niſi ſi quid relaxat de jure ſuo, puta de excommunicatione, irregularitate, caſibus reſervatis, atque id genus aliis. Quanquam hîc Theologi ſic temperant ſermonem ſuum, ut ſuſpenſos relinquant animos noſtros. De ſuperioribus autem neque ego dubitavi unquam, neque cuiquam pio dubitandum cenſeo. Neque propono hæc tanquam dubia, ſed tanquam confirmanda. Siquidem particula, *an*, nihilo plus habet dubitationis in mea Præfatione, quam hæc vox, *utrum*, in Diatribis Theologorum. Refertur enim non ad rem, ſed ad animos dubitantium. Quod ſi Theologi recte diſputant ſine offendiculo, quid offendiculi eſt, ſi ego adverſus curioſos parumque tractabiles opto Scripturæ auctoritatem irrefragabilem? optare autem me hanc lucem adverſus contentioſos, declarant illa mea: *quod video*, inquam, *multos ſuper hiſce rebus ambigere, aut certe diſputare, quod ſupervacaneum erat, ſi* Paulus *aperte definiviſſet*. Quod autem ajunt, eos qui ſuper his dubitant non novis Scripturis inſtruendos, ſed legitimis ſuppliciis coërcendos, ut maxime juſtum ſit, certe

certe clementius est etiam illos sana doctrina, si qua fieri possit, in rectam viam ab errore reducere. Siquidem ipsi fatentur, ad hoc hæc in Scholis disputari, ut Doctores parati sint juxta Scripturam rationem reddere de ea quæ in eis est fide, & eos qui contradicunt arguere: ac commode sane addit *Petrus, cum mansuetudine & reverentia.* Porro quod ista docent e Sacris Litteris, rem faciunt Theologis dignam, licet mihi supervacaneam, qui de his nunquam dubitavi.

Tit. IX. *De Lege veteri. Propositio* Erasmi *prima.* Marci I.

XXIV. CUm Lex terrorem incuteret potius quam amorem, quid supererat, nisi posteaquam per Legem didicerant homines se peccatis obnoxios, nec potuisse ab his temperare: simulque scirent Dei severi vindicis judicium neminem posse effugere, nisi ut trepidarent, horrerent, ac desperarent.

Quis autem amare potest, quem horret?

CENSURA.

Hæc Propositio innuens homines veteris Legis non potuisse vitare peccata, & magis induci per Legis cognitionem ad desperationem quam ad amorem, est injuria Legi & Legislatori Deo. Tradidit enim Dominus Legem, non per quam perirent homines, sed justificarentur. Juxta illud Apostoli, Lex quidem sancta, & mandatum justum. *Et illud Levitici,* Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis. *Neque enim Deus hominem ad impossibile obligavit per Legem* Mosaïcam, *cum non possit esse injustus.*

Rom. 7. Levit. 18.

DECLARATIO ERASMI XXIV.

XXIV. Injuria afficere Legem sanctam & Deum Legislatorem, impiorum est; qui affectus procul absit a nobis. Quoties *Paulus* confert veterem Legem cum Evangelio, non horret similes formas loquendi, nec sacri Doctores *Paulinarum* Epistolarum interpretes. Eas postquam commode interpretamur, citra injuriam Dei & Legis a Deo datæ, poterat & meus sermo sic accipi, quemadmodum & a me dictus est. Cum enim ait, *Lex per Mosen data est, gratia autem per Jesum Christum facta est,* nonne videtur Legi tribuere terrorem absque gratia? Et ad *Galatas* III. cum Legem appellat pædagogum ad *Christum,* nonne terrorem illi tribuit absque charitate? Rursus cum ait eodem in loco: *Quicunque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt.* Item *Galat.* III. *Quoniam ex Lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit, Lex autem non est ex fide.* Rursus ibidem: *Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, vere ex Lege esset justitia, sed concludit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Et ad *Rom.* III. *Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram Deo, per Legem enim cognitio peccati.* Et cap. proximo, *Lex,* inquit, *iram operatur.* Præterea 1 *Corinth.* cap. XV. Legem appellat virtutem peccati. Item 2 *Corinth.* III. Legem appellat ministrationem damnationis, Evangelium ministrationem justitiæ. Rursus *Rom.* VII. *Cum essemus,* inquit, *in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur.* Ac paulo post: *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat* &c. *Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Ibidem aliquanto post: *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ibid. cap. V. *Lex subintravit ut abundaret peccatum.* Iterum ad *Heb.* VII. *Mosi* Legem appellat Legem mandati carnalis. Ibidem, *Lex,* inquit, *nihil ad perfectum adduxit.* Et alibi: *in quo Lex infirmabatur.* Item ad *Galat.* IV. conferens duo testamenta, vetus, hoc est, *Mosaïcam* Legem, ait generare in servitutem. Et in *Actis Petrus* appellat Legem onus quod nec ipsi portare potuissent, nec patres ipsorum. Quin *Ezechiel* cap. XX. ita loquentem Dominum facit: *Dedi eis præcepta non bona, judicia in quibus non vivent.* Eum locum *Hieronymus* interpretatur de ceremoniis: *Sacrificia enim,* inquit, *quæ populo ad idololatriam proclivi in hoc præscripta sunt, non quod placerent Domino, sed ne ea immolarent Dæmonibus.* His duriora scribit *Chrysostomus* in opere adversus *Judæos* Oratione quarta Legem appellans per se imperfectam. *Cum enim Apostolus,* inquit, *vellet ostendere, quod ipsam* Judæorum *religionem ut imperfectissimam rejecisset irritamque fecisset, hoc assumpsit testimonium, in quo accusatio offerentium nulla est, sed ipsius religionis imperfectio nuda per se declaratur* &c. Hæc si prædicantur de Lege *Mosaïca* citra injuriam Legis ac Legis auctoris, cur meus sermo irrogat injuriam Deo? Illorum verba pia sunt, si Legis nomine intelligamus eam Legis partem, quæ præscribit ceremonias per Evangelium abrogandas, aut Legis litteram, quæ occidit, auctore *Paulo,* aut præceptorum obligationem absque charitate, quæ fuit in plerisque *Judæis,* de quibus ex auctoritate Psalmographi *Paulus* in universum pronunciat, quod omnes a lege declinassent, nec esset qui faceret bonum, nec ad unum. Addit autem hoc dictum in *Judæos* maxime competere. Si nemo servavit Legem juxta *Paulum,* si Lex erat onus importabile juxta *Petrum,* quid erat piaculi, si quis diceret aliquo pacto impossibilem Legis observationem, quam absque Dei præsidio nemo potest servare. Itaque Propositio mea non innuit homines veteris Legis simpliciter non potuisse temperare a peccando, sed Legis præsidio citra gratiam non potuisse, quandoquidem & *Paulus* loquitur: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Nec hoc a me dictum est, Deum dedisse Legem, per quam perirent homines: sed juxta *Pauli* doctrinam ajo, Legem per se bonam, *Judæis* fuisse occasionem horroris ac desperationis. Atque hæc desperatio effecit, ut sibi diffisi confugerent ad gratiam. Eventum ostendi Legis, non taxavi mentem latoris. Nec statim injustus sit Deus, si quid præcipiat quod nostris viribus præstare non queamus: sed misericors potius, qui tali consilio nos nobis ostendit, ut nostris diffisi præsidiis ad illius opem confugiamus: veluti si Medicus ægroto, qui sibi sanus videatur, præscribat, ut quotidie mille passus ambulet, in hoc, quo simul ut cognoverit virium suarum imbecillitatem, Medico se curandum committat. Denique an injustum faciat Deum, si bonas ipsius leges homines suo vitio vertant sibi in malum?

Propositio ejusdem secunda. Marci I.

XXV. LEx *Moysi* umbris, victimis, ac terroribus fecit hypocritas.

CENSURA.

Hæc Propositio rursus Legi Mosaïcæ *contumeliosa est, & ipsi Deo, qui hujusmodi umbras, victimas, & ceremonias Legis instituit: quæ ex sua institutione ad bonum inducebant, & veritatem figurabant novæ Legis.*

DECLARATIO ERASMI XXV.

XXV. Si nunquam facere dicitur, qui dedit occasionem, quomodo *Paulus* dicit, *Littera occidit,* cum littera Legis sit ex sese bona? Idem dicit scientiam inflare, cum scientia suapte natura sit bona, præsertim ea de qua illic loquitur. Loquitur enim illic de *Judæis,* qui dum metu servili servabant externa illa Legis præscripta, se pro justis venditabant, cum re vera non servarent Legem, interius madentes vitiis, & id quod totius Legis caput erat negligentes. Tales nimirum hypocritæ sunt. Idem, opinor, sentiunt Theologi, cum ajunt, *ex sua institutione,* fatentes, per occasionem cessisse in hypocrisim. Cum igitur de re consentiamus, unde ego contumelios us in Deum ac Legem? Ipsum etiam Evangelium multis fuit occasio malorum. Sed hoc congruentius prædicatur de Lege *Mosi,* quæ ut erat data populo rudi duræque cervicis, ita terret ac minitatur magis quam blanditur. Durius loquitur in Evangelio *Simeon: Hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel.* At *Christus* non in hoc venerat in mundum ut perderet, sed ut

Digitized by Google

servaret, & tamen de incredulis dicit: *Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent.* At Censura perinde loquitur, quasi dixerim Legem in hoc datam ut perirent homines. Quis sic insaniat? De eventu datæ Legis loquitur Paraphrasis, non de mente Legislatoris, de abusu, non de usu. Id palam declarat ipse Paraphrasis tenor, qui sic habet, ostendens, quare *Christus* venerit in mundum: *Lege*, inquit, *naturæ, quam Deus inscripserat cordibus omnium mortalium, abusi sunt: Philosophorum sapientia reddidit mundum stultiorem quam fuerat. Gentium religio hactenus summa fuit impietas. Lex* Mosi *suis umbris, victimis, ac terroribus fecit hypocritas* &c. Audis abusum, & vides indicari eventum. Quomodo porro videor damnare Legem, cum paulo ante laudarim eamdem, quod pro temporis ratione figuris & umbris involuta, præparârit ad cognitionem veritatis, & licet non præstaret perfectam justitiam observatione umbrarum ac figurarum, tamen gradibus aliquot ad eam provexerit. Porro quod in genere dictum est de *Judæis*, non tangit eos, qui Legem spiritualem intelligentes ex charitate illam servabant. Veluti cum *Christus* exprobrat *Judæis Esaia* vaticinium, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*, non protinus objicit *Joanni Baptistæ, Simeoni*, & *Annæ* hypocrisin. Ne *Paulus* quidem, cum in *Judæos* torquet Psalmi testimonium, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, sentit neminem sub Lege pie vixisse: sed Legem appellat præceptum minitans absque gratia: & *omnes* appellat maximam *Judæorum* partem, qui ex cortice Legis sibi vindicabant justitiam apud homines. Tales erant de quibus loquitur Psalmus: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi, holocaustum & pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce venio.* Non hîc damnatur Lex, sed hypocrisis *Judæorum*, ad quorum fiduciam excutiendam opus erat adventu *Christi*, qui non per opera Legis, sed per fidem pollicitus est justitiam, nec per externas ceremonias, sed per animi pietatem purificavit. Quod enim ait de auribus, ad fidem pertinet, quæ est ex auditu; quod sequitur, *& legem tuam in medio ventris mei*, ad spiritualem internumque pietatis affectum. Nec Dominus apud *Esaiam* detestans victimas, jejunia, sabbata, & neomenias *Judæorum* reprobat Legem, quæ hæc præscribit, sed *Judæorum* arrogantiam, qui harum observatione sibi videbantur justi. Quod si hujusmodi dictis, & utriusque Testamenti libri, & Orthodoxorum veterum lucubrationes scatent, quid opus erat ex decerptis fragmentis struere calumniam blasphemiæ, præsertim cum ex mille locis Operum meorum perspicuum sit, me non hoc sentire, quod interpretatur Censura, de mente Legislatoris, deque figuris ac ceremoniis ad perniciem hominum institutis. Si qui sunt qui hisce de rebus prodiderunt dogmata improbata, non æquum est, quod aliis debetur, in caput immerentis impingere, præsertim cum ad hæc pridem satis responderim.

Propositio ejusdem tertia. Rom. VI.

XXVI. Lex cupiditates irritabat potius quam coërcebat.

CENSURA.

Hîc non convenienter usus est Scriptor officio Paraphrastæ. Quandoquidem Lex de se potius coërcebat cupiditates quam irritabat. Non enim est data Lex a Deo ad incitandum homines in peccata, sed ad cohibendum ab illis: alioqui non esset sancta neque justa.

DECLARATIO ERASMI XXVI.

XXVI. Et hîc eventum indico, non mentem latoris. Sic dixi, *Lex irritabat cupiditates, quemadmodum Apostolus dixit, iram operatur.* Neque enim in hoc erat data, ut Dei vindictam provocaret. *Lex*, inquiunt, *de se potius coërcebat cupiditates.* Assentior: sed per occasionem in plerisque irritabat, quod illi non negant. Porro me illic loqui de Lege sine gratia, declarat sermo Paraphraseos, qui sic habet: *Neque vero periculum est, ne peccatum vos nolentes in pristinam retrahat servitutem, quandoquidem jam non estis obnoxii Legi, quæ cupiditates, irritabat potius quam coërcebat: sed gratiæ Dei, quæ ficuti præstare potuit ut a peccati tyrannide liberaremur, ita præstare potest ne revolvamur in peccati tyrannidem.* Hunc in modum Paraphrasis. Sed quod sentiebas, inquiunt, debebas explanatius dicere. Non omnia possunt omnibus locis repeti. Nam illud dilucide tractavi suis locis, admonens particulam *ut* non semper sonare finem, sed interdum eventum: ac Paraphrasis exponens verba *Pauli* Rom. v. *Lex subintravit ut abundaret delictum*, non interpretatur in hoc datam Legem ut *Judæi* gravius peccarent, sed ostendit, cum per Legis occasionem facti sint deteriores, quid utilitatis etiam illis attulerit Lex, nimirum ut magis ac magis prodita malitia agnoscerent peccatum suum. Jam quid sentit Censura, cum ait, *Lex de se potius coërcebat cupiditates*: si *de se* accipit pro *per se*, hoc est, sine gratia, plurimum abest a vero, si *de se* non excludit gratiam, sed *Judæorum* culpam, plane mecum facit. Quanquam illud, *de se*, non est in mea Paraphrasi. Quod si in his verbis est blasphemia, quî potest esse in mea Paraphrasi, quæ non habet hæc verba? Sed simpliciter narrat quem eventum habuerit Lex in *Judæis*. Rursum Paraphrasis in *Rom.* cap. VII. hunc in modum loquitur: *At Lex quidem in hoc dabatur, ut peccata coërceret. Verum res nostro vitio in diversum exiit. Dum enim Lex prodit peccatum, nec addit robur, quo vitiis repugnemus, factum est, ut hac occasione libido peccandi magis sit irritata, ut est humanum ingenium ad ea propensius, quæ sunt interdicta* &c. Nam toto hoc sermone inculco vocabulum *occasionis*, Legem excusans. Et tamen is qui hæc fragmenta obtrusit Facultati, pro magno mysterio docet discrimen inter causam & occasionem, quod sciebam puer vix quindecim natus annos. Cum hujusmodi loca quam plurima sint in Paraphrasi mea, tamen ex tribus verbis truncatim citatis dicor nequaquam usus officio Paraphrastæ. Quid quod ex hoc loco, quem detruncarunt, perspicuum est, me non simpliciter loqui de Lege, sed de Lege sine charitate. Sic enim habet Paraphrasis: *Quandoquidem jam non estis obnoxii Legi, quæ cupiditates irritabat potius quam coërcebat, sed gratia Dei* &c. Cum gratiam oppono Legi, satis declaro me loqui de Lege, quam non adjuvat addita gratia.

Quarta ejusdem Propositio. Matth. V.

PRæceptum illud habetur in Lege præcipuum, XXVII. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

CENSURA.

Hac Propositione præceptum haberi in Lege de odio inimici, falso asseritur, cum nullum tale præceptum in Lege habeatur. Unde cum regula dilectionis amici & inimici ad mores pertineat, quod autem mores spectat, invariatum maneat in utraque Lege: constat Scriptorem hunc non recte assignasse in hoc discrimen Legis novæ a veteri.

DECLARATIO ERASMI XXVII.

Quod isti negant esse in Litteris Divinis, *Augustinus* putavit esse, sic enarrans hunc locum: *Non*, inquit, *quod in Lege dictum est*, oderis inimicum tuum, *vox jubentis justo accipienda est, sed permittentis infirmo.* XXVII. Ita exponens sermonem Domini in Monte. Rursus hoc ipsum innuit adversus *Faustum. Quæro*, inquit, *a* Manicheis, *cur proprium velint esse Legis* Mosi, *quod dictum est Antiquis*, oderis inimicum tuum. Idem sensisse videtur *Chrysostomus*, cum ait Dominum non exegisse ab infirmis, quod suo tempore præcepit jam instructioribus. Itaque mea Paraphrasis sequuta est probatos Auctores. Porro cum cætera, quæ Dominus commemorat, habeantur in Lege, probabile est & hoc in Lege contineri, licet his verbis nusquam reperiatur expressum. Vetantur enim *Hebræi* fœdus jungere cum *Amalechitis, Moabitis*, & *Ammonitis* in æternum. Hoc quidam adferunt, ut doceant

ceant odium inimici in Lege fuiſſe præceptum. Nec enim *odium* in litteris myſticis ſemper ſonat animum cupientis alterum lædere. Interdum odit, qui averſatur, qui affligit, qui contemnit. *Odit patrem & matrem*, qui eos amore pietatis negligit. *Odit animam ſuam*, qui eam exponit periculo propter Evangelium. Conſtat autem in Deum non ſine tropo cadere odium aut iram, ſed interdum odiſſe dicitur, quibus immittit triſtia, amare quos afficit beneficiis. Sic interpretatur *Hieronymus* locum *Malachiæ* de *Eſau* & *Idumæa*, cujus montes, qui dicuntur *Seir*, redegit in ſolitudines, & urbes fecit deſertas, & a ſerpentibus ac beſtiis obtineri: *Iſraëliticum* vero populum ad opes & honores evexit. Sicut autem diligere dicuntur, qui benefaciunt, ſic odiſſe dicuntur, qui fugitant & averſantur. Ita *Judæi* vetiti conjugia miſcere cum *Ammonitis* ac *Moabitis*, quodammodo viſi ſunt eos odiſſe. Rurſus cum Lex dicit, *Diliges proximum tuum*, proximum autem *Judæorum* vulgus vocat ſuæ Gentis hominem, interpretati ſunt imperatum eſſe odium alienigenarum: eoque horrebant commercia Gentium ac *Samaritanorum*, exiſtimantes ſe illorum familiaritate inquinari. Unde & Dominus, *non contuntur Judæi Samaritanis*. Et Apoſtolis prima legatione mandat, ne in viam Gentium abeant, neve *Samaritanorum* civitates ingrediantur. Hac ratione nihil obſtat quo minus idem eumdem hominem & amet & oderit. Veluti ſeverus pater dum filium laſcivientem odioſe tractat, minitans, cædens, alligans, quodammodo odit: rurſus dum his moleſtiis emendatum cupit, amat, aut dum conſulit externis illius commodis. Quin & vulgo Latinis *odium* dicitur moleſtia, *nunquam me tuo odio vinces*, & *odioſus*, moleſtus. Hic intellectus tametſi non eſt abſurdus, nec caret auctoribus, tamen mihi nihil opus eſt ad hoc præſidium confugere. Nunquam enim ſenſi *Judæis* eſſe præceptum, ut odio malevolo haberent inimicos, ſed permiſſum. Nec rurſus ita permiſſum, ut eſſet licitum, ſed ut duritiæ Gentis conceſſum. *Præcepti* nomen ad priorem tantum particulam pertinet: id eſſe verum, declarat epithetum *præcipuum*. Ut enim ſit aliquod præceptum in Lege de odio inimicorum, certe præcipuum eſſe non poteſt. Si verum eſt quod interpretantur Eccleſiæ Doctores, *Judæis* permiſſum odium inimicorum, cum a Chriſtianis exigatur dilectio inimicorum, & in eos beneficentia, videor mihi recte juxta Veterum enarrationem poſuiſſe diſcrimen veteris & novæ Legis. Jam ut ſit prorſus ἀκίνητος illa *Auguſtini* regula, de moralibus invariatis in utroque Teſtamento, juxta ſenſum Legis reconditum ac ſpiritualem: ut conveniat quæ ſint pure moralia, quæ non: certe Evangelium hoc addere dicitur Legi, quod vividius explicat, quod ſæpius inculcat, quod inſignius exprimit exemplis. *Moſes* interpellat Deum pro populo: *David* prohibet *Semei*: ſed quid hæc ad illam perpetuam & admirabilem Domini lenitatem ac manſuetudinem? Quid ad Apoſtolorum indefatigabilem charitatem, & in afflictionibus alacritatem? Proinde ſi Legem accipimus pro vulgari Legis intellectu, recte dicitur Evangelium multa Legi addidiſſe. Quod ſi hoc commentum non recipimus, mille loca ſunt in Orthodoxorum libris, quæ ad hunc gnomonem exacta damnanda ſunt, *Eadem ſunt moralia in utroque Teſtamento*. Jam quod Paraphraſis pro *dictum eſt* mutavit *præceptum eſt*, nihil refert, cum ipſa verba in utraque parte ſint præcipientis, *Diliges, & odio habebis*. Quemadmodum & illa, *non occides, non furtum facies*. Clarius erat ſi dixiſſet, *dilige, & odio habe*, ſed tamen ſermonis eadem vis eſt. Nec explicat quæſtionem, quod *Auguſtinus* interpretatur hæc verba, *odio habebis*, non eſſe jubentis, ſed permittentis. Nam ſi odium accipias pro malitioſa voluntate lædendi quem oderis, ne id quidem, opinor, permiſſum eſt *Judæis* juxta ſpiritualem Legis ſenſum, licet illis Lex externa non minata ſit ſupplicium.

Quinta ejuſdem Propoſitio. Matth. XIX.

ADoleſcens audierat *Chriſtum* docentem, præcepta Legis *Moſaica* non eſſe ſatis ad conſequendum regnum cœlorum. XXVIII.

CENSURA.

Hæc Propoſitio temere aſſeritur, & in eo quod prætendit præcepta Legis veteris includentis præcepta Decalogi non tunc ſuffeciſſe ad conſequendum regnum cœlorum, ſive ad merendam vitam æternam, dictis Chriſti *repugnat, dicentis:* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Rurſumque legiſperito recenſenti utrumque de dilectione Legis mandatum, reſpondit:* Hoc fac, & vives. Matth. 19. Luc. 10.

DECLARATIO ERASMI XXVIII.

Cupiebam reddere cauſam qua commotus adoleſcens adiiſſet *Jeſum*, poſuique quæ mihi videbatur probabilis: quanquam id fortaſſe præſtabat non aſſerere, quod in Evangelio non eſt expreſſum præſertim ſub perſona Evangeliſtæ, cui incommodo jam adhibitum eſt remedium. Quanquam de perſona non ſemel deprecatus ſum invidiam, ſi quid incideret quod minus recte dictum eſſet. Alioqui ſi quis movere velit tragœdiam ex inducta perſona, eadem erit movenda *Hieronymo*, quoties ordinat Prophetæ ſermonem, paraphraſi explanans ejus loci ſententiam, ſi cubi forte non aſſequitur germanum Prophetæ ſenſum: præterea *Gregorio* quoties præfatus, *quaſi dicat*, mutat Scripturæ verba, ſub perſona quam illa loquentem inducit. Jam cum allegoriæ nonnunquam ſint ambiguæ, non licebit eas ſub Evangeliſtæ perſona exponere. Quid porro faciemus *Ambroſio* frequenter hoc agenti? Aut igitur non erat ſcribenda Paraphraſis, aut in his aliquid veniæ dandum erat. Tantum ea neceſſe fuit vitare, quæ temporum ratio non patiebatur ſub tali aut tali perſona dici. Quod ſi hîc reprehenditur mea divinatio, eidem culpæ affinis eſt *Rabanus*, vir nec indoctus, nec illaudatus, qui aliam divinat cauſam, videlicet quod audiſſet a Domino nullos eſſe dignos regno cœlorum, niſi qui parvulis eſſent effecti ſimiles. Denique præſtaret illa perfecta, quæ in Monte ſedens docuerat Dominus. *Chriſtus* autem erat vita æterna, quemadmodum eleganter admonet *Origenes*, cui dicitur ab Apoſtolis, *Verba vitæ habes*. Atque idem de ſe, *Omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum*. Nihil igitur abſurdi fuerit, Evangelicam profeſſionem appellare vitam æternam, a qua *Chriſtus* ſubmovebat, qui non abnegarent ſemetipſos. Unde, quod idem annotavit *Origenes*, non ait Dominus, *ſi vis vitam aſſequi*, ſed *ſi vis ad vitam ingredi*, quaſi Legis obſervatio tantum gradus ſit ac rudimentum ad Evangelicam perfectionem. Rurſus dimiſſo adoleſcente Dominus ait Diſcipulis: *Quam difficile eſt divitem intrare regnum cœlorum*. Significans divites hujus ſeculi vix eſſe idoneos auditores Evangelicæ Philoſophiæ. Quod hîc dixit *regnum cœlorum*, juveni loquens, appellavit *vitam*. Quod ſi hæc ut *Origenica* videntur coactiora, eſt ratio expeditior, ſi accipiamus hunc locum de mandatis illis externis, *Non occides, non facies furtum*, &c. Quod autem additum eſt de dilectione proximi, juxta vulgarem *Judæorum* intellectum dictum eſt, qui non habebant proximi loco, niſi vel ejuſdem gentis hominem, vel de ſe bene meritum. Id liquet ex parabola de viatore ſaucio & *Samaritani* opera curato. Alioqui ſermonem adoleſcentis, profitentis ſeſe hæc omnia ſervaſſe a puero, Dominus non excepiſſet oſculo. Quin potius nihil horum ſervaverat, ſecundum ſpiritualem Legis intellectum, quo nihil differt ab Evangelio, ſane juxta dogma Theologorum. Dominus autem exoſculatus eſt eum, tanquam rudis ac ſimplicis animi *Judæum*, nec infectum fermento Phariſæorum, quique videretur docilis ad Evangelicam Philoſophiam. Probabile autem eſt illum ex Domini ſermonibus opinionem concepiſſe, quaſi ad æternam ſalutem, ad quam ille invitabat, aliquid requireretur, quod in Lege non eſſet expreſſum. Alioqui cum ipſa Lex expreſſe pollicea-

Digitized by Google

tur vitam obſervantibus, quid opus erat conſulere Dominum, quibus modis conſequi poſſet vitam æternam? At cum Dominus propoſitis gravioribus præceptis adderet, qui illa non præſtaret, non poſſe eſſe ipſius diſcipulum, nec ipſo dignum eſſe, cæteris præcludere videtur viam ad ſalutem. Nemo enim ſalvus eſſe poteſt, ſi *Chriſto* ſit indignus. Qui ſpiritualiter Legem obſervabant, quamvis illa omnia non præſtarent, præſtaturi tamen erant, ſi incidiſſet occaſio: quemadmodum *Joannes* Baptiſta pro veritate contempſit animam ſuam. Sed juvenis ille nondum huc profecerat, eoque reliquit *Jeſum* & abiit triſtis, quia nihil adhuc aliud erat quam *Judæus*. Sic interpretatur *Theophylactus*: *Quæcunque*, inquit, *feciſti opera bona, Judaico more feciſti: quod ſi vis perfectus eſſe, hoc eſt, meus Diſcipulus eſſe & Chriſtianus, vade & vende omnia quæ* &c. Sic *Theophylactus*. Ut autem hoc obiter indicem, nonne *Theophylactus* hæc loquitur ſub perſona *Chriſti*, hac in parte Paraphraſten agens? Jam ſi quis dicat illum hîc perperam interpretatum, *perfectus, id eſt, Chriſtianus*, quaſi Chriſtiani imperfecti Chriſtiani non ſint, nec *Chriſti* Diſcipuli, num æquum videatur illum blaſphemiæ reum agere, quod *Chriſtum* induxerit falſa proferentem? An potius error accipietur, quaſi in commentario ſub ipſius perſona dixiſſet. Verum hoc πάρεργον. A *Theophylacto* non diſſonat *Hilarius*: *Juvenis hic*, inquit, *formam Judaïci populi habet, & in Lege inſolentis, & nihil præter præcepta* Moſi *exſpectantis a* Chriſto &c. Dominus clamat, *niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Sed Phariſæi & Scribæ Legis erant obſervantiſſimi, duntaxat juxta cultum externum. Itaque ſi *Moſaicam* Legem accipimus pro externis præceptis, ſi horum obſervationem juxta vulgarem *Judæorum* animum, ſi perfectum accipimus juxta *Theophylactum* prò Chriſtiano, puto nihil impium eſſe in mea Propoſitione, neque *Chriſto* repugnans. Quanquam autem non omnes Chriſtiani coguntur præſtare omnia monita & conſilia *Chriſti*, coguntur tamen hoc eſſe affectu, ut præſtent, quoties exigat pietas. Hoc a vulgo *Judæorum* non exigebatur, quia Dominus nondum expreſſerat Legis *Moſaïcæ* vigorem: & ſi recipimus *Origenis* interpretationem, aliud eſt *ingredi ad vitam*, aliud eſt *conſequi vitam æternam*. Illud eſt rudimenti, id eſt ſimplicis Judaïſmi, hoc eſt vigoris Evangelici. Nunquam vero ſenſi *Judæos* ante proditam Evangelii lucem non potuiſſe ſervari præceptorum Legalium obſervatione, modo abeſſet hypocriſis, & adeſſet fides & charitas pro illorum temporum ratione. Sufficiebat enim illis fides, quæ poſtea non ſuffeciſſet. Cæterum quod Juriſperito reſponſum eſt, *hoc fac, & vives*, non de externis præceptis dictum eſt, ſed de ſumma perfectaque charitate erga Deum & proximum, quæ complectitur univerſam Legem, atque etiam Evangelii perfectionem. Porro quod Cenſura addit *tunc*, notans tempora lucem Evangelicam præcedentia, ſignificat præcepta Legis *Moſaïcæ* poſt editam Evangelii lucem non ſuffeciſſe. Si ſentiunt de externis, fateor eſſe verum: ſi de moralibus, quæ dicunt in utraque Lege fuiſſe eadem, videntur ſuffeciſſe. At mea Paraphraſis reſpiciebat ad illa tempora, quibus Dominus erudiebat homines ad Evangelici ſpiritus vigorem, jaciens perfectionis ſemina, quæ poſt hauſtum cœleſtem Spiritum pullularent in moribus & animis Diſcipulorum. Cenſura reſpicit diverſum tempus. Sic enim loquitur Paraphraſis: *Sed Dominus oſtendens quantum interſit inter juſtitiam Judaïcam & Evangelicam, inter Judæum & bonum Chriſtianum*, Si vis, *inquit*, &c. Non arbitror illum juvenem fuiſſe damnatum, quod amore *Chriſti* non poſſet contemnere divitias, quia nondum eluxerat Evangelii vigor, licet huc animi præpararentur. Arbitror ex his liquere, inter Theologos ac me de re convenire, tantum de verbis eſſe controverſiam.

Sexta ejuſdem Propoſitio. 1. Timoth. I.

SIncera charitas ſi adſit, quid opus eſt Legis præ- XXIX.
ſcriptis?

CENSURA.

Hæc Propoſitio, quatenus prætendere videtur viatoribus habentibus charitatem non eſſe neceſſaria aut utilia præcepta, ex erroneo intellectu illius loci Scripturæ, Juſto non eſt lex poſita, *deſumpta, accedit ad errorem* Beguardorum. *Neque certe per verba illa Apoſtolus neceſſitatem ſecludit præceptorum, ſed excellentiam indicat perfectorum: qui non timore pœnæ, ſed virtutis amore bene operantur.* 1 Timoth. 1.

DECLARATIO ERASMI XXIX.

Rurſus idem ſentimus, & tamen mea verba, ſi XXIX.
ſuperis placet, videntur ad *Beguardorum* errorem accedere. Quod enim *Paulus* negat juſto poſitam legem, ſic interpretantur, illic prædicari perfectionem Evangelicam, quæ non timore pœnæ, ſed virtutis amore operatur. Eum Apoſtoli locum in eumdem ſenſum enarrat Paraphraſis. Sic habet locus: *Qui intelligit iis, quos* Chriſti *ſanguis redemit a peccati tyrannide, quique charitatis impulſu ultro plus præſtant, quam Lex* Moſaïca *præſcribit, non eſſe opus vel metu vel admonitu Legis, ut vel arceantur a flagitiis, vel incitentur ad officium, huic lex bona eſt. Siquidem intelligit Legem ad ſe non pertinere, qui per Evangelium didicit, non ſolum neminem ladere, ſed etiam benemereri de hoſtibus. Quorſum opus frenis aut calcaribus equo commode ſponteque currenti?* Ac mox: *Proinde Lex, quæ metu ſuppliciorum deterret a flagitiis, non his utique condita eſt, qui volentes ac lubentes præſtant, quod Lex exigit, etiamſi Legis verba non teneant.* His conſentanea ſcribit *Chryſoſtomus*, enarrans illud, *Finis legis eſt charitas*: finem autem dixit conſummationem: *Medicinæ*, inquit, *finis ſanitas eſt: itaque cum adeſt ſanitas, præcepto ac denunciatione nihil eſt opus*, &c. Eamdem ſententiam explanatius refert *Theophylactus*. Loquitur autem illic Apoſtolus non de quavis charitate, ſed de Evangelica, quæ proficiſcitur a conſcientia bona, & fide non ficta. Talis charitas non eget lege, metu, miniſque ad pia opera provocante. Si legerunt meas Paraphraſes qui fragmenta hæc detulerunt ad Facultatem, quî potuerunt ſuſpicari me ſentire cum *Beguardis*, cum ea *Pauli* loca, quæ videntur Chriſtianos a præceptorum obligatione liberare, ſic interpretor, ut excludam *Beguardorum* errorem. Siquidem exponens *Rom.* VI. *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*, ſubjicio: *Verum abſit interim ut quis hæc ita interpretetur, ut, quoniam dixi vos eſſe liberos a lege, exiſtimetis ſublata lege impune peccandum eſſe, aut Dei gratiam, quæ priſtina commiſſa condonavit, pariter & in poſterum delinquendi indulſiſſe impunitatem. Imo hoc magis abſtinendum eſt a peccatis, quod jam ad bene faciendum non cogimur, ſed meritis & amore provocamur. Mutata eſt ſervitus, non prorſus adempta* &c. *Legis* autem vocabulum hîc a me poſitum pro terrore Legis, ipſe ſermonis tenor indicat. Similiter expono illud ad *Galat.* v. Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege: *ut poſteaquam exempti eſtis a ſervitute Legis* Moſaïcæ, *quæ carnalis eſt, juxta ſpiritualem Evangelicæ charitatis legem vitam agatis. Id fiet, ſi nec ceremoniis Judaïcis metiemini juſtitiam, & a carnis cupiditatibus temperaveritis. Non deſinetis eſſe Legi obnoxii, ſi perſeveretis eſſe obnoxii cupiditatibus* &c. Quin illum ipſum locum, unde Cenſura putat natum *Beguardorum* errorem, Paraphraſis interpretatur adverſus *Beguardos*, quemadmodum declaravimus. Rurſus 2. *Cor.* III. enarrans illud, *Ubi ſpiritus, ibi libertas*, ita loquor: *Moſaica Lex quoniam metu ſuppliciorum continebat in officio, ſervilis erat, & velum ſervitutis eſt indicium. At ubi ſpiritus Domini* Jeſu, *qui ſecretos addit ſtimulos, ut injuſſi quoque feramur ad officia pietatis, ibi libertas*, &c. Similia mihi dicuntur compluribus locis, ſemperque libertatem Evangelicam interpretor immunitatem a præſcriptis ceremoniis *Judaïcis*: a præceptis autem moralibus non aliam eſſe liber-

Digitized by Google

bertatem, quam ut plura faciamus impetu charitatis, quam *Judæi* præstabant terrore Legis. Scio Legem esse non inutilem etiam iis qui prædíti sunt fide & charitate, quantum ad vim dirigendi ac monendi; sed Paraphrasis hîc agit de timore servili, quem excludit charitas. Alioqui & qui spiritu Dei aguntur non carent omnino timore, quandoquidem, ut canit Ecclesia, *tremunt & Angeli*: sed de hoc timore non agit *Paulus*, nec mea Paraphrasis. Arbitror igitur hoc sensisse Apostolum, quod probati Doctores interpretantur, quos ego sequutus sum. Hinc liquet quantum intersit inter *Beguardos* & me. Illi, opinor, sentiunt hominem spiritualem non teneri præceptis, & licere ea pro suo arbitratu violare. Ego interpretor hominem Evangelicum non ita liberum esse a præceptis & constitutionibus, ut liceat eas violare: sed quod instinctu charitatis volens plus præstat quam Lex imperat. Lex enim quasi frenum est & calcar. Abhorrenti sua sponte ab omnibus vitiis, & ad virtutem alacri studio festinanti, nec freno opus est nec calcaribus. Recte itaque Censura mitigat sua verba dicens, *prætendere videtur*. At ea dubitatio fuisset sublata, si pro fragmento lecta fuisset Paraphrasis.

Septima Propositio ejusdem. Galat. IV.

XXX. Verbosissima Lex est.

Octava ejusdem Propositio. Ibidem.

XXXI. *Judæi* pro tempore crassa religione vel superstitione magis cohibebantur.

CENSURA.

Irreverenter in his duabus Propositionibus Paraphrastes loquitur de Lege a Deo instituta, modo vocans eam verbosissimam, *modo* crassam religionem vel superstitionem: *cum tamen, teste Scriptura, ipsa esset ante* Christi *adventum sapientia* Judæorum *coram omnibus populis. Et sapiens verbum Dei & legem sapientis dicit esse fontem vitæ.*

DECLARATIO ERASMI XXX. XXXI.

XXX. XXXI. Offendit abusus hujus vocis, *verbosissima*, quasi non dicamus *verbosam* Epistolam, prolixam ac verbis abundantem. Apud Satyricum legimus, *verbosa & grandis Epistola venit a* Capreis, quibus verbis significatur prolixum diploma, qualia Principes de magnis rebus solent mittere. Et *M. Tullius* cum ait, *Habes Epistolam verbosiorem fortasse quam velles*, verbosiorem dixit longiorem. Sequitur enim: *Quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris.* Et *Hieronymus* in Epistola ad *Julianum* Diaconum: *Sed omnem culpam præsens verbositas excusabit.* Loquor autem illic de multitudine infinita præceptorum, quæ toties etiam iterantur & inculcantur in veteri Lege, cum Evangelica Lex tantam præceptorum turbam unico verbo comprehendat. Nec id pertinet ad contumeliam Legis, sed ad gloriam divinæ bonitatis, quæ se populo rudi, crasso, & oblivioso sic temperavit, ut multitudine præscriptionum omni in re admonerentur Dei, & multa repetitione vinceretur illorum surditas atque oblivio. Quid autem mirum, si Deus hominum causa verbosior esse voluit, cum hominum causa carnem assumpserit? Me autem illic loqui non de superfluitate verborum, sed multitudine præscriptionum, testantur verba Paraphraseos, quæ sic habent: *Porro quod Lex tot præscriptis, tot minis non efficit, id compendio sola præstat charitas, totius Legis vim ac summam in se complectens: siquidem quicquid verbosissima Lex innumeris præceptis conatur efficere, id totum unico brevique sermone complectitur* &c. Jam si quis dicat multitudinem præceptorum Legalium, tot verbis inculcatorum, toties iteratorum, esse superfluam iis qui *Christi* spiritum hauserunt, obsecro quid esset piaculi? Atque ut ita loquerer, Scriptura multis locis præbuit occasionem. *Esaias* cap. X. *Consummationem enim & abbreviationem Dominus faciet in medio omnis terræ.* Et *Paulus Rom.* IX. *Verbum enim consummans & abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.* Item *Rom.* III. dicit omnia Legis præcepta comprehendi uno verbo, *diliges proximum.* Ibidem mox, *plenitudo Legis est dilectio.* Apud candidum Lectorem illius vocis catachresis poterat etiam habere gratiam, præsertim cum ibi fiat collatio veteris Testamenti ad novum. Per *Mosen* & Prophetas Deus fuit *verbosus*, at per Filium fuit *verbum abbrevians super terram.* Porro cum crassam Legis religionem appello, non sentio de Lege universa, quæ continet etiam Evangelica præcepta: sed de ceremoniis externis, circumcisione, delectu ciborum, victimis pecudum, sabbatismis, aliisque similibus, in quibus non erat sita vera Religio, sed typum habebant veræ Religionis. De hac enim Legis parte ibi tractat Apostolus. Juxta hanc partem Legem appellare crassam aut carnalem, nihilo contumeliosius est, quam si quis corpus appellet crassiorem hominis partem, & in sacramentis crassum appellet, quod sensibus magis patet, ut in baptismo aqua, sal, & unctio. Crassam itaque Religionem appello cultum externum, quem Apostolus in Epistola ad *Hebræos* vehementer dejicit comparatione veritatis Evangelicæ. Fortassis aliquis suspicatur sic dici crassam Legem, quemadmodum *Gallorum* vulgus appellat hominem stupidæ mentis crassum. At hoc me non sentire declarat ipsa Paraphrasis, unde hæc fragmenta ad calumniam revulsa sunt. Sic enim habet: *Quemadmodum* Judæi *pro tempore crassa religione, vel superstitione magis, cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberentur, ita vos quondam* &c. Ac mox: *Judæis non imputatur, quod pro ratione temporis majorum institutis servierint, a quibus tamen ad verum pietatis studium sese contulerunt, posteaquam meliora sunt edocti*, &c. Si tropi novitas offendit, ea frequentissima est & in Epistolis *Paulinis*, & in orthodoxis Interpretibus, præsertim quoties Evangelii prædicatio confertur ad Legem *Mosi*. Simili figura *Paulus* appellat veterem hominem & novum, interiorem & exteriorem, non totum hominem intelligens, sed hominis partem. Quin & vulgo summam manum dicimus pro summa parte manus, & medium hominem pro media hominis parte. Hæc Grammatica sunt, fateor, sed turpe est hæc qualiacunque sunt a summis Theologis ignorari, turpius etiam ex his ignoratis calumniam struere. His verbis non taxo Facultatem, sed eos qui istiusmodi frustula obtrudunt Facultati cum præjudicio. Quin illud minus candide facit Censura, quod Legem & Religionem pro eadem accipit: Religio enim proprie cultus dicitur, & ad hostiarum ritus pertinet, qui non tantum erant crassi apud *Judæos*, verum etiam accedentes ad speciem superstitionis, minimumque differentes a ritibus Gentium, nisi quod Deo exhibebantur. Illud durius quod addo, *vel superstitione magis.* Plerique *Judæi* in illis observatiunculis externis totam justitiam collocabant, neglectis iis, quæ ut sunt spiritualia, ita propius attinent ad pietatem. In illis igitur talium observatio non erat vere religiosa, sed superstitiosa magis, hoc est, vergens ad superstitionem. Quid autem vetat ea superstitiosa dicere, quæ Dominus apud *Esaiam* fastidit ac respuit? Quid quod probati Doctores docent illa a Deo præscripta, non quod ipsi placerent, sed ne populus ad omnia mala proclivis, ad idololatriam prolaberetur. Eas præscriptiones, ut dictum est, *Hieronymus* interpretatur leges non bonas, tanquam non ex animo Dei datas, sed duritiæ Gentis *Judaicæ* concessas ad tempus. Certe illa collata ad Legem Evangelicam superstitione non vacant. Quod si simpliciter totam Legem appellassem crassam religionem vel superstitionem potius, non solum irreverenter, verum etiam impie fuissem loquutus. Lex enim spiritualis est juxta sensum mysticum, & cum Evangelio concordat. Itaque quemadmodum verissimum est quod ajunt Theologi, Legem fuisse sapientiam *Judæorum* coram omnibus populis, ita prodita Evangelii luce, quod prius videbatur religio, cœpit esse superstitio, præsertim quod ad ceremonias attinet. Erat igitur & olim superstitio quædam, comparata ad venturam Evangelii lucem. *Lex autem erat sapien-*

ſapientia coram omnibus populis. Verum eſt, fateor, ſed ſpiritualiter intellecta, & rite obſervata. Ubicunque eſt religionis ſpecies abſque vera pietate, ſi adſit ſimulatio, hypocriſis eſt: ſi error ac fiducia inanis, ſuperſtitio eſt. Divus *Hieronymus* muliercularum ſimplicitatem, in corpore geſtantium ſchedam Evangelicam aut fragmentum crucis, appellat ſuperſtitionem, non quod id per ſe eſſet impium, ſed quod externis illis magis fiderent quam internis. Sic *Judæi* ex victimis cæteriſque rebus externis ſibi juſtitiæ ſupercilium vindicantes, cum ſpiritualia Legis præcepta negligerent, ſuperſtitioſi erant, non religioſi. Quin etiam cum precatio res ſit maxime Evangelica, tamen qui perpetuo orantes, ex multiloquio ſine affectibus ſibi promittunt ſalutem, ſuperſtitioſe precantur. Et qui jejunant credentes ipſam per ſe inediam, quamvis nihil accedat, eſſe præcipuam pietatem, ſuperſtitioſe jejunant. Jam quid religioſius quam invocare Dominum, & illius nomen laudibus vehere? Et tamen Dominus reſpuit ſuperſtitioſam invocationem, non recipit ſuperſtitioſas laudes, cum ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Item: *Hic populus labiis me honorat* &c. Non enim hîc excutiam quantum ad hunc locum faciant cætera teſtimonia. Nam Eccleſiaſticus loquitur de ſapientia illa ſublimi: *Fons*, inquit, *ſapientiæ, verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.* Conſtat autem præſcripta ceremoniarum non eſſe data niſi ad tempus. Jam ut ceremoniarum præſcripta aliquo pacto mereantur nomen ſapientiæ, non merentur niſi ad *Chriſtum* accommodata, quem figurabant. *Salomon* vero juxta moralem ſenſum hoc dicere videtur, plurimum referre ad ſalutem hominis, recte ac ſapienter inſtitui. Juxta ſenſum reconditiorem magis quadrare videtur in Evangelium. *Chriſtus* enim dicitur ſapientia Patris, eſtque Filius ille ſapiens, qui gloria eſt Patris. Hujus Lex eſt Evangelium. Sed utcunque hæc exponantur, contra me non faciunt, qui non ſum loquutus de quacunque parte Legis, ſed de externis ceremoniis, quæ erant per Evangelium abrogandæ.

Tit. X. *De Auctoribus Librorum novi Teſtamenti. Propoſitio* Eraſmi *prima. In* Elencho.

XXXII. NOn ſtatim dubius eſt in fide, qui de auctore Libri dubitat.

CENSURA.

Hæc Propoſitio temerarie & erronee aſſeritur, loquendo ut Scriptor loquitur de dubio Auctorum ſacrorum Librorum novi Teſtamenti, ab Eccleſia ſub nomine talium Auctorum receptorum. Cujuſmodi ſunt Auctores quatuor Librorum Evangeliorum, ſeptem Epiſtolarum Canonicarum, quatuordecim Epiſtolarum Pauli, *Actuum Apoſtolicorum, & Apocalypſis. Nam cum Deus viros illos ſanctos organa ſua conſtituerit in editione talium Librorum, honori eorum detrahit, quiſquis ab hujuſmodi Libris nomina eorum aufert, vel in dubium vertit: nec non & a frequenti abducit & fructuoſa eorumdem lectione. Præterea quamvis de Auctoribus aliquorum hujuſmodi Librorum a nonnullis olim dubitatum ſit, nihilominus poſtquam Eccleſia ſub nomine talium Auctorum ſuo uſu univerſali illos recepit, & ſua probavit definitione, jam non fas eſt Chriſtiano de illis dubitare aut in dubium revocare.*

DECLARATIO ERASMI XXXII.

XXXII. Præcipuus Auctor Scripturæ Canonicæ eſt Spiritus Sanctus. Quam diu de illo non dubitatur, non poteſt omnino vacillare Scripturarum auctoritas, neque frigere piorum hominum lectio, per quodcunque organum illam nobis porrexerit. Quanquam non protinus quicquid receptum eſt uſu Eccleſiaſtico, obligat nos ad credendum, tanquam articulum fidei. Titulos recepit Eccleſia, nimirum utens vulgo receptis ad indicandum quod opus deſignet. Quemadmodum citantur Apocrypha, cum aliorum innumerabilium, tum *Hieremiæ*, non quod ſint *Hieremiæ*, ſed quod illius nomine prodita ſint. Ita dicitur Liber *Job*, non quod ille ſcripſerit, ſed quod de illo tractet. Similiter dicitur Liber *Thobiæ*. Titulus itaque non ſemper notat Auctorem. Quemadmodum non omnes Pſalmi putantur eſſe *Davidi*, qui titulum habent nominis illius. Quod ſi univerſalis Eccleſia hac mente recipit titulos, ut pro impiis habeat, qui de homine Auctore dubitant, manibus ac pedibus diſcedo in illius ſententiam, meumque intellectum captivo in obſequium fidei. Nam juxta ſenſum humanum, nec credo Epiſtolam ad *Hebræos* eſſe *Pauli* aut *Lucæ*, nec ſecundam *Petri* eſſe *Petri*, nec *Apocalypſim* eſſe *Joannis* Apoſtoli, qui ſcripſit Evangelium. Poſſem hîc multa argumenta congerere, ſed præſtat vitare infirmorum offendiculum. Nam plus apud me valet expreſſum Eccleſiæ judicium, quam ullæ rationes humanæ. Solus ille ſcrupulus habet animum meum, an Eccleſia receperit titulos, ut non ſolum velit haberi pro indubitatis quæ in his Libris ſcripta ſunt, verum pariter exigat ut pro indubitato habeamus, ab his Auctoribus eſſe profecta, quorum titulos gerunt. Id ſi eſt, damno ac rejicio dubitationem meam omnem, quæ ne fuit quidem ulla, ſi ea mens eſt Eccleſiæ ex afflatu Spiritus Sancti. Quanquam Theologi fatentur, totam Eccleſiam errare poſſe in his duntaxat, quæ non requiruntur neceſſario ad ſalutem gregis: quo de genere fortaſſis eſt titulus. Alioqui ſi tantopere urgemur titulis, vel uſu receptis, vel in Concilio quopiam recitatis, cogemur Librum ad *Paulam* & *Euſtochium de aſſumptione ſacratiſſimæ Virginis* credere eſſe conſcriptum ab *Hieronymo*. Et in Concilio *Carthaginenſi*, cui interfuit *Auguſtinus*, velut & in Epiſtola *Innocentii*, quinque Libri tribuuntur *Solomoni*, *Proverbia*, *Canticum Canticorum*, *Eccleſiaſtes*, *Eccleſiaſticus*, & *Sapientia*: cum *Eccleſiaſticus* apud *Hebræos* non ſit in Canone, & *Sapientia* nuſquam exſtiterit apud *Hebræos*, ſed *Philonis* eſſe credatur, qui Græca polluit eloquentia. Quin & *Auguſtinus* libro *de Doctrina Chriſtiana* II. capite VIII. recenſens omnis Canonicæ Scripturæ libros, ait conſtare *Eccleſiaſticum* eſſe ſcriptum a *Jeſu* filio *Sirach* ad *Solomonis* imitationem. Idem ſentit de *Sapientia*. *Cyprianus* exponens Symbolum Apoſtolorum, *Sapientiam* Sirach & *Sapientiam* Solomonis ne inter Canonicas quidem Scripturas recipit: licet in templis recitarentur, quemadmodum & *Paſtor*. In Concilio *Africano* recitati ſunt Libri novi Teſtamenti certis titulis: ſed aliud eſt recitare vulgo receptis titulis ut agnoſcas, aliud definire ſic ut non liceat dubitare. Jam Concilium *Africanum* non erat univerſale, etiamſi definiſſet de titulis. Et olim *Jacobo Fabro* reſpondentes docuimus, ipſum *Auguſtinum*, qui quodammodo præſediſſe videtur ei Concilio, de auctore hujus dubitaſſe. Quod ſi publicus quarumdam Eccleſiarum uſus obligat nos ad credendum titulo, jam tum ætate *Auguſtini* & *Hieronymi* publicitus in templis ejuſmodi titulis recitabantur. Idem dicendum arbitror de citatione Veterum. *Auguſtinus* multa citat ex Epiſtola ad *Hebræos*, nomine *Pauli*: at idem locis aliquot citat illius teſtimonium tanquam dubius de auctore. Idem facit beatus *Hieronymus*. Cum citant nomine *Pauli*, ſequuntur vulgatum uſum: cum dubitant, indicant ſuum judicium. Itidem divus *Cyprianus* compluribus locis citat *Eccleſiaſticum* titulo *Solomonis*, velut in Epiſtola ad *Rogatianum*, rurſus libro *de Eleemoſyna* II. item libro adverſus *Judæos* II. denique ad *Quirinum* cap. LIII. Eodem titulo citat *Sapientiam*, ſcribens ad *Fortunatum*, aliiſque locis non paucis. Verum in Symbolo pronunciat eos libros non eſſe illorum, quorum titulo ferebantur vulgo. Quid in cauſa? Citans non hoc agebat, quis eſſet auctor. In Symbolo docuit quod verum exiſtimabat. Jam ſi eſt articulus fidei, Epiſtolam ad *Hebræos* a Spiritu Sancto fuiſſe proditam per organum *Pauli* Apoſtoli, falſo dixit Elenchus, *non ſtatim vacillare in fide qui de auctore homine dubitet.* Idem dico de cæteris novi Teſtamenti ſcriptis, de quibus trecentis annis & eo amplius & populus

Digitized by Google

pulus orthodoxus & insignes Ecclesiæ Doctores dubitarunt, non de his de quibus nunquam fuit dubitatum. Et si a frequenti & fructuosa talium voluminum lectione abducit, quisquis ab iis titulos vulgo receptos aufert, vel in dubium vertit, fecit hoc *Cyprianus*, & post hunc *Augustinus*, atque etiam *Hieronymus*.

Tertia ejusdem Propositio: cujus prior pars continetur in Epistola præposita Paraphrasi Lucæ; *secunda est in Supputationibus.* Num. XXVI.

xxxiii. DE Epistolæ ad *Hebræos* auctore semper est dubitatum: & ipse (ut ingenue fatear) adhuc dubito.

CENSURA.

Hæ duæ Propositiones arroganter & schismatice asseruntur, contra usum & determinationem Ecclesiæ in multis Conciliis, Niceno, Laudicensi, Carthaginensi *tertio, cui adfuit* Augustinus, *& in Concilio septuaginta Episcoporum præside* Gelasio. *Hoc insuper liquet, quia auctor hujus Epistolæ dicit illam se misisse per* Timotheum *fratrem suum: cujus legatione in quibusdam aliis Epistolis solebat uti* Paulus. *Idem etiam demonstrat beatus* Petrus, *qui in fine secundæ Canonicæ ad* Hebræos *destinatæ, quibus & primam miserat, eisdem dicit scripsisse charissimum fratrem suum* Paulum. *Magnus item* Dionysius *quadam ex hac Epistola ad* Hebræos *citat tanquam a* Paulo *præceptore suo deprompta. Idem similiter comprobant,* Clemens *primus,* Innocentius *primus,* Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Damascenus, Isidorus, *& alii multi catholici Doctores. Nec verum est, semper dubitatum esse de auctore hujus Epistolæ ad* Hebræos, *cum scribat* Origenes, *quod ante tempora sua omnes antiqui & majores eam ut* Pauli *Apostoli suscipiebant. Mira autem arrogantia atque pertinacia est hujus Scriptoris, quod ubi tot catholici Doctores, Pontifices, Concilia declarant hanc Epistolam esse* Pauli, *& idem universalis Ecclesiæ usus ac consensus comprobat, hic Scriptor adhuc dubitat, tanquam toto orbe prudentior.*

DECLARATIO ERASMI XXXIII.

xxxiii. *Nicenum* Concilium non agit de auctore, sed de auctoritate hujus Epistolæ. Quidam enim sic negabant esse *Pauli*, ut existimarent illam non habendam inter Scripturas canonicas. Nec aliud arbitror actum in aliis Conciliis. Titulus additus est ad designandam Epistolam, neque quisquam negat a multis eam citari *Pauli* titulo, sic & a me citatur frequenter. Si locus Epistolæ pro me facit, & is qui cum ago credit illam esse *Pauli*, cur non appellem Epistolam *Pauli*? Sed iidem illi Doctores, qui, cum commodum est, asseverant eam esse *Pauli*, locis opportunis indicant se de auctore dubitare, præcipue *Origenes*, *Hieronymus*, & *Augustinus*. Quod si *Nicenum* illud Concilium cum cæteris obligat omnes, cur dicti Doctores post ausi sunt dubitare de auctore, de auctore inquam, non de auctoritate; nisi quod minus laborabant de titulo, modo rata esset auctoritas? Nec illis tamen quisquam objecit schisma, aut miram arrogantiam ac pertinaciam, quasi videri voluerint toto orbe prudentiores. De Priscis loquens, dixi semper dubitatum, non ab omnibus dubitatum. Quod si a quatuor aut quinque citatur ut *Pauli*, quid hoc ad universas ætates? præsertim cum illi ipsi, qui eam citant *Pauli* titulo, alicubi fateantur se de auctore dubitare? Latini sero & ægre receperunt Epistolam ad *Hebræos*, Græci *Apocalypsim*. Miror autem quod schisma hinc nasci queat, si quis fateatur eam Epistolam esse Spiritus Sancti afflatu scriptam, fateaturque merito inter Scripturas canonicas receptam, dubitet tamen an a *Paulo* Apostolo scripta sit: & ita dubitet, ut paratus sit abjicere dubitationem, si hoc animo recepit titulum Ecclesia, ut jubeat credere illam esse vere *Pauli*. Id cum non mihi constet, non sum pervicax adversus Ecclesiæ universalis consensum: ac ne tantillum quidem vacillo in fide, si professus a Spiritu Dei proditam, dubitem de auctore homine. Si quis publicitus in templo recitans auferat aut immutet receptos titulos, fortassis obmurmurarent aliquot Presbyteri, quod a me nec factum est, nec ab aliis fieri velim. At quod timetur Ecclesiæ schisma, si quis docendi causa privatim admoneat eruditos? Quantum valeat usus, perplexa disputatio est, nec satis constat, an hoc sit usu universali receptum. Tum si receptus est titulus, refert qua mente sit receptus. A Theologis exspectantur solidiora, quam usus & Ecclesiæ nomen, præsertim cum tam variis modis usurpentur hæ voces. Itaque libero stomacho adjectum est convitium: *hic Scriptor adhuc dubitat, tanquam toto orbe prudentior:* cum, præter tam multos veteres, eosque præcipuos Ecclesiæ Doctores, *Thomas Bionensis* Cardinalis *Cajetanus* adhuc vivens, cum alibi, tum in libello contra *Lutheranos* de Eucharistia, sine *Pauli* nomine citet hanc Epistolam: uno loco subjicit, *quod juxta genuinum sensum tractat auctor illius Epistolæ.* Si non dubitabat de auctore, quid opus erat illa periphrasi? Quis autem Angelus patefecit Theologis, universum orbem hoc sentire quod ipsi sibi videntur persuasisse? Certe quod ad styli judicium attinet, puto me non esse quibuslibet Theologis inferiorem.

Quarta ejusdem Propositio. In Elencho.

De secunda *Petri* diu dubitatum est. xxxiv.

CENSURA.

Hanc Epistolam sub nomine beati Petri *etiam jam olim Ecclesia suo usu recepit, & definitione Conciliorum* Laudicensis, Carthaginensis *tertii*, Gelasii *Papæ*, *necnon & decreto* Innocentii *magni. Præterea ex ejusdem Epistolæ littera patet eam a beato* Petro *esse scriptam. Nam illius scriptor* Petrus *Apostolus in principio nominatur, & adfuisse Dominicæ transfigurationi asseritur in eadem Epistola: soli autem tres ex Apostolis (ut Evangelistæ testantur) illi adstiterunt: unde cum nec* Jacobum *majorem, nec* Joannem *Evangelistam eam scripsisse in confesso sit, recte conficitur* Petrum *illam scripsisse. His itaque perspectis, inepte & sine ullo fructu de ejus auctore dubitatum esse proponitur, cum modo nulli liceat hæsitare quin illa beati sit* Petri.

DECLARATIO ERASMI XXXIV.

Si ineptum est hoc per occasionem studiosis proponere, xxxiv. qui minus ineptit beatus *Thomas Aquinas*, qui diligenter commonet, apud Veteres & de auctore & de auctoritate Epistolæ ad *Hebræos* fuisse dubitatum: aliis eam asseverantibus *Lucæ*, aliis *Barnabæ*, aliis *Clementis* Papæ & Martyris. Quo fructu tot seculis post *Nicenam* Synodum hæc commemoravit *Thomas*? Et solvit ille quidem dubitantium argumenta, sed adeo frigide, ut satius fuerit non attigisse. Nec illa tamen erant præcipua dubitandi argumenta, nomen prætermissum, ac stylus nonnihil varians. Erant alia non pauca aliquanto graviora, quæ movebant eruditos. Quo fructu post *Thomam* eamdem quæstionem movet *Lyrensis*? Sed addunt, ante Synodum *Nicenam* fuisse dubitatum, cum ostenderim præcipuos Ecclesiæ Doctores post eam Synodum de auctore dubitasse. Quo fructu *Chrysostomus* enarraturus *Acta Apostolorum* præfatur, complures etiam illis temporibus fuisse qui dubitarent de auctore illius operis? Quo fructu *Hieronymus* hæc scripsit de *Evangelio Marci*: *Sed & Evangelium juxta* Marcum, *qui auditor ejus & interpres fuit, hujus* (hoc est, *Petri*) *esse dicitur.* Quo fructu *Papias Joannis* Evangelistæ discipulus admonuit historiam de adultera non esse *Joannis*, sed ex apocrypho *Nazarenorum* Evangelio fuisse decerptam: cum id temporis titulo *Joannis* legeretur, quemadmodum & hodie legitur? Nisi quia putabant eruditorum hominum interesse hæc non ignorare? Porro qui de auctore secundæ *Petri* dubitabant, non erant tam stupidi, quin viderent illic fieri mentionem de visione montis: sed suspicabantur illam Epistolam scriptam abs quopiam, qui cupiebat illam legi sub nomine *Petri*. Id quo facilius persuaderet, addidisse mentionem de visione. Eam vero suspicionem conceperant ex phrasi, eque pectore ac vigore sententiarum, quæ partim videbantur ad imitationem alterius Epistolæ effictæ, partim non perinde respondentes Apostolici ordinis principis majestati. Omitto quod hîc tituli in Conciliis recitati sic objiciuntur, quasi universalis Ecclesia damnarit eos, qui de titulis dissentiunt.

Quinta ejusdem Propositio, quæ est in Elencho.

XXXV. DE *Apocalypsi* diu dubitatum est, non dico ab hæreticis, sed ab orthodoxis viris, qui scriptum tamen ut a Spiritu Sancto profectum amplectebantur, de Scriptoris nomine incerti.

CENSURA.

Liber Apocalypsis *aperte cognoscitur a beato* Joanne *Apostolo & Evangelista editus, tum ex Ecclesiæ usu, tum ex ejusdem definitione in Conciliis,* Carthaginensi *tertio, atque beati* Gelasii, *pariterque in Synodo* Toletana, *in qua dicitur*: Apocalypsis librum multorum Conciliorum auctoritas, & Synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta, *Joannis* Evangelistæ esse præscribunt,& inter Divinos Libros recipiendum constituerunt. *Cui quidem Synodo insigni doctrina præfulgens interfuit* Isidorus *Præsul* Hispalensis. *Præterea ex ejusdem libri contextu ostenditur beatus* Joannes *illius auctor: nam in illa scriptor esse dicitur* Joannes, *qui perhibuit testimonium verbo Dei, quique ea de causa in* Pathmon *insulam relegatus est: quæ profecto de alio a* Joanne *Apostolo & Evangelista nequeunt intelligi. Idem rursus contestantur, sacerrimus Pater* Dionysius *Areopagita, beati* Pauli *discipulus,* Innocentius *primus,* Irenæus, Justinus, Damascenus, *aliique catholici Doctores & sancti viri: inter quos splendidum Ecclesiæ jubar* Augustinus *hoc manifeste indicat: qui* alogios *sive* alogos *inter hæreticos ab Ecclesia damnatos connumerat, eo quod* Joannem *Apostolum & Evangelistam negent* Evangelium *scripsisse &* Apocalypsim. *Quapropter eodem modo lapsus est hic Scriptor in ista Propositione, ut in præcedentibus Propositionibus præmissum dubium proponendo pusillis præbens offendiculum, omissa explicatione determinationis Ecclesiæ, sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum.*

DECLARATIO ERASMI XXXV.

XXXV. In Annotatione, quam subjicio *Apocalypsi*, commemoro qui Doctores quid de *Apocalypsi* senserint. Porro qui hoc opus negabant esse *Joannis* Evangelistæ, aut alium fuisse *Joannem* ab Evangelista credebant, quemadmodum duas posteriores Epistolas adscribebant *Joanni*, non Evangelistæ, sed Presbytero: aut eum qui conscripsit librum, id egisse, ut ab Evangelista scriptus videretur, eoque locum suo instituto commodum affinxisse. Si quis hoc commentum clamet absurdum, patiar hîc absurdissimum videri, modo sciat illo seculo mundum fuisse differtum libris apocryphis alienum titulum præferentibus. Idque pii quoque homines sibi persuaserant non tantum licere, verum etiam officiosum esse. Nec *Augustinus* inficiatur eos profuisse populo Christiano talibus figmentis, licet existimet illis abunde magnum præmium relatum, si veniam fictionis consequantur. Porro ut largiamur *Dionysium* illum fuisse Areopagitam *Pauli* discipulum, de quo tamen non temere dubitant multi: si tantum valet *Dionysii* auctoritas ut cogamur eam credere a *Paulo* scriptam, multo magis nos coget *Papias* citra controversiam *Joannis* Evangelistæ auditor, qui scripsit historiam de adultera non esse *Joannis*, cum *Joannis* titulo recitetur in templis. *Alogios* autem damnatos commemorat *Augustinus*, non ob id tantum quod dubitarent de *Apocalypsi*, cum id temporis ne Orthodoxi quidem omnes recepissent auctoritatem *Apocalypsis*: sed quod Evangelium etiam illius adspernarentur & adulterinum judicarent, de quo nunquam dubitavit Ecclesia. Sola *Toletana* Synodus, si modo illius verba bona fide recitata sunt, præscribit esse *Joannis* Evangelistæ, cum *Innocentius* tantum dicat, *& Apocalypsim Joannis*: & in vetustissimo Codice Græco, quem dixisses ante mille annos scriptum, titulus habebatur, *Apocalypsis* Joannis *Theologi*. Duos autem fuisse *Joannes*, alterum Apostolum, alterum Presbyterum, partim ex *Papiæ* verbis, partim e titulis arguit *Hieronymus*. Verbum autem illud, *præscribunt*, suspicor esse *Isidori*, de quo quid sentiam, non est hujus loci commemorare. De viri sanctimonia judicat Dominus. Certe phrasis illius non paulo plus præfert animi quam eruditionis aut judicii. Scripsit rudi seculo, & habuisse videtur locupletem Bibliothecam, qua potuisset rectius uti, si fuisset exacte doctus. Certe rhapsodus fuit, quemadmodum *Bedda*: quanquam *Bedda* meo judicio fuit illo tum eruditior tum eloquentior. Sed hæc præter rem mihi dicuntur, cum profitear, me de titulis quoque credere quod credit universalis Ecclesia: cujus auctoritati facile meum sensum submitto, non hîc tantum, sed in omnibus quoque cæteris: modo ne protinus Ecclesiæ sit, quicquid quocunque modo in usum Christianorum irrepsit, aut cuivis Episcopo placuit. Quod si tantopere vitamus scandalum, eradenda essent, quæ super his prodidit *Eusebius* ac *Hieronymus*. Eruditorum tacita quædam sunt judicia, quibus expedit interdum vellicare aurem. Notatur & illud, quod prætermiserim auctoritatem Ecclesiæ. Hîc quidem non vacabat in cursu. Atqui id facio in Annotatione, quam adjunxi annotatis in *Apocalypsim*. Non ubivis omnia sunt inculcanda. Certe cum illud tribus verbis indicarem eruditis, non suspicatus sum quemquam fore, qui hinc offenderetur, multo minus excitaretur schisma. Si quid tale metuissem, prorsus illa siluissem. Tametsi si quid hîc dissidii est, ab istis oritur potius, qui tales nænias exagitant ac traducunt. Cæterum ne quis minus auctoritatis tribueret dictis voluminibus, addo laudem magnificam.

Tit. XI. *De Symbolo Apostolorum. In Præfatione in* Matthæum. *Propositio* Erasmi.

Symbolum an ab Apostolis proditum sit, nescio. XXXVI.

CENSURA.

Cum Symbolum, quod Apostolorum dicitur, ab Apostolis editum esse & provulgatum sit fide tenendum, teneant quoque catholici Doctores, Clemens *hujus nominis primus in Epistola ad* Jacobum *fratrem Domini*: Augustinus *Serm.* II. *Dominica in ramis palmarum, & in vigilia Pentecostes*: Ambrosius *item &* Leo *primus atque alii uniformiter unumquemque Apostolorum quod sensit dixisse, dum illud conderent; hæc nescientia impietati deserviens, scandalose proponitur.*

DECLARATIO ERASMI XXXVI.

Absit ut quisquam Christianus de articulis, qui XXXVI. Symbolo Apostolorum continentur, ambigat. Non enim minus illis tribuendum est, quam quatuor Evangeliis: tantum ambigebam an hoc, quod nunc habemus, scripto fuerit ab Apostolis proditum. Nam talia illos prædicasse nemo dubitat: & probabile est illos de summa prædicationis Evangelicæ inter se conferentes, in illis ac similibus capitulis consensisse, quemadmodum refertur Historia Ecclesiastica. Eodem in loco, quo videor dubitare, tribuo illi majestatem ac brevitatem Apostolicam, recenseo inter canonicas Scripturas, & æquo Evangeliis: neque dubito an ab Apostolis sit profectum, potuit enim viva voce: sed an communi omnium scripto per illos ad nos pervenerit. Cum enim tum temporis multa fortasse ferrentur Symbola, hoc discernendi gratia dictum est Apostolorum, ut Apostolico spiritu dignum, ut omnium fortassis antiquissimum: ut, quoniam auctor alius non exstat, probabile sit ab Apostolis ad nos manasse. Hæc cum ubique profitear, quid periculi, si quis dubitet, an scripto Apostolorum ad nos pervenerit? De eo cur dubitarem causas reddidi, quarum præcipua est, quod illud Symbolum varie refertur apud Veteres, adeo ut toti etiam articuli supersint aut desint. Nam & beatus *Cyprianus* testatur hoc Symbolum in diversis Ecclesiis haberi diversum, adjectis quibusdam, quæ Romana non haberet Ecclesia. Ea putat adversus hæreticos exorientes addita. Cur autem ea varietas non accidisset *Romæ*, geminam suspicatur esse causam: alteram, quod illic nullæ exstiterint hæreses, alteram, quod ibi Catechumenus baptizandus ex more Symbolum hoc recitare soleat apud populum. Admonet autem nec in Romano Symbolo, nec in Orientalium Ecclesiarum Symbolo haberi hanc particulam, *Descendit ad inferos*, cum hodie non desit in nostro Symbolo. Quanquam nec *Tertullianus* nec *Augustinus* enarrans Symbolum, descensus ad inferos meminerunt. Nos legimus, *sanctorum communionem*. Eam par-

Digitized by Google

particulam præterit *Cyprianus*, ob id opinor, quod adjecta sit velut exponens quid sit sancta Ecclesia. Sicut nec ultimam particulam, *& vitam venturi seculi*, attingit quisquam horum, nec ad sanctam Ecclesiam addunt *catholicam*: licet *Augustinus* velut interpretans adjiciat. Et *Cyprianus* legit, *hujus carnis resurrectionem*: pronomen videtur additum adversus *Origenistas*, cum in nostro Symbolo non addatur. Quid quod in ipso statim exordio varietas occurrit? Nam, ut idem admonet *Cyprianus*, omnes Orientales Ecclesiæ ita tradebant, *Credo in uno Deo Patre omnipotente*. Rursus pro eo quod nos dicimus, *& in Jesum Christum Filium ejus unicum*, Orientales Ecclesiæ recitabant addentes, *unum scilicet Deum & unum Dominum*, quod additum videtur adversus *Origenistas* sive *Arianos*. Insuper in priore articulo Orientales Ecclesiæ non solum legunt *in Deo Patre omnipotente*, sed addunt *invisibili & impassibili*. Id *Cyprianus* additum putat adversus *Sabellium* & *Patrispassianos*. Rursum quod nos addimus, *Creatorem cœli & terræ*, *Cyprianus* nec recitat nec exponit: unde apparet nec apud Orientales fuisse nec apud Occidentales Ecclesias: & probabile est fuisse additum adversus hæreticos, qui docebant alium esse Deum auctorem Testamenti veteris, alium novi: illum fuisse justum, hunc bonum.

Hîc Lectorem æquum appello, si Symbolum hoc, quod nos Apostolorum dicimus, scripto proditum est ex Apostolorum consensu, atque ob id majore dignum reverentia, quam si ab uno Evangelista fuisset proditum, aut certe non minore: quæ fuit illa temeritas in paucis verbis addendi tam multa? Quis hoc pateretur vel in Evangelio *Marci* aut *Lucæ*, quorum neuter fuit de numero duodecim, posterior etiam tantum audita scripsit de *Christo*? Nec est quod tergiversentur *Cyprianum*, cum dicit Symbolum Ecclesiarum Orientalium, sentire Symbolum *Nicenum* aut *Constantinopolitanum*: ex his enim poterat multo plura addere. De eodem Symbolo loquitur toto commentario. Quid quod in Editione Canonum *Nicenæ* Synodi Symbolum hoc secus refertur quam hodie canitur in templis, nec longius progreditur, quam ad Spiritus Sancti processionem. Atqui Symbolum *Niceni* Concilii nihil aliud est quam explanatio Symboli Apostolici, non addens novos articulos, sed veteres explicans: unde colligitur, *Credo in Spiritum Sanctum*, fuisse clausulam Symboli Apostolici, quemadmodum finis est *Niceni*, quemadmodum & *Antiocheni*, & *Sardicensis*, & *Carthaginensis*, in quibus videtur approbatum. Quoniam autem ob Sectas dubitari posset ubi esset Ecclesia, additus est articulus, *in sanctam Ecclesiam*, excludens omnia conventicula hæreticorum. Dein quoniam *Novatus* aut aliquis huic similis non recipiebat in Ecclesiam a baptismo prolapsos, aut qui putaret peccata remitti posse absque sacramentis Ecclesiæ, additum videtur, *remissionem peccatorum*. Post cum exorirentur qui animarum resurrectionem profiterentur, corporum negarent, adjectum est, *carnis resurrectionem*. Rursus cum *Origenistæ* faterentur nos resurrecturos cum corporibus, at non his in quibus nunc degit animus, in Symbolo, quod exponit *Cyprianus*, *Aquilegiensi*, ni fallor, additum est, *hujus carnis resurrectionem*. Quid quod, ut admonet Facultas Theologica, & hodie nonnullæ Ecclesiæ legunt, *Credo in sanctam Ecclesiam*, pro eo quod Veteres legebant, *Credo sanctam Ecclesiam*, rati non esse fas secus pronunciari. Ad hæc facit quod *Tertullianus* scriptor vetustissimus in libro, quem contexuit adversus *Praxeam*, recensens articulos Symboli Apostolici, quod profitetur ad nos una cum Evangelio decucurrisse, non aliam habet clausulam quam Symbolum *Nicenum*: *Unicum*, inquit, *Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei sit & Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Hunc missum a Patre in virginem, & ex ea natum hominem & Deum, filium hominis & filium Dei, & cognominatum Jesum Christum. Hunc passum, hunc mortuum ac sepultum secundum Scripturas, & resuscitatum a Patre, & in cœlos resumptum sedere ad dextram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Qui exinde miserit, secundum promissionem suam, a Patre Spiritum Sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Hanc regulam* &c. Hîc res ipsa declarat, ætate *Tertulliani*, *Credo in Spiritum Sanctum*, fuisse clausulam Symboli Apostolici, quemadmodum & *Niceni*. Postremo memini me legere in Commentario quopiam, licet exciderit locus, quod reliquum est in Symbolo post Spiritus processionem, a Conciliis posterioribus additum esse. Obiter & illud annotandum, quod *Tertullianus* non appellat *Symbolum Apostolorum*, sed *regulam fidei*. At si hoc, quod hodie est in usu, fuisset ab omnibus Apostolis unanimi consensu proditum, plus illi debebatur reverentiæ, quam cuivis Evangelio. Quæ fuisset autem temeritas Ecclesiarum tali scripto vel addere vel adimere quicquam, cum id extremæ impietatis habeatur audere vel in Epistolis *Paulinis*? Cæterum hoc Symbolum fuisse natum ex collatione Apostolorum *Cyprianus* refert, sed refert ut humanam historiam: *Tradunt*, inquit, *majores nostri*. At in media narratione sic loquitur: *Cautissime autem qui Symbolum tradiderunt, etiam tempus, quo hæc sub* Pontio Pilato *gesta sunt, designarunt*. Non dicit *Apostoli*, sed *qui Symbolum tradiderunt*, velut incertus, a quibus id factum sit. Post hunc *Augustinus* in libro de *Symbolo* nusquam appellat Apostolorum, nec dicit ab Apostolis traditum: sed magis indicat a Patribus e Sacris Litteris collectum ad memoriæ subsidium. *Antoninus* ait universalis Ecclesiæ auctoritate editum. Porro sermones, in quibus refertur a singulis Apostolis singulos articulos fuisse proditos, attento Lectori phrasis ipsa persuadebit non esse illius cui inscribuntur. Jam si maxime vel *Augustinus* vel alius quispiam hoc seu credidit, seu dedit auribus crassiæ multitudinis, non arbitror ad fidei causam pertinere, præsertim cum in partitione articulorum non consentiant Theologi, magisque placeat partitio, quæ XIV. facit, quam quæ XII. Quod si hoc quoque credi jubet Ecclesia, lubens & hîc meum sensum illius submitto judicio. Miror autem hoc a Facultate exigi, quod *Natalis Bedda* tam severus censor non exigit. Frivolum autem argumentum est, quod adferunt quidam ex vocis etymologia, quasi quisque suum bolum in medium adduxerit. *Symbolum* enim significat signum translatum a militibus, qui symbolis aphonis aut vocalibus se mutuo agnoscunt, ac deprehendunt perfugas & hostes. De singulis articulis a singulis Apostolis proditis, commentum videtur vel pictorum, vel alicujus qui hac ratione voluit & Apostolorum celebrare nomina, & Catechumenorum memoriæ consulere. Vero propius est, hoc Symbolum, quod Apostolorum dicitur, illud fuisse quod juxta Romanam Ecclesiam auctoritate priscorum Patrum tradebatur Catechumenis ediscendum: cui partes aliquot additæ sunt adversus exorientes hæreses. Alioqui cur hoc Symbolum non est additum decretis seu canonibus Apostolorum, quæ si non videntur Apostolorum, cum tamen habeant titulum, consequitur non statim ab Apostolis scripto proditum, quod illorum titulo fertur. Denique ut citra tergiversationem sint Auctores, qui pronuncient hoc Symbolum Apostolorum esse, nemo certe pronunciavit scripto proditum: quod ipsum tamen nusquam nego, sed tantum indico me dubitare, positurus eam dubitationem, simul atque cognovero Ecclesiam hoc docere. Nunc nihil audio nisi quod dicitur Apostolorum, & tenetur ab Ecclesia. Nec tamen falso dicitur Apostolorum, cum ea contineat, quæ Apostoli tum prædicaverunt, tum in Evangeliis & Epistolis prodiderunt. Unde consequitur illi non minus auctoritatis esse tribuendum, quam Scripturis canonicis.

Tit. XII. *De traductione sanctarum Scripturarum in Linguam vulgarem. Propositio* Erasmi *prima, in Præfatione ejusdem in* Matthæum.

SACRAS Litteras cupiam in omnes verti Linguas. XXXVII.

Digitized by Google

CENSURA.

Quamvis in quamcunque Linguam vertantur Sacræ Litteræ, ſuapte natura ſancta ſint & bona, quanti tamen ſit periculi permittere paſſim lectionem earum in Linguam vulgarem traductarum, abſque ulla explicatione idiotis & ſimplicibus eis abutentibus, nec eas pie & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur, ſatis indicarunt Valdenſes, Albigenſes, *ac* Turelupini: *qui inde occaſione ſumpta multos errores diſſeminaverunt. Quare hac tempeſtate, perſpecta hominum malitia, periculoſa ac pernicioſa exſtitit hujuſmodi traductio, loquendo de omnibus Scripturæ libris indifferenter. Nec ſicubi paucis eſſet utilis, propterea temere eſſet omnibus permittenda. In re namque ad ſalutem non neceſſaria potius conſulendum eſt multorum profectui ipſam interdicendo, quam paucorum utilitati eam permittendo, cum gravi multitudinis incommodo: unde & jure damnata eſt hujuſmodi Tranſlatio.*

DECLARATIO ERASMI XXXVII.

xxxvii. Cum olim Sacræ Litteræ ſint in Linguam vulgarem verſæ, tum enim textores & nautæ ſciebant Græce & Latine, cum ſtudium Divinorum Voluminum *Chryſoſtomus* religioſe commendet Laïcis, *Hieronymus* laudet in fœminis, qui & *Dalmatica* Lingua vertit Sacros Libros: ſi eò crevit hominum malitia, ut neceſſe fuerit illis ſubtrahere quod Chriſtianus populus habet optimum, Divinorum Voluminum lectionem, vehementer profecto dolendum eſt. At olim Monachi quoniam legebant Sacram Scripturam vulgata Lingua proditam, cujus reconditos ſenſus homines imperiti non aſſequebantur, pepererunt abſurdam hæreſim *Anthropomorphitarum*, nec tamen ob id interdictus eſt uſus Sacrorum Voluminum, ſed error correctus eſt. Si Laïci ſic legerent canonicam Scripturam, quemadmodum illic admoneo legendam, puto longe plus fore fructus quam periculi. In primis admoneo, ut a Paſtoribus regulis ac ſententiis quibuſdam ad intellectum earum præparentur. In primis autem abſtineant a temeritate judicandi, ſed adorent myſterium, ubi non conſequuntur intellectum, & ad doctos confugiant. Malint autem viva voce diſcere quam lectione: nec omnino legant, niſi cum aut non eſt Doctoris copia, aut cum ſe præparant ſacræ concioni locum cum enarraturæ. Legant autem ſobrie, ſummaque cum veneratione, non velut hominum ſermones, ſed velut oracula Dei. Accedant ſimplici puraque mente, & a mundanis cupiditatibus vacua, præmiſſa etiam precatiuncula. Hæc aliaque multa cum illic ſollicite admoneam, ſperabam fore ut illis obſervatis populus multo cum fructu, nullo pietatis diſcrimine, verſaretur in Divinis Voluminibus, & qui nunc rudis eſt, brevi docilis redderetur. Jam ut ſit aliquid periculi, ſi Laïci legant arcanas litteras: plus tamen periculi eſt ex earum ignorantia. Proin ubi ceſſant Paſtores, ibi concedo ad mutos magiſtros confugere. Adhæc, quod præſtat vox enarratoris, id præſtare poſſunt commentarii doctorum hominum in Linguam vulgatam verſi. Quid *Valdenſes*, *Albigenſes*, ac *Turelupini* delirarint, non ſum ſollicitus, nec arbitror ad me pertinere. Hujus ſeculi tumultum excitarunt, non Laïci, ſed eruditi, quorum auctoritatem ſequutus eſt populus: quandoquidem & *Joannes Hus* & *Wiclevus* Scholaſticæ Theologiæ ſcientia valuerunt, & *Balthaſar*, anabaptiſmi Doctor, Scholaſticus Magiſter fuit. *Lutherus* item & *Oecolampadius* Scholaſtici Doctores ſunt. Quicquid eſt hæreſeon in orbe, totum fere natum eſt vel ex Philoſophia, vel ex ipſis Sacris Litteris perperam intellectis: & a Philoſophorum libris nullus arcetur, a Sacris Litteris ſubmovemur. Quod ſi qua conſtitutio Pontificia aut aliorum præſenti hominum temeritati aliquando fuit oppoſita, non arbitror eam ad univerſam Eccleſiam pertinere, præſertim cum multis jam ſeculis habeantur Sacri Libri in Linguas vulgares diverſarum Gentium tranſlati, connivente ad id Eccleſia. Quanquam quod hîc citant Theologi, non eſt in Præfatione in *Matthæum*, ſed in additamento, quod tum chartis forte vacuis explendis adjectum eſt. Id autem totum poſterioribus Editionibus reſectum eſt.

Propoſitio ejuſdem ſecunda. In Præfatione in Matth.

xxxviii. EXclamant indignum facinus, ſi mulier vel coriarius loquatur de Sacris Litteris.

CENSURA.

Recte perpenſa multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus exiſtimandum eſt, quod idiotæ & ſimplices ſuo judicio Sacras Litteras legant in ſuam Linguam converſas, & de illis diſſerant, aut diſceptantes de earum difficultatibus tractent. Nec tamen prohibetur per hoc eis conferre inter ſe de iis, quæ in concionibus publicis audiverunt, ad morum correctionem, & ad compunctionis & devotionis excitationem: ut magis ac magis in ipſis charitas accreſcat, humilitas ſolidetur, atque opera carnis mortificentur.

DECLARATIO ERASMI XXXVIII.

xxxviii. Hîc nihil eſt quod contra me facit. Fatentur illi licere Laïcis ad excitandum pietatis ſtudium conferre inter ſeſe de his, quæ audierunt in concionibus: & ego ſimul cum illis deteſtor eos, qui cum ſint idiotæ, Sacras Litteras ſuo judicio legunt, ac de difficultatibus non neceſſariis diſceptant. Nam quod Cenſura prudenter addit, *ſuo judicio*, ego in eo ſcripto, unde hæc decerpta ſunt, multis verbis multaque cautione excludo.

Propoſitio ejuſdem tertia. In Præfatione in Matth.

xxxix. ME auctore Sacros Libros leget agricola, leget faber, leget latomus.

CENSURA.

Teſtantur Sacra Eloquia ſimplices eſſe tanquam parvulos, quibus auctore Paulo *lacte opus ſit. Non enim ſolidam adhuc eſcam ferre ac digerere poſſunt.* Perfectorum ſiquidem ſolidus eſt cibus, eorum qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. *Quapropter non eſt medium aptum hujuſmodi ſimplicibus quod indiſcriminatim quoſvis Sacros Libros legant in Linguam vernaculam tranſlatos: ſed convenientiſſimum eis medium Eccleſia conſtituit, auditionem verbi Dei, & frequentationem prædicationum ejus. Neque eis obiter interdicit uſum quorumdam Sacrorum Librorum, qui cum explicatione convenienti ædificationi morum ſint accommodi: ſi ſic tamen tales libri ab ipſis legantur pie ac ſobrie, citra ſupercilium & arrogantiam, ut non inde contemnant prædicationes, nec a crebra verbi Dei auditione retrahantur. Proinde hæc Propoſitio abſque præſcripto moderamine poſita ſui aſſertorem ſanæ doctrinæ non ſatis conſentire demonſtrat.*

DECLARATIO ERASMI XXXIX.

xxxix. Conſentimus & hîc. Illi permittunt ut libros arcanos legant Laïci, ſed ſobrie & citra ſupercilium, nec aliter ab ullis legi velim. Nec ea Propoſitio illic propoſita eſt abſque moderamine, ſed ſic propoſita eſt a Referendariis. Nam ego, ut ante dixi, cum multo moderamine permitto illis lectionem Sacrorum Voluminum: & a lectione jubeo abſtinere, quoties datur Doctoris copia: nec illic loquor indiſtincte de quibuſlibet Sacris Voluminibus, ſed de novo Teſtamento & Evangeliis. Id liquet ex eo quod dico: *Si hos non ſubmovit a ſua voce* Chriſtus, *nec ego ſubmovebo eos ab illius libris.* Mox tranſeo ad vetus Teſtamentum: *Inter veteris*, inquam, *Teſtamenti libros ſunt nonnulli, a quibus ſit cur arceas idiotas, qualis eſt* Ezechiel & Canticum ſponſæ. Significans horum lectionem non perinde convenire Laïcis. Quos haud aliter permitto legendos, niſi ut Laïci inſtructiores veniant ad ſacras conciones, & libentius audiant in quibus agnoſcunt aliqua, & facilius intelligant quorum jam guſtum qualemcunque perceperunt. Olim enim Eccleſiaſtæ Prophetas etiam enarrabant promiſcuæ multitudini. Nec ſuadeo Laïcis hujuſmodi Voluminum lectionem, ſed ajo, *non interdixero*, verbum ſubjunctivi modi uſurpans pro potentiali. Subauditur enim conditio, ſi videam illos huc profeciſſe, aut aliud ſimile. Ac mox recedens ab eo quod attigeram de libris veteris Teſtamenti, revoco ad libros novi Teſtamenti: *Quanquam*, inquiens, *in libris Evangelicis divina ſapientia ſe mire demittit ad captum infirmorum, ut nemo tam indoctus eſſe poſſit, quin ad Evangelicam doctrinam*

Digitized by Google

ctrinam sit docilis. Fateor autem in Christiano esse gradus ætatum, sed non convenit ut Christiani semper maneant infantes. Et quibusdam Laïcis adest mira ingenii vis, nec deest afflatus arcani Spiritus, qui sæpe referat ea parvulis, quæ celat sapientes. Atque ut sint in populo Christiano quos merito infantes dixeris, totum tamen populum pro infante habere contumeliosum est in gregem *Christi*, qui Domini sui Spiritum hausit; absurdum etiam illi perpetuam infantiam tribuere. Et verum est Scripturam habere lac quo foveat infantiam insipientium, sed eadem Scriptura lac est infirmis, & solidus cibus provectioribus. Itaque qui tollit Scripturam, nec lac præbet, nec solidum cibum. Proinde quod ajunt ejus Propositionis Auctorem non esse sanæ doctrinæ, convitium est potius quam judicium.

Propositio ejusdem quarta. In eadem Præfatione.

XL. NEque *Ezechielis* Prophetæ, neque *Cantici Canticorum*, aut cujusquam librorum veteris Testamenti lectionem ulli hominum interdixero.

CENSURA.

Cum Sedis Apostolicæ decreto multorum talium librorum lectio Laïcis jampridem interdicta sit, & eruditis in Lege Domini apud Hebræos gravium Auctorum sententia prohibita fuerit lectio dictorum librorum, atque primi capitis Geneseos, *ante annum ætatis tricesimum: prædicta Propositio temerarie & imprudenter asseritur: quandoquidem eadem subest causa inhibendi talium librorum lectionem, quæ suberat quando decretum* Innocentii *tertii super his constitutum est: cujus fragmentum refertur* de hæret. in authentica cum ex injuncto.

DECLARATIO ERASMI XL.

XL. Mea verba sic habent, *nec horum tamen lectionem cuiquam interdixero.* Suspense loquor ac de meo sensu: si penes me esset auctoritas, & si viderem id expedire pluribus. Itaque facile laturus sum, si *Ezechiel* & *Canticum Canticorum* interdicantur Laïcis, & si hoc postulat hisce temporibus hominum malitia, non refragabor Pontificum aut Romanæ Sedis constitutionibus. Quanquam interim hæc hodie & recitantur & canuntur in templis audiente populo, in quo multi sunt qui Latine norunt, cum Theologiæ non minus sint imperiti, quam quivis opificum.

Propositio ejusdem, in eadem Præfatione, quinta.

XLI. INdecorum vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ psittaci exemplo Psalmos suos & Precationem Dominicam murmurant, cum ipsi quod sonant non intelligant.

CENSURA.

Hæc Propositio simplices idiotas & mulierculas ab oratione vocali juxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ perperam retrahens, ac si inutilis sit, nisi ab eis intelligatur, impia est & erronea, viam præbens errori Bohemorum, *qui officium Ecclesiasticum in idiomate vulgari celebrare conati sunt. Alioqui in Lege veteri indecorum fuisset & ridiculum, simplicem populum ex Dei instituto ceremonias Legis observare, quas non intelligebat: quod asserere est in Legem & ejus latorem Deum, blasphemum & hæreticum. Neque enim per verba orationis solum pretendit Ecclesia, ut serie verborum illorum eruditamur, sed ut ejus fini nos conformando veluti ipsius membra divinas laudes pronunciemus, debitas gratiarum actiones persolvamus, & nobis necessaria imploremus. Unde propter talem orantium intentionem Dei munere affectus inflammetur, intellectus illuminetur, humana inopia sublevetur, atque gratia & gloriæ fructus comparetur. Quæ certum est orantes per tales orationes vocales, quamvis verba non intelligant, prætendere. Quemadmodum Legatus, etsi verba Domini sui non capit, illa tamen juxta mandatum Domini sui referens, gratum impendit obsequium & Domino, & ei ad quem mittitur. Multa similiter Prophetia in Ecclesia cantantur, quæ quamvis a multis cantantibus non intelligantur, plurimum tamen utilis est & meritoria earum pronunciatio & cantus. Divinæ siquidem Veritati, quæ illas docuit ac revelavit, eas cantando gratum obsequium exhibetur. Per quæ sane constat, non in sola verborum intellectione fructum orationis consistere. Pernicioſum quoque esse errorem existimantium, solum ad erudiendum intellectum fieri orationem vocalem: cum præcipue fiat talis oratio ad inflammandum affectum: ut pio & devoto animo in Deum, modis prædictis se erigendo, mens reficiatur; & obtinendo quæ petit, sua intentione non frustretur: mereatur itidem intellectus illuminationem, quemadmodum & alia utilia aut necessaria: qui nimirum fructus longe uberiores sunt, quam sola verborum intellectio: quæ absque excitatione affectus in Deum parum affert utilitatis. Quod si contingeret Psalmos in Linguam vulgarem traduci, non propterea eorum sensum simplices & idiotæ plene perciperent.*

DECLARATIO ERASMI XLI.

Hic sermo aliquanto secus refertur quam a me positus est: neque enim simpliciter pronuncio ridiculum esse, quod mulierculæ Psalmos Latine sonant, sed hoc potius videri indecorum, ac ridiculum etiam, quam si quis Lingua sibi nota sonet Precationem Dominicam aut Psalmos. Comparationem oppono contra disputanti, ut aut desinat damnare quod damnat, aut id quoque damnet quod videtur absurdius. Verba mea sic habent: *Cur indecorum videtur, si quisquam sonet Evangelium ea Lingua, qua natus est, & quam intelligit? Mihi magis indecorum vel ridiculum potius videtur* &c. Pius affectus omni quidem in re probandus est: sic cum populus assurgit Evangelio, compositus ad religionem, quanquam Evangelii verba non intelligit, tamen affectus ille pius Deo gratus est. Optandum tamen esset, ut omnes quæ recitantur intelligerent. Simile est quod adferunt de *Judæorum* ceremoniis, quarum mysteria vulgus non intelligebat. Sed *Judæi* jubebantur illa servare, & ratio temporum nondum postulabat, ut populus intelligeret figurarum mysteria. Itaque dogma illud blasphemum nihil ad me pertinet, quia nihil attinet ad hoc argumentum. Cæterum quis præcepit, ut mulierculæ Psalmos aliasque preces sonent Latine, si non intelligant, cum eadem possint dicere Gallice? Excusabit pius affectus, fateor. At non omnes illa sonant pio affectu, sed pleræque muliebri quadam gloria, aut ineptia nonnunquam vocibus suis obstrepentes ipsi Sacrifico. Quo magis admiror Censuram dicere, quod verbis non intellectis orantes huc intendant animum, ut hoc pacto inflammentur ad pietatem. Probabilius est talium maximam partem obnoxiam esse Prophetico convitio: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum procul abest a me.* De cultu solemni illic non loquor. Narrant de pastore quodam vehementer rudi, qui cum nihil aliud sciret, singulis diebus ter conto transiliebat rivum, idque in honorem Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Hunc rudissimi hominis cultum Deus boni consuluit: sed ineptum sit, ad hoc exemplum vocare cæteros. Nec semper sacra sunt quæ recitant mulierculæ. Interdum ineptæ sunt næniæ. Si quis illis apologum *Æsopi* supponat, pius error erit non ingratus Deo, nec id tamen protinus approbandum est. Nunquam autem audivi esse consuetudinem Ecclesiæ, ut mulierculæ in templis orent Latine: sed hoc irrepsit in mores quarumdam Gentium, quemadmodum alia plurima. In *Italia* tale nihil videas. Et in Æde Pontificia ne viris quidem permittitur habere preculas privatas. Olim enim totus populus orabat voce Sacerdotis, & quoniam intelligebat verba orantis, respondebat amen. Hujus antiquitatis vestigium adhuc tenet Romana Ecclesia. Ut autem minimum tribuerem verbis sine intellectu pronunciatis, docuit me Beatus *Paulus*, qui mavult quinque verba loqui in sensu suo, quam decem millia in spiritu: & in spiritu loquentem comparat tubæ incertam edenti vocem, comparat cymbalo frustra sonanti. Et tamen illic Apostolus agit de his, qui quod sonabant ipsi quidem intelligebant, sed sonabant non intelligentibus. Proinde si *Paulus* pie facit, quod loquentes Linguis hortatur ad Prophetiam, quid ego pecco, si mulierculas haudquaquam avoco a pietate, sed revoco ad id quod ad pietatem videtur accommodatius?

Digitized by Google

Nec uſquam docui quod iſti pernicioſum appellant, ſolum intellectum ſufficere in recitandis Pſalmis, aut in hoc tantum inſtitutum ut recitentur in templis: ſed nimium abſunt ab affectu, qui ne intelligunt quidem quæ lingua perſonant. Et ideo volo accedere intellectum, ut per eum inflammetur affectus. Miror autem cur, cum ego loquar de mulierculis privato affectu in templo precantibus, Cenſura tranſeat ad ſolennes Eccleſiæ cantus. Si Sacræ, inquiunt, Litteræ vertantur in Linguam populi, non tamen illico Laïci ſunt intellecturi. Fateor, nec omnia, nec ad plenum: multa tamen intelligent, præſertim exercitati. Et habet Scriptura ſuum lac quo fovet teneram ætatem, atque eadem habet ſolidum cibum ubi profeceris: in qua, ut pius quidam eleganter dixit, *natat elephantus, ambulat agnus.* Multi, inquiunt, recitant in templis Sacros Libros, quos non intelligunt. Atque id ſane fatemur eſſe verum, ſed cum gemitu. Quod ea Lingua ſonant, quam vulgus non intelligit, fortaſſis obedientia eſt: quod verba non intellecta tamen reverenter ſonant in gloriam Dei cum generali pietatis affectu, bonus gradus eſt ad perfectiora. Multum enim profecit, qui amat ea quæ ſunt religionis. At qui non dant operam ut intelligant, cum adſit ingenium, otium, & facultas, eos probare non poſſum. Hic igitur, ni fallor, idem ſentimus: nec video quid hinc periculi ſit Chriſtianæ Religioni, ſi mulierculæ precarentur Lingua vernacula, aut certe intellecta: ſi pio affectu ſonant, quæ non intelligunt, magis pio ſonarent intellecta. Sed quid omnino opus eſt eas ſonare in Eccleſia, cum paris meriti videatur, ſi quæ canuntur ac recitantur, eodem affectu auſcultent non intellecta, quo ſonant non intellecta: aut ſi ſpectent ceremonias aliqua ex parte intellectas. Nova vero ſimilitudo de ſervo, Domini mandata non intellecta referente, quaſi Deus delectetur vocum ſtrepitu. Aptior eſt *Origenis* collatio, qui ſcribit, quemadmodum magicis verba non intellecta recitantibus adeſſe ſolent ad obſequium impii Spiritus, ita piis verba ſacra religioſo affectu pronunciantibus præſto eſſe Angelos, qui ea perferant ad Deum: niſi quod *Origenes* non loquitur illic de iis qui Scripturam ſonant ea Lingua quam prorſus non intelligunt, ſed de locis Scripturarum obſcurioribus quam ut a ſimplicibus queant intelligi. Ingens vero periculum ſit, ſi cultus Eccleſiaſticus Lingua vulgo nota peragatur, quod apud *Bohemos* fieri nunc primum diſco a Theologis, cum id citra pietatis periculum factum ſit annis pluſquam ſexcentis, & apud *Latinos*, & apud *Græcos*, & apud *Afros*, nec dubito quin & apud *Hiſpanos Galloſque* & hodie fieret, niſi Linguarum immodica variaque corruptela compuliſſet ad Linguam litteratam in eaque perſeverare. Nec enim Lingua vulgaris populo ſubtracta eſt, ſed populus ab ea receſſit. Deinde cum ſermo Græcus ac Latinus apud diverſas Nationes variis modis corrumperetur, nec ulla eſſet certa degenerandi forma, confuſionis abſurditas coëgit, ut cultus ſolennis ſermone Grammatico perageretur. Alioqui talis fuiſſet in templis rerum facies, quaſi ſi nunc in choro idem canticum alius ſonaret Gallice, alius Hiſpanice, alius Italice. Nam hæ tres Linguæ e Latini ſermonis corruptione natæ ſunt. Aut ſi apud Græcos alius caneret vulgata *Rhodiorum* Lingua, alius *Cypriorum*, alius *Cretenſium*. Proinde non arbitror magnum eſſe periculum ſi Laïcæ mulierculæ jubeantur nota Lingua recitare ſuas preculas. Gravius periculum imminet, cum mundus ſit plenus indoctis Sacerdotibus, Clericis, ac Monachis, ne prorſus alienentur ab omni ſtudio eruditionis, ſi didicerint auctoribus Theologis Deum tantopere delectari vocibus nullo modo intellectis.

Tit. XIII. *De iis in quibus a communi uſu Eccleſiæ Latinæ Paraphraſtes recedit in ſuis Paraphraſibus.*

XLII. IN *hominibus bona voluntas.* Pro, *hominibus bonæ voluntatis.*

A Antequam hæc univerſitas rerum cœleſtium ac terB reſtrium conderetur, jam cum Patre æterno Sermo erat æternus.

CENSURA.

Utitur dictione Sermo, *cum utamur dictione* Verbum, *explicando illud*, In principio erat Verbum.

DECLARATIO AD HAS DUAS PROPOSITIONES OB NOVITATEM NOTATAS.

Si ſecus recitarem in templis quam publicus habet uſus, aut ſi novam ſcripturam inducerem in Codices pubico jam uſu probatos, jure fortaſſis oriretur offenſio. Nunc ſi quid novo in opere privatim legendo a doctis, nullam video offenſionis cauſam. Si Græci conſtanter legunt, *bona voluntas*, ſi ſenſus verborum eſt pius, ſi a priſcis Eccleſiæ Doctoribus oſtenſus, quid commeritum eſt, ſi in Paraphraſi ſequor id quod mihi videtur probabilius & ad Evangelicum vigorem accommodatius? XLII. A

De *Sermone* uſurpato pro *Verbo*, peculiari libello non indiligenter reſpondi, declarans olim Eccleſiam promiſcue legiſſe, *In principio erat Sermo*, & *In principio erat Verbum:* eamque vocem pro verbo ſic eſſe frequentem apud veteres ac recentiores Doctores, atque hodie quoque in cultu Eccleſiaſtico, dum canimus: *Omnipotens ſermo tuus Domine de regalibus ſedibus venit*, ut nulli docto debeat videri nova. In verbis *Tertulliani*, quæ ſupra recitavi, *Sermo* dicitur Filius, pro *Verbo*. B

Tertia novitas.

TRes ſunt in cœlo qui teſtimonium præbent Chriſto, Pater, Sermo, & Spiritus. Atque horum trium ſummus eſt conſenſus. C

CENSURA.

Nos vero legimus: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt. *Perperam autem explicat partem illam Paraphraſtes*, hi tres unum ſunt, *detrahendo maximo teſtimonio fidei de unitate ſubſtantiæ in tribus Perſonis, anſam præbens defenſionis erroris* Arii.

DECLARATIO.

De triplici teſtimonio, reſpondeo in Annotatione ſuper eum locum. Reſpondi & peculiari libello cuidam tyrologo. Sed qui hunc meum ſermonem Facultati obtruſerunt, parum bona fide rem geſſerunt, quemadmodum in aliis pleriſque. Paraphraſis enim expreſſe ac dilucide utrumque profitetur, & eamdem Naturam in tribus Perſonis, & ſummum in teſtimonio conſenſum. Quod ſi alterutrum negare ſit impium, & ego utrumque profiteor, quid eſt quod reprehendor? Verba Paraphraſis ſic habent: *Quoniam & Spiritus veritas eſt, quemadmodum Pater & Filius, una eſt omnium veritas, quemadmodum una eſt omnium natura. Tres ſunt enim in cœlo qui teſtimonium præbent Chriſto, Pater, Sermo, & Spiritus, atque horum trium ſummus eſt conſenſus. Ario* qui dicor favere, qui tam evidenter profiteor quod ille negat? At veteres Græci Latinique, qui acerrime depugnarunt cum *Ariana* Secta, hoc teſtimonio adverſus eam uſi non ſunt: vel quod eam particulam illorum Codices non haberent, vel quod perſpicerent hîc de teſtimonio fidei agi potius quam de eadem natura. Sed *Auguſtini* temporibus Latini quidam cœperunt hoc telum torquere in *Arianos*. Hic neſcio an hac lege teneamur, ut ſi quid in Scripturis interpretatus eſt *Ambroſius*, *Auguſtinus*, aut *Hieronymus*, nefas ſit nobis ſecus interpretari. Atqui hoc ſæpenumero fit a Theologis recentioribus, ut veterum interpretationem rejiciant. Porro cum extra controverſiam ſit, hîc agi de fide teſtimonii, quæ potiſſimum conſiſtit in conſenſu teſtium: conſenſus autem confirmatur ejuſdem naturæ prædicatione, nec ſemper hæc vox *unum* ſonet eamdem eſſentiam, quando legimus credentibus fuiſſe *cor unum & animam unam*, hujus loci teſtimonio non urgebuntur *Ariani*: quibus ſi objiciamus, Eccleſiam hunc locum ſic interpretari, non recipiunt illi Eccleſiæ auctoritatem, & apud ſe dicunt eſſe Eccleſiam. Hîc igitur jure queri poſſem de calumnia, quod locum truncum ac mutilum propoſuerunt Facultati ſacratiſſimæ. C

Quarta novitas.

DEſignavit Dominus e numero Diſcipulorum ſeptuaginta. D *Luc. 10.*

CEN-

Digitized by Google

CENSURA.

Ubi ſeptuaginta duos *legimus.*

DECLARATIO.

D In Annotatione declaro Græcorum Codices & Interpretes conſentire in *ſeptuaginta*, videlicet *Cyrillum*, *Theophylactum*, *Dorotheum*, & *Euſebium*, & his aſſentiri *Irenæum*, *Ambroſium*, & *Hieronymum*, ut probabile ſit *Auguſtino* fuiſſe Codicem mendoſum, quem alii ſequuti ſunt. Talium virorum auctoritatem ſequutus non video cur debeam reprehendi, ſi id malui ponere quod erat germanæ lectionis, quam quod mendo irrepſerat. Neque enim negari poteſt, Eccleſiam publicitus legere quædam depravata, quæ corrigere non eſt contumelia in Eccleſiam, ſed officium.

Quinta novitas.

E Unus e Diſcipulis, cui nomen *Cleophas.*

Luc.13.

CENSURA.

Legimus autem Cleopas.

DECLARATIO.

E Utrum poſuerim *Cleophas* an *Cleopas*, nondum mihi liquet; nam utrumlibet dicere ſoleo, ſi veniat in buccam. Nec unquam cum quoquam ſuper hac re verbum commutavi. Illud conſtat, ab Evangeliſtis conſtanter ſcribi *Cleopas*. *Germanus* quiſpiam, opinor, addidit adſpirationem. Quanquam error eſt in Cenſura, quæ præpoſtere dicit me poſuiſſe *Cleophas*, cum ipſi legant *Cleopas*. Sit hæc Amanuenſis incuria, cui utinam liceat imputare omnia quæ vix excuſari poſſunt.

Sexta novitas.

F *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangetur.*

1 Cor. 11.

CENSURA.

Ubi nos legimus, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.

DECLARATIO.

F In Paraphraſi potiſſimum ſequutus ſum fidem Græcorum Codicum, præſertim ubi noſtris videntur emendatiores. Quod autem hîc pono, conſtantiſſime habetur in Græcorum Exemplaribus, & enarratur ab orthodoxis Interpretibus: ac ne putemus eam lectionem tantum fuiſſe apud Græcos, legit idem divus *Ambroſius*. Eamdem lectionem refert *Bedda* Monachus enarrans hunc locum. Quod ſi uſque ad tempora *Bedda* Eccleſia legit *frangitur* ſive *frangetur*, videndum eſt, utrum ſcribarum errore, an auctoritate ſtudioque majorum factum ſit, ut nos legamus *tradetur*. Quanquam in utroque verbo idem eſt ſenſus. Quin & *Thomas Bionenſis* Cardinalis *Cajetanus*, citans hunc locum, utramque ponit lectionem, quaſi non referat, utrum legas.

Septima novitas.

G *Si hunc velim manere donec ipſe veniam, quid id tua refert?*

Joan. ult.

CENSURA.

Nos vero legimus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

DECLARATIO.

G In Annotatione doceo, particulam *ſic* non poſſe intelligi ex verbis Evangeliſtæ, atque adeo pugnare cum ſenſu. Doceo hîc eſſe ſummum conſenſum Græcorum Codicum & orthodoxorum Interpretum, *Cyrilli*, *Chryſoſtomi*, *Theophylacti*. Doceo idem legere *Hieronymum*. Poſtremo doceo in vetuſtis Codicibus Latinis, unde olim in templis recitabatur Evangelium, etiamnum haberi lectionem incorruptam. *Auguſtino* vero impoſuit Codex mendoſus, quod illi non hîc tantum accidit, quemadmodum aliquot locis indicavimus. Quid igitur flagitii, ſi pro depravata lectione repoſui quod ſcripſit *Joannes*, quodque quondam legit Eccleſia tum Græcorum tum Latinorum? Et probabile eſt *ſic* legiſſe, quos nobis imitandos proponunt, *Gregorium*, *Leonem*, *Hugonem*, niſi forte hi dum religioſius *Auguſtini* ſequuntur auctoritatem, ad eumdem lapidem impegerunt.

Octava novitas.

H DOcui vos quomodo redivivus multis ſe conſpiciendum præbuerit, primum *Cephæ*, deinde *duodecim* illis.

Sup. 684. C.

CENSURA.

Ponit duodecim, *cum legamus* undecim.

DECLARATIO.

H Græci magno conſenſu legunt *duodecim* pro *undecim*, & interpretantur quod legunt, nominatim *Chryſoſtomus* ac *Theophylactus*: nec dubitandum eſt, quin idem legant cæteri Græci. Apud Latinos *Auguſtinus*, quanquam is fatetur in nonnullis Latinorum Codicibus pro *duodecim* haberi *undecim*: ſed ſuſpicatur aliquos perturbatos hoc ſcrupulo, quod *Judas Iſcariotes* abiens in locum ſuum minuiſſet Apoſtolorum numerum, emendaſſe locum hunc, hoc eſt, corrupiſſe. *Chryſoſtomus* explicat nodum hoc commento, quod credendum putet, Dominum etiam *Matthia* in *Juda* locum ſubrogato apparuiſſe. Vero propius eſt, ut & argutius, quod refert *Auguſtinus*: eo ſermone non numeratos ſingulos Apoſtolos, ſed illum numerum primum a Domino conſecratum eſſe deſignatum: quemadmodum centumviri dicuntur centum viri, etiamſi quo caſu contingat aliquem ei numero deeſſe. Subſcribit *Auguſtino* beatus *Thomas* his quidem verbis: Auguſtinus *dicet*, *quod debet dicere* duodecim, *ſed corruptum eſt vitio ſcriptorum.* Ad id facit articulus τοῖς, quem cum exprimat *Ambroſius* dicens, *illis undecim*, veriſimile eſt & illum legiſſe *duodecim* & locum a ſcribis eſſe depravatum. Nam *undecim* nullum ſignificat numerum a Domino conſecratum in Apoſtolis. *Illis* autem *duodecim*, perinde ſonat quaſi dicas, illis qui erant de numero duodecim, quos Dominus primum elegit Apoſtolos. Cum igitur hæc lectio conſtanter habeatur apud Græcos orthodoxos, cum probabile ſit quod ſuſpicatur *Auguſtinus* locum a ſtudioſo quopiam depravatum, cum ita ſcriptum ſit ab Apoſtolo Græce, cum idem legerent veteres Latini, cum neuter ſenſus improbetur *Auguſtino*, cum quod Græci legunt magis approbet: puto nullam eſſe factam injuriam Eccleſiæ, ſi ſequutus magnorum virorum auctoritatem, id poſui quod magis probatur. Sed nos, inquiunt, aliud legimus. Si hac voce territant nos, non erit fas mendas e publica lectione tollere. Legimus in Pſalmo: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, cum apud Hebræos & Græcos ſit *fortem vivum*. Item Pſalmo xxxix. ipſi legunt *in medio cordis mei*, cum Græci cum Hebræis conſentientes legant *in medio ventris mei*. Indoctus, qui putavit abſurdum Legem eſſe in ventre, mutavit *cordis*. An hîc nobis occinent, nos aliter legimus. Hujus generis non pauca deprehenduntur in publica lectione. Et fortaſſis in libris *Romanis* emendatioribus ſecus legitur, quam vulgo legunt *Galli*. Denique fieri poteſt ut *Alcuinus* & *Rupertus* legerint quod legit *Auguſtinus*. Si dixerint, oportuit explicuiſſe ſcrupulum in Paraphraſi. Cum ibi loquar ſub perſona *Pauli*, utramque lectionem recenſere non potui, ſcrupulum tamen qua licuit diſcuſſi, loquens in hunc modum: *Deinde conſpectus eſt Diſcipulis omnibus, non tantum illis duodecim, a quibus primum ortum Apoſtoli cognomen in plures derivatum eſt.* Rurſum cum addo articulum *illis*. Reliquum expedio in Annotationibus.

Nona novitas.

I NOn omnes morituri ſumus, cum fortaſſe dies ille aliquot noſtrûm vivos deprehendet: ſed tamen omnes immortalitatis gloria immutabimur: qui hîc pietatis ſtudio quodammodo meditamur immortalitatem, abſtinentes a peccati contagio.

Sup. 687. A. 1 Cor. 15.

CENSURA.

Ex his in Paraphraſi poſitis, *patet* Eraſmum *legere*, Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur. *Nos vero contra legimus:* Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.

DECLARATIO.

F Ad hunc locum reſpondi *Leo*, & alteri cuidam peculiari libello, præterea in Annotationibus, poſtremo *Bedda*, & hæc objiciuntur, quaſi nihil omnino reſponſum ſit. Illic demonſtro, Græcorum Codices conſtanter habere quod lego. Ad hæc ſacros Eccleſiæ Doctores, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Chryſoſtomum*, *Theophylactum*, *Origenem*, *Tertullianum*, Scholiaſten omnium Epiſtolarum *Pauli*, quem iſti pro *Hieronymo* recipiunt, denique & *Petrum Lombardum* fuiſſe in hac ſententia, ut aut ſequerentur lectionem, quam ego ſequor in Paraphraſi, quæ mihi videtur germana, aut putarent eſſe liberum utram-

vis

vis sequi. Id *Augustinus* aperte prædicat in libris *de Dogmatibus Ecclesiasticis*, & repetit *Dulcitio* respondens, Quæstione 3. Refert & beatus *Thomas* utramque lectionem, neutram improbans. Eodem citante divus *Hieronymus* ad *Minerium* testatur *resurgendi* verbum, quod hîc nostra habet Editio, nusquam esse in Græcorum Codicibus. Unde probabile est eum locum fuisse mutatum abs quopiam, qui non animadvertit illic *Paulum* loqui proprie de resurrectione piorum. Nec usquam tamen erasi scripturam in vulgatis Codicibus. Tantum in Paraphrasi interpretor, quod habuit antiquitas, quodque magis congruere videtur sensui *Paulino*, idque citra injuriam vulgatæ apud *Gallos* lectionis.

Decima notatio multas complectens novitates.

K *Sup.* 692. *E.* L M N O P Q *Germana conjunx*, pro *germane compar*. *Solomon*, pro *Salomon*. *Paracletus*, pro *paraclitus*. *Servator*, pro *Salvator*. *Caparnaum*, pro *Capharnaum*. *Spiritus fatidicus*, ubi solet dici, *Spiritus propheticus*. *Bethesda*, pro *Bethsaida*. *Bethabara*, pro *Bethania*. *Melite*, pro *Mitylene*.

CENSURA.

In his & aliis ejus generis non paucis, Latinis hominibus scribens Paraphrastes, temerarie ab usu communi Ecclesiæ Latinæ recedit: quem servare debuerat, vestigiis inhærendo præcedentium Patrum Latinorum, Gregorii, Leonis, Prosperi, Cassiodori, Isidori, Beddæ, Alcuini, Haymonis, Rabani, Anselmi, Bernardi, Ruperti, Hugonis, *ac* Ricardi de Sancto Victore, *& cæterorum: qui suum semper judicium Ecclesiasticæ consuetudini, ut humilis suadebat charitas, accommodarunt atque submiserunt: nihil attentare ausi, unde quoquo modo posset Ecclesia perturbari. Pro eximia siquidem sua sapientia norant viri illi eruditissimi, quod post incomparabilem beati* Hieronymi *in sanctis Scripturis laborem vetustus Ecclesiæ Latinæ usus, magno eruditorum consensu tot seculis probatus, & præclaris catholicorum Doctorum commentariis illustratus, Latinis hominibus pro lege habendus esset, & norma loquendi in Sacris Eloquiis: neque per hoc Græcis & Hebraïcis litteris quicquam detraheretur, sed suus cuique mos & ordo servaretur.*

DECLARATIO AD SINGULA.

K Primum constat Græcas voces exprimere sensum, quem usurpo in Paraphrasi, constat *Clementem* in hac fuisse sententia, ut crederet *Paulo* fuisse uxorem, nec defuerunt qui hunc locum de uxore interpretarentur: *Clemens* autem id maxime potuit scire, quippe vivens Apostolorum temporibus: nec adversatur pietati, si *Paulo* demus uxorem, cum creditum sit *Petro* totius Ecclesiæ principi fuisse. Recentiores autem studio castitatis nituntur *Paulum* inter virgines aut certe cœlibes ponere. Ego sequutus sum quod videbatur simplicius, sed in Paraphrasi duntaxat, quæ nequaquam in hoc scripta est, ut recitetur in templis: putet aliquis me hoc dixisse in Commentariis, neque enim aliter accipi debet, quod dixi in Paraphrasi.

L M *Solomon* vocatur ab Evangelistis, nec inficior tamen recte dici posse *Salomonem*, nec cuiquam fui molestus, qui *Salomonem* maluerit dicere quam *Solomonem*. Et ipse cum libet appello illum *Salomonem*. Idem respondeo de *paracletus*. Qui dicit *paracletus* penultima circumflexa, dictionem Græcam Latino accentu pronunciat. Qui dicit *paraclitus* secunda acuta, dictionem Græcam Græco accentu sonoque pronunciat, nisi quod Græca dictio non recipit *i* Latinum, quo si utaris, magis sonat, *qui deflectit a recto*; sin scribas per *y*, sonat hominem sinistræ famæ. Jam si placet accentus Græcus in recto casu, variandus est juxta Græcorum regulas in cæteris casibus, *paracliti*, *paraclito*, *paraclitum*. Itaque simplicius est in his servare accentum Latinum, qui perpetuus est. Et tamen si cui magis arridet *paraclitus*, nihil obsto.

N *Servator* absque dubitatione Latina vox est, apud probatos Auctores frequenter usurpata, pro eo qui dedit salutem. *Salvatorem* non invenio, vellem autem inveniri. Nemini tamen verbo molestus fui, qui malit *salvatorem*, quomodo & ipse frequenter loquor. Erat autem illud propositum in Paraphrasi, ut sermo esset purior, quatenus pateretur Scripturæ majestas & idiomatum proprietas. Si recitarem in cœtu assueto audire *salvatorem*, dicerem *salvatorem*.

A me non est scriptum *Caparnaum*, sed *Capernaum*, ut legit Evangelista. Et si toties in Censura peccant scribæ, quid factum putamus tot seculis in sacris Codicibus?

Fatidici vocabulum mihi semel aut ad summum bis excidit, ne quis existimet me perpetuo vice *Spiritus prophetici* dicere *Spiritum fatidicum*. Vocem ethnicam accommodavi ad rem sacram, nihilo gravius peccans opinor, quam qui pro *Prophetis* dicat *vates*, & *prophetiis*, *vaticinia*. Propheta proprie non dicitur nisi qui prædicit futura, at Spiritus fatidicus plura complecti videtur. Proin ad exprimendum afflatum illum arcani Spiritus, usurpavi vocem ad id accommodam.

In *Bethesda* pro voce, quam ostendi probabiliter in Latinis Codicibus esse depravatam, reposui quam incorruptam adhuc servant Græcorum Codices, quamque apud eosdem tenent probati Doctores. Pro nobis facit etymologia vocis Hebraïcæ *pecualis*, quæ congruit cum dictione *probatica*, quam posuit Evangelista. Idem dicendum est de *Bethania* & *Bethabara*: quod depravatum videbatur, ex Græcorum voluminum & doctorum auctoritate restituimus. Sicut ex *Mitylene* fecimus *Melitam*, aliaque hujus generis permulta. Mendas enim, quas invehunt vel scribæ vel scioli, nunquam existimavi ad Ecclesiæ consuetudinem pertinere. Ecclesia, ni fallor, cupit suos Codices esse quam emendatissimos. Quod si Ecclesiæ adscribitur, quicquid canitur aut recitatur in templis, multa illic interdum & dicuntur, & fiunt inepta. Quid quod ipsa Ecclesia variat in multis, nec statim est universalis Ecclesiæ quod *Parisiis* legitur caniturve. Olim timeri poterat perturbatio, si quis in publica congregatione induxisset lectionem diversam ab ea cui populus assueverat. Nunc cum privatis libris inter eruditos res geratur, intacta lectione publica, unde quæso totius Ecclesiæ perturbatio? Bellum vero, si cum de sinceritate lectionis agitur, quæ ex Hebræorum Græcorumque fontibus & ex Veterum interpretatione petenda est, jubemur *Haymones*, *Anselmos*, *Rupertos*, & *Hugones* sequi. Quanquam & in illorum quoque scriptis interdum deprehendimus lectionem diversam ab ea, a qua isti nolunt nos recedere: atque adeo quid si in illorum monumentis frequenter habetur non quod ab illis scriptum fuit, sed quod a scriba depravatum? Compertissimum enim est, pertinax & inauspicatum olim fuisse studium scribis, in vetustis Auctoribus, omnia Scripturarum testimonia mutandi ad salivam vulgatæ lectionis, quam imbiberant. Jam quod præscribunt, post emendationem *Hieronymi* non esse fas ab usu Ecclesiæ recedere, primum apud eruditos controversum est, an vetus Testamentum habeamus ad emendationem *Hieronymi*. Magis etiam ambigitur de Novo. Sed ut sit extra controversiam utrumque, cur post *Hieronymi* laborem audet Ecclesia canere ab illius emendatione discrepantia? Cur non est idem in omnibus Ecclesiis usus? Cur qui tot seculis post *Hieronymum* scripserunt, audent aliis verbis citare Scripturam? Cur recentiores audent citare variam lectionem? Oportuit enim rejicere, quicquid a vulgata diversum est. At quis tandem usus erit Hebraïcarum aut Græcarum litterarum, si nefas erit hinc corrigere, quod in nostris Codicibus depravatum est? Ante *Hieronymum* licuit in Sacris Voluminibus aliquid vel emendare depravatum, vel eruere retrusum, opinor & post *Hieronymum* id studium esse pium. Censura perinde loquitur, quasi divus *Hieronymus* nihil prætermiserit in Sacris Voluminibus inemendatum, aut quasi nusquam dormitarit aut cæcutierit, aut quasi sit indubitatum hanc utriusque Testamenti Versionem esse *Hieronymi*, aut quasi quicquid ab illo fuit traditum, tot seculis nec a scribis, nec a sciolis, nec a indoctis fuerit depravatum. Si Theologi tam diligenter versarentur in Veterum monumentis, quam in Scholasticis quæstionibus, nunquam proderent hujusmodi Censuras.

Tit.

Digitized by Google

Tit. XIV. *De quibuſdam Propoſitionibus, quæ poſita videntur ex inadvertentia vel Paraphraſtæ vel Typographorum. Propoſitio prima.* Matth. II.

XLIII. CHRISTUS *Hieroſolyma* circumciſus eſt.

CENSURA.

Removenda dictio *Hieroſolyma.*

Propoſitio ſecunda. Matth. X.

Quinto loco nomina Apoſtolorum erant *Jacobus Alphæi* filius, una cum *Juda Jacobi* filio.

CENSURA.

Pro filio *dicendum* fratre. *Non enim* Judas Jacobi *filius fuit, ſed frater.*

Propoſitio tertia. Luc. II.

Cum adeſſet dies a partu quadrageſimus ſecundus, quo Lex maſculinum fœtum jubet exhiberi Domino.

CENSURA.

Deponenda eſt dictio ſecundus. *Juxta Legem enim maſculus in templo debuit Domino offerri quadrageſimo die a partu, non quadrageſimo ſecundo.*

Propoſitio quarta. Luc. II.

Cunctis tandem rite peractis, quæ ad purificationem præſcripſerat Lex, reverſi ſunt in *Bethleem*, ubi natus erat puer.

CENSURA.

Bethleem *poſitum eſt pro* Nazareth, *nec addi debuit*, ubi natus erat puer: *cum ita ſcribat* Lucas. Et ut perfecerunt omnia ſecundum Legem Domini, reverſi ſunt in *Galilæam* in civitatem ſuam *Nazareth.*

Propoſitio quinta. Luc. IV.

Naaman Syrus ter mergi in *Jordane* obtemperavit.

CENSURA.

Ter *dixit, cum* ſepties *ab* Heliſeo *mergi juſſus ſit.*

Propoſitio ſexta. Matth. XXVII.

Cæteris quidem digreſſis perſeverarunt illic duæ, *Maria Magdalene*, & altera quædam e regione ſepulchri.

CENSURA.

Subtrahendum eſt illud, cæteris quidem digreſſis, *cum monſtret* Lucas *alias mulieres ab iſtis duabus monumentum inviſiſſe.*

Propoſitio ſeptima. Joan. I.

Philippus profeſſus eſt eadem de *Chriſto*, quæ poſtea *Petrus* profeſſus eſt.

CENSURA.

Pro Philippo *reponendum eſt* Nathanael. *Nec tamen omnino eadem de* Chriſto Nathanael *profeſſus eſt, quæ* Petrus *Apoſtolus.*

Propoſitio octava. Philip. III.

Ego *Paulus* Judæus ſum, ex Judæis oriundus, nec e quavis Tribu, verum præcipua, nempe *Benjamin*, unde & Sacerdotes conſtituuntur.

CENSURA.

Aliquid ibi deeſſe certum eſt. Nec enim Tribus Benjamin *præcipua eſt inter Tribus filiorum* Iſraël, *ſed Tribus* Juda: *nec ex Tribu* Benjamin *Sacerdotes conſtituuntur, ſed ex Tribu* Levi. *Porro quod in ſequenti Editione hujuſmodi errata Scriptor emendavit, comprobamus.*

DECLARATIO ERASMI XLIII.

XLIII. In his octo locis, quæ per Typographorum & Amanuenſium incuriam depravata reſtituimus, quoniam comprobant ſtudium noſtrum, non eſt quod diſputem. Sed hinc conjici poterat, me idem prompte facturum in cæteris, ſi quid cum pietate pugnans deprehendiſſem. Et quemadmodum hîc probant correctionem, ita non dubito quin multis in locis comprobaturi fuerint meam excuſationem, ſi fuiſſet cognita. Cæterum cum hæc loca jampridem fuerint emendata, nec id latuerit Theologos, cur hujuſmodi verbis utuntur, *deponendum eſt, ſubtrahendum eſt, reponendum eſt*, quaſi jam id non ſit factum. Neque enim ea tantum mutata ſunt, ſed alia complura. In quinta Propoſitione verbum omiſſum eſt. Sic enim habet Paraphraſis, *juſſus ter mergi in* Jordane, *obtemperavit.* Non hoc commemoro in ſuggillationem Theologorum, ſed ut mihi ſint æquiores, ſi quid ſimile in ſcriptis meis deprehendatur, Amanuenſium aut Typographorum incuria commiſſum.

Tit. XV. *De quibuſdam Propoſitionibus, in quibus non ſatis officio Paraphraſtæ Scriptor iſte reſpondet.*

Propoſitio prima. Matth. XIX.

QUiſquis uxorem dimiſerit & duxerit aliam, adulterium commitit, niſi forte quam repudiat adulterio commeruit repudium. XLIV.

Propoſitio ſecunda. Matth. XXIV.

Diem & horam ultimi judicii nec ipſe Filius hominis novit. Hoc ſoli ſibi ſervavit Pater. XLV. *In Sup.* 592. C.

Propoſitio tertia. Rom. VIII.

Spiritus Dei, etiamſi ſileamus, tamen pro nobis interpellat Deum: idque non humano more, ſed gemitibus inenarrabilibus. XLVI. *In Sup.* 672. F.

Propoſitio quarta. Rom. VIII.

Iſte Spiritus quoties interpellat pro ſanctis, indoleſcens ſuper illorum malis, non juxta humanum affectum interpellat, ſed juxta Dei voluntatem. XLVII.

CENSURA.

In his quatuor Propoſitionibus Paraphraſtæ officio minus recte fungitur Scriptor iſte in ſua Paraphraſi: qua ubi ſenſum deberet aperire, illum non aperit, cum tamen per alios catholicos Doctores clare explicetur. Nam certum eſt quantum ad primam, non licere viro ducere uxorem, etiam propria ejus adulterante, cum omne vinculum matrimonii inter fideles ſit indiſſolubile, niſi interveniat religionis ſolenne votum poſt matrimonium ratum, ſed non conſummatum. Quantum vero ad ſecundam, certum eſt diem & horam ultimi judicii noſſe Filium hominis ſecundum humanitatem, cum ipſe ſciret omnia quæ ventura erant ſuper eum, & dederit Pater omne judicium Filio, ut filius hominis eſt: licet illud non dederit ut ante conſtitutum tempus paſſim hominibus dies & hora illa judicii reveletur. Quantum autem ad tertiam & quartam, ideo orare dicitur Spiritus Sanctus & ingemiſcere, quod ſua gratia fideles orantes reddat & ingemiſcentes pro ſuis iniquitatibus & peccatis, aut ob alias pias & juſtas cauſas: ut uniformis eſt catholicorum Doctorum explicatio & ſententia.

DECLARATIONES QUATUOR SUPERIORUM PROPOSITIONUM. PRIMA.

Retuli quod habet ſermo *Chriſti*, & quoniam locus habet varios anfractus ac multam quæſtionum difficultatem, veritus ſum hominum commenta Evangelicæ majeſtati admiſcere. Nam quæ dicuntur de ſeparatione thori manente conjugii vinculo, quæ de matrimonio rato, non conſummato, quod ſolvitur profeſſione Monachiſini, aliaque circa hanc materiam, videri poſſunt ab hominibus reperta. Quanquam hunc locum ita reſtituimus: *Quiſquis ob quamlibet cauſam abjecerit uxorem, ut adulterium committit ipſe, ita uxori præbet adulterii cauſam.* Ita locum feci commento divi *Auguſtini*, qui putat exceptionem fornicationis proprie referendam ad illam particulam, *facit eam mœchari.* Jam enim erat mœcha, priuſquam ejiceretur. XLIV.

DECLARATIO AD SECUNDAM.

Reddidi cauſas, cur eum locum ut eſt reliquerim. Sub nomine *Chriſti* non poteram eum explanare, quia *Chriſtus* tum temporis nolebat intelligi, alioqui explanaſſet ipſe. Sed poteras, inquient, ſub nomine Evangeliſtæ: poteram, ſed incommode. Verum is quoque locus habet difficultatem, vel hoc argumento, quod Doctores trifariam explicant quæſtionis nodum. Proinde malui doctis illic liberum relinquere judicium, & quid ſentirem locis opportunioribus ſignificare. Quod *Chriſtus* quicquam vere neſcierit, mihi ne in ſomnis quidem unquam venit in mentem. XLV.

Digitized by Google

DECLARATIO AD III. ET IV.

XLVI. Et hic illustres Ecclesiæ Doctores variant, aliis locum
XLVII. interpretantibus de Spiritu Dei, aliis de spiritu hominis. Nec omnino tamen locum præterii inexplanatum. Duos enim Spiritus commemoro, hominis infirmum, & Dei hujus imbecillitati subvenientem. Paraphrasis sic habet: *Spiritus tamen boni consulit, & cum corporis infirmitate pugnat: sed adspirat Dei Spiritus, adjuvans imbecillitatem carnis nostræ, & spe erigens ad omnia toleranda, commonstrans quid votis optandum sit, aut quid deprecandum. Nam ipsi juxta humanum affectum nescimus quid sit optandum* &c. Ex hac distinctione liquebat Dei Spiritum sic postulare, quatenus nos in postulando adjuvat, suggerens & quid sit petendum, & quomodo, afflans tum fidem, tum ineffabile desiderium ejus quod juxta Deum petimus. Post ita tempero sermonem, ut liberum sit Lectori, quod Apostolus ait, *Spiritum pro nobis interpellare gemitibus inenarrabilibus*, vel de Spiritu Dei accipere, at non sine tropo, vel de Spiritu Ecclesiæ spiritualiter orantis pro membris suis, vel de Spiritu cujusque hominis, qui afflatu divini Spiritus orat quæ conferunt ad salutem potius quam jucunda. Proinde an apud recentes sit uniformis hujus loci enarratio alii viderint, certe veteres dissident. *Paulus* autem in differendo sæpe lubricus ac varius est, eam vocem, puta *Legis*, aut *carnis*, aliter atque aliter usurpans. Itidem & *spiritus* interdum opponitur *carni*, interdum sonat impetum mentis, interdum Spiritum Dei, interdum sonum loquentis. Postremo non ibi susceperam omnes novi Testamenti difficultates exacte discutere, sed tantum fastidiosis summariam quamdam Christianæ Philosophiæ cognitionem ingerere. Quod si veniam damus iis qui Commentariis enarrant Scripturas, quoties partem aliquam inexplanatam transiliunt, multo magis ea venia danda erat Paraphrastæ. Interdum non venit in mentem, interdum obstat lassitudo.

Tit. XVI. *De meritis. Propositio prima. In* Elencho, *Annotat.* CXCII.

XLVIII. Merita vix potest constituere *Augustinus.*

CENSURA.

Matth. 10. 1 Cor. 3. Prov. 2. Heb. 16. Eccles. 16. *Merita nomine* operis Christus *constituit, dum inquit:* Voca operarios & redde illis mercedem. *Et Apostolus nomine* laboris, *dicens:* Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. *Et Sapiens in* Proverbiis *nomine* justitiæ, *inquiens:* Seminanti justitiam merces fidelis. *Merita rursum nomine* meriti *constituit Apostolus his verbis:* Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. *Et Sapiens in* Ecclesiastico, *hoc verborum contextu:* Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. *Et post eos conformiter ad cæteros catholicos Doctores* Augustinus *meritum asserens constare ex libero arbitrio vertibili & divina gratia: ut sit meritum opus & gratiæ & liberii arbitrii vertibilis. Hæc itaque Propositio, quatenus per eam prætenditur beatum* Augustinum *non aperte & certo constituere merita, est manifeste falsa, & ad impiam accedit doctrinam* Lutheri *de fide & operibus.*

DECLARATIO ERASMI XLVIII.

XLVIII. Demiror cur hîc probandum existimarint esse quædam hominum merita, cum id profitear illo ipso in loco, quem citant. Sic enim habet Elenchus: *Non tollo in totum hominis merita, verum ea vix potest constituere* Augustinus. Adde quod qui vix constituit, constituit tamen. Illud in confesso est, *Augustinum* præsertim senem, cum totis viribus pugnaret cum *Pelagianis*, adeo propensum fuisse ad exaggerandam Dei gratiam, ut vix invenias quid relinquat libero arbitrio, quod asserit verius quam probat. Quam vero pusillum tribuit meritis, qui dicit, quod Deus sua dona coronat in nobis, & hoc ipsum quod assentimur gratiæ pulsanti, esse gratiæ. Quantum discrimen est inter donum & meritum? Quoties autem in Psalmis aliisque locis simpliciter adimit homini merita, totum transcribens misericordiæ divinæ. Quod si *meritum* accipitur id quod nostris debemus viribus, & pro quo non debemus gratiam Deo, dura vox est *meritum.* Sed hæc extra rem, cum ego profitear esse aliqua hominum piorum merita, neque negem id *Augustinum* constituere, licet ægre, quod multis locis neget esse ulium hominis meritum.

Propositio secunda, in Præfatione in Lucam.

XLIX. CHRISTUS liberat universos ab omnibus animorum morbis, tantum ut morbum agnoscamus & fidamus Medico.

Tertia Propositio.

L Apostoli denunciabant omnibus ut pœnitentiam agerent anteactorum malorum, ne quisquam fideret suis factis, sed tantum promissis Evangelicis. *In Sup. 649. A. Marci 6.*

Propositio quarta. Marci II.

LI Deus a peccatoribus nec holocautomata requirit, nec donaria: tantum agnosce morbum & confide Medico.

CENSURA.

Quanquam plurimum confert ad impetrandum a Deo quod petitur, ardor fidei, & simplex ac pura fiducia in Christo *& ejus promissis: illa tamen non sufficiunt, nisi addantur bona opera. Quare hæ tres Propositiones quantum ad tres ultimas earum partes, quibus prætenditur sufficere ad salutem talem fiduciam in* Christo *& ejus promissis, absque bonis operibus, dum fieri possunt, hæresi* Lutheranæ *de fide & operibus adstipulantur.*

DECLARATIO ERASMI XLIX.

XLIX. Ad hunc modum frequenter imponitur etiam integris & eruditis, dum quod a *Christo*, Evangelista, Apostolove dictum est, sic proponitur quasi his temporibus dicatur ab *Erasmo*. In Præfatione loquor de gratia Evangelii per *Christum* exhibita, qui, quos nec Græcorum sapientia, nec Lex *Mosi* servare poterat, servaret per fidem Evangelicam. Ab his autem, qui vel a Paganismo vel a Judaismo veniunt ad baptismum, non requiruntur opera vitæ prioris, sed tantum fides in ipsum Filium Dei. Hic sermo non excludit opera pia, quæ post baptismum fides per dilectionem operatur. Præfatio mea sic habet: *Id videns Pater cœlestis, videlicet homines nec per Philosophiam humanam, nec per observationes Legis fuisse correctos, emisit Sermonem suum, qui cœlesti medicina liberaret universos ab omnibus animorum morbis, tantum ut morbum agnoscamus & fidamus Medico* &c. Jam ut hæc verba torqueamus ad pœnitentiam, naufragii tabulam post baptismum: constat tamen nemini condonari peccata, nisi & culpam agnoscat, & a *Christo* speret remissionem. Nam *tantum ut* positum est pro *dum modo*. Neque enim hujusmodi particulæ semper excludendi vim habent, sed sæpenumero præcipuum quiddam maximeque ad rem pertinens indicant. Veluti si pater dicat filio, *tu tantum ama litteras, & a me nihil non impetrabis*: hoc sermone non permittit illi peccandi in cæteris licentiam & officiorum neglectum, sed indicat quid potissimum ab illo curari velit.

Porro quod in *Marco* positum est, per se liquet dictum L de his, qui primum se converterant ad Evangelii gratiam. Apostolus autem eodem exordio voluit auspicari, quo cœperat *Joannes* Baptista: *Pœnitentiam agite & credite Evangelio.* Credere Evangelio, est fidere promissis Evangelii. Quid porro promittit? Per fidem in *Jesum Christum* omnibus offert justitiam, hoc est, abolitionem omnium criminum. Hanc sententiam puto esse *Paulinam* & catholicam. Quod autem adjeci, *ne quisquam fideret factis suis*, ad *Judæos* pertinet, qui Legis observatione turgidi putabant suis justitiis deberi salutem, cum *Paulus* clamet, *si ex operibus, jam non est gratia.* Manifestum est igitur hîc non agi de operibus baptizatorum, sed de vita superiore, cujus omnes maculæ semel gratis abolentur per baptismum. *Mar. 6.*

Agit illic Paraphrasis de fide paralytici, qui typum ge- LII rit utriusque Gentis adgravatæ peccatis, quæ pariter per fidem in *Christum* salutem consequitur. Conferoque *Christum* omnipotenti verbo sanantem cum Sacerdotibus *Mosaica* Legis, qui variis sacrificiis promittebant expiationem peccatorum. Ut autem *Christus* in paralytico nihil respexit nisi fidem illorum, ita in baptismo nec a *Judæis* nec a Gentibus requirit opera præteritæ vitæ, sed ex æquo fide purificat corda omnium. Me vero illic loqui de *Judaicis* operibus, non de officiis charitatis, declarat quod nego *Christum* requirere holocautomata, aut dona-

Digitized by Google

donaria, quæ *Judæorum* ſunt expiationes. Quare hæ tres Propoſitiones nulla ex parte prætendunt fidem in *Chriſtum* ſimpliciter abſque bonis operibus ſufficere ad ſalutem, imo contrarium docent Paraphraſes ſexcentis locis: ac ne tantulum quidem faciunt ad hæreſim *Lutheranam*, cum meæ Propoſitiones loquantur de his qui baptiſmo purificantur, *Lutherus* loquatur de bonis operibus adultorum poſt baptiſmum. Vide quid eſt ex fruſtulis decerptis pronunciare. Quam vero tum moleſtum tum injurium eſt hæc toties occini cum convitio, ad quæ dilucide reſpondi. At non vacat ea legere viris tam ſublimibus. Verum aut utrumque debuit vacare, aut neutrum. Tyrannicum eſt enim nolle cognoſcere & velle pronunciare.

Propoſitio quinta. Lucæ V.

LII. JEſus nullum aliud exigit ſacrificium quam ſimplicem ac puram erga ſe fiduciam.

Propoſitio ſexta. Marci II.

LIII. Satis ſacrificavit, qui ſe cum plena fiducia oſtendit.

CENSURA.

Cum Evangeliſta hoc loco de ſacrificio nihil dicat, ſi per has duas Propoſitiones intelligatur, quod per hoc quod Chriſtus fecit auctoritate excellentiæ, non requiruntur in nobis bona opera, & ſatisfactio ad dimiſſionem peccatorum pro peccatis poſt baptiſmum perpetratis, hæreticæ ſunt: cum fide tenendum ſit, peccatores debere ſatisfacere pro peccatis quæ poſt baptiſmum commiſere, juxta divinæ juſtitiæ decretum: alioqui pro animabus fidelium defunctorum minime oraret Eccleſia catholica: neque poſt hanc vitam ponendum eſſet Purgatorium.

DECLARATIO ERASMI AD PRIOREM.

LII. Conſtat illic Paraphraſim agere de leproſo purgato contactu *Chriſti*, cujus virtutem ſanandi confero cum Sacerdotibus *Moſaïcis*, qui in lepra, de qua judicabant tantum, ſacrificia quædam præſcribebant & donaria exigebant, cum *Chriſtus* nil tale moratus, ſola fide contentus ſit. Verba Paraphraſis ſic habent: *Siquidem* Moſaïci *Sacerdotes nec immittebant lepram nec auferebant, ſed de lepra nata aut ſublata judicabant tantum. Solus autem* Jeſus *omne morborum genus tollit ab omnibus*, &c. Hæc vox, *ſacrificium*, non pertinet ad bona opera, ſed ad hoſtias *Moſaïcas*, & ad declarandam *Chriſti* excellentiam.

DECLARATIO ERASMI AD SECUNDAM.

LIII. Et hîc Paraphraſis agit de paralytico ſolo fidei merito ſanitatem aſſequuto, ſentiens his, qui plena fiducia accedunt ad Evangelii profeſſionem, nihil opus eſſe *Judaïcis* hoſtiis ad criminum expiationem. In his itaque Propoſitionibus nullam video ſyllabam, quæ pertineat ad eos, qui negant opera bona requiri a baptizatis, aut ſatisfactionem eſſe exigendam a reſipiſcentibus a lapſu poſt baptiſmum. Recte quidem addiderunt *ſi*, ſed ea dubitatione nihil erat opus, ſi vel locum inſpexiſſent, vel ſaltem ea legiſſent, quæ ſuper his *Beddæ* reſpondimus, præſertim cum ex illis quædam hîc referantur adverſum me, at ſilentur quæ faciunt pro me. Hæc quidem ad cautelam dicuntur, verum ego interim præter meritum gravor invidia.

Propoſitio ſeptima. Matth. XIX.

LIV. NUllum eſt opus hominis ita bonum ut mereatur præmium æternæ vitæ.

CENSURA.

Quamvis vita æterna ſuapte natura tantum ſit bonum, ut abſque divina gratia non poſſit quis illam mereri, aſſerere tamen hominem cum divina gratia illam non poſſe promereri, eſt hæreticum & ſanctis Scripturis contrarium, quæ oſtendunt per obſervationem divinorum mandatorum perveniri ad vitam æternam: juxta verbum Chriſti, Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Cum & Apoſtolus aſſerat, homines per beneficentiam & communionem Deum promereri. Et Sapiens de quibuſdam ſanctis viris dicat:* Tentavit Deus illos & invenit dignos ſe.

Matth. 19. Heb. ult.

DECLARATIO ERASMI LIV.

LIV. Agit illic Paraphraſis de comparatione meriti & præmii. Adoleſcens, cum crederet *Chriſtum* nihil aliud eſſe quam hominem, appellat eum *bonum*. Eum titulum Dominus recuſat ut homo. Adoleſcens cum ait, *quid faciendo*, percontabatur de opere quopiam inſigni, cui ex pari deberetur vita æterna: *Judæus* enim erat operum admirator, gratiæ ignarus. Dominus reſpondit nullum eſſe tale hominis opus, cui ſimpliciter debeatur tale præmium. Verba Paraphraſis ſic habent: *Cum de bono percontatur, non de quovis bono ſentit, ſed de inſigni quopiam bono, quod promereatur vitam. Atqui nullus mortalium abſolute bonus eſt, nec ullum eſt opus hominis, quod ita bonum ſit, ut mereatur præmium æterna vita*, &c. Cum ajo *præmium*, mercedis modum ſignifico: cum ajo *ita bonum*, æqualitatem meriti & præmii declaro. Ut autem nullus homo perfecte ac ſimpliciter bonus eſt, ita nullum eſt opus hominis, quatenus eſt hominis, tam abſolutum, ut æquet præmium vitæ æternæ. At in hac ſupputatione ſi quis velit gratiæ ſeponere quod gratiæ debetur, tam exigua portio reſidebit homini, ut homines pii malint totum adſcribere gratiæ: præſertim cum hoc ipſum, quod homo vel aſſentitur vel cooperatur gratiæ, ſit gratiæ, imo hoc ipſum, quod ratione ac voluntate præditi ſumus, ſit donum Dei. Nihil enim habet homo quod non acceperit. *Paulus* enim cum dixiſſet, *ſtipendium peccati mors*, non ſubjecit, *præmium autem pie viventium vita æterna*, ſed *gratia autem Dei vita æterna per Jeſum Chriſtum*. Hæc dixerim, non quod in totum excludam meritum, ſed ut oſtendam quam parum habeat momenti ad gratiam collatum. Exiſtimo hanc meam ſententiam cum Theologorum ſententia convenire, quam mihi videor ſatis expreſſiſſe. Itaque locus hic nihil habet commune cum iis, qui negant ulla eſſe merita ſanctorum, aut ullum eſſe omnino opus hominis bonum. Bona opera ſternunt viam ad ſalutem, licet iis non ſimpliciter debeatur ſalus. Apud *Paulum* vero non eſt verbum *promeretur*, ſed εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, id eſt, *placetur Deo*, ſive *conciliatur Deus*, ſive *litatur Deo*. Tentat autem Deus, ut illuſtret virtutem piorum hominum: & invenit eos dignos ſe, quos ſua gratia fecit ſe dignos. Hæc nihil ad æqualitatem præmii ac meriti.

Rom. 6.

Propoſitio octava. Marci X.

LV. QUi præmii cauſa certat, non certaturus niſi ſciat dandum præmium, is ſeipſum præmio fruſtratur.

CENSURA.

Tametſi principalius Dei amore quam præmii debent homines certare & bene operari, licitum eſt tamen eos præmio moveri ad bene operandum & certandum contra tentationes: & oppoſitum aſſerere, erroneum eſt, & Scripturæ adverſatur. Scribit enim Apoſtolus: Debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. *Probantur etiam a* Chriſto *Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum. Et inclinavit Regius Propheta cor ſuum ad faciendas juſtificationes propter retributionem.*

Matth. 19. Pſal. 118.

DECLARATIO ERASMI LV.

LV. Arbitror & hîc nos conſentire. Fatentur Deum propter ipſum diligendum, cum ſit natura ſumma virtus, ipſumque eſſe ſui præmium principale, licet imperfectos præmii pœnarumque reſpectus exſtimulet ad bene operandum. At qui Deum colunt, non culturi niſi daret præmium aliquod quod non ſit ipſe, invertunt ordinem: quodque acceſſorium eſt, faciunt principale: & contra. Qui vero hoc animo colunt Deum, non colunt ut Deum, nec vere diligunt Deum, ſicuti jubentur diligere.

Tit. XVII. *De fiducia bonorum operum & meritorum.*

Propoſitio I. *In fine* Diatribæ.

LVI. LUtherus pie quidem ac Chriſtiane diſſeruit de fiducia meritorum, operum, & virium noſtrarum, ac de tota fiducia transferenda in Deum & ejus promiſſa.

CENSURA.

De abjicienda fiducia operum ac meritorum impie ac hæretice diſſeruiſſe Lutherum *exploratum eſt. De illis nam-*

Digitized by Google

que ita disseruit, ut minime veritus sit bona opera & merita, pariter & fiduciam in illis sub Deo repositam damnare, quæ multis in locis Sacra Eloquia comprobant. Docent
2 Cor. 5. Joan. 5. *enim homines post hanc vitam relaturos quæ gesserunt in corpore, sive bona fuerint, sive mala, & processuros in resurrectionem vitæ eos qui bona fecerint, in resurrectionem vero judicii eos qui mala. Excitant etiam eadem Sacra Eloquia Christianos duplici nomine facere ac multiplicare bona opera: tum ut seminantes non parce in hac vita divites fiant in bonis operibus ac benedictionem postea demetant, tum ut per illa certitudinem acquirant suæ vocationis & electionis. Fideles nempe ita exhortatur beatus* Petrus; Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hoc enim facientes, non peccabitis aliquando. *Quod si certi redduntur homines de sua vocatione & electione bene operando, non utique diffidunt, sed certam habent fiduciam quod non sit futurus suus labor inutilis apud Deum, qui eos non fallit, dum bona æterna pollicetur bene operantibus. Hinc sane patet quod in bonis operibus tanquam in mediis ad salutem necessariis cum Dei gratia recte fiduciam sub Deo fideles reponunt. Quare oppositæ sententiæ subscribens* Erasmus, *turpiter aberrat, & temerarie scandalizat legentes.*

DECLARATIO ERASMI LVI.

LVI. Profecto cum in tota Diatriba pugnem contra *Lutheri* dogma, mihi quiddam vehementer absurdum accidit, si in ejus operis calce veluti subito factus alius subscribo ei sententiæ, quam omnibus machinis oppugnaram. Vel ipsa rei absurditas illos monere debuit, me non hoc sensisse, quod interpretantur quidam. Imo his verbis adeo non subscribo dogmati *Lutheranorum*, ut rejecto quod probabiliter objicere poterant, magis corroborem Theologorum sententiam. *Christus*, *Paulus*, & utriusque Testamenti spirituales viri præcipue commendant dilectionem Dei, quippe fontem omnis pietatis, cui adhæret dilectio proximi propter Deum. Extenuant sua merita, quicquid habent boni, adscribentes divinæ misericordiæ, quæ nobis præstat vitam æternam, non quia meremur nos, sed quia promisit ipse. Hæc quia passim leguntur in Litteris Sacris, *Lutherus* colligit ea tollere liberum arbitrium. Ego contra ajo me demonstrasse, per hæc non tolli in totum liberum arbitrium. Verba Diatribæ sic habent in epilogo argumentorum: *Denique si declaratum est, quot incommoda, ne dicam absurda, consequantur, si semel funditus tollatur liberum arbitrium: si palam est factum, hac quam dixi sententia recepta, nihil perire eorum, quæ* Lutherus *pie quidem & Christiane disseruit, de summa charitate in Deum, de abjicienda fiducia meritorum, operum, & virium nostrarum, de tota fiducia transferenda in Deum & illius promissa: jam velim illud expendat Lector, num æquum censeat, ut damnata sententia tot Ecclesiæ Doctorum, quam tot jam seculorum ac gentium consensus approbavit, recipiantur paradoxa quædam, ob quæ nunc tumultuatur orbis Christianus.* Hactenus Diatribæ verba recensui. Hoc duntaxat in *Luthero* probavi, quod ab amore rerum mundanarum erigit nos ad amorem Dei, quod avocet nos a periculosissimo scopulo, fiducia nostri, ad tutissimum portum, fiduciam Evangelicæ gratiæ: sed rationes, quibus id colligit, & quod hinc ratiocinatur, non probo, cum ea pro viribus impugnem. Bona opera esse viaticum ad vitam æternam nemo pius negat: & sine his non sufficere fidei professionem fatemur: & qui Christianos hortatur, ut hîc adnitantur quam plurimum bonorum operum colligere, sancte & pie hortatur: sed qui docet, ut homo in suis operibus, quatenus sunt hominis, fiduciam, hoc est, summam ac certam spem, collocet, an recte moneat, nescio. Diversam cantionem canunt sanctissimi quique. Præsertim cum *fiducia* Latinis non sonet qualemcunque spem, sed summam ac præcipuam. Spes comitem ducit metum, fiducia excludit timorem. Alunt utcunque spem bona opera, quemadmodum mala opera gignunt desperationem: tametsi nec hîc par est ratio, quod mala per nos agimus, bona non tam nos agimus, quam gratia Dei operatur in nobis: quæ si divina bonitas nobis pro meritis imputat, nostrum tamen est illi totam gloriam adscribere, sine qua nihil sumus, nec possumus quicquam. Quantum autem in benefactis homo sibi vindicat, tantum adimit Dei misericordiæ. Jam ut sit alicujus momenti quod nostrum est in bonis operibus, fiducia tamen nostri tendit ad arrogantiam: eoque *Christus* admonet Discipulos, ut, cum omnia jussa perfecerint, dicant, servi inutiles sumus. Nihil decedit, imo aliquid accrescit præmiis nostris, si quod nostrum est in bonis operibus, si quid omnino est, pro nihilo duxerimus, & cum *Paulo* dicamus, *gratiâ Dei sum id quod sum.* Adjiciam illud, in verbis meis, *pie quidem*, conjunctio habet vim extenuandi, notans hoc tantum illic esse pium, aut utcunque pium, licet cum offendiculo. Testimonia Scripturarum haud lubens excutio, ne videar docere velle doctiores. Quanquam hîc *Petrus*, mea sententia, nihil aliud monet, quam ut qui *Christum* professi sunt, bene vivendo suæ professioni respondeant, nec frustra habeant gratiam Dei. Hæc si pia sunt, si Scripturis omnibus consentanea, miror cur *Erasmus* dicatur aberrasse turpiter. Hæc non imputo Facultati, sed iis qui fragmenta mala specie cum prava interpretatione proponunt.

Propositio II. *quæ est in* Elencho.

Periculum est meritis fidere. LVII.

CENSURA.

Cum redditurus sit unicuique Deus juxta opera sua, debent fideles securi esse, quod si perseverarint bene agendo & divina mandata custodiendo, consequentur vitam æternam. Hoc enim includit ratio spei: proinde meritis hoc modo fidere non solum possunt, sed etiam tenentur, alioqui non sperarent. Quare erroneum est asserere, quod periculum sit hoc pacto meritis fidere. Nec tamen ea fiducia gratiam & misericordiam Dei excludit, per quas merentur homines, & ad vitam æternam acceptantur. Longe siquidem abest hujusmodi fiducia a præsumptione & ingratitudine. Deo enim omnia bona opera adscribit ut præcipuo auctori, & fructum meritorum maxime collocat in divina misericordia, non in propriis meritis aut in humana justitia, quæ nullius est momenti, secluſa divina misericordia: licet cum illa ad salutem ex Dei decreto requirantur humana opera, quæ nihilominus Dei donum sunt. Neque tamen ullum est opus hominis, quo regulariter, absolute, & absque conditione futura perseverantiæ ipse securus esse possit de salute, citra revelationem.

DECLARATIO ERASMI LVII.

Cum in bonis operibus minima portio sit virium hu- LVII.
manarum, cum tanta sit hominum infirmitas & imperfectio in obeundis præceptis Dei, cum tanta sit turba malorum operum præ bonis, si res ad æquilibrium vocetur, tutius arbitror hominem fiduciam, hoc est, præcipuam spem suam, in bonitate Dei figere, quam in suis operibus, hoc est, in sua portione. Qui fidit operibus, juxta meum sensum, parat cum Domino judicio contendere; sed væ nobis si ad Dei justitiam exigatur vita nostra. Jam fiduciæ vicina est confidentia, maxima pietatis pestis. Solent autem nautæ in periculis ad littus tutius deflectere. Neque enim illic simpliciter dico, *periculum est fidere meritis nostris*, sed addo, *periculum est his fidere, cum gratia tuto prædicetur.* Arbitror ipsum *Paulum*, si quis agentem animam percontaretur, Moreris ne cum bona fiducia? diceret, cum optima. Si ille pergeret, quo præsidio fretus, benefactis tuis, an gratia Dei? Responsurum opinor: Si quid ego recte gessi in vita, non ego gessi, sed ille per me: totum illius misericordiæ fero acceptum, quicquid vel assequutus sum, vel exspecto. Nec tamen protinus nulla spes esset, si quis adeo parum tribuat suis operibus, ut non ausit in illis ullam spem reponere. Certissimam enim spem faciunt Dei promissa, & illius immensa bonitas. Postremo aliud est diffidere suis operibus, aliud est vacare bonis operibus & abundare malis. Si modestiæ est parum tribuere nostris operibus, quo quisque perfectior est, hoc minus arrogat sibi in benefactis. Ergo ut spem illam modestam, quæ totum adscribit gratiæ, ipsa etiam bona opera, non improbo, quanquam qui sic fidit, Deo fidit verius quam suis operibus: ita puto verum esse quod scripsi, præcipuam fiduciam

ac

Digitized by Google

ac præsidium salutis non esse tutum collocare in nostris operibus. Tutius autem esse, summam divinæ munificentiæ ferre acceptam. Aut ego fallor, aut in his mihi cum Theologis convenit, nisi quod aliis verbis explico quod sentio.

Tit. XVIII. *De fiducia corporalium ceremoniarum & statutorum Religionis. Propositio* I. *In* Elencho.

LVIII. *In Elencho pag. 506. E.* QUo magis hæremus corporalibus ceremoniis, hoc magis vergimus ad Judaïsmum.

CENSURA.

Etsi in operibus & corporalibus ceremoniis non ita fidendum est, ut spiritualia, in quibus perfectio consistit, postponantur: in illis tamen suo gradu sub Deo fiduciam habere debemus, illaque tanquam arma ad militandum contra spirituales hostes assumere, prout Christus *docuit, & sancti Patres tradiderunt. Neque plane existimanda sunt ceremonia ab Ecclesia aut sanctis Patribus instituta ad Judaïsmum vergere: qui jam obsolevit & abrogatus est, ut abrogandum prorsus Prophetæ prædixerunt. Qui autem arbitrantur Ecclesiam aut sanctos Patres rursus Judaïcas ceremonias instituere, non Christiani credendi sunt, sed impii hæretici,* Aëriani, Wicleviſtæ, *aut* Lutherani, *aut eodem fermento malitiæ corrupti. Pertinent enim Ecclesiæ ceremonia ex sua ratione ad eminentem virtutem, utpote ad Religionem: & eas Deo exhibentes aut iis quæ ad ipsum spectant, nullum peccatum admittunt, sed virtutem præstant, ac pietatis officium exercent. Nec gravat Ecclesia fideles Judaïcis observationibus ceremonias præscribens, sed e contrario illos magis hoc nomine sublevat, quibus salutarem sese præbet vitæ ducem atque directricem: sicut qui leges utiles præscribunt populo nutanti & præcipiti, non populum onerant, sed levant, modum vivendique rationes commensurantes. Proinde præscripta Propositio, loquendo de fiducia in corporalibus ceremoniis, ut prædictum est, impia est &* 1 Tim. 4. *hæretica, cum errore conveniens* Aërii, Witclevi, & Lutheri: *qui error ex perverso loci illius Scripturæ intellectu decerpitur:* Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. *Per quem non hujusmodi corporales ceremonias intendit Apostolus nihili ducere, si ad pietatem & divinum cultum ordinentur: secus autem si per se & solitarie assumantur, nulla habita ratione pietatis, neque ad eam ordinentur.*

DECLARATIO ERASMI LVIII.

LVIII. Ecclesiasticas ceremonias aut constitutiones adeo non damno, ut multis locis probem, contraque impugnantes libris editis tuear. Quoniam autem *Judæi* plurimum tribuebant corporalibus observationibus, Judaïsmum appello, non impietatem Judaïcam, sed præscripta de rebus externis, veluti de veste, cibo, jejunio, quæ similitudinem quamdam habent cum *Judæorum* observationibus. Et in his observandis, licet ad pietatem instituta sint, tamen multorum Christianorum Judaïcus est animus: sive dum ibi conquiescunt, negligentes ea quæ sunt spiritus: sive dum præpostero judicio plus illis externis tribuunt, quam veræ pietati, quæ in affectibus sita est. Quemadmodum autem *Judæorum* durities tot præscriptis veluti cancellis erat coërcenda, ita refrigescens in Christianis charitas effecit, ut Pontifices multa præscripserint Judaïcis præscriptis non dissimilia, licet dissimili mente sint observanda. Sunt enim ceu vehicula quædam, quibus infantia parvulorum ad spiritum perducitur, sicut & figuræ visibiles spiritualium rerum nos admonentes: veluti jejunium admonet ab omnibus carnis cupiditatibus temperandum, & ad id etiam adminiculo est, extenuans carnem & spiritum erigens. Abutuntur autem ceremoniis, qui vel ibi collocant proram & puppim sanctimoniæ, vel eis plus tribuunt, quam iis quæ sunt spiritus, nonnunquam occasione eorum, quæ ad profectum pietatis sunt instituta, violant ipsam pietatem. Hos noto, non ipsas ceremonias: quos & ipsi notant, dum damnant eos a quibus assumuntur solitarie: quod faciunt ii qui in his conquiescunt, quasi perfecta pietas sit ea servasse. Quanquam si Ecclesiæ tribuitur quicquid ab Episcopis præscribitur, aut in templis geritur, multæ sunt constitutiones Præsulum, de quibus non sine causa publica est orbis querela, multæ sunt in quibusdam templis ceremoniæ, quas vel supervacaneas, vel ineptas, vel superstitiosas possis dicere. Nam has frequenter Decanus aliquis otiosus, vel alius huic similis homuncio comminiscitur: nonnunquam anus quæpiam impetrat, in hoc largiens pecuniam, ut hoc aut illud ita fiat: interdum & violentia vulgaris consuetudinis irrepunt quædam, si minus irrumpunt. Non igitur impie loquatur qui dixerit ejusmodi constitutionibus ac ceremoniis onerari libertatem populi Christiani, præsertim cum in his non paucæ sint, quæ nihil faciant ad pietatem, sed ad quæstum aut ambitionem. Proinde cum idem sentiamus, mea Propositio nihil suffragatur *Aëriis*, *Wiclevis*, aut *Lutheris*, si modo illi in totum damnant Ecclesiasticas constitutiones. Et verum est quod dicunt, hoc *Pauli* dicto, *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet*, non excludi corporales ceremonias ad pietatis adminiculum institutas: sed æque verum est, illo nos admoneri, longe plus tribuendum esse spiritui quam externis illis observationibus. Tali hominum genere quoniam videbam mundum esse plenum, interdum ab admiratione ceremoniarum revoco ad studium veræ pietatis: ut autem fiderent ceremoniis, admonere nec necessarium nec tutum putabam. De *fidendi* verbo viderint alii: mihi, cui *fidere* sonat principaliter inniti, dure sonat, fidere humanis operibus & fidere ceremoniis: nec eas voces vel in Divinis Litteris, vel in piorum hominum scriptis invenio. Elenchi locus sic habet: *Quo magis accedimus ad spiritum, hoc purius sumus Christiani: quo magis hæremus corporalibus ceremoniis, hoc magis vergimus ad Judaïsmum*, &c. Hæret qui illic conquiescit, nec ad ea proficit, quorum gratia illa sunt instituta. Jam ut accipiamus ibi Judaïsmum pro superstitione Judaïca, verum est eos qui sicut in littera *Judæi*, sic hærent in corporalibus ceremoniis, & externa præferunt internæ pietati, ad Judaïsmum vergere. Hic igitur cum inter Theologos & me nulla sit controversia, valeant *Aërii* cum suo sodalitio. Quæratur alius in quem torqueatur impietatis & hæreseos convitium, in me certe non hæret. Infirmis necessariæ sunt ceremoniæ, perfecti vero non hactenus eas contemnunt, ut nolint observare, sed quod hoc illis tribuunt minus, quo magis profecerint in animi pietate ac mortificandis affectibus.

Propositio II. *In* Elencho.

LIX. *Ibidem.* OPto omnes esse tales, ut corporalibus ceremoniis non egeant admodum, aut non ita multum tribuant.

CENSURA.

Per speculum & in ænigmate Deum vident fideles in hac vita, & ad invisibilia ducuntur per visibilia: nec solum interiorem & invisibilem, sed & exteriorem & visibilem Deo, qui Dominus est corporum sicut & spirituum, tenentur exhibere famulatum seu cultum, qui ceremoniarum nomine solet designari. Ideoque pro hujus vitæ statu egent omnes ceremoniis, sive visibili Dei cultu: quamobrem qui hujusmodi ceremoniis detractant, temerarii Christianæ Religionis violatores censeri debent, quemadmodum & hoc desiderium hujus Scriptoris in hac Propositione: quod ex eadem erroris sentina proficiscitur ex quo Propositio præcedens.

DECLARATIO ERASMI LIX.

LIX. Quod hic docent, nos utriusque hominis cultum debere Deo, qui corporum pariter atque animarum Dominus est, rem piam docent, & vehementer ex animi mei sententia. Sed huic doctrinæ ne tantulum quidem repugnat mea Propositio, quæ nihil aliud optat, quam tantum Christiani populi profectum in his quæ sunt spiritus, ut adminiculis externis non egeat, sed sua sponte præstent ea, ad quorum observationem externa illa velut adminicula sunt adhibita. Exempli causa: Populus jubetur genua aut capita flectere Deo; hac ceremonia monetur, ut animum Deo submittat: eo adminiculo non eget perfectus, qui quocunque statu corporis animum Deo submittit. Itaque non sentio perfectos ita non egere ceremoniis, ut eas non teneantur servare, sed quod non opus habeant adminiculis, quibus egent infirmi. Ita Sacerdos jubetur sacrificare jejunus; qua ceremonia admone-

Digitized by Google

tur, ut animo ab omnibus carnis cupiditatibus defecato accedat ad ſacroſancta myſteria. Porro qui valde perturbatur quod imprudens aliquid guſtarit, nec tamen veretur cum odio & avaritia ad menſam Dominicam accedere, plus ſatis tribuit ceremoniis: & tales noto, cum ajo, *aut non ita multum tribuant. Ita multum*, id eſt, nimium, aut non tantum quantum plerique tribuunt. At qui totus in hoc eſt, ut animo purgato accedat, haud quidem negligit quod corporale eſt, ſed nec illi fidit, nec ſi quid caſu ſecus acciderit ſimiliter perturbatur, minuſque trepidat, ubi minus eſt periculi. Nec vero detrectat Eccleſiæ ceremoniis, qui monet ne his abutamur, ſed ut ab his proficiamus ad perfectiora. Quomodo igitur hæc Propoſitio detrectat ceremoniis, quæ ſalvis ceremoniis hortatur ad perfectiora? Addam illud, quod coactius hæc detorquent ad omnes ceremonias, cum Elenchus agat, non de cultu divino, ſed de præſcriptione ciborum. Id perſpicuum eſt ex locis a *Bedda* notatis, quibus in Elencho reſpondeo. Poſtremo ut non ſtatim periret jejunium, etiamſi Eccleſia nullos certos dies præſtituiſſet: ita non ſtatim periret cultus uriuſque hominis, etiamſi hîc minus ceremoniarum haberent Eccleſiæ quædam aut Monaſteria. Primi illi Chriſtiani non admodum opus habebant præſcriptis inediis, qui ſponte jejunabant quotidie. Non egebant exactis precum penſis, qui noctes ac dies perſeverabant in precationibus. Non egebant conſtitutione de ſolvendis decimis, qui ſponte facultates omnes deponebant ad pedes Apoſtolorum. Qui tales Chriſtianos optat, obſecro quid peccat? Cum hæc ſic habeant, poterat ſacratiſſima Facultas abſque convitiis admonere, ſi quid haberet de ceremoniis.

Propoſitio III. *In* Elencho.

LX *Ibidem.* SI Præſules inſtituerunt aliquid Judaïcæ obſervationis, propter infirmos non damno.

CENSURA.

Hæc Propoſitio, innuens ceremonias & obſervationes ab Eccleſia aut a ſanctis Patribus inſtitutas eſſe Judaïcas, & ſolis infirmis convenire, impia eſt, Eccleſiæ injuria, & ex erroneo Scripturæ ſenſu, ut præcedentes, deprompta. Quod autem hujuſmodi ceremoniæ aut obſervationes Eccleſiæ aut ſanctorum Patrum non ſint Judaïcæ, ſatis prius monſtratum eſt: ſed quod non ſolis infirmis & imperfectis competant, aperte demonſtratur. Adam *ſiquidem perfectus creatus eſt, & tamen certum cibi genus illi a Domino eſt præſcriptum. Perfecti itidem fuerunt Apoſtoli, qui crebro jejuniis vacabant, vigiliis, & orationibus: a certis quoque cibis abſtinebant, ut a ſuffocato & ſanguine. Unde patet quam peſtilens ſit hæc doctrina, aſſerens* perfectos in via non egere hujuſmodi corporalibus ceremoniis: *quæ certe ad errorem ſpectat* Beguardorum, *qui jure in Concilio* Viennenſi *reprobatus eſt.*

DECLARATIO ERASMI LX.

LX Inverſus eſt a neſcio quibus ſermo meus, qui ad hunc habet modum: *Quod ſi Præſules inſtituerunt aliquid Judaïca obſervationis propter infirmos, non damno, ſed opto omnes eſſe tales, ut his nec egeant admodum, nec ita multum tribuant.* Primum de Præſulum inſtitutionibus loquor, non totius Eccleſiæ, & Judaïcum appello, quod in rebus externis præſcriptum habet aliquam cum *Judæorum* præſcriptis affinitatem, nec ajo talia præſcribi a Præſulibus, ſed nego me damnare, etiamſi quid tale præſcriberent. Fictio eſt, non aſſeveratio. Multas autem hujuſmodi conſtitutiones abrogavit Eccleſia, veluti de Euchariſtia protinus danda infantibus baptizatis, de arcendo poſtridie ab ingreſſu templi, qui noctu contigiſſet uxorem. Proinde cum hanc Propoſitionem, quæ de delectu ciborum & ſimilibus loquitur, detorquent ad omnes Eccleſiæ Patrumque conſtitutiones, quodque Judaïcum interpretantur ſuperſtitioſum, præter mentem meam faciunt. Tum ſi cum dicunt non convenire, ſentiunt non obligari, hoc nec ſenſi, nec expreſſi. Imo fateor perfectos magis obligari quam infirmos. Si tunc nulli fuiſſent infirmi, nunquam inedias aut ciborum delectum inſtituiſſet Eccleſia. Quo conſilio Deus præſcripſerit *Adæ* arboris abſtinentiam, ad præſens argumentum non multum facit. Deus eſt, poteſt cui vult, quod vult præſcribere, & quicquid præſcribit, hoc ipſo pium eſt ſervare quia præſcribit. Non eſt idem de hominibus. Apoſtoli crebro vigilabant, jejunabant, & orabant, ſed abſque præſcriptionibus hominum. De ſuffocato & ſanguine jam dictum eſt. Ea conſtitutio data eſt invincibili *Judæorum* importunitati, idque pro tempore duntaxat. Itaque ſi ſermo meus accipiatur ut a me dictus eſt, nec ceremoniis, nec Eccleſiæ, nec Patribus ullam facit injuriam. Si *Chriſtus* ſuis ſubduxit corpus ſuum, quod obſtaret ad ſpiritus robur, quid mirum ſi Judaïcæ præſcriptiones reddidiſſent illos infirmos, non qui talia ſervant, ſed qui illis fidunt, hoc eſt, præcipuas juſtitiæ partes conſtituunt, aut ibi conquieſcunt. Hæc ſententia, ni fallor, procul abeſt a doctrina *Beguardorum.*

Propoſitio IV. Marci II.

MEis Diſcipulis (ait *Chriſtus*) nihil iſtarum rerum ſcribo: his veſcere, his abſtine, nunc quieſce, nunc labora, ſic veſtire, hoc ne contingas, illud ne contrectes: ne ſemper maneant imbecilles, ſi me præceptore ſemel didicerint hujuſmodi rebus corporalibus fidere. LXI. *In Sup.* 644. E.

CENSURA.

De hac Propoſitione quantum ad primam partem dicitur, quod quamvis Chriſtus *iſta univerſaliter non præſcripſerit, horum tamen aliqua præſcribenda per* Petrum, *reliquos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, ad Eccleſiæ ædificationem reliquit, dicens*: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Quantum vero ad ſecundam partem, videlicet*, ne ſemper maneant imbecilles, *quatenus innuit hujuſmodi rebus veluti virtutis adminiculis fidentes reddi imbecilles & minus ſpirituales, falſa eſt & Eccleſiæ injuria, quæ talia a Spiritu Sancto directa, ad hoc conſtituit, ut per illa fideles in ſpiritu proficiant & virtute, convenientiuſque ac facilius divina præcepta adimpleant.*

DECLARATIO ERASMI LXI.

Chriſtum nihil talium rerum præſcripſiſſe, convenit mihi cum Theologis: datam autem Apoſtolis aut horum ſucceſſoribus auctoritatem aliquid ſtatuendi quod ad pietatem conducat, præſertim juxta Scripturarum oracula, & hoc mihi cum illis convenit. Cæterum eos, qui fidunt externarum rerum obſervationibus, & in his conquieſcunt, manere ſemper infirmos, juxta meum ſenſum veriſſimum eſt, nec tamen juxta ſenſum illorum falſum eſt. Si externa adhibentur, quo per ea proficiant homines ad ſpiritum, utique ad erigendam hominum imbecillitatem adhibita ſunt. *Spiritus enim promptus, caro infirma eſt.* Et hac in parte *Paulus* ait infirmari Legem, quod lavacris & victimis non potuit conferre veram juſtitiam. Multo magis infirmitatis erant preces ac jejunia a Phariſæis præcepta. Nam de talibus jejuniis illic agit Dominus. Jam ut per ſe magnum quiddam habeant ejuſmodi conſtitutiones, tamen ad ea collatæ, ad quæ præparabat Dominus ſuos, infirmæ erant, & ſi nihil accederet, infirmos non confirmabat. Phariſæus dicebat: *Jejuna bis in ſabbato, decimam bonorum partem da pauperibus, dilata phylacteria, lava reverſus a foro*: hæc præſtiterat arrogans ille Phariſæus, cui Dominus præfert Publicanum. Sed rudimenta tantum pietatis ſunt, ſi conferas ad illa ſublimia, de benefaciendo ac diligendis inimicis, de orando pro affligentibus ac in cruciatus morteſque vocantibus, de tollenda cruce, de contemnenda pro Evangelio vita, de gaudendo in omni perſecutionum genere. Proinde ſi mihi permittant uſum hujus verbi *fidere* pro inniti, *inhærere* pro nimium tribuere, nihil habet mea Propoſitio quod adverſetur Eccleſiæ conſtitutionibus. Male fidit externis obſervationibus, qui confidit ſe per illas veram pietatem aſſecuturum, niſi per eas contendat ad ſpiritualia. In ſenſu nulla eſt inter nos controverſia, tantum de verbis diſceptatio eſt. Subſcribam autem locum Paraphraſeos, quo magis liqueat eſſe vera quæ diximus. Præceſſerant hæc ſub perſona Chriſti: *Quemadmodum enim plus habet negotii qui docet imbutum hac falſa perſuaſione, quod artem calleat, quam qui prorſus artis ignarum: ita*

Digitized by Google

ita difficillimum est eos ad Evangelicam justitiam instituere, qui ob carnales observatiunculas sibi persuaserunt, quod absolutam justitiam sint consequuti. Hinc nimirum est, quod piscatores, publicanos, peccatores, meretrices, & ethnicos magis dociles comperio Philosophiæ spiritualis, quam Scribas, Pharisæos, ac Sacerdotes, qui in humanis ceremoniis perfectam statuunt pietatem. Joannes *ut medius inter veterem ac novam Legem tentavit miscere doctrinæ geminum genus. Neque enim ausus est hanc vividam Philosophiam infirmis animis committere. Infirmum est autem quicquid humanum, quicquid carnale est. Quod divinum, quod spirituale, quod cœleste, id vividum est ac validum. Proinde meis Discipulis, quos in hoc delegi rudes, ut eos ad hanc masculam ac robustam Philosophiam instituam, nihil istarum rerum*, &c. Ex his perspicuum est, quid appellem *fidere ceremoniis*, videlicet in illis perfectam constituere justitiam. Liquet item me non loqui de constitutionibus Ecclesiæ, sed de privatis Pharisæorum præscriptis. Ac mox: Joannis *ac Pharisæorum institutionem Dominus appellat vinum vetus, veluti vapidum ac minus efficax: suam autem mustum inebrians, ad omnium rerum atque etiam vitæ contemptum amore* Christi. Ita Paraphrasis. Proinde quod Theologi damnant, recte damnant: cæterum id quod damnant, non est in verbis meis, multo minus in animo. Cæterum verba Christi, *qui vos audit, me audit*, in Apostolos pulchre quadrant, cæterum si accommodentur quibuslibet Episcopis aut Theologis, multas habent exceptiones. In Apostolis *Christi* Spiritus sine dubio loquebatur, in Episcopis non semper.

Propositio V. Luc. XIX.

LXII. *In Sup. 613. E.* ALius ostendit aliquem e Pharisæorum genere, nigro pallio, & dicit: *Adspice, hîc est Christus.* Alius rursus indicat alium candido pallio, & dicit: *Ecce hîc est Christus.* Alius diversos indicans colores & formas vestium, clamat: *Hîc est Christus.* Alius demonstrat vescentem piscibus, & dicit: *Hîc est Christus.* Alius spadonem ostendit, & dicit: *Hîc est Christus.* O Judaïcum & incredulum genus! Vis videre *Jesum*? conscende arborem, sume tibi oculos *Zachæi.*

CENSURA.

Quamvis certum sit non esse talem adhibendam fiduciam institutorum Religionis observationi, qualem divinis præceptis: tamen non contemnenda, sed magni facienda sunt hujusmodi instituta Religionum, quæ ad puritatem mentis, ferventiorem Dei amorem, & faciliorem divinorum præceptorum adimpletionem ordinantur, per quorum observationem multas virtutes comparari, & pleraque vitia cohiberi constat. Hac autem Propositione Scriptor hic talibus Religionum institutis, de diversitate habituum, de abstinentia a carnibus & cœlibatu, astute sed impudenter & pie videtur insultare, cum illa semper habuerit in pretio Ecclesia catholica, & damnaverit tam pia ac tam sancta instituta carpentes, aut illis quoquo modo detrahentes.

DECLARATIO ERASMI LXII.

LXII. Primum illud extra controversiam est, illic non agi de variis institutis Monachorum, cum ea dicantur sub persona *Lucæ*, quo tempore nondum essent nati Monachi, quales nunc sunt. Palam est & illud, ibi non damnari solennes observationes, sed eos qui harum fiducia sibi arrogabant perfectam sanctimoniam, cum procul abessent a vera pietate. Laudatur enim illic ardor *Zachæi*, qui corpore humilis conscendit arborem, ut videret ipsum *Jesum*, quem unum videre sitiebat. Hujus alacritate delectatus *Jesus* ultro compellat illum, offerens sese hospitem. Hic est populus gentium, qui nihil tribuens suis meritis, non hæsit in littera Legis, sed erectus ad spiritum oculos intendit in *Jesum.* Unum enim illum videre sitiebat, cum interim populus Judaïcus in rerum externarum observatione collocaret justitiam, adversans harum fiducia spiritui. Locus, quem illi truncatim citant, sic habet: Zachæus *occupat hanc felicitatem, nimirum Gentium typum gerens. Quid est in causa? Quia adhuc humi manet* Judæus *& hærens carni Legis. Non conspicitur autem* Jesus *nisi ab his qui ab humili littera Legis erigunt sese ad sublimiorem sensum spiritus. Ex hoc suggesto licet videre quis sit & ubi sit* Jesus. *Alioqui si turbæ maneas admixtus, hoc est, si nihil eximium sapias, frequenter audies illam fallacem vocem*, Ecce hic est, ecce illic est Christus. *Pharisæi clamant*, Ecce hîc est Christus. *Saducæi clamant*, Ecce hîc est. *Ebionitæ clamant*, Ecce hîc est. *Alius ostendit aliquem e Pharisaico genere*, &c. Et sequitur: *Incedit erectus ac sublimis Pharisæus, sibi placens, sibi justitiæ laudem, sibi Legis cognitionem vindicans, & dum sibi videtur abunde magnus ac vicinus* Christo, *non dignatur arboris uti præsidio*, &c. In hunc modum Paraphrasis. Palam itaque ipse sermonis tenor declarat me illic agere de *Judæis*, qui sibi blandientes ob observatas ceremonias, negligebant gratiam Evangelicam. Et illis temporibus erant discrimina Sectarum, vestium, & institutorum. Quæ tamen ipsa non ibi simpliciter reprehenduntur, sed hoc reprehenditur, quod ibi ostendunt *Christum* ubi non est. Intra nos enim est regnum Dei. At suspicantur forsitan me allusisse ad Monachorum instituta, Quid si inficier? Quid si clamen, præter jus me ex sola suspicione vocari in crimen impietatis. Sed demus ex superfluo, allusum esse ad Monachos: si talia reperiuntur in Monachis, qualia illic prædicantur de Pharisæis, Ebionitis, Saducæis, maneat Evangelii vigor, & in moribus corrigatur error. An fuit ullus *Benedictus*, aut *Dominicus*, aut *Franciscus*, qui ostenso pallio nigro albove, aut cineraceo dixerit, *Ecce hîc est Christus.* Imo illi ipsi minimum tribui volunt suis constitutionibus, præ Evangelio. Persuasum habeo viros illos, a quibus profecta videntur Monachorum genera, longissime abfuisse a tali affectu, ut in vestitu aut cibis collocarent fastigium pietatis. Per spadonem intelligo cœlibem, Cœlibatus autem per se non est pietas, sicuti nec virginitas. Nam fatuæ virgines excluduntur. Frustra corpus illibatum habent, si animus impurus est. Erat autem & hæc hæresis apud *Judæos Essenorum*, ni fallor, quæ non recipiebat conjugatos. Primum igitur suspicionem possem rejicere. Eam ut agnoscam, nihil dictum est in probata Collegia Monachorum, sed in quorumdam superstitionem, qui neglecto studio veræ pietatis, ob vestem, aut carnium abstinentiam putant se meros *Paulos* aut *Antonios.* Si negarint esse Monachos in quos ista competant, cum suspirio respondebo, Utinam sint pauciores! Boni Monachi sunt Ecclesiæ ornamenta, mali carcinomata. Sed bonorum heu nimium magna raritas! Itaque ut falsa suspicio est me hoc sermone deridere instituta Monachorum, ita verum est me subnotare quosdam plane Judaïcis animis, in externis superstitiosissimos, in his quæ sunt spiritus negligentissimos.

Propositio VI. Marci II.

RE&cte negligitur color aut forma vestis, quoties id commodum est homini. LXIII. *Sup.* 645. F.

CENSURA.

Hæc Propositio innuens unicuique licere suum habitum relinquere, quoties id illi commodum fuerit, Ecclesiasticam & Monasticam vitam dissolvit, & sanctorum Patrum ac Pontificum & Conciliorum institutis est injuria.

DECLARATIO ERASMI LXIII.

Quî potest sermo meus hoc innuere quod interpretantur, cum ibi Dominus loquatur de *Judæorum* externis observationibus, quas docet recte violari, cum aut necessitas urget, aut charitas suadet. Paraphrasis sic habet: *Pie violat sabbatum, qui vacuus a tumultu malarum cupiditatum juvandi proximi studio violat sabbatum. Pia res est jejunium, sed fit impia, si quod ad salutem hominis est institutum vertitur in perniciem & corporis & animi. Res est religiosa votum, sed fit irreligiosa, quoties hujus servandi superstitione revocatur aliquis ab his, quæ propius spectant ad veram pietatem. Sancte facit qui donum offert ad altare, sed profanum est donum, quod offertur non reconciliato proximo. Ita recte negligitur color aut forma vestis, quoties id commodum est homini. Neque enim homo vestis causa factus est, sed hominis*

Digitized by Google

nis gratia reperta vestis. Itidem cibus hominis causa paratus, non homo cibi causa conditus est. Proinde quovis cibi genere vesci fas est, quoties id postulat necessitas. Siquidem hæc omnia corporalia, in quibus vos absolutam justitiam constituitis, templum, victimæ, cibus, vestis, dies festi, jejunia, vota, donaria, irreligiose servantur, si ob hæc negligitur salus proximi, &c. Hunc in modum loquitur in Paraphrasi Dominus. Ex his palam est, hæc a *Christo* dici *Judæis* carnalibus, quandoquidem templum nominatur & victimæ. Sed impingitur suspicio, quasi Paraphrastes ad Monachorum habitum alluserit. Certum est *Jesu* doctrinam, quanquam *Judæis* depromptam, ad nos quoque pertinere. Jam largior huc fuisse allusum quo suspicantur, quid mali est? Nonne Monachis fas est ob necessitatem & causam aliquam gravem mutare vestem? Scio *Cartusianos* proficiscentes ad suam Synodum, quo tutiores essent, laïca veste equitare solitos. Quid quod Romanus Pontifex jussit, ut Monachi, qui vario amictu convenerant, ob multitudinis offendiculum simili modo vestirentur. Isti fortassis interpretantur, quoties commodum fuerit, quoties libuerit. At ea, quæ præcedunt ac sequuntur hunc locum, declarant me loqui vel de necessitate, vel de magna quapiam utilitate. Quod si hinc colligunt a me permitti Monachis aut Sacerdotibus, ut pro arbitratu quacunque vestis forma utantur, quin eadem opera colligunt me permittere omnibus, ut suo arbitratu violent jejunia, aut dies festos? Nec enim alia ratione permitto mutationem vestis, quam qua permitto jejunii sabbatique violationem. Ad hunc modum fucum faciunt sacratissimæ Facultati, qui quod sub alia persona dictum est, proponunt tanquam a me dictum, & frustula decerpunt ad calumniam idonea. Simile est quod sequitur.

Tit. XIX. *De oratione vocali. Propositio* I. *In* Elencho, *Annotatione* LXIV.

LXIV. *Christus* in orando damnat multiloquium.

Sup. 611. F.

CENSURA.

Hæc Propositio significans Christum *orationem damnasse prolixam, seu multa verba complectentem, erronea est, & a sana Scripturæ intelligentia aliena. Non enim damnatur omne multiloquium in oratione, sed illud quod ex infidelitate procedit, existimantis Deum non aliter audire aut intelligere orantes, nisi multiloquio utantur: quod explicans* Christus *non dicit solum*, Nolite multum loqui: *sed adjungit*, sicut Ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. *Docent etiam sancti in gloria non damnandum multiloquium in oratione: nam post judicium non cessabunt Deum laudare, non solum mente, sed & lingua.*

DECLARATIO ERASMI LXIV.

LXIV. Scripsi in caput *Lucæ* quintum: Christus *quanquam frequenter oraret, tamen suos docuit, & paucis & clam esse orandum. Id palam est ex* Matthæi *cap. sexto.* Jam in manifesto est, formam precandi, quam Dominus suis præscripsit, esse verbis paucis comprehensam. Verum igitur est, quod *Christus* suos docuit orare paucis. *At non damnat*, inquiunt, *simpliciter multiloquium, sed addit*, sicut Gentes faciunt, quæ, &c. Sic est ut prædicant, nec a me additum est *simpliciter*, nec aliter edissero tractans hunc locum *Matth.* sexto. Paraphrasis sic habet: *Procul igitur absit a vobis exemplum Ethnicorum, qui prolixas ac verbosas precationes veluti verbis conceptis recensent, perinde quasi nihil sint impetraturi, nisi verbosissima loquacitate Deum fatigarent, identidem inculcantes eadem, ac verbosa recensione præscribentes quid velint, & quando, quomodoque sibi præstari velint quod petunt, cum sæpe precentur noxia. Optima petenda sunt a Deo, non omnia, & crebro potius orandum quam diu, & intente magis quam prolixe, postremo animo magis quam ore.* Hîc arbitror me bona fide reddidisse sensum illius loci, qui tamen non proprie pertinet ad preces Ecclesiæ solennes, sed magis ad arbitrarias ac privatas Pharisæorum. Cæterum alibi Dominus docet incessanter orandum; & *Paulus* jubet sine intermissione orare. Hæc, inquiunt, quoniam inter se pugnare videntur, oportuit redigere in concordiam. Id in Paraphrasi commode non licuit. Verum totum hoc dilucide expedivi in Annotationibus & Libello, *De modo orandi Deum.* Quanquam illud sine intermissione orare, sive de vocali precatione, sive de tacita accipias, non sine tropo dictum est. Sine intermissione orat, & qui perseverat in eodem affectu. De prolixis autem Christianorum precibus non arbitror congruenter dici *multiloquium*, quod in vitium sonat. Quid igitur significat mea Propositio trunca? Simpliciter damnatam a *Christo* prolixam precationem? Nequaquam. Sed cum *Bedda* disputans tueor aliquo sensu esse verum quod dixeram, de verbis Evangelii sentiens, de sensu verborum non agens. Ille mendacium objecit, ego tueor me scripto. Verum est igitur in aliquo sensu damnatas precationes in publico fieri solitas ad ostentationem & multiloquas. Verba Elenchi sic habent: *Qui jubet intrare cubiculum, nonne jubet clam orare? Qui damnat in orando multiloquium, & præscribit brevem formulam, nonne jubet orare paucis? Et tamen non improbari mihi his verbis piorum hominum apertas, prolixas, & assiduas preces, multis locis doceo.* Hactenus Elenchus, haudquaquam significans a *Christo* damnari prolixas Christianorum preces. Aliud est prolixum esse, aliud multiloquum, more Gentium: nec statim orat, qui lingua sonat verba precantia. Mentis opus est precatio potius quam corporis. Quis autem non perspiciat hîc Elenchi verba parum sincero animo a nescio quibus detruncata ad calumniam? Sic *Christus* damnat multiloquium in precibus, quemadmodum damnat precationes in publico. Neutrum damnat simpliciter, modo ne nos offendat hujus vocis abusus, *multiloquium.* Sed quemadmodum eos damnat, qui Gentium more multiloqui sunt in orando, ita damnat eos, qui in publico orant, more Pharisæorum, ad ostentationem. Dicent, istuc oportuit exprimere. Id quidem suis locis a me factum & diligenter & dilucide. De multiloquio jam recitavi. De clam precando ita loquitur Paraphrasis: *Tunc abditus es in cubiculo tuo, cum ea sinceritate mentis Deum alloqueris, quasi nullus hominum te videret. Qui in cœtu multorum orat, nihilo segnius, imo fortasse vehementius oraturus si solus esset, orat in abdito cubiculo.* Ita Paraphrasis, excludens errorem, si quis fortasse crederet non esse Deo gratas preces in cœtu Ecclesiastico. Idem facio compluribus aliis locis. In Elencho tantum rejicio intentatam blasphemiam, quanquam ne illic quidem dissimulo quid sentiam. Ita si hæc verba male sonant, Christus *in orando damnat multiloquium*, imputetur iis qui frustula male decerpta objiciunt Lectori. Quanquam & in Christianorum precibus esse potest aliquid nimium. Dominus autem suis Discipulis adhuc infirmis præscripsit brevem precationem, quemadmodum non oneravit eos jejuniis; at iidem hausto cœlesti Spiritu suapte sponte perseverabant in precationibus & jejuniis. Paraphrasim non loqui de nostris precibus, sed de Discipulis adhuc infirmis, ipsa mea verba declarant, quæ in hunc habent modum: *Sed calumnia calumniam excipit; ea nata est partim ex his qui fuerant Discipuli* Joannis. Joannes *enim cum esset confinium Legis mox cessaturæ & Evangelicæ libertatis mox emersuræ, quædam tradebat, quæ non prorsus abhorrebant ab institutis Pharisæorum; cum* Christus, *qui multorum opinione videbatur* Joanne *inferior, indulgentius ac mollius haberet suos, in his duntaxat, quæ ad corporales observationes pertinent, quod genus sunt jejunia ac preces. Nam his præcipue rebus Pharisæi sibi sanctimoniæ famam conciliabant apud populum.* Christus *autem quanquam ipse frequenter oraret, tamen suos docuit, & clam & paucis esse orandum, nec ullum exegit jejunium, ad quædam etiam connivens, quibus Legis præscripta negligi videbantur, cum eos alia ratione fingeret ad fortiora, quæ propria sunt Evangelicæ fortitudinis. Siquidem longe fortius est injuriam condonare ex animo, bene mereri etiam de male meritis, pro salute proximi vitæ jacturam facere, quam inediam proferre usque ad vesperam, aut Psalmos aliquot lingua sonare. Pharisæi quod erat visibile, quodque per hypocrisim geri*

ri poterat, plurimi faciebant, negligentes eâ, quæ vere perfectæque sunt virtutis &c. Ex his palam est, nec Evangelium, nec Paraphrasim illîc loqui de precibus Christianorum, & de precibus, quas præscribebant Pharisæi & *Joannes* Discipulis suis, multo prolixioribus, quam suis dictarat Dominus. Nec tamen probabile est *Christi* Discipulos nunquam orasse, sed ut minus frequenter, ita minus prolixe. Sic enim habet *Lucas: Quare Discipuli Joannis jejunant frequenter & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum, tui autem edunt & bibunt?* Non objiciunt, quod non precarentur. Sed quoniam precationi tum erat conjunctum jejunium, intelliguntur utrumque raro feciſſe, cum dicitur *edunt & bibunt*. Rursum ne quis putaret Apostolorum exemplum ad quodvis tempus pertinere, Paraphrasis declarat hanc Servatoris indulgentiam apud id modo tempus pertinere, quo delicati adhuc & lactentes versabantur apud sponsum. Subjicit enim Paraphrasis sub persona Christi: *Non damno preces ac jejunia, sed in his interim indulgeo meis Discipulis, ut alia ratione paulatim ad fortiora proveham.* Ac mox: *Hæc, qua vos veluti sanctitatis fastigium admiramini, sua sponte facient mei, si quando res ita postulabit.* Ac paulo post: *Teneri adhuc sunt, ac toti pendent a sponso, veniet autem tempus* &c. Quoniam enim humanæ mentis infirmitas non potest diu eidem rei esse intenta, idcirco & ab *Augustino* laudantur breves illæ precatiunculæ, sed crebræ velut impetu mentis ejaculatæ. Videmus & in solennibus Ecclesiæ precationibus, quas *Collectas* appellant, a priscis Ecclesiæ Præsulibus miram esse servatam brevitatem. Itaque laudata in orando breviloquentia talis non damnat prolixas Christianorum preces, quas vel affectus pius suggerit, vel necessitas requirit, vel auctoritas Ecclesiæ præscripsit. Multiloquium autem, quia est supervacanea loquacitas, non in precibus tantum, sed in omni sermone vitanda est. Denique *Psalliani* sive *Euchitæ* auxerunt Hæreticorum catalogum, qui in otio degentes incredibilem Psalmorum vim mira linguæ volubilitate absolvebant. Quanquam his turpius errabant, qui dicebant nihil omnino precandum, quod Deus norit, quid cuique sit opus. Proinde quod Censura dicit, *Christum* multiloquium non ob aliud damnasse, nisi quod Gentes putarent non aliter exaudiendos, vere dicit, tametsi idem aperte damnat prolixas Pharisæorum preces, quod ad ostentationem eas producerent, aut ad quæstum. *Psalliani* vero damnantur, quod Domini sermonem ad litteram interpretabantur: *oportet semper orare, nec unquam desistere.* Sunt igitur causæ plures una, cur in precibus damnandum sit multiloquium. Fortassis & hi displicent Domino, qui hoc ipsum putant eximiam quamdam esse pietatem, ore quam plurimum Psalmorum recitare, cum nec adsit intellectus, nec pius affectus. Adjiciam illud. Si Theologis *multiloquium* sonat in vitium, quemadmodum perpetuo usurpatur, & in profanis & in sacris Litteris, cur offenduntur quod Elenchus dicit in precibus damnari multiloquium. Sin sibi permittunt hujus vocis abusum, cur in superioribus Censuris mihi vitio vertunt, quod Legem dixerim *verbosam*, cum apud Latinos Auctores *verbosus* reperiatur in bonam partem?

PROPOSITIO SECUNDA IN ANNOTATIONIBUS. Matth. VI.

LXV. CAntiuncularum, clamorum, murmurum, ac bomborum ubique plus satis est, si quid ista delectant Superos.

CENSURA.

Volens Ecclesia militans utcunque se conformare Ecclesiæ triumphanti, in qua sancti non cessant clamare jugiter, Sanctus, sanctus, sanctus, *dantes gloriam, laudem, & honorem viventi in secula seculorum, solennes templorum cantus instituit, quibus divina laudes assiduo depromuntur, & populorum devotio excitatur, ut pro suo modulo mores supernæ* Hierusalem, *ad quam continuo aspirat, in terris posita imitetur. Hoc ut faceret, suasit multitudo illa militiæ cœlestis, quæ* Christo *nato Deum laudans, voce sublimi cantavit*, Gloria in excelsis Deo. *Suasit &* Christo *probatus puerorum clamor in laudem* Christi *erumpentium & dicentium:* Osanna Filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini. *Suasit & ipse* Christus, *qui priusquam in montem Oliveti egrederetur, passurus tanquam gratissimum Deo approbaturus ministerium hymnum dixit*: hymnus *autem, ut probati testantur Auctores, non aliud est quam laus Dei cum cantico. Non enim laus sufficit ut hymnus vocetur, nisi laus Dei sit, & decantetur. Cantavit itaque vocaliter* Christus *hymnum, tradens formam Ecclesiæ decantandi divinas laudes: nec solus cantavit, sed cum Apostolis, quos terrarum orbis in suum locum vicarios constituebat, ut id faciendum esse Ecclesia doceret. Suasit &* Paulus *&* Sylas, *qui in carcere positi tam alta voce Deum laudabant, ut audirent qui in custodia erant. Unde & terræ motu facto, motisve carceris fundamentis, aperta sunt ostia, & soluta captivorum vincula; id quod magnopere placere Deo hymnos ac divinas laudes ostendit, præsertim ubi altis vocibus cantantur, cum tanta efficacia fuerint deprompti hujusmodi hymni ac laudes divinæ a* Paulo *&* Syla. *Suasit demum mos antiquissimus ab exordio Ecclesiæ ab Apostolis inductus, quo hymni a Christianis simul congregatis solebant decantari, interdum etiam ante lucem. Nec ab re sane usum accepit Ecclesia catholica decantandi hymnos seu divinas laudes, cum hujusmodi hymni ac Dei & sanctorum laudes decantata mentes ad superna erigant, inflamment ad divinam dilectionem, moveant ad compunctionem, excitent ad contemptum terrenorum, & ad comparandas virtutes provocent. Hæc utique attendens Ecclesia in spiritu Dei instructa, Musicam in sacras ædes invexit, vocum harmoniam atque suavitatem ad pelliciendos animos in sanctimoniam & pietatem non rejecit, solennes templorum cantus minime adspernata est, si tamen cantus illi pii sint ac Christiani, non vani, lascivi, aut impudici: neque tanta vocum fractione redundent, quin voces divinarum laudum, quæ cantantur, facile ab audientibus (prout jure cavetur) percipiantur. Nec pertimescit in his Ecclesia Pharisaicum scandalum*, Arianorum, Witcleviſtarum, Lutheranorum, *aut quorumcunque Hæreticorum, qui laudes* Christi *& sanctorum suum arbitrantur opprobrium, sua verbera, suos cruciatus: sed novit tale Hæreticorum scandalum parvipendendum: cæci enim sunt, & duces cæcorum. Quamobrem hæc Propositio innuens solennes templorum cantus, & genus illud Musicæ operosæ, & multa vocum varietate aures animosque demulcentes non esse Deo & sanctis accepta, falso, temerarie, & impie asseritur, & damnato præfatorum Hæreticorum errori suffragatur.*

DECLARATIO ERASMI LXV.

Quæ concionabundi disserunt de hymnis, quibus & animo & voce laudatur Deus ad imaginem Ecclesiæ triumphantis, mihi quidem valde probantur. Quanquam veteres illi Præsules adhuc Evangelium recens spirantes ægre receperunt in Ecclesiam cantum etiam simplicem, quo & hodie canuntur Psalmi, Evangelium, & Precatio Dominica. Et *Augustinus* quamvis non improbet canendi morem ab *Ambrosio* institutum, tamen vult cantum recitationi esse similimum, fateturque se graviter peccare, si magis capiatur dulcedine vocum, quam sensu verborum. Et beatus *Gregorius* in Decretis minitatur Presbyteris anathema, quod canerent in Ecclesia, cum id esset Laïcorum. Cæterum quod colligunt, mea Propositione damnari cantiones Ecclesiasticas, longe falluntur. Tantum illic noto, in quibusdam Collegiis præscribi preces & cantus nimium prolixos, tum in his audiri multa indigna cultu divino, cum in Concilio *Carthaginensi* statuatur, ne quid recitetur in templis præter canonicam Scripturam. Hinc descendo ad mentionem *Euchitarum*, qui Monachos vetabant operari manibus, ne cogerentur preces suas interrumpere. Palam est hos orandi virtutem non in affectu mentis, sed in turba verborum collocasse. Post hæc subjicio: *Utinam quicunque*

LXV.

Digitized by Google

Christi *Philosophiam profitentur, sic abhorreant ab hac superstitione, ut precum puram & illibatam victimam* Christoque *gratam offerant. Nam cantiunculorum, clamorum, murmurum, ac bomborum ubique plus satis est, si quid ista Superos delectant* &c. Hæc ibi. Tacite noto quosdam, qui simili animo precantur, quo *Euchita*, & opto ut omnes Christiani hanc victimam *Christo* offerant puram & illibatam, hoc est, ut orent sincera mente, & si res vocem postulet, simul cum voce oret animus. Nam ita demum hæc hostia vere grata fuerit *Christo*. Porro ubi nihil est præter vocum strepitus, periculum est ne audiant illud ex Evangelio, *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quanquam ibi non tam loquor de cantu quovis Ecclesiastico, quam de cantu indecoro, & de cantiunculis, quas mulierculorum aut simplicium hominum affectus adjecit solenni cultui. Clamorum vocabulo notantur, qui nunc in plerisque templis, atque etiam Monasteriis, rauco boatu detonantes, & templum implent, & sic voces obscurant omnium, ut nulla possit intelligi. Murmur appello preces præcipitanter ac sine mente dictas, hoc enim est murmurare verius quam orare. Bombos appello sonitum pene bellicum, organorum, tubarum, cornuum, lituorum, atque etiam bombardarum, quando hæ quoque receptæ sunt ad cultum divinum. Colligo tamen preces solennes ob hominum infirmitatem moderatas esse debere, deinde puras, ut magis psallamus affectu quam vocibus. Indecorum Musices genus in templis damnant & ipsi: fatentur iidem, opinor, in precibus quoque & cantionibus modum adhibendum, vel propter occupationes hominum, vel propter fastidium humani ingenii. Ab his vero, qui damnant decentem Ecclesiæ cantum, plurimum dissidet mea sententia. De Musica operosa nunc non disputo, tametsi *Albertus Pius* eam ingenue damnat, me refragante, si modeste & modice adhibeatur. Itaque quod ex eo loco truncatim recitato colligit Censura me sentire decentem Ecclesiæ cantum esse Deo ingratum, evidens convicium est, non judicium.

Propositio III. In Annotationibus 1 Corinthiorum XIV.

LXVI. QUid aliud auditur in Monasteriis, in Collegiis, in Templis, quam vocum strepitus?

Quarta Propositio.

LXVII. Vulgus non aliud audit, quam voces non significantes.

Quinta Propositio.

LXVIII. Obsecro quid sentiunt de *Christo*, qui illum credunt hujusmodi vocum strepitu delectari.

Censura.

Hæ tres Propositiones, quatenus prætendunt nullam commeditatem cantantibus Clericis divinas laudes provenire, nec similiter audientibus populis, nisi quid per voces significetur intelligant, nec Deum hujusmodi cantu delectari, impiæ sunt, & a catholica veritate aliena. Nam si ceremonias veteris Legis Scribæ & Pharisæi, nec non & simplices utiliter observabant, eo quod ad pietatem seu divinum cultum eas ordinabant, quamvis quid illa significarent non perciperent: pari utique ratione magno cum fructu succedunt decantatæ divinæ laudes & canticæ Ecclesiasticis, qui ea concinunt, & plebibus assistentibus, licet ea minime intelligant, cum sit communis intentio omnium hæc depromere, hæc audire, his assistere ad Dei gloriam, laudem, & honorem, ad gratias super acceptis muneribus persolvendas, ad obtinenda a Deo quæ vitæ præsenti conducant & futura: quæ nimirum intentio magnopere Deo grata est. Nam si cor hominis Deus maxime requirit, quid magis gratum illi esse poterit, quam quod homo pio affectu ipsum laudare, revereri, amare, appreciari elaboret, ac libenter laudibus ejus assistat? Nulla profecto verborum intelligentia cum hac pia intentione potest conferri, quam habere solent etiam simplices, rudes, & inerruditi.

Propositio VI. In Annotationibus 1 Corinthiorum XIV.

CUr dubitat Ecclesia tantum auctorem sequi, aut cur audet ab eo dissentire? De *Paulo* loquitur. LXIX.

Censura.

De hac Propositione, idem prætendente quod tres præcedentes, idem dicendum est quod de illis, nisi quod ultra illas addit Ecclesiam a Paulo *dissentire, dum in templis cantus celebrat publice, quorum verba a populis non intelliguntur, quod falsum est. Scribens enim* Paulus, In ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, quam decem millia verborum in lingua, *de concionibus seu sermonibus, qui habentur ad populum, tractat: in quibus inutilis est copia verborum non intellectorum; non de cantibus Ecclesiasticis, quorum alia est ratio, ut in præcedenti Censura monstratum est. Proinde prudenter censuit Ecclesia divina officia lingua Latina celebranda. Non enim opus est ut populi verba intelligant, quæ decantant, cum illis ad spiritualem profectum abunde sufficiat pia illa supra dicta intentio serviendi Deo, laudandi Deum, reverendi eum ac diligendi. Nec perpensa impudenti multorum temeritate atque arrogantia expedit hujusmodi divina officia de verbo ad verbum in linguam vernaculam transferri, & sic translata in sacris ædibus decantari. Nam ea res non in populorum cederet ædificationem, sed perniciem, ut crebro docuit experientia. Populi enim in Ecclesia veluti parvuli sunt, qui lacte egent, non solido cibo. At vero quemadmodum ubi aluntur infantes pane & aliis cibis grossioribus, letalis sensim morbus in illos irrepit, quoniam solidiores escas ferre nequeant aut digerere: ita consimiliter, si verba nuda Scripturarum sanctarum lingua vulgari populis proponantur, ac in templis decantentur, quæ veluti fortioris cibi & ad digerendum difficillimi locum tenent, degravantur, deprimuntur, & sæpe in hæreses prolabuntur, scandala, & schismata, ut hodie in plerisque locis evenisse constat.*

Declaratio Quatuor Priorum Propositionum.

Ex hujusmodi fragmentis, si a malevolis ad calumniam decerpantur, quis posset recte pronunciare? Qui totam Annotationem legerit, perspiciet me longe aliud agere quam isti suspicari videntur. In eadem Annotatione hæc insunt verba: *Habeant sane templa solennes cantus, sed moderatos*, &c. Hæc, opinor, non est vox improbantis cantiones Ecclesiasticas. Illic autem deploro, quod cum *Paulus* malit quinque verba loqui in sensu, quam decem millia in spiritu, nos contra plurimum adhibemus cantionum, doctrinæ spiritualis quam minimum, præsertim in Monasteriis, in quibus non operantur manibus, sed plurimas horas externis precibus & cantionibus onerantur etiam fœminæ, cum sacram concionem rarissime audiant. Addo & illud: plerosque in his summam constituere pietatem, nec ex his proficere ad charismata meliora. Verba mea sic habent: *Ferendum & hoc, nisi vulgus Sacerdotum ac Monachorum in hujusmodi rebus summam constitueret pietatem, multum dissentiens a* Paulo, &c. Eos ajo dissentire a *Paulo*, qui in his ponunt summam pietatem, quibus *Paulus* minimum tribuit. Hactenus arbitror illos mecum sentire. Quod autem deplorabam raram esse in templis concionem, exaggero hoc argumento, quod hodie populus non intelligit, quæ canuntur aut recitantur in templis Latine. Nam olim cum plebs intelligeret Latine & Græce, ipsa recitatio Sacrorum Voluminum & horum Interpretum quodammodo loco concionis erat. Nunc vero tale genus Musices apud multos receptum est, ut, etiamsi qui in populo sciant Latine, tamen ob garritum vocum verba non queant percipi. Hæc dico, significans tanto frequentius adhibendas concliones. Mea verba sic habent: *Nunc vulgus quid aliud audit, quam voces nihil significantes? & talis est fere pronunciatio, ut nec voces exaudiantur, sonitus tantum aures* LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX.

Digitized by Google

aures ferint, &c. Hæc non aliò ſpectant, quam ut conciones frequentius habeantur apud populum, præſertim apud Monachos & Monachas. Supereſt tertia Propoſitio: *Obſecro, quid ſentiunt*, &c. Sed hæc verba præcedebant illa: *Eſt quiſpiam* Craſſo *avarior*, Zoïlo *maledicentior*, *vir tamen pius habetur, quod clara voce ſonat eas preculas, etiamſi nihil intelligat.* Et ſequitur continenter: *Obſecro quid ſentiunt de* Chriſto, *qui credunt eum hujuſmodi vocum ſtrepitu delectari*, &c. Non obſcurum eſt quin hîc agam de his, qui neglecta animi pietate magnam ſanctimoniam putant, illa non intellecta in templis lingua ſonare. Talium enim vocibus *Chriſtus* non ſolum non delectatur, verum etiam offenditur. Non enim ſimpliciter dixi, *vocum ſtrepitu*, ſed *hujuſmodi vocum ſtrepitu*, nimirum reſpiciens ad ea quæ præcedunt. Eorum vero pium affectum, qui ad ſolennes ritus religioſe conveniunt in honorem Dei, quod generali ſenſu perſuaſum habeant, eſſe ſancta, quæ illic recitantur vel geruntur, abſit ut quiſquam Chriſtianus improbet, aut hunc affectum poſthabeat impiorum intelligentiæ, ſed tamen nihil peccat, qui ab his hortatur ad perfectiora, non ut illa rejiciantur, ſed ut religioſius peragantur. Neque vero neceſſe eſt, ut exempla, quæ a triumphante Eccleſia ducuntur ad militantem, quadrent per omnia. Illic nec prophetia erit opus, ubi ſublatum erit ænigma: nec hortatore, ubi nemo dormitat: nec conſolatore, ubi nemo dolet: nec charitatis obſequiis, ubi nullus eget. Illic otium eſt jugibus hymnis. In hac Eccleſia res multo ſecus habent. Hactenus inter nos, ni fallor, ſententiarum eſt concordia. Sed durius eſt quod in eadem dicitur: *Cur dubitat Eccleſia tantum auctorem ſequi, aut cur audet ab eo diſſentire?* Eccleſiam appello uſum externum Eccleſiæ, quo fit ut nunc tam frequens ſit in Eccleſia pſallere ſpiritu, cum prophetia, quam ille præfert, ſit admodum rara: præceſſerat enim: *Hac in re mirum quam mutata ſit Eccleſia conſuetudo.* Paulus *mavult quinque verba loqui in ſenſu, quam decem millia in ſpiritu. At nunc in nonnullis regionibus totos dies pſallitur ſpiritu, nec modus nec finis cantionum, cum vix intra tres menſes audiatur concio ſalubris adhortans ad veram pietatem. Id enim* Paulus *vocat in ſenſu loqui. Ut omittam hujuſmodi Muſices genus inductum eſſe in cultum divinum, ut ne liceat quidem ullam vocem liquido percipere, nec illis qui cantillant otium ſit attendendi quid canant. Tantum vocum tinnitus aures ferit. Ferendum & hoc, niſi vulgus Sacerdotum ac Monachorum in hujuſmodi rebus ſummam conſtitueret pietatem, multum diſſentiens a* Paulo. *Cur dubitat Eccleſia tantum auctorem ſequi, imo cur audet ab eo diſſentire*, &c. Ex his dilucidum eſt, me non damnare cantus Eccleſiaſticos, ſed admirari hoc tanti fieri, quod Apoſtolus fecit minimi, & illud adeo rarum eſſe, quod ille fecit plurimi. Ad hanc admirationem Theologi reſpondent, *Paulum* illic non agere de recitationibus aut Pſalmis Eccleſiaſticis, ſed de concionibus ad populum, in quibus ſit inutilis verborum copia non intellecta. Id ſi recipitur, nihil intererit inter prophetam & loquentem ſpiritu, niſi quod hic poſterior loquitur lingua ignota. At *Paulus* hæc toto genere diſtinguit. Quis autem ſic ineptiat, ut apud *Germanos* concionetur Gallice? Cæterum ut hoc quod aſſumunt ſit in confeſſo, publica recitatio Sacrorum Voluminum & horum Interpretum apud multitudinem concio quædam eſt, & quod ad hanc rem pertinet eamdem habet rationem cum concione. Siquidem & illa recitantur populo, & in quibuſdam regionibus denunciatur populo, ut adſit matutinis & cæteris horis, Miſſæ, veſpertinis hymnis, ſub pœna gehennæ. Ac divus *Thomas* ſcribit lectiones matutinas, Epiſtolam, & Evangelium adhuc in Eccleſia eſſe pro linguis, quæ recitantur ac poſt exponuntur. Ergo qui recitat Evangelium, loquitur ſpiritu: qui populo enarrat, prophetam agit. An audire voces non intellectas ſit lac parvulorum in *Chriſto*, viderint alii. Ego magis arbitror eamdem Scripturam intellectam eſſe lac parvulis, ac ſolidam eſcam firmioribus: turpe ſit tamen eos ſemper manere infantes, & ſemper pendere de mamma matris. Et ſi præſentaneum venenum eſt, populum ea juxta grammaticum ſenſum intelligere, quæ decantantur in templis, in ſummo periculo fuerunt Græci pariter & Latini, quandoquidem uſque ad tempora ſancti *Gregorii*, & ultra, omnia recitabantur Lingua cum populo communi. Et adhuc *Indi* Lingua vernacula peragunt ſuas preces ac ſacra. Verum hoc nihil ad me. Mihi ſatis eſt, quod Propoſitiones meæ nihil tale prædicant, qualia quidam interpretantur. Utinam ſic caneretur in omnibus templis quemadmodum *Chriſtus* cecinit hymnum cum Diſcipulis ſuis, & quemadmodum *Paulus* & *Sylas* in carcere orantes laudabant Dominum. Non enim ſonabant voces non intellectas, neque boatu indecoro, neque avium garritu perſtrepebant. Quomodo canatur in cœlis, aut quomodo *Chriſto* nato cecinerint Angeli, neſcio. Horum certe cantio breviſſima refertur apud *Lucam*. Dubitandum tamen non eſt, quin ſumma cum alacritate ſit cœleſtis illa harmonia, cum hodie in Templis atque adeo Monaſteriis quibuſdam tanto cum tædio ſacra canantur, ut tædium ingenerent auditoribus. Et varius ille cantus irrepſit etiam in Monaſteria: putant enim, opinor, divam Virginem indigne laturam niſi ſuam habeat quotidie Miſſam, idque ante Filium, nec alio cantu delectari quam illo variis ex vocibus modulato, quem Antiquitas videtur prorſus ignoraſſe, ſubinde intercinentibus organis. Interim in mediis ſacris auditur indecorus ac diſſolutus ſtrepitus *Dionyſiacorum*, & ſalariis non neceſſariis gravatur Eccleſia, & perditur adoleſcentulorum optima ætas, inter *Dionyſiacos* educata, cum ad adultam ætatem pervenerint, ad nihil utilium quam ad canendum ac bibendum. De his aliiſque conſimilibus admonere, non eſt *Wicleviticum*, ſed pium & officioſum.

Tit. XX. *De cœlibatu Sacerdotum. Propoſitio prima.* 1 Timoth. III.

QUoniam in Epiſcopo pudicitia magnam habet commendationem, ſi non contingat qui voluptatem hanc in totum contemnat, illud erit ſpectandum ut fuerit aut ſit unius uxoris maritus. LXX.

CENSURA.

Cum in Eccleſia Occidentali voluntarie ad continenter vivendum Sacerdotes, accipientes ſacros ordines, ſe ſolenniter adſtringant: conſilium hoc ordinationi Eccleſiæ Latinæ de cœlibatu Sacerdotum derogans, ac ſi melius eſſet eam ſanctionem non fuiſſe conſtitutam, impium eſt, ſplendori pudicitiæ Eccleſiaſticæ adverſum, & de damnata Witclevi & Lutheri *doctrina deſumitur. Poteſt namque quilibet, qui ad continentiam ſua ſponte ſe devinxit, cum Dei adjutorio ſe continere.*

Propoſitio ſecunda. In Elencho, *Annotatione* CXCVII.

HOdie ducunt apud Græcos Epiſcopi uxores, etiam poſt ſuſceptum ordinem. LXXI.

CENSURA.

Hæc Propoſitio temere aſſeritur.

DECLARATIONES ERASMI LXX. & LXXI.

Non æquum eſt, ut quod a me ſub perſona *Pauli* dictum ad illa tempora pertinet, ad meam perſonam & ad hæc tempora detorqueatur, præſertim cum ad id dilucide reſponderim. Tunc unius uxoris vir, etiam viva uxore, recipiebatur ad ſacerdotium, hoc eſt, ad Epiſcopi munus. Quid autem illic agit *Paulus*? Primum vult eum deligi, qui perfectæ continentiæ de ſe dederit ſpecimen: is ſi minus contingat ut ad proximum eatur, videlicet, qui defuncta uxore prima non iteraverit matrimonium. Tertium eſt, ut eligatur qui ducta una non cogitet de iterando conjugio, ſi illa deceſſerit. Hic ſermo nihil pertinet ad illos, qui nunc contra vota contraque publicam ac veterem Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem ducunt uxores. Proinde quod conſilium damnent neſcio, quaſi ſatius fuiſſet, inquiunt, ſanctionem de cœlibatu Sacerdotum non fuiſſe conſtitutam. Certe meus ſermo tale nihil habet, tantum explano quod *Paulus* præcipit *Timotheo*. Unde ſuſpicor Amanuenſium errore factum, ut hæc Cenſura ei Propoſitioni fuerit addita. Nec mea LXXI.

Digitized by Google

nunc refert, quam volentes Occidentales Ecclesiæ receperint continentiæ votum: ætate *Hieronymi* apud *Gallos* adsciscebantur ad sacerdotium qui habebant uxores, & *Germani* causantur eam legem nunquam generali consensu receptam, sed semper a multis fuisse reclamatum. Utinam saltem illud servaretur quod olim recte fuit institutum, ne quis ad ordinem Presbyterorum reciperetur minor annis triginta, nec ad majores ordines proveherentur, nisi prius in minoribus bonæ frugis spem dederint. Nunc ante annos viginti quinque, eodem die e Laïco fit Clericus, Hypodiaconus, Diaconus, Presbyter. Quod in Elencho adjeci, & hodie apud *Græcos* Sacerdotes post susceptum ordinem ducere uxorem, sed unicam ac virginem, a *Græcis* didici *Venetiæ*, cum illic agerem. Quanquam Elenchus hoc non probat, sed narrat id quod fit.

Tit. XXI. *De peccato originali. Propositio* Erasmi. Rom. V.

LXXII. MAlum a principe generis humani ortum in universam posteritatem dimanavit, dum nemo non imitatur primi parentis exemplum.

CENSURA.

Explicat hîc Paraphrastes locum illum Apostoli, in Adam omnes peccaverunt, *sive*, in quem omnes peccaverunt. *Qui sane locus intelligi non potest de peccato actuali, cum non omnes peccato actuali deliquerint. Parvuli enim nondum usum rationis habentes, actuali peccato nunquam fuerunt obnoxii. Quare prasignatum locum perperam & distorte de actuali peccato Paraphrastes explicat. Atque ea expositio* Pelagiano *favet errori.*

DECLARATIO ERASMI LXXII.

LXXII. Constat ejus loci disputationem incipere a peccato actuali, & in idem desinere. Tantum illud, *in quo omnes peccaverunt*, censent proprie ad peccatum originis pertinere. Atqui ipsum locum *Origenes* sive *Hieronymus* de peccato personali interpretatur, quemadmodum & *Ambrosius*, licet hic in commentario videatur & originis peccatum attingere. Similiter Scholiastes, *Hieronymi* titulo receptus, totum hunc locum evidenter exponit de peccato personali, nihil offensus universalitatis voce *omnes*, quæ pro *plerisque* posita est: generalis enim sermo non excludit privilegium paucorum. Consentit & *Chrysostomus*, nec dubito quin alii plures, præsertim veteres. Docuimus & illud ἐφ' ᾧ, sive ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, Græce magis sonare, *eo quod omnes peccaverunt*, quam *in quo omnes peccaverunt*. Non enim est ἐν ᾧ. Nec probabile videtur hîc Apostolum agere de infantibus, cum nullum usquam verbum sit, nec hîc nec in aliis Apostolorum aut Evangelistarum scriptis, quod expresse ad infantes pertineat, & illis temporibus adulti tantum baptizabantur. Quod quidem tametsi certis argumentis doceri non potest, tamen veri simillimum est, & indubitato proximum. Jam si accipias mortem gehennæ, quæ non infligitur nisi ob crimen capitale, certum est illud *Adæ* crimen, quo meruit æternos cruciatus, non dimanasse ad omnes homines, sed tantum pœnæ partem & damnum gratiæ sive justitiæ originalis. Crimen autem est mors animæ prima, gehenna secunda, hoc est, æterni ignis cruciatus. Ut igitur hæc mors non dimanat ad infantes, ita nec altera mors, si decesserint absque baptismo. Cum igitur in medio videretur coactius inducta mentio de peccato infantium, si tamen hoc peccatum est appellandum, cum Veteres totum locum de peccato personali interpretentur, cumque ad hunc sensum magis faciant Apostoli verba Græca, sequutus sum id quod videbatur mollius minusque coactum, sed interim ita sermonem temperans, ut non excludam peccatum originis, sed asseram potius. At *Augustinus* vehementer urget, hunc locum non aliter accipiendum, quam de peccato originis, præsertim pugnans cum *Pelagio* & *Juliano*. Verum non arbitror nos ubique doctorum quamlibet probatorum interpretatione obligari tanquam articulis fidei, præsertim si nobis cum Ecclesiæ dogmate conveniat. Peccatum originis & nos ingenue fatemur. Tantum an hic locus sine illo possit exponi, controversia est. Vetustissimi putarunt posse & ita exposuerunt. Nec statim triumphat *Pelagius*, si hîc *Paulus* loquitur de adultis. Rursum non hoc a nobis discet *Pelagius*, qui jam olim vidit hunc *Pauli* locum non necessario proprieque pertinere ad peccatum originis.

Tit. XXII. *De pœna filiorum temporali propter peccata parentum. Propositio* Erasmi. Jo. IX.

NOn punit Deus liberos ob delicta parentum, quem- LXXIII.
admodum docet lex, nisi filii parentum æmulentur vitia.

CENSURA.

Hæc Propositio universaliter intellecta, pratendens Deum nunquam punire liberos etiam temporaliter propter scelera parentum, nisi scelera eorum imitentur, ac si illud repugnet divinæ justitiæ, aut æquitati naturali, est hæretica, & Sacræ Scripturæ adversatur, quæ frequenter sic punitos liberos indicat. Sic enim sunt pueri submersi in diluvio cum parentibus. Sic in Pentapoli *igne exstincti sunt. Sic denique filius* David *parvulus propter adulterium & homicidium patris mortuus est. Nec lex docens filios pro iniquitatibus patrum non plecti, non intelligi debet de pœna temporali, sed de æterna.*

DECLARATIO ERASMI LXXIII.

Sequutus sum illic probatos Ecclesiæ Doctores, *Chry-* LXXIII.
sostomum, & huic concordem *Theophylactum*, qui pronunciant injustum fore, si Deus ob aliorum delicta puniret alios. Nec loquuntur de pœna gehennæ, sed de corporali cœcitate. Lex autem exstat *Deuter.* XXIV. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro suo peccato morietur.* Eadem sententia est *Ezech.* XVIII. & *Hierem.* XXXI. Contra *Exod.* XXXIV. scriptum est, *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Hunc nodum ita solvunt, non quod pœna debita nocentibus veniat ad immeritos, sed quod pœna eadem maneat posteros, si majorum imitentur scelera. Quod si fit, non proprie dicuntur dare pœnas pro peccatis majorum, sed dant pro suis. Rursus scrupulum de infantibus diluvio involutis ita solvunt, ut dicant eam non fuisse pœnam, sed Domini misericordiam, quæ pueros mature subduxit, ne majorum suorum similes evaderent. Consimiliter expediunt quæstionem existentem e verbis Domini, *Matth.* XXIII. *ut veniat super vos omnis sanguis justus*: ut dicant illos non luere pœnas majorum, sed suorum scelerum, quibus progenitorum impietatem superabant. Hæc sententia si pia est, & si præclaros habet Auctores, cur hîc hæreseos fit mentio? Aut quæ civilitas est, eadem mihi toties occini non sine convicio, ad quæ jampridem respondi, & in *Divinationibus*, & in *Elencho*, & in *Supputationibus*? Ad hæc, quod specimen est Christiani candoris, ex his quæ respondimus vigilanter excerpere quod pateat calumniæ, ac tam multa dissimulare, quæ vel ob hoc probant quod silent, juxta Comicum illud: *Tacent, satis laudant.* Dissimulant & illud, non statim esse pœnam, quicquid externæ calamitatis infligitur. Interdum est materia pietatis, interdum est argumentum declarandæ virtutis divinæ. Denique cum filii puniuntur ob commissa parentum, parentes in liberis puniuntur verius quam liberi ob parentes. In parentibus vere pœna est, in liberis calamitas redundans in pœnam parentum. Secundum hanc rationem mea Propositio, etiam universaliter intellecta, vera est & Christiana. Quod si qua sunt loca Scripturarum, quæ videntur huic sententiæ adversari, non simpliciter, sed per tropologiam dicta sunt. Jam si dixissem Deum reddere peccata majorum in posteros usque ad quintam generationem, audivissem, hæc Propositio universaliter intellecta est hæretica, adversatur enim palam Scripturæ, quæ habetur *Hieremiæ* XXXI. & *Ezech.* XVIII. Nunc cum diversam sententiam pronuncio juxta sermonem Evangelicum, quem interpretor, nihilo secius audio, hæc Propositio universaliter intellecta est hæretica, & diversus objicitur locus.

Tit. XXIII. *De pœna Hæreticorum. Propositio.* I. Matth. XIII.

SErvi, qui volunt ante tempus colligere zizanias, sunt LXXIV.
Sii qui Pseudapostolos & Hæresiarchas gladiis & mortibus

Digitized by Google

tibus exiſtimant e medio tollendos: cum paterfamilias nolit eos exſtingui, ſed tolerari, ſi forte reſipiſcant, & ex zizaniis vertantur in triticum. Quod ſi non reſipiſcant, ſerventur ſuo judici, cui dabunt pœnas aliquando.

CENSURA.

Cum ſit catholicum & fide tenendum, non ſolum licere, ſed & oportere Hæreticos pertinaces extremo ſupplicio punire, quando citra jacturam atque periculum Reipublicæ id fieri poteſt: nec valet aliter ſalus eorum aut cæterorum procurari & conſervari: oppoſitumque ſit error Catharorum, Valdenſium, & Lutheri, *generalibus Conciliis & legibus Imperialibus damnatus, pii expoſitoris munus Paraphraſtes minimè exſequutus eſt, in hunc perverſum ſenſum tot verbis Lectorem inducendo, nec veritatem catholicam illi adverſam palam aperiendo: quod paucis explicatum facile Paraphraſis admiſiſſet, monſtrando quæ hic ſcribit, intelligenda fuiſſe pro tempore Apoſtolorum & Martyrum, quo Eccleſiam atrocius Tyranni perſequebantur: non quando rerum potiti ſunt Principes Chriſtiani, orbem terrarum aut bonam ejus partem in ſua tenentes ditione: qui cum leges condentes exſtirpandis Hæreticis accommodas, vere principi ſuo* Chriſto *militarunt. Id certe explicare debuit Paraphraſtes: quod quia non fecit, ſcandali anſam præbuit legentibus: quaſi modo non liceat, quod tempore Apoſtolorum & Martyrum fieri non poterat. Prænominatorum quoque Hæreticorum errori hac ratione viſus eſt ſuffragari. Nec habet ea excuſatio locum, qua dicat ſe ita intelligere ut diximus. Nam quamvis ita intenderet ut proponit, tamen hoc ibidem non explicat, & longe ſecus ſolent accipere legentes quam dicat ſe prætendere. Unde & queruntur multi, non ſolum ex hac Propoſitione, ſed etiam ex pleriſque aliis poculum ſibi ſub mellitis verbis propinari ſcandali & erroris: ideoque non acceptant aliam, ut ajunt, pallio ſophiſticæ argutiæ obumbratam excuſationem. Qua quis dicat ea, quæ hîc dicuntur, non ſub perſona* Eraſmi, *ſed ſub perſona* Chriſti *dici: & non hoc ſeculo, ſed illo quo martyriis plantanda erat Eccleſia, cum tamen talia non expreſſa ne vigilantiſſimi quidem Lectores percipiant, & aliud ſonent verba ejus expreſſa in Paraphraſi, quam ſequens ejuſdem doceat explicatio. Nec rurſus probant quod ſub perſona* Chriſti, *Evangeliſtarum, aut Apoſtolorum ea inducat non pauca, quæ viri eruditi juxta ac pii impia cenſent ac erronea.*

DECLARATIO ERASMI LXXIV.

LXXIV. Si in Paraphraſibus me non ſublevat perſonarum reſpectus, dure profecto mecum agetur. Hac lege poterit mihi imputari, quod ab impiis illic dicitur, & idem nunc ero *Chriſtus*, nunc *Paulus*, nunc *Caiphas*. Aut omnino non erat ſcribenda Paraphraſis, aut erat perſonæ ſerviendum. Miror autem ullos eſſe Lectores tam attonitos, ut in Paraphraſi non intelligant nihil ſub mea perſona dici. Ac jam pridem uſque ad ravim clamo, Paraphraſim meam nil aliud eſſe niſi commentarium, & ſicubi ſenſum Scripturæ non aſſequor, nihilo plus eſſe periculi, quam ſi in commentario lapſus eſſem. Verum ut alibi labar, hîc certe non poteſt objici, me diverſum explanaſſe, quam habet ſermo *Chriſti*, quem fatentur pro temporibus illis verum, pium, ac ſanctum eſſe. Sed hoc tantum accuſor nomine, quod non expreſſerim *Chriſti* ſermonem non eſſe generalem, ſed tantum ad Eccleſiæ primordia pertinere, quæ tum quidem erat ſanguine Martyrum confirmanda, & Hæreticorum tumultibus exercenda: ſimul autem ut tutum eſſe cœpit, deſiit valere ſermo *Chriſti*. Primum non auſus ſum hoc humanum commentum Evangelicæ majeſtati admiſcere, præſertim cum id apud veteres orthodoxos non repererim, & ipſa verba *Chriſti* viderentur eum ſenſum rejicere. Cujuſmodi Paraphraſtes fuiſſem, ſi cum *Chriſtus* dicat *zizaniam relinquendam uſque ad meſſem*, hoc eſt, ipſo interprete, *uſque ad conſummationem ſeculi*, ego vel ſub *Chriſti*, vel ſub Evangeliſtæ perſona expoſuiſſem, uſque ad annos quadringentos, cum jam auctis Eccleſiæ rebus tutum erit illos occidere. Dominus ipſe præſcripſit tempus, uſque ad conſummationem ſeculi. Nec *Paulus*, nec hunc ſequutus *Auguſtinus*, hoc nomine docet tolerandos Hæreticos, quod tutum non eſſet eos occidere, ſed quod per illorum improbitatem exerceretur fides ac pietas electorum. *Oportet*, inquit, *hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Quid quod illum ſermonem accommodo non externis Principibus, ſed viris Apoſtolicis. Quanquam ne illud quidem de tuto prorſus reticuit Paraphraſis, quæ ſic habet: *Interim boni malis admixti ferendi ſunt, quando minori pernicie tolerantur quam tollerentur* &c. Jam audio quoſdam huc detorquere *Chriſti* verba, quaſi ſignificaverit non alia conditione parcendum Hæreticis, quam ſi periculum ſit, ne ſimul cum erroribus eradicetur ſana doctrina, aut mali cum bonis occidantur. Hoc diſcrimine ſublato nequaquam illis eſſe parcendum. Hoc commentum cum nec ſatis quadret cum tenore parabolæ, nec veterum orthodoxorum interpretationi, non auſus ſum ſub Evangeliſtæ *Chriſti* ve perſona ponere. Porro quod objiciunt verba Paraphraſis aliud ſonare quam mea ſonet explanatio ſequens, ſentiunt fortaſſis de his, quæ reſpondi *Beddæ*. At id mirum non eſt. In Paraphraſi ſiquidem probatiſſimos Eccleſiæ Doctores *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Chryſoſtomum*, *Theophylactum*, ac *Rabanum* ſequutus, explano verba Domini: in *Supputationibus* diſputo cum *Bedda*. Et tamen quod in *Supputationibus* explanatius dico, nec ibi tantum, in Paraphraſi ſubindico. Ad hæc, ſi tantum imminet periculi, quod in Paraphraſi mea, quæ privatim & a paucis legitur, non expreſſerim licere occidere Hæreticos, multo magis metuendum erat ab *Hieronymo*, *Chryſoſtomo*, & *Auguſtino*, quorum ſcripta leguntur ab omnibus cum auctoritate, idque etiam in templis. Cur divus *Thomas* in *Catena* renovat offendicula, citans ea quæ nunc damnant Theologi? Sed quorſum attinet ex hoc loco colligere ſuſpicionem, quaſi ſentiam Hæreticos non occidendos, cum libris editis pugnem cum eis, quibus hoc dogma placet. Quantum vero doctis, quos citant, tribuendum ſit, vel hinc colligi poteſt, quod toties deprehenduntur malitioſe calumniari bene dicta, toties non intellecta damnare, toties palam falſa objicere. Veterum Conciliorum canones habent, *Si quis unum crimen, quod intentavit, non probaverit, ne admittatur ad ſecundum.* Nunc cum in eorum libris, qui hactenus in me ſcripſerunt, tam multa digito oſtenderim, quæ perperam atque impudenter intentata ſunt, tamen perfricta facie velut integro jure redeunt ad novas calumnias. Hoc de doctis illis dictum eſto, quorum auctoritas mihi objicitur.

Propoſitio ſecunda in Supputationibus.

EGo Principes ad trucidandos Hæreticos nec hortor nec dehortor. Quid Sacerdotalis ſit officii demonſtro. LXXV.

CENSURA.

Si Eccleſiaſticis liceat juxta juris diſpoſitionem indicere bella, aut ad indicenda per temporales Magiſtratus inducere adverſus Turcas & Judæos, *non minus utique illis id licebit in notorios Hæreticos. In cujus rei comprobationem cum Præſulibus adfuit beatus* Dominicus *ei bello, quod contra* Albigenſes *Hæreticos geſtum eſt. Et ubi Principes ſeculares graviter delinquerent non exterminando Hæreticos in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ conſpirantes, & in ſuam hæreſim plurimos pertrahentes, tenerentur omnibus modis illos inducere orthodoxi Epiſcopi ad id faciendum, alioqui ipſi peccarent. Quare hæc Propoſitio, quatenus prætendit nuſquam Sacerdotalis aut Epiſcopalis eſſe officii, Principes inducere ad exſtirpationem Hæreticorum, impie nec utiliter profectibus conſulit Chriſtianorum, veræ fortitudinis robur in adverſarios fidei enervans.*

DECLARATIO ERASMI LXXV.

Oſtenderam in *Supputationibus Auguſtinum* etiam pro plus quam Hæreticis interceſſiſſe ne occiderentur, ac ſubjicio, *& tamen ego Principes ad trucidandos Hæreticos nec adhortor nec dehortor*, ſentiens me hactenus diſſentire ab *Auguſtino*, quod putem Principes non eſſe deterrendos ab officio juſtitiæ, ſi morbus exigat LXXV.

Digitized by Google

extrema remedia. De me loquor illic, non de Episcopis horum temporum, ostendoque me longius abesse ab illorum opinione, qui negant occidendos Hæreticos, quam abfuerit *Augustinus*. Ille dehortatur Cæsarum præfectos, ne tollerent Hæreticos, ego dico me nec hortari nec dehortari. Quid Sacerdotalis sit officii, admoneo. Sacerdotis est servare Hæreticos in spem resipiscentiæ, neque quemquam perdere, quod quidem in ipso est. Hoc arbitror præcipuum illorum esse munus. Si quid præterea sibi sumunt, illis non adimo. Itaque mea verba nequaquam prætendunt hoc quod isti interpretantur. *Turcæ* non solum discrepant a fide nostra, verum etiam subinde Christianorum occupant ditiones, & immani crudelitate utuntur in nostros. Quos utinam possimus vel armis compescere, vel quod est optabilius, in Christianæ Religionis consortium allicere. *Judæos* non occidimus, nisi peccent adversus Principum leges, licet & *Christo* & nomini Christiano sint hostes devotissimi. Quid rerum gesserit *Dominicus* adversus *Albigenses*, nescio. Fortassis illi Catholicos armis infestabant. Jam an veræ fortitudinis robur adversus adversarios fidei sit in armis, aliis judicandum relinquo, mihi certe novus est sermo.

Propositio tertia in iisdem Supputationibus.

LXXVI. *ibidem.* QUis unquam audivit orthodoxos Episcopos concitasse Reges ad trucidandos Hæreticos, qui nihil aliud essent quam Hæretici.

CENSURA.

Hæc Propositio prætendens non licere orthodoxis Episcopis & Sacerdotibus consilio & exhortatione generali inducere ad exstirpationem Hæreticorum, qui nihil aliud sunt quam Hæretici, hoc est, in fide pertinaciter & contumaciter errantes, nullas excitantes seditiones aut tumultus, contra dispositionem juris naturalis, divini, & humani proponitur. Nam si pro munere suo debent Episcopi & Sacerdotes alii admonere Principes, ut juxta divinam ordinationem & suum officium justitiam exerceant de aliis malefactoribus, (non enim sine causa gladium portant) multo certe magis idem facere debent de Hæreticis, qui nihil aliud sunt quam Hæretici: quanto hæresis gravius est peccatum & Reipublicæ Christianæ plus nocet. Proinde si ii, qui pecuniam corrumpunt & falsificant, per quam vita temporali subvenitur, juste morti traduntur, valentiori ratione Hæretici jure vita privantur, qui fidem corrumpunt, quæ fundamentum est vitæ spiritualis, quæ illibata pro temporum malitia servari non potest, nisi morte plectantur Hæretici, quamvis non aliud sint quam Hæretici. Nam videntes plerique nullo modo deterius agi cum iis qui hæresim profitentur, quam cum aliis, facile profecto omni timore semoto Hæreticis adhærerent, atque inde miseranda subsequeretur in Republica Christiana calamitas, dum populi, qui prius erant catholica fide Christiani, postmodum brevi temporis decursu nihil aliud essent quam Hæretici, id quod (proh dolor!) hodie videmus. Multæ siquidem illustres civitates, quæ nuper vere Christianæ fuerant, & Christiana pietate insignes, modo a vero Christianismo desciverunt, nec aliud sunt quam fœda colluvies, aut sentina putida impiorum Hæreticorum: quod utique minime contigisset, si, ubi primum ea pestis suborta est, salutari legum severitate in Hæreticos, licet nihil aliud essent quam Hæretici, animadversum fuisset. Hinc sane patet quam prudenter Ecclesia hujusmodi Hæreticos, si legitime fuerint convicti, justitiæ brachii seculari decernat relinquendos. Neque tamen par est interim viros Ecclesiasticos immemores esse sui officii. Eniti enim debent exhortando, consulendo, docendo, corripiendo, obsecrando, & aliis viis debitis saluti consulere talium miserabilium hominum, ut ab impietate revocentur.

Quarta Propositio Erasmi, *quæ & tres subsequentes sunt in* Supputationibus *ejus.*

LXXVII. DOcet *Augustinus* ferendos Hæreticos donec citra gravem Ecclesiæ concussionem possint tolli; sed tolli *Augustinus* intelligit a communione separari.

CENSURA.

Tametsi aliquando existimavit Augustinus *cum Hæreticis verbo agendum disputationeque pugnandum, nec ulterius progrediendum, nisi forte in contumaces mucro vibretur anathematis, ubi tamen experientia duce novit quantum executioni demandatæ leges Principum secularium adversus Hæreticos profuerunt, relicta priore sententia, legum terrore & pœnarum severitate consuit ad unitatem fidei compellendos Hæreticos; id quod in multis suis libris testatus est.*

DECLARATIO ERASMI AD DUAS PRÆCEDENTES.

Hic inter nos nulla discordia est. Fatentur Sacerdo- LXXVI.
tum esse omnibus studiis eniti, ut Hæreticus servetur LXXVII.
ac resipiscat, in magnis tamen Ecclesiæ periculis Episcoporum esse, Principes, si cessent, officii sui commonefacere, sed in generali: & ego nego me legisse quod Episcopi concitarint Reges ad trucidandos Hæreticos. Nam hoc non est in genere admonere, sed supplicii genus dictare. Loquor autem in *Elencho* non de his temporibus, sed de *Augustino* & illius ætatis Præsulibus: nam nunc Abbates & Episcopi quidam gratissimum Deo sacrificium existimant, si suo ferro suaque manu quamplurimos occidant. Atque ut verum esse fateor, quod narrant divum *Augustinum*, cum prius in ea sententia fuisset, ut negaret Cæsaris potentiam ad fidei negotia implorandam, ubi videret succedere, mutasse animum: ita æque verum est quod ego scripsi. Sed tum res erat cum *Donatistis* plusquam hæreticis, qui totius Ecclesiæ schisma pernicioſissime moliebantur: & habebant *Circumcelliones* furiosum & efferum genus hominum, qui gladiis occidebant, falcibus mutilabant, calce aceto temperata exoculabant Orthodoxos. Quidni tales coërceat Imperator, qui quovis supplicio erant digni, etiamsi nullus accessisset error hæreticus. Et tamen etiam adversus hos adeo non est imploratum capitis supplicium, ut *Augustinus* Comiti, qui sævius edictum proposuerat, obstiterit, metuens ne quem occideret, effecitque ut mitius edictum proponereiur. Tum enim tota Cæsaris coërtio consistebat intra mulctam pecuniariam, translationem bonorum ab Ecclesiis *Donatistarum* ad Ecclesias Orthodoxorum, &, si nullis remediis possent corrigi Præsules, exsilium. De trucidando nulla mentio. Itaque adversus *Pelagium* nunquam agitatum est de imploranda Cæsarum ope, quod non perinde turbaret Reipublicæ tranquillitatem. Quin & illis ipsis, qui mulctam solverant, interventu Episcoporum reddita est sua pecunia: & Episcopis, si voluissent mutare dogmata, sua manebat in Ecclesia dignitas. Tanta erat illius temporis erga Hæreticos & tales Hæreticos lenitas. Multa sunt coërcendi genera, citra pœnam capitis. Ab illa certe lenitate plurimum absunt, qui nunc ad quodvis dictum, novum, aut non intellectum, protinus clamant, ad ignem, ad ignem. Hic igitur inter Theologos & me nulla est dissensio: nisi quod illi reputantes quanta sit Religionis pestis Ecclesiam hujusmodi factionibus discindi, propensiores videntur ad occidendum: ego contra sim ad id cunctantior, considerans quo nos vocet Domini parabola, quo sanctissimorum virorum interpretatio, quo priscorum Episcoporum ac Cæsarum in Hæreticos lenitas ac mansuetudo. Deinde & illud cogitans, quam interdum his negotiis se misceant affectus humani, quamque frequenter istiusmodi remedia cesserint in diversum. Postremo quod aliquoties veritas in ambiguo sit, & interdum usu veniat, ut erret etiam is qui impingit hæreseos crimen: nonnunquam neutra pars alteram intelligat, cum verbis pugnantes, re consentiant. Neque enim temere beatus *Hieronymus* in Dialogo adversus *Luciferianos* sub Orthodoxi persona loquitur hunc in modum, præfatus non expedire in Ecclesia prorsus tollere Hæreticos: *Nemo*, inquit, *potest Christi palmam sibi assumere, nemo ante diem judicii de hominibus judicare. Si jam mundata est Ecclesia, quid Domino reservamus? Est via quæ videtur apud homines recta, novissima autem ejus veniunt in profundum inferni. In hoc errore judicii quæ potest esse certa sententia* &c. Quid his verbis significet *Hieronymus*, doctis perspicuum: me certe hactenus commoverunt, ut existimem non nisi omnibus tentatis

venien-

Digitized by Google

veniendum ad extrema remedia : ne forte vel corrupto judicio pereat innocens, aut certe ſanabilis, vel pro errore damnetur quod rectum eſt. Quod ex adulteratæ monetæ cæterorumque collatione criminum exaggerant impietatem Hæreticorum & Schiſmaticorum, fateor has eſſe peſtes Eccleſiæ vere deplorandas, nec minore legum ſeveritate dignas, quam cætera crimina, niſi, ut dixi, hîc Dominus nos nominatim ad manſuetudinem revocaſſet, eodem vocantibus priſcorum Epiſcoporum tum ſcriptis tum exemplis. Quia Dominus dicit adulteræ, *nec ego te condemnabo*, mitigata eſt Chriſtianis adulterii pœna : quia *Paulus* prædixit fore ut *Judæi* tandem aggregentur ad ovile *Chriſti*, toleramus impiam ac blaſphemam gentem, fortaſſis & Dominica parabola tantum habere momenti debet, ut mitius agatur cum Hæreticis, præſertim iis, qui perſuaſu errant, non malitia, nec diſcipulos aggregant, nec tumultus excitant. Nam hos ſenſi, cum dicerem, nihil aliud quam Hæreticos, hoc eſt, hæretico errori obnoxios. Contumaces enim, & aggregatione diſcipulorum ſeſe communientes, ad ſchiſma ſpectant. Alioqui ſi quemvis errorem a fidei ſinceritate alienum putamus dignum incendio, tales reperiuntur in omnibus pene libris Eccleſiæ Doctorum. Nunc interdum qui perſuaſi dicunt, cupimus doceri ſi erramus, tanquam extreme contumaces conjiciuntur in ignem.

Propoſitio ejuſdem in iiſdem quinta.

LXXVIII Per Evangelium vitari jubentur Hæretici, non exuri.

CENSURA.

Quamvis Evangelium non expreſſe & aperte Hæreticos monſtret exurendos, leges tamen civiles, quæ conformantur ad jus naturale, quod Evangelium non abrogat, morte plectendos atque concremandos juſte decernunt.

DECLARATIO ERASMI LXXVIII.

LXXVIII *Bedda* quo probaret ex Evangelio comburendos eſſe quoſlibet Hæreticos, objecit illud : *Dic Eccleſiæ : ſi non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus.* Ego reſpondeo, his Evangelii verbis admoneri Chriſtianos, ut hominem hæreticum & tentatis remediis inſanabilem vitent, non exurant. Hoc eſſe verum haud inficiantur Theologi. Sed quoniam ajunt, Evangelium non abrogat jus naturæ ac civile, recte poſt inſtitutum eſt, ut qui aliter ſanari non poſſent, ſupplicio capitis plecterentur. Horum nihil nego, modo Principes ſeveri ſint, non ſævi, Epiſcopi diſcernant hæreſeos genus, ut diſtinguit *Auguſtinus*, atque etiam Cæſarum leges, ut ubique meminerint Eccleſiaſticæ manſuetudinis.

Propoſitio ejuſdem ibidem ſexta.

LXXIX. AN leges Eccleſiæ ſunt, quempiam ultricibus tradere flammis.

CENSURA.

Juſtas leges Magiſtratuum temporariorum pro exſtirpatione Hæreticorum latas Eccleſia non reprobat, licet illas nolit per Eccleſiaſticos, qui divinis omnino officiis ſunt addicti, exſecutioni demandari.

DECLARATIO ERASMI LXXIX.

LXXIX. Cum ageremus de occidendis Hæreticis, *Bedda* objecit mihi leges Eccleſiaſticas. Rogo igitur, num ſint leges Eccleſiaſticæ, quempiam ultricibus tradere flammis. Siquidem Eccleſia non habet jus gladii ſecularis. Sed tales, inquiunt, leges Eccleſia non reprobat, licet per ſacris addictos ſupplicia non peragantur. Et hoc fateor, quanquam Eccleſiaſticorum eſt ubique legum ſeveritatem Evangelica manſuetudine temperare.

Propoſitio ejuſdem de eadem re ibidem ſeptima.

LXXX. Veteribus Epiſcopis ultima pœna erat anathema.

CENSURA.

Propter infeſtationem Tyrannorum in primitiva Eccleſia non poterant Hæretici ſeveriori pœna multari quam excommunicationis : poſtea tamen quam Principes ſeculi Eccleſiæ ſubmiſere colla, perſpecta contumacia atque impietate Hæreticorum, neceſſarium fuit, nedum conveniens, in illos gladio temporali animadverti. Præcedentes autem quatuor Propoſitiones errori ſuffragantur ſupradictorum Hæreticorum, negantium licere & expedire Hæreticos contumaces extremis ſuppliciis coërceri, etiam quando nonnulla inde ſequitur perturbatio Reipublicæ, & hoc expoſcat ſalus multorum.

DECLARATIO ERASMI LXXX.

Et hîc mihi cum illis convenit. Fatentur ipſi verum LXXX. eſſe quod ſcripſi. Sed addunt poſt mutata temporum conditione neceſſario Cæſaris leges minatas Hæreticis capitis ſupplicium, & hoc fateor eſſe verum. Proinde miror, cum in his Propoſitionibus mihi conveniat cum Theologis, quomodo dicantur ſuffragari neſcio quibus Hæreticis, qui negant licere & expedire Hæreticos contumaces extremis ſuppliciis coërcere, etiam quando nonnulla inde ſequatur perturbatio Reipublicæ, & hoc expoſcat ſalus multorum. Nam tale nihil nec exprimunt, nec ſentiunt meæ Propoſitiones, quæ Cæſarum legibus non obſtrepunt, ſed quorumdam Eccleſiaſticorum ſævitiam temperant. Olim Principum ſeveritatem Eccleſiaſtica manſuetudo temperabat. Nunc Monachorum quorumdam ſævitia, niſi Principum lenitate temperaretur, exiret in pluſquam *Scythicam* immanitatem.

Octava ejuſdem Propoſitio.

Quæruntur articuli partim falſi, partim depravati. LXXXI.

CENSURA.

Hæc Propoſitio hac ratione hîc proponi videri poteſt, ut, cum multæ Propoſitiones poſitæ ſint ſuper punitione Hæreticorum, admoneantur qui zelum habent ſuper exſtirpandis Hæreticis aut auctoritatem, ſollicite caveant ne vehemens ſit plus æquo zelus eorum, aut non ſatis diſcretus, unde contingat innoxios damnari : neve plus quam opus eſt tepeſcat, hæreſes ſinens pullulare, aut notorios Hæreticos tolerans impune. Illibata quoque ſit integritas eorum judicum, qui de cauſis fidei decernunt, ut juſte quod juſtum eſt exſequantur : neque pecuniæ cupiditate, aut alio quovis ſiniſtro affectu corrupti, a veritate judicii recedant. Vigilantiſſime inſuper atque diligentiſſime juri innitendo hujuſmodi cauſas fidei examinent ac pertractent : ne forſan ſubrepat incuria ſive negligentia, quæ ferendo plurimum obſunt recto judicio. Caterum præſcripta Propoſitio, ſi de perverſis judicibus, qui neque Deum neque homines reverentur, intelligatur, proponit quod interdum eveniat : ſin vero de integris & æquis judicibus, qui non modo a calumnia alieni ſunt, ſed etiam a ſuſpicione calumniæ, falſa eſt.

DECLARATIO ERASMI LXXXI.

Hîc nihil habet Cenſura quod non ſit ex animi LXXXI. mei ſententia, niſi quod nulla erat cauſa dubitandi, utrum ea de perverſis judicibus, an de æquis & integris ſcribam, cum in eo ipſo loco nominatim exprimam cujuſmodi judices notem. Verba mea ſic habent : *Quod ſi qui tractant hoc negotium tales eſſent, qualem ſe declarat in hoc libello N. hoc eſt, ſi tantum ſpirarent odii, ſi tantum haberent impudentiæ, tam impotens calumniandi ſtudium, tam corruptum judicium, ut videatur citius decem propulſurus in hæreſim, quam unum revocaturus, nonne belle ageretur cum delatis ? Niſi fallor, primum deſignaret cui male vellet, eum delatum clam, curaret rapiendum in carcerem : ibi quærerentur articuli, quales plurimos objicit mihi.* Ex *quærerentur* iſti fecerunt *quæruntur*, quaſi de omnibus in univerſum loquar. Hic ſermo non patitur quemquam dubitare, quin de corruptis agam judicibus. Nec refert, an ille talis ſit quem noto, ſat eſt mihi talem videri. Nam ſi error eſt, in perſona error eſt, non in re.

Tit. XXIV. *De defectu vigoris Evangelii. Propoſitio, in Epiſtola præpoſita Paraphraſi in* Joannem.

NUllis ſeculis defuerunt homines, apud quos Evan- LXXXII. gelio ſuus conſtiterit honos : ſed tamen his annis quadringentis vigor illius apud pleroſque refrixerat.

CENSURA.

Hæc Propoſitio quantum ad poſteriorem partem, videlicet, ſed tamen his annis quadringentis &c. ſignificans his annis quadringentis viros defuiſſe, quibus Evangelio ſuus conſtiterit honos, temerarie aſſeritur, cum his annis

Digitized by Google

annis quadringentis viri fuerint non pauci ſanctitate & eruditione conſpicui, quales fuerunt Bernardus, Hugo, & Richardus de Sancto Victore, Petrus Lombardus, Gratianus, Thomas Aquinas, Bonaventura, Alexander de Halis, Guilhelmus Pariſienſis, Nicolaus de Lyra, Gerſon, Thomas Waldenſis, *& quam plurimi alii.*

DECLARATIO ERASMI LXXXII.

LXXXII. Demiror quis ſuppoſuerit hanc Cenſuram. Ait meam Propoſitionem ſignificare hiſce quadringentis annis defuiſſe viros, apud quos Evangelio ſuus conſtiterit honos, cum illa palam affirmet contrarium, videlicet nullis ſeculis defuiſſe homines, apud quos Evangelio ſuus conſtiterit honos: nec his quadringentis annis ajo exſtinctum fuiſſe vigorem Evangelicum, ſed refrixiſſe, ne id quidem apud omnes, ſed apud pleroſque. Quorſum igitur pertinet ille nominum catalogus, unde alii forſan multos exciperent, ſi agatur de vigore ſpiritus Evangelici, quem ſentimus in priſcis Eccleſiæ Doctoribus. Sed donemus his omnibus fuiſſe vigorem Evangelicum, hoc ipſum probat eſſe verum quod meus prædicat ſermo, videlicet nullum fuiſſe ſeculum, quod non tulerit aliquos viros ſpirantes Evangelium. Tantum queror illis annis refrixiſſe hominum pietatem, animis vel ad mundum vel ad Judaïſmum propenſis. Legat locum qui volet, & reperiet me nihil aliud ſenſiſſe. Catalogum nominum quæ objiciunt non excutiam. Equidem arbitror omnes illos fuiſſe bonos viros; ſed aliud eſt eſſe bonum virum, aliud ſpirare vigorem Evangelicum. Horum tamen *Bernardus* videtur affectu flagrantiſſimus, ſed quam hic friget, ſi conferas cum *Cypriano*, cum *Hieronymo*, &c. Illud ſcio multos non ſine riſu lecturos *Gratianum*, *Alexandrum Halenſem*, *Guilhelmum Pariſienſem*, *Nicolaum Lyranum*, *Thomam Waldenſem*, annumeratos iis qui ſpirant vigorem Evangelicum.

Tit. XXV. *De Sabbato. Propoſitio* Eraſmi. Marci II.

LXXXIII. Futurum eſt, ut vere piis quævis dies ſit æque ſacra.

In Sup. 645. D.

CENSURA.

Hæc Propoſitio, innuens cultum diei Dominicæ & aliorum feſtorum ab Eccleſia utiliter & ſancte inſtitutorum aliquando in Eccleſia militante abolendum, quod in magnam vergeret perniciem Chriſtianiſmi, irrationabiliter aſſeritur conformiter ad errorem Beguardorum, *qui dicunt tertium præceptum Decalogi, ſcilicet,* Sabbata ſanctifices, *jam ceſſare, quantum ad juſtos.*

DECLARATIO ERASMI LXXXIII.

LXXXIII. Primum conſtat ibi Paraphraſim ſub perſona *Chriſti* loqui de ſabbatis & feſtis *Judæorum.* Id eſſe verum, totius ſermonis declarat tenor. Legat qui volet. Eas legis ceremonias abrogandas Evangelii fervore ſignificans Dominus, ita loquitur: *Fuit olim tempus quo nulla eſſet ſabbati religio, & futurum eſt, ut vere piis quivis dies ſit æque ſacer. Nunquam autem nec fuit, nec erit tempus, quo non fuerit, aut futurum ſit ſanctum, opem ferre egenti proximo* &c. *Judæorum* ſabbatum eſt, quietem agere ab operibus ſervilibus: feſtus dies, immolare victimas. Verum ſabbatum eſt, animum habere carnis cupiditatibus vacuum: verum feſtum, vacare precibus & contemplationi rerum cœleſtium: abrogatis itaque Legis ceremoniis, vere piis quilibet dies erat ſabbatum, & nullus erat dies non feſtus, cum nullo præſcripto compellente perſeverarent in jejuniis, vigiliis, ſacra doctrina, & fractione panis. Hoc *Chriſtus* fore prædixit, & *Paulus* pro infirmis habet, qui judicant inter diem & diem, Gentium ac Judæorum more, quemadmodum reprehendit eos, qui in cibo potuve judicant fratrem. Et ſicut per illa verba *Pauli* non damnantur Eccleſiæ conſtitutiones de abſtinentia ciborum, ita per hæc verba nomine *Chriſti* dicta non damnantur dies feſti ab Eccleſia ſapienter & utiliter inſtituti. Nec mea Propoſitio tale quicquam innuit, quale interpretantur quidam. Tantum hoc agit, ut externæ illæ obſervationes cedant, quoties charitatis officium exhibendum eſt proximo, ſi caſus inciderit ut altera res obſtet alteri: propterea quod hæc lex ſit perpetua, de ſabbato & feſtis non item. Valeant igitur *Beguardi*, qui negant obſervandos dies ab Eccleſia inſtitutos. An ceſſaturi ſint, neſcio. Certe hoc nec a me ſcriptum, nec a *Chriſto* dictum eſt. Facilius tamen Eccleſia conſiſteret abſque diebus feſtis, quam abſque charitate. Quin & hodie piis, qui non minus horrent peccare vulgaribus diebus quam feſtis, & aſſidue verſantur in precibus ac meditatione vitæ cœleſtis, omnes dies æque feſti ſunt, ſi tropum recipimus, hoc eſt, juxta ſpiritualem feſtorum obſervationem.

Tit. XXVI. *De Eccleſia. Propoſitio* Eraſmi. Marci III.

LXXXIV. ECcleſia *Chriſti* neque ſurdos, neque mutos, neque cæcos, neque debiles, neque claudos recipit: hujuſmodi autem habet Synagoga.

Sup. 648. E.

CENSURA.

Hæc Propoſitio ſic diſtincte poſita innuere videtur ſolos juſtos eſſe de Eccleſia militante, (de illa enim fit ibi ſermo) non autem conſonat doctrinæ Evangelicæ, quæ comparat regnum cœlorum, quod eſt Eccleſia militans, ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: & agro Dominico, in quo cum tritico ſubnaſcuntur zizania.

DECLARATIO ERASMI LXXXIV.

LXXXIV. Loquitur illic *Marcus*, ut opinor, de Eccleſia *Chriſti* ſponſa, quam purgavit ſanguine ſuo, ut non haberet maculam neque rugam, extra quam ſunt animo cæci, manci, ſurdi, aut mutili. Tales habebat Synagoga in pretio, externa ſpecie ſanctimoniæ ſuſpiciendos, ſed interea pietate vacuos. Ejuſmodi recipiebant Phariſæi Synagogæ proceres, nec ſanabant. Contra *Chriſtus* ſpiritualis doctrinæ Magiſter tales non recepit in Eccleſiam ſuam, niſi prius ſanatos. Nihil aliud agit Paraphraſis, nec hîc arbitror quicquam diverſum a doctrina catholica. Locus in Paraphraſi ſic habet: *Tales erant Phariſæi, qui maluerunt invidere Domino, quam ſanitati per eum reſtitui. Hujuſmodi debiles habet Synagoga. Caterum Eccleſia* Chriſti *neque ſurdos, neque mutos, neque cæcos, neque debiles, neque claudos recipit. Quiſquis eſt obnoxius malis, veniat in conſpectum* Jeſu, *& ſanabitur. Afflabit ille nobis ſpiritum ſuum, & quod mancum erat, animabit. Qui ſeſe Domino ſimplici fiducia credunt, ſani domum redeunt. Qui ſuæ confidunt juſtitiæ, ex alienis benefactis redduntur deteriores* &c. Ex his perſpicuum eſt Paraphraſim non loqui de malis, quos Eccleſia tolerat bonis admixtos, quia corda hominum ſolus novit Deus, quanquam illi jam apud Deum ſunt aliquo modo extra Eccleſiam: ſed de his, qui accedebant ad profeſſionem Evangelicam, quæ perfectior eſt & ſpiritualis. Paraphraſis autem illic exponit hiſtoriam de homine in Synagoga ſanato, qui habebat manum aridam, & quod ſequitur, irruiſſe ad *Jeſum* quotquot habebant plagas & a Domino ſanatos. Cum exponam allegoriam loci, quî conveniebat illic diſputare de quibus nec inter Scholaſticos ſatis convenit, quomodo *Chriſtus* ſit caput etiam malorum Chriſtianorum, & quomodo in hos quoque ſit influxus per fidem abſque charitate, & quomodo iidem poſſint eſſe membra *Chriſti*, & membra Diaboli, & quid interſit inter reſectos & non reſectos, & qua differentia quis dicatur non eſſe in Eccleſia, & non eſſe de Eccleſia? Hæc nequaquam conveniebant tractanti tropologiam, juxta Veterum enarrationem, non juxta Scholaſticas ſubtilitates. Mancus ille erat in Synagoga, nec ſanabatur a Phariſæis, qui ceremonias docebant, non charitatis opera: *Jeſus* autem quos recipit, reddit ſuo ſpiritu vividos, & ad officia charitatis agiles. Quis autem neſcit malos in Eccleſia tolerari, præſertim occulte malos? Sed aliud eſt ab hominibus tolerari malos, aliud a *Chriſto* recipi. Medicus recipit ægrotum, quem ſperat ſe ſua cura liberaturum. At cœleſtis ille Medicus quoſcunque recipit, ſanat. Divus *Hieronymus* aliis verbis idem dicit quod ego tractans allegoriam: *Uſque ad adventum Salvatoris*, inquit, *arida manus in Synagoga fuit Judæorum, & Dei opera non fiebant in ea: poſtquam ille venit in terras, reddita eſt in Apoſtolis dextera, & operi priſtino reſtituta.*

Jam

Digitized by Google

Jam si tropologiam non recipimus, & Synagoga habebat bonos admixtos malis. Quod adferunt de magna domo parabolam de sagena *Matthæi* decimo tertio, non aliter expono quam accipiunt Theologi. De claudis & cæcis ad convivium vocatis allegoria est, ac magis exponitur a sacris Doctoribus de contemptis apud mundum, quam de vitiis animorum.

Tit. XXVII. *De beata Virgine* Maria. *Propositio prima.* Lucæ I.

85. Sup. 597. D. DIvini favoris est (ait *Gabriel* ad *Mariam*) quod offertur: non tui meriti.

CENSURA.

Si prætendatur, supposita liberali beneficentia divina respectu incarnationis, quod beata Virgo nullo modo meruerit esse Mater Dei, cujus oppositum Ecclesia decantat, falsa est Propositio, & sacrosanctæ Virginis honori derogans.

DECLARATIO ERASMI LXXXV.

85. Non hoc prætenditur, neque hîc agitur de meritis ad salutem facientibus, sed de inæstimabili dignitate Virgini delata, ut pareret Deum. Illâ quo modestior erat, hoc minus judicabat sese hoc honore dignam, eoque perturbata est & hæsit nonnihil in sermone Angeli. Eam hæsitationem ut eximeret Angelus, non vult illam expendere sua merita, cum nulla sint hominum merita tanto honori paria, sed considerare Numinis gratuitam benevolentiam, cui sic visum esset, ut ex humili virguncula nasceretur Redemptor mundi. Hunc autem Dei favorem Angelus appellat gratiam. Porro quod addo, *non tui meriti*, quod ad expensionem dignitatis ac meritorum attinet, non erat meriti, sed totum gratiæ. Deinde quod minimi momenti est, non solet ad rationem vocari, in qua de maximis agitur. Ad hæc, color hîc sermonis frequenter sic reperitur in Divinis Scripturis, ut asseveret tantum: quod genus est illud, *immolaverunt Dæmoniis, & non Deo.* Interdum ut comparationem habeat magis, quam abnegationem, quale est illud, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, pro eo quod erat, misericordiam volo potius quam sacrificium. Item illud *Petri* in *Actis*, *Non es mentitus homini, sed Deo.* Nam citra tropi subsidium, & homini mentitus erat *Ananias.* De meritis *Lutheranorum* tum ne somniabam quidem. Porro me non negare esse aliqua piorum merita, vel ex ducentis lucubrationum mearum locis liquere potest.

Propositio secunda. In Elencho.

86. Sup. 499. A. AN in pueritia & infantia *Christi* perfecte fuerit revelatum beatæ Virgini *Christum* esse Deum & hominem, mihi non liquet.

CENSURA.

Hæc Propositio crassam ignorantiam Evangeliorum arguit in ita loquente, cum credendum sit beatæ Virgini Mariæ *tum perfecte revelatum exstitisse*, Christum *esse Deum & hominem. Hoc enim illi Angelus*, Elizabeth, *Reges, Pastores, & Prophetæ satis indicarant.*

DECLARATIO ERASMI LXXXVI.

86. Si Evangelium hoc evidenter expressisset, nequaquam dixissem, *mihi non liquet.* Ne Apostolis quidem, opinor, erat hoc perfecte revelatum, priusquam afflarentur cœlesti Spiritu. Sic arbitror, nec Magis perfecte fuisse reseratum, licet legantur adorasse Dominum, ac munera mystica obtulisse. Idem dici potest de *Elizabeth* & Pastoribus. Prophetæ vero tantum mysterium involucris quibusdam opertum proposuerunt: nec Angelus loquens *Mariæ* exerte pronunciat, id quod nasceretur, fore Deum verum ac verum hominem, sed sanctum ac Filium Dei, quæ verba competere possunt & in eximium Prophetam. Mysterii reserationem divina sapientia juxta tempora ac personas ita dispensavit, ut maxime conducebat ad hominum salutem. Perfecta reseratio servata est Spiritui Sancto. Non inficior hoc & aliis reseratum juxta modum aliquem, & pie credendum sacratissimæ Virgini plenius revelatum, quam cuiquam alii: tantum an *Christo* infante habuerit perfectam hujus arcani patefactionem subdubitabam. Idque ut facerem partim in causa fuerunt probatissimi Doctores *Chrysostomus* & *Augustinus*, quorum prior tribuit Virgini Matri vulgares aliquos matrum affectus, quasi pro auctoritate voluerit imperare Filio, & in eo gloriari. Idem enarrans locum de nuptiis in *Cana Galilææ* dicit hæc verba, *Quid tibi & mihi est mulier*, esse verba increpantis, ne similia Mater in posterum tentaret, quod ipsa corpus humanum tantum genuisset, naturæ divinæ Mater non esset: edere autem miracula divinæ virtutis est. *Augustinus* etiam nonnullam diffidentiam illi tribuit, crucifixo Domino, quamvis leviorem quam habebant Apostoli. Hæc sane non cohærent cum perfecta divinitatis cognitione. Cum reperissent illum in Templo, magis conveniebat adorare eum, & gratias agere quod se non subduxisset, quam dicere: *Fili cur fecisti nobis sic?* Nam hic sermo videtur expostulantis. Et in nuptiis non erat necesse dicere: *Vinum non habent.* Sufficiebat Deo tantum cogitatio. Nusquam profecto legimus *Christum* vel a Matre vel a *Joseph* fuisse adoratum pro Deo, cum esset infans. Verum si liquet Ecclesiæ, quod mihi non liquebat, jam & mihi liquet. Præterea si perfecte noverat illum esse Deum, nimirum & illud noverat, eum habere Patrem, & illius auctoritate venisse ad servandum genus humanum. Cur ergo non intelligebant sermonem Filii, dicentis: *An nesciebatis quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Unde videtur frivolum *Theophylacti* commentum: qui scribit illos veritos, ne se subduxisset in cœlum, videlicet deserta Patris legatione. Quod si Mater metuebat, ne offensus abiisset: & ideo dixit: *Fili cur fecisti nobis sic:* nec responsio est apta, nec illa meruit increpari: *Quid est quod me quærebatis?* In quem locum ita scribit *Ambrosius: Alibi enim ad mysterium impellit, hîc Mater arguitur, quia adhuc quæ humana sunt exigat.* Insuper & Græcus commentarius, qui citatur in *Catena aurea*, habet hæc verba: *Dum enim* Mariam *increpat Dominus quærentem ipsum, omissionem vinculorum sanguinis apertissime suggerit.* Et super hæc verba, *Et ipsi non intellexerunt verbum*, *Bedda* subjicit, *quia de sua divinitate ad eos loquebatur.* Ne hæc quidem congruunt illi quæ perfecte novisset illius divinam naturam. Jam *Elizabeth* non dixit: *Unde hoc mihi ut Mater Dei mei veniat ad me?* Sed *Domini mei.* Agnovit pueri dignitatem, fortassis & divinitatem, sed adhuc, opinor, tanquam per nebulam. Nec *Anna* nec *Simeon* expresserunt *Christi* divinam naturam: nec senex adoravit infantem, Messiam tantum professus est. Apostolis dicitur: *Spiritus paracletus suggeret vobis omnia quæ dixi vobis.* Quæ velut in somnis imperfecta intelligentia imperfectaque fide perceperant, horum plenam intelligentiam plenamque fidem suggessit Spiritus. Quod si perfecta divinæ naturæ cum humana unio non evidenter exprimitur in Evangelicis Litteris, si sacri Doctores videntur diversum sentire de *Jesu* Matre atque isti docent, cum profitear me dubitare tantum, poteram sine convitio doceri. Multi fervent miro zelo sacratissimæ Virginis, vehementes in exaggerandis illius dotibus: at perpauci sunt qui dotes illius imitandi studio flagrent. Quo moderamine Spiritus Sanctus impertierit sua dona Virgini, solus ipse ad plenum novit Spiritus.

Propositio tertia. Joan. II.

87. Sup. 625. E. PAtris gloriæ quoties erit serviendum, nihil opus erit tua interpellatione.

CENSURA.

Hæc Propositio si universaliter intelligatur, sic scilicet quod nullo tempore opus sit interpellatione beatæ Virginis apud Filium, pro rebus divinis aut ad æternam salutem spectantibus, impia est, ritui Ecclesiæ contraria, & hæretica. Alma namque Dei Mater constituta est a Filio, felix cœli porta, pia peccatorum advocata, *ut juxta Scripturas catholica Ecclesia concinit.*

DECLARATIO ERASMI LXXXVII.

87. Nec hîc satis perspicio, quid sibi velit Censura. Quî possit in Paraphrasi hic sermo universaliter accipi, cum illa tractet de *Maria* reprehensa, quod veluti Mater miraculum

culum exigeret, cum ejus naturæ, quæ miracula edebat, Mater non esset, nec expediret humanam auctoritatem divino negotio admisceri. Quod explanat Paraphrasis, est apud probatissimos Ecclesiæ Doctores, nec sensus habet impietatem. Si nunc est cœli porta, & peccatorum advocata, nihil obstat illi mea Paraphrasis.

Tit. XXVIII. *De Angelis. Propositio* Erasmi *prima. In* Elencho CLII.

88. An Angelus sit simpliciter homine dignior, nescio.

CENSURA.

pag. 505. D. *Culpanda jure ignorantia ita dubitantis, cum etiam aperte id Scriptura explicet de quo dubitat. Diminutum siquidem ab Angelis Filium hominis, conteſtatur Rex &* Psal. 8. *Propheta* David, *cum inquit:* Minuisti eum paulominus ab Angelis.

DECLARATIO ERASMI LXXXVIII.

88. Si Scriptura aperte expressit, de quo dubito, fatebor ignorantiam meam. Atqui Scriptura longe aliud exprimit, quam adducunt: neque enim *Paulus* scripsit *paulum*, aut *paulominus*, sed βραχύτι, quod ex auctoritate *Chrysostomi* docui ad tempus referendum, non ad modum submissionis. Alioqui Dominus dum capitur, accusatur, damnatur, cæditur, conspuitur, & crucifigitur, nam illic de passione loquitur Apostolus, non solum infra Angelos demissus est, verum etiam infra plurimos homines. Quod autem ibi citatur ad declarandam *Christi* dejectionem, in *Psalmo* dictum videtur ad declarandam humanæ naturæ dignitatem, quæ proxima est Angelis, inferior illis ob corporis mortalitatem, & animam doloribus obnoxiam. Sed demus *Christum* hoc ipso paululum imminutum præ Angelis quod assumpsit corpus humanum, non necesse est ut Angelus sit simpliciter homine major. Deus enim potest humanæ animæ tantum infundere gratiæ, ut præcellat Angelos: quod in Matre *Jesu* credimus factum, & humanæ naturæ Deus habuit multo plus honoris quam Angelicæ, quippe qui apprehendit semen *Abrahæ*, non Angelorum quempiam. Denique nullus Angelorum sedet a dextris Dei, quod honoris datum est capiti, & per caput quodammodo membris omnibus. Dicent me loquutum absolute de natura hominis & Angeli. Id non esse verum declarant, quæ mox sequuntur in Elencho, *certe Deus hominem majore honore dignatus est quam Angelos:* sed simpliciter intelligo, modis omnibus & sine ulla exceptione. Quod ad conditionem attinet, extra controversiam est, Angelos homine præstantiores.

Tit. XXIX. *De* Petro *Apostolo. Propositio* Erasmi. Matth. XVI.

89. PEtrus dicens *Christo, Tu es Christus Filius Dei vivi,* Sup. 583. F. certa & indubitata sententia professus est illum esse Messiam a Prophetis promissum, singulari quodam amore Filium Dei.

CENSURA.

Hæc Propositio perperam explicat Evangelicam sententiam, præbens occasionem male sentiendi de Divinitate Filii Dei, cum Nestorio. *Non enim singulari quodam amore Dei in ipsum* Christus *est Filius Dei, neque adoptione & gratia, sed origine & natura.*

DECLARATIO ERASMI LXXXIX.

89. In prima Editione anni 1522. in minusculis, cui adfui, comperies excusum, *singulari more Filium Dei.* Singulare voco, quod in unum tantum competit: & *more* dixi pro *modo* sive *ratione*, sentiens *Christum* non communi sensu dici Filium Dei, sed peculiari quadam ratione, qua nullus alius dici potest Filius Dei. *Singulari amore* Typographorum error est, non meus. Id cum & in *Prologo*, & in *Divinationibus*, & in *Elencho*, & in *Supputationibus* admoneam, miror cur hanc Censuram reliquerint Referendarii, præsertim cum testentur sese *Elenchum* & *Supputationes* legisse. Si sensissem *Christum* unice dilectum Patri, nihil erat impietatis in sententia: nam ideo dictus est *Filius charitatis*, & *Filius dilectus:* sed tamen eam sententiam talibus verbis non expressissem. Nunc cum quod est maxime Christianum, & senserim & expresserim, *Christum* solum ex hominibus esse natura Deum, quorsum attinebat hîc meminisse *Nestoriorum*? Sed hîc impositum est Facultati ab eis, qui scripta secus quam oportet referunt, & ad omnia responsa surdi, tantum venantur quod carpant.

Tit. XXX. *De* Paulo *Apostolo. Propositio* Erasmi. Philipp. IV.

Te rogo vera germanaque conjunx. XC.

CENSURA. *Sup.* 692. E.

Temerarie a communi lectione Latina Paraphrastes in Paraphrasi Latina recedit, quam passim sequuntur catholici Doctores, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, *& complures alii. Neque audiendus censet* Hieronymus *eos, qui* Paulum *habuisse uxorem confingant, quod* Paulus *omnes velit esse sicut seipsum. De innuptis item & viduis loquens, bonum dicat illis esse si sic permanserint sicut ipse: id autem nequaquam diceret, si uxorem ipse haberet.*

DECLARATIO ERASMI XC.

Mea Paraphrasis non tollit Ecclesiasticam lectionem, XC. sed illa intacta admonuit, utrumque sensum sumi posse ex verbis Apostoli: nec mihi desunt Auctores, quos hac quidem in parte non minoris facio, quam *Augustinum. Clemens* enim Papa & Martyr ex hoc ipso loco probat *Paulo* fuisse uxorem, sed quam exemplo *Petri* non circumduxerit. Is quo conjunctior fuit Apostolorum temporibus, quo Apostolis familiarior, hoc certius nosse potuit, quam ii qui seculis aliquot sequuti sunt. Locus ex Epistola 1. ad *Corinth.* VII. non urget: quemadmodum satis declaratum est in *Annotationibus.* Cum enim dicit, *Volo omnes vos esse sicut meipsum*, constat eum de conjugatis fuisse loquutum, quos suo exemplo hortatur ad perpetuam ac spontaneam continentiam, tametsi non audet illam ab infirmis exigere. Mox transit ad viduos ac viduas, quos suo item exemplo hortatur, ut perseverent esse cœlibes, & amore pietatis contemnant expertam voluptatem, quemadmodum ipse faciebat. An tum *Pauli* uxor fuerit defuncta, nondum excussi, certe in hoc vult illos esse sui similes, ut ab experta contineant voluptate. Mox redit ad conjugatos, qui non amore pietatis, sed ob humanas offensiones abstinebant ab usu matrimonii. Post hæc transit ad virgines, nec hîc ullam sui facit mentionem. Quod si *Paulus* erat virgo, aut si nunquam habuit uxorem, hîc maxime dicendum erat illud: *Bonum est illis, si sic permanserint sicut ego.* Sed hîc urgeor auctoritate *Hieronymi, Augustini*, & *Ambrosii.* Cæterum tot locis sequens illorum interpretationem, nihil eorum auctoritate sublevor. Qui fuerunt *Paulo σύγχρονοι*, dicunt illi fuisse conjugem. Locus in Epistola, quemadmodum docui, non urget. Unde igitur illis constitit eum fuisse virginem?

Tit. XXXI. *De* Dionysio *Areopagita. Propositio* Erasmi *in Epistola præposita Paraphrasi* 1. *ad* Corinthios.

DIonysius, qui in secunda Hierarchia, id est, Ec- XCI. clesiastica, priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, eruditis recentior quispiam fuisse videtur, quam fuerit Areopagites ille.

CENSURA.

Non vere eruditis, sed temerariis & novitatem studiosis videtur non esse Dionysius *Areopagites, qui libros Ecclesiastica Hierarchia conscripserit. Quandoquidem ab ipso* Dionysio *Areopagita fuisse conscriptos constat: primum ex ipsis Ecclesiastica Hierarchia & aliis ejusdem Auctoris libris: deinde clarorum virorum testimonio idem comprobatur: postremo septima generali Synodo id fit dilucidius, in qua* magnus Dionysius *appellatur is, qui libros scripsit Ecclesiastica Hierarchia.*

DECLARATIO ERASMI XCI.

Hujus proloquii contentionem jampridem remisi, XCI. quanquam hoc a me pauciſſimis verbis sub aliorum nomine positum erat: ac *Jodoco Clithoveo* non sine dente lacessente obticui, non quod mihi nulla essent argumenta, sed quod crederem hoc certamen nec ad fidei

Digitized by Google

fidei negotium nec ad pietatem magnopere pertinere. Illud argumentum, quod illi putant irrefutabile, videlicet admixta quædam illis libris, quæ convincunt eos esse scriptos ab Areopagita, facillime discuteret alius. Diceret eum, qui scripsit eos libros, id studio curasse, ut ab illo *magno Dionysio* scripti viderentur. Nec id videri potest absurdum, cum illo seculo ejusmodi libris falso celebrium virorum titulo commendatis undique scaterent omnia. Tum enim piis etiam viris persuasum erat, Deo gratum esse, si tali fuco populus ad aviditatem legendi provocaretur. Porro quod ajunt neminem dubitare præter ineruditos ac temerarios, quid de *Laurentio Valla* sentiant, nescio: quid de me, non laboro: unum certe proferam, cui nec imperitia, nec temeritas adscribi potest. Is erat *Guilhelmus Grocinus* Anglus, vir, dum viveret, severissimæ castissimæque vitæ, Ecclesiasticarum constitutionum observantissimus, pene usque ad superstitionem, Scholasticæ Theologiæ ad unguem doctus, ac natura etiam acerrimi judicii, demum in omni disciplinarum genere exacte versatus. Is ante annos triginta *Londini* in æde divo *Paulo* sacra magna celebritate cœpit profiteri Hierarchiam Ecclesiasticam, atque in præfatione stomachatus est in eos, qui negarent esse illum Areopagitam, notans, opinor, *Laurentium Vallam*. Verum ubi jam aliquot hebdomadas esset professus, atque ut fit, propius ac familiarius introspexisset Auctoris ingenium, non dubitavit apud eosdem auditores παλινῳδεῖν priorem sententiam, profitens sibi nequaquam videri *Dionysii* Areopagitæ. Recens adhuc est *Grocini* memoria, facile possum redargui, si quid mentior. Postremo *magnus* dici potest, etiamsi non sit ille *Pauli* discipulus. Nam & *Basilius magnus* dictus est, & alii complures.

Tit. XXXII. *De Theologia Scholastica. Propositio* Erasmi *prima. In Epistola præposita Paraphrasi Epistola ad* Ephesios.

XCII. *In Sup. 691. E.* JAm ars esse cœpit Theologia potius quam sapientia, theatrica verius quam ad veram pietatem accommoda. Hanc præter ambitionem & avaritiam vitiarunt & aliæ pestes, adulatio, contentio, ac superstitio. Quibus rebus tandem eo ventum est, ut *Christus* ille purus propemodum esset obrutus humanis argutationibus: limpidissimi quondam Evangelicæ doctrinæ fontes Philisteorum scrobe oppleti: divinæque Scripturæ regula nunc huc nunc illuc detorta, nostris serviret affectibus potius quam gloriæ *Christi*. Quidam pia certe mente conati sunt orbem ad pristinam studiorum simplicitatem revocare, atque a lacunis jam fere turbidis ad vivas illas ac purissimas scatebras reducere. Eam ad rem conciliandam, Linguarum & bonarum (ut vocant) litterarum cognitio visa in primis conducere, quarum neglectu videmur huc prolapsi.

CENSURA.

Hæc Propositio tres habet partes: quarum prima innuens Theologiam Scholasticam esse artem potius humana tractantem quam divina, ac spectaculis mundanis magis accommodam quam pietati, perperam ut aliæ multæ ab hoc Scriptore in odium illius asseritur. Nam quamvis ab humanis disciplinis opem nonnunquam suscipiat, non sic tamen quin earum subsidium in Theologica veritatis perscrutationem convertat. Quod si aliqui plus æquo in peregrinis disciplinis immorentur, non continuo illorum vitium Theologiæ venit adscribendum: quandoquidem sunt plurimi percelebres Doctores, qui suis luculentis doctrinis totum terrarum orbem illuminarunt: quibus si imbutus fuisset hic Scriptor, varios eosque pudendos errores, quos suis libris immiscuit, facile evitasset. Præterea si coram multis tractari soleant Theologicæ disputationes, non protinus theatrica dicenda est Theologia: quam conducibile est publice hujusmodi tractare, quo pluribus consulat, veritates Theologicas manifestando ac defendendo, & oppositos errores eliminando. Secunda pars incipiens ibi, Hanc præter ambitionem *&c. innuens Doctores Scholasticos in suis expositionibus vitiasse Scripturam, eamque repugnantem non ad veritatem, sed ad humanos affectus pro sua libidine detorsisse, veritatis expers est, nec obscure improbam indicat procacitatem enunciantis. Non enim aliam solent probati Scholastici Doctores Scripturarum intelligentiam sectari ab ea, quam tenent & hactenus tenuerunt orthodoxi Interpretes: quamvis in aliquibus, quæ sunt præter fidem, aut non de necessitate explicite credenda, diversa interdum sentiant. Tertia pars incipiens ibi,* Quidam pia certe mente *&c. duo innuit; unum, quod Theologia Scholastica studiorum simplicitatem sustulit: quod manifeste falsum esse constat, cum illa circa fidem & mores versetur, in quorum recta cognitione potissimum consistit simplicitas studiorum; alterum est, quod hujusmodi simplicitas studiorum per Linguarum & politiorum litterarum peritiam revocetur: quod non omnino est concedendum. Nam quamvis aliqua ex parte hæc ad illam conducant, non tamen usqueadeo ut Theologia Scholastica, qua præcipue sensus attendit, non verborum proprietates, quas ex Grammatica præsupponit.*

DECLARATIO ERASMI XCII.

Censura hæc illo nititur fundamento, quod damnem simpliciter ipsam Theologiam: id si verum est, quicquid hîc dicitur, hæret in universum Theologorum ordinem. Atqui cum Theologia sit Sacrorum Voluminum intelligentia, quis furor esset id damnare, quo secundum Deum Ecclesia nihil habet melius aut felicius? Ergo perspicuum est me non ipsam taxare professionem, sed quosdam rem optimam non optime tractantes. Id quod non paucis in locis nominatim & expresse testor. Sic autem loquor in Præfatione: *Jam ars esse cœpit Theologia:* ac subjicio ambitionem, avaritiam, adulationem, contentionem, ac superstitionem, utique non scientiæ, sed hominum vitia, quibus ea professio nonnihil sit vitiata. Qui dicit *jam*, notat degenerasse Theologiæ studium. Qui dicit esse vitiatam, non damnat illius naturam. Quod si qui ita loquitur: *Nunc Missa cœpit esse quæstus ac viaticum imperitorum sordidorumque hominum:* non Missam damnat, sed hominum mores: nihilo magis hic meus sermo lædit Theologiam vel Scholasticam, vel non Scholasticam. Proinde quæ hîc dicuntur in genere, non in omnes hærent Theologos, sed in eos quos ibi designo: *Ac sensim*, inquiens, *eo succrevit, ut plerique neglecta Linguarum ac politioris litteraturæ peritia, imo neglectis Divinis Voluminibus, in curiosis, supervacaneis, & immodicis quæstiunculis, velut ad Sireneos scopulos consenescerent. Jam ars esse cœpit Theologia potius quam sapientia, theatrica verius quam ad veram pietatem accommoda* &c. Qui dicit *plerique*, vulgus notat, non universum ordinem. Si nulli sunt aut superioribus annis fuere tales Theologi, qui spectant ad dignitates magis quam ad *Christum:* qui pecuniæ studio parum sincere tractant verbum Dei: qui in gratiam Pontificum & aliorum Principum detorquent Scripturas: qui malunt tueri falsum, quam a sua sententia decedere: qui plus satis tribuunt externis, in quibus non est sita vera pietas, neglectis iis, quæ sunt viciniora saluti: qui curiosis quæstionibus insenescunt: merito vanitatis arguatur *Erasmus*. Sed si talium nimis multa turba est ubique, hoc admonuisse officium est in ordinem Theologicum, non contumelia. Itaque cum ajunt non adscribendum ipsi Theologiæ, si quid delinquunt hi vel illi Theologi, plane mecum faciunt. Eadem enim ubique & sentio & prædico. De quorumdam Theologorum moribus, aut de studiorum corruptela, num ego primus questus sum? An non *Joannes Gersonensis* parte secunda, sermone *de quatuor domibus*, de corrupta Theologia queritur his verbis? *De Theologia, non quæ ad verbosam & sophisticam loquacitatem & Chimerinam nescio quam Mathematicam redacta est, sed quæ metit fidem moresque componit.* Hæc ille. Quanquam in hoc sermone suspicor a Librariis inductum mendum. Nam arbitror pro *metit* fuisse scriptum *nutrit*. Idem in lectionibus super *Marcum*, parte prima, damnans quorumdam ostentationem, qui in publicis disputationibus tuentur propositiones juxta ri-

Digitized by Google

gorem Logices veras, apud Rhetoricos aut Politicos falsis, exempla proponit: *Ecclesia manens Ecclesia potest errare: Deus & creatura nihil sunt.* Deinde subjicit: *Et sane imprudenter agunt, ne dicam impudenter, qui coram talibus in actibus publicis talem Logicam veram adducunt, aut Philosophiam seu Metaphysicam.* Et paulo post: *Denique cur ob aliud appellantur Theologi nostri temporis sophistæ & verbosi, imo & phantastici, nisi quod relictis utilibus, intelligibilibus, pro auditorum qualitate transferunt se ad nudam Logicam, vel Metaphysicam, aut etiam Mathematicam, ubi & quando non oportet* &c. Idem parte eadem de veris & falsis visionibus: *Examinator spiritualis hujus moneta debet esse Theologus, arte pariter usuque peritus, non quales sunt qui semper addiscentes, nunquam ad scientiam veritatis perveniunt, quales garruloſi, verbosi, protervi, contentioſi, moribus denique pessimis dediti* &c. Si hujusmodi querimoniis, quæ frequentes reperiuntur apud hunc Scriptorem, Theologis *Parisiensibus* & gratiosum & gravem, non læditur Theologia Scholastica, cur ego dicor eam damnare, cum hodiernis temporibus multo duriora audiantur non tantum in diatribis Scholasticis, verum etiam in sacris concionibus? Non taxat, inquiunt, ille nisi Pseudotheologos. Absit, ut secus fecerit; sed cum ait, *nostri temporis Theologi*, nonne videtur aut omnes notare, aut plerosque? Nec video cur commemorandum duxerint exstitisse *Doctores percelebres, qui suis luculentis doctrinis totum orbem illuminarunt*, quasi quisquam hoc neget, sed querimur tam paucos exsistere. Scholasticam autem Theologiam non ideo voco theatricam, quod fiat in publico, nam id esset totam damnare Scholasticam: sed quod in illis diatribis, præsertim celebrioribus, quibus creantur Baccalarii aut Licentiati, multa sæpe proponantur ad ostentationem ingenii, quæ neque necessaria sunt neque utilia. Id esse verum, nec ipsi, ut opinor, inficias ibunt Theologi. Tantum de primo Propositionis articulo. In secundo convenit inter nos. *Non enim aliam*, inquiunt, *solent probati Scholastici Doctores Scripturarum intelligentiam sectari, quam tenent & hactenus tenuerunt orthodoxi Interpretes.* Idem de probatis Theologis semper sensi, at mea querela est de improbatis, quanquam probati quoque Scholastici frequentissime dissentiunt ab orthodoxis Interpretibus: nonnunquam in meis scriptis impium ac blasphemum vocant, quod in illorum libris evidenter expressum est. In causa est, quod non ita multi Veteres evolvunt. Superest tertia pars, in qua duo reprehendunt: alterum, quod videor sentire simplicitatem studiorum sublatam per Scholasticam Theologiam: alterum, quod significo studiorum simplicitatem per Linguarum & politioris litteraturæ peritiam posse revocari. Respondeo, vitio quorumdam factum, ut Theologiam habeamus difficultatibus supervacaneis spinosam. Neget hoc esse verum qui perpenderit, quantum humanæ Philosophiæ *Thomas* & huic similes invexerint in Theologiam, quantum spinarum de suo etiam addiderit *Scotus*, ne quid commemorem de cæteris. Verum interim haud scio an consentiamus in *simplicitatis* vocabulo. Mihi simplicitas opponitur curiosis subtilitatibus, illi putant simplicitatem esse sitam in recta intelligentia fidei ac morum, simplicitatem appellantes sinceritatem. In altero mihi plane cum illis convenit, plus conduceret ad studiorum simplicitatem Scholastica Theologia, si Theologi prætermissis ambitiosis ac supervacaneis difficultatibus in ipsis fontibus potissimum versarentur: verum ad hoc ipsum pene necessaria est Linguarum cognitio, non modo conducibilis. Mihi quantum tribuant, ipsi viderint: certe non sum, ut arbitror, omnino rudis optimorum Auctorum: & si tantum valet Scholastica Theologia, ut non patiatur quemquam prolabi in errores: miror unde *Joannes Hus*, & *Wiclevus*, atque etiam *Lutherus*, *Oecolampadius*, & *Balthasar*, hauserunt tantam errorum sentinam, cum omnes Scholastica Theologia fuerint imbuti. Quod ajunt de tam multis tamque pudendis erroribus meis, non inficior meam eruditionem esse infra mediocritatem, nec invitus agnosco lapsus humanos, sed tales aliquanto plures inveniri possent in scriptis veterum Orthodoxorum, si quis ea ad Scholasticorum dogmatum gnomones simili candore atque æquitate expendat. Et fortasse magis pudendum sit, eos, qui & habentur & haberi volunt consummati Theologi, toties labi non per occasionem, sed magna cum auctoritate ac supercilio, non sine atrocibus convitiis pronunciantes. Quod tamen in Facultatem dictum nolim. Tametsi non sunt defuturi, qui putabunt tam celebri Collegio non sufficere hujusmodi excusationem: Erravit Amanuensis. Sic ad nos relatum est. Hoc videtur innuere Propositio, ut jacet. Hæc Propositio sic aut sic intellecta. Oportet enim talis Collegii sententiam liquidam esse καὶ ἀμώμητον.

Propositio II. *In Præfatione in* Hilarium *cum sequentibus.*

NOvam in rebus divinis, qui nihil aliud sunt quam homines, θεότητα commenti sunt: quæ quidem plus quæstionum & atrociores tumultus excitavit orbi quam olim *Arianorum* temeritas. XCII.

CENSURA.

Cum paucis & veluti compendio quodam catholicas veritates Scholastica Theologia fideliter decernat, sicque suos instituat, ut non facile in errores prolabantur, hac Propositione erronea & temerarie doctrina Scholastica detrahit hic Scriptor, ab ejus studio, quantum in ipso est, perverse trahens: quod utile & necessarium esse sacra Concilia ostendunt: qua generalia studia, & deputata illis gymnasia pro hujusmodi exercitatione Theologia comprobarunt, atque multis privilegiis ac immunitatibus donaverunt.

DECLARATIO ERASMI XCIII.

Hæc Propositio non solum truncatim, sed etiam depravate refertur. Locus in Præfatione sic habet: *Atque hac in re adeo modum nesciere quidam, ut postea quam nihil non definierant de rebus divinis, novam in his, qui nihil aliud sunt quam homines, θεότητα commenti sint* &c. Primum qui dicit *quidam*, non sentit de universo Theologorum ordine. Loquor autem illic de iis, qui Romano Pontifici tribuunt plus satis, quorum adulationem scio nec Theologis probari. Id satis arguebat libellus, quo responderunt Cardinali *Cajetano*. Proinde præter æquum, hoc meum dictum ad universam Scholasticam Theologiam detorquetur. Itaque voces illæ, erronea, temeraria, perversa retractio, mera convitia sunt in me, qui nihil unquam tale nec scripsi, nec dixi, nec sensi. Sed quomodo recte pronunciet Facultas, si res secus quam habet proponatur? XCIII.

Propositio ejusdem III. *In eadem in* Hilarium *Præfatione.*

NObis qua fronte veniam poscemus, qui de rebus longe semotissimis a nostra natura tot curiosas, ne dicam impias, movemus quæstiones, tam multa definimus, quæ citra salutis dispendium vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui. An non habiturus est consortium cum Patre & Filio & Spiritu Sancto qui nesciat ad Philosophiæ rationem expedire quid discernat Patrem a Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum, quid intersit inter Filii nativitatem a Patre & Spiritus processionem? XCIV.

Quarta ejusdem Propositio: ibidem.

Non damnaberis, si nescias utrum Spiritus a Patre & Filio proficiscentis unicum sit principium, an duo. XCV.

CENSURA.

Quamvis certum sit, simplices absque profunda horum mysteriorum intelligentia salvos esse posse, ha tamen Propositiones, quibus, ut ex præcedentibus liquet, Auctor innuit supervacaneum esse ac inutile Doctorum studium & indaginem, per quæ Deo juvante & cooperante talia divina mysteria aperiunt & explicant, in injuriam asseruntur sanctorum Doctorum, Augustini, Hilarii, Hieronymi, Ambrosii, Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, *& aliorum, quos non frustra laborasse exploratum est, ejusmodi argu-*

Digitized by Google

argumenta tractandi. Sunt insuper supradictæ Propositiones sacris Conciliis generalibus contumeliosæ, quæ tales materias de Trinitate & consubstantialitate Personarum divinarum ex Scripturis ob incidentes calumnias Hæreticorum crebro deciderunt & definierunt, aut potius declaraverunt: quamvis ante tales definitiones aut declarationes Ecclesia de illis non dubitaverit.

A

DECLARATIO ERASMI XCIV. XCV.

XCIV. XCV. Cum in confesso sit Priscos illos, si quando coguntur de natura divina philosophari, religiosissime precari veniam, de hoc loquutus subjicio, *Nobis qua fronte* &c. Qui sermo quid aliud habet quam querimoniam de his, qui de similibus argumentis curiosas ac propemodum impias movent quæstiones, multaque definiunt, quæ citra salutis dispendium vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui. Hoc esse verum de multis, ipsi Theologi neque nescíunt fieri, neque factum probant. Necessarias ac sobrias de divina natura quæstiones non improbo, præsertim si juxta Scripturarum oracula cum tremore peragantur. Curiosas ac supervacaneas noto, ac retuli tum duo exempla: alterum, quid discernat Patrem a Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum: alterum, an Pater & Filius spirantes tertiam Personam sint unum principium, an duo. Ea si non placent, in promptu sunt innumeræ quæstiones simpliciter curiosæ & supervacaneæ, quæ partim exstant in libris Theologorum, partim audiuntur in solennibus diatribis, ac sacris interdum concionibus. Quale cum nihil reperiatur in Veterum scriptis, qui tamen magna religione precantur veniam de rebus humanum ingenium excedentibus verba facturi, nulla facta est injuria neque sacris Doctoribus neque Conciliis. Nec inquisitiones sobriæ, neque definitiones necessariæ improbantur, tantum curiosæ & irreligiosæ taxantur. Quam igitur injuriam mea Propositio facit sacris Doctoribus, *Augustino*, *Hilario*, & cæteris, cum ipsi fateantur se quæstionem de processione Spiritus explicare non posse, ac procedendi modum credendum esse, non disputandum. Idem fatetur divus *Basilius* in libro *de Spiritu Sancto*. Præclara vero ratio, quam addidit *Augustinus*: *nemo nascitur, nisi e duobus, patre & matre*. Quomodo igitur natus est *Christus* ex virgine? Aut quid necesse est humanam nativitatem per omnia quadrare divinæ? Rursus mea Præfatio non loquitur de pia ac religiosa e Divinis Litteris scrutatione, sed de his, qui tales quæstiones Philosophiæ humanæ præsidiis decidunt: *qui nesciat*, inquit, *ad Philosophiæ rationem expedire, quid discernat Patrem a Filio*, & cætera. Quis autem vere pius possit absque scandalo legere commenta, opiniones, dubitationes, dissensiones, rixas, quæ *Scotus*, *Gabriel*, ac cæteri recentiores invehunt, de distinctione Personarum? De his est Præfationis meæ querimonia, non de sobria indagatione.

B

C

D

E

Quinta ejusdem Propositio. In eadem Præfatione in Hilarium.

XCVI. EA, quæ nos scrutamur, quæ definimus, nec Sacris Litteris prodita sunt, ut si comprehendi non possint, certe credi debeant: nec ullis rationibus probari, nec cogitatione concipi, nec similitudinibus adhibitis adumbrari, ut sunt, possunt. In quibus vestigandis cum a clarissimis ingeniis summa vi diu desudatum fuerit, hic demum est extremus profectus, ut intelligant se nihil scire: & adeo ad vitæ pietatem nihil faciunt, ut nusquam magis habeat locum illud *Pauli*, 1 Cor. 8. *Scientia inflat, charitas ædificat.*

F

CENSURA.

Quæ scrutantur, quæ definiunt catholici Doctores & sacra Concilia de beatissima Trinitate & de divinis Personis credenda, constat in Sacris Scripturis contineri: nec ab re rationes, suasiones, similitudines, atque manuductiones ab illis adduci ad tanta mysteria utcunque intelligenda. Nec is utique labor inutilis est aut infructuosus, sed maxime ad pietatem conducit Christianæ Religionis: quem non scientia, quæ inflat, ut temerarie Scriptor iste asserit, sed charitas, quæ ædificat, promeretur.

DECLARATIO ERASMI XCVI.

Censura justa foret, si hæc scripsissem in probatos Ecclesiæ Doctores, deque his quæ Ecclesiæ auctoritas ex arcanis litteris præscripsit nobis credenda de sacra Triade, non autem de curiosis, ambitiosis, ac supervacaneis disceptationibus circa mysteria divinæ essentiæ. Si negabunt tales esse, proferam ducenta exempla e libris Scholasticorum. Adde quod rerum nec necessariarum nec comprehensibilium molestiam auget mira talium inter ipsos dissensio. Proinde cum superiores Censuræ falso, ut dixi, fundamento innitantur, imaginantes hæc in ipsam Theologiam & in universum Theologorum ordinem dicta, nihil ad me pertinent. Theologiæ studium fateor esse saluberrimum omnium, sinceros Theologos amo sincero pectore, tantum de his queror, quæ non arbitror cuiquam probo Theologo probari. XCVI.

CONCLUSIO HUJUS OPERIS.

Hæc itaque sunt quæ super propositis Erasmi *assertionibus decernenda dijudicamus: quæ ideo pluribus expressimus, ut plenius cognoscant omnes quam absurda sint & stulta, quæ olim impii Hæretici*, Ariani, Aëriani, Valdenses, Beguardi, Turelupini, Witclevistæ, *atque his temporibus* Erasmus & Lutherani, *contra Ecclesiæ definitiones atque instituta ausu sacrilego asserere non erubuerunt: illosque atque pestilentes eorum errores prorsus rejiciant, & soli adhæreant Ecclesiæ catholicæ, quæ in fide & moribus errare non potest. In his enim semper a Spiritu Sancto dirigitur. Propter quod scribit Apostolus, Ecclesiam columnam esse & firmamentum veritatis. Hinc profecto constat eos, qui illi reluctantur, turpiter a veritate aberrare: quod legendo hæc vel rudes & imperiti facile percipiant. Rationes enim adducuntur, ac Divinorum Voluminum citantur testimonia, quæ manifesta reddere valeant nec inefficacia quæ decernuntur. Unde confunditur eorum impietas, qui usqueadeo gravia errata purioris Christianismi vel sincerioris doctrinæ pratextu innovare moliuntur. Huc etiam accedit, quod succurrendum fuit illorum imbecillitati, qui vera esse credunt, quæ splendore illustrantur orationis: contra vero falsa, quæ rudi & incompto sermone scribuntur: minime attendentes inter hæc & illa non minus esse discrimen, quam inter vasa & ea quæ in illis continentur, quod sæpe maximum est. Nam nonnunquam aurea vasa, quibus similes sunt ornati sermones, mortifera continent venena: ubi testea, quibus comparantur inornati, salubrem continere liquorem perspicuum est. Consulendum item fuit iis, qui Græcas nosse & Hebraicas litteras perfectam putant esse & consummatam Theologiam: cum tamen qui eas norunt, si non alioqui in Theologica disciplina fuerint instituti, Grammatici censendi sunt, non Theologi: quemadmodum & qui Latinas profitentur non ulterius progressi. Ut igitur omnium horum ratio haberetur, ac illis dilucidius veritas monstraretur & efficacius, operæ pretium fuit prolixiori tractatu rem hanc deducere. Sic enim plerumque veri aperiuntur sensus Scripturarum, hæresum fontes desiccantur, & techna atque calumnia deteguntur Hæreticorum. Hac etiam ratione pericula devitantur, quæ ex suspectis libris proveniunt, aut ex his, qui quamvis eleganter & nitide conscripti sint, non tamen carent veneno damnatæ* Witclevicæ & Lutheranæ *doctrinæ.* XCVII.

Acta sunt hæc in nostra congregatione apud Collegium Sorbonæ, *post diuturnam ac maturam discussionem, die* 17. *Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo septimo.*

AD CONCLUSIONEM RESPONSIO ERASMI.

Quis sit Auctor Conclusionis nescio, sed satis præter meritum meum odiose miscet nomen meum cum nomine *Lutheri*, cum in his omnibus Propositionibus ne una quidem sit, quæ mihi vere conveniat cum *Luthero*, aut quæ convellat definitiones aut instituta Ecclesiæ: ut sacratissima Facultas magis damnarit quod falso delatum fuit, aut quod sinistre suspicati sunt quidam, quam quod a me scriptum est. Quanquam autem plusquam atrox injuria est in his vocibus *Erasmus* & *Lutherani*, tamen æquiore patior animo quod cordatus Lector facile divinabit, quis sit ille φιλοθόρυβος, qui sui pectoris venenum hisce Censuris admiscuit, qui talibus convitiis magis XCVII.

Digitized by Google

gis dedecorat ſuum Collegium, quam meum nomen, cujus ſcriptis abunde liquet quam mihi nuſquam conveniat cum impiis Hæreticis. Dominus det illi cum ſuis conjuratis ſaniorem mentem. Quod illum non tracto nunc pro meritis, Facultatis auctoritati condono, cujus auctoritatem auctam, non diminutam cupio. Quin & vigilantiam laudo, quod admonent omnes, ut, rejectis erroribus, Eccleſiæ adhæreant, quæ non poteſt errare: addendum tamen erat, in his dumtaxat quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: ſed ab hac Eccleſia *Eraſmus* nunquam ſciens latum culmum digreſſus eſt, ſtrenue depugnans cum his, quibus me quidam ſtudent conjungere. Recte monent & illud, non ſtatim eſſe pium quod eſt verbis expolitum: at nec ſtatim pium eſt, quod eſt ſermone incondito prolatum. Rectiſſime vero monent, ne qui Græcam aut Latinam linguam callet, ſtatim habeatur pro abſoluto Theologo. Meditandum eſt enim noctes ac dies in Lege Domini, optimi quique Auctores evolvendi, quæ res nec paucorum annorum eſt, nec exigui laboris.

SEQUUNTUR QUÆDAM PROPOSITIONES ERASMICÆ, CENSURA EJUSDEM FACULTATIS THEOLOGICÆ, qua ſuperiores, notatæ; ſed per deſcribentis oſcitationem impreſſori non traditæ: quas, quia ſuis locis nunc apponi non poterant, ad calcem duxit apponendas.

Ad Titulum VII. *De fiducia bonorum operum & meritorum, apponenda ſunt hæ duæ Propoſitiones, ex libello* Eraſmi *de miſericordia Dei. Propoſitio prima.*

I. QUantis malis patent qui fiduciam poſuerunt in meritis ac factis ſuis.

Propoſitio ſecunda.

II. Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Cum audis (ait *Eraſmus*) *bonæ voluntatis*, intelligis excludi fiduciam meritorum.

CENSURA.

Duplicem eſſe fiduciam meritorum exploratum eſt: alteram perverſam & excludendam, eam videlicet quæ plus ſuæ juſtitiæ & meritis tribuit quam divinæ gratiæ aut miſericordiæ, quæ arrogantia intumeſcens alios contemnit, quaſi a ſe & a ſua virtute merita habeat, non Dei gratia & miſericordia, ingratitudine quoque langueſcit, minime gratias agens Deo omnium bonorum largitori, dum non attendit quod præcipuus ſit auctor meritorum, bonorum cogitatuum, affectuum, ac operationum. Neque enim, *ut ſcribit Apoſtolus*, ſufficientes ſumus aliquid cogitare a nobis tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui in nobis velle operatur & perficere, *qui tamen ſic illa in nobis operatur, ut & nos cum eo operemur. Quod monſtrans Apoſtolus aſſerit non fore inanem laborem fidelium, eoſque admonet ne in vacuum gratiam Dei recipiant. In ſe iſtam gratiam Dei vacuam non fuiſſe dicit, ſed ſecum laborantem: unde patet hominis voluntatem in bonis operibus habere ſuam actionem, quamvis primatum bonorum operum & principalem actionem Deo & gratiæ ejus deberi certum ſit, non humanæ voluntati aut libero arbitrio, quem ſibi adſcribens hæc vana, impia, ingrata, & præſumptuoſa fiducia meritorum aut bonorum operum maxime a ſe elongat fontem divinæ miſericordiæ, & ideo excludenda eſt. Altera autem eſt fiducia meritorum ſive bonorum operum pia, humilis, nec ingrata; quæ antea in ſecunda Propoſitione hujus Tituli plene explicata eſt. Hæc autem non modo utilis eſt omnibus Chriſtianis adultis, ſed & neceſſaria: obligantur enim fideles adulti credere bona opera cum Dei gratia eſſe neceſſaria & requiſita ad habendum vitam æternam: obligantur quoque deſiderare eamdem vitam æternam, & ponere ejuſmodi bona opera ad eam comparandam. Judicare etiam tenentur, quod Deus benedictus illa bona opera præmiabit ſicut ipſe decrevit: & patet per Scripturas, & hoc clare explicat Apoſtolus: nam cum in univerſali ſua bona opera prænominaſſet dicens,* Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, *mox ſubjungit*, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex. *Et ne quis putaret ſolis bonis operibus ſuis reddendam mercedem, beatæ immortalitatis coronam, ſubdit, non ſolum ſibi illam tribuendam, ſed & his qui diligunt adventum Domini, hoc eſt, fidelibus bene in hac vita laborantibus, qui Domini exſpectant adventum. Proinde debent fideles juxta definitionem Apoſtoli in hac vita bene operari, & bene operando certo a Domino mercedem exſpectare: alioqui fiducia ſpei catholicæ carerent, ſine qua non ſalvantur adulti. Quapropter ſi præfatæ Propoſitiones hujuſmodi fiduciam meritorum & bonorum operum reſpuant aut inficientur,* Lutheri *impietati ſuffragentur: ſecus autem, ſi de prima fiducia intelligantur, quæ, ut dictum eſt, omnino eſt abjicienda.*

2 Cor. 6.

2 Tim. 4.

DECLARATIO ERASMI.

Nunc ad accenſas Propoſitiones, quas dormitabundus ille Theologorum Amanuenſis non in tempore tradidit *Badio*, cum quinquennium habuerit ad deſcribendum. Mirum autem quo caſu hæ octo relictæ ſint, quum Operis Concluſio jam fuerit excuſa. Quis non intelligat hos fucos, aut jocos potius veſperiales? Aut quis non ſentiat hoc ſtudio procuratum, ut *Eraſmus* & *Lutherus* inexplicabiliter miſcerentur. *Eraſmus* autem veluti coryphæus præcederet, & idem ſequeretur, ut imperiti credant illum hujus negotii α & ω. Mira vero talium artificum gravitas!

AD PRIMAM ET SECUNDAM.

Illic nihil aliud doceo, quam fiduciam in miſericordia Dei collocandam potius, quam in noſtris meritis ac factis. Ac fiduciam ſimpliciter appello ſummam certamque ſpem: humanis enim meritis, quatenus humana ſunt, quam minimum tribuendum arbitror: gratiſſima autem *Chriſto* modeſtia fuerit, ſi quis nihil omnino tribuat. Bona opera requiri in adultis, fateor maxime. Quod vero negant fore ſpei Chriſtianæ fiduciam, niſi fidamus benefactis noſtris: nemo firmius ſperat, quam qui ſperat in promiſſis ac miſericordia Dei & in meritis *Chriſti*. Et tamen humilem illam fiduciam, quam ponunt, ego ſane non rejicio, quanquam nuſquam lego dictum homini, habe ſpem in benefactis tuis, aut ille confidit operibus ſuis. I. II.

Ad Titulum XX. *De cœlibatu Sacerdotum. Propoſitio ex libro de interdicto eſu carnium.*

MUltæ cauſæ ſuadent mutationem legis cœlibatus in Eccleſiaſticis. III.

CENSURA.

Hæc Propoſitio, quatenus prætendit cauſas mutationis hujuſmodi legis validas eſſe, falſa eſt, vehementer ſcandaloſa, & in Eccleſia ſancta ſchiſmatis Lutherani *ac hæreſis ejuſdem impia nutritiva. Multa enim ſunt & efficaces cauſæ impellentes ad ſanctam legis cœlibatus Sacerdotum obſervationem retinendam, & nullatenus mutandam: & nullæ (quæ quidem juſtæ ſint) ad oppoſitum. Nam ſi divino cultui deputatis in lege veteri, cujus ſacramenta umbræ tantum erant ſacramentorum novæ legis, in ordine vicis ſua altari deſervientibus neceſſarium erat continere: cum tamen ipſi per ſucceſſionem generationis miniſtrare altari adſtringerentur, nec in ſua eſſet libertate hoc officium recuſare: eos enim neceſſum erat hujuſmodi munus obire qui de* Levitica *fuiſſent Tribu exorti: potiori utique ratione miniſtris altaris competit continentia. Non enim, ut illi, per generationem aſſumuntur, ſed per liberam propriæ voluntatis electionem: nam nequaquam ſacros ordines ſuſcipere quiſpiam compellitur, ſed qui vult ordinatur, qui reſpuit ad illud non adſtringitur. Spontanea autem voluntate ſacros ordines ſuſcipientibus ſapienter Spiritu Sancto ſuggerente continentiam Eccleſia adjecit, habita præſertim ratione uſqueadeo præcellentis dignitatis tantorum ſacramentorum, quibus nihil ſanctius, nihil ſpiritualius, nihil divinius: quapropter qui illis deputantur par eſt ſpirituales ſint & a carnalibus deſideriis eorumque occaſionibus & fomentis maxime elongentur: ut caſto animo ac incontaminato corpore ſanctam & immaculatam hoſtiam offerre mereantur: neque admiranda illa & tremenda attrectent myſteria, qui non eximia pollent ſanctimonia. Huc accedit quod qui vitam*

Digitized by Google

vitam cœlibem agunt, externa occupatione, aut uxoris liberorumve sollicitudine minime præpediuntur: quo minus sacræ lectioni, orationi, meditationi, cæterisque id genus vitæ contemplativæ officiis vacent liberius. Si autem uxores ducerent, qui sacros ordines suscipiunt, minus profecto
1 Cor. 7. *libere Domino intenderent. Nam ut ait Apostolus,* qui cum uxoribus sunt, solliciti sunt quæ sunt mundi, quomodo uxoribus placeant, & divisi sunt. *Quamobrem cum magna inquietudine viverent Sacerdotes cum uxoribus oneribus matrimonii implicati: ob quæ multum eos oporte-*
2 Tim. 2. *ret negotiis secularibus involvi, a quibus tamen ipse Apostolus Deo militantes abstinere debere decernit. Qui vero continentes sunt & cœlibes permanent, quæ Domini sunt cogitant, quo scilicet pacto possint Deo placere, & castimoniam servare ac puritatem animæ & corporis: nec non & pervigilant qui curam habent animarum, tanquam Domino de creditis sibi ovibus rationem reddituri. In magnam præterea perniciem Ecclesiæ concessa Ecclesiasticis conjugia redundarent. Infinita siquidem propemodum confusio in Ecclesiam induceretur in immensum excrescente filiorum & filiarum multitudine, quæ sumptibus alenda foret Ecclesiæ. Filiis quoque parentes beneficia Ecclesiastica quasi per manus tradentes, & continua successione a progenie in progeniem suis illa reservantes familiis,* Leviticum *Sacerdotium, quod Sacerdos secundum ordinem* Melchizedech Christus *Dominus abjecit, instaurare viderentur. His autem perpensis facile est dignoscere quantum a recto tramite exorbitent qui usque adeo Sacerdotalem statum dejiciunt, ut post susceptum sacrum ordinem nova nuptiarum fœdera inire consulant, id quod ne ipsis quidem Græcis unquam licuit. Nam quamvis voto continentiæ minime adstringerentur respectu præcedentium nuptiarum, nefas tamen semper illis fuit post susceptum Sacerdotium nuptiarum vinculo sese illigare, aut mortua prima uxore secundam ducere. Si autem id a Græcis inviolabiliter observatum est, quanto valentiori jure Sacerdotes Ecclesiæ Latinæ, quæ voto continentiæ se devinxit, post susceptum Sacerdotii gradum nefarium est in rei uxoriæ servitutem detrudere. Probanda itaque est Ecclesia Latina continentia, quæ sanctitate præfulget, liberam concedit facultatem vacandi divinis studiis, ac utilitati rei Ecclesiasticæ magnopere conducit.*

DECLARATIO ERASMI AD TERTIAM.

Qui tractant divina mysteria ac verbi cœlestis administrationem, eos maxime decere castitatem, vere pieque differunt, ac me quidem utroque favente pollice. Sed illi quid ipsa res postulet considerant, ego quid hominum imbecillitas. Nonnulla, fateor, incommoda sequerentur, si Sacerdotibus permitterentur uxores, sed quibus certis constitutionibus vel Ecclesia, vel Principum sollicitudo facile mederetur. Nunc in tam corruptis hominum moribus longe graviora incommoda habet illorum impurissimus cœlibatus. Utinam Sacerdotes, quotquot sunt, ad vitæ puritatem converterent animum. Multas causas esse dixi; an validæ sint, judicent Ecclesiæ lumina.

Ad Titulum XXXII. & ultimum, *De Theologia Scholastica, addenda erant Propositiones quinque, quarum prima fuisset suo ordine Propositio* VI. *quæ est in Præfatione* Erasmi *in* Hilarii *Opera.*

IV. SAnctissimus vir *Hilarius* haudquaquam erat ignarus quam periculi plenum sit, quam parum religiosum de rebus ineffabilibus loqui, incomprehensibilia scrutari, de longe semotis a captu nostro pronunciare.

CENSURA.

Norat beatus Hilarius *nullum esse periculum de divinis pronunciare, conformiter ad ea quæ in sanctis Scripturis habentur, aut quæ in sacris Conciliis œcumenicis sunt decisa & definita: alioqui non pro illis tuendis exsulasset ipse, neque ad ea explananda insignes libros edidisset.*

DECLARATIO ERASMI IV.

IV. Atqui in illis ipsis libris, quos *Hilarius* scripsit *de Trinitate*, non uno loco trepide precatur a Deo veniam quod de rebus inexplicabilibus verba sit facturus: clamatque se religionis studio cogi, ut fiat irreligiosus. Nec mirum, cum in illis ipsis libris aliquoties ea scribat, quæ me nunc scribentem nemo toleraret. Nec minus trepidat *Augustinus* de Triade disputaturus. Jam & ipsi Theologi quædam commode interpretantur, quædam rejiciunt ab *Augustino* prodita de sacra Triade. Scripturæ non fallunt, sed in interpretando periculum est. Nam & *Ariani* habebant Scripturas. Postremo in verbis ipsis magna religio est. Proinde Veteres vix audebant de divinis Personis aliis loqui verbis, quam Scriptura loqueretur.

Septima Propositio. In eadem Præfatione in Hilarium.

SUmma nostræ Religionis est pax & unanimitas; V. sea vix constare poterit, nisi de pauciſſimis definiamus, & in multis liberum relinquamus cuique suum judicium.

CENSURA.

Religioni Christianæ non parum conducere pacem & unanimitatem exploratum est, dum tamen ea pax & unanimitas pia sit & recta. Si autem impia sit & a catholica veritate aliena, quemadmodum solet esse in Hæreticis, nullo modo confert, imo plurimum obest Christianæ pietati. Ut autem dissolvatur hujusmodi impiorum consensus, & pia ac recta in Ecclesia concordia statuatur, opus est catholica dogmata per eos qui auctoritatem habent in Republica Christiana sæpius explicentur. Hac enim ratione schismata tolluntur & scandala, pullulantesque hæreses eliduntur & perversæ doctrinæ, moresque fidelium componuntur, & fides ipsa in cordibus Christianorum radicatur. Sic olim persequentibus Ecclesiam Hæreticis cum sua exsecrandæ conjurationis complicibus, congregata sunt generalia Concilia, ubi rejectis & damnatis impiis, pacem & concordiam Ecclesia recepit. Ut autem id fieret crebro, oportuit adversus impietates atque calumnias Hæreticorum Ecclesiam non de pauciſſimis, sed de multis definire aut declarare, quæ tenenda, quæve rejicienda forent: neque super his, quæ ad pietatem spectant, liberum relinquere cuique suum judicium, alioqui nulla posset inter fideles in his, quæ fidei sunt, unanimitas & concordia servari. Proinde hæc Propositio temerarie ac ignoranter asserta, dissolvendæ unitati fidelium viam seditiose aperit, nec non & disseminandis perniciosis erroribus.

DECLARATIO ERASMI V.

Totus ille locus dehortatur a curiosis ac temerariis V. definitionibus circa materias hominis intellectum excedentes, non loquitur de sobria religiosaque vestigatione, aut decretis Synodorum οἰκουμενικῶν. Præcedit enim hunc quem citant locum hic sermo: *Non quod in totum damnandam existimem, vel Philosophiæ in tres partes dissectæ, vel rerum ultramundanarum vestigationem, modo adsit ingenium felix, & absit definiendi temeritas, absit pervicacia, & concordiæ pestis, vincendi pertinax libido. Summa nostræ Religionis pax est* &c. Et paulo post: *Atque hac in re adeo modum nescire quidam,* &c. Ac longiore intervallo præcessit: *At ea, quæ nos scrutamur, qua definimus, nec Sacris Litteris prodita sunt,* & cætera. Quod si Theologi velint fateri verum, opinor nec ipsis probari contentiones de instantibus, quidditatibus, formalitatibus, & respectibus, nec fictiones propositionum, ut non necessarias, ita duras piis auribus. Veluti cum quæritur an hæc propositio sit impossibilis, *Deus Pater odit Filium in divinis. An Pater potuerit gignere plures filios.* Et his etiam odiosiora. Nec damnatur quod Concilia multa ex Litteris Sacris definierunt contra Hæreticos, nec velim Ecclesiæ tranquillitatem emi consortio falsitatis: sed infinitas & curiosas quæstiones noto, ad quarum comparationem, pauca videbuntur quæ restant, utcunque per se multa sint. Proinde hæc Propositio recte intellecta, nec temerarie, nec ignoranter asserta est, nec dissolvendæ unitati fidelium viam seditiose aperit, aut disseminandis perniciosis erroribus. Non statim dissolvitur Eccle-

siæ

siæ concordia, si de multis Scholasticorum opinionibus liceat in suo quemque sensu abundare, inconvulsis his quæ certo credenda tradidit Ecclesia.

Octava Propositio. In eadem Præfatione in Hilarium.

VI. HOc eruditionis est Theologicæ, nihil ultra quam Sacris Litteris proditum est definire, verum id quod proditum est bona fide dispensare.

CENSURA.

Non est eruditionis Theologicæ nihil de iis quæ ad fidem spectant definire, quam quod in Sacris Litteris formaliter & expresse habetur, aut quod ex illo clare deducitur: sed impietatis Wiclevicæ *aut* Lutheranæ; *quandoquidem auctoribus* Dionysio, Basilio, Augustino, *& aliis multis catholicis Doctoribus, non minus credenda sunt quæ a* Christo *ex Apostolorum traditione habemus de sacramentis & nonnullis aliis, quam quæ in Scripturis sanctis exprimuntur. Nec solis litterarum monumentis jubet Apostolus fidem adhiberi, sed & traditionibus nudo sermone explicatis. Quare præscripta Propositio est falsa, impia, &* Wiclevicæ *atque* Lutheranæ *perfidia consentanea.*

DECLARATIO ERASMI VI.

VI. Candidi Lectoris est interpretari sermonem juxta materiam præsentem. Non illic agebam de ritibus sacramentorum, sed de curiosis quæstionibus circa divinam naturam. In his nolim Theologos a Divinorum Voluminum ductu recedere. Id si fatentur recte dictum, quid habet hæc Propositio commune cum *Wiclevis* aut *Lutheris?* Nemo negat reverenter accipiendum quod ab Apostolis voce non scripto traditum est: sed non statim ab Apostolis traditum est, quicquid quocunque modo irrepsit in usum Ecclesiæ, cum de scriptis non possit esse tergiversatio. Jam scio *Hieronymum* aliosque pios viros præcipere, ut a majoribus tradita perinde accipiamus, ac si fuissent ab Apostolis profecta: verum hæc utiliter dicuntur adversus eos, qui contumaciter negligunt a priscis instituta Patribus: non arbitror tamen quorumlibet Episcoporum constitutionibus tantum esse tribuendum, quantum debetur Apostolicis præscriptionibus. De Synodorum universalium decretis non loquor, præsertim veterum & usu comprobatis.

Nona Propositio. In eadem Præfatione in Hilarium.

VII. MUlta problemata nunc rejiciuntur ad Synodum, multo magis conveniebat quæstiones ejusmodi in aliud rejicere tempus, cum sublato speculo & ænigmate videbimus Deum de facie.

CENSURA.

Nequaquam a fidelibus censenda sunt problemata, quæ in generalibus Conciliis Ecclesia determinat super his quæ ad pietatem spectant: a Spiritu Sancto enim directa de illis tantum ibi decernit, quæ ab omnibus Christianis inconcusse & inviolabiliter sunt tenenda. Propter quod hæc Propositio temerarie & arroganter asseritur: quasi nesciat discernere Ecclesia quæ sint aut non sint problemata, quæ sint aut non sint definienda.

DECLARATIO ERASMI VII.

VII. Absit a me talis insania, ut existimem ea, quæ generalibus Conciliis rite coactis ac peractis de fide tradidit Ecclesia, revocanda in integrum: de Theologorum quorumdam curiosis quæstionibus ac temerariis definitionibus loquor, ad fidem nec utilibus nec necessariis. Hoc me sentire totus sermonis tenor declarat. Nec satis intelligo quid sibi velit Censura, cum ait, *quasi nesciat discernere Ecclesia, quæ sint aut non sint problemata, quæ sint aut non sint definienda.* Nihil enim est in meis verbis affine huic sensui. Mea sententia est a simili. Sicut hodie multa proponuntur, quæ nec probantur nec improbantur, sed rejiciuntur ad Synodum οἰκουμενικὴν, ita multa definita sunt a quibusdam Theologis de divinæ naturæ mysteriis, quæ satius erat rejicere in seculum venturum, cum videbimus facie ad faciem. Obsecro te Lector per *Christum*, habet hic sensus aliquid blasphemum in Ecclesiam, aut in Concilia?

Decima Propositio. In sæpe dicta Præfatione in Hilarium.

PUdet Rabinos alicubi nihil habere quod respondeant. VIII.

CENSURA.

Doctores Scholasticos magno dolore ac pudore affici certum est his temporibus dum vident impios homines sacra Ecclesiæ Concilia etiam generalia perfricta fronte contemnere pariter & sanctos Doctores, sanctas quoque Scripturas pro sua libidine ad hæreticum sensum passim detorquere, cum tamen Scholasticis Doctoribus, quos hic Scriptor pro contumelia Rabinos appellat, minime desit quid adversus perfidam Lutheri *doctrinam respondeant. Eam siquidem manifestis argumentis, & his solidissimis, & quæ vere dissolvi nequeant, delirare clare ostendunt. Quapropter cum eis vix audent* Lutherani *congredi aut pedem propius figere. Verentur enim ne si propius manus conferere contingat, dum non habent quid rationabiliter respondere queant, confundantur, & sua orbi insciitia ac ignorantia propaletur. Hinc futiles sane & enerves libros edere solent, multis quidem hæresibus atque blasphemiis consperses, verum nullis rationibus, nullis documentis, nullis Scripturis nisi perperam detortis suffultos, id quod facile percipiunt, qui illos non sine judicio legunt. Non enim ratione illos valere, sed impudenti procacitate ac infami pervicacia sese ostentare deprehendunt. Nam morem patrum suorum hæresiarcharum imitati, quando ab Ecclesia catholica, extra quam indubie non est salus, veluti pessimi transfuga turpiter descivere, veritati nesciunt acquiescere, sed tanquam qui furiis quibusdam agitantur, tota malignitatis sua vi in catholicam pietatem debacchantur.*

DECLARATIO ERASMI VIII.

Quæ hîc stomachantur in Hæresiarchas verissima VIII.
sunt, sed ad me nihil attinent. Rabinos appello Theologos similes Scribis ac Pharisæis, qui quo videantur egregie docti, non sunt contenti iis quæ tradidit Scriptura, aut Conciliorum auctoritas, sed ad ostentationem ingenii comminiscuntur quædam curiosa, sic ut minimum absint a blasphemia. Proinde quemadmodum gravi injuria afficiunt Theologos, qui damnant universos, ita sibi sunt injurii, qui quicquid in ullos Theologos dicitur, de universis interpretantur, demum me præter omne meritum capitalis gravant invidia, nec hac ratione probe consulentes nomini Theologico.

FINIS.

DETERMINATIO FACULTATIS SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA PARISIENSI, SUPER FAMILIARIBUS COLLOQUIIS DESIDERII ERASMI ROTERODAMI, CONCLUSA MENSE MAJO, ANNO M. D. XXVI.

ANno Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto, die decima sexta mensis Maji, fuit congregata Facultas Theologica per juramentum in Collegio *Sorbonæ*, ad deliberandum finaliter, quid esset agendum de libro, qui inscribitur *Familiarium Colloquiorum Formulæ, per* DESIDERIUM ERASMUM &c. Nunc autem idem liber plurimum auctus inscribitur *Familiarium Colloquiorum Opus multis nominibus utilissimum.* Super quo quidem negotio jam sæpius factus fuerat sermo, tam inter Deputatos, quam in pleno Magistrorum consessu. Et die hesterna post multa super ea re in ipsa Facultate sedenti apud sanctum *Maturinum* post Missam (ut moris est) proposita ut maturius materia ipsa discuteretur, remissa est ad hunc diem decimum sextum, quo in omnium Magistrorum præsentia repetita sunt & rememorata, quæ per Deputatos prius diversis vicibus fuerant adducta: videlicet quod per Auctorem dicti libri, quisquis is esset, jejunia & abstinentiæ ab Ecclesia indicta parvi penduntur, beatæ Virginis *Mariæ* & sanctorum aliorum

pro

Digitized by Google

pro ludibrio habentur suffragia, virginitas si conjugio conferatur, nullius est aut parvi momenti, religionis etiam dissuadetur omnibus ingressus. Item arduæ difficilesque quæstiones Grammaticulis contra per Magistros in Artibus jurata statuta proponuntur, unde facile in errores prolabi possunt: & plurima consimilia perperam in dicto Libro tractantur. Quibus diligenter attentis & perpensis, post maturam deliberationem dictum fuit, & unanimi omnium consensu concluſum, quod prædicti Libri lectio omnibus & maxime adolescentibus erat prohibenda, quoniam magis per hujusmodi lectionem sub eloquentiæ acquirendæ prætextu juventus corrumperetur quam institueretur, & quod omnibus mediis debitis esset enitendum ut hujusmodi Liber supprimeretur, & à finibus eliminaretur Christianorum. Ut autem cunctis perspicuum fiat quam justum sit hoc nostrum judicium, rationique ac pietati consentaneum, statuimus illa subjungere, quæ de ejusmodi Dialogorum Libro per nonnullos nostrum ad id specialiter commissos jussimus annotari, decerpi & transcribi, quæ & nos maturius perpensa moverunt. In eorum autem editione modo & forma subsequentibus signati loci in Dialogis singulis ad voluminis nobis à conquirentibus oblati, & quale tunc in hac civitate *Parisiensi* passim in manibus erat, paginas* sunt referendi.

Subsequuntur nonnulla erronea, scandalosa ac impia, quæ continentur in Libro, qui dicitur *Familiarium Colloquiorum*, opus ab auctore

DES. ERASMO ROTERODAMO

recognitum, Anno Domini M. D. XXVI. In quo tanquam Ethnicus homo, auctor illius, Religionem Christianam & sanctas ejus ceremonias & observationes ridet, subsannat, carpit, lacerat, & mutandas decernit.

CENSVRA.

1. IN Dialogo *De valetudine adversa*, impudenter primo ridet devotionem, quam habet populus ad sacræ religionis habitus; innuitque quod tantum valeat morbis curandis pallium lenonis, quantum valet cuculla religionis. Hoc habet pagina 633. B. *Sunt qui tecti cuculla Dominicali*, &c.

DECLARATIO.

Quemadmodum collaudanda est Facultatis religiosa diligentia, quæ tam anxie metuit adolescentibus, ita parum tutum est ex aliorum relatione pronuntiare. Nam hic Facultas ingenue profitetur, se Commissariorum auctoritatem simpliciter fuisse sequutam. Quis autem exspectasset ut ejus Collegii majestas sese ad puerilium Colloquiorum censuram demitteret, opus in hoc paratum, ut adolescentes per lusum discerent Latine dicere, & obiter inveniendis ac refellendis argumentis ad Rhetoricen præpararentur, denique & pietatis elementa quædam imbiberent, & in dies nonnihil supra crassum vulgus hominum assequerentur? Hic erat scopus meus, à quo videor non omnino aberrasse, nisi forte blandiuntur auribus meis, qui mihi gratias agunt, quod ex illis nugis meis aliquid bonæ mentis hauserint. At mirum est illic lapidari Colloquia, ubi impune leguntur & excuduntur *Facetiæ Poggianæ* & *Quæstiones jocosæ*. Proinde ut has querimonias à Deputatis sæpe propositas facile credo, ita consensu totius Facultatis editas, mihi non fit verisimile. Nec me adeo clam est, quorum instinctu hæc gerantur. Ad sævam Præfationem, quoniam cujus sit nescio, in præsentia nihil respondeo, nisi hoc tantum, quod multa ferociter pronuntiat, quæ non apparebunt cum ad loca ventum fuerit. Titulum modo, nam scio non esse Facultatis, corrigam. In Colloquiis *Erasmus*, velut homo veræ pietatis amator, ac studiosus gloriæ *Christi*, nusquam ridet aut subsannat Religionem Christianam, sed hominum superstitionem ac præpostera judicia taxat, id quod cum primis conducit ad repurgandam confirmandamque Religionem Christianam. Porro cum Colloquia constent diversis personis, iniquissimum arbitror mihi pro dogmate impingi, quicquid illic à quocunque dicitur. Alioqui fiet ut unus loquar secum pugnantia: frequenter enim quod alter proponit, alter refellit: jam si falsum est, quod proponitur, iniquum sit deteriorem partem impingere, dissimulata altera quæ refellit quod perperam est dictum. Quoniam autem non refertur è Colloquiis totus locus, sed adfertur censura, minimum hic rei mihi fuerit cum Facultate, quæ damnat non quod à me scriptum est, sed quod Commissarii, aut alii forsitan retulerunt, quam bona fide mox ipsa declarabit res.

AD PRIMVM LOCVM DECLARATIO.

Primum illud vide, lector, an non statim à manifesta falsitate factum sit initium. Verba Colloquii sic habent: GE. dicit: *Sunt qui tecti cuculla* Dominicali *aut* Franciscana *revaluerunt*. Respondet LI. *Idem fortasse evenisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verùm ista diffidenti nihil conducunt.* Ad hæc GE. *Fide igitur, ut revivisças*, &c. Hic luce clarius est *Livinum* hortari sodalem, ut utatur sacra veste, & si diffidit, desinat diffidere, quo prosit vestis. An non hic impingitur pars deterior, dissimulata posteriore, quæ priorem corrigit? Nec tamen *Gerardus*, qui videtur non ita multum tribuere vestibus, impudenter deridet eos, qui sunt eo affectu: nec dicit idem valere morbis curandis pallium lenonis, quod cuculla religionis, sed indicat σύμπλωμα. Nam fieri potest, ut qui convalescit tectus cuculla, non beneficio cucullæ convalescat, sed naturæ viribus, aut Medicorum ope, ut idem eventurum fuerit, si quavis veste fuisset opertus. Omitto quod nihil obstat, quo minus eadem cuculla possit esse Monachi & lenonis. Vides, lector, quantum absit hic sermo Colloquii ab impudenti derisione. Quid autem obsecro discriminis sit, si parum tribuatur cucullæ Monachorum, cum in hisce rebus tantum sit inter simplices superstitionis, tantum in his qui hæc suadent versutiæ, ut expediat & illos ab errore, & hos à fraudibus revocari? Nunc nihil horum facit Colloquium, sed suadet potius ut utatur cum fide.

CENSVRA.

II. Rursum nulli Sancto pro morbo curando vult votum nuncupari. Hoc videre est pagina eadem scilicet 633. C. Paulo post: *Alii morbo levati sunt, nuncupatis alicui Divo votis.*

DECLARATIO.

Hoc ibi dicit *Gerardus*, non ego, quem ponant me facere semi-Lutheranum, quid hoc ad me? Nec tamen ille significat, quod interpretantur isti, tantum notat illos, qui cum Divis velut ex pacto agunt, Si me sanaveris, ponam tibi statuam marmoream, sin minus, nihil ponam. Locus sic habet: *Alii morbo levati sunt, nuncupatis alicui Divo votis.* Respondet LIVINVS: *At ego cum Divis non paciscor.* GERAR. *Proinde tu vel à* Christo, *cui fidis, pete sanitatis beneficium*, &c. Multi sunt ejus animi, ut putent Divos omnino non invocandos. Eoque alter monet, ut si parum fidat Divis, petat à *Christo*. An continuo damnat omnia vota Divis facta, qui dicit, *ego cum Divis non paciscor?* Neque tamen impius est, qui mavult ab ipso petere *Christo* quam à Divis.

CENSVRA.

III. In Dialogo *De visendo loca sacra* ridet votum *Hierosolymitanum*, mentiens omnia quæ videntur *Hierosolymis* commentitia esse, & excogitata ad alliciendos simplices & credulos. Hoc habet pagina 639. B. *Est-ne illic quod tu putes spectatu dignum*, &c.

* Hic vero juxta Editionem nostram locorum paginas apposuimus.

Digitized by Google

DECLARATIO.

Quod ibi narrat, non *Erasmus*, sed *Arnoldus*, frequenter audivi è doctis qui *Hierosolymam* adierant: ac probabile est hodie non sciri certum ubi fuerit olim *Hierosolyma*, quandoquidem video dubitari ab eruditis an ibi fuerit *Roma*, ubi nunc commonstratur. Divus *Hieronymus*, qui vixit in ea regione, commemorans quædam, quæ hodie ibi monstrantur hospitibus, tanquam de dubiis loquitur, *fertur*, & *narrant*. Quid censendum est nunc post tot incursiones, tot rerum humanarum mutationes, quæ mille & eo amplius annis solent accidere? Ejus generis feruntur esse, quæ ostenduntur *Romæ*, *Veronicæ*, columna *Salomonis*, cathedra *Petri*, & sepulchrum. Sed quid hæc ad fidem catholicam? Olim probatæ religionis viri nihil magni judicarunt fuisse *Hierosolyma*, nec arbitror multo pejus habituram rem Christianam, si nemo curreret *Hierosolymam*, sed in libris quæreret *Christi* vestigia, atque hoc operæ & impensæ transferretur ad sublevandos pauperes.

CENSVRA.

IV. In Dialogo, qui dicitur *Confessio militis*, irreverentius ac impudentius loquitur de Confessione sacramentali: hoc videre est pagina 643. A. *Quem tibi Sacerdotem deliges?* Respondet alius: *Cui cognovero quam minimum esse frontis & bonæ mentis.*

DECLARATIO.

Imo illic deridetur miles impius ac sceleribus onustus, qui ad abolenda crimina satis esse putat quomodocunque narrasse Sacerdoti sua commissa, cum nec oderit sua peccata, nec cogitet de corrigenda vita. Is percunctanti, quem sibi Sacerdotem esset delecturus, respondet: *Cui cognovero quam minimum esse frontis ac bonæ mentis.* Hic sermo non est *Erasmi*, sed detestandi militis, cui sic respondetur: *ne non habeant similes labra lactucas.* Et additur: *Ab illo purus abibis ad corpus Dominicum?* Respondet miles: *Quid ni? Posteaquam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneravi sarcina. Ipse viderit, qui absolvit.* Tum alter: *Qui scis an absolvat?* Miles: *Scio. Quonam indicio?* Et miles: *Quia manum imponit capiti admurmurans nescio quid.* Hic alter: *Quid si reddat tibi omnia peccata tua cum manum tibi imponit, hæc admurmurans: Absolvo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te comperio, & restituo te tuis moribus, talemque dimitto, qualem accepi?* &c. Ex toto Colloquio palam est ibi derideri stolidum militem, & hoc consilio traduci, quo *Lacedæmonii* servos ebrios adducebant in convivium. Reperiuntur enim & inter alios qualis est ille miles. Nunc utram personam mihi tribuunt, deridentis impiam militis stoliditatem, an militis? Hæc arguunt nec Theologos, nec referendarios legisse Colloquia, sed hoc negotii datum juvenibus, qui decerperent pro sua sapientia. Alioqui si vel fulloni tradas legendum Colloquium vulgari Lingua, videbit traduci militis stoliditatem, non irrideri Confessionem: nisi forte divus *Hieronymus* irreverenter loqui dicetur, de jejuniis & abstinentia, de virginum pudicitia, de Monachorum sanctitate, de Clericorum & Presbyterorum continentia, quoties satyrico sale defricat delicata quorundam jejunia, succum herbarum non è calice bibentium, sed è concha sorbentium: quoties irridet virgines obscura purpura, pedibus ludentes, cum clericis agapetarum titulo conviventes: quoties depingit Monachorum quorundam fastum testudineo gradu incedentium, digituli crepitu silentium indicentium, ac tanto supercilio verba promentium, ut singultire videantur verius quam proloqui. Rursus cum ob oculos ponit indecora hæredipetarum obsequia, divitum lectis assidentium, & oris purulentiam manibus excipientium. Quoties salibus exagitat quasdam Ecclesias, *Gallorum*, ni fallor, in quibus non admittebantur ad sacros ordines qui carerent uxoribus, nec committebantur sacramenta, nisi vidissent uteros tumentes. An ideo loquitur irreverenter de resurrectione corporum, quod *Origenistas* facit contrectatis fœminarum mamillis ac cæteris membris, percunctantes, an eadem membra simus habituri in resurrectione? Quod si pium est vitia traducere, præsertim intactis nominibus, cur ego dicor irreverentius loqui?

CENSVRA.

In Dialogo, qui inscribitur *Pietas puerilis*, censet in V. primis peccatum grave non esse transgredi constitutiones Ecclesiasticas, nisi accedat contemtus malitiosus. Hoc patet pagina 652. B. *Neque vero protinus arbitror esse piaculum, quod admittitur adversus constitutiones humanas, nisi contemtus accesserit.*

DECLARATIO.

Piaculum appello non crimen quodlibet, sed enorme crimen. Nec aliud exprimit sermo meus, quam non esse protinus horrendum crimen, si quis violet quamcunque constitutionem humanam. Sed quo locus esset calumniæ, omissa est vox una, *quaslibet:* sic enim scriptum est, *Adversus quaslibet constitutiones.* Id si fecit Amanuensis, cur non est correctum? Sin studio mutatum est à Commissariis, cujus integritatis sit, alii videant. Si omnis violatio cujuscunque constitutionis humanæ mittit in gehennam, non recte loquutus est ille puer: sin hoc nemo Theologorum audet profiteri, quid est quod reprehendunt?

CENSVRA.

Deinde innuit confiteri soli Deo sufficere, si non VI. aliud Ecclesia ordinasset: hoc patet pagina 651. F. *Sed illi confiteor qui solus*, &c.

DECLARATIO.

An his temporibus usitata Confessio fuerit à *Christo* instituta, nondum satis probatum est à Theologis. Interim puero aut laico sufficit, opinor, si eam servet velut ab Ecclesiæ Præsulibus institutam, & totius populi Christiani usu comprobatam. Ita loquitur GASPARVS: *Sed illi confiteor, qui solus remittit peccata, cui est potestas universa.* Cui respondet ERASMVS, *Cuinam?* GASP. *Christo.* ERASMVS. *An istud sat esse putas?* GASP. *Mihi sat esset, si sat esset Ecclesiæ proceribus & consuetudini receptæ.* ERASM. *Sed quos tandem appellas Ecclesiæ Proceres?* GASP. *Pontifices, Apostolos.* ERASM. *Et inter hos annumeras* Christum? GASP. *Is est omnium fine controversia colophon.* ERASM. *Et hujus receptæ Confessionis auctor?* GASP. *Is quidem auctor est omnis boni, sed an ipse instituerit hanc Confessionem, Theologis excutiendum relinquo, mihi puero & idiotæ sufficit majorum auctoritas,* &c. Ex his verbis quid aliud colligi potest, quam Confessionem esse religiose servandam, vel ob auctoritatem Ecclesiæ, & publicam consuetudinem, etiamsi nec ex Scripturis sanctis ortam, nec ab ipso Domino institutam efficaciter probari valeat? Nec aliud innuit hæc Propositio, quam apertis expressit verbis.

CENSVRA.

Post hæc reprehendit modum disputandi Theologorum, non intelligens non propterea Theologos non vacillare in fide, quia quæstiones de iis faciunt quæ ad fidem spectant. Non enim per hujusmodi quæstiones de fide dubitant, sed per eas fides explicatur apertius. Is error habetur pagina 653. B. *Complures abstinent à Theologia, quod vereantur ne vacillent in fide catholica, cum videant, nihil non vocari in quæstionem.* VII.

DECLARATIO.

Obsecro quis unquam sanus simpliciter damnavit Scholasticas disputationes? Puer duas adducit causas quare minus propensus sit ad Theologiæ studium. *Theo-*

Digitized by Google

Theologia, inquit, *mihi cumprimis placeret, nisi me mores quorundam & morosa inter ipsos contentiones offenderent*, &c. Qui dicit *quidam*, certos notat, non universos. Ad id ita respondet ERASMVS. *Complures abstinent à Theologia, quod vereantur, ne vacillent in fide catholica, cum videant nihil non vocari in quæstionem*, &c. Quid? Hoccine ad Diatribas *Sorbonicas* attinet? Nihil minus. Imo notatur hæc fatalis opinionum dissensio, qua nunc concutitur orbis, ut puero non sit tutum, de dogmatibus disserere. Si sensisset de Diatribis Scholasticis, dixisset, cum illic nihil non vocetur in dubium: nunc ait, *cum videant*, digito notans hæc tempora. Neque quisquam dicit ideo vacillare Theologos, quod disputent: sed sibi metuunt multi, ne vacillent inter tot Doctores, & Scripturas ad pugnantia dogmata detortas: firmior est enim laicus, si simpliciter credat, nihil disputans. Sequitur enim in eo loco: *Et quod lego in sacris Litteris & in Symbolo, quod dicitur Apostolorum, summa fiducia credo, nec ultra scrutor, cætera permitto Theologis disputanda.*

CENSVRA.

VIII. In Dialogo, qui dicitur *Convivium profanum*, abstinentiam à carnibus ab Ecclesia indictam carpit, quasi illa adversetur Euangelicæ libertati, cum tamen non adversetur, sed error sit *Ærianorum* ita sentire. Quod facit pagina dicti libri 665. E. *Caritas omnia suffert.*

IX. Et pagina 664. F. *At mihi videtur minus oneris olim impositum Judæis.*

X. Et in eadem pagina lit. E. *minus anguem odi quam pisces.* Alius respondet: *At non tu solus.*

XI. Sequitur, *Quis hoc tædii nobis invexit?* multa ibidem proponuntur contra hujusmodi abstinentiam à carnibus. Concludit bonum esse ut auferatur hujusmodi abstinentia, quod patet pagina 666. A. *Si summus essem Pontifex*, &c.

XII. In Dialogo, qui inscribitur *Convivium religiosum.* Primo vult quod hæc omnia, delectus ciborum, vestitus præscriptus, jejunium, sacrificium, preces veluti pensum absolutæ, & quies diei festi, sunt affinia Judaismo, quæ sententia apprime à *Luthero* probatur. Hoc monstrat pag. 679. E. *Victimas appellari puto*, &c.

DECLARATIO AD CENS. VIII. IX. X. & XI.

Hoc Colloquium, unde quatuor loca priora decerpta sunt, unum est ex illis, quæ me inscio fuerunt edita, magno meo pudore & stomacho: neque enim ego illarum næniarum ullum unquam exemplar penes me servavi. Vixque fuit aliud eo Colloquio nugacius aut ineptius. Unde quando premere non licebat, multa resecui, correxique. Præclare vero mecum agetur, si cuncta, quæ illic nugatur *Augustinus*, mihi impingentur. Laudat vitam Epicuream, hortatur ad voluptates: sed illi contradicitur. Cum *Augustinus* ait se magno corporis incommodo abstinere à carnibus. Respondetur ei: *Caritas omnia suffert.* Cum ait: *Quis hoc tædii nobis invexit?* Respondetur: *Quis commonstravit aloen, absynthium & scammonium dare in remediis.* Quibus verbis declaratur hujusmodi abstinentias tametsi corpori molestas, ad macerandam tamen carnem utiles esse. Rursus cum ait, *At mihi videtur minus oneris olim impositum Judæis*, respondetur illi: *In plerisque non res, sed animus discernit nos à Judæis. Illi manum abstinebant à certis cibis, velut ab immundis, & animum inquinaturis. Nos cum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lascivienti, velut equo ferocienti pabulum subducimus, quo magis dicto sit audiens spiritui.* Atque hunc in modum singulis illius nugonis rationibus respondet Christianus. Cujus autem candoris sit, nugantis voces mihi impingere, cum in eodem Dialogo refellam, quæ ab illo dicuntur. Hoc nihilo minus absurdum est, quam si beato *Thomæ* exprobrent argumenta, quæ vocantur ante oppositum: aut divo *Hieronymo*, quæ in ipsius Dialogis dicuntur à *Luciferiano:* aut *Augustino*, quæ dicuntur à *Manichæo.*

Quid autem flagitii est, si nugator *Augustinus* dicat se natura abhorrere ab esu piscium, aliusque dicat, non soli hoc accidere. Utrum hoc est damnare constitutionem Ecclesiæ, an potius indicare peculiarem quorundam corporum rationem? Et tamen ille nugator, natura abhorrens à piscibus, fatetur se abstinere à carnibus, licet non sine incommodo valetudinis. Sed concludo ut ajunt, bonum esse si tollantur ejus generis abstinentiæ. Istud nec à me dicitur, nec ab eo quem facio loquentem. Ad hunc enim loquitur modum: *Si summus essem Pontifex, hortarer omnes ad perpetuam vitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum jus facerem cuique vescendi quibus vellet pro corporis salubritate, dum moderate & cum gratiarum actione, daremque operam, uti hoc, quod detraheretur observationibus hujusmodi carnalibus, accresceret ad studium veræ pietatis.* Hic sermo licet non omnino absurdus, tamen ibi ridetur à Christiano, his verbis: *Nimirum istud mea quidem sententia tanti est, ut te faciamus Pontificem.* Vides, lector, quid sit fidere schedis ab imperitis juvenibus porrectis, & in opere, quod totum variis constat personis, nullum habere personarum discrimen.

DECLARATIO AD CENSVRAM XII.

Qui hæc scripsit multum abfuisse à sinceritate Christiana, cum alia multa, tum illud in primis arguit, quod studiose mea dicta depravat ad calumniam. In Dialogo quidam ita loquitur: *Victimas appellari puto quicquid pertinet ad cæremonias corporales, & aliquid habet affine cum Judaismo, quod genus sunt delectus ciborum, vestitus præscriptus.* Hic depravavit: *Sunt affinia Judaismo:* tametsi ne hic quidem sermo quicquam haberet impietatis. *Quæ*, inquit, *sententia apprime à* Luthero *probatur.* Imo hanc sententiam, quoniam verissima est, nemo non probat. Sed *Lutheri* sententia est, hæc impie præscribi, & stulte servari. In meo vero Dialogo quid sequitur? *Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita Deo fiunt ingrata, si quis observationibus hujusmodi confisus negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium caritatis.* Audin', lector, mirificam concordiam cum *Luthero*? Ille docet rejicienda, Dialogus docet non esse negligenda.

CENSVRA.

XIII. Secundo conformiter ad *Beguardos*, vult perfectos non teneri servare leges Ecclesiasticas, neque debere compelli ad illas servandas: quia, *Spiritualis omnia dijudicat, ipse vero à nemine judicatur.* Hoc habet pagina 678. B. C. *Rex intelligi potest vir perfectus.*

DECLARATIO.

Cum alius moraliter exposuisset hunc *Salomonis* locum: *Cor Regis in manu Dei*, alter adducit sensum retrusiorem, sed cunctanter, neque quicquam asseverans: sic enim ingreditur: *Si quid defertis his quoque canis, mihi videtur hoc dictum & ad abstrusiorem sententiam accommodari posse.* Rex *intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus, solo divini Spiritus impetu ducitur. Porro qui fit hujusmodi hunc non convenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo Domino, cujus Spiritu agitur, relinquendus est. Nec judicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum utcunque provehitur ad veram pietatem. Sed si quid secus facit, dicendum est cum* Paulo: Dominus assumsit illum, Domino suo stat aut cadit. *Item illud:* Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse vero à nemine judicatur. *Talibus igitur nemo præscribat*, &c. Si *Paulus* non vult quenquam Christianum judicari ex cibo & potu, quid mirum si quid simile sensisset *Solomon*, quod tamen non asseveratur, sed tantum proponitur examinandum. Et si quis esset, quem constaret adeo perfectum esse, ut in omnibus solo spiritus imperio duceretur, quis esset tam impius, ut illi præscriberet leges de rebus externis, de quibus Dominus & Apostoli nihil præceperunt, aut quis hujusmodi constitutiones auderet ab eo

Digitized by Google

exigere? Nullus opinor. Spiritus enim est supra universas leges humanas, supra Pontificem & Synodos quamlibet universales. Sed quoniam id non constat, non est tutum hanc fenestram aperire vulgo, ne hinc arripiant velamen malitiæ. Nec Dialogus ait eum non teneri, sed non cogendum in ordinem, nec ex his judicandum, sed accipiendum potius, talem virum studio majoris boni, quod levius est prætermittere, aut alioqui justa de causa facere quod facit. Sic olim in Cœnobiis dimittebantur Anachoretæ, quorum pietas jam satis esset spectata. Sic & hodie in Monasteriis Doctoribus, aut aliis heroicis virtutibus operam navantibus, relaxantur illæ constitutiones de rebus externis, quemadmodum & vehementer provectis. *Joannes* autem *Gersonensis* tametsi non probat *Beguardorum* dogma, haud negat tamen non esse contemnendos affectus spirituales, si modo simulati non sint, sed examinandos spiritus an ex Deo sint.

CENSVRA.

XIV. Tertio iterum taxat abstinentiam à carnibus. Hoc videre est pagina 680. F. *Licet igitur vesci quibuslibet cibis*, &c.

DECLARATIO.

Hìc rursus obsecro te, lector, ut videas quid sit fragmentis per alios decerptis, sæpe & depravatis, judicare. In Dialogo quidam exponens ea verba *Pauli*, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, sub persona *Pauli* dicit: *Licet igitur vesci quibuslibet cibis, & omnia munda mundis, sed incidit casus ut non expediat. Quod omnia licent, libertatis est Euangelicæ, sed caritas ubique spectat, quid conducat ad salutem proximi, eoque frequenter abstinet, & à licitis*, &c. Ita Colloquium. Agitur autem illic de carnibus Idolothytis, deque Judaico ciborum delectu. Legat qui volet locum, comperiet ibi nihil aliud agi, quam de sensu verborum Apostoli, de Ecclesiæ posterioris constitutionibus nullam fieri mentionem. Atqui cum locus ita proponitur: *Erasmus* taxat abstinentiam à carnibus, scribens: *Licet igitur vesci quibuslibet cibis*, quid aliud ex eo, quod proponitur, pronuntiat Facultas, nisi me sentire perperam. Sed quid de talibus criminatoribus dicturus est, qui lecto Colloquio perspicue viderit, ibi ne pilo quidem tangi constitutiones Ecclesiasticas?

CENSVRA.

XV. Quarto prætendit quod vulgus Christianorum totam suam salutem in ceremoniis, baptismo, exorcismo, catechismo, sale, aqua constituit, & maxime fidit unctioni, confessioni, confirmationi, Eucharistiæ, matrimonio, sacro ordini, quasi videlicet Christiani per sola Sacramenta sperent salvari sine adimpletione præceptorum Dei: quod nullus catholicorum dicit Doctorum, imo oppositum credere docentur simplices. Hoc
XVI. pagina 683. F. monstratur, *Si vulgus Christianorum spe-*
XVII. *ctes, proram & puppim suæ salutis*, &c. Et ibid. E. contra ceremonias loquens dicit: *Non mirum est eos sic mori, qui per omnem vitam in ceremoniis philosophati sunt.*

DECLARATIO AD CENS. XV. & XVI.

Constat, in Sacramentis Ecclesiæ esse quiddam materiale, rursus quiddam esse spirituale: materialia non vivificant nisi accesserint spiritualia. Dialogus autem notat vulgus Christianorum, hoc est, magnam partem eamque crassiorem, qui in externis absolutam collocant pietatem, neglectis his, quæ nos vere pios reddunt: velut qui in baptismo tinctus, unctus, cæterisque ceremoniis initiatus est, si his fretus non addat quæ sunt spiritus, frustra tinctus & unctus est. Verba Colloquii sic habent: *Si vulgus Christianorum spectes, nonne prora & puppis vitæ illis in ceremoniis est?* Deinde subjicio exempla de singulis Sacramentis. Utrum autem videtur falso dictum, esse tales Christianos, an in externis illis Sacramentis non esse ponendam totam salutis fiduciam? Non enim illic loquor de omnibus Christianis, sed de vulgo in genere. Quanquam hoc quoque depravavit hic quisquis fuit scriptor, sic recitans quasi de omnibus loquar in universum. Ergo si mecum sentiunt, in externis Sacramentorum ritibus non esse ponendam totam salutis spem, si fatentur nimium multos tam crassos latere sub nomine Christiano, miror quid istos offendat, quidve sibi velint hæc verba? *Quasi videlicet Christiani per sola Sacramenta sperent salvari sine adimpletione præceptorum Dei, quod nullus catholicorum dicit Doctorum, imo oppositum credere docentur simplices.* Hæc illi. Si Doctores damnant idem quod meus Dialogus, quo nomine ego in jus vocor, cum stem ab ipsis?

DECLARATIO AD XVII.

Ubi loquor contra ceremonias? *Non mirum est*, inquam, *eos sic mori, qui per omnem vitam philosophati sunt in ceremoniis.* Quid aliud ibi dicitur nisi quod multi prope diffidentes ac frigide moriuntur, in causa esse quod per omnem vitam fisi rebus externis, & sacramentis visibilibus, neglexerint ea quæ sunt veræ pietatis? Nam hoc est exordium disputationis de vulgo Christianorum puppim & proram in externis collocantium. An hoc est loqui contra ceremonias? An potius pro Christiana pietate? Nescio an suspicentur hæc eo spectare, ut ceremoniæ abrogentur: quanquam nihil est in verbis meis unde talis suspicio concipi debuerit, tamen eam idem ille locus palam excludit, cum ait: *Atque hæc quidem omnia, quod fiunt probe, sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quam ex animo non probo, quod nihil aliud additur ad Christianissimum, vehementer improbo*, &c. Etiam atque etiam vide, lector, quid sit ex schedis à juvenibus delatis ferre sententiam: nam hinc satis liquet, eos, qui hæc scripserunt, non inspexisse Dialogi locum, quem carpunt.

CENSVRA.

Quinto peccatum esse mortale indicat, ornare Tem- XVIII.
pla, dicare Monasteria. Hoc videre est pagina 684. F. *Unde mihi videtur vix excusari posse à peccato mortali, qui sumtibus immodicis aut exstruunt, aut ornant Monasteria seu Templa, cum interim viva* Christi *templa*, &c.

DECLARATIO.

Locus in Dialogo sic habet: *Rapina est largiri male usuris quod debebatur præsenti necessitati proximorum, unde mihi videntur vix excusari posse à peccato capitali, qui sumtibus immodicis, aut exstruunt, aut ornant Monasteria seu Templa, cum interim tot viva* Christi *templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumque necessariarum inopia discrucientur*, &c. Appello te, lector, quid hìc aliud taxatur quam impensæ immodicæ, nec id simpliciter, sed neglectis pauperibus. Et in his rebus fere sibi indulget honesto titulo potentum ac divitum ambitio. Ubi est ergo ille qui indicat esse peccatum mortale, ornare Templa, aut dicare Monasteria? Quid dicturi sunt, qui Dialogum meum cum hac criminatione conferent?

CENSVRA.

In Dialogo, qui inscribitur *Apotheosis, Capnion* seu *Reuchlin* excessive commendat, dum ipsum confert in gloria cum divo *Hieronymo*, & absque Sedis Apostolicæ auctoritate eum adscribit catalogo Sanctorum, eique orationem, quæ *collecta* appellatur, assignat, quæ facienda non sunt per jocum. *In Divos enim* (ut alibi dicit) *per jocum ludere, nec pium est nec tutum*, joci alia petenda est materia. Primum tamen horum habetur pa- XIX.
gina 691. B. Hieronymus Reuchlinum *hisce verbis compellabat: Salve collega sanctissime.* Secundum ha- XX.
betur ibid. F. *Quid igitur superest, nisi ut sanctissimi viri nomen adscribamus Calendario Sanctorum?* Tertium XXI.
habetur pagina 692. D. *Amator humani generis Deus, qui donum Linguarum*, &c.

DE-

DECLARATIO.

Bona ſpes eſt *Capnionem* vivere cum *Chriſto*. Erat vir bonus, ac de ſtudiis optime meritus. Jocor quidem illic, ſed *jocando dicere verum quid vetat*, & de Sanctis jocari licet citra illorum contumeliam. Hîc *Hieronymus* laudatur, non læditur. Et ſi *Hieronymus* poſt ſcriptam *Paulæ* vitam invocat illam, ut cum *Chriſto* agens extremam ipſius ſenectutem precibus ſuis adjuvet, quid ſceleris ſit, ſi ſimilem opinionem habeam de *Reuchlino*? Quam multos Divos colit Eccleſia, quos nunquam in Divorum numerum retulit Romana Sedes. Tametſi meus jocus non vindicat ſibi Sedis illius auctoritatem.

CENSVRA.

XXII. Nec recte pagina 692. B. dicit: *Pium* II. in Divarum numerum retuliſſe *Catharinam Senenſem* in gratiam Ordinis & Urbis.

DECLARATIO.

Pius Senenſis erat, & illic eſt Monaſterium *Dominicanorum:* probabile eſt itaque illum, cum eſſet ad ſummum Eccleſiaſticæ dignitatis apicem ſubvectus, à ſuis civibus ac Monachis ſollicitatum, ut eam virginem in Divorum numerum referret. Talia enim non temere agit Pontifex, niſi rogatus. Ut hoc ſit factum, quid malæ rei fuerit?

CENSVRA.

XXIII. In Dialogo, qui dicitur *Proci & puellæ*, multis exemplis perſuadere nititur conjugium præferendum virginitati. In quo *Jovinianum* ſectatur, ſi non potius ſuperaret illum. Hoc patet pagina 695. E. *Interim perit virginitas*, &c.

XXIV. Et pagina 696. A. inquit: *Elegans quidem res puella virgo, ſed quid prodigioſius anu virgine?*

XXV. Secundo docet acquiri virginitatem per actus carnales, quod vereretur dicere *Epicurus*. Hoc habet loco cit. *Quid ego audio? violanda virginitas, ut diſcatur.*

DECLARATIO AD CENS. XXIII. XXIV. XXV.

Graviter profecto, amatoria inter Procum & puellam altercatio mihi imputatur. Sed utram perſonam mihi tribuunt? Nam puella refellit quod à juvene dicitur. Num mihi utriuſque adſcribetur ſermo? Ea virgo non erat deſtinata Monaſterio, nec mirum ſi adoleſcens amans diſſuadet virginitatem, & hortatur ad matrimonium: ſuum enim agit negotium. Nec illa prædicat virginitatem quod decreviſſet fieri Nonna, ſed amantem hoc quoque telo ſubmovet ab accelerando conjugio, quod per illud periret flos ac decus virginitatis. Vulgo autem etiam *Paulo* teſte res probroſa eſt, virgo ὑπέρανδρος, quaſi nulli juvenum placuerit. Et tamen ſimilia, quæ juvenis adducit, puella diverſis refellit. Cæterum quod ait me docere virginitatem acquiri per actus carnales, hoc eſt, per coitum, id mihi ne per ſomnium quidem unquam venit in mentem. Cum illa Procum urgeret laude virginitatis & caſtitatis, ille promittit fore, ut aliquando ſic vivant in conjugio, ut matrimonium minimum abſit à virginitate. Hoc argumentum puella derîdet, dicens: *Quid ego audio? Violanda virginitas ut diſcatur?* Ad hoc rurſum Procus quoniam non habebat quod reſponderet, ridiculo ſimili elabitur: *Quidni*, inquiens, *quemadmodum paulatim bibendo vinum parcius, diſcimus eſſe abſtemii.* Nec Procus tamen ſentit, quod iſte fingit, coitu acquiri virginitatem. Quis enim non dicam *Epicurum*, ſed ſanus hoc diceret? Sed ſignificat in matrimonio ſervari poſſe caſtitatem, ubi jam proles ſuſcepta eſt, ac juventæ fervor deferbuit. Quis igitur locus erat illi criminationi? Docet acquiri virginitatem per actus carnales: aut illi dicto, quod vereretur dicere *Epicurus*. Utinam hæc alterius nomine prodiſſent in lucem potius quam Facultatis Theologicæ! Nam is quiſquis hæc ſcripſit, ludit etiam ſalibus ſi Divis placet, ſed tam inſulſe, ut ſe præbeat eruditis deridendum.

CENSVRA.

Tertio præfert caſtitatem conjugalem caſtitati Sacerdotum & Religioſorum: hoc patet eadem pagina 696. B. *Atqui voto adſtricti abjurant matrimonium*, &c. XXVII

DECLARATIO.

Mirum vero ſi Procus nugans cum ſua ſponſa utitur argumento quopiam inani. Magis mirum eſt hæc à Theologis ſic expendi, quaſi ibi ſerio diſputetur thema Scholaſticum. Certe juxta rationem aliquam perfectior eſt, qui inter vitiorum irritamenta verſans, conſtanti animi propoſito ſe ſervat illibatum, quam qui ſibi diffiſus peccandi materiam ac facultatem ſubduxit.

CENSVRA.

In Dialogo *Eubuli* & *Catharinæ* ſtatum religionis maxime vituperat, ſecutus *Lamperium*, multa de eo proponendo. Primo *carbones* illum appellat, & matrimonium *theſaurum*. Hoc patet pagina 698. B. *Hem pro theſauro carbones.* XXVII.

DECLARATIO.

Qui hæc notavit prorſus non intellexit locum Dialogi. Juvenis enim illic utitur Græcorum proverbio, quo ſignificabant ſe ſpe deluſos, ſi quando non obtigiſſet quod quærebant. Juvenis autem exſpectabat, ut ſe in puellæ amorem inſinuaret, ab ea ſpe decidit, cum audiret de Monachiſmo. Locus ſic habet: *Ut adjungerer collegio ſacrarum virginum.* EVB. *Ut fieres Monacha?* CAT. *Sic habet.* EVB. *Hem pro theſauro carbones.* Non ſentit ſe pro theſauro matrimonii reperiſſe carbones virginitatis, ſed ſe pro eo quod ſperabat, reperiſſe quod minime volebat. Hæc enim averſus dicit, nec puellæ loquitur, ſed ſibi. Si quis urgeat nihil referre cui loquatur, qui propoſitum virginitatis carbonibus confert, id facit eadem prudentia, qua voluptatem anteponit virtuti. Talem enim fingo. Deum immortalem cujuſmodi notationes! Hîc ſcilicet mihi defendendum erit, quicquid cum puella nugatur adoleſcens amans. Conſtat enim illum uti quibuſdam falſis argumentis, ſed illa refellit multa.

CENSVRA.

Secundo ingredi religionem invitis parentibus, dicit eſſe contra legem naturalem & divinam. Hoc patet pag. 699. E. *Natura dictat, Deus approbat*, Paulus *hortatur, humana leges ſancium, ut filii obediant parentibus*, &c. XXVIII.

DECLARATIO.

Amatoria altercatio eſt. Ille vocat Monachiſmi profeſſionem, ſervitutis genus. Illa reſpondet hoc ſervitutis genus à probatiſſimis viris maxime probari, ſi quis ſua ſponte ſuſceperit. Ille multis argumentis perſuadere conatur, puellæ non eſſe liberum, ut ſe parentibus invitis ſubducat. Illa reſpondet, in negotio pietatis ceſſant naturæ leges. Si finxiſſem duos altercantes, quorum alter ſuaderet inſtitutum Monachorum, alter diſſuaderet, nonne ſuus utrique ſermo foret tribuendus? Quanquam juvenis non ſimpliciter diſſuadet Monachiſmum, ſed illi tali puellæ diſſuadet ex variis circumſtantiis, quæ tales eſſe poſſent, ut pium eſſet hanc aut illam revocare ab obligatione vitæ monaſticæ: velut ſi parentes egeant miniſterio filiæ, ſi tale ſit Monaſterium ut in paternis ædibus liceat ſanctius vivere, tales ſint præfecti Cœnobio, ut domi tutior ſit futura virginitas. At hujuſmodi plurimæ circumſtantiæ congruunt in hanc, quam induco, puellam.

Digitized by Google

CENSVRA.

XXIX. Tertio vocat novam ſervitutem ſtatum religionis. Hoc habet pagina 699. F. *At inventum eſt, ſub prætextu religionis, novum ſervitutis genus.*

DECLARATIO.

Primum juvenis amans ſuum, ut dictum eſt, agit negotium, & ut fit in pugna, omnem machinam intentat in puellam, ut ab inſtituto revocet, utens argumentis quibuslibet. *Dolus an virtus quis in hoſte requirit?* Nec omnino falſum eſt, Monachorum inſtitutum eſſe ſervitutis genus. Ut enim liber eſt qui ſuo vivit arbitrio, ita quodammodo ſervus eſt, qui totus pendet ex alieno. Nam id eſt abdicatio propriæ voluntatis quam iſti jactant. Quod ſi reſpicias pleraque Cœnobia, nimis verum eſt quod dixit juvenis. Ubi non eſt ſtudium ſacrarum Litterarum, ubi non eſt vigor ſpiritus, ubi non eſt omnia condulcans caritas, ubi qui præſunt nec exemplo vitæ provocant, nec paſcunt verbo Dei, nec hortantur amanter, ſed pluſquam tyrannico ſupercilio tantum imperant ac ſæviunt, quid hic aliud eſt quam miſera ſervitus ſub titulo religionis? Alibi certe licet pie vivere, illic non licet. Et hujuſmodi Monaſteriorum nimis ubique magna eſt copia. Quanquam hoc ipſum juvenis dictum puella rejicit, ut ante dictum eſt. Et mihi imputatur pars deterior.

CENSVRA.

XXX. Quarto doctrinam docentem ingreſſum religionis vocat Phariſaicam & contrariam doctrinæ Apoſtoli. Hoc patet pagina 700. A. *Iſta vero doctrina Phariſaica eſt*, Paulus *contra docet, ut qui liber*, &c.

DECLARATIO.

Ubi nulla eſt diſciplina veræ Religionis, eo maxime pelliciunt rudem ætatem, eamque docent non pietatem, ſed præter alias artes hîc non referendas, frigidas ceremonias. In talibus collegiis cum ſit miſera ſervitus, Phariſaicum eſt improbis hortatibus, blandimentis aut minis eo perpellere ſimplices adoleſcentulos, ut faciant illos duplo gehennæ filios. Hoc fieri paſſim, nec ipſi, ni fallor, Theologi negant. Quod autem juvenis huc reſpexerit, declarat quod mox ſequitur: *Atque hoc infelicior eſt ſervitus, quod pluribus dominis tibi ſerviendum ſit, quod plerunque ſtultis & improbis, quod incertis ac ſubinde novis.* Jam non ſtatim damnatur, quod adverſatur doctrinæ *Pauli*. Ille jus facit veſcendi quibuslibet. Hoc jus ademit Eccleſiæ conſtitutio. Et haud ſcio an *Paulus* hoc Monachorum genus, quod his videmus temporibus, fuerit probaturus ſi vidiſſet. Denique ut me nihil horum ſublevet, dicere poteram, juvenem non diſputare in Schola de comparatione virginitatis & matrimonii, ſed ſuæ cupiditati inſervire. Quod ſi mihi in Dialogis impingitur quicquid à quocunque dicitur, nec apologos quidem ſcribere fuerit tutum, ne quod lupus aut crocodilus dixerit, imputetur *Eraſmo*.

CENSVRA.

XXXI. Quinto hoſtiliter inſectatur Religionem. Hoc patet pag. 700. B. *In negotio pietatis ceſſant naturæ leges.* Negotium pietatis agitur in baptiſmo: hîc tantum agitur de veſte mutanda, deque genere vitæ, quod per ſe neque bonum, neque malum.

DECLARATIO.

Religionem abſit ut quiſquam hoſtiliter inſectetur, cum ſit vita immaculata, & purus ab hoc ſeculo animus, quam profitentur omnes Chriſtiani. Sic argumentatur juvenis, cujus omnia verba me velle tueri, cum finxerim nugonem, ſit ineptum. Monachi jactant abdicationem mundi, & addictionem qua ſe Chriſto mancipant. Hoc, inquit, fit in baptiſmo, in quo renuntiatur Satanæ, & omnibus illius pompis ac voluptatibus, nec quicquam pie geritur in Monaſteriis, quod alibi non poſſit præſtari, aut aliud illo melius. Quid igitur addit Monachorum profeſſio? Mutatur præpoſitus, deſignatur locus, præſcribitur veſtis, cibus, & alia quædam humana, quæ per ſe neque bona ſunt, neque mala, ut non ſtatim pius ſit, qui illa ſervaverit, nec impius qui ſe ab illis liberum cuſtodierit. Sic argumentatur juvenis, non *Eraſmus*, malens puellam anachoritidem fieri quam cœnobitidem. Non tamen inſectatur religionem, ſed putat hanc religionem omnes Chriſtianos profeſſos in baptiſmo, in quo complures errant, dum aut parum tribuunt primæ illi ac ſummæ profeſſioni, aut nimium tribuunt profeſſioni Monachorum, dumtaxat horum temporum.

CENSVRA.

Sexto aſſerit æque bene ſervari obedientiam, pau- XXXII.
pertatem & caſtitatem in domo parentum ſicut in religione. Hoc patet pagina 700. C. *Jactant obedientiam: num ea laus tibi deerit ſi obedies parentibus tuis, quibus jubet obediri*, &c.

DECLARATIO.

Æque bene, non eſt in Colloquio, ſed juvenis tantum dicit illi non defuturam obedientiæ & paupertatis laudem ſi obediat parentibus, ac ſub illis ipſa nihil poſſideat. Olim enim præcipua laus erat, virginem *Chriſto* dicatam habitare cum parentibus.

CENSVRA.

Septimo aſſerit, ceremonias religionis nihil facere XXXIII.
ad pietatem, neque quenquam commendare oculis *Chriſti*. Hoc habet eadem pagina lit. D. *Quid igitur ſupereſt? Velum, linea veſtis ex intima verſa in extimam, ceremoniæ quædam, quæ nihil faciunt ad pietatem.*

DECLARATIO.

Juvenis ſentit veſtem, cibum, cæteraque externa, quæ Monachis præſcribuntur, per ſe nihil facere ad pietatem, & quod ſentit, expreſſit. Cum enim diſſeruiſſet, caſtitatem, obedientiam ac paupertatem etiam in parentum ædibus ſervari poſſe, colligit hæc non eſſe propria Monachorum. Quærit igitur, quid ſit illis proprium? Reſpondet ſibi, veſtis & peculiares quædam ceremoniæ, quæ ſine illis communibus, non commendant quenquam *Chriſto*, ſed faciunt hypocritam. Non igitur ſimpliciter dictum eſt, Monachorum ceremonias nihil facere ad pietatem.

CENSVRA.

Octavo contendit ingreſſum religionis invitis paren- XXXIV.
tibus, eſſe illicitum. Hoc patet ibidem: *Quæ eſt igitur iſta nova religio, quæ facit irritum quod & natura lex ſanxit, & vetus lex docuit, & Euangelica lex comprobavit?* Nono eadem pagina paulo poſt prædicta verba XXXV.
dicit: *Iſtud decretum* (ſcilicet ingreſſus religionis invitis parentibus) *non eſt à Deo proditum, ſed in Monachorum ſenatu repertum.* Tandem ridendo petit ſibi aſſignari locum Scripturæ ſacræ à Theologis, quo doceatur inſtitutum religionis, cum multa illic eſſe ſatis exploratum ſit. Hoc habet paulo poſt lit. F. *Ab iſtis* XXXVI.
exige ut proferant aliquem è ſacris Libris locum, qui hoc doceat.

DECLARATIO AD CENS. XXXIV. & XXXV.

Ad hoc jam reſpondi ſupra: Dominus jubet relinqui patrem ac matrem propter ipſum: hoc eſt, ſi revocent ab Euangelio, aut ad impia vocent, contemnendam illorum auctoritatem: nihilominus in cæteris rebus Chriſtianus impiis parentibus debet obſequium. Quod autem ſacræ Litteræ de relinquendo mundo, hoc eſt, de Paganiſmo aut Judaiſmo tradunt, plerique trahunt ad hunc Monachiſmum, cum mundus ſit in affectibus, non in loco, aut veſte. Nunc durum eſt deſertis parentibus Chriſtianis, præter illorum aſſenſum addicere

Digitized by Google

re sese Monachis, præsertim si parentes pii sint, quales ibi fingo, & quibus præcipuum senectutis solatium pendeat ab unica filia. Nam has omnes circumstantias habet Dialogus, quibus positis non absurdum est, quod argumentatur juvenis: atque illis non positis, tamen thema erat disputabile.

DECLARATIO AD XXXVI.

Hîc qui decerpsit locum, non satis fuit attentus: neque enim ibi loquitur de professione Monachismi simpliciter, sed tantum de ceremoniis. Sic enim argumentatur: Si cætera omnia servare potes apud parentes agens, & nihil accedit præter nomen Nonnæ, vestem, & ceremonias, ob similia non est contemnendum jus parentum, quod non avocat à pietate, ac à perfecta quidem. An sint in Scriptura loca, quæ hoc doceant, nescio, mihi nondum comperta sunt.

CENSVRA.

XXXVII. In Dialogo, qui dicitur *Virgo pœnitens*, increpat inducentes ad religionem. Hoc patet pagina 701. C. *O improbitatem stolidorum!* &c. Idem facit eadem pagina lit. F. *O scitas histriones, ut norunt agere suas fabulas simplici populo!* XXXVIII.

DECLARATIO AD CENS. XXXVII. & XXXVIII.

Virgo narrarat miram improbitatem, & artes Monachorum impudentium, quibus parentes impulerant ad assensum, adhibitis etiam vini machinis, tum minis, quasi exitium immineret, nisi filiam sinerent fieri Monacham. In hos clamat adolescens, *O improbitatem stolidorum*, non in quoslibet adhortantes ad vitam Monasticam. Quanquam illud non erat hortari, sed admovere vim. Quod autem juvenis post iterum exclamavit, *O scitos histriones*, non eodem pertinet, sed ad pompam, qua publicitus deducebant puellam ornatu sponsæ ex ædibus parentum in Monasterium. Locus ipse Colloquii declarabit esse verum quod dico. Hæc ex abundanti respondi pro juvene, cum mihi non sit necesse præstare quicquid illum loquentem facio, non hercle magis quam si comœdiam scriberem, præstandum esset quicquid à quacunque persona diceretur, cum ibi loquantur lenones, parasiti, lenæ ac meretrices. Quanquam ille ipse juvenis in fine Dialogi submovet offendiculum infirmorum. Rogatus enim à puella, num damnaret in totum Monachorum institutum? *Nequaquam*, inquit, *verum quemadmodum nemini suadere velim, ut quæ se in hoc vitæ genus conjecerit luctetur emergere, ita non dubitarim hortari puellas omnes, præsertim indolis generosæ, ne se temere eo præcipitent, unde post sese non possint explicare, præsertim cum in ipsis collegiis gravius interdum periclitetur virginitas, ac domi præstare valeas, quicquid ibi præstatur*, &c. Reliqua sunt argutationes, clausula serio declarat quid sentiendum sit. Aggredi vitam Monasticam non vetat, sed eo temere præcipitari non probat. Arbitror autem idem sentire Theologos.

CENSVRA.

XXXIX. Præterea resilientem à religione commendat tanquam bene egerit quod in religione non permanserit. Hoc patet pagina 702. A. *Bene habet quod mature resilieris prinsquam servitutem æternam esses professa.*

DECLARATIO.

Et hoc secus relatum est quam habetur in Colloquio. Non enim juvenis laudat quod resiliit à religione, sed gratulatur puellæ quod cum esset hoc animo ut ibi durare non posset, tempestive reliquisset Monasterium priusquam esset quicquam professa. Adhuc enim integrum erat mutare propositum. Dialogus sic habet: *Bene habet, quod mature resilieris priusquam servitutem æternam esses professa.*

CENSVRA.

XL. In Dialogo *militis* & *Carthusiani* ceremonias religionis minimi facit, & ab illis omnem fiduciam aufert. Id videre est pagina 709. C. *In veste, cibo, preculis, cæterisque ceremoniis*; &c.

Et mox: *Quid alii faciant non est meum judicare, ego his rebus nequaquam confido, minimumque tribuo.* XLI.

Et eadem pagina paulo post: *Rasum caput & vestis color non commendat me Deo.* XLII.

DECLARATIO AD CENS. XL. XLI. & XLII.

Recte minimi facit ceremonias Monachorum, qui eas servat, sed tamen in his non collocat fiduciam pietatis, verum in animi pietate & in *Christo*. Miles enim objecerat *Carthusiano*, quod in veste, cibo, preculis cæterisque ceremoniis ponerent fiduciam, neglecto studio pietatis. Ad hoc ita respondet CARTHVSIANVS: *Quid alii faciant, non est meum judicare, ego his rebus nequaquam confido minimumque tribuo, sed in animi puritate, & in Christo colloco fiduciam*, &c. Qui minimum tribuit, nonnihil tribuit: & juste facit, qui in ratione pietatis extremo loco habet ea, quibus debetur extremus locus, modo & illa servet amore concordiæ. An hæc doctrina corrumpet animos juvenum, si discant in Monasteriis in primis studendum esse purgandis affectibus: externa tamen illa servanda quidem, at non tanti æstimanda, ut in his potissimum existiment sitam pietatem? Si pie locutus est *Paulus*, *esca non commendat nos Deo*, cum Deo gratum sit, si quis sobrietatis amore, aut domandæ carnis gratia jejunet, aut abstineat à vino cibisque lautioribus, non impie loquitur *Carthusianus*, *Rasum caput, aut vestis color, non commendat me Deo*. Utique per se non commendat.

CENSVRA.

In Dialogo, qui dicitur *Naufragium*, impie titu- XLIII.
los, quos Ecclesia recte tribuit beatæ Virgini *Mariæ*, eidem detrahendos censet. Hoc videre est pagina 713. A. *Nauta cauentes*, Salve Regina, *implorabant matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, Reginam cœli, Dominam mundi, portumque salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ Litteræ.* Hoc falsum est, cum sacræ Litteræ eam matrem Dei appellent, unde illi tituli omnes clare deducuntur.

DECLARATIO.

Ad hæc tam exacte respondi Monachis *Hispanien-* *sibus*, & *Alberto Pio*, ut neque libeat, neque necesse sit eadem toties repetere. Cum in hoc Dialogo sint variæ personæ, sicuti fit in navibus, & in his rudes aliquot, rursus aliæ superstitiosæ, non est mihi serio tuendum quid quisque dixerit, nihilo magis quam si talem historiam retulissem. An omnes illi tituli deducantur ex eo quod dicitur mater Dei (quanquam vix hunc titulum invenio in canonicis Litteris, matrem Jesu lego) nihil obsto: neque nego omnes illos titulos & his etiam sublimiores competere in Virginem matrem aliquo sensu: sed hoc nomine notantur crassi nautæ, quod talibus titulis illi tanquam mulierculæ blandirentur, cum alioqui genus hoc hominum sit impuris moribus. Aliud autem est esse in sacris Litteris, aliud est inde utcunque deduci, ne dicam extorqueri. Quoniam autem in Colloquio additur, *atque aliis titulis blandientes*, ad illos titulos non expressos magis pertinent hæc verba, *quos illi non tribuunt sacræ Litteræ*. Christiani candoris erat sermonem ancipitem interpretari in partem commodiorem. De titulis Virgini detrahendis, neque dictum est aliquid, neque cogitatum, sed per calumniam additum.

CENSVRA.

Deinde ibidem irreverenter de eadem beata Virgine XLIV.
loquitur comparando eam *Veneri*, & faciendo illi succedere in agenda cura nautarum. Unde ait ibidem post præmissa verba: *Quid illi cum mari, quæ nunquam (opinor) navigavit? Olim* Venus *agebat curam nautarum.* Sequitur: *Et quoniam desiit curare, suffecta huic matri non virgini Virgo mater.*

DE-

Digitized by Google

DECLARATIO.

Ethnica superstitio credidit *Venerem* habere curam nautarum, quod ex mari fingatur nata. Ridetur itaque nautarum superstitio, qui simili animo implorabant Virginem matrem. Quanquam totum hoc, quod ille respondet, manifestum habet jocum: idque ne esset obscurum, feci alterum respondentem: *Ludis tu quidem.* Nec hic jocus recidit in Virginem, sed in nautas.

CENSVRA.

XLV. Reprobat insuper prolixius vota fieri Sanctis. Hoc patet in supradicta pagina lit. E. *Nulli Divorum nuncupabas vota?* Respondet alter ibidem: *Nequaquam*, & causam dicti sui addens, *quia non paciscor*, inquit, *cum Divis.*

DECLARATIO.

Vota non damnantur simpliciter, sed ridetur hominum superstitio, qui sic paciscuntur cum Divis, quasi cum hominibus rem habeant. Sequitur enim: *Quid enim est aliud juxta formulam: Do ut facias, aut faciam si facias, dabo cereum si enatem, ibo* Romam *si serves?* Jam finge in ea navi fuisse quempiam non alienum à *Lutheranismo*, quid ego peccavi, si illi affinxi sermonem convenientem?

CENSVRA.

XLVI. Reprehendit item subsidium implorare Sanctorum in sua necessitate. Hoc patet pagina 713. E. *At implorabas alicujus Divi praesidium?* Respondet alter: *Ne id quidem*, & dat rationem, *quia spatiosum est cœlum*, &c.

DECLARATIO.

Nulla est reprehensio in Dialogo, merus jocus est, subindicans tamen optimum esse, in omni necessitate recta ad Deum confugere.

CENSVRA.

XLVII. Praeterea ridet invocare Sanctum, cujus nomen sit ignotum. Hoc patet pagina 714. C. *Si nomine compellasses eum, audisset.*

DECLARATIO.

Et hic merus jocus est, non damnans invocationem ignoti Divi, subindicans tamen nautae superstitionem, qui magis putarit invocandum ignotum Divum, quam *Christum* notissimum. Nihilo autem pejus ageretur cum Religione Christiana, si paulo minus tribueretur invocationi Divorum quam tribuitur à nonnullis. Praeterea fingant rursus si libet eum, qui sic jocatur, esse semi-Lutheranum, sermo personae congruit.

CENSVRA.

XLVIII. Addit insuper risum super Religioso *Dominicano*, qui ut se servaret, deposuit cucullam, dicens deposita cuculla, non potuisse agnosci à diva *Catharina Senensi.* Hoc patet pag. 715. B. *Quid autem de Dominicano?* Et paulo post: *Melius enatasset, si non dimisisset sacram cucullam, ea deposita quî potuit illum agnoscere* Catharina Senensis?

DECLARATIO.

Non arbitror periclitari fidem, si quis quid jocetur in cucullam alicujus *Dominicani.*

CENSVRA.

In Dialogo, qui dicitur *Inquisitio de fide*, arduas fidei quaestiones & periculosas simplicibus & pueris contra juris dispositionem proponit, nonnullos annectens errores: Quorum primus est, quod Patri in divinis conveniat auctoritas quae non convenit Filio: qui ponitur pagina 729. C. *Cur igitur sacrae Litterae Filium magis appellant Dominum quam Deum?* Respondetur, *quia Deus nomen est auctoritatis, quae Patri convenit.* Quod falsum est: non enim hoc nomen *Deus* ullam dicit auctoritatem, propter quam non aequaliter competat omnibus Personis. Atque indifferenter vocatur Filius Deus sicut & Pater etiam in sanctis Scripturis: *Joannis* primo, *Et Deus erat verbum.* Et *Joannis* ultimo, *Dominus meus & Deus meus.* Et aliis multis locis.

DECLARATIO.

In eo Dialogo non loquuntur pueri, sed Theologus *Lutheranus* cum Orthodoxo. Neque enim omnia Colloquia scribuntur pueris, nec alioqui par est nolle pueros aliquando adolescere. Auctoritas ibi dicitur ratio principii, quod Theologos latere non potuit, cum in hunc sensum usurpetur frequenter à divo *Hilario*, cujus verba recitantur etiam in sententiis Theologicis. Nam *Hilarius* alicubi sic distinguit Personas, ut Patrem vocet auctorem, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum Dominum. Item libro nono, pronuntiat Patrem Filio majorem hoc ipso quod Pater est, videlicet ob perfectissimam auctoritatem. Ob eandem causam solum Patrem appellabant Deum innascibilem, quod solus à nullo esset. Item libro septimo Patrem appellat auctorem Filii: *ut non differat*, inquit, *genere, sed significet auctorem.* Rursus Lib. quarto: *Ipso*, inquit, *quo Pater dicitur, ejus quem genuit auctor ostenditur, id nomen quod neque ex alio profectus intelligatur, & ex quo is qui genus substitisse doceatur. Novit Ecclesia unum innascibilem Deum.* Haec ille. Quin & in sententiis lib. primo dist. 29. tota disputatione, pro eodem usurpatur *auctor* & *principium.* Esse autem in Patre perfectissimam quandam principii rationem, quae nec est in Filio, nec in Spiritu Sancto, fatentur opinor & Theologi. Si dixerint Deum esse nomen naturae, quae tribus Personis est communis, fateor: sed hic agitur de Scripturarum consuetudine, quae frequenter Dei nomine significet Patrem. Cum enim legimus, *Deus misit Filium suum*, Deus utique Personae nomen est: & cum Filius dicitur *Deus de Deo*, utrobique Deus Personae nomen est. Eadem est in omnibus Deitas, sed alio modo est in Patre, alio in caeteris Personis. Deus autem principatus & auctoritatis est nomen, certe quoties usurpatur pro Patre, declarans in illo esse fontem totius Deitatis. Et ideo dicitur prima Persona, quod ab hoc sint caeterae. Haec si minus pie dicuntur, pro non dictis haberi velim. Quanquam, ut ingenue fatear, suspicor hunc locum in Dialogo non carere mendo, ac primum fuisse scriptum: *Quia Pater auctoritatis nomen est, & perfectissima auctoritatis ratio est in Patre. Nam ille sic Deus est ut ipse à nullo sit, sed caeterae Personae ab illo habent divinae naturae consortium.* Hac de re memini admonere quosdam, unde miror locum non fuisse mutatum. Est enim initium quaestionis ejus quae post sequitur, *cur in Symbolo solus Pater expresse dicatur Deus?* Proinde non arbitror hic quicquam esse in sensu quod offendat pios, tantum unius vocula, videlicet *auctoritas*, usus parum animadversus turbavit quosdam. Ad hoc satis exacte respondi Monachis *Hispanicis.* Rogat inquisitor, cur Symbolum appellet Patrem Deum, Filium Dominum, quod idem frequentius fit in sacris Litteris, praesertim apud *Paulum?* Alter ita respondet: *Quia Deus auctoritatis est nomen, quae Patri convenit: Dominus, redemtoris & assertoris.* Hic proferunt è Scripturis testimonia, quod Filius quoque in Scripturis dicitur Deus. Hoc cur faciendum duxerint admiror. Nam si metuebant ne quis ex hoc loco suspicaretur solum Patrem appellandum Deum, mox sequitur: *Quanquam & Pater redemit per Filium, & Filius Deus est ex Deo.* De appellationibus hic agitur, quae juxta consuetudinem Scripturarum uni Personae frequentius tribuuntur, cum re vera omnibus ex aequo conveniant: veluti quoties sub nomine sapientiae intelligimus Filium, & quoties bonitatem tribuimus Spiritui Sancto, cum sit eadem omnium bonitas & sapientia. Nec inquisitor petit quare in sacris Lit-

Digitized by Google

Litteris ſolus Pater appelletur Deus, ſed quare frequentius & abſolute. Siquidem hæc vox *Deus* in Novo præſertim Teſtamento crebro ſic uſurpatur, ut unicam Perſonam ſignificet, videlicet Patrem. Item hæc vox *Dominus*, ut per ſe declaret Filii perſonam, licet utrumque utrique æque competat. Reſtat ille ſcrupulus, quod Deus ſit nomen auctoritatis: ſonat enim ſummum principatum, hoc eſt, auctoritatem, & auctoritatem *Hilarius* Patri veluti peculiarem attribuit, eoque in Symbolis ſolus dicitur *creator cœli & terræ:* & quicquid per Filium aut Spiritum Sanctum geritur, ad Patrem veluti fontem refertur, unde reliquæ Perſonæ habent etiam hoc ut ſint. Verùm hæc peculiaritas vel conſuetudo potius litterarum non excludit alias Perſonas à nominis communione. *Sed Deus*, inquiunt, *nullam ſignificat auctoritatem, propter quam non æqualiter competat Perſonis.* Quod dicunt verum eſt, & aſſentior maxime: neque enim de re loquimur, ſed de conſuetudine Scripturarum. Neque enim ideo Pater non æque ſapiens, quia Filius appellatur *ſapientia*. Simpliciter ut res habet expoſui, & quod animo ſenſi, verbis, mea ſententia, Latinis expreſſi, in nullo diſſentiens, & tamen mihi impingitur error. Hæc Facultati non ſunt imputanda, ſed his qui fruſtulis per imperitos detruncatis rem tam ſeriam agunt.

CENSVRA.

I. Secundus error eſt, quod in humanitate *Chriſti*, in beata Virgine atque Sanctis, non ſit collocanda fiducia ſub Deo, vario tamen gradu, qui ponitur in prædicta pagina 729. C. his verbis: *Ergo & in* Jeſu *collocas tuam fiduciam? Quid ni?* Paucis interpoſitis ſequitur: *Quanquam nec in hoc fiducia, ſpeique meæ, ſacram, ut ajunt, ancoram figerem, ni Deus eſſet.*

DECLARATIO.

Fiduciam, ut crebro monui, appello principale præſidium. *Sub Deo*, non eſt in meo Dialogo. Qui fidit homini ſub Deo, Deo fidit potius quam homini. Certe hîc agi de ſumma fiducia, locus ipſe convincit. *Quanquam*, inquit, *nec in hoc*, nimirum Jeſu, *fiducia, ſpeique meæ, ſacram, ut ajunt, ancoram figerem, ni Deus eſſet*, &c. Quiſquis ſacram ancoram dicit, non quamlibet fiduciam vult intelligi, ſed præcipuam. At finge ſimpliciter dictum, *fiderem*, cur hoc mihi non liceat, cum Propheta dicat: *Maledictus qui confidit in homine*, videlicet loquens de ſumma fiducia. Hoc ſi veriſſimum maximeque pium eſt, cur mihi impingitur error? Quod ſi quid alii perperam docuerunt de invocandis Divis, num ideo putant æquum reprehendi, quod ab aliis recte dictum eſt?

CENSVRA.

LI. Tertius error ſcriptus pagina 731. B. *Quid igitur prohibet Spiritum Sanctum appellari Filium?* B. *Quia nuſquam lego genitum hunc, nec hujus lego patrem.* Erronea eſt iſta reſponſio. Non enim propterea Spiritus Sanctus non appellatur Filius, quia non legitur, ſed propter proprietatem emanationis ejus, ratione cujus repugnat eum vocare Filium ante omnem Scripturam.

DECLARATIO.

Hîc captio in vocabulis eſt, non in ſenſu. Nam ideo non ſcriptum, quia non eſt. Et hujus reſponſionis, quam vocant erroneam, non puduit divum *Hilarium*, qui non audet aliam adferre rationem, cur vereatur Spiritum Sanctum dicere genitum, niſi quod in Scripturis non reperiatur expreſſum. Ac magni Theologi fatentur non poſſe liquido reddi rationem, cur Spiritus Sanctus non dicatur Filius, præter auctoritatem Scripturæ. Nam qui dicit rationem emanationis, verba tantum dicit, cum ea proprietas nec explicabilis ſit, nec intelligibilis, imo cum emanandi verbum non ſit in facris Litteris. Alioqui emanat & qui naſcitur, ac procedendi verbum tribuitur & Filio. *Joannis* XVI. *A Deo exivi, & à Patre exivi*: ubi *Auguſtinus* legit *proceſſi*; & humanæ rationi mirum eſt non dici Filium, qui ſuam eſſentiam æque ſortitur ab alio.

CENSVRA.

LII. Quartus error, quo dicit non credendum in ſanctam Eccleſiam, pagina eadem lit. D. his verbis: *Credis in ſanctam Eccleſiam?* B. *Non.* Et rurſum: *Cur horres dicere, Credo in ſanctam Eccleſiam?* &c. Cum autem catholici Doctores ſenſum reddant illius propoſitionis, *Credo in ſanctam Eccleſiam*, & multæ Eccleſiæ ita decantent, temerarie aſſeritur non recte dici.

DECLARATIO.

Nullus illic aſſerit non recte dici, *Credo in ſanctam Eccleſiam*, ſed citatur *Cyprianus*, quem ſequitur *Auguſtinus*. Ideo vero nominavi auctorem, quia mihi ea diſtinctio non admodum probatur. Magis arbitror eſſe proprietatem Hebræi ſermonis, quemadmodum in Euangelio promiſcue legimus, *Confitebor eum*, & *confitebor in eum*. Si Doctorum auctoritas quæritur, probatiſſimi Eccleſiæ Doctores commonſtrarunt, quod habet Dialogus. Quid Eccleſiæ hæ aut illæ canant non animadverti, neque continuo rectum eſt, quicquid in quibuslibet Eccleſiis canitur. Dicent cur doces quod non probas? quia ſenſus pius eſt, quia magnis nititur Auctoribus. Sed obſecro cur mihi impingitur aſſerendi temeritas, cum id doceamus, quod expreſſe docuit *Cyprianus*, *Auguſtinus*, *Leo*, *Thomas Aquinas*, & *Joannes Gerſonenſis*, nec dubito quin cum his alii innumerabiles, quodque Eccleſia Catholica in hunc uſque diem conſtanter ſervat? Temeritatis convicium citius hæſerit in iſtas neſcio quas Eccleſiolas, ac doctorculos, qui citra neceſſitatem auſi ſunt à celebrium Doctorum ac publica orbis conſuetudine recedere. Quoties ego audio temerarius, arrogans & impius, ſi quid admoneo, quod ab uſu Eccleſiaſtico videatur diſcrepare. Nunc in aliis defenditur, quod mihi datur crimini.

CENSVRA.

LIII. Quintus error eſt, quo dicit malos non eſſe de Eccleſia, quæ non conſtat niſi de bonis. Qui error Euangelicæ doctrinæ adverſatur. Et ponitur ibidem: *Ab Eccleſiæ conſortio reſecatur & ſeparatur quiſquis admittit crimen lethale.* Et paulo poſt: *Eccleſia non conſtat niſi ex bonis.*

DECLARATIO.

Eccleſiæ vocabulum diverſis modis uſurpatur in ſacris Litteris: arbitror autem hîc ideo ſanctam vocari ſponſam illam occultam, quæ non habet maculam neque rugam: extra hanc ſunt Ethnici, Judæi, & Chriſtiani peccato capitali obnoxii, una cum hæreticis, etiamſi non fuerint anathemate reſecti. Apud homines verſantur in Eccleſia, apud Deum ſunt reſecti, ut membra mortua. De hac ſponſa *Chriſti*, quæ non habet maculam neque rugam peccati lethalis, ſentire Dialogum, declarant quæ ibi leguntur. *Qui colunt unum Deum Patrem, qui totam ſuam fiduciam collocant in ejus Filio, qui eodem hujus Spiritu aguntur, à cujus conſortio reſecatur, quiſquis admittit crimen lethale.* Ac paulo poſt: *Eccleſia vero proprie dicta quanquam non conſtat niſi ex bonis, tamen ex hominibus conſtat qui poſſunt fieri mali*, &c. Hîc lubens rogarim referendarium, cur hæc verba, *proprie dicta*, prætermiſerit. *Chriſtus* vivit, neque convenit ut capiti vivo ſocietur corpus habens membra mortua. Nec hoc adverſatur Euangelicæ parabolæ de ſagena, quæ non ſignificat illam electam ſponſam, & ſoli Deo cognitam, ſed generalem illam Eccleſiam, quæ complectitur omnes baptizatos, toleratque bo-

Digitized by Google

nos ac malos, quoniam hominum corda non introſpicit, quod ſolius eſt Dei. Huic igitur ſervat eos judicandos. Cæterum cur mutarint propoſitionem neſcio. Nuſquam enim dico malos non eſſe *de Eccleſia*, ſed non eſſe *in Eccleſia* ſancta, quæ vivit agiturque Spiritu Chriſti. In hac, opinor, Theologi non collocant obnoxios crimini lethali. Quod ſi recentiores aliquid argutius excogitarunt circa hunc locum, in quibus tamen non conſentiunt, mihi libuit magis ſequi *Cyprianum*, qui hanc Eccleſiam, de qua loquitur Symbolum, appellat Chriſti ſponſam, non habentem maculam neque rugam, de qua Spiritus dicit in Canticis: *Una eſt columba mea, una eſt perfecta mea, una eſt matri ſuæ perfecta genitrici ſuæ.* Si quis dixerit illum loqui de perfectione fidei, quam habet Eccleſia, plurimi ſunt quorum fides eſt imperfecta, imo erronea. Siquidem in ea ponunt ſchiſmaticos & hæreticos qui latent, nec adhuc vel amputati ſunt, vel palam dictis aut factis ab Eccleſiæ communione receſſerunt. Jam cum fides abſque caritate non ſanctificet hominem, quomodo dicuntur eſſe in ſancta Eccleſia, qui præter fidem informem nihil habent? Nec tamen hac ratione detrahitur auctoritas Eccleſiæ præfectis, qui cum adminiſtrant Sacramenta, de Eccleſiæ immaculatæ Theſauro adminiſtrant, non de ſuo. Si quid perperam judicant, non præjudicant divinæ ſententiæ. Haud tamen inficior Chriſtianos male viventes, aliquo modo ad Eccleſiam pertinere, quam diu perſiſtunt in unitate & pace domus Dei. Sed Eccleſia militans proprie dicta conſtat ex prædeſtinatis, quos ſolus Deus novit. Et quanquam poſt Chriſti adventum Eccleſiæ nomen potiſſimum inclaruit, tamen *Auguſtinus* Eccleſiam cenſet ab exordio Mundi. Profertur autem hujus vocabuli uſus ad animas corporibus exſutas, ſive quæ regnant cum Chriſto, ſive quæ purgantur adhuc igni caritatis. Hinc profertur & ad Angelos bonos, poſtremo ad homines non prædeſtinatos, ob fidei & ſacramentorum communionem, & hanc Eccleſiam putant proprie dici Catholicam, quod univerſam Eccleſiæ rationem complectatur. Sed in hanc non congruunt multa Scripturæ loca. Neque enim *Chriſtus* Angelos purgavit ſanguine ſuo. Ego præcipuam Eccleſiæ militantis partem appello Eccleſiam: Chriſtianos bene quidem credentes, ſed male viventes, non nego aliquo pacto ad Eccleſiam pertinere, nec video quid diſtet inter Theologos ac me, niſi quod ego reor illos non eſſe de Eccleſia proprie dicta, illi putant eſſe de Eccleſia.

CENSURA.

LIV. Sextus error eſt pagina 731. F. his verbis: *Extra Eccleſiam non eſt ulla peccatorum remiſſio.* Et conſtat quod capiendo Eccleſiam, ut prius cepit, ut explicat, hoc falſum eſſe: cum in Eccleſia hæreticorum detur verum baptiſma parvulis. Etiam per pœnitentiam aſſequitur quis peccatorum remiſſionem: & fit de Eccleſia dicto modo.

DECLARATIO.

Baptiſmus apud hæreticos datus efficax eſt, fortaſſis & apud Judæos, ſed tamen vis baptiſmi eſt à fide Eccleſiæ: & hæreticus, qui generali fide baptizat, malus miniſter Eccleſiæ utitur organo. Si tamen nulla neceſſitate compulſus, ab hæretico baptizetur, conſentiens illius impiis dogmatibus, non accipit remiſſionem peccatorum, ſed characterem modo, qui præſtat ne denuo cogatur tingi. Ad hæc qui veniunt ad baptiſmum cum fide, non proprie ſunt extra Eccleſiam, ſed in veſtibulo Eccleſiæ. Ac fortaſſis in Eccleſia apud Deum. Cætera adhibentur ad confirmandam apud homines fidei ſocietatem. Porro per pœnitentiam reditum eſſe in Eccleſiam nemo negat. Sed non redit, niſi qui diſceſſit. Et animo pœnitens jam eſt in Eccleſia, licet ob Eccleſiaſticam diſciplinam ab Eccleſiæ myſteriis arceatur. Poſtremo gratia remiſſionis res eſt Eccleſiæ illius immaculatæ.

CENSURA.

In Dialogo *Franciſcani* prætendit convenientius eſſe LV. quod Religioſi non differant veſtimentis à cæteris hominibus. Hoc patet pagina 743. D. *Quid ſentias utrum exiſtimes ſatius, Monachos à cæteris cultu non differre?* Reſpondet alter: *Equidem arbitror ſimplicius & Chriſtianius*, &c.

DECLARATIO.

Quid hoc ad pietatem, ſi non eſſent in orbe tam infinita cultuum diſcrimina!? Quanquam ibi *Conradus* aliquanto circumſpectius loquitur, quam hîc refertur, ita reſpondens: *Equidem arbitror ſimplicius & Chriſtianius non æſtimari quenquam ex cultu, modo ſit honeſtus ac decorus.* Non damnat varietatem, ſed notat hominum ſuperſtitionem, qui hinc æſtimant proximum. Et tamen is, qui hæc loquitur, negat veſtem eſſe mutandam, propter offendiculum hominum, & receptam conſuetudinem. Decet autem Monachos non tam coloribus & formis, quam ſimplicitate ac vilitate veſtis à cæteris differre.

CENSURA.

Eadem pagina lit. F. innuit varietatem veſtium in LVI. religione inductam eſſe ex ſuperſtitione: *Poſteriores additis quibuſdam rem verterunt in ſuperſtitionem*, &c.

DECLARATIO.

Infinita varietas non caret aliqua ſuperſtitione, nec omnes præſcribit Eccleſia, ſed pleraſque ſibi comminiſcuntur homines, ſtudio quidem fortaſſe pietatis, ſed interdum non ſecundum ſcientiam. Enumera ſi potes quot ſunt varietates in uno genere *Canonicorum Regularium* aut *Cruciferorum*, ne cætera commemorem. Et in his ſunt quædam ſic præter uſum affectata, ut ſint incommodo, cum veſtis ad commoditatem corporis ſit reperta.

CENSURA.

Modum præterea honeſtum, quo habitu differunt LVII. ab aliis Juriſperiti, Judices, aut Doctores, carpit. Hoc videre eſt pagina 742. C. *Itaque mihi ſtultiſſimum videtur ſapientiam profiteri veſte.*

DECLARATIO.

Hoc argumentum proponit *Pandocheus*, ſed à *Conrado* refellitur. Proinde mihi parum candide impingitur. Juriſperitis nemo invidet ornatum ſuum, nec video quid hoc pertineat ad fidem Catholicam.

CENSURA.

In Dialogo, qui inſcribitur *Peregrinatio religionis er-* LVIII. *go*, Epiſtolam ſub nomine beatæ *Mariæ* Virginis confingit ridiculam quidem, ſed blaſphemiæ proximam, qua ſe lætari beata Virgo dicit, quod *Lutherum* ſecutus quiſpiam ſuaderet ſupervacaneum Divos invocare, quod inde magna deinceps moleſtia levaretur. Minatur item ſi ſanctos deſerant homines, ſuis armis ſe ab eorum injuria vindicaturam. Hoc habet pag. 775. A. B.

DECLARATIO.

Plane jocus eſt, ſed is in *Zvinglianos* cadit, non in divam Virginem. Quanquam non illic agitur de Virgine matre, ſed de Statua Virginis, quæ ſummo in honore habetur apud *Helvetios*, dicta *Maria de lapide*. Id eſſe verum indicat Epiſtolæ clauſula pag. 776. B. *Ex ede noſtra lapidea*, &c. Nec illic lapidea Virgo minatur ſe ſuis armis defenſuram, ſed dicit aliis Divis eſſe arma, quibus ſe tueantur. Id quidem nihil ad rem, ſed hinc colligitur fides ac vigilantia eorum, qui hujuſmodi fragmenta detruncarunt.

CENSURA.

Et pagina 784. carpit quod in Eccleſia ſint tot Ba- LIX. pti-

Digitized by Google

ptisteria, tot Candelabra, tot Statuæ aureæ, tot Organa, tot concentus musici, immensi sumtus. Hoc patet pagina 784. E. *Sed quorsum attinent tot Baptisteria*, &c. Nihilominus tamen hæc omnia pertinent ad honorem & cultum Dei, nec propterea pauperes deseruntur.

DECLARATIO.

In Colloquio quidam nihil aliud reprehendit, quam immenso pretio constantem Templorum ornatum: sic enim ingreditur: *Fateor in sacris vestibus, in vasis Templi, deberi cultui solenni suam dignitatem, volo & structuram habere majestatem suam: sed quorsum attinent tot Baptisteria, tot Candelabra, tot Statuæ aureæ?* Cum ait *tot*, immodicam taxat multitudinem: cum *aureæ*, taxat immodicas impensas. An luxus pertineat ad honorem Dei nescio, & an pauperes nihilominus curentur, alii viderint: certe quod ibi redundat, non sublevat pauperum inopiam, nec raro fit, ut quod egenis negatum est, tyrannus sacrilegus, aut impius miles, semel auferat. Et tamen hoc ipsum, quod ibi quidam argumentatur, alter solvit, dicens: *In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat. Verùm quoniam hoc vitium ex immodica quadam pietate nascitur, favorem promeretur.* Ac paulo inferius: *Denique malim videre Templum sacra supellectile luxurians, quam ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora quam Templis*, &c. Quin hic sermo mihi impingitur, qui fortasse justius poterat impingi. Si dicent, nullum impendium in Templorum ornamentis posse esse immodicum, habent quod damnent in Colloquio. Sed eadem opera dicere poterunt, intra oleam nihil esse duri.

CENSVRA.

LX. Non vult soleas & calceos Sanctorum populum exosculari, quod tamen bene fit. Id indicat pagina 786. E. *Cæterum impudens est, calceos, soleas & subligaria osculo obtrudere.* Sequitur: *Præstabat ista non fieri, ne quid dissimulem*, &c.

DECLARATIO.

Etiam-ne hoc ad fidem pertinet, osculari putre corium, & sordida linteola Sanctorum, præsertim si nullum habeant vestigium vitæ? Nec tamen Colloquium damnat eos qui pio affectu osculantur talia, sed eos qui obtrudunt osculanda, maxime cum fieri possit, ut calceus, quem obtrudunt, sit non divi *Thomæ*, sed lanionis alicujus, aut lenonis. Agitur enim illic de calceo *Thomæ Acrensis*, qui obtrudebatur à mendicabulo quodam per viam, non in Templo.

CENSVRA.

LXI. In Dialogo *Lanionis & Salsamentarii*, ciborum delectum dicit abrogatum divina & Apostolica sententia. Hoc patet pagina 791. A. *Ciborum delectum non exemplo quidem, sed sententia sua abrogavit Dominus*, &c.

DECLARATIO.

Palam est ex ipso sermonis tenore illic agi de abolitis Judæorum ceremoniis, inter quas ponitur delectus ciborum. Si *Christus* & Apostolus *Paulus* non abrogarunt Judaica ciborum discrimina, mentitus est *Erasmus*. Sin hoc fatentur omnes Orthodoxi, quid incusatur? Cæterum illic non agi de constitutionibus Ecclesiæ, testantur quæ præcedunt ac sequuntur. Sic enim proponitur quæstio: *Quæ Scriptura manifeste docet, Judæos, si professionem Euangelicam fuerint amplexi, manumissos esse à* Mosaicæ *Legis servitute?* Respondet alter: *Quoniam id fore prædictum erat à Prophetis*, &c. *Judaicum igitur escarum discrimen abrogavit Dominus, non quidem exemplo, sed sua sententia, cum ait:* Quod intrat in os, non coinquinat hominem: *jam tum præparans suos discipulos ad Judaicarum ceremoniarum*

A *contemtum.* Petrus *item visione monitus est, & iterum à* Paulo *doctus nihil esse immundum quod Deus mundavit.* Addit non esse dubitandum, quin quod hodie populus Christianus, contemtis Judæorum præscriptis, vescitur suilla & anguillis, traditum sit ab Apostolis. Ac mox: *Itaque non tam manumissi sunt* Judæi, *quam à Legis superstitione, velut à lacte, consueto quidem & familiari, sed jam intempestivo depulsi. Neque Lex abrogata est, sed ea pars jussa est cedere quæ jam erat otiosa.* Item paulo post: *At* Judæi *primum egre divellebantur à consuetis*, &c. Totus illius loci tenor, disputat de Judaicis ceremoniis, non de Christianis constitutionibus. Id cum sit extra controversiam, quid deliquit *Erasmus*? Sed hoc est, loco non lecto, juvenum schedis credere. Atque adeo quid opus est præcedentium & consequentium tenorem ad argumentum vocare, cum ipse locus, quem citant, sic habeat: *Ciborum Judaicum delectum non exemplo quidem, sed sententia sua abrogavit Dominus.* Cur qui hæc scripsit, omisit *Judaicum*? Quid? nisi ut esset locus calumniæ? Et hæc obtruduntur Theologicæ Facultati.

B

CENSVRA.

Ceremonias etiam Ecclesiæ in jejunio, in abstinentia à carnibus, diversitate vestium, rasura capitis, & quibusdam aliis, taxare videtur: nec non & obligationem baptismi, confessionis, matrimonii. Hoc patet pagina 792. B. Cæterum excusat quæ dicit in præscripta pagina: & hoc ibid. C. *Erras tota via Lanio*, &c. LXII.

C

Verùm postea censet immutandas constitutiones & ceremonias Ecclesiæ, quas carnales appellat. Id liquet ibid. E. *Satis quidem crasse disseris. Atqui mihi videtur & hodie non minus esse causarum cur observationes istæ carnales hactenus tolli debeant, ut arbitrariæ sint, non obligatoriæ.* Et pag. 793. A. *Cum igitur tam ampla sit messis, videtur hoc consultissimum ad Religionem Christianam propagandam, quemadmodum Apostoli sustulerunt onus Legis Mosaicæ, ne Gentes resilirent, ita nunc ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, sine quibus ab initio servatus est orbis, & nunc servari possit, modo adsit fides & caritas Euangelica.* Idem prosequitur ferme tota pagina, præsertim usque ad illam partem, *Extra Ecclesiæ domum non est salus.* LXIII.

D

Hoc autem consilium impium est & pernicioſum, nec minus arrogans. Consilium, inquam, ex damnata *Wiclevi* simul & *Lutheri* doctrina depromtum ad enervationem Christianæ tendens Religionis, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ. Nec verum est quod ex hujusmodi abrogatione imbecilles illicerentur, imo potius avocarentur hinc magis à Christiana Religione & retraherentur. Et certum est Spiritu Sancto suggerente, conformiter ad sanam Scripturarum intelligentiam, hæc fuisse instituta, & ex traditione Apostolorum multa, tum ad reverentius & sanctius celebranda divina mysteria, tum ad sinceriorem Christianæ Religionis observationem, quorum multa etiam exploratum est esse de jure divino, quod immutabile est, & semper idem: aut in Scripturis sanctis traditum est, aut ex traditione Apostolorum per continuas successiones ad nos usque deductum est. Nec est consimilis ratio de onere Legis *Mosaicæ*, quam & Prophetæ & Apostoli Spiritu Dei inspirati senserunt abrogandam: & de iis quæ voluit in Ecclesia Spiritus Sanctus pro sua felici directione usque ad consummationem seculi perseverare: quod inde patet quia quotquot talia attentaverunt immutare, mox ab Ecclesia, quæ semper Spiritu Dei regitur, damnati sunt & rejecti, ut *Aerius*, *Vigilantius*, *Lamperius*, *Jovinianus*, *Valdenses*, *Albigenses*, *Wicleviſta*, & demum *Lutherani*, & alii non pauci. Hæreticum itaque est & blasphemum hujusmodi perversum consilium.

E

F

DECLARATIO.

Hæc proponuntur à Lanione, sed refelluntur à Salsamentario. Si refutatio placet, cur mihi objicitur argumentantis sermo?

Digitized by Google

Hæc rursus Lanionis argumentatio est, cui respondetur, Pontificum constitutionibus citra contradictionem parendum. Eas vero carnales appellat, quæ præscribunt externa: nec suadet ut abrogentur, sed ut obligatio tollatur, & succedat exhortatio. Nec cuivis permittit ut ejusmodi constitutiones violet, sed si graves exsisterent mutandi causæ, per Ecclesiam tollerentur. Velut si relaxatis quibusdam constitutionibus, atque etiam dogmatis, possit vehementer dilatari Christiana ditio, nonne par esset, ut humanæ leges pro tempore cederent divinæ? Divina lex est pro viribus dilatare gloriam Christi, & consulere saluti proximorum. Jubet enim illa amare Deum ex toto corde, & proximum sicut se quisque diligit, cum certis diebus abstinere à cœna, aut vesci piscibus, sit hominum constitutio. Leges autem hominum non aliter quam pharmaca Medicorum, pro temporum & corporum ratione, proque præsenti usu, solent ac debent innovari. Quod si ponamus exsistere magnam aliquam Ecclesiæ utilitatem, quæ sit impietas si quas constitutiones ad tempus relaxet Ecclesia, præsertim cum nemo vetet etiam illa servari, quorum obligatio remittitur: aut quid habet hic sermo *Lutheri*, qui docet omnes Pontificum constitutiones esse impias, ac fortiter rejiciendas? Verùm ea res, inquiunt, non alliceret imbecilles ad Ecclesiam, sed enervaret citius totam Ecclesiasticam disciplinam. Equidem arbitror Ecclesiasticam disciplinam potius consistere in his quæ sunt spiritus, quam in externis illis. Et si tantum imminet periculum, quomodo diu viguit Ecclesia gignens tot jejunatores, abstemios, ac oleribus victitantes, cum nulla esset inediarum aut escarum præscriptio? Neque quisquam negat hæc esse à majoribus salubriter gravibusque de causis instituta, at non sic instituta, ut abrogari non possint, si spes affulgeat majoris utilitatis, cum ipsa Ecclesia tam multas constitutiones levioribus de causis abrogarit. Qua de re si quis dubitat, legat decreta Apostolorum ac veterum Conciliorum, reputetque quam pauca ex illis serventur hodie: & trepidamus ne mox ruat Ecclesia, si quid novetur de escis. Ceremonias *Mosaicas* in hoc datas, ut suo tempore desinerent, verissimum est. Verùm ex eo consequitur, eas jam servare nefas esse, at non consequitur similes hominum constitutiones ob graves causas antiquari non posse per Ecclesiam. Quin & illud discutiendum est, an quicquid Apostoli statuerunt, etiamsi constaret ab illis traditum, obliget nos in perpetuum. *Paulus* præcepit ne mulieres loquerentur in Ecclesia, nunc ubique cantillant. Vetuit viros esse operto capite, nunc operiuntur. Jussit uxores habere velum super caput, nunc in quibusdam Regionibus aperto capite audiunt sacrum, serico tantum reticulo cohibente capillitium ne diffluat. Sed unde constat nobis hujusmodi constitutiones hoc animo proditas, ut perseverarent usque ad consummationem seculi? Quoniam quotquot tentarunt illas immutare, mox ab Ecclesia rejecti sunt. Nec mirum, quandoquidem schismatice tentarunt antiquare, quod nisi per Ecclesiasticam auctoritatem innovari non debet. Postremo non asseverat Lanio, sed argumentantium more loquitur, *Videtur*, ut jam ne consilium quidem dici possit. *Statuit enim apud se quisquis alteri consulit*, &c. Sed quomodo hæreticum sit Lanionis consilium, cum diversum sentiat ab horrendis illis nominibus, *Lamperii*, *Joviniani*, *Valdensium*, *Albigensium*, *Wiclevi* & *Lutheri*. Hic vult observari constitutiones Ecclesiæ, nisi per ipsam abrogentur. Illi docent esse pium fortiter eas contemnere, adimuntque Præsulibus atque etiam Conciliis auctoritatem quicquam statuendi de suo. Quomodo autem blasphemum, quod totum negotium defert Ecclesiæ, quæ Spiritu Sancto dirigitur? Quomodo perversum, quod sperat magnam Ecclesiæ gloriam & utilitatem? Denique si non placet omnino Lanionis argumentatio, rejicitur etiam in eodem Dialogo. Sed mihi deterior pars erat impingenda.

A B C D E F

CENSURA.

In eodem Dialogo *Lanionis* & *Salsamentarii* multa alia ponit eidem sententiæ conformia, ut pagina 800. B. *Verùm ubi interim illa libertas spiritus, quam promittunt Apostoli*, &c. LXIV.

DECLARATIO.

Verum est, similia quædam ibi dicuntur à Lanione, sed argumentante, non asseverante. Cæterum illi protinus respondet Salsamentarius: *Dicam, ô Lanio: Non in hoc est Christianorum libertas, ut liceat illis facere quæ velint, liberis à constitutionibus humanis, sed quòd ex fervore spiritus ad omnia promti, lubentes & alacres ea faciunt quæ præscribuntur.* Hæc responsio si pia, si Catholica est, cur hac dissimulata mihi impingitur percunctantis sermo quasi sit asseverantis.

CENSURA.

Idem indicat & pagina 801. B. *Mundus plenus est Pharisaicis hominibus*, &c. Pagina item 799. F. *Postremo cum leges hominum, quæ fere corporalia præscribunt, pædagogi sint ad pietatem, cessare videntur, ubi quis profecit ad spiritus robur.* Hîc rursus errorem *Beguardorum* instaurare contendit, quasi eo sensu pædagogi sint appellandæ constitutiones & ceremoniæ Ecclesiæ, quo appellat *Paulus* pædagogum veterem Legem ac ejus ceremonias. LXV.

DECLARATIO.

Obsecro per *Sorbonæ* genium, quid indicat hic Salsamentarius? Ait mundum esse plenum Pharisaicis hominibus. Sed quos appellat Pharisaicos? Non eos qui parent Ecclesiæ constitutionibus, sed qui non alia re sibi possunt vindicare sanctimoniam, nisi talibus observatiunculis. Nam hæc verba illic adduntur, *hîc prætermissa sunt honoris mei gratia.* Rursus altero loco quid dicit Lanio? Argumentatur, non asseverat. Sed quid illi respondetur? *Multa in quidem congeris, quorum nonnulla placent, aliqua displicent, quædam non intelligo*, &c. Si quædam displicent, existiment ea esse quæ ipsi damnant. Valeant itaque *Beguardi.*

CENSURA.

Ægre fert denique auctor hujus Dialogi, quod plus puniantur in Ecclesia minora peccata quam graviora. Nec attendit id rationabiliter fieri in Republica ad conservationem ejusdem. Id patet pagina 801. D. *Itidem videmus multos tantum fidere corporalibus ceremoniis*, &c. Et similiter pagina eadem quasi tota. LXVI.

DECLARATIO.

Hîc consentiunt Lanio & Salsamentarius, vicissim commemorantes exempla non pauca de præposteris vulgi judiciis, & inter cætera commemoratur, quod quidam in leviora peccata gravius animadvertunt: *Si sacerdos*, inquit, *capillitium aut vestem sumat hominis profani, rapitur in carcerem, acriter punitur: si bibat in lupanari, si scortetur, si ludat aleam, si vitiet alienas uxores, si nihil attingat sacræ Lectionis, tamen columna est Ecclesiæ.* Ita Dialogus. Theologi dicunt id rationabiliter fieri. Fortassis in aliquo casu, sed in eo, quem illic pono, non arbitror. Nec ipsi probant, opinor, eos, qui corporalibus freti ceremoniis negligunt ea quæ sunt veræ pietatis, & suis meritis arrogant quod est gratiæ: & ibi consistunt unde oportuit gradum factum ad perfectiora, & ex his rebus proximum calumniantur, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ. Sic enim loquitur Dialogus. At hos si damnant & ipsi, miror cur existimarint hunc locum notandum. Quid autem mali, si præpostera multitudinis judicia, quorum nullus est numerus, multis exemplis persequitur Dialogus, cum id vehementer pertineat ad veræ pietatis studium? Certe hoc animo illa ibi commemorantur.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA.

LXVII. Idem facit pagina 803. D. *Jam in ipso jejunii præscripto cum duo sint*, &c. Idem prosequitur paginis 804. & 807.

LXVIII. Fiduciam in Sanctos carpit pagina 808. F. non attendens quod omnis cultus & fiducia, quæ Sanctis exhibetur, primo & principaliter Deo exhibeatur, & illis sub Deo & propter Deum.

DECLARATIO AD CENS. LXVII. & LXVIII.

Quid illic carpit *Erasmus?* fiduciam Divorum? Ipse locus respondeat. Sic loquitur Lanio: *Quam multi sunt, qui magis fidunt præsidio Virginis matris, aut Christophori, quam ipsius Christi.* Et hujus generis aliquot exempla commemorantur. Obsecro te, lector, an hoc est carpere fiduciam erga Sanctos, an potius notare præposterum judicium stultorum? Proin hæc censura hîc nullum habet locum, quocunque casu hîc posita est.

CENSVRA.

LXIX. In Dialogo, qui dicitur *Funus*, minus recte videtur sentire auctor de fundatione obituum, & de precibus pro defunctis exsolvendis. Nam infirmum introducit parum ista curantem, imo respuentem, si non esset scandalum. Id videre est pagina 816. B. *Si me vel uno funebri sacro dignaberis plus satis erit: aut si quid aliud est, quod ob publicam Ecclesiæ consuetudinem citra scandalum infirmorum omitti vix potest, id tuo permitto arbitrio.* Sequitur: *Nec est animus cujuspiam vel preces commercari, vel quenquam meritis suis spoliare.* Hæc dicuntur quasi fundantes obitus, preces aliorum commercentur, aut meritis suis spolient: quod asserere erroneum est & impium. Pagina autem eadem lit C. videtur omnem satisfactionem peculiarem pro defunctis respuere, solam communem probans cum merito Christi, & hoc à principio paginæ.

CONCLVSIO DETERMINATIONIS PRAESCRIPTAE.

CVM igitur in istis Dialogis pernicioſe ERASMVS eloquentiam suam convertat ad instaurandos, & quodammodo puerorum, præceptorum eorundem, & quorumcunque lectorum ingeniis instillandos damnatos errores *Aerianorum*, *Wicleviſtarum*, *Jovinianſtarum*, *Lamperianorum*, *Waldenſium*, *Beguardorum*, *Lutheranorum*, & aliorum multorum hæreticorum: si sancte & Christiane imbuenda est non modo puerilis ætas, verum etiam provecta, & ab omni impietate atque blasphemia maxime propellenda & avocanda, enitendum est ne ulli tales libri manibus teneantur puerorum aut quorumcunque Christianorum lectorum, ne hujusmodi venena ubi lectores imbiberint, à Christiana omnino Religione reddantur alieni.

DECLARATIO.

Fingo illic hominem egregie pium, qui quicquid potuit in vita boni fecit, & quantum patiebantur facultates sanus ac valens pauperibus erogarat; atque hoc maluit quam in diplomatibus Pontificum, aut in Sacerdotum mortualibus, aut in legatis testamentariis spem salutis ponere. Id quidem audivi vehementer comprobari à pietatis professoribus. Quid sit fundare obitus non intelligo: at qui pretio redimunt anniversaria, & id genus alia, nonne commercantur alienas preces? Et qui ad hoc conducuntur, nonne partem meriti accidentalis transferunt in conductorem? Hoc ille in morte fieri putabat supervacaneum, cum quod melius erat in vita sanus præstitisset. Ei qui sic vixit, sic moritur, non est opus illis vulgaribus præsidiis, quæ longe minus adferunt opis, quam vitæ benefacta.

Vides, lector, quales sint præmissæ, quibus quam congruat Conclusio judicent alii. Ei, quoniam adjecta est nec ad Facultatem, opinor, pertinet, respondebo. Quod ait me meam eloquentiam huc convertisse, ut hæreticorum errores Colloquiis meis instaurem, eosque puerorum animis instillem: si petunt animum meum, libere reclamabo esse falsissimum. Alia uterer phrasi, si, quod avertat Deus, tali essem præditus animo. Sin hæc torquent in rem, ut fateor me potuisse labi multis locis, nimirum hominem, & si hoc nimium est semi-hominem, ita res ipsa declarat mihi ne in uno quidem dogmate cum toties iteratis hæreticis convenire. Est igitur periculum scilicet, ne si lectores hauserint hæc tam exitialia venena, à Christiana Religione reddantur omnino alieni. Tam magnifice pronuntiat quisquis hujus Conclusionis artifex fuit, cum tam multa demonstrarim depravate citata, perperam intellecta, calumniose detorta. Quid autem his tot propositionibus agitur quod fulciat Religionem Christianam? ut credat populus cucullam Monachorum valere sanandis morbis, ut votis sollicitemus Divos, præterito Christo, ut quam plurimi currant *Hierosolymam*, relicta uxore & liberis, existimentque in eo miram quandam esse pietatem, ut credamus omnes constitutiones hominum obligare ad pœnam gehennæ. Ut in ciborum delectu præcipuam Religionis partem collocemus, ut in Templis nullus ornatus videatur immodicus, sed luxus etiam pertineat ad honorem Dei, ut quam plurimum tribuatur ceremoniis quibuslibet, ut pueri ac puellæ ob frivolas causas contemtis parentibus currant ad Monachos, ut mox instituti pœniteat: ne quis loquatur de Christo, aut de Litteris sacris nisi Theologus, ut in Sanctis quam plurimum ponamus fiduciæ. Ut sciamus malos non esse quidem in Ecclesia, sed tamen esse de Ecclesia, ut credamus Ecclesiam mire ornari immensa ac prodigiosa varietate cultuum ac vestium, ut jurisperiti honeste vestiantur, ut Divorum soleas & calceos exosculemur. Ne quid omnino constitutionum Pontificiarum relaxetur, etiamsi magna invitet utilitas: ut morientes fundent obitus, curentque quam plurima mortualia fieri, atque in his plurimum fiduciæ collocemus, & hujus generis alia. At Christiana pietas in eo sita est, ut diligamus Deum ex toto corde, proximum ut nosmet ipsos, in Christo spei nostræ summam collocemus, ut ad illius doctrinam atque exemplum, nec non Scripturarum regulam mores ac vitam componamus. Ab his qui quocunque modo avocant, in discrimen potius inducunt paganitatis. Hæc in eos dixerim qui fragmenta male detruncata, cum perversa interpretatione obtrudunt Theologicæ Facultati, quæ, ut videtur, delusa damnat, non quod à me scriptum est, sed quod ab illis allatum. Neque enim huc arbitror spectare Theologos, sed si quis has Censuras pari candore interpretetur, atque illi meas lucubrationes, posset in eum sensum accipere. Exposui pro mea simplicitate mentem meam bona fide, paratus tamen corrigere, si quid in his dictum est, adversans sanæ doctrinæ.

FINIS.

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
RESPONSIO
AD DISPVTATIONEM CVJVSDAM PHIMOSTOMI
DE DIVORTIO.

Eraſmus Roterodamus clariſſ. Viro, J. V. Doct. N. S. D.

LEGI Diſputationem *de divortio* hominis meo judicio ſatis διδακτικῆ, animique ſedatioris quam quoſdam eſſe videmus, qui verſantur in hac arena, ſed quem ex titulis intelligas ſibi non omnino diſplicere, qui *phimoſtomos* nobis & frena crepant, magnifica ſane nomina. Nam cur adverſarios contumeliæ gratia *Scripturarios* appellandos exiſtimarit non video, juſtius alteros diceret *Rationarios*, qui neglectis Scripturis, humanis rationibus tractant Euangelicam Philoſophiam, aut ſi quid adferunt è ſacris Voluminibus, ex more id faciunt potius quam ex animo, ac frequenter parum appoſite, ut ſentire poſſis illos in Scripturis obiter fuiſſe verſatos.

Confutaturus quæ in prioris ad *Corinthios* Epiſtolæ Cap. VII. olim annotavimus, non ob aliud, niſi ut Eccleſiæ primatibus occaſionem præberem diſpiciendi ſi qua fieri poſſit, ut aut non tam temere coirent matrimonia, aut temere contracta gravibus de cauſis per Eccleſiæ judices dirimerentur, primum columnas quaſdam ponit, quibus totius diſputationis ædificium innitatur, quarum aliquot mihi tales videntur, ut prorſus aliis egeant columnis. Vult enim divortii ſive repudii vocabulum in ſacris Litteris ſemper accipi pro diremtione convictus domeſtici, manente tamen nodo conjugali, cum ego has voces tota diſputatione uſurpem generali ſignificatu: nec patitur dici divortium niſi inter quos interceſſit conjugalis congreſſus. Dein negat ſe velle diſcutere quid Pontifex aut Eccleſia poſſit in relaxandis aut adſtringendis matrimonii vinculis, cum hæc ſit non minima pars noſtræ diſputationis, quæ id pro ſcopo habet, ut infeliciter conjunctis quocunque modo conſulatur, aut ſi fieri non queat, certe in poſterum conſulatur ne tam facile coeant matrimonia. Quis autem illi permiſit nobis præſcribere novas loquendi leges? Repudiatur etiam nondum ducta, divertit qui diſcedit, divortium facit, & qui dimittit, & quæ dimittitur, etiamſi non interceſſit congreſſus matrimonialis. Beatus *Joſeph* videns uxorem gravidam parabat divortium. Eſt enim illic idem verbum ἀπολύσαι, quod eſt *Matthæi* Cap. V. & aliis locis, ubi loquitur Dominus de divortio. Itaque divortium eſſe poteſt & inter eos qui non legitime conjuncti ſunt, velut ſi quis imprudens ducat cognatam in ſecundo gradu propinquitatis. Aut ſi mulier nubat, perſuaſa virum ſuum eſſe vita defunctum. Si mea decrevit refellere, oportebat illum vocibus ad eundem uti modum, ad quem uſus eram.

Quis autem Theologorum hoc docuit, aut quis Angelorum reſeravit, Deuteronomii XXIV. *fœditatis* nomine nihil aliud ſignificari quam adulterium? Septuaginta verterunt ἄσχημον πρᾶγμα, id eſt, *rem indecoram*. Verba Legis ſic habent: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manum illius, & dimittet eam de domo ſua.* Accipit uxorem qui contrahit matrimonium, habet illam qui duxit eam domum. Nam Septuaginta pro *habuerit* verterunt συνοικήσῃ, id eſt, *cohabitaverit*. Hîc ex domeſtico convictu fieri poteſt, ut occultum corporis aut animi vitium deprehendat maritus; quod prius illum fefellerat, etiamſi non intercedat coitus. Quis autem ſic loqueretur, ſi morbus aliquis te corripuerit, de uno certoque morbo ſentiens? Quod ſi per *fœditatis* nomen, ut iſte vult, nihil aliud ſignificatur, quam uxoris adulterium, utrum accipiendum cenſet, adulterii ſuſpicionem, an adulterium compertum? Sed in humana cognitione, ejuſdem momenti ſunt, vehemens adulterii ſuſpicio, quam Lex vocat ſpiritum zelotypiæ: & adulterium ita compertum, ut teſtibus probare non poſſis. Indicant hoc verba Legis Numerorum quinto: *quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpicione appetitur.* Ob adulterii porro ſuſpicionem non conceſſum eſt viro jus repudiandi, ſed aliud datum eſt remedium. Si compertum eſt adulterium ut doceri poſſit, nec eſt alia cauſa propter quam liceat repudiare, quid aliud eſt dare libellum repudii, quam uxorem lapidibus objicere? De Judaico repudio loquor. Eo facto utique jus erit viro alteram ducere. Quis autem ducere vellet ſic ob adulterium repudiatam, & ſupplicio capitali obnoxiam? Jam illud conſtat repudii libellum dari juſſum in favorem mulieris, ut exemta à jure viri prioris, poſſit cui velit nubere. Sed quem favorem meretur adultera? Nec eſt veriſimile repudii libellis cauſam divortii ſolere adſcribi: ea tractabatur inter affines: ſed hoc chirographo, quemadmodum teſtatur *Joſephus*, maritus ſibi adimebat jus repetendæ uxoris, ſi redire nollet, aut ſi nupſiſſet alteri, à quo ſi rurſus fuiſſet dimiſſa, aut morte ſecundi mariti facta libera, prior maritus non poterat eam ducere, quod temere videretur eam repudiaſſe, quæ poſtea cœpit placere, idque factum eſt in odium repudiantis, & in favorem repudiatæ. Ideoque repudiator jubetur repudii libellum dare in manum uxoris, ut habeat unde inveniat maritum, doceatque ſe plane liberam eſſe. Quod autem additum eſt, *dimittet de domo ſua*, conſulit honori fœminæ, ne ſi poſt acceptum libellum vivat in ejus ædibus, veniat in ſuſpicionem, quod poſt divortium non abſtinuerit à viro. At notter Theologus his verbis putat evidenter, & Sole, quod ajunt, clarius, excludi jus nubendi alteri. *Audis-ne*, inquit, *non ait dimittet à vinculo matrimonii, ſed à domeſtico convictu.* Atque hæc eſt una ex præcipuis diſputationis columnis, prorſus arundinea.

Repudium quidem eſt non præcepti, ſed permiſſionis, attamen repudiandi modus, dare libellum ac dimittere, præcepti eſt, nec enim aliter licuit repudiare. Ita lex humaniſſima, ſimul & virili ferociæ ſeu faſtidio conſuluit, & uxoris libertati.

Quod ſi divortium illic nihil aliud eſt quam diremtio convictus & tori, cur hodie non jubentur ejicere ex ædibus, qui juſſerunt uxorem ſua ſibi habere? Hac igitur interpretatione quid poteſt eſſe violentius aut abſurdius?

Saltem illud animadvertere debebat vigilantiſſimus inquiſitor, quod mox in lege ſequitur, *cumque egreſſa alteri marito nupſerit*, ideo dimittitur è domo, ut in alterius domum jure tranſire poſſit, & hic *Phimoſtomus* interpretatur, ne nubat alteri.

Sed ibidem dicitur, *polluta & abominabilis facta coram Domino.* Ideo dicitur *abominatio*, non quod flagitium commiſerit nubens alteri viro, ſed quemadmodum *maledicta* dicitur ſterilis, & *immunda* quæ profluvio menſtruo tenetur, & *exſecrabilis* qui pendet in li-

Digitized by Google

ligno, sic illa dicitur *abominatio*. Sed abominabilis esse debet priori viro, ne recipiat eam quæ mixta fuit alteri. Illa reciprocatio conjugiorum, & confusio seminum abominabilis est, non ipsa mulier repudiata ob vitium corporis.

Habes unam columnam non satis firmam. Altera est, quod *Christus* MATTHÆI V. & XIX. MARCI X. & LUCÆ XVI. loquens de divortio, non inducit aliquod novum præceptum, sed tantum exponit quid senserit *Moses*, quod ille vocat fœditatem, hic appellat fornicationem. Sed unde hoc liquet? An *Mosi* deerant verba, quibus nominaret enorme crimen adulterii, quemadmodum aliis multis locis exprimit? At Dominus Judæis Deuteronomii Legem allegantibus, non respondit, *Moses* & ego idem dicimus, ille permisit ob aliquam fœditatem, eam ego appello fornicationem, & qui tum repudiabant uxorem, si ducebant alteram æque committebant adulterium, atque nunc facerent sub Euangelio, sed tanquam perfectius aliquid proferens ait: *ego autem dico vobis*. Assumit & illud, quod *Judæi* respondent, *Mosen* dato libello repudii fecisse jus dimittendi uxorem, non ob aliam causam quam ob adulterium, non esse mentem Legis, sed interpretationem Pharisæorum. Atqui probandum erat quod assumit. Nam ipse Dominus respondens non ait: Ad istum modum falso vobis Legem interpretantur Pharisæi, sed ait, *Moses permisit vobis*. Nec refert quem sermonem ipse affingat Christo, sed quid expressum sit in Euangelio.

Permittitur, inquit, *malum, ne accidat grauius malum*. Fateor hoc esse verum in legibus humanis, quæ permittunt publica lupanaria, ne fiant raptus & adulteria, nec aliter permittunt, nisi quod non puniunt graviter, puniunt tamen aliquo modo. At Lex divina non permittit mala ut eveniant bona, sed infirmis concedit interdum quiddam imperfectius, ne prolabantur in crimen, ut *Paulus* concedit secundas nuptias viduis. Porro adulterium non numeratur inter imperfecta, sed inter atrocia crimina, quod apud *Judæos* lapidatione, apud *Romanos* gladio puniebatur. Quî verisimile est igitur tantum nefas à *Mose* concessum esse?

Porro cum nullus sit locus vel in Lege vel in Prophetis, qui declaret, rei fœdæ vocabulo intelligi adulterium, & nomine repudii intelligi sejunctionem convictus domestici, nihilo secius manente nodo conjugii, quantus laqueus fuisset injectus Judæis ex lege non intellecta, quanta aperta fovea prorvendi in adulterium? Lex enim quæ cunctos obligat, verbis apertis exprimere debet quod sentit. Ad hæc, cum Lex jubeat adulteram lapidibus interfici, & quæcunque repudiata nubit alteri, palam committit adulterium, oportuit secundum Legem in illam animadverti. Nec opus erat hîc probatione, cum juxta istum hoc ipsum alteri nupsisse sit adulterium.

Solet autem Scriptura quod alibi dictum est obscurius, aliis locis explanare, sed *Malachias* Cap. VII. ne tantulum quidem addit lucis, unde possimus colligere divortium Judæis non fuisse permissum, nisi ob adulterium, ac post repudium uxori non fuisse licitum alteri nubere. Sic enim loquitur: *Uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere, cum odio habueris eam, dimitte, dicit Dominus Deus Israel*. Quid est, *noli despicere*? Noli eam contumaciter abjicere, quasi ancillam aut mancipium, quemadmodum *Abraham* ejecit *Agar*, nihil addens commeatus quam panem unum, & hydriam aquæ, Genesis XXI. Sed si concepisti in illam odium, civiliter dimitte, ut legitime nubat alteri, ac redde illi dotem ut inveniat sponsum, ac tibiipsi adime jus revocandi semel dimissam. Jam odium non ex adulterio tantum nascitur. Totum enim Caput Deut. XXIV. leges habet mira civilitate temperatas. Veluti de non pertrahendo ad bellum primi anni maritum. De mola non accipienda in pignus. De pignore foris accipiendo. De pignore reddendo ante Solis occasum. De mercede eodem die solvenda mercenariis. De veste viduæ non accipienda loco pignoris. De spicilegio advenis ac pauperibus relinquendo. Similiter de racematione & relictis olivis.

Citat *Burgensem* auctorem, in Deuteronomio nomine rei fœdæ notari adulterium uxoris. An hoc ille doceat nescio, nondum enim reperi, & vix adducor ut credam. Sed largiamur hoc ab illo dictum, non est illo Doctor Ecclesiæ irrefutabilis. Cum ego citem illic præcipuos Ecclesiæ Doctores, *Ambrosium*, *Origenem*, *Tertullianum*, ait nihil referre quid hic aut ille dixerit, sed quid loquatur Scriptura. Hoc justius à nobis responderi poterat objicienti *Burgensi*. At Cardinalis *Cajetanus* annotans in eum Deuteronomii locum ex Hebræorum auctoritate docet nomine rei fœdæ quodvis vitium corporis significari, quod ob fœditatem tegendum sit: ac ingenue pronuntiat mulierem, si dimissa nupsisset alteri, non peccare, nec virum, si repudiata uxore duxerit alteram.

Viro *Phimostomo* fatetur fuisse jus ducendi alteram non ob divortium, sed ob permissam olim Judæis facultatem simul habendi plures uxores. Id si verum est, frustra *Christus* dixit *Matthæi* Cap. XIX. *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*: concesso quod *Christus* hîc nihil doceat novi, sed tantum exponit Legis mentem. Imo probabile est eam facultatem, qua Patriarchæ quidam ac Reges usi sunt fortassis ex instinctu Spiritus, multo ante Christi adventum fuisse abrogatam, Israelitico populo jam satis multiplicato. Nullus enim locus est in Veteri Testamento, qui permittit, ut unus haberet plures uxores. Tantum exstant aliquot exempla, eaque pauca in sanctis.

Illud argumentum meum non attingit, si divortium Legis nihil erat nisi sejunctio à convictu domestico, cur Levit. XXI. & Ezech. XLIV. Sacerdos vetatur ducere viduam aut repudiatam? *Permittebatur*, inquit, *& illa nubere, sed ut polluta*. Si adulterium committit repudiata si societur alteri viro, qua fronte dicitur nubere? Nam nubere conjugii verbum est, non scortationis. Nec aliter repudiata dicitur polluta, quam vidua, quia à viro cognita est. Aliquid impuritatis habet, quæ jam viro cognita est, eoque Sacerdos vetatur illam ducere, non quod indigna sit marito, sed quod dignitatis sit Sacerdotalis virginem intactam ducere. Virginitas enim & apud Ethnicos semper habuit decus & gratiam suam. Præterea cur liberi ex posteriore conjugio nati pro legitimis habebantur, si adulterinæ erant nuptiæ?

Proinde si nec ex verbis Legis, nec ex verbis Prophetarum ullo pacto liquet, per rem aliquam fœdam proprie significari adulterium, aut per dimissionem proprie significari segregationem convictus domestici, manente vinculo conjugii, nec aliud sonant verba Christi quam Legis, nisi quod aliquid relaxans de prima lege lata in paradiso, minus concedit Christianis quam *Moses* concesserat Judæis, divortii causas adstringit ad unam, quod aliud divortium poterant intelligere Judæi, aut etiam discipuli tum temporis nihil aliud quam Judæi, nisi quod ex Lege didicerant? Nec enim Dominus ullo verbo significat illis hoc divortii genus quod hic vult & apud Judæos solum fuisse. Sed discipuli dicunt, *Si sic est causa hominis cum uxore, melius est non ducere*. Non ideo videtur eis dura conjugii conditio, quod repudiata uxore non liceat alteram ducere, sed quod ob unam tantum causam concessum esset ab uxore liberari, cum Lex ob multas causas permisisset repudium, & nonnullæ mulieres habent vitia non minus molesta quam adulterium.

Quod si urgemus illud ποτηθεύλλητον, *quod Deus conjunxit, homo ne separet*, ne hoc quidem divortium, quod nunc ob multas causas permittit Ecclesia, licitum erit. Deus enim initio sic conjunxit, ut essent duo in carnem unam, unam carnem, ut ipsi interpretantur, facit conjunctio corporum. At hanc adimunt sibi qui faciunt hodie divortium. Itaque qui toro separantur, contra præceptum Domini separantur, præsertim

tim cum ſeparandi verbum proprie exprimat diremtionem ſocietatis domeſticæ. Nam *Matthæus* dicit, χωρίζέτω, quemadmodum adhærebit, προσκολληθήσεται, & conjunxit, συνέζευξεν, exprimit individuam vitæ ſocietatem.

Hic confugit ad *Paulum* Apoſtolum Dominicæ mentis interpretem: is ad *Romanos* ſeptimo ſcribit *mulierem alligatam viro, quamdiu vivit vir ejus*, &c. Primum conſtat hîc Apoſtolum non tractare quæſtionem de divortio, ſed ex Lege ducit ſimilitudinem ad evincendum eos, qui profitebantur Euangelium, amplius non teneri legalibus ceremoniis. Conſtat autem nihil eſſe neceſſe ut ſimilitudo docendi cauſa adhibita quadret per omnia, ſatis eſt congruere in hoc ad quod declarandum adhibetur. Quemadmodum Dominus adventum ſuum comparat nocturno perfoſſori. Legem autem viri, *Paulus* jus viri vocat. Jus viri eſt auctoritas in uxorem, & poteſtas petendi obſequium. Atqui hoc jus amittitur hoc novo divortio. Proin juxta *Paulum* & hoc illicitum eſſet. Hic igitur locus geminum habet ſcrupulum, unum, quod per ſimilitudinem adhibetur, alterum, quod ſi verbis urgeamur, illicita erit & à toro ſejunctio. Quod ſi dixerit, hîc ſubaudiendum *excepta cauſa fornicationis*, duplex erit incommodum, alterum, quod exceptio non quadret ad id quod agitur: vult enim legem, quam viri nomine deſignat, videri mortuam, non offenſam: alterum, quod ſi idem valet mors viri & ob adulterium repudiatio, licebit & hodie repudiatis alteri nubere. Inſuper Apoſtolus illic de muliere loquitur, non de viro. Nam Lex nullum repudii jus conceſſit uxori, ſed viro conceſſit. Hîc rurſus objicitur par amborum conditio, verùm ea nuſquam expreſſa eſt ſacris Litteris, de quo mox plura dicemus. Reſtat locus 1. *Corinth.* Cap. VII. *His, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, mulierem a viro non diſcedere, quod ſi etiam diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem ſuam non dimittat.* Hîc *Paulus* nihil excipit, cum Dominus, cujus præceptum allegat, exceperit adulterium. Sed *Ambroſius* ait hîc ſubaudiendam exceptionem adulterii: ut hoc largiamur, attamen in parte poſteriore duntaxat ſubaudienda eſt, *& vir uxorem non dimittat*, propterea quod neque *Chriſtus*, neque Lex permittit uxori facere cum marito divortium ob adulterium viri. Id quod eodem in loco manifeſte tradit *Ambroſius*, ſi illius nos urget auctoritate. Cum autem Apoſtolus dicit, *mulierem a viro non diſcedere*, de divortio loquitur, quod molitur uxor offenſa viri moribus. Alioqui fruſtra fuiſſet additum, *& vir uxorem non dimittat.* Bis enim diceret idem; ſiquidem diſcedit repudiata, & dimittit repudiator. At nuſquam legimus uxori permiſſum repudiare virum. Ex hoc loco, qui ſolus profertur, evidenter probari non poteſt. Apoſtolus igitur quod erat perfectionis, nomine Domini proponit, ne fiat omnino ſejunctio, ne adulterii quidem cauſa, quod inter perfectos non incidat tantum flagitium, ſed maneat indivulſa copula, quemadmodum fuit in prima matrimonii inſtitutione. Neque enim Dominus præcepit ut vir adulteram repudiet, ſed hoc concedit infirmitati noſtræ: ac *Paulus* appellat hoc præceptum Domini. Sed ſi mulier præter jus conceſſum ſe ſubtraxerit à viro, jam ſuo nomine conſulit illi Apoſtolus ut maneat innupta, aut ſi ſe non continet, ignoſcat viro, & cum illo redeat in gratiam. Atque hoc *Ambroſius* Apoſtoli conſilium appellat, quod magis expediat ſpe reconciliationis vivere ſolam, quam alteri adulterino conjugio adhærere. Tum is, qui ſcripſit commentarios in omnes *Pauli* Epiſtolas, quos *Hieronymi* titulo legimus, idem ſentit, addens hoc eſſe melius. *Ambroſii* verba ſunt hæc: *Hoc Apoſtoli conſilium eſt, ut ſi diſceſſerit propter malam converſationem viri, jam innupta maneat.* Alterius verba ſic habent: *Si ob aliquam cauſam diſceſſerit, alii non nubat, aut ſi alteri nubere voluerit, reconcilietur, quia hoc quam alteri nubere melius eſſe manifeſtum eſt. Ambroſius* hoc quod additur *Pauli conſilium* vocat, nec dicit, *propter adulterium*, ſed *ob malam viri converſationem*, qui ſermo latius patet. Item alter dicit, *ob aliquam cauſam*, ut de multis intelligatur, & dicit *melius eſt*, non dicit *neceſſe eſt.* Sed viro, cui jus eſt ob conjugis adulterium eam repudiare, non præcipit Apoſtolus ut maneat cœlebs, ni malit uxori reconciliari. Cur autem plus juris conceſſum ſit viro quam uxori, multæ cauſæ reddi poſſunt, quas hîc commemorare non eſt neceſſe. Scio quoſdam æquare virum & mulierem in legibus conjugii, ſed *Paulus* æquat illos in uſu conjugii tantum, cum ait, *vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, ſimiliter & mulier:* non in jure repudiandi. Alioqui vult uxorem viro ſubditam eſſe, & virum caput uxoris appellat. Et *Petrus* uxores ad exemplum *Saræ* provocat, quæ maritum appellabat Dominum. Tantum abeſt ut pari ſint conditione. Sed donemus uxori permiſſum repudiandi jus ob adulterium, ſi poſt repudium manet conjugii vinculum, quomodo illa *Paulo* dicitur ἄγαμος, hoc eſt, *cœlebs*, cum obligata ſit viro? Aut quomodo *Ambroſius* hoc appellat *conſilium*, quod nullo modo licet ſecus facere? Ex hoc igitur loco non convincitur evidenter mulieri repudiatæ juxta Legis permiſſum ac Domini conceſſionem, non licere alteri nubere. Perſpicuum igitur eſt *Paulum* hîc loqui de muliere quæ illicite diſceſſerit, cum non habeat divertendi jus. Alioqui & de viro ſubjeciſſet, maneat cœlebs, aut uxori reconcilietur.

Quid, quod ipſa exceptio nonnihil habet ſcrupuli, quem cum iſte profiteatur ſe diſcuſſurum, oblivione, ut opinor, non præſtat quod pollicetur. Priſci Doctores ad totum illum ſermonem referunt, *niſi ob fornicationem:* ac tum ſenſus erit, permitti viro ut citra crimen adulterii ducat aliam, & illa citra crimen nubat alteri. At divus *Auguſtinus* hanc particulam, *excepta cauſa fornicationis*, refert ad id quod habetur, *facit eam mœchari:* nam qui adulteram abjicit, non facit mœcham, ſed jam mœchatam rejicit. Hoc commentum ille reperit, ne ex verbis Domini liceat poſt repudium novare conjugium. Id fateor ita dictum, ut ingenii ſubtilitas laudari poſſit citius quam veritas. Nam aliud ſonant verba Euangeliſtæ Cap. XIX. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Hîc exceptio in medio poſita demonſtrat, referri ad complexum duarum partium, *qui dimiſerit, & aliam duxerit.* Certe ad poſteriorem proprie referri non poteſt. Sentit igitur Euangeliſta: qui præter legitimam cauſam dimittit uxorem, præbet illi materiam adulterii: & qui præter cauſam legitimam repudiatam duxerit, mœchatur, quia dormit cum aliena. Ex hoc ſequitur, qui ob cauſam à Domino expreſſam dimiſerit & aliam duxerit, nec mœchatur ipſe, nec uxori præbet adulterii cauſam, quod repudiatæ legitime, liceat alteri nubere ſi eſt intemperans.

Unde ergo evidenter probatur hoc novum divortium, quo vir & uxor ſegregantur manente nodo Herculano? Ex *Pauli* loco nihil poteſt evinci, niſi quoniam uxor nullum habet jus repudiandi virum, ſi offenſa deceſſerit, ne cum adultero contrahat matrimonium. Secus ſi à viro legitime fuerit repudiata.

Omitto nunc referre quid Orthodoxi veteres ſcriptum reliquerunt de matrimonio. Nam iſte nihil moratur illorum auctoritatem, niſi cum pro ipſo faciunt. *Origenem* fortaſſis & *Tertullianum* rejiciet: at hos nemo non fatetur in peritia ſacrarum Litterarum fuiſſe & *Ambroſio* & *Auguſtino* ſuperiores. Sed in hoc articulo nunquam notati ſunt ab Eccleſia, utique notandi ſi fuiſſet error. Si quid lapſi ſunt, imputatur antiquitati, quæ nondum de multis pronuntiarat. *Origenis* errores diligenter notati ſunt, hic nunquam fuit objectus. *Tertullianum* non ſenſiſſe cum *Montani* ſtolidiſſimo dogmate vel illud arguit, quod mox ab ea factione ſegregavit ſeſe. Notatus eſt quod improbarit digamiam, quod repudiata uxore viro permittit alteram ducere, nunquam fuit reprehenſus.

Su-

Digitized by Google

Supereſt igitur Eccleſiæ vel interpretatio, vel conſtitutio. Sequor quo vocat: quanquam ille teſtatus eſt ſe nolle uti humanis præſidiis, ſed ex Scripturis canonicis evidenter demonſtraturum juxta litteralem ſenſum, nec viro ob fornicationem repudianti, nec mulieri repudiatæ fas eſſe novare matrimonium.

Relegat nos ad decreta patrum, Cauſa XXXII. quæſt. VII. Atque illic reperio citatos homines, quorum hic auctoritatem non recipit. Nec enim quicquid refertur in Decretis, Eccleſiæ lex eſt, cum illic frequenter recitentur Veterum opiniones ex diametro inter ſe pugnantes, nonnullæ etiam hæreticæ, ſi quis tueri contendat. Atque in hac quæſtione primas tenet *Auguſtinus*, quem fateor ubique inculcare quod nunc ſequitur Eccleſia. Sed non eſt impietas, opinor, alicubi de *Auguſtini* ſententia dubitare. Citatur illic *Gregorius*, qui propter adulterium repudiatæ, ne mortuo quidem viro, permittit poteſtatem nubendi, quam *Paulus* illi non negat. An cum à nobis illorum ſcripta citantur, vocantur hic & ille, cum in Decretis citantur, ſubito fiunt νομοθέται? Sed *Gratianus* decernit. Quid? *His*, inquit, *auctoritatibus evidentiſſime monſtratur, quod quicunque cauſa fornicationis uxorem ſuam dimiſerit, aliam illa vivente ducere non poterit, & ſi duxerit, reus adulterii erit.* Verùm idem mox ſubjicit: *His ita reſpondetur, hæ auctoritates de his loquuntur, quorum continentiam carnalis infirmitas non impedit, vel de his qui præſtantes cauſam diſſidii, aliorum conjunctione ſe reddiderunt indignos.* Bella definitio! fruatur ea *Phimoſtomus*, & fateatur eos, qui poſt repudiatam uxorem non poſſunt continenter vivere, non peccare ſi ducant aliam. Jam in Decretalibus quid aliud refertur, quam reſcripta Pontificum aut decreta Epiſcoporum? Quanquam illic nihil reperio, quod ad hoc argumentum proprie facit. Atqui demonſtravimus & Epiſcopos Provinciales & Pontifices Romanos, non ſolum de matrimonio, ſed de aliis quoque rebus graviſſimis diverſa ſenſiſſe, & priorem ſententiam poſterioribus cogitationibus fuiſſe correctam. Idem factum eſt de Decretis veterum Synodorum non paucis. Semper quidem Eccleſia habuit Spiritum ſponſi ſui, ſed ita viſum eſt illi, ſuo tempore quædam patefacienda reſervare. Credimus & Apoſtolis adfuiſſe Chriſti Spiritum, tamen *Petrus* à *Paulo* reprehenſus eſt, ac diſſenſio incidit inter *Paulum* & *Barnabam*, cum Spiritus ipſe ſemper ſibi conſentiat. Probabile eſt & ſacris Eccleſiæ Doctoribus non defuiſſe Spiritum, at interdum labuntur, & nonnunquam inter ſe pugnant. Credibile eſt & Romanis Pontificibus adeſſe Spiritum, & tamen *Cæleſtini* Decretum ab *Innocentio* tertio reſciſſum eſt, *Pelagii* à *Gregorio*, *Mutinenſis* Eccleſiæ decretum ab *Innocentio*, *Joannis* XXII. placita à *Nicolao* damnata ſunt, non de rebus quibuslibet, ſed de neceſſariis, & ad ſacramenti ſubſtantiam pertinentibus, niſi forte parum intereſt inter maritum & adulterum, inter conjugium & adulterium. Olim non erat impium credere Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, nunc ſecus eſt definitum. Olim ſatis erat credere corpus Domini adeſſe per conſecrationem Sacerdotis, poſt inventa eſt transſubſtantiatio. Olim univerſa Eccleſia præſertim Occidentalis credebat infanti baptizato nihil prodeſſe lavacrum ad ſalutem, niſi mox dato corpore & ſanguine Domini. Ad id conſtringi ſe putabat verbis Domini *Joannis* VI. *Amen dico vobis niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Eum locum nunc aliter interpretatur Eccleſia. Quid, quod ipſe locus hic ſuppeditat nobis argumentum? Apoſtolus ſuadet, ut uxor fidelis adhæreat viro infideli, ſi modo ille non quærat divortium. At id hodie vetat Eccleſia. Si reſpondeant *Paulum* hoc conſuluiſſe, non præcepiſſe, idem probabiliter dicetur de loco proxime præcedente. Quod ſi toties in tam gravibus rebus Eccleſia priores cogitationes poſterioribus correxit, cur exiſtimemus nunc abbreviatam eſſe manum Domini? Aut cur ineptum putat, cum tam reverenti præfatione diſputare de argumento, de quo libere dubitant atque etiam pronuntiant primi nominis Jureconſulti, de quo diverſa tradunt eximii vetereſque Doctores Eccleſiæ, de quo ſic loquutus eſt Dominus, ut illius verba magis faciant pro ſententia quam Priſci quidam interpretati ſunt? Præſertim cum hìc non impingatur error Eccleſiæ, quæ ſua conſtitutione Domini præceptum non abrogat, vult enim & illa nullum eſſe divortium, ſed Domini permiſſionem adſtringit, quemadmodum Dominus arctavit *Moſi* conceſſionem. Conſtat autem Romanum Pontificem aut certe Eccleſiam poſſe Scripturam Canonicam interpretari, dilatare & adſtringere: per interpretationem declarat, aliud ſenſiſſe Scripturam quam aliquando fuit receptum: per relaxationem concedit, quod expreſſe non conceſſit Lex divina, veluti de divortio propter hæreſim aut apoſtaſiam, aut ingreſſum religionis: per adſtrictionem adimit aliquid è conceſſis, veluti cum vetat contrahi matrimonium in gradibus propinquitatis in Lege vetere conceſſis, nec in nova prohibitis, item ob affinitatem ſpiritualem: rurſum cum dirimit matrimonium ratum ob profeſſionem vitæ Monaſticæ, cum adimit viro jus divortii, ſi ipſe quoque ſit adulter, aut ſi uxorem proſtituerit, aut ſuſpectam cognoverit, aut publice mœchantem retinuerit. Quod ſi Pontifex tantum valet in Sacramentis novæ Legis, quæ ſolus *Chriſtus* potuit inſtituere, & valet in his quæ pertinent ad Sacramenti ſubſtantiam, multo magis idem poterit in decretis Synodorum univerſalium, quarum auctoritas à nonnullis æquatur Euangeliis, ſed hactenus opinor, ſi quod conſtituunt, evidenter doceant ex Canonicis Litteris. Nemo tamen hæc in eam rapiat partem, quaſi fas ſit ulli privato contemnere aut reſcindere Synodorum decreta: quod publica Eccleſiæ auctoritate ſancitum eſt, convenit ut ejuſdem auctoritate mutetur, ſed id poſtulet ingens Chriſtiani gregis utilitas.

Hìc auditurus ſum Eccleſiam nihil conſtituere de divortio, niſi quod à *Moſe*, quod à Domino & ab Apoſtolo expreſſum eſt. Quod ad *Moſen* attinet, videtur mihi hic diſputator idem pati quod in *Æſopicis* fabulis accidit cani, qui dum captat umbram carnium, veras carnes, quas ore tenebat, amiſit. Ita dum iſte parum pudenter conatur *Moſi* legem de divortio præter Veterum omnium auctoritatem cum *Chriſti* doctrina connectere, & in cæteris ratiocinationibus perdit auctoritatem. Quod ad *Pauli* locum attinet, ſi Apoſtolus ſcribens *Corinthiis* ſentit de divortio, quod fit tantum adulterii cauſa, nihil diverſum dicit à Dominica doctrina. Optat omnes eſſe perfectos, ut nullum oriatur divortium. Id ſi non poteſt obtineri, conſulit uxori ne cum alio contrahat matrimonium, quo facilior ſit reditus in gratiam, qui deſperandus eſſet, ſi poſt divortium ab alio viro fuiſſet cognita. Donec enim qui repudiavit non duxit aliam, ſi mulier ſe continuerit, ſpes eſt reconciliationis. Hoc igitur utiliter præcipit uxori, quæ nullum habet jus ex permiſſu Domini ſic divertendi à marito ut nubat alteri, ne in veteri quidem Lege, niſi maritus fuerit auctor divortii. Simili de cauſa ſuadet uxori Chriſtianæ, ne diſcedat à viro non Chriſtiano, quod ſpes ſit, illum, qui non horret Chriſtianæ conſortium, aliquando conjugis opera converſum iri. Sin agit de vulgaribus divortiis, per quæ ſolent mulieres offenſæ maritorum moribus à domeſtica conſuetudine reſilire, nihil hic locus adjuvat hujus argumentationem, quandoquidem & vir, qui ſimili modo repudiat uxorem, vetatur aliam ducere.

Jam ſi fornicationis cauſa permittitur divortium ob criminis enormitatem, ſunt alia graviora, veluti peccatum adverſus naturalem uſum, quod *Paulus* deteſtatur æque in fœminis atque viris, infanticidium, veneficium, pharmacis accerſitus abortus. Sin ob id quod adulterium peculiariter pugnat cum fide conjugali, utrùm magis pugnat cum ea fide, quæ ſui corporis copiam alteri facit, an quæ viro molitur ne-

Digitized by Google

cem, aut prolem natam conceptamve abolet? Fides enim conjugii non proprie ſita eſt in mutuo uſu corporum, cum coitus non ſit de neceſſitate matrimonii, ſed individua vitæ ſocietas, & omnium fortunarum conſortium. Certe quæ in prolem peccat, peculiariter adverſus conjugii fidem peccat.

Quin Eccleſia concedit uxori divortium à convictu viri, ſi exigat ab ea corporis uſuram ſecus quam natura ſtatuit. Ob plures igitur cauſas Eccleſia concedit divortium quam ob adulterium, quam unam accepit Dominus. At iſte non patitur Eccleſiam culmum, ut ajunt, latum digredi à litterali ſenſu Scripturæ.

De apoſtaſia, aut prolapſu in hæreſim, colorem adferunt, quod ea ſit fornicatio ſpiritualis. Verùm ex quibus Scripturæ locis hoc liquet?

Cum objicitur, quod omne crimen eſt fornicatio animæ in injuriam ſponſi *Chriſti*, fatentur eſſe verum, ſed non tam proprie inquiunt. Hoc commentum non omnibus, opinor, ſatisfacit. Simile huic eſt, quod afferunt de affinitate.

Cum objicitur de ſponſa relicta, ob profeſſionem vitæ monaſticæ, cui tantum tribuunt, ut æquum exiſtiment puellam publice nuptam, invitam & reclamantem divelli à ſponſo, ac manere ſolam, donec ille poſt ſeſquiannum, quod tempus datur probationi, profiteatur Monachiſmum. Quod ſi hoc tempore nondum expleto, aut expleto etiam conferat ſeſe ad aliud Monaſterium, denuo auſpicaturus annum probationis, aut ſi id faciat tertio, jubetur exſpectare deſerta ſponſa, donec ille ſuum peragat Monachiſmum. Ubi hoc permittunt ſacræ Litteræ? Proferunt nobis illud, *quod ſi mortuus fuerit vir, ſoluta eſt à lege viri, ut cui vult nubat.* Profeſſio monaſticæ vitæ mors eſt, inquiunt, civilis. Verùm ubi hoc docent Canonicæ Litteræ? An non omnes Chriſtiani moriuntur mundo, & in baptiſmo cum Chriſto ſepeliuntur? Et tamen *Paulus* non vult uxorem baptizatam à viro non baptizato diſcedere, niſi ille renuat conſortium. Quod ſi *Paulus* ſenſit de utraque morte tam naturali quam ſpirituali, cur mors naturalis ſic liberat, ut liceat poſt conſummatum matrimonium alteri nubere, nec idem jus ſit per mortem civilem ſive ſpiritualem? Cur nos diſtinguimus quod non diſtinguit *Paulus*, ac Dominus? Quis autem non perſpicit hoc eſſe commentum hominis repertum in favorem vitæ monaſticæ? Sic autem favendum eſt humanis inſtitutis, ut nulla fiat injuria ei quod inſtituit Deus, quod confirmavit Apoſtolus. Hîc ſi commemorem quoſdam ante cucullam pactos opulentam Abbatiam, religionis titulo deſerere ſponſam, cum qua legitime contraxerant, & unde fortaſſis omnem voluptatem decerpſerant præter coitum, dicent non referre quid fieri ſoleat, ſed quid fieri debeat. Vocat nos Euangelium ad perfectionem, fateor, ſed ut extra Monachiſmum perfectio eſt, ita poteſt eſſe & in conjugio. Et ſi non eſſet perfectio, præſtanda eſt potius quam profitenda: & ſi libet profiteri, tum erat faciendum cum eſſet integrum, & ſine cujuſquam injuria fieri poterat. Sed de Monachiſmi privilegio viderint alii. Cæterum quod Eccleſia ob non ferenda crimina permittit disjunctionem domeſticæ conſuetudinis, vehementer probo, ſed id facit magis ex auctoritate diſpenſationis, quæ illi commiſſa eſt, quam ex evidenti præſcripto Scripturæ, cum tamen iſte contendat omnia fieri juxta litteralem ſenſum illius.

Tota igitur hominis diſputatio tam infirmis nititur columnis, & tamen perinde quaſi cauſam totam prorſus evicerit, tranſit ad epilogum. Mox decerpit aliquot fragmenta ex annotatione mea, quæ refellit, quod illi bonum atque commodum eſt, ſi illi concedamus, nec *Moſen* in Deuteronomio, nec Dominum in Euangelio, nec *Paulum* in Epiſtolis, ullam noviſſe cauſam divortii, niſi adulterium, nec ullum divortii genus, niſi quod dirimit vitæ conſuetudinem, manente nodo conjugii: Si largiamur illi Dominum nomine fornicationis, æque expreſſiſſe ſpiritualem, atque externam:

A Si donemus Apoſtolum mortis nomine evidenter expreſſiſſe, tam mortem civilem, hoc eſt, monaſticam, quam naturalem: Denique ſi fateamur Pontificem aut Eccleſiam nihil poſſe ſtatuere, præterquam quod in ſacris Litteris expreſſum eſt.

Quædam refellit non intellecta, quod genus eſt in recitatione Numerorum quinto. Retuleram in Annotatione, ab *Origene* ſcriptum fuiſſe, nonnullos Epiſcopos, qui permiſerint uxoribus, à viris ſegregatis, aliis nubere viris: idque *Origenem* fateri factum adverſus præceptum Domini ac *Pauli*, ſed tamen non damnare factum. Hic reſpondens, negat ſe videre, quo pacto non damnet *Origenes* quod fatetur pugnare cum præcepto Domini, & Apoſtoli. Atqui ſi locum illum Annotationis ad aliquot etiam verſus fuiſſet proſequutus, vidiſſet *Origenem* illic loqui de viris, qui repudiarant uxores ob alias cauſas præter illam, quam unam conceſſit Dominus. Cur igitur, inquiet, hoc factum Epiſcoporum non damnat *Origenes*? Dicam paucis. Quoniam dubitabant an ob cauſas adulterio pares aut graviores, liceret uxores rejicere. Fornicationem enim Dominus nominare videtur, non quod ſit ſimpliciter omnium atrociſſima, ſed quod longe gravior iis ob quas *Judæi* more Gentium repudiabant uxores. Nam prodigioſa illa fortaſſis ideo ſilentur, quod inter Chriſtianos talia non viderentur exſpectanda, quemadmodum Ethnicus ille, legum conditor, nullam pœnam ſtatuit parricidio. At hæc ratiocinatio, ſi ob adulterium licet uxorem abjicere, multo magis ob veneficium, aut ſortilegium, aut infanticidium, aliquanto probabilior eſt illa, Jubetur emittere è domo, ergo non licet nec repudianti, nec repudiatæ novare conjugium, & ob hæreſim licet divertere, quia eſt mors ſpiritualis. At Monachiſmi profeſſio ſolvit matrimonium ratum ac perfectum, ſed non conſummatum, quia mors eſt civilis.

Ad locum triceſimum primum, quo ſcripſeram apud Ethnicos non fuiſſe ratum matrimonium, niſi intercederet parentum aut majorum auctoritas, ne apud Judæos quidem, cum apud utroſque poſſet ob graves cauſas dirimi matrimonium, perquam facete ludit: *Hactenus*, inquit, *neſcivi legem matrimonialem Chriſtianis oportere, non ex jure divino, ſed ex Ethnicorum Judæorumque moribus præſcribi.* At quid abſurdi ſit, ſi quid recte fit apud Ethnicos, ad Chriſtianorum diſciplinam accommodare? Adverſum quam Scripturam pugnaret, ſi filii & filiæ nondum emancipatæ non contraherent niſi ex conſenſu parentum, in hoc pari conditione cum ſervis quod ſunt in aliena poteſtate. De Judæis cur miratur, cum ipſe tota diſputatione *Chriſti* & Apoſtolicam doctrinam torqueat ad Legem *Moſaicam*.

E Ad locum triceſimum quartum fatetur ingenue, matrimonium per vinum rationis uſum abſorbens contractum recte dirimi per Eccleſiam. Sed quæro ab iſto, an adoleſcens poſt laſcivos contactus, amplexus & oſcula, vino pariter & amore calens, jam telum habens in veſtibulo naturæ puellaris, in ipſo nudorum corporum contactu habeat uſum rationis. Puella paupercula docta à lena, cum videt juvenem non eſſe ſui compotem, dicit, non admittam coitum niſi me velis ducere: ille reſpondet, ducam, ignarus quod congreſſus illo verba futuri temporis vertat in verba præſentis temporis. Et tamen hæc dicuntur legitima matrimonia, & occinitur nobis, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

F Ad locum viceſimum nonum, quo probo apud Judæos licuiſſe repudiatæ jungi alteri viro, hoc argumento quod Sacerdos prohibetur repudiatam ducere, ita reſpondet: *ſed non omne quod tunc Judæis licuit, hodie licet Chriſtianis.* Atqui hoc egit tota diſputatione, ut oſtenderet in divortio ne pilum quidem amplius licuiſſe Judæis, quam quod Dominus & Apoſtolus permiſit Chriſtianis. Quod antea toties vocavit adulterium, nunc dicit licuiſſe.

Ad

Digitized by Google

Ad extremum locum, quo propoſito *Fabiola* exemplo dixi, fortaſſe *Paulum* in eo caſu civilius interpretaturum fuiſſe ſua verba quam nos interpretamur, facete reſpondet, *Paulum* dicturum potius quod ſcripſi ſcripſi. At de mutanda ſcriptura nulla eſt facta mentio, ſed de interpretatione ſcripti. Hæc ideo recenſui, ut egregium illum doctorem excitem, ad nervoſius confirmanda, quæ ſibi videtur ita declaraſſe, ut nullus reliquus ſit tergiverſationi locus. Alioquin arbitror illum eſſe virum bonum. Ad hunc modum ſeſe habet illius diſputatio. Cæterum cum initio diſputationis me ſuum appellet, tamen in computatorio *Scripturariorum* honoris gratia commemorat me inter egregios viros, exorſus ab *Ario* & *Sabellio*, uſque ad *Martinum Lutherum*. In hoc venerabili choro commemorat *Eraſmum*, inter *Carolſtadium & Zvinglium*, his verbis: Eraſmus Roterodamus *dubitat an ſacramentalis Confeſſio in Eccleſia conſueta, ſit de jure divino, atque ſalutis neceſſitate, ſed errat, quia à regula Eccleſiæ diſcordat.*

Atqui in tam paucis verbis quam multa vanitas. Primum, *Eraſmus* nuſquam dubitat an in Eccleſia conſueta fuerit aliqua Confeſſio ſacramentalis: nam neque Baptiſmi, neque Pœnitentiæ Sacramentum ſejungi poteſt à Confeſſione: ſed alicubi dubitat an hæc Confeſſio, qualis nunc eſt in Eccleſia, fuerit à *Chriſto* inſtituta tanquam pars Sacramenti.

Nec uſquam dubitans utitur his verbis, *an ſit juris divini*. Fortaſſe jus divinum latius patet, & multa ſunt juris divini, quæ à *Chriſto* non ſunt inſtituta.

Multo minus dubitat, an ſit ad ſalutem neceſſaria. Etenim ſi tantum eſſet inducta ex generali inſtitutione Eccleſiæ, & tot annorum uſu comprobata, tamen opinor eſſe neceſſariam ad ſalutem.

Verùm hic fortaſſis excuſabit, quod mea ſcripta non legerit, & quod adfert veriſimile eſt: quandoquidem ingentes gratias agit *Lamberto Cartuſiano*, quod per illum contigerit legere annotationem *Eraſmicam*, in quam ſcribit. Nec eam tamen videtur ſatis attentè legiſſe.

Sed proferat nobis iſtam Eccleſiæ regulam, quæ clare præſcribit hanc Confeſſionem, ut nunc habetur, fuiſſe à *Chriſto* inſtitutam. At Theologicæ gravitatis erat, diligenter inſpicere quod carpit, priuſquam tam odioſa dicta mitteret in litteras.

Hanc lucubratiunculam ad te ſcribendam putavi, quod ille ſuam diſputationem tibi dicavit, ut inter nos arbitri ſequeſtriquè, ſi videtur, officio fungaris. Vale. *Friburgo Briſgoiæ* 19. die Auguſti, Anno 1532.

ERASMVS ROTERODAMVS
LECTORI.

AD Collationes Juvenis γεροντοδιδασκαλίας decreveram nihil omnino reſpondere. Id plurimæ ſuadebant rationes, idemque ſentiebant amicorum cordatiſſimi quique, verùm ubi progreſſus altius in opus, manifeſto comperi, hunc multis locis alienam ſaltare fabulam, multumque veneni clam inſparſum amicis illis Collationibus, verti conſilium hactenus ut obiter reſponderem, non ad omnia: quædam enim ad me nihil omnino pertinent, quædam ita frigida ſunt, ut nullum omnino reſponſum mereantur, quæ puto ipſius eſſe germana. Pſalmi quidem, quibus auſpicatur ac finit eas, titulus, atque ipſa pleraque phraſis præ ſe fert, non modo magnam modeſtiam, verum etiam caritatem quandam Chriſtianam, ac pietatem non vulgarem, quam ſi volebat non videri fucatam, curatum oportuit, ut toto opere ſibi conſtaret. Nunc quam multa inſunt, quæ ſpirant gloriam, vafritiem, malevolentiam, rixandique libidinem. Collationes appellat, cum Areopagiten aut plagoſum quendam *Orbilium* potius præſtet, juvenis qui nuper deſiit eſſe diſcipulus, teniter tinctus bonis litteris, quod ipſa res clamitat. Exiſtimat autem pulchre rationem habitam modeſtiæ, quod ſubinde repetit voces quaſdam, *Deſideri cariſſime, vir amiciſſime, in ſinceritate cordis coram Deo, videtur, apparet, mea parvitas:* ſed idem ſubinde ſui oblitus ad levem occaſionem prolixa rixa flagellat *Deſiderium* in Chriſto cariſſimum, inſimulans eum tantæ petulantiæ, ut os & linguam exſerat in cœlum, quod alicubi à *Lyrano* diſſentiat; inſimulat proditionis, quod Eccleſiam exarmet Scripturis; & armet hæreticos, quod dolo malo depravet rectum Scripturæ ſenſum. Et quaſi hæ non ſint contumeliæ, minitatur contumelias, nonnunquam præter decorum ſtrophis mordet, ac ſcorpionum in morem amplexus infigit aculeum. An putat nos neſcire quid ſibi velit ille Laureatus, calcans leonem & draconem? Mira ferocia frequenter utitur, ubi turpiter delirat ipſe, nec prorſus intelligit, quid loquatur. *Laurentium* & nos omnes miro ſupercilio docet proprietatem Latini Græcique ſermonis, exponens Græcas voces, eaſque Latinè ſcribens cum nobis loquatur. Sæpe *Fabrum* docet, quod ex meis hauſit Annotationibus, imo nonnunquam me docet, quod ex meis ſcriptis didicit. Adeo vero eſt æquus, ut cum ſæpe *Laurentius* ac *Faber* durius tractarint Interpretem quam ego, tamen ad omnem occaſionem mecum rixetur, etiam illic ubi non habet quod pro Interprete reſpondeat, illos amice tractet: *Fabrum* etiam ſuum vocat, ut qui non norit hominem, credat ſenem eſſe quempiam magna eruditione, ſummaque tum auctoritate tum dignitate præditum loqui diſcipulis, aut certe ſodalibus, quibus etiamſi par eſſet, tamen vel illa fuerit pars aliqua modeſtiæ, nonnihil deferre ſenectuti. Sed *Lovanii* in celebri videlicet Academia enarrat ſacram Scripturam publice coram quibuſcunque: utinam id faciat feliciter! ſed cujus modeſtiæ eſt hunc titulum nuſquam non inculcare, cum domi ſuæ profiteatur, cumque munus ſit temporarium, & tale ut magni etiam viri multo aliis præſidiis inſtructi queri ſoleant ſe ad functionem viribus majorem eſſe pertractos; tantum abeſt ut eo titulo ſe venditent? Erat & illud veræ modeſtiæ ſpecimen, ſi ingenue profeſſus eſſet quibus deberet illa quæ nos docet: neque enim tam nullius naſi ſumus, ut id non ſuboleat. Quid autem alienius à modeſtia, quam *Æſopica* corniculæ exemplum? Nil mirum tamen ſi juveni imponit affectus gloria, illud mirum viros Seraphicos ſodalem ſuum protrudere in hoc proſcenium, ut hoc laudis ſuo aſſerant Ordini. Siquidem hoc variis modis agunt, ut meas Lucubrationes excutiant de manibus ſtudioſorum. Jam hic pro meis Paraphraſibus ſuas ſubſtituerat elucidationes, quas non dignatus eſt ulli mortalium dicare, quod ſolet *Eraſmus*, ſed ſoli Deo nuncupavit, cui refert acceptum quicquid ſcribit aut loquitur, qui cum admodum familiariter miſcet colloquia. His rebus ſi ſubeſt fucus, quid periculoſius? Multas conjecturas video, ſed Dominus eſt judex cordium. Hactenus de titulo, venio ad reliqua.

In Præfatione, quam præfixit operi bene loquacem, multa ſtomachatur in eos, qui veterem Interpretem exſecrantur, conſpuunt, exſibilant, explodunt pedibus & conculcant: nos etiam nominatim flagellat in collationis exordio, quod opera noſtra tam male tractatur Interpres: quæ verba ad me certe non pertinent: nec adhuc video conculcatam Veterum interpretationem, cum ubiquè legatur in Templis ac Scholis: nec meminiſſe poteſt, quod nos incolumi publica lectione, dedimus quod habent Græcorum codices. Exiſtimat atrocem eſſe injuriam, ſi quis ſolœciſmum impingat Interpreti, cum fateatur & in Apoſtolorum ſcriptis ineſſe ſolœciſmos, quos ſi referat Interpres, non putat admiſſum ſolœciſmum. At videtur non intelligere, aut certe non perpendere, ſermonem Apoſtolorum, quo prodiderunt Euangelicam doctrinam, non fuiſſe proprium eruditorum, ſed vulgarium, ſutoribus, nautis, textoribus, ac textricibus, atque adeo lenonibus & lenis fuiſſe communem: nam & his ſcriptum eſt Euangelium. Quod ſi tum Lingua Græcorum tam fuiſſet corrupta, quam eſt hodie, & ſi ea Lingua tam late patuiſſet,

Digitized by Google

quam hæc tum patebat, opinor illos ea Lingua fuiſſe uſuros: quemadmodum *Chriſtus* non pure Hebraica, ſed Syriaca Lingua loquutus eſt, nimirum aliarum Linguarum commercio corrupta. Sic & Interpres Latinus, quem arbitror fuiſſe primum, ea Lingua vertit, quæ viris, pueris, mulierculis, & infimæ plebi tum erat communis, ſed quæ nihilominus à doctis intelligeretur, ob uſum publicum. Quod ſi tum Latina tam fuiſſet corrupta, quam nunc eſt apud *Gallos*, *Hiſpanos* & *Italos*, probabile eſt illum populari Lingua licet corrupta fuiſſe uſurum: quemadmodum hodie qui prædicant Euangelium *Gallice*, aut *Hiſpanice*, aut *Italice*, corruptiſſima Lingua utuntur, ſi conferas ad Linguam Latinam. Non igitur mirum ſi ſolœciſſat Interpres apud emendate loquentes, cum ab idiotis voluerit intelligi potius quam à doctis, qui præcipue repugnabant Euangelio. Jam ſolœcum videri non vult, quoties ob piam cauſam aliquis negligit recte loquendi rationem. Hoc antehac nunquam audivi. Non tamen inficior ob piam cauſam excuſari ſolœciſmum, ſed qui excuſat ſolœciſmum, fatetur admiſſum. Neque protinus caret ſolœciſmo quod legitur apud *Auguſtinum*, *Cyprianum*, aut *Ambroſium*, præſertim cum Scripturæ verbis utuntur. Ad hunc modum frequenter & nos ſolœciſſamus. Colligit aliquot loca, quæ ſic habentur in Editione Vulgata, quemadmodum emendavit *Hieronymus*, ſed tacet ea quæ ſecus habentur, quam ille docuit. *Sed potuit*, inquit, *fieri, ut poſt nactus ſit emendatiores codices unde quædam reſtituerit*. Atqui dixerat priorem illam caſtigationem eſſe ex afflatu Spiritus. An delirat & Spiritus? Quid autem opus erat codicibus, ſi res prodigioſo afflatu agebatur? Vehementer nec ſine cauſa ſtomachatur in eos, qui faſtidiunt ſacra Volumina, ſi abſint lenocinia, phaleræ, verba ſeſquipedalia, bullæ & ampullæ verborum: eoſdem & nos damnamus, neque nos aliud moliti ſumus, quam quod legitur in Græcis codicibus ſermone mundiore, ſimplici tamen magiſque dilucido reddere. Miris laudibus effert Interpretem, virum optimum, ſanctiſſimum, prudentiſſimum, eruditiſſimum, Spiritu Sancto afflatum prædicans, & poteſt fieri ut talis fuerit. Atqui ſi quis urgeat hunc laudatorem, non poſſit nobis expedire, Judæus-ne fuerit, an Ethnicus, an Chriſtianus, hæreticus an orthodoxus, ſutor an miles, juvenis an ſenex, vir an mulier. Et ſi Paganus nobis dediſſet Novum Teſtamentum, hoc plus haberet apud nos ponderis, quod alienus ab Euangelio vertiſſet: nec eſt admodum metuendus Interpres, cum exſtent fontes. Eccleſia rem approbavit, auctorem non novit. At nemo poteſt recte interpretari Scripturas, niſi afflatus eodem Spiritu, qui Scripturarum eſt auctor. Sed aliter interpretatur, qui de Lingua transfert in Linguam, aliter qui exponit ſenſum myſticum. Eſt item duplex afflatus: afflatum illum, quo primum prodita eſt Scriptura divina, nulli certo tribuimus, niſi primis auctoribus. Quam ut libros Philoſophorum nemo facile verſurus eſt recte, niſi re mediocriter cognita, ita in Veteri Teſtamento vertendo fortaſſe requirebatur aliquis afflatus: in Novo Teſtamento tanta eſt ſermonis ſimplicitas, ut quivis è vulgo potuerit ad hunc modum transferre, quemadmodum hic transtulit. Nos credimus omnibus probatis Eccleſiæ Doctoribus adfuiſſe Spiritus afflatum, juxta modum aliquem: & tamen non raro labuntur etiam in hæreticos errores. Divus *Hieronymus* vertit & interpretatus eſt Prophetas, & tamen frequenter fatetur ſe non aſſequi ſenſum. Poteſt igitur aliquis vertere quod ad plenum non intelligit. Minus eſt enim vertere, quam exponere. Quod ſi non eſt fas, ut hic ait, interpreti vel à ſchematibus ac tropis primogeniæ Linguæ diſcedere, impius eſt *Hieronymus*, qui in Veteri Teſtamento tropos Hebraicos fere omnes audacter ſuſtulit, fruſtra reclamante *Auguſtino*. Et ſi eſt ex afflatu Spiritus, quod fecit Interpres, ne verba quidem oportuit ab *Hieronymo* mutari. Atqui id non veritus eſt facere. Illud feſtivum, quod quoties *Hieronymus* palam adverſus ipſum facit, reſpondet illum rhetoricari. Nec protinus erit humana ſcriptura, ſi interpres humanis ingenii viribus vertit quod legit: in ſenſibus enim eſt ſcriptura non in verbis, & ſi in verbis eſt, eorum integritas manet in Lingua primitiva, non in translatione. Quod ſi vult omnia ſermonis incommoda depravatoribus imputare, per me quidem licebit, ſed vereor ne neminem, qui hoc credat, inveniat. Hactenus de illius Præfatione.

In collationibus forſitan alius reprehenderet, quod mortuos & vivos miſcet colloquio. Nam quod nos ſuo more loquentes facit, facile negligo. Porro quod juvenis agit γεροντοδιδάσκαλον, unus in tres ſenes cenſorem agens, nonnunquam & ſevere cumque auctoritate caſtigans ac flagellans, fateor & olim in *Daniele* juvene Spiritum Sanctum ſuam vim explicuiſſe, nec me pudeat vel à puero diſcere, quod utile ſit cognitu. Quædam approbat, quædam concedit, condonatque, quædam rejicit ac damnat, non ſine jurgio. Atqui res egregias adferat juvenis oportet, qui adverſus tres grandævos, ac, me fortaſſis excepto, non vulgariter eruditos, ſumit ferulam. Illud ſatis juvenile, pollicetur concordiam, ſi nos velimus eſſe amici veritatis, quaſi non poſſit & ipſe falli. Certe librum ſuum reddidiſſet vendibiliorem, ſi majore compendio rem egiſſet. Nunc dum recenſet quid dixerit *Laurentius*, quid *Jacobus Faber*, quid *Deſiderius*, dum eadem ſuis verbis explanat, dum præfatur, dum objurgat, dum recitat quid legerit *Cyprianus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Sedulius* & *Heſychius*, quod nihil adverſus nos faciebat, qui Græca expendimus, & de ſermonis puritate diſputamus, dum præfatur, dum interloquitur, dum coronide profert collationem, dum multa admiſcet, quæ nec pro Interprete faciunt, neque contra nos pugnant, lectorem vehementer onerat.

FINIS.

DESIDERII ERASMI RESPONSIO AD COLLATIONES CVJVSDAM JVVENIS GERONTODIDASCALI.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

VI *factus eſt ei*. Quod *Valla* mavult, *genitus* aut *natus* quam *factus*, ajo me nec probare, nec improbare. *Sed probas*, inquit, *quia ſic vertis*. Cum utrumque recte legatur, diverſam vocem poſui: partim ut lector admoneretur & ſic poſſe legi, & intelligeret non quovis modo factum, ſed nativitate, partim ut vitarem duritiem ſermonis, *factus ex ſemine David*. Poteſt enim fieri qui non naſcatur, quemadmodum *Adam*: ſed nemo naſcitur juxta carnem, quin fiat, aut certe factus ſit. Fruſtra autem hic mecum diſputat, Chriſtum recte dici fa-

Digitized by Google

factum, cum in Annotatione idem doceam, quod ipse docet. Quo minus autem refellerem *Vallæ* sententiam, incausa fuit, quod *M. Tullius Platonis* sententiam, ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, sic reddidit, *nemo nostrum sibi natus est*. *Seneca* durius, *nemo sibi contigit*. Ex quo apparet & γεγόνῳ recte verti posse, *natus est*.

Qui factus est ei.

Admoneo, *ei*, non esse in Græcis. *Erat*, inquit, *fortassis in vetustis codicibus*. Hoc est plane divinare, cum nullus exstet codex, in quo hoc reperiatur. *Laurentius*, inquit, *hoc non admonuit*. Si pecco quoties admoneo quod prætermisit *Laurentius*, subinde pecco. Mox multis verbis docet recte dici, *natus est* Abrahæ *filius*. Quis hoc negat, quoties indicatur pater? Hic præcesserat, *de filio suo:* ac mox sequitur, *qui prædestinatus est Filius Dei*. Nec tamen hic reprehenditur Interpres, sed ajo illum de suo addidisse pronomen, ut excluderet absurditatem sermonis, *factus est ei ex semine*.

Qui prædestinatus est.

Probat meam Annotationem, sed ita ut putet alteram quoque consistere. Atqui paulo ante præscripsit nobis legem, ne interpres recedat à verbis Scripturæ principalis. Verùm hic constat *Paulum* scripsisse ὁρισθέντος, quod non potest verti *prædestinatus*, nisi recedatur à verbo Apostoli. Hoc ut excuset, facit nobis duplicem destinationem, futuri temporis & præsentis. Mater infantem nondum natum *prædestinat* litteris, & eundem cum tradit præceptori, *destinat*. Hoc absurdissimum est, nisi accipias *destinare* pro *mittere*, nec inficior quosdam ita loqui, sed præter recte loquentium consuetudinem. Frustra vero tot verbis probat, Filium Dei recte dici *prædestinatum* juxta naturam humanam, quod nemo negabat: at indicavi, sive legas *destinatus*, sive *prædestinatus*, male cohærere, *Filius Dei*. Sic enim dictus est *destinatus Filius Dei*, ac si diceres, *designatus est Consul*, ut *Filius Dei* à tergo adhæreat participio *prædestinatus est*, non à fronte. At noster hic γεγενημένου διδάσκαλος invertit ordinem, ita legens, *qui Filius Dei prædestinatus est ei secundum carnem*, & cætera, *ex semine David*. Atqui paulo ante præcessit, *de filio suo*, cui dure subjicitur, *qui Filius Dei*. Dure cohærent & illa, *qui Filius Dei prædestinatus est Deo ex semine David*. Durius etiam ea quæ sequuntur, *prædestinatus est ex semine David secundum carnem, in virtute Spiritus ex resurrectione mortuorum*. Ad hæc cum hic sermonis ordo, quem comminiscitur, durus sit apud nos, apud Græcos prorsum absurdus est, ubi participio præponitur articulus, Filio Dei non præponitur, τῷ ὁρισθέντι υἱῷ Θεοῦ. Postremo cum hunc locum Ecclesiæ probatissimi Doctores magno consensu producant adversus *Arianos*, ut evincant in Christo fuisse geminam naturam, divinam & humanam, perit totum hoc testimonium, si sequimur hujus interpretationem.

Cæterum quod ex *Augustini* verbis colligit, hunc locum sic accipi posse, quemadmodum ipse torsit, respondere possem, illum aliter loquuturum fuisse si Græcorum commentarios consuluisset. Nec tamen *Augustinus* invertit sermonis ordinem, nec prædestinationem refert ad superiora, sed sentit, Christum Filium Dei ut hominem, in hoc prædestinatum, ut sit caput Ecclesiæ. Verùm *Augustinus* hoc in loco non poterit melius excusari, quam quod humanum quiddam passus sit. Et hic est ille triumphalis locus, quem tam magnifice promisit in prologo, quo nostram coargueret temeritatem, & Interpretem defenderet à calumnia. Atqui mea Annotatio non taxat Interpretem, tantùm quærit exitum difficultatis.

Ex resurrectione mortuorum.

Nec hic Interpretem mea taxat Annotatio. Tantum ostendo, quot sensus pariat Græca lectio, nec ullam improbo. Verùm mea, inquit, versio excluserit aliquam partem fœcunditatis. Est fœcunditas Scripturæ, quæ nobis uberem copiam sententiarum gignit, dum idem locus nunc accommodatur ad caput Ecclesiæ, nunc ad corpus, nunc junctim ad utrumque, nunc ad unumquemque nostrum, nunc ad certos hominum ordines, nunc ad cœlestem illam hierarchiam: hanc fœcunditatem video laudatam à sacris Doctoribus, at sensuum turbam, quam gignit sermonis ambiguitas, aut obscuritas, aut hyperbaton, adeo non laudant, ut tollant etiam pro sua quidem virili. Bona est fœcunditas, sed molesta est diversitas. Non optime res habet, cum Jureconsulti dicunt, *vel dic, vel dic, vel dic*. Unico modo verti, quia non aliter licuit, sed versioni addidi Annotationem.

Per quem accepimus gratiam & Apostolatum.

Apostolatus vox est usitata quidem Christianis, sed improbata recte loquentibus: *apostole* Græcis nota, sed nobis inaudita. Itaque verti, *accepimus Apostolici muneris functionem*. Verùm hic mavult *Apostolicum munus*, quod *munus* sit unicum, *functiones* variæ. Atqui scire debebat, apud eruditos hæc verbalia non semper sonare actionem, sed officium: quemadmodum procuratoris multæ sunt procurationes, sed unica tamen est procuratio, quemadmodum agricultura: & procurationem habet etiam is, qui suum negligit officium. Sicuti dispensator est & qui non dispensat. Sed fingat functionem accipi pro administratione, num excluditur auctoritas? Non opinor. Sed indicatur officium potius quam titulus. Postremo quemadmodum Græcis κοινὴ significat *sectionem*, ita *apostole* sonat *legationem*, nomen æque verbale, atque est illud *functio*.

Pro nomine ejus.

Hic mavult ambiguum Interpretis sermonem. At eum nemo illi eripit, & Annotatio satis indicat non optandam amphibologiæ fœcunditatem, quæ comitatur & insciticiam. Quod mihi visum est optimum, expressi.

Cui servio in spiritu meo.

Pro, *cui servio*, verteram, *quem colo*. *Sed Interpres*, inquit, *cultum uni Deo debitum, fere vertit servitutem:* idem ego non nego, sed nemo Latinorum *Dei cultum* appellavit *servitutem*, contra *cultum* appellat frequenter & *Hieronymus* in Veteri Testamento, & hic Interpres in Novo. Sed multiplex est colendi significatio, colimus quem observamus, quem frequenter adimus. Colimus agrum agricolæ, colunt cœlum cœlicolæ. Fateor. Sed itidem Domino servit mancipium, avarus servit suis commodis, ambitiosus famæ, luxuriosus ventri, superstitiosus interpres servit litteræ, vir prudens servit tempori: postremo *Hercules* servit *Omphalæ*. Quin & Græcæ voces ambiguæ sunt, λατρεία, & δουλεία, & ὑπερδουλεία, nec hoc proprie significant, ad quod à Græcis Theologis docendi gratia sunt accommodatæ, quemadmodum aliud apud Jureconsultos sonat *constitutio*, aliud apud Rhetores.

Memoriam vestri faciens.

Ait *memoriam facere* recte dici: fateor, sed nemo Latine emendate loquens sic loquutus est. At Interpres sic loquitur. Verum, quia sic tum vulgo loquebantur ex imitatione Græcorum, qui dicunt μνείαν ποιεῖσθαι, quanquam μνεία magis sonat *mentionem* quam *memoriam*, id quod declarat μνήμη. *Sed mentionem*, inquit, *facimus ejus de quo loquimur absente:* verum, sed mea Annotatio admonuit precationem nihil aliud esse, quam cum Deo colloquium, ne cui sermo videretur durior. Hoc iste dissimulat, ut expleret paginam.

In voluntate Dei.

Ex *Origene* docet nos, aliud esse *in voluntate Dei*, aliud *volente Deo*. Tales Annotationes multas habet

Digitized by Google

Origenes, haud magni ponderis: certe hæc non est tanti ponderis, ut non liceat dissentire. Quemadmodum in Scripturis sæpenumero Deus velle dicitur quod permittit, ita voluntas pro permissu ponitur.

Ut aliquid impartiar vobis gratiæ.

Ait *gratiam*, Latine positam pro *dono*. Id probat, quia Græce est χάεις, & sic loquuntur sacri Doctores: fateor Christiane quidem, sed male Latine: & tamen tum ita loquebatur vulgus semi-Græcum & semi-Latinum. *Si eandem vocem*, inquit, *varie reddere, vitium est, tu plus centies peccas.* Non varie reddere vitium est, optime juvenis, sed bene Græca male Latinis reddere, vitium est apud Grammaticos, & inepta est varietatis affectatio, ubi nulla invitat utilitas. Sed magnum putat convitium, quod Interpres vir tantus & afflatus Spiritu, dictus est ludere copia. Quicquid citra necessitatem animi gratia fit, ludere dicimus; ne putet non esse ludum nisi aleæ. Non est contumeliosum vocabulum ludere. Et in hoc Interprete tam insignis est affectatio varietatis, ut qui de singulis velit commentitias reddere causas, nihil aliud videatur quam ineptire & vere ludere.

Ad confirmandos vos, id est simul consolari.

Ait, τοῦτό ἐςιν obstare, quo minus Interpres verterit alterum infinitum: imo potius cogit ad vertendum, nisi forte sic recte loquemur in hunc modum, *Litandum est Musis, hoc est animum applicare ad litteras*, pro eo quod erat, *animus applicandus ad litteras.* Aut, *cupidus es illaqueandi nos, hoc est dolo circumvenire*, pro *dolo circumveniendi.* Indicaram ζυμπαρακληθῆναι juxta Græcos referri ad *Pauli* personam, nominatim citans *Theophylactum* & *Origenem.* Hic arguit me mendacii, quod sacri Doctores verbum hoc non ad *Paulum*, sed ad utrosque referant. Quid? an ego negavi ad utrosque referri posse? Sed pronomen ὑμᾶς obstabat, quo minus posterius verbum ad *Paulum* quoque referri posset, nisi subaudiretur aliud pronomen: hoc igitur ago, ut ad *Paulum* quoque pertineat. Quid igitur mentitus sum, ô bone juvenis? Verùm illam mutuam consolationem non exprimit ipsum verbum, sed conjunctio ζωί. At ipsa meæ Annotationis verba, quæ citat, indicant me idem sentire, quod interpretantur hi, quos mihi objicit. Græcanica, inquam, Scholia posterius verbum referunt ad *Paulum.* An nescit quam vim habeat addita conjunctio *in?* ac mox, *Paulum autem solatium mutuum accepturum.* An ignorat quid sit mutuum? Hic tamen mecum dimicat, quasi voluerim vel ad solos *Romanos*, vel ad solum *Paulum* referri, ζυμπαρακληθῆναι, cum ipsa propositio obstet, quo minus ad alteros tantum pertineat. Deinde ratiocinatur, Interpretem recte reliquisse infinitum, ut vel ad *Romanos*, vel ad *Paulum* referri possit, cum indicatum est non possit nisi ad utrosque referri. Sic autem agit, quasi ad alteros tantum pertineret, si verbum infinitum versum fuisset in aliam formam. Verùm id ridiculum est. Sive referas ad personam primam, *ut ego mutuam consolationem accipiam in vobis:* sive ad secundam, *ut vos mecum consolationem accipiatis*, ad utrosque refertur. Hæc cum perspicua sint, tamen in fine quiritatur. *Videte*, inquit, *quomodo justus ac fidelis, tamen reprehenditur Interpres*, & cætera. Proinde si singula coner refellere, quid fructus redibit ad lectorem?

Incompositos.

Hic nobis persuadere conatur, Latine dici *incompositos*, quibus non convenit cum cæteris hominibus, cum inter omnes homines sit naturalis quædam societas: sed proferre debuit Auctorem probatum Linguæ Latinæ, qui sic loquutus sit. Ecclesiasticos Doctores sic loqui non ignorabamus. Atqui hæc vox, *incompositos*, invitavit quosdam ut interpretarentur habitu & gestu inhonesto, verùm tales Græci vocant ἀχήμονας, non ἀσυνθέτους. Sed hic adversus *Theophylacti* testimonium miram commentus est rationem. *In* Theophylacto, inquit, *distinctio depravata fefellit* Erasmum. *Ita legendum erat* incompositos, absque fœdere, *id est, conventis & pactionibus non stantes, infidos scilicet & mutabundos, ut hæc interpretatio pertineat ad* ἀσπόνδους. Atqui eadem est distinctio in *Theophylacto* Græco. Sed ut donemus hoc illi quod asseverat, *Theophylactum* non alteram dictionem prætermisit inexplanatam, sed utramque velut eandem prope rem declarantes communi commentariolo complexus est: itaque altera exposita, alteram veluti dilucidam subjecit. Idem facit *Chrysostomus*, cujus æmulus est *Theophylactus.* Ordine dissentit à nobis. Sic enim jungit, ἀζυνθέτους, ἀσπόνδους, ἀσόργους, ἀνελεήμονας, ut ἀσυνθέτους pertineat ad societatem, quæ est inter omnes homines communis; ἀσπόνδους ad fœdera civilia, ἀσόργους ad affectus propinquitatis, ἀνελεήμονας ad commiserationem, quam afflictorum calamitas exigit à nobis. Hæc cum insita sint omnibus à natura, ut homines cum hominibus tranquille degant, quod sine pactorum ac fœderum observatione fieri non potest, ut caritate prosequantur, uxorem, liberos, cognatos, & affines, patriam & amicos, ut miserorum calamitatibus indoleścant, tamen adeo traditi fuerant in reprobum sensum, ut ad omnes naturæ sensus obsurduerint. *Sed sacri Doctores*, inquit, *legerunt* incompositos, fateor: sed illi quoniam Græcè norant, & vulgi consuetudinem, intelligebant quid sibi vellet vox apud emendate loquentes barbara; qui *incompositum* vocant, inconditum, tumultuosum, aut indecorum: Et hæc est Annotatio, quam tot verborum ambagibus tantum non gestiens ac triumphans nobis objicit.

Qui cum justitiam Dei cognovissent.

Hic miro supercilio flagellat nos prolixa rixa, campum videlicet egregium nactus objurgandi. Severissime vero destomachatur, quod dubitarim an Interpres mutarit Græcam lectionem, & aliquid addiderit explicandæ rei gratia, quod constat alias ab eo factum. Quod si hic idem feciśset, quod erat piaculum, ô *Gerontodidascale? Sed hæc*, inquit, *addita verba faciunt sensum diversum.* At mea Annotatio indicat addito percunctandi signo sensum eundem reddi. Et si hoc est corrumpere Scripturam, aliquam vocem addere, sæpe corrupit Interpres iste divinus & adorabilis, ut sæpe prædicat, cum incertum sit Christianus-ne fuerit, an Paganus, hæreticus an orthodoxus. Verùm salva res est; vidit codicem fratris *Amandi* satis vetustum, opinor esse ex Collegio Canonicorum *Corsendonchensium*: nam illinc Novum Testamentum descripsit *Amandus.* At eo codice nihil mendosius; & feruntur ejus generis Græci codices permulti, qui ad Latinam lectionem emendati sunt. Ex eis castigare nostros, est amussim albam applicare ad album lapidem. Sed fatetur à me adnotatum, Scholia Græcorum indicare diversam lectionem. Verum, at non fateor ab illis addi, non intellexerunt qua de re disputamus, sed tantum duarum vocum inversum ordinem συνδοκῶσιν & περίστασιν. Illud mire exaggerat, cum priores Editiones non habuerint hæc verba, & haud scio an Interpres mutarit Græcam lectionem, certe locis aliquot utitur Paraphrastæ libertate, me in quarta adjeciśse, quod præstiterat resecuiśse, cum nihil horum sit in quarta Editione. Ille negat esse in secunda ac tertia: nusquam igitur sunt, si vera prædicat. Nam primam consului, non habet. Sed fortasse putavit esse quartam, quæ erat tertia: nam quarta prodiit Anno 1527. Lapsus est humanus. Sed juvenem sic ferocire cum erret, tanta loquacitate rixari, quale sit alii judicent. Fatetur Interpretem alicubi Paraphrasten agere, quoties utilitas postulat: imo demonstro eum aliquoties id facere, cum nulla invitet utilitas. Et hic declaratum est fuisse gravem causam aliquid addendi, nisi confugiamus ad interrogationem. Utcunque autem excusatur Latina Editio, Græca longe simplicior est & commodior.

Ex

EX CAP. II. EPIST. AD ROM.

In quo enim alterum judicas.

Probat meam verſionem, ſed negat quenquam eum ſenſum fuiſſe ſequutum. Unde tandem id colligit? Ex *Origene* ac *Theophylacto* verſis. Quaſi & alioqui novum ſit interpretes ad verbum reddere magis quam Latine. Sed *Auguſtinus* & *Cyprianus* legunt *in quo*. Nihil refert, modo ſentiant quod nos interpretamur. *At aliud*, inquit, *ſentiunt*. Quid ſigni? *Quia meminerunt quod illi eadem perpetrarent quæ in aliis reprehenderent*. Verùm hunc ſenſum fortaſſis non collegerunt ex his verbis *in quo*, ſed ex eo quod ſequitur: *Eadem enim agis quæ judicas*. Hanc autem Annotationem cum oporſuerit ad Græcanici ſermonis elegantiam excutere, non multum ponderis habebit *Auguſtinus*, qui nec exacte contulit Latina cum Græcis, & Græcæ Linguæ peritia leviter erat tinctus. Quod ſi fas non eſt ab interpretis ſenſu, quem iſte colligit, recedere, id auſus eſt *Hieronymus*, qui legit, *in quo judicio*. Quod ſi utrumque ſenſum exprimit ſermo Græcus, hoc certe commoditatis habet mea verſio, quod tollit inæqualitatem numeri, *in quo:* & mox, *eadem enim*, ut ne dicam, idem propemodum bis dici.

Pro *longanimitate*, voce ad Græcam efficta, ſed præter Latini ſermonis uſum, verti *lenitate:* ille putat recte verſum *longanimitate*, non nego, ſed parum Latine. Verùm *lenitas* ad ſuperiores etiam voces pertinet χρηστότητος & ἀνοχῆς. Eodem pertinet & *longanimitas*, nec novum eſt *Paulo*, verbis idem ſignificantibus, rem animis infigere. Quid igitur peccavit *Eraſmus*, ſi pro voce parum Latina repoſuit elegantem? Equidem optarim *longanimitatem* eſſe receptam apud Latinos.

Ad pœnitentiam te adducit.

Hîc docet nos, quid Græcis ſonet ἄγω, conaturque nobis perſuadere eum recte loquuturum, qui dixerit, *adduxit me ad cœnam*, pro, *conatus eſt me adducere*, vel *invitavit me ad cœnam*. Atqui Interpres excuſatur quod Græcam vocem licet parum Latine reddiderit. Ne id quidem fecit. Nam Græce non eſt *adducit*, ſed *ducit*. Quomodo igitur verſurus erat Interpres ſi legiſſet ἐπαγωγὰς, num *adductiones*, an potius *illectamenta*? Quomodo verteret ἀγωγὴν, *ductionem*, an *educationem* præcipue liberalem? Quomodo συνάγει, *conducit*, an potius *conciliat? Deus*, inquit, *non ſemper blande provocat nos ad pœnitentiam*. Fateor, ſed ſi ſpectes illum non minus propitium immittendo triſtia quam adverſa, plane invitat utroque modo. Quorſum autem attinebat hîc meminiſſe de violentia Dei, cum *Paulus* appellat benignitatem Dei & lenitatem? Et de rebus blandis dicimus *trahunt* pro *pelliciunt*. Nam *Chryſoſtomus* hîc ἄγει interpretatur ἕλκει. Quorſum autem pertinebat hîc citare noſtros, qui legunt *adducit*, quaſi hoc aut neſciamus, aut contra nos faciat? De Latini ſermonis elegantia diſſerendum erat. Porro cum conſtet, *ducit* pro *allicit*, magis huic ſenſui congruere quam *adducit*, mirum cur Interpres voluerit ab Apoſtoli voce diſcedere. Hoc enim intereſt inter *ducit* & *adducit*, quod inter *trahit* & *pertrahit*, inter *pellit* & *perpellit*. Itaque *duci ſpe* dicuntur, quos lactat ſpes, *adduci* non dicuntur: & omnes *trahit* voluptas, ſed non omnes *pertrahit* ad peccatum. Recte dicimus, *non poſſum adduci ut hoc credam*, perperam loquuturi ſi dicamus, *non poſſum duci*. Eſt tamen ubi ſimplicibus liceat uti pro compoſitis, contra nequaquam. Itaque rectius excuſaſſet Interpretem, ſi dixiſſet, illum vulgo vulgi more ſcripſiſſe.

Theſaurizas tibi iram.

Ego malui *recondis* aut *colligis*. Ille putat quoniam *theſaurus* Latinis uſitata vox eſt, & *theſaurizare* non oportere diſplicere. Imo *theſaurizare*, nec Græca vox eſt, nec Latina, θησαυρίζειν Græcum eſt, *Theſauriſſo* vox eſt factitia juxta formam Latinam, ſed à nemine Latino uſurpata. Quod ſi placet analogia, quemadmodum uſitate dicimus *Eccleſia*, dicemus & *eccleſiazare*. Quam nihil eſt bonæ frugis in his Annotationibus!

His quidem qui ſecundum patientiam boni operis.

Hîc mire diſtinguit vitam æternam à gloria & honore, quaſi vitam æternam liceat ambire, gloriam & honorem nequaquam, cum ſicut vita æterna piorum, eſt ipſe Deus, ita idem ſit illorum gloria & immortalitas, neque enim de humana gloria loquimur. Atque ut pie Deus dicitur vita æterna, ita pie dicitur gloria & honos, & vere hæc omnia negatur eſſe Deus: dos enim immortalitatis animi & corporis, Dei beneficium eſt, non ipſe Deus. Jam quid eſt aliud immortalitas quam vita æterna? Diſtinctio, quam adducit, probabilis eſt, ſi ſubaudias *ſunt:* at id ipſum ſubindicavit Annotatio mea, quo me impugnat. Nec magnopere moveat articulus τοῖς, quem à ſcribis additum arbitror. Cur igitur non ſuſtuliſti? quia non ſoleo mutare Græcos codices, niſi ſuadeat aliquod Exemplar. *Ruffinum* autem ideo noto, quod priores accuſativos vertit in nominativos ſecus quam habent Græci. Atqui Interpres in ſecunda parte addidit verbum *ſunt*, hîc non addidit, additurus utique ſi ſenſiſſet quod hic divinat. Attamen argutior eſt ſententia, quam Græci ſequuntur. *Romani* gloriam & immortalitatem nominis venabantur apud homines in hoc mundo, *Paulus* indicat veram immortalitatem eſſe paratam his, qui perſeverant in bonis operibus, non his qui fornices triumphales erigunt, aut ex devictis gentibus triumphos agunt.

Et incorruptionem.

Dubitabam an *incorruptio* vox eſſet Latina. Ait receptum à ſacris Doctoribus, & ego in ſcriptis meis frequenter uſurpo, quoties malo Eccleſiaſtice loqui quam emendate. Docet nos φθορὰν ſonare *corruptionem*, eoque ἀφθαρσίαν recte verti *incorruptionem*; fateor, ſi vocem agnoſcerent Latini. Fatetur Interpretem aliquoties ἄφθαρτον vertere *immortalem*. Nihil eſt igitur quod mihi ſuccenſeat, ſi idem ſum auſus. Sed ipſe ſemel atque iterum verto *incorruptibilitas*, verum, ſed coactus. Neque enim quovis loco quadraret *mortalitas* & *immortalitas*, pro φθορὰ & ἀφθαρσία. Nec mirum ſi malui *incorruptibilitatem* vertere, cum mox ſequatur *immortalitatem*. Poteſt tamen ἀθάνατος eſſe, qui non ſit ἄφθαρτος. Impiorum enim corpora erunt ἀθάνατα, verùm non ἄφθαρτα, cum ſint obnoxia cruciatibus, quemadmodum & animæ: ſed Scriptura quoties dicit *immortalitatem*, intelligit illam ab omnibus malis liberam vitam. Quanquam hoc ipſum verbum *incorruptibilitas* Grammaticum eſt verius quam Latinum.

Qui non acquieſcunt veritati.

Tantum indico vocum jucunditatem in contrariis parum eſſe Latine redditam, non reprehendo Interpretem, qui ſæpe non poteſt, aut certe non poteſt commode. Nec erat hîc locus declamandi, quod ſancti viri pluris faciant claritatem ſententiæ quam vocum jucunditatem, cum ea jucunditas ſit in ſermone *Pauli* frequenter, non illa quidem invitata, ſed nec ſpreta.

Tribulatio & anguſtia.

Στενοχωρίαν maluimus hîc *anxietatem* vertere quam *anguſtiam*. Sed *Origenes* philoſophatur de anguſtia cordis impiorum, & latitudine piorum. Philoſophatur, ſed coacte, ut frequenter, & approbabo commentum, ſi quoties *Paulus* anguſtias ſuas jactat & plagas, ut 2. Cor. 6. & anguſtias, quas pro Chriſto perpeſſus eſt, ut in eadem Cap. 12. Item cum *Suſanna* dicit, *Anguſtiæ mihi ſunt undique*, patiemur *Origenicæ* Annotationi locum eſſe. Quod ſi recte *anguſtia* dicitur *afflictio*, aut *anxietas* hominis ſibi male conſcii, recte dicetur *anguſtus* qui ſic affectus eſt. Nec me fugiebat ſacros Auctores ſic loqui, ſed ego malui quod erat Latinius. Aliud enim ſonat *anguſtia* iis qui nihil ſciunt niſi Latine, quam ſentit *Paulus*, cum nominat *anguſtias*. Quanquam ubicunque eſt *anxietas*, ibi quædam eſt *anguſtia*. Contra-

Digitized by Google

trahit enim dolor animum, quemadmodum gaudium dilatat. Sed alibi verto στενοχωρεῖσθε, *angusti estis*, pro *angustiamini*. Quid mirum? si magis ibi quadrabat: nec enim eadem Græca dictio quovis loco valet idem.

Non est personarum acceptio apud Deum.

Προσωπολημψίαν, πρόζωπον λαμβάνειν, προζωπολήπτης, admonui verbis parum Latinis reddi, *personarum acceptionem*, *personam accipere*, & *personarum acceptor*, mihi magis placuit *personarum respectus*, & *personam respicere*, & *qui personæ respectum habet*. Negat hanc esse primariam significationem. Non laboramus de voce Græca, quam & ipsam vulgatam arbitror, sed de sensu. Sensus est autem, ut opinor, discrimen inter personam & personam. Atqui *Faber*, ut ait, & ego in Epistola ad *Galatas* ita vertimus, *Deus personam non accipit*. Quod si Latinum est *personarum acceptor*, & *acceptio* Latinum erit. Ego non sum tam anxius ut non interdum aliquam vocem relinquam parum receptam à Latinis, & fieri potest ut hoc suffugerit, fieri potest ut neglexerim quod esset tolerabilius: nam qui accipit personam, aliam rejicit. Nec sequitur, si *accipit personam* est Latinum, statim *acceptor* & *acceptio* esse Latinum. In priore non est vitium nisi in connexione vocum, verùm *acceptor* & *acceptio* puto nusquam exstare apud probatos Auctores, quemadmodum *bibit* Latine dicimus, *bibitor* & *bibitio* nequaquam: neque enim analogia semper reddit orationem Latinam.

Factores Legis justificabuntur.

Admonui *factores Legis* pro *observatores* non esse puræ Latinitatis. *Sed hoc*, inquit, *verbo utuntur sacræ Litteræ*. Quis hoc negat? *Quivis*, inquit, *intelligit quid sit factor Legis*: fateor, sed is qui assuevit huic formæ sermonis, qui nihil sciret nisi Latine, quid aliud intelligeret, quam conditorem Legis? quemadmodum Pater dicitur Ποιητὴς cœli & terræ. *At factis*, inquit, *exprimunt Legem etiam hypocritæ*. Itidem & faciunt, quod præscripsit Lex, hypocritæ. *Verùm* exprimunt *sonat*, inquit, *ostentationem*. Pro ostentatione nusquam legi, sed filius exprimit patrem, qui patri similis est, & mentem exprimit oratio. Sed esto ut exprimere dicatur qui fingit, multo tamen crebrius invenies *facere* positum pro *fingere*. Dicere poteram, *qui Legem observant*, sed malui reddere factoris vim.

Cogitationum accusantium, aut etiam, &c.

Hîc miro supercilio juvenis flagellat *Erasmum*, quod Interpreti mortuo, & inter Angelos præcipuos divinam faciem contemplanti, impegerim oscitantiam & solœcismum, præsertim cum scripserit afflatu Sancti Spiritus, cum nihil horum censor hic possit docere. Ecclesiæ versionem suscepit, hominem ut non novit, ita nec probat, nec improbat. Nam fieri potest ut fuerit Ethnicus auctor quispiam hujus interpretationis. Et tamen ex hoc fundamento texit hic prolixam ac severam objurgationem, dicas sævum Ludimagistrum objurgare discipulum, & juxta *Platonis* dictum fastum meum castigat, sed majore fastu. Laudat *Laurentii* & *Fabri* modestiam, quasi non alibi tractarint Interpretem me durius, & quasi non illi interdum adversus illos patrociner. Vehementer illum offendit collectio, quod dixerim, *Hîc patet, quantum illi sit in aliis tribuendum. Tota igitur*, inquit, *versio erit humani negotii*. Quid periculi, cum Apostoli Græce scripserint? De sermonis vitio tantum hîc agitur, quod illi tribuit *Laurentius*, cujus hic laudat modestiam. Utrum est contumeliosius tribuere vitium an negligentiam? Nec ideo semper solœcissat, quod hîc admisit solœcismum, sed non ideo statim Latinum videri debet, quicquid ab illo positum est, nec oportet lectorem offendi, sicubi dicitur parum emendate loqui, cum vulgo loquatur. Nihil aliud sonant mea verba, quæ hic atrociter interpretatur. *O grave convitium*, inquit, *oscitantia & supinitas*! verum in reddenda sententia, sed in sermone negligentia nonnullam habet laudem. Nam *Gregorium* gloriatur etiam se negligere *Donati* regulas in tractandis sacris Libris. Addit alteram collectionem. *Si quisquis*, inquit, *committit solœcismum, non est afflatus Spiritu Sancto, nec Euangelistæ fuerunt afflati Spiritu Sancto*. Quasi sit eadem æstimatio Euangelistarum atque Apostolorum, & hujus Interpretis omnibus ignoti! Nec tamen periculum sit, si quis dicat Apostolorum animos hactenus temperasse Spiritum, ut in sententiis adfuerit, in dicendo permiserit illos humanæ facultati, quod vulgaris sermo, quem tenebant, accommodus esset Euangelio, non per humanæ sapientiæ verba prædicando. Quod quarta Editione adjeci quædam quæ reprehensionis asperitatem mitigant, tribuit malæ conscientiæ: imo hoc oppposui his qui nihil non calumniantur, à quibus jam nihil tutum est. Ille sibi persuasit hunc Interpretem fuisse virum inaudita sanctimonia, de Ecclesia optime meritum, regnantem in cœlis, ego prorsus fateor me nescire qualis fuerit, nec tamen quicquam contumelioſe dico in ipsum, sed tantum in sermonem ejus. Sed parcendum, inquis, mortuo. Quis unquam sic reveritus est mortuos, ut in vestigatione veri non ausus sit ab illis dissentire, aut opinionem refellere? Quis igitur erat hîc locus, ut hic minitaretur regerendas in me contumelias, juvenis qui tam vult videri modestus? At salva res est, reperit exitum hujus quæstionis, si duo genitivi referantur ad conscientiam. *Conscientia*, inquam, *cogitationum*, *accusantium*, *aut defendentium*. Id indicavit Glossa ordinaria, fateor; sed parum pudenter. Etenim quo minus id fiat, obstat pronomen *αὐτῶν*, obstat conjunctio *καὶ*, obstat *μεταξύ*. Eoque Glossa ordinaria, diffisa huic commento, addit, quod est probabilius, genitivum more Græcorum positum pro ablativo; sed more Græcorum ponere genitivum pro ablativo, quid aliud est quam solœcissare, præsertim si unum Latine vertas, reliquos omittas? Erat alius color excusandi Interpretem, quoties parum emendate loquitur, quod vulgo vulgari more scripserit. Dicet, cur igitur illum non eo pacto excusas? Quia nondum hoc mihi venerat in mentem, quemadmodum nec *Laurentio*, nec *Fabro*. Quod si venisset, hoc lemmate libenter fuissem usus. Nec hanc causam arbitror factitiam. Nec enim mihi invisus est Interpres. Quod si hoc sermonis vitium iste tribuit Spiritui Sancto, cur sacri Doctores audent aliter loqui? *At interim*, inquit, *eodem modo recitant hunc locum, sed fortassis neglecto sermonis incommodo, aut quod est probabilius, locos illos paucos ad hanc Editionem castigarunt scribæ*. Vides quam gravem causam nactus sit noster juvenis, ut senem propemodum conspueret. Sed perquam libenter rixatur cum *Erasmo*, moderatior in *Laurentium* & *Fabrum*, cum frequentius atrocius tractent Interpretem quam ego.

Si autem tu Judæus cognominaris.

Dixi ἰδὲ, id est, *ecce*, veriorem & antiquiorem lectionem. Antiquiorem dixi, quod in vetustioribus Exemplaribus ita scriptum reperi, veriorem dixi, quod simplicior sit, minusque habeat incommodi. Objicit nobis *Origenem* & *Theophylactum*, sed versos, unde nihil certi potest colligi. Verùm ἰδὲ, *ecce*, ut est ad exprobrandum acrius, ita reddit structuram sermonis commodiorem, ut indicavi. *Nihil*, inquit, *est temere mutandum ut à Veterum lectione recedentes, nova sectemur*. Quid, an ego rasi quod est in Editione Ecclesiastica? An potius excuso receptam lectionem? Unde hoc magnificum dictum poterat alteri servare loco.

Non enim, qui in manifesto Judæus.

Paulus ex idiomate, ut opinor, Hebraico, quod sensit Græce loquens obscurius expressit. Id ego, exprimens ea verba quæ subaudiebantur, reddidi dilucidius. Verùm ait Interpretis sermonem nihilo plus habere obscuritatis, quam habet Græcus. Fingamus hoc ita esse, an non licet addere quæ subaudiuntur, præsertim

Digitized by Google

tim in Editione, quæ in hoc paratur, ut vulgata rectius intelligatur? Et tamen admonui, Græcos articulos habere ſuam brevitatem, itaque fieri ut apud nos ſermo ſit obſcurior: quod ſi Interpres voluiſſet Græca exacte reddere, ſic erat loquendum: *Non enim qui in manifeſto eſt, Judæus eſt, neque quæ in manifeſto eſt carnis, circumciſio eſt.*

Ex Cap. III. *Quid ergo amplius eſt Judæo?*

Cum eadem loquatur quæ ego, tamen adverſum me diſputat. Sic autem agit, quaſi *eximium* non referatur ad aliud inferius, cum nulla vox id elegantius exprimat, ſed ſequitur, inquit, *Judæo*. An non recte dicitur *quid eximium eſt Judæo?* Aut, *quid eximium habet Judæus præ cæteris?* Item *excellit* interpretatur, quaſi non ſonet comparationem ad inferiora, cum nulla vox magis hoc explicet? Nemo excellit, niſi ſit quem ſuperet. Jam *amplius* ambigua vox eſt: poteſt enim accipi, Quid habet præterea Judæus præter iſta quæ dicta ſunt? Ad hæc Græce poſitivum eſt, non comparativum, περισσὸν non περισσότερον, & *amplius* magis ſonat πλέον quam περισσόν.

Credita ſunt illis eloquia Dei.

Docet aliquid *committi*, quod non *creditur*, eo quod *fidit* qui *credit*, non item quiſquis *committit*. Imo quis *committit* alicui rem egregiam cui diffidit, niſi vel ſtultus, vel explorans? An qui tentandi gratia dat alicui pecuniam mutuam, non Latine dicetur *credidiſſe pecuniam*, & *creditor*? Unde igitur apud Jureconſultos *fidei commiſſum?* Gravis vero Annotatio! Nec deerat cauſa cur nos mallemus *commiſſa ſunt*. Vitata eſt amphibologia. Eam ſi contemnit iſte, *Jacobus Faber* hîc lapſus eſt. Nec tamen hic cenſor videtur animadvertere, quæ res impoſuerat *Fabro*. *Faber* enim opinatus eſt, hîc *eloquia* nominandi caſum eſſe qui præcedit verbum ἐπιςεύθησαν, cum ſit accuſativus ſequens verbum. Sic enim loquuntur Græci, *ille creditus eſt Filium*, quemadmodum Latini dicunt, *hic doctus eſt Grammaticam.*

Eloquia Dei.

Λόγια, quod reddit *eloquia*, verti *oracula Dei:* primum Latinius eſt *oracula* quam *eloquia*, hoc ſane ſenſu: deinde *oracula* magnificentius eſt, quod *eloquium* ſit & hominis, *oracula* non niſi Dei. Hic argutatur *oracula* dici Deorum reſponſa, quæ ore promuntur. Ita eſt interdum. Sed frequenter edebantur ſcripto. Verùm ſi offendit vox *Deorum*, etiam *Apollinis oracula* dicuntur, nec ideo nos perperam dicimus *Templum Dei*, quod olim dixerint *Templa Deorum*. Nec poteſt vocabuli novitas offendere, cum non ſit infrequens in ſacris Libris, præſertim Veteris Teſtamenti. Sed *oracula* dici videntur ab ore, imo potius ab oratione. Oramus ore, fateor, ſed & ſcriptum dicitur oratio. Qua vero parte corporis eloquimur? Nonne ore? & tamen ſcripto loqui dicimur. Alioqui quomodo Dei dicuntur oracula, cum Deus non habeat os? Denique cum hominis ſententiam, cum auctoritate pronuntiatam, vocemus *oraculum*, quid obſtat quominus omnia, quæ continentur ſacris Libris vocentur *oracula Dei*, quibus nobis denuntiatur divina voluntas? Verùm aliquot locis, inquit, pro λόγια non quadraret *oracula*, & ipſe alibi verto λόγια, *eloquia*, mirum vero ſi pro ratione ſententiæ, alia vox alibi magis congruat. Obſecro quid opus erat hujuſmodi nugalibus explere chartas?

Fidem Dei evacuavit.

Cum conſtet καταργήσει futuri temporis eſſe, nec hîc quiſquam accuſet Interpretem, ſed probabile ſit hoc à Librariis commiſſum, quod multi ſonent σ pro ζ, ζ pro σ, tamen hic defendit. Id ſi putat ad Interpretem pertinere, quid erat hîc cauſæ, cur recederet ab Apoſtoli voce? O grave patrocinium!

Eſt autem Deus verax.

Cum conſtet in Græcis omnibus haberi γινέσθω, & conſentiant interpretes, quid eſt quod hic malit *eſt* quam *eſto?* Sic, inquit, *eſt*, in Pſal. pronuntiatur, *omnis homo mendax.* Ibi nullum eſt verbum, ſed fac eſſe, an ideo non licet aliter uſurpare Scripturam, præſertim cum ſenſus ſit idem? Quod illic vidit Propheta, hîc optat ut omnibus ſit perſpicuum. Et teſtimonium, quod ſubjecit ex Pſalmis, habet ſubjunctivum modum, *ut juſtificeris*, &c. Fatetur apud probatos interpretes ſic inveniri, aſſentior, ſed interdum ſecus, *Eſto*: proinde quoties reperitur *eſt*, ibi credamus aut locum depravatum, aut illos non recitare verba *Pauli*, ſed ſenſum.

Hunc mundum.

Excuſo quod vertit Interpres, quanquam id non facit conſtanter. Sed repellit quod annotaram, quaſi ſit alius mundus, & indicat nobis alium mundum juxta allegoriam, at ego verebar ne Philoſophi ſuſpicarentur alios mundos huic ſimiles.

Et non ſicut blaſphemamur.

Hîc mecum ſentit. Illud tamen ut facetum riſimus, quod cum propoſuiſſet ſuam ſententiam, facit me reſpondentem, quaſi juxta ipſius conſilium id verterim quod ipſi magis arridebat, quod idem facit in proxima Annotatione, aliiſque compluribus. Age donetur hoc juveni.

Subditus fiat omnis mundus Deo.

Pro *ſubdito* verti *obnoxius*, nec damnavi *ſubditus*, ſed *mulier*, inquit, *eſt ſubdita viro*, *quæ tamen non eſt obnoxia proprie.* Et agnitum crimen facit, ut homo non habens quo ſe defendat, ſubmittat ſeſe. Quid ὑπόδικος poſſit ſonare neſcio, ſed ad hunc modum interpretatur *Chryſoſtomus:* Ὁ γὰρ ὑπόδικος κυρίως ἂν ἐκεῖνος λέγοιτο, ὁ μὴ δυνάμενος ἑαυτῷ χεῖρας ἐπενεγκεῖν πρὸς ἀπολογίαν. Id eſt, *Hypodicus enim proprie dicetur ille, qui ex ſe non ſufficit ad ſui defenſionem.* Et cum in ſermone præcedenti docuerit nec Judæos nec Gentes ſervaſſe Legem, moxque fiat mentio peccati, cujus cognitio ſit per Legem redarguentem conſcientiam, conſentaneum eſt rectius verti *obnoxius* quam *ſubditus.*

Teſtificata à Lege & Prophetis.

In Litteris ſacris ii dicuntur μαρτυρεῖσθαι, quibus alii perhibent teſtimonium, apud Latine loquentes non item, & an *teſtificata* dicatur paſſive neſcio, certe nondum reperi, itaque verbo addito & ſuſpicionem ſoloeciſmi viſum eſt excludere, & ſervata eſt temporis ratio. Sive autem intelligas Euangelii gloriam prædictam à Prophetis, ſive Legem ita ferre teſtimonium juſtitiæ divinæ, quod declaravit omnes eſſe peccatores, & egere gloria Dei, mea verba nihil obſtant: nam præſentis temporis verbum ſic poſitum eſt, ut ad omne tempus pertineat.

Egent gloria Dei.

In Græcis codicibus nihil reperio niſi *gloria Dei.* Porro quod quidam meminerunt de gratia, nihil mirum, cum Dei erga nos gratuita benignitas detrahat nobis gloriam operum, & illius gloriam illuſtret. Nec ideo protinus in contextu legendum, quod additur ab enarratoribus.

Egent gloria.

Non probat quod pro *egent* verti *deſtituantur*, *quod*, ut ait, *deſtitui dicantur*, *de quibus nulla ſit ſpes*; verum, ſi quod ille facit, addas *penitus.* Atqui apud emendate loquentes, deſtituuntur viribus, qui non ſufficiunt ad conſequendum quod volunt. Cum autem Græce ſit ὑστεροῦνται, conatus ſum Apoſtolicæ vocis emphaſim explicare, quæ ita ſonat quaſi dicas *poſteriores ſunt:*

Digitized by Google

posterior autem est & relinquitur, qui non assequitur. Nam *Paulus* hîc disputat nec Judæos, nec Gentes suis viribus absque gratia potuisse assequi justitiam aut misericordiam, quæ illustrant Dei gloriam. Hoc verbum cum sit aptius sententiæ, cumque magis exprimat Græcæ voeis emphasim, magis placuit mihi quam *egere*, quandoquidem & post Euangelium proditum omnes egent gratia Dei. *Carent* magis quadrabat quam *egent*. Nam eget & is qui habet. Frivolum est autem quod docet eos tantum destitui, qui prorsus rejiciuntur à gratia, cum Deus aliquando pios homines ad tempus destituat sua gratia, ut agnoscant imbecillitatem suam.

Ad ostentationem justitiæ ejus.

Pro *ejus* verti *suæ*. Hîc quoniam divinat tantum, nullis auctoribus, non arbitror aliquid refellendum.

In sanguine ipsius.

Quoniam *in sanguine* parum Latine dicitur, circumitiuncula rem explicavimus. Quod ille non improbat.

Ubi est gloria tua?

Indicavi *tua* in Græcis non addi. Ex versis autem Auctoribus non potest efficaciter probari quid legerint. Jam absolutius est, omisso pronomine. Nunc enim videtur ad *Judæos* tantum loqui, atque hîc nonnihil habet incommodi numerus singularis. Omisso pronomine exprobratio potest ad omnes accommodari, præterea dilutior est sermo addito pronomine. Non enim solum refellit Judæorum gloriationem, sed omnem gloriandi materiam. *Ubi gloriatio*, id est, ubi gloriandi causa? Articulus tamen nonnihil facit pro Interprete, ἡ καύχησις.

Qui justificat circumcisionem.

Mihi perplacet *justificat*, si consentiant Græci codices. In his cum magno consensu sit δικαιώσει, indicavi discrimen temporum, quorum altero plerique collocabant fiduciam in operibus Legis, aut in Philosophiæ decretis: altero declaratum est, non esse sperandam justitiam, nisi per gratiam Euangelicam. Nec hoc futurum excludit eos, qui ante Legem & sub Lege per gratiam justificati sunt. Tum enim id agebatur, verùm hoc nunc per Euangelium toti mundo patefactum est. Quid autem hic *plenius* appellet nescio, qui Judæos & Paganos nominat, nonne universos complectitur? Fortasse vellet comprehendi jam justificatos: eos non excludit, ut dixi, futurum tempus. Cæterum posita Græcorum collectione quomodo justificabuntur, qui jam justificati sunt.

Ex Capite Quarto.

Reputatum est illi ad justitiam.

Hîc rursus mira severitate flagellatur *Erasmus*, quod Interpreti viro sancto impegerit puerilem affectationem copiæ. Atqui fortassis hoc dictum cadit in Judæum aut Paganum aliquem, aut alioqui virum improbum. Sed nisi fecisset Interpretem Angelis parem hominem, non fuisset locus istis convitiis, quibus mirum quam sibi placeat modestiæ columen. *Laurentium* excusat, qui modestius locum hunc notarit, quasi is nusquam libere feratur in Interpretem. Atqui cum pluribus locis recitatis ait, *quis credat hic Græcis esse unum verbum*, non satis indicat stomachum suum? Deinde docet nos hîc ex *Perotto*. Quid autem opus erat huc confugere, cum *Laurentius Valla*, quem miratur, hoc melius doceat Lib. VI. Cap. 44. quid differant *imputare*, *deputare* & *reputare*. *Non imputantur*, inquit, *nisi mala*, *reputantur sive deputantur benefacta*. Imo *reputamus* quæ animo revolvimus, præsertim præterita. *Imputamus* autem non solum mala, verum etiam bona, quando vocantur ad rationem: dubitat tamen *Laurentius*, an apud *M. Tullium* inveniatur *imputandi* verbum, quod tamen admonet fere citra reprehensionem accipi. Exempla, quæ refert ex *Fabio*, sonant in bonum. *Plinius* tantum major in præfatione Historiæ mundanæ ludens usurpat aliter: *Hanc igitur audaciam tibi imputabis, & in nostra culpa tibi ignosces. Imputabis* dixit pro *adscribes*, de culpa loquens. Addidit *Laurentius* & illud, *imputari nonnunquam quæ in partem rationis veniunt*, quam vim habet & *computare*, nisi quod *Juvenalis computare* dixit absolute, *atque suos jam dextra computat annos*, pro quo usitatius est *supputare*. *Deputare* vero nihil aliud est, quam *æstimare* aut *ponere*. Ita *Terentius: Herus operam meam parvi deputat pretii*. Idem in *Phormione: Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare in lucro*. *Plautus* in argumento *Pseudoli* sic usurpavit, quasi *deputare* sit *valde putare: Satis id dictum puto jam, atque deputo*. *Terentius* in *Adelphis* posuit pro *subduco*, sive *supputo: Frustra egomet mecum has rationes deputo*. Jam exempla duo, quæ *Laurentius* recitat ex Jureconsultis, talia sunt, ut probabilius sit pro *imputare* per scribas abbreviatores mutatum *reputare*. Nam in eo, quod citat ex *Ulpiano*, priore loco ponitur *imputare*, posteriore *reputare*. Et si scriptura careret mendo, quis nescit illis temporibus jam senescente eloquentia quasdam voces receptas fuisse, à quibus nunc Eruditi libenter abstinent? Hæc prius oportuisset expendere nostrum γραμματοδιδάσκαλον quam nobis velut ex oraculo præscriberet harum vocum proprietatem. *Quis*, inquit, *unquam audivit imputari virtutem?* Verùm si in sponsalibus pro dote habeatur, puellæ pudicitia, nonne recte diceretur *imputari*. Itaque cum *Abraham* non haberet justitiam operum, nondum prodita Lege, tamen fides imputata est ad justitiam, Deo videlicet accipiente fidem pro operibus. Quod si hic juvenis velit novas Latine loquendi leges præscribere, suis præscribat, non nobis. Quod si non imputantur nisi mala, quoties blasphemiam proferunt, qui sic loquuntur, *Deus sibi patitur imputari, quicquid membris ipsius fuerit impensum*? Et apud Jureconsultos quoties imputatur sumtus, aut opera, aut victus, aut aliud simile, ubi nihil est mali? At sacri Doctores, inquit, legunt hîc *reputatum est*, nimirum Interpretem sequuti, qui juxta vulgi morem loquutus est, non juxta consuetudinem emendate loquentium.

Non his tantum qui sunt ex circumcisione.

Hîc magnifice pollicetur se declaraturum omnes Auctores, quos adduxeram, contra me facere, & à vulgata lectione stare. Sed interim assumit quod manifesto falsum est, me negare *Abraham* patrem esse Gentium. Quis enim hoc negaret, quod hoc in loco plane docet *Paulus*? Verùm ita mea indicat Annotatio, hunc in modum loquens: *Non enim hoc sentit*, Abraham *esse patrem & Judæorum & Gentium, sed non esse patrem Judæorum nisi sequantur illius vestigia*, &c. Quod dixi non sentit, intelligo, non sentit his verbis, quod nos interpretamur, sed quod præcessit & sequitur declarant eam sententiam. Quorsum igitur hîc attinebat adducere tot testimonia Scriptorum, quæ docent *Abraham* esse patrem omnium credentium & Judæorum & Gentium? Hoc docet totus hic sermo. Verùm hæc particula, quam annotabam, non hoc docet. Nec *Theophylactus* facit pro isto, sed non liquet ex illius interpretatione quid legerit, & fieri potest ut Interpres parum dilucide reddiderit. Annotatio indicat in Græco codice ν fuisse prætermissum incuria scribarum, & ab alio quopiam additum in superiore spatio, sed non suo loco. Non est probabile, inquit, aliud legisse *Theophylactum* quam legit *Chrysostomus*. Assentior, sed in hujusmodi minutiis difficile est ex Latine versis judicare, quod iste facit perpetuo. Nullum enim Græcorum interpretem legisse videtur. Satis autem magnifice dixit nec sine stomacho, *De* Chrysostomo, *quem*

Digitized by Google

quem plane tuum facis. Quid ais, venuste juvenis? An ideo plane facio meum *Chrysostomum*, si tu non habes *Chrysostomum*, qui nullum pateris? Quæ fuit hîc occasio scommatis? Imo *Ambrosium* & *Origenem* hîc meum facio. *Non refers*, inquis, *verba* Chrysostomi. Quid opus, cum habeam duos gravissimos Auctores? *Augustinus* raro consuluit Græcos, & codices habuit parum emendatos, id quod multis ex locis perspicuum est. *Chrysostomi* verba sic habent, quando hoc requirit: Καὶ τὸ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς τὸ ἐν περιτομῇ, διὸ καὶ ἐπάγει, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον. εἰ γὰρ τὸ ἀκροβύστων οὐκ ἐπειδὴ ἀκρόβυστός ἐστι, διὰ τοῦτο ἐστὶ παλὴς, καί τοιγε ἐν ἀκροβυστίᾳ δικαιωθεὶς, ἀλλ' ἐπειδὴ τῷ πίστιν αὐτῷ ἐζήλωσαν, πολλῷ μᾶλλον τὸ ἐμπεριτόμων, οὐκ ἔστι διὰ τῶν περιτομὴν πεφύκοτος, ἐμὴ προσηκόντο ἡ πίστις. Id est, *Et eorum qui sunt circumcisi, non simpliciter qui sunt circumcisi, unde & subjicit*, his qui non solum sunt ex circumcisione. *Etenim si incircumcisorum, non eo quod incircumcisus fuit, ideo pater est, quanquam in præputio justificatus, sed quod fidem ipsius imitati sint, multo magis circumcisorum, non ob id quia circumcisionem habent, progenitor est, nisi fides accesserit.* Habet verba *Chrysostomi*, quæ dicebat se velle expendere. Supereſt unus scrupulus de articulo repetito in parte posteriore, ἀλλὰ καὶ τοῖς στίχοις, qui videtur officere sensui. Ex *Chrysostomo* non liquet an addiderit, & probabile est à scribis additum. Jam mihi vide, quam hanc lectionem etiam ipse sermonis tenor requirat. Paulo ante docuit *Abraham* esse patrem omnium Gentium per fidem in præputio receptam. *Et signum*, inquit, *accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam, & sit pater circumcisionis.* Nonne hîc palam docet *Abraham* in præputio justificatum ex fide, patrem esse omnium qui in præputio fidem illius sequuntur: & eundem in circumcisione justificatum, per fidem non per circumcisionem esse patrem circumcisorum? Verùm ne quis crederet esse satis circumcisos esse, negat *Judæos* esse filios *Abrahæ*, nisi quemadmodum referunt illum circumcisione, ita referant & fide. Eoque subnectit, *his qui non tantum sunt ex circumcisione, sed qui sectantur etiam vestigia fidei.* Rursus ne quis crederet circumcisionem post editum Euangelium esse necessariam, addit, *quæ justitia fidei est in præputio Abrahæ.* Porro juxta vulgatam lectionem, vide quam dure cohæret sermonis contextus: *Ut Abraham sit incircumcisorum, qui circumcisus per fidem justificatus est, & circumcisorum, non tantum circumcisorum, sed & eorum qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Quid opus erat repetere quod paulo ante dixerat?

Non ei solum qui ex Lege est.

Palam est τῷ articulum referri posse ad *Abraham.* Sed negat in cor suum adscendere qui sint illi duo *Abrahæ*, quos in uno fingo. Dicam paucis, quando doceri postulat. Est *Abraham* per fidem justificatus in præputio, quem ob solam fidem patrem habent Gentes. Est *Abraham* justificatus per fidem in circumcisione, quem bis patrem habent *Judæi*, qui ex eo prognati, & ad illius exemplum circumcisi, fidem quoque sectantur ejusdem. At in versione refero articulum ad περιτομὴν. Quid mirum, cum utramque sententiam reddere non potuerim, utramque probans? At nullus interpres sequitur hunc sensum. Quid tum postea? An ideo non licet indicare, sermonem in varios sensus accipi posse? Et si exstarent Veterum lucubrationes, quæ interciderunt, fortassis & hunc sensum inveniremus.

Qui vivificat mortuos.

Non damno quod vertit Interpres, sed pro *vivificat* verti, *vitæ restituit*, nimirum huc alludens, quod promissa fuisset *Abrahæ* posteritas, cujus jam corpus erat emortuum, deinde promissa esset per *Isaac*, & hunc unigenitum juberetur occidere, non tamen hæsitavit in fide, nimirum sciens eum qui promiserat esse omnipotentem, ut posset etiam revocare in vitam mortuos, hoc est, corpori senis emortuo dare gignendi robur, aut *Isaac* exstinctum vitæ reddere. *Sed non restituitur*, inquit, *vitæ, quod nunquam vixit.* Fateor, vixerat corpus *Abrahæ* cum esset junior, & *Isaac* vixerat antequam juberetur occidi. Tum enim *Abrahæ* pro mortuo habebatur, cum jussu Numinis pararet illum mactare. Atque hîc *Chrysostomus* meminit resurrectionis, minus recedens à littera. Ac de resurrectione mortuorum differit Apostolus in fine Capitis. *Atqui* Origenes, inquit, *exponit hîc mortuos peccatores.* Liceat illi in allegoriis philosophari, quod solet libenter, etiam coactius. Nobis liceat ea, quæ congruunt præsentis loci tenori, ponere. Verùm esto, sentiamus de quibuslibet peccatoribus. Nonne qui circumcisi fuerant, & postea peccantes mortui sunt? item qui per baptismum loti, relabuntur in peccatum, vitæ per lavacrum ac per pœnitentiam restituuntur? Ad hæc universum genus humanum ut in *Adam* innocente vivebat, ita in eodem peccante mortuum est: & sicut *Adam* vitæ restitutus est per *Christum*, ita in *Adam* omnes qui credunt, vitæ restituuntur. Ubi nunc est igitur quod mea Periphrasis non quadret sententiæ? Quanto rectius collocasset otium suum, si pro his frivolis aliud egisset bonus iste juvenis!

Vocat ea quæ non sunt.

Ex Latinis aut Latine versis Auctoribus incerta colligit, nec video quid hîc ad nos pertineat. *Augustinus* varie legit. Verùm cum in Psalmis evidenter & legat & exponat pro nostra versione, probabile est reliqua loca depravata esse.

Ut esset pater multarum gentium.

Verteram, *credidit se fore patrem multarum gentium.* Offendit illum præpositio εἰς, εἰς τὸ γενέσθαι, at non offendisset, si agnovisset tropum Hebræi sermonis, qui præpositionem hanc addere solent, præter nostri sermonis consuetudinem. *Qui confessus fuerit in me. Ero illi in patrem*, & cætera. *Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli.* Indicaram, *sicut stellæ cœli*, non esse nec apud Græcos nec apud veteres Latinos, hic putat necessario additum, quod, *sic*, referatur ad aliud simile. Verùm meminisse debebat, *sic*, quoties accipitur demonstrative, non egere ulla additione, veluti si quis ostensa testudine dicat pigro, *sic ambulas.* Hîc certe non taxo Interpretem, sed indico ab alio quopiam adjectum. Quam libenter dissentit à nobis, gauderque *nodum in scirpo quærere*, toties professus se nihil nisi ex sinceriſſima caritate coram Deo loqui!

Ex Capite Qvinto ad Romanos.

Pacem habeamus ad Deum.

Vertimus ἔχομεν, quod reperimus in contextu, in Annotationibus admonuimus, interpretes quosdam legere & interpretari ἔχωμεν. Apud Græcos nihil refert ad sensum, qui norunt verba αὐτοπαθητικά. Mihi non displicebat modus indicativus, ac mea quidem sententia videtur lectio verior. Cum enim ipsa justificatio sit pax cum Deo, quid opus erat monere, ut qui pacem habent, pacem habeant? Nec sequitur quicquam quod dehortetur à peccando, sed omnia declarant quantam felicitatem nobis attulerit fides in *Christum Jesum*, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Certum est *Ambrosium* per indicativum legisse. Id arguunt verba commentarioli: *Pacem*, inquit, *cum Deo habere fides facit, non lex. Hæc enim nos Deo reconciliat sublatis peccatis, quæ nos Deo fecerant inimicos, & quia Dominus* Jesus *hujus gratiæ minister est, per ipsum pacificati sumus Deo*, &c. Habemus evidens unius gravissimi viri testimonium. Objicit nobis

Digitized by Google

Origenem, ſed non intellectum. Idem enim illic in contextu habemus, quod hic diſſimulat, & quod legit, interpretatur his verbis: *Apertiſſime enim per hæc, quæ intellexit quid ſit ex fide & non ex operibus juſtificari, ad pacem Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, in qua ſumma perfectionis conſiſtit, invitat.* Hactenus *Origenes*. Fefellit autem τὸ γεροντοδιδάσκαλον *invitandi* verbum, quaſi qui virginitatis laudes prædicet, aut piorum felicitatem efferat, non invitet ad ea quæ laudat. Invitat autem non, juſtificatos, ſed his gratulatur, verùm interim ad hanc dignitatem invitat nondum juſtificatos, quemadmodum qui gratulatur ſtudioſo, quod litteris tantum ſibi pararit gloriæ, alios invitat ad ſtudia. Hoc ita habere deprehendere poterat ex his quæ ſequuntur apud eundem *Origenem*: *Cum eſſemus*, inquit, *inimici Dei, reconciliati ſumus Deo*, & cætera. Oſtendit autem conſequens eſſe, ut qui reconciliatus eſt Deo, non amplius cogitet ea quæ ſunt inimica Deo. Itaque ad exhortationem nihil opus eſt verbo ſubjunctivi modi, planeque ſuſpicor, nec *Chryſoſtomum*, nec *Theophylactum* legiſſe ἔχωμεν, ſed ἔχομεν indicandi modo. Neque enim codices conſtanter habent ω, ſed nunc ο, nunc ω, utrumque ſcribere viſum eſt: id eſt depravationis argumentum. Quid, quod ad hanc exhortationem ut ſemel juſtificati fugiamus ea quæ ſunt inimica Deo, non congruit verbum ἔχωμεν *habeamus*, ſed potius τηρῶμεν, id eſt, *ſervemus*. Vides, lector, quam nullum habeat locum gravis hujus juvenis objurgatio, quod male vertimus Græca, contra Græcorum & Latinorum ſententiam. Quam longam hîc texerot querelam, ſi me comperiſſet ad eundem modum delirantem?

Per quem habemus & acceſſum.

Verteram, *per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc.* Probat periphraſim, quam ille, neſcio quare, ſemper appellat paraphraſim. Sic vertere malui, ut & præteritum tempus ſervarem, quod eſt in ἐσχήκαμεν, & explicarem τῇ προσαγωγῇ emphaſim. Hæc Annotatio ne nimium eſſet brevis, docet apud Græcos verba quædam voce præteriti temporis ſignificare actum manentem, diſſimulans quod ea hauſerit ex hac ipſa Annotatione mea; quo fuco ſubinde utitur.

In ſpe gloriæ.

Hîc nihil eſt quod contra me faciat. Non improbo lectionem vulgatam, ſed quod ſolum habent Græci, Latine verti.

Non ſolum autem.

Ait æque commode Latinis omitti pronomen atque apud Græcos. Imo Græcis additur juxta conſuetudinem recte loquentium, Latinis nequaquam. *Sed Scriptura*, inquit, *negligit ſermonis elegantiam.* Cur igitur tantopere pugnat, ne ſolœciſmus habeatur in ſacris Voluminibus?

Spes autem non confundit.

Οὐ καταισχύνει vertere malui, *non pudefacit.* Multos hîc adducit qui legunt *confundit*: quidni? ſequuti Interpretem, & vulgi conſuetudinem. Quid hoc ad me? *Ambroſius* novit Latine, tamen utens Scripturarum verbis quæ vulgo tradita ſunt, & ſermonem attemperans ad vulgarem conſuetudinem, frequenter loquitur male Latine. Male habet hominem, quod Annotatio dicit, *Quis Latinus intelligeret? Omnes*, inquit, *intelligunt.* At non ut Latini, ô bone: nam & Græca intelligunt multi Latini. Atqui hic, ſi Superis placet, nectit nobis ſyllogiſmum, *Si nullus*, inquit, *eſt Latinus, qui* confundere *dicit pro* pudefacere, *vide ne tu non ſis Latinus: nam* Act. VIII. *vertiſti*, confundebat Judæos. Ridiculum! Quaſi Latinus non ſim, quod verbum relinquam ut habebatur. Atqui multa reliqui parum Latina, quod receptiora ſint, nec ſatis commode Latine poſſint reddi. Verùm hîc, ô ingenioſiſſime juvenis, quid volebas me vertere? *Pudefacit?* Verùm non eſt καταισχύνει, ſed ζωέχωε, quod nihil aliud ſonat quam *confundebat.* *At videtur*, inquit, *hîc*, confundebat *dictum pro* pudefaciebat. Mihi ſecus videtur. *Confundere* eſt *perturbare.* Unde *confundi* dicuntur, qui non inveniunt conſilium, aut rerum exitum. An ideo non ſum Latinus, quia huic juveni videtur ſic accipi? *Sed in Scripturis*, inquit, *ſic frequenter uſurpatur.* Id non inficias eo, & recte quidem juxta veterem vulgi conſuetudinem, ſed juxta recte loquentium uſum nequaquam. Quod ſi iſti ſatis eſt uſurpari in ſacris Litteris, aſſevereimus dici Latine: *qui me confuſus fuerit coram hominibus*, pro eo quod erat, *quem mei puduerit.* Sic enim loquitur verſum Euangelium. *Suffundi* dicuntur, qui erubeſcunt, ac vehementem pudorem ſequitur mentis confuſio, hoc eſt, perturbatio: at non ideo *confundi* ſtatim ſonat pudefieri. Sicut vini potationem ſequitur temulentia, verùm non ideo pro οἰνοποτεῖν vertendum eſſet μεθύσκεσθαι. Atque in re tam nullius momenti etiam inſultat nobis modeſtiæ columen. *Tibi*, inquit, *tuum* pudefacit *libenter dimittimus ut elegantius, ſi ita tibi placet, ut ubique mutare poſſis* confundere *in* pudefacere, *Latino Interpreti viciſſim concede, quod hactenus habuit* confuſionis *vocabulum.* Hæc ille. Quid? an nos eraſimus *confundendi* verbum è libris? Et quomodo vocat Latinum Interpretem, quem conſtat non Latine loqui? Vides quam hæc ſint ſine mente dicta, & tamen talibus næniis explentur chartæ, poſt tam glorioſas præfationes.

Secundum tempus.

Oſtendi duplicem in Græcis verbis ſententiam, neutram improbans, alteram duntaxat verto, ſed ita ut translata hypoſtigma, ſequatur & altera ſententia. Quoniam autem τῷ καιρῷ Græcis ſonat *oportuno tempore*, aut *juxta rationem temporis* potius quam *ſecundum tempus*, verti quod utrique ſententiæ quadraret. Nam ante proditam Euangelii gratiam, temporis ratio ferebat ignorantiam hominum, quemadmodum *Paulus* in Actis appellat *tempora ignorantiæ.* Ita *Paulus* mitigat exprobrationem impiæ vitæ, culpam rejiciens in tempus, quemadmodum & *Petrus*, *Convertimini ab iſta generatione prava.* Nec abſurde *Chriſtus* dicitur paſſus *juxta rationem temporis*, pro eo quod eſt *oportuno tempore*; nec ideo non eſt oportunum, ſi Deus ab æterno præfiniit.

Pro bono forſitan quis moritur.

Mirum quanta cum auctoritate juvenis hic carpit quæ non intelligit, docet quæ non didicit. Τολμᾶν Græcis bifariam accipitur, pro *audere*, ut vel ad improbitatem, vel ad fortitudinem pertineat: interdum pro *inducere animum*, ſeu *velle.* Hîc vero cum non tam agatur de fortitudine animi quam de voluntate & animi inductione, malui *ſuſtinet* quam *audet.* Cum dicimus, *non ſuſtinet repugnare ſuorum affectibus*, Græce elegantèr dicetur, οὐ τολμᾷ, at ineptiſſime vertas *non audet.* Saltem debebat ex locis in *Suetonio* per me commonſtratis diſcere hujus verbi elegantiam. Hoc modeſtius erat, quam reprehendere non intellecta.

In quo omnes peccaverunt.

Hîc ſentio quiddam quale ſolet in theatris accidere: Alius ſcripſit, alius ſaltat fabulam. Verùm hoc mea nihil refert, optarim illum ubique ſuggeſſiſſe, qui hæc illi ſuppeditavit. Siquidem ut utilius eſt, ita & jucundius eſt cum eruditis diſputare. Totius autem & ſupra modum prolixæ querimoniæ hoc eſt caput, eſſe peccatum originis, cui obnoxii mortales omnes, neceſſe habent ab eo per ſacrum lavacrum purgari, ſive infantes ſint, ſive adulti. De hac ſententia nulla eſt inter nos controverſia. Hoc duntaxat incuſat, quod hunc locum *Pauli* ſic interpretatus ſum de peccato perſonali, ut vocant, quod tamen ita feci, ut originale non exclu-

Digitized by Google

cluſerim. Verùm hac interpretatione queritur telum ereptum Orthodoxis adverſus *Pelagianos*, alioſque, qui negabant eſſe peccatum originis, & apertam *Pelagianis* rimam elabendi ab hoc reti quo conſtringuntur: multaque exaggerat de temporum horum perverſitate, quibus ad quamlibet levem occaſionem multi deflectunt ad impia dogmata. Atque hæc ſane querela mihi cum illo communis eſt. Utinam tam proclive eſſet mederi quam deplorare! Atqui cum primum hoc Opus ederetur, nec in contextu, nec in hujus loci ſcholio commentarii quicquam erat, quod excluderet interpretationem de peccato originis. Sic enim habet contextus, *in quo omnes peccavimus*. Nam & hoc oſtendit recte intelligi poſſe, omnes homines peccaſſe in *Adam*, in cujus lumbis delitebant. Scholium ſic habet: *In quo, quidam referunt ad* Adam, *quidam ad peccatum cujuſque proprium. Mihi non abſurdum videtur, ſi ἐφ' ᾧ accipiatur pro* quatenus, *ſive* quandoquidem: *at ſit ſenſus, per unum hominem peccatum veniſſe in mundum, peccati vero comitem fuiſſe mortem, proinde ad omnes veniſſe mortem, quatenus omnes peccatum habuerunt.* Hîc nihil eſt quod de peccato originis non poſſit intelligi, atque hæc Editio, quam dedimus Anno 1516. fuit omnium, ni fallor, prima, quo tempore nemo ſomniabat ſectas, quibus nunc concutitur Eccleſia: neque quicquam omnino tumultus ex hoc loco fuiſſet natum, niſi *Leus* exagitaſſet, fortaſſis auctoribus his ipſis, qui nunc queritantur. Ad hæc qui nunc adhærent *Lutheri* dogmatibus tantum abſunt à *Pelagianis*, ut Theologos Scholaſticos accuſent de hæreſi *Pelagiana*: adeoque non negant eſſe peccatum originis, ut doceant illud in infantibus reſidere etiam poſt baptiſmum. Quod ſi hinc tantum imminebat Eccleſiæ periculum, quantum iſte vult videri, cur *Joannes Briardus*, qui rogatu meo perlegerat Novum Teſtamentum meum, cum & uſu rerum, & rei Theologicæ peritia teneret in ea Schola primas, non ſaltem verbo admonuit, præſertim cum & ego hoc officii ab eo multis precibus flagitaſſem, & ille ſe fraterno animo præſtaturum pollicitus eſſet? Cur ſaltem is qui nunc ſuſcitat hanc, ni fallor, querelam, tunc & amicus, & amice rogatus non admonebat, cum me teſtarer, ut re vera eram, eſſe paratum corrigere quicquid officeret moribus, aut ſinceritati doctrinæ Catholicæ? Tum temporis admonitiuncula poterat mederi huic malo, quod iſte fingit atrociſſimum. At ſera querela quid aliud quam malum exaſperat? Ne *Dorpius* quidem admonuit coram, tametſi poſt comperi illum in codice ſuo notaſſe quædam in marginibus, quæ præſenti poterat dicere, præſertim & rogatus & familiariter amicus. Unde igitur huic juveni tanta perſpicacia, ut videat quod illi non viderunt: aut tanta fiducia, ut audeat atrociter litteris committere, quod illi præſentem & rogantem admonere non ſuſtinuerunt?

Tantùm præfatus, veniam ad capita accuſationis: Quorum primum eſt, quod pro eo quod eſt apud Paulum, *per unum hominem*, mutarim, *propter unum hominem*. Secundum, quod verbum *pertranſiit*, mutarim in *pervaſit*: Tertium, quod pro, *in quo omnes*, dixerim *quatenus omnes*: Quartum propemodum condonat, quod pro *peccaverunt* verti, *peccavimus*. Hæ ſunt baſes totius diſputationis, quibus tam acres objurgationes non ſine convitiis & ſcommatibus ſuperſtruxit. Sed audi nunc contra, quanto facilius ſit calumniari, quàm rem ut eſt perſpicere. In prima Editione cum *Baſilea* non haberem eos codices ad quos contuleram, is, quo tum utebantur caſtigatores, habebat, *δι' ἕνα ἄνθρωπον*, quem ſequuti poſuerunt *propter unum hominem*. Neque enim ego caſtigo paginas excudendas: & ſi hoc quoque munus obiſſem, fieri non poteſt, quin aliquid ſuffugiat. Itaque cum nunc admonitus eſſem hac reprehenſione, demiratus ſum quid accidiſſet, & inſpicio primam Editionem, inſpicio ſecundam, inſpicio 3. & 4. reperio *propter unum*, niſi quod in ſecunda marginis ſpatium habebat mea manu adſcriptum, *per*, deleto, *propter*, quod ab Amanuenſibus videtur prætermiſſum. Nam his talia deſcribenda in aliud Exemplar ſoleo committere. Cæterum hic objurgator, quid ipſe legerim, ſatis potuit animadvertere ex Annotatione mea, quæ ſic habet: *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ita per unum hominem intravit mors.* Ac paulo ante: *Sic per unum hominem juſtitia venit in mundum*, quod volebam illi reſpondere, *Sicut per unum hominem mors.* Hæc reprehenſori non eſſe lecta vix crediderim: ſi legit & diſſimulat, deſiderare cogor in illo cordis Chriſtiani ſinceritatem, quam nobis ſubinde prædicat. Nec video quicquam cauſæ cur maluiſſem *propter*, quam *per*. Ad ſenſum enim minimum habet momenti utrum legas. Nam quod iſte nos docet, *per* ſignificare veram cauſam, *propter* occaſionem potius quam veram cauſam, indoctum eſt ſomnium, & tamen ex hoc argumento tantum movet tragœdiæ. Nonnunquam uſu differunt, eſt ubi liceat alterum pro altero ponere, niſi quod *propter* interdum ſignificat cauſam finalem, *per* habet rationem inſtrumenti. Nec enim refert utrum dicas, *non licuit ſcribere propter occupationes*, aut *ſcribere non licuit per occupationes*: &, *per tuam inſolentiam factum eſt ut ſimus inviſi multis*, aut *ſimus inviſi multis propter tuam inſolentiam.* Age dicat mihi, quod eſt in Pſal. *Propter te mortificamur tota die*, *propter*, utrum ſignificat veram cauſam, an neſcio quam occaſionem? Jam mihi perpende, lector, cujus modeſtiæ eſt tales ineptias nullo auctore adferre, ut tanta ſeveritate objurges aliquem, ac propemodum hæreſim objicias. Me ſciente nihil eſt hîc mutatum, & ſi fuiſſet, ad ſenſum nihil refert, *per unum hominem*, an *propter unum hominem*, utraque præpoſitione ſignificatur cauſa efficiens. Habes ad unum Caput.

Simili cum auctoritate docet nos diſcrimen inter *pertranſiit* & *pervaſit*, exiſtimans miram eſſe emphaſim in verbo *pertranſiit*, ad exprimendum malum ab uno ortum & in omnes derivatum, quæ non ſit eadem in *pervaſit*, cum res longe ſecus habeat. Primum enim *tranſiit* verbum eſt ambiguum, tranſit enim qui præterit, tranſit montem ac flumen, qui ſuperat aut trajicit, tranſit qui ad alia digreditur. *Pertranſit* autem non memini legere apud Auctores probatos. Quid, quod in ſacris Litteris *pertranſire* dicitur interdum, non quod in omnia dimanat, ſed quod per medium it. Ita dictum eſt illud; *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: ita *Paulus* ſignificans ſe facturum iter per Macedoniam, *Veniam*, inquit, *ad vos, cum Macedoniam pertranſiero.* Quanquam illud verum eſt, *tranſire* dici Latine, quæ contagio tranſiliunt ab aliis ad alios, ut illud: *Multaque corporibus tranſitione nocent.* Et fortaſſis hîc magis congruebat *tranſiit* quam *pertranſiit*. Siquidem Græca vox non habet niſi unicam præpoſitionem. At eleganter pellis aut rumor *pervadit* exercitum aut regionem, cum per omnia divagatur. Hoc igitur verbum ut Latinius eſt, ita nihilo minus apte rem exprimit. *Dimanavit* aut *derivatum eſt* maxime congruebat, ſed *pervadendi* verbum exprimit etiam celeritatem ac violentiam contagii. Frivolum eſt igitur totum hoc quod argutatur de emphaſi verbi mutati. Nonne mores parentum tranſeunt in filios, cum illorum exemplo corrupti, evadunt improbi? Habes ad ſecundum.

Quartum non urget, nec ego ſciebam eſſe in codice, ſed ſuſpicor id quod res eſt, in codice, unde contuli in *Anglia*, fuiſſe ſcriptum *ἡμάρτομεν* pro *ἥμαρτον*, id poſtea relictum eſt incuria: cujuſmodi lapſus vix ulla diligentia quis poteſt effugere. Id non eſſe vanum vel illud arguit, quod in Annotatione nullam hujus rei fecerim mentionem, atque adeo legam, *peccaverunt*. Quod ſane miror à nemine caſtigatorum hactenus animadverſum, cum id muneris in prima Editione obierint *Joannes Oecolampadius*, & *Nicolaus Gerbellius*, in quarta *Sigiſmundus* vir egregie doctus. Ut autem Annotationes in aliis quoque locis diſcrepent à contextu, hac occaſione accidit, quod collationis negotium peregeram in *Anglia* & in *Brabantia*, nihil minus habens

Digitized by Google

in animo, quam addere novam verſionem, videlicet perſpiciens rem non ita magni fructus eſſe, plurimum tamen invidiæ conflaturam. Sed amici quidam improbis inſtinctibus huc perpulere reclamantem, ut cum jam adornaretur Editio Annotationum, novaretur & contextus, quam ad rem cum alioqui plus ſatis occupato, nec otium ſuppeteret, nec animus eſſet propenſus, indiligenter peractum eſt negotium. At qui huc perpulerant, multum rogati, ut aliqua ex parte ferrent auxilium, qui dederant conſilium, adduci non potuerunt, ut vel unum verſiculum conferrent. Ibi ſcilicet nolebant ſe miſcere operi alieno, cum ad hanc operis partem ſuſcipiendam refragantem & abhorrentem perpuliſſent.

Antequam ad tertium reſpondeam, illud obiter indicare viſum eſt, quam erret hic cenſor meus. *Leo* reſpondens reddidi cauſam, cur mallem *pervaſit*, quam *pertranſiit*, cujus verbi ambiguitate lapſus eſſet *Auguſtinus*, qui putarit *pertranſire* quod præterit. *Quî potuit*, inquit, *hoc ſuſpicari* Auguſtinus, *cum interpretetur hunc locum de peccato originis*, &c. Atqui ſi mea legiſſet tanta diligentia, quanto ſtudio venatur quod carpat, agnoviſſet *Lucæ* II. à me notatum *Auguſtinum*, quod *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, perperam intellexerit: *pertranſibit* interpretans *præteribit*, & hinc colligens *Mariam* quoque dubitaſſe, ſed levius quam diſcipulos. Nunc ad id, quod in hac criminatione præcipuum eſt, veniam. Ἐφ' ᾧ ante me nemo, ut ait, vertit, *quatenus*, ſed omnes *in quo*. Eſto, ſed aſſueti vulgatæ Linguæ quæ græciſſabat, pro *in quo* intelligebant *quatenus*, aut certe poterant intelligere. Alioqui vix Græci dicunt ἐφ' ᾧ, quoties ſentiunt aliquid eſſe in alio, quemadmodum fœtus eſt in parente, aut cibus in ſtomacho, magis dicerent ἐν ᾧ. Varie quidem uſurpatur Græcis hæc præpoſitio, cum ſonat *ad*, habet accuſandi caſum, cum ditionem, gignendi, ut *ſub hoc Principe*, aut *hoc Judice*. Item cum pro *in*, aut *ſuper*, ut *in capite*, ἐπὶ κεφαλῆς. Cum ſonat viciniam, habet dandi caſum, ut ἐπὶ θανάτῳ, ἐπὶ γήρᾳ & ὁδῷ. Similiter cum ſonat conditionem, ut ἐπὶ τούτοις, id eſt, *hac lege*. Jam cum mihi concedat etiam adverſarius, ἐν ᾧ non ſemper ſonare *in quo*, ſed interdum poni pro ἐφ' ᾧ, hîc vero contendat *in quo* ſic accipi, ut intelligatur *Adæ* poſteritas in ipſo latuiſſe, proferat mihi vel unum locum è ſacris Voluminibus, ubi in ſimili ſenſu dictum ſit ἐφ' ᾧ. Ad Hebræos VII. *In lumbis patris* non eſt ἐπὶ τῇ ὀσφύι, ſed ἐν τῇ ὀσφύι. At vereor ne hîc rurſus vociferetur me juvare partem *Pelagianorum*. Mihi non eſt iſtud imputandum, ſed his qui ſtultis ac malitioſis criminationibus huc laceſſunt & adigunt. Sed hanc, inquit, interpretationem in *Juliano* damnavit *Auguſtinus*. At fortaſſe non tanta aſſeveratione damnaturus, ſi vel Græce calluiſſet, vel Græca conſuluiſſet. Atque ut fingamus fuiſſe ſcriptum ἐν ᾧ, quid uſitatius Hebræis & *Paulo*, quam uſurpare *in* pro *per*. Et an non per cum corrumpi dicimur, qui præbet exemplum peccandi? Nec in me cadit convitium, quod *Auguſtinus* torquet in *Julianum*, cum illi contenderint hunc locum ſic oportere intelligi. Ego tantum admoneo ſic poſſe intelligi, ac ſenſum, quem damnat *Julianus*, approbo, & ne hoc quidem loco reſpuo, ſi cui magis placet. Sed periculum eſt ne in ipſum potius competat, quod idem *Auguſtinus* ſcribit in *Julianum*, confidentiſſime juvenis. Nec tamen iſte, qui nihil ſcripſit niſi in viſceribus caritatis, toties hoc *Auguſtini* convitium detorquet in me, toties repetit, toties inculcat, cum exaggeratione, cum ipſe poſt fateatur, ſenſum, quem tuetur *Auguſtinus*, ex meis verbis poſſe intelligi, *quatenus peccaverunt*, nimirum in primo parente, in quo dicuntur & mortui. Verùm hoc admonere debuerat, antequam tot tragicis convitiis in fratrem centies cariſſimum debaccharetur, nimium indulgens ſuo ſtomacho. Si peccatum originis poteſt ex aliis Scripturæ locis efficaciter doceri, quid eſt quod adeo digladiamur de hoc uno? Sed hunc vult eſſe validiſſimum. Mihi ſecus videtur. Ille efficacior *Jobi*, qui negat infantem eodem die natum immunem eſſe à peccato. Sic enim hunc locum Veteres citant juxta LXX. quanquam & de hoc ſubdubitat *Auguſtinus*, an poſſit & ad perſonale delictum pertinere, quod in infantulo, qui collactaneum ex eadem mamma bibentem, cum copia lactis utriſque ſufficeret, amarulento vultu iuituebatur, deprehenderit invidiæ & iracundiæ notas. Huic proximus eſt ille Davidicus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, &c. Poſtremo fac nullum eſſe locum, an non multa pro articulis fidei præcipit Eccleſia, quæ non poſſunt evidenter ex Scripturis Canonicis probari? Velut illud de perpetua beatæ Virginis integritate. An non hoc eſt unum ex præcipue in Schola decantatis dogmatibus? Ubi legitur, nefas eſſe ſacram Scripturam in populi linguam vertere, cum primum vulgari Lingua ſit prodita, & in vulgi Linguam verſa textoribus, nautis & aurigis intelligibilem? Et tamen ob articulos hujuſmodi nunc exuruntur homines. Sed indignatur quenquam diſſentire ab *Auguſtino*, qui hunc locum negat aliter poſſe accipi. Hoc ſi verum eſt, cur Theologi Scholaſtici diſſentiunt in eo, quod eſt caput prolixæ calidæque diſputationis, qua confligit cum *Pelagianis*. *Auguſtinus* aſſeverat hominem liberi arbitrii viribus, nec poſſe velle bonum, nec facere, nec inchoare, nec perficere, tantum in malum valere? Nec eſſe ulla hominis merita, ſed Deum ſua dona coronare in nobis. Hæc nuſquam non inculcat *Auguſtinus*. Et tamen nunc docent Scholaſtici quidam noſtris operibus Deum debere vitam æternam, non ſolum quia promiſit, non ſolum *de congruo*, verum etiam *de condigno*, quas voces, ut blaſphemas, fuiſſet exſecratus *Auguſtinus*, quas *Pelagiani* nunquam auſi ſunt profari. Idem adverſus *Pelagianos* diſputans, ſæpenumero aſſeverat infantibus nihil prodeſſe baptiſmum, niſi detur illis corpus & ſanguis Domini, id putat evinci ex his Euangeliſtæ verbis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Itidem interpretatur *Zoſimus*, & probabile eſt, univerſam Eccleſiam Occidentalem fuiſſe hujus opinionis. Hîc non ſolum diſſentimus ab eo, verum etiam quod ille putavit ingens telum adverſus *Pelagianos*, nos judicamus pluſquam hæreticum errorem: qui docemus infantes abſque Euchariſtia ſolo baptiſmo ſervari, ac ne adultis quidem damus Chriſti ſanguinem in ſacramento: porro quemadmodum *Auguſtini* ſententiam damnamus, ita Scripturæ interpretationem, cui nititur, rejicimus. Et tamen *Auguſtinus* pater Catholicus appellatur, & mihi tanta movetur tragœdia, tantum quod indicarim hæc duo verba ἐφ' ᾧ aliter poſſe intelligi, cum de re maxime conveniat cum *Auguſtino*, & *Pelagianos* cum illo deteſter. Illud non modo calumnioſum eſt, verum etiam manifeſtæ vanitatis, quod ait hanc hujus loci interpretationem mihi eſſe cum *Pelagio* peculiarem. Quî ſcit ille quid vetuſtiſſimi Græci ſint interpretati, qui *Pelagium* præceſſerunt? Ex *Origene* libere verſo nihil certi poteſt convinci. Solos libros περὶ ἀρχῶν *Hieronymus* ita tranſtulit, ut ab illo ſcripti fuerant, quæ verſio intercidit: cætera ſic verſa ſunt, ut quæ dogma minus Catholicum haberent, aut omitterentur, aut corrigerentur. Quam hoc quoque calumnioſe ne dicam malitioſe dictum eſt, mihi ſententiam hanc cum *Pelagio* communem, cum illius ſententiam ubique deteſter, quod hoc ipſo in loco mea facit Annotatio. Sed habes, inquiet, interpretationem cum illo communem. Ne id quidem verum eſt. Ille contendit hunc eſſe verum ſenſum, ego tantum admoneo veriſimiliter de peccato perſonali poſſe accipi, cum *Auguſtinus* velit his verbis, *in quo*, excludi peccatum actionis. Atqui quo ore dicit mihi hanc interpretationem propriam cum *Pelagio*, cum in ſcholiis, quæ *Hieronymi* titulo feruntur, certe docti hominis, & ex eruditorum commentariis decerpta ſunt, legerit, *In hunc mundum peccatum intravit exemplo* vel

vel *forma*. Rursum, *& ita in omnes homines pertransiit, dum ita peccant & similiter moriuntur*. Ac mox: *Transivit enim in omnes homines, qui naturalem legem prævaricati sunt*. Deinde subnectit, *In quo omnes peccaverunt*, hoc est, *in eo quod omnes peccaverunt, exemplo* Adæ *peccant*. An non hic manifeste exponit locum hunc de peccato actionis, ac ne verbo quidem meminit peccati originalis? Qua fronte igitur hic ait mihi sententiam esse cum *Pelagio* peculiarem? Non est dubium quin hic censor locum hunc inspexerit. Quod si dissimulat, ne non habeat locum illud impium machinamentum, ubi est illa toties prædicata sinceritas in conspectu Dei? Atqui *Milvitanum*, opinor, Concilium anathema pronuntiat in eos, qui hunc locum secus interpretantur quam interpretatur *Augustinus*, adde, quod sensit Synodus, & sic interpretatur quemadmodum interpretatur *Pelagius*. Tametsi ne id quidem omnino verum est quod narrat, quantum liquet ex Conciliorum fragmentis, in quibus hæc legimus: *Quicunque parvulos recentes ab uteris baptizandos negat: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex* Adam *trahere originalis peccati*, &c. *anathema sit*. Deinde sequitur: *quoniam non aliter intelligendum est*, &c. Neque nos sic adstringit *Africanæ* Regionis Concilium. Nam frequens erat Concilium, in quo decretum est ab hæreticis tinctos debere retingi. Quantum autem anathematum in illis Synodis, quas nobis parum bene Latine reddit *Hilarius*. In *Sirmiano* Concilio habetur, *Si quis Spiritum Sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit*. Dicet aliquis: Per *innascibilem* intelligunt Patrem. Verùm si ἀγέννητος dicitur ille qui natus non est, vox ea non minus quadrat in Spiritum Sanctum quam in Patrem: sin ἀγένητος, qui nunquam cœpit esse, quadrat æqualiter in Personas omnes. Denique cum in *Africa* Conciliis particularibus alia multa decreta sint, quæ vel neglexit vel correxit Ecclesia, non patiar me talium auctoritate gravari, nisi si quid ejus sit generis, ut ex se adversetur pietati, quale nihil esse in hoc loco declaravimus, declaraturi plenius in posterum. Jam alium aperit campum, in quo triumphum explicat. Duobus verbis annotaram, *Chrysostomum* ac *Theophylactum* hunc locum interpretari de peccato cujusque proprio. Hic vero me colaphis cædit modestissimus juvenis, ac minimo minus os mihi conspuit, citans etiam Juris regulam, fraudem ac dolum non oportere cuiquam patrocinari. Et cum hujusmodi dictis scateat totus liber, jactat suam modestiam, ac dejerat se nolle vel calumniari vel ullum convitium dicere. Dicere poterat, me parum attente locum illum expendisse. Id quod est verissimum. Nunc enim accuratius inspecto, video & *Origenem* hunc locum de peccato personali fuisse interpretatum. *Origenis* verba sic habent: *Absoluta sententia pronuntiavit Apostolus, in omnes homines transisse mortem peccati, in eo in quo omnes peccaverunt. Sicut & alibi*, Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, *& si etiam* Abel *illum justum dixeris, non poterit excusari. Omnes enim peccaverunt*, &c. Et ne quis hic tergiversetur, dicens, peccaverunt peccato originis, ut probet *Origenes* quod dixit, declarat *Abel* non fuisse sacrificaturum, nisi peccasset. Idem prædicat de *Enos*, qui primus invocavit Dominum, quod prius desperasset sibi male conscius. Similia differit de *Matusalem*, de *Noe*. Verùm hactenus tergiversator posset hæc detorquere ad peccatum originis, sed quod adducit de temulentia *Noe*, prorsus respuit hoc commentum. Ad hæc quod refert de *Abraham*, qui non iviisset jussus exire de terra sua, si illic potuisset placere Deo: Si ideo non placuisset Deo, quod obnoxius esset peccato originis, nihilo minus displicuisset peregre quam domi. Postremo ne quis cavilletur hæc per excursum dici *Origenis* animo, non ex sententia *Pauli*, catalogum ita concludit: *Sed non opus est cum ingenti periculo, singulos quosque enumerare sanctorum, cum sufficiat & Apostoli sententia, qua mortem dicit in omnes homines pertransisse, & illius qui dixit: Nemo mundus a sorde, etiamsi unius diei fuerit vita ejus*, & cætera. Hinc liquet *Origenem* hunc locum, quem isti contendunt proprie loqui de peccato originis, ad peccatum personale retulisse. Nihil enim refert quod illic legitur, pro ἐφ' ᾧ, *in eo in quo*, quandoquidem hæc interpretis verba sunt, non *Origenis*. Id evidentius fit ex his quæ subjicit. Indicans enim proprietatem sermonis Apostolici docet, quod *Paulus* non dixerit, *peccatum intrasse in omnes homines*, sed *in mundum introisse, mortem vero non in mundum, sed in omnes homines*: mundum autem interpretatur, homines mundanis affectibus addictos. Hoc commentum qualecunque est, aperte declarat illum de peccato originali non sentire, quod sine dubio transiit in omnes homines. Verbum autem *pertranseundi* notat, quod mors quidem intrat, quoniam infligitur, sed peccatum transiit, nimirum imitationis contagio. Rursum quod subjicit de morte peccati, quæ venit ad *Christum*, sed repulsa non pertransiit, non congruit peccato originis. Ad illum enim non venit, sed cum tentaretur Dominus, mors peccati quodammodo venit ad eum. *Ambrosius* hîc discedens ab *Origene*, dicit *omnes homines in* Adam *peccasse velut in massa*: sed quæ sequuntur, *usque ad legem enim peccatum erat in hoc mundo*, &c. quæ vix possunt secus accipi quam de peccato personali, connectit cum eo quod mox præcessit, in *Adam* omnes velut in massa peccasse, & sub peccato nasci omnes, quod ita dictum videtur, quasi dicat nasci morti obnoxios ob *Ada* peccatum. Alioqui non cohærent quæ connectit. Sed hîc, inquiunt, *Paulus* digreditur ad aliud peccati genus. Verùm ad eam digressionem minime congruit conjunctio *enim*, quæ constanter habetur & apud Græcos & apud Latinos. Reddidit enim causam, quare peccatum pertransierit in omnes, quia nondum prodita Lege, quæ pœnam inflixit peccato, velut impune peccabatur in mundo, dum quisque sibi licere putat, quod libet. Hæc ratio nihil ad peccatum originis. Nec quæ præcedunt evidenter asserunt peccatum originis. Ait omnes in *Adam* peccasse velut in massa, non quod infantes revera peccaverunt peccatum, quod commisit *Adam*, sed ex parte participes sunt incommodorum, quæ *Adam* peccato sibi contraxit. Exsulant è paradiso, morbis obnoxii sunt & morti, postremo nascuntur cum pronitate ad peccandum, quam concupiscentiam *Paulus* interdum vocat peccatum. Itidem dicuntur esse sub peccato & peccatores, veluti si quis, qui sibi turpi coitu scabiem Gallicam contraxerat, filios gignat deteriore corporum valetudine, liberi non ipsi peccarunt, sed quodammodo peccarunt in parente. Quod ad *Theophylacti* testimonium attinet, ita incommode versus est ac mendose excusus, ut ne nunc quidem satis percipiam quid sentiat, & res tum temporis tumultuanter agebatur. Eundem habebam Græcum, sed paginis incuria scribarum sic inversis, ut quod quærerem sæpenumero non invenirem. *Chrysostomum* habebam Græcum, sed depravate scriptum atque etiam mutilum, ut dubitarem an vere esset *Chrysostomus*. Ex eo tum visus sum mihi sententiam, quam in Annotationibus indico, deprehendisse. Post nactus sum integrum ac meum, quo inspecto comperio, *Theophylactum* hujus fere verbis usum, nisi quod interdum unam atque alteram vocem intermiscet. Particulam *in quo* sic exponit *Chrysostomus*: Τί δέ ἐστιν ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; ἐκείνῳ πεσόντι καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου γεγόνασιν ἐξ ἐκείνου θνητοί. Id est, *Quid autem est*, in quo omnes peccaverunt? *Illo lapso etiam hi, qui de ligno non ederant, facti sunt mortales*. Non dicit eos peccasse in *Adam*, sed per eum factos mortales. In sequentibus tamen videtur priorem sententiam, nam duas ponit, altera veluti corrigere, tanquam magis congruente menti *Paulina*. Sed haud scio an argumentum, quod assumit, habeat satis ponderis. Sic enim agit: *Ante Legem non imputabatur peccatum, quomodo igitur & ante Legem moriebantur omnes? Sciendum igitur peccatum* Adæ *regnasse*. At-

Digitized by Google

Atqui hoc argumentum ſolvit *Ambroſius*, dicens ante *Moſi* Legem fuiſſe legem naturæ quæ imputabatur. Idem illud imputabatur, longe ſecus exponit. *Athanaſius* Græcus mihi nunc ad manum non eſt. Excuſabant ſe *Dominicani*, quod hac lege recepiſſent libros, ne paterentur efferri in aliam civitatem. Reſponſum eſt à nobis, hoc ab illis aliquando fuiſſe factum. Fatebantur, ſed hac, inquiebant, occaſione perdidimus aliquot volumina. Verſum autem ut ingenue dicam ne nunc quidem ſatis intelligo, & fieri poteſt, ut quod hic divinat, fefellerint me variis diſtractum hæc *Theophylacti* verba, *ſuo crimine mortales facti ſunt. Suo crimine* addidit *Theophylactus*, ac fortaſſis Interpres, cætera cum *Chryſoſtomo* conſentiunt. Sed iſte commonſtrat *ſuo* male poſitum pro *illius*. Nimirum hinc perſpicuum eſt, quantum periculum ſit depravate loqui. Ergo cum intelligat me fuiſſe lapſum occaſione probabili, quorſum attinebant illa convitia de dolo, deque mirabili ſtudio depravandi locum hunc *Paulinum*? Hoc, quod nunc fatetur, debebat in initio fateri, ita non fuiſſet locus talibus convitiis de dolo & calliditate. Sed quoniam noluit ea perdere, confeſſionem ſuam diſtulit in extremum. Et ſi is, qui nunc ſubornat hanc corniculam, verbo monuiſſet de lapſu, ſublatum fuiſſet in poſterioribus Editionibus. Quid autem magni, ſi in tam vario opere contingat alicubi cæcutire, cum hic inſtructus alienis plumis toties deliret, velut hîc non intellexit *Origenem* Subinde redit ad illam tragœdiam, quantum facinus ſit Orthodoxis Scripturæ patrocinium eripere. Quaſi is eripiat Eccleſiæ patrocinium, qui non patitur vim fieri Scripturis. Quod ſi commonſtravimus aliquot loca, in quibus Eccleſiaſtici Doctores abutuntur Scripturæ teſtimoniis adverſus hæreticos, licetque plura commonſtrare ſi res poſtulet, qui hæc annotat non labefactat Scripturarum auctoritatem, ſed confirmat. Objiciet offendiculum. Nos doctis iſta ſcripſimus, non vulgo, & illis potius debet hoc offendiculum imputari, qua hæc paucis indicata magnis tragœdiis exagitant. Quod ſi hic juſte vociferatur in me, quod indicarim hunc locum exponi poſſe de perſonali peccato, vociferetur & in *Hieronymum*, qui teſtimonium, quod eſt *Epheſ.* II. ſecus exponit quam de peccato originis, & in fine indicat ſermonem Græcum ancipitem eſſe, & φύζει interdum ſonare *prorſus*, ſive *omnino*. Cur hic non clamat additos *Pelagianis* animos, exarmatos Orthodoxos, cum & hoc teſtimonium *Auguſtinus* torqueat in *Pelagianos?* Cur non clamat in *Origenem*, qui locum hunc interpretatur de peccato cujuſque proprio? Jam quæ exaggerat mira loquacitate de quorundam hujus temporis impietate, qui videntur hoc agere, ut pro Chriſtianiſmo nobis inducant vel Judaiſmum vel Paganiſmum, potius ad illos pertinet qui nimis impudenter abutebantur auctoritate ſua, qui tyrannide premebant Chriſti gregem, qui ad humana dogmata detorquebant Scripturam, qui conſtitutiones humanas præferebant præceptis divinis, qui nimium illaqueabant conſcientias ſimplicium, qui fucis & hypocriſi fefellerunt hactenus imperitos, ac veluti fungos illuſerunt, ne dicam inſultarunt, tantiſque malis cauſam dederunt. Ex hoc loco quis unquam accepit cauſam erroris? Et ſi quis exſtitiſſet, an non ex bene dictis quotidie venantur multi erroris occaſionem?

Supereſt ſophiſma, quod ex Quodlibeticis, ut ſuſpicor, mutuatus eſt: nam & Auctoris ingenium & phraſim prorſus agnoſco, non minus quam illius faciem. Nec pudet hanc corniculam ſe plumis alienis ſic venditare, quaſi nullus ſit cuiquam naſus. *Proloquium*, inquit, *quod conſtat ex pronuntiato & ratione, non poteſt dici verum niſi utraque pars ſit vera. Nam ſi altera habeat falſitatem, totum enuntiatum falſum eſt.* Hic ponit triplex peccatum, *originale*, *veniale* & *capitale*. Triplicem item mortem, *corporis*, *gehennæ*, & *mortis umbram*. *Si ſentis*, inquit, *de peccato perſonali, eo quod omnes peccaverunt, conſtat innumeros infantulos mori, qui nullum omnino peccatum admiſerunt. Itaque cum cauſa ſit falſa, ſequitur totum enthymema falſum eſſe, nimirum & illud, quod mors in omnes pertranſivit, at mors corporis in omnes pertranſiit. Nec ideo tranſivit in omnes mors, quod omnes propriis ſceleribus inquinati ſunt, ſed per* Adæ *prævaricationem nunc facti ſunt mortales, ſive peccant, ſive non peccant, & hinc rurſus totius proloquii falſitas. Jam ſi peccatum accipiamus capitale, ob quod ſolum infligitur mors gehennæ, gemina falſitas eſt, quandoquidem nec ea mors pervenit in omnes, nec hoc peccatum dimanavit in omnes. Itaque ſi locus intelligatur de peccato originis & mortem intelligamus pro umbra mortis, in qua detinentur infantes decedentes abſque lavacro, nihil eſt incommodi.* Poſſem nodum nodo opponere, ſi peccatum *Adæ* tranſivit in omnes, & hoc peccatum fuit capitale, cui debebatur mors gehennæ, totum hoc proloquium juxta lectionem iſtorum falſitatem habet, quia nec hoc peccatum tranſiit in quenquam, nec ex eo pœna pervenit ad quenquam. Ne vero teramus tempus argutiis hujuſmodi, mortem hîc accipio pro ſeparatione animæ à Deo, quam in nobis gignit peccatum à nobis commiſſum: hæc mors in omnes tranſierat, dum deſtituti gratia rapiuntur affectibus ſuis, & in eoſdem tranſierat mors gehennæ, niſi gratia ſuccurriſſet. Nunc enim ſic interpretor, *Paulum* hîc non loqui de infantibus, qui tum temporis, ut arbitror, non ſolent baptizari, ſed de adultis, ut fere facit ubique. Id ipſe etiam ſermonis tenor facit probabile. In tertio Capite, *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*, non poteſt ad originis peccatum referri. Similiter quæ præceſſerunt in primo & ſecundo Cap. quo exprobrat Gentibus ſua flagitia. Nec alio pertinet quod in utroſque colligit: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Nec in quarto Cap. quicquam eſſe videtur, quod ad originis peccatum attinet, cujus hæc eſt clauſula: *qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit pro juſtificatione noſtra.* Hanc clauſulam cum excipiat hic ſermo: *Juſtificati igitur ex fide*, &c. perſpicuum eſt & hunc ad peccatum actionis pertinere. Quodque mox ſequitur, *pro impiis mortuus eſt*, non poteſt ad infantes referri, qui juſtitia vacui dicuntur, impii dici non poſſunt. Itaque cum hactenus tota diſputatio tractarit de peccatis perſonalibus, & huic annectatur: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum*, nonne durum videtur ſubito tranſitum eſſe ad aliud peccati genus? Nec hîc quicquam eſt, quod adigat nos ad ſenſum de peccato originis, niſi hæc particula, *in quo omnes peccaverunt. Per unum enim hominem peccatum venit in mundum*, qui peccandi primus fuit auctor, & ad peccandum pronos genuit, gignitque. Jam quantum habeat momenti *in quo*, puto ſatis declaratum. Oſtendimus autem *Origenem* interpretari de peccato, quod iſti perſonale vocant. Quid autem ſibi voluerit *Ambroſius*, cum ait, *Ut* Adam *peccavit in omnibus, ita* Chriſtus *vicit in omnibus*, aliis diſpiciendum relinquo. Nam ſi dicti ſumus peccare in *Adam* quemadmodum ille peccat in nobis, obſcuriſſimus eſt ſenſus. Mox in his, quæ ſequuntur, & lectio & interpretatio variat. Prior pars, *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet*, videtur de commiſſis noſtris agere. Utcunque mox detorquet locum *Chryſoſtomus*, à quo verba quædam decerpſit *Auguſtinus*, appellans illum *Joannem* Epiſcopum, nec addidit cognomen, quod jam Sede pulſus eſſet, licet non eraſus ex Epiſcoporum catalogo. Certe quæ deinde ſequuntur commodiſſime quadrant in peccatum actionis. Ubi eſt igitur, quod hîc nos cogat Scripturam hanc ad originis peccatum detorquere? Verùm *Auguſtinus* ſic contendit intelligendum. Quid hoc ad *Pelagianos?* Ita præcepit Concilium *Milvetanum*. Ne hoc quidem illos movet. Nobis non eſt opus hoc loco, qui decretis Eccleſiæ contenti, vel ſine Scriptura credimus. At fruſtra baptizantur parvuli ſi peccatum non habent. Hoc à me nuſquam dictum eſt. Quamquam

qua-

Digitized by Google

quale sit hoc peccatum, nondum satis convenit inter Scholasticos. Ego puto in infantibus esse, quod abluat aquæ sacramentum per fidem Ecclesiæ. *Non potest*, inquit, *hoc aliunde doceri.* Falsum est. Non pōtest perinde efficaciter. Mihi secus videtur. Quod si hîc non est fas culmum latum ab *Augustino* discedere, cur Theologi mitius loquuntur de damnatione infantium, quàm loquitur *Augustinus*, qui in libro *de Fide* ad *Petrum* ait, *eos, nisi renascantur, æternis ignibus exurendos?* Quamquam hoc Opus non videtur *Augustini*, licet hinc multa citentur in sententiis Theologicis ac decretis Pontificum. Nam ille multa dura scribens de parvulis, frequenter tribuit illis interitum, damnationem, exitium, negat eos salvari, æternis ignibus exuri nusquam dicit, quantum ego sane memini. Hæc diximus non quod dubitandum sit esse peccatum aliquod originis, quod absit, aut quod hic locus non possit complecti peccatum originis, sed quod non sit necessitas hîc admiscere peccatum originis. *Origenes* pluribus verbis testatur locum esse plenum obscuritatis, & *Paulum* indicasse quædam, quæ noluit plenius explanare. Hæc dixisse satis est ad longam & tragicam rixam.

Ex Capite Sexto ad Romanos.

Quicunque baptizati sumus in Christo, &c.

Indicaram Græcis esse *in Christum*, addens præpositionem esse ancipitem, ac recte verti *in Christo*. Hic ex Auctoribus Latinis aut Latine versis probat legi *in Christo*, quo nihil erat opus.

Si enim complantati.

Quoniam *complantati* non reperi apud Latinos, cumque verbum esset ambiguum: nam *complantantur* & quæ eodem in agro plantantur: Deinde quoniam totus sermo durior videbatur: *Complantati similitudini*, pro eo quod est, *imitatione mortis ejus*, nec minus durum quod sequitur, *& resurrectionis erimus*, eandem sententiam aliis verbis explicui dilucidius, ut ipse fatetur, & ego arbitror etiam significantius. Primum Græcis σύμφυτοι nomen est, non verbum. Nec surculus vivit aut moritur cum arbore, nisi cui est insitus. Nihil autem vetat, ex plantis in eodem agro positis, aliam vivere, aliam emori. Quid alii legant non ignorabam. Quod autem differit de emphasi vocis plantæ, ea certior est in insititiis. Nam complantata dici possunt quæ non sunt insita. Cæterum quod inseritur, aliquando non erat particeps arboris, quod tamen *Paulus* expressit verbo γεγόναμεν.

Mors illi ultra non dominabitur.

Cum admonuerim in Græcis constanter haberi κυριεύει, id est, *dominatur*, quod tamen ad omne tempus pertineat, hic ex Latinis & versis docet legi, *dominabitur*. Mira argumentatio, præsertim cum ex illorum interpretatione non liqueat quid legerint.

Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.

Hîc cum per omnia comprobet quod annotaram adversus *Laurentium* & *Fabrum*, tamen præfatur se unum tribus objici, quos συμμάχους appellat eodem animo Interpretem vellicantibus. Hoc alibi poterat præfari tempestivius. Hîc enim utriusque sententiam refello, defendens Interpretem. Nec minus intempestive adjicit collationem, ætatis præeminentiam nobis concedit: concedit & illud quod in eruditione sumus magis quam ipse nominati, in ipsa eruditione non concedit. Quin & illud donat, nos in variis studiorum generibus utcunque exercitatos, nec tamen hoc donat simpliciter, sed addit, credo. Et ne hac quoque parte videatur inferior, adjicit, *antequam me de matris utero eduxisset manus omnipotens*, quasi non habuisset obstetricem nisi Deum. Mox alia multa præfatus de divino auxilio, ut jam exspectes magnum aliquid quod omnibus objicit, nihil adducit, nisi quod ait, iis, quæ ego annotaram, nihil adjiciendum esse. Hæc me quidem nihil offendunt. At vereor ne multi non legant sine risu.

Existimate vos mortuos esse peccato.

Pro λογίζεσθε, malui *reputate*. Ait significantius esse *existimate*, quod cogitet, qui tamen manet in peccatis, sed multo magis id faciunt qui existimant, sive putant. Primum est scire, postea meminisse ac subinde in animo volvere. *Reputare*, inquit, *aliquando accipitur pro existimare.* Quid signi? *Cum dicimus*, inquit, *aliquando reputari sapientem.* Qui sic loquuntur? Olim sic loquutum est vulgus, non eruditi: ἀναλογίσεσθε, inquit, *potius respondet ei quod est reputare*, quasi semper respondeat Græca vox per omnia Latinæ. *Augustinus* & *Hilarius* legunt *existimate.* Nunquam hoc negavi. Sed illi sic legunt, hunc sequuti Interpretem, quem tamen non reprehendo, quod pro suo tempore recte loquutum arbitror.

Ut obediatis concupiscentiis ejus.

Cum idem sit sensus, cum quod dico sic in Græcis habeatur, non est quod hîc respondeam.

Gratia autem Deo.

Gratia, inquit, *Diis loquuti sunt Pagani, Deo gratias dicunt Christiani. Hoc est discrimen inter Ethnicum & pium Christianum.* Verùm cum Græci quoque dixerint χάρις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις, cur *Paulus* maluit Ethnice loqui quam Christiane? Olim populus dicebat *Deo gratias.* Quid hoc ad nos? Sed bene habent, *habeant*, inquit, *Ethnici suum Diis gratia. Nos uni Deo nostro canamus gratias, & dulcis est, eritque, cantilena hæc veris Ecclesiæ amatoribus donec perstabit in finem.* An non hæ graves Annotationes?

In eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.

Malui *traducti* pro *translati*, quam *traditi*, quod traditur homo homini potius quam rei, nec proprie sonat *tradere*, quod *transferre.*

Iniquitati ad iniquitatem.

Ut magis exprimerem progressum à vitiis in majora vitia, malui, *ad aliam atque aliam iniquitatem.* Hoc illi non placet. *Quare non vertisti*, inquit, *quod sequitur, ad aliam atque aliam sanctificationem?* Quia varia est iniquitas, virtus est simplex: deinde *Paulus* non repetit sanctificationem, cum repetat iniquitatem. Non pudet hæc prodere litteris?

Liberati autem à peccato.

Cum sæpe vertissem *liberati*, quoniam videbam *liberari* verbum esse commune multis, nam liberantur ægroti à morbo, liberamur à periculo, quod Græci magis dicunt ἀπολύεσθαι, aut ῥυθλιῶμαι, ut exprimerem metaphoram *Paulinam* de servitute & reddita libertate, semel posui pro *liberati*, *manumissi.* Dixi autem *manumissi* absolute, quemadmodum dicitur *manumisso* pro libertate recuperata. *Liberantur*, inquit, *etiam vi.* Quid refert quomodo manumittaris: utcunque dimissus, manumissus dicitur. Herus imposita manu dat libertatem. Idem facit virga Prætoris, idem facit testamentum mortui sine manu. An ipse cum me subduco à vitio cui diu servivi, non possum dici manumissus? Totus enim hic sermo metaphoris constat, servitutis & liberationis à servitute, quæ proprie dicitur manumissio.

Stipendia peccati mors.

Ὀψώνια Interpres verterat, *stipendium*, & recte. Ego ut exprimerem verbum militiæ proprium, qualibus *Paulus* solet libenter uti, pro *stipendia*, verti *auctoramenta*, nihil aliud sentiens quam quod sensit Interpres. At hic impingit mihi falsitatem, quod mors non sit auctoramentum peccati, sed peccatum potius mortis,

Digitized by Google

ac vita æterna sit auctoramentum justitiæ. Idque probat ex *Laurentio*, qui ex *Seneca* refert, *nullum esse malum sine auctoramento*, sentiens nullum esse vitium, quod non aliqua mercede sollicitet. Mors autem non sollicitat ad peccandum, sed horretur. In summa, non vult dici auctoramentum, nisi quod specie boni blandiatur. Si in hunc sensum usus est *Seneca*, an ideo non licet mihi in diversum abuti? Ipse *Seneca* quod modo dixerat *auctoramentum*, mox appellat *mercedem*, & *mercedem* hoc loco legit *Ambrosius* pro *stipendio*. Jam *stipendium* nonne sonat in bonam partem? Et tamen *Paulus* abusus est in malam, sicut fructus, præmium, pretium, honos, lucrum & merces sonant in bonum, & tamen eleganter etiam non modo Latine deflectuntur in malum. An male dixit *Terentius*, *Hic tibi ab illo habitus est honos*, quod *honos* non sonet hic quicquam appetibile? An male diceret aliquis, *hoc pro meritis meis fero fructus, quod invisus sum tuis omnibus?* An non Latine dicitur *lucrifeciſſe infamiam*, qui eam lucri loco retulit? An non allicit salarium ad militiam? Perperam igitur *Paulus* vocavit mortem *peccati stipendium*. An non allicit ad operam præstandam spes mercedis? Perperam igitur *Ambrosius* pro *stipendio* legit *mercedem*. Non hic spectatur quid expetat ille miles peccati, sed quid illi solvatur. *Sed obligat*, inquit, *auctoramentum*. *Unde* exauctorati *dicuntur, qui dimissi sunt à sacramento militiæ*. Sic obligat & *stipendium*, & *stipendiarii* aut *stipendiati* dicuntur, qui sunt recepti ad sacramentum. Et *exstipendiati* dicerentur, si Latinorum usus approbasset sicut probavit *exauctorati*. Inter *stipendium* & *auctoramentum* nihil interest, nisi quod stipendia dantur & officiis aliis, auctoramentum est proprie castrense verbum. Nec mirum si auctoramentum quemadmodum stipendium refertur ad tria, ad dantem, ad accipientem & ad operam cujus gratia datur. Hic peccatum velut imperator pro servitutis mercede rependit militi suo mortem æternam. Quid hoc juvene confidentius, qui ex hujusmodi nugis impingit talia convitia, quod verterim falsam sententiam, subinde inculcans, falsitas, falsitas, cum nesciat quid loquatur? In mea versione nulla est falsitas, sed in hujus reprehensione intolerabilis est & indocta loquacitas. *Mors*, inquit, *non appetitur*, & tamen legimus quod impii manibus & verbis accersierunt sibi mortem, & inveniſſe dicimus quod quæsierunt, qui suo vitio sibi pararunt exitium, quod ea amplexi sunt per quæ sciunt deveniri in exitium. Mirum est autem hunc tantum operæ sumere, ut nos doceat proprie loqui, cum non appareat illum in ullis probatis Auctoribus Latinæ Linguæ versatum esse. Reliqua, quæ argutatur, commemorare nec libet, nec est operæ pretium. Non perinde miror, quod juvenis rapitur gloriæ studio, magis miror hujus sodales, quibus applaudentibus & adjuvantibus hæc emittit in lucem, magno, ni fallor, totius Ordinis dedecore. Quare posthac carptim ad quædam respondebo.

EX CAP. VII. AD ROMANOS.

Vivente viro alligata est legi.

Hic quo tueatur Interpretem vult dativum ζῶντι ἀνδρὶ verti in ablativum absolute positum. Atqui genitivus Græcis ita verti solet, dativus interdum in ablativum instrumenti, quemadmodum hic ponitur νόμῳ, ablativum absolute positum nunquam. Reliqua, quæ memorat, sunt meræ næniæ.

Si mortuus fuerit vir ejus. Soluta est à lege viri.

Indicaram *viri* in Græcis codicibus non repeti, subindicans tamen in quibusdam addi ἀνδρός. Hic objurgat me quod in mea versione non addiderim ἀνδρὸς, cum è regione Latine sit *viri:* ac flagellat oscitantiam meam, qui mea Græca cum Latinis non contulerim. At ego, præclare juvenis, illud ἀνδρὸς arbitror additum à Græcis, qui post initam cum Romana Sede concordiam, suos codices ad Latinorum Exemplaria castigarunt. Cur ergo, inquiet, addidisti vertens? Quoniam vis ejus nominis latebat in articulo τῷ: loquitur enim de ea lege, quam prius dixerat, hoc est, de lege sive jure maritali.

Ut sitis vos alterius.

Indicaram *vos* supereſſe apud Latinos. *Verùm est in Paulo*, inquit, *εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς*. Sed apud Græcos γενέσθαι non exprimit personam, quemadmodum apud Latinos *situ*. Bella Annotatio!

Nunc autem jam non ego.

Hic cum defendam Interpretem, tamen non abstinet à convitio, dicens me non minus belle posse tueri Interpretem, si huc animum adjecero, quam hactenus reprehendi. Quasi hoc studio mihi fuerit Interpretem reprehendere, aut quasi contumeliosum sit in eo indicare sermonis vitia, qui non Latine, sed vulgata Lingua scripsit promiscuæ multitudini.

Sed peccatum ut appareat peccatum.

Apud nos ordo non offendit, eo quod Interpres participium Græcum, κατεργαζομένη, vertit in verbum *operatum est*, sed præter Græcæ lectionis rationem, nisi distinguas quemadmodum indicavi. *Theophylactus* Græcus apud me non est, *Chrysostomus* hanc particulam *operatum est* dissimulat, & aliàs minimum occupatus in excutienda sermonis ratione. Hunc autem induxi sensum: *Quod ergo bonum est*, nimirum lex, *mihi factum est mors?* Non lex genuit mortem, sed peccatum induxit mortem, ut perspicuum sit, peccatum in nobis gignere mortem per occasionem legis. Cur id passus est Dominus? Ut dum peccatum opposita lege non sanatur, sed magis irritatur, morbus dissimulari non possit propter insignem evidentiam mali. *Origenica* interpretatio, quæ peccatum vertit in Diabolum, coactior est, hanc tamen sequitur *Ambrosius*. Cui placet altera lectio medeatur incommodo Græci sermonis quod indicavimus. Nos Græcorum distinctionem lectori commonstravimus.

Gratia Dei per Jesum Christum.

Illud constat *Chrysostomum* & legere & interpretari διχαείσῳ, & hunc sequutum *Theophylactum*, cum tamen interim gratiæ faciant mentionem, eo quod nullus agit gratias, nisi pro beneficio: nam pro debito non aguntur gratiæ. Proinde quæ producit ex *Origene* Latine verso, & ex *Ambrosio* aliisque Latinis, nihil contra me faciunt, cum nomen gratiæ sit in verbo. Quod argumentatus dixi in *Paulum* non competere, *liberabit me*, qui liberatus erat, in fine declaro juxta quem sensum possit competere. *Ambrosium* pro nobis facit, cum ita loquitur de beato *Paulo: Nec enim in carneo corpore positus de eo ipso ereptum se diceret, sed hoc corpus dixit*, &c. Atqui si gratia Dei respondet illi verbo ῥύσεται, *Paulus* juxta *Ambrosium* non dixit se liberandum, sed liberatum. Cæterum qui dicit διχαείσῳ, sive χάεις θεῷ, declarat se gratia liberum esse. Nec aliter legisse *Origenem* vel illud arguit, quod addit, *De quantis nos malis, & de quantis mortibus nos* Christus *eripuit*. Quod autem adfert de mutata persona meus reprehensor, non intellexit. Interrogationem, *Quis me*, & *Origenes* tribuit homini imperfecto, cui adhuc grave certamen est cum vitiis & concupiscentiis, quod non putat in *Paulum* perfectum competere. Cæterum quod sequitur, *Gratias ago Deo*, vox est perfecta, eoque vult *Origenes* ad Apostolicam auctoritatem pertinere, quod qui gratias agit, jam fatetur, se liberatum à corpore mortis. Eadem ratione quæ multa *Paulus* supra commemorarat, de lege mortis, de necessitate peccandi, de concupiscentia, non vult sub Apostoli persona dici. Ex his liquet hunc juvenem non percepisse, quod *Origenes* annotavit de mutatione personæ. Ubi nunc est, quod hic reprehensor triumphans sta-

Digitized by Google

ſtatim, objicit mihi verborum calliditatem, dolum & falſitatem? Quam turpe eſt inſultare alteri, cum interim ipſe non intelligat, neque quod dicit, neque quod legit.

EX CAPITE OCTAVO.

Liberavit me à lege peccati & mortis.

Lex apud Latinos aliquando ſonat præſcriptum, aliquando conditionem, ut *hac lege tibi ignoſco.* Νόμος Græcis interdum ſonat *præſcriptum*, interdum *morem* ſive *conſuetudinem*, quæ nonnunquam legis vim obtinet. At *Paulus* ex Hebræi, ut arbitror, idiomatis proprietate nonnunquam uſurpat legem pro præſcripto, ut cum dicit *legem Moſi*, aut *legem naturæ*: nonnunquam pro jure præſcribendi, ut cum dicit *à lege viri*, & *legem peccati*. Ut enim Rex & Dominus habet jus præſcribendi quæ velit civibus ac ſervis ſuis, ita peccato, cum ait illud regnaſſe, & dominari, tribuit legem, hoc eſt, jus præſcribendi. Id volens admonere lectorem, hîc verti, *à jure peccati*, quod lex non æque molliter cohæret cum morte, quæ nihil præſcribit, niſi coacte mortem interpreteris Diabolum. Nec ideo cætera loca male reddunt legis nomen, ſed per hanc varietatem rectius intelliguntur.

Qui vero ſecundum ſpiritum ſunt.

Cum *Laurentius* pronuntiet Interpretis varietatem, & intempeſtivam eſſe & indecoram, tamen mecum litigat, quod idem aliis verbis dixerim, putatque Interpretem illum virum admirandum, licet omnibus ignotum, intolerabili affectum contumelia, quod ſcripſerim ab eo ſermonis varietatem affectatam præter cauſam. Nec enim de ſententia, ſed de ſermonis proprietate quæſtio eſt. Nec tamen cauſam adfert quare Interpres mutarit hanc Græcam vocem. Multa vero congerit ex Latinis Auctoribus aut Latine verſis, in quibus nullum habeatur diſcrimen inter *ſapientiam*, *prudentiam* & *ſenſum*, quæ non multum adverſus nos faciunt. Sed illud inexcuſabile, quod ipſe impingo in idem crimen, quod impingo Interpreti. Cum enim vertiſſem φρονεῖν *curare*, mox φρόνημα verto *affectum*. Sed meæ varietatis poſſum cauſam reddere, reddat ille cauſam varietatis quam amavit Interpres, quando illi non placet, *affectavit*. Quod φρονεῖν indicat aliquando *curare*, declarant hinc profecta, φροντὶς & φροντίζειν. Sed cur, inquit, mox φρόνημα vertis in *affectum* potius quam in *curam*? Quoniam *affici his quæ ſunt carnis* dure dicitur Latine. *Curare* molliter & uſitate, at *cura carnis* & *cura ſpiritus* non ſolum dure, verum etiam ambigue dicitur, *affectus* contra mollius & aptius. Hic ſcilicet ex *Laurentio Valla* docet nos quid interſit inter *affectionem* & *affectum*: *affectus* enim dici, quæ Græci vocant πάθη. Ita prorſus diſtinguunt Latini, quoties tractant Græcam philoſophiam. Nihil tamen obſtat nobis quo minus Latine dicamus *pium affectum erga Deum*, *erga patriam*, *erga liberos*, cum hic affectus non ſit in infima animi parte, ſed in ſumma. Proinde mihi placuit verbum, quod ad utramque animi partem pertinebat, ſpiritum & carnem. Jam *Origenes* Latine verſus nec bona fide verſus, (nam Græcus interdum citat Latina) non video quid certi nos docere poſſit. *Auguſtinus*, ut ipſe fatetur, pro me facit. *Ambroſium* vero hîc Interpretis more loqui, nihil mirum, cum id faciat frequenter. Atque ut *ſapere Seneca* plus eſt quam *intelligere*: ſapit enim qui amat quod intelligit, ita *ſapientiam* nuſquam invenies poſitam pro *affectu*. Quanquam juxta *Stoicos*, nemo vere ſapiens eſt, niſi accedat ſapiente dignus affectus, etiamſi quidam illorum nullos admittunt affectus. Et μέγα φρονεῖν dicuntur, qui ſuperbiæ & arrogantiæ laborant affectu. Ita qui carnem accipiunt pro craſſiore animi parte, quod obiter indicat & *Chryſoſtomus*, ſpiritum pro ſublimiore, nihil contra me faciunt. Nam voluntas rationi obtemperans amat æterna, ad carnem ac res corporeas ſeſe demittens, amat non amanda. Uterque tamen affectus eſt in ea parte animi, quæ dicitur voluntas. Nec perpetuo verum eſt, ſapientiam dici Græcis, quæ virtuti conjuncta eſt. Sæpe peritum artis illi σοφὸν vocant, & *Paulus* nominat ſapientiam hujus mundi. Ad hæc, Rhetores negant quenquam eſſe bonum oratorem, qui idem non & intelligat honeſta & amet, non tamen ideo Rhetorica ſignificat intelligentiam & amorem honeſtorum. Sed *Origenes*, inquit, affectum carnis interpretatur carnalem legis intelligentiam, affectum ſpiritus ſpiritualem. In hoc ille ſolet libenter philoſophari, vir infenſior litteræ quam ſat eſt. *Ambroſius* utrumque complectitur & affectus & intelligentiam. Nec mirum ſi Interpretes utrumque attingunt verbis, cum res inter ſe cognatæ ſint: nam depravatus affectus fere naſcitur ex depravato intellectu, & contra: eoque *Judæi* quoniam affectus habebant rebus corporeis deditos, craſſiorem Legis partem tantummodo amplectebantur, & quod eſt ſpirituale carnaliter intelligebant. Poſtremo fateor Græcam vocem, φρονεῖν & φρόνημα eſſe ancipitem. Ad hæc cum *Origenes* hanc partem referat ad ea quæ ſuperius diſſeruit, de lege mentis, de lege membrorum, de lege peccati, conſtetque legem peccati & membrorum eſſe concupiſcentiam, non apte cohærent, ſi hîc excludas affectus carnis.

Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis, &c.

Demiror in hoc juvene tantam aliena carpendi libidinem: Primum queritur ſublatam ſententiæ plenitudinem. Quam plenitudinem hic nobis ſomniat? cum non ſit niſi unicus ſenſus hujus loci, *Chriſtum* veniſſe tanquam hominem peccatorem, cum eſſet immunis ab omni peccato. Nec enim hîc aliud ſonat *caro peccati*, quam homo peccator. *At ſub ſpecie*, inquit, *venire poteſt aliquis, quæ falſa ſit: veluti* Chriſtus *nobis venit ſub ſpecie panis, cum illic re vera non ſit panis.* Probe, ſimiliter *Chriſtus* venit ſub falſa ſpecie hominis peccatoris, dum tingitur, dum eſurit, dum damnatur, dum moritur. *Hanc*, inquit, *veritatem ſimilitudinis non exprimis verbo ſpecie.* Imo ὁμοίωμα, quod hîc ponitur, ſolet frequenter ſonare falſam ſimilitudinem, non veram, velut hujus Epiſtolæ Cap. 1. *In ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis*: neque enim Statuæ re vera ſunt homines. Quod autem *Eutychiani*, qui negant *Chriſtum* fuiſſe hominem, confeſſuri ſunt *Chriſtum* veniſſe *ſub ſpecie carnis peccati*, *in ſimilitudine carnis peccati* non item, merum eſt deliramentum. Quî namque fieri poteſt, cum verbo ſimilitudinis decepti ſint, ut negarent *Chriſtum* eſſe verum hominem? Cum *Mercurius* dicitur apparuiſſe *Batto in ſpecie hominis*, utique falſa, nonne dici poteſt apparuiſſe *ſpecie hominis*? Et filius, qui refert ſimilitudinem patris, nonne refert & ſpeciem? Ut eſt falſa ſimilitudo, ita eſt vera. Idem de ſpecie dici poſſit. *Sed ſpecies*, inquis, *ſonat quiddam apparens*, *præter verum.* Tanto magis congruit huic loco, ubi negatur veritas carnis peccati. Ait hoc loco excludi hæreticos *Eutychianos.* Id falſum eſt, imo hoc loco ſeſe tuentur *Eutychiani.* Sed illos excludit Veterum enarratio, qui docent hoc loco non negari ſimilitudinem naturæ humanæ, ſed ſimilitudinem hominis obnoxii peccatis. Et idem dixiſſent, ſi legiſſent *in ſpecie*, ſive *ſub ſpecie.* Quid hac calumnia indoctius? Ubi eſt igitur iſta ſententiæ plenitudo, quam queritur imminutam, ubi ſubtractum aliquid de aſſertione catholica? Tam ſupercilioſus cenſor tam trivolas effutit næniias, atque etiam in litteras mittit.

Sapientia carnis inimica eſt Deo.

Græci codices ſummo conſenſu habent ἔχθρα, non ἐχθρὰ, idque ut eſt ſignificantius ita & vehementius eſt, quemadmodum vehementius eſt, *hic eſt peſtis mea*, quam *hic eſt mihi peſtilens:* præterea reſpondet idiomati Hebraico. Ad hæc, ſi legas *inimica*, non perinde quadrat quod ſequitur, εἰς τὸν Θεὸν, ſatis erat, τῷ Θεῷ. Poſtremo concinnius abſtractum abſtracto redditur,

Digitized by Google

Sapientia & *inimicitia*. Porro cum ſenſus ſit idem, quî probat ex Auctoribus Latinis aut Latine verſis, quid legerint?

Spiritum adoptionis filiorum Dei.

Cum hîc non reprehendam Interpretem, ſed excuſem potius, cumque cenſor ex Annotatione mea doceat nos ſecundum Jureconſultos, etiam nepotes adoptari, quod annotaram adoptionem filiorum non uſitate dici apud Latinos pro eo quod ſentit Interpres, hic *ſatis procaciter hoc*, inquit, *plane ſicut evidens cavillum agnoſco*, &c. Nonne hoc à tali nimium procaciter dictum videretur, etiamſi vere deprehenſus eſſem in errore? Nunc cum non intelligat neque quid ego loquar, neque quid ipſe, quale ſpecimen eſt modeſtiæ? *Sic enim*, inquit, *dicitur adoptare filium, ut dicitur creare conſulem aut imperatorem.* At hujus formæ debebat ſaltem unum proferre exemplum. Verùm ut demus Latine dici, *adoptavit ſibi filium*, quis dixit *adoptio filiorum?* pro eo quod erat *adoptio in jus filiorum.* Nam Jureconſulti ſic loquuntur, *ſibi filium per adoptionem* vel *arrogationem facit*, & *licet in locum neptis adoptare.* Pater filium ſuum, vel nepotem ſuum dicitur dare in adoptionem. Qui adoptat, adoptat filium aut nepotem, ſed alienum. Ut autem filius alterius adoptari poteſt in nepotis locum, ita nepos adoptari poteſt in locum filii. Ita loquuntur Jureconſulti, quos vult videri legiſſe. Itaque quoties Latinis dicitur *adoptio filiorum*, intelligitur adoptio filiorum alienorum, cum hi non ſtatim fiant filii adoptantis, ſed interdum nepotes aut pronepotes. Hoc oportuit diſcere modeſtiſſimum juvenem antequam tanto ſupercilio pronuntiaret evidens cavillum. Ad hoc orationis incommodum vitandum, verti cum *Auguſtino*, *ſpiritum adoptionis. Non eſt*, inquit, *plena ſententia.* Imo pleniſſima. Nam adoptio per ſe poſita, cariſſima intelligitur, & ea, quæ ſequuntur, indicant Apoſtolum de adoptatis in filiorum locum ſentire. Si me in ſimili deprehendiſſet errore, quando faceret jurgandi finem?

Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit.

Quoniam Græce eſt συμμαρτυρεῖ, explicare volens vim conjunctionis συν, poſui veluti duo teſtimonia. Hic ex Theologiæ myſteriis oſtendit unicum eſſe teſtimonium, non duo. Vult præpoſitionem eſſe ſupervacaneam. Si plures teſtes idem teſtentur, unicum eſt teſtimonium, quod idem loquuntur, tamen Latine dicentur multa teſtimonia, quod à diverſis reddita ſint. Noſtri ſpiritus infirmum eſt teſtimonium, niſi accedat teſtimonium Spiritus, & hujus præpoſitionis vim indicant interpretes, cum dicunt Spiritum Dei confirmare ſpiritum noſtrum. Confirmatur autem illud, cui robur additur. Quid autem vetat quominus dicatur mutuum teſtimonium ſpirituum, quemadmodum dicitur mutua caritas Dei & hominis, cum à Deo proficiſcatur quod illum redamamus? Item in malis atque imperfectis eſt aliqua caritas erga Deum, ſed imbecillis niſi confirmetur gratia Dei.

Si tamen compatimur.

Chryſoſtomus admonet εἴπερ ſæpe poni ut ſit confirmantis non dubitantis. Siquidem autem quod vertimus ad utrumque ſenſum attinet, vel ratiocinantis ſive dubitantis, vel confirmantis. Cur hic me non laudat quod ſervarim latitudinem ſententiæ, & cum Interprete litigat, quod anceps Apoſtoli verbum ad unam adſtrinxerit ſententiam? neque enim εἴπερ apud Græcos ſonat, *ſi tamen.*

Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ.

Λογίζομαι verto *perpendo.* Hic docet nos Græcam vocem propriiſſime ſonare, *exiſtimo*, nec poteſt unicum proferre locum ex Auctoribus, ubi ſic accipiatur, tantum præcipit. Atqui ſi λογίζεσθαι non ſonat *in animo volvere*, peccavit Interpres, qui ad *Philipp.* IV. ταῦτα λογίζεσθε vertit, *hæc cogitate.* Sed in animo verſare poteſt etiam impius. Ita poteſt exiſtimare impius. Sicut exiſtimat, imo credit Satanas. Nec *Paulus* Philippenſibus ſcribens, ſcribit impiis, ſed ſanctis, quos vult id, quod audierunt & crediderunt, in animo volvere ne excidat. Quod ſi hîc *Paulus* loqueretur de perſuaſione fidei, nimirum diluto verbo fuiſſet uſus, *exiſtimo*, quod nihil aliud ſonat quam *opinor.* Eſt certa opinio, ut ſit, tamen verbum eſt anceps. Hîc vero quoniam *Paulus* meminerat de imitatione paſſionis *Chriſti*, ut adverſus imminentia mala ſuo exemplo confirmet illos, quaſi rationem ſubducit, conferens modum afflictionum & magnitudinem præmii: indicatque mala videri levia, ſi reputemus in animo, pro temporariis malis nos recepturos æterna gaudia.

Quæ revelabitur in nobis.

Εἰς ὑμᾶς, falſus ſum Græcam præpoſitionem eſſe accipitem, hoc dicto excuſans Interpretem, ego tamen indicans alteram lectionem verto, *erga nos.* *Gloria*, inquit, *Dei potius revelabitur erga impios;* imo potius *contra impios.* *Erga te* fit, quod fit tuo bono. Cur hîc non conſuluit ſuum *Vallam*? Nec illa gloria, qua beati erunt pii, revelabitur impiis, quanquam viſuri ſunt in quem compunxerunt. Non contendo alterum ſenſum eſſe malum.

Nam exſpectatio creaturæ.

Ἀποκαραδοκία, ex auctoritate Græcorum ſcholiorum verti, *ſollicita exſpectatio*, quemadmodum interpretatur *Chryſoſtomus* ac *Theophylactus.* *Verùm alii*, inquit, *interpretati ſunt longinquam*, *alii frequentem.* Fateor, ſed Latini.

Omnis creatura ingemiſcit.

Συστενάζει, συνωδίνει, præpoſitiones indicant creaturam una nobiſcum ingemiſcere. Cum conſtans ſit Græcorum conſenſus, cum ſenſus ſit aptus, quid attinebat recenſere quid legiſſent Latini, aut Latine verſi? Probat verſionem Interpretis, nec eam nos improbamus, niſi quod diſſimulata eſt vis conjunctionis: quam nos ſtuduimus exprimere.

Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.

Cum conſtet in Græcis haberi *infirmitates*, nihil pecco qui hoc indicarim ac verterim: quid legant Latini, aut Latine verſi, mea nihil refert. Nec tamen damno quod vertit Interpres. Nam apud *Chryſoſtomum* poſt reperi numerum ſingularem, ſed gignendi caſu. Atqui συν requirit dativum, ut intelligamus Spiritum noſtro ſpiritui conanti, eſſe auxilio veluti porrecta manu, niſi intelligamus & alium auxiliantem præter Spiritum.

Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus.

Τὸ φρόνημα verti pro *affectu* ſive *ſenſu*: ac ne quis putaret *ſenſum* pro *affectu* non dici Latine, in Annotatione cito illud *Terentianum*, *ego illius ſenſum pulchre calleo.* Hic miro ſtomacho docet affectum eſſe carnis, nec competere ſpiritui. Itaque poſthac pius affectus in Deum non dicetur affectus, & cum *Chriſtus* misereretur turbæ non dicetur fuiſſe affectus: multaque rixatur de vafro, nequam, carnali, & petulanti affectu ſervi *Terentiani*, cum ibi ſervus loquatur de ſenſu ſenis, quaſi nos non iiſdem verbis loquamur de Deo, quibus loquimur de ſceleratiſſimis hominibus. Leno gignit filium ex inceſto, & Deus Pater gignit Filium: & perditus adoleſcens amat ſcortum, & Deus amat Filium ſuum. O graves Annotationes, ad quas convocavit *Laurentium*, *Fabrum* & me! Nam probabile eſt illum hæc nos docere velle, quibus ſe facit loquentem, cum in his tam multa ſint puerilia, multa indocta, multa abſurda. Latine pronuntiat Græca, eaque interpretatur, nobis loquens, quaſi neſciamus legere Græce. Ad iſtiuſmodi nugas poterat alios adſciſcere diſcipulos.

Quos

Digitized by Google

Quos autem justificavit, illos & magnificavit.

Δοξάζω pro *honorifico*, pro *clarifico*, *illustro* & *glorifico* legimus, pro *magnifico* nusquam apud Latinos. Tametsi verum est magnifieri, qui glorificatur.

Quis accusabit adversus electos Dei?

Hîc libuit ridere juvenis hujus non simplex ingenium. Cum *Faber* inexcusabiliter & reprehendat Interpretem, & Apostoli verba detorqueat in absurdum sensum, tamen illum molliter tractat, docens illum suo nomine quæ nos in Annotatione commemoramus, quemadmodum mox omnia quæ me docet mutuatus est ex Annotatione mea. Verùm quoniam dixeram in templis recitari pronuntiative, eamque pronuntiationem habere sensum blasphemum: id fatetur esse verum, juxta distinctionem *Augustini*. At ego post indicatam *Augustini* distinctionem, & ita pronuntiantium intelligentiam, subjicio hoc dictum: *Nec ego semel audivi pios viros querentes de hac distinctione.* Quotus enim quisque intelligit subaudiri verbum? *Christus est is qui mortuus est*, quod nisi subaudiatur, manet sensus blasphemus. Hîc post longam & atrocem rixam, cum in *Fabrum* vere peccantem fuerit tam lenis, docet me ex *Origene* alteram commodiorem lectionem, quam ex Annotatione mea didicit. Modestiæ specimen! Nec ego Patres, nec Ecclesiam insector, sed admoneo recitantes in Templo. *Ego puer*, inquit, *intellexi hanc sententiam.* Hoc an sit verum nescio, fortasse jam tum erat afflatus Spiritu, quem sibi tribuit in Psalmo, quo præfatur in Elucidationes. Pauci attendunt, plures non intelligunt, aut si intelligunt, sciunt perperam pronuntiatum, aut aliqua subaudienda, *est*, & quod ante præcessit *quis accusabit, quis condemnabit? Origenis* quidem sententiam ipse sequutus sum, quæ tum arridebat, sed tamen interim durior est hæc ex superioribus repetitio, duntaxat quod ad sermonis ordinem pertinet. Nam sensus egregie quadrat. *Interpres*, inquit, *recte omisit* est, *quod in Paulo non est.* Imo est, egregie rixator, in articulo, Χριστὸς, ὁ ἀποθανὼν, id est, *Christus est qui mortuus est*, & cætera: eoque falsum est, quod dicit hunc sermonem nihilo plus habere difficultatis quam habeat Græcus. Sed isti mos est omnia velut è tripode pronuntiare, cum tam male sit instructus his litteris, quæ requirebantur ad hoc negotium. *Interpres*, inquit, *non peccavit*, quasi ego illum accusassem.

Sicut scriptum, quia propter te mortificamur.

Indicaram ὅτι apud Græcos aliquando non sonare causam, sed affirmationem, & juxta Græcorum morem tunc loquebatur vulgus: nunc si quis velit Latine loqui, omittendam esse conjunctionem. Hîc denuo mecum rixatur ineptus, producens Ecclesiasticos bene Latinos, qui sic loquuntur. Fateor cum tractant Scripturam, atque id temporis sic loquentes intelligebantur à populo. Atqui cum suis verbis sua explicant, quæso te an sic loquuntur, *Scriptum est in Euangelio, Quoniam filius hominis vadit sicut scriptum est de eo?* Vix unquam hoc comperies. Et si comperiatur, quis nunc, nihil aliud sciens quam Latine, aliud intelliget ex his, *Scriptum est quia mortificamur*, nisi ob id illud scriptum esse, quod nos mortificamur. Laudat *Fabrum*, quod reliquerit *quia*. Non mirum, cum ille suis verbis quam maxime rhetoricans, non raro committat solœcismos. Quod si nobis non licet annotare sermonis integritatem, præter Veterum consuetudinem, cur non ubique litigat, quoties id facio? *Relinque*, inquit, *Interpreti suum ὅτι*. Sentis-ne, confidentissime juvenis, quid loquaris? Non dixi ὅτι eradendum, sed non fuisse vertendum. Græco sermoni non supereſt, Latino supereſt. Et hic est ille egregius magister, qui docet nos circumspecte loqui.

Ex Capite ix. ad Romanos.

Testimonium mihi perhibent.

Quoniam est συμμαρτυρέσης, ut exprimerem vim præpositionis, addidi *simul*, ut testimonium conscientiæ accedat testimonio vocis. Ait neminem hoc annotasse. Nec mirum, cum idem sit sensus.

Et obsequium.

Λατρεία, nullus unquam Latine loquens vertit *obsequium*. *Culturam* vertit *Horatius*. Nam *obsequium* proprie dicitur, cum alienis moribus ac voluntati morem gerimus, quod sæpe sonat in malam partem. *Cultus* autem proprie de sacrificantibus dicitur. Quis autem nesciebat priscos Ecclesiasticos usurpare *obsequium* pro *cultu?* Differentia, quam adducit inter *cultum* & *obsequium*, merum est somnium. Alio colore poterat excusare Interpretem, quod id temporis vulgus hominum, cultum dixerit obsequium.

Qui est super omnia benedictus Deus.

De hoc loco cum toties responderim & *Leo*, & *Stunica*, & *Hispaniensibus* delatoribus, tamen hic totam rixam nobis renovat, ut expleat chartas. Nam hoc apparet illi maxime fuisse studio, ut volumen redderet amplum. Subinde quidem blandius appellat me, *Desideri carissime*, *Desideri amicissime*, sed tota concio plena est atrocissimis contumeliis. Aperio rimas, quibus elabatur hostis, extorqueo gladium Ecclesiæ, quo jugulaturus erat hostem, mihi non alia debetur gratia, quam quæ proditori patriæ, adfero malitiosas, vafras, callidas inventiunculas, adfero fictas, frivolas, & astutas excusationes, quibus non aliter expurgatus sum quam sus reversa in volutabrum luti. Quid non? Ad satietatem usque debacchatur, & tamen sum in Domino carissimus, Deo teste & omnibus Sanctis. Nihil autem est tam minutum ut non exaggeret, dicas factum ad calumniam. Ingens vero discrimen Ecclesiæ, quod indicarim apud *Cyprianum* non addi *Deus*, cum ipse similem locum indicet in *Hilario*. Maluit augere discrimen, quam videri hoc ignorasse. Irascitur quod dixerim videri incuria Librariorum omissum, debebam asseverare, debebam corrigere locum. Asseverare quod non possis docere temeritatis est, & in libris Veterum mutare locum, nullo exemplari suffragante, parum religiosum est. Et hac in parte quidam sibi nimium permittunt ac permiserunt in Scripturis etiam canonicis. Cæterum quid erat periculi, si fuisset omissum *Dei* nomen? An est aliquid super omnia præter Deum? Quam autem Ecclesiæ proditionem nobis somniat iste, si indico quem sensum reddant verba Græca *Pauli*? Quanto gravius imminet periculum Ecclesiæ, cum *Scotus* subtilissimis argumentis impugnat receptissima Ecclesiæ dogmata, eaque parum firmis rationibus diluit? Illa adferuntur ad constabiliendam fidem, ego si quid annoto tribus verbis prodo Ecclesiam hæreticis. Qui profitetur Annotationes circa lectionem, an non debuit harum rerum admonere? Sed Doctores ita interpretantur, & ego sensum amplector, quod si putent ex hoc loco non posse elabi hæreticos, nisi rimas aperuissem, res ipsa reclamat. De Coronide adjecta rejicio, ex consensu codicum. Quod ad hunc locum attinet ipsa res loquitur, verba *Pauli* nullum sensum evidentius reddere, quam hunc: *Deus, qui est super omnia, sit benedictus in secula.* Cui precationi accinitur, *Amen.* Sed hoc erat, inquiet, dissimulandum. Quid? an fucis est defendenda veritas Catholica? Et si dissimulandum erat, cur isti exagitant, efficiuntque ne quis ignoret? Jam si nihil hîc reprehendunt nisi futilitatem, cur contendunt non aliter posse intelligi? Quanquam hîc dogma Ecclesiasticum nihil periclitatur, cum & Scripturæ testimoniis, & auctoritate Ecclesiæ sit abunde comprobatum. Proinde tota hæc querimonia plena calumniæ est, & ad mihi conflandam invidiam exaggerata. Si verum est hunc

Digitized by Google

locum non efficaciter revincere *Arianos*, quorsum attinet asseverare quod verum non est? Nec ille excutit gladium è manibus Orthodoxi, qui monet ut pro ferula sumat lanceam, si velit hostem interimere. Nec ille aperit hosti rimas, qui monet duces ut obturent rimas, per quas hostes possint vel irrumpere vel evadere? Jam si mihi tria millia doctorum alleget, qui similiter hunc locum interpretentur, quid hoc facit ad hæreticos opprimendos, qui Scripturam habent non solum ancipitem, verum etiam probabilius reddentem eum sensum, quo non possunt opprimi? Cur adhuc consistit Ecclesia, cur in pretio est veterum Orthodoxorum auctoritas, cum Theologi plurimas illorum & sententias & interpretationes Scripturarum rejecerint, ac pro hæreticis damnarint? Cur illic non metuerunt offendiculum? Hîc ob unum locum indicatum tam atrox rixa movetur. Et si quid est offendiculi, magis imputandum est illis, qui hæc, paucis indicata doctis, suis tragœdiis exagitant. Quid hoc prodesset Ecclesiæ, si clamarem, verba *Pauli* non habere nisi unicum sensum, cum habeant triplicem, nullum tamen impium? Volebat me asseverare in *Cypriano* culpa Librariorum omissum *Deus*, cum ipse non audeat affirmare me bene sentire de divinitate *Christi*, cum tot testimonia produxerim è scriptis meis. *Siquidem*, inquit, *cor scriptis consentit.* O specimen simplicitatis! Putat hujusmodi strophas non intelligi. Verùm ne diutius immorer huic rixæ: Quod scripseram in Annotatione, *Dei* nomen apud *Chrysostomum* non addi, jam pridem correxi, & indicavi qua lapsus sim occasione: mutaturus & alia fortasse nonnulla, si hic objurgator in tempore venisset. Id cum sciret factum, tamen post longam objurgationem petit ut faciam, quasi nesciret esse factum. *Deum* nec in *Cypriano* addam, nec in *Hilario*, nisi nactus Exemplar in quo scriptum comperiam. De coronide quanquam hoc ipse statim rejeci, poterit omitti, quando video tam impendio suspicioses homines esse.

Ex uno concubitu habens Isaac.

Hîc cum *Jacobus Faber*, præterquam quod reprehendit Interpretis versionem, taxet etiam illum quod præter *Pauli* morem sit parum verecunde loquutus, cumque *Laurentius* sit auctor sententiæ, cui ego ex parte subscribo, tamen totam rixam in me torquet, in illos mitior, ut satis appareat illum nihil ex affectibus, sed ex sinceritate cordis scribere. Adducit nobis multos qui interpretati sunt *ex uno concubitu*. Verum, sed Latini, aut Latine versi, apud *Chrysostomum* Græcum nihil tale reperio. Nam *Theophylactus* Græcus nunc ad manum non est. *At bene*, inquit, *habet interpretatio, si pro κοίτῃ fœminino & accusativo, legamus κοίτης à κοίτος, genitivo masculino.* Verùm cum ea lectio nusquam reperiatur apud Græcos, an volebat nos mutare scripturam consentientem? Nec ipse vir tantus audet hoc facere. Atqui id nisi fiat, frustra illi differta sunt hæc omnia tam magnifica. Indignatur quod hunc locum notarim inter depravata, cum ipse nisi mutata Græca lectione non possit explicare nodum, & tamen perinde quasi aliquid dixerit, in fine repetit, etiam veluti triumphum agens, mihi impudentiam impingens, qui hoc ausus sim dicere. Si hunc sensum probat, *ex uno concubitu conceperat*, nec Græcus sermo patitur eum sensum, oportet aut in Græcis aut in Latinis esse depravationem. Hîc ne recedat à sententia quæ nobis non probatur, tentat mutare sermonem Apostoli. *Quis*, inquit, *unquam dixit*, cubile habere *pro* concipere? Non sic loquuntur Latini, sed probabile est ita fuisse loquutos Hebræos: & si pro κοίτῃ dixisset κύησιν, etiam juxta Græcorum consuetudinem dixisset. At rursus quis unquam dixit ἔχουσα, id est, *habens* pro *gravida?* Nam ita legat oportet, si suam tuetur sententiam. Nec *Ambrosius* hunc enarrans locum, nec *Origenes*, nec *Theophylactus*, nec *Chrysostomus*, nec *Hieronymus* scholiastes meminerunt de uno concubitu, sed ex uno patre interpretantur. Susceperat defendendum Interpretem, quid igitur stomachatur in me, quod dixi locum depravatum? nam suspicor Interpretem scripsisse *concubitum habens.* Librarios insimulo, non Interpretem. Ipse facit impudenter, qui tentat emendare Scripturam Apostolicam. Plus, ut ait, habet fidei sacris illis Doctoribus, quam mihi. Atqui necesse est ut nobis accedat, nisi corrigat, aut Græca *Pauli*, aut vulgatam Editionem, sed se mavult in omnia vertere, quam ab uno illo concubitu recedere.

Miserebor cui misertus sum.

Hîc destomachatur, quod duobus verbis indicarim parum feliciter affectatam copiam. Quin paulo ante stomachum suum effundebat in *Fabrum*, qui satis odiose notabat Interpretem, quod præter *Pauli* morem sermonem promsisset indignum castis auribus? Quid decedit Interpretis majestati, si nonnunquam præter causam delectatus est copia? Nec tamen hic potest reddere causam cur Interpres in priore parte reddiderit idem verbum, in altera non reddiderit. Et tamen cum nullam habeat causam, nec diluere possit quod objicitur, tamen adjecta sæva objurgatione, ut decet Areopagiten, producit hanc Annotatiunculam. Nec ulla tam levis occasio est, quin illi sufficiat ad rixandum cum carissimo suo *Desiderio.*

O homo tu qui es, qui respondeas Deo.

Cum sit ἀνταποκρινόμενος, dicit utrumque recte verti, *qui respondeas*, aut *qui respondes.* Atqui Græcæ Linguæ peritis perspicuum est hoc esse falsum. Falsius etiam quod rectius legatur *qui respondeas.* Quæ contra adducit ex Auctoribus Latinis aut Latine versis, nihil evincunt, quanquam nec in illorum sensu quicquam est, quod doceat legendum *qui respondeas?*

Vasa ira apta in interitum.

Hîc defendit recte verti *apta*, pro *præparata*, si participium κατηρτισμένα capiatur nominaliter. Verùm hoc nusquam reperitur, nec id sentit *Paulus*, nec perinde congruit *apta in interitum*, ac *præparata.*

Ex Capite Decimo ad Romanos.

Quod æmulationem quidem Dei habent.

Zelus Græcis varie sonat quemadmodum ζηλόω, nunc ad admirationem, nunc ad invidentiam, nunc ad æmulandi studium, nunc ad vehementem amorem, nunc ad alium pravum affectum pertinet. Unde non mirum si diversis verbis redditur, cum verbum idem declarans, interdum non eodem modo liceat reddere.

Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex Lege est.

Hunc locum notaram inter manifeste depravata, Librarios accusans, non Interpretem. Hinc rursus jurgatio, quasi læserim Interpretis auctoritatem. Utrum igitur mavult, castigare Græcos codices, in quibus nihil est hîc incommodi, an fateri locum hunc male redditum ab Interprete. Dicit Scribis imputandum. Id ego cum faciam, tamen mecum litigat.

Id est Christum deducere.

Notat quod annotarim *deducere* Græcis proprie sonare ex alto deorsum ducere, addens Interpretem vertisse *revocare*, ut tolleret quod prius erat dictum obscurius. Hîc impingit mihi mendacium, eo quod neget Interpretem καταγαγεῖν sic vertisse, sed ἀναγαγεῖν. At hic reprehensor non intellexit mentem annotationis meæ. Cum in utroque verbo sit ducendi significatio, *deducere* vero sit ambiguum; nam deducit qui officii gratia prosequitur aliquem, & deducit qui ex alto ducit deorsum: Interpres in altero verbo non ponit ducere, sed *revocare*, hoc est in altum reducere. Itaque vitavit amphibologiam etiam in priore verbo. Hic, opinor, causabitur me obscure loquutum.

Omnis

Digitized by Google

Omnis qui credit in illum non confundetur.

Scio quid *Cyprianus* & hunc sequuti multi tradant de discrimine, *credo illi*, *credo in illum*, & *credo illum*. Verùm ea sermonis forma non aliunde est quam ex proprietate sermonis Hebraici. Quemadmodum in Euangelio legimus, *Confitebor in illo*, pro eo quod erat, *confitebor illum*. Cæterum quod addit in judicio multos fore Christo fidentes, qui ibunt in ignem æternum, mea sententia falsum est, cum Psalmus pronuntiet beatos qui confidunt in Domino. Dæmones credunt, non fidunt. Cum itaque scirem *credere in illum* non esse Latinum, nec constare differentiam quam adferunt, fiduciam erga Deum non potui melius exprimere, quam per verbum fidendi.

Sed non omnes obediunt Euangelio.

Hîc rectius defendisset Interpretem, si indicasset ὑπήκουσαν esse de genere verborum, quæ sub voce præteriti significant actum vel habitum potius permanentem.

Quis credidit auditui nostro?

Hîc rursus ἐκτραγῳδίζει, quod hunc sermonem, *quis credidit auditui nostro*, posuerim inter solœcismos inexcusabiles, cum ipse fateatur alicubi & inter scripta Apostolica inveniri solœcismos. Quid est igitur quod usque adeo commovetur quoties Interpreti tribuo solœcismum? At negat esse solœcismum. Quî sic? Quoniam ἀκοὴ proprie significat *auditum*. Imo *auditus* Latinis sonat sensum aurium, quoties habetur pro nomine. Quod si ἀκοὴ nihil aliud sonat, quam *auditum*, cur Interpres quod est *Marc.* III. ἠ ἀκοὰς πολέμων vertit *rumores bellorum*, potius quam *auditus bellorum*. Sed juvenis mire modestus profitetur quod ego verum dixi, se declaraturum esse certam falsitatem, neque enim hîc esse ullum solœcismum, & viros Latine loquentes ad hunc loqui modum. Hoc posterius ut probet, adducit nobis *Ambrosium*, *Hieronymum* Scholiasten, *Origenem* versum, *Sedulium Hybernienſem*, *Hieronymum*, &c. Hic cum rhetorice exaggerasset, quantas Ecclesiæ columnas mihi produxisset, vicissim me rogat, illi Latini-ne fuerint, nec-ne? Si respondero non fuisse Latinos, omnes obturabunt aures, ac me lapidabunt. Si dixero fuisse, non potest esse solœcismus, quod loquuntur Latini. Ut adducat trecentos hujus generis multo his Latiniores quid ad me? Non negavi illos esse Latinos, sed negavi quemquam Latine loquentem usum hac forma sermonis. At cum sic loquitur *Hieronymus*, Interpretis verbis loquitur, non suis. Alioqui cum suo nomine suoque more loquuntur, quando dicunt, *Scio te non habiturum fidem auditui meo*, pro *verbis meis*? Potest & *M. Tullius* illis Latinior loqui male Latine. Quis enim negat, *Ambrosium* & *Hieronymum* alicubi loqui Latine? Jam si Latini dicuntur qui pure loquuntur, & quorum auctoritate possumus excusare solœcismum, nemo recipiet *Ambrosium*, *Cyprianum*, *Augustinum*, *Hieronymum* inter Latinos. Multa dabant auribus suorum temporum, quod hodie non est necesse. Et jam tum consenuerat eloquentia Romana. *Tertullianus* frequenter affectat solœcismos, tantum abest, ut inter emendate loquentes possit censeri. Quam vero mihi veterum scriptorum spretam auctoritatem verbis exaggerat? An ideo labascit illorum auctoritas, si simplicem Scripturæ sermonem non immutant? Hoc potius illis laudi dandum est, quod cum essent eloquentes, tamen Ecclesiastici sermonis simplicitatem non fastidierint. Postremo si tantum flagitium putat admissum, quod indico Interpretem parum Latine vertisse, quomodo non ipse veretur Apostolis & Euangelistis tribuere solœcismos? Hoc cum faciat, non putat labascere Scripturarum auctoritatem. Saltem unum locum ex probatis Auctoribus produxisset ad excusandum solœcismum, priusquam tot convitiis in me debaccharetur.

Sed appellat amicam admonitionem, cum revera sit non minus indocta quam contumeliosa rixa. Jubet hoc eradi è catalogo. Quid igitur reponam, sermonem esse bene Latinum? Id si faciam, omnes, qui Latine sciunt, dicent me impudentissime mentiri, & jure optimo dicent. Mire irascitur illi catalogo. Quin potius indignatur iis qui me seditiosis vociferationibus ad edendum catalogum perpulerunt? Nam prima Editio nullum habebat catalogum. Excuset saltem unum solœcismum, ac deinde rixetur. Quid hoc juvene confidentius, qui cum nec mea intelligat, nec quid loquatur animadvertat, tamen tanto supercilio docet nos, quod non didicit? Et has nænias appellat Collationes amicas in dulcedine spiritus.

Ego ad æmulationem vos addam.

Cum in Editione nihil offendat hîc, arrodit Annotationem meam, quod meminerit iræ, doloris & invidiæ. Plane sic est, & ita Græci interpretantur, *Judæi* & invident & indignantur Euangelii gratiam ad Gentes derivatam. Quin & olim *Judæi* baptizati, murmurabant adversus *Petrum*, quod Gentibus prædicarent Euangelium, quodque Græcorum fœminas admitterent in ministerium. Sed taxat quod ἐν οὐκ ἔθνει, verterim *in gente quæ non est gens*, nimirum explicans vim sententiæ. *Non gentem* vocat idololatras à *Judæis* despectos ac propemodum pro canibus habitos, quemadmodum *Paulus* alibi dicit *non esse*, quæ sunt contemtissima. *Sermo*, inquit, *sibi contradicit*, *esse gentem & non gentem*. Verum, nisi agnoscas tropum, quem si omittas eadem est contradictio. Cum enim de Græcis ac Barbaris loquatur, utique de gente loquitur. *Mox*, inquit, *non idem facis*, *sed vertis* gentem insipientem, non in gentem, quæ est gens insipiens. Hic nihil erat opus tropo, cum sermo sit simplex ac dilucidus, priorem partem velut exponens. O subtiles Annotationes!

Ex Capite Undecimo ad Romanos.

Non repulit Deus plebem suam.

Hîc sequor novam sententiam, quod ea mihi videbatur simplicior & accommodatior ad ea quæ præcedunt ac sequuntur. *Sed inducis*, inquit, *ab omnium sententia diversum*: fateor, sed non adversum. Nam quod illos agnovit & amplexus est, nimirum æterni fuit consilii.

Reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ factæ sunt.

Salvæ putat addendum, hoc argumento quod *Origenis* interpres meminit de servandis & non servandis. Nil mirum cum hic agat de reliquiis piorum. Quid alibi citetur non multum ad rem facit, cum Scribæ soleant ejusmodi testimonia ad vulgatam Editionem corrigere.

Alioqui gratia non est gratia.

Cum *Fabro*, qui pronuntiat Latinam versionem esse mutilam, non litigat, mecum, qui tueor Interpretem, quærit rixam, objurgans quod quemadmodum Latinam lectionem præfero Græcæ, non itidem faciam in multis locis. Atqui id facturus eram, & facio quoties videtur probabile. Addit Græca è Latinis castiganda potius quam Latina è Græcis. Si dixisset, utraque ex utrisque, tolerabile erat. Quod autem me voluit resecare à Græcis quæ judico superesse, non hanc mihi provinciam sumseram, ut Græcorum libros emendarem, nisi quis locus haberet manifestum mendum à Librariis commissum. Adjicit obiter *Aldinam* & *Hispaniensem* Editiones esse præcipuas, hoc cur admonendum putarit, non satis intelligo, nisi forte ut *Frobenianos* codices redderet minus vendibiles.

De-

Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.

Hîc cum *Jacobus Faber* præter omnem probabilitatem aut auctoritatem immutet ſenſum, κατανύξεως pro *compunctionis* vertens *repugnantis*, cum illo tamen non litigat.

Nunquid ſic offenderunt ut caderent.

Conſtat in Græcis eſſe ἵνα. Hîc debebat proferre exemplum, ubi ἵνα reſpondeat ad ὅτως. Ex Latinis aut Latine verſis nihil certi evincitur.

Sed illorum delicto ſalus.

Delictum accipitur pro leviore culpa, quæ committitur non ex malitia, ſed ex ignorantia potius aut incogitantia. Sed παράπτωμα rem quidem eandem ſonat, verùm hoc quî congruit, ut Judæorum incredulitatem, & pertinaciter ab his rejectum Euangelium appellet *delictum?* Cæterum illi lapſi ſunt veluti exciſi ex olea, ut Gentes illorum lapſu erigerentur.

Tu autem cum oleaſter eſſes.

Pro *inſertus in illis* verteram, *inſitus illis.* Ait abſurde dici, Gentes inſitas ramis fractis, itaque opus eſſe præpoſitione, *in illis*, id eſt, *pro illis.* Hoc commentum perquam durum eſt. Quis enim dixit *in illis* pro eo quod erat, *pro illis?* Verum tamen eſt Gentes inſeri in oleaſtrum loco ramorum exciſorum; ſed ramus fractus habet duas partes, alteram quæ decidit, alteram quæ manet in arbore. Nam & illa pars ramus fractus dicitur, unde aliquid deceſſit, in eos ramos fractos Gentes inſitæ ſunt.

Ne forte nec tibi parcat.

Quod *ne* refert ad verbum *time* præcedens, prædurum eſt; quod putat πῶς bene reddi per *quomodo*, id à me factum eſt, *ne qua* quod mollius eſt, quam *ne quomodo.*

Propter incredulitatem illorum.

Ego verteram *per incredulitatem illorum.* Ille mavult *propter*, quod *Propter* ſonet occaſionem, *Per* cauſam. Eam differentiam oſtendimus eſſe frivolam. *Hîc*, inquit, *nulla eſt præpoſitio.* Fateor, ſed eſt dativus inſtrumentalis, qui non vertitur, niſi vel in ablativum, vel in accuſativum addita præpoſitione *per.*

Non crediderunt in veſtram miſericordiam.

Similem dativum Græcum, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ſimiliter verti, *ex eo quod miſericordiam eſtis conſequuti.* Hîc negat Gentium ſalutem fuiſſe occaſionem Judæis deſciſcendi, ſed contra potius. Imo utraque res alteri fuit occaſio. Judæorum incredulitas locum fecit Gentibus, Judæi indignantes Gentes recipi ad gratiam, ipſis, ut putabant, proprie promiſſam, receſſerunt aut abſtinuerunt ab Euangelio.

EX CAPITE DVODECIMO AD ROMANOS.

Ut exhibeatis corpora veſtra.

Ego malui, *ut præbeatis corpora veſtra.* Hîc adfert emphaſim ex *Theophylacto* Latine verſo. Minimum intereſt, fateor, inter *præbere* & *exhibere*, nec tamen ſemper alterum pro altero recte ponas. *Exhibentur* quæ verbis promiſſa, re præſtantur, *exhibentur*, & quæ condita dum requiruntur, promuntur, ut judex *exhiberi ſyngraphas* jubet, verùm hîc non recte dixeris, *præberi*, aut *præſtari.* *Præbetur* autem proprie quod ad uſum ſuppeditatur, aut in alicujus voluntatem accommodatur. Ita *præbemus ſumtum*, & Rex amico ad bellum *præbet auxilia.* *Præſtatur* proprie quod ex fide peragitur, ut *præſtatur promiſſum*, hîc convenit cum verbo *exhibere.* Appoſitius itaque dicitur hic *præbete* quam *exhibete.* Nec proprie exhibemus acies, quas inſtruimus, ſed ſuppeditamus arma, pecuniam, machinas aut etiam viros in uſum belli.

Rationabile obſequium veſtrum.

Hîc rurſus veluti nactus campum magnificum nihil omittit, quod ad me gravandum invidia pertinet, ac tantum non de me triumphum agit. Atqui re propius inſpecta perſpicuum erit quam fruſtra hîc attollat ſupercilium & criſtas erigat. Primum innititur inani fundamento, docens *rationale* dici quod eſt particeps rationis, *rationabile* quod eſt rationi conſonum, atqui Græci, quod æquum eſt & rationi conſentaneum eſt, λογον vocant, non λογικὸν, quanquam λογικὸν dicitur non tantum quod eſt rationi conſentaneum, verum etiam quicquid ad rationem aut orationem pertinet. *Rationabile* aut minimum aut nihil differt à *rationali*, quemadmodum *æquale* & *æquabile*, *exitiale* & *exitiabile*, voce tantum differunt. Vides, lector, ſtatim ſubverſum hujus prolixæ diſputationis vel rixæ potius fundamentum. Ex Latine verſis Auctoribus nihil certo doceri poteſt hac duntaxat in parte. Illud omnium interpretatione conſtat, hîc per vivam hoſtiam excludi pecudes mortuas quas immolabant *Judæi*, & per λογικὴν excludi corporales brutorum animantium immolationes, aut certe corporum tantum. Neque enim purum eſt hoc ſacrificium, niſi & animus ſeipſum immolet, pro cupiditatibus carnalibus amplectens ſpiritualia. Jam liquet & illud *rationale obſequium veſtrum* hîc per appoſitionem annecti illis, *hoſtiam viventem*, *ſanctam*, *Deo placentem*, nec dubium eſt quin hoſtiam appellet corpus hominis vivum; vivum autem corpus hominis eſt rationis domicilium & hominis ratione præditi pars: quod ſi homo recte dicitur hoſtia viva, cur non poſſit dici *cultus rationalis?* Sed cultus eſt actio. Itidem & θυσία, & *ſacrificium*, & tamen pro re immolata recte uſurpantur, quemadmodum & *immolatio* dicitur res immolata. *Agricolatio* actio eſt, & tamen *Paulus Corinthios* appellat *Dei agriculturam:* & hominem, per quem tuti ſumus, appellamus *munimentum noſtrum.* Et rurſus Apoſtolus ſuos appellat *gaudium*, & *coronam*, & *gloriationem ſuam.* Nihil eſt igitur quod hic offendat tropus. Nec abſurdum eſt hominem dici *ſacrificium*, cum *Paulus* dicat ſe immolari pro fratribus. Fortaſſis dicet, non appellat ſe immolationem. Imo hoc exponit *Chryſoſtomus*, ζπουδὼ δὲ ἑαυτὸν ἐκάλει, id eſt, *ſeipſum vocavit ſacrificium*, ſive *immolationem.* Ita furtum eſt actio, & tamen pro re ſumitur. Nunc videamus quam magnifice præſtet quod pollicitus eſt ſe luculentiſſime declaraturum. Citaram *Hieronymum* ad *Pammachium.* Hic inſpexit locum, ac reperit hæc verba: *Hæc moneo, frater cariſſime, pietate qua te diligo, ut non ſolum pecuniam, ſed teipſum offeras hoſtiam, vivam, ſanctam, placentem Deo, rationabile obſequium tuum, & imiteris filium hominis, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* In his verbis negat quicquam eſſe quod pro me faciat. Imo hoc pro me facit, quod *Paulus* ad corpora refert, hic interpretatur, *offeras teipſum*, hoc eſt, totum hominem, nec *rationabile obſequium tuum* ſeparat à ſuperioribus, nec ſeparari poteſt. Nonne idem dicit mea Annotatio, ut intelligas ipſum hominem immolari? Rurſum cum meminit *Chriſti*, nonne ſatis declarat, quemadmodum *Chriſtus* immolavit ſeipſum, ita & nos illius exemplo debere nos ipſos præbere hoſtiam *Chriſto?* Ad *Origenem* verſum libere, multis additis, multis omiſſis, nihil hîc reſpondeo, niſi quod abſurdum eſt quod illic admiſcuit neſcio quis *rationabile obſequium* dici, de quo reddi poteſt ratio: an Judæorum ſacrificia non erant conſentanea rationi, nec poteſt de illis reddi ratio? atqui ad diſcretionem illorum, hoc dicitur rationabile: ne ad *Theophylactum* quidem, qui Græcus nunc non eſt ad manum. *Chryſoſtomus* in enarrando ſemper opponit λογικῶ, id eſt, *rationalem*, victimæ corporeæ. Sic enim loquitur: Ταῦτα γὰρ ποιῶν ἀναφέρεις λογικῶ λατρείαν, τοῦτ' ἔστιν ὐδὲν ἔχουσαν ζωματικὸν, ὐδὲν παχὺ, ὐδὲν αἰσθητόν. Id eſt, *Hæc faciens offers*

offers rationalem victimam sive *cultum, nihil habentem corporale, neque crassum, neque sensibile.* Ex his perspicuum est, quod non distinguit cultum rationalem à victima viva. Sed donemus hîc *latriam* accipi, non pro ipsa victima, sed pro ministerio sacrificandi, hoc enim subindicat *Origenes*, cum commemoratis multis affectibus improbis, in quorum singulis domandis mactamus corpora nostra, addit, *hæc autem omnia rationabilis est cultus Dei.* Ad hoc facit & Græcus articulus τῷ, ut jure quis verterit, *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, qui est cultus vester rationalis:* & rationalem vocat, quod sit animi, non tantum corporis, addens quod non sit purum sacrificium, nisi & animus offerat pro malis operibus pios affectus ac benefacta. Certe nihil est quod indicet quicquam de moderatione vigiliarum, inediarum aut similium. In diversum docet: Οὐδὲ γὰρ εἶπε ποιήσατε τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν, ἀλλὰ παράσχετε, ὡσανεὶ ἔλεγον, μηδὲν κοινὸν πρὸς αὐτὰ ἔχετε. Id est, *Neque enim dixit,* facite corpora vestra hostiam, *sed* exhibete, *quasi dixisset, nihil cum illis commune habete.* Nam victima imposita aræ tota traditur Deo. Neque quisquam Veterum interpretatur, aut saltem attingit aliquid de moderanda corporis maceratione. Nec hîc species comprehenditur in genere, sed diversum dicitur. Apostolus dicit hunc esse cultum non corporalem, sed animi, & spiritualem offerre corpora Deo, domitis affectibus carnalibus: & isti interpretantur, modum adhibendum in corporalibus exercitiis. Male igitur excusat Scholiasten & *Thomam*, quem vult videri læsum à me, quod dissentiam, quasi id non & aliis faciam locis, aut quasi solus à *Thoma* dissentiam, quasique non hoc subinde faciat Seraphicus *Scotus.* Fortasse *Thomam* fefellit, quod Gallorum vulgus *rationabile* vocat quod æquum est, & rationi consentaneum, at hic sermo non reperitur apud Latinos. Hîc dicet, In hoc certe errasti, quod dixeris hominem rationalem cultum. Ubi hoc dico? In contextu nihil tale est. In Annotationibus nihil aliud moneo, quam hoc loco ipsum hominem intelligi victimam rationalem, hoc est, non mutam, brutamve pecudem. Sed ratio immolat, corpus non immolat, nisi domitis affectibus corporis. At hi affectus sunt in animo. Itaque animus est qui immolat & immolatur. Cum enim homo se totum offert Deo, velut imponens victimam in altari, tum agnus ille sacer è cœlo veniens arripit victimam, & absumit quod carnale est. Hujusmodi differit *Chrysostomus* in hunc locum, quæ multum absunt à moderandis corporis laboribus. At ego hanc solam sententiam improbo. Quid autem nunc decantatius inter Theologos, quam ubi monent temperandum ab immodico labore corporis, rationabile sit obsequium vestrum, hoc est, moderatum? Erroris causa fuit Lingua Gallica, aut fortassis etiam Italica. Eam si tueri non potest, cur sic indignatur? *Origenes* libenter recedit à littera, & hunc fere sequitur *Ambrosius*, quorum hîc auctoritate premi nolo; nihilo magis *Theophylacti*, quem utcunque versum habemus. Jam finge mihi λατρείαν accipi active pro ipsa immolatione, si ideo sacrificium dicitur rationale, quemadmodum *Petrus* appellat *lac rationale*, de lacte animi loquens, quod spiritu peragitur non corpore, & in corpore hominis peragitur, nonne recte dictum est, hominem ipsum dici victimam, qui seipsum immolat Deo? Proinde tertia sententia, quam hîc adducit, plane coacta est, illi innitens fundamento, *rationabile* dici, quod est rationi consonum. Idem dico de quarta, juxta quam vult dici *rationabilem cultum*, id est, ordinatum, & ad finem respicientem. Verba *Hieronymi*, quæ refert *Thomas*, opinor apud illum nusquam inveniri. Porro quod ad lectionis sensum attinet, mihi germanus videtur, ut τλῶ resolvamus, *qui est rationalis cultus vester*, & *rationalem* accipiamus pro spirituali, ut hac voce simul & templum, & sacrificos, & ritus, & victimas excludamus *Judæorum.*

Omnibus qui sunt inter vos.

Παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, vertimus, *cuilibet versanti inter vos.* Ille mavult *exsistenti.* Atqui si sic dixissem, male Latine fuissem loquutus. *Origenis* commentum ipse propemodum damnat.

Habentes etiam donationes.

Hîc rursus orditur rixam meus censor, ac pro amarulenta ironia habet, quod dixerim, Interpretem affectare copiam præter necessitatem, quod tamen in hoc insigniter deprehenditur. Verba mea sic habent, *ut affectat copiam, cum nihil sit opus.* Est in his aliquid amarulentiæ, est ulla ironia? Opinor isti *affectare* idem esse quod occidere, & *copiam* esse nomen matris interpretis. Quid attinebat hîc rixari, cum neque rationem reddere possit cur maluerit vertere *donationes* quam *dona*, neque docere valeat, *donationes* pro *donis* hoc loco Latine dici?

Secundum rationem fidei.

Mavult quod vertit Interpres *rationem*, quam quod *Origenes* probat *competentem mensuram*, quasi mensura non pertineat ad qualitatem, præsertim in sermone tropico, aut quasi mensuræ vocabulum non frequenter de rebus usurpetur quæ mensura non constant. Non placet quod pro *ratione* verterim, *juxta portionem*, nisi forte, inquit, idem sonat, *portio* quod *proportio.* Imo docti vehementer dubitant an *proportio* unica dictio reperiatur apud Latinos. Itaque vix habemus quo reddamus ἀναλογίαν. *Pro portione*, id est, *juxta modum*, frequenter est apud doctos. Certe *Chrysostomus* hîc interpretatur ἀναλογίαν μέτρου.

Caritatem fraternitatis invicem diligentes.

Suspicatur textum corruptum, & à Scribis *caritate* versum in *caritatem.* Hoc haustum ex Annotatione mea me docet, homo suavis. Quanta gloriæ sitis? Cæterum ut hoc donemus, tamen dure dicitur, *caritate fraternitatis* pro *caritate fraterna.* Scholiastes φιλαδιεφώνυμος, *ita*, inquit, *vos diligite, ac si ex una matre essetis generati.* Φιλόσοργοι satis expressit *Tertullianus*, qui vertit, *invicem affectuosi*, sed parum Latine. Φιλόσοργοι proprie dicuntur qui sunt amico affectu in suos, præcipue cognatos.

Domino servientes.

Indicaram in Annotatione, *Origenem* & *Ambrosium* meminisse geminæ lectionis, hoc idem me docet de meo: nam mihi loquitur in Dialogo. Reliqua divinationem habent tantum.

Honore invicem prævenientes.

Si *honorem* intelligas *subsidium*, nihil refert utrum legas *prævenientes*, an *præcedentes*, sive *præcurrentes*, sive *antevertentes.* Sin *honorem* accipias active, pro *reverentia*, quam exhibet is qui defert, quemadmodum interpretatur *Chrysostomus*, rursus idem erit sensus. Etenim qui præcedit honore, prior est ad deferendum honorem. Sin passive, sive legas *prævenientes*, sive *præcedentes*, aut aliud simile, sensus absurdus est. Itaque nihil est quod me laudet, quod in quarta Editione reposuerim *prævenientes* pro *præcedentes.* Atqui manet interim scrupulus de casu accusandi, ἀλλήλους, cum προηγεῖσθαι ob præpositionem postulet paternum casum. Unde fortassis rectius erat vertere, *præferentes*: nam ἡγέμαι significat *existimo*, προηγέμαι *pluris facio.* Ut non solum priores esse jubeamur ad deferendum honorem, verum etiam unumquemque nobis præferamus, & honore digniorem ducamus.

Necessitatibus sanctorum communicantes.

Quæ fere hîc me docet, hausit ex Annotatione mea.

Benedicite persequentibus vos.

Quoniam Annotationes scripseram, cum nondum

Digitized by Google

esset animus addere contextum, locis aliquot accidit, ut inter se minus respondeant. Id hoc loco usu venit. Porro *benedicere* pro *bene precari*, nescio an sit apud Latinos: & qui bene precatur alteri, bene de illo loquitur.

Ex Capite Decimo tertio.

Omnis anima potestatibus sublimioribus.

Probat vim comparativi esse in præpositione ὑπὲρ, quasi eadem vis non sit in *præcellendo* ex præpositione *præ*. At *Paulus* ideo vult nos obedire Magistratibus, quod publica præcellant auctoritate. Nunc videtur admonere, ut obtemperemus non cuilibet Magistratui, sed tantum excellentioribus, hoc est, Regibus aut Regum Præfectis, Prætoribus aut Tribunis non item.

Dei enim minister est tibi.

Cum hîc *Faber* cum auctoritate pronuntiet Interpretem hallucinatum, ac male Latine vertisse, tamen non destomachatur in illum, quemadmodum solet in me: satis declarans quam sincero animo rem gerat.

In hoc verbo instauratur.

Hîc accipi possit *instauratur*, pro eo quod est *renovatur*. Lex nova quasi renovat veterem, redigens illam in compendium. Nam vis hujus præpositionis, *re*, est in Græco Apostoli verbo.

Hora est jam nos de somno surgere.

Hîc multis testimoniis nos docet, ἐγείρεσθαι verti posse pro *surgere*. At istud nemo nesciebat, quandoquidem & turris dum exstruitur ἐγείρεται. Et Dominus apud *Joannem* profitens se intra triduum excitaturum templum corporis sui, ἐγερῶ dicit, quod versum est *excitabo*. Nec tamen ideo non sonat *expergisci*. Nam quod est Geneseos XLI. ἠγέρθη ὁ Φαραὼ, versum est, *Expergefactus autem Pharao*. Quod ait multos expergisci qui non surgunt, frivolum est. Sic multi posteaquam surrexerunt, redeunt ad somnum. Verùm quisquis excitatur, in hoc excitatur ut surgat. At videtur verbum *expergisci* dictum à *pervigo*. *Horam* verti in *tempus*, quod dubitarem an *hora* Latine diceretur hoc sensu.

Ex Cap. Decimo qvarto.

Alius enim credit se manducare omnia.

Quoniam *omnia* pro *quævis* apud Oratores inusitatum est, nam apud Poetas reperitur, malui sic vertere, *vescendum esse quibuslibet*: & adjicio, *Quis enim possit unus edere omnia*? Hîc rixatur: *Quis non possit*, inquit, *vel summorum virorum scriptis excerpere quæ carpat in risu, & salibus vellicet*? Quem hîc carpo, calidissime juvenis? Nec Interpretem carpo in Annotatione, nec Apostolum, quem tu defendis scilicet. Tantum indicavi vocis, *omnia*, amphibologiam, & parum usitatam usurpationem. Atque hîc diu litigat, quod Apostolus hæreat in eodem cavillo. Atqui discere poterat ex Annotatione nostra, πάντα Græcis usitate dici pro *quibuslibet*, ut complectatur partium distributionem per conjunctionem *vel*, non per &. Poterat aliam quærere rixandi materiam. *Manducandi* verbum, pro *edere*, puto tempore Interpretis usitatissimum fuisse. Nam apud *Suetonium* in *Octavio* propemodum sic usurpatur; nunc docti libenter abstinent.

Qui autem infirmus est, olus manducet.

Cum Græci magno consensu habeant ἐσθίει, miror cur hic defendat, *manducet*, cum id probabile sit Librariorum incuria commissum. Quæ vero refert ex *Ambrosio*, *Hieronymo*, ceterisque, nihil adversus nos faciunt. Nam illi verba *Pauli* ad suam accommodant sententiam.

Ex Capite xv.

Quæcunque enim scripta sunt.

Paulus admonens nos, ut morem geramus infirmitati fratrum, adducit exemplum *Christi*, & addit Prophetæ testimonium è Psalmis, *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*. Hoc vaticinium ne videretur de solo *Christo* proditum, nec ad nos pertinere, addit, *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Ad hunc sensum congruit utraque mea interpretatio, ante scripta sunt & præscripta sunt imitanda. Nam hoc prædixit Propheta priusquam *Christus* exhiberetur, & ad exemplum nobis præscriptum est. Sed *quæcunque*, inquit, complectitur omnia scripta. Verum, quæcunque sunt ejus generis. Quod autem ait, impiorum scelera contineri in Scripturis, quæ non sunt imitanda, plane sophisticum est: nam & illa pertinent ad exemplum, non ut imitemur, sed ut quid imitandum sit admoneamur. Jam & transitus Maris Rubri, aliaque miracula vel ceremoniæ, juxta allegoriam nobis in exemplum proponuntur.

In honorem Dei.

Quoniam in Annotatione dixi, *Interpres lascivit affectatione copiæ*, texit longam rixam, cumque toties hoc notem in Interprete, tamen ad singula loca novat tragœdiam. Atqui satis erat semel stomacho gessisse morem usque ad satietatem. Et lascivire copia, non est flagitium: sed ad quamlibet occasionem rixari cum amicissimo fratre, peccatum est. Illud constat, ἁγιάζω Græcis sonare *honorem*, δόξαν *gloriam*: jam *honorem* frequenter Scripturæ usurpant pro *subsidio*, *gloriam* nunquam. Hæc cum sic habeant, dicat ille censor causam, cur hîc Interpres maluerit dicere *honorem* quam *gloriam*. Si nullam potest adferre, cur ita rixatur, quasi Interpreti objecissem crimen falsi? De sententia nihil queror. Jam si probat quod quidam interpretantur de gloria futuri seculi, nonne Interpres adstrinxit *Pauli* sermonem ad unicam duntaxat sententiam, quo nomine mecum sæpe jurgatus est?

Ad confirmandas promissiones patrum.

Hîc vult utrumque infinitum referri ad verbum præcedens λέγω. Atqui dure dicitur, *dico glorificare*, pro *jubeo glorificare*, sive *debere glorificare*. Nec tamen improbo quod hîc adfert, si distinctio respondeat. Verùm *Ambrosius* ista dirimit, quemadmodum & *Chrysostomus*, & *Theophylactus*, & *Thomas*, qui *glorificare* exponunt *debere glorificare*, quasi infinitum δοξάσαι positum sit vice verbi imperativi, *glorificate*.

Super misericordia.

Hîc *Laurentius* miratur eandem præpositionem aliter redditam. *Faber* pronuntiat rectius non variare. Et tamen cum his non litigat. Sed non dicunt, *affectat* aut *lascivit copia*. Qui nulla de causa mutat, nonne affectat, & pro animi arbitrio novat vocem Latinam, nonne lascivit & ludit copia? Sed ita decretum erat cum *Erasmo* rixari, quo gratificetur suis sodalibus. Idem faciunt in proximo loco, & tamen modeste tuetur Interpretem suum.

Ita ut positis alterutrum monere.

Cum scriberem Annotationes, codices, quibus utebar, habebant ἄλλους, post cum ex aliis deprehenderem variare scripturam, reliqui sensum, quem vertit Interpres. *Chrysostomus* in contextu habet ἀλλήλους, in enarrando legit ἄλλους, & hanc opinor fuisse veram germanamque lectionem, utcunque alteram sequutus sum. Porro quod Interpres ἀλλήλους vertit *alterutrum*, non potest melius excusari à solœcismo, quam si dicamus hominum vulgus id temporis sic solere loqui, dum studet Græcam vocem unica voce reddere.

Sanctificans Evangelium Dei.

Ἱερουργοῦντα, quoniam *sanctificans* non videtur reddere Græcæ vocis emphasim, verti *administrans*. *Non ad plenum*, inquit, *exprimis*. Verùm quod sequitur supplet, *Ut fiat oblatio Gentium accepta*. Juvenile est quod di-

Digitized by Google

dicam, hîc ex Annotatione mea diligenter indicat vim Græci participii, & ſenſum hujus loci, ac me facit ipſi aſſentientem, quaſi me docuerit.

Impediebar plurimum.

Τὰ πολλὰ *Chryſoſtomus* interpretatur aperte ὡς πολλὰ pro πολλάκις: colligens illum ſæpe conatum, & ſæpe fuiſſe præpeditum ne faceret. Annotatio refert præpeditus ad occupationes Apoſtoli. Hic mavult referre ad Spiritum obſiſtentem, juxta quod legimus in Actis, nec ego reclamo. Attamen quæ ſequuntur pro me faciunt: *Nunc autem ulterius locum non habens in his regionibus.* Indicat enim occupationes docendi Euangelium obſtitiſſe, quo minus venire licuerit.

Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero.

Chryſoſtomus non addit hæc verba, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, id eſt, *veniam ad vos.*

Proficiſcar Hieroſolymam miniſtrare ſanctis.

Mavult mutare ſcripturam Græcam utcunque conſentientem, quam fateri per Scribas *o* mutatum in *a*. Nam ad ſenſum omnino commodius eſt tempus præſens: hoc enim ſe dicit facere, quod jam apparat facere. Ad hæc docet nos ex Annotationibus meis participium Græcis interdum uſurpari pro infinito, velut ἐτέλεσε διορθώσων, μέμνημαι ἐλθών. Verùm ſciat hoc non in quibuslibet verbis habere locum. Non enim quemadmodum recte dicimus, διατελῶ καλλίσας πράττων, ita dicemus προθύμομαι γράφειν, ſed γράψων recte diceretur. Aliam igitur annotatiunculam adferat oportet ſi velit meam admirationem excludere. Nec hic eſt ſenſus, *eo Hieroſolymam miniſtrare ſanctis*, imo jam dudum hoc agit negotium collectis pecuniis, & adornans, Totum hoc eſt miniſtrare ſanctis.

In pauperes ſanctorum.

Ait *ſanctorum* accipi diſtributive, hoc eſt, in eos qui ex ſanctorum numero pauperes ſunt. Sed hanc ſermonis formam agnoſcunt Græci, Latini non item. Hoc indicare volui.

Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt.

Negat ſanctos pauperes, qui erant *Hieroſolymæ*, communicaſſe Euangelium Gentibus. Quis hoc illi indicavit? Si nihil communicarunt, cur præceſſit, *& debitores ſunt illorum*? Loquitur enim hîc de permutatione officiorum, ut alteri ſuppeditent ſpiritualia, alteri carnalia reponant. An ideo debebatur illis quod *Chriſtus* & Apoſtoli fuerunt *Judæi?* Si Gentem deſignatam intelligis, & Gens illa primum annuntiavit Gentibus Euangelium. Eoque feciſſe dicuntur quod à majoribus factum eſt. Tametſi probabile eſt & ſanctos *Hieroſolymis* agentes Gentibus communicaſſe Euangelium, vel in *Aſia* cum Apoſtolis, vel *Hieroſolymæ*, ubi maxima erat Ethnicorum turba.

EX CAPITE VLTIMO AD ROMANOS.

Quæ in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt Cenchris.

Ait me eadem notaſſe quæ notavit *Faber*. At ubi notavit *Eraſmus* ex *Paulo* Latine dicendum *Acylam*, pro *Aquilam?* Græci quoniam carent littera *q*, per *κ* voces noſtras utcunque ſonant.

Qui eſt primitivus Aſiæ.

Chryſoſtomus conſtanter legit *Achaiæ*, licet enarratio nihil arguat certi. Sed ſi *Aſia* accipiatur pro tota Regione quæ communi vocabulo *Aſia minor* dicitur, *Aſiæ* pars eſt *Achaia*: Sin pro ea parte, quæ proprie *Aſia* dicitur, diverſa eſt *Achaia*.

Et domeſticam eorum Eccleſiam.

Hîc mirum quam geſtiat ac triumphet noſter γερουτοδιδάσκαλος, eandem vocem, quam ante verteram *Eccleſiam*, nunc verto *congregationem*, qui toties notem Interpretem de affectata copia. Atqui non idem oportet licere divino Interpreti, quod licet *Eraſmo*, quandoquidem in illo nihil eſt, quod non auctore Spiritu Sancto ſit proditum. Verùm ne me putet temere poſſuiſſe Latinam vocem pro Græca, vulgus hominum *Eccleſiam* putat eſſe domum: ne igitur hîc intelligeretur domus in domo, vertimus *congregationem*. Hoc datum eſt craſſis, qui neſciunt quid Græce ſignificet *Eccleſia*. *Congregationem* autem & alibi *Paulus* uſurpavit in bonam partem, velut 2. *Theſſ.* II.

Salutate Mariam.

Omnino *Chryſoſtomus* legit ὑμᾶς. Sed quid ego peccavi, ſi faſſus duplicem haberi apud Græcos lectionem, eam ſequor, quæ mihi tum magis arridebat? Senſus per omnia eſt idem, ſive legas ὑμᾶς, ſive ἡμᾶς, niſi quod prima perſona magis convenit *Paulinæ* civilitati, qui ſe miſcuit huic ſermoni, ne videretur Romanis exprobrare mulieris beneficium. Et fortaſſis ita vertit Interpres. Nam *nos* facile depravatur in *vos*. Hîc ſcilicet erat locus declamandi in eos, qui Latina caſtigant è Græcis, quanquam nos non hoc agimus, ſed oſtendimus utraque ex alteris poſſe caſtigari.

Ei autem qui potens eſt vos confirmare.

Hîc etiam atque etiam longam excitat tragœdiam, quod indicarim *Lyranum* erraſſe ſequutum *Haymonem*. Errorem non defendit; ſed intolerabile piaculum admiſſum putat, quod jocum admiſcui notationi. Atque ut hîc arte, qua valet plurimum, exaggeret mea ſcommata, riſus, ludibria, petulantiam, amarulentiam, aliaque dictu horrenda, facit *Lyranum* unum ex ſacroſanctis ac vetuſtis Eccleſiæ Doctoribus, qui nunc cum *Chriſto* regnet in cœlis, contemplans cum Angelis & Apoſtolis faciem Dei. Atqui nec auctoritas Eccleſiæ illum ponit in numero Divorum, neque miracula, aut rumor vitæ ſancte peractæ illius memoriam nobis commendavit. Quin potius alia de illo feruntur etiam à *Franciſcanis*, quæ nolim hîc referre. Jam in eruditione non multum illi tribuunt Theologi. Ego tamen nec labores illius prorſus contemno, nec nego illum eſſe in cœlis, verùm idem ſentio de multis ob facinora ſupplicio affectis. Nec tamen ideo illorum memoriæ tantam reverentiam debeo, quantam hîc poſtulat. Parcendum mortuis; nec ego illos criminor, ſed cum libris, in quibus nobis velut adhuc ſuperſtites loquuntur, mihi res eſt. Nec quiſquam adeo religioſe veneratus eſt defunctos, ut metuerit ab illis diſſentire. Quod ſi lædit quiſquis diſſentit, cur hîc toties diſſentit à *Laurentio* jam pridem defuncto, quem probabilius eſt in cœlo regnare quam *Nicolaum Lyranum*. Sed offendit jocus. Jocus eſt, ſed citra amarulentiam, & ego tam craſſus hactenus fui, ut non putarim *Lyrano* deberi reverentiam, quam debemus *Auguſtino*, aut *Hieronymo*. Jam perinde quaſi videat *Nicolaum Lyranum* inter præcipuos Divos ſublimem, ita confert nos viventes in hoc miſerando ac fœtido terræ ſtabulo, ubi ſtercoribus fœtent ac ſordent omnia. Quam eſt hæc ſtercorulenta oratio, ſed tamen in his ſtercoribus ſcripti ſunt illi libri, in quibus nos aliquando reprehendimus aliquid. Quemadmodum igitur hic ſupra modum exaggeravit ſordes viventium *Chriſti* ſpiritu, (nam hoc quoque de omnibus credere pium eſt, niſi conſtet diverſum) ita ridicule tot tragicas amplificationes congerit, de *Lyrano* apud Deum Rege & Sacerdote, ſumme honorato ante conſpectum divinæ majeſtatis, cum fieri poſſit, ut *Lyranus* habitet apud inferos. Verùm hæc illi præſtruenda erant, ut poſſet ad ſatietatem uſque *Deſiderium* cariſſimum palmis cædere. *Talium*, inquit, *virorum non oportet honori derogare.* Derogant autem qui minuunt opinionem doctrinæ. Quicunque diſſentit à Veteribus, nonne minuit illis opinionem doctrinæ. Quis autem eſt Theologus qui hoc non faciat? Non hoc ipſum aliquando facit *Lyranus*? Qui vero ſunt illi qui *Lyranum*

Digitized by Google

contemnunt, quod fuerit Lingua incomta? At si Linguarum præsidiis res explicanda sit, an non docendi sunt qui Linguarum carent peritia? Qui vero sunt illi qui solis Linguis instructi sunt? An talis fuit *Laurentius?* An talis *Faber?* Nam de me nihil dicam. Sed tamen in hoc argumento plus est habendum fidei Linguarum peritis, quam ei qui nullius Linguæ peritia instructus tanta cum auctoritate tractat Linguarum negotium, alienis plumis sese venditans. Illud vero quam graviter sibi dixisse videtur, quod meæ petulantiæ terra sit angusta, ut quæ in cœlos usque moveat digitos, & exserat linguam. Quis non videt hunc juvenem ad maledicentiam esse natum? Quis exserit linguam in cœlum, qui notat aliquid in libris *Nicolai Lyrani?* Primùm incertum est an ibi sit *Lyranus*; deinde nihil in illum cœlestem dico, sed in libros, quos terrenus scripsit in terris. Hæc est illa vere tragica eloquentia. Ita usque ad satietatem destomachatus in me, *Laurentio* & *Fabro* tribuit pios ac religiosos sermones, mihi admonenti (sic enim fingit) quod *Paulus* non simpliciter dixerit *gratia*, sed addiderit, *gratia Domini nostri Jesu Christi*, quam precatur carissimis sibi discipulis, mox objicit, quod illa benedictio pertineat non solum ad eos, quibus scribebat, verum etiam ad omnes Christianos. Hic quoque libuit dissentire. Tandem in calce facit me veluti pœnitentem optare bonam mentem à Deo: ipse veluti re bene gesta canit nobis Psalmum. Atqui fortasse post tales Annotationes congruentius erat Psalmum aliquem pœnitentialem canere, in quibus toties delirat, tot flat glorias, alienis se plu- A mis venditans, toties sine causa maledicit proximo, & quidem seniori juvenis, toties viperino denticulo clam inspargit venenum lethale, velut illud, quod quodam loco cum quidam admonet, postridie esse festum Adscensionis, me respondentem facit, *non animadverteram*, quasi contemnam dies festos: rursus alibi, cum obiter incidit mentio de rectitudine fidei: *Hac de re*, inquit, *audies, cum tecum continget seorsum loqui.* Semel atque iterum minitatur convitia, rhetorice scilicet indicans, se mira premere modestiæ causa, & alia his virulentiora, quæ *Nomentanus* non diceret in *Balatronem*: quæ loca si velim proferre, cordatus lector facile per- B spiceret, omnia illa blandimenta, *vir amicissime, carissime Desideri*, cum obtestatione de sinceritate cordis, nihil aliud esse quam mel aconito mixtum. Idque mire festivum existimat, sic figurato morsu lædere, ut soli sodales admoniti agnoscant ac rideant. Sed ubi tandem istas artes didicit, humilis illius ac simpliciſſimi *Francisci* germanus filius? Verùm ubicunque hoc didicit artificium, hîc oportebat vitari, quod populus hac in parte nimium male sentit de toto hujus sodalitio, nec aliud proficitur talibus libris, quam ut in dies pejus sentiat. Nam ajunt hoc opus Patrum auctoritate fuisse excusum, unde liquet qualia sint judicia populi illius Se- C raphici. Sed jam hujus operæ me tædet, precor huic juveni veram modestiam, veram sinceritatem, veram caritatem, tantumque eruditionis ut possit in bonum, quod se posse putat: denique pro vana fucataque gloria, solidam ac perpetuam gloriam.

FINIS.

DESIDERII ERASMI
APOLOGIA
ADVERSVS ARTICVLOS ALIQVOT, PER MONACHOS QVOSDAM IN HISPANIIS EXHIBITOS.

AD LECTOREM.

QVO minus invalvaris, optime lector, scito libellum accusatorem, digestum in titulos, & articulos sive capita. Horum singulis additi sunt numeri, quos eosdem comperies in responsionibus Erasmi, *qui indicabunt quæ responsionis pars cui objectionis parti respondeat. Præterea quæ referuntur ab accusatoribus, notata sunt geminis hypostigmis *ad marginem. Bene vale.*

Reverendissimo in Christo Patri ac D. D. Alfonso Manrico Archiepiscopo Hispalensi, *summo de fidei negotiis apud* Hispanos *cognitori*, Erasmus Roterod. *S. D.*

EST *Pylus ante Pylum*, ut habet veteris Comœdiæ jocus: at nova tragœdia, quæ temporibus hisce nimium fervet, aliud dictum suggerit, nimirum, est Apologia ante Apologiam, nec ullus Apologiarum modus aut finis. Cum hic Libellus Apologeticus esset in lucem proditurus, ornatissime Præsul, videbam illico ipsi Apologiæ triplici Apologia fore opus, E una qua placarem tuam amplitudinem, altera qua doctis amicis satisfacerem, tertia qua mitigarem adversarios. Quanquam autem minime vel decebat offendisse Præsulem, præter imaginum claritatem, & amplissimi muneris dignitatem, omni virtutum genere præcellentem, vel tutum erat alienasse illius animum, à cujus nutu pendebit non solum causa mea, verum etiam tot piorum & eruditorum hominum vota, quos hoc negotium aliquanto magis habere videtur sollicitos quam me ipsum, tamen hîc mihi non multum laboris sumendum esse video, cum in causa justa mihi res sit D cum judice, summo quidem illo, sed non minus æquo prudentique quam summo. Nec vero alia re dignior es summi cognomine, quam quod nobilitatis, dignitatis & auctoritatis magnitudinem bonitate superas. Ut promiseram, ita decreveram Libellum vel æris mei dispendio premere, si sensissem id amplitudini tuæ fore gratius: imo vehementer invitus hîc usus sum opera Typographorum, sed cogitabam multis Exemplaribus opus esse, qui isthic cognoscendi provinciam suscepissent: neque nesciebam quam raro perferantur, quæ in tam procul semotas Regiones perferenda traduntur: tum amanuensibus meis abunde multum, ut semper, erat negotii. Ad hæc, Epistolæ vestrates sero pervenerant, ut ad describendum deesset spatium. His causis compulsus sum Typographorum operam implorare, quorum ars citius nobis reddit Exemplariorum duo millia, quam amanuensium industria duo: illud tamen stipulatus à *Frobenio*, ut mihi decem codices traderet, reliquos sic premeret, ne in cujusquam venirent manus, nisi cognita tuæ sublimitatis voluntate: quæ si juberet perpetuo premi, ipse indemnis esset, omnis jactura in me recideret, qui multo levius ducebam pecuniæ, quam tui favoris dispendium. Res acta est bona fide, donec inopinata *Joannis Frobenii* mors sic consternavit universam familiam, ut omnium curis alio vocatis, huic rei

* In hac Editione charactere *Italico*, ut vocant, distincta.

Digitized by Google

rei parum cautionis ſit adhibitum. Jam enim apud *Ubios* quidam arte nactus Exemplar *Frobenianum*, adornabat excudere, ut eſt hoc hominum genus quæſtus avidum, longeque vehementius flagrat æmulatione, quam ullus figulus adverſus figulum. Jam nobis reſtabat deliberandum, non utrum premendus eſſet Libellus, nec-ne, ſed utrum mallemus exire mendoſiſſimum an emendatiorem. Hîc utrinque conſtricti, quod erat levius malum elegimus, recognitum exire paſſi ſumus. Quod factum ſi tua probat amplitudo, gaudebimus: Sin minus, nobis ignoſcet humanitas tua, neceſſitati potius indignabitur. Quod adeo futurum confido, ut verear ne, quæ tua placabilitas eſt, jam mihi ſuccenſeas, qui de re tam nullius momenti tantum verborum conſumſerim.

Reſtant igitur amici placandi, quorum & voces & litteræ me ſubinde convitiis flagellant, quod omnium næniis omnibus reſpondens bonas horas male collocem. Nam eſſe quoſdam homines eo natos ingenio, ut non poſſint aliud quam calumniari: rurſus eſſe complures tam avidos famæ, ut vel *Eroſtrato* ſuum nomen invideant. Quis autem tam eſt hebes, qui non poſſit aliquid in alieno opere deprehendere, quod in aliquam calumniæ ſpeciem trahat? Nec alia ad parandam famam expeditior breviorque via. Rurſus ab aliis hoc arte ſtudioque agi, ut vel his rationibus mihi faceſſant negotium, & à provehendis ſtudiis avocent. His itaque reſpondere quid aliud eſt, inquiunt, quam illorum malitiam alere, proque maleficio beneficium reddere? Adferunt impudentem calumniam, & præmii loco referunt celebre nomen. Hæc erat illis votorum ſumma. Proinde cenſent totum hoc rabularum genus prorſus eſſe negligendum, quorum inſulſas næmas nemo doctus dignatur legere, certe poſteritas ignorabit. His amicorum objurgationibus vix habeo quod reſpondeam, niſi quod quibuſdam operæ pretium erat reſpondere: nec omnibus tamen reſpondi, ſed nonnullis obtĭcui: nulli vero reſpondi, niſi *leviori*, ut ajunt, *brachio*, veluti perſuaſum habens, nihil ejuſmodi rixarum apud poſteros victurum. Quod an futurum ſit neſcio, certe optarim. Quoſdam reſponſione dignatum eſſe me ſummopere pœnitet. Certe iſte Libellus nihil habebat ulla reſponſione dignum, quem ego ſane nec lectione dignaturus eram, niſi talis eſſet nunc apud vos temporum ſtatus, ut hujuſmodi tricis, non ſolum Academiis & eruditis viris, verum etiam ſummis Eccleſiæ primatibus, ipſique adeo rerum Dominæ Cæſareæ Majeſtati publicitus negotium exhiberetur, non ſine totius *Hiſpaniæ* tumultu, gravique infirmorum offendiculo.

Venio nunc ad placandos eos quibuſcum mihi res eſt. Nam iſti fortaſſe dicturi ſunt, hac Editione nonnihil læſam exiſtimationem ſuam. A quorum prudentia illud in primis petam, ut cogitent, quod, ſi mihi fuiſſet in manu, nullius magis referebat premi ſcriptum hoc quam mea. Deinde cum ea ſit cauſæ natura, ut impium ſit non refellere quod objicitur, cumque criminis intentio manifeſtam impetentis vel imperitiam, vel vanitatem, vel malitiam præ ſe ferat, nec niſi læſa impetentis exiſtimatione poſſit rejici, nihil hîc ei poteſt imputari, qui ſuam tuetur innocentiam, ſed totum illi qui ſic laceſſivit. Si quis quem furti reum peregiſſet, judicum ſententiis abſolutum retraheret in jus, poſtulans injuriarum, quod per illius defenſionem habeatur pro calumniatore, quid audiet? Nihil aliud, niſi cur impingebas quod erat falſum? Quis autem audiet illum qui talionem exigat ab eo, cujus clypeo ſagitta, quam in illum torſerat repercuſſa, oculum excuſſerit mittentis? Quicquid hîc eſt noxæ non depulſori, ſed impetitori fertur acceptum. Jam ſi quid fuiſſet probabiliter impium, tamen hoc erat Chriſtianæ modeſtiæ, diſcutiendum proponere, pronuntiandi munere judicibus integre reſervato. Nunc cum tam multæ ſint evidentes calumniæ, tamen nuſquam non aſſeverant, nuſquam non convitiantur, niſi forte hæc convitia non ſunt, *Eraſmus* pugnat contra divinitatem, dignitatem, & gloriam Chriſti, *Eraſmus* ſubvertit auctoritatem Scripturæ ſacræ. Hæc aliaque permulta cum doceam eſſe falſiſſima, nullum regero convitium, ſed tantum appello impudentem calumniam. Mitiore vocabulo rem ſignare non poteram. Et tamen interim nullius edo nomen, cum mihi noti ſint omnibus circumſtantiis hujus tumultus anteſignani. Et utinam mihi licuiſſet citra jacturam omnem alienæ famæ, meam tueri innocentiam, non quod iſtorum improbitas mereatur ullam civilitatem, qui ſpretis eruditorum ac bonorum virorum judiciis, contemta ſummorum Præſulum auctoritate, neglecta etiam Cæſaris Majeſtate, inconditis motibus turbarunt *Hiſpaniam*, ante ſumma tranquillitate florentem: ſed quod videam ubique populum propenſiorem ad odium Monachorum, quam vel par eſt, vel expedit Religioni Chriſtianæ. Nunc quod ſolum mihi ſupereſt, & lectorem obſecro, ne ex paucorum moribus æſtimet omnes, & quod iſti ſic tumultuantur, malit inſcitiæ perſuaſionive tribuere, quam perverſitati: & ipſos per Chriſtum exhortor, ut Chriſti negotium Chriſtiana gerant ſinceritate. Dicent: Nos nullum in te ſcriptum commiſimus Typographis; quaſi iſti Articuli uſquam terrarum non habeantur, aut quaſi non ſit multo gravius ſic linguis impeti quam editis libris. Liber editus invenit ſuos judices, & laceſſito reſpondendi, ſi libeat, præbet facultatem, provocatori adimit inficiandi. At plus eſt quam librum edidiſſe, cum ſparſi per omnes Regiones de compoſito nuſquam non vibrant linguas in proximum, apud mulierculas, opifices, aulicos, milites, in conviviis, in privatis colloquiis, in ſacris confeſſionibus, in vehiculis ac navibus, in publicis prælectionibus, in ſacris concionibus, in foris, ſcholis, aulis & monaſteriis: nec apud ullos impudentius, quam apud idiotas, ea maxima turba eſt, idque Hiſpanice, Gallice, Polonice, Hungarice, Germanice: his, quoniam ea non intelligunt, facillimum eſt imponere, & apud hos, inquiunt, linguam non habet *Eraſmus*, nos tot linguarum millibus inſtructi ſumus, & ab hoc hominum genere plurimum nobis eſt emolumenti. Id ſi conglomerati, fortiter perfrictaque fronte facere perſtiterimus, vincemus ſcilicet & linguis confodiemus *Eraſmum*. O ſanctas cogitationes, ac *Dominico Franciſco*que dignas! Nam hîc etiam illi, qui ſe venditant obſervantiæ titulo, cum primum *Luthero* late graſſante ſemet intra teſtam contraxerint, præcipuas agunt partes. Etiam atque etiam rogo pios ac bonos, ne quid horum exiſtiment ad ſe pertinere. Utinam per iſtorum improbitatem liceret & malis parcere, qui ut ſibi ipſi non parcunt, ita ſuum Ordinem pluſquam hoſtiliter lædunt!

Quid ego nunc referam qualia ſint quæ ſacris illis linguis è ſacroſanctis pectoribus effundunt? Quidam in frequentiſſima concione dixerat in libris *Eraſmi* eſſe quædam hæretica: digreſſus è ſuggeſto exceptus eſt à docto quodam ejus urbis penſionario: Rogatus eſt ut proferret locum hæreticum; Reſpondit ſibi libros *Eraſmi* nunquam fuiſſe lectos, tentaſſe legere Opus, cui titulus eſt MORIA, ſed ob ſtyli profunditatem metuiſſe ne poſſet in aliquam prolabi hæreſim. Alius ſeditioſe clamarat me corrigere *Magnificat*: Rogatus in convivio, quid eſſet ibi correctum; Dixit quod venit in buccam, ait me vertiſſe *Abraham & ſeminibus ejus*, prolatus codex coarguit impudens mendacium. Alius Doctor inſigniter indoctus me præſente dixit in concione, eos peccare in Spiritum Sanctum qui corrigerent *Magnificat*; Item eos qui dicerent concionatorem non intelligere ſuum Thema, cum themata ſumantur è ſacris Litteris. Dixeram enim in convivio quendam ejuſdem ſodalitii verba *Petri*, quæ propoſuerat, parum intellexiſſe, quod dixeram, erat veriſſimum. Alius vociferatus eſt quod in Precatione Dominica apud *Lucam* pro *debita* vertiſſem *peccata*, cum ſic habeat apud eum Euangeliſtam Eccleſiaſtica lectio, tam apud Græcos quam apud Latinos. Quid de illo referam, qui cum in frequentiſſima Schola perſtrinxiſſet me, quaſi parum pie

sentirem de casta vita, post in colloquio privato fassus est se hactenus credidisse, Declamationem esse concionem Ecclesiasticam, & cœlibatum esse vitam virgineam Angelicamque. Quid de illo qui jam triumphabat, quasi falso scripsissem, *Hieronymum* non fuisse perpetuo virginem, cum ad *Eustochium* scribat, *Virginitatem enim non tantum efferimus, sed servamus*, cum iis qui Latine norint illic *servare* sit servandi rationem docere, & si hoc Latini sermonis ratio non indicaret, ipsa res, ipse dictionis tenor declarat. Pudet memorare de illo, qui quod in *Enchiridio* laudassem Apostolorum *germanam Theologiam*, quæ & Philosophorum supercilium & Principum sceptra misisset sub jugum Christi, publicitus vociferabatur me negare usquam gentium esse Theologiam præterquam in *Germania*, quæ maxime foveret hæreticos, cum pueri quoque sciant *germanum* dici quod est verum ac genuinum, eaque vox sic usurpata sit etiam apud *Paulum*, si Latinos Auctores non legerat. Huic vicinum est illud, quod quidam, suo ipsius judicio magnus fidei ζηλωτὴς, apud eximios viros non veritus est criminari, quod censuerim *Carthusiano* potius vescendum carnibus, quam admittendum levem capitis dolorem, quia reprehendebam eum, qui pateretur proximum in capitis venire discrimen ob humanam constitutionem. Sed desino nugis onerare tuam amplitudinem, quanquam hæc tibi non narrantur, sed adversariis: sunt enim hujus generis & his indoctiora stultioraque innumera, quæ publicitus & apud summos viros clamitant. Qualia jam divinandum est esse quæ in clancularíis illis susurris effutiunt? Atqui hæc excipiuntur auribus cordatorum, neque enim omnes fungi sunt aut stipites, hique in vulgus efferunt, itaque fit ut etiam me tacente, multorum vel risum vel odium sibi concilient. Ab his intemperiis si quando Principum auctoritate revocantur: *Oportet*, inquiunt, *Deo magis obedire quam hominibus.* Ista vox pulchre conveniebat Apostolis, qui post carceres & flagra pro nomine *Jesu* libenter tolerata, ab impiis Judæis jubebantur silere, quod ab ipso Christo jussi fuerant per orbem universum prædicare: verùm ubi Christiani piique Principes revocant à scurrili maledicentia, à mentiendo, à calumniando, à seditiosis clamoribus, quam male convenit illa vox: *Obedire Deo oportet magis quam hominibus?* Quid agitis, ô viri præclari? An istis rationibus fulciendam putatis Ecclesiam Christi? An talibus stratagematis sarcire conamini Ordinum vestrorum auctoritatem? quæ tamen adeo à me nunquam est læsa, ut nemini vestrum unquam opera mea decesserit, vel ovum vel caseus. Haud eam alia via poteratis, mihi credite, gravius lædere. Non hîc minis agam vobiscum. Considerate quale sit hoc seculum, reputate quæ sint hominum erga vos studia. Quid possim calamo, quid his junctus factionibus, quæ vestris Ordinibus internecionem moliuntur, non dicam. Fortassis & à Principibus impetraturus sim, ut quod æquissimum est, & mihi liceat Gallice, Hispaniceve tueri causam meam. Sed nihil hujusmodi vobis à me periculi est, habetis *Jonam*, cui prius est dedi fluctibus, quam communi periculo servari. Ipsi vestram ipsorum causam prudenter agite. Sic agentibus aderit ipse *Christus*. Si persequimini impia dogmata, mihi nullum impium dogma placuit, aut placebit unquam, hîc habetis commilitonem. Si vestrorum Ordinum auctoritatem sartam tectam habere studetis, redite ad eas virtutes, quæ vestris majoribus tantum auctoritatis, tantumque favoris conciliarunt: & hîc habebitis *Erasmum* applausorem. In Christo sint vestra præsidia, cujus gloriæ serviendum est in omnibus. Per illum vincetis, si illius auspiciis pugnaveritis, & tum vere glorioſam referetis victoriam, si illi viceritis. Quod si à Christo deflexis oculis, in improbitate, maledicentia, versutia, clamoribus, susurris, favoribus humanis, conjuratis phalangibus collocaveritis victoriæ spem, res vobis non aliter in diversum cedet, quam cessit olim Judæis Christi nomen obruere, suamque

A pristinam tyrannidem attollere molientibus. Non ideo cœlitus venit Euangelium in terras, ut serviret humanis cupiditatibus, sed ut lux sit omnium ignorantiæ, ut sal omnium stultitiæ, ut regula sit inflexibilis, ad quam omnium actiones corrigantur. In solida petra consistamus, ut per petram petræ vincamus. Apud homines alii potentes dicuntur, alii imbecilles; coram divina potentia, vermiculi culicesque sumus pariter omnes. Nemo tam potens, quin sit comminuendus, si impingat in hunc lapidem: nemo tam imbecillis, quin victurus sit, si perstiterit in hoc lapide. Id ut faciatis moneo, fratres. Imo hoc consilium lubens

B dederim Christianis omnibus, ut cogitent hanc temporum vix unquam auditam calamitatem, esse manum Omnipotentis nos ad pœnitentiam invitantis. Quid enim malorum abest? Num bellum? Num pestilentia? Num fames? Vidimus atrocia, & ni Deus prospexerit, videbimus atrociora. Jam in opinionum pugnis, quando fuit unquam major rabies, majorque pervicacia? *Ninivitæ* territi minis Prophetæ, conversi sunt ad pœnitentiam, & impetrarunt Domini misericordiam. Ipse *Pharao*, ranis, locustis, cyniphibus, aliisque malis afflictus clamavit ad Dominum, & invenit solatium. Nos tot annis tot plagis affligimur, nec video quenquam cogitare de vita in melius commutanda, sed ex publico malo quisque studet aliquid

C privati commodi decerpere. Alius in alium culpam rejicit, sibi quisque palpatur. Quod si pariter agnoscentes Domini manum in nos extentam, sinceris studiis singuli verteremus nos ad mores correctiores, ira Judicis versa in misericordiam jungeret animos Principum, auferret à nobis locustas militum, qui nec sacris parcunt nec profanis, abigeret ranas sectarum, daretque nobis, juxta Pauli votum, patientiæ & solatii Deus idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificaremus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, non divulsi, sed coagmentati, integrique in eodem sensu,

D & eadem sententia. Nunc autem Dominus confudit labium terræ, quoniam molem giganteam exstruimus in cœlum, & ideo diversa loquimur, quia sua quisque loquitur. Concipiamus omnes Christum, & omnes uno ore Christum loquamur. Ad id sibi quemque monitorem esse oportet, sive sit summus Pontifex, sive Monarcha, sive Monachus, sive profanus: *concluſit* enim *Deus omnia sub peccatum, ut omnium misereatur*, & *omnes egemus gloria Dei.* Malum hoc à Domino est, ab eodem remedium petamus oportet. Quin igitur omittimus structuram *Babel*, fodimusque magis puteos, ut inveniamus venas lachrymarum, quibus restinguatur accensa Numinis ira?

E Quod ut ad omnes communiter pertinet, ita maxime conveniebat Monachis, ad quos olim præcipue solet Ecclesia confugere, si quando premeret ira Dei. Illi jejuniis, vigiliis, afflictione corporis, precibusque non desinebant provocare Domini misericordiam, donec rediret serenitas. Hoc meum est consilium, quod ego, teste Christo, saluberrimum esse judico, si quod haberem melius lubenter impartiturus. Sed ego te, Præsul ornatissime, velut oblitus cui loquar, jam dudum moror alienis; itaque finem facio, clarissimæ celsitudini tuæ precans à Christo prospera felicia-

que omnia. *Basilea* 14. Martii, Anno 1528.

F *Reverendissimo in Christo Patri, ac D. D.* Alfonso Manrico, *Archiepiscopo* Hispalensi, *summo apud* Hispanos *de fidei catholicæ negotiis cognitori*, Des. Erasmus Roterodamus *S. D.*

PAVLVS Apostolus, referente *Luca*, sibi gratulatur, quod causam dicturus esset apud *Agrippam* Regem, qui probe teneret ritus, constitutiones & quæstiones Judaicas, de quibus tum agebatur. Nimirum causæ suæ confidens, nihil aliud optabat ille beatus, nisi judicem intelligentem. Nam favorem res ipsa de-

bet

Digitized by Google

bet impetrare apud integrum & æquum cognitorem. Poteram quidem eodem nomine & mihi gratulari, Præſulum ornatiſſime, quod iſte tumultus in judicem inciderit, non minus eruditione judicioque quam vitæ ſinceritate ſpectatiſſimum: ſed magis hinc diſcrucior, quod tuæ pietati tot, tamque gravibus curis occupatiſſimæ, hujuſmodi calumniis exhibetur negotium: nam de me fortaſſe levis jactura videbitur, quod à laboribus, quibus pro viribus, imo ſupra vires tum ætatis tum valetudinis, & provehendis optimis litteris jampridem ubique gentium feliciſſime reflorescentibus, & reſtituendis rei Theologicæ ſtudiis atque Auctoribus aſſidue deſudo, avocor & interpellor. Quæ dedimus in propatulo ſunt, ea numerare perfacile eſt: cæterum æſtimare quantis vigiliis mihi conſtiterint, difficillimum. Nunc totis animis in hoc incumbimus, ut divus *Auguſtinus* & totus & emaculatus cum majeſtate prodeat in lucem: Opus immenſi tum laboris tum impendii. Vix quiſquam credat in tam inſigni Eccleſiæ Doctore quantum portentorum deprehenderimus, quæ vel inſcitia Scribarum, vel temeritas ſciolorum invexerat. Hæc in publicam utilitatem gratis largienti, molientique, talibus obſtrepere modis, ingratitudo non vulgaris optimo cuique, ſicut opinor, videbitur. Cæterum, commilitonem, qui rebus Eccleſiæ novo more fluctuantibus, conſtantiſſime perſtiterit in parte Catholica, jam etiam cum hoſte cominus conſertiſque manibus dimicantem à tergo linguarum ſpiculis confodere, quo tandem nomine donabimus? De nomine viderint alii, re nihil accidere poterat exoptatius ei, quicum iſti ſe profitentur bellum irreconciliabile gerere. Sed hoc quicquid eſt mali levius ferrem, ſi mihi cum Judæis res eſſet, quemadmodum *Paulo* fuit: ſi cum hæreticis aut Paganis conflictatio, ut parta victoria, piis omnibus læta, non niſi impios vel læderet vel ſanaret. Nunc adverſus hos agere cogor, qui ſe profitentur Chriſtianæ Religionis columina, quos ut optimos eſſe decet, ita pro optimis haberi conveniebat, quorum alterum illis adeſſe vehementer optarim, alterum haudquaquam inviderem, ſiquidem per ipſos liceat. Sunt enim, ut accipio, qui hæc movent, non Judæi, non hæretici, non ſchiſmatici, non Pagani, ſed *Trinitarii*, *Dominicani*, *Franciſcani*, *Carmelitæ*, *Auguſtinenſes*, *Benedictini*, jam olim gratioſa apud omnes orbis nationes nomina, quibus ego ſane malim plurimum favoris accedere, quam vel tantillum decedere. Proinde quod unum poſſum, etiam atque etiam rogo per *Chriſtum*, ne quis paucorum vel ſtultitiam vel improbitatem arbitretur ad Ordinum exiſtimationem pertinere, in quorum honorem lubens privatam injuriam diſſimulaſſem, ſi vel eloquentiæ, vel ingenii, vel eruditionis tantum eſſet diſcrimen: ſed impietatis crimen nemo debet agnoſcere, niſi qui ſuſtinuit admittere. Quin & ipſos Ordines rogare non gravabor, ut hanc controverſiam privatam eſſe velint. Rurſum ſi qui ſunt iſthic mei nominis ſtudioſi, monitos velim, favores ſuos ita temperent, ne vehementior ſtudiorum colliſio novum aliquod diſſidium gignat in mundo, cum jam dudum ubique diſſidiorum ſit plus ſatis, præſertim cum ex leviſſimis interdum initiis videamus graviſſimos exſiſtere tumultus, quos per homines nihili concitatos, ſummorum Principum ægre compeſcit auctoritas. Equidem quod ad animum meum attinet, malim cum *Jona* dedi fluctibus, & unius capitis jactura publicam redimere tranquillitatem, quam pernicioſæ tempeſtatis eſſe, non dicam cauſa, ſed vel occaſio. Itaque ſic agam cauſam, ut adverſarios, quatenus licet, & illæſos ſinam & innominatos. Quod ſi res ipſa quippiam convitiorum in iſtos loqui videbitur, hoc eſt, ſi veritas me defendente patefacta declarabit eos longe alios eſſe quam haberi ſtudent, ſibi ipſis imputent non mihi, quem huc neceſſitatis perpulerunt. Si privatis litteris mecum egiſſent, poterat res citra cujuſquam dolorem tranſigi, & à me magnam iniſſent gratiam. Nunc non ſolum publicitus, verum etiam inciviliter rem gerunt. Nam ut omittam queri, quod jam diu privatim pariter ac publice, in ſacris etiam concionibus, præter Pontificum & Cæſaris animum, petulantiſſime debacchati ſunt quidam in nomen meum, exemplum invehentes multo alieniſſimum ab inſtituto moribuſque *Dominici* & *Franciſci*, quorum titulis ſeſe venditant: hic ipſe libellus, quem ſolenniter exhibuerunt tuæ celſitudini, quantum abeſt ab ea, quam profitentur, ſinceritate? Primum enim exordium à commemoratione veterum hæreticorum venit ad honorificam mei nominis mentionem, quaſi *Eraſmo* quicquam unquam rei fuerit cum hæreticis. Deinde tituli formidabiles quid aliud quam pronuntiant? Quanquam interim & in medio, veneni non parum adſperſum eſt. Verùm hîc par pari non referam, quo videlicet non minus moderatione vincam quam cauſa. Cæterum à tua ſublimitate, Præſul ornatiſſime, nihil aliud petam, niſi ut non gravetur animum ſuum, plurimis graviſſimiſque negotiis occupatiſſimum, tantiſper nobis dare, donec cauſam perdiſcat. Etenim ſi quid eſſet impium in ſcriptis meis, nec tua pietas, ſat ſcio, faveret unquam, nec meus hic animus favorem poſtularet potius quam correctionem, vehementer optans omnem impietatem non minus abeſſe à ſcriptis meis, quam abeſt à pectore. Nam ipſe video fateorque in Lucubrationibus meis, quas aliquot adoleſcens, aliquot non ſerio, ſed omnino plurimas, omnes tamen præcipitavi verius quam edidi, naturæ vitium id eſt, eſſe permulta quæ poterant dici, vel eruditius, vel circumſpectius, vel moderatius: non enim exſpectabamus hoc ſeculum calumnioſiſſimum, impium vero ſenſum nullus, opinor, inveniet. Quale ſi quid oſtenſum fuerit, ipſe primus omnium judex nigrum calculum tulero, ipſe lictorem agens, confodiam errorem. Cæterum in tanta ingeniorum, opinionum ac judiciorum varietate, omnibus omnium ſuſpicionibus, cauſationibus, depravationibus, detorſionibus, ſatisfacere, nec poteſt quiſquam, nec fieri refert, cum & in Apoſtolicis litteris inveniat calumnia quod arrodat, nec ullus omnino Scriptor orthodoxus ad hunc uſque diem tam felix exſtiterit, ut non cum venia legendus ſit. Ut enim de cæteris ſileam, in Romanorum Pontificum, in *Hieronymi* & *Auguſtini* ſcriptis inveniuntur, quæ ſententiam habent ſimpliciter hæreticam, ſi quis nunc ea profiteri contendat. Sunt humani quidam lapſus, quos aliis meritis condonat æquitas, tale quippiam mihi condonari nolim. Verùm in his tuum judicium oraculi vice fuerit, optime Præſul, quem & generis nobilitas, & vitæ pietas, & naturæ bonitas, & eruditio ſingularis ab omni malevolentiæ ſuſpicione abunde vindicant. Sed nimium diu te moror præfatione, rem aggrediar: primum ea bona fide recitaturus, quæ continet libellus huc per Cæſaris Secretarium miſſus, cujus proœmium ſic habet.

PROOEMIVM MONACHORVM.

QVONIAM *ſecundum Apoſtolum neceſſe eſt, Deo permittente, hæreſes eſſe ad fidelium probationem, atque, ut ait* Hieronymus, Æquum eſt ut quod crebro male pullulat, crebrius ſuccidatur: *variis hæreſum zizaniis pullulantibus, nunquam deſtitit cœleſtis agricola in meſſem ſuam, id eſt, ſanctam Eccleſiam, temporibus ſingulis operarios miſſitare. Atque ut priſcos hæreticos taceamus, ab illis Eccleſiarum luminibus*, Athanaſio, Baſilio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Hieronymo, *aliiſque divinis operariis rejectos atque eradicatos, cum in hac noſtra tempeſtate non parva eorundem zizaniorum ſemina ſuccreverint, ac multis in locis meſſem Dominicam propemodum ſuffocarint, ne quid tale* Hiſpaniarum *regna paterentur, miſſus es tu, Antiſtes pientiſſime, qui divina atque Apoſtolica falce ſcientiæ atque ſanctitatis ope cum natalium ſplendore mirifice ſuffragantibus, adulterina hæc ſemina, quæ inimicus homo hoſtiliter ſuperſeminarat, reſecares, eradicares, atque diſperderes, cujus*

jus diligentia atque vigilantissima cura, præceptisque Apostolicis effectum est, ut doctissimi quique viri, atque in sacris Litteris peritissimi, non solum ad tuum tribunal præclarum convenirent, iisdem de rebus te præcipiente ac præsidente tractaturi, verum etiam in compendium redigerent quæ in Erasmicis *scriptis rationibus variis à vero catholicoque dogmate dissidentia viderentur. Ea igitur quæ pro temporis angustiis ex aliquibus* Erasmi *operibus in transcursu perlectis, tua censura atque examinatione digna sunt visa, hoc præsenti libello tibi Pontificii decus suppliciter traduntur atque dicantur.*

FINIS.

TITVLVS PRIMVS.

Contra sacrosanctam Dei Trinitatem.

Ad primum Articulum, vel titulum potius, *Erasmi* responsio.

CVM meæ Lucubrationes tam numerosæ, locis innumeris, ingenue, dilucide, videque profiteantur de sacrosancta Triade, quod tradit Ecclesia Catholica, hoc est, divinæ Naturæ æqualitatem in tribus Personis, imo ut expressius dicam, eandem individuam essentiam in tribus Personis, proprietatibus distinctis, non Natura divisis: cumque toties detester *Arianorum* dogmata, insignis cujusdam impudentiæ videtur, mihi tam exsecrandæ impietatis suspicionem impingere, quasi cum *Arianis* sentiam. Nec hanc notam mihi quisquam adhuc conatus est inurere, præter quosdam Hyperbolos ad calumniandum natos, nec alia re celebres, ex quorum scriptis hauserunt, ut apparet, isti quod objiciunt.

At fortassis ineptum sit, certe molestum fuerit, hîc recitare loca, quibus doceam verum esse quod dico, cum omnes Libri mei scateant hac professione, sive serii, sive ludicri, tam crebra, tam explanata, tam non dormitante, ut quivis facile deprehendat me ex animo loqui: præsertim cum id frequenter faciam, ubi res non postulabat id dici quod profiteor. Quod si mea scripta non legerunt qui hæc objiciunt, impudenter accusant quod nesciunt. Sin legerunt, & hæc dissimulant, satis declarant se non studio pietatis, sed calumniandi morbo negotium hoc agere. Existimabam autem hanc opinionem sic esse mentibus omnium Christianorum penitus infixam, ut nunquam suspicatus sim, quenquam exoriturum Christianum, qui secus de Christiano suspicaretur. Huic animo debebat adscribi, si quid etiam incautius excidisset de sacra Triade, de qua nunquam aliud sensi, quam libris meis prodidi, nec est quisquam mortalium, qui me audierit ambigue hac de re loquentem, cum humana lingua nihil sit magis lubricum, mihi certe aliis in rebus incautior est quam vellem. Porro cum volubilior sit hominis animus quam lingua, tamen hæc impia cogitatio ne per somnium quidem unquam occurrit animo meo.

1. In Paraphrasi, quæ explanat primum Caput *Joannis*, reddens rationem, quare *Christi* divinitas non fuerit tam dilucide expressa in Veteris Testamenti libris, nec tam evidenter prædicata initio ab Apostolis, quam *Joannis* Euangelium enuntiat, præter alia loquor hunc in modum: *Non protinus perdoceri poterat tres esse Personarum proprietate distinctos, quorum quisque Deus esset, & tamen non nisi unus esset Deus ob eandem Naturam divinam tribus ex æquo communem.* Arbitror hanc professionem de tota Triade citra controversiam esse catholicam.

2. Sequitur aliquanto post: *Totus* (de Patre loquor) *ac semper in se est, & qualis est ipse, talis ab eo semper nascitur Filius, æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo, denique Deus à Deo, nec posterior se gignente, nec inferior, æterna mentis sermo æternus.* His quid fingi potest evidentius?

3. Aliquanto superius habentur hæc verba de Filio: *Silentes interim de nativitate divina, quæ sine initio, non enarrabili modo nascitur à Patre, & à manifesto Dei cognomine temperantes,* & cætera. Nihil potest nasci sine initio, nisi Deus ex Deo.

4. Rursus ibidem paulo superius: *Pro temporum illorum ratione sic declararunt ejusdem Naturam divinam.*

5. Ibidem: *Ut quidam non veriti sint* Jesu Christo *adimere naturam humani corporis, pro homine spectrum inane ac præstigium subjicientes, quidam è diverso divinam Naturam ei detraherent, mentientes tum demum cœpisse, cum nasceretur ex Maria,* &c. Audis & hîc Naturam divinam aperte tribui *Christo.*

6. Ac mox: *Cum Deus verus hominem verum assumserit, ut idem esset utrumque, neque quicquam interim decederet incommutabili natura divina, & constaret integritas naturæ humanæ.*

7. Mox: *Sed gignentis ac geniti similitudo, quæ in humana generatione multis modis imperfecta est, in Deo Patre & ejus Filio perfectissima est.*

8. Aliquanto inferius: *Quicquid creatum est, initium sumsit ex tempore. Sed Filius Dei bis natus est, semel à Patre ante tempora, vel potius sine tempore, ex Deo vero verus Deus rursus in tempore,* &c.

9. Ac mox de Filio Dei sic loquor: *Sic erat indivulsa Naturæ cum Patre, ut juxta Personæ proprietatem esset apud Patrem, nec sic adhærebat Patri quemadmodum accidens adhæret substantiæ, sed Deus erat ex Deo, Deus erat in Deo, Deus erat apud Deum, ob communem utrisque Divinitatis Naturam. Duos per omnia pares nulla res discernebat, nisi proprietas gignentis ac nascentis, proloquentis ac depromti proloquii.*

10. Ac mox: *Et quanquam hic sermo erat Deus omnipotens ex omnipotente, tamen Personæ proprietate discretus, non Naturæ dissimilitudine, erat apud Deum Patrem.*

11. Iterum mox: *Sed per hunc sibi coæternum sermonem suum Pater condidit universa,* &c. Nihil autem coæternum Deo Patri præter Filium & Spiritum Sanctum.

12. Rursum mox: *Non velut instrumento utens aut ministro, sed ut ejusdem naturæ ejusdemque virtutis Filio.*

13. Iterum mox: *Sed per Filium quem sibi per omnia parem ab æterno genuerat, ac sine fine gignet.*

14. Rursum aliquanto inferius de Filio loquor: *Siquidem ut est fons vitæ omnibus, ita est & fons lucis, nimirum Patre per æternam nativitatem in eum transfundente divinæ Naturæ plenitudinem.*

15. Item post complures versus: *Nam ideo Dei Filius ac Deus, ipse sese demisit ad humilitatem nostram.*

16. Rursus aliquanto inferius: *Adhuc habitabat in nobis, carnem humanam gestans Divinitas.*

17. Item circa finem hujus Capitis: *Nam tametsi discipuli veluti per somnium admirabantur in* Christo *quiddam majus homine, tamen nondum ad plenum credebant in eo plenitudinem esse divinitatis.*

Hæc tam multa ex unius Capitis paraphrasi decerpsimus, quæ vereor ne jam nimium multa videantur, sed tua pietas, ornatissime Præsul, dignabitur & reliqua patienter audire, quo dilucide perspiciat, quales sint qui tibi mihique facessunt negotium, vestræque Regionis tranquillitatem reddunt, quod quidem in ipsis est, irrequietam.

18. In Præfatione ad Regem *Ferdinandum Caroli* Cæsaris germanum ita scribo: *Præcipuam autem causam esse putant cur scripserit hoc Euangelium, ut* Christi *divinitatem assereret adversus hæreses jam tum veluti malam zizaniam in bona segete suppullulantes,* &c.

19. Et aliquanto post: *Oportebat non ignorari divinam ejusdem Naturam,* &c.

20. Ac mox: *Superiores autem Euangelistæ de divinitate Domini* Jesu *pene nihil attigerant.*

21. Rursus aliquanto inferius: *Hæreticorum itaque temeritate Apostolus compulsus est, apertius asserere* Christo *divinam Naturam: quemadmodum* Arianorum *audacia compulsi sunt orthodoxi Patres, certiora quædam de rebus iisdem definire.*

22. Ha-

Digitized by Google

22. Hactenus ex Paraphrasi. Nunc ex Annotationibus in hoc idem cap. scriptis prima Editio sic habebat: *Mos enim hic est Divinæ Scripturæ, plerunque* Dei *vocabulum, licet omnibus Personis ex æquo commune, Patri tribuere*, &c.

23. Ibidem & in posterioribus ita legitur: *Et Deus erat Verbum. Hoc loco* Deo *non additur articulus, cum tamen vere ac natura Deum significet. Verum id fecit coactus. Alioqui non poterat simul explicare divinam essentiam tribus communem Personis.*

24. Aliquanto post: *Et Verbum caro factum est. Quanquam divina natura in anima pariter ac corpore* Christi *habitabat, non inclusa, sed unita*, &c. An hæc videntur obscure dicta?

25. Paraphrasis in Epistolam ad *Romanos* circa principium hæc habet: *Qui in tempore natus est e stirpe* Davidica *juxta carnis infirmitatem, sed idem declaratus est æterni Dei æternus esse Filius juxta Spiritum omnia sanctificantem*, &c. Quisquis Filium Dei profitetur æternum, is negat esse creaturam, prædicans esse Deum. Constat enim nihil simpliciter æternum esse præter divinam naturam.

26. Rursum Paraphrasis in caput ejusdem Epistolæ nonum haud procul a principio sic loquitur: *At* Christus *sic est homo, ut idem sit & Deus, præsidens omnibus, cui soli debetur laus in omne ævum, Amen.*

27. Et in Annotatione differens de varia hujus loci lectione, diversaque Veterum interpretatione, inter cætera sic loquor: *Quod alias apud* Paulum Dei *vocabulum Patri soleat tribui, Filio* Domini, *non quod minus competat in Filium quam in Patrem, sed quod magis sic expediebat illis temporibus*, &c. Obsecro te, Christiane Lector, quid dici potuit explanatius, magisque contra *Arianos*?

28. Rursum in *Joannis* cap. xx. circa finem sic habet Paraphrasis: Thomas *ubi vidisset & contrectasset, agnoscens & formam & solitam Domini vocem, jam plena concepta fide, exclamavit*, Dominus meus & Deus meus. *Quemadmodum enim fuerat ad credendum difficilior, ita nemo clarius Deum & hominem professus est*, &c.

29. Annotatio in hunc locum sic habet: *Hic est unus locus, in quo palam Evangelista* Christo Dei *vocabulum tribuit. Alioqui cum innumera sint argumenta in libris Novi Testamenti, quibus evidenter liquet piis mentibus*, Christum *Deum pariter atque hominem fuisse* &c.

30. Et ne quis Hæreticus diceret hoc a Discipulo dictum nimio studio Præceptoris, quales blasphemias solet evomere *Porphyrius*, subjicio: *Hoc a Discipulo dictum agnovit* Christus, *utique repulsurus, si falso fuisset dictus Deus, præsertim cæteris audientibus Discipulis.*

31. Ad hæc ad *Philippenses* II. sic de *Christo* loquitur Paraphrasis: *Atque ille cum natura Deus esset, atque ipsis factis se Deum esse declararet*, &c.

32. In Annotationibus autem indicans hunc locum bifariam exponi, utramque lectionem amplector, quod neutra pugnet cum doctrina catholica. In Paraphrasi tamen sequor quæ pugnat cum *Arianis*.

33. In Epistolam ad *Romanos* cap. I. super hunc locum, *A Deo Patre & Domino meo Jesu Christo*, sic loquitur Annotatio: *Sed ita ut ea sermonis forma nec Patri auferat dominationem, nec Filio deitatem. Siquidem eadem natura qua Pater Dominus est, & Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Dominus nominatur*, &c. Hic nullo involucro tribuo Personis omnibus deitatis ac dominationis æqualitatem.

34. Rursus *Joannis* cap. XIV. sic Paraphrasis sub persona *Jesu: Cum igitur sim imago Patris, illi per omnia similis, meque ex factis dictisque jam nosse debueritis, porro noviisse vidisse est: qua fronte mihi dicitis*, Ostende nobis Patrem, *quasi qui me viderit, non idem viderit & Patrem meum, non quod non alius sit Pater quam ego, sed quod inter duos nulla sit dissimilitudo juxta naturam sublimiorem*, &c. Hæc cantio quantum dissonat ab *Arianis*, qui negant Filium ullo modo similem Patri juxta divinam naturam?

35. Item *Joannis* X. super hæc verba, *Pater & ego unum sumus*, Paraphrasis utramque sententiam complectitur, videlicet de consensu voluntatis & unione naturæ, ita loquens: *Inter Patrem & me sicut est absolutum potestatis consortium, ita summus est voluntatis consensus, prorsus unum sumus, pariter potentes, idem volentes, idem nolentes* &c. Cum hunc locum quidam interpretentur de concordia consensuque voluntatis, idque nequaquam absurdis argumentis videatur Evangelista sensisse, tamen addo consortium naturæ & potestatis æqualitatem, minime facturus, si favissem *Arianis*.

36. Præterea cap. XIV. Paraphrasis habet hæc verba: *Tres sumus, sed ita conjuncti, ut qui unum diligit, omnes diligat oporteat: qui unum habet, nullo careat* &c. An hic non satis aperte profiteor trium Personarum eamdem & individuam naturam?

37. Item *Joannis* XVI. in Paraphrasi sic Filius loquitur de Spiritu Sancto: *Non quod non sit eadem potentia, sed quod sic expediat humani generis saluti, negotii partes in tempora partiri.*

38. Rursus ibid. de Patre & Spiritu loquitur Filius: *Nihil inter nos non commune omnium. A Patre proficiscuntur omnia, sed nihil est illius quod idem non sit meum, nec quicquam est Patris aut meum, quod Spiritui non sit commune.*

Ibidem paulo ante de Spiritu Sancto loquitur Filius: *Est enim non solum omnipotens, sed etiam omniscius.*

39. Item *Joannis* XVII. super illud, *ut agnoscant te solum verum Deum*, sic loquitur Annotatio: *Hic locus præter alios* Arianis *præbet occasionem erroris, ut dicerent solum Patrem esse vere & proprie Deum, cum quod* solum *dixit, non excludat Filium, sed separet verum Deum a Diis Gentium* &c. Obsecro te, Lector, nonne hæc Annotatio mire spirat *Arianum*?

In Paraphrasi, quoniam facio *Christum* loquentem, non potui idem proloqui, quod *Christus* ante peractum passionis mysterium signis quibusdam præparavit suorum animos ad cognitionem divinæ naturæ, nunquam tamen hoc aperte proloquutus est.

40. Insuper I. *Corinth.* VI. circa finem, Paraphrasis explanans Apostoli verba, *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti* &c. loquitur hunc in modum: *Jam ipsum quoque corpus sic Deo consecratum est, ut templum sit Spiritus Sancti.* Et mox: *Ne velitis in hujus contumeliam polluere corpora vestra, verum ut animorum innocentia, ita corporum integritate, numen inhabitans in vobis circumferatis, & apud homines illustretis* &c. Cum hic locus aliter possit exponi, tamen ego sequor eam sententiam, quæ pugnat cum *Arianorum* dogmate, Spiritum appellans numen.

41. In Epistola *Joannis* I. cap. V. Annotatio explanans illum locum, *Et hi tres unum sunt*, sic habet: *Principio quod colligunt verissimum est, Patris & Filii & Spiritus Sancti eamdem esse naturam simplicissimam & individuam. Id ni esset, non vere nasceretur a Patre Filius, nec vere Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet, utique Deus de substantia Dei* &c. Quid ais Lector? num hæc tibi videntur ambigue dicta? Nunquid spirant *Arianum*? Non opinor.

42. In *Matthæi* cap. XVI. sic loquitur Paraphrasis: *Tu es* Christus *Filius Dei vivi, non suspicionem proferens, sed certa & indubitata sententia profitens illum esse Messiam a Prophetis promissum, singulari quodam more Filium Dei.* Hic quum dico *Christum* singulari ratione Filium Dei, nimirum profiteor natura Filium esse, juxta quam dicitur unigenitus. Alioqui multos dicitur habere fratres.

43. *Marci* IX. sic loquitur Paraphrasis: *Porro quoniam Dominus sic temperarat omnia dicta factaque, ut nunc promeret indicia divinæ virtutis, nunc ostenderet veritatem humanæ naturæ* &c. Et hic profiteor *Christum* Deum & hominem.

44. *Lucæ* VI. sic habet Paraphrasis: *Erat enim in eo fons ac plenitudo virtutis divinæ* &c. Hæc de nullo homine puro dici possunt. Non dubito quin innumera sint loca in Paraphrasibus, quæ pronunciant eamdem sententiam, sed hæc casus obtulit. Longe vero plura erant futura, nisi dispensatio prædicationis Evangelicæ divinitatis mysterium in Filio & Spiritu Sancto ad tempus celasset, obscuris tantum involucris indicans. In Paraphrasi vero quoniam serviendum erat personis, oportuit ab hac dispensatione non omnino discedere.

45. In *Colloquio de fide* sunt hæc verba: *Credis* Jesum *fuisse Deum & hominem?* Respondetur: *Maxime.* Rursus aliquanto inferius: *Credis in Spiritum Sanctum?* Respondetur: *Credo hunc esse verum Deum una cum Patre & Filio.* Rursus aliquanto post: *Est Filius similior Patri quam*

Digitized by Google

Spiritus Sanctus? Respondetur: *Non juxta naturam divinam* &c. Satis, opinor, dilucide naturam divinam æqualiter tribuo tribus Personis. Et hæc quidem ibi dicuntur a persona suspecta de hæresi, sed approbantur a persona orthodoxi. Id enim agebatur in hoc Colloquio, ut quando qui dicuntur *Lutherani*, in tot articulis qui præcipui sunt nobiscum sentiunt, in cæteris item consentire debeant quæ sunt minoris momenti, quanquam altera pars non est addita, ne quos nolebam irritarem.

46. Item in *Carmine*, quo pueris trado rudimenta fidei, hunc in modum loquor de Spiritu Sancto:

Te quoque credo fide simili spirabile Numen,
Halitus afflatusque Dei sacer, omnia lustrans.

47. Cum in Symbolo Apostolorum *Dei* nomen non expresse tribuatur Spiritui, ego tamen *Numen* appello, quod plus est quam si dixissem *Deus*. Deos enim & homines vocat Scriptura, Numina nequaquam.

48. In eodem habentur hi versus:

Atque hic ternio sanctus & omni laude ferendus
Toto ex corde mihi, tota de mente, supremis
Viribus, obsequio, meritoque coletur honore.
Hunc unum reverebor, & hoc semel omnis in uno
Spes mea figetur, hoc omnia metiar uno,
Hic propter sese mihi semper amabitur unus.

Vides hîc tam multa de latria, de spe, de amando propter se, de summa reverentia, tribus Personis ex æquo tribui. Et hæc qui inculcat pueris, sentit cum *Arianis*?

49. In principio *Precationis ad Jesum* Virginis Filium habentur hæc verba: *A Patre fonte lucis omnis, qui cum Sacri Spiritus incogitabili nexu sic coheres, ut neque monadis simplicitas Personarum confundat discrimina, neque triadis proprietas usia scindat communionem* &c. Quam dilucide tribuo Personis tribus eamdem essentiam?

50. In *Paane* loquor hunc in modum: *Deum peperisti, miratur cœlum. Deum edidisti, stupescit natura. Deum enixa es, Dei Mater es* &c.

51. In *Obsecratione* habentur hæc: *Nihil non potest Pater, nihil item non potest Filius, ut qui ab omnipotente nascatur omnipotens*, & cætera. Constat *omnipotentis* vocabulum in neminem competere, præterquam in divinam naturam.

52. In eadem alio loco: *Cum te conscia faber ille singularis Spiritus immortalis in officina uteri tui triforme opus sacris ternionibus absolveret, purissimum Filii tui corpusculum de virginei sanguinis tui guttula repente fingens, simulque beatam illam animam de nihilo creatam mortalibus quidem, sed omnino sinceriſſimis organis inserens, cum anima vero parte liquidissima divinitatem agglutinans, atque ita limum, vitam, ac Deum tam concordi discrimine & & discreta concordia copulans, ut inter se non permixtæ naturæ, in eamdem tamen coirent personam.*

53. In *Concione de puero Jesu* sic loquor de *Jesu*: *Qui quidem ineffabili, imo etiam incogitabili ratione Deus a Deo semper absque tempore nascitur, æterno summoque parenti per omnia æqualis.*

54. In Commentario, quo expono primum Psalmum, ita loquor de Hæreticis: *In hoc obambulârunt* Ariani, *qui Patrem & Filium & Spiritum Sanctum negant ὁμοούσιους, id est, ejusdem essentiæ* &c.

55. Idem profiteor in *Carmine natalitio*, idem in *Carmine expostulatorio*, sub persona *Jesu*. Illic præter alia habetur hic versus:

Ut qui sim genitore Deo Deus ipse profectus.

Nec aliud ago in *Disputatione de pavore ac tædio Jesu*.

56. In Commentario, quo explano Psalmum secundum, hæc habentur: *Totius Ecclesiæ caput* Christus *est, qui est super omnia Deus, benedictus in secula.*

57. Ibidem aliquanto post: *Ut tamen auctoritas deferatur Patri, cum quo habet omnia communia* &c. Si omnia sunt *Christo* communia, præter prærogativam paternæ proprietatis, habet & æternitatem & essentiam communem.

58. Rursus aliquanto post: *Qui non vulgari more sit Filius per adoptionem, quemadmodum alii complures, sed singulari & incommunicabili ratione* &c. Qui natura Filius Dei dicitur, solus est & unicus.

59. Ac mox: *Ita Dei Filius semper hodie nascitur a Patre, quemadmodum semper est a Patre.*

60. Item post aliquammultos versus: *Ita Pater vicissim resurrectione glorificavit Filium, non quod illi quicquam accesserit gloriæ, sed quod gloriam, quam semper habuit apud Patrem, habere cœpit & apud homines.*

61. Rursus in Psalmum quartum ita loquor de simulacris & vero Deo: *Erroris erat hæc adorare priusquam Evangelica tuba per universum orbem personuerat, non esse adorandum nisi unum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum* &c. An qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum appellat unum Deum, sentit cum *Arianis*?

62. In eodem haud procul a fine sic loquor: *Quoniam autem summus & æternus consensus est inter* Christum *& Patrem, quoniam unum sunt* & cætera. Reddo rationem quare summus consensus sit inter Patrem & Filium, quo major esse non possit, quia sunt idem, hoc est, ejusdem individuæ substantiæ.

63. *Querimonia pacis* quodam loco sic habet: *Vide quæso quam insignem concordiam exigat in suis* Christus: *non dixit ut sint unanimes, sed ut sint unum, neque id quocunque modo, sed* sicut nos, *inquit*, unum sumus, *qui perfectissima & ineffabili ratione sumus idem* &c. Utrum est hoc sentire cum *Arianis*, an potius eorum sententiam explodere?

64. In *Methodo Theologiæ* hæc habentur de *Christo*: *Nunc divinæ naturæ profert indicia, cum ventis imperat* &c. *nunc divinitatem dissimulans, hominem agit* &c.

65. Rursum post duas paginas peculiari capite pluribus verbis refero argumenta utriusque in Christo naturæ, divinæ & humanæ.

66. In *Matrimonio Christiano* sic loquor: *Nam visibilis illa conjunctio qua fit* &c. *designat mutuam animorum benevolentiam, deinde mysticam & ineffabilem conglutinationem divinæ naturæ & humanæ* &c.

67. Ac dilucidius etiam in superioribus: *In primis summum illud & Angelis etiam adorandum mysterium, quo se divina natura ineffabili nexu sic junxit humanæ, ut in unam & eamdem hypostasin jungerentur Filius Dei, anima humana, & corpus humanum.*

68. Et aliquanto inferius hæc habentur: *Conceptus opificem, Spiritum Sanctum, fœtum Deum & hominem.*

69. Iterum ibidem: *Eoque pronunciant conjunctionem hominis & Dei in hypostasi Christi.*

70. In *Apologia ad Fabrum Stapulensem* habentur hæc verba: *Quid enim majestatis accedit ei, qui semper æqualis est Patri: aut qui diminui potuit, cujus divinitati nihil decessit, humanitas evecta est?*

71. In eadem hæc sunt: Jesum Christum *unam esse personam, eumdem Deum & hominem, & quanquam quadam in illum competunt ratione divinæ naturæ, quædam humanæ, tamen utrocunque nomine de illo prædicari propter hypostaseos unitatem, adeo ut recte dicatur Deus mortuus esse, rursus homo dicatur æqualis Deo Patri.* Hîc manifesto tribuo *Christo* æqualitatem cum Patre. Et alibi identitatem essentiæ profitens, rejicio proportionem identitatis. Verum hujusmodi sententiæ toties repetuntur in ea Disputatione, ut permolestum fuerit singulas adducere.

72. In *Præfatione in Hilarium* habentur hæc verba: *In quibus*, scilicet Scripturis, *ut aliquoties Filio tribuitur Dei cognomen, ita Spiritui Sancto nusquam aperte, etiamsi post Orthodoxorum pia curiositas idoneis argumentis comperit e Sacris Litteris in Spiritum Sanctum competere quicquid Filio tribuebatur, excepta Personarum proprietate.*

73. Item aliquanto post de Personarum æqualitate sic loquor: *Atque hæc dixerim, non ut in dubium vocem quod nobis e Divinis Litteris Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas* &c.

74. Respondens *Edouardi Lei* Annotationi, inter novas XXII. sic loquor: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sapiunt, & tamen eadem est sapientia: tres volunt, & tamen eadem est voluntas: tres providunt, & tamen eadem est providentia: tres sunt, & tamen eadem est essentia* & cætera. Quæso num quid dici potest apertius? Respondens ejusdem Annotationi LXXI. sic loquor: *Cum inter* Leum *& me nulla sit de re controversia, neque aliud unquam scripsi aut sensi de trium Personarum eadem singu-*

Digitized by Google

ſingulari ac ſimpliciſſima eſſentia, quam ſentiunt Orthodoxi.

75. Et ibidem doceo ſic eſſe eamdem naturam divinam totam in tribus Perſonis, quemadmodum eadem anima tota eſt in ſingulis corporis membris, cum ſit forma ſimplex & indiviſibilis, at divinam naturam eſſe multo ſimpliciſſimam.

76. In Commentario, quo clariſſimi viri *Thomæ Mori* filiabus explano Carmen *Prudentii* de Epiphania Domini, ſic loquor: *Trinam indolem. In hypoſtaſi* Chriſti *tres erant ſubſtantiæ ſive naturæ, divina natura, anima humana, & corpus humanum.*

77. Rurſus in *Carmen natalitium Jeſu* loquor hunc in modum: *Sic Sermo Dei ante conditum mundum ſemper naſcens ex corde Patris, nec inde recedens, ſapientia erat* &c. Quod ſemper a Deo naſcitur, non poteſt non eſſe verus Deus.

78. Rurſus alibi: *Juxta eam, quæ nec cogitabilis eſt homini, ſine initio, ſine fine, ſemper a Deo Patre naſcitur, ſemper natus fuit Deus ex Deo, omnipotens ex omnipotente.*

79. Iterum aliquanto ſuperius: *Sic Pater producit Filium, ut tamen Filio non ſit prior.*

80. Rurſus ſuperius de Filio: *Semper autem a Patre naſcitur, veluti radius æternus a ſole ſempiterno* &c. Hæc immane quantum diſcrepant ab *Arianorum* dogmate.

Hujuſmodi ſermonibus cum undique ſcateant meæ lucubrationes, quas adoleſcens, quas juvenis, quas ſenex, quas joco, quas ſerio ſcripſi, qui ſuſpiciones iſtas impingunt, aut non legerunt mea ſcripta, aut ſi legerunt, contra ſuam ipſorum conſcientiam proximo ſtruunt calumniam. Neque enim dubito quin ducenta loca præter hæc quæ recenſui queant in meis ſcriptis inveniri, ſi quis inquirat: nam hæc tantum ex memoria pro tempore commemoravimus, divinantes ubi talium rerum fieri poſſet mentio. Piget enim me tam impudentibus calumniis, toties reſpondendo, bonas horas melioribus rebus collocandas perdere. Et hæc qui pueris, qui ſenibus, qui viris ac mulieribus nuſquam non inculcat infigitque, nonne merito ſuſpectus habetur de hæreſi *Ariana*? Nihil facilius quam calumniam intendere, diluere non perinde proclive eſt. Proinde non me fugit hoc iſtos agere, ut hujuſmodi moleſtiis me vel a frugiferis avocent laboribus, vel in caſtra *Lutheranorum* protrudant, quanquam fruſtra moliuntur: ego enim nec in odium cujuſquam, nec in gratiam recedam ab Eccleſiæ conſortio. Ad hanc petulantiam invitat iſtos otium, numerus, & impunitas. Poſteaquam Diis, ut ajunt, hominibuſque plaudentibus repulſa eſt calumnia, tantum quieſcunt, & ζηλώδεις dicuntur, fruunturque ſua malitia, quod eum cui male volebant traduxerint, itaque vicerint etiam victi. Verum hæc alias: interim validiſſimis argumentis utantur oportet, quibus perſuadeant *Eraſmum* talibus dictis implentem ſuas lucubrationes impie ſentire de ſacroſancta Trinitate. Audiamus igitur quid adferant. Nec dubium quin quod eſt omnium validiſſimum ad calumniam in prima collocarint acie.

CONTRA SACROSANCTAM DEI TRINITATEM. PRIMI CAPITIS ARTICULUS PRIMUS.

Objectio 1. Eraſmus *in Annotationibus primæ* Joan. v. *corruptos Codices defenſat, in beatum* Hieronymum *debacchatur*, Arianorum *cauſam agit atque tutatur. Nam & locum illum*, Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt, *bello inexorabili impugnat, ſuffragantia omnia reſpuit, rationes etiam frivolas undique in contrarium coacervat, divum* Hieronymum *his verbis impetit:* Quanquam ille, *ſcilicet* Hieronymus, ſæpenumero violentus eſt, parum pudens, ſæpe varius, parumque ſibi conſtans. Hæc illi.

Reſponſio 1. Nunc ad primum Articulum, ſi modo hi ſunt vocandi Articuli, ac non potius impudentes calumniæ ex indice calumniatoris alicujus libri decerptæ.

Primum ipſe titulus declarat quale ſit reliquum negotium, *Contra ſacroſanctam Dei Trinitatem.* Quis non horreat hunc titulum? Jam hoc eſt pronunciare, non deferre. At iſtis conceſſum eſt reverendiſſimo Epiſcopo *Hiſpalenſi* exhibere Articulos citra convitium, non præjudicium edere cum contumelia, tum judicis, tum noſtra. Nec tamen, opinor, judicem tam hebetem ducunt, ut talibus titulis commoveatur: ſed hæc ſpargunt inter ſimplices, qui præter titulos nihil legunt, vel ſi legant carent judicio. Verum interim non meminerunt experrectum a lethargo mundum, adeo ut idiotis quoque & mulierculis ſit naſus. Quis autem non videat hæc ex indice deſcripta? Eraſmus *Codices corruptos defenſat, in beatum* Hieronymum *debacchatur*, Arianorum *cauſam agit atque tutatur, locum de Trinitate bello inexorabili impugnat, ſuffragantia omnia reſpuit, rationes etiam frivolas undique in contrarium coacervat* &c. Agnoſco, agnoſco phraſim hominis, & brevi tractabitur ut dignus eſt, quandoquidem neſcit deſinere.

Atqui legitimi inquiſitoris eſt primum recitare verba, ut habent, quæ putarit aliquid habere impietatis, deinde paucis ſubjicere quid in illis offendat. Hoc ſi neſciunt, legant Articulos *Pariſienſium* Theologorum, & quos olim ediderunt, & quos nuper prodiderunt in *Lutherum*: legant Articulos Scholæ *Colonienſis* ac *Lovanienſis*: legant Articulos Bullæ per *Leonem* decimum in *Lutherum* proditæ. Quod ſi proponunt ſuas vel ſententias vel opiniones de ſuo capite, ipſorum eſt probare quod aſſeverant, non eſt meum cauſam dicere. Nam quod attinet ad primam calumniæ particulam, nec uſquam ſciens defenſo corruptos Codices, ſed quod in Græcis comperio bona fide trado Latinis auribus, incolumi, quod ad me quidem attinet, vulgata lectione, & in annotatione utra lectio mihi germana videatur indico, judicium Eccleſiæ deferens, quod hactenus a me factum eſt in omnibus.

Sed quid hoc ad cauſam ſacroſanctæ Trinitatis? An ea perſuaderi non poterit, ſi hæc particula abſit a ſacris Codicibus? Atqui Græcis potiſſimum bellum fuit cum *Arianis*, & tamen nullus illorum, quod equidem compererim, adfert hoc teſtimonium. Non hoc ibi vertebatur in dubium, an Patris, Filii, & Spiritus Sancti ſit eadem eſſentia; nam id ubique mihi convenit cum his, qui locum hunc arroſerunt: ſed illud ventilabatur, utra lectio ſit Apoſtolicæ veritatis, noſtra qua nunc utimur vulgo, an Græcorum. In Paraphraſi ſequor, quod habent nunc Latinorum Codices. In Annotationibus autem admoneo Lectorem utri lectioni magis faveam, argumentis nec paucis nec levibus in hoc adductis. Quæ ſi quis volet cognoſcere, legat quæ reſpondimus annotationi *Lei*, quæ eſt inter novas xxv. legat quæ poſt reſpondimus *Stunicæ* locum eumdem calumnianti, legat quæ proxime reſpondimus rabulæ cuidam impudentiſſimo; ſcriptum adjectum eſt vitæ *Babylæ* Martyris per *Chryſoſtomum* Græce deſcriptæ; denique legat quæ tractamus in hunc locum in Annotationibus præſertim Editionis quartæ, quæ prodiit anno 1527. Quorſum enim attinet eadem ſubinde repetere? Si hic locus aberat in Latinis Codicibus, unde reſtituit *Hieronymus*? Ex Græcis? Atqui probabilius eſt in emendatis Græcorum Codicibus abfuiſſe. Alioqui ſi ſublatum erat hoc teſtimonium, a quibus ſublatum eſt? Nimirum ab *Arianis*. At quî tantum licuit *Arianis*, ut omnes etiam Orthodoxorum Codices corrumperent? Quod ſi Codices Orthodoxorum habebant hanc lectionem, & faciebat adverſus *Arianos*, cur nullus eorum, qui ex profeſſo pugnant adverſus *Arianos*, locum hunc protulit? Nec *Athanaſius* in libris *de Trinitate*, nec in Epiſtolis, in quibus aſſerit divinam naturam Sancto Spiritui; nec *Didymus* in tribus voluminibus, in quibus nihil non excutit, ex Sacris Litteris, ad probandum Spiritum eſſe Patri Filioque homuſion; nec *Nazianzenus* ex profeſſo ſcribens de Spiritu Sancto; nec *Chryſoſtomus* toties belligerans adverſus illorum hæreſim; nec *Theophylactus Chryſoſtomi* ſimius; nec *Cyrillus*, præſertim in Opere cui titulus *Theſauro*, in cujus lib. IV. cap. penultimo refert hunc *Joannis* locum, nec addit teſtimonium Patris, Verbi, & Spiritus; nec *Ambroſius* in libellis quos *Didymum* imitatus conſcripſit de Sancto Spiritu; nec *Hilarius*; nec *Auguſtinus* uſquam, quod ſane meminerim, diſputans cum *Arianis*, utitur hoc teſtimonio. Hujus Commentarii uſque ad hanc Epiſtolæ partem

Digitized by Google

extant, reliquum desideratur. *Beddæ*, qui eas redegit in compendium, commentarium vidi pervetustum in membranis scriptum, in quo testimonium de Patre, Filio, & Spiritu Sancto adscriptum erat in margine, sed manu recentiore, unde probabiliter conjectandum est, nec apud *Augustinum* hoc testimonium fuisse.

Nec satis perspicio quid moliantur, qui contendunt hunc locum esse necessarium ad probandam eamdem individuam naturam trium Personarum. Si fatentur aliis multis locis id probari, nihil decedebat fidei, etiamsi hîc non esset. Si non potest aliunde doceri, nihil egerunt tot Ecclesiæ Doctores, qui sine hujus loci præsidio depugnarunt adversus *Arianos*. Absit ut nos in tantum discrimen cogamus dogma tantum Ecclesiæ catholicæ, ut plane labascat, si quis doceat hunc locum non esse veritatis Apostolicæ. Imo cum unicus sacræ Scripturæ locus abunde sufficiat ad certitudinem fidei nostræ, nihilo melius haberent *Ariani*, etiamsi hæc particula abesset, cum *Athanasius*, *Didymus*, *Cyrillus*, præter alios, tot Scripturarum testimoniis, tot argumentis doceant trium Personarum eamdem naturam.

Nec video cur *Ariani* putarint hanc scripturam eradendam, cum illam apud *Joannem* non eraserint, *Ego & Pater unum sumus*. Sed interpretantur illum de consensu voluntatis, quod hîc multo facerent probabilius, cum & ex ipsa re & veterum etiam Orthodoxorum interpretatione locus hic sentiat de testimonio paternæ vocis, baptizato Filio, & testimonio Spiritus, columbina specie super illum descendentis, deque Filii prædicatione, morte, & resurrectione. Quanquam autem hæc interpretatio non repugnat trium Personarum æqualitati, tamen hinc non potest coargui Hæreticus, cum superius testimonium sanguinis, aquæ, & spiritus nullo modo possit ad eamdem essentiam referri.

Jam absurdum non arbitror excutere Veterum argumenta, quibus usi sunt adversus Hæreticos, inter quæ sunt quædam quæ numero valent potius quam viribus, & apud dociles valent quæ non valent adversus rebelles. Id si fas non est, cur quotidie fit in Diatribis Theologicis? Non enim hac ratione subvertitur fides catholica, sed roboratur potius. Quod si quis objiciat vitandum fuisse scandalum, nos ista vulgo non scripsimus, sed Scholasticis privatim legenda, ne id quidem facturi, nisi calumniator quidam huc adegisset. In prima siquidem Novi Testamenti Editione, quæ prodiit anno 1516. tantum hæc annotaram in hunc locum: *In Græco Codice tantum hoc reperio de testimonio triplici*, Quoniam tres sunt qui testificantur, spiritus, aqua, & sanguis, &c. nec præferens Græcam lectionem, nec nostram taxans. Quin & in posterioribus Editionibus hujusce rei judicium Ecclesiæ defero, cui meum sensum semper submittam, simulatque claram illius vocem audiero. Nec enim unus *Hieronymus* est Ecclesia, nec statim Ecclesia damnat eum, qui dubitat alicubi de sinceritate lectionis, cum & varient Codices, & Orthodoxi non raro triplicem lectionem & adferant & interpretentur. Hæc inter eruditos & facta sunt semper, & hodie fiunt, incolumi fide. Quædam præcipit Ecclesia, quædam probat ut verisimilia, quædam tolerat, ad quædam connivet. Ecclesia publice recitat Historiam *Susannæ* & *Beli*: quotidie decantat Hymnum trium puerorum, quæ velut apocrypha *Hieronymus* notat: recitat vitas Divorum, scripta hominum, de quibus dubitare non protinus sit impietas. Verba mea in Annotatione sic habent: *Pium est autem nostrum sensum Ecclesiæ judicio submittere, simulatque claram illius sententiam audierimus*, &c.

Nec unquam disputo super hoc loco, nisi testificans verissimum esse quod isti colligunt Patris, Filii, & Spiritus Sancti eamdem esse essentiam, ne quis impium aliquid possit suspicari. Et si quid hinc oritur offendiculi, ab illis proficiscitur, qui tales ingerunt de nihilo calumnias, & rem inter eruditos tractandam in vulgum efferunt.

Postremo testimonium Patris, Filii, & Spiritus proxima restituimus Editione ex Codice quodam *Britannico*, sed recentiore. Comperimus autem aliquot Græcos Codices ad Latinorum lectionem esse mutatos: id factum est ex quo fœdus ictum inter Romanam Ecclesiam & Græcorum. Verum ideo nos diversam sequi maluimus, ut appareret quid orthodoxi Græci, quorum habemus commentarios, legerint, quod illorum enarratio frequenter non congruit ei quod nos legimus.

Quis igitur non perspicit, quam multa procaciter, ne dicam mendaciter, in unum articulum congesserit iste libellus? Pronunciat locum corruptum apud Græcos, id quod docui non esse verisimile. Pronunciat me *Arianorum* causam agere, cum ingenue profitear, quod *Ariani* negant: cumque hic locus non valeat efficaciter adversus *Arianos*, nisi quoties unum dicuntur plures, nihil aliud intelligi potest, quam eadem individua substantia: nec impugno bello inexorabili, sic enim isti loquuntur, testimonium, sed indico quid Græci Codices, quorum mihi tum erat copia, scriptum habuerunt: nec ago frivolis, sed gravissimis argumentis, quatenus licet in re conjecturali.

Jam quis unquam dictus est debacchari in eum, a cujus opinione dissentit? Alioqui quis in quem non debacchatus est? Orthodoxi Doctores frequenter a seipsis dissentiunt, non solum invicem, & mihi nusquam licebit ab *Hieronymo* dissentire? Multa sunt in Novo Testamento quæ *Hieronymus* indicavit supersesse, quemadmodum locis non paucis commonstravimus, quid absurdi, si hoc unum supersit quod ille noluit abesse? Quis unquam ardentius laudavit *Hieronymum* quam ego? Quis illi tantum tribuit? Dicent, Dissentire quidem fas est, sed reverentius. Quasi non audiamus quotidie voces has a recentioribus Theologis, Hieronymus *non erat Theologus. Erat bonus Pater. Rhetor erat, non Philosophus.* Quid contumeliosius quam *Hieronymo* detrahere scientiam rei Theologicæ? Et nuper Theologus *Parisiensis* scripsit in hanc sententiam: *Si* Hieronymus *nunc viveret, & diceret aliquid esse corrigendum in Biblia, responderemus, Obmutesce bone Pater, deliras.* Alter quidam Theologus *Carmelita*, cum in gravissimorum virorum convivio urgeretur *Augustini* testimonio, pernegavit ab eo scriptum esse quod citabatur, donec prolatus in medium Codex coargueret hominis effrontem pervicaciam. Ibi cum rogaretur, *Quid jam tandem diceret? Dico*, inquit, Augustinum *fuisse mentitum*. Hæc est istorum reverentia, qui mihi blasphemiam objiciunt, quod *Hieronymum* habeam in numero hominum. Et hîc sibi ignoscunt, nunc ubi calumniæ quæritur occasio, sacrosancta est *Hieronymi* auctoritas.

Porro quod ajo *Hieronymum* sæpenumero violentum esse, hoc est, torquere Scripturam, parum pudentem, sæpe varium, parumque sibi constantem, non esse vanum docui respondens *Leo*, prolatis aliquot locis, multo plura prolaturus si sit opus, & ni malim hominis auctoritatem sartam tectam haberi. Urgebar illius auctoritate, nec tamen cum cogerer ab illius auctoritate appellare, factum est hoc a me procaciter, aut debacchanter, sed non sine honoris præfatione. Nam *Leo* respondens utor his verbis: *Et certe in hujusmodi rebus vir ille sanctissimus satis est ardens ac vehemens, ne dicam violentus* &c. In Annotatione vero sic loquor: *Sed urgemur auctoritate* Hieronymi, *quam equidem nolim elevare, quanquam ille sæpenumero* &c. Verum isti artifices quod erat per se durius excerpserunt, prætermissis iis quæ mitigant dissensionis acerbitatem, declarantque me nihil minus quam in talem virum debacchari, cujus & sanctimoniam veneror, & eruditionem admiror in omnibus scriptis meis. Sed homo erat, nec pro divinis suos libros haberi volebat. Sunt in *Hieronymi* & *Augustini* libris aliquot sententiæ, quas si quis nunc pertinaciter tueri vellet, haberetur hæreticus. Eas honoris illorum gratia nemo traducit. At si quis errorem suum illorum auctoritate tueri contendat, jam libere rejiciendum foret illorum judicium, & si quid hinc esset offendiculi, conveniret imputari non rejicienti, sed contendenti.

Si verum est quod dixi, non possum argui vanitatis. Si huc per adversariorum calumniam adactus sum, si verbis aliquot dissensionis asperitatem mitigavi, quomodo

dicor

Digitized by Google

dicor debacchari? Sed isti potius debacchantur in proximum, cum hujusmodi procaciter impingunt.

PRIMI CAPITIS ARTICULUS SECUNDUS.

Objectio 2. ET *paulo post idem* Erasmus *pro* Arianis, *fortasse, inquit, præstiterat hoc piis studiis agere, uti nos idem reddamur cum Deo, quam curiosis studiis decertare, quomodo differat a Patre Filius, aut ab utroque Spiritus Sanctus. Certe ego quod negant* Ariani, *non video posse doceri, nisi ratiocinatione. Postremo cum totus hic locus sit obscurus, non potest admodum valere ad revincendos Hæreticos.* Hæc *Erasmus* in ultima Editione Annotationum taxatus prius atque notatus a multis.

Responsio 2. Hîc porro quid suspicentur nescio. Nam cum ante demonstrarim, me tot locis ingenue, dilucide, & expresse profiteri, tres Personas proprietatibus distinctas, non essentia, non arbitror eos suspicari me sentire cum Hæreticis *Sabellianis*, ni fallor, aut *Noëtianis*, qui negant Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum aliter distingui quam nominibus. Nam horum error ex diametro pugnat cum *Arianorum* errore. Illi docent Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non solum idem esse, verum etiam eumdem, confundentes Personas, quas hi nimium distinguunt, Filium & Spiritum Sanctum separantes a divinæ naturæ consortio, eosque in creaturarum ordinem redigentes. Quî porro convenit, ut eumdem faciant *Arianum* & *Sabellianum*? Quid igitur agebam cum illa monerem? Volebam illud esse certum firmumque, quod plus satis curiosis argutationibus interdum vertitur in dubium, id quod evenit *Arianis*: & fortasse qui hodie Philosophiæ præsidiis instructi, conantur altius penetrare in hujus mysterii adytum, sentiunt in animo vacillationis periculum, cogunturque scrutinium vertere in religionem, & quod inquirendo perdere cœperant, adorando servare. Hoc qui monet, nonne pulchre stat pro *Arianis*? An potius hoc agit, ne quis fiat *Arianus*, ab eo deterrens per quod olim seducti sunt *Ariani*? Nec tamen damno scrutinium, sed curiosas & contentiosas circa materiam hanc quæstiones, quam Angelicæ mentes adorant potius quam assequuntur. Et in hujus adyta irrumpunt homunculi, humana freti Philosophia.

Jam si quis cupiat nosse cujusmodi sint quæ disputantur a quibusdam de distinctione Personarum, de essentia divina, ne quem longius ablegem, legat quæ Scholastici Doctores, *Thomistæ*, *Albertistæ*, *Occanistæ*, *Scotistæ*, Nominales ac Reales, aliique quibuscunque censentur nominibus, prodiderunt in Sententiarum lib. I. dist. XXVI. de relationibus originis, de proprietatibus absolutis, de personis realiter distinctis, non essentialiter, de relationibus originis realibus & absolutis, de relationibus sub ratione relationis & sub alia. Et an relatio originis sit formaliter infinita. An subtracta relatione originis posset manere persona Patris constituta & distincta. An consistat, ut relatio ut comparata ad oppositum sit res, & ut comparata ad essentiam sit ratio tantum. Item de instantibus, de incircumsessionibus, aliaque his etiam curiosiora, quæ quam conferant ad Christianam pietatem alii viderint: ego sane non intelligo, præsertim cum hæc tractantium opiniones inter se non consentiant. Quod admoneo, puto pium ac religiosum esse, & tamen ne viderer omnino damnare Scholasticorum in his scrutandis studium, vide quot modis mitigarim admonitionem. Primum dico *fortasse*, ne videar contendere, liceatque per me qui velit dissentire. Præterea non pronuncio malam inquisitionem, sed indico quid propius attineat ad rem Christianæ pietatis, nimirum illud quod est prora ac puppis totius nostræ felicitatis, ut idem reddamur cum Deo, & ad exemplum divinæ concordiæ, inter nos quoque veluti corporis unius membra sub uno capite coagmentemur in unum. Quod hîc admoneo de distinctione Personarum, *Augustinus* Epistola CXII. pie monet de visione Dei. Nec his contentus addo, *curiosis studiis*. Studium autem Latinis interdum sonat factiosum favorem, velut apud *Maronem*:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Inter Scholasticos autem ex hujusmodi quæstionibus quæ dissidia quondam exstiterint, quid attinet commemorare? Postremo addo *decertare*, nimirum improbans contentiosam hisce de rebus disceptationem, &, ut *Paulus* apte loquitur, λογομαχίαν. Proinde si rem piam ac necessariam admonui, si tanta admonui moderatione, si quod admoneo confirmat sententiam ab Ecclesia traditam, & excludit *Arianam* impietatem, qua fronte dicor agere causam *Arianorum*? Ne Scholasticorum quidem greges habent quod mihi succenseant, ut qui satis aperte declararim, me ne de his quidem quæ superant captum humanum improbare disputationem sobriam, modestam, ac religiosam.

Sed illud prima fronte durius videtur quod his subjicio: *Certe ego quod negant* Ariani *non video posse doceri, nisi ratiocinatione.* Verum ex his, quæ præcedunt & quæ frequenter aliis dissero locis, liquido patet, pium esse quod dico. Refellens enim quod objiciebant adversarii, qui volebant hunc locum videri necessarium ad convincendos *Arianos*, ostendebam nec esse necessarium, cum id ex aliis locis abunde constaret, nec efficacem, etiamsi constaret hoc ab Apostolo scriptum. Nobis quibus persuasum est, non erat necessarius locus *Arianis* convincendis: non erat efficax, quibus erat quod hîc probabiliter responderent. Atque haud scio an ignorata vocis elegantia præbeat occasionem calumniæ. Nam *docere* positum est pro *evincere*. Aliter enim docet Grammaticus litteras, Evangelista *Christum*, aliter actor docet quod objicit reo. Ille persuadet, hic tabulis, testibus, signis, & argumentis evincit, ut reo non sit quod respondeat. Hoc obiter admoneo, quod compertum habeam istos, qui neglectis bonis litteris repente ad Philosophiam ac Theologiam provolarunt, hac occasione frequenter labi, & nostro & ipsorum malo: nostro, qui sine causa traducimur: ipsorum, qui suæ conscientiæ gravius infligunt vulnus quam nostræ famæ. Quid igitur est quod hic locus evinceret ab *Arianis*? Filium Patri esse *homusion*, hoc est, ejusdem essentiæ? Cum Deum esse faterentur & magnum Deum, verum Deum negabant. Verum autem Deum sentiebant, non qui falso esset contrarius, sed qui perfectissima ratione Deus esset. Id esse non potest præter Deum Patrem, nisi qui sit ejusdem individuæ substantiæ cum Deo Patre. At verbum *homusion* non est in Litteris Divinis. Ex his igitur solis doceri non potest quod negant *Ariani*. Etenim si quis illis objiciat, *Christum* dici *Filium*, & Filium nasci de substantia Patris, respondebit Hæreticus & pios homines dici *Dei filios*, & *ex Deo natos*. Si quis objiciat *Christum* appellari *Deum*, respondebunt & eos, ad quos factus est sermo, dici *Deos* approbante *Christo*. Et alioqui similitudo, qua divus *Augustinus* urget *Maximinum*, quot modis dissidet a re? Homo non gignit solus, & gignit de particula substantiæ suæ, nec quod decessit statim est homo, nec est eadem numero substantia cum patre, nec totam substantiam pater transfundit in filium, nec a patre gignitur hominis anima, melior illius pars, nec semper filius est per omnia patri similis. Ergo cum hæc similitudo tot habeat dissimilitudines, valebit quidem ad erudiendum Christianum: ad Hæreticum autem revincendum parum erit efficax, nisi ad Scripturam irrefutabilem accedat argumentatio. *Christum* non vulgari more dictum *Filium* concedit *Arianus*, & alio modo dictum *Deum*, quam dicuntur homines pii, aut Principes in Hebræorum litteris, concedunt, & nasci de Patre fatentur. Dei vero substantiam esse simplicissime simplicem fatentur. Ex his oritur collectio, Si nascitur singulari ratione a Patre, non adoptione Filius est, sed natura. Si natura, nascitur e substantia Patris: sed Dei substantia dividi nullo modo potest, quemadmodum nec augeri nec minui. Consequitur igitur eamdem & individuam esse substantiam Patris ac Filii. Hæc est illa ratiocinatio, de qua loquebar, quæ non nititur hominum commentis, ut isti calumniantur, sed ex Scripturis Divinis sumitur. Hîc coguntur silere *Ariani*, non taciturri, si hoc loco *Joannis* tantum urgeantur. Jam si *Ariani* dicerent, Deum esse corporeum, opus esset aliis syllogismis aliisque testimoniis Scripturarum. Nunc quoniam nobiscum fatentur hominis animam esse formam simplicem, eoque quemadmodum tota est in universo corpore, ita in singulis corporis

partibus esse totam, Dei vero naturam sic esse simplicem, ut nihil cogitari possit simplicius per ratiocinationem, aut fateri coguntur quod credit Ecclesia catholica, aut suam prodere perversitatem.

Jam illa loca apud *Joannem*, *Ego & Pater unum sumus*, fateor valere ad confirmandam Orthodoxorum persuasionem: maximus enim consensus est inter eos, quorum est eadem essentia; sed adversus obstinatos Hæreticos non perinde valent. Aliud enim est persuadere docili, aliud est subigere repugnantem. Quod si quoties in Scripturis duo dicuntur unum, toties intelligitur eadem individua essentia, omnes pii ex eodem loco *Joannis* sunt unum cum *Christo*, & ex hoc loco spiritus, aqua, & sanguis ejusdem individuæ sunt naturæ. Imo *Paulus* & *Apollo* erant ejusdem individuæ substantiæ, quia scriptum est, *Qui plantat & qui rigat, unum sunt.* Item quoties vulgo dicimus duos concordes esse eumdem hominem, & quoties dicimus amicis unam esse animam, intelligetur eadem numero substantia. Quod si absurdissimum est, habent rimam per quam elabantur Hæretici.

Sed hæc loca sic interpretati sunt Orthodoxi, quorum interpretationem recipit Ecclesia. Recipit, at non vetat aliter ac melius si queas interpretari, sine ulla Scripturæ violentia. Dura vero lex nobis præscribitur, si quicquid Veteres interpretati sunt, nobis aliter interpretari non liceat. Quid autem fiat, ubi plures æque probati Ecclesiæ sententiis inter se variant? Sed fingamus omnes Orthodoxos sic interpretari, fingamus id sic ab Ecclesia receptum, ut nefas sit dissentire, dissentire inquam non de re, sed de sensu loci, quid hoc ad *Arianos*, qui contendunt apud se esse Ecclesiam, eoque non deferunt Ecclesiæ catholicæ?

Hæc me sensisse nec istos latere potuit, si mea legissent utroque oculo. Siquidem eadem Annotatio, unde hæc decerpserunt ad calumniam, habet hujusmodi verba: *Nunc cum innumera loca suppetant, quæ docent de consensu mutuaque benevolentia, ad confirmandam Orthodoxorum opinionem valebit, ad retundendam Hæreticorum pertinaciam non video quantum valeat.* Quod illic dixeram *docere*, hîc appello *retundere Hæreticorum pertinaciam.* Præterea quam non contumeliose loquar palam est, *non video inquam quantum valeat.* Nego me videre, concedens si quis hoc videat oculatior.

Nec statim labascit Orthodoxorum auctoritas, si comperiantur adversus Hæreticos argumentis usi, quæ possint ab acutis hominibus refelli. Homines erant, & in pugna jus est quomodolibet vincere adversarium, quo magis fiat docilis: & magni duces in mediam aciem conjiciunt quosdam parum strenuos, qui numero potius quam viribus juvant exercitum: & apud alios alia valent argumenta. Quod si quis contendat omnia Veterum argumenta, quibus utuntur adversus Hæreticos, esse firmissimæ certitudinis, quid aliud apud omnes doctos lucrifaciet, quam insigniter impudentis opinionem? Omnem movet lapidem qui studet adversarium vincere, & divus *Hieronymus* aliter agendum putat cum rebellante, aliter cum eo qui postulat doceri. Addam exemplum si quis requirat. Divus *Hieronymus* adversus *Jovinianum* utitur hoc argumento: *Si bonum est homini mulierem non tangere, utique tangere malum est.* Hæc collectio si vera est, fas est malum dicere conjugium. Rursus ita ratiocinatur ex *Pauli* verbis: *Melius est nubere quam uri. Quale bonum est hoc, quod comparatione deterioris laudatur?* Si valet hæc ratiocinatio, nihil dicetur bonum, quo sit aliquid perfectius.

Præterea *Augustinus* adversus *Pelagianos* ex verbis *Christi* apud *Joannem*, *Nisi quis manducaverit carnem Filii hominis & biberit ejus sanguinem, non habet vitam* &c. colligit infantes baptizatos in æternum perituros, si decedant non percepta Eucharistia. Hæc collectio si valet, hodie tota errat Ecclesia. Ad hæc *Hilarius* adversus *Arianos* utitur hoc enthymemate: *Si solus Pater est verus Deus, ubi est ille falsus Deus?* Atqui *verus* non semper opponitur *falso*, sed sæpe significat insignem perfectionem. Qui spiritu renati sunt ex Deo, dicuntur *filii Dei*: nec ideo tamen falso dicuntur filii, quod *Christus* dicitur *vere Filius* Dei. Nam & illi veri sunt filii, sed inferiore gradu. Et vulgo parentes de filiis piis ac morigeris dicunt, *hic est verus filius meus*, nec tamen cæteri sunt falso filii. Quod colligit *Hilarius* verissimum est, sed argumentum quo colligit, inefficax est adversus repugnantem. Nec statim impugnat quod colligitur, si quis vellicet argumentum. Quoties *Scotus* probat conclusionem, cum in syllogismo partem aliquam damnet? Hîc igitur semel erratum est, in *Augustini* collectione bis peccatum est, primum quod locum interpretatur de sumptione corporis & sanguinis, qui magis sentit de verbo Dei: deinde quod, ut maxime sentiat de Eucharistia, putet eam omnibus ad salutem necessariam: tametsi quod evincere nititur verum est, videlicet infantes licet e Christianis natos non carere peccato. *Didymus* in libris *de Spiritu Sancto* hoc argumento probat eum esse Deum. *Paulus* appellat Christianos *templa Spiritus Sancti*, hinc ita colligit: *Si Spiritus Sanctus templum habet, Deus est.* Hæc collectio plausibilis est apud nos, adversus hostem parum efficax: primum quod sermo metaphoram habeat: deinde quod, si firmum esset enthymema, *Petrus* & *Paulus*, qui *Romæ* multisque locis habent templa, pro Diis essent colendi. Item qui volunt Virginem matrem nihil originalis maculæ contraxisse ex primis parentibus, allegant illud, *Tota pulchra es amica mea.* Quod cum constet de Ecclesia dictum, ut donemus & in *Mariam* ad Ecclesiæ similitudinem competere, Ecclesiam *Christus* purgavit sanguine suo, nec invenit totam pulchram, sed talem reddidit, quod isti factum nolunt in Virgine. Et hanc Ecclesiam purgatam non habet omnino sine macula, cum nemo vivat absque peccatis saltem venialibus, quod ne ipsum quidem patiuntur in *Maria.* Hujusmodi argumenta valent apud faventem, non dejiciunt repugnantem. Hujus generis fere sunt argumenta, quæ ducuntur ab allegoriis. Possem & ex iisdem & ex aliis hujusmodi complura colligere, sed hæc ad gustum rei sufficiunt, & cavendum est, ne improbis detur ansa male loquendi de viris, quorum auctoritas gravis est apud Christianos. Nec reprehendendus est qui hæc coactus scribit eruditis, sed malo digni sunt, qui huc adigunt, & hæc evulgant, moventes Camarinam, quam præstiterat intactam relinquere. Proinde quod unum atque alterum deprompsimus locum, necessitati datum, quod rem non adeo persequimur quo possemus, illorum reverentiæ tributum est. Locum autem esse obscurum, variæ lectionis, variæque interpretationis, non est opus probare, cum res ipsa satis declaret. Conferat Codices, evolvat Interpretes, videat meam Annotationem qui volet, & nisi rem sic habere compererit, tum me vocet in jus, interim sileat, & agnoscat suam impudentiam.

Postremo quod objiciunt locum hunc a nonnullis taxatum, fateor esse verum, nec addo quales fuerint isti taxatores. Verum hoc debebant addere, quod illis ita responderim, ut ex taxatione parum laudis retulerint apud eruditos. Et qui primus hunc locum exagitavit, ut nihil habet rei Theologicæ, ita non ad aliud natus est, quam ad seditiones & calumnias. Eoque levius peccat, quia natura facit quod facit. A multo pluribus taxata fuit doctrina *Pauli*, quam hæc mea sententia. Taxationum mundus undique plenus est. Qui hæc objiciunt, ex illis videntur decerpsisse calumnias. Alioqui si mea legissent, oportuerat saltem paucis diluere rationes, quibus approbo quod dico.

Cæterum cum in Libello de modo orandi *dicat, Hæc esset bona pars Christianæ Religionis, in rebus divinis venerari omnia, nihil autem affirmare, præter id quod in Sacris Literis expressum est, & hîc dicat, ut proxime patuit, quod negant* Ariani, *non posse doceri nisi ratiocinatione, aperte convincitur* Arianorum *hæresim firmam atque irrefragabilem sua sententia relinquere.* *Objectio 3.*

Verum ut hactenus dormitarint, hîc miris modis colligunt meis verbis *Arianorum* hæresim reddi inconcussam & inexpugnabilem. Atrox est pollicitatio, sed audi rem, com- *Responsio 3.*

comperies meros verborum fumos. Primum ex tot locis, quæ carptim ex meis lucubrationibus recensui, duploque pluribus quæ commemorari possent, satis superque liquet me pie sentire de Personarum æqualitate, ut quamvis omnem moveat lapidem, nihil aliud hîc reprehendere possit calumniator. vel iniquissimus, nisi me parum alicubi circumspecte loquutum esse. Quanquam æquo Lectori satis circumspecte mihi loquutus videor. Nam iis, qui studio captant ansam calumniandi, nec *Christus* ipse, nec Apostoli satis circumspecte loquuti sunt.

In Libello *de modo orandi Deum* locum; unde desumpta est hæc calumnia, sequuntur hæc verba: *Proinde hic sermo non eò spectat, ut dubitem an sit invocandus Spiritus Sanctus, sed ut dicturus de invocandis Divis indicem quam anxia fuerit majoribus religio suscipiendi quod auctoritate manifesta Scripturæ traditum non esset, præsertim in his quæ superant humanum intellectum*, &c. Cum igitur docuissem Patrem & Filium similiter invocari, velut unius & potestatis & naturæ, moxque fatear & Spiritum Sanctum similiter invocari posse, nonne satis aperte profiteor æqualitatem trium Personarum? Non enim illic vertitur in dubium de divina trium Personarum natura, de qua maxime constat, sed de consuetudine Scripturarum sacrarum & Ecclesiæ religione monetur Lector. Habent illæ suam linguam, a qua non facile discedere religiosum est. Fortassis hîc mihi sit explicandum quid proprie sit *religio*, quando cum his res est, qui sine Grammatica facti sunt Theologi. *Religio* proprie sonat venerationem cum horrore metuque conjunctam, unde sepulchra dicuntur *religiosa*, quia metus est ea violare, & Veteres anxie laborabant, quo nomine appellarent Deos suos, quibuscum agebant, eo quod metuerent ingens malum, si quid in verbis aut ritibus secus dictum aut factum esset, quam oportuerat. Hæc religio quondam adfuit Dæmonum cultoribus, multo magis adesse debet hujusmodi reverentia summi verique Dei cultoribus. Ab hac religione quantum recesserint qui de relationibus, instantibus, & incircumsessionibus disputant, disputant? imo pronunciant, jam ante demonstratum est. Hic metus etiamsi sit immodicus, tamen argumentum est religiosæ mentis. Major autem fuit apud priscos illos quam apud posteriores, & paulatim decrevit usque ad irreligiosam temeritatem. Quoniam autem precatio summam exigit religionem, ut homo meminerit se prostratum loqui cum illo summo, omnipotenti, & incogitabili rerum principe, visum est in argumento de precando hujus rei admonere: scripsique bonam Christianæ Religionis esse partem, in rebus divinis, quæ superant humanum intellectum, venerari omnia, nihil autem affirmare præter id quod in Sacris Litteris expressum est. Quod loquor exemplo reddam intelligibilius: Pater in Symbolo dicitur *omnipotens, creator cœli & terræ*: quibus verbis si quis de Spiritu Sancto utatur, non loqueretur impie, sed præter consuetudinem sacræ Scripturæ. Rursus Filius dicitur *imago Patris*: si quis diceret Spiritum Sanctum esse Patris & Filii imaginem, nihil diceret impium, tamen fortassis irreligiose loqueretur contra sacrarum Scripturarum consuetudinem. Præterea legimus Patrem per Filium condidisse mundum: jam si quis dicat Filium per Spiritum Sanctum creasse mundum, sermo, opinor, nihil haberet impietatis, sed tamen alienus esset a Scripturarum consuetudine. Et si credimus recentioribus Theologis, si quis diceret tres Deos, sentiens in singulas Personas hoc nomen competere, quod Deus aliquando pro Personæ nomine reperiatur, non impie loqueretur, sed irreligiose præter morem Scripturarum. Ad hæc si quis diceret Spiritum sapientiam Patris, nihil impium diceret, & tamen ob diversum Scripturæ morem offenderet. Præterea cum sit Personarum trium summa æqualitas, tametsi quis sic baptizaret, *in nomine Spiritus Sancti, Filii, ac Patris*, parum religiose faceret, quod a verborum Evangelicorum ordine recederet, etiamsi bene sentiret. Hujus generis innumera sunt, quæ percensere perlongum sit. Hæc ad exemplum sufficiunt.

Quoniam autem precatio subducit animum hominis quantum fieri potest ab omnium rerum conditarum imaginibus ad purissimam divinæ majestatis contemplationem, visum est opportunum de religione precantis admonere, commemoratis Veterum exemplis, qui mira reverentia tractarunt de rebus divinis. Quoties irreligiositatis crimen deprecatur *Hilarius*, de rebus adorandis potius quam efferendis verba facturus? Quam religiose excusat *Athanasius*, quod *homusii* verbo coactus sit uti, cum non reperiatur in Sacris Litteris? Quoties idem facit *Augustinus* de Trinitate? Quoties *Didymus* de Spiritu Sancto? Hac occasione sequuntur illa mea verba: *Et fortassis hæc bona pars est Christiana Religionis, in rebus divinis venerari omnia, nihil autem affirmare præter id quod in Sacris Litteris expressum est.* Non loquor nisi de rebus quæ superant intellectum nostrum, ut ante prædictum est. Nam perpetuam *Mariæ* virginitatem credimus, licet in Libris Sacris non expressam; item sacramenta quædam credimus ibidem non expressa, sed a majoribus tradita. Expressum autem intelligo, quod ex Sacris Litteris necessario consequitur. Exempli causa Spiritum Sanctum non esse Filium, non habetur in Divinis Libris, sed necessario colligitur. Etenim cum *Joannes* & *Paulus* appellent *Christum* Filium unigenitum Dei, certo colligitur, Spiritum Sanctum, licet e substantia Patris procedat, non esse Filium. Sicut ante diximus de nomine *homusii*. Si expressum est in Litteris Sacris *Christum* esse hominem, eadem opera expressum est, illum habuisse animam humanam. Hæc adversus sacrosanctam Trinitatem ne tantulum quidem faciunt, sed potius adversus audaciam quorumdam asseverantium de rebus divinis, quæ non est necesse. Quædam enim satis est credere, etiamsi non queat reddi ratio. Eoque priscæ religionis admonere visum est, quod longius æquo progressam viderem quorumdam in inquirendo curiositatem, in pronunciando temeritatem, ad hæc, in templa, in quibus olim nihil recitabatur præter Scripturam canonicam, nunc invectos rhythmos & nænias, quæ doctis quamvis ingenii severioris risum excutiant: & hæc licentia ad ipsum usque sacrum perrupit, in quo pro Psalmis audimus interdum hominum non admodum bellos versiculos, & prosas non minus sensibus quam verborum structura ridiculas. Quod si sine fine libet indulgere imperitorum affectibus, quo tandem recidet Ecclesiastici cultus majestas? Satis autem impudenter hîc locus adducitur ad calumniam, cum ex eo ipso declaretur æqualitas trium Personarum, quemadmodum supra demonstratum est, & mox sequuntur hæc verba de Filio: *Non verentur Filium Dei appellare verum Deum, & ad illum suas preces dirigere.*

At sibi videntur miro artificio contexuisse duo fragmenta sermonis, alterum ex Annotatione, alterum ex Libello *de modo orandi*, cum utroque loco pronunciem æqualitatem trium Personarum. Debebant potius objicere, si libebat calumniari, quod in eodem loco ipse mecum pugnem, negans hoc quod paulo ante affirmassem, id quod non est Hæreticorum, sed dementium. Sic *Ausonius* contexuit *Centonem nuptialem* ex hemistichiis *Virgilianis*. Si juxta meam sententiam, quam depravare conantur, intellexissent expressum in Sacris Litteris, quod vel illic aperte positum est, vel ex positis evidenter ac necessario consequitur, si ratiocinationem accepissent, qualem ego jam ostendi me sentire, non humanam, sed ex verbis divinis exstantem, ne pilus quidem hîc erat faciens pro *Arianis*.

Item in Apologia ad Leum, Joannis *primo*, *impropria multa de Patre & Filio connectit, velut illud*, Pater dicitur sui principium, quod a nullo sit alio. *Et illud*, Filius est particeps divinæ essentiæ. *Et illud*, Nec ideo adimo Filio principii vocabulum, si in conferendo magis attribuo Patri. Hæc ibi. *Objectio 4.*

Si legerunt meam *Apologiam ad Leum*, cur non refellunt eas rationes, quibus illic excuso, quod isti calumniantur? Si, quod magis arbitror, non legerunt, sed ex indice sycophantico descripserunt, indigni sunt qui- *Responsio 4.*

Digitized by Google

quibus respondeatur. Porro qui legerit *Apologiam* meam ad *Lei* taxationem LXXII. & rursus XCII. dilucide perspiciet hæc esse calumnioſe detorta. Non illic appello Patrem principium sui, sed ajo a quibusdam sic vocari aut posse dici, sermone quidem improprio, sed sensu pio. Sentiunt enim, qui sic loquuntur, Patrem a nullo esse, eo quod solus sit principium sine principio, velut apud *Lactantium* dicitur αὐτοφυὴς & αὐτογενὴς, *ex se satus* ac *natus*. Ibidem refero verba *Augustini*, qui dicit Patrem esse *principium totius Deitatis*: non quod Pater sit principium essentiæ divinæ, sed quod sit origo duarum Personarum. Hæc enim profero velut exemplum sermonis improprii, quod nemo de natura divina possit proprie loqui. Neque enim multo magis proprie dicitur Pater *principium totius Deitatis*, quam *principium sui*, sed hac balbutie utcunque explicant homines quod sentiunt. Etenim si esset principium totius Deitatis, esset & suæ Deitatis & sui principium. Qui putat hæc a me callide dici, scrutetur omnes libros meos, an alicubi sub mea persona sic loquar, *Pater est principium sui*, aut *Pater est a seipso*, quomodo Veteres quidam loquuti sunt. Et si hoc deprehenderetur, cum tot locis explanarim meam sententiam, nemo posset aliud calumniari, quam me verbis non propriis usum: atqui nulla verba hominum propria sunt rebus divinis. Quoties hanc veniam orant *Athanasius*, *Hilarius*, & *Augustinus* de Divinitate verba facturi, & isti causantur de verbis parum propriis, quasi *Pater*, *Filius*, *Spiritus*, *generari*, *nasci*, *spirare*, *persona*, *hypostasis*, *homusion*, sint propria verba rebus divinis. Et quasi Theologi Scholastici, dum tam multa differunt de natura divina, deque Personarum differentiis, semper utantur verbis propriis. Qui non patitur quemquam loqui de rebus divinis, nisi verbis propriis, jubeat omnes tacere.

Venio nunc ad *participis* vocem, quanquam olim abunde super hac re respondi *Leo*, ad Annotationem LXXI. quod Græci dicunt μετέχειν, id est, *cum alio habere*, Latini dicunt *participem esse*, & fateor Græcam vocem esse molliorem. Quanquam *particeps* a *parte* dicitur, tamen nec juxta Latinorum consuetudinem semper in partes distribuitur ea res, cujus plures dicuntur participes, velut omnes dicimur *solis participes*, cum idem sol totus luceat omnibus. Et unumquodque corporis membrum dicitur *particeps animæ*, cum ea sit forma simplex & individua, in singulis membris tota. Quid igitur est quod offendatur aliquis, si quis dicat *Filium Dei participem naturæ divinæ*? Quod si quem offendat hujus vocis novitas, sanctus *Hilarius* libro *de Trinitate* septimo non horruit *impertitionis* durius vocabulum, ita loquens, *Deus Pater impertit perfectam Filio, nec amittit naturam.* Nec dubito quin & aliis locis eadem vox inveniatur. Postremo primus ipse deprecatus sum culpam vocis impropriæ prius quam a quoquam essem notatus. Bis igitur impudenter faciunt, qui reprehendunt quæ recta sunt, & objiciunt quod deprecatione præmunitum est.

Venio ad illud, *Nec ideo adimo Filio principii vocabulum, si in conferendo magis attribuo Patri*, quanquam ad id abunde respondimus *Leo* ad Annotationem illius XCII. Si Theologi pie docent, perfectissimam principii rationem esse in Patre, proximam in Filio, tertiam in Spiritu Sancto, quod Pater solus sit simpliciter principium omnium, Filius ab æterno fuerit principium, licet Patris principium non sit, Spiritus Sanctus ab æterno non fuerit principium, sed esse cœperit, rebus conditis, non video quid in meis verbis possit offendere, nisi quod *vocabulum* dixi pro *ratione*, & *magis* pro *modo perfectiore*.

Hactenus nihil allatum est, quod quicquam faciat adversus sacrosanctam Trinitatem, sed hujusmodi calumniæ mirum est quam pugnent adversus Christianam charitatem.

CONTRA CHRISTI DIVINITATEM, DIGNITATEM, ET GLORIAM.

CAPUT II.

ERasmus *in Libello* de modo orandi Deum *asserit in Evangelio solum Patrem dictum verum Deum, his verbis*: *Quam anxia fuerit majoribus religio suscipiendi quod auctoritate manifesta sacræ Scripturæ traditum non esset, præsertim in his quæ superant humanum intellectum. Eadem religione fuit sanctus* Hilarius, *qui post diuturnum silentium* XII. *Libris instantissime contendit, ut Filium doceat esse verum Deum, cum solus Pater dictus sit in Evangelio verus Deus.* Hæc ibi. Objectio 5.

Nihil est hîc ad quod non iterum atque iterum abunde responderim, & præclare mecum agetur, si, quoties hic aut ille calumniator objiciat eadem, cogar denuo respondere. Tota autem hæc de Divinitate Filii quæstio, quam sine causa movit *Leus* & *Stunica*, hinc nata est: in Annotationibus, quas scripseram in primum *Joannis* caput, obiter indicaram Sacræ Scripturæ consuetudinem, quæ crebro Patrem appellat *Deum*, Filium non nisi duobus aut tribus locis appellat aperte *Deum*. Id ante me fuit annotatum a Veteribus. Quod tamen ne quem offenderet, adjeci protinus, *licet* Dei *vocabulum sit tribus Personis ex æquo commune*. Ea verba, si quis diffidat, exstant in Editione prima, quam indicatum est exisse anno 1516. In posterioribus non sustuli, sed in alium locum commodiorem eam sententiam transtuli, velut in Epistolæ ad *Rom.* cap. 1. & alios aliquot locos. Nam ubi prius erat, non perinde congruebat. Ergo de re maxime conveniebat cum *Stunica*, tantum de numero locorum erat controversia. Quanquam hîc ille non intelligens quid dixissem, multa congessit ὑδὸν πρὸς ὕπος, ac vehementer ἀπροσδιόνυσα. Siquidem ego loquebar de vocabulo *Dei* simpliciter & aperte tributo Patri aut Filio, cum ille miro studio collegerit loca, quæ declarant Filium esse Deum, quæ plurima esse nunquam negavi. Quicquid igitur isti colligunt ex hac disputatione nostra, nihil facit adversus Divinitatem Filii, sed adversus multitudinem locorum, in quibus aperte vocatur Deus, in quo ut maxime vincat *Stunica*, nihil aliud evincit, quam me memoria fuisse lapsum, & locum esse qui me tum fugerit. Neque enim sequitur, Filius in paucis locis appellatur Deus in commemoratione Personarum, ergo non est Deus. Sufficiebat vel unicus locus canonicæ Scripturæ ad firmissimam hujus dogmatis persuasionem. Responsio 5.

Exemplo, quid sentiam, faciam magis perspicuum. In Symbolo nominantur tres Personæ, & tamen solus Pater dicitur aperte *Deus*, Filius appellatur *Dominus*, Spiritus dicitur *Sanctus*. Item *Paulus* quoties ita loquitur, *a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo*. Hanc Scripturæ Sacræ consuetudinem indicare, non facit pro Hæreticis, sed excludit hæresim. Alioqui qui non nosset hunc Scripturæ morem, suspicari posset Filium non esse Deum, sed Dominum tantum. Præterea qui legit Filium esse sapientiam, suspicari posset Patrem non habere sapientiam nisi a Filio: & qui legit Filium esse Dominum, suspicaretur Spiritum Sanctum non esse Dominum: & qui legit Patrem creatorem cœli & terræ, suspicari posset nec Filium nec Spiritum Sanctum esse creatorem, id ne fieret, monui: id cum factum sit a priscis Ecclesiæ Doctoribus non indiligenter, & pietatis laudem hinc tulerint, quænam est ista calumniandi perversitas, hoc in me trahere ad suspicionem impietatis, quod illis cessit in laudem pietatis?

Nunc operæpretium est videre quam non simplici animo tractant locum, quem proferunt ad calumniam. Nam illic, ut ante docui, profiteor Filium & Spiritum Sanctum æquales esse Patri, nec illic agitur de unitate essentiæ divinæ, sed de religione Veterum in tractandis rebus divinis, de qua superius dictum est nobis. Et haud scio an hîc quoque putent religionem dici pietatem, cum religionem dixerim esse reverentiam cum horro-

Digitized by Google

re conjunctam. Ea potest vel immodica esse. Sic *religionis* vocabulum accepit *Hilarius*, cum queritur se religionis amore cogi ad irreligiositatem. Irreligiositatem appellat audaciam hominum verbis loquendi de rebus ineffabilibus, quam sibi precatur ignosci; quod idem precatur *Athanasius*, in alios culpam rejiciens, quod *homusii* verbo cogeretur uti, cum Scripturæ Canonicæ vocem hanc ignorarent. Simili religione divus *Hieronymus* horruit dicere more Græcorum τριὰς ὑποστάσεις. Hæc religio fuit in causa, ut *Hilarius* annis aliquot veritus sit scribere adversus *Arianos*, mox excussis diligentius Scripturis, & auctoritate Conciliorum fretus, fortissime restitit *Arianis*, nimirum edoctus quomodo locus ille, quem objiciebant *Ariani*, posset exponi, *ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, quemadmodum ante significavimus, ausus est tot voluminibus asserere *Christum* esse verum Deum. Ex meis verbis non potest alius colligi sensus, nec video quid hic sensus habeat impietatis. Quod siluit *Hilarius*, tribuo religioni, hoc est, tremori loquendi de rebus incomprehensibilibus: quod fortissime scripsit adversus *Arianos*, adscribo pietati. Quod autem hîc prædico de *Hilario*, mox prædico de cæteris omnibus, præsertim recentioribus, ita loquens: *Posteriores diligentius excussis Sacris Voluminibus, ac majorum auctoritate freti, non verentur Filium Dei appellare verum Deum, & ad illum suas preces dirigere.* Si damnarem quod posteriores prædicant *Jesum* Deum, & ad illum preces dirigunt, non adderem, *diligentius excussis Sacris Voluminibus, & majorum auctoritate freti.* Quod autem dixi, *non verentur*, pertinet ad tremorem illum religionis, quem excussit lux Scripturarum, & Conciliorum auctoritas. Sunt & alia innumera, quæ Prisci non ausi sunt definire, sed suspensa pronunciatione venerabantur; quod genus est, an Spiritus Sanctus procedat ab utroque, an parvuli essent baptizandi, an his danda Eucharistia. Quin in Symbolo, quod arbitror esse *Nicenæ* Synodi, canitur Filius, *Deus verus de Deo vero*, Spiritus Sanctus ne Deus quidem appellatur, quod postea probatum sit, & hunc appellandum verum Deum. Nam prima quæstio tantum erat de Filio. His gradibus Deus voluit innotescere mundo. Primum vetuit ne prædicaretur esse *Christus*. Nec statim prædicatus est aperte Deus. Tandem & Deus verus agnitus est. Hoc evicto, successit similis quæstio de Spiritu Sancto. Et arbitror pios homines reverenter sensisse de Spiritu, sed religio quædam obstabat, ne proloquerentur, quod nondum satis liqueret e Scripturis. Hæc omnia faciunt ad fidei catholicæ firmitatem, & adversus temeritatem quorumdam pronunciantium de rebus divinis, quæ non oportet. Quod hîc admoneo, compluribus aliis admoneo locis. Etiam atque etiam te rogo Lector, nonne mirum telum deprompserunt, quo me convincant de favore in *Arianos*?

Objectio 6. *Item ad eumdem errorem confirmandum, omnes fere auctoritates, in quibus* Christi *divinitas manifestissime demonstratur, ita callide detorquet, ut manifeste videatur* Arianorum *causam defendere. Primum quidem* Joan. I. *cap. in Apologia ad* Stunicam, *unde firmissimum fundamentum & validissima argumenta* Augustinus *ipse & alii fidei assertores sumunt, quibus* Ariana *impietas evidenter convincitur, hujuscemodi tergiversationibus & impietatis commentis utitur:* Jam, *inquit*, ad loca decem, quæ mihi objicit *Stunica*, paucis respondebo. Matthæus *refert ex* Esaiæ *cap.* VII. *testimonium:* Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. *Hîc vult* Christum *manifeste vocatum Deum, præsertim cum ita interpretetur* Hieronymus, *enarrans hunc Prophetam. Primum nec in verbis Prophetæ manifeste* Christus *appellatur Deus, sed ex indito nomine significatur eo nato Deum fore propitium humano generi. Cum iis enim Deus esse dicitur, quibus favet. Quin & Græci σὺν τῷ Θεῷ, σὺν ταῖς Μούσαις fieri optant, quod illis propitiis atque faventibus fieri cupiunt, nec hoc palam dicit* Hieronymus, *ad quod* Stunica *detorsit. Eclegat attente lo-*

Hic Græca omiserant, fine quibus sermo nul-lum reddebat sensum, & hi sunt qui judicant mea quæ legere non possunt.

cum prudens Lector, & sic esse comperiet. Nam nos brevitati studemus in præsentia. Jam quod Judæi colligunt Christum *sibi vendicasse Divinitatem, quod se vocaret Filium Dei, nihil contra me facit. Nam non consequi, ut quicunque sit Filius Dei, idem sit natura Deus, docuit ipse* Christus, *ostendens & pios homines appellatos filios Dei, atque adeo Deos esse dictos. Quod si maxime consequeretur, nihil adversum me facit, qui fateor plurima esse loca in Libris Divinis, ex quibus certo colligimus* Christum *esse Deum. Porro quod hoc loco, cum ait,* Et Deus erat Verbum, Christus *aperte vocatur Deus, mihi magis videtur certa ratiocinatione colligi, quam appellatione manifesta. Docet enim* Joannes *Verbum Dei fuisse ab initio, imo sine initio, ante conditum mundum, idque Verbum fuisse naturæ divinæ, idemque postea factum hominem. Quoniam autem sic assumpsit quod non erat, ut non desineret esse quod erat, certo colligitur eumdem fuisse gemina naturæ, divinæ & humanæ, atque id ex multis divinæ Scripturæ locis colligi testatus sum, impius futurus si quid de hac re dubitarem. Sed evidentius est quod* Thomas *contrectato latere* Christi *exclamat;* Dominus meus & Deus meus. *Hîc aliquis tergiversari posset, exclamationem esse, non asseverationem de* Christo. *Sed malo locum hunc unum esse ex eorum numero, in quibus* Christus *manifeste sit appellatus Deus. Nolo enim esse argutus cum offendiculo infirmorum, præsertim cum non disputetur de* Christo, *sed de lapsu memoriæ meæ, deque insciitia Scripturarum. Nec aliud est periculum si vincat adversarius, quam ut* Erasmus *non legerit aut non meminerit locorum, in quibus* Christus *aperte nominatur Deus. Porro quod ait* Paulus *in Actis Apostolicis cap.* XX. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, *potest esse duplex tergiversatio. Primum hîc* Christus *repeti potest ex eo quod paulo ante præcessit:* Quod accepi a Domino Jesu *&c. ut intelligamus Ecclesiam Dei dici Patris, quasi familiam ejus, quam* Christus *Patri suo sanguine asseruerit. Deinde potest accipi, ut Pater Filii sanguinem suum appellet, propterea quod ipso auctore Filius pro salute mundi mortem obierit.*

Jam antea docui disputationem de locis nihil pertinere ad *Christi* divinitatem. Nec eam tamen ingressus sum sine præfatione catholici dogmatis, ita loquens: *Haudquaquam in dubium vocans an* Christus *esset Deus & homo, quod nobis indubitatissimum esse oportuit, etiamsi semel duntaxat in Sacris Litteris legeretur, sed ut studiosus Lector inquireret quo consilio Apostoli palam ac perpetuo tribuant cognomentum Dei Patri, Filio, ac Spiritui Sancto non item: quoniam senseram nonnullos offensos hoc loco, aut quod magis arbitror, ansam hinc arripuisse calumniæ* &c. In posteriore Editione adjeceram hæc verba: *Etiamsi compluribus ex locis certo colligitur,* Christum *fuisse Deum, non hominem tantum. Hoc igitur fundamento fixo & inconcusso, paucis* Stunicæ *argumenta* &c. *Responsio 6.*

Hoc exordio sum ingressus eam disputationem. Porro disputationem super hac ipsa re cum eo habitam, qui tum *Stunicæ* ferebat suppetias, his verbis clausi: *Cuperem in Sacris Litteris* Christum *vel sexcenties appellatum verum Deum, quanquam hoc nobis non minus persuasum est, quam si sexies millies dictus esset. Utinam æque persuasum esset Judæis omnibus!* Denique in his ipsis verbis, quæ recitant in hoc ut doceant quod impie sentiam de Filio, toties declaratur me bene sentire.

Postremo nec *Ariani* negabant *Christum* esse Deum, sed in cognomine & in *homusii* verbo erat quæstio, de hoc inter nos & *Stunicam* nulla erat controversia, sed tantum de consuetudine Scripturarum. Quid igitur isti summa petulantia clamant? ex his locis probari veram *Christi* Divinitatem? Id semper ingenue sum fassus, saltem ex aliquammultis. Tantum habent acuminis ut non videant ipsum disputationis scopum.

Tergiversationes autem, quas illic refero, disputans cum *Stunica*, testor non esse meas, sed ab Hæreticis posse objici. Hæc cum ipsa disputatio per se loquia-

Digitized by Google

loquatur, cum *Sanctio* respondens toties tester, insignis cujusdam impudentiæ est, hæc quasi nihil responsum sit repetere.

Objectio 7. *Ad locum, qui est in Epistola ad* Rom. *cap.* IX. ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula amen, *tergiversari posset aliquis sermonem sic esse distinguendum*, qui est super omnia, *deinde interjecto silentio, epiphonema adjiciat*, Deus benedictus in secula, *ut hæc clausula sit agentis gratias Patri, qui* Christum *præfecerit omnibus.*

Objectio 8. *Cæterum locum, qui est ad* Philipp. *cap.* II. qui cum in forma Dei esset *&c. jam declaravimus & ab* Ambrosio *secus enarrari, quam de natura divina & humana, nec est hic proprie appellatio, nec apertum dici potest, ubi variant Interpretes orthodoxi. Rursum quod est ad* Coloss. *cap.* II. in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, *præterquam quod negari potest appellatio, de qua nos fecimus mentionem, recipit & aliam interpretationem, nimirum* Christo *datum a Patre affatim quicquid attinet ad humanam felicitatem, ut non oporteat nec a Philosophis, nec a* Mose, *nec ab Angelis eam petere. Quasi repetierit* Paulus *quod paulo ante dixerat:* In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. *Porro quod additur σωματικῶς magis opponitur umbris Legis* Mosaïcæ, *quam refertur ad naturam divinam.*

Objectio 9. *Ad hæc quod est in Epistola ad* Titum *cap.* II. Exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris *&c. præterquam quod sermo palam est anceps, hoc enim negari non potest, docuimus* Ambrosium *priorem partem de Patre interpretari, non de Filio.*

Objectio 10. *Jam quod adducitur ex Epistola ad* Hebræos *cap.* I. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in seculum, *ut ne quid tergiverser de auctoritate hujus Epistolæ, ut ne postulem mihi suffragari sermonis amphibologiam manifestam, quemadmodum suo indicabimus loco, certe locus hic ex Veteri Testamento citatus est, cum ego loquar de Scripturis Apostolicis, quibus ipsi suis verbis* Christum *prædicant, quo quidem colore poteram uti & in primo loco, quem ex Propheta* Matthæus *adduxerat:* Nobiscum Deus.

Objectio 11. *Postremo quod adfertur ex Epistola* Joannis *prima cap.* V. Et simus in vero Filio ejus Jesu Christo, hic est verus Deus, & vita æterna, *ut omittam alias tergiversationes, non cogimur, ut hoc accommodemus Filio. Potest enim hic esse sensus, imo hoc sensisse videtur qui scripsit: Et simus non in Diabolo, aut mundo vano & fallaci, sed in vero Patre, & hoc per Filium ejus* Jesum Christum, *per quem illi jungimur: hic enim Pater est verus Deus, & vita æterna fons omnium.*

Objectio 12. *Ad* Rom. IX. *cum sit patentissima auctoritas Apostoli de* Christo *dicentis*, qui est Deus benedictus in secula, *& hic sit planus, simplex, manifestusque sensus, in quo etiam, ut idem* Erasmus *testatur, omnes Codices consentiunt, ad impudentissimam tergiversationem confugit, ut dicat, nisi hæc particula adjecta est, sicuti quasdam adjectas offendimus &c. Et insuper ad sui erroris confirmationem sententiam erroneam, & ab* Ambrosio *rectissime colligente repulsam, adducit, subdens:* Quod sic magis expediebat illis temporibus ad prædicationem Evangelii: *addit & ineptissimam analogiam, ut adjectum persuadeat:* Reperiuntur, *inquit*, hujuscemodi clausulæ locis aliquot additæ, velut ad finiendam lectionem, quemadmodum apud nos solenne est addere: *Tu autem Domine, gloria Patri &c. Quo uno ansam præbet Hæreticis & Infidelibus, ut Evangelii robur ubique enervet. Jam vero silentium illud confictum & intempestivum epiphonema, ut sententiæ unitatem dirimat, quis sine pudore vel risu audierit?*

Responsio 7. Quanquam hæc omnia, sicuti jam crebro dictum est, nihil faciunt ad titulum odiosum, cum de re nulla sit controversia, sed de locorum numero, nec agatur, quid nos velimus objicere, sed quid adversarius possit tergiversari: cumque tot locis tam dilucide profitear Filii divinam naturam, & Paraphrasis in hunc ipsum locum explanet sententiam, quam nunc amplectimur, tamen quo magis liqueat istius libelli malitiosa calumniandi libido, pauca carptim excutiam.

Primum certissima manebat Orthodoxorum sententia, etiamsi constaret hunc locum accipi de Patre, non de Filio. Divus *Ambrosius* subindicat fuisse qui locum hunc de Patre interpretarentur, alioqui non refelleret illorum opinionem: nec recusat de suo judicio cedere, si quis doceat de qua persona dictum sit. *Ambrosii* verba sic habent: *Si quis autem non putat de* Christo *dictum*, qui est Deus, *det personam de qua dictum est.* At jam indicatum est, *est* per mutatam stigmen ad Patrem posse referri, cui fert acceptum quicquid ante commemoravit in *Judæorum* gentem collatum, puta gloriam, legem, promissa, testamentum, culturam, & patres, ex quibus nobis juxta carnem natus est *Christus*, qui superat omnium illorum dignitatem, & pro tanto beneficio gratias agens Patri, subjicit, *qui est benedictus in secula.*

Si hæc lectio non constat, si sensus non congruit, poterat videri meum commentum. Sed aliter distinguunt Orthodoxi: donemus istud, & ego cum illis, verum hîc agebatur quid objicere possunt Hæretici. Quanquam ne hoc quidem video, quid hic locus officiat *Arianis*, qui fatentur *Christum* Deum, & magnum Deum, verum Deum & τῷ Πατρὶ ὁμόσιον negant. Quod si conemur omnem *Arianorum* tergiversationem excludere, etiam de illo tergiversari possent, *& Deus erat Verbum*, & de illo, *Dominus meus & Deus meus*, & hujus formæ sexcentis.

Cæterum quod adeo detestantur hypostigmen meam, sciant alteram distinctionem majorem etiam ansam præbere Hæreticis: facit enim articulus præpositivus participio additus, ut hæc pars mollius referatur ad sequentia, resecta a superioribus. Nam Græca sic habent, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Quorum verborum hic sensus citius occurrit Græci sermonis perito, *Deus qui est super omnia, sit benedictus in secula.* Ut ante ὁ ὢν sit colon, post Θεὸς sit hypostigme. Sensus pius est; ut accinatur doxologia, ex admiratione bonitatis divinæ erga genus humanum: sin ante ὁ ὢν ponas commatis notam, & post ἐπὶ πάντων hypostigmen, sensus erit, *Christum* esse super omnia: ex quo colligitur quidem *Christum* esse Deum, sed non appellatur simpliciter & aperte Deus. Atqui de hoc erat nobis disputatio, ut *Stunica* doceret, pluribus locis quam tribus evidenter *Christo* tributum Dei nomen in litteris Novi Testamenti. Itaque si divus *Ambrosius* patitur hæc referri alio quam ad Filium, si detur persona, jam ostendimus bifariam ad Patrem accommodari posse, sensu pio & catholicæ doctrinæ congruentissimo. Si dictum fuisset, ὃς ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, aut ὃς ἐστιν ἐπὶ πάντων Θεὸς &c. probabilius esset quod interpretantur isti: quod articulus ὃς magis annectat hæc superioribus quam ὁ ὢν, licet utroque sermone possit idem declarari sensus. At cum dixerit ὁ ὢν, commodissime separatur hæc pars a contextu præcedentium. Jam & doxologia, quæ accinitur in Epistola ad *Romanos*, similiter incipit ab articulo præpositivo τῷ καὶ δυναμένῳ & cætera: iisdem verbis orditur doxologia, quæ claudit caput Epistolæ ad *Ephesios* tertium. Nec quemquam moveat quod in εὐλογητὸς subauditur verbum substantivum *sit*, vel *est*, cum id solenne sit in Sacris Litteris, ut in cantico *Zachariæ*: *Benedictus Dominus Deus Israël.* Et: *Benedicta tu in mulieribus.* Item *Paulus: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.* Similiter *Petrus*: *Benedictus Pater Domini nostri Jesu Christi.* In Psalmis quoties hæc sermonis forma occurrit? Hoc igitur cum pene sit proprium doxologiæ subaudire verbum, hîc non oportet videri novum. Ad hæc annotatum est hoc in scriptis beati *Pauli*, quod aliquoties in medio sermonis cursu veluti raptus orat, aut adorat, aut gratias agit, aut glorificat Deum, præsertim ubi commemoratum est aliquid de mysteriis adorandis, aut ineffabili bonitate Dei. Cujusmodi, præter duo loca, quæ modo indicavimus, est & illud ad *Roman.* XI. *O altitudo divitiarum* &c. Hujusmodi clausulæ

Digitized by Google

sulæ seperatim accinuntur, velut extra cursum orationis. Itaque non est quidem animus ultra contendere, neque Veterum interpretationem convellere: sit suum cuique judicium integrum, ego coram Deo profiteor mihi videri *Paulum* hoc sensisse, quod modo significavimus, nec hunc sermonem proprie ad *Christum* pertinere, sed vel ad Patrem, vel ad totam Trinitatem, ut hæc laus sit omnium Personarum communis. Non enim est necesse ut hîc personam demus aliam a Patre, cum Dei vocabulum sæpe tres Personas complectatur. Certe *Chrysostomus* in commentario meminit Patris, qui cum Filio tantam habuerit curam salutis humanæ, nec hunc locum torquet in *Arianos*, quanquam id facit *Theophylactus*. Hæc cum sic habeant, cum illic disputem, non quid ego, sed quid alius possit tergiversari, tamen hunc locum largior *Stunicæ*, pedibus discedens in illius sententiam, imo non in illius discedens, sed meam veterem sententiam profitens. Verum si nobis res esset cum hoste, quomodo tueremur hunc locum, velut apertum & irrefutabilem, cum ille duplici rima possit elabi? Super hæc omnia, declaravimus hoc loco non redargui *Arianos*; alioqui jam Evangelio *Joannis* fuisset eis impositum silentium, cujus auctoritatem illi non rejiciunt.

Responsio 8. Jam quod dictum est de forma Dei, si verum est quod *Ambrosius* aliter interpretatur, cum illo litigent, me absolvant, & tamen in Paraphrasi complector sententiam, quæ facit contra *Arianos*. Quod adjeci de *corporaliter*, non est meum commentum, sed Orthodoxorum probatissimorum.

Responsio 9. Hîc nihil est, quod egeat excusatione, ni forte refelli possunt ea quæ dixi, quod non arbitror.

Responsio 10. Idem respondeo ad locum decimum & undecimum.

Responsio 11. 12. Redeunt ad priora, dicuntque hunc potentissimum esse *Pauli* locum, ego puto potentiorem esse: *& Deus erat Verbum*: &, *Dominus meus & Deus meus.*

Ac mihi revera potentissimus est, at non item adversus *Arianum* aut *Judæum*. Sensus est planus ac manifestus, sed ostendi duos neutiquam obscuros nec minus pios. Quod me citant auctorem, qui dixerim omnes Codices consentire, res aliter habet. Nam in Annotationibus indico *Cyprianum* adversus *Judæos* omittere mentionem Dei, quod opus tamen contuli cum Exemplari pervetusto, quanquam non admodum refert, cum nemo sit super omnia nisi Deus. Quid igitur est quod Annotatio dicit, *nisi tantus esset Exemplarium omnium consensus?* Huc pertinet, quod nulli sint Codices qui non habeant hoc loco clausulam hanc, cum in illa ad *Romanos* varient. Quam vero mihi narrant impudentissimam tergiversationem, ad quam confugio? Tantum propono Lectori considerandum. Cum hanc provinciam suscepissem, ut varietatem lectionis, distinctionis, ac sensuum indicarem, quî dicor confugere, qui simpliciter propono, magis id probans a quo fingor refugere? Quem porro meum errorem proferunt, quem studeam confirmare? *Arianorum*? Satis, opinor, docui quam cum illis sentiam. *Cerinthianorum* aut *Judæorum*? Hoc, opinor, nec ille de me suspicatur, qui hæc scripsit, quamlibet inimice suspicios us, quamlibet impudenter calumnios us. Quem igitur hîc errorem confirmo? An quia dico locum sic accipi posse? Doceant isti non posse, aut sileant. Ego docui posse, & quidem commode posse. Quid hoc sermone contumelios ius? Sed eodem quid dementius? Jam quam mirifice *Ambrosius* repulerit hanc sententiam, abunde demonstratum est. Porro quod præscribunt ne recedamus a Veterum interpretatione, qui pugnantes cum Hæreticis locum aliquem interpretati sunt, ut fateor probatis Doctoribus plurimum esse deferendum, ita non accipimus legem, ne liceat post illos aliquid exactius invenire. Quod si nos urgent hac lege, quid dicent, ubi Doctores inter se dissentiunt? Quid ubi Scholastici Doctores, quoties commodum est, quamlibet probatorum Veterum sententiam rejiciunt? Quid ubi lapsus est manifestior, quam ut dissimulari possit? Quod genus aliquot indicavimus, & alia multa possemus indicare. Ne nobis igitur obtrudant legem, quam ipsi nunquam servarunt. Olim disceptationes de fidei dogmatibus fere apud promiscuam multitudinem agebantur. Quid autem absurdi sit, si pii Doctores hoc sibi nonnunquam permiserunt in explicandis Scripturis, quod frequenter sibi permittunt in allegoriis, & apud crassos crassius agendum putarunt? Num continuo tota illorum vacillat auctoritas? Atqui si tam morosis judiciis placet agere, jam dudum tota concidit illorum auctoritas, ut in quorum libris constet esse quædam Scripturarum testimonia detorta ad sensum hæreticum.

Notant & hoc dictum, quia sic magis expediebat illis temporibus. Nimirum ut nomen *Dei* non tribueretur *Christo* apud rudes & nondum capaces tanti mysterii. Hoc si falsum est, in jus trahatur *Chrysostomus*, *Hieronymus*, & *Augustinus*, quorum auctoritatem sum sequutus, & res ipsa declarat esse verum, quod admoneo. Nimirum hoc erat margaritum, quod Dominus vetuit projici suibus: & hæc erat sapientia abscondita, quam *Paulus* clam loquitur inter perfectos. Nec ideo prædicabant illum purum hominem, si non appellabant aperte Deum, sed Dominum. Etenim cum *Paulus Philippensibus* scriberet, *ut in nomine* Jesu *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, non tribuit illi nomen Dei, sed eam tribuit celsitudinem, quæ piis auditoribus significet divinitatem. Alioqui *Paulus* non recte prædicavit in Epistolis *Christum*, toties eum appellans Dominum, cum Patrem appellet Deum. Et damnandum esset Symbolum, quod olim Catechumenis tradebatur, in quo nec Filius, nec Spiritus Sanctus appellatur Deus, sed solus Pater. Primus *Joannes* clara voce pronunciavit *Christum* Deum, de scriptis loquor, jam Evangelii luce per orbem universum coruscante.

Jam quid est, quod persuadere conor adjectum? Hanc *Pauli* doxologiam. Non pudet tales manifestæ vanitatis? imo testor non videri adjectam. Verba Annotationis sic habent: *Consimilem ad modum videri poterat hæc adjecta, ad finitam disputationis partem, & novi capitis initium, nisi tantus esset omnium Exemplarium consensus* &c. Qui dicit obstare consensum, quo minus videatur adjectum, an ille persuadere conatur adjectum? Verum ea suspicio cadere potest in doxologiam, quæ est ad *Romanos*, eo quod in nonnullis Exemplaribus omnino non habetur, in quibusdam adjicitur capiti XIV. in plerisque subjicitur in fine.

Nec tamen protinus ab aliis additum asseritur, quod creditur additum. At prorsus impie dictum videtur istis additum epiphonema, cum id nos tribuamus *Pauli* summæ in Deum pietati, ut subinde in medio sermonis cursu raperetur in adorationem divinæ majestatis.

Quid porro sibi volunt hæc impia verba libelli, *ansam præbet Hæreticis & Infidelibus, ut Evangelii robur ubique enervet?* An totum Evangelium concidit, si *Paulus* credatur adjecisse doxologiam? Imo si constet eam ab aliis adjectam? Itane protinus evanuit Psalmorum auctoritas, quod illis Ecclesiæ vocibus accinitur, *Gloria Patri* &c. Aut nihil habet ponderis Precatio Dominica, quod huic coronidem doxologiæ adjecerint Græci, & perinde ac si pars illius esset, etiam interpretentur? Epistolæ *Pauli* summa cum reverentia recitabantur in cœtibus Christianorum. Et erant hæc illis peculiaria εὐχὴ, εὐχαριστία, καὶ δοξολογία. Declarant hoc clausulæ *Paulinarum* Epistolarum, quanquam, ut dixi, nonnunquam hujusmodi doxologiis sermonis cursum interrumpit. Jam mihi fingat aliquis, priscos illos seniores, vel vivo conscioque, vel mortuo *Paulo*, hîc adjecisse coronidem, quam Latini Codices habent in fine Epistolæ ad *Romanos*, quemadmodum Ecclesia Psalmis adjecit, *Gloria Patri*: num illico corruet totum Evangelium? quanquam nos de Evangeliis non sumus loquuti. Si *Paulus* hoc scivit factum, & illi placuit pietas, ipse adjecit: si nescivit, nos tamen quod ab Ecclesiæ primoribus traditum est, reverenter accipimus, nihilominus tribuentes Apostoli dogmatibus, cum doxologia non doceat, sed veneretur adoretque quod dictum est.

Digitized by Google

Quod si tam morosi sumus, ut ob unam aut alteram particulam adjectam rejiciamus totam Scripturam Sacram, aut Missæ canon erit nobis rejiciendus, ubi in verbis, quibus consecratur calix, constat addi duas voces, *& æterni:* aut totum repudiandum Evangelium. Deinde quoniam & *Hieronymus* indicat aliquot locis, & nos comperimus in Libris Canonicis aliquot voces additas, quæ non sunt Apostolicæ veritatis, sive id a scribis & eruditis privato studio, sive publico procerum Ecclesiæ consensu factum est, jam pridem esset collapsa Scripturarum auctoritas. Verum si hæc varietas non labefactat Scripturarum auctoritatem, multo minus id faceret una atque altera doxologia, extra dogmatum tractationem adjecta. Quod tamen esse factum non assevero, quanquam de doxologia, quæ est addita Epistolæ ad *Romanos*, probabilis esse potest suspicio, hîc suspicionem submoveo. Primum quod illa ad *Romanos* nec apud omnes est, nec eodem loco, & alioqui nec lectio constat, & sermo perturbatior non respondet *Paulinæ* phrasi. Præter ea non nascitur ex ipsa re, sive colloces in calce, sive in medio, quemadmodum illa ejusdem Epistolæ cap. XI. & cap. IX. Item in Epistolæ ad *Ephesios* cap. III. Possem hic pluribus argumentis agere, sed hæc ad depellendam impietatis calumniam arbitror sufficere, proinde si libet istis vel pudescere, vel ridere, pudeat tantæ malitiæ, rideantque tantam stoliditatem. Quod tamen non perinde dictum velim in eos qui hæc collegerunt, atque in libellum sycophanticum, unde hæc decerpta sunt. Multa sunt quæ recte inter eruditos tractantur, inutiliter in contentionem pertrahenda. Et est genus hominum in hoc natum, ut nulli sint usui, tantum in publicam utilitatem aliquid molientibus facessant negotium, nec alia re celebres. Nec ulli magis officiunt rei Christianæ, dum eam sinistre tuentur. Sed ad rem.

Objectio 13. *Et* Marci *primo*, *Deinde*, *inquit*, *quod habet Hebraïca veritas & LXX. transtulerunt*, Rectas facite semitas Dei nostri, *Matthæus*, *Marcus*, *& Lucas posuerunt*, semitas ejus, *sive quod Evangelistæ rarius Dei vocabulum tribuant Domino*, *ob profanas illorum temporum aures*, *ut plenius docebimus in* Paulum. Hæc ille.

Responsio 13. Cur hunc locum proferant nescio. Quoties enim admonent hoc Orthodoxi, *Chrysostomus* & *Hieronymus*, Apostolos non statim apud rudes *Jesum* appellasse Deum? Et ex Evangelistis solus *Joannes* appellat eum aperte Deum. Potius hîc debebant reprehendere meam dormitantiam, qui putarim hujus prophetiæ verba proprie referri ad Filium, cum vaticinium vel ad Patrem referatur, vel certe ad totam Trinitatem. Nam *Hieronymus* interpretatur gloriam Domini declaratam, cum baptizato Filio Spiritus Sanctus descenderet in specie columbæ; & Pater loqueretur e nube, *Hic est Filius meus dilectus*, *in quo mihi complacitum est*. Hoc potius erat carpendum, quod parum attentus, hoc loco adjecerim annotationem parum congruentem. Non enim congruit, nisi prophetiæ sermo proprie referatur ad Filium. Quæ culpa mihi proxima Editione sarcienda est. Jam si verum est quod admoneo, licet non suo loco; si *Petrus* initio promiscuæ multitudini prædicavit *Jesum*, absque mentione divinæ naturæ; si *Paulus* similiter apud *Athenienses* nihil aliud quam virum appellat: si nusquam leguntur Apostoli, apud populum verba facientes, expressisse divinam in *Christo* naturam; si tres Evangelistæ nusquam appellant *Christum* Deum: si solus *Joannes* hoc paucis fecit locis, & item *Paulus:* si pii Doctores reddunt causam cur ita visum sit Spiritui Sancto, quod *Judæorum* aures nondum capaces tanti mysterii latura non fuerint, & Paganorum impietas ad blasphemiam provocanda citius quam ad pœnitentiam, quid ego pecco si idem admoneo? Illi admonendum putarunt, ne quis simplicior ideo dubitaret de *Christi* divinitate, quod cum toties Pater dicatur Deus, Filius raro designetur eodem nomine, & pietatis laudem auferunt, quod adversentur impietati, ego faveo *Arianis* idem admonens? Et eadem opera, qua illi studuerunt excludere *Arianorum* aut *Cerinthianorum* errorem, ego illi patrocinor? Etiam atque etiam te rogo Christiane Lector, quid fingi potest hac impudentius calumnia?

Item in Annotationibus Joannis *primo apologice se excusans*, *quod transtulerit*, In principio erat Sermo *&c.* *Quid*, *inquit*, *erat piaculi*, *si in libro*, *qui privatim legitur*, *pro* verbo *dicam* sermonem, *aut* eloquium, *aut* rationem, *aut* vocem, *aut aliud quod idem polleat? Hæc* Erasmus *contra illud* Hilarii *in libro* de Synodis? Si quis insitum & prolativum verbum Dei Filium dicat, anathema sit. *Objectio 14.*

Hactenus errare videri poterant, hîc mihi videntur studio ludere. Alioqui nihil potest esse dementius eo quod adferunt. *Hilarius* in libro *de Synodis* scribit: *Si quis insitum & prolativum verbum Dei Filium dicat*, *anathema sit*. Primum demiror si isti legerunt *Hilarium*: magis autem demiror si lectum intelligunt. Quanquam hæc non sunt *Hilarii*, sed ab *Hilario* utcunque versa. Nam Græce tenuiter erat peritus, teste præter *Hieronymum* ipsa re. Ex his autem, quæ præcedunt illic, & quæ alibi differit *Hilarius*, apparet hîc *insitum verbum Dei* non nativum, sed insititium, quasi creatura quæpiam adscita sit in consortium divinitatis: & *prolativum*, quod cœperit esse protensione seu prolatione divinæ substantiæ: nam *proferre* Latinis *protendere* est interdum. Præcesserat autem proxime, *Si quis dilatatam substantiam Dei*, &c. & supra, *Si quis substantiam Dei dilatari & contrahi dicat.* Ac Tomo secundo dicit, *Non est abscissio*, *aut divisio*, *aut assumptio.* Item in Synodo octava negatur verbum esse emanatio seu pars Patris, sed asseritur perfecta nativitas. Et Tomi primi libro primo referens varias de *Christo* Hæreticorum opiniones, commemorat quosdam negasse veram Filii nativitatem, ut protensio fuerit potius in hominem quam descensus, nec ante fuerit Filius Dei, quam in Virgine conciperetur: alios item negasse sempiternam nativitatem, sed creatum Filium fuisse, quem voluntas divina sibi adoptarat in divinitatis similitudinem, non æqualitatem. Rursus *Sabellii* sententiam commemorans dicit libro II. *Sabellius Patrem extendat in Filium*, &c. Rursum libro IV. *Valentinus prolatione Patris natum commentus est.* Iisdem verbis usus est libro VI. *Hieracas dixit Filium esse lucernam de lucerna.* Hæc cum ita habeant, quid tandem accusant isti? An quisquis de Dei Filio idem sentiens quod sentiunt Orthodoxi, pro *verbo* appellet illum *sermonem*, aut *eloquium*, aut *rationem*, aut *vocem*, aut aliud quod idem polleat, (nam rem excepi, de voce tantum agitur) protinus negaret veram Filii nativitatem, sed vel cum *Cerinthianis* sentiret eum tum cœpisse cum in Virgine conciperetur? vel cum *Arianis* esse creaturam in Divinitatis nomen adscitam? vel cum *Valentinianis* non a Patre, sed ab intellectu & veritate prolatum verbum, aut si quid aliud habent Hæreticorum blasphemiæ? Atqui eadem Annotatio, unde hæc verba decerpserunt ad calumniam, docet hujusmodi vocibus usos *Cyprianum*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Prudentium*, *Claudianum*, *Lactantium*, *Remigium*, *Anselmum*, *Beddam*, *Thomam*, & quos non? Et *Hieronymus* docet omnes voces, quibus Græce exponitur λόγος, congruere in *Christum*. *Responsio 14.*

Cum Patri idem sit *gignere Filium*, quod *proferre verbum*, nec is absurde loqueretur, qui diceret *verbum a Patre depromi*, *edi*, seu *proferri*, aut si quod aliud simile verbum. Isti fortasse sic ratiocinantur. *Eloquium* dicitur ab eloquendo, sed eloqui est proferre verbum, & *prolativum* dicitur a proferendo, ergo qui Dei verbum appellat eloquium, seu proloquium, cum *Valentino* sentit verbum prolativum. Hoc commento quid absurdius, præsertim cum sermo meus, quem citant, profiteatur sempiternum verbum a Patre sempiterno?

Porro si quis agat de verbi proprietate, in *Apologia*, qua respondi de loco, *In principio erat sermo*, ostendi *verbum*, quod a verberando aëre dictum est, sive a vero boante, magis improprium esse quam vel *sermonem*, vel *proloquium*, vel aliud simile. Ineptum est in disputatione, quæ tractat de rebus divinis, causari de verborum proprietate. Et ne quis objiciat scandalum ex vocis novitate, adjeci, *in libro qui privatim legitur.* In hoc Articulo non solum integritatem & eruditionem in his qui hæc scribunt, verum etiam sanam mentem desiderare cogor.

Et

Digitized by Google

Objectio 15. *Et in Annotationibus* Marci IX. *indecentiſſime appellat* Joſeph *vitricum* Chriſti, *his verbis*, Hinc accipimus illum, *ſcilicet Chriſtum*, & vitrici ſui exercuiſſe artem. *Et* Lucæ II. *tradit* Chriſtum *per gradus quoſdam profeciſſe ſapientia & gratia, ſicut ætate. Quanquam more ſuo aperta aliis fovea elabi conetur.*

Reſponſio 15. Quod hic fallit numerus *Marci* nono, cum tale nihil aliud habeatur, fortaſſe non eſt illis imputandum qui hæc de libro mendoſo calumniatoris deſcripſerunt, non autem decerpſerunt ex meis lucubrationibus. Nam quod adferunt habetur *Marci* VI. Si vitricus eſt matris tuæ maritus, qui tamen tuus pater non eſt, quid abſurdi eſt, *Joſeph* dici vitricum *Chriſti*? Pater dictus eſt ab Evangeliſtis, ſed hoc dure diceretur a me. De ſententia conſtabat, de voculæ abuſu calumnia eſt. Patrem verebar dicere, quoniam ſub mea perſona loquebar, ſi nutricium dixiſſem, minus dilucide fuiſſem loquutus: vitricum dixi, ſignificans non vere patrem, ſed tamen matris verum conjugem.

Quod attinet ad illud quod conſiderandum propoſui, num pie credi poſſit, quod divinitas humanæ *Chriſti* naturæ per gradus aliquos communicarit ſuam gratiam aut dotes, nihil aliud requiram, niſi ut locus quem citant legatur. Nulla res melius refellet hanc calumniam.

Objectio 16. *Item* Lucæ *primo periculoſe tollit illam particulam*, ex te, *ab illa oratione*, Quod naſcetur ex te. *Nam & aliqui Græci Codices eam habent, & hac auctoritate* Sabelliani *Hæretici refelluntur.*

Reſponſio 16. Annotatio mea ſic habet: *Cæterum illa duo verba*, ex te, *nec in ullis Græcorum Exemplaribus addita reperi, ne apud* Theophylactum *quidem, nec in antiquis Codicibus Latinis, præterquam in uno, in quo neſcio quis in margine adjecerat.* Proinde miror unde in primam hujus operis Editionem invaſerint, &c. Unde igitur ſuſtuli hæc duo verba? Non ex Græcis Codicibus, in quibus non reperi: non ex Latinis vetuſtis, ſed ex mea Editione, in qua aliquis inſcio me duas voces adjecit, id poſtea deprehendi. *Joannes Reuchlinus* ſuppeditarat Codicem Novi Teſtamenti, bellum verius quam emendatum. Is hîc relictus erat a Cardinali quodam Synodi tempore. Qui præerant cattigationi, cum haberent *Theophylacti* vetuſtiſſimum Codicem, maluerunt illum bellum ſequi. Ita factum, ut aliquando contextui non congrueret mea Annotatio. Hoc ſimulatque comperi, juſſi ne quid ad illum corrigerent, qui videretur ad vulgatam Latinorum ac recentem lectionem emendatus. Quid autem refert utrum hæ voces exprimantur, an neceſſario ſubaudiantur? Præcedit enim, *Concipies in utero & paries filium.* An ſtatim florebunt *Sabelliani*, ſi abſint duæ voculæ? Quibus igitur præſidiis debellati ſunt a Græcis & Latinis, qui non legebant, *ex te*, quod liquet ex vetuſtorum ſcriptis? Et cui non ſufficerent tot loca, quibus Virgo dicitur *mater Jeſu, concepiſſe Jeſum*, & *peperiſſe filium ſuum primogenitum*, aliaque innumera, is ſtatim ad duas voculas obmuteſceret? quaſi mucus non egrediatur e naſo, cum tamen non ſit e ſubſtantia naſi. Porro cum eadem præpoſitione ſit uſus Evangeliſta *Matthæus* de Spiritu Sancto, ex cujus ſubſtantia non eſt Filius, quid habebit momenti præpoſitio? Et ſi hîc periclitatur fides Chriſtiana, ſi non addatur, *ex te*, multo periculoſius eſt quod *Matthæus* & apud Græcos & apud Latinos ſic loquitur, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Quam male collocant bonas horas, qui tricis hujuſmodi chartas contaminant?

Objectio 17. *Item exponens illud ad* Rom. V. in ſimilitudinem carnis peccati, *periculoſe nimis ſic ait*, quod *Chriſtus* nocentis perſonam aſſumpſit, hypocriſis quædam erat. *Hæc ille. Præbet anſam Hæreticis dicentibus Filium Dei aſſumpſiſſe corpus fantaſticum.*

Reſponſio 17. Stultiſſimum erat illud, ſed multo ſtultius quod ſequitur, etiamſi locum falſo indicent. Eſt enim non cap. V. ſed VIII. Illic repeto quod annotaram in cap. V. ὁμοίωσιν & ὁμοίωμα Græcis ſonare magis *aſſimulationem* quam *ſimilitudinem*, quam illic vocant ὁμοιότητα. Quod autem *Chriſtus* ſuſtinuit perſonam hominis nocentis, dum ligatur, accuſatur, damnatur, conſpuitur, flagellatur, crucifigitur, quoniam non erat vere quod in ſe juxta ſpeciem recepit, appello *hypocriſim*, aptiore verbo quam ſi dixiſſem *ſimulationem* aut *diſſimulationem. Hypocriſis* enim Græcis dicitur actio qua quis repræſentat perſonam, veluti cum in fabulis vir ſuſtinet perſonam mulieris, aut plebejus tyranni; ita *Chriſtus* ſuſcepit in ſe perſonam noſtram, hoc eſt, nocentium, pro nobis depenſurus pœnas. Hoc quod ſenſi verbis accommodatioribus explicare non potui. Et ſenſus pius eſt, niſi forte fuit vere ſceleroſus. Nec ideo non eſt fas uti verbis in nativo ſignificato, ſi nonnunquam ſonant in malam partem. Vide quantum periculi ſit agere cum his, qui neque Græce ſciunt, neque Latine, eoque quicquid non intelligunt arrodunt. Mirum vero diſcrimen ſi propter unam voculam repullularit hæreſis tot ſeculis plus quam ſepulta. Atqui idem periculum eſt in voce *ſimilitudinis*, ſiquidem ubi ſimilitudo nominatur, ibi negatur veritas, ut in ſtatua eſt hominis ſimilitudo. Verum hac de re pridem reſpondimus *Petro Sutori.* Illud te rogo Lector, ut nunc cum his nugis conferas atrocem titulum, *Contra Chriſti divinitatem, dignitatem, & gloriam.* Prorſus ipſi ſui vates ſunt: dum enim hi qui Chriſtianæ Religionis columina videri volunt, tam impudentes & indoctas calumnias produnt, apud vulgum præſertim, apud impios blaſphemiis inceſſitur nomen Domini *Jeſu Chriſti*, cui debetur omnis gloria.

CONTRA SPIRITUS SANCTI DIVINITATEM.

Titulus tertius.

Objectio 18. *Eraſmus* in Prologo Operum ſancti *Hilarii*, *Divus Hilarius*, inquit, *in calce libri* XII. *nihil audet de Spiritu Sancto pronunciare, niſi quod Spiritus Dei eſt, nec hoc auſurus, niſi legiſſet apud* Paulum. Et infra: *Nuſquam ſanctus* Hilarius *ſcribit adorandum Spiritum Sanctum, nuſquam tribuit ei* Dei *vocabulum.* Et infra: *In quibus*, ſcilicet Divinis Voluminibus, *ut aliquoties Filio tribuitur* Dei *cognomen, ita Spiritui Sancto nuſquam aperte.* Et infra: *Pater frequentiſſime* Deus *vocatur, Filius aliquoties, Spiritus Sanctus nunquam.* Et infra: *Nos hoc audaciæ prorupimus, ut non vereamur Filio præſcribere, quibus modis debuerit honorare matrem ſuam, audemus Spiritum Sanctum appellare Deum, quod Veteres auſi non ſunt.* Hæc *Eraſmus.*

Reſponſio 18. Ex his, quæ ſuperius tradita ſunt, ultro liquet quam hæc ſint impudenter detorta ad calumniam. Quæ congerunt, ſuis locis non alio ſpectant, quam ut declarent religioſum timorem Veterum in loquendo de rebus ineffabilibus, & recentiorum quorumdam irreligioſam temeritatem. Si *Hilarius* in XII. libris alicubi pronunciat Spiritum adorandum, ſi tribuit illi nomen Dei, fatebor me lapſum memoria, quandoquidem de re nulla eſt controverſia. Et ne memoriæ lapſus poſſet objici, interjeceram, *quod ſciam*: quæ duo verba prætermiſſa ſunt ab iſtis, quia non faciebant ad calumniam. Agnoſcis Lector Chriſtianam charitatem, quod tamen iſtis imputari nolim, ſed libro ſycophantico, unde hæc decerpta fuiſſe res ipſa loquitur. Rurſus ſi cognomen *Dei* ſic in Libris Canonicis aperte additur Spiritui Sancto, quemadmodum in Evangelio & Epiſtolis Patri crebro, Filio raro, fatebor me lapſum memoria. Verum quod vetuſtiores minus auſi ſunt pronunciare de rebus divinis, religioni tribuo, hoc eſt, reverentiæ myſteriorum ineffabilium. Exſpectabant enim accuratiorem Scripturarum excuſſionem & auctoritatem Eccleſiæ. Id declarant quæ inibi ſequuntur: *Poſteriores diligentius excuſſis Sacris Voluminibus ac majorum auctoritate freti, non verentur Filium Dei appellare verum Deum, & ad illum ſuas preces dirigere.*

In eamdem ſententiam loquor præfans in Hilarium: *Divus* Hilarius *in calce libri* XII. *nihil audet de Spiritu Sancto pronunciare, niſi quod Spiritus Dei eſt, nec hoc auſurus niſi legiſſet apud* Paulum: *non audet creaturam dicere, quia nuſquam legerat in Sacris Litteris.* Hæc profeſſio non ſatis eſſet hoc ſeculo, quia plura nos docuit Veterum neceſſaria diligentia, ſed citra neceſſitatem nos longius evehimur.

Digitized by Google

Et aliquanto poſt ſunt hæc mea verba, quæ truncatim recitarunt: *In quibus ut aliquoties Filio tribuitur* Dei *cognomen, ita Spiritui Sancto nuſquam aperte.* Sequuntur enim hæc: *Etiamſi poſt Orthodoxorum curioſitas idoneis argumentis comperit e Sacris Litteris in Spiritum Sanctum competere quicquid Filio tribuebatur.* Vides Lector ſanctæ inquiſitionis artificium, de qua male ſentit *Eraſmus.* Quare non addiderunt hanc particulam? Quoniam prorſus excludebat calumniam. Ergo non inquirebant verum, ſed affectabant ſtudio, quid falſo criminarentur. Hac nimirum arte contexit ſuos centones malitioſa calumnia.

Simili techna truncatim retulerunt & illum locum: *Pater frequentiſſime* Deus *vocatur, Filius aliquoties, Spiritus Sanctus nunquam.* Sequitur enim: *Atque hæc dixerim, non ut in dubium vocem quod nobis ex Divinis Litteris Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas, ſed ut oſtendam quanta fuerit Antiquis religio pronunciandi de rebus divinis.* Cujus autem artis hoc eſſe videtur, ut ex eadem pagina colligas probationem hæreticæ ſententiæ, in qua tam multa ſunt quæ pugnant adverſus eamdem ſententiam? Non hæc eſt apicularum ſedulitas, non charitatis ſinceritas, quæ non ſuſpicatur malum, ſed ars araneorum, qui ex ſalubribus floſculis exſugunt venenum, imo, ut verius dicam, ſalutiferum ſuccum ſibi vertunt in venenum, & ſi fas eſt ingenue verum proloqui, illius ars eſt, cui apud Græcos nomen eſt a calumniando.

Non dubito quin omnibus perſpicua ſit iſtorum inſignis impudentia. Sed audi quiddam his etiam multo ſceleratius. Recentiorum quorumdam de rebus divinis pronunciandi temeritatem his taxo verbis: *Nos huc audaciæ prorupimus, ut non vereamur Filio præſcribere, quibus modis debuerit honorare matrem ſuam. Audemus Spiritum Sanctum appellare* Deum, *quod Veteres auſi non ſunt.* Hæc *Eraſmus.* Quis ferat horum verborum blaſphemiam? Sed audi Lector nimium impudens artificium. Hic ſermo inde ſumpſit initium: dicebam Priſcos illos, qui religione quadam parcius pronunciabant de Triade ſacra, ſanctius eam coluiſſe quam nos, qui certiora de illa tenemus. Et hîc obiter taxo quorumdam irreligioſam audaciam, qui dum probare contendunt, Virginem matrem ſine labe peccati originalis fuiſſe conceptam, utuntur hoc lemmate: *Debebat ſummum honorem Matri, & hoc igitur ut ſic conciperetur debuit præſtare, & quod debuit potuit, igitur fecit.* Similis audaciæ eſt, quod quidam docent etiam *Chriſtum* in cœlo ſedentem eſſe ſub imperio Matris, & ideo Eccleſiam canere, *Monſtra te eſſe Matrem*, hoc eſt, præcipe Filio, ut faciat quod petimus. Verum hoc, ut opinor, non admodum movet iſtos; illud movet quod adjicio, *Audemus Spiritum Sanctum appellare* Deum, *quod Veteres auſi non ſunt*, &c.

Temerarium volo videri quod præceſſit, & hoc ſubjicio veluti ſimilis temeritatis exemplum. O voces exſecrandas? Quis hæc perferat? Quis non exſecretur tam impudentem calumniandi malitiam? Vix arbitror Satanam ſimile quicquam auſurum. Quam malitioſa techna contexuerunt voces horrendas homines mundo mortui? Verum ſermo pius erat, ſi totus fuiſſet recitatus. Sequitur enim continenter: *Sed iidem non veremur illum ſubinde noſtris ſceleribus ex animi noſtri templo deturbare, perinde quaſi crederemus Spiritum Sanctum nihil aliud eſſe, quam nomen inane, quemadmodum plerique Veterum, qui ſumma pietate colebant Filium, tamen ὁμούσιον dicere verebantur* &c. Quid hîc reprehenditur a me? Num illud quod audemus Spiritum Sanctum appellare Deum? Minime. Nam id probo in eadem Præfatione. Verum illud vitio datur, quod cum plenius inſtructi ſimus de natura Spiritus Sancti Filiique, tamen in cultu ſimus inferiores his qui minus erant inſtructi, cum potius cum acceſſione cognitionis accedere debuerit veneratio majeſtatis. Quod dico tam perſpicuum eſt, ut vel cæco, quod ajunt, appareat. Quid igitur cogitarunt, qui hæc deferunt ad ſuſpicionem hæreſeos *Arianæ?* Verbo expediam: niſi plane ſtipites ſunt, aut putabant neminem fore qui mea legeret, aut ipſos judices habebant pro ſtipitibus.

Si quis ad iſtum modum voces ex *Paulinis* Epiſtolis decerptas verteret in calumniam 1. *Corinth.* VIII. dicit, *Sunt Dii multi & Domini multi*, hoc eſt contra primum Decalogi præceptum. Ad *Roman.* III. ſcribit, *Faciamus mala, ut eveniant bona*, hoc eſt contra rectam doctrinam. Item 1. *Corinth.* XV. de ſe & cæteris Chriſtianis loquitur, *Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, hoc eſt contra illud Evangelicum, *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Hæc qui moliatur, inquam, nonne rem faceret omnium judicio abſurdiſſimam? Nemo tam impudens, ut id non fateatur. Atqui in his, quæ ſupra demonſtravimus, quædam ſunt quæ nihilo plus quam hæc habent, vel mentis, vel frontis.

Quod ſi cavillantur de verbo *audemus*, quod videtur in malam ſonare partem, objiciam eis illud ex canone ſacrificii, *Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere*, Pater noſter, &c.

Objectio 19.

Idem in libello de modo orandi Deum *valde ſcandaloſe de Spiritus Sancti divinitate loquitur, & quod ſine impietate dici non poteſt. Quaſi ejus divinitas non tradatur aperte in Sacris Litteris, neque ſancti Patres auſi fuerint eam profiteri, & recentiores in ea profitenda audaciores fuerint, oblitus quid inter Græcos beatus* Athanaſius *in Diſputatione contra* Arium, *quid beatus* Baſilius *in libris quinque* de Deitate Filii & Spiritus Sancti *adverſus* Eunomium *Hæreticum, quid etiam* Didymus *in libris* de Spiritu Sancto, *quid beatus* Cyrillus *in* Theſauro *lib.* XIII. *quid etiam inter Latinos beatus* Cyprianus *in Expoſitione Symboli Apoſtolorum, & in Sermone* de Spiritu Sancto, *quid beatus* Hieronymus *in Symboli explanatione, quid beatus* Ambroſius *in libro* de Spiritu Sancto, *& frequentiſſime ſuper* Paulum, *& in aliis locis, quid beatus* Auguſtinus *in libris* de Trinitate, *quid fere omnes antiqui Orthodoxi de Spiritus Sancti divinitate ſcripſerint, quid Concilium* Nicænum, *quid omnia tria Symbola de ejuſdem Spiritus Sancti divinitate apertiſſime ac ſolidiſſime ex Sacris utique Litteris collecta credenda ſanxerint, atque ſub neceſſitate catholicæ profeſſionis confitenda firmarint.*

Objectio 20

Monet, inquit, temporum ſtatus, ut obiter paucis diſcutiamus, ad quem ſit dirigenda precatio. Videmus autem ſolennes Eccleſiæ preces a Priſcis nobis traditas (de iis ſentio, quas collectas *vocant) pleraſque dirigi ad Patrem, nonnullas ad Filium, nullas ad Spiritum Sanctum: in omnibus tamen fieri trium Perſonarum mentionem, idque tanta religione videmus a Veteribus obſervatum, ut ne in iis quidem, quibus multis utimur in feriis Pentecoſtes, ulla ſit quæ Spiritum Sanctum appellet, hoc duntaxat in his, quæ Sacerdos pro toto populo pronunciabat. Cæterum in cantionibus, quas populus decantabat, non vitatur invocatio Spiritus Sancti, velut in proſis, hymnis, & antiphonis: tanta erat Antiquis religio, ne quid auderent, quod Divinis Litteris non eſſet expreſſum. Ideo fere precationes omnium diriguntur ad Patrem, quia palam & crebro legunt Apoſtolos admonitos, ut Patrem cœleſtem orarent, ſed in nomine Filii, & Filius in Evangeliis frequenter orans Patrem alloquitur, Spiritum Sanctum promittit, non orat. In ſolo* Joanne, *cum toties jubeantur orare Patrem in nomine Filii, ſemel legitur:* Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. *Quanquam hoc pronomen,* me, *non additur in pleriſque Græcis Codicibus, ac ne in Latinis quidem omnibus. Certe* Theophylactus *nec legit, nec interpretatur, haud dubium interpretaturus ſi legiſſet, cum illic pugnet adverſus* Arianos, *ex his verbis,* Si quid petieritis, *arguens æqualem Filii poteſtatem cum Patre, collecturus idem efficacius, ſi ſcriptum fuiſſet,* Si quid petieritis me. *Quanquam hîc obſtrepit ſcrupus, quî conſiſtat, ut quis petat aliquid* Chriſtum *in nomine* Chriſti, *niſi forte ab homine* Chriſto *in nomine Filii Dei. Tametſi* Stephanus *in* Actis *nihil veritus eſt dicere,* Domine Jeſu accipe ſpiritum meum. *Proinde hic ſermo non eo ſpectat, ut dubitetur an ſit invocandus Spiritus Sanctus, ſed ut docturus de invocandis Divis indicem quam anxia fuerit majoribus religio ſuſcipiendi quod auctoritate manifeſta Sacræ Scripturæ traditum non eſſet, præſertim in his quæ ſuperant humanum intellectum.*

Eadem

Digitized by Google

Objectio 21. *Eadem religione fuit sanctus* Hilarius, *qui post diuturnum silentium* XII. *libris instantissime contendit, ut Filium doceat esse verum Deum, cum solus Pater dictus sit in Evangelio verus Deus, Spiritum Sanctum nusquam, quod sciam, audet pronunciare Deum, nec adorandum profitetur, sed promerendum: eumdem creaturam veretur dicere, cum* Hieronymus *non vereatur Filium Dei pronunciare creaturam. Hæc ibi & in Prologo beati* Hilarii *idem repetit.*

Responsio 19. Ex superioribus abunde dilucidum est & hæc calumnioſe ab istis ex eodem libro congeri. Prima quæstio mota est de eadem essentia Filii. Ea discussa, sequuta est quæstio de Spiritu Sancto: nec loquor illic de omnibus sanctis Patribus, sed nominatim de *Hilario*, quales fuisse complures probabile est: nec loquor de cunctis illius operibus, sed de duodecim libris, quos scripsit *de sacra Triade*. Verum ut facerent locum calumniæ, ex uno Scriptore fecerunt multos, ex uno opere plura. Jam si tum *Hilario* fuisset compertum, ita publicitus profitendum, Spiritum Sanctum vere Deum appellandum, & adorandum eadem latria, ὁμούσιον esse his unde procedit, cum ex professo tractet de tribus Personis, rem tantam haudquaquam siluisset. Quin & in Symbolo Patrum, quod canitur in sacro, Filius pronunciatur *Deus verus de Deo vero*, Spiritus Sanctus tantum dicitur *Dominus una & una glorificandus & adorandus*, cum in posteriore Symbolo, quod *Athanasii* putant, aperte pronuncietur Spiritus Deus æqualis Patri & Filio. Cur illic non pronunciatum est? Religio fuit in causa, quia nondum satis erat discussum. Unde post nata est fiducia pronunciandi? Ex collatione Scripturarum, & ex auctoritate Synodorum. Quis autem nescit quod post Patrum definitionem, *Athanasius*, *Basilius*, *Didymus*, *Cyrillus*, *Cyprianus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, & cum his alii complures scripserunt de divina natura Spiritus Sancti? An ego tam stupidus sum, ut hoc nesciam, aut tam improbus, ut hoc negem? Frustra igitur hunc catalogum nobis protulerunt, quasi scilicet ipsi soleant in talibus Auctoribus versari, & fortassis e cujus libro hæc decerpserunt, non in aliud illos percurrit, nisi ut carperet. Nec dubito quin & *Hilarius* postea docuerit de Spiritu Sancto quod nos credimus. Verum satis perspicuum est, id temporis cum scriberet libros *de sacra Triade*, nondum satis instructum ad pronunciandum, quod postea decretum est. Siquidem illud constat, qui dubitabant de Filio, multo magis dubitasse de Spiritu Sancto.

Responsio 20. Cæterum quæ congerunt, non video quo tendant. Nihil enim hîc aliud declaratur quam Veterum religio & religiosa Ecclesiæ consuetudo, quæ solennes preces ad Patrem plerunque, ad Filium aliquoties, ad Spiritum Sanctum nunquam dirigit. Et tamen ne quis suspicaretur inæqualitatem Personarum, addo quod in singulis fit omnium mentio, nec hoc contentus, addo, *non esse dubitandum, quin Spiritus Sanctus possit invocari*, tantum indico Veterum religionem adhuc in Ecclesiæ ritibus exstantem. Hæc autem ideo commemoranda duxi, quod quidam nunc suas preces omisso *Christo* dirigunt ad Divos ac Divas, præter omnem Ecclesiæ consuetudinem.

Responsio 21. Ut ad extremam particulam tribus verbis respondeam: *Hilarius* fuit antiquior *Hieronymo*, & ideo in pronunciando de divinis rebus religiosior: *Hieronymus*, cujus ætate fuerant hæc omnia discussa Synodisque comprobata, plus ausus, nimirum Filium etiam vocare creaturam juxta divinam naturam. Nec dubito quin *Hieronymus* hoc dixerit pio sensu, rectene an secus sit loquutus, non est hujus loci discutere, tantum de religione docui, nisi quod probabile est, illum non alio sensu dixisse, creatam sapientiam, quæ est *Christus*, quam quem adduxit *Athanasius*, qui admonet Græcis nonnunquam κτᾶσθαι dici, non quod incipit esse, aut quod fit ex nihilo, sed quod in aliquid paratur ac destinatur. Sic paramus ducem, aut patronum.

Postremo, ne quid cavillentur de voce *manifeste*, non statim quod huic manifestum est, omnibus est manifestum: & sæpe quod primo adspectu non est manifestum, acrius intuenti fit manifestum: nec raro fit, ut hic videat quod illum fugerat. Hinc est quod non statim comperta sunt, quæ post ex Scripturis divinis deprehendit plurimorum Episcoporum religiosa diligentia.

Habes ad tria capita crassam & omnis artis expertem responsionem, ex qua facile conjectura fieri potest, qualia sint cætera leviora, cum hæc de rebus omnium maximis sint tam frivola, ne quid dicam acerbius.

TITULUS IV.

CONTRA SANCTAM HÆRETICORUM INQUISITIONEM.

Objectio 22. IN *Paraphrasi* Matthæi XIII. *Servi qui volunt ante tempus colligere zizaniam, sunt qui Pseudapostolos & Hæresiarchas gladiis ac mortibus existimant e medio tollendos, cum paterfamilias nolit eos exstingui, sed tolerari, si forte resipiscant, & e zizaniis vertantur in triticum. Quod si non resipiscant, serventur suo judici, cui pœnas dabunt aliquando. Hæc ille.*

Responsio 22. Post tam præclarum inquisitionis specimen editum, quid aliud restabat, quam ut post summam Triadem pulchre defensam a calumniis, ad sanctam Hæreticorum inquisitionem veniretur. Plurimum interest inter inquisitionem sanctam & sycophanticam. Inquirit pater in vitam filii, ut curam agat: inquirit medicus in valetudinem amici, ut sanet: sic inquirit is qui diligit Dei domum in impios errores, ut medeatur si possit, si non possit, omnibus tentatis, resecet insanabile membrum, ne malum latius serpat. Sed rursus inquirit aliterius, ut prodat: inquirit sector, ut prædam emungat: inquirit scurra, ut calumnietur: inquirit hostis, ut interimat: inquirit tyrannus, ut publicam libertatem opprimat: inquirit & Satanas, *circumiens ut leo rugiens, quærens quem devoret.* Ab hoc inquisitionis genere oportet Christianum inquisitorem quam longissime abesse.

Ad hunc Articulum abunde responsum arbitror in *Supputationibus* ad *Beddæ* Propositionem 32. respondi & *Latomo*, qui nonnullis visus est oblique me suggillare, ut supervacaneum sit hîc eadem repetere. Quoties mecum reputo quam exsecranda res sit hæresis & schisma, non possum damnare legis licet durum cauterium: rursus ubi considero qua mansuetudine *Christus* plantarit, aluerit, provexerit, constabilieritque suam Ecclesiam multis seculis, vix reperio quomodo tuear exemplum quod hodie videmus in nonnullis, qui ob opiniones Scholasticas illico pertrahunt ad carceres & incendium: veluti nunc exuri videmus Sacerdotes, qui puellam, quicum habent consuetudinem, malunt uxorem appellare quam concubinam. Equidem talibus mederi soleo, non patrocinari, nec in hoc hæc mihi dicuntur, quod tales velim impunitos esse: tantum illud admiror, quomodo tanta severitas conveniat cum Ecclesiastica mansuetudine. Non est meum probare aut improbare Principum mundanorum leges, habent suum jus, habent sua consilia, habent suum judicem, cui reddituri sunt rationem. Mea Paraphrasis Evangelicæ parabolæ sensum explanat; qui si verus est, si *Christo* dignus, si probatis orthodoxis Interpretibus placuit, si multis seculis usu Ecclesiæ comprobatus est, cur reprehenditur? aut si reprehendendus est, cur non pariter in jus vocentur & illi? Usque ad ætatem *Augustini*, hoc est, plus quam quadringentis post *Christum* natum annis, nusquam legimus Orthodoxos imploraſſe Cæsaris præsidium adversus Hæreticos, cum id frequentissime factum esset ab ipsis Hæreticis. Nunquam tamen hoc exemplum imitari visum est Orthodoxis, donec *Donatistarum* & *Circumcellionum* huc perpelleret pervicax & insanabilis insania, nimium diu tolerata. Nam præter schisma, quo non aliud exitiabilius si processisset, agitabant, vulnerabant, injecta in oculos calce aceto temperata exoculabant Orthodoxos, alios occidentes, alios ad homicidium metu mortis adigentes. Nec mitiores erant in seipsos quam in alios, ultro sibi vel gladio, vel, si gladiorum non esset copia, præcipitio necem accersentes. Quid multis? Tanta erat rabies, ut nec ab Ethnicis Principibus tolerari debuerint, nec a Christianis; etiamsi nulla fuisset

Digitized by Google

set hæresis, aut schismatis crimen. Per hos cum nulli liceret esse quietum, nec ullus esset insaniendi modus aut finis, tandem inter Episcopos agitatum de implorando Cæsaris præsidio adversus *Donatistarum* intolerabilem improbitatem. Mansuetioribus, inter quos fuit divus *Augustinus*, non placuit imploratio profanæ potestatis ad negotium Ecclesiasticum, existimantibus non decere Episcopos aliis armis uti, quam verbo Dei, precibus, &, si malum foret insanabile, anathemate, hoc est, separatione a communione. Hoc tum erat extremum Ecclesiæ supplicium, & sicut apud Jureconsultos civilis mors dicitur exsilium, ita apud Apostolos & horum successores pœna capitis erat ab Ecclesiæ consortio submovisse. Ad hanc sententiam non solum invitabant exempla *Christi*, Apostolorum, & Martyrum, verum etiam metus propellebat, considerantes fore periculum, ut, si ageretur terroribus, pro Hæreticis fictos haberent Christianos, majore Christiani gregis pernicie. Verum ubi vicisset aliorum sententia, reliquæ bene cessissent multis hac severitate correctis, qui vel inviti manserant in ea factione, vel ambigui, vel errore modo seducti, fortiter probavit *Augustinus* quod prius improbaverat. Sed tamen adversus tam furiosos latrones ac sicarios verius quam Hæreticos lex meo judicio nimium mitis lata est, quæ primum nec corpus cujusquam attingeret, nec quemquam facultatibus excuteret, sed tantum Ecclesiarum hæreticarum facultates ad Orthodoxorum Ecclesias transferret, ad quas qui transire vellet, & iis quas prius habuerat, & iis quas inveniebat, uti frui posset, tanta mansuetudine, ut nec Clericis & Episcopis resipiscentibus suus honos adimeretur, tandem & mulcta cæteris indicta non admodum gravi, qui cum essent pauci, nollent resipiscere. Et adeo nihil tentatum est de occidendis tam immanibus belluis, ut cum prius Edictum *Macedonii*, ni fallor, præsidis sic ambiguis verbis esset propositum, ut Hæreticis videretur minari necem, ni resipiscerent, *Augustinus* illum diligenter admonuerit, ne quemquam interficeret, cum hoc jus nec ex constitutionibus Cæsareis haberet, laudetque quod Edicto posteriore verborum ambiguitatem explicuisset. Idem admonet præter alios *Dulcicium* tribunum, ne quem capite plectat. Ex his satis liquet quantum illorum animus abhorruerit ab hac confiscationum, carcerum, suppliciorum, incendiorum sævitia, quæ nunc quibusdam & nimium & sola placet, præsertim ex eorum numero, qui perfectionem Christianæ pietatis profitentur, quorum omne studium esse decebat mederi potius quam interimere, & legum severitatem intercessione sua mitigare. Nunc etiam ultra Principum Edictum sævitur ab istis clementiæ magistris. Cæsaris Edictum habet, *legitime convictis*, quam hoc interdum fiat legitime, mea nihil refert, tamen multis incognitum non est. Nam hoc hominum genus fere nullis legibus paret, nec Ecclesiasticis, nec profanis, sed quicquid volunt sanctum est. Mihi nulla placuit unquam hæresis, nec ulli unquam favi, faveo, fauturusve sum Hæretico, nisi spe medicandi, ne quis me suspicetur hæc mea causa dicere. Nullum abstractum ab Ecclesiæ caulis adjunxi mihi, sed ipse constantissime persistens in Ecclesiæ consortio, nonnullos ad illius societatem revocavi. Tantum loquor de quorumdam sævitia, quos oportebat esse mitissimos, etiamsi Principes terrerent gladio, sique Episcopi pro sua auctoritate potestatem ad improborum terrorem exererent. Nunc contra fit, ut illorum sævitiæ Monachorum ac Præsulum auctoritas cogatur frenum imponere. Eoque hujus negotii principatus summis Ecclesiæ proceribus delegari solet, ne istis liceat, quicquid libet. Quid autem quorumdam seditiosis apud populum vociferationibus sævitiaque profectum sit, res ipsa loquitur. Fortassis e longinqua regione nonnunquam scribunt Principi quod volunt. Ille rescribit, Si sic habet res, sumatur supplicium. Hoc rescripto non liberantur, sed onerantur illorum conscientiæ. Præterea cum judex laïcus pronunciat ex illorum relatione, non ex cognitione causæ, totum judicii pondus in ipsos recidit. Jam mihi confer Episcopos Ecclesiæ proceres cum Monachis, confer sicarios *Donatistas* cum his, qui forte dixerunt Monachorum Ordines non esse necessarios Ecclesiæ, aut in concionibus *Christi* Spiritum invocari decentius quam Virginem matrem, aut se dubitare an horum temporum confessio sit instituta ab ipso *Christo*, & an Sacerdotum cœlibatus sit juris divini, confer lenitatem Cæsareæ constitutionis vix impetratæ a *Theodosio*, & confer atrocitatem supplicium, quibus nunc agitur cum idiotis, etiam in qualemcunque inductis errorem, desiderabis plane in nonnullis exemplum Ecclesiasticæ mansuetudinis. Sed postea, inquiunt, lex non sine causa lata est severior. Non damno cauterium, tantum doleo tam asperum remedium Christianorum peccata meruisse: & parricidarum suppliciis indolesco, tamen hunc dolorem publicæ tranquillitatis respectu consolor. Eodem modo sum affectus erga illos, qui, quoniam sanari non possunt, necessario tolluntur, ne plures trahant in luem. Quicquid agit legum fortasse necessaria severitas, certe Sacerdotum & Monachorum est studere sanandis potius quam extinguendis. Principum constitutiones nunquam improbavi, quanquam & ipsos oportet legum rigorem ad Christianæ moderationis lenitatem quatenus licet deflectere. Multum enim interesse debet inter Principem Ethnicum & Christianum. Rursum plurimum interest inter profanum Principem & Ecclesiasticum. Postremo nonnihil interest inter Præsulem auctoritate publica præditum, & Monachum aut Theologum, quorum est cum omni mansuetudine docere. Quale est autem, olim nullis Theologiæ Scholis institutis, solo Dei verbo feliciter pugnatum esse cum Hæreticis, nunc cum orbis celebribus Academiis sit plenus, articulis & fasciculis rem tantum geri? Quid autem reprehendi potest in Paraphrasi, nisi quod non meminerit de constitutione Monarcharum posterioribus annis inventa? id non licuit, eo quod illic Evangelistam facio loquentem, qui constitutionem illam non noverat, nisi debui sic illum inducere loquentem, Usque ad annos octingentos *Christus* neminem Hæreticum vult occidi, sed post illud tempus exorietur alia lex ut exurantur. Inepte nimirum imaginantur sermonem hunc a me dici his temporibus, cum dicatur ab Evangelista priscis Ecclesiæ temporibus. Neque *Christus* illic agit de gladio Principum, cum Ecclesia tot a *Christo* passo seculis egerit sub Principibus Ethnicis, sed de studio loquitur Apostolico cum mansuetudine pertrahendi omnes ad salutem, exemplo summi Pastoris, qui venerat non ad perdendas animas, sed ad servandas. Ita fit, ut hæc mea interpretatio non officiat Principum constitutioni. Nam illa docet mansuetudinem Evangelicam, non adimit Principi jus gladii. Illa præscribit quid illi congrueret tempori, non quid in fine seculorum exactura esset hominum improbitas. Nonnullæ Principum leges ad terrorem eduntur verius quam ad exemplum. Atque ut profani judicis est eximere gladium interdum, quo unius interitu servet multos: ita quoties error, aut casus, aut ætas excusat crimen, & spes est correctionis, debet meminisse Christianæ clementiæ. Quin & illud inspiciendum, an Monarchæ jus habeant, ob quodvis delictum, capitis pœnam indicere. Tum illud etiam videndum, an Principes voluerint ob quemvis errorem, qui videri potest hæreticus, hominem tradi flammis. Etenim si certus est error, nihil hîc opus est Theologis, cum tantum sit cognitio facti: si dubius est, non est cujusvis Theologi, sed Romanæ Sedis potissimum de articulis fidei dubiis judicare. Multo durius est ob articulos non solum dubios & controversos, verum etiam leviculos hominem flammis tradere. Sed multo durissimum ob titulos, quos ipsi suo arbitrio confingunt subinde novos, hoc est contra Doctores Scholasticos, hoc est suspectum, hoc scandalodes, hoc contra laudabilem consuetudinem, hoc male sonans ut jacet, hoc impertinenter dictum, & hujusmodi innumeros, ut nihil sit, quod non aliqua pateat calumniæ, si malevolus accesserit animus: & interim tamen disputant, an Ecclesia possit condere novum articulum fidei, cum isti quoties commodum est gignant

Digitized by Google

gignant eos in ipsa cognitione, nonnunquam & post editam sententiam. Res agitur per relatores, deputatos, ac judices Monachos, nec sincere nec legitima juris forma, pronunciant in carcere tres Priores, Monachis duobus testibus, & apparatur rogus. Hæc nescit Princeps, cujus lex prætexitur, privato quorumdam odio serviens, cum in publicam utilitatem sit edita. Hæc quoniam fieri compertum est, admonendi erant Principes; quæ tamen admonitio nec Hæreticos veros & insanabiles sublevare, nec sinceros inquisitores gravare debet. Constitutio, quæ in Codice libro primo, titulo de Hæreticis *Manichæis* & *Samaritanis*, fertur octava, solos libros & chartas jubet exuri, doctores tantum capite plecti, discipulis decem librarum auri mulcta dicitur: eos vero, qui non solum audiunt illos, verum etiam contemptis Principum legibus libros illorum apud se servant, manifestum hæreseos favorem præ se ferentes in exsilium deportari jubet. Nec hæc tamen constitutio ferit quoslibet Hæreticos, sed nominatim *Manichæos*, *Apollinaristas*, & *Samaritanos*, qui manifestam docebant blasphemiam. Hujusmodi fere sunt quæ præcedunt eodem titulo, quæ jubent inquisitionem etiam usque ad capitis pœnam extendi, sed exprimunt certas hæreses. Similiter eodem libro, titulo *de summa Trinitate* &c. *Arianos* exprimit. At hi spoliabant Dei Filium, & multo magis Spiritum Sanctum, veritate divinæ naturæ. Quemadmodum *Apollinaristæ* verum hominem negabant, detrahentes illi meliorem hominis portionem, nimirum animam humanam. *Donatiani* furiosi latrones erant, non solum pestilentissimi schismatici. Non hîc agebatur, an hæc confessio sit instituta a *Christo*, an constitutio hominis pura obliget ad crimen, an Symbolum sit frustulatim editum ab Apostolis, an Apostoli calluerint Linguam Græcam, sed de majestate *Christi*, deque summa Christianitatis. Jam per Pontificum constitutiones, quæ sunt in Decretalibus lib. v. tit. *de Hæreticis*, & in sexto eodem numero ac titulo, convicti, & in errore persistentes, aut in hæresim abjuratam relapsi, tantum jubentur tradi curiæ seculari, quanquam hîc glossematographi de suo adjecerunt, *ut comburantur*. Quando *Pelagianis* aut *Jovinianis* ex Cæsarum Edictis dicta est mulcta? Nunc ad ignem pertrahitur qui dubitet an Romanus Pontifex jus habeat in Purgatorium. Et olim in Synodo Episcoporum Hæretici citati reddebant suæ doctrinæ rationem, convictis libera erat optio, utrum mallent ipsi in suum dogma pronunciare anathema, an simul cum dogmate feriri anathemate, hoc est, a communione separari. Nam hæc tum erat pœna Ecclesiæ gravissima. *Berengario*, qui non de confessionis origine, neque de Purgatorio postulatus erat, sed de veritate corporis *Christi*, ne tum quidem vis est adhibita, cum semel dimissus in eumdem errorem esset relapsus. Nunc interdum Monachi vanum spargunt rumorem, mox veluti suspectum pertrahunt in carcerem, ibi disputant suo more, notantur articuli, & parantur fasciculi. Verum hæc extra causam differta sunt, mihi quidem non necessario, sed aliis fortasse non inutiliter. Cætera petantur ex eo loco, quem indicavi.

Sed age fingat aliquis, quod secus habet, mihi non probari legem de occidendis Hæreticis: quid hoc ad sanctam inquisitionem? An ætate *Athanasii*, *Hieronymi*, *Augustini* non erat sancta inquisitio, cum nondum esset ulla constitutio de Hæreticis exurendis?

Porro cum in Prologis, quibus præfatus sum in Paraphrases, tester me Veterum Commentarios sequi, conveniebat inspicere, quid illi super hunc locum differuissent. Et si comperissent meam Paraphrasim cum illorum sententia congruere, decebat, aut mihi cum illis dare veniam, si minus probassent, aut illos mecum damnare. Non pigebit igitur referre, quos Ecclesiæ Doctores hîc sequutus sim. Sed illud prius admonebo Lectorem, hunc Evangelii locum ab aliis aliter accipi; quidam enim *vellere zizania* interpretantur occidere, quidam anathemate submovere a consortio piorum. Rursus alii *zizaniorum* nomine intelligunt quosvis facinorosos, alii tantum Hæreticos & Pseudapostolos. Demum alii putant hunc sermonem tantum ad Apostolicam ditionem pertinere, quæ doctrina potissimum constat & auctoritate spirituali: alii detorquent etiam ad Magistratus profanos. Sed longe aliud est tractare Philosophiam Evangelicam, aliud disputare, quid Deus permittat Principibus, quibus & ipsis juxta suum ordinem utitur justitiæ ministris, interdum & per impios Monarchas castigans populum suum. *Joannes Chrysostomus*, vir & pius & Scripturarum divinarum peritissimus, in caput *Matthæi* XIII. Homilia XLVII. simpliciter interpretatur Domini parabolam hoc docere, ne trucidentur Hæretici, & hujus sententiæ varias adfert causas. Cæterum ne quis suspicaretur Hæreticis prorsus impunitatem his verbis dari, sic moderatur suam interpretationem: *Non prohibet*, inquit, *Hæreticorum conciliabula dissipare, ora obstruere, & audaciam loquendi concidere, verum interficere vetat ac trucidare.* Reliqua qui volet petat ex eo loco, quem indicavi. *Theophylactus* in eamdem ferme sententiam: *Servi*, inquit, *Angeli, qui indignantur esse hæreses vel malitiam in anima, & volunt evellere & exscindere ex hac vita Hæreticos & mala cogitantes, Deus autem non permittit Hæreticos bellis consumi, ne simul patiantur consumanturque & justi*, & cætera. Divus *Hieronymus* evulsionem zizaniorum interpretatur amputationem Hæreticorum ab Ecclesia: *Ne forte*, inquiens, *colligentes zizania eradicetis simul & frumentum.* Datur locus pœnitentiæ, & monemur ne cito amputemus fratrem. Quia fieri potest, ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat, & defendere incipiat veritatem. Atqui hîc quoniam perspicuum erat, *Paulum* secus & docuisse & fecisse; docet enim nec cibum capiendum cum fratre fornicatore & avaro, & ipse nonnullos tradidit Satanæ: sic temperat interpretationem, ut in apertis erroribus nolit cito fieri resectionem, in ambiguis nunquam, sed Domino reservandam ejusmodi dogmatum cognitionem: *Inter triticum*, inquit, *& zizaniam, quod nos appellamus lolium, quamdiu in herba est, & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo, aut nulla, aut perdifficilis distantia. Præcepit ergo Dominus, ne, ubi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, sed Deo judici terminum reservemus, ut, cum dies judicii venerit, illo non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu ejiciat.* Hactenus *Hieronymus*. Hoc commentum in præsentia recito tantum, nec probans, nec damnans. Ad hoc sane valet, ut pudefiant quidam, qui nondum lecto libro, nec intellecta sententia, statim vociferantur apud populum, hæreses, hæreses, hæreses, multo magis qui piè dicta calumniantur.

Quid hic attinet referre quid sentiant *Remigii*, *Anselmi*, & *Beddæ*? Divum *Augustinum* proferam fontem & parentem omnis Scholasticæ Theologiæ, qua se præcipue jactant qui suscitant has tragœdias. Is cum suam hac de re sententiam aliis compluribus locis declararit, in libello, cui titulus *de Quæstionibus Evangelicis* in *Matthæum*, cap. XI. & XII. multis verbis disserit de sensu hujus parabolæ, illud addens aliorum commentis, quod hæc parabola non solum pertineat ad Hæreticos, verum etiam ad omnes, qui male vivendo scandalo sunt Ecclesiæ. Adjicit & illud, quod dictum Domini, *ne forte eradicetis & triticum*, non solum refertur ad eos qui pie sentiunt & vivunt, sed ad eos ipsos qui conversi ad meliora, ex zizaniis triticum fieri possunt. Eradicat enim quodam modo bonum, qui malum tollit e medio, qui bonus erat futurus. De occidendis autem malis ita loquitur: *Non ait, in tempore messis dicam vobis, colligite primum zizania, sed* dicam, *inquit*, messoribus. *Unde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quemquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere.* Et aliquanto post, de pio, cui obrepit cogitatio de tollendis Hæreticis, agens, ita subjicit: *Potest & suboriri voluntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem: sed utrum facere debeat, justitiam Dei consulit, utrum hoc ei præcipiat vel permittat, & hoc officium esse hominum velit. Hinc est*

Digitized by Google

quod ſervi dicunt: Vis eamus & colligamus ea? *Quibus veritas ipſa reſpondet: Non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, ut certus eſſe poſſit qualis quiſque futurus ſit poſtea, cujus in præſentia cernis errorem, vel quid etiam error ejus conferat ad profectum bonorum, non eſſe tales auferendos de hac vita, ne, cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri ſunt, aut bonis obſit, quibus & invitis forte utiles ſunt, ſed tum oportere fieri, cum jam in fine non reſtat vel tempus commutandæ vitæ, vel pròficiendi ad virtutem ex occaſione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus, ſed ab Angelis fieri. Inde eſt quod reſpondet paterfamilias*: Non, ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum. Sed in tempore meſſis dicam meſſoribus. *Atque hoc modo eos patientiſſimos & tranquilliſſimos reddidit* & cætera. Hæc *Auguſtinus*. Dices, ex his *Auguſtini* verbis conſequeretur, nec Principibus, nec Magiſtratibus eſſe jus movendi bellum, aut ullum quamvis facinoroſum occidendi. Fateor, niſi *filium Eccleſiæ* interpreteris Eccleſiaſtico fungentem munere, quales ſunt Epiſcopi ac Theologi. Nam Dominus hos proprie videtur appellare ſervos, quibus Eccleſiæ curam commiſerat, & quorum officium ſeparat ab officio Angelorum. Multæ rationes excogitatæ ſunt ad explicandum quæſtionis nodum. Parabola Domini eſt, cujus interpres ipſe eſt Dominus; ab auctoritate nulla eſt tergiverſatio, circa ſenſum quorumdam verborum eſt ambiguitas. Dici poſſet, hoc Domini præceptum ad Eccleſiæ primordia pertinere, cum adhuc pauci eſſent Chriſtiani, ſub Principibus Ethnicis degentes. Dici poſſet, non tollendos, ſi velint reſipiſcere, niſi nominatim additum eſſet meſſem poni pro conſummatione ſeculi. Dici poſſet, non tollendos, cum ex illorum nece plus mali quam boni venturum eſſet Eccleſiæ, niſi cum hoc quoque dure cohæreret, *uſque ad conſummationem ſeculi, cum tollentur omnia ſcandala*. Et ſi cui ſatisfacit hic ſenſus, non eſt a me præteritus. Verba Paraphraſeos ſic habent, ſub perſona Domini, non mea: *Interim igitur mali bonis admixti ferendi ſunt, quando minore pernicie toleranter quam tollerentur*. Dici poſſet, hoc accipiendum de dubiis dogmatibus, niſi hoc dictum eſſet Apoſtolis, quibus non defuit diſcretio ſpirituum, ſaltem poſt acceptum Spiritum cœleſtem. Dici poſſet, hanc parabolam pertinere tantum ad viros Apoſtolicos, quorum eſt gladio ſpiritus, precibus, lachrymis, integra vita, ſanguine tueri Chriſti ſponſam, non gladiis aut cædibus. Hunc ſenſum ego ſequutus ſum, cum non viderem alium exitum quæſtionis. Ita nec quicquam detraho Principibus, quibus Dominus non ademit gladium, cum eſſent idololatræ, & Apoſtolus *Paulus* etiam confirmat illorum poteſtatem: nec Apoſtolis ac Theologis præripio poteſtatem Eccleſiaſticam. Difficillimum eſt juſſa Principum & fori profanas leges ad Evangelicam regulam exigere. Habent gladium ad ultionem malorum, laudem vero bonorum, nemo negat. Eumdem habent impii; ſed Chriſtiani Principes monendi ſunt, ut non niſi tentatis omnibus, non niſi neceſſariis de cauſis, magno cum tremore promant gladium, ſive ad bellum, ſive ad capite puniendos homines, tanquam Regi Regum de ſingulis exactiſſimam reddituri rationem. Monendi ſunt Theologi, ut diſcernant ſimplicem errorem ab impio dogmate, diſcernant ſimpliciter errantem & forte a majoribus perſuaſum, ab erroris malitioſo magiſtro. Denique ſi legis ſeveritatem tollere non poſſunt, certe mitigent, & medendi ſint avidiores quam perdendi, nec pronuncient temere de quoquam, niſi re diligenter expenſa; poſtremo reputent utrum magis expediat Eccleſiæ Catholicæ, tollere quoſdam Hæreticos, an non tollere. Illud autem expediat, ne rem metiantur privatis affectibus aut commodis, ſed utilitate Reipublicæ Chriſtianæ. Jactant ſanctam inquiſitionem. Fatebor eſſe ſanctiſſimam, modo iſti ſic rem gerant ut talibus viris, quales haberi volunt, dignum eſt. Monendi vero ſumus omnes, ut intelligentes hos Sectarum tumultus, Principum diſſidia, peſtes, rerum caritatem ſic immitti nobis ab irato Deo, quemadmodum olim immiſit *Ægyptiis* ranas, cyniphes, & locuſtas, primum confugiamus ad illius miſericordiam, & ſuam quiſque vitam commutet in melius: ita fiet ut Deus avertat manum ſuam a nobis, ac Principum animos flectat ad amorem pacis, quorum implacabile diſſidium, præterquam quod mundum implet omni genere calamitatum, alit hanc Sectarum inſaniam.

Item in Prologo Paraphraſis Matth. *Omnia, inquit,* Objectio 23. *tentanda ſunt, ne quis reſiliat a prima fide. Quod ſi non poteſt obtineri, fortaſſis expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui animo, donec reſipiſcat, nec ad aliam interim vocari pœnam, niſi ut ab Euchariſtia ſumenda reliquiſque Sacramentis arceatur. Cæterum nec a ſacris, nec a concionibus excludatur.*

Item in Colloquio, quod Inquiſitio *vocat, præter multa, qua irriſorie in Eccleſia auctoritatem ibi dicit, loquens de excommunicatione Hæreticorum, ſic ait: Feriunt ſcilicet excommunicationes, ſed irritis ictibus, eſt & fulgur e vitro, ſeu vaſe æreo, territat, ſed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam. Cumque inducta perſona, diceret: Quid ſi Deus ſit in ſuo Vicario?* Eraſmus *reſpondet, Utinam ſit! Ex quo verbo poteſt inferri, aut excommunicandi auctoritatem* Eraſmum *non tribuere Papæ, aut ipſum exiſtimare, hanc auctoritatem ex gratia gratum faciente pendere, quorum utrumque eſt hæreticum.* Objectio 24.

Locus hic non exſtat in *Præfatione in Matthæum*, ſed in Appendice adjecta Præfationi, ne vacaret charta. Eam proxima prætermiſimus Editione. Tantum propono conſiderandum, nihil aſſeverans. Ad hoc abunde reſpondimus *Beddæ* in *Supputationibus* ad Propoſit. XIII. & XIV. ne repetendis iiſdem oneremus Lectorem. Reſponſio 23.

O ſanctam inquiſitionem! In eo Colloquio, ſub *Barbatii* nomine facio loquentem ipſum *Lutherum*, ſub *Auli* perſona me vel alium Orthodoxum. Jam ſi parum pie dictum eſſet, *Feriunt, ſed irritis ictibus* &c. mihi non poterat imputari, cum illum faciam loquentem, qui contemnit Pontificis excommunicationem, & tamen nihil hîc eſt impie dictum, niſi forte Pontifex in neminem poteſt injuſte ferre ſententiam anathematis. Hoc enim ſentit *Barbatius*, ſe præter cauſam excommunicatum. Cui reſpondet vel *Eraſmus* vel alius Orthodoxus, ſignificans nec falſo latam anathematis ſententiam eſſe contemnendam. Certe territat & hoc. Rurſus *Lutheri* verba ſunt: *Verum, ſed pueros* &c. Quod ſequitur ego loquor: *Quid ſi Deus eſt in ſuo Vicario?* indicans ſententiam recte latam a Pontifice, & a Deo latam eſſe per ſuum Vicarium. Huic reſpondet *Lutherus: Utinam ſit!* Hîc inverterunt perſonas, & ex *Barbatio* fecerunt *Eraſmum* nimis impudenter, cum protinus ipſa res hoc mendacium coarguat. Quid autem dementius, ſi me ipſum inducerem ſuſpectum de hæreſi, quod nec Hæretici ſolent facere? Quod autem colligunt, ex meis verbis tam ſequitur, quam ex ortu ſolis ſequitur eſſe noctem. *Barbatius* nihil aliud dicit, quam ſe præter cauſam eſſe excommunicatum. Hoc qui dicit, non de Pontificis auctoritate loquitur, ſed de qualitate facti, & *Eraſmus* ſcilicet docet nec tale fulmen eſſe contemnendum homini pio. Quod addunt de gratia gratum faciente, tam ſtolidum eſt, ut mihi videantur ludere. Proinde non dignabor reſponſione? neque enim hîc *Barbatius* ſignificat Pontificem nihil agere in ſuo munere, niſi habeat Spiritum *Chriſti*: ſed indicat illum fruſtra excommunicare eum, qui nihil admiſit ſceleris. Hoc veriſſimum eſt, etiamſi ſit jure excommunicatus qui loquitur in Dialogo, cum is qui loquitur, ſentiat ſe non excommunicatum. Habes aliud exemplum ſanctæ inquiſitionis. Reſponſio 24.

TITULUS V.

CONTRA ORTHODOXÆ AC CATHOLICÆ FIDEI SACRAMENTA. CONTRA BAPTISMUM.

IN Argumento Paraphraſis 1. ad Corinthios: *Cum hodie, inquis, ſatis eſſe putemus aquula modo tingi, ut ſubito fias Chriſtianus.* Objectio 25.

Et in Colloquio, quod Convivium religioſum *appellat:* Objectio 26.

Digitized by Google

lat: Et jam susceptо, scilicet baptismo, puer Christianus dicitur, & est aliquo modo.

Objectio 27. *Item in* Prologo super Cyprianum: *Quod si res, inquit, ab argumentis humanis penderet, & nisi concordia favorem ubique mereretur, potius haberi poterat, quod sequitur* Cyprianus, *quam quod est receptum.*

Objectio 28. *Et in* Prologo Paraphrasis in Matth. *certo modo docet reiterandum baptismum.*

Responsio 25. Hic periclitabatur baptismi sacramentum, nisi succurrisset sancta inquisitio. Ut paucis rem absolvam, *Christiani* generali nomine dicuntur, quicunque baptizati sunt, ut hæc vox complectatur etiam hæreticos, & apostatas, & parricidas: sed vere Christiani sunt, qui sacramento respondent innovatione vitæ. Magna pars Christianismi abest illis, qui sacramentum accipiunt sine sacramenti gratia. Hoc igitur admoneo, quod admonet *Paulus*, quod *Petrus*, quod *Jacobus*, quod *Joannes*, ut qui cum *Christo* sepulti simus in baptismo, cum eodem resurgamus in novitatem vitæ, deponentes veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum. An qui hæc docet loquitur contra sacramentum baptismi? Hoc autem agere me declarant quæ præcedunt, nimirum hæc, *usque adeo ardua res est, ab iis, in quibus natus sis, & quibus diu assueveris, in alium hominem transformari.* Deinde taxo quosdam horum temporum, quibus satis videtur, esse tinctum aqua, nullam agentes curam earum rerum, sine quibus baptismus nihil conducit ad salutem, sed potius ad damnationem.

Responsio 26. In Colloquio taxo quosdam, qui sacramentis contenti non curent rem sacramentorum, & exorsus a baptismo progredior ad unctionem, confessionem, & cætera sacramenta. Non igitur hîc quæritur, an puer baptizatus sit vere Christianus, sed confertur initium hoc ad reliquos gradus. Quod si puero baptizato nihil potest accedere, cur post instituitur, aliisque sacramentis munitur ad perfectum Christianismum? Puer vere baptizatus hactenus est Christianus, quod insitus in corpus Ecclesiæ servatur, supplente per Ecclesiæ fidem Dei bonitate quod deest ætati, non tamen ista sufficerent eidem, si perveniat ad ætatem adultam. In adultis autem baptismus non est perfectus Christianismus, nisi præter sacramentum accipiant sacramenti gratiam, sed initium ac rudimentum Christianismi, quod hæc quoque generatio spiritualis habeat suam infantiam, adolescentiam, & perfectam ætatem, & gradus velut ætatum, per quos juxta *Paulum* grandescimus, donec occurramus in mensuram plenitudinis *Christi*. Idem ad *Hebræos* VI. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ* &c. Et *Galatas* adhuc parvulos iterum parturit, lacte illos fovens donec adolescant. Qui baptizatus est absque gratiæ perceptione, aut qui eam mala vita perdiderunt, titulo & sacramento Christiani sunt, sed vere Christiani non sunt, quia nec discipuli sunt *Christi*, nec ab illo possidentur, sed a Satana, juxta illud Evangelicum *Lucæ* XIV. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Rursum juxta *Paulum*, *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* In pueris tantum valet sacramentum, ut, si decesserint infantes, sufficiat illis ad salutem, & si adoleverint, non sit opus altero baptismo. In his qui malo animo susceperunt, velut Hæreticus ab Hæretico, vel perversa voluntate perdiderunt baptismi gratiam, hactenus valet sacramentum, ut per pœnitentiam velut alterum baptismum possint in Ecclesiæ vivam societatem redire, sine baptismi iteratione. Porro Christiani male viventes sic negantur esse Christiani, quemadmodum in Evangelio Judæi negantur esse filii *Abrahæ*, & apud *Paulum* Judæi negantur esse Judæi. Si impium est hoc admonere, ut qui baptizati sunt, & Christiani nominis honore gaudent, studeant & sacramento & titulo respondere: compluribus locis talia monuimus, quod tamen mihi commune est cum omnibus Orthodoxis, cumque ipsis Apostolis & *Christo*.

Responsio 27. Ad hoc responsum est *Beddæ*, inter ea quæ notarat ex variis scriptis meis. Ego cum primis pium arbitror animi nostri judicium submittere auctoritati Ecclesiæ, plusque illi tribuere quam rationibus & argumentis humanis. Quod illic dictum est de baptismo iterando, qui datus sit ab Hæreticis, idem de multis aliis Ecclesiæ dogmatibus dici potest.

Responsio 28. Ad hanc calumniam abunde respondi *Beddæ*, primum in *Divinationibus* ad ea quæ notarat ex Appendice edita *Matthæi* Paraphrasi numero 13. 14. 15. & in *Supputationibus* Propositione 13. 14. Non enim nec illic nec usquam agitur de iterando baptismo, quæ cogitatio mihi ne per somnium quidem unquam venit in mentem, sed de catechismo renovando, vel faciendo potius. Nam infantes hodie sine vero catechismo baptizantur. Quod si laudatur Ecclesiæ consuetudo, qua publicitus apud quosdam consecratur aqua, populusque adspergitur, cum olim quidam adspersione soleant baptizari, qui tincturam ob valetudinem ferre non possent: si tolerantur qui quotidie multam aquæ sacræ vim infundunt tumulis defunctorum, quid discriminis esset si quid talium ceremoniarum renovaretur post catechismum, quales nunc aguntur apud *Germanos* post singula sacra peracta? Nec tamen hæc doceo, sed propono Episcopis & Pastoribus considerandа, an hæc aut simile quippiam expediat fieri. Catechismus est necessarius, si qua commodior est ratio, sit admonitio mea somnium. Tantum autem abest ut illic doceam iterandum baptismum, ut aperte dicam, non esse fas iterare. Verba mea sic habent: *Primum ne videantur iterari baptismus, id quod fas non est.* Verum caute addiderunt, *aliquo modo.* Fateor, sed aliquo modo renovamus, cum aqua sacra adspergimur. Et Monachi suam professionem propemodum æquant baptismo, nec abest aqua.

CONTRA CONFESSIONEM.

Objectio 29. IN Annotationibus in Acta Apostolorum *cap.* XIX. *Cæterum, inquit, confessio, quæ nunc recepta est clancularia & in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si quis scrupulus urgeat animum. Etiam in libro* De modo confitendi, *Clanculariа, inquit, confessio a consultationibus Episcoporum exorta est.*

Objectio 30. *Idem testatur in* Apologia contra Stunicam. *Etiam in libello* De modo confitendi, *præter id quod magis videtur dehortari, quam confirmare confessionem, multa perperam de ejus circumstantiis dogmatizat.*

Objectio 31. *Et in Colloquio, quod* Naufragium *dicitur, aperte irridet confessionem. Et in* Scholiis *Epistolæ beati* Hieronymi *ad* Fabiolam *Tomo* I. *fol.* 89. *Ex hoc loco, inquit, potes animadvertere, olim confessionem fuisse publicam, & de notis commissis: publicam item satisfactionem: & apparet* Hieronymi *tempore nondum institutam fuisse confessionem secretam admissorum.*

Responsio 29. Ad hunc articulum jam toties respondi, primum *Leo* ad Annotationem inter novas illius XV. rursum ad *Stunicæ* XIV.

De sacramento pœnitentiæ nulla inter nos est controsia, tantum de confessione, quam sacramentalem appellant quidam, quæritur, quam ipsam non nego.

Confessionem accipio, qualis nunc habetur cum suis circumstantiis omnibus, hoc est, cum his quæ pertinent ad Sacerdotem idoneum, ad casus reservatos Episcopis & summo Pontifici, ad necessitatem confitendi, ad enumerationem generum, specierum, & circumstantiarum, & si qua sunt hujus generis alia.

Hanc non affirmo non esse institutam a *Christo*, sed ajo mihi videri institutam a Patribus ex occasione, cum ipsam & servem, & doceam reverenter esse servandam, quasi sit a *Christo* instituta. Ab ipso *Christo* fuisse præscriptam docere non potui, quia nondum ad hoc probandum satis instructus sum: ubi fuero, profitebor & illud. Nec arbitror hoc ab Ecclesia decretum, ut credamus hanc confessionem, qualis nunc habetur, a *Christo* fuisse traditam. Hîc nihil video quid possit reprehendi. Cæterum & in his quæ respondi *Leo*, & in Exomologesi, si quis legat, multa comperiet honorificentissime dicta in commendationem hujus confessionis, dum testor me colligere quædam incommoda, quo possint vitari, quæ non

Digitized by Google

ex re, sed ex hominum vitio nasci profiteor: nec usquam in eo opere voco incommoda confessionis, sicut appello commoda: sed appello mala, quæ mortalium vitio per occasionem tanti boni nascuntur. Sic enim ordior incommodorum recensionem: *Nunc locus admonet, ut de malis, quæ videntur ex occasione confessionis accidere, sed accidunt hominum vitio potius quam rei, paucis dicamus.* Quod autem hîc non doceo confessionem a *Christo* institutam, nec poteram, nec susceperam, nec certas ob causas tum expediebat, etiamsi potuissem. Certe libellus ille, quod habeo compertum, multos correxit, jam meditantes excutere confessionis onus, tantum abest ut quemquam dehorter. Cujus animi si pars ulla mihi fuisset, novit etiam vulgus quæ flagitia, quæ dedecora, quæ portenta quidam sanctimoniæ specie bracteati designent occasione confessionis, adeo non obscura, ut nemo fere sit e media plebe, qui non aliquot historias habeat in promptu. Mihi curæ fuit ne talia proderem, utinam alii curarent, ne tam passim deprehendantur. Tantum admonere volui de quibusdam, quæ perperam ac præposteris judiciis in hoc negotio geruntur. *Leo* respondens, multa loquor, quæ satis declarant me pie sentire de confessione, si rite fiat.

Responsio 30. In Colloquio *Naufragio* nec clam nec aperte irridetur confessio, sed narratur quid factum sit, aut quid fieri soleat in tali rerum tumultu. Nec opus est ut aliud ad hanc responsum particulam. Miror autem, quod non eadem opera objecerint Colloquium *de confessione militis*, si quicquid in Colloquiis sub quacunque persona vel joco, vel serio dicitur, existimant ad fidei negotium pertinere, mihique præstandum esse.

Responsio 31. Fateor hæc verba haberi in Scholiis meis, sed addere debebant, quod illic adjeci, *confessionem, quam postea Ecclesia salubriter instituit, si modo recte utantur ea & Sacerdotes & Laici.* Hæc nimirum verba sunt non improbantis confessionem, sed profitentis utiliter ab Ecclesia præscriptam.

Objectio 32. *Et in libro*, De modo confitendi, *Anxia, inquit, recensio & generis & specierum & circumstantiarum avocat animum a charitate in Deum, & gignit odium ac desperationem.*

Responsio 32. Anxietas est immodica sollicitudo, quæ multos torquet in confitendo, vel ob imbecillitatem ætatis aut sexus, vel ob imperitiam, vel ob animi vitium ad atram bilem vergentis. Agnoscunt quod dico, qui confessionibus audiendis sunt exercitati. Nec minoris arbitror pietatis, talibus eam trepidationem immodicam excutere, quam elatis ac ferocibus incutere terrorem. Nec dubito quin hoc omnes boni faciant Sacerdotes, & quo quisque magis pius est, hoc diligentius. Quod si facere pium est, pium est & ut fiat admonere. Non in hoc adhibetur pœnitentiæ pharmacum, ut homo semper trepidet ac mœreat, sed ut temporariam ægrimoniam excipiat alacritas, ac terrori succedat amor. Nec enim bene convenit, juxta *Joannem*, timori cum charitate, sed charitas ejicit timorem ejusmodi.

Jam præter Ecclesiæ constitutionem, quantum scrupulorum & laqueorum addiderunt Pharisaici quidam, quibus ex hoc aucupio quæstus est uberrimus, & subinde novos addunt laqueos, quasi hoc habeant studio, ne quis omnium tranquillam habeat conscientiam, cum interim ipsi liberrimam habeant conscientiam. Quam multos videmus morientes anxios, trepidos, ac propemodum desperantes, quod dubitent an ex confessione prætermiserint aliquam circumstantiam? Hæc admonuisse pietatis arbitror, & Christianæ charitatis potius quam hæreseos.

Si quis evolverit lucubrationes meas, reperiet hanc confessionem frequenter a me prædicatam ut salutiferam ac necessariam: anxiam illam ac subinde repetitam, recensionem verius quam confessionem, nunquam sensi cuiquam pio cordatoque probari. A *Christo* non fuisse institutam nunquam asseveravi, tantum indicavi suspicionem meam, & hanc libenter positurus, ubi quis vel certam Ecclesiæ catholicæ sententiam protulerit, vel idoneis Scripturarum testimoniis & argumentis evicerit: nec id pertinet ad odium confessionis, sed potius ad favorem, si queat doceri a *Christo* fuisse institutam. Quemadmodum nec illud vergit in odium confessionis, si commonstrentur vitia quorumdam abutentium confessione, præsertim cum pariter indicentur remedia, quibus ea possint vitari. Nec hodie Theologi Scholastici negant confessionem, quantum ad accidentalia, sic enim loquuntur, institutam a Patribus recentioribus, sic ut hinc quædam etiam possint mutari, videlicet ut confiteamur cuivis Sacerdoti, & non nisi quinquennio decenniove, aut etiam bis in anno, &c.

Imo quidam, libris etiam ex professo super hac re proditis, videntur simpliciter dubitare de confessione, an sit tradita a *Christo*, an in Scripturis divinis expressa, an præcepta Jure Canonico per generalem Ecclesiæ ordinationem, juxta Glossam quamdam, quæ exstat *de pœn.* dist. 5. in principio. Quanquam ea Glossa non indicat generalem fuisse constitutionem, cum fateatur Græcos non fuisse obstrictos, nec probabile est ad illos universalem Ecclesiæ constitutionem non perveniisse tot seculis.

Contra Eucharistiam.

In Prologo Paraphrasis 1. ad Corinthios, *Quam, inquit; circumcise meminit de Eucharistia, sive synaxi, quasi veritus, ne quid de tanto mysterio secus diceret quam oportet.* *Objectio 33.*

Responsio 33. Ex hisce verbis, quæso, quid colligi potest adversus Eucharistiam? Dico *Paulum* de tam adorando mysterio circumcise, hoc est, paucis fuisse loquutum, nec dico illum veritum, ne quid secus quam oportet de hoc loqueretur, sed quasi veritum. Id indicant ea verba, *Accepi a Domino quod & tradidi vobis.* Eamdem religionem servat & in rebus levioribus, *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Nihil autem impietatis est, si quis optet a *Paulo* copiosius de nonnullis edoceri, vel in hoc, ut instructior sit adversus contradicentes. Si hic affectus impius est, fateor hunc me crebro sentire, nec unquam pro crimine fuisse confessum.

Quid sentiam de Eucharistia satis declaravi Libro in id proprie edito adversus eos, qui magna impudentia conabantur imperitis persuadere, me idem de Eucharistia sentire, quod nuper quidam a *Luthero* dissentientes docere cœperunt, qui cum nihil non torserint, ne probabilem quidem ullum locum reperire potuerunt, quæ plurima sint quæ catholicam exprimant sententiam.

In Spongia *littera f. An Missa possit dici aliqua ratione sacrificium*, *dicit* Erasmus *non esse de articulis fidei, nec se velle pro hoc in discrimen capitis venire, nec alium occidere, si judex esset.* *Objectio 34.*

Et in Annotationibus in Marc. *cap.* XIV. *Qui tantopere, inquit, asseverant quibus verbis* Christus *consecraverit, cum id nusquam expresse legatur.* *Objectio 35.*

Et super illud 1 Corinthiorum XI. Hoc est corpus meum, *In omnibus, inquit, accedendum est judicio Ecclesiæ, licet hic sermo videatur jam panem consecratum porrigentis. Mihi totum videtur consultius de rebus hujusmodi, quæ certis Scripturæ testimoniis doceri non possunt, sed ab humanis pendent conjecturis, non adeo fortiter asseverare, ut nostram opinionem oraculi vice haberi postulemus: ac fortasse tutius sit, Ecclesiasticos proceres non temere pronunciare de quibuslibet, quæ doceri non possunt, cum & ipsi sint homines, & labi queant.* *Objectio 36.*

Responsio 34. Quod adferunt e *Spongia*, aut non intellexerunt, aut malitiose depravaverunt. Siquidem illic respondeo *Hutteno*, qui mihi vitio vertebat, quod ob *Lutheri* doctrinam non exponerem memet omnibus periculis, addens, *Optarem esse* Christi *Martyr, si vires ipse suppeditet*, Lutheri *Martyr esse nolim. Lutherus* autem putat mille mortes oppetendas potius quam committendum, ut fateamur Missam esse sacrificium. Hoc quod ille profitetur, capitis mei periculo tueri nolim, imo fateor Missam esse sacrificium, licet non eodem modo quo *Christus* verum sacrificium peregit in cruce: totoque pectore dissentio ab his, qui contendunt Missam abrogandam. Proinde quod illic dicitur, non facit contra Eucharistiam, sed pro Eucharistia, quemadmodum & illa quæ sequuntur, *Pro his quæ solent esse themata*, &c. At si esset articulus fidei præcipuus, Missam non esse sacrificium,

Digitized by Google

cium, quod contendit *Lutherus*, hujus gratia mors esset & infligenda & oppetenda. Nec mihi placent isti, qui pro quibuslibet articulis pertrahunt homines ad incendium. Hoc qui faciunt, suo periculo faciunt, ego id facere nolim. Porro fidei articulos appello, qui traditi sunt omnibus in his Symbolis, quæ recitat Ecclesia, tametsi non invideo vocis hujus communionem quibusdam dogmatibus, quæ illic non explicantur. Ac de rationibus, quibus Eucharistia dicatur sacrificium, adhuc disputatur inter Theologos, quemadmodum multa disputantur de primatu Pontificis, quod genus, an sit supra Concilium universale, nec ne.

Respon. 35. *Christum* his verbis consecrasse, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est calix sanguis meus*, nondum mihi constat expresse pronunciatum ab Ecclesia, etiamsi constaret a *Christo* nobis traditam hanc consecrandi formam, & juxta speciem probabilius videtur quibusdam, quod benedictione consecraverit. Nec ipse *Thomas*, nec hoc recentior *Gabriel* dissimulant, varias Theologorum hac de re fuisse sententias, etiam orthodoxorum, quorum nullus pronunciat hæreticum esse de hoc dubitare, nec ullum inducunt Auctorem qui hoc affirmarit, præter *Eusebium Emisenum*, Auctorem parum secundæ famæ, si modo illius sunt verba quæ referuntur in Decret. *de consecratione* dist. 2. *Quia corpus*. Quid autem piaculi sit, si moneo Lectorem ut eum locum attentius excutiat, & si non reperiat aliquid melius, indico quomodo possit excusari: qui locus, inquam, excusari posset per figuram προθύστερον: *Christus* enim poterat & sine verbis illis panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecrare.

Respon. 36. Cum præfatus sim, in omnibus accedendum Ecclesiæ judicio, etiamsi sensus hominis, & Scripturæ species reclamet, satis declaro me mox obtemperaturum, si quis doceat quid hic pronunciarit Ecclesia: & si forte pronunciavit evidenter, me hoc ipsum probare quod placuit Ecclesiæ, etiamsi nondum sciam quid pronunciarit. Proceres autem Ecclesiæ sunt Theologi & Episcopi, quos arbitror in omnibus, quæ non sunt evidenter expressa in Sacris Litteris, tutius facturos, si non facile pronuncient ea auctoritate, ut quod probabiliter opinantur, velint haberi pro oraculo. Neque enim hic agitur de Synodis generalibus, sed de singulis Theologis aut Episcopis. Et si quis hoc admoneat universos in Synodo congregatos, ne temere de quibuslibet pronuncient, rem, opinor, haudquaquam impiam fecerit. Sunt enim de quibus non est necesse pronunciare. Sunt de quibus fas est ambigere, cujus generis hoc esse puto salva Ecclesiæ auctoritate, de qua mihi nondum constat. Et ut ingenue fatear, quemadmodum ipse nunquam hæsi in verbis consecrationis, ita frequenter optavi certius aliquid, quod præter Theologorum & Ecclesiæ auctoritatem contentiosis respondeamus. Nunc quod ad corporis substantiam attinet, satis adversus illos sumus instructi: at de forma verborum non item. Rationes enim, quas hic adfert *Thomas*, cæterique Theologi, non sunt adeo firmæ quin possint dilui. Quid autem dicemus, cum in Græcorum liturgiis eadem verba non reperiuntur? Et *Augustinus* Epistola LIX. inter multas orationes, quibus benedici solet id quod est in altari, commemorat etiam Precationem Dominicam, veluti clausulam totius consecrationis. Et verisimile est, Veteres non anxie disputasse, quibus verbis finiretur consecratio, sed peractis omnibus quæ solent in consecratione, quam illi, ni fallor, benedictionem appellabant, fieri, certum erat esse corpus & sanguinem Domini. Procemium autem benedictionis erat, cum Sacerdos procedens ad populum salutaret illum: *Dominus vobiscum*: & ad Eucharistiæ mysterium contemplandum, non spectandum oculis invitaret: *Sursum corda*, εὐχαριστῶμεν, inquit, id est, *gratias agamus Domino Deo nostro*. Nam reliquum præfationis videtur a posterioribus adjectum: *Vere dignum & justum est*, &c. quemadmodum & doxologiæ canticum olim populare: *Sanctus, sanctus, sanctus*. Deinde toto populo foris manente, solus Sacerdos cum Diacono perageba consecrationis mysterium, quo peracto rursus procedens invitabat populum ad communionem, dicens, *Pax Domini sit semper vobiscum*. Mox frangebat corpus Domini ad distributionem, qua facta sequebatur precatio, quæ & hodie dicitur post communionem: rursus gratiarum actio & benedictio populi. Harum rerum, quas ex *Augustino* colligere licet, & hodie supersunt manifesta vestigia. Verum hæc extra causam. Non enim hic agitur quibus verbis consecret Sacerdos, sed quibus consecrarit Dominus.

Et in Epistola ad Joan. Eslectam Bohemum, *dum de* Objectio *errore* Bohemorum *communicantium sub utraque specie* 37. *ageret contra Ecclesiæ determinationem in Concilio, sic ait: Tametsi, ut dicam ingenue quod sentio, demirer cur visum sit innovare quod a* Christo *fuit institutum, tum causæ, quas adferunt, non admodum graves videantur. Ex his perspicuum est*, Erasmum *Ecclesiæ Conciliis & Decretis firmam & inconcussam fidem non præstare, atque* Lutherum *ipsum in hac parte ut in multis referre.*

Jam ex verbis, quæ recitant ex Epistola mea, quid Respon. aliud potest colligi, quam me cedere quidem auctori- sio 37. tati Ecclesiæ, cæterum causas, quas quidam allegant, mihi non per omnia satisfacere, præsertim cum ætate *Augustini*, & ut est conjectandum, multo post etiam infantibus dari soleat Eucharistia sub utraque specie, ubi plus erat periculi, ne quid liquoris effunderetur, aut a puero refunderetur, ut solent si quid displiceat ingestum. Optabam igitur causas adferri graviores in re tanti momenti, & tamen captivo sensum meum in obsequium Ecclesiæ, si non reddantur aliæ. Id declarant hæc mea verba, quæ mox præcedunt eodem in loco: *Quanquam hic* Bohemis, *si me in consilium adhibuissent, auctor eram futurus, ut tametsi probabilis est illorum hac in parte opinio, tamen obtemperarent potius quam contenderent, præsertim cum ab hac consuetudine staret maxima pars orbis Christiani.* Item paulo superius: *Atque hac in parte, mea sententia, magis peccat secunda factio, quod odiose rejecit judicium & consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quam quod existimat pium esse sub utraque specie sumere Eucharistiam.* Hæc ibi. Oportet autem gravissimas esse causas, quæ persuaserint, ut præter veterem totius Ecclesiæ consuetudinem, præter *Christi* traditionem, præter auctoritatem Scripturæ divinæ, dimidium ejus sacramenti subtraherent Laïcis. Nec dubito quin habuerint, quas fortassis ob offendiculum aliquod premere maluerunt. Neque enim per se impium est, sub utraque specie sumere. Alioqui diu rem impiam peregisset Ecclesia tum Græcorum, tum Latinorum. Constitutionis humanæ est quod immutatum est. Porro quo minus novi rationes hujus novitatis, hoc magis oportuit laudare meam obedientiam, quam Ecclesiæ defero, cum isti contrarium eliciant.

Quod si negant esse fas constitutionum Pontificiarum causas inquirere, *Thomam, Scotum, Durandum*, aliosque Theologos innumeros damnent oportet. Porro me *Lutherum* in hoc ut aliis multis referre, si responderem esse manifestum mendacium, desiderarent in me modestiam: sed male sit illi sycophantico libello, unde hæc decerpta sunt. Ego suadeo, ut obtemperent Ecclesiæ Romanæ constitutioni in sumenda Eucharistia. An hoc est referre *Lutherum*? Legantur igitur quæ ille de hoc negotio scribit. Et ubi sunt ista multa, cum in uno statim mentiantur?

CONTRA SACRAMENTUM ORDINIS.

ITem in Compendio Theologiæ *littera c. & in* Annota- Objectio tionibus in Matth. *cap.* XVI. *videtur tribuere auctoritatem* 38. *Sacerdotalem universo populo, cum dicit: Nullus est enim in corpore* Christi, *a quo non exigatur ista confessio, scilicet, Tu es* Christus *Filius Dei vivi. Consimiliter quod* Petro *dicitur, Tu es* Petrus, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam, & tibi dabo claves regni cælorum, ad universi populi Christiani corpus pertinet.* Hæc ille.

Et in Responsione ad Stunicam *de hoc taxatus idem con-* Objectio *firmat.* 39.

In Paraphrasi XVI. Matthæi *videtur sentire consensum* Objectio *voluntatum esse claves Ecclesiæ, & alia dicit censura digna.* 40.

Digitized by Google

Mihi in tantum non improbatur, quod Romanus Pontifex habetur totius Ecclesiæ quaquaversum diffusæ princeps, ut, etiamsi non esset institutum, suasurus sim instituendum, veluti necessarium ad excludenda vel coërcenda dissidia, premendamque quorumdam tyrannidem: modo meminerit hanc potestatem ipsi datam ad ædificationem domus Dei, non ad destructionem, & principatum esse Evangelicum, non mundanum, paternum, non regium: arma præcipue esse gladium Spiritus, quod est verbum Dei, scutum fidei, galeam salutis, baltheum continentiæ, calceos Evangelicæ prædicationis, arma, inquam, potentia Deo magis quam copiis aut bombardis. Possem innumera loca recitare e scriptis meis, in quibus tribuo Romano Pontifici potentiam, qua major in terris non possit homini contingere. Dico illum *Christi* vicem in terris gerere, voco principem totius Ecclesiæ, aliaque quæ nonnullis nimia videntur, eique perpetuo me meaque scripta, qualiacunque sunt, veluti judici summo submisi. Tantum aliquando dubitasse me fateor, utrum hæc tanta potestas fuerit a *Christo* tradita *Petro*, an postea consensu Principum vel Episcoporum delata Romano Principi, nunquam tamen asseveravi, non esse profectam a *Christo*, sed in alteram partem semper fui propensior. Ut autem dubitarem, in causa fuerunt Veterum monumenta, quæ plerunque non videntur hunc principatum *Petro* tribuere, quem nunc obtinet Pontifex Romanus. Ex his locis interdum annotavi nonnulla, ex quibus colligi potest eam potestatem priscis Ecclesiæ temporibus, aut non fuisse, aut agnitam non fuisse, aut exertam non fuisse. Quæ loca si sola collegissem, videri poteram parum amice sentire de primatu summi Pontificis: nunc quoniam & ea noto, quæ videntur tribuere Romano Pontifici totius Ecclesiæ principatum, constat me nihil aliud spectasse, quam ut de his rebus inquirentibus præberem disputandi materiam. Nunc lectis quorumdam scriptis, ac re diligentius perpensa, magis etiam faveo huic sententiæ, toto pectore fauturus, totoque applausurus corpore, si conspicerem eam potestatem totam per omnia servire gloriæ *Christi*, quæ nunc interdum videtur ingenti Ecclesiæ pietatisque Christianæ dispendio nimium ad mundi negotia distrahi. Unde & loca quædam in scriptis meis super hac re vel sustuli, vel correxi.

Hæc præfatus venio ad loca notata. Locum in *Methodo* videntur non intellexisse. Nam hoc levius est, quam intellectum calumniari. Commonstro illic quod idem homo in Scripturis nunc hanc nunc illam personam gerit, ex quo fonte nascuntur varii sensus, neque quicquam prohibet ejusdem loci varios esse sensus, modo ne pugnent inter sese. Locus autem in *Methodo* sic habet: Christus *cum suos interrogat*, Vos quem me esse dicitis, *capitis personam gerit*. Petrus *totius populi Christiani voce & vice respondet*: Tu es Christus Filius Dei vivi, & cætera, & verissimum est nullum esse in corpore *Christi* qui hoc non profiteatur. Et quisquis hoc profitetur, fit & ipse *Petrus*, hoc est, solidus in petra *Christo*. Nec consequitur, si juxta hunc sensum hæc professio est totius Ecclesiæ, ideo Romanum Pontificem non esse principem hujus professionis, quandoquidem mutata persona mutatur & sensus, licet non in contrarium. Juxta eumdem sensum quicquid *Petro* dicitur, dicitur universæ Ecclesiæ Catholicæ, quod est corpus *Christi*, *Tu es Petrus*, & cætera, hoc est, tua professio est solida, & super hanc professionem fundabo Ecclesiam meam toto terrarum orbe, & illi Ecclesiæ dabo claves regni cœlorum &c. jam dubium non est, quin extra Ecclesiam non sit remissio peccatorum, sed tantum in Ecclesia, quæ Spiritum habet *Christi*, etiamsi minister clavium Spiritu *Christi* careat. Nec ideo Pontifex non est primus administrator clavium, si potestas clavium est universalis Ecclesiæ. Quanquam in hac parte non refero meam sententiam, sed addo juxta quorumdam interpretationem, cum ostendam eam interpretationem esse Orthodoxorum. Cæterum auctoritatem Sacerdotalem quibuslibet Christianis adesse, ne per somnium quidem unquam venit in mentem. Quanquam *Petrus* omnibus Christianis scripsit, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*. Et qui libidinis hircum jugulat Deo, Sacerdos hostiam gratam immolat. Hoc sacerdotii genus interdum adscribo Christianis omnibus, at non ego solus.

Stunica, fateor, taxavit hunc locum in blasphemiis suis, nec illic idem respondeo quod isti suspicantur, sed idem quod modo respondi. Verba mea sic habent: *An ideo Romanus Pontifex non est summus doctor fidei, quia fides est totius Ecclesia? An ideo non habet summum jus clavium, quia jus idem habet totius Ecclesia consensus?* Hæc ibi. Alioqui mortuo Pontifice, unde jus clavium in Ecclesia? ut ne definiam, an universitas Ecclesiæ sit supra Pontificem. Bis itaque vanum est quod adferunt me utroque loco idem dicere, cum neutro loco dixerim quod interpretantur. *Respon. sio 39.*

Cæterum quod ex Paraphrasi colligunt manifestam habet vanitatem, cum illic aperte tribuam *Petro* principatum Ecclesiæ, his verbis: *Atque hujus regni cœlestis*, hoc est, *totius Ecclesia claves tibi sum traditurus.* Convenit enim ut ille primus sit auctoritate, qui primus est fidei professione & charitate. Ac mox: *Proinde qui peccatis adhuc obstrictus est ad regnum pertinet inferorum, nec potest ingredi regnum cœlorum. Ingredietur autem, si apud te professus quod tu profiteris, per baptismum solvetur a peccatis, atque ita te duce teque fores referante ingredietur regnum cœlorum. Hac mea peculiaris est potestas condonare peccata, sed hanc potestatem tibi quadantenus impartiam, ut quod tu meis clavibus acceptis solveris super terram, solutum sit & in cœlis apud Deum*, & cætera. Vides hîc nullam fieri mentionem de consensu voluntatum, sed de primaria clavium potestate *Petro* commissa, quem convenit esse *Petro* similem fide & charitate, non dixi oportet. Habes & hîc exemplum sanctæ inquisitionis: verum quid hæc ad titulum? An ideo non est futurus ordo in Ecclesia, nec Sacerdotum, nec Diaconorum, nec Hypodiaconorum, nec Episcoporum, nec Archiepiscoporum, si Romanus Pontifex non esset totius Ecclesiæ princeps? Tot annorum millibus orbis nullum habuit universalem Monarcham, nec adhuc habet, ne habiturus quidem unquam, ni fallor, nec tamen labascunt Respublicæ. Ex hoc potes istorum colligere prudentiam. *Respon. sio 40.*

Contra Matrimonium.

IN Annotationibus Matth. cap. XIX. *Porro quod hodie in Scholis dictitant solo consensu contrahi matrimonium, utinam tam probatum esset, quam receptum est.* Hæc ibi. *Et his deteriora & periculosiora scribit prima ad* Corinth. VII. *dum persuadere contendit, quod optime faceret Ecclesia, si matrimonium consummatum multis de causis dirimeret, separatisque data licentia iterum nubendi.* *Objectio 41.*

Et in Colloquio Virgo *sic inquit: Diffiniunt quidam & matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam invitis parentibus, inter puerum & puellam per verba de præsenti (sic enim illi loquuntur) contractum est. Atqui istuc dogma nec natura sensus approbat, nec Veterum leges, nec* Moses *ipse, nec Evangelica aut Apostolica doctrina.* Hæc ille. *Quod adeo impie, ut nullus aut semidoctus ferre possit.* *Objectio 42.*

Quid denique de vinculo matrimonii sentiat Erasmus, *quid de divortio faciendo, quid conducat quod in hac parte decernit & quam periculosum sit, qui scire cupit, legat ipsum in* Annotat. in. I. ad Corinth. VII. *audiet profecto ipsum justo septem foliorum libro acerrime contra universam Ecclesiam in hac parte disputantem.* *Objectio 43.*

Et generaliter contra omnia sacramenta dicit in Enchiridio: *Quod in nulla re visibili constituitur pietas, cum sacramentum juxta* Augustinum *sit visibilis forma* &c. *Objectio 44.*

De matrimonio toties responsum est & *Leis* & *Stunicis* & aliis nonnullis, ut supervacaneum sit hæc eadem tam multa repetere. Qui cupit matrimonium inter Christianos sanctioribus modis coïre, quam nunc sæpe coït, non facit contra matrimonium, sed pro dignitate firmitateque matrimonii. Receptum esse fateor, sed dicent auctoritate Ecclesiæ, donemus isthuc, neque nos ullum diremimus matrimonium. Sed quid pecco, *Respon. sio 41.*

si

Digitized by Google

si mihi cupio rationes explicari Pontificiæ constitutionis? An non talia frequenter inquirunt *Scotus*, *Thomas*, & *Durandus*? Nec est usque adeo novum, Romanos Pontifices in decretis suis mutare quædam, etiam circa sacramenta.

Responsio 42. In 1. *Cor. cap.* VII. Annotatio cum legitima protestatione multaque cum reverentia proponit Ecclesiæ primatibus, an possit aliqua via consuli temeritati contrahentium & infelicitati male cohærentium, præsertim cum Ecclesia Romana in multis definierit quæ prius erant in ambiguo: in nonnullis resciderit a superioribus decreta, quemadmodum illic demonstravimus. *Innocentius* Romanus Pontifex, & *Zozimus*, & *Augustinus* judicarunt infantes perire, nisi post baptismum acciperent Eucharistiam, ut patet ex multis locis Epistolarum *Augustini*, & librorum quos scripsit ad *Bonifacium*, & adversus *Julianum*: nec dubium quin hoc tota servarit *Africa*, quod docet *Augustinus*: nec dubium est quin tota Occidentalis Ecclesia servarit, quod docet *Innocentius*. Hodie videmus & opinionem & consuetudinem eam penitus sublatam, nimirum re diligentius excussa. Nec statim collabitur omnis auctoritas Ecclesiæ, si quædam pro tempore vel mutat vel expendit diligentius, cum hoc ipsum usu venerit in matrimonio.

Perpulcre vero mecum agitur, si mihi præstandum erit, quicquid sub quacunque persona joco seriove dicitur in Colloquiis. Si mihi proferant exemplum vel ex moribus rerum publicarum Ethnicarum, vel ex Libris Mosaïcis, vel ex Evangelicis, vel ex Apostolicis Litteris, quo probatur conjugium inter vix puberes, inter ebrios arte lenarum, nullis sponsalibus, nullis testibus, insciis & invitis parentibus aut tutoribus, *per verba de præsenti* contractum, sive *per verba de futuro*, cum *accessione copulæ carnalis*, fatebor esse impium quod in Colloquiis scriptum est. Sin hæc aliaque multa sunt vel institutionis, vel interpretationis humanæ, quare quod institutum est, non possit aliter institui? An Ecclesia, quæ contraxit matrimonii contrahendi limites, non possit eos rursus si velit dilatare? Et ubi legitur in Sacris Litteris, *verba de præsenti*, & *verba de futuro*, & *accessio copulæ carnalis*, aliaque multa, quæ circa hæc differunt Jureconsulti? Sed hæc alias abunde a nobis discussa sunt. Qui sunt autem isti semidocti, qui tantam impietatem ferre non possunt? An semidocti sunt magis impii quam docti?

Responsio 43. Etiam atque etiam rogo, ut ille locus legatur diligenter. Is lectus pro me respondebit me non disputare contra Ecclesiam, sed sub Ecclesiæ judicio, pro membris Ecclesiæ sublevandis, & indico viam qua id fieri possit, illæsa Pontificum auctoritate, tantum abest ut eam coner labefactare.

Responsio 44. Quod addunt ex *Enchiridio* tale est, ut me pudeat respondere, quanquam nec locum indicant. *Enchiridium* docet pietatem veram non esse sitam in rebus visibilibus, hoc est, cibis, vestibus, ceremoniis, inter quas commemorantur etiam Ecclesiæ sacramenta. Hinc nectunt syllogismum: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma.* (quanquam & hanc definitionem nec integre nec recte citarunt) *Sed* Erasmus *scribit in nulla re visibili collocandam pietatem. Ergo in sacramentis non est collocanda pietas.* Fateor, sed *Enchiridium* addit, *in solis*, aperte docens nec ceremonias, nec signa sacramentorum esse contemnenda. Quod si quisquis accipit baptismi sacramenta, quisquis Eucharistiæ, unctionis, & cæterorum, habet pietatem, impie dixit *Erasmus*: sin nemo hoc dicit, nisi impius & hæreticus, sileant qui pie dicta condemnant. Sit & hoc unum sanctæ inquisitionis exemplum.

Si simpliciter dixissem in rebus sensibilibus non esse sitam veram pietatem, primum non erat necesse hoc ad sacramenta detorquere, quæ non sunt de vulgari numero rerum visibilium. Deinde debebant agnoscere tropum in Litteris Divinis non infrequentem. *Christus* ait, *Caro non prodest quicquam*, nimirum carnem intelligens absque spiritu. *Paulus* ait, *Scientia inflat*, nihil aliud sentiens, quam scientiam absque charitate gignere tumorem. Nunc cum tot locis in ipso etiam *Enchiridio* probem ceremonias sensibiles, si accedat quod est præcipuum, nulla erat ansa calumniandi. Ex pluribus locis forte occurrit ex canone quinto: *Mihi quidem*, inquam, *religio fuisset dicere*, non prodest quicquam, *satis fuerat futurum*, Caro nonnihil prodest, sed multo amplius spiritus. *Nunc ipsa dixit veritas*, non prodest quicquam. *Atque adeo non prodest, ut juxta* Paulum *mortifera sit, nisi ad spiritum referatur. Alioqui vel in hoc utilis est caro, quod infirmitatem nostram quasi gradibus quibusdam ducit ad spiritum.* De Missa sic loquor paulo post: *Tu fortasse quotidie sacrificas, & tibi vivis, nec ad te pertinent incommoda proximi tui: adhuc in carne es sacramenti. Verum si sacrificans das operam id esse quod illa sumptio significat* &c. Paulo post de his qui audiunt sacrum, sed superstitiose: *Quod carnem*, inquam, *pietatis amplectuntur, laudo: quod illic consistunt, non laudo; peragatur in te quod illic oculis repræsentatur.* Ac mox: *Sacrifica temetipsum illi, qui pro te semet immolavit Patri. Hæc si ne cogitas quidem, & in illo confidis, odit Deus pinguem tuam & crassam religionem.* Et hanc materiam prosequor toto canone, nusquam damnans ceremonias Ecclesiasticas, sed indicans quid oporteat accedere, & admonens eos qui neglecto spiritu fidunt ceremoniis.

CONTRA AUCTORITATEM SACRÆ SCRIPTURÆ, EVANGELISTARUM, ET APOSTOLORUM.

Objectio 45. IN Annotationibus Matthæi cap. II. *in Editione* III. *manifeste labitur* Erasmus, *si quis Christiana pietate rem consideret, non contentus verborum implicamentis. Nam & Evangelistas erravisse, lapsosque esse memoria contendit. Asserit item ex uno errore in Sacris Litteris non derogari totius Scripturæ auctoritati.*

Responsio 45. Ut ad hoc caput videar respondisse, nihil aliud requiram, nisi ut inspiciatur locus. Ibi nec est manifestus *Erasmi* lapsus, nec contendit Evangelistas erravisse, memoriaque lapsos, sed adversus morosos & impios calumniatores hoc proponit pro auctoritate Scripturæ Sacræ, etiamsi lapsi essent Scriptores in ordine gestorum, aut memoria nominis, aut alia re simili, quæ proprie non attinet ad fidem Christianam, non statim collabi totam Scripturam, alioqui jam esset tota collapsa, cum in Codicibus etiam emendatissimis inveniantur hujusmodi lapsus. Et quod hîc concedo, non semel dicit *Hieronymus*. Cæterum hîc me non contendere declarant illa mea: *Atque hæc dixerim, optime Lector, non quod hujus sententiæ velim vel auctor esse vel patronus, sed si forte sint, qui putant hujusmodi nodos, quos aliquot nectit* Hieronymus, *explicari non posse, ne protinus sic interpretentur, ob unum aut alterum verbulum, labefactandam totius Scripturæ auctoritatem* &c. Hoc per fictionem oppositum est morosis. Deinde subjicio: *Quod suffugium si non recipitur, equidem malo credere, vel apud Hebræos vel apud nos locum esse depravatum, aut si quid mutatum est, divino consilio mutatum in melius, aut denique Scripturam quidem esse sinceram, sed nostram imbecillitatem non assequi mysterium* &c. Vides quantum hæc absint a contentione. Nec interim isti distinguunt inter errorem vocis & sententiæ. Constat autem Evangelistas aliis verbis referre sensum Prophetarum.

Hîc fieri potuit, ut Spiritus Sanctus passus sit illos labi in verbis, aut fortasse voluerit eos labi memoria, manente sensus integritate, quem aliis verbis maluit explicari. Proximum huic est de nomine auctoris. Hanc morositatem si recipimus, eadem erit auctoritatis ruina in libris utriusque Testamenti, cum nulla sint Exemplaria, quæ per omnia consonent. Et tamen quod ad meum sensum attinet, magis eorum sententiæ faveo, qui credunt Apostolos in Scripturis canonicis duntaxat, nec sententia nec verbo lapsos fuisse.

Si quis roget, quid opus erat hæc monere? Invitabat susceptum argumentum, & *Hieronymi* auctoritas, multo magis *Augustini*, cujus testimonium superius adduximus. Et huc perpulit quorumdam ambitiosa calumnia,

Digitized by Google

mnia, cum alioqui ne muſca quidem fuerit ullum factura ſtrepitum. Nunc cum contemptis Linguis, totaque lectionis cura neglecta, ne Codicum quidem deſcribendorum habita ratione, tam multa confuſa corruptaque ſint in ſacris Codicibus, iſti nihil aliud occinunt nobis, quam auctoritatem Eccleſiæ, & Spiritum Sanctum Scripturarum auctorem. At ibi vigilandum erat, cum impune depravarentur omnia, ipſis de inſtantibus & relationibus diſputantibus. Ibi curandum erat, ne quod Spiritu Sancto proditum eſſet, temeritate ſcribarum vitiaretur, nunc intempeſtive obſtrepunt iis, qui Scripturam priſtinæ ſinceritati conantur reſtituere.

Objectio 46. *Et* Matth. xxvii. *ſic inquit*: *Caterum hæc verba*, quem appreciaverunt, *nec apud* Hieronymum *eſſe*, *nec apud* Hieremiam, *nec apud* Zachariam, *ſed addita ſub perſona Evangeliſtæ. Hæc in medium profero, judicium Lectori relinquens. Caterum etiamſi fuiſſet in nomine duntaxat memoriæ lapſus, non opinor quemquam adeo moroſum eſſe oportere, ut ob eam cauſam totius Scripturæ Sacræ labaſceret auctoritas.* Hæc ille. *Et* Marci cap. 1. *Deinde, inquit, cum ab Hebræis non anxie decerperent*, ſcilicet Evangeliſtæ, *quod ſcriptum eſſet, ſed quod memoria ſuggerebat deſcriberent, verbis nonnunquam diſſident.* Hæc ille.

Reſponſio 46. In his quæ citant ex *Matth.* xxvii. prima verba non ſunt mea, ſed referuntur illic ex aliis Auctoribus, nec ad hoc quod hîc agitur pertinent. Quæ ſequuntur non tribuunt errorem Evangeliſtis, ſed per fictionem, *ſi lapſus eſſet memoriæ in nomine duntaxat Propheta*, ſignifico hoc eſſe candoris Chriſtiani, non ideo rejicere totam Scripturam, cum conſtet Apoſtolos & ignoraſſe quædam, & erraſſe in nonnullis, etiam quæ ad fidem pertinent, ſi credimus *Auguſtino*, nec ideo non eſt ſacroſancta illorum auctoritas. Nec hoc ipſum aſſevero, ſed dico, *opinor*, quin & ante præfatus ſum me non credere tale quippiam in Evangeliſtis accidiſſe. Verba mea ſic habent: *Mihi vero proximum videtur, apud Græcos errore ſcriptorum mutatum nomen, atque inde deceptum Interpretem Latinum nobis tradidiſſe quod legerat.* Equidem arbitror nihil eſſe hujuſmodi in Evangeliſtis. Et poſt omnium opiniones, addo novam, qua poſſit excuſari Evangeliſta. Qui poſita fictione talis erroris nihilò minus credit, multo magis credit ſublata fictione. Et qui non credit quod ſuadendi gratia fingit, multum abeſt a contentione, quam iſti fingunt.

Objectio 47. *Et in* Apologia ad Leum Marci 1. *Tantum, inquit, hoc male habet hominem, quod in ambiguo reliquerim, an lapſu memoriæ nomen pro nomine poſuerit Evangeliſta. Ea verba mutavi in poſteriori Editione, monitus ab eximio Theologo* Martino Dorpio, *& mutavi, non quod impie dictum arbitrarer, ſed quod maluerim amoliri occaſionem offendiculi.*

Reſponſio 47. Nec aliud loquor reſpondens *Leo:* non contendo, ſed ajo me arbitrari: neque vero fateor hoc arbitrari me, quod lapſi ſint in nomine Evangeliſtæ, ne quis hoc cavilletur, ſed quod ſi quid tale ineſſet, non oportere toti Scripturæ diffidere; hanc opinionem nego mihi videri impiam, etiamſi falſa ſit. Et ibidem addo me non credere quod quidam ſuſpicati ſunt, quodque ut anceps refert *Hieronymus.* Verba mea ſic habent: *Et tamen magis faveo ſententiæ illorum, qui memoriæ lapſum prorſus adimunt Apoſtolis & Evangeliſtis, quam qui alicui tribuunt, præſertim in ſcriptis.* Quod dictum eſt de errore nominis, idem dici poteſt de ordine rerum geſtarum, de quo ambigue loquitur *Hieronymus.* Certe in verbis & verborum ordine conſtat illos & a Septuaginta nonnunquam & ab Hebræis diſcrepare.

Nunc illud vide, uter magnificentius de Sacris Litteris ſentit, qui non detrahit illis ſententiæ fidem, etiam ſicubi non conſtet ordo verborum aut rerum, aut titulus auctoris, quod tamen arbitror non eſſe: an is, qui ſi vel unius voculæ lapſum deprehenderit, ſtatim diffidat univerſæ Scripturæ.

Sunt quædam in Litteris Apoſtolicis quæ non ſunt ad ſalutem neceſſaria, veluti cum *Paulus* jubet ſibi remitti lacernam, quam reliquerat *Troade.* Fingamus hîc quod non eſt, illum eſſe lapſum memoria, credere veſtem *Troade* relictam, quam alibi reliquerit, an protinus erit rejicienda totius Scripturæ auctoritas, an potius dicendum, in veſte non periclitari fidem Chriſtianam?

Nec ſtatim hîc error eſt adſcribendus Spiritui Sancto, ſi quis eſſet, ſed humanæ naturæ, cujus vires & actiones ſic temperabat divinus Spiritus, ut theſaurum haberent in vaſis fictilibus. Et quod alicubi verbis ac ſententiis & ordine diſſident Evangeliſtæ, fortaſſis hoc ipſum artificio Spiritus fit ad firmitatem noſtræ fidei. Denique moroſitas hæc recidit in auctoritatem Codicum, quos nunc habemus, ſi quis dubitaret ullam voculam aut deeſſe aut ſupereſſe, aut aliud nomen pro alio poſitum eſſe.

Meam egi cauſam, & quid ante ſenſerim ſcriptis editis explicui. De *Hieronymo* jam dixi, qui duas ſententias ſic proponit, ut neutram appellet impiam. At divus *Auguſtinus* in libris *de conſenſu Evangeliſtarum* quoties tribuit illis oblivionem quamdam & reminiſcentiam; quoties diſtinguit ordinem recordationis & ordinem rerum geſtarum; quoties dicit Evangeliſtæ poſt veniſſe in mentem, quod multo ante fuerat geſtum, ac tum non ſuccurriſſe memoriæ. Nec putat in Evangeliſtis eſſe reprehendendum, quod rem eamdem aliis verbis aliiſque tropis explicant. Quod genus eſt, apud unum Evangeliſtam *Joannes* Baptiſta negat ſe dignum qui geſtet calceamenta *Jeſu*; apud alium negat ſe dignum qui ſolvat corrigiam calceamentorum illius. Hoc negat *Auguſtinus* referre, cum uterque ſuo more declaret ſummam excellentiam *Chriſti.* Huic ſimile eſt: *Matthæus* ita refert vocem Patris, quaſi non ad *Chriſtum*, ſed ad *Judæos* facta ſit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: Marcus*, quaſi facta ſit ad Filium: *Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacitum eſt.* Negat *Auguſtinus* in hujuſmodi locis oportere ſuſpicionem eſſe mendacii, cum ſenſus eodem tendat. Idem hujus operis libro tertio cap. ſeptimo, tractans quæſtionem de teſtimonio, quod *Matthæus* citat ex *Hieremia*, cum apud hunc tale nihil ſit, ſed apnd *Zachariam*, pronunciat ſibi videri veram ac germanam eſſe lectionem, quæ habet *Hieremiæ* nomen, nec veretur hoc humano lapſui tribuere. Ipſius verba ſubſcribam, commemoratis illorum ſententiis, qui ſic elabebantur ex hac quæſtione, ut alii dicerent in quibuſdam Codicibus haberi ſcriptum *Zachariam* pro *Hieremia*, in aliis tantum haberi *Propheta*, non expreſſo nomine, ſubjicit hæc: *Sed utatur iſta defenſione cui placet; mihi autem cur non placeat hæc cauſa eſt, quia & plures Codices habent* Hieremiæ *nomen, & qui diligentius in Græcis Exemplaribus Evangelium conſideraverunt, in antiquioribus Græcis ita ſe perhibent inveniſſe, & nulla fuit cauſa cur adderetur hoc nomen, ut mendoſitas fieret. Cur autem de nonnullis Codicibus tolleretur, fuit utique cauſa, ut hoc audax imperitia faceret cum turbaretur quæſtione, quod hoc teſtimonium apud* Hieremiam *non inveniretur. Quid ergo intelligendum eſt, niſi hoc actum eſſe ſecretiore conſilio providentia Dei, qua mentes Evangeliſtarum ſunt gubernatæ. Poterat enim fieri, ut animo* Matthæi *Evangelium conſcribentis pro* Zacharia Hieremias *occurrerit, ut fieri ſolet, quod tamen ſine ulla dubitatione emendaret, ſaltem ab aliis admonitus, qui ipſo adhuc in carne vivente hoc legere potuerant, niſi cogitaret recordationi ſuæ, quæ Spiritu Sancto regebatur, non fruſtra occurriſſe aliud pro alio nomen Prophetæ, niſi quia ita Dominus hoc ſcribi conſtituit*, & cætera quæ ſequuntur ibi in conſimilem ſententiam. Hæc ſcripſit *Auguſtinus*, nec correxit in *Retractationibus.* Idem in quæſtionibus in *Matthæum* ſic loquitur de Evangeliſtis: *Non enim omnino ſecundum rerum geſtarum ordinem, ſed ſecundum ſuæ quiſque recordationis facultatem, narrationem quam exorſus eſt ordinavit.* His conſentanea tractat *de conſenſu Evangeliſtarum* cap. xiii. putatque hanc in Evangeliſtis & in verbis & in ordine varietatem proficere, tum ad exercendum piorum intellectum, tum ad impios tradendos in reprobum ſenſum. Hæc vir tam pius, tam doctus diſſerit, non ut elevet auctoritatem Evangeliſtarum, ſed

Digitized by Google

ſed ut vanitatis calumniam depellat ab Evangeliſtis. Sic enim Spiritus Sanctus moderatus eſt intellectum ac memoriam Evangeliſtarum, ut oblivio quoque cederet in bonum noſtrum, dum alius alio loco memorat quam geſtum eſt, alius aliter effert ſententiam. Jam fingant me ſenſiſſe quod ſentire videtur *Auguſtinus*, cur ego dicar elevare Evangeliorum auctoritatem, cum hæc dicit vir tantus, propugnans Evangeliorum auctoritatem? Nunc teſtor me abhorrere ab ulla oblivione tribuenda Apoſtolis, ſed inter multas rationes elabendi e quæſtionis difficultate & hanc commemoro, meam inſuper adjungens aliorum commentis, tantum abeſt ut velim Evangeliſtas humano tantum ſenſu ſcripſiſſe. Ubi memoriam & oblivionem gubernat Spiritus Sanctus, ibi tam eſt utilis oblivio quam memoria: ſi tamen hæc oblivio dicenda eſt, quoties dicenti venit in mentem quod poſt recordans narrat.

Objectio 48. 49. *Et* Actor. 1. *& in* Reſp. ad Stunicam, *Apoſtoli ſuam, inquit, Græcitatem e vulgi colloquio didicerunt. Et ibidem* x. *ſic ait: Homines erant, ſcilicet Apoſtoli, quædam ignorabant, in nonnullis errabant, & hæc eo loco* Eraſmus *dicit, quo de ſcriptis & Apoſtolorum prædicatione agit.*

Reſponſio 48. Ad hanc calumniam plus decies reſpondi *Beddis, Stunicis, Leis* &c. rurſus in *Annotationibus*, ut mirer iſtos hæc ita referre, quaſi nihil omnino ſit reſponſum. Si Apoſtoli didicerunt Syriace verſantes inter *Syros*, quare non potuerunt diſcere Græce verſantes inter eos qui Græce loquebantur, aut etiam Latine: nam *Syriæ* bona pars tum Græce loquebatur: & quoniam parebat imperio Romano, videmus ab Evangeliſtis multas voces Latinas Græcis admixtas.

Reſponſio 49. An non verum eſt Apoſtolos homines fuiſſe? opinor. An nihil neſciebant? non arbitror. Imo plurima neſciebant. An non errabant in nonnullis? Cur igitur in faciem reprehenditur a *Paulo Petrus*? Quomodo diſſidium fuit inter *Paulum* & *Barnabam*? Quod autem addunt me loqui de prædicatione Apoſtolorum, agant cum *Auguſtino*, qui hoc defendit, a me nuſquam aſſeveratur. Imo potius diverſum ſentio, defendoque duntaxat quod attinet ad veritatem dogmatum. Proinde manifeſte falſum eſt me hîc loqui de ſcriptis & prædicatione Apoſtolorum. De prædicatione *Auguſtini* ſententia eſt, non mea: de ſcriptis ego loquor alicubi, ſed quomodo de ſcriptis? An quod male ſcripſerint Apoſtoli? Nuſquam ſic inſanio. Sed an alicubi præter Græci ſermonis conſuetudinem admiſceant locutionem Hebraïcam, velut illic addiderunt pronomen *eum*. Peccarunt igitur in ſcriptis Apoſtoli? Peccarunt interdum, at non adverſum præcepta Dei, ſed adverſus leges Grammaticorum. Quanquam ne de hoc quidem proprie loquuntur mea verba, quæ recitant. Sed quid ſentiunt? Non protinus tribuendum eſſe miraculo quicquid erat in Apoſtolis: homines erant, quædam ignorabant, in nonnullis errabant: nos ſine miraculo concoquimus, ignari viæ percontamur, e longinquo proſpectu credimus eſſe *Petrum*, qui eſt *Joannes*. Eadem poterant eſſe in Apoſtolis nulla fidei jactura. Hoc ſentiebant mea verba. Deinde progrediens ad id quod durius eſt, ſeparatim adjicio, *etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum* &c. opinionem *Auguſtini* referens, quam alias indico mihi non probari. Dicent: Si non probas, cur refers? Quoniam cum his diſputo, quibus ea probatur. *Auguſtinus* in doctrina ac prædicatione Apoſtolorum admittit errorem, non ſolum ſoloeciſmi aut barbariſmi, ſed ſententiæ: quod ego non recipio: in ſcriptis nullam admittit falſitatem, in quo mecum facit. Cæterum in horum ſcriptis exſtare quæ non congruunt Grammatices præceptionibus, & eorum conſuetudini, qui politius Græce loquuti ſunt, negari non poteſt. Verum an hanc ſermonis facultatem humano more ex hominum convictu didicerint, an ex afflatu Spiritus, quæritur. Mihi videntur, quoniam vulgaris eſt, ex vulgi colloquio didiciſſe, fortaſſe priuſquam ad prædicandum acceſſerant. Nec tamen hoc aſſevero, ſed ita claudo Annotationem: *Mihi tamen non eſt animus, neque pro hac, neque pro ulla alia digladiari, ſi diverſum ſentit Eccleſia.*

Porro cum tria ſint, Apoſtolorum prædicatio, de qua loquitur *Auguſtinus*, Apoſtolorum canonica ſcripta, quæ carent falſitate, etiamſi non careant ſoloeciſmis, barbariſmis, hyperbatis, acyrologiis, aliiſque ſermonis incommodis, rurſum Apoſtolorum caſus, dicta, facta, ſcriptave, quæ ad fidei negotium non pertinent, vide quam malitioſo artificio hæc confuſa ſunt, calumniæ teſſellis undique coagmentatis. An hoc ſit ſanctæ inquiſitionis, alii viderint. Ego vitium ſermonis nihilo magis arbitror officere Apoſtolorum auctoritati, quam ſi veſte lacera craſſave prædicarent Evangelium. Sed relegatur hîc mea Annotatio, præſertim Editionis quartæ. Nulla dari poteſt melior reſponſio, quæque magis ob oculos ponat impudentiam hujus calumniæ.

Objectio 50. *Et* Rom. VIII. *impie ſic colligit contra* Paulum: *Verum jam non congruunt ea quæ ſequuntur, niſi fateri velimus*, Paulum *vel oblivione, vel imperitia, vel neglectu Græci ſermonis non reddidiſſe reliquam partem.* Hæc ille.

Objectio 51. *Et ad idem facit quod de* Tito *exponit* 2. Cor. II. *& cap.* x. *in margine ſic ait:* Paulus *Græce parum peritus.*

Reſponſio 50. Cum hîc non agatur de ſententia, ſed tantum de ſtructura verborum Grammatica, quam iſti ſomniant impietatem? Si impium eſt aliquid deſiderare in ſermone Apoſtolorum, frequenter impius eſt *Hieronymus*, ac Veteres omnes. Imo hæc vitia ſermonis Apoſtolici faciunt ad gloriam Evangelii, non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis prædicati, ne evacuaretur crux *Chriſti*. Et tamen quoniam loquor disjunctive, liberum eſt ex tribus eligere quod videtur commodiſſimum. Nec hoc ipſum tamen affirmo, ſed ita loquor: *niſi fateri velimus.* An *Paulus* impietatis reus peragetur, ſi neglexit cultum Græci ſermonis? Quod ſi ille pie neglexit ornamenta verborum, quomodo dicitur impius qui hoc illi tribuit, cujus nomine laudatur? Non igitur impie colligit *Eraſmus*, ſed calumnioſe colligunt ipſi. Belle mecum agitur, qui talibus næniis avocor a ſeriis rebus.

Reſponſio 51. Quid? etiamne hoc mihi præſtandum, quod aliquis adjecit in margine? Quanquam tota hæc cauſa cum *Hieronymo* delitiganda eſt, qui hoc tot locis affirmat, Spiritus non ademit Apoſtolis omnem imperitiam, ſed tantum impartiit, quantum ſatis erat ad Evangelii negotium. Magna Græci ſermonis peritia magis offeciſſet Evangelio. Quid autem illic expono? Narro quoſdam Interpretes ſenſiſſe, *Titum* ideo deſideratum a *Paulo*, quod eſſet ejus Linguæ peritior. Hoc eſſe verum declarat & *Thomas Aquinas* & ipſe omnino *Theophylactus*. Ego commentum hoc ne verbulo quidem probo, ſed indico rejectum a *Thoma*.

Objectio 52. *Et ad* Romanos XV. *ubi beatus* Paulus *facti ſui divinam rationem reddit, neſcio cui ambitioni* Eraſmus *id attribuit:* Paulus, *inquit, ſancta quadam ambitione abſtinuit ab his locis, in quibus reliqui Apoſtoli prædicaverant, ut ipſe eſſet pater & auctor ſuæ gentis: & in margine ſcriptum ſic exſtat: Ambitio* Pauli. Hæc ibi.

Reſponſio 52. Græcis φιλοτιμία ſonat *ambitionem*, hoc eſt, honoris cupiditatem, quæ frequenter accipitur in vitium, at non ſemper, durius tamen ſonat vox Latina quam Græca: nam ipſe *Paulus* hoc loco uſurpavit Græcam vocem φιλοτιμούμενον, cujus explicans emphaſim ſubjicio hæc verba: *Eſt autem* φιλοτιμεῖσθαι *velut ambitioſe conari quippiam. Ita* Paulus *ſancta quadam ambitione abſtinuit ab his locis* & cætera. Cum ajo *velut ambitione*, nonne ſatis declaro me abuti voce? Rurſus cum ajo *quadam*, nonne declaro catachreſin eſſe? Et cum addo *ſancta*, nonne prorſus excludo vitioſam ambitionem? An non eſt ſancta ira, iraſci vitiis? An non eſt ſancta avaritia, nunquam ſatiari diſcendo quæ ſcire oportet? An non eſt ſancta vindicta, benefaciendo conterere Diabolum hoſtem? An non eſt ſancta ſuperbia, hominem *Chriſto* deditum ſpernere honores mundi? An non eſt ſancta ambitio, bonis operibus agere baptiſmatis candidatum, quod de *Martino* legimus? An non eſt ſancta crudelitas, parvulos etiamnum affectus malos allidere ad petram? An non hujuſmodi catachreſes & reperiuntur & laudantur in libris Orthodoxorum? Quorſum igitur attinebat dicere, *neſcio cui ambitioni*,

Digitized by Google

cum ego dixerim ſanctam ambitionem? O ſanctas inquiſitiones tantarum Eccleſiæ columnarum!

Objectio 53. *Et prima ad* Corinthios IV. *Si* Paulus, *inquit*, *non poteſt explicare pure quod ſentit, aut ipſius imperitia fuit in cauſa, aut ipſe ſermo parum expolitus, aut res ipſa. Sed rem explicat in Hebræa Lingua, in qua fuit diſertiſſimus.* Hæc ille. *Ex his perſpicuum eſt*, Eraſmo *perſuaſum eſſe, Evangeliſtas non divini Spiritus afflatu, ſed ſuo ingenio ſacra* Chriſti *Evangelia ſcripſiſſe; & ideo labi potuerunt juxta eum, ut homines, & aliquoties lapſi ſunt. Quæ* Eraſmica *ſententia impia ne ſit an catholica, alii judicent.*

Reſponſio 53. Cum hæc Annotatio mea citet verba *Hieronymi*, miror quare malint mecum agere quam cum illo. Ego diſputo, ille pronunciat, *Paulum* quod ſentit, & quod Hebræa Lingua explicat, non poſſe Græce loquentem puro transfundere ſermone. Idem pronunciat ad *Hedibiam* Quæſt. XI. hiſce verbis: *Cumque* Paulus *haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis diverſarumque Linguarum gratiam poſſideret, divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone. Habebat ergo* Titum *interpretem, ſicut & beatus* Petrus Marcum &c. Cum hoc erat litigandum, non mecum!

Verum ad hæc ipſa reſpondet Annotatio: quanquam alioqui impudentior & indoctior eſt hæc calumnia, quam ut ullum mereatur reſponſum. Ad concluſionem veniamus. Demus *Paulum* non admodum expolite Græce loqui potuiſſe, quid tum poſtea? Caruit igitur dono Linguarum? Imo donum adfuit quantum erat ſatis ad Evangelii prædicationem. Donemus facundiorem fuiſſe ſermone Hebræo quam Græco; ergo Hebraïce loquenti aderat donum, Græce loquentem deſtituerat? eadem ratione *Barnabas* carebat, quod *Paulus* eſſet facundior, unde & *Mercurius* eſt creditus. Nondum conſtat an Apoſtoli dono Linguarum accepto loquuti ſint omnibus Linguis, an unica Lingua loquentes a diverſarum Linguarum hominibus intellecti fuerint. Nec donum illud ſemper aderat, ſed quoties & quatenus res egebat miraculo.

Si *Paulus* fuiſſet lingua ſubbalba, num ideo non prædicaſſet ex afflatu Spiritus? Et ſi loquebatur ſermone vulgari parumque compto, qualem a vulgo didicerat, & quo Spiritus voluit prædicari Evangelium, num protinus Evangelica prædicatio tribuetur humanis viribus? An ideo labi potuerunt in ſententia, quia lapſi ſunt in elegantia ſermonis? Sic & *Chriſtus* peccare potuit, qui vulgo vulgari more loquebatur, apud illum populum recte, apud Hebraïce peritos barbare: quanquam *Chriſto* licuit eo more quo voluit loqui, non idem erat in Apoſtolis. Si præter Grammaticorum ac Rhetorum leges dicere labi eſt, conſtat interdum labi tum Apoſtolos, tum Evangeliſtas. Si labi eſt errare in ſenſu, nunquam a me dictum eſt Apoſtolos in ſcriptis erraſſe. De cæteris non judico. Imo potius arbitror ne prædicando quidem Evangelio unquam verbo lapſos fuiſſe: quanquam id *Petro* tribuit *Auguſtinus*.

Objectio 54. *Multa ex Sacris Scripturis aut perperam interpretatur & ſubvertit, aut prorſus reſcindit: e quibus pauca quæ ſequuntur collegimus, velut* Eraſmicæ *temeritatis manifeſtum exemplar. In libro* Hyperaſpiſtes Diatribæ, *Liberum, inquit, arbitrium comprobari non poteſt ex Sacris Litteris.*

Reſponſio 54. Quoniam non indicant locum, ſuſpicor aut illud non eſſe in ſcriptis meis, aut alio ſenſu aliiſque verbis dici. Alioqui quid ſtultius, quam me ex Sacris Litteris probare liberum arbitrium, & in eodem opere fateri liberum arbitrium ex his non poſſe comprobari? Aliquod eſſe liberum arbitrium convenit, quid ſit liberum arbitrium nondum ſatis convenit. Conſtat autem, hoc vocabulum nec Græce nec Latine reperiri in Sacris Voluminibus. Rem aliquot Scripturarum loca videntur in totum tollere, rurſus alia conſtituere. Ex horum collatione defendimus liberum arbitrium. Verum hoc argumentum excurrit in ſinus quoſdam inſcrutabiles, de prædeſtinatione, de futuris contingentibus, de juſtitia divina, de quibus etiam ipſa Scriptura nobis imponit ſilentium, dicens: *O homo tu qui es qui reſpondes Deo?* Verum erat illud ſanctæ inquiſitionis, indicare locum, non de ſuo pronunciare, & ad balneatoris exemplum, temeritatis convicio velut injecta aqua diſcedere. Hoc erat ſanctæ inquiſitionis, mea verba proponere, judicium aliis deferre: nunc judicibus præjudicant, idque cum convicio, religionis, modeſtiæ, ſinceritatis columina.

Objectio 55. *Et in libello* de ratione veræ Theologiæ: *Evolve*, *inquit*, *Teſtamentum omne novum, nihil uſquam reperies præceptum, quod ad ceremonias pertineat, ubi de inedia aut ſimilibus?* Hæc ille. *Ciborum abſtinentiam ceremoniam appellat. Et in Colloquio*, Convivium religioſum, *baptiſmum & alia ſacramenta inter ceremonias numerat.*

Reſponſio 55. Generali vocabulo quicquid in religioſis rebus ſenſibiliter præſcriptis ritibus geritur, ceremonia dici poteſt: atque hac ratione nihil obſtat, quo minus & Eccleſiæ ſacramenta dicantur ceremoniæ: ſunt enim ſigna viſibilia. Quin etiam cum *Petrus* admonet fœminas, ne ponant fiduciam in ornatu capillitii, aut veſtium, aut auri. Item *Paulus* cum idem admonet, præterea cum jubet in Eccleſia velari mulieres, negari non poteſt quin præcipiat aliquid quod ad rem viſibilem pertinet. Cujus generis & illa videri poſſunt, quæ præſcribit de cœna Dominica, de pſallendo lingua & ſpiritu, de viciſſim prophetando. Verum ipſe locus ſatis docet me de hoc ceremoniarum genere non agere, ſed de his quæ pertinent ad actiones pietatis: loquor enim illic de charitate, quæ vere pios reddit, & in animis ſita eſt, non in rebus externis. De ſacramentis non attinet hîc reſpondere, quanquam ne hoc quidem ceremoniarum genus adfert pietatem, ſi præter externa ſigna nihil acceſſerit. Cæterum quæ *Paulus* præſcribit de ſilentio mulierum in Eccleſia, de velando capite, non erant præcepta quæ perpetuo facerent ad pietatem, ſed quæ pro tempore pertinebant ad decorem & concordiam Eccleſiæ. Nam apud *Italos* mulieres alicubi non velantur in Eccleſia, & virgines velantur etiam in via. Et hodie mulieres canunt in templis, nec agitatur cœna Dominica, quemadmodum olim ſolet: nec manent ritus pſallendi lingua, interpretandi, & prophetandi viciſſim, quemadmodum præſcripſit Apoſtolus: verum hæc pro more regionum aut temporum mutantur. Et ſatis eſt ea manere quæ his ceremoniis ſignificabantur. *Tollentes puras manus*, ait *Paulus*: an ideo male orat, qui manibus nec lotis, nec in cœlum ſublatis orat? De his autem, quæ proprie ac perpetuo faciunt ad pietatem, plurima præcipiuntur, de orando, de ſublevandis pauperibus, de ſobrietate, de modeſtia, de tolerantia, de charitate erga Deum & proximum. Sic habent mea verba: *Evolve Teſtamentum omne novum, nihil uſquam reperies præceptum quod ad ceremonias pertineat. Ubi de cibis aut veſte verbum ullum? ubi de inedia aut ſimilibus ulla mentio?* Et in ſequentibus exempla refero, de ſabbatis, de interdicto eſu carnium, lactariorum, de Judaïco ciborum diſcrimine. Proinde ex ipſo ſermonis tenore ſatis liquebat, de quibus ceremoniis ſentirem, nempe de his, quæ nos præſcriptis ritibus obligarent. At hujus generis nec illa ſunt, quæ ſupra commemoravimus ex beati *Petri Paulique* ſcriptis. Non enim præſcripſit *Petrus*, quo colore, qua forma, qua materia veſtium uterentur matronæ, ſed admonendo veſtitus ſimplicitatem commendavit. Nec *Paulus* præſcripſit, ut velarentur mulieres nigro velo uſque ad cingulum porrecto, craſſæ texturæ, ſed tantum velari juſſit, quod tunc etiam apud Ethnicos in cœtu virorum facere ſolent honeſtiores matronæ: nec præſcripſit de novo ſilentium, quemadmodum hodie certis locis ac certis horis Monachis præſcribuntur ſilentia: ſed quod erat naturalis ac publicæ honeſtatis admonebat, quandoquidem nec apud Paganos honeſtæ matronæ veniunt in cœtus virorum, aut ſi veniunt ſilent, eo quod natura ſexum illum ſubdidit virili ſexui. Quod ſeverius ſervatum eſt apud Ethnicos quam apud Chriſtianos, apud quos Chriſtiana charitas remiſit aliquid de jure virorum, quemadmodum ſervitutem multis locis ſuſtulit. De hoc ceremoniarum genere loquebar,

Digitized by Google

quebar, cum præſcribitur color, modus, & forma veſtis, cingulum coriacium aut cannabeum, nodoſum aut enode, latum tribus digitis aut anguſtius, calceus ater aut albus, integer aut apertus; cum præſcribitur inedia certis diebus uſque ad horam undecimam: rurſus ab hac hora uſque ad duodecimam noctis, ſimulque interdicitur eſus carnium, interdum & lactariorum, & adduntur minæ gehennæ, præter alias pœnas. De hujuſmodi noſtris ceremoniis loquebatur *Methodus*. Delectum ciborum ac dierum diſſuadet novum Teſtamentum verius quam præcipit. Jejunium in novo Teſtamento reperimus obſervatum a Chriſtianis, laudatum ab Apoſtolis, at præſcriptum certis ritibus legiſſe non memini. Nec tamen hæc eo pertinent ut contemnantur ceremoniæ, ſi quas de veſtibus, jejuniis, aut ſimilibus rebus inſtituit Eccleſia, ſed ut oſtendatur *Chriſtum* & Apoſtolos in rebus propius ad ſalutem pertinentibus fuiſſe occupatos. Cum enim nunc nimium tribuatur ceremoniis hujuſmodi, ut pene in Judaïſmum ſimus relapſi, quid futurum erat, ſi quid tale præſcripſiſſet *Chriſtus* aut *Paulus*? Itaque quoniam id temporis ob *Judæorum* ſuperſtitioſas ceremonias periclitabatur Evangelium, Apoſtoli a talibus præceptis abſtinebant. Nonne hæc eſt præclara inquiſitio?

Objectio 56. 57. *In* Apologia ad Leum, *quinta reſponſione*, Eſaiæ *vaticinium potiſſimam noſtræ fidei columnam*, Ecce virgo concipiet, *cui Doctores catholici innituntur, detorſum ab Evangeliſta* Matthæo *aſſeverat. Atque ſimili impudentia in prophetiam illam*, vere languores noſtros ipſe portavit, *ab eodem Evangeliſta* Matthæo *capite octavo adductum, non veretur idem aſſerere.*

Reſponſio 56. 57. Hîc ſancta inquiſitio parum ſancte ſubjecit *detorquendi* verbum, quod in meis ſcriptis non habetur, tantum indico, quod Evangeliſta verba prophetiæ nonnihil deflexerit ad præſens negotium, incolumi tamen ſententia. Quod & alias factum ab Evangeliſtis ac *Paulo*, præter *Hieronymum*, indicatum eſt frequenter & ab aliis Orthodoxis. Nec hoc ideo viſum eſt admonere, quo convelleretur Prophetæ teſtimonium, ſed ut excluderetur impia calumnia: quo nimirum animo idem ſæpenumero facit *Hieronymus*. Et ſi dictum fuiſſet, quod Evangeliſta prophetiæ verba detorqueret ad commodum ſuum, omiſſis quibuſdam quæ magis ad hiſtoriam pertinent, quam ad vaticinium, aut verbo præteriti temporis mutato in verbum futuri temporis, quid erat flagitii? An hoc non licet Evangeliſtis? Si non licet, cur faciunt? ſi licet, quid peccat qui factum admonet? vel quo certius ſit Lectoris judicium, vel ut excludatur calumnia? In priori loco, *Ecce virgo concipiet*, nec *detorquendi*, nec *deflectendi* verbum habet Annotatio, tantum indicat quid contentioſus & impius poſſit objicere, ſed mox indicat quomodo pius poſſit illi reſpondere. Cætera qui volet, petat ex reſponſione ad quintam *Lei* notationem: nam me tam malitioſarum annotationum jam dudum tædet.

Objectio 58. *Et in libello* de ratione veræ Theologiæ, *ſine allegoriis, inquit, video pleroſque Scripturæ ſenſus, aut abſurdos, aut pernicioſos, aut futiles, leves aut frigidos.* Hæc ille.

Reſponſio 58. Nec hîc dignantur indicare locum, quanquam nihil video reſponſione dignum. Allegoriam appello, quoties receditur a ſenſu verborum Grammatico, ſive communi ac ſimplici. Legimus Deum ambulaſſe ad auram, igitur eſt in loco corporeus, & habet pedes. Legimus illum ſedere in cœlo & pedes inniti terræ. Legimus proſpexiſſe e cœlo ſuper filios hominum, igitur habet oculos: & quædam illos fugiunt niſi intendat. Legimus illum deſcendiſſe e cœlis, legimus pœnituiſſe, legimus ira ac furore commotum, aliaque innumerabilia, quibus undique plena eſt Scriptura Sacra, quæ ſi juxta communem ſenſum intelligantur, non ſolum abſurda leviaque ſint, verum etiam impia blaſphemaque. Quid autem habent dignum Spiritu Sancto, *Jacob* pro *Rachele* ſuppoſita *Lya*, oppoſitu virgultorum deluſus ſocer, commento muliebris profluvii diſſimulatum a *Rachele* furtum, nox mandragoræ pretio vendita, *Samſon* amator ab amica *Dalila* deluſus, *Sunamitis* ſenio frigidum *David* amplexu ſuo calefaciens, ſi non adhibeas allegoriam? Unde miror quid hîc iſtis in mentem venerit, qui hoc notant, quod pro Scripturarum firmitate neceſſario dictum eſt: niſi forte ex verbis calumniam nectunt, quia dixi Sacræ Scripturæ ſenſus, cum Sacra Scriptura non habeat ſenſus abſurdos. Sacram Scripturam uſurpavi pro verbis Scripturæ, & ſenſus pro notionibus, quas ex illis auditis aut lectis concipiunt homines juxta communem ſenſum.

Objectio 59. *In* Annotat. I. ad Corinth. XV. *Verum, inquit, in negotiis hujuſmodi, pro prædiis, pro nummis jurare fortaſſe non ſit ingenue Chriſtiani, atque alibi frequentiſſime idem aſſerit.*

Reſponſio 59. Conſtat Dominum aperte, ſimpliciter, & evidenter interdixiſſe omne jusjurandum, cum hodie jurantium ac pejerantium plena ſint omnia. Et tamen *Paulus* alicubi jurare videtur juxta divum *Auguſtinum*. Laboratum eſt igitur a Veteribus, quomodo poſſit inter Chriſtianos excuſari jusjurandum. Horum aliquot opinionibus recitatis, interdum & meam ſubjicio conjecturam, nihil aſſeverans unquam, quod iſti falſo & impudenter dicunt me frequenter facere. Verum ad hanc calumniam plus decies reſpondi *Leis*, *Stunicis*, & *Beddis*, aliiſque non alii rei quam calumniæ vacantibus. Illa ſunt extra controverſiam, *Chriſtum* illic præſcribere formam perfecti Chriſtianiſmi, & inter perfectos Chriſtianos, ubi nullus alteri diffidit, aut ſtruit inſidias, ſupervacaneum eſt jusjurandum, præſertim in rebus hiſce levioribus, quas boni viri potius ducunt pro derelictis habere quam ad jusjurandum adigi. De jure fori non illic agit *Chriſtus*. Non damnatur a me nec bellum nec jusjurandum, verum ubicunque bellum eſt, ibi malum eſt; ubicunque jusjurandum eſt, ibi malum eſt, dicente Domino: *Quod amplius eſt, a malo eſt.* Nec tamen aſſevero, ſed ajo fortaſſe, & ipſa Annotatio declarat quo ſenſu hoc dictum ſit. Reliqua petantur ex his quæ aliis reſpondimus.

Objectio 60. *In* Annot. in Lucæ cap. IV. *Miræ, inquit, depravatio irrepſit in Sacros Libros, quem in modum auctoritati Sacræ Scripturæ ſæpenumero derogat, dum dicit: Tam in Græcis quam in Latinis Exemplaribus aliquid adjectum, ſubtractum, vel raſum propter Hæreticos.*

Reſponſio 60. *Lucæ* IV. Annot. deplorat quod in Sacris Codicibus hac occaſione multa loca depravata ſint, dum Lector ſtudioſus ex alio tranſcribit aliquid in alium, deinde alius quod erat annotatum in margine aut in ſpatio dirimente verſus, transfert in contextum. Id eſſe factum frequenter indicamus. Nec tamen hinc periclitatur fides Chriſtiana, quanquam optandum erat in Libris Canonicis nihil prorſus vel additum eſſe vel detractum, idque quantum in nobis eſt agimus. Quod ſi quis contendat nihil omnino per ſcribas orthodoxos depravatum in Sacris Codicibus, apud eruditos nihil aliud lucrifaciet, quam riſum, cum & veteres Scriptores & ipſa res aliud loquantur. Quod ſi hoc eſt derogare Sacræ Scripturæ, crimen eſt mihi cum ſanctiſſimis probatiſſimiſque viris commune, & mira eſt ſcribarum poteſtas, ſi poſſunt abrogare Scripturis auctoritatem. Porro quod addunt non indicatis locis, me frequenter dicere quiddam additum aut ſubtractum in Sacris. Litteris ob Hæreticos, ſemel atque iterum tale quiddam indicavi, nihil tamen aſſeverans: nec hoc pertinet ad Eccleſiam, ſed privatim ad ſcribas, quorum tale ſtudium fuit, quale fuit illorum, qui in hiſtoria divi *Andreæ*, pro eo quod in veteribus Codicibus ſcriptum erat, *Verum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & in Filio manentem*, ſuppoſuerunt *ex Patre & Filio procedentem.* Item quod in Symbolo, quod hodie canitur in templis, pro eo quod ſcriptum erat primum apud Græcos, *qui ex Patre procedit*, mutarunt, *qui ex Patre Filioque procedit.* Nam Græci quamvis orthodoxi non profitebantur Spiritum Sanctum ex utroque procedere, id quod poſt Romana pronunciavit Eccleſia. Idem factum arbitror in Symbolo *Athanaſii*, quod hodie canitur in horæ primæ precibus, quandoquidem nec ille, nec *Chryſoſtomus*, nec *Nazianzenus*, nec *Theophylactus* profitentur Spiritum ab utroque procedere.

Atque in his non dubito quin liceat Eccleſiæ mutare quædam; an idem liceat in Sacris Voluminibus, præſertim

Digitized by Google

sertim quod mutet aut etiam in diversum vertat sententiam, non est meum definire. Verum hac de re satis, opinor, respondimus *Petro Sutori*, rursum in *Annotatione* Epistolæ *Joannis* primæ cap. v. præterea in *Apologia* peculiari adversus quemdam *Tyrologi* nomine designatum. Nihil hujusmodi calumniis stolidius.

Objectio 61. *Non satis nobis constat quorsum tendat* Erasmus, *aut quid contra carnis resurrectionem machinetur, dum* Matth. XXVIII. *Nescio, inquit, quo casu acciderit, ut nec* Origenes *nec* Chrysostomus, *in cætera scriptis commentariis, in hoc unum cap. quicquam ediderint, nisi forte desierunt apud populum loqui, quod hæc ad resurrectionem pertineant.*

Responsio 61. Cum omnibus scriptis meis exerte vivideque defendam resurrectionem, si nondum intelligunt quid *Erasmus* machinetur, mihi non est obscurum quid isti machinentur qui hæc audent mandare litteris, idque cum auctoritate. Machinantur enim haud dubie calumniam, & ventris negotium agunt, qui non resurget. Itaque repetam mea verba ex Annotatione, sic habent: *Nescio quo casu acciderit, ut nec* Origenes *nec* Chrysostomus, *cum in cætera scribant commentarios, in hoc unum caput quicquam ediderint, nisi forte desierunt apud populum loqui, quod hæc ad resurrectionem pertineant.* Hæc sunt mea verba. Nunc accipe sensum: Cum scriberem Annotationes, dolebam me illic destitui commentariis *Origenis* & *Chrysostomi*. Proinde quæro causam cur id acciderit, ac propono conjecturam, quæ tum veniebat in mentem. Ea sic habet: *Dicuntur Homiliæ, hoc est, sermones cum populo. Quadragesima vero diebus populus solet frequentius ad sacras conciones confluere, & fortassis olim in feriis Paschalibus cessabant conciones, & cantabatur Alleluia.* Hinc conjectabam desisse Homilias *Origenis* & *Chrysostomi*. Hoc tum dubitans retuli, quia nihil aliud veniebat in mentem. Post ex Græcis voluminibus comperi, Tomos esse, non Homilias, quos *Origenes* scripsit in *Matthæum*, ut probabile sit eodem casu desiderari finem, quo desideratur initium operis: *Chrysostomus* sine controversia scripsit Homilias. Ante collegimus aliquot loca, quæ tum succurrebant memoriæ, de sancta Trinitate, si velim hîc recensere quæ sunt de resurrectione, vix justum sufficeret volumen. Unde nolim quicquam odiosius dicere in sanctam inquisitionem, illud tantum pronuncio, post suo tempore demonstraturus librum illum, unde suspicor hoc illos hausisse, Spiritu non sancto, sed sycophantico fuisse conscriptum.

Objectio 62. *Epistolam ad* Hebræos, *per Concilium sub nomine Apostoli* Pauli *receptam, & per beatum* Petrum *Apostolum ultimo secunda relatam*, Erasmus *frequenter negat esse* Pauli.

Responsio 62. De Epistolæ ad *Hebræos* auctore jam decies respondimus *Fabris*, *Leis*, *Beddis*, *Satoribus*: item in ipsis *Annotationibus*, ut ineptum sit aliquid addere. Tantum illud nunc dicam, quod hîc vocant Concilium, non est Concilium generale, sed *Carthaginense*, cui dicitur *Augustinus* interfuisse, in quo decretum est, *ne quid recitaretur in templis, præter Scripturas Canonicas*, quod utinam & hodie servaretur. Porro quo liquidius constaret, quæ volumina nomen hoc complecteretur, commemoratis omnibus Scripturæ voluminibus, inter Epistolas titulo *Pauli* proditas recitata est & illa quæ scribitur ad *Hebræos*. Non enim hoc illic agebatur, cujus esset auctoris, sed additus est titulus vulgo receptus, ut agnosceretur. Declaravimus autem ipsum *Augustinum* etiam in his libris, quos senex edidit, de auctore Epistolæ dubitare. Epistolam ipsam & nos recepimus, nec usquam hanc negamus esse *Pauli*, quod isti fingunt, sed ostendimus Priscos dubitasse, atque ex superfluo fatemur & nos dubitare, & re vera dubitamus quod ad sensum nostrum attinet. Cæterum quod *Petrus* Epist. II. cap. ultimo citarit Epistolam ad *Hebræos*, opinor hactenus neminem eruditum somniasse. Res ipsa loquitur *Petri* sermonem magis ad illa respicere, quæ *Paulus* scribit de adventu Antichristi, deque resurrectione. Quanquam de hujus ipsius Epistolæ, quæ secunda *Petri* fertur, auctore dubitatum est a Priscis, & ab ipso etiam *Hieronymo*. Nec ideo vacillat auctoritas scripti, si ignotus, aut incertus auctor scripti. Sed legantur ea quæ super his multa respondimus, cum minimum ad rem pertineant.

Objectio 63. Apocalypsim *vehementer contendit a Sacris Litteris rescindere, & beati Joannis Apostoli non esse, nec aliis Sacris Litteris aquandam.*

Responsio 63. *Contendere* & *rescindere* verbum est istorum, non meum. Annotatio mea refert argumenta quædam partim Veterum, partim mea. Cæterum quam coner hoc opus a Sacris Litteris rescindere declarant hæc verba Annotationis: *At rursum mihi non potest persuaderi Deum passurum fuisse, ut Diaboli techna tot seculis impune deluderet populum Christianum* &c. Hic sermo, Deum immortalem! quantum abest a contentione rescindendi? Quod autem attinet ad æqualitatem auctoritatis, sic loquor: *Ad evincendum hic liber non perinde valet, cum totus constet allegoriis* &c. In disputatione contentiosa non probant efficaciter allegoriæ, nisi si quas interpretatus est *Christus*, aut Apostoli. Idem & hodie fatentur Theologi. Nec ideo divus *Ambrosius* ac *Hieronymus* derogarunt auctoritati *Danielis*, quod *Esaiam* omnibus prætulerunt. Pudet hujusmodi sycophantias referre, & piget respondere.

Objectio 64. *Et* Symbolum Apostolorum *sepenumero dicit non esse Apostolorum, vel in dubium vertit.*

Responsio 64. Nihil vetat Symbolum Apostolorum dici, ob antiquitatem, & ob id quod continet Apostolicam doctrinam, etiamsi non sit proditum ab Apostolis. Proditum enim appello, scripto proditum. Nullus enim Christianus dubitat, quin talia docuerint Apostoli: porro scripto non fuisse proditum declarat ipsa varietas. Nec ideo vacillaret fides, si quis dubitaret de auctore illius Symboli, cum eadem habeantur in Evangeliis. Dubitatum est de auctore Evangelii secundum *Marcum*, nec ideo vacillat illius auctoritas. Dubitatur & hodie de auctore libri *Job*, aliisque nonnullis, citra periculum fidei catholicæ. Quod autem in sermone, qui tribuitur *Augustino*, narrantur a singulis singuli prolati articuli, præterquam quod rescaret fide, reperta potius ad Catechumenorum memoriam adjuvandam, sermones illi nullo modo videntur *Augustini*. At idem in libro ad Catechumenos primo ejusdemque numeri cap. non appellat Symbolum Apostolorum, sed dicit e Scripturis divinis collectum, ac scripto proditum, ad subsidium humanæ memoriæ. Nec hoc a me dicitur ut elevem auctoritatem ejus Symboli, cum inibi fatear esse spiritus ac majestatis Apostolicæ. Legantur, quæ respondimus Propositioni *Beddæ* duodecimæ, & in *Elencho*, & in *Supputationibus*.

Objectio 65. *In* Epistola II. lib. I. ad Barbirium, *Ego sane, inquit, nec* Hieronymo *nec* Augustino *sic addictus esse vellem, vix etiam ipsi* Paulo, *ut omnia scilicet quæ dixit credam.*

Responsio 65. Non agnoscunt hyperbolen, qua significatur nulli mortalium in omnibus credendum. Qui vix credit *Paulo* in omnibus, credit. Postremo nemo tenetur *Paulo* credere in omnibus quæ dixit, sed in his quæ scripto prodidit non credere, nefas est. Ac ne scriptis quidem omnibus credere cogimur, sed duntaxat his, quæ comprobavit Ecclesia: nam dubium non est quin *Paulus* plura scripserit, quæ non exstant, de rebus privatis. Verba Epistolæ meæ sic habent: *Si* Lutheranus *est qui omnia illius & scripta & scribenda citra exceptionem tuetur ac probat, talis adhuc nemo mihi compertus est, nec arbitror quemquam esse tam insani cerebri. Ego sane nec* Hieronymo *nec* Augustino *sic addictus esse vellem, vix etiam ipsi* Paulo. O miram inquisitionem!

CONTRA CHRISTIANITATEM ET PATRES ORTHODOXOS.

Objectio 66. IN Spongia, *At, inquit*, Huttenus *autumat mortem esse oppetendam pro veritate Evangelica. Nec ego istud recusem, si quis casus eo vocet. At pro* Luthero *proque* Lutheri *paradoxis nondum est animus mortem oppetere. Non agitur de articulis fidei, sed an principatus Romani Pontificis sit a* Christo, *an Cardinalium ordo sit necessarium membrum Ecclesiæ, an confessio sit ab auctore* Christo, *an Episcopi possint suis constitutionibus alligare ad capitale peccatum, an ad salutem conducat liberum arbitrium, an sola fides conferat salutem, an dici possit aliquod*

Digitized by Google

quod bonum opus hominis, an Missa possit aliqua ratione dici sacrificium? Pro his, quæ solent esse themata conflictationum Scholasticarum, nec ausim cuiquam vitam eripere, si judex sim, nec velim in capitis discrimen venire. Hæc ille.

Responsio 66. Articulos fidei voco certos & indubitatos, expressos in Symbolis, quæ publice recitat & canit Ecclesia, de quibus nulli fas est hæsitare, quæque proprie & usitate dicuntur articuli fidei. Sunt enim articuli Scholastici, quemadmodum sunt & hæreses. Quanquam isti crassuli non intelligunt hæc dicta adversus *Lutherum*. Nam ille pro fidei articulo habet Romani Pontificis primatum non esse a *Christo*, neque confessionem. Item nec Episcopos nec Pontifices posse quemquam obstringere suis constitutionibus, liberum arbitrium ne tantulum quidem agere in bonum, solam fidem sufficere ad salutem. Nullum esse opus hominis bonum. Missam non esse sacrificium, sed abominationem. Pro his *Lutheri* dogmatibus nego me velle mortem oppetere. Et adhuc hisce de rebus nonnullis disputatur inter Orthodoxos, ut non statim sit hæreticus, qui secum dubitet, an primatus Romani Pontificis, qualis nunc est, sit a *Christo:* an ordo Cardinalium; qui nunc est, sit necessarium Ecclesiæ membrum, cum exstet in Romanorum monumentis qua occasione sit ortus: an confessio, qualis nunc habetur, sit instituta a *Christo*: quid sit liberum arbitrium, & quatenus valeat ad parandam salutem: & an aliquo sensu verum sit, nullum hominis opus esse bonum: & qua ratione Missa dici possit sacrificium, qua non. Pro his, de quibus asserit *Lutherus*, & mortem millies putat oppetendam, nego me vel mori velle, vel occidere quemquam, donec hominum disputatione ventilantur: ubi fuerint ad vivum excussa, ubi convenient omnia, tum sequar quod expresse pronunciavit Ecclesia. Interim quod *Lutherus* habet pro sanctissimis fidei articulis, apud me non habet idem ponderis. Postremo aliud est punire errantem ut corrigas, aliud est occidere hominem. Sunt errores leviculi & negligendi, sunt graviores, qui merentur durius remedium, sed citra capitis pœnam, sunt gravissimi, quibus debetur pœna capitis: pro mediis illis nego me quemquam velle occidere, profitens animum meum, non adimens aliis jus faciendi quod velint. Neque enim protinus fas non est, quod ego nolim facere. Jam si pro quibuslibet articulis exurendi sunt homines, exurendi sunt qui Virgini matri tribuunt peccatum originale. At hoc non fit: & si quis conetur, obsisterent *Dominicanorum* phalanges.

Objectio 67. *Item, in* Libro contra servum arbitrium *numerat inter quæstiones non pertinentes ad dogmata Christiana aliquos fidei articulos his verbis: Jam cum hic agamus de difficultate quæstionum, quæ ex mysticis litteris nascuntur, veluti cum quærimus, quid sit illud quod distinguit in sacra Triade personam a persona, res an relatio, & an Spiritus Sanctus cum procedat ab utroque, an ab uno principio procedat, an a duobus, aliaque innumera.*

Responsio 67. Hic omnino frontem in istis desiderare cogor. Non enim illic agitur de articulis fidei, sed de quæstionibus perplexis, quas præstat non disputare apud populum. Jam ante docuimus nondum inter Scholasticos convenire quomodo distinguantur inter se Personæ, & quomodo cum a duobus procedat Spiritus, non proficiscatur tamen nisi ab uno principio. Hujusmodi subtilitates præstat in Scholis agitare, sed sobrie. Non enim illic agitur de dogmatibus Ecclesiæ credendis aut non credendis, sed de difficilibus quæstionibus, quæ nascuntur e Sacris Litteris, in quibus *Lutherus* nihil omnino vult esse obscuritatis. Itaque doceo quod ille mihi perperam impegerat obscuritatem tributam Sacris Litteris, cum ego loquutus essem non de ipsis Sacris Litteris, sed de difficilibus quæstionibus ex illis exsistentibus, & harum quæstionum aliquot exempla profero. Locus est prioris Editionis, quod isti dignati non sunt indicare. Sit & hoc unum exemplum sanctæ inquisitionis.

Objectio 68. *Item cum legamus impiis post hanc vitam denunciari ignem gehennæ, quæsitum an impiorum animæ statim ut avulsæ sunt a corpore dedantur suppliciis, an serventur luituræ pœnas in diem supremum.*

Rursus an ille ignis sit naturalis. Hæc ille.

Objectio 69. Nec in dubium voco quomodo puniantur animæ, *Responsio 68.* sed indico animas conjici in gehennam & illic puniri expressum in Sacris Litteris; verum hinc ortam quæstionem, an mox dedantur suppliciis, an serventur in diem extremi judicii, quæ quæstio adeo non facilis visa est Veteribus, ut præter Græcos etiam Romanus Pontifex aliquando diversum senserit ab eo quod nunc receptum est. Hanc quæstionem non improbo, tantum ajo difficilem, & e Sacris Litteris, quas *Lutherus* vult esse lucidissimas, exortam.

Responsio 69. Eadem est responsio de igne apud inferos materiali, quem isti verterunt in naturalem. Et ad calumniam de igni materiali alias responsum.

Objectio 70. *In* Epistola ad Barbirium Epist. II. Lib. I. *Sed vereor, optime* Barbiri, *ne complures sint qui magnis convitiis insectentur in* Lutheranis *levia quædam, quod genus sit, quicquid agit justus peccatum esse.* Hæc ille.

Responsio 70. Levia dico, sed ex collatione. Id declarabat meus sermo, si totum pronunciassent. Sequitur enim: *Cum ipsi non credant id quod est totius fidei nostræ basis, videlicet animam supereſſe a morte corporis.* Nam ut sit falsum quicquid agit justus esse peccatum, ut falsum esse credo, tamen in aliquo sensu potest esse verum, & præ aliis levis est error.

Objectio 71. *In* Paraphrasi Joan. IV. *Sola, inquit, fides purificat corda, redditque idonea quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana.*

Responsio 71. Fidem intelligo vivam, de qua sensit Apostolus, & sola non excludit bona opera, quæ post acceptam gratiam fides per dilectionem operatur, sed opera quæ præcesserunt baptismum. Nam ipsa Paraphrasis declarat me loqui de his, qui ex Judaïsmo aut Paganismo veniunt ad baptismum, inter quos non distinguit Deus, quomodocunque vixerint ante, sed ex æquo, fidei dono purificat corda eorum. Hac de re respondi *Beddæ* ad Propositionem 87. & aliis locis semel atque iterum. Ad hæc cum constet per fidem hominem reddi capacem altioris doctrinæ & uberioris gratiæ, miror cur hæc verba putarint addenda, *redditque idonea quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana.* An hoc negant esse verum? Sed sic, opinor, habebat liber, unde hæc descripserunt.

Objectio 72. *Et ad pium Lectorem super* Joan. *Fides est, inquit, velut oculus noster, quo videmus & cognoscimus Deum, quod satis est nobis ad salutem æternam, idque ex Scripturis divinis.*

Responsio 72. Vix a risu tempero, Lector amice, cum has lego notationes, nihilo secius interim dolens graviter ac gemens huc recidisse rem Christianam, ut qui sibi & fidei & pietatis videntur & a nonnullis habentur columina, non pudeat hujusmodi nænias in lucem edere, & his tricis ac sycophantiis Ecclesiæ magnatibus negotium facessere. Quoniam in prima Editione forte vacabat aliquid chartæ, rogatu *Frobenii* coronidem adjeci de laude Christianæ charitatis, quam mire *Joannes* inculcat. Ostendo charitatem etiam hoc præstare, ut facile compendioque discamus quid sit agendum, juxta illud: *Plenitudo Legis est charitas.* Item illud: *In hoc tota Lex pendet & Prophetæ.* Et quod alibi ait Dominus: *Hoc est præceptum meum*, significans hoc unum complecti omnia. Id ne cui videar fingere, præcedunt inibi hæc verba: *Nimirum hæc est illa Christiana charitas, quæ compendio docet quicquid tot veteris Instrumenti voluminibus, tot Philosophorum libris, tot humanis legibus præcipitur* &c. Mox subjicio verba quæ recitant: *Fides autem est velut oculus noster, quo videmus & cognoscimus Deum, quod satis est nobis ad salutem æternam, idque ex Scripturis divinis*, &c. Quid in his verbis impium? Quia dico fidem satis esse ad salutem æternam? Id si sensissem, quorsum attinebant illa verba, quæ mox præcedunt: *Cum enim summa nostræ felicitatis* (sic enim a me scriptum fuerat) *sita sit in cognitione, fiducia, & vita puritate*, &c. Qui complectitur vitæ puritatem in summa felicitatis humanæ, multum dissentit a quibusdam, qui prædicant solam fidem sufficere ad salutem. Verum istis ansam errandi præbuit vocula *quod*, quam usurpavi pro *quantum*. Dico pios per

Digitized by Google

fidem videre & cognoscere Deum, non plane, sed *quantum satis est ad æternam salutem*, nec ad eam cognitionem opus esse Philosophorum argutiis, sed hauriri ex Libris Divinis. O miram impietatem! An hîc erubescent in tam fœdo errore deprehensi? Non arbitror, sed causabuntur me voce arripiti dedisse ansam erroris. Verum si micam habuissent Christianæ sinceritatis, debebant in meliorem interpretari partem, quod erat ambigue dictum. Imo si contulissent ea quæ præcedunt cum iis quæ sequuntur, ipse sermonis tenor docuisset, non posse sensum alium accipi. Quis non fateatur hanc esse sanctam inquisitionem? Quod si fors isti gloriantur esse de numero eorum, qui fortiter neglectis Grammaticorum ac Rhetorum litteris ad Theologiam provolant, saltem ex *Pauli* sermone debebant hanc sermonis figuram agnoscere. Sic enim scribit *Romanis*: *Itaque quod in me promptum est, & vobis* &c. hîc *quod in me* dictum est, pro quantum in me est. Rursum ad eosdem cap. XII. *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:* hîc *quod ex vobis* dictum est, pro eo quod erat, quantum a vobis præstari potest. Apparet autem in hujusmodi, *quod*, per Synesin dictum, pro *quoad*. Verum ego collectores istos nonnihil sublevabo. Sic habebat liber ille stupidus & sycophanticus, unde hæc decerpserunt, cuique minime Theologico viri Theologici fisi sunt.

Objectio 73. *In* Annotationibus ad Rom. v. *præbet ansam hæreticis* Pelagianis, *peccatum originale negantibus, cum potentissimum locum rejicit, quo sancti tanquam validissimo argumento in Hæreticos usi sunt.*

Objectio 74. *Nec non pro* Joviniano *invehitur in beatum* Hieronymum, *& pro* Pelagianis *taxat catholicos Doctores.*

Responsio 73. Ut huic objectioni satisfiat, nihil aliud petam, nisi ut legatur mea in eum locum Annotatio. Peccatum originale nunquam negavi, quanquam illi quidam plus satis tribuunt, & interdum ingerunt ubi nihil opus. Veterum interpretationes in eum locum non rejicio, sed diversas Orthodoxorum refero, inter quos est & *Ambrosius*, & *Chrysostomus*, & ipse *Hieronymus*, si titulis credimus, & alteram interpretationem appello molliorem, non damnata altera. Cæterum *rejiciendi* verbum nusquam est in Annotatione mea, sed additum est ab istis ad calumniam, quod an sanctæ conveniat inquisitioni, judicent ipsi. Solus, quod equidem sciam, *Augustinus* cum alibi, tum Epist. 98. contendit eum *Pauli* locum non posse in alium sensum accipi: pugnabat enim adversus *Pelagianos*, qui negabant esse ullum peccatum originale. At ii, quibus bellum erat cum *Manichæis*, magis approbant eam opinionem, quæ mihi quoque magis arridet pugnanti cum his, qui plus nimio tribuunt illi peccato. Neque vero hæc interpretatio magis favet *Pelagianis*, quam altera *Manichæis* ac *Genethliacis*. Quod si hic locus est potentissimus adversus *Pelagium*, quo se tuebantur illi qui locum hunc aliter intelligebant? Ille locus potentior est in Psalmis: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et hoc quoque potius est quod dicit *Job*: *Nec unius diei infantem immunem a peccato.*

Responsio 74. Nec invehor in beatum *Hieronymum*, sed modestissimis verbis significo Veteres sibi permisisse in disputando cum Hæreticis, ut quocunque modo revincerent eos qui doceri nondum patiebantur, ut quædam accommodarent ad causæ victoriam: quod ipse *Hieronymus* alicubi fatetur: & si negaret, posset evidentissimis exemplis demonstrari, non in hoc tantum, sed in aliis quoque. Id admonere non facit pro *Pelagianis*, sed pro robore doctrinæ Christianæ, quæ hoc firmior est, quo solidioribus argumentis utuntur Theologi, quoque Scripturam tractant sincerius. Et in hunc usum habentur diatribæ Scholarum Theologicarum. Nec hoc est taxare Doctores catholicos, ostendere in illis quod aut non erat faciendum, aut rectius fieri poterat. Proinde *invehendi* & *taxandi* verbum pro *Pelagianis*, pro *Joviniano*, calumniæ verba sunt, non sanctæ inquisitionis. Locus in Annotatione sic habet: *Nisi forte nobis permittimus, ut in disputando cum adversario, qui vincendus est magis quam docendus, Scripturæ verba ad victoriam nostram utcunque detorqueamus. Quod adversus* Jovinianum *pugnans* Hieronymus *facere videtur nonnunquam, &* Augustinus *aliquoties.* Hæc dixerim, inquam, non quod faveam negantibus esse peccatum originis, sed quod nolim, si fieri possit, ullam vim fieri Scripturis. Hæc verba non sapiunt invectivam in Orthodoxos, nec favorem erga Hæreticos, sed studium sinceræ doctrinæ.

CONTRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ HONOREM.

Objectio 75. *IN libro* de modo orandi *tenet perpetuam virginitatem beatæ* Mariæ *non posse doceri evidentibus sacrarum Scripturarum testimoniis, & sub verbis indecentibus id explicat, & ad hunc sensum paululum enervat illud* Esaiæ, *Ecce Virgo &c. in* Annot. Matth. II.

Responsio 75. Quidni hoc fatear quod fatetur *Hieronymus*? & tamen hoc in exemplum refero eorum, quæ summo Patrum & Ecclesiæ consensu nobis tradita non minus tenemur credere, quam si Sacris Litteris essent expressa. Nullus enim Orthodoxus unquam contradixit perpetuæ *Mariæ* virginitati. Nec me clam est, illud quosdam adducere, *virum non cognosco*, quod perpetui propositi videtur habere significationem. At non statim proposito respondet eventus, & illic de evidentibus testimoniis loquor, non de conjecturis. Verba mea, quæ isti dicunt indecentia, sic habent: *Ut interim hoc istis largiamur quod assumunt, nihil exigi posse constitutionibus hominum quod non expressum sit in Libris Canonicis. Hoc certe dogma fallit in perpetua virginitate* Mariæ *matris* Jesu, *quæ cum sacrarum Scripturarum evidentibus testimoniis doceri non possit, tamen quoniam magno consensu nobis a priscis orthodoxis tradita est per manus, nemo tolerandum existimaret, qui asseveraret illam, edito Domino, post a viro cognitam fuisse: ac fortasse ne illum, quidem qui de hac re ambigeret. Quod si responderint ideo non tolerandum hunc asseveratorem, aut dubitatorem, quod probabilem opinionem jam olim magno consensu gentium probatam conetur convellere, id quod alsque turbatione tranquillitatis magnoque Christiani gregis offendiculo fieri non potest*, &c. In hoc sermone etiam atque etiam rogo, quid est indecens? Nescio an hoc offendat, quod dogma fallit in Virgine, & fortasse somniant me de Ecclesiæ dogmate loqui, cum agam de dogmate eorum qui negant Sanctos invocandos. Et fieri potest ut offendantur hac vocula, *fortasse*, quasi dubitem an tolerandus sit, qui de perpetua virginitate *Mariæ* dubitaret. Atqui debebat hoc istorum prudentia animadvertere, adverbium, *fortasse*, referri ad illos, contra quos dimico: de illis dubito, an dubitatorem sint toleraturi, nam asseveratorem se non laturos profitentur. Id esse verum declarant quæ mox sequuntur: *Quod si responderint* &c. Quam molestum est agere cum his, qui Latini sermonis rudes nihil intelligunt nisi conclusionibus, corollariis, & impertinentibus digestum.

Responsio 76. Hoc in superioribus falsissimum esse docui, cum illic confirmem Prophetæ testimonium, indicans quomodo refelli debeat, quod ab adversariis possit objici.

Objectio 77. *In* Annot. in Lucam cap. I. *exponens illud,* Turbata est, *deinde inquit, quod audiret salutationem amatoriam, & nescio quid procorum præ se ferentem, & ad hunc sensum pervertit Angelicam salutationem, præcipue illud verbum,* Gratia plena, *beatum* Bernardum, *cæterosque Theologos hæc in laudem beatæ Virginis pie exponentes taxat, nec prorsus sine aliqua injuria.*

Responsio 77. Ad hanc calumniam abunde respondi *Leo*, & rursum in ipsa Annotatione declarans & pium esse quod dico, & a sanctis viris proditum esse, nisi forte *proci* vocabulum, & *amandi* verbum obscœnitatem sonat. De *gratia plena*, rem ostendo ut habet, ne quis illinc erret. In *Bernardum* ac cæteros, qui hoc pie exponunt in laudem Virginis, quam sim injurius, declarant hæc verba mea: *Video Theologos quosdam viros alioqui doctos ac pios, quorum est* Bernardus, *mire philosophatos in his verbis,* gratia plena, *velut hoc peculiariter competat in* Mariam, &c. Quod dico clarius est quam ut negari possit. *Lucas* non dixit, *gratia plenam*, & alii Sancti dicti sunt *gratia pleni*. Hunc igitur errorem,

Digitized by Google

rem, licet pium, indicare volui, idque factum est cum honoris debiti præfatione. Si id fas non est, frequenter in *Annotationibus* in hunc impingo lapidem.

Objectio 78. *Item in eodem cap. exponens illud*, adaperiens vulvam, *citans beatum* Ambrosium *&* Origenem, *quos alii Doctores pie exponunt, ipse eos cum pietate pugnare facit, his verbis: Pugnat cum eo, quod jam olim pia credulitas omnium animis infixit*, Christum *sine sordibus, sine nixu ac labore parturientis, clauso Virginis utero prodiisse. Et in margine est index, quomodo* Christus *matris aperuit uterum.*

Responsio 78. Hic mihi videntur ludere. Primum, an non est pium quod canit & credit Ecclesia, *Christum clauso Virginis utero prodiisse nascentem?* Et nonne cum hac opinione pugnat quod sentire videtur *Origenes*, a quo non dissentit *Ambrosius?* Nec dico pugnare cum pietate, sed cum pia credulitate: neque enim hoc usquam Scriptura docet aperte, quod exierit clauso Virginis utero. Pia vero credulitas credit interdum quæ non sunt, eo quod speciem habeant pietatis. Nec enim usquam legimus sine nixu, sine fluxu solito, sine dolore *Mariam* peperisse, & infantem sic exisse, sicut sol penetrat vitrum illæsum, sed his, quoniam plausibilia sunt, favet pia credulitas. Verum haud scio an istos offendat *pugnandi* verbum, quasi balistis & gladiis res geratur. At Latinis *pugnare* crebro dicitur quod dissentit. Jam ut pro marginariis etiam Annotatiunculis respondeam, quid habet ea quod reprehendi possit? Nonne illic ostendo quomodo pie dici possit utrumque? & quod *Christus* clauso natus utero sit, quia claustrum pudoris non violarit egrediens, quemadmodum nec ingrediens: & quod aperuerit Virginis uterum, qui vere & corporaliter ex ea natus sit. Male sit illi stolido libello, unde viri graves hujusmodi nænias decerpserunt.

Objectio 79. *Et ibidem*, & Matth. XII. *de eadem beata Virgine irreverentissime loquitur, eam mulierum vulgo in affectibus æqualem faciens, & passionis tempore dubiam in fide, illatis auctoritatibus, quæ a catholicis Doctoribus pie exponuntur.*

Responsio 79. Illud *irreverentissime*, calumniatoris verbum est, nec illi tribuo qnod isti fingunt. Profero illic verba *Chrysostomi* & *Augustini*, quæ videntur *Mariæ* Virgini tribuere quiddam affectus humani, & tamen hoc ipsum interpretor, quomodo possit intelligi citra læsam Virginis dignitatem. Porro non satis intelligo quid dicant catholicos, nisi forte *Chrysostomum*, *Augustinum*, & *Paulinum* non habent pro Orthodoxis, & tamen idem interpretor, quod interpretantur ii, quos isti probant. Legatur Annotatio, & rem sic habere comperies. Tantum illos leviter attingo, qui pio fortassis, sed immodico studio tribuunt beatæ Virgini plus quam ipsa velit agnoscere: nec satis habent illam prætulisse Divis omnibus, nisi & Filio æquent, ne dicam anteponant. Ac vereor ne qui hæc faciunt, non tam ducantur amore beatæ Virginis, quam adulentur mulierculis, unde venantur commodum.

Objectio 80. *Item in* Colloquio, Proci & Puellæ, *procus ad puellam: Quod si, ut spero, non sterile fuerit nostrum conjugium, pro una virgine multas dabimus. Respondet introducta* Maria: *Attamen ajunt rem Deo gratissimam esse castitatem. Et procus: Et ideo castam puellam mihi cupio nubere, ut cum illa caste vivam: magis erit animorum quam corporum conjugium: gignemus Reipublicæ, gignemus* Christo. *Quantulum aberit hoc matrimonium a virginitate? Et fortassis olim sic convivemus, quemadmodum vixit cum* Maria Joseph. Hæc ille.

Responsio 80. Ut mihi rursus præstandum sit, quod quocunque nomine, quocunque modo dicitur in Colloquiis, non video quid hîc quemquam possit offendere, nisi forte putant ad *Mariæ* matris *Jesu* contumeliam pertinere, quod illic induco *Mariam* virginem ambitam a proco; quo quid dici potest stultius? Sed rursus quid tam stultum, quod isti non agant serio?

Fortassis illud offendit, quod procus ait, *Quantulum aberit hoc matrimonium a virginitate* &c. Immane quantum mali est in illo, *quantulum?* Et tamen hoc dicitur ab amante juvene ad puellam adamatam. Hîc quæro, an vulgo sic loquantur proci cum puellis? Si castus nubat caltæ, si calte cum illa vivat, hoc est, non libidinis causa, sed prolis, qua concepta desinatur a congressu corporum, si proles gignatur Reipublicæ Christianæ & *Christo*, hoc est, ad pietatem instituatur, & hic sit finis conjugii, non ita multum, opinor, intercrit inter tale matrimonium & qualemcunque virginitatem. Ita loquitur procus amans, non *Erasmus*. Jam supererat unus scrupulus de verbo, *caste*, quod proles non gignatur absque congressu corporum. Primum non est absurdum dicere fœminam castam, quæ viro suo conjugii fidem servat: non enim facit impudicam coïtus sobrius ac legitimus. Id si minus esset, tamen ad hoc respondet juvenis, fortasse futurum, ut etiam in conjugio eo proficiant studio castimoniæ, ut in totum abstineant a congressu corporum, quemadmodum vixit *Maria* cum sponso suo *Joseph*, a cujus convictu nunquam divertit, cui ut marito paruit. Quis unquam audivit sermonem magis impium, præsertim in colloquio proci & puellæ, in hoc conficto, ut pueri discant Latine loqui? Quantum esset discriminis in fide catholica, si talis esset omnium procorum & puellarum confabulatio? Et hæc scilicet notant amore virginitatis ac cœlibatus, quasi mundus nesciat qualis sit istorum cœlibatus ac virginitas, quod citra contumeliam eorum, qui vere casti sunt ac virgines, dictum esse volo. Nam vera ac spontanea pudicitia nihil est honorabilius.

Objectio 81. 82. *Item in* Colloquio, Naufragium, AD. *Ibi vidisses, inquit, miseram rerum faciem: nautæ canentes*, Salve Regina, *appellantes eam Stellam maris, Reginam cœli, Dominam mundi, portum salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt Sacræ Litteræ.* ANT. *Quid illi cum mari, quæ nunquam, opinor, navigavit?* AD. *Olim* Venus *agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari. Ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini Virgo mater.*

Responsio 81. Hæc ironia tametsi joco dicta non petit sacratissimam Virginem, sed hominum superstitionem, qui cum impudice vivant, tamen in periculo malunt ad Virginem quam ad Deum confugere, veluti magis exorabilem, eique titulis humanis blandiuntur, quos non habent Sacræ Litteræ. Illic enim vocatur *mater Jesu*, non *Regina cœli*, aut *Domina mundi*, aut *Stella maris*. Nec hos titulos insector, sed illorum superstitionem noto, qui putant illam hujusmodi titulis deliniri, qui non sapiunt sinceritatem Christianæ pietatis, utcumque probatur affectus non impius.

Responsio 82. Nec hîc est ulla ironia in Virginem, sed in eorum superstitionem, qui hoc animo Virginis auxilium implorant, quo Pagani implorabant *Venerem*, quasi *Christus* succurrat in terra, mater in mari. Si mundus non est hac superstitione plenus, fatebor hæc sine causa mihi dicta fuisse, quanquam & per joeum & sub aliena persona dicuntur.

Objectio 83. *Et infra simili ironia usus in beatissimam Dei matrem, sic ait: Cum jam nihil superesset, quidam avulsit ligneam statuam Virginis matris, jam putrem atque excavatam a soricibus, eamque complexus cœpit natare.*

Responsio 83. Hic articulus indignus est cui respondeatur, nisi forte debuit nataturus saxeam statuam amplecti. Atque cum hîc narrentur hominum fabulæ, quæ vulgo dicuntur animi gratia, isti sic examinant, quasi descripserim articulos fidei. Quin potius excutiant *Pogianas* facetias, & *Pontani* Dialogos, si tantum habent otii.

Objectio 84. *Et in* Colloquio, Spectrum, *eadem ironia utitur contra beatæ* Mariæ *honorem his verbis: Primum itaque congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi novi nonnulli per viscera beatæ* Mariæ, *per ossa beatæ* Werenfridæ.

Responsio 84. Nec hic articulus ullo responso dignus est. Depingitur illic spectrum arte confictum, exorcista fatuus, qui solemnibus exorcismi verbis addiderat nova quædam, *per viscera beatæ Virginis, & per ossa beatæ* Werenfridæ: neque enim has formas habet Ecclesia. Quid hoc ad beatam Virginem? Quod si tam religiose favent honori Virginis, sciant omnem contumeliam in Filium Virgini matri maxime displicere, sciant quoties ipsi tractant virgines Deo dicatas, secus quam decet pudicas,

Digitized by Google

dicas, ad beatæ Virginis contumeliam pertinere, quoties ferunt discordiam inter uxorem & conjugem, ne quid addam, vehementer offendi beatam Virginem, quæ vult omne conjugium esse tranquillum & inviolatum, hoc est, suo simillimum. Hic igitur præstanda erat illa religiosa religio, quam nunc præ se ferunt in nugis.

Objectio 85. *Item in calce Libelli* de modo orandi, *qua arte conetur avellere a fidelium mentibus piam beatissimæ Virginis* Mariæ *devotionem, tu piissime judex judicato.*

Responsio 85. Virgo optime colitur imitatione. Nihil est illic quod avellat a cultu Virginis, sed indicatur quorumdam affectus humanus, qui tamen excusatur, non incessitur. Locus est pag. g. 2. quando locum isti non dignantur indicare. Si Virginis cultum obliterant, qui *Christi* cultum ubique præferunt, ego me de illorum numero profiteor. In *Christo* fixa est nostræ salutis sacra ancora, non in Virgine.

Contra Auctoritatem Summi Pontificis et Concilii.

Objectio 86. *Multis in locis videtur sentire primatum Pontificis esse rem novam, & non esse ei a* Christo *collatum. Et in* Spongia *fol. 6. contendit auctoritatem summi Pontificis non esse de articulis fidei, nec de his pro quibus est homo occidendus a judice.*

Objectio 87. 88. *In* Annotat. in Matth. *cap.* XIV. *& in Colloquio*, Inquisitio, *ibi*, Credo sanctam Ecclesiam, *quod supra citavimus in his quæ contra Eucharistiam. An Episcopi possint constitutionibus obligare ad crimen capitale, non est de articulis fidei, nec pro talibus vellem mori, nec alios occidere, si essem judex, in* Spongia *folio 6.*

Responsio 86. 87. 88. Ad hos tres articulos, opinor, abunde responsum, ne sæpius iisdem iterandis oneremus Lectorem. Tantum hoc dicam, an hic primatus Pontificis, quem nunc illi tribuunt quidam, qui docent Pontificem quamlibet malum & impium non posse destitui, nec objurgandum esse, tantum blande admonendum a summis Principibus: qui docent, si universa Ecclesia decerneret aliquid, & solus Pontifex, puta *Alexander* sextus, diversum probaret, omnes ut schismaticos & hæreticos ituros in Tartara, solum *Alexandrum* evolaturum ad superos: qui docent, ad statuendum aliquid quantumvis grave nihil opus esse Pontifici Concilio vel generali, vel Provinciali, ne Cardinalium quidem, si velit uti potestate absoluta: an hic, inquam, primatus sit institutus a *Christo*, vehementer addubito. Theologi *Parisienses* negant illam esse superiorem universali Concilio. Verum isti libenter exaggerant Pontificis auctoritatem, non quod illi tam bene velint, sed quod ipsorum majestas pendeat ab illius prærogativis. Dixeram me pro tali articulo nec mori velle, nec quemquam occidere. Isti colligunt non occidendum. At non statim male fit quod ego nolim facere, sum fortassis aliis natura clementior.

Objectio 89. *Contra Catholicos sæpe agit causam* Lutheri *&* Lutheranorum, *nunc occulte, nunc manifeste, ut legenti ejus Opera non obscurum erit, maxime Epistolas, & Operum ejus Catalogum.*

Responsio 89. Hic quoniam nihil adducitur certi, & jam toties ad istiusmodi calumnias responsi, supervacaneum arbitror in his iterum refellendis tempus consumere. Tantum in istis desidero gravitatem, qui post tam diutinas vociferationes, obtrectationes, & convicia, cum res esset pertracta ad summos judices, pro certis sententiis, quas ad verbum recitare debebant, de suo capite proferunt quod volunt.

Contra Imperatorem et Alios Principes Christianos.

Objectio 90. *Quod scriptum est in Evangelio & Apostolicis Litteris de tributo, de vectigalibus, de honorandis Regibus, de parendo tribunis, totum pertinet ad Ethnicos Principes. Porro Christianus Christiano nihil debet nisi mutuam charitatem, in libro* de Christiano Principe, *& in* Annotat. in Epist. ad Rom. XIII.

Responsio 90. Scio te Lector jamdudum dormitare, delassatum hujusmodi frivolis, sed hic quæso ut paulisper expergiscaris, ubi ventum est ad Cæsarem & Principes Christianos, quos in me provocare conantur. Verum hoc non facerent tam ridiculo commento, si Cæsarem & Principes Christianos haberent pro hominibus. In Epist. ad *Rom.* XIII. annoto, quomodo Veteres interpretati sint hæc *Pauli* verba: *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Quorum sententiæ non improbatæ subjicio meam, quæ talis est: *Cum hæc scriberet* Paulus, *totus magistratus externus erat penes Ethnicos, aut certe penes non Christianos. Hoc igitur statu rerum* Paulus *jubet Ethnicis Principibus ac Magistratibus persolvi quicquid veluti suo jure exigunt, etiamsi nonnunquam exigant supra quam illis debetur.* Cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem. *Hoc ad Ethnicos Magistratus, quod sequitur ad Christianos referri potest, apud quos tum nullus magistratus erat popularis:* Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. *Posteaquam solvistis Ethnico Magistratui quod exigit, desistis illi debere: at Christianus Christiano semper debet mutuam benevolentiam, quæ non eget exactione, sed ultro porrigit quod desiderat proximi necessitas.* Hactenus Annotatio. Hic sensus ad illud tempus relatus, quid habet quod adversatur Cæsari? Imo potius pro illo facit. Etenim si *Paulus* vult Ethnicis & idololatris Principibus pendi quicquid exigunt, ob publicam, licet impiam, functionem: quanto magis vult eadem pendi Christianis Principibus, quorum arma legesque serviunt non solum publicæ tranquillitati, verum etiam Christianæ Religioni? Jam cum hujus sententiæ citem *Ambrosium* auctorem, cur mecum agunt potius quam cum illo? Cur autem addiderint hæc verba de parendo tribunis, non satis conjecto, cum Annotatio tale nihil habeat. Paraphrasis meam sententiam dilucidius explicat. Cur hanc non adducunt in medium? Hic si velim recensere, quot locis doceam Christianos etiam malis Principibus obtemperare debere, declararem quidem hujus notationis insignem impudentiam, sed Lectorem tædio lectionis onerarem.

Quid autem agitur in libello *Christiani Principis?* An ut doceam populum non debere vectigal Principi Christiano? Quis unquam sic insaniit? Quomodo Principes administrarent functionem suam, si nihil illis penderet populus? Verum doceo discrimen Ethnici Tyranni, qui ab invitis per fas nefasque extorquet quantum libet, non modo quantum jus est, & Principis Christiani, qui sic imperat, ut volentes deferant subjecti quod debent, nec Princeps exigat supra quam debetur. *Christus* solvit didrachmum pro se & *Petro*, cum non deberet: nam id subindicat, *sed solvit, ne quid illos offenderet.* Sic obedire jussis impiorum Principum, erat illos tolerare, quatenus licuit incolumi pietate. At Christianus Princeps pater est patriæ, mutuaque charitas & populum & Principem admonere debet officii sui. Et calumniam mox excludo, dicens: *Ne vero inter hæc cuiquam obrepat hujusmodi cogitatio: Quid igitur? Principi suum jus adimis, & plus tribuis Ethnico quam Christiano? Imo Principi Christiano suum jus vindico* & cætera, quibus latius rem prosequor. Et post hæc, caput addo de vectigalibus & exactionibus, quas nonnullas, sed moderatas agi debere doceo. Quæ admonitio si displicet istis, meminerint, si quando usu venerit, ut magnates exigant etiam a Monachis affatim absque murmure dare quod petitur, secum cogitantes, si juxta *Paulum* hæc debebantur Ethnicis Principibus, quanto magis Christianis? Et si populus ob publicam tranquillitatem redimendam malis Principibus, & quod non debetur exigentibus, morem gerit, quanto promptius oportet nos idem facere, qui rerum hujusmodi, quas Principes exigunt, summum profitemur contemptum. Hæc, inquam, cogitent, si mea displicet admonitio.

Contra Ecclesiasticas Ceremonias.

Objectio 91. *In omnibus suis Operibus multa oblique de Ecclesiæ ceremoniis proponit, loquitur, & docet perperam, quod se facere aperte testatur in Catalogo suorum Operum.*

Responsio 91. Toties respondi me non damnare ceremonias, quas instituit Ecclesia, sed moderatas ac serias magnopere probare. Frequenter autem illos noto, qui freti ceremoniis

moniis negligunt ea quæ propius ad rem pertinent. Id quoniam in primis facit ad ſinceritatem Chriſtianæ Religionis, nec pœnitet feciſſe, nec facere cum opus eſt deſinam. Eſt enim ceremoniarum genus, quod homines ſibi pro ſuo quiſque affectu fingunt, quibus & ipſis mirum quantum tribuant quidam. Nec uſquam teſtor me facere quod iſti prædicant, ſed nuſquam fere non teſtor hoc me non facere. Bella criminatio!

CONTRA DELECTUM CIBORUM, ET ECCLESIÆ JEJUNIA.

Objectio 92. *Multa ſparſim in ſuis Operibus adverſus ciborum delectum & eccleſiaſtica jejunia ſcribit, præcipue in Libro* de ciborum delectu, *quod ſe feciſſe aperte teſtatur in Catalogo ſuorum Operum, & in Libro* de interdicto eſu carnium: *Interdictores ciborum*, inquit, *damnant Apoſtolica Litteræ, videlicet ubi Apoſtolus dicit:* Prohibentes cibos, quos Deus creavit ad veſcendum, & prohibentes nubere.

Reſponſio 92. In eo ipſo Libro multa prædicantur de laude jejunii Chriſtiani, quemadmodum & de pudicitia. Tantum ibi diſputo, an ut nunc ſunt mores hominum expediat tollere, non jejunia, ſed jejuniorum obligationes, exiſtimans futurum, ut alia ratione plures haberemus vere jejunantes, quam nunc habemus utcunque jejunantes, & levius peccarent qui non jejunant, & minus affligerentur quibus non ſunt indicta jejunia. Hoc propono tantum excutiendum Epiſcopis, damnans interim eos & exſecrans, qui conſtitutiones aut conſuetudines ab Eccleſia receptas vel negligunt, vel irrident. Itaque manifeſtæ vanitatis eſt, quod objiciunt.

Ciborum delectum compluribus in locis deteſtatur *Paulus*, & *Petrus* in Concilio *Hieroſolymitano* in totum ſuſtulit omnem delectum ciborum, & ante hos ipſe Dominus docuit iis quæ intrant per os non inquinari hominem. Hæc cum veriſſima ſint, negari non poſſunt. Nec ideo damno Patrum conſtitutiones ex affectu pio profectas, ſi præſens temporum ratio poſtulat aliquot conſtitutionum immutationem, quod antehac non raro factum vidimus ab Eccleſia, idque in rebus aliquanto gravioribus, quam eſt ciborum aut inediarum præſcriptio.

Ciborum delectus, quem damnat *Paulus*, etiam hodie damnandus eſt in Chriſtianis: quiſquis enim ſic abſtinet a carnibus, quaſi cibus reddat hominem immundum, aut ſic veſcitur piſcibus, quaſi piſces adferant munditiem, rem Judaïcam ac ſuperſtitioſam facit. Et ideo Apoſtoli ſuper hac re nihil præſcripſerunt, imo potius docuerunt indifferentiam, ne per occaſionem pertraherentur imbecilles in Judaïſmum. Quod ſi hodie periculum idem urget, fortaſſis expediret ab hujuſmodi præſcriptionibus abſtinere, ſed ita, ut quod decederet ceremoniis, accreſceret pietati. Et tamen hujus rei judicium omne defero Epiſcopis. Super his reſpondimus *Bedda*.

CONTRA COELIBATUM.

Objectio 93. *Refert matrimonium cœlibatui in* Encomio matrimonii, *& in* Colloquio, Proci & Puellæ.

Reſponſio 93. Primum omnium, in declamatione non ſpectatur rei veritas, ſed ingenii dicendique facultas. Deinde in priore declamationis parte, nihilo magis debet declamator præſtare rationes omnes quas adfert, quam Theologus argumenta quæ dicuntur ante oppoſitum. Præterea non ſimpliciter ibi præfertur cœlibatui matrimonium, ſed oſtenditur illi qui cum agitur utilius. Dubium autem non eſt, quin aliquibus utilius ſit matrimonium quam profeſſio cœlibatus. Ad hæc cœlibatus illic non ſonat vitam caſtam ac virgineam, ſed ſolutam a conjugio, etiamſi ſit impudica. Denique ſi Rhetorices exercitamenta fictaque themata vocantur ad quæſtionem fidei, examinetur & declamatio *de laude ebrietatis*, & apologi, ſimiliaque ludicra. Quanquam in eadem declamatione mea, virginitas tribuitur Angelis, conjugium hominibus. Mirum vero ſi procus ſuadet matrimonium puellæ, quam adamat. Cœlibes ubique terrarum abunde multi ſunt, pudice viventium immane quanta paucitas. Verum hac de re pridem reſpondimus *Joanni Atenſi*, nuper etiam *Judoco Clitoveo*.

CONTRA SCHOLASTICOS DOCTORES.

Objectio 94. *Ultra id quod in multis locis oblique damnat Theologiam Scholaſticam, in* Enchiridio, *Chriſtus*, inquit, *interdixit ſuis, ne ſinerent ſe Magiſtros vel Dominos nominare, unde indocte & ambitioſe Magiſtri vulgo ſe permittunt appellare.*

Reſponſio 94. In ſophiſticam Theologiam & quæſtiones inutiles frequenter aliquid dico, quod admonitu digniſſimum eſt. Scholaſticam Theologiam nuſquam damno, ſed frequenter approbo. Libri mei teſtes ſunto. Sed quid iſtos pudet? *Chriſtum* id vetuiſſe veriſſimum eſt, ac merito notandi ſunt & hodie, qui ſic amant vocari Rabini, quales, proh dolor! videmus nimium multos, qui multo ſuperbius gloriantur ac tument hoc titulo, quam olim Scribæ & Phariſæi. Quod ſupercilium, quod mentum, quas buccas, quem typhum videmus in quibuſdam? ut procul etiam agnoſcas elatum Rabinum. Quid hoc adverſus pios ac probos Doctores Scholaſticos? qui tamen ipſi recte facerent, ſi titulum illum non ſolum ambitioſum, verum etiam ineptum, nec aliis tribuerent, & ſibi prohiberent tribui.

CONTRA INDULGENTIAS.

Objectio 95. *Quanti ponderis apud* Eraſmum *ſint Indulgentiæ, facile noſſe poterit, qui ejus Opera legerit. In* Enchiridio *tamen ſic dicit: Epiſcopi volunt Chriſtianos ita credere ſuas Indulgentias valere, ac ſi* Paulus, Andreas, *& Jacobus dediſſent.*

Reſponſio 95. Nemo dubitat quin Epiſcopus de pœnis Eccleſiaſtica cenſura inflictis poſſit ſuis aliquid remittere, ſi videatur id expedire ſaluti, vel gregis, vel ejus cui indicta eſt ſatisfactio. Porro quantum Indulgentiæ valeant apud inferos, opinor ipſum etiam Romanum Pontificem dubitare. Quanquam a me nuſquam hujuſmodi condonationes ſimpliciter damnatæ ſunt, ſed admoniti potius qui his ſuperſtitioſe fidunt. Et quanquam in adminiſtratione ſacramentorum eadem eſt poteſtas Epiſcoporum, quæ fuit Apoſtolorum, tamen non tenemur idem ponderis tribuere dictis Epiſcoporum, quod tribuimus ſcriptis Apoſtolorum, de quibus dubitare nefas eſt. Quanquam locum non indicant, nec vacat omnia diſquirere. Alioqui non dubito quin ipſe locus habeat quod excludat calumniam.

Objectio 96. *Contra Sanctorum veneraciones, ſacras reliquias, imagines, & peregrinationes ad pia loca multa dicit in* Colloquiis, *quæ propter prolixitatem eorum prætermittimus.*

Reſponſio 96. Adverſus ſuperſtitionem, qua ſecus quam oportet quidam colunt Divos, ac venerantur eorum reliquias, adorant imagines, & in horum honorem longinquas & inutiles peregrinationes ſuſcipiunt, nec interim ſtudent Sanctorum vitam æmulari, ſed potius ſub religionis umbra ſceleratiores ſunt, ſæpe loquor in ſcriptis meis, ſed infra rei dignitatem. Qui docet verum Divorum cultum, & pro hominibus & pro Divis loquitur, etiamſi quid ob id decedat aliquorum quæſtui.

CONTRA JUS IN BONIS TEMPORALIBUS.

Objectio 97. *IN* Enchiridio Can. 6. *Proprietatem Chriſtiana charitas non novit. Et* ibidem: *Tu credebas, inquit, ſolis Monachis interdictam eſſe proprietatem, & indictam paupertatem? erraſti, utrumque ad omnes Chriſtianos pertinet.*

Reſponſio 97. Omnibus Chriſtianis ſcripſit *Paulus, ut qui emunt ſint tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, ſint tanquam non utentes.* Si *Ariſtoteles* vult inter cives omnia eſſe communia quod ad uſum attinet, multo magis id decet inter Chriſtianos, ut charitas faciat communia, non quod fas ſit cuiquam aliena ſibi vindicare, ſed quod alienum occupat, qui fratri egenti non opitulatur cum poſſit. Hunc non punit lex humana, ſed punit lex divina. Quoties hoc admonent Orthodoxi pii, Chriſtianum diſpenſatorem eſſe rerum ſuarum verius quam dominum, & omnia jure divino eſſe communia, nominatim *Auguſtinus* cum aliis aliquot locis, tum Epiſtola XLVIII.

Hæc eo pertinent, ut benigniores ſint homines ad communicandum proximo, non ad uſurpanda aliena. Verba mea ſic habent: *Dives es, memineris diſpenſatorem eſſe te, non dominum, ac ſollicitus vide quomodo rem communem tractes.* Et paulo poſt: *Lex te punit, ſi quid alieni*

Digitized by Google

ſuſtuleris, non punit, ſi tuum fratri egenti ſubtraxeris: at utrumque puniet Chriſtus. His verbis aperte diſtinguo legem divinam ab humana. Et aliquanto ſuperius ſimile quiddam dico: *Omnia ſua bona omnibus exiſtimet eſſe communia, proprietatem Chriſtiana charitas non novit.* Non dictum eſt, nullam eſſe proprietatem: neque dictum eſt, utere rebus alienis, cum eſt opus, vel invito domino, ſed quoties eget frater, id quod tibi ſupereſt, charitas poſſeſſoris putat eſſe illius qui eget. Quis unquam audivit doctrinam magis impiam?

CONTRA LIBERTATEM ARBITRII.

Objectio 98. *AN Liberum Arbitrium conducat ad ſalutem, non eſt de articulis fidei, nec vellem pro hoc aliquem occidere, ſi judex ſim, nec in diſcrimen capitale venire. In* Spongia. *In libro* de Libero Arbitrio: *Itaque quod ad ſenſum meum attinet, fateor de Libero Arbitrio multa variaque tradi a Veteribus, de quibus nondum habeo certam perſuaſionem, niſi quod arbitror aliquam eſſe Liberi Arbitrii vim.* Hæc ille.

Reſponſio 98. Ad prius illud jam ante reſponſum eſt. Ad alterum articulum ut tribus verbis reſpondeam. Quidam putarunt in nobis ſitum eſſe, velle bonum, facere non item: quidam, nec velle, nec perficere. Rurſus alii ſcripſerunt in nobis eſſe velle bonum, licet imperfecte, ut opus eſſet gratia Dei. Quidam etiam hoc adimunt homini, docentes bonum hominis propoſitum non adjuvari, ſed dari a Deo. Rurſus quidam liberum appellant, quod in nobis ſit poſſe velle, licet velle bonum in nobis non ſit. Hæc libertas eſt & in impiis Spiritibus. Alii liberum intelligunt vel ad bonum, vel ad malum. Theologi Scholaſtici docent, per opera moraliter bona hominem poſſe promereri gratiam merito congruo. Item de perpetua & nova gratia variæ ſunt opiniones. De his quoniam non ſatis convenit inter Orthodoxos, fas eſt mihi ſuſpendere certam pronunciationem, donec audiero vocem Eccleſiæ. Articulos autem fidei voco, non quaslibet Scholaſticorum opiniones, ſed de quibus certo pronunciant, vel Scripturæ evidentes, vel Symbola publicitus recepta, vel Synodi univerſales.

CONTRA POENAS INFERORUM.

Objectio 99. *NON eſt alia flamma in qua cruciatur dives ille comeſſator Evangelicus, nec alia ſupplicia inferorum, de quibus multa ſcripſere Poëtæ, quam perpetua mentis anxietas, quæ peccandi conſuetudinem comitatur. In* Enchiridio, canone 20.

Reſponſio 99. Ad hunc articulum abunde reſponſum eſt in Appendice, quam adjeci *Supputationibus* in *Beddam*. Et ſatis arbitror iſtos eſſe progreſſos, poſteaquam a ſumma Trinitate perventum eſt uſque ad inferos: quanquam teſtantur etiamnum pendere lectionem, rectius otium collocaturi ſuum, ſi id temporis evolvant *Ambroſium*, *Auguſtinum*, aut *Hieronymum*, in quibus vel diſcent aliquid Chriſtiani candoris, vel ſi omnino libet calumniari, plura reperient obnoxia talibus calumniis, quam in ſcriptis meis. Quod ſi ex animo ſtuderent Eccleſiæ tranquillitati præſentique rerum tempeſtati componendæ, potius ea colligerent e lucubrationibus meis, quæ faciunt contra *Lutheri* dogmata, quam quæ poſſunt ad aliquam *Lutheranæ* ſententiæ ſuſpicionem detorqueri. Quanti faciant Celſitudinem tuam, ornatiſſime Præſul, qui tam otioſis ac frivolis obtrectationibus onerant eam, ipſi viderint. Nam hæc tibi non ſolum offerenda, verum etiam dicanda putarunt. Me vero ſummopere puderet vel hanc Apologiam tam eximio dicare Præſuli, quam tamen judicandam offero, nec ſine pudore, nec ſine dolore: ſiquidem ut pudet hoc genus næniis obſtrepere ſummo ſummiſque rebus occupatiſſimo, ita dolet hujuſmodi tumultibus, & ſublimitatem tuam, & induſtriam meam a rebus magis frugiferis, ad hæc non minus inutilia quam inamœna devocari. Quod ſi poteris hujus lectionis devorare tædium, *Eraſmum*, ſat ſcio, miſericordia dignum judicabis potius quam ira. Nam ipſe quivis agere malim, quam hoc. Porro judicium tuum alacri bonoque animo ſum exſpectaturus: non quod exiſtimem in ſcriptis meis nihil eſſe quod jure queat reprehendi, ſed quod hoc animo ſim, ut ſi quid comperiatur adverſum ſinceræ doctrinæ, magis propemodum gaviſurus ſim errati correctione, quam innocentiæ victoria.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS CANDIDO LECTORI S.

QUIS exſpectaſſet a viris, qui ſe columnas Eccleſiæ volunt haberi, tam ſtupida, tam craſſa, tam indocta, tam malitioſa judicia? Et hujus negotii duces ſunt præcipue *Dominicani*, non gregarii, ſed Magiſtri noſtri, tum *Franciſcani*, nec hi ſane vulgares, ſed ex illo Seraphico ſodalitio, qui dicuntur *Obſervantes*. Nam hi cum antehac in negotio *Lutherano* dormitarint, nunc neſcio cujus rei fiducia proſiliunt in aciem. Opinor Pontificem illis minatum, ſe reſciſſurum quicquid indulſit privilegiorum, ni ſe præbeant fortes viros. Sed ita rem gerunt multis locis, ut & Ordini Seraphico multum detrahant & auctoritatis & gratiæ, nec cauſam Eccleſiæ admodum juvent. Videntur enim magnam ſpem poſuiſſe in plurimorum hominum ſtultitia, qua freti fortiter contemnunt eruditorum & cordatorum paucitatem. In hoc ſapiunt, quod lingua potius quam calamo belligerantur. Scriptum inficiari difficile eſt: quanquam ſolent hoc quoque. Verum ſi quid dictum eſt, licet in publico, licet ſexcentis audientibus, & urgeat aliquis, ſtatim habent in promptu: non dixi, non iſta dixi. Si res ad teſtimonia redeat, multi favent, multi non meminerunt: & qui ſe putant meminiſſe, diverſe, ut fit, narrant audita. Poſtremo cum univerſo Ordine rem habet, qui cum uno ſodali litigat. Itaque nemo lubens ſe palam admiſcet talibus cõtroverſiis. Norunt multorum arcana, habent ſuos Corycæos in Principum aulis, in divitum familiis, habent ſua ſtratagemata myſtica, quibus ulciſcantur eos qui parum favent Ordini. Itaque a prudentibus viris timentur magis quam amantur: exiſtimant enim, nihil eſſe melius quam cum hoc hominum genere nihil prorſus habere commercii. Si digitum admittas in familiaritatem, totum corpus ingerunt: ſi deficias, aut lædas, mittis cuniculis moliuntur vindictam. Quid hîc commemorem quos tumultus excitarint primum in aula Cæſaris, deinde *Salamantica*, quoties palam ac publice vociferati ſint hæreticum & *Luthero* deteriorem *Eraſmum*? Cum Principes viderent illorum impotentiam cohiberi non poſſe, poſtularunt ut ſi quid haberent cognitione dignum apud legitimos judices proponerent, nec hujuſmodi ſeditioſis clamoribus turbarent *Hiſpaniam*. Datum eſt ſpatium ſatis amplum. Actum eſt negotium per ſeptem Ordines, ex quibus delecti ſunt eruditiſſimi quique. Atque interim adjuti ſunt cujuſdam pluſquam ſycophantico libello, qui totos ſeptem annos in hoc laboravit, ut ex omnibus libris meis excerperet quod poſſet ad calumniam detorqueri. Alioqui quando illi, pene dixeram, ventres tantum voluminum evolviſſent? cumque jam immenſam articulorum ſylvam obtuliſſent, ſed indigeſtam, in qua frequenter eadem iterarentur, juſſi ſunt a ſummo judice ſylvam in ordinem & compendium redigere, quo liceret rem cognoſcere. Factum eſt: hic venerabilis libellus exhibitus eſt publicitus. Cumque ab eodem judice diligenter eſſent admoniti, ut res citra convicia Chriſtiana moderatione tranſigeretur, tamen omnes tituli habent atrocem contumeliam. Addidere contumelioſam præfationem, nec uſquam temperant a conviciis, niſi forte convicium non eſt, *irridet beatam Virginem, damnat cultum Divorum, impie ſentit de Trinitate*, aliaque permulta, quibus hic religioſus ſcatet libellus, qui cum offeratur judici, tamen nuſquam non illi præjudicat præitque. Quis vel inimiciſſimus potuiſſet illorum inſcitiam malitiamque magis traducere quam faciunt ipſi? Et ob hujus præclaros articulos ſollicitatus eſt Cæſar, ſollicitati ſunt Archiepiſcopi, evocati ſunt trium Academiarum præcipui Theologi, indicta eſt Synodus, decantata eſt Miſſa de Spiritu Sancto, præſedit vir & imaginibus & eruditione & morum integritate clarus, *Alfonſus* Archiepiſcopus *Hiſpalenſis*, qui præfatus eſt rebus agendis, graviter admonens, ut etiam atque etiam temperaretur a tumultu & verborum petulantia. Qui defendebant, mo-

Digitized by Google

modeſtiſſime de laudibus meis præfati ſunt: at protinus a Monachis impotens tumultus exorſus eſt, ut nec Archiepiſcopi auctoritate ſedari potuerit: ſic enim decreverant vincere, cum intelligerent ſe cauſa multo inferiores. Atque eum quidem conventum peſtis diremit, in quo ſic rem geſſerunt Monachi, ut Præſul a renovanda Synodo libenter abſtineat. Jactabant enim ſe majorem errorum ſylvam collegiſſe, ſed audierunt, *ex unguibus leonem.* Jam, opinor, ad illos delatus erat *Beddæ* liber, quem in me pridem evomuit, quo ducentis annis nihil exiit ſtultius, malitioſius, indoctius, denique *Beddâ* dignius. Et poſt hæc queruntur me parum æquum Monachis. Prodeat ex omnibus quiſquam, ſive *Dominicanus*, ſive *Franciſcanus*, ſive quocunque titulo, quocunque cultu, cui me præbuerim minus amicum eo quod Monachus eſſet, niſi forte omnes ducunt pro hoſtibus qui tales calumnias non poſſunt æquo animo perpeti. Favores emerendi ſunt benefactis, non extorquendi malefactis. Si viveret *Dominicus* aut *Franciſcus*, non ad alium hæc deferrem quam ad illos, cum hos patres jactitent, a quorum moribus quam maxime degenerant. Quod de pluribus, non de omnibus dictum velim. Oremus Dominum, ut iſtis craſſis ventribus indat mentem aliquanto ſaniorem. Vale Lector.

CLARISSIMO D.

ALBERTO PIO

PRINCIPI CARPENSI

S. P.

CUM ingenii candor deceat illuſtri genere prognatos, & eximia felicitas neſciat invidere cuiquam, tum autem ab iis, qui te domeſtica conſuetudine penitus cognitum habent, prædicetur inſignis quædam naturæ tuæ benignitas, qua complecti ſoles etiam parum dignos tuo favore: demiror, quis genius inſtiget animum tuum in Eraſmum. *Quæſo, ut æquo animo feras libertatem noſtram. Fieri poteſt ut error ſit in nomine, neque me fugit, quam non ſit tutum rumoribus hujuſmodi credere. Quare te rogo, ut ſi quid eſt hujuſmodi exiſtimes hæc non tibi ſcribi. Complures, qui iſtinc huc veniunt, conſentientibus vocibus narrant,* Romæ *quemdam eſſe Principem* Carpenſem *doctum, magnæque apud purpuratos Patres auctoritatis, qui paſſim ac palam deprædicet,* Eraſmum *nec eſſe Philoſophum, nec Theologum, nec ullius ſolidæ doctrinæ. Idem ad me perſcribitur Epiſtolis multorum æque conſentientibus. Atque hactenus nihil commoveor, ſi quis ea de me prædicet, quæ ipſe tum dictis, tum ſcriptis ingenue profiteor, nullis magis indignans, quam his, qui me falſis & invidioſis laudibus onerant. Si me venditarem pro magno Theologo, aut Philoſopho, merito mihi detrahat aliquis leonis exuvium. Nunc cum nihil magni de me pollicens, præſtem id quod poſſum, nulli me præferens, neque cujuſquam officiens gloriæ, miror ſi quiſquam bene natus, & inſigni doctrina præditus, breviter, adeo felix, ut contemnere poſſit citius quam odiſſe vulgares iſtos doctrinæ ſimios, dignetur obtrectare* Eraſmo, *qui tui ſimiles ſemper venerari conſuevit & adorare: qui nec invidere novit æqualibus, qui inferiores gaudet quantum poteſt evehere. In argumentis, quæ mihi ſuſcepi, arbitror me non omnino infeliciter verſatum eſſe, præſertim ſi cogites me barbarum ea ſcripſiſſe barbaris. Nihil adhuc tractavi, quod Theologum requireret multa Philoſophia inſtructum, præterquam* Liberum Arbitrium, *quod a multis impoſitum, ægre ſuſceptum, quam potui, ſimpliciſſime tractavi, nec tamen impie, ni fallor, ſi parum erudite. Proinde quis, oro, fructus, ſi vir tantus perſuaſeris* Eraſmum *eſſe rudem heroïcarum diſciplinarum? Sunt hujus claſſis quam plurimi, qui tamen ſe jactant Doctores. His magis conveniebat detrahere perſonam, qui paſſim in Scholis docent adoleſcentes nihil ſcire, & perſuadent nihil neſcire. Jam facile fero, ſi quiſque pro ſuo arbitratu de ingenio litteriſque meis, aut eloquentia judicet. Magis me commovent illæ voces, quas audio ſubinde repeti ab eodem Principe in conviviis Cardinalium, in conciliabulis eruditorum,* quicquid eſt hujus tumultus, ex *Eraſmo* natum eſſe. *Hoc cum ſit vaniſſimum, quid dici potuerat hoſtilius ab eo cujus utrumque parentem veneno ſuſtuliſſem?*

Cum prodire cœpiſſet Lutheranæ *tragœdiæ proœmium, eique fere totus orbis applauderet, ego primus omnium dehortatus ſum amicos, ne ſe illi negotio admiſcerent, cujus exitum augurarer fore cruentum. Et quoniam quidam jactabant me cum* Luthero *ſentire, videlicet quo plures ad ſuam allicerent factionem, ego libellis editis profeſſus ſum mihi nihil eſſe rei cum* Luthero, *nec unquam fore; ipſum* Lutherum *admonui, rem Evangelicam ita tractaret, ne quid ambitioni, ne quid odio datum videretur, caveretque ne res in ſeditionem exiret.* Frobenium *minis etiam coërcui, ne quid excuderet* Lutheranum. *Abſtinuit ille, non abſque ſuo luculento damno, meo potius obtemperans animo, quam ſuo commodo ſerviens. Quotquot apud* Germanos *&* Elvetios *amant bonas litteras, initio erant* Luthero *addictiſſimi. Hos omnes ex juratis amicis mihi feci hoſtes acerrimos, paucis exceptis. Cumque hinc Theologi quidam odio bonarum litterarum nullum non moverent lapidem, quo me in factionem (ut ipſi putabant) jam jam damnandam protruderent, hinc* Lutherani *blanditiis, technis, denique minis & conviciis idem hoc agerent, licet conſilio diverſo quam Theologi, tamen hactenus digitum latum dimoveri non potui, ut ab Eccleſiæ Romanæ ſocietate diſcederem. Hunc animum non omnino contemneres, ſi noſſes tot regionum noſtratium animos, ſi Principum conſilia, ſi ſcires quos tumultus excitare potuiſſem, ſi me ducem hujus negotii voluiſſem profiteri, ſed ego malui me nudum & inermem utriuſque partis jaculis exponere, quam ullum porrigere digitum factioni, quam non agnoſcit Eccleſia Romana. Sed occaſionem* Lutherus *hauſit e libris meis: id fortiter negat ipſe* Lutherus, *qui eadem de me prædicat & ſcribit quæ Princeps ille* Carpenſis, *videlicet nihil me ſcire Theologiæ, quod nuſquam cum illius dogmatibus conſentiam: ſed fingamus aliquid hauſtum e lucubrationibus meis, quî magis iſtud imputetur mihi quam* Paulo *aut* Auguſtino, *unde ſua fere confirmat dogmata? Certe cum illa mea ſcriberem, nihil minus ſuſpicabar, quam hujuſcemodi tumultum*

Digitized by Google

exoriturum. Sunt qui dicant, cur non statim nascenti malo occurristi? Quia cum multis suspicabar, Lutherum *esse bonum virum, corrigendis depravatissimis hominum moribus divinitus missum, quanquam jam tum mihi displicebant quædam, de quibus illum admonui. Porro cum mundus esset plenus Academiis, videremque fabulam esse mire plausibilem, non vulgo tantum, sed etiam principibus Episcopis, ac nonnullis etiam Cardinalibus, quæ fuisset temeritas, me privatum homuncionem publico orbis favori oppedere. Quod si me pateris libere proloqui, qui fuerit hujus mali primus fons, dicam pro mea quidem sententia. Sacerdotum quorumdam palam impia vita, Theologorum quorumdam supercilium, Monachorum quorumdam non amplius ferenda tyrannis, huic tempestati locum fecit. Hoc velim ita dictum in malos, ut bonorum existimationem nihilo faciat deteriorem, & ita dictum in genere, ut Ordini nulli sit irrogata contumelia. Principio erat bellum cum Linguis ac Latinis litteris, his ego hactenus favi, ut admissæ ornarent juvarentque recepta studia, non ut veteres Professores de ponte, quod ajunt, dejicerent, & servirent gloriæ* Christi, *non ut veterem Paganismum nobis revocarent. Hîc cum ancipiti Marte decertaretur, res per Monachos detracta est ad negotium fidei. Hic illis placebat prætextus. Non dubito quin audita tibi sit* Reuchlinica *tragœdia. Hinc cœpit in illos incrudescere Doctorum odium. Mox fervente adhuc bello inter mystas & osores Musarum, exortus est* Lutherus. *Illico conati sunt illi litterarum politiorum cultores* Lutherano *negotio involvere, quo simul & illos perderent. Ita gradibus quibusdam res alterius partis semper in pejus vergentis pervicacia, tum alterius quorumdam odiis & intempestivis clamoribus hucusque progressa est tragœdia. Habes rem, ut est, absque fuco descriptam. Nunc si verum est, quod ad me delatum est, quæso, ut istam persuasionem abjicias, & istiusmodi voces mihi periculosas contineas: sin vanum est, ignosce, quod hujusmodi næniis obtuderim Celsitudinem tuam, cui precor omnia læta feliciaque. Datum* Basileæ *sexto Idus Octobris, Anno* M. D. XXV.

AD EXHORTATIONEM *CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE COMITIS* ALBERTI PII CARPORUM PRINCIPIS, DESIDERII ERASMI ROTERODAMI *RESPONSIO.*

UTinam fortuna mihi, *Alberte* Principum eruditissime, plausibilius aliquod ad te scribendi dedisset argumentum, quanquam hic ipse casus, etsi parum felix, non prorsus tamen infeliciter cessit, qui pro Epistola, nec admodum longa, & tam inelaborata rudique, justum volumen summo studio parique ingenio perpolitum reddidit. Cæterum an & illud mihi gratulari debeam nescio, quod pro litteris privatim ad unum scriptis liber est redditus, qui populo, non uni mihi, scriptus videtur. Id hac factum occasione crediderim, quod cum jam pridem haberes argumentum paratum adversus *Lutheri* sectam, mea provocatus Epistola, conjunxeris quorumdam de me querimonias cum *Lutheranorum* dogmatum confutatione, *duos*, ut ajunt, *parietes de eadem fidelia.* Nec enim libet hoc de viro tam claro, tam docto, tam humano, denique de *Alberto Pio* suspicari, quod eadem arte me negotio miscuerit *Lutherano*, qua Pseudotheologi quidam solent in concionibus & colloquiis meum nomen cum illius nomine conjungere, nimirum ad eum modum abutentes imperiti popelli simplicitate. Istorum videlicet artibus res ad hanc usque tempestatem progressa est, quæ, utinam vanus sim augur, brevi ad plures dimanabit, ni melioribus consiliis fuerit occursum. Quanquam autem pro ingenii tui dexteritate multa congeris atque insulcis, ut videaris ad hoc faciendum necessitate adductus, tamen, quod ipsa loquitur res, Epistolæ meæ tribus propemodum verbis responderi poterat, quæ nihil aliud abs te exigebat, quam ut poneres istam de me persuasionem, voceſque ut vanas ita mihi parum honorificas contineres, si quidem rumor verus huc advolasset; sin minus, putares eas litteras ad te scriptas non esse. Alius illud fortassis expostularet, quod Epistolam illam negligenter uni scriptam evulgaris orbi, easque voces, quas ut posthac contineres rogabam, non modo non continuisti, verum etiam multo atrocius per Typographos evulgasti, simul & inscitiam barbariemque meam traducens, & innocentiam in capitale crimen vocans. Nam de tota A censura, quam de ingenio, judicio, doctrina, facundiaque mea palam ferre dicebaris, apologiam omnem tibi remisi. Saltem illud erat curandum, ut Epistola sic excuderetur, quemadmodum ad te erat missa. Illic enim lego *penitus* pro *penitius*, *nostrarum* pro *nostratium*, *noscere* pro *nosses:* item *in nobis revocarent* pro *nobis revocarent*, *indignatus* pro *indignans*: rursus *hîc cœpit* pro *hinc cœpit:* mox *negotio se involvere* pro *negotio involvere*, quod studio cujuspiam depravatum videri queat, siquidem pronomen additum prorsus invertit sententiam: verum hæc scio Typographis imputanda potius quam tibi: quemadmodum & illud, quod cum universa capita sectæ *Lutheranæ* refellas, totus liber in paginarum frontispiciis habet, *ad* Erasmi *Epistolam Responsio*, quasi quicquid illic agitur, ad me pertineret. Nam quod *Badius* noster præfixit præfatiunculam, suo jure suoque more fecit, & ad te, ni fallor, nihil attinet, quanquam sunt in ea quoque voces, quæ vix respondent meo erga ipsum candori, in quibus est illud, quod me scribit apud Patres purpuratos male audisse: nunquam enim accepi quemquam Cardinalium de me parum amice loquutum. Certe multorum Epistolas habeo, honorificentissime scriptas, nec id unquam questus sum. Tum quod laudes, quas tuus candor præter omne meritum meum in me voluit effundere, sic interpretatur, quasi tua humanitas veram objurgationem hoc pacto voluerit mitigare. Et omnino verum est, quod *Paulus Petro restitit in faciem*, quemadmodum ille scribit, sed nusquam *Paulus Petro* calumniam impegit in faciem: quanquam Græci locum hunc aliquanto plausibilius, ac mea sententia rectius interpretantur, quam divus *Augustinus*, qui tribuit perversum studium inducendi Gentes in servitutem Legis. Deinde pronunciat etiam, quod probe me voces ad palinodiam. Verum negabis horum quicquam ad te pertinere, nec mihi consilium est ob hasce næniias humanissimo Principi ullum facessere negotium, ac vereor, ne tibi justior expostulandi causa videatur, quod cum ante annum, ni fallor, librum tuum ad me miseris, nulla tamen eum responsione dignatus sim. Cæterum id temporis iter in *Italiam* nullis hinc litteris erat pervium, ac non multo posteaquam tuum librum accepissem, *Romæ* ruentis fragor omnium certe piorum animos

Digitized by Google

mos hîc attonitos reddidit. De tę rumôr ferebatur incertus; alii narrabant cum *Clemente* VII. periclitari: rursus alii dicebant quod tempestiva fuga consuluisses & rebus & incolumitati tuæ. Ubi tamen locorum ageres, ne odor quidem ullus ad nos pervenit. Itaque cum aliis iniquis laboribus supra modum oneratus essem, visum est id operæ in aliud prorogare tempus, quoad certo didicissem, qui te locus haberet: id quod ante triduum denique cognovi, videlicet amici cujusdam litteris, qui simul codicem misit typis excusum. Id factum est 5. Id. Febr. cum ad mercatum *Francfordiensem* profectionem adornent Typographi octavo Cal. Martias. Ad respondendum itaque supererant dies decem, & eram sic occupatus, ut vix alias æque. Sub id tempus mire tumultuatur officina typographica, quæ sex prælis unico me suggerente materiam desudat. Angebar anceps animi, propterea quod verebar, ne, si distulissem respondendi officium, viderer id vel offensione quadam animi vel contemptu tui facere. Rursus deterrebat volumen plusquam justum, ac tempus adeo angustum, ut vix attente relegendis tuis suffecturum videretur. Verum animavit me ista tua singularis humanitas, ut vel ex tempore tuis litteris responderem, sed carptim, & ad ea duntaxat, quæ me propius attingerent. Tu pro tua solita facilitate boni consules.

Principio occupationum excusationem, qua uteris, sic arbitror mihi tecum esse communem, ut opiner te majoribus ac splendidioribus quidem occupari negotiis, me tamen densioribus ac molestioribus. Nam adversæ valetudinis excusationem summopere doleo tibi mecum esse communem. Erat enim istud, *Alberte*, ingenium, quod spretis omnibus oblectamentis, ad quæ solet imaginum claritas & opum facultas invitare, summam eloquentiam cum omnibus absoluta numeris eruditione conjunxit, dignum perpetua valetudinis prosperitate. Et haud scio, an non ipsum incommodum, de quo quereris, nonnulla ex parte debeas tuæ Minervæ. Mihi certe studiorum laboribus sic obruto, ut nec ægrotare liceat, nec mori, nec uti Medicorum opera: rursum valetudinis adeo afflictæ, ut subinde sit cum morte luctandum, vix tantum otii contingit aliquot mensibus, ut avidissimo licet vacaret tuum librum evolvere. Et jam nunc percurri verius quam perlegi. Primum hoc mihi credas velim, vir eximie, non pessimæ fidei homini, nihil enim dubitem jusjurandum quamlibet sanctum interponere, si tu postules. Approbationibus enim abstineo, ne, dum verbosius docere conor mihi nullum esse otium, hoc ipso declarem me otio abundare. Jam non exspectas, opinor, ut par pari referam, & volumen pensem volumine. Quod si maxime suppeteret otium, talia sunt pleraque quæ congeris, ut aut ad me nihil pertineant, aut seram habeant ac proinde sterilem querimoniam, aut ejus denique generis sint, ut nec agnoscere possim, nisi meo cum dedecore, nec refellere sine multorum offensione, & quod gravius est, sine causæ, cui pariter favemus, discrimine. Sic enim hisce temporibus exulcerata sunt omnia, ut, quocunque te vertas, sentias te incedere per ignes suppositos cineri doloso, quicquid attingas, vomicam & ulcus reperias, & sub omni lapide dormientem scorpium. Nonnulla vero sunt inspersa tuo volumini, quæ sicut *Romæ* pridem a multis, nunc ubique leguntur ab omnibus, ita, si prodirent in manus eorum, qui mea lustrarunt, quibusque omnis vitæ meæ ratio non incognita est, nomihil detractura videantur candoris istius & æquitatis existimationi, quæ te bonis omnibus facit amabilem, ut fortunæ splendor & eruditionis præstantia facit admirabilem. Equidem optabilius arbitror a multis amari, quam suspici. Alioqui cupiebam volumen tuum formis excusum volitare per manus omnium, si quos forte vel auctoritas ista, vel eruditio, vel eloquentia, vel candor & æquitas, qualis hactenus a nemine præstita est, revocaret ad sanctiora consilia. Videmus enim quantum exulcerarint quidam hoc malum, dum parum dextre conati sunt adhibere medicinam. Sed utinam ita temperasses stilum, ne meam causam cum negotio *Lutheri* commiscerres, & ita tibi solidam laudem ex impietatis confutatione parasses, ut nobis immerentibus non aliquid labis adspergeres.

Cum enim molestę feram cum *Luthero* laudari, longe molestius est cum illo accusari, & sic accusari, ut ego viam struxerim, ille in Ecclesiam irruperit. Quod tamen abs te nec studio nec malitiose factum scio, sed ita tuo candori, ut suspicor, persuasum est ab his, inter quos versaris. Solent enim ingenia simplicia candidaque, cujusmodi decet esse Principum, ut nemini dolum meditantur ipsa, ita de nemine facile suspicari, quo fit ut facilius ab aliis honesti specie fallantur. Neque enim animum inducere possum, vel tantum otii per tuas occupationes esse tibi, vel tantum patientis stomachi, viro semper exquisitissimis assueto rebus, ut nostras nænias vel evolvere vacaverit, ne dicam introspicere, si libuisset, vel libuerit, si vacasset. Multis enim nec futilibus argumentis videor mihi colligere, te nonnulla, quæ torques in me, non hausisse ex lucubrationibus meis, sed ex colloquiis hominum, qui plurimum absunt ab ingenii tui candore, quorum hoc studium est, ut per subornatas personas suam agant fabulam. Nec ulli, ut modo dicebam, magis idonei sunt fraudibus improborum, quam qui ob ingenii sinceritatem non noverunt ipsi cuiquam fraudem texere. Hujus rei non conjecturam, sed certissimum indicium ex malorum meorum experimentis capio, non semel in gravissimas conjectus turbas, dum aliorum mores ex meis æstimo. Atque hac in causa candor iste tuus, quo mihi laudis tantum tribuis, non dicam quantum agnoscam, sed quantum alius nemo tribuit eorum, qui meam mediocritatem, si tamen mediocritas est, ad invidiam aliorum meumque tædium laudibus extulerunt, adeo me non sublevat in hoc argumento, ut vehementer etiam oneret. Sic enim apud se cogitabit Lector. Vir tantus, tam in cæteros candidus, non hæc scriberet de *Erasmo*, nisi plus haberet compertum quam scribit. Hæc ne videar omnino sine causa scribere, pauca delibabo, sed paucis. Omittam interim amplissimas laudes, quas si mihi tribuis ex animo, hoc magis debeo tuo candori, quo minus agnosco: sin, quod magis arbitror, ut hoc ceu melle prælito lenires objurgationis absinthium, amplector humanitatis consilium: quanquam ego talia delinimenta nihil moror, jam nec puer, nec rerum humanarum prorsum imperitus, aut si malis stropharum istiusmodi rudis: etiamsi tu non absinthium porrigis, sed lethale toxicum ista sermonis blanda specie ceu vasculo gemmeo propinas. Siquidem hæc est tuæ suaviloquentiæ summa, ut *Lutherum* invidia subleves, orbique persuadeas, quicquid est hujus miserandæ calamitatis, uni *Erasmo* acceptum ferri oportere. Hoc cum sit atroeius, quam si veneficii crimen objicias, quid mea refert, quam blande id facias, nisi quod quo placidius id agis, hoc præsentius adfers venenum, quasi cicutam vino misceas. Itaque non dubito quin libertatis veniam, quam a me precatus es in amica privataque expostulatiuncula, sim abs te vicissim impetraturus in causa multo invidiosissima. Quanquam quid attinet impetrasse, qua non liceat uti? Qua quidem in re nondum statui, vir præclare, utrum gratulari debeam isti tuæ felicitati, an laudare prudentiam, qui fabulam per se gratiosam ita institueris agere, ut etiamsi parum feliciter agas, tamen applausurum sit theatrum. Nam *Romæ* pridem in tuo nimirum theatro libellum hunc expolist ac propemodum edidisti, eamdem fabulam denuo saltas *Lutetiæ*, ubi scis esse *Bedaïcos* aliquot & *Sutorios* ac Pseudomonachos, qui *utroque*, quod ajunt, *pollice* fauturi sunt, quicquid scripseris, modo in *Erasmum*: tum in eorum laude versaris, quos merito taxare tutum non sit, falso etiam laudare gratiosum. Nec augeri mihi clepsydras petam, cum hæc sint ex tempore peroranda. Non excutiam igitur quæ sint isthic quorumdam eruditorum de me censuræ, solus non credo, quod hîc quidam apud neminem non deprædicavit, nullo amici & inimici discrimine: pro summis habeo, quæ mihi doctorum hominum & litteris significantur, & oratione

Digitized by Google

referuntur, quid hic aut ille nominatim, quo loco, quo tempore, dixerit, quo modo alius detrahat eloquentiam, alius tribuens utcunque tolerabilem phrasim, in totum adimat judicium, alii me negant esse *Ciceronianum*, quod apud illos crimen est atrocius homicidio, nonnulli dum festivi volunt videri *porrophagum* & *Erasmum* appellitent pro *Erasmo*, quidam etiam ab orthodoxorum classe submoveant. Habeo libellos *Oreste* dignos, qui *Romæ* versabantur inter Secretarios Pontificios, nec mihi titulo est opus auctoris indice. Facies ipsa minus mihi proderet hominem quam phrasis. Boni consulo duos *Stunicæ* libellos non minus indoctos quam petulantes isthic editos in me, ac vetantibus etiam Pontificibus & Cardinalibus distractos. Nihil me movet quod ornatissimus juvenis *Georgius Sauromanus* suo libello, quem isthic edere parabat, coactus est dispungere quicquid habebat honorificam de *Erasmo* mentionem, cum tu interim litterariæ rei teneres principatum, atque adeo, si vera scribunt, tuus illa calamus jugularat. Non queror me fraudatum laudibus, quæ nihil aliud quam gravant invidia, officium erat illa dispunxisse, sed animum expendo illorum qui id perpeti non possunt, quanquam & hoc istis facile condono, qui tamen haud impune facerent, nisi totus in hoc essem, ut jam vicinus extremo vitæ limiti, contemptis omnibus, conscientiam hanc approbem *Christo*. Multa dissimulanda sunt alio properanti. Scio more hominum fieri, ut libentius nuncient tristia quam læta, nec quisquam minus libenter credit hujusmodi rumoribus. Verum in his erat juvenis quidam, ut tibi charissimus, ita tuæ eruditionis admirator unicus. Præterea alter tibi juratissimus sodalis, cum ante annos septem Pontificis causam apud nostrates ageret, effutiit apud me, nam hoc habet bonum præcipuum, quod nihil continet, esse *Romæ* quemdam Cæsaris Oratorem, qui hostili esset in me animo. Atque id quidem temporis, nec te sciebam esse *Romæ*, nec audieram Cæsaris negotia procurare. Non edidit quidem ille nomen, editurus si quid institissem, sed ex notis, quas effutiit, & ex iis, quæ postea cognovi, certo collegi te esse illum, de quo locutus erat. Verum hîc ipse mihi soleo libenter imponere, ut quod sciam nesciam, usque adeo non placet cum eruditis viris dissidium.

Candorem tuum probo, quod tam amanter *Stunicam* tuum deprædicas, quanquam illa, homo candidi ingenii, & homo minime invidus, nec *Hispanos* arbitror sine risu lecturos, qui modo libros illius legerint, fumis, gloriis, & manifestis calumniis refertos. Quod ad Religionem attinet, tria duntaxat loca vocavit ad calumniam, sed quod ipsa res indicat, nec religiose nec erudite. Verum ego *Stunicæ* laudibus nihil detraham, nec ea Camarina per me rursus movebitur, imo quod ad me quidem attinet, paratus sum per sinceram amnestiam, prorsus abolitis superiorum contentionum vestigiis, Christianæ benevolentiæ fœdus cum homine ferire. Tantum hoc dicam, si non attigisset, nisi quæ vere merebantur reprehensionem, aut si semet intra civilitatem continuisset, dignam cum studiis liberalibus, tum homine Christiano, quemadmodum nunc apud omnes famam celeberrimam est assequutus, ita tum apud cordatissimos ac probatissimos quosque plus vetæ laudis tulisset. Atque hîc interim dum caveo, ne qua pristinæ contentionis ulcus refricem, nonnullam meæ causæ partem sciens ac volens prodo. Nam cum tu mihi renoves, quæ ille pridem in me jaculatus est, tamen dissimulas quæ illi responderim: sive quia judicaris nullius esse momenti, sive, quod magis arbitror, ea non legeris. Quod quidem incommodum tota hac disputatione devorandum erit. Etenim cum nihil sit in accusationis tuæ capitibus, quod non libris editis semel atque iterum diluerim, tu sic proponis, quasi nihil omnino responsum esset. Atqui tui candoris erat, aut recipere satisfactionem, si justa videbatur, aut refellere, si quid minus probares. Quod si hîc repetere pergam, quæ toties diversis locis a me dicta sunt, quis erit modus voluminis? Sin reticeo, videbor agnoscere quicquid intendis, præsertim apud eos, qui nostra non attingunt.

A Nulli porro minus attingunt, quam qui clamosissime in mea scripta debacchantur. Verum priusquam ad quorumdam insimulationes respondeam, imitabor illud sapientis dictum, *Justus in principio sermonis accusator est sui*: profiteor me non uno modo peccasse in edendis lucubrationibus meis. Prima culpa plane mea est, quicquid edo, abortus verius est quam partus. Hoc vitium mihi penitus insitum est. Non fero recognoscendi tædium, non premendi moram, non elimandi quod deformatum est diligentiam. Atque hujus culpæ toties ipse mihi pœnas haudquaquam leves do, majore tædio relambens ac refingens mea, quam si initio justam curam adhibuissem. B Altera culpa mihi communis est cum amicis, qui mea facilitate nonnunquam sunt abusi, protrudentes ad suscipiendum argumentum, ad quod tractandum non eram natura compositus, aut quod ejus generis esset, ut satius fuerit non tractare. Id usu venit primum in *Moria*, mox in vertendo Novo Testamento, quanquam posterius hoc optimi quique suis calculis approbant, nimirum intelligentes hoc laboris fuisse necessarium ad intelligendos Græcorum commentarios, quorum omnium lectio discrepat ab hac nostra, quæ vulgo fertur. Idem ab *Hispanis* factum est in Veteri Testamento, minore cum invidia, sed quod gaudeo majore studiorum fructu. His rebus factum est, C ut multa scripserim potiusquam feliciter. Atque ut fateor quædam a me facta scriptaque, quæ nec facturus eram nec scripturus, si seculum hoc exoriturum divinare potuissem: ita testor, animum hunc a novandarum rerum studio concitandisque tumultibus semper abhorruisse, quemadmodum & nunc abhorret, speroque fore ut hujus mentis nunquam me pœniteat.

Tantum præfatus, veniam ad hominum querimonias, quas tu placide quidem refers, sed ita tamen ut in eadem esse sententia videaris. Primum asseveras me hujus tumultus occasionem dedisse, tametsi causæ datæ gratiam facis. Verum *improbis*, juxta Græcorum proverbium, *præter occasionem nihil deest*. Hanc si rapiunt e Divinis Litteris, si ex veterum orthodoxorum libris, non mirum si rapuerunt ex meis lucubrationibus, & id quod ad corrigendos D mores recte dictum erat, detorquent ad tumultum. Hinc orsus, addis in hoc consentire cunctos, utcumque variantes in cæteris, *Lutheranos* ex meis fontibus hausisse, quo sua pullulantia venena irrigarent, vel ex meis potius hortis letalia semina collegisse. *Tam multa*, inquis, *consentiunt in placitis utriusque, ut aut* Lutherus *videatur Erasmizare, aut* Erasmus *Lutherizare*. Ego fortasse mearum lucubrationum cæcus sum judex, *nec enim ejusdem est*, juxta *Socratem*, *parere, & de partu edito ferre judicium*, attamen mea relegens, ut quædam offendo quæ displicent, ita nullum invenio dogma, quod cum improbatis *Lutheri* decretis consentiat, sed innumera quæ palam ab illius dogmatibus dissentiunt. Hoc tam evidens est, ut vere tangi, quod dici solet, digitis, pedibusque sentiri possit. E Quid autem isto proverbio stultius, quod inter Pseudomonachorum pocula natum est, ἡ Ἐρασμὸς λυθηρίζει, ἢ Λυθῆρος ἐρασμίζει. Dignum vero quod abs te claro juxta ac docto viro recineretur. Sic *Lutherissat Erasmus*, ut coccyssat luscinia. Sed age patiar mihi eximi oculos in meis scriptis, qui fit, ut cum undique complures exstiterint, qui summa contentione tentarent ostendere me cum *Luthero* consentire, nullus adhuc potuerit demonstrare, mihi vel in uno dogmate, de improbatis loquor, cum illo convenire? Quod si fuisset, an putas hoc fuisse tacituros *Lutheranos*, aut ipsum etiam *Lutherum*, qui quanta violentia feratur in me, declarat, ut nihil aliud, illius *Servum Arbitrium*. F Et qui sunt isti qui prædicant consentire nos in tam multis placitis? Ex tam multis sycophantis nullus adhuc exstitit, qui vel unius dogmatis consensum potuerit approbare. Scilicet prosiliit nuper cum suis conjuratis aliquot *Bedda Parisiensis* Theologus, homo, quod res indicat, adeo nullius judicii, ut careat etiam sensu communi, quid effecit tot arte recensendis erroribus, nisi ut suam traduceret stupiditatem cum insano calumniandi studio conjunctam? Si licet bene dicta ad pravum intellectum detorquere, si omnem sententiæ vicinitatem in suspicionem trahere, plura sunt in *Hieronymi*, *Augustini*, atque adeo *Pauli* litteris, quam in meis. Itaque impudentissime

Digitized by Google

sime mentiuntur, qui jactitant *Lutherum* ac me non diversa scribere, sed diverse. Sed attigi quædam, inquis, velut in dubium revocans, de quibus dubitare nefas. Attigi, non ut ista labefactarem, sed ut eruditiores solidioribus argumentis comprobarent, quæ nondum videbantur ad plenum esse persuasa. Atque illa mea qualiacunque, tranquillis studiis, nullo rerum tumultu, legebantur, donec stolidi quidam κραγέται apud imperitam multitudinem vociferari cœpissent, quorum seditiosos juxta ac dementes clamores si tibi pergam hîc depingere, vix mihi fidem habiturus sis, tanta portenta latere inter eos, qui splendidis magnificisque titulis sese populo venditant. Qui tamen non in aliud promoverunt, nisi quod se cordatis ac doctis viris reddiderint magis ac magis invisos, quosdam etiam idiotas mihi conciliarint, quibus ante fueram vel ignotus vel parum charus, sic existimantes, fieri non posse, quin vir bonus esset, in quem illa tam stulte, tam impotenter, tam furiose deblaterarent. At initio, inquis, non fuit ingrata temeritas. Ego, priusquam illius libelli prodirent, summo studio dehortatus sum amicos, ne se miscerent illi negotio, & apud multos profeci. Nec hoc contentus, illico scriptis publicatis testatus sum, nihil mihi esse negotii cum *Luthero*. Quotquot *Lovanii* agentem adierant me *Germani*, quos nunc intelligo jam tunc hoc agitasse quod nunc agunt, sic dimisi, ut facile sentirent animum meum penitus abhorrere ab hoc negotio. Primus omnium subodoratus sum ambitione corruptum hominis animum. Qua de re, quoniam adhuc sanabilem arbitrabar, ipsum admonui, sed tamen ipsius provocatus litteris. Hæc nimirum sunt argumenta, mihi placuisse hominis, ut ais, temeritatem. Atqui initio, quam tu temeritatem appellas, plerique vocabant pietatem. In hac opinione si fuissem, cur ego potius accuser quam cæteri? Ignovit illis *Leo* decimus, qui primum in *Lutheri* factionem erant pertracti. Nunc actio *Lutheri* mihi nunquam placuit: fabula, quam agi putabam, non omnino displicuit, sed is error erat mihi cum tot hominum millibus, cum tot utriusque status primoribus, communis. Mores Ecclesiæ nimium prolapsos jam olim suspirabat orbis, neque quisquam usquam erat vir pius, qui non optaret Christianæ pietatis instaurationem. *Sed calamum*, inquis, *in illum noluisti stringere*. Scilicet totus orbis mei calami nutu mutasset animum. Et hîc fingor eloquentia singulari, ingenio summo, doctrina mirabili, gratia & auctoritate incredibili præditus apud *Germanos*, videlicet nusquam laudatus, nisi dum gravor invidia. Primum obsecro te, vir æquissime, quæ fuisset temeritas, cum orbis tot haberet Academias, tot eximios Theologos, tot eruditos Episcopos, si ego privatus, tum totius rei Theologicæ rudis, sic enim illi pronunciant, velut alter *David* prosilissem lacessiturus *Goliath* ad singulare certamen, ac totius pene orbis fremitum in meum caput provocassem? Sed finge me hoc facinus ausurum, quod illud fuisset consilium, stringere ferrum in eum, de quo certe dubitabam, quid ageret, aut quo spiritu duceretur? Rursum finge mihi constitisse, quid eram profecturus? Profecto nihil aliud, nisi quod effeci edita diatriba, in planiciem, ut ajunt, equum, excitavi ferox ingenium ad sua confirmanda dogmata, & illi vehementer addictis triumphum renovavi. Quid profecit *Prieras* ille vestras? Tantum videlicet, ut impositum sit illi *Romæ* silentium. Silebat Academia *Lutetiana*, & *Erasmus* pronunciasset in *Lutherum*? Eram tum fateor utcumque gratiosus apud studiosorum populum: auctoritas vero quæ tandem esse mea potuit homini non solum privato, sed omnibus modis humili? Verum finge fuisse nonnullam, an huic cessissent illi, qui nec Academiarum, nec Pontificum, nec Cæsaris auctoritati tantillum cesserunt? Jam ad hoc negotii non perinde conducebat eloquentia, si tamen est ulla mea, ut rei Theologicæ cognitio. Si vafritiei tribuis, quod hujus peritiam in me extenuem, objiciam tibi gravissimum auctorem *Stunicam*, cujus auctoritatem effugere non potes, postea quam hominem ornasti tam magnifico testimonio. Possum & ex sodalitate Romana multos objicere, qui vix mihi tribuunt sensum hominis. Nunc quo graver invidia, Deum immortalem! ex quantula musca quantus fio repente elephantus. Itane nullus erat qui in tanto orbis tumultu objiceretur aleæ Martis, nisi *Erasmus*? Quanto felicius tu prodisses, *Alberte*, præter ornamenta fortunæ, præter auctoritatem, præter gloriam nulla invidia contaminatam, tam recondita Philosophiæ ac Theologiæ peritia, tanta etiam facundia, tanta moderatione præditus? Hac certe via felicius innotuisses orbi, quam recensendis aliorum de *Erasmo* querimoniis. Sed ubi quæso sunt isti quos memoras, tam sagaces mearum lucubrationum expensores, qui conferre norunt dicta dictis, priora prioribus, verba verbis, syllabas syllabis? De *Leo* & *Stunica* nihil dicam, quibus cum mihi, si patiantur, pacem esse cupio, si id nimium est, saltem inducias, lege libellum *de Racha*, & videbis unius expensoris præclarum exemplum. Nec dubito quin legeris, lege furiosas *Bedda* censuras, & perspicies cujusmodi sint expensores. Quod si te piget illa legere, noli, vir optime, mihi movere invidiam commemorandis, ne dicam comprobandis, talium suspicionibus. Hîc si tibi commemorem, quæ censores isti in concionibus, in publicis prælectionibus, in conviviis, in conciliabulis, in scholis, in privatis colloquiis effutierint, plane diceres illud e proverbiis, ὗς ἔκρινεν. Et tamen hi sunt, quibus potissimum displicent mea scripta. Inter tales quoniam tu ob similitudinem studiorum assidue, ut opinor, versaris, fortasse non in tempore dixerim illud e Comœdia, *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, sed tamen insignem illum naturæ tuæ candorem nonnihil offuscant colloquia maligna.

Addis catalogum peccatorum meorum. Multa, ut ais, leguntur in meis, quæ tam male sonent, quæ in dubium revocent jam olim definita, quæ auctoritatem adimant sacramentis, Patrum sanctionibus, Pontificis maximi dignitati, Sacerdotum honori obstrepant, sacras ceremonias parum revereantur, Monachos infectentur, professiones illorum derideant, consuetudines optimas damnent. Miror *Albertum* hæc tam manifestæ vanitatis vel referre posse? Nam persuasum habeo hæc tuo quidem calamo, sed aliorum animo scribi. Poteram uno responso refellere universa, si dicerem, quod verissime dicere poteram, hæc omnia esse splendida mendacia. Cæterum ut ad singula tribus verbis respondeam: Si quid in dubium revocavi, aut tale fuit, ut nondum videretur satis excussum, aut de quo non extaret Ecclesiæ definitio, id si quando facio, testor ingenue, me nolle præjudicare usquam Ecclesiæ placitis. Ecclesiæ sacramentis ne tantulum quidem auctoritatis detraxi, sed addidi nonnihil, quod quidem in me fuit. Quas vero tu Patrum sanctiones appelles nescio. Ecclesiæ constitutionibus tribui quod satis est, nisi forte parum illis tribuit qui non æquat illas præceptis divinis. De Pontificis dignitate mox dicam. Si obstrepit Sacerdotum honori, qui per occasionem admonet eos officii, fateor, obstrepo nonnunquam, sed hic strepitus est mihi cum *Hieronymo*, cum *Cypriano*, cum *Chrysostomo*, cum *Bernardo* communis. Sed quorsum attinet a Priscis adsciscere patrocinium, cum tu in hoc tuo libello multa libere dicas in Sacerdotes, Theologos, ac Monachos, nihilo secius ipsam professionem summopere probans? Cur autem tractantur Divinæ Litteræ, nisi ut obstrepant malis omnium moribus? Nec verearis improbare quasdam receptas in Ecclesiam ceremonias, veluti cantum præfractum, ut vocas, & organorum strepitum. Nihil detraxi dignitati Sacerdotum, sed isti fortassis alio gnomone metiuntur Sacerdotum dignitatem, quam ego metior. Ecclesiasticas ceremonias semper veneratus sum, immodicas, superstitiosas, & ineptas alicubi taxo: taxo illos, quorum mundus est plenus, qui neglecta vera pietate fidunt ceremoniis, sacris quidem illis, sed in hoc repertis, ut hinc proficiamus ad meliora. Profer mihi unum Monachum, quem ut Monachum sum insectatus. Nullos ego magis veneror, nec inter ullos magis liberet vivere, quam inter eos qui vere mortui mundo vivunt secundum regulam Evangelicam, nisi hæc corporis imbecillitas redderet me ad omnem hominum convictum inutilem. Si quando moneo adolescentes, ne se temere præcipitent in vitæ genus ignotum, ipsi interim ignoti sibi, si taxo Monachos, qui circumeunt mare & aridam, ut artibus rudem ætatem pelliciant

in

in naſſam, ſi commonſtro quibus in rebus ſita ſit vera Religio, an ob id inſector Monachos? Nec Ordinem, nec profeſſionem uſquam inſector, cum Collegiis, in quibus viget regularis diſciplina, mihi ſemper fuit amicitia, & ut quiſque Monachus integerrimus eſt, ita mihi ſemper fuit chariſſimus. Et iſtorum, qui ſe traducunt in dies magis ac magis, non raro me miſeret. Quod ſi mundi favor in quoſdam refrixit, ſuis factis imputent, non meis ſcriptis. Quas autem optimas conſuetudines damno? niſi forte iſti vocant optimum quicquid eſt vulgo receptum. Ad hæc omnia cum & aliis compluribus & *Stunicæ* reſponderim, tu tamen ea recenſens, perinde quaſi nihil reſponſum eſſet, occinis nobis veterem querimoniam. Proferuntur ſcilicet Epiſtolæ, in quibus *Lutherum* vel laudo, vel tam remiſſe tracto, ut multis videar ἐπαμφοτερίζειν, tametſi videor improbare tumultum. Quid mirum, ſi, cum res adhuc in ancipiti ſtaret, ſuſpenſe loquor? An ille protinus colludit cum *Ario*, qui probat hominis ingenium & Scripturarum peritiam? Contentioſas opiniones in *Luthero* nunquam probavi, nec joco, nec ſerio. Fortaſſis ea fuit vel tua felicitas, vel mea infelicitas, ut ſolæ Epiſtolæ, quæ ad calumniam faciunt, delatæ ſint ad manus tuas, ſed diverſæ perferuntur ad *Lutheranos*. Ita tibi ut videtur uſu venit in ſcriptis meis, quod prudenter ſimul & graviter ipſe ſcribis, vulgo fieri, ut quæ deteriora ſunt deferantur ad nos, meliora ſileantur. Cum tot locis quæ juſta ſunt deferam auctoritati Eccleſiæ, ſacramentis, Patrum ſanctionibus, piis Sacerdotibus, ſacris ceremoniis, vero nomine Monachis, optimis conſuetudinibus, idque tam frequenter, ut, ſi velim omnia in unum colligere, naſciturum ſit ingens volumen, nihil tamen horum ad te defertur, aut occurrit, ſed tantum ea, quæ poſſunt ad calumniam detorqueri. Jam finge me ſcribere privatim ad Principem, quem ſcio toto pectore favere *Luthero*, an non moderandus eſt ſermo, ut impetrem quod ago, ſi modo id quod ago pertinet ad Religionem Chriſtianam? Si is tibi videtur ἐπαμφοτερίζειν, aut, quod verbum poſt magis arriſit tibi, ἀμφισβητεῖν, qui non dimovens oculos a ſcopo pietatis Evangelicæ, in utraque parte probat quod probandum eſt, damnat quod improbandum, fateor me & nunc ἐπαμφοτερίζειν, & tamen ab Eccleſiæ communione nec latum digitum diſceſſi, nec ulli me factioni unquam addixi, quanquam innumeris machinis huc protruſus. Itaque plane vanum eſt, me nihil in *Luthero* damnare, præter ſeditionem? Sed ut demus eſſe verum, an tibi videtur leve malum deteſtari, qui deteſtatur ſeditionem? Quantum mundani ſpiritus jam pridem irrepſit in Eccleſiam, quam multa ſunt, ad quæ jam pridem ſuſpirant homines, quibus *Chriſti* gloria chara eſt, quam pene fuit exſtincta ſcintilla vigoris Evangelici? Et impius eſt qui hæc correcta vellet, ſed auctoritate Principum & Pontificum, ne res in tumultum verſa cedat in deterius. Non ille *Metius* eſt, qui nunquam diſcedit a recto, ſed is potius, qui *Chriſto* titulis ac ceremoniis blanditur, re vera mundo ſervit. Quod ſi videmus eam eſſe conditionem rerum humanarum, ut ſemper in deterius prolabantur, τῇ πρώκτῃ, quod ajunt, περιγινομένῃ, curſu quodam & impetu ſuo, etiam quæ ſunt optimis inſtituta rationibus, ad peſſimos mores pertrahentes, obſecro te, ad quid valent Sacræ Litteræ, ſi non licebit per eas ad extrema degenerantem pietatem ad archetypum revocare? Quid erit lux, ſi ponatur ſub modium? Quid erit ſal, ſi nihil habeat acrimoniæ? Tollamus e medio Sacras Litteras, & concordes hilareſque compotemus, & abolito *Chriſto* fruamur hoc mundo dum licet. Hoc quid ſit, non omnes intelligunt. Sunt enim non iſthic ſolum, verum etiam in omnibus mundi plagis, qui Chriſtianiſmum aliquot ceremoniis metientes, nihil aliud quam mundum ſpectant, nec unquam ſerio de *Chriſti* Philoſophia cogitarunt. Nec jam ea res clam habetur, eo proficit impietas, ut ſemet in apertum proferat, hinc manifeſtum Judaïſmum referens, hinc evidentem Paganiſmum, adeo pleriſque deſuetis ſtudio pietatis, ut ſucum etiam pietatis abjecerint. Arbitror te virum eruditum, bonum, ac prudentem intelligere quid hîc dicam, quid premam, publicæ tranquillitatis cauſæ meæ detrimento ſerviens. Non omnes qui *Romam* ſe conferunt, agunt Religionis negotium, nec omnes *Chriſti* negotium agunt, qui *Lutherum* appellant peſtilentem beſtiam. Et quî ſcimus an talem beſtiam corrigendis moribus noſtris immiſerit Deus? Hæc eo minore ſuſpicione loquor, quod is in neminem immanior beſtia fuerit, quam in me. Et adhuc tamen cum illo videor colludere, & cum tali beſtia depugnantem e tranſverſo adoriuntur *Sutores* & *Beddæ*, nimirum Religionis zelo commoti. *Sero*, inquis, *proſiliſti ad pugnam*. Utinam iſtud crimen vere in me hæreat. At ego vereor ne ante tempus, ni aliis præſidiis agamus *Chriſti* negotium, quam adhuc agi video. Multa reticeo, ne quid ulceris rebus ad hunc modum exaſperatis renovem. Iſto nomine in jus voca Theologos *Lutetianos*, qui ſero prodiderunt articulos, nec aliud quam articulos. An quiſquis non ſtrinxit calamum in *Lutherum*, *Lutheranus* eſt? Et ipſe abſtinui, & alios deterrui a factione. Quid erat neceſſe me ſcribere in *Lutherum*, in quem primus omnium ſcripſit *Prieras* ſacri palatii Magiſter, quam feliciter, ipſe non ignoras. Nulli magis adjuverunt cauſam *Lutheri*, quam qui vel ſtolide clamarunt, vel frigide ſcripſerunt in *Lutherum*. Quis autem injunxit mihi provinciam conſerendi manus cum *Luthero*? Solus *Nicolaus Egmondanus*, ubi coram Gymnaſiarcha *Lovanii*, quantum collibuit, vitiorum in me deblateraſſet, hiſce verbis invitat me ad hoc negotium: *Conſcripſiſti pro* Luthero, *ſcribe nunc contra* Lutherum. Bella conditio! ut me profiterer feciſſe quod nunquam inciderat in animum, deinde ſcribendo pœnas darem. Jamque volitabant Monachorum voces, *Committemus* Eraſmum *cum* Luthero, *deinde perdemus utrumque*. Quis non miretur, *Eraſmum* talibus blandimentis non potuiſſe pellici ad ſcribendum adverſus *Lutherum*? Jam qui cenſorium diploma detulit, illico ſpargebat has voces apud ſuos, *Nihil egerimus niſi prius exſtincto* Eraſmo. Conſtanter fugit meum colloquium, ſubornatis tamen, qui, quid de ipſo ſeu *Lutheri* negotio ſentirem, explorarent. Et certe nihil ab eo tentatum non eſt, ut me perderet. Atqui longe aliud in mandatis habebat a *Leone* decimo.

Sed recte facis, qui tandem deſcendas nominatim ad quædam, quibus infirmioribus plurimum obfuerim ad pietatem, quanquam quos tu quidem infirmos appelles neſcio, niſi forte *Stunicam* & *Beddam* inter infirmos numeras, aut certe *Lutherum*. Nam hos potiſſimum offendi. *Quorſum attinebat*, inquis, *annotare priſco tempore non fuiſſe agnitam aut exertam maximi Pontificis poteſtatem*? Damaſum *Papam*, *ſummum Sacerdotem dictum fuiſſe*, *non ſummum Epiſcopum*, Auguſtinum *ſcripſiſſe Epiſcopo Romano*, *& perinde* Hieronymum *ut æquali cæteris Epiſcopis*, *multis prætermiſſis quæ in oppoſitum ab iiſdem ſcribuntur* &c. Hîc rurſum, vir ornatiſſime, quæſo, ut patienter audias quod verum eſt, cogor vel deſiderare candorem in te, vel ſuſpicari, tibi noſtra non eſſe lecta. Cum enim ad id quod objicis ſatis, ut opinor, reſponderim tum *Stunicæ* tum aliis ſycophantis, tu perinde refers, quaſi nihil omnino ſit reſponſum. Ego, ut locus incidebat, annotavi, non in unam partem tantum, ſed & in diverſam, quorum alterum excerpis ad calumniam, alterum factum negas: nec id ulla in Romanum Pontificem malevolentia factum eſt a me, ſed quo de hac re diſputantibus cogitandi materiam ſuppeditarem, & diluendi quod offendebat præberem occaſionem. Imo plura ſunt in meis loca, quæ tuentur ſummi Pontificis auctoritatem, quam quæ vocant aliquid in dubitationem: tum in Editione poſteriore ſi quid erat ejus generis, ut poſſet infirmum, vel, ut melius dicam, plus ſatis firmum offendere, vel ſuſtuli vel mitigavi. Verum quæ faciebant ad calumniam, ea tantum ad te delata video, ſed diverſa vidit *Joannes Eckius*, qui ex iiſdem Annotationibus citat meum teſtimonium pro tuenda ſummi Pontificis dignitate. Quanquam id, ut dixi, a me non

uno

uno in loco factum est, & alioqui tot scriptis tribuo Romano Pontifici totius Ecclesiæ primatum, frementibus cunctis, qui Romano Pontifici male volunt. Quæ tanta judiciorum perversitas, alteris dicor labefactare Pontificis auctoritatem, alteris dicor adulari. An non a multis disputatum est & quotidie disputatur de potestate summi Pontificis? An non hic in quibusdam Transalpini Theologi a Cisalpinis dissentiunt? Nonne *Occam* aliquando vellicat Romani Pontificis auctoritatem? Nonne idem facit aliquoties *Joannes Gerson*, ne quid dicam de *Bernardo*? Nonne pridem Cardinalis *Cajetani* libello respondit quidam e *Sorbona* Theologus? Neque tot seculis convulsa est Romani Pontificis dignitas: & tantum valuerunt decem *Erasmi* verba, non asserentis, sed obiter indicantis locum in Auctoribus excutiendum, ut totus mundus insurgeret in Pontificem, neque quicquam e diverso valuerunt tam multa, quibus constanter & reverenter assero Romano Pontifici suam dignitatem? Hæc isti quidem dissimulant, at ea non fugiunt *Lutheranos*, apud quos hoc nomine pessime audio lapidorque conviciis, velut assentans hosti Ecclesiæ, sic enim illi vocant, quem nos appellamus Ecclesiæ principem. Jam cum constet ex Veterum monumentis Romano Pontifici non usurpatam fuisse potestatem, quam nunc usurpat, qui distinguit traditam potestatem ab exerta, utrum labefactat Pontificis auctoritatem, an stabilit potius? Nimirum stabilit, indicans viam, qua possint illa refelli. Quod si agnitæ & exertæ voces offendunt aures, iisdem usus est Cardinalis *Cajetanus* in postremo libello, quo defendit Pontificiam majestatem, cur mihi vitio vertitur, quod in illo laudatur? Ego apud *Lutheranos* non alio nomine pejus audio, quam quod ubique sartam tectam volo Pontificis auctoritatem. Et utinam omnes Romani Pontifices tam metirentur suam dignitatem iis rebus quibus oportet, quam ego illius auctoritati nihil detractum volo. Videant autem ne qui dignitatem illius tantum æstimant ac tuentur hujus mundi præsidiis, pejus illi consulant, iis qui palam incessunt. In me compertum habeo, nullum hostem plus adferre mali, quam amicum imprudenter ac sinistre diligentem. Plus invidiæ conflavit Pontificio nomini *Cajetani* libellus, nimis officiose scriptus, quam *Lutheri* convicia. Nec parum offecit ejus opinioni διπλωματοφόρος ille, tam insolenter se gerens, doctis ac magnis etiam minitans, & omnia suis fumis complens. Dixit apud me, *Pontifex Romanus tot Duces, tot Comites sæpe dejecit, facile dejiciet tres pediculosos Grammatistas.* Idem alias dixit, *Pontifex potest dicere Cæsari* Carolo, *Tu es cerdo.* Utrum hoc est tueri Pontificii nominis dignitatem, an sinistre prædicando in odium pertrahere? Hujus Collega dixit apud me, *Bene inveniemus illum Ducem* Federicum: idque prorsus eo vultu, quo solent tetrici litteratores pueris minari virgas. Habenda ratio dignitatis Pontificiæ, quis negat? Sed non minor habenda est ratio gregis, pro quo *Christus* effudit sanguinem. Auctoritatis, dignitatis, dominii, principatus plena sunt omnia. Sed mundus interim eget pastoribus, contabescit jejunio verbi Dei, errant homines velut oves palabundæ, quia non habent qui præluceant piæ vitæ exemplis, qui e Divinis Litteris erudiant, admoneant, increpent, hortentur, consolentur. An credis nos nescire qualem populum habeat *Italia*? de vulgo loquor, satis pium habitura, si Sacerdotes sui muneris meminissent. De nostris nimium habemus compertum. Quid est in causa? Nempe quia Sacerdotes quidvis agunt potius quam quod oportet, templa muta sunt, raris etiam sacrificiis, ut de vita sileam. Grex Domini, qui deglubant, qui mactent, habet, qui pascant, qui foveant, non habet, aut certe pauciſſimos. Hæc istis querulis non magnopere curæ sunt. Sed alius supputat quanto minus redeat ex decimis aut indulgentiis, alius quantum decedat emolumentis ex dispensationibus, annatis, confirmationibus, privilegiis, exceptionibus, litibus, officiis, feudis, aliisque similibus, ex quibus accrescere solent Episcoporum census ac dignitas. Quæ tamen ego nunquam invidi Sacerdotibus. Debetur illis honos, & victus ad dignitatem sufficiens, non ad luxum exuberans, sed optarim illos non minus meminisse quid ipsi debeant populo, quam quid populus debeat ipsis. Hæc si facerent, sentirent, ni fallor, orbis favorem in ipsos recalescere. Nam auctoritas non aliis defensa præsidiis quam minis ac suppliciis, quam diuturna stabilisque futura sit, nescio: Et hîc parum candide me pertrahis in causam, in qua nec obticescere mihi commodum est, nec respondere tutum. Sed obsecro te, nonne præclaras causas adferunt isti, quibus doceant me totius hujus tumultus fuisse auctorem? quoniam memini nondum exertæ potestatis, quoniam annotavi Romanos Pontifices olim aliis titulis appellatos quam nunc appellantur. Quanquam in his nihil est, quod ex diametro pugnet cum his, quæ tu recitas in summi Pontificis commendationem. Atqui tam atrox crimen erat aliis argumentis approbandum. Equidem adeo faveo testimoniis, quæ tu diserte profecto & eleganter in Pontificiæ dignitatis approbationem adfers, ut doleam te non efficacioribus usum argumentis. Nobis enim, qui toto pectore agnoscimus Episcopi Romani primatum, præsertim in spiritualibus, ista abunde satisfaciunt, vel, ut melius dicam, supervacanea sunt. Illis erat respondendum, quæ alii dictis ac scriptis impingunt illi. Quæ cujusmodi sint, non est cur te admoneam: ad ea vix interdum habemus quod respondeamus. Quod si tibi videtur Pontificis lædere majestatem, qui medendi gratia dicit aliquid in malos Pontifices, cum *Cypriano*, cum *Hieronymo*, imo tecum ipse expostules oportet, qui in hoc ipso volumine tam multa dicas in impios Sacerdotes, & irreligiosos Monachos, ac Theologos morosos. *Non est*, inquis, *Grammatistarum incessere vitam Pontificum*, quod tamen in alios dicis, non in me, nec improbo quod dicis, ne illud quidem, quod scripsit Cardinalis *Cajetanus*, solis Monarchis fas esse monere Pontificem, sed blande, si palam tyrannidem exercent in Ecclesiam. Sed quomodo claudes ora plebis? An minis tantum? Hujus generis est, quod alicubi tribus verbis dixi nomen *Cardinalis* fuisse ignotum ætate *Hieronymi*. Quid tum postea? An protinus corruit universa Cardinalium dignitas? ut nomen fuerit, certe hoc Cardinalium genus non erat. Nec *Hypodiaconi*, nec *Archidiaconi* nomen exstat in Apostolicis Litteris, quemadmodum nec *Archiepiscopi*. An eo protinus damnatur Ordo? Monachorum gentus primum sub *Anastasio* nosci cœpit *Romæ*. Num ideo protinus damnatus est Monachorum status? Nullus ante me disputavit, quo tempore, quo fonte sit ortus Cardinalium ordo? Nemo de turba & pompa Cardinalium questus est? Pontificum libelli indicant tum institutos, cum orbis agnoscens Romanam Ecclesiam totius Reipublicæ Christianæ principem, eo confluereret si quid exstitisset, quod eruditorum consilium requireret. Ad id muneris electi sunt duodecim Cardinales viri doctrina, moribus, & linguarum peritia instructi, qui nunc vocantur *Pœnitentiarii*, penes quos hæret functio. Nomen ac dignitas penes alios est, quæ nunc Regum æquatur celsitudini. His de rebus quanta sit orbis querimonia, nihil attinet referre. Ego tantum dubitavi, num Cardinalium dignitas sit ab Apostolis profecta, & sum auctor totius tumultus, quia per occasionem tribus verbis notavi, videri nomen illud esse recentius. At innumera loca sunt in meis lucubrationibus, in quibus honorificentissime scribo vel ad Cardinales, vel de Cardinalibus, ad quæ cum fremant qui male volunt Romano Pontifici, tamen isti dissimulant. Sed tantum apud illos valet trium verborum annotatiuncula, ut totum hunc tumultum existiment mihi imputandum. Utinam Cardinales vera dignitate præfulgeant quotquot sunt, & orbem bis dissidiis liberent: & summus Pontifex, qui multorum Regum unus dignitatem opibus & strepitu superat, tantum dem valeat auctoritate spiritus, ut filios suos redigat in concordiam. Non enim altius hunc specum ingrediar, in quales tu me nimium sæpe vocas. Nam si lubeat hîc tractare quibus in rebus sita sit vera procerum Ecclesiasticorum dignitas, & ad hanc conferre mores & acta horum temporum, intelligit, opinor, tua prudentia, quantus mihi pateat dicendi campus. Sed absit ut oleum camino adjiciam. Si *Stunicam* probas, quod ob nescio quæ verbula liberius in Interpretem dicta velut e plaustro debacchatus est in nos, concedet

Digitized by Google

æquitas tua, ut qui decorem domus Dei ſpiritualem ex animo diligunt, aliquando duobus verbis indicent, quid optent.

Dixi olim Presbyteros Epiſcopis fuiſſe pares, dixi, ſed dignitate, non functione. Imo non ego dixi, ſed hoc dixit *Hieronymus*, apud quem & illud legis, *Epiſcopos patres eſſe, non dominos.* Idem ille dixit, quod mihi impingis, *Eccleſiam creviſſe opibus, decreviſſe virtutibus*, quid dicturus ſi viveret hiſce temporibus? An non iſtiuſmodi multa referuntur in Decretis Pontificum? Scripſi olim Synodos indici ſolere ab Imperatoribus. An hoc non liquet ex Hiſtoriis? Imo *Hieronymus* inter argumenta Synodi legitime congregatæ requirit, ut ederetur nomen Imperatoris, cujus juſſu fuiſſet congregata. Oſtendo quid olim fieri ſoleat, non damno quod nunc fit, & quod oſtendo nemini docto fuit obſcurum, etiamſi ipſe ſiluiſſem. Nec adeo vetus eſt quod dico. In *Conſtantienſi* & *Florentino* Concilio præſedit Imperator. Matrimonium ubique inter Eccleſiæ ſacramenta proprie dicta numero, ſed *Petrus Lombardus* non numerat, *Durandus* dubitat, nec ea res moviſſet quemquam, niſi fuiſſet tragicis exagitata clamoribus. Ad eam calumniam cum & *Stunicæ*, & *Sanctio*, & *Leo* reſponderim, tamen hoc inter argumenta refers, quibus doces me detrahere ſacramentis auctoritatem, diſſimulans me toties rejeciſſe calumniam. *Quorſum*, inquis, *pertinet horarias preces accuſare?* Ad hoc nihil aliud reſpondeo, niſi quiſquis hoc ad te detulit, inſigne mendacium detulit. Mihi ne per ſomnium quidem unquam in mentem venit damnare preces horarias, etiamſi quando per occaſionem taxem quoſdam, qui illis ſine mente demurmuratis ſibi placent. De ſecreta confeſſione quoties reſpondi, & mihi, perinde ac ſi nihil reſponderim, occinitur eadem cantilena. Quid autem periculi, ſi Euchariſtia quondam aliter ſumebatur quam nunc ſumitur? An id nemo ſciturus erat, niſi ego monuiſſem? An non licet ex Veterum monumentis annotare, quomodo paulatim ritus Eccleſiæ venerint in hunc ſtatum? Olim non ſemel ſynaxis agebatur inter Chriſtianos, & agebatur pane non conſecrato in corpus Domini, ut eſt probabile. Hæc & hujuſmodi ſciré, facit ad intellectum veterum orthodoxorum. Nuſquam ulla ſyllaba taxavi ritus præſentis Eccleſiæ. Et hîc ſcilicet erat augendus calumniarum numerus. Adjeciſti enim ſuperiori libello, quem ad me miſeras, & fieri potuit, ut hoc *Bedaïcus* quiſpiam inſcio te admiſcuerit tuo libello. Als enim: *Quam erroneum & illud, nuptias tantum laudibus efferre, ut eas cœlibatui & continentiæ prætuleris.* Quis impudenter mendax hoc tuo candori ſuggeſſit? Ducentis locis effero continentiam, citra matrimonii contumeliam. Sed horum nihil occurriſſe tibi non miror, cum mea non legas. Quod ſi tibi viſum eſt hujuſmodi criminum elenchum nobis recitare, ſimplicius erat *Stunicæ* titulos omnes huc tranſcribere. Certe ſi tibi vacavit illius calumnias legere, debebas & noſtram reſponſionem inſpicere, quam fateris in hoc profeciſſe, ut mea minus læderent, cum in hoc quoque profecerit, ut liqueat illas reprehenſiones fuiſſe meras ſycophantias. Ad id, quod calumniantur in Declamatiuncula *de matrimonio*, jam multis ad faſtidium uſque reſpondi. Verum hic iſtis mos eſt, ut noſtris diſſimulatis ſua tantum recinant, atque ita vincent ſcilicet. At ego vereor, ne clamoribus & odiis ſuis eo proficiant, ut hæc rerum calamitas aliquando demigret iſthuc. Tum deſinent ferocire. Sed *Chriſti*, ut ſpero, bonitas, ut olim *Minervæ* creditur *Athenienſibus*, incompoſitos hoſce tumultus nobis vertet in lætiorem exitum. Tuæ certe moderationis erat, tam atrocia crimina aut non recitare, aut ſolidioribus argumentis evincere. Falſo delatum eſt & illud, me taxare cantus & ceremonias Eccleſiaſticas: genus cantionum, aut harum fiduciam, aut aliud circa hæc incidens vitium, alicubi taxo, nec injuria, cum idem tu facias. Æque vanum eſt me taxare Monachos, vanius eſt me taxare illorum profeſſionem, niſi forte ſolos Monachos admoneri non vis. Ego puto magnum eſſe diſcrimen inter ſcurram & Monachum. Ubi profeſſionem illorum tribuerim infirmitati, non ſatis memini, & fieri poteſt, ut hoc ſub aliena perſona diſputandi gratia proponatur, certe probabilis eſt ſententia. Firmior enim videtur, qui divitiis corrumpi non poteſt, quam qui abjicit ne corrumpatur: qui includitur, ne commercio hominum corrumpatur, infirmior videtur eo, qui verſans inter bonos ac malos ſervat integritatem ſuam, quod videmus factum ab Apoſtolis. Quid autem eſſet piaculi, ſi dixiſſem Monachorum conſtitutiones eſſe infirmitatis, cum idem de Lege *Moſi* non impie dici queat? quam *Paulus* vocat *pædagogum*. At pædagogus non adultis adhibetur, ſed pueris & infirmis. Vides ne, vir illuſtris, quam hæc argumenta tam frigida non reſpondeant atrocibus illis titulis initio cauſæ propoſitis? Et tamen interim inis gratiam ab Epiſcopis, Cardinalibus, Sacerdotibus, Theologis, ac Monachis. Ejuſdem veritatis eſt quod ſcribis me deteſtari decreta Eccleſiaſtica & ſanctiones humanas, cum toties deteſter iſtos, qui conſuetudines & conſtitutiones Veterum temere contemnunt. Scio te referre calumnias alienas, ſed indignas quæ tuo, mihi crede, calamo vel commemorentur. Periculum eſt enim, ne forſitan exoriantur qui tam impudentium mendaciorum congeriem ſuſpicentur ab eo profectam, unde referuntur. Expedit admoneri populum, ne contemnant juſtas, æquas, pias Principum & Epiſcoporum conſtitutiones, ſed neceſſarium eſt eumdem admoneri, primum habendam rationem Dei. Si nullæ ſunt conſtitutiones Epiſcoporum iniquæ, ſupervacaneæ, ad quæſtum ſpectantes potius quam ad pietatem, tamen utilis eſt admonitio, ne tales naſcantur. Nunc mundus plenus eſt iſtiuſmodi querimoniarum. Proſpiciendum eſt auctoritati Præſulum, ſed interim non negligenda cura gregis. Non enim populus propter Epiſcopum, ſed Epiſcopus propter populum eſt. Per me vero nullus adeo didicit oppedere ſuo Præſuli, ut doceam etiam malis Epiſcopis obtemperandum, modo ne quæ jubent reddant impios. Adeo ne vacillat Epiſcoporum dignitas, & Monachorum auctoritas, ut ruitura ſit, ſi quis illos in genere ſui officii admoneat? Quanquam ego ſanè non tam admoneo, quam quid in Veterum monumentis ſit indico. Quin igitur exuruntur *Hieronymi* libelli complures, quin eraduntur e decretis *Gratiani* permulta, quin tolluntur e medio libri *Bernardi* de conſideratione ad *Eugenium*? Et hæc tu recenſes non ſolum nuda ac deſtituta, verum etiam aliter quam habentur in lucubrationibus meis, ne locis quidem indicatis, unde poterat refelli calumnia. Sed homo prudens volebas mutari voces, quibus offendi poterant infirmi. Meis ſcriptis, vir clariſſime, non offenduntur infirmi, ſed improbi quidam addicti mundo, cujus minima cura eſt veræ Religionis, ſed alius metuit ſuo regno, alius gloriæ, alius quæſtui, alius otio & luxui, alius ſimul his omnibus. Sed demus excidiſſe mihi quædam, quæ præſtiterat reticuiſſe, quid tandem utilitatis adfert iſta tua querimonia? An ut me provoces ad eorum defenſionem? Optarim illic mihi minus bonam eſſe cauſam, ſi compellar ad hanc apologiam. Sed ſatis exulceratæ ſunt res hominum, etiamſi nullus unguis vomicam hanc exaſperet. Quid minus expedit quam hæc traduci, quæ melius ſopirentur? Ego nonnulla hujus generis ſuſtuli e libris meis poſterioribus Editionibus, non quod defendi non poſſent, ſed quod tanti non erat contendere. Et hoc diſſimulas. Quam malam gratiam iniit *Stunica* apud *Germaniæ* Præſules, collectis ac proditis locis, quibus in me conabatur univerſum hominum genus concitare? Quamobrem? Quia qui cum *Luthero* ſentiebant amplexi ſunt eum libellum, florilegium appellantes, & cordati Præſules maluiſſent illa latere in ſcriptis meis, quam decerpta ſubjici omnium oculis. Proinde unus & alter ſummatum e Concilio *Norenbergenſi* ſcripſerunt ad me, rogantes ne quid reſponderem *Stunicæ*. Mihi hoc fato quodam accidiſſe videtur, ut nullus hoſtis gravius me læſerit, quam amici quidam inepte faventes, dum nihil aliud efficiunt, quam ut hoſtium animos in nos exacerbent. Verum ego tota hac actione cogor frequenter cauſam meam deſerere, dum conſulo publicæ tranquillitati.

Jam quo pertineat non video quod hîc commemoras infantiam & gradus quibus huc uſque crevit Eccleſia. Nunquam enim mihi fuit animus Eccleſiæ ritus ad illam infantiam revocare. Cum moribus prolapſis ſemper pugnandum, ne nimium degenerent ab illa priſca ſimplicitate.

Digitized by Google

tate. Et ut ſunt ætatum gradus, ita fortaſſis eſt ſenectus quædam deſipiſcentis Eccleſiæ. Nihil autem utilius Chriſtianis, quam ſemper repueraſcere, & ad priſcam eniti ſinceritatem. Quis unquam audivit ex me Romanum Pontificem cogendum in ordinem, aut Cardinales eſſe ſubmovendos, aut æquandos Epiſcopos, tum inter ipſos, tum cum Presbyteris, aut Eccleſiam opibus ſuis ſpoliandam, aut matrimonium ejiciendum e numero ſacramentorum, aut tollendam eſſe confeſſionem, aut Euchariſtiam domi ſumendam, aut cantus & ceremonias tollendas ab Eccleſia, aut Monachorum ac Monacharum ſtatum evertendum, aut adſpernanda decreta Eccleſiæ Catholicæ? Quod ſi nihil horum neque dictum eſt a me neque ſcriptum, quorſum iſta tam invidioſa mihi impingis? Sed tamen in his plurima irrepſerunt in vitam hominum, quæ corrigi ſit e re Chriſtianæ pietatis. Eam provinciam cedo proceribus Eccleſiæ, nobis tamen opinor eſſe fas alicubi monere, præſertim ubi Sacræ Litteræ ſuggerunt occaſionem. Vide etiam atque etiam, ornatiſſime Princeps, quantam hîc moveas Camarinam, ſi tibi res eſſet cum homine, cui Chriſtianæ rei tranquillitas non eſſet charior exiſtimatione propria. At hæc, inquies, docet *Lutherus*. Ut doceat, ex meis hortis nihil hujuſmodi legit ſeminum, niſi pariter & Evangelium & Epiſtolas Apoſtolicas & Prophetas in jus voces, unde magis collegit quam ex meis. Non exiſtimabam ut mihi objiceretur quod ſemel, opinor, *inſtrumentum* dixerim pro *teſtamento*, ſecutus *Hieronymum*, cum alioqui trecentis locis appellem *teſtamentum*. Id ſi, ut ais, feciſſem ad oſtentationem, quid oſtentationis habet hæc vox *inſtrumentum*? Nec ſatis video, cur *Hieronymus inſtrumentum* alicubi maluerit, quam *teſtamentum*, niſi quod *inſtrumenti* vox magis explicat volumina, cum *teſtamentum* ſit voluntatis & pacti. Eam differentiam commonſtrat divus *Auguſtinus*, nihil abhorrens ab *inſtrumenti* vocabulo, quemadmodum nec *Hieronymus*. Et hanc ipſam vocem arbitror a me mutatam, & ſi reſediſſet, quemadmodum reſidet in aliorum libris, quid erat piaculi? An hinc etiam erant orituri tumultus? Sed atrocius eſt quod dixerim *Evangelii fabulam*. Male ſit iſtis diabolis, qui talia mendacia deferunt ad aures iſtas, dignas quæ melioribus fabulis occupentur. Quis unquam legit in ſcriptis meis *Evangelii fabulam*? Quæ tandem eruditionis jactatio, ſi *fabulam* dixi pro negotii actione. Emphaſis vocis captata eſt, non novitas. Si mihi ſuppetiſſet alia vox, quæ pariter repræſentaſſet quod animo ſentiebam, abſtinuiſſem a *fabulæ* nomine. Evangelium non abſtinet a *fabulandi* voce, & tota Eccleſia nutat, quod alicubi *fabulæ* nomen uſurparim? *Hieronymus Dalilæ* & *Sampſonis* hiſtoriam *fabulam* dicere non veretur, ſed longe mollius eſt *fabulæ* verbum, cum reſpondet Græcæ voci, quæ eſt πρᾶγμα, hoc eſt, *actio negotii*, quod diverſis perſonis agitur, ſuas quaque partes implente. Veluti cum *Philemon* dicitur peregiſſe *vita fabulam*. Sed ad *fabulæ* calumniam abunde reſpondi præter alios *Beddæ*. Ex hoc quoque loco, vir eximie, colligo te plane noſtra non legiſſe.

Jam vocatur ad partes noſtras *Moria*, quæ multorum, ut ais, jacturam fecerit. Nunquam audivi muſcam mea *Moria* periſſe, niſi quod mihi nonnihil peperit invidiæ, ſed apud Theologos ac Pſeudomonachos, & tamen non alius liber majore cum applauſu erat exceptus, non jam dico juvenum, ſed Principum & Eccleſiæ primatum. Quin ex amicorum litteris cognovi, opus hoc *Leoni* decimo perlectum non diſplicuiſſe. Alioqui argumentum hoc nec ex ingenio meo ſcripſi, nec unquam edendum putavi. Datum eſt utcunque amicorum affectibus. Porro quod mei nominis intereſſe putas ut opus hoc penitus aboleatur ex hominum memoria, næ tu mecum facis, idque jam propemodum acciderat. Tantum enim erat de *Moria* ſilentium, ut mihi ipſi exciderit fuiſſe ſcriptam. Verum iſta tua commemoratio refricans illius memoriam non patitur eam excidere mentibus hominum. Fieri non poteſt, ut edita non ſit, nihil ſupereſt, niſi ut ſilentio conſopiatur. Hîc rurſus meum fatum agnoſco, delata eſt in manus tuas *Moria*, at non delata eſt ejus defenſio, qua *Dorpio*, qui primus omnium de ea queſtus, hinc nominis celebritatem auſpicatus eſt, reſpondeo. Quanquam nuſquam ita defendi *Moriam*, quin, ne dicam dolo, malue-

A rim non editam. Nullus tamen adhuc exſtitit iniquior *Moriæ* cenſor, quam iſti, quorum tu recenſes judicia. Ineptias appellavere quidam, alii libellum periculoſæ libertatis, nemo tantam impietatem tribuit, quantam vix, ut ais, a *Porphyriis* aut *Julianis* exſpectemus. Quæ vero peſtifera ſemina, aut quas proceras arbores mihi narras peſtilentibus onuſtas fructibus, aut quas plurimorum hominum ſtrages memoras? Neminem audivi tam moroſum, ut diceret quemquam opera *Moriæ* factum pilo deteriorem. Multorum judicia correcta ſunt, plurimorum diſcuſſa triſtitia. Unde majorem in modum demiror, vel iſta tibi veniſſe in mentem, ſiquidem hæc ſcribis ex animi tui ſententia, vel ſi aliorum refers opinionem, tibi B digna viſa, quæ chartis tuis illineres. Scatent enim, vir eruditiſſime, & multis & inſignibus mendaciis, non tuis quidem illis, ſed tuo calamo proditis, in eorum gratiam, quibus videris iſtam cantilenam canere. Siquidem mihi non canis, vel quia ſcis eſſe ſerum, vel quia non ignoras, opinor, me ad iſtiuſmodi querimonias reſpondiſſe. Primum fateor eſſe quædam, quæ non in aliud parata ſunt quam ut riſu Lectorem exhilarent. Ea nullos offendunt, niſi quoſdam adeo tetricos, moroſos, & a Gratiis alienos, ut jocari nec ſciant ipſi, nec alios ferant. Alioqui nullum illic vitæ genus damnatur, nec ulla diſciplina rejicitur, ſed in ſingulis quid peccetur, non objurgatione tetrica, ſed per luſus illecebram aperitur. Id tu tamen C obiter ſic arripis, quaſi ſit in confeſſo, nec ullam deſideret probationem, cum nemo neſciat, me nec diſciplinas, nec inſtituta, nec artes reprehendere, ſed indicaſſe, quid in quaque re peccetur. Id enim erat hujus argumenti caput, ut docerem nullum eſſe hominum genus a ſtultitia liberum. Itaque vitia mortalium per luſum traduntur, non homines. Placuit hoc emendandi genus *Platoni*, qui in hunc uſum probavit largiores in conviviis invitatiunculas. Nec alio conſilio factum videtur, quod hodieque *Germani* in ſolennibus epulis adhibent morionem quempiam dicacem, qui ſingulos convivas dicteriis perſtringat. Interim multi audiunt ſua flagitia domeſtica, nec licet offendi, vel quia dicuntur a morione, vel quia in convivio, vel quia nulli omnium parcitur. Quanquam D *Moria* nullius nomen perſtringit, niſi meum. An ille docet nil ſerium, nil ſolidum, nil expetendum in vita eſſe, qui commonſtrat quid in re quaque fugiendum? Imo magis hoc agit, ut quæ ſunt expetenda cuique, felicius expetantur. Quis unquam tantum tribuit *Moriæ* luſibus, ut ex ea ſibi perſuaſerit, nullam eſſe prorſus hominis felicitatem, & ad virtutes vitæque functiones capeſſendas ſegnior ſit redditus? Aut tu nimium tribuis hujuſmodi nugis, aut parum magnifice ſentis de mortalium ingeniis. Quorſum igitur pertinent illa tua, vir egregie? *Multa ſunt in hominum vita quæ rideamus, fateor, ſed nimis iniquus eſt humanarum rerum æſtimator, qui omnia ſine diſcrimine damnat.* An *Moria* taxat aliquid quod ſit probandum? Recte E philoſopharis, res humanas ex actu & potentia, hoc eſt, ex perfecto & imperfecto, ſic temperatas, ut nihil eſſe poſſit tam abſolutum, quin aliquid habeat admixtum vitii. Hoc cum ita ſit, tanto magis pugnandum eſt cum vitiis. Addis me nec ſacris ritibus, nec Religioni, ne *Chriſto* quidem ipſi peperciſſe. Quis hunc mendaciorum acervum auſus eſt ad te tantum virum deferre? Illic ſuperſtitioſos ritus taxo, non ſacros, & Religionis negotium adjuvo, dum indico fugiendam eſſe perſonatam Religionem: abſit autem tam deteſtabilis impietas ab animo F meo, ut in *Chriſtum*, cujus nomen toto pectore veneror, quicquam dicam contumelioſe. Hoc animo ſum, ut malim decies mortem oppetere, quam ullo verbo perſtringere noſtræ ſalutis principem, ac nomen illud, nobis ſalutiferum, Angelis adorandum, inferis tremendum. Quicunque volvunt meas lucubrationes, niſi prorſus odio cæci ſunt, facile percipiunt, quam non impium affectum geram erga *Chriſtum*. Addis, *tu tibi divina deridere permittas*. Hoc cum ſit falſiſſimum, tamen hujuſmodi baſibus tua nititur oratio. Iſtud eſt, opinor, *Tulliano* more dicere. Ego te, *Alberte* Princeps, exiſtimo virum Chriſtiana pietate præditum, quo liberius apud te proloquar quod ſentio: qui divina derideant facilius invenies in *Italia* apud tui ordinis homines atque adeo in illa laudatiſſi-

Digitized by Google

ma *Roma*, quam apud nos. Ego ſane cum talibus ne cibum quidem capere ſuſtineam. Etiam atque etiam te rogo, ne quid offendat animum tuum mea libertas. Vulgaribus ſcommatibus non admodum moveor, ignoſce, ſi tales facetias ferre non poſſum. Quid autem appellas deridere divina? An derident divina, qui taxant ſuperſtitioſum Divorum cultum, qui notant eos, qui charitate vacui ſummam Religionis collocant in cultu, in cibis, in non intellectis preculis? An tibi videretur deridere Philoſophiam *Ariſtotelicam*, qui traduceret illorum ſtultitiam, qui non intellectum *Ariſtotelem* perperam interpretantur? Non dicturus es, ni fallor. *Quid*, inquis, *ad jugulandam prorſus Religionem Chriſtianam dici potuit atrocius, quam ipſam eſſe univerſam in ſtultitia fundatam?* Forte ſimile quiddam eſt in *Moria*, ſed multo aliter dictum. Nec id raro facis, ut mea dicta tuis verbis reddas atrociora. Rhetoricum quidem iſthuc, at minime Theologicum. *Paulus* ſcribit, *Si quis videtur ſapiens inter vos, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* Idem appellat *ſtultitiam crucis*, & ſtultitiam attribuit Deo, & inter *Chriſti* diſcipulos negat eſſe multos ſapientes. Ergo quotquot ſapientes non ſunt, ſtulti ſunt. Quis eſt tam ſtultus, ut non intelligat hîc diſtingui mundi ſapientiam a ſapientia Evangelica? Qua diſtinctione ſervata, nihil hac ſententia dici potuit Chriſtianius, quam tu tam atrociter inſectaris. Item illud, Chriſtum *oblectatum eſſe perpetuo morionibus, veiulis, & pueris, a ſe autem rejeciſſe graves & doctos*, aut non eſt in *Moria*, aut aliis verbis dictum eſt, quorum invidiam ſi mihi remittis, quæſo te per tuam felicitatem, quid dici poteſt religioſius aut ſanctius? Nonne *Chriſtus* apparuit paſtoribus? Nonne *Simeonis* complexibus hæſit? Nonne complexus eſt pueros, & ad horum exemplum invitavit Apoſtolos? Nonne ſibi adſcivit idiotas Apoſtolos? Contra nonne contempſit *Herodem*? Nonne magna ſeveritate vociferatur in vitam & faſtum Scribarum ac Phariſæorum? Cum quo Pontifice, cum quo Scriba aut Phariſæo habuit familiaritatem, niſi cum per Evangelium repueraſcerent? Nec hodie quemquam recipit *Chriſtus* qui mundo ſit ſapiens, potens, aut doctus. Mundum ſic uſurpo, quemadmodum uſurpavit *Paulus*: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes.* Senſus eſt pius, id cum conſtet, iniquum eſt ex verbis calumniam venari. Sed *Moria* abutitur Scripturæ Sacræ teſtimoniis. Quaſi Sacerdotes quidam ac Monachi omnes pene facetias ſuas non deſumant ex Sacris Libris. Veluti cum ajunt: *Quid eſt charitas? Eſt pallium Monachi.* Quî ſic? *Quia operit multitudinem peccatorum.* Et rogatus quidam, ecquid placeret vinum, *adſcendit*, inquit, *ſuperius*: tum alter, *adſcendit ſuperius? ergo erit tibi gloria.* Longe modeſtius autem detorquet Scripturas *Moria*, nec tamen id facit niſi præfata veniam, ſeque citaturam ὠδὶν πρὸς ὅπος, atque in hujus loci peroratione rurſus precatur veniam. At jam dixi me nolle per omnia tueri *Moriam*, atque hactenus patiar accuſari *Moriam*, ut ineptiæ, incogitantiæ, aut levitati tribuatur, ab his quæ tu impingis ſtrenue defenſurus. Apud *Italos* neſcio ſint ne tam imbecilles in fide, ut ob ludicrum libellum deficiant a *Chriſto*, apud nos & fœminæ conſtantiores ſunt, quam ut ejuſmodi luſibus labefactentur: nec quiſquam adhuc exſtitit in his regionibus, qui, quod tu ſcribis, interpretaretur, eos jocos ab animi impietate profectos. Tot annos per omnium manus volitabat *Moria*, verſa etiam in Linguam Gallicam, aulæ Principibus erat in deliciis, nec in hanc quiſquam hominum fremebat præter paucos Pſeudomonachos, ſecus quam volebant attactos, quanquam in his quoque religioſiſſimo cuique non diſplicuit *Moria*, cui tu tam vehementer infenſus es. Nam litteris *Roma* miſſis non raro ſum admonitus, *Albertum* Principem in nulla materia facundiorem eſſe, quam in accuſanda *Moria*. Id ſi tibi accidit vehementi quodam Religionis zelo, non poſſum non probare affectum tuum, licet judicium arbitrer nemini placiturum, exceptis iis quibus diſpliciturum ſit Evangelium, ſi *Eraſmi* nomine proponeretur. Talibus enim odium & animi inductio prorſus omne judicium vitiavit.

Illud iterum atque iterum demirari compellor, quod hæc tam multa, tam odioſa, atrociter ac pene ſeditioſe ſic in me congeris, quaſi nihil horum libris pridem editis diluerim. Quemadmodum & de confeſſione querimoniam mire exaggeras, cum nullum hîc ſit argumentum, quod non retuderim ſcripto vulgato. Atqui ſi diſertus ac vehemens haberi volebas, prius illa fuerant refellenda, quibus quorumdam depuli calumniam. Niſi forte non putas quemquam fore qui iſta tua legat, præter eos qui mea vel non attingunt vel eadem cenſura damnant benedicta pariter ac maledicta. Cujus obſecro candoris eſt, cum *Leo* copioſiſſime, cum *Stunica*, aliiſque nonnullis non indiligenter reſponderim de confeſſione, perinde nobis recinere veterem ex compotationibus & concionibus Pſeudomonachorum querimoniam, quaſi verbum nullum unquam ſuper ea re fecerim. In illo vero magis etiam deſidero candorem tuum, quod objicis non quod a me ſcriptum eſt, ſed quod a rabulis quibuſdam jactari ſolet. Colligo, ut ais, commoda & incommoda confeſſionis, & Lectori velut integram exiſtimationem permitto, retinendum ne putet confitendi uſum, an abolendum. Jam primum hoc quam falſo ad te delatum ſit vide. Teſtor incommoda non ex re ipſa naſci, ſed ex hominum vitio: verba mea ſic habent: *Ut quam plurimum fructus capiatur ex confeſſione, & quam minimum malorum admittatur, quæ quidem mala non tam ex re quam ex hominum vitio naſci videmus. Quemadmodum fere nihil eſt in rebus humanis tam pium, tam, ut ita dicam, cœleſte, quod hominum corruptiſſimi mores ſibi non vertant in perniciem.* Ac mox: *Oſtendimus paucis quantas commoditates habeat hæc confeſſio, deinde quanta peſtis vera pietatis hinc per occaſionem naſcatur inter homines.* Audis palam me commoda tribuere confeſſioni, incommoda vitiis hominum, re bona utentium male. Atque in ipſo ſtatim initio Operis ita loquor: *Utrum conducibilius ſit eam relinqui propter innumeras utilitates, quas ex ea videmus proficiſci, an tolli ob innumera mala, quæ confitentium & audientium culpa per hujus occaſionem comperimus exſiſtere.* Occaſionem audis, non cauſam, & culpam hominum audis, non crimen confeſſionis. Hæc toties in eadem Præfatione dicta, rurſus Apologiis citata diſſimulas, & dicor tibi referre commoda & incommoda confeſſionis. Iſta non videris, *Alberte* Princeps, ab illis didiciſſe, qui, ut ſcribis, examuſſim ſcripta mea examinant, dicta dictis, ſenſa ſenſis, & ſyllabas ſyllabis conferentes. Vanum juxta atque calumnioſum eſt & illud, quod ſcribis Lectori per me fieri liberum, utrum malit confeſſionem retineri an aboleri. Obſecro te quibus verbis hunc ſenſum meum indico? Loquor illic de Romani Pontificis auctoritate, deque Chriſtiani populi conſenſu, hoc eſt, de auctoritate totius Eccleſiæ. Si confeſſio indicta eſt per Eccleſiam, an non poteſt ejuſdem auctoritate tolli? An tibi univerſa Eccleſia eſt quilibet Lector? Nec tamen illic affirmo ab hominibus inſtitutam, ſed ficta conceſſione ratiocinor, ita præfatus, *Tum ſi quis largiatur ab hominibus inſtitutam.* An non hîc ſatis dilucide loquitur *Batavus*, etiamſi parum eleganter? Nec ego hîc diſputo, an ab hominibus ſit inſtituta confeſſio, qua nunc utimur, an a *Chriſto* tradita, retinenda an tollenda, ſed indico quæſtiones hujuſmodi inter alios ventilari. Dices, quid referebat iſtius rei meminiſſe? Quaſi cuiquam eſſet obſcurum, quod loquor? Et tamen mea referebat hoc admonere, ne Lector exſpectaret aliquid præter id quod ſuſcepiſſem. Neque me fugiebat hoc exſpectaturos pleroſque. Quod niſi magno volumine tractari non poterat, & a multis erat accurate tractatum, vix enim ulla quæſtio inter Scholaſticos jactatior, prætermiſi: quod utrique parti, hoc eſt, & dubitantium & certa perſuaſione firmorum, conducturum erat, tractavi. *Debebas*, inquis, *vel obiter indicare tuam ſententiam.* Quod habebam perſuaſum, ingenue profiteor, voco rem ſaluberrimam & in primis piam. Et adverſus *Leum* diſputans profiteor rem optimam, a Spiritu *Chriſti* profectam, ac totius orbis diutino conſenſu comprobatam, ea reverentia ſervandam, quaſi eſſet ab ipſo *Chriſto* tradita, & loquor non de quacunque confeſſione, ſed de hac quæ nunc in uſu eſt Chriſtianorum, cum omnibus ſuis circumſtantiis. Quam ſi queam docere a *Chriſto* traditam, oppido quam lubens facerem. Habebis me plauſorem, ſi potes id ad plenum proferre, quod & olim a Theologis, & nuper tractatum eſt ab apprime do-

Digitized by Google

doctis, quorum est *Jacobus Latomus*. Horum tamen nemini succesſit ut vellem. Imo *Latomus* nobis propemodum liberum relinquit, malimus ne credere a *Chriſto* traditam, an e Scripturis irrefutabilibus deſumptam, an generali Eccleſiæ decreto inſtitutam, & tu a me poſtulas ut pronunciem a *Chriſto* traditam. Finge pronunciaſſe, quis credat, niſi doceam? Et tutius exiſtimo ſilere, quam frivolis argutationibus hoc aggredi. Qui ſilet videri poteſt valuiſſe ſi voluiſſet. Qui conatur aſſerere, nec efficit quod conatur, magis diſſuadet quod perſuadere nititur, quam is qui palam repugnat. Et vides quo ſeculo, in qua regione libellus ille mihi ſit editus. Ac pro illo, qualis qualis eſt, viri orthodoxi gratias egerunt. *Non erat*, inquis, *in dubio relinquendum quod ab Hæreticis pertinaciſſime impugnatur*, quaſi ſemper impium ſit, quod tuentur Hæretici. At quo magis impugnabatur, tanto juſtior erat cauſa detractandi muneris. Otioſum, fortem, doctum, inſignem Theologum ea res poſtulabat. Ego confeſſionis cauſam reddidiſſem deteriorem. Poſtremo qua fronte jubes me aliis perſuadere, quod mihi nondum ſatis perſuaſum eſt, & exſpecto qui perſuadeat. An aſſentiri videtur Hæreticis qui doceri cupit hanc confeſſionem fuiſſe traditam ab ipſo Domino, cum alioqui fateatur religioſe ſervandam? Quæ Synodus hoc pronunciavit? Inclitus *Anglia* Rex, qui felicius tractavit iſtud argumentum quam tu tractare videris, nihil aliud pronunciat quam eſſe probabile fuiſſe a *Chriſto* traditam. Quod ſi *Lutheranos* Hæreticorum nomine deſignas, ſcis quam illis non aſſentiar. Nam horum plerique faciunt cuivis ſimpliciter liberum, utrum confiteri velit an non, & quis cui confiteri velit. Complures deteſtantur etiam ut rem impiam. Quod ſi Hæretici ſunt, qui nonnihil dubitant quo modo ſit inducta confeſſio, res erit tibi cum *Anglia* Rege, cujus eruditam pietatem tu merito prædicas: cum *Latomo*, ne quid alios commemorem. Nec ſatis intelligo quid hæc tua verba ſibi velint, *Quinimo excepta ut a* Chriſto *inſtituta*. Si *ut* ſonat ſimilitudinem, idem loqueris quod ego. Sic enim habet initium libelli mei: *An a majoribus inducta, paulatim robur collegerit, ut tanta ſit hujus auctoritas, quaſi fuerit inſtituta a* Chriſto. Sin *ut* ſonat cauſam, aliis argumentis hoc tibi confirmandum erat. Addis, *quamvis dicas negari non poſſe, quin tutior ſit qui bene confeſſus fuerit*. Nec hoc ſimpliciter dico, ſed ex conceſſione. Sic habent verba mea: *Quantumvis enim multis ac magnis argumentis pars altera contendat, hanc confeſſionem non fuiſſe inſtitutam ab ipſo Domino* Jeſu, *nec potuiſſe tantum onus a puro homine imponi hominibus, illud certe negari non poteſt*, &c. Itaque libellum illum legi cupiebam a duobus hominum generibus, quorum alteri firmam habent perſuaſionem de confeſſione non tollenda, alteri dubitant num poſſit aut expediat per Eccleſiæ proceres aliquid innovari circa confeſſionem, quam tu ſacramentum vocas, cum juxta multorum opinionem potius res ſit ſacramentalis, ut interim ſaltem melius utantur confeſſione, nec præcipitent ſententiam, donec de hoc pronunciarit Eccleſia. Tertium hominum genus ab ejus libri lectione ſubmovi, videlicet eorum, qui confeſſionem aut ſupervacaneam eſſe contendunt, aut impiam. Iſtos pervicaces ad alios Doctores relego, mihi tum nec otium ſuppetebat nec copiæ ſufficientes ad confligendum cum illis. Omitto jam hîc rationes ac teſtimonia tua, quibus me docere conaris, omnino credendum hanc confeſſionem a Domino traditam, de quibus interim nihil aliud pronunciabo, quam dolere me non eſſe firmiora, præſertim ob eos, qui pertinaciter totam damnant confeſſionem. Addis vero præclaram ſententiam, damnans quod commoda contulerim cum incommodis. *Nam etſi omnino*, inquis, *nobis incommoda viderentur, tamen quia ita ſunt ſtatuta, pura mente ſervanda & conſtanti animo retinenda eſſent*. Obſecro te ut me viciſſim patienter audias. In quem uſum oſtendo incommoda, non ex re, ut dixi, ſed ex hominum vitiis orientia, nonne ut vitentur, & interim firmiora ſint, quæ ſunt inſtituta? Si ferenda ſunt hæc incommoda, cur quotidie clamatur in eos qui male ſervant matrimonium, qui indigne accedunt ad menſam Domini, qui male gerunt magiſtratum? Neque enim ego tollo confeſſionis uſum, ſed admoneo quid in hujus uſu vitandum ſit. Hoc nimirum eſt ſtabilire confeſſionem, non labefactare. Hæc vides, opinor, tibi non minus extra cauſam dicta, quam eleganter.

His ita peroratis, ſubtexis clauſulam. *Quoniam*, inquis, *nimium profecto judicio noſtro arrogamus, cum de omni re æque audemus judicare, quid utile, quid inutile: quid honeſtum, quid ſecus: quid rectum, quid depravatum: quid divinum, quid humanum: ex hac tam in rebus definitis, quam in his quæ adhuc ſub judice verſantur: cum taxamus mores, leges, conſuetudines, ritus, ceremonias jam diu receptas: qua cum tu ſapiſſime facias, ut monumenta tua teſtantur, non ab re multi te accuſant arrogantiæ, & rerum novarum ſtudioſum fuiſſe dicunt*. Cum ais, *multi dicunt*, ingenue fateris te iſta ex alieno ſenſu loqui, non tuo. Alioqui quid probæ mentis habent iſta verba? Si de *Lutheranis* aut neſcio quibus *Italis* ſentis, ad me nihil pertinent. Sin de me loqueris, num tibi videor æque de omni re judicare, qui hoc ipſo libello ſuſpendi meam ſententiam, & aliis judicium defero, imo qui nuſquam non defero Eccleſiæ judicio. *In rebus*, inquis, *definitis*, quaſi hoc jam docueris eſſe definitum. Profer ubi quicquam improbavero pro depravato quod eſſet rectum, ubi pro humano rejecero quod erat divinum, ubi taxavero mores pios, leges, &c. quod ais ſæpiſſime me facere, cum nullum proferas locum. Opinor tibi pro oraculo eſſe *Stunica* Catalogum. Atqui, quibus fama duntaxat notus es, multo ſolidiorem, æquiorem, ac nervoſiorem diſputationem exſpectabant. Nihil enim adhuc adfers, niſi quæ ab indoctis Pſeudomonachis & levibus Theologis ſolent in compotationibus jactari, quos non pudet interdum edere mendacia majora montibus, eoque ſolum hoc agunt, ut lucubrationes meas aboleant, ne deprehendatur ipſorum inſignis vanitas. At vero quid exſpectari poterat, niſi verum, excuſſum, & æquum?

Poſt hæc ingrederis aliud argumentum, quo de cum plus ſatis reſponderim præter alios *Petro Sutori*, tamen quaſi vacuam & intactam omnino materiam tractas. Cauſaberis eum librum ad te non eſſe perlatum. Atqui *Lutetia*, ubi multa Scripturarum teſtimonia opuſculo tuo adjeciſti, non dubito quin videris. Quid igitur faciam? Repetam ibi dicta? Quid moleſtius? Obticeſcam? Applaudent victori, qui mea non legerunt. Servabo medium. Notabo paucis quædam. Ais a multis damnari, quod Sacras Litteras Paraphraſi dilucidius & elegantius explanaverim, quæ vix admittant Commentarios, tantum abeſt ut Paraphraſim. Hîc, opinor, tua prudentia novit Scripturam Sacram potiſſimum eſſe in myſtico ſenſu potius quam in verbis, quæ probabile eſt ab *Eſdra* partim immutata: proximo loco ſitam eſſe in his Linguis, quibus traditæ ſunt a primis auctoribus. In his a me nihil eſt mutatum. Tertio loco ſunt tranſlationes in aliam Linguam. Eas fuiſſe diverſas, tum apud Syros, tum apud Græcos & Latinos, conſtat ex veterum Theologorum monumentis, eamque varietatem D. *Auguſtinus* adeo non damnat, ut exiſtimet plurimum conducere ad Scripturarum intelligentiam. Itaque cum novum Teſtamentum ſit verſum eo ſermone Latino, qui tum temporis erat promiſcuo vulgo communis, nunc contra Lingua Latina non eſt niſi apud litteratos, quid erat piaculi, ſi rebus in diverſum mutatis Latinius vertiſſem novum Teſtamentum? Certe auſus eſt hoc *Hieronymus* in vetere Teſtamento, & laudem promeruit. Nunc a me non eſt mutata vulgata Tranſlatio, ſed id verſum eſt, quod habetur in Græcorum voluminibus, præſertim iis quibus uſi ſunt Veteres, *Chryſoſtomus*, *Baſilius*, *Gregorius Nazianzenus*, & horum ſimiles. Dices, expedit ut Eccleſia univerſa conſentiat in lectione. Eum conſenſum vides a me non turbari. Habet Eccleſia ſuam verſionem, tantum hoc ago, ut quam habet habeat emendatiorem & rectius intelligat. Eſt autem duplex interpretandi genus, alterum quo tranſfunditur Liber a Lingua in Linguam: alterum quod adhibitum explanat Scripturæ ſenſum. Si Commentarios & omnes Explanationes ſubmovendas cenſes, patiar & Paraphraſes meas ſubmoveri. Sin recipis, Paraphraſis nihil aliud eſt quam commentarii genus, commodius Lectori vel occupato vel faſtidioſo. Et ſi damnabis *Baſilium*, *Nazian-*

Digitized by Google

zenum, *Cyprianum*, *Hilarium*, & *Hieronymum*, quod elegantius ediſſerunt Scripturas quam traditæ ſunt, patiar me damnari, quod aliquanto politius explanavi ſenſus quam Apoſtoli tradiderunt, aut quam vertit Latinus ille neſcio quis aut quæ. Hæc ſi agnoſcis eſſe veriſſima, nullum habent locum illa quæ tu *Ciceroniano* quodam fluxu declamas, Spiritui Sancto non eſſe opus noſtra politura, quot in Scripturis verba ſunt, tot eſſe myſteria, nec apicem ullum contingendum, quaſi ego ſim novus interpres Scripturarum. Atque hîc etiam adjeciſti, ſi ſuperis placet, priori libello, *Moſi* teſtimonium ex libro *Deuter. non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Atqui id auſus eſt non paucis locis Interpres, velut in *Tabita Cumi* addit *tibi dico:* Canon Miſſæ in verbis conſecrationis addidit *enim*, quod in Evangelicis Libris non habetur. Itaque quod *Moſes* præcepit de non addendo, non tam pertinet ad litteras, ſyllabas, & apices, quam ad vim ſententiæ. Nonne paſſim audis Eccleſiaſtas ſententiam ex Litteris Sacris recitatam ſinuoſo verborum ambitu explanare populo? Dices licere, ſed intactis fontibus. Quid? ſublati ſunt a me Scripturarum fontes? Nam hoc toties fruſtra cogor audire. Sed age da nobis fontes incorruptos, deſinemus ullum verbum mutare. Quod ſi conſtat Codices eſſe corruptos aliquot ſane locis, num tu vetabis nos dare operam ut reſtituantur, citra injuriam vulgatæ Editionis? Atqui hoc ſtudium noſtrum comprobavit *Leo* decimus, comprobavit & *Adrianus*, nec ullis cordatis Theologis diſplicuit, ac privatim multi vere docti bonique viri litteris pro hujuſmodi laboribus gratias egerunt: cumque illud opus *Lovanii* fere ediderim, multique de cæteris quibuſdam lucubrationibus meis nonnihil quererentur, de Paraphraſibus nemo me verbo admonuit. Ubi porro tu nactus es iſtos loquaces, qui ajunt, qui dicunt, qui ſuſpicantur me hoc agere, ut meæ Paraphraſes loco divinæ Scripturæ legantur in templis? Hoc cum ſit egregie ridiculum, non refellam, etiamſi in templis recitantur multa minus accommoda cultui divino quam meæ Paraphraſes. Negas a Religione nata quemquam hoc auſum in Sacris Litteris. Si per ſe nefas eſt explanare Scripturam Sacram, damnandi mecum ſunt illi, qui primi ſunt auſi Commentarios in illam edere, qui poſt auſi ſunt illam philoſophicis argumentationibus tractare, & hîc tibi damnandi ſunt cum *Alexandro Halenſe*, *Thoma*, *Scoto*, totus Scholaſticorum populus, alii quod fuerint inventores, alii quod imitatores. Sunt enim varia commentandi genera. Quod auſus eſt *Eraſmus*, ante hunc *Juvencus* auſus eſt carmine, nec fruſtratus eſt ſua laude. Nam carmen illius vere Paraphraſis eſt. Idem auſus eſt hoc recentior *Arator* in Actis Apoſtolicis, non ita pridem *Ægidius Delphus*, e *Sorbona* Theologus, in Pſalmos & alios non paucos divinæ Scripturæ Libros. Ante paucos menſes *Lovanii Franciſcus Titelmannus* Minorita, juvenis etiamnum, idem fecit in Epiſtolas *Pauli* quod ego, niſi quod pro Paraphraſi vocat Elucidationem, cum Paraphraſeos vocabulum ſit aliquanto modeſtius, idque facit applaudentibus Theologis, totoque *Franciſcanorum* Ordine. Qui utinam adeo feliciter verſatus ſit in hoc genere, ut meis rejectis Paraphraſibus, manibus terant illius Elucidationes, modo quantum deceſſerit meo nomini, tantum accedat veræ pietati. Hîc tecum ſtatuas oportet, utrum me cum his omnibus, qui quod a me factum eſt auſi ſunt vel facere vel approbare, velis abſolvere an damnare. Sed offendit te perſona, quam aliter in Paraphraſi loquentem facio, quam loquitur in Opere ſuo. Ridiculum, quaſi veteres Scripturarum Enarratores, quoties loci ſummam ſuis verbis explicant, non idem faciant quod ego, niſi quod Paraphraſtes id faciat perpetuo tenore, quod illi faciunt interrupte: quaſi non idem faciant apud *Italos*, *Gallos*, *Britannos*, & *Germanos* Concionatores, ut ſententiam paucis verbis in Scriptura comprehenſam pluribus & aliis verbis explicent populo. Quid autem ſentis? cum ais, *pro libidine ſua.* An pro libidine ſua tractat Scripturam, qui in ea explicanda ſequitur probatiſſimos quoſque matris Eccleſiæ Doctores, quod a me ſedulo factum eſt? Nec his contentus progrediens dicis: *Quinimo perſonam* Chriſti *concionantis, quem interdum prater omne decorum inducis tanquam* Hortenſium *aut* Ciceronem *compoſitis verbis elaborata oratione cauſam agentem, & quod deteſtabilius eſt, plurima dicentem, qua in Sacris Litteris non habentur, humana ſapientia verbis accommodatis.* Hæc tua ſunt verba. Ut verbo reſpondeam. Nullæ ſunt phaleræ dictionis in meis Paraphraſibus, quas tu præter animi tui ſententiam illis, ni fallor, tribuis, ut commodius perores cauſam tuam: nec uſquam tribuo *Chriſto* compoſitam & elaboratam orationem, cum nullum opus magis in tempore perfecerim: nec hîc erat locus in quo *Ciceronis* aut *Hortenſii* debueris meminiſſe. Si ſenſus congruit *Chriſto*, de verbis injuſta querela eſt, niſi damnas omnes quos recenſui. *Chriſtus* nunquam loquutus eſt carmine, & tamen ſic loquitur apud *Juvencum*. Sin minus, eadem venia mihi debet eſſe parata, quæ datur Scripturarum Enarratoribus omnibus. Jam ſi nihil adderem ei, quod in Sacris Litteris habetur expreſſum, non eſſem Paraphraſtes, nec Explanator. Mihi ſatis eſt quod quæ adjicio non diſcrepent a Scripturarum ſenſibus. Et tamen hoc erat tuæ libertatis, indicare loca quæ damnas. Proinde ſententiam *Solomonis*, quæ vetat quicquam addi ſermoni divino, aut illis cane, qui docent cum Scripturis pugnantia, aut his, qui non verentur ex humanis diſciplinis, præſertim ex ſophiſticis ex *Ariſtotelis* & *Averroïs* monumentis plurima congerere ad Divinorum Voluminum explanationem. Sed alicubi profiteor me cœleſtis Oratoris mutare linguam. Hoc ut alii calumnientur, tu certe non minus verſatus in Oratoribus, quam in Philoſophis, agnoſcere debebas ſchema rhetoricum, quo feſtivius quidem, ſed nihil aliud declaravi, quam me ſenſa *Pauli* ſic explanare, ut & facilius & minore cum tædio percipiantur. Intelligit, opinor, tua prudentia, quæ ſubtexis de Spiritu Sancto, qui Scripturam de verbo ad verbum dictarit, cujus auctoritati abſit ut quiſquam Chriſtianus velit repugnare, nil ad nos attinere. Attamen iſta tibi nitide & eleganter declamata ſunt, ſed extra cauſam. Copioſe quidem & illud tractas, multum eſſe diſcriminis inter Commentatorem & Paraphraſten: quod Commentator relinquit integrum ſermonem, Paraphraſtes immutat. Conſule Codices Eccleſiaſticos, & vide an ullus per me ſit immutatus. Porro niſi aliis verbis uterer, quam Sacri Libri, non eſſem nec Paraphraſtes, nec Enarrator. Jam age reſponde nobis, quid intereſt, utrum faciam *Paulum* meo more loquentem, an Enarrator dicat, *Hoc ſentit* Paulus, & ſubjiciat expoſitionem, quamquam, ut diximus, hoc non raro faciunt, & ſub perſona Apoſtoli, aut *Chriſti*, quoties ſummatim explicant argumentum loci. Cæterum quod addis, eum, qui ſequutus Enarratoris auctoritatem in errorem prolapſus fuerit, facile poſſe in viam revocari Scripturarum ſubſidio, qui mea Paraphraſi deceptus fuerit, nulla ratione poſſe reſtitui, obſecro te per genium tuum, vir illuſtris, joco ne hæc ſcribis an ſerio? An parum lædunt Religionem Chriſtianam Hæretici, qui Scripturas non Paraphraſi, ſed Commentariis perperam enarrant? ποῖον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Et in his lapſus unde reſtituitur? per ſinceram Scripturam. Accipio. Et ſi quis traxerit errorem ex mea Paraphraſi, nulla ratione poteſt reſtitui? Quî ſic? Quia nuſquam exſtat ſincera Scriptura? Imo nihilominus exſtat in tanta turba Commentatorum. Unde coarguitur error eorum, qui in *Ariſtotelem* ſcripſere Paraphraſes? Nonne ex ipſo *Ariſtotele*? Quoniam nihilominus exſtat quam ſi quis pro Paraphraſi ſcripſiſſet Commentarium. Quid igitur vetat, quo minus hic reſtituatur per Scripturam exſtantem qui lapſus ſit? Imo ob id in marginibus annotavi capita, quo Lector conferre poſſit commodius. Vix & illud arbitror te ſerio ſcribere, diſcrimen eſſe ne qui mihi ceu jurati ſequantur auctoritatem meam. Ubi nunc habitat iſta auctoritas? Apud *Germanos* eruditos nonnihil habebam gratiæ, priuſquam hæc Evangelica tempeſtas exſtitit. Mox gratia ceſſit in odium. Nec uſquam animadverti juratos, quos memoras. Etiam atque etiam iterum atque iterum in procemiis clamo, Paraphraſim nihil aliud eſſe quam commentarii genus, nec volo Paraphraſtæ plus tribui quam cuivis Enarratori, ſi quid lapſus deprehendant, mihi imputent, non perſonæ loquentis. His præfationibus excluditur omne periculum, ſi quid immineat. Rurſus philoſopharis de ſyllabis & apicibus

cibus Scripturæ divinæ, quæ nihil ad me pertinent. Nam si vera prædicas, nec vetus Testamentum vertendum erat in Linguam Græcam, nec novum in Latinam. Quot enim apices hîc, quot mysteria pereunt? Quanquam hæc, ut dixi, nihil ad me, qui Scripturam prorsus intactam relinquo. Quod est igitur illud detestabile dictionis genus, quo universa mutantur & pervertuntur? An ideo tibi visum est initio precari veniam libertatis, ut hæc diceres, quæ pervelim honoris tui gratia abesse ab hac disputatione tam nitida tamque *Ciceroniana*. Quod in clausula addis, eos indignos Scripturarum lectione, quos sola dictionis suavitas allicit ad eas, fortasse verum est, sed tamen pium est nauseantes ac fastidiosos illecebra quapiam ad Scripturæ amorem allicere, quod sane probat & D. *Augustinus*. Sed de his jam pluribus agere tecum non est ratio, præsertim cum ad istas cavillationes toties responderim.

Restat ut inspiciamus Epilogum tuum. Quoniam in Scholiis duobus verbis annotavi de potestate Pontificis, & non exerta, & quod olim Papa dictus sit *summus Sacerdos*, non *summus Pontifex*, quo tamen vix credo a me scriptum: quoniam dubitavi, num olim fuisset nomen *Cardinalium*: quoniam in *Moria* taxo per jocum mores hominum corruptos: quoniam in libello *de confessione* non pronuncio eam a *Christo* traditam, cum aliud tum agerem, & alias pie de illa prædicem: denique quoniam ausus sum in novum Testamentum, sed tamen commodius commentarii genus scribere, ob has & similes causas satis liquet me a *Lutheranis* institutis non longissime abhorrere. Quis non miretur istam nervosam collectionem? Sed nihil offendor, *Alberte* clarissime, quoniam mihi persuadeo te nihil horum ex animo tuo scribere, sed quæsisse campum, in quo declarares quantum possis eloquentia *Tulliana*. Quod utinam tentasses in argumento feliciore. Quanquam *Tullius* in initio actionis est moderatior, in argumentando nervosus, in perorando vehemens. Tu atrociter proponis, parum solide argumentaris, frigide peroras. Promiseras enim te demonstraturum, me fuisse occasionem, causam, auctorem, ac ducem totius *Lutherana* tempestatis: mea scripta auctoritatem adimere sacramentis: matrimonium præferre continentiæ: detrahere sanctionibus Patrum, Pontificis dignitati: Monachorum deridere professionem, deridere divina, accusare preces horarias. Quid horum vel mediocribus argumentis docuisti? post tam atrocem propositionem, post tam elumbem probationem, quam frigida clausula succedit? *Sed hactenus*, inquis, *de priore causa, quæ multis suspicionem injecit te ab institutis* Lutheranis *non longissime abhorrere*. Suspicio est, non sententia, non omnium, sed multorum, me non longissime abhorrere. Quam non respondet hic finis exordio causæ? Quid autem appellas institutum? Revocationem Christianæ pietatis ad pristinam sinceritatem? Hoc jam olim optant probatissimi quique, non ego tantum, quanquam nihil novarum rerum molitus sum, nisi quod obiter de quibusdam admonui. Sic autem optavi, ut nollem per tumultum quæri remedia. Quod fieri necessum erat, si res non Principum auctoritate, sed populari temeritate gereretur. Sin institutum vocas *Lutheri* dogmata, ut summa virtus proxima est vitio, veluti summa liberalitas profusioni, summa severitas crudelitati, ita summa veritas falsitati. Transis ad accusationem silentii mei, quam partem ut soles ita tractas, quasi nullam omnino silentii mei reddiderim rationem, cum id toties a me factum sit. Quanquam falsum est me initio siluisse. Scripto statim edito testatus sum mihi nihil esse negotii cum *Luthero*. Quotquot adibant me velut exploratores sic tractavi, ut intelligerent mihi *Lutheri* conatum non probari. Si quos habebam amicos, apud quos nonnihil vel gratia valebam vel auctoritate, hos ab hujus negotii commercio deterrui. Ipsum *Lutherum* admonui, ut sincero animo rem ageret. Apud ipsum *Saxoniæ* Ducem *Federicum* ingenue fassus sum mihi *Lutheri* conatus non probari. Et hæc statim initio. Dic mihi per *Aristotelis* manes, *Alberte*, num hoc est silere? Quin tu cantionem istam canis *Sorbonæ*, quæ tam sero prodidit articulos in *Lutherum*? Quin tibi ipsi canis, qui cum tanto Religionis zelo ardeas, tanta polleas tum auctoritate, tum gratia, tanta dicendi facultate, & quod omnium potissimum est, tot annorum sudoribus parata *Aristotelica* Philosophiæ cognitione sis armatus, nunc demum post annos novem prosilis in arenam, cum tibi tutum esset *Romæ* velut ex arce Religionis omne telorum genus in *Lutherum* dejaculari. Et quod tu vir tantus non audebas *Romæ*, me volebas in *Germania* facere? Hîc rursus meam eruditionem, eloquentiam, auctoritatem verbis exaggeras, nec unquam his ornor præconiis, nisi cum faciunt ad crimen. Sed facessant hæ strophæ, longe aliud de me pronunciavit litteraria sodalitas, cui *Romæ* coryphæus eras: multo aliud apud nos deprædicavit ille *διπλωματοφόρος*, magna pars animæ tuæ, &, ut ego sentio, magna pars hujus calamitatis. Quid si statim in arenam prosiliissem? Meo antidoto pestilentem colubrum, sic enim, opinor, designas *Lutherum*, vertissem in fugam, & antrum subire subegissem. Qui non cessit trium Academiarum censuris, non cessit atroci Pontificis diplomati, non cessit edicto Cæsaris, tanti nimirum Principis, ut minima portio ditionis illius sit imperium: qui non cessit incendiis hominum, ac mundo extrema minitanti, statim meo scripto territus abdidisset se in antrum? Ad id sane persuadendum vere opus sit *Tulliana* facundia. Quamquam quod aliis persuadere conaris, sat scio tibi nondum esse persuasum. Ubi vero scripsi *Lutheranæ* tragœdiæ prologum mihi fuisse non injucundum? Scripsi non omnino displicuisse, sed ita non displicuisse ut tamen reclamarem, imo scripsi mihi nunquam placuisse. Quî namque fieri potuit ut reclamarem, si placeret? Sed spectatorem me præbui, verum cum tot hominum millibus, qui taciti spectabant, cum ego protinus reclamarim. Hominem e proscenio depellere, non erat meum, sed eorum qui spectabant ex orchestra. Inter hos tu, mi *Alberte*, sedebas, cui tanto major aderat cohibendi mali facultas, cui tutum erat facere, quod alioqui cum vitæ periculo faciendum scribis, & profecto pie scribis. Atque ideo libellum tot annis elaboratum nunc demum promulgas, cum pene sit serum, nec id tamen ausus es nisi *Lutetiæ*, ubi tutior es quam eras *Romæ*. Ac vide fortitudinem tuam, qui mihi timiditatem objicis, nullum impetis in tuo libro, præter *Erasmum* oneratum invidia, *Lutherum* confossum, ut ais, & *Huttenum* vita defunctum, cum altera factio pene *Lutherum* obruerit. *Quo gravior erat pestis, hoc celerius*, inquis, *erat occurrendum*. Recte, sed initio plerisque videbatur esse pestilentiarum antidotum, a multis dubitabatur quorsum esset evasurum. Hîc si meam excusationem non accipis, mecum accusas doctos omnes & Academias teque ipsum in primis. Vere scribis *Arianam* factionem fuisse multo periculosissimam, sed hoc tantum incendium ex improbitate Clericorum ortum est, qui hominem eruditum per invidiam e suo contubernio depulerint: quemadmodum hæc *Lutherana* tempestas quorumdam seditiosis clamoribus huc usque incruduit, ac magis etiam increduescet, nisi melioribus rationibus succurratur, quam adferunt *Sutores* ac *Bedda*. Sed adversus hanc ausi sunt scribere Græci Latinique, in quibus *Hilarius*. Verum nullus illorum tam celeriter scripsit in *Arium*, quam tu volebas me scribere in *Lutherum*, & *Hilarius* aliquanto serius strinxit calamum in *Arium*, quam ego jam toties strinxi in *Lutherum*. Qua quidem in re tuam æquitatem cogor desiderare, magna vehementia rhetoricaris de silentio meo, cum Diatribam ante complures annos emiserim, cum adversus *Lutheri* servum arbitrium duobus justis voluminibus pugnarim, cum tot locis sparsim in lucubrationibus meis diversa ab illo doceam: & tamen Diatribam tibi fuisse lectam in hac ipsa disputatione testaris. Dices, cum hæc ordirer scribere, nondum videram. Esto, sed erat hoc tuæ vigilantiæ, detrahere actioni, quod erat supervacuum. Etenim si non piguit te *Lutetiæ* tam multa adjicere, præsertim testimonia Scripturarum, nec gravari debueras ea tollere, quæ ut me apud malevolos gravant invidia, ita te apud eruditos & cordatos vocant in suspicionem vanitatis. Nondum videras *Hyperaspistas*, sed utique videras, cum hæc ederes, imo priusquam tuum libellum ad me mitteres, & tamen

men in calce libri sic hortaris me ad hoc muneris, quasi nihil omnino præstiterim. Culicem me dixi, non ex mea persona, sed ex aliorum sententia, qui cum alias nihil mihi tribuere soleant, nec ingenii, nec eruditionis, nec judicii, quoties onerandus sum invidia, mirum quantus subito fiam elephantus. Tu me potius nunc elephantum facis, nunc culicem. Ubi vero mihi censuram arrogo universi orbis? An quod *Moria* tangit mores hominum, sed tam civiliter, ut quisque sua vitia citra dolorem legere queat? Ista tibi quidem graviter dicuntur & ex arte, sed absque causa nec ex vero. Excusas Academias, quod post officio suo functæ sint, & mihi dicis: *Tu autem ad hanc bestiam oppugnandam nullas adhuc admovisti machinas.* Id cum sit falsissimum, tamen toto hoc capite mira prosequeris vehementia, perinde quasi sit in confesso. Ita videlicet consuevit *Cicero*. Quanquam tuus ille Diplomatophorus, cum miscerem cum illo colloquium, dicenti quosdam indignari, quod nihil in *Lutherum* scriberem, respondit, quid necesse est te in *Lutherum* scribere? Et hoc tamen est totius accusationis tuæ caput. Porro quanquam id temporis sperabam lætiorem exitum, non enim sum vates, tamen si quis probus bonis verbis hoc mecum egisset, non detrectassem officium meum. Hujus orationis hæc est summa. Si non probaris *Erasmum* esse virum, qui doctrina, facundia, ingenio, judicio, auctoritate plus valeat quam tot Theologorum, eruditorum, & Episcoporum millia, nisi docueris *Lutherum* minimo negotio posse conteri, nihil hæret in me criminis, quod non sit cum cæteris commune, & tamen uni mihi intenditur.

Ut autem ipse quoque meum finiam Epilogum. Accusor quod non scripserim in *Lutherum*. Scripsi cum primis. At non edidisti articulos. Non enim eram Academia. Et si hîc laudatur celeritas, omnium postrema fuit Academia *Parisiensis*, auctoritate prima. Tum si silentium vocatur in crimen, vides quot Academias una damnas sententia. Tres enim duntaxat in illum scripserunt articulos, reliquæ omnes hærent in crimine. Non aggressus es hominem volumine. Reclamat Diatriba jam pridem edita, nec id semel. At non satis atrociter. Id negat *Lutherus*, qui nulli respondit acerbius quam mihi. Verum hîc obticuisti. Imo respondi duobus voluminibus, in quibus nec audaciam, nec severitatem desideres. Verum ante te scripsit *Prieras*. Fateor. Sed ita ut causam Indulgentiarum fecerit deteriorem. Scripsit Cardinalis *Cajetanus*. Subtilius quidem ille, sed quod ad causæ successum attinet, nihilo felicius. Ante censuras Academiarum, ante Pontificis fulmen, ante Cæsaris edictum, me privatum in illum stringere calamum fuisset extremæ temeritatis, post hæc scribere supervacaneum erat. Nec enim probabile erat illum uni mihi cessurum, qui tot auctoritatibus non solum non cessit, verum etiam ad audenda majora animatus est. Hîc si dicis, me plus fuisse valiturum, quam Academiarum censuras, quam diploma Pontificis, quam Theologorum libros, quam edictum Cæsaris, ignosce rusticitati meæ, nec istud credet quisquam, nec arbitror teipsum quod affirmas credere. Postremo docet exitus ipse, quantum fuerim profecturus. Lege *Lutheri* servum arbitrium, ac meos *Hyperaspistas*, & intelliges verum esse quod dico. Tantum ad insimulationem tuam in transcursu. Nunc multæ sunt causæ, quas litteris committere, nec mihi tutum est, nec expedit causæ, cui pariter favemus. Hæc est enim horum temporum infelicitas, ut periculosius sit hominum commodis adversari quam gloriæ *Jesu Christi*. Nec dubito quin & tua prudentia divinet quid silentio loquar. Si quem cuneum vidissem, semotis privatis affectibus, sincera pietate procurantium *Christi* negotium, eo, mihi crede, per flumina, per lamas, per saxa, per ignes accurrissem & hodie accurrerem, vel moriturus apud illos. Qui spiritualibus oculis contemplantur decorem domus Dei, mox eosdem deflectunt ad ea quibus nunc æstimatur Ecclesiæ dignitas, non possunt non suspirare ex intimis præcordiis. Sed desino. Posteaquam videris tibi satis declarasse, voluntatem scribendi in *Lutherum* mihi defuisse, docere niteris ex arte Rhetorum, mihi facultatem non A defuisse, pertractans totius doctrinæ *Lutheranæ* summam. Quod si facis ut me accuses quod non scripserim, jam scripsi; sin ut instruas ad scribendum, jam serum est, non ob id tantum quia jam factum est ad quod arma ministras, verum etiam quia res jam dudum exiit hominum potestatem, nec libellis agitur negotium, sed armis. Quod si cessant leges inter arma, multo magis disputatorii libelli. Nihil superest, nisi ut agnoscamus manum Dei nos provocantis ad pœnitentiam, & omnes quicunque sumus, omnes enim egemus gloria Dei, ad illius misericordiam confugiamus. Sin ut omnes Hæreticorum phalanges uno conflictu profliges & internecione deleas, vehementer optarim hanc tui libelli partem, aut tam solidis argumentis instructam esse, ut impiis omnibus os opprimat, aut tam felicem, ut omnes ad rectiora consilia revocet. Id tamen facilius effecisses, si hostilem aciem, aut certe ducem nominatim appellasses potius quam me. Cæterum quoniam nihil hîc est, quod in meis jucubrationibus invenitur, non est quod respondeam, nisi quod carptim quædam attingam, quæ tibi huic disputationi visum est inspergere, quo consilio, non satis perspicio. In *Diatriba* reprehendis, quod in principio ac fine sim æquo modestior. Non ita visum *Luthero*, declarat volumen quo mihi respondit. Sed fuerim, certe in *Hyperaspistis* hoc non potes reprehendere, nec tamen probas, sed editos dissimulas. *Nisi denuo*, inquis, *scribas in* Lutherum, *adauxeris potius hominum de te suspicionem, posteaquam declarasti* Diatriba *quid potueris si voluisses*. Quorsum attinebat, ut homo, quemadmodum scribis, occupatissimus hîc frustra tantum funderes verborum? Quod scribis ab omnibus optari, flagitari, requiri, jam dudum a me præstitum est duobus voluminibus. Id factum dissimulas, ne non esset locus illis, quæ multa *Ciceroniana* phrasi declamare pergis. Obiter notas quod nec vita functis parcam, quo minus de illorum monumentis judicem. Id si mihi cum omnibus Scriptoribus commune est, præsertim cum tuo *Aristotele*, quem optimo jure facis plurimi, cur uni mihi impingitur? *Nec Apostoli*, inquis, *nec* Augustinus *ullam præbuerunt occasionem*. Hoc patiar obtinere te, si docueris *Augustinum* nihil suffragari *Luthero* in quæstione liberi arbitrii, ut de cæteris sileam. Sed non dat occasionem, cujus bene dicta rapiuntur in occasionem, cur ego præstitisse dicar, in cujus libris nihil tale potest ostendi? De disciplinis humanis sic agere videris, quasi meum dogma sit, purum Rhetorem aut Grammaticum posse melius de fidei quæstionibus disputare, quam gravioribus disciplinis instructum, cum a me nihil istiusmodi proditum sit. Extra controversiam est Linguarum peritiam Theologo necessariam, an humana Philosophia sit necessaria, thema videtur utcunque disputabile. De Sacris Libris vulgo communicandis jam pridem satis aperui meam sententiam, ne crambe toties recocta nauseam moveat Lectori. Quod negas margaritas porcis spargendas, & sanctum dandum canibus, male sentis de populo Christiano, si dignum judicas qui porcis & canibus conferatur. Certe *Christus* promiscue simplicibus & idiotis sua mysteria dignatus est aperire, & nuper audiri cœptum est, plebem a Sacrorum Voluminum lectione prorsus submovendam. Vereor ne quibus videatur iniqua partitio, quod *Italis* tuis vindicas sapientiam cum eloquentia conjunctam, nostratibus nihil relinquens præter inanem eloquentiam, qui, ut inquis, studium eloquentiæ studio sapientiæ præferunt. Atqui nusquam plures sunt quam apud *Italos*, qui tota vita nihil aliud agunt, quam ut linguam expoliant. Apud nostrates magis viget Philosophiæ studium quam apud vos, magis etiam Theologiæ, quæ apud vos pene tota ad paucos Monachos relegata est. Hæreticos appellas eos, qui Papam contemptus gratia vocant Romanum Episcopum, an hoc titulo sim usus alicubi non satis memini. Certe si feci, non feci contumeliæ causa. Veteres orthodoxi honoris gratia solent hunc tribuere titulum, & ipsi Pontifices hoc titulo se designabant.

Non est autem, ornatissime Princeps, cur deprecer offensam, quod me docere visus es. Utinam tibi va-

Digitized by Google

vacaret multo plura docere. Quod ad hanc quidem partem attinet, habeo gratiam maximam, qualem habituri sint *Lutherani*, nescio. Illud demiror, quare sub finem libri recinis nobis toties frustra cantatam cantilenam, ut post *Diatribam* rursus in *Lutherum* stringam calamum, & stringam acriter, quod cum jam pridem esse factum non possis ignorare, non satis perspicio quo consilio dissimulandum putaris. Haec si scripseras nondum conspectis voluminibus, quanto satius erat hanc coronidem mutari, quod magis in rem erat existimationis utriusque: meae, quod sine causa tractor odiose: tuae, quod vel tam piger videberis, ut tantum operae nolueris sumere, vel tam non ingenuus, ut quod est omnibus notissimum dissimularis. Et interim, si Deo placet, minitaris, ni id faciam, fore, ut haereat in me *Lutheranismi* suspicio, ut mihi plurima videantur convenire cum *Luthero*, ut probati viri me primum auctorem tantorum malorum fuisse praedicent, atque vita defunctus hanc opinionem mecum efferam. Quid si fecero? nihil horum erit? Nihil, inquis. At jam pridem factum est quod hortaris. Jam si verum est quod tu tanto studio probare conatus es, *Lutherum* ex meis hortis letalia legisse semina, quomodo medebuntur huic malo mea quamlibet vehementia scripta? An quod factum est, fieri infectum potest? Imo suspicionem istam potius confirmavero, si destomacher in *Lutherum*. Dicar enim hoc officio priorem culpam pensasse. At isto nomine syllabam in *Lutherum* nec scripsi nec scripsero. Mentiantur, fingant, comminiscantur isti quaecunque volent. Praeterea vereor ne quis constantiam in te desideret, qui cum initio fassus sis te de me semper honorifice & sensisse & praedicasse, tamen ingressurus disputationem, haec in me congeris, quod detraham dignitati Sacerdotum & Pontificis, irrideam professionem Monachorum, aliaque permulta ante commemorata. Quae si non credis de me, quorsum attinebat in alienis calumniis confirmandis tantum operae sumere? Si credis, quî convenit ut de eo semper honorifice & senseris & praedicaris, de quo tam multa mala sentis? Jam in illo complures candorem desiderabunt, quod istam invidiosam cantilenam alieno tempore canis orbi. Ante annos octo quidam improba lingua conabantur eam suspicionem impingere mihi, quod non essem omnino a *Lutheri* negotio alienus: id cum esset falsissimum, tamen calumnia poterat utcunque probabilis videri. Tum poterat videri pietas, si me ad profitendum quid sentirem provocasses. Nunc posteaquam notius est, quam expedit mihi, nihil inter nos convenire, posteaquam tot libellis lapidatus sum, posteaquam tam late patentis factionis odium in me concitavi, posteaquam cum ipso *Luthero* gladiatorio more conflictatus sum, quam non tempestiva est ista tua vel expostulatio vel adhortatio? Expostulas de his quae mutari non possunt. Adhortaris ad ea quae jam peracta sunt, quorum alterum est supervacaneum, alterum etiam absurdum, utrumque alieni temporis. Proinde quemadmodum hic libellus editus nonnihil invidiae mihi conflabit, praesertim apud eos, qui nihil non probant quod impetat *Erasmum*, quibus & *Hutteni* expostulatio mire arrisit, cum *Luthero* videri vellent infensissimi: ita vereor ne apud eos, qui sunt integro sanoque judicio, nonnihil detrahat tuae existimationi, quae multorum animos occuparat, *Albertum* esse virum aequitate candoreque singulari praeditum. Videberis enim arte parum liberali causam meam cum causa *Lutheri* commiscuisse, ac veluti linum lino contexuisse, ad quod ut videare meis litteris provocatus, multa congeris, cum ipsa res aliud loquatur. Notabunt & illud, quod propositio tua multo sit atrocior, quam argumentatio, ut haec aequis judicibus non videare scripsisse, sed hostibus tantum. Illud certe nullus excusabit, quod alieno tempore edideris, quod ea non mutaris, quae res ipsa monebat immutanda, quod dissimularis post Diatribam editos duos Hyperaspistas.

Fortasse dices me nunc idem committere quod in te reprehendo, qui moneam non fuisse vulgandum librum, qui jam excusus prostat. Monuissem in tempore si resciissem ubi locorum ageres, & mox ubi audivi te in *Gallis* agere, scripsi super hac re litteras, quas demiror tibi non esse redditas. Non minus enim consulebant tui nominis honori quam meo. Verum haec quoniam revocari non possunt, boni consulamus oportet. Illud non satis intelligo, quod petis a me tibi dari veniam, si quid intemperantius, concitatius, asperiusve videaris in me dixisse, monesque ne quid tale suspicer in me dictum, sed omnia referam in *Martinum*, in cujus mentionem nemo potest incidere, qui modo sit Christianae Religionis studiosus, quin excandescat & frena modestiae relaxet, quod adversus tam impium, ut ais, & tam mordacem Haereticum verba temperare, contra omnem modestiam, non solum contra pietatem esse videatur. Ignoscas, *Alberte* clarissime, stupori meo, quod genus zeli hoc est, sic irasci Haeretico, ut in hominem orthodoxum destomacheris? Istud phreneticorum est, dum irascuntur inimico, ferire amicum. Quanquam solent aegroti quoque in summo cruciatu charissimos etiam maledictis aut pugnis impetere. Si quid tale est, doleo me tibi tam fuisse propinquum. Sed ego fortasse non assequor sensum tuum, & aliud quiddam istis verbis exprimere voluisti. Non enim illud, opinor, metuis, ne quicquid in *Lutherum* dicitur, existimem ad me pertinere. Si tam bene volebas mihi quam praedicas, humanius erat mea in commodum interpretari sensum, potius quam bene dicta huc detorquere, ut viderentur *Lutheranis* congruere, ut fileam, quod multa odiosa commemoras, quae in scriptis meis nusquam reperias. Et si tam male volebas *Luthero*, quam videri vis, utinam istam acrimoniam in argumentando potius quam in procemiis declarasses. Ibi cominus res agitur, ibi spectator exspectat, uter stet aut cadat. At hîc frequenter tam diluta est tua oratio, ut non tam evincere quod proposueras, quam precario impetrare velle videaris. Relege disputationem tuam, sed ut alienam, & comperies sic habere. Expedit aut non lacessere *Lutherum*, aut validissimis argumentis rem agere. Verum hoc nunc sero moneo. In summa, utinam aut in alio quopiam argumento declarasses nobis, quantum ingenio valeres, aut certe quod tractare visum est, aliter tractasses. Postremo quod me invitas ad amicitiae foedus, lubens amplector, polliceorque me, licet caeteris omnibus inferiorem, benevolentia studioque propensae voluntatis nusquam tibi cessurum. Sed mihi vicissim ignoscas oportet, vir humanissime, quod ipse dum atroces calumnias a me depello, quaedam fortasse liberius dixisse videbor quam pro tua dignitate. Utinam fuisset hoc concertationis genus, in quo licuisset simul & tuae dignitatis & meae salutis rationem habere. Quin & illud boni consulas oro, quod expolitissimo libro, rudi planeque *Batava* Epistola respondeo. Si obticuissem, verebar ne quis interpretaretur id tui contemptu factum, & ad hanc operam vix dati sunt sex dies, quorum tamen magna pars in alias occupationes erat distrahenda. Extemporarium est quicquid vides. Et si maxime suppetisset otium, non sum adeo meae mediocritatis ignarus, ut vel eruditione, vel eloquentia velim cum tali viro certare, quales ego semper venerari soleo potius quam aemulari. Bene vale. Datum *Basilea* Idibus Februarii, Anno M. D. XXIX.

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
APOLOGIA BREVIS
AD VIGINTI QUATUOR LIBROS
ALBERTI PII
QUONDAM CARPORUM COMITIS.

NIMIRUM *Albertus Pius* rem perfecit perquam ingenioſam, qui *Parthos* imitatus injecto ſpiculo fugit, ne mihi liceret referire. Deceſſit enim opere nondum excuſo, ne abſoluto quidem, ut arbitror: unde quemadmodum compertum eſt, illum ad ea, quæ ſcripſit in me, variis operis uti ſolitum, aliis qui loca ex ſcriptis meis decerperent, aliis qui dictionem expolirent, aliis qui ſuggererent teſtimonia Scripturarum, quarum illum fuiſſe rudem minime mirum, aliis qui materiam & argumenta ſuppeditarent, aliis qui commonſtrarent Theologorum dogmata: ita ſuſpicor ſub defuncti titulo plurima eſſe aſſuta, quæ vir ille nunquam vidit. Captatus eſt ab iſtis artificibus magnifici nominis fumus, ſub quo ſuas nænias in vulgum protruderent, ut ſimul & ipſi ſuffugerent invidiam, & me tituli ſplendore gravarent. Nam illos hujuſmodi fucis gerere omnia mundo notius eſt quam velim ipſe. Jam vero vehementer invidioſum habetur ſcribere in mortuos, & ut ajunt, *cum larvis luctari*, ſed quid facias, ſi in te ſcribant mortui, & impingant apud totius orbis tribunal, ad quæ connivere eſt impium? Valeat proverbium, non eſſe luctandum cum larvis, niſi contra proverbium mordent mortui. Fugit apis, ſed in vulnere reliquit aculeum. Non eſt quem referiam, ſed eſt cui medear.

Ad hanc invidiam accedit & illud, quod triduo priuſquam exſpiraret *Pius*, Medicis certam vitæ deſperationem pronunciantibus, induit ſacroſanctam veſtem *Franciſcanorum*, in qua & ſolenni pompa per publicam viam delatus ac ſepultus eſt in ſacroſancto illorum Monaſterio, ut periculum ſit, ne, ſi quid tuendi mei gratia ſcripſero durius in *Pium*, videar univerſum Ordinem Seraphicum lædere. Quid igitur faciam? Num tantum tribuam religioni ſepulturæ, ut tacitus patiar me tot capitalibus ſycophantiis traduci ab iſtis qui latent in hoc equo *Trojano*? Utinam & hoc liceret approbante *Chriſto*, qui crucem pertulit citra contradictionem, convicia impietatis non pertulit tacitus, ſed accurate reſpondit objicientibus quod Dæmonium haberet, & ſpiritu *Beelzebub* ejiceret Dæmonia. Atque utinam ipſe *Pius* non tantum vel ſuo indulſiſſet ſtomacho, vel aliorum affectibus obſecundaſſet, ut mihi liceret totam redargutionis invidiam in alios transferre, perquam lubens peperciſſem, *Italo*, nobili, Principi, & bonarum litterarum, ſi minus callenti, certe fautori. Nam hoc ipſo profuit ſtudiis, quod homo clarus ac fortuna neutiquam ſordida profeſſionem ſtudiorum ſuſtineret. Sed quando prorſus obticeſcere non concedit pietas, quod licet dabitur *Pii* manibus, quibus opto precorque Domini miſericordiam, ut carptim modo ad quædam reſpondeam, idque quantum fieri poteſt, citra nominis illius contumeliam. Quod cum mihi viderer abunde præſtitiſſe, tum in Epiſtola, tum in Reſponſione, idque non meo tantum, ſed complurium etiam eruditorum judicio, tamen fuiſſe videntur, qui *Pio* diverſum perſuaſerint. Quid facias? Ita eſt hominum ingenium: quicquid in alios dicimus, nobis blandum videtur: quod alii in nos, etiamſi ſit moderatiſſimum, aceto videtur acrius. Hîc protinus reclamaturi ſunt quidam, dilucide in teipſum pronunciaſti. Equidem non refragabor, nec inficiabor me hominem eſſe, modo fateantur hoc dictum pariter & in alios hærere. Ajunt neminem in cauſa propria bonum eſſe judicem, fateor, ſed qui carpunt alienos libros, & ipſi ſuam cauſam agunt: quibus hoc minus tribuendum eſt, quod in multis locis deprehenduntur manifeſte calumniari, palam mentiri, depravare quod bene dictum eſt, falſo citare locum quem reprehendunt, truncatim adducere, quod integre prolatum longe alium habet ſenſum, impotenter vociferari, cum quod ſchedis porrectum eſt, non intelligant, ludere inſulſis ſalibus, ubi ſe maxime præbent ridiculos, ſubinde colaphos & alapas impingere, præſertim cum hos tumultus moveant ex ſchedis famulorum non intellectis, venantes apud imperitos Thraſonicas glorias. Hæc quam paſſim occurrant in hoc opere, index quem præfixi perſpicue docebit. Imo in univerſo argumento hoc eſt illi perpetuum: atrocius proponere, mea mala fide citare, ex his impudenter aſſumere, mox ſalibus & ſcommatis in me debacchari, quaſi jam probatum ſit, me reprehendere quod ille tuetur. In ipſa declamatione quædam ſunt non indigna lectu, ſed quæ nihil ad me pertinent, & tamen nihilo ſecius quam ſi ad me pertineant, ego conſpuor & dicteriis lapidor. Tolerabile & hoc, niſi fieret ita paſſim. Facile credo *Pium Romæ* ſcripſiſſe in me quorumdam impulſu, nec me fugit qui ſint: unus eſt homo Judaïcus, quo cum hominum genere nunquam mihi bene convenit. Sed illi non potuiſſent perpellere, niſi gloriæ fames plauſtrum hoc perculiſſet. Fateor humanum eſſe vitium, ac præcipue generoſis ingeniis agnatum, ſed illiberale eſt, ex alterius ignominia ſibi parare gloriam. Utcunque verbis leniunt illam *Pii* Epiſtolam, admonitionem blandam & amicam appellantes, re nihil aliud erat quam atrox criminatio, blandulis aliquot verbis diluta, quaſi dicas aconitum mulſo additum. Et tamen non video quo pacto potuerim magis illius parcere nomini, qui cum ſcirem illud opus ipſius Marte non eſſe conſcriptum, tamen quicquid erat odioſum in illos detorſi, qui *Alberti* ſinceritate abutebantur. Rurſus quod erat glorioſum ac favorabile, totum illi conceſſi. Et tamen hanc tantam meam civilitatem ille tam inciviliter interpretatur, quaſi ſtudio mihi fuerit adlaboratum, ne quid in ipſum contumeliarum prætermiſterem, ut plane videatur anſam quæſiſſe de plauſtro, quod ajunt, in *Eraſmum* debacchandi. Qui ſi ſcripſit ex animi ſui ſententia, fatendum eſt ingenue quod ipſa loquitur res, illum gravius laboraſſe mente quam corpore. Solet autem hic affectus fere eorum animis inceſſere, quibus imminet fatalis dies, ut cupiant aliquod memorabile facinus edere, quo memoriam nominis ſui poſteritati commendent. Probandus erat affectus, ſi delegiſſet argumentum favorabilius, ac viro bene nato dignius. Non ignoro quantum poſſit improbitas inſtigatorum, fuco pietatis ſeſe venditantium: verum non erat viri principis, eruditi, nec ætate modo ſed multo etiam rerum uſu periti, ſuam famam credere quibuſvis impulſoribus: nec tam odioſe ſtringere calamum in eum, cujus ſcripta non legiſſet, & ex ſchedis indoctorum aut negligentium famulorum velut e teſſellis, opus non *Moſaïcum*, ſed *Momicum* texere. Scripſit Epiſcopus *Roffenſis* in *Lutherum*, ſed illius verba bona fide recitat, non fidit undelibet decerptis fruſtulis. Scribit in *Oecolampadium Clithoveus*, ſed totum illius opus recitat. Verum placuit exemplum *Beddæ*, cui vacavit judicare, cum non vacarit cognoſcere. Ipſe fatetur ſe diu deliberaſſe, eſſet ne mihi reſpondendum: quin & amici quidam eruditi *Lutetiæ* ſuis litteris mihi ſignificaverunt, *Albertum* ob afflictam valetudinem prorſus a ſcribendi propoſito abduxiſſe animum, ſed aliorum inſtinctu rediſſe ad opus intermiſſum. Cujuſmodi vero dicemus eſſe illa Religionis columina, qui hominem moribundum jamque deploratæ vale-

Digitized by Google

valetudinis ad tam prolixam & inutilem calumniam protraſerunt? Quanto magis illo tempore conveniebat cum totum in Pſalmo quopiam, aut in paſſione Domini, aut in his litteris meditari, quæ ad purgandam conſcientiam faciunt, quæque ex *Chriſti* promiſſis ineffabilique benignitate & hujus vitæ contemptum & cœleſtis amorem ſpemque vel gignunt vel accendunt. Qui *Pio* perſuadere voluerunt, ut moriens *Franciſcanam* veſtem indueret, utinam iidem perſuaſiſſent, *Franciſci* ſpiritum flagitaret a Domino, quem conſtat & ab inani gloria & ab omni carpendi vitio fuiſſe alieniſſimum. Nunc in hoc opere tantum ubique carpendi ſtudium apparet, ut quanquam a *Carporum* ditione fuerit excuſſus, tamen non injuria *Carpenſis* cognomen ſibi poſſet vendicare. Quid autem ſibi propoſuerat vir ille mirabilis? Confutare *Germanorum* quorumdam dogmata? producenda igitur erat argumentorum, quibus illi pugnant, inſtructa acies, cum illis congrediendum acriter. Id quî potuiſſet, qui nihil illorum ſciebat, niſi ſi quid audiſſet in conviviis? An rurſus admonere me voluit? Eam ad rem quid opus fuit tot conviciis, tot inſulſis ſalibus, tot calumnioſis depravationibus, tot apertis mendaciis? Sed ſtuduit convincere pertinacem. Saltem mea fuerant legenda, bonaque fide recitanda, ac diluendæ rationes, quas adfero, non vulgaria quædam jactanda. Quanquam nec ad convincendum conducunt ſcommata. Si conſilium erat infirmis & ad hæreſim propenſis occaſionem ſubducere, præſtabat excuſare quæ poterant excuſari, & e ſcriptis meis alia loca decerpere, quæ palam adverſantur improbatis dogmatibus, potius quam detortis citationibus hoc agere, ut *Eraſmus* videatur ſentire quod non ſentit, ne qui nonnihil illi tribuunt, confirmentur in errore. Sed hoc deſtinaſſe videntur, quorum affectibus *Pius* morem geſſit, ut apud ſectarum auctores inirent etiam gratiæ nonnihil male accepto *Eraſmo*, & tamen in ſe crabrones illos non irritarent, quos jam metuunt magis quam oderunt. Quid hac cogitatione religioſius? Si glorioſum putavit concertaſſe cum *Eraſmo*, ſuis armis congredi debuit. Nunc quid feret laudis qui perſonam hanc illiberalem ſibi paſſus eſt imponi, ut ſaltaret fabulam ſycophanticam, qui ſuſtinuit ſibi undevis adaptari pennas alienas, ut his ornatus prodiret in publicum. Fateor eſſe Principum per alios Epiſtolas ſcribere, per ſe ſubſcribere. Sed *Pius* toto opere ſic loquitur, quaſi ſuo Marte rem univerſam geſſerit, cum plurimi norint quibus uſus ſit copiis. Aliquot ipſe nominare poſſim, ſi res poſtulet. *Sepulvelum* nemo non novit, virum eruditum & bene Latinum. Plus autem gloriæ tuliſſet, ſi novas calumnias attuliſſet. Nunc cum velut Echo nihil aliud quam alienas recinit, quid illi laudis debetur etiam in hoc illaudato genere? Quam bene Patres illi Seraphici conſuluerint illius animæ, Deus novit! certe famæ peſſime conſuluerunt. Quid autem proficiunt hujuſmodi molitionibus, niſi quod in dies magis ac magis traducunt artes ſuas? Nec dubito quin hoc opus *Pii*, tot undique ſcatens calumniis, mendaciis, inſulſis dicteriis, loquacibus næniis, futilibus argumentis, ſint in refectoriis ſuis recitaturi, digni qui nihilo mundioribus epulis reficiant corpora ſua, quam paſcunt animas.

Sed ne te Lector nugis non minus inamœnis quam infrugiferis diutius morer, decerpam pauca ex illius Annotationibus marginariis, in quibus nihilo minus eſt delirationis quam in opere reliquo. Quicquid admonueram de his, quæ *Romæ* dicta factave ſunt, mendaces pronunciat eos qui detulerunt, ego præter decorum credulus ſum. Nihil diſpunxit e libello *Sauromani*, nunquam de me loquutus eſt niſi honorifice. Docti nihil ſiniſtri de me pronunciarunt, Diplomatophorus nihil inimice de me prædicavit. Atqui ſi nominarem eos, qui hæc mihi retulerunt, *Albertus* non auderet illos pronunciare mendaces: & ſi auderet, nihil aliud lucrifaceret, quam improbitatis opinionem. Et in his eſt unus, cui ille tribuit omnia. Tota *Roma* novit quam amice ſoleat *Albertus* loqui de *Eraſmo*. Imo quod a me tum diſſimulatum eſt, cum *Clemens* quorumdam ſuaſu deſtinaſſet mihi magnificum aliquod Sacerdotium, *Albertus* cum ſuo *Achate* retraxit illum in diverſam ſententiam. Qui hæc ad me perſcripſerunt, interfuerunt his quæ narrant, αὐτόπται, non rumoris nuncii.

Super hæc verba: *Quod fuiſſet illud conſilium, ſtringere ferrum in eum*, id eſt, *Lutherum, de quo certe dubitabam quid ageret, quo ſpiritu duceretur? Hîc*, inquit, *fateris quod diximus, non fuiſſe ingratam illius audaciam.* An cuiquam gratum eſt, de quo nondum audet pronunciare? Imo non diſſimulavi mihi ingratam fuiſſe illius audaciam, eoque quos potui a negotii conſortio deterrui. Addit *Albertus*: *Sed cum agnoviſti, cur ferrum non ſtrinxiſti? nec adhuc ſtringis?* Cum in hac ipſa Epiſtola ſit admonitus quam crebro quam acriter ſtrinxerim calamum in *Lutherum*, & in ejus doctrinæ aſſertores, nonne ſine fronte additum eſt, *nec adhuc ſtringis?* atque hoc ipſo tempore, quo hæc moliebatur *Albertus*, emiſi Epiſtolam ad *Vulturium*, & Apologiam ad Eccleſiaſtas *Argentinenſes*.

Scripſeram: *Si ſcires quos tumultus excitare potuiſſem, ſi me ducem hujus negotii voluiſſem profiteri* &c. Sic ille colligit: *Si tibi fuit auctoritas ad eos excitandos, non minor fuiſſet ad eos ſedandos.* Quod hoc lemmatis genus eſt? An perinde facile eſt lædere, ac mederi? Eademne facilitas eſt impellere propenſos, & revocare jam incitatos? Tam frivolis argumentis talis Rhetor agit cum *Eraſmo?*

In hæc mea verba, *Si obſtrepit Sacerdotum honori, qui per occaſionem admonet eos officii, fateor, obſtrepo nonnunquam, ſed hic ſtrepitus eſt mihi cum* Hieronymo, *cum* Cypriano, *cum* Chryſoſtomo, *cum* Bernardo *communis*, ſic annotat *Albertus*: *Illi ſi quid tale, longe aliter & alio ſeculo: nunc autem cum in tantum frigefacta ſit pietas, ut vix ulla ſit erga Sacerdotes reverentia, non erant hæ voces ſpargendæ, quibus quod reliquum fuerat prorſus abjiceretur.* Hæc *Albertus*, nec falſo tamen: plane *longe aliter illi*, videlicet liberius magiſque Satyrice pro ſua quidem auctoritate: & tali ſeculo, ut ob Ethnicos Chriſtianis permixtos magis oportuerit ſileri de Chriſtianorum vitiis, præcipue Sacerdotum ac Monachorum, quorum fortunæ tum pendebant a populo. Nunc opibus, principatibus, arcibus, copiis, conjuratis phalangibus, Monarcharum fœderibus, aliiſque præſidiis ita communiti ſunt, ut ipſis etiam Monarchis ſint formidabiles. Quod ſi mores illorum fuerunt in cauſa, ut erga eos refrigeſceret populi favor, hoc magis oportuit illos admoneri, ut correctis moribus renovarent priſtinam gratiam. Quin & hoc ipſo ſeculo regnant triumphantque Sacerdotes ac Monachi. Porro quæ nos admonuimus, tranquillo ſeculo monuimus, cum hoc ſeculum ne in ſomnis quidem cuiquam veniret in mentem. Legat qui volet *Hieronymum*, in Epiſcoporum, Clericorum, Virginum, ac Monachorum vitia detonantem, dicet ſe *Juvenalem* Chriſtianum legere.

Objicienti quod ipſe quædam liberius ſcriberet in Sacerdotes, Theologos, ac Monachos, ſic adnotat: *Quoſdam dixi indignos ejus muneris, nec dictum abnuo, at tu in genere omnes inceſſis, & univerſo Ordini ubique detrahis.* Cum tot ſint loca in ſcriptis meis, quæ ne poſſint quidem ad omnes Sacerdotes, Theologos, ac Monachos detorqueri; cum innumeris locis expreſſe teſter me non inceſſere Ordinem, admonens Lectorem, ne paucorum improbitas imputetur Ordini; cum aliquot Sacerdotes, Theologos, ac Monachos nominatim laudibus veham, quid eſſe poteſt hoc mendacio deteſtabilius, *ubique detrahis?* Si dixiſſet, *ipſi detrahis Ordini*, ſimplex fuiſſet mendacium, cum addit *ubique detrahis*, geminum ac bis impudens mendacium eſt, præſertim cum ille vix quicquam mearum lucubrationum viderit. Saltem *Æſchini* mentientis ingenuum pudorem imitatus addere debebat, *quod ſciam.* Sed *Albertus* videtur eſſe magis ſollicitus de reverentia Sacerdotum qualiumcunque, quam de pietate gloriaque *Chriſti*.

Huic ſimillimum eſt illud, quod ait me ubique in totum damnare ceremonias, nec diſtinguere pias a ſuperſtitioſis, cum id faciam innumeris locis expreſſe & evidenter. Id quod ſuo loco clariſſime docebimus. Ne

51. ſa. 1. z. Mendacium.

51. ſa. 1. b

Digitized by Google

Lutherus quidem damnat in totum ceremonias. Nihilo plus frontis habet quod ait me in omnes Monachos ſtringere ſtili cuſpidem, ac fere omnia recinit quæ in Catalogo ſuo ſatis impudenter propoſuerat, nec quicquam eorum potuit hactenus approbare, quam in hoc opere præſtiterit, res ipſa monſtrabit. Certe promittit Thraſonice.

Si nihil eſt, inquit, *erroneum in ſcriptis tuis, cur tam*
50. fa. 2. s *multi diverſorum ordinum te ſunt inſectati libris?* Nihil in libris meis erroneum eſſe nunquam ſcripſi, ſed quæ *Albertus* in proponendo ſævus ait eſſe, nego eſſe in meis libris. Non hîc exponam quales fuerint qui me vel calamo vel lingua impetiverint. Sed ut *Pii* lemma lemmate repellam, ſi tam multa impia ſunt in libris meis, cur pro his a tam multis ſummatibus viris piis & eruditis aguntur gratiæ? Et inter hos ſunt Principes catholici, Epiſcopi, Theologi, ac Monachi. Cur a tam multis oblatratum eſt *Hieronymo?* Quoniam pleroſque offendit rerum etiam optimarum novitas, quoniam multos ſtimulat invidia, multos gloriæ ſitis, & vident mirum eſſe ad parandam nominis celebritatem compendium eos inceſſere, qui jam ſuis lucubrationibus celebres ſunt. Tibicen ille diſcipulum monuit, ut ſi vellet celeriter aſſequi celebrem opinionem in *Græcia*, adiret artifices primi nominis, eiſque ſeſe probaret. Nunc reperta eſt via magis compendiaria ut unum celebrem impetamus.

In hæc mea verba, *Si quando moneo adoleſcentes,*
51. fa. 1. d *ne ſe temere præcipitent in vitæ genus ignotum, ipſi interim ignoti ſibi*, vide obſecro quid annotet: *At priſco*, inquit, *more infantes ac pueruli cœnobiorum patribus offerebantur ad id vitæ genus ſuſcipiendum, ad quod a teneris unguiculis aſſueſcendum putarunt*, &c. Quis negat a teneris aſſueſcendum optimis? Ego de votorum obligatione loquor. An vult ut huc adoleſcentes temere ſeſe præcipitent? Si hoc non vult, quorſum ſpectat annotatio veluti reprehendens quod a me dictum eſt? Olim Epiſcoporum domus vocabantur Monaſteria, & in iiſdem erat Schola litterarum ac pietatis, ibi nonnunquam adoleſcentes inſtituebantur, non ad ſervitutem, ſed ad libertatem ſpiritus. Dicat mihi *Pius* in *Italia* natus, & in aulis verſatus, quare Monaſteria regularis diſciplinæ rejiciunt adoleſcentes, collapſæ venantur?

Multi laudarunt vitam monaſticam, fateor, ſed olim
51. fa. 1. e longe aliud erat Monachorum genus, & nunc maxima pars nihil habet religioſum præter veſtem & frigidas ceremonias. Itaque nec erat tum naſſa Monachiſmus, nec tales ibi piſces regnabant.

Fatetur ſe non vidiſſe quæ reſpondi *Stunica. Quid,*
51. fa. 2. i inquit, *refert reſpondiſſe, an ſatis feceris, ipſi viderint.* Imo non refert illos reprehendiſſe, ſed an recte reprehenderint refert. Et alibi fatetur ſe fere nihil mearum lucubrationum vidiſſe, cum tamen in me ſcriberet. Quid opus eſt, inquit? Imo opus eſt ei qui ſubinde hoc habet in ore, *Eraſmus* nuſquam hoc non facit, *Eraſmus* ubique damnat ceremonias. Quo ore hoc dicit, qui mea non legit? Fatebitur retuliſſe, qui viderit illum ſubinde ingentes excitare tumultus ex amanuenſium ſchedis mendoſis, mutilis, non intellectis.

Ingenium, inquit, *Lutheri ferox probas, doctrinam*
51. fa. 2. k *extollis.* Imo ingenium probant plerique, ferociam ſemper improbavi. Doctrinam initio non probavi, ſed ille profecit in pugna: aliud autem eſt probare, aliud extollere, ſed extollendi verbum appoſitius erat ad calumniam.

Nunquam, inquit, *declaras quibus conſtet iſta vera pie-*
51. fa. 2. m *tas Evangelica, etſi multa ab illa rejicias.* Qua fronte hæc ſcribit, qui fatetur ſe mea non legere? Imo nuſquam non inculco veram pietatem eſſe ſitam in mortificandis affectibus, in robore fidei, in alacritate ſpiritus, in officiis charitatis, in contemptu mundi, in ſpe futuræ immortalitatis. Alicubi totum Monachum ſuis depingo coloribus. *Mendacium.*

Hîc obiter notat quod pro ἐπαμφοτερίζειν poſt malue-
Ibidem. rim ἀμφισβητεῖν, cum in exemplari, quod ad me miſit, poſterius verbum fuerit additum velut in correctionem prioris.

A Negat ſe intelligere quid intelligam per utramque partem, niſi *Lutheranos* & Catholicos. Intelligo, fateor. An apud Catholicos nihil eſt, quod improbari queat? Apud *Lutheranos* ipſe fatetur quædam eſſe pie dicta. Quid opus erat hac calumnia? Sed hujus generis multa prætereo. Manifeſtæ vanitatis & hoc, me nihil improbare in *Luthero* præter ſeditionem, cum diſſentiam ab eo de libero arbitrio, de auctoritate veterum Doctorum, de perſpicuitate Scripturarum, aliiſque innumeris. *Ibidem.* *Mendacium.*

Falſum, inquit, *eſt res humanas ſemper in deterius pro-*
51. fa. 2. ? *labi.* Quid argumenti? *Chriſtus*, inquit, *multa reſtituit in melius.* Quid tum poſtea? Ego naturam rerum humanarum indicavi, quæ adeo ad malum proclivis, ut etiam quæ *Chriſtus* tanto ſtudio reſtituit, vertantur in pejus, & optimæ leges tranſeant in exempla peſſima.

In hæc mea verba, *Et quî ſcimus an talem beſtiam* (de
52. fa. 1. r *Luthero* loquor) *corrigendis moribus noſtris immiſerit Deus*, propemodum ſine mente deſtomachatur annotatio. *Jam decennium*, inquit, *agitur ex quo damnatus eſt* Lutherus, *illius furore periclitata eſt* Germania, *Chriſtianus orbis perturbatus, & adhuc hæres an eum immiſeſerit Deus ad corrigendos mores noſtros.* Et alicubi fingit me dixiſſe illum cœlitus emiſſum. *Equidem*, inquit, Lutheranorum *honeſti mores argumento tibi forte ſunt, ad id exiſtimandum*, &c. Hæc *Pius*. At plures anni ſunt quod *Turca* damnatus eſt a nobis, & tamen fatemur illum immitti a Deo ad corrigendos mores noſtros. Fatemur *Phæraonem* a Domino excitatum adverſus *Hebræos*, nec ideo probamus tyrannum, quemadmodum nec *Allophylos*, *Cyrum*, *Nabugodonoſorem*, *Holophernem*, per quos Deus interdum emendavit populum ſuum. Nec *Auguſtinus*, cum ſcribit quod Deus Eccleſiam ſuam per hæreſes provexit ad ſcientiam Scripturarum, per ſævitiam perſecutionum ad patientiam, vel hæreticos probat, vel Chriſtianorum interfectores. Et an non mittitur ſpiritus a Domino mendax ad fallendum populum ac Regem? Obſecro te Lector, quid opus erat tam frivolis annotationibus occupare ſpatia marginum? Ne viderer depugnare cum *Luthero*, negat Diatriben tractare dogma *Luthero* proprium, ſed commune cum multis qui ſunt extra Eccleſiam. Itane qui refellit *Arianorum* dogma, cum dicunt ſolum Patrem eſſe verum Deum, eo non pugnat cum *Ario*, quod dogma ſit commune *Judais*? Si nihil faciebat adverſus *Lutherum* Diatriba, cur ille tam acriter reſpondit? Cur fatetur me petiſſe jugulum? Sed cur hic Diatribæ tantum meminit, cum in ipſa reſponſione doceam me ſcripſiſſe duos Hyperaſpiſtas. An ideo non ſcripſi, quia ille noluit legere? Atqui nec ipſam Epiſtolam cui reſpondit legiſſe videtur, aut ſi legit non meminit. Quod ſi diſſimulat, magis etiam eſt reprehendendus. Sed quis non ſentit hîc improbam hominis tergiverſationem? Diatribam legerat, de Hyperaſpiſtis erat admonitus, & licuit ſi voluiſſet legere, mavult tamen mendacium excuſare mendacio, quam fateri lapſum. Ipſa Diatriba multa convellit præter liberum arbitrium, quemadmodum & Hyperaſpiſtæ. Porro cum Theologi dicant nihil eſſe *Luthero* proprium, ſed omnia hauſta ex fontibus *Huſſi* & *Wyclevi*, nullus adverſus illum ſcripſit. *Ibidem in calce.* *Mendacium.*

Cum interrogo quis mihi injunxiſſet provinciam ſtrin-
52. fa. 1. r gendi calamum in *Lutherum*, reſpondit annotatio, duo Pontifices maximi, *Leo* decimus, & *Adrianus* ſextus, quod plures illorum teſtantur Epiſtolæ, quas, ut ait, excudendas putavi. Exſtant duæ *Leonis* ad me, in quarum neutra verbo fit mentio de ſcribendo in quemquam. *Adrianus* ſero me admonuit, cum ego me excuſarem quod initio non ſtatim ſtrinxerim calamum in *Lutherum*. Itaque prius illud manifeſto falſum eſt, poſterius ἀπροσδιόνυσον. *Mendacium.*

Ὁ Διὸς Κόρινθος, inquit, quid autem ineptius? Indicat
51. fa. 1. y aliquid repeti quod alibi dictum ſit: id alibi magno convicio caſtigat, dicens hoc a me conſulto factum, ut prolixum redderem volumen: quaſi ſex verba bis dicta efficiant ingens volumen, aut quaſi mihi deſint verba,

Digitized by Google

verba, si delecter longo volumine. Aut quasi non recte interdum iterentur eadem. Sed ex suo, opinor, affectu divinavit meum.

52. fa. 2. b *Mendacium.*

Oportet, inquit, *asserere summam potestatem illi a Domino traditam.* Ut delectatur nomine summæ potestatis, quæ vox quid sibi velit non intelligo. Summum pastorem agnoscunt pii, summam potestatem Pontifici tributam non legimus, summam charitatem ab illio exactam legimus. Sed de charitate magnum silentium est. Ait *Eckium* prudenter feciſſe, qui citarit ex meis quæ faciunt ad adstruendam Pontificis auctoritatem: imprudenter ergo faciunt, qui non solum decerpunt ea quæ contra faciunt, verum etiam quæ conferunt detorquent in diversam partem, quod hic admonitor nimis impudenter facit. Nec vacillat, qui monet quid Veteres senserint: nec statim vacillat ubique, qui dubitat de monarchia Pontificis. Sed hic reclamante dialectica gaudet ex particularibus proloquiis facere universalia, quo sit vehementior.

52. fa. 2. f

Ait me Pontificum majestatem non solum æquare cæteris Episcopis, verum etiam cum minoribus Sacerdotibus. Quid his næniis indoctius? *Hieronymum* cito, & illa ætate non dicebantur Sacerdotes nisi Episcopi, is scribit omnes Presbyteros esse pares, sed ob vitandum schisma ordinatum Episcopum, qui cæteris præcelleret, non tam dignitate, quam jure ordinandi.

52. fa. 2. b *Mendacium.* *Adulanter.*

Dicit neminem esse inter eos qui favent Pontifici, qui non velit in primis ejus dignitatem servari præsidiis divinis. Si addidisset, vere ac pie favent, probari poterat. Præsidia divina sunt, fides, charitas, preces, scientia Scripturarum divinarum, gladius Spiritus, spes & amor vitæ cœlestis. Quid hac adulatione abjectius? Non jam loquor de Pontificum moribus, sed de adulatoribus.

52. fa. 2. x *Adulanter & vane.*

Ait apud cordatos adeo non audiri querelas de turba Cardinalium ac strepitu, ut vix etiam apud leves. Quid igitur actum pragmatica sanctione? An vero nihil queruntur Monasteria, quæ apud *Italos* exeduntur a Cardinalibus? Sed *Albertus* talia non audit. Negat nunc functionem Cardinalium hærere Pœnitentiariis. Scio, munus enim hoc requirit hominem exacte doctum, ac pium, gregisque Dominici studiosum. Sed tamen princeps illius Ordinis etiam hodie est Cardinalis.

53. fa. 2. b *Adulanter & vane.*

Ait Pontificem omnibus Regibus esse præstantiorem, superari tamen ab omnibus opibus & strepitu, *quamvis*, inquit, *conveniret ut in utroque genere universos excelleret.* Nullus igitur est Rex Pontifice pauperior? De strepitu nihil dicam. Multi *Romæ* vixerunt, qui super hac re pronunciare valeant. Quis Rex gestatur humeris? Quis Rex porrigit cuiquam osculandos pedes? Quis patitur sibi imponi triplicem coronam? Quis per sceptrigeros cogit populum flectere genua? Quis tot Cardinales Regibus pares habet in famulitio adoratores? ut alia præteream, nam freno revocandus equus, quem iste toties in campum provocat. Non hæc eo dico, quod his honoribus sit indignus Pontifex, sed ut redarguam hominis impudentiam. Sed qua ratione convenit, ut summus *Christi* vicarius plus opum possideat unus, quam Reges universi? Verum demus opes, etiam ne convenit, ut summus pietatis magister omnes vincat strepitu? Qualis hic est propugnator Pontificiæ dignitatis, cui nos multo verius favemus quam iste, sed ab hoc argumento libenter recedo.

54. fa. 1. h *Non intellecta carpit odiose.*

Cum fortiter asseveret, prorsus non intelligit nec meas voces nec suas. Sacramentum proprie dictum appellatur, per quod confertur peculiaris gratia ex pacto divino. *Petrus* autem *Lombardus*, negans per matrimonium conferri talem gratiam, an non evidenter excludit e numero sacramentorum proprie dictorum? Ea de re cum dubitet *Durandus*, de vocabulo quoque dubitet necesse est. Veluti si quis dubitet de *Mauris*, an sint rationales, utique dubitat an sint homines. *Sed collatio*, inquit, *gratia non est propria ratio sacramenti proprie dicti.* Quænam igitur? Quod sit sacræ rei signum. Quot igitur habemus sacramenta? Figura crucis erit sacramentum, omnes amictus & gestus Sacerdotis in Missa erunt sacramenta proprie dicta. *Ecce*, inquit,

Petrus Lombardus *commemorat matrimonium inter septem sacramenta.* Commemorat, juxta vulgarem usum sacramenti, juxtaque communem opinionem. At in progressu aliter definit sacramentum quam *Augustinus*, & semovet matrimonium a sacramentis proprie dictis. Cum quali Theologo mihi res est, qui tamen impingit hæreses & horrenda crimina. Et hic est qui negat opus esse legere meas Apologias. Quas si legisset, non ad hunc deliraſſet modum. Nam *Stunica* ad eumdem lapidem turpiter impegit.

54. fa. 1. l *Non intelligit suas voces.*

Negat esse probabile olim Synaxim septies in die fieri solere, duntaxat eam quæ proprie Synaxis dicitur. Nec hoc a me dictum, vir amice; nam addo pane non consecrato. Quid est igitur quod stomachatur a me dici falsum & improbabile? Jam si detrahit ritibus sacramentorum, qui illis adimit antiquitatem, cum aliis illi litigandum erat potius quam mecum, & eradendum ex Evangelio, quomodo *Christus* hoc sacramentum instituerit, ne quis sciat olim aliis ritibus celebrari solere Eucharistiam.

54. fa. 2. q

Quam apte hîc meminit de versando cum meretricibus & sicariis, de dormiendo cum uxore aliena. Hominem festivum! Et tamen si quis studio pelliciendi ad *Christum* versaretur inter meretrices & sicarios, an non opus perfectius ageret, quam si in cella *Cartusiana* diceret Psalmum, aut fortasse dormiret? De *Joanne* placet exemplum. Ita secedant, ita vivant Monachi, nullus erit eis molestus. At *Christus* versatur cum peccatoribus, publicanis, & famosis mulieribus, uter perfectior, *Joannes*, an *Christus?*

54. fa. 2. r *Ἀπροσδιόνυσον.*

Loquor de constitutionibus Monachorum, iste profert nobis consilia Evangelica, ab equis desiliens in asinos. Consilia *Christi* non sunt constitutiones Monachorum. Sed aliis diebus vesci leguminibus, aliis ovis duntaxat, aliis jure carnium & non carnibus, cingi fune nodoso, calceos habere fenestratos, aliaque hujus generis sexcenta voco constitutiones Monachorum, easque confero cum quibusdam præceptis Legis *Mosaicæ*, quibus populus ille durus & crassus intra cancellos detinebatur.

54. fa. 2. s

Deridet me, qui notarim illum inire gratiam ab Episcopis, Theologis, ac Monachis. Ut nihil aliud, certe hoc præmii tulit, quod in sacrosancto amictu *Franciscanorum* sepultus est, quod factus consors omnium benefactorum totius Ordinis, quod altero baptismo melius renatus quam fuerat priore. Quod utinam illi contigerit, mihique cum illo.

54. fa. 2. u

Rogat cur omissis Laïcis toties attingam Sacerdotes ac Monachos. Quia sæpius illos admonemus quos habemus chariores, & a quorum moribus pendet vita populi. Nec raro tamen taxo mores Principum, Magistratuum, militum, negotiatorum, opificum, ac plebejorum. Sed quid facies illi, qui mea non legit, cum carpat omnia? Certe *Moriam* legit.

57. fa. 2. r

Ante annos aliquot ob quorumdam morosa judicia retractavi exomologesim, sed hic nihil legere dignatur, tantum amat rixari, sed ne singulis immorer. Quod ait me scripsisse, commoda confessionis posse acquiri citra confessionem Ecclesiasticam, ut si quis confiteatur Deo, an in libello meo sit, nescio, certe in animo meo nunquam fuit. Sed in commodis, ut ait, non recenseo criminum abolitionem & gratiæ sacramentalis collationem, quod erat totius rei caput. Quædam apertiora sunt quam ut egeant commemoratione, & tamen obiter hoc non semel attingo. Quis autem nescit per pœnitentiam remitti peccata? Aut quid attinebat tradere recte confitendi rationem, si ea nihil facit ad abolitionem criminum? De onere confessionis per homines hominibus impositò cum recitem aliorum argumenta, iste detorquet in meum caput. Colligit ex sparsim dictis, sed hoc ingeniosior quam opus est, aut quam talis viri candor postulat. Quædam incommoda vitari non possunt, fateor, non in totum, sed magna ex parte possunt. Si non adhibeantur audiendis confessionibus nisi doctrina, ætate, & moribus probati. Si temporibus pestilentiæ semper singulis diebus Dominicis accipiant Eucharistiam, confiteantur

Digitized by Google

etiam illico, quos urgent graviora crimina. *Batavus* satis dilucide explicat quid sentiat, sed *Carpensis* nimis libenter carpit omnia. Fateor confessionem religiose esse servandam velut institutam a *Christo*. An ab ipso *Christo* sit instituta mihi nondum liquere, favere tamen huic opinioni, quam irrefutabilibus argumentis comprobatam a doctis cuperem. Quid? An non hæc satis dilucide dicit *Batavus*?

58. *fa.* 1. *s* Ait confessionem ab Ecclesia receptam inter sacramenta gratiam conferentia. Hoc novum est, confessionem appellare sacramentum, qui commodissime de illa disputant, appellant tertiam sacramenti partem, aut sacramentalem. Et tamen vult videri satis liquere, confessionem vel *ore Christi* fuisse institutam, vel *per Apostolos*, vel *alio modo*. Si per *alio modo* sentit ordinationem Ecclesiæ, Theologi negant Ecclesiæ fas esse ullum sa- *Mendacium.* cramentum novum instituere. Rursum manifeste falsum est me dubitare, utrum conducibilius sit confessionem ob incommoda relinquere, an ob commoda servare. Aio talia ab aliis disputari. Ipse nusquam dubito.

58. *fa.* 2. *a* Quam est molestum cum hoc homine rixari, qui toties iterat vel manifesto falsa, vel evidenter refutata, *Mendacium.* eo ipso loco quem arrodit. Ubi facio cuivis liberum confiteri aut non confiteri? Aio id fieri a quibusdam *Repetit evidenter a me refutata.* *Lutheranis*, & quod addo tutiorem esse qui confitetur, non ex meo animo dixi, sed cum iis agens qui dubitant, an sit necessaria. Hæc eo turpius iterat, quod in Epistola mea clarissime refutarim.

58. *fa.* 2. *c* Arrodit hanc syllabam *quasi*, *quod quasi est*, inquit, *non est*. Et hoc dictum est illis qui putant inductam ex ordinatione Ecclesiæ. Quid igitur habet veneni, *quasi*? Distinguit instituentem & institutionis modum. Quis nescit omnia pia proficisci a *Christo*? Sed cum dico a *Christo*, intelligo ore *Christi*, quemadmodum instituit Baptismum & Eucharistiam.

58. *fa.* 2. *c* Dixeram me sic temperasse libellum, ut iis etiam posset esse usui, qui de necessitate confessionis dubita- *Subsannat absque causa.* rent. Hic vide quam me naso suspendit. *Scilicet in facultate tua est*, inquit, *cum ediderit libros, præscribere cui generi hominum sint legendi.* Totum hoc vult videri ἀπροσδιόνυσον, & irridet mea verbula. Nam de hac voce sibi mire placuit. Imo quorsum pertinet hæc fastidiosa sanna? An impium est pluribus velle prodesse? *Paulus* scripsit *Romanis*, an ideo præscripsit ne *Græci* legerent eam Epistolam? O gravem scriptorem & excussum!

60. *fa.* 1. *y* Indico *Mosi* testimonium adjectum *Lutetiæ*, quod prior libellus non habebat. Id cum vix quater admoneam toto libello, ait me plus centies facere. Nimis impudens hyperbole: nec reprehendo quod adjectum est, sed quod inepte, quod alieno Marte assutum. Denique quod cum illa curarit adjicienda, non eadem opera detraxerit quæ detracta oportuit.

60. *fa.* 1. *z* Urget hîc fortiter me depravare Scripturam Paraphrasi, quasi mea Paraphrasis sit divina Scriptura, totiesque recinit nobis veteres calumnias, nec dignatur legere quæ aliis super hac calumnia responderim. Quin & illud falso mihi impingit ad invidiam, quod primus au- *Mendacium.* sus sim Scripturam Paraphrasibus exponere, cum exstet Paraphrasis sanctissimi viri *Theodori*, cujus meminit *Hieronymus*, in *Ecclesiastem*, cum Commentarii *Arnobii* in *Psalmos* nihil aliud fere sint quam Paraphrases, licet absit titulus. Quis unquam clamavit ab illis depravatam Scripturam? Negat etiam *Titelmannum* scripsisse Paraphrases in *Psalmos*, cum Liber exstet redarguens hominis impudentiam. Quin & *Jacobi Fabri* commentum in *Psalmos* continuum, quid aliud est quam Paraphrasis? Postremo fieri potest, ut plures simile quippiam fecerint, quorum monumenta ad nos non pervenerunt.

60. *fa.* 1. *b* Hîc etiam desipio meo *Pio*. *Concionatores*, inquit, *qui sententiam e Scripturis citatam longo verborum ambitu explanant, non sunt Paraphrastæ, cum recitant Latine, sed cum eadem vulgari Lingua reddunt multo verborum ambitu, plane Paraphrasta sunt.* Non loquor de his qui singulas partes enarrant more Commentariorum sub persona sua, sed qui reddunt velut interpretantes sub persona ejus cujus verba recitant, puta Dei, *Christi*, Prophetæ, aut Apostoli. Hoc *Pius* non animadvertit, & tamen objicit delirationem homo festivus, cum ipse deliret respondens ad non intellecta.

Negat industriam nostram in Novum Testamentum 60. *fa.* 1. *d* a *Leone* comprobatam, sed duntaxat ingenium aut ser- *Mendacium.* monis elegantiam, quasi non exstet illius Diploma, in quo leguntur hæc verba: *Conjecturam facientes qualis hæc Editio sit futura, quantumque boni sacræ Theologiæ studiosis ac orthodoxæ fidei nostræ sit allatura.* Toties publicatum est Diploma, & tamen audet hæc asseverare *Pius*, arbitrans sibi licere in libris editis, quod sibi permiserat in fabulis conviviorum. At non probavit Paraphrases, nec admonitus est ut faceret, illis non metuebam. Certe pro Paraphrasi in Epistolam ad Romanos *Dominicus* Cardinalis *Grymanus* mihi per litteras egit gratias, sed non solus. *Dedimus*, inquit, *emendari depravata, sed depravare Paraphrasi non dedimus.* Multum hic delectatur *depravandi* verbo, quasi omnis Paraphrasis sit depravatio. Atqui audacius est lectionem Ecclesiastico usu receptam mutare, quam obscuram Paraphrasi exponere. Sed quod *Pius* dedit, *Suter* ab ipso laudatus non dedit.

Hic rursus profert manifesto falsum, omnes Veteres 60. *fa.* 1. *f* a Paraphrasibus abstinuisse. Quin & illud frivolum quod *Mendacium.* ceu confessum assumit, aliud esse partem Scripturæ decerptam Paraphrasi exponere, aliud perpetua Paraphrasi totam explanare, cum utrisque Scriptura maneat integra, quam tamen & ipse secui, annotatis in margine locis. Quid refert, utrum illam in margine legas, an in tuo codice?

Juvenco, *Aratori*, *Prudentio*, *Prospero*, *Nazianzeno* 60. *fa.* 2. *h* ignoscit ob licentiam Poëticam. Sed quis coëgit illos, ut carmine tractarent divinæ Scripturæ majestatem? Hæ sunt rationes *Aristotelicæ*.

Quod dixi de *Titelmanno*, aut non intellexit, aut ficte 60. *fa.* 2. *i* dissimulat. Ait illius elucidationes esse glossemata sive scholia propriis Auctorum verbis expressa, quæ demum eodem ordine prolixiore oratione explicet. Imo præter *Non intelligit quod carpit.* titulum ne tantillum quidem interest, nisi quod ille maluit sequi recentiores quam veteres, & in margine descripsit totum locum, quem ego tribus verbis indicaveram Lectori, ut adhibito contextu legeret Paraphrases.

Rursus non intellexit quid dixerim, & tamen con- 60. *fa.* 2. *k* viciatur. *Vetusti Interpretes*, inquam, *præsertim* Origenes & Hieronymus, *primum recitant locum Scripturæ, deinde subjiciunt ordinem, qui nihil aliud est quam Paraphrasis, loquuntur enim sub persona ejus cujus verba citant. Postremo transeunt ad fusiorem interpretationem. Sed hoc*, inquit, *illi faciunt citatis Scripturæ verbis.* Idem facio notatis in margine locis. Illi faciunt ex intervallo, licet & in Paraphrasi interquiescere. Et post hæc repetit falsissimam conclusionem, neminem unquam ausum aggredi Paraphrases, me uno excepto.

Hîc fatetur officium esse Paraphrastæ, sensum Au- 61. *fa.* 1. *p* ctoris dilucidius exponere. At isthuc ipsum conabar. Sicubi non assequor, quis autem assequitur ubique? certe laudandus conatus, venia danda humanæ imbecillitati. Si persona offendit, idem, ut dixi, factum est a Græco *Theodoro* in Ecclesiasten. Idem ab *Arnobio* in Psalmos. Idem a *Jacobo Fabro* in Psalmos. Idem a *Titelmanno* in Epistolas *Pauli*. Idem ab *Origene* & *Hieronymo* in Prophetas licet carptim.

Quæ sunt ista scommata, quæ figmenta Poëtica, quæ 61. *fa.* 1. *r* fabulæ, quas induco in Scripturas? Quæ portenta verborum? Nominales & Reales, ea potius invexerunt in Scripturam. Nam Evangelii fabulam nusquam dixit *Erasmus*, sed hoc sycophanta quispiam obtrusit *Pio*, a quo non fuisset deceptus, si legisset meas Supputationes homo delicatus.

Ubi recito Scripturam aliis verbis? Expono aliis ver- 61. *fa.* 1. *s* bis, licet sub persona aliena, quod declaravi ante me factum a probatissimis viris. Sed quid *Pius* faciet istis, qui Scripturam non enarrrantes citant diversis verbis? Aliter citat *Cyprianus*, aliter *Tertullianus*, aliter *Ambrosius*, aliter *Augustinus*. Forte negabit alia esse verba quæ idem pollent. Ne id quidem ubique fit, sed donetur, illud certe conor, ut quod sensit Apostolus bona fide explanem.

Hîc

Digitized by Google

61. fa. 1. x Hic impingit perversum artificium. *Non scripsi*, inquit, *nulla ratione, sed non præsentaneum, non paratum esse remedium*, & cætera. Subscribentur igitur *Pii* verba: *At in Paraphrasi*, inquit, *si a vero sensu semel deflexeris, nil est quod Lectorem tuam fidem sequentem deducere valeat ad semitam, ulla regula ad quam iterum atque iterum spectans sententiam judiciumque revocare possit.* Hæc ille. An non simpliciter negat esse remedium? At hoc negat se scripsisse, sed ait se tantum negasse præsentaneum ac paratum esse remedium. Quid autem hac argumentatione fingi potest insulsius? Si fallitur Enarrator, est unde revocetur in viam. Qua regula? Scripturæ, quam licet attentius introspicere. Si errat Paraphrasis, non est remedium. Quamobrem? quia universa Scriptura exstincta est. Imo Scriptura tota exstat integra & illibata. Sed non est paratum remedium. Imo paratissimum, eoque notavi singula capita, & in margine singulorum locorum initia, quo promptum sit Lectori Paraphrasim conferre cum contextu. Hæc cum eo ipso loco dicantur a me quem arrodit, tamen dissimulat, & suas nobis occinit morosas querimonias.

61. fa. 2. e *Interpretes*, inquit, *profitentur se Scripturæ ministros, Paraphrasta consortes & collegas.* Quid profiteatur *Theodorus*, quid *Arnobius*, nescio; ego me frequenter & aperte profiteor ministrum, collegam nusquam. Sic, opinor, ratiocinari solitus est *Aristoteles*.

62. fa. 1. e Imo *Pius* non intelligit quid loquatur, dixi eum atrociter proposuisse, frigide concludere. An igitur sum mei oblitus, si aliter recito illius verba ex propositione, aliter ex epilogis?

62. fa. 1. g Si volebat videri modestus ne me offenderet, cur est procacior in proponendo, quam in argumentando. Nec ego superbus, sed ipse fucatus. Ea de re cum fuerit admonitus a me, tamen toto hoc opere veterem morem obtinet.

62. fa. 2. h Quid hîc agit, nisi omnes, qui cupiunt Ecclesiam restitui in meliorem statum, esse hæreticos?

62. fa. 1. i Eja quid habes? Abjuro omnia *Lutheri* dogmata? Nondum omnia novi. Cur autem abjurem quibus nunquam dedi nomen? Abjurent alii.

62. fa. 2. s Putavi *Lutherum* pestilentiarum antidotum. Ubi hoc legit? Dico ab aliis putatum, non ipse judico. Certe silentii crimen mihi tum erat cum omnibus Academiis commune.

63. fa. 1. t Non excuso *Arium*, sed præproperam ejectionem noto, cum res adhuc esset in ambiguo. Quod hîc dico de *Ario*, *Hieronymus* prædicat de *Tertulliano*, & tamen illi non erant rumpenda ilia. An non & *Chrysostomum* ejecit invidia Clericorum? At *Pius* stomachatur quasi novum esset inter Clericos nasci invidiam.

63. fa. 1. u Diu disputatum est de *Ario*, priusquam condemnaretur. Et *Hilarius* diligenter excusat tarditatem scribendi adversus *Arium*.

63. fa. 1. x Rursus Diatriba & Hyperaspistæ nihil faciunt adversus *Lutherum*. Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. Non vidit Hyperaspistas, sed certe *Lutetiæ* videre potuit, si libuisset. Cur autem judicat quæ non vidit?

63. fa. 1. a. Elapsus est *Pius* distinctione, liberum arbitrium non est proprium dogma *Lutheri*, quasi cætera non sint illi fere cum *Husso* & *Wiclevo* communia. Tam vanum est autem illud dogma, ut minimo minus idem asserat *Augustinus*, vir cum primis orthodoxus. Explodebatur a Philosophis, at non ab omnibus, nec illi legerant Scripturas, quæ frequenter videntur tollere liberum arbitrium. Quanquam ne nunc quidem satis convenit, quid sit liberum arbitrium: quod nos induximus, Philosophi prorsus ignorarunt, nimirum ignari gratiæ operantis & cooperantis.

63. fa. 1. b Rursus invitor a Pontificibus, cum ostenderim id esse falsum. Sed nunc saltem invitor. Rogat cur dissimulem. Quia mihi non vacat per hujusmodi calumnias, & si nihil scripsissem in *Lutherum*, non scriberem tria verba, tam bona merces mihi rependitur pro officio.

63. fa. 2. d Calumniam homo *Italus* struit ex verbo *criminis*, cum ego *crimen* appellem ipsam criminationem. Si ego jure reprehendor, quod non statim scripsi, eadem opera reprehenditur Academia *Parisiensis*, quæ postrema omnium edidit articulos. Non ego carpo celebrem Academiam, sed *Carpensis* ubique respondit suo nomini. Ego existimo potius hoc cedere in laudem illius Academiæ, quod judicium suum noluerit præcipitare.

63. fa. 2. e Quid ait hîc Dialecticus? Si supervacaneum erat *Erasmum* post censuram Pontificis, post fulmen Cæsaris, post judicium Academiarum scribere adversus *Lutherum*, reprehenditur Rex *Anglorum* aut Episcopus *Roffensis*? Ideo mihi supervacaneum erat, quia nulla erat auctoritas. Quid hoc ad talem Regem & talem Episcopum?

63. fa. 2. i Multos video cuneos & phalanges, qui suum agant negotium, qui sincero pectore quærant *Christi* gloriam, aliquot fortasse novi, sed hi mussant, turmas & acies, quas jactat *Pius*, nondum video.

64. fa. 1. k Non sum auctor cessandi, sed quid in primis factum oportuit admoneo. Sed qui vociferentur in *Lutherum* plurimos video, qui mutent vitam in melius neminem video, contra quosdam in deterius ire conspicimus.

64. fa. 1. m Rursus elabitur distinctione. Atqui cum objiceres, quod non scripsissem in *Lutherum*, non distinguebas dogma proprium & dogma commune. Sed hoc commentum postea repertum est, quod alia rima non esset elabendi. Et tamen objicit mihi vanitatem, quod dixerim me strinxisse calamum in *Lutherum*.

64. fa. 1. o Non patitur me ullo modo conferri cum *Aristotele*, quasi me illi æquipararim eruditione. *Sed Aristoteles*, inquit, *necessario dissensit a superioribus, ut Philosophia veritatem assereret.* Verum, sed interdum etiam calumniose. Sed age, si illi hoc licuit Philosophiæ gratia, mihi non idem licet ad repurgandam Theologiam? Quis autem est Theologorum, qui non alicubi dissentiat a superioribus?

64. fa. 1. p Quid ego audio? non habent pondus quæ *Augustinus* disputat adversus *Pelagium*? Frustra igitur cum illo pugnat. Verum in duobus libellis ad *Valerium* Abbatem evidenter definit jam admodum senex, nomine quidem asserens liberum arbitrium, sed talibus argumentis exaggerans gratiam, ut libero hominis arbitrio vix ullum relinquat locum.

64. fa. 2. k Ipse qui suppressit ad *Pium* litteras, fassus est suis ad me litteris se id consulto fecisse, ne ex eo scripto arriperet novam stomachandi ansam.

Hactenus ad scholia, sed carptim; nunc superest ut præstet ea quæ toties ingessit in os, toties promisit sese redditurum sole clariora. Sed dum hoc apparat, prolixa utitur præfatione, cujus aliquot articulis carptim respondebo.

66. fa. 2. a Quod differit multa fortuito in rebus humanis accidere, multaque secus evenire quam erat destinatum, quod ad me quidem attinet, verissimum esse fateor. Nam mihi visus sum sic in mea Responsione rationem habuisse dignitatis *Alberti*, atque etiam amicitiæ nostræ, ut nihil inesset quod illi movere stomachum posset. Idem admirati sunt & alii quidam eruditi. Nec refert, quod ipse vocat amicam & blandam admonitionem, hæc erat argumenti summa, ut persuaderet me totius hujus tumultus esse occasionem, causam, auctorem, ac principem. Quid impingi potest odiosius? Amavi tum civilitatem hominis, quod eam Epistolam diligenter obvinctam ad me misit, qua usque adeo non sum offensus, ut de edendo cogitarim, nisi me quædam odiosius in me dicta deterruissent, etsi in *Lutheri* dogmata machinis aliquanto validioribus impegisset. Orsus eram respondere, jamque paginam unam atque alteram expleveram, sed capta *Roma*, capto Pontifice, nec certum scire poteram ubi ageret *Albertus*, nec erat tutum cuiquam quicquam committere. *Lutetiæ* non prius audivi illum esse, quam audieram meditari editionem Epistolæ. Scripsi tum, ut dixi, non id agens ne vulgaret Epistolam, sed quædam amarulentius in me dicta mitigaret, & in *Lutherana* dogmata validioribus telis uteretur. At parum civilis fui, qui nullum exemplar ad illum mitterem, nec ille misit ad me libellum excusum. Non arbitratus sum opus esse, & tamen erat animus libellum cum Epistola mittere, sed ene-

Digitized by Google

enecto laboribus non libuit. Tum enim in *Auguſtino* & *Seneca* deſudabamus pene uſque ad vitæ tædium. Verum nihil æque admiror in hujus viri ſcriptis, atque quod miro ſtudio nihil non detorquet ad amarulentiam, quod mihi videtur alieniſſimum ab his moribus, quos eruditi litteris ſuis mihi de *Pio* prædicarant. Quiſquis enim meam legerit Reſponſionem modo integer, nonne mirabitur præter cauſam hæc dicta a *Pio*?

67. fa. 2. c *Attamen*, inquit, *quaſi te vindicans, ac de me pœnam ſumens, plurima in me tela jeciſti, penſaſtique meum officium probris ac maledictis quamplurimis, e quibus nonnulla attingam. Primum objicis ſtupiditatem ac negligentiam, quod in te ſcribens non viderim ſcripta tua, ſed relatui aliorum ſteterim male de te ſentientium. Præterea vanitatem & ineptias, inquiens nihil me attigiſſe, quod ab aliis non fuerit ante pertractatum, & a te illis apprime reſponſum. Ad hæc tarditatis, inconſtantiæ, imbecillitatis, ac inſcitiæ accuſas. Poſtremo ut pharetram protinus excutias, malitiam, vafritiem, &, ſi Deo placet, etiam phreneſim impingis: enervia enim ais & prorſus diluta eſſe omnia argumenta noſtra, vehementioremque eſſe me in prologis & orationis initio, quam ipſo progreſſu, te laudare ut magis vituperem, multa recenſere a te dicta quæ nunquam ſcripſiſti, furioſorumque more te impetiſſe volentem* Lutherum *impetere, ni utrumque voluerim vafre & malitioſe, quemadmodum faciunt hi qui ex eadem fidelia, ut dicitur, duos dealbare parietes volunt*, & cætera. Hæc ille. Sed quid hac interpretatione incivilius? Ubi ſunt hæc odioſa in mea Reſponſione? Dixi illum non vidiſſe ſcripta mea, idque verum eſſe fatetur ipſe: nec hinc impegi illi ſtupiditatem, ſed ſublevavi illum, ne mea confutatio ſicubi videretur aſperior recideret in ipſum, ſed in delatores. Quod erat odioſum illi detraxi, quod erat favorabile reliqui. Neque enim me clam erat quibus operis ad hæc uteretur. Verum hoc, honoris illius gratia, perpetuo diſſimulavi. Scripſi pleraque ab aliis objecta, & a me diluta. Quid piaculi? Fatetur ipſe nihil Apologiarum mearum vidiſſe ſe. Vanitatis & ineptiæ convicium nuſquam eſt in tota diſputatione mea, ſed ipſe ſibi talia fingit, ut habeat ſtomachandi materiam. Ubi vero tarditatis, inconſtantiæ, imbecillitatis, & inſcitiæ reprehenſio? Ubi malitiæ & vafritiei? Denique ubi voco phreneticum? Imo, quod ille videtur dicere, dum a me petit veniam, quod concitatius aſperiuſve in me ſit invectus, eo quod in *Lutheri* mentionem nemo poteſt incidere, quin excandeſcat ac modeſtiæ frena relaxet, aio ſimile eſſe phreneſi, quo morbo concitati quemvis vicinum impetunt. Si tantum in *Lutherum* acrius invectus eſt, cur a me petit veniam? Si per illius occaſionem in me, phreneticorum hoc eſt. Verum mox eumdem ſermonem mitius interpretor dicens: *Sed ego fortaſſe non aſſequor ſenſum tuum*, &c.

Dixi illum uti argumentis dilutis, dixi in argumentando & concludendo frigidiorem eſſe quam in proponendo. Quid? An agens cum eo, qui mihi impingit atrociſſima crimina, a quibus me putabam & adhuc puto alieniſſimum, debueram dicere reus? Recte proponis, & pulchre colligis, *Alberte*? Dolebam eum in *Lutherum* non eſſe melius inſtructum. Quorſum autem attinebat virum laïcum, nec juris Pontificii peritum, nec in Theologicis litteris verſatum, in deliciis & aulis detritum, tractare totam *Lutheri* cauſam, cum tot ſint in orbe, qui id poſſent & decentius & efficacius?

68. fa. 1. d Jam cum in tota mea Epiſtola nullum ſit verbum in ipſum non honorificum, cum ſcholia illius ſcateant manifeſtis conviciis nulla figura tectis, cum multo majoribus ſcateat reliquum opus, tamen homo ſuavis ita ſcribit: *Sed quid agis*, Eraſme, *ita me impetens ac tam acriter verberans? mihi credas, in vanum niteris. Quamvis enim ita inſultes, ut patientiſſimo etiam bilem excitare poſſis, non tamen efficies tua mordacitate & petulantia, ut a me ipſo recedens, tui ſimilis efficiar. Servabo morem meum.* Hæc *Pius*. Bene habet quod adjecit operi meam Epiſtolam, quæ pro me reſpondeat. Ea cum nihil habeat ſtomachi, tamen *Pius* ex ea colligit me ex ipſius admonitione tantum collegiſſe offenſionis, quantum antea nunquam. Ha ha ho! Et alibi dicit mihi cutem eſſe tam teneram, ut muſca poſſit elicere ſanguinem. Omitto nunc hyperbolas, quibus bis dictum plus centies repetiſſe dicor, imo ſexcenties & plus millies, ut juſtum redderem volumen, cum toties eadem recinat ipſe. Omitto quæ manifeſte falſa aſſumit pro confeſſis. Velut illud, quod adeo videar favere *Luthero*, ut contendam argumenta omnium doctrinam illius improbantium frivola eſſe & inania. Ipſa mea Epiſtola docet me nihil aliud optaſſe, quam ut *Pius* nervoſioribus argumentis egiſſet cum *Luthero*. *Prieratem* & *Cajetanum* dico parum feliciter ſcripſiſſe, non quod indocte, ſed quod nihil profecerint. Nam *Prieras* irriſus eſt ab omnibus, *Cajetanus* ne lectus quidem, qui tamen acutiſſime tractavit hoc negotium. De eventu loquor, non de eruditione. Sed fingat me de his prædicaſſe quod ait, non protinus omnium argumenta facio frivola & inania. Quoties hîc peccat in dialectica?

Hyperbola vana.

Tantum ad duos illius libros carptim dixiſſe ſatis arbitror. Veniam ad tertium.

Ait me per omnes libros meos ſparſiſſe aliquid veneni, hoc conſilio ut cuivis Lectorum generi nocere poſſent. Primum qua fronte hoc affirmat, qui ſe fatetur pauca admodum ex meis legiſſe. Saltem *Copiam*, *Pronunciationem*, & *Ciceronianum* debebat excipere. *Enchiridion* viginti quinque annis verſatum eſt in manibus hominum citra cujuſquam querimoniam. De miſericordiis Domini nemo queſtus eſt. Ut taceam quod quæ *Pius* vocat venena, fortiſſima antidota ſunt. Quæ obſcurant gloriam *Chriſti*, quæ ſepeliunt veram pietatem, illi venena non ſunt, nunquam enim de illis queritur: ſed quæ dicuntur in paſtores tyrannos, in ceremoniarum fiduciam, in immodicas Sacerdotum opes, ea demum venena ſunt, quæ etiamſi vera ſint vult fileri, ne quid decedat illorum majeſtati, de *Chriſti* majeſtate ſecurus.

Mendacium.

Ait lucubrationes meas tam eſſe redditas inviſas, ut titulo tenus mundo cognitæ protinus rejiciantur. Cur igitur toties excuduntur, præſertim cum a *Lutheranis* potiſſimum rejiciantur? Imo Bibliopolæ narrant nobis, nominis mei lenocinium plurimos allicere ad emendi libidinem. Tandem poſt longas querimonias rem aggreditur, oſtenſurus quod toties pollicitus eſt ſe declaraturum, utrum ipſe falſarius ſit, an ego mendax. Pollicitus eſt autem atrocia, me in multis aſſentiri *Luthero*, me damnare conſtitutiones Eccleſiæ, me detrahere majeſtati Pontificiæ, me deridere ſacroſanctum inſtitutum Monachorum, me depravare paraphraſibus Scripturam: poſt tam ſplendida promiſſa toties iterata, toties jactata prodit nobis *Moria*. *Sic ordo*, inquit, *poſtulat, quod ab hac feciſſem initium.* Itane cum agitur de dogmatibus fidei, convenit ut primas teneat *Moria*? Nec ab illa factum eſt initium, ſed multo ante prodierat *Enchiridion*, *Præfatio in Laurentianas ſuper Novum Teſtamentum Annotationes*, præter alia multa.

Cum opus ipſum appellem *Moriam*, cum illius genus ridicule deſcribam, cum illi addam pediſſequas tales, tamen a me poſtulat ut faciam illam omnia ſapienter loquentem, perinde quaſi *Pauli* aut *Petri* perſonam induxerim. *Loquitur*, inquit, *Moria, ſed loquitur ore* Eraſmi. Cum *Gryllus* docet plus rationis ac virtutum eſſe in brutis animantibus quam in homine, nonne *Plutarchi* ore loquitur? Quis tamen unquam vocavit illum in jus? Sed quid dicit hæretica *Moria*?

Ait diſciplinas eſſe repertas a Dæmone *Teuth*, quod eſt apud *Platonem*. Hîc videlicet proſtratæ jacent omnes humanæ diſciplinæ. Deus illarum miſereatur.

De Grammaticis quid dicit *Moria*? Eos in tam miſeris laboribus nullo pacto duraturos, niſi *Moria* malorum ſenſum adimeret, & moleſtiam verteret in voluptatem. Quid ſupereſt niſi ut Grammatici lapident *Eraſmum*.

Sed hîc exſpatiatur in laudes *Aldi*, quem, ut ait, nimis ingrate taxo ac irrideo. De *Aldo* nihil aliud habet *Moria* quam hæc verba: *Quandoquidem* Aldus *meus unus plus quinquies Grammaticam dedit.* Mira irriſio! At ipſe *Aldus* mihi faſſus eſt ſe novies ſcripſiſſe Grammaticam.

Digitized by Google

ticam. Sed ubi ingratitudo? *Citræ cujus*, inquit, *contubernium certe nunquam tu tam bellus fuisses. Negare enim non potes, quin* Venetiis *apud ipsum, cum illius officinæ ministrares, in utraque Lingua multum profeceris.* Ita *Pius.* Nescio an sentiat me Græce Latineque didicisse ab *Aldo*, quod nec *Aldus* ipse, si viveret, sine risu sit auditurus. De doctrina *Aldi* nihil addam, amavi vivum, non lædam mortuum. Hoc unum possum vere dicere, me cum venirem in *Italiam* melius sciviſſe Græce ac Latine quam nunc scio. Congeriem ac sylvam totius operis adduxeram mecum ex *Anglia Venetiam*, una cum sarcina librorum præcipue Græcorum, in quos notaram. Ambii, fateor, ut opus hoc exiret ex officina celebri. Id *Aldus* cupide recepit. Vixi in ædibus *Asulani* menses ferme octo, opus simul & scriptum est & excusum paucis mensibus. Ubi interim spatium discendi Græce & Latine? Tantum erat laborum, ut vix otium esset scalpendis auribus.

Aldus sæpenumero prædicabat se admirari, qui tantum scriberem ex tempore, idque inter tumultus circumstrepentium. Operis mei formas extremas castigavi, tantum in hoc si quid vellem mutare. Nam opus alioqui suum habebat castigatorem conductum nomine *Seraphinum*. *Aldus* post me legit, cum rogarem cur hoc laboris caperet, interim, inquit, studeo. In hoc mihi profuit *Aldus*, quod codices aliquot manu scriptos suppeditavit, sed non ille solus, fecit idem *Janus Lascaris*, *M. Musurus*, *Baptista Egnatius*, *Urbanus Regius*. An ille est minister officinæ, qui proprio adest operi? Neque enim aliam operam *Aldo* addixeram, officina mihi potius erat ministra. Sed usus sum illius mensa. Verum, quia secus non potui, studens opus quamprimum absolvere. Cæterum mensa & tota domus erat *Andreæ Asulani*. *Aldus* nihil erat nisi opera. Sed illa mensa peperit mihi calculum, ignotum antea malum. Et nisi me ardor absolvendi operis alligasset, sæpius humanissime ad suæ domus mensæque consortium invitabat *Janus Lascaris*, & mihi satis erat pecuniæ, ad biennium vivendum *Venetiæ*, etiamsi nihil accessisset e patria. Cum periclitarer insueto victu, rogavi *Aldum*, num *Asulanus* æquo animo pateretur me mihi parare victum in cubiculo, ubi respondit passurum, nunquam usus sum mensa *Aldina*. Et hoc tempore dicit *Aldum* fuisse herum meum, cum ne hospes quidem fuerit. *Romæ* non sustinebam habere Cardinales heros, licet tam commodis moribus, ut sodales commodioribus optare non posses, & insciens *Aldum* habui herum? An ille me pro servo habuerit nescio, certe cessit locum in mensa, & fassus est se multa ex me didicisse, deditque operam, ut post opus absolutum per hyemem adhuc retineret, cupiens nonnihil exerceri in rhetoricis. Sed cur quod offendit *Pium*, non offendit *Aldum*, qui *Moriam* sua dignatus est officina? *Talem*, inquit, *virum non vereris fatuum & insanum dicere*? Quid mentis fuit huic viro cum hæc scriberet? An insanus est qui sæpius tractat idem argumentum? Imo diligens est, & opere delectatur. Quid autem tribuendum huic, qui totus candidus & humanus haberi vult, cum ex tam frivolis tales excitet tragœdias? Ego nihil litterarum mearum debeo *Italiæ*, utinam deberem plurimum. Erant illic a quibus potuissem discere, sed tales erant & in *Anglia*, & in *Gallia*, & in *Germania*. Verum in *Italia* non vacabat, cujus visendæ gratia tantum eo me contuleram.

At *Moria* taxat etiam Poëtas. Hîc exspatiatur homo disertus in campum amœnissimum, laudans Poëticam, ostendens etiam in Litteris Divinis inveniri carmina. Sed quid ad rem?

Eadem Jureconsultorum professionem appellat asininam. Imo non vocat, sed ait ita vocari solitam a Philosophis atque etiam a Theologis quibusdam, qui putant illis deesse acumen dialectices excussumque judicium. Hoc si verum est, cur homo tam sapiens struit *Moriæ* calumniam?

Post hæc *Moria* taxat rixas quorumdam Dialecticorum, & hîc *Erasmus* damnat totam Logicam, in cujus laudes exspatiatur *Pius*.

Deinde taxat Philosophos naturæ scrutatores, & mathematicas subtilitates. Hic *Pius* serio defendit sobriam Philosophiam, quasi *Moria* jocetur in alios, quam in curiosos Philosophos, quod ex ipso sermonis tenore cuivis proclive est deprehendere.

Ventum est ad Theologos, quos, ut ait, *Moria* tam petulanter incessit, ut nullus circulator aut leno quamvis damnatam artem possit petulantius. Quasi lenonum sit in damnatas artes debacchari. Sed quid dicit *Moria*? Theologos esse humani generis pestes, ab humano consortio prorsus depellendas, ipsorum familias in *Turcas* & *Saracenos* cum eis conflicturos ablegandas. Quid ais impudens sub nomine *Pii* calumniator? An non *Moria* taxat Theologos sophisticos? Id si minus liquebat ex illius oratione, ipsa *Moria* palam explicat, dicens, cum sint inter ipsos Theologos melioribus instituti litteris, qui ad has frivolas, ut putant, Theologorum argutias nauseant. Sunt qui velut sacrilegii genus exsecrentur. Pestes humani generis verba sunt sycophantæ, non *Moriæ*. Sed *Moria* vult illos ablegari in *Turcas*. Et hîc calumnioſe agit cum *Moria*. Verba *Moriæ* sunt hæc: *Ac meo quidem judicio saperent Christiani, si pro pinguibus istis militum cohortibus, per quas jam olim ancipiti Marte belligerantur, clamosissimos* Scotistas, *& pertinacissimos* Occanistas, *& invictos* Albertistas, *una cum tota Sophistarum manu, mitterent in* Turcas *ac* Saracenos. Audis? Sophisticos & clamosos Theologos vult mitti in *Turcas*, ut illos suis argutiis convincant, non uti lanceis pugnent. Significans tales argutias adversus hostes fidei nullum habere pondus, apud Christianos his non esse opus. Quid hoc ad pios & sobrios Theologos? Hoc apologiæ satis esse puto *Moriæ*, adversus omnia, quibus hîc *Pius* defendit & probos & improbos Theologos. Decrevit enim, ut videtur, omnibus adulari.

Post hæc indignatur *Moria*, quod dixerit negociatores rem omnium sordidissimam tractare, videlicet pecuniam, cum pecunia res sit in primis honoranda. Quid hîc superarat, nisi ut nobis caneret τῦ πλύτυ ἐγκώμιον? Sed quid hæc ad illa quæ promiserat *Pius*? Quanquam ne id quidem simpliciter dicit *Moria*, sed notat quosdam negociatores, qui cum rem sordidissimam tractent, sese præferunt omnibus.

Tuetur milites, qui ob mercedulam venalem habent animam. At tales sunt plerique, utinam non sint & prædones, suis quam hostibus graviores. Jam periculum est ne nullos habeamus milites stipendiarios.

Nusquam non agit calumnioſe *Pius*, sed nusquam calumnioſius quam ubi ventum est ad Monachos. Ait *Moriam* non taxare vitia quorumdam, sed ipsam professionem, mendicitatem, jejunia, psalmos, & instituta. Ambiebat, opinor, sacrosanctam sepulturam. At quisquis audierit *Moriam* concionantem, fatebitur hoc esse liquido falsum. Etenim cum *Moria* locum hunc ingrediens dicit, *cum & bona pars istorum longissime absit a Religione*, palam testatur se de malis loqui, quorum, proh dolor! maxima turba est, atque utinam non sit. Nec damnat Psalmos, sed quod quidam existiment Psalmos non intellectos grandi voce detonare in templis esse mirificum Deo sacrificium. Nec *Moria* damnat simpliciter mendicitatem, sed quod improbi mendici sint, & ob id tamen velint haberi pro viris Apostolicis. Sic enim loquitur *Moria*: *Et sunt ex his nonnulli, qui sordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, imo in nullis diversoriis, vehiculis, navibus, non obturbant.* Vides non quamvis mendicitatem, sed improbitatem mendicandi damnatam. Jam de præscriptis vestium, ciborum, & hujusmodi rerum ita sermonem temperat *Moria*, ut harum rerum fiduciam damnet, non observationem. Subjicit enim: *Et tamen his nugis non alios modo præ se nauci faciunt, verum invicem alii alios contemnunt.* Similiter ceremoniarum fiduciam taxans, non ipsas ceremonias, ita loquitur: *Horum magna pars intantum suis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, ut putet unum cœlum parum dignum esse tantis meritis præmium*, &c. Cum audis, *magna pars*,

Digitized by Google

intelligis non taxari universos. Nec *Christus* apud *Moriam* illos Judaïcos appellat, quod ista servaverint, sed quod vacui charitate, *Judæorum* more in his constituerint pietatem. Adeoque toto hoc loco non damno Monachorum ordinem, ut *Moriam* præter decorum fecerim propemodum sapienter loquentem.

Ait consentaneum, Apostolos sæpe mendicasse, *Christum* emendicasse cœnaculum ad peragendam cœnam Paschalem, idque vult frequenter & a *Christo* & ab Apostolis esse factum, *Paulum* emendicasse pecuniam in subsidium pauperum qui erant *Hierosolyma*. Ut hæc sint vera, nec enim hoc nunc tractamus, quid hoc ad eam mendicitatem, quam taxat *Moria*? Miror ab illo præteritum, quod *Christus* mendicaverit aquam a *Samaritana*, & quod invitaverit seipsum apud *Zachæum*, quod post resurrectionem quoque mendicaverit a Discipulis pulmentarium *Joan.* XXI.

Reges, Principes, & aulicos Proceres attingens *Moria*, quid aliud agit, quam ut ostendat vix ullorum hominum vitam esse miseriorem, si agnoscerent quod onus humeris sustineant, sed *Moria* beneficio vix ullos vivere suavius. Hic *Aristotelicus* insidiose me rogat, existimem ne principatum gerere pravum. Imo puto optimum. Nec dico fugiendum, sed ajo multos esse Principes, qui si penitus inspicerent, quid requiratur a bono Principe, sarcinam molestam abjicerent, id quod a cordatis quibusdam Monarchis factum legimus.

Et alibi *Moria* damnans, opinor, disciplinas, ait eruditissimos quosque fuisse ad rem gerendam ineptissimos. Non tam stulta est *Moria*, ut dicat Principem Philosophum esse gerendo principatui inutilem. Sed ita loquitur, *si in Philosophastrum aliquem, aut litteris addictum inciderit imperium.* Philosophastrum dicit, *Pio* similem, non Philosophum. Nec contra me facit illa celebris sententia *Platonis*. Ille enim Philosophum appellat, non detritum in dialecticis, physicis, & mathematicis, sed imbutum veris de honesto & inhonesto opinionibus, quique animum habeat omnibus affectibus superiorem. *M. Antoninum* non vituperat *Moria*, quemadmodum calumniatur *Pius*. Sic enim loquitur: *Sed tamen ut donemus fuisse bonum Imperatorem, at certe pestilentior fuit Reipublicæ, tali relicto filio, quam fuerat sua administratione salutaris. Commodum* accusat, non ipsum. *Julium*, qui primus armis oppressit Romanam libertatem, alius non poneret inter salutares Monarchas. De *Octaviano* nihil dicam, sed quid de *Claudio*, *Caligula*, *Nerone* sexto, de *Adriano*, de *Juliano*, quos constat fuisse doctissimos?

Jam *Moria* vitam hominum appellat fabulam. Quid tum postea? Nihil igitur in hac vita serium. Vellem hîc adesse *Democritum* patronum. Sed an non doctissimi viri dixerunt comœdiam esse humanæ vitæ speculum? Et an non comœdias appellamus fabulas? Sed intolerabilius, quod dicit hominis felicitatem pendere non ex rebus, sed ex opinionibus. Verissime dixit, si sentias de ea felicitate, de qua sentit *Moria*. Et hic *Moria*, si superis placet, fit Academica, & laudatur *Lutherus*, qui *Erasmum* appellarit Scepticum. Hîc nimirum valet illius auctoritas. Quanto amore vir ille flagravit in *Erasmum*, quanto odio in *Lutherum*?

Ante dixerat *Moriam* non injuria taxasse mores quorumdam Principum. Nunc ait Principum ac Pontificum vitia non esse traducenda, sed occultanda, sed eos monendos reverenter ac parce: quasi *Moria* loquatur populo, ac non potius doctis, aut quasi Pontificum malorum arcana promulgarit: tantum attigit ea quæ nemo nescit, quæque vel ab ipsis cum risu legi possint. Nullus Princeps aut Episcopus hactenus mecum expostulavit de *Moria*, laudarunt aliquot.

Moria, inquit, accusat Pontifices, Cardinales, & Sacerdotes, quod censu abundent, veluti perperam agentes, cum *Christus* fuerit pauper. Imo *Moria* prudentius loquitur, quam iste ter sapiens Peripateticus: taxat eos qui opibus, copiis, bombardis imitantur profanos Monarchas, nec alia re *Christum*, cujus vices gerunt, referunt: census opimos, arma, copias, ditiones, & arces *Pius* putat esse necessaria, de aliis, quæ propria sunt Episcoporum, nulla mentio. Quin etiam aperte testatur se *Moria* non loqui de omnibus Episcopis ac Sacerdotibus, ita sermonem temperans. Verum non est hujus instituti, Pontificum ac Sacerdotum vitam excutere, ne cui videar Satyram texere, non Encomium recitare, neve quis existimet bonos Principes a me taxari, dum malos laudo.

Et hîc me deridet homo festivus. *Sed obsecro*, inquit, *te, magister reverende, quænam collectio hæc est?* Christus *pauper fuit, ideo Ecclesiarum nulla debet esse possessio, igitur non licet Sacerdotibus habere opes.* Non est fas ἀντιπαίζειν in mortuum, quanquam hæc non puto scripta a *Pio*. Sed unde hîc Ecclesiarum mentio, cum *Moria* loquatur de Pontificibus & Episcopis? Quanquam illud enthymema valuit usque ad ætatem *Hieronymi*, in qua male audiebant Episcopi studentes congerendis opibus. Quoties autem *Paulus* clamat in eos, qui ventri suo serviunt, non *Jesu Christo*. An non possit fieri enthymema ex eo, quod scribit ad *Timotheum* cap. VI. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*, &c. Qualis est illa collectio *Hieronymi* in omnes Clericos, eos non posse habere partem Domini, qui aliquid habent præter Dominum. Hæc mihi dicuntur extra causam, nunquam enim sensi Sacerdotibus negandum victum etiam cum dignitate. Sed quod olim possidebant Episcopi, erogabatur in egenos, viduas, & diaconos, non in equites, pedites, arces, & bombardas. Quanquam ne hæc quidem damnat *Moria*, sed quod hæc expetantur sola. Legat locum qui volet, comperiet me vera dicere. Hanc collectionem *Pius* admittit ut probabilem, *Quicunque Christianus est*, Christi *vitam in omnibus imitari debet*: hanc non admittit, *Episcopus est* Christi *vicarius, ergo debet imitari* Christum. *Hæc*, inquit, *collectio non magis pertinet ad Sacerdotes, quam ad quosvis Christianos.* Nihilo plus igitur exigitur ab Episcopis quam a Laïcis? Quis unquam audivit talem doctrinam? Sed quando periclitatur *Moria*, ne videatur non didicisse Dialecticam, an hoc absurdum est enthymema: *Levitæ veteris Testamenti non habebant sortem inter Tribus, sed vivebant ex decimis, multo magis id facere convenit Clericos novi Testamenti.* Rursus: Christus *dixit impossibile divitem intrare in regnum cælorum, multo igitur impossibilius est divitem præsidere in regno cælorum.* Rursus: *Juxta* Paulum *nemo militans Deo implicatur negotiis sæcularibus, sed militiæ duces sunt Episcopi: multo minus igitur opertet eos implicari talibus negotiis. At inter negotia sæcularia maxime sæculares sunt divitiæ.* Item: *Quoniam summus Pontifex est* Christo *proximus honore loci, convenit ut eidem sit proximus similitudine vitæ.* Rursum: Christus *cum esset dives, factus est pro nobis pauper, non convenit igitur ut* Christi *vicarius fiat ex paupere dives.* Præterea: *Divitiæ ceu spina suffocant semen verbi divini, inutiles igitur primo verbi dispensatori.* Rursus: *Oves* Christi *non possunt simul Deo servire & Mammonæ, multo minus igitur Dominici gregis Pastor.* Centum enthymemata proferre poterat *Moria*, sed hæc omnia *Pio* videntur indocta, nec ad ullam sequelæ formam redigi posse. Verum illud enthymema pulchre habet: *Pontifex est summus* Christi *pauperis vicarius, ac* Petri *pauperis successor, ergo convenit ut unus universos Reges opibus strepituque superet.* Dicit *Christum* non in omnibus imitandum quæ fecit aut probavit, sed in multis habendam rationem, temporis, loci, negotii, ordinis, & hominum. Ut isti studiose quærunt occasiones recedendi ab archetypo. Imo Christianorum omnium est *Christum* pro viribus imitari. Sed *Moria* non intelligit quid intersit inter præcepta & consilia, nec inter ea quæ gessit Dominus ad dispensationem redemptionis, quæque ad instituendum exemplo varia hominum genera, eorumque varias professiones, nec inter ea quæ spiritu tantum servanda sunt, & quæ externe peragenda, sed omnia sub unam Myconum commiscet. Quis non animadvertit quorsum hæc tendunt? Vult consilia relegare ad professiones Monachismi, sed ita tamen, ut intus habeant paupertatem, foris divitias. Pontifices & Episcopos vult esse *Cræsos* & bellatores.

Sed

Sed a quibus exſpectabimus Evangelii conſilia, ſi ea nihil ad illos pertinent, qui peculiariter in *Chriſti* & Apoſtolorum vices ſucceſſerunt? Non licere Chriſtianis bellare, nunquam a me dictum eſt abſolute, licet hæc bella, quæ hactenus vidimus, prorſus ethnica ſunt; *Moria* dicit bellum eſſe rem adeo tetram, ut illi nihil conveniat cum *Chriſto*. Sed non eſt abſurdum enthymema, Chriſtus *nunquam bellavit, imo juſſit* Petrum *recondere gladium, ergo non convenit Epiſcopis* Chriſti *vicariis bellare*. Item: Petrus *ſummi Pontificis typum gerens arguitur, quod Domini vitam tentarit gladio defendere, multo minus convenit* Petri *ſucceſſores pro divitiis ac ditione ſumere arma*. Non defuiſſent *Moriæ* enthymemata, ſed tum aliud agebat. Ea cum diſputabit in *Sorbona*, tum diſtinguet quæ hîc ante diſtinxit *Pius*, & concludet paupertatis exemplum ad ſolos Monachos pertinere. Addit pro facultatibus Sacerdotum acrius pugnandum, quam pro Laïcorum, quod & potioribus rationibus partæ ſint, & ad meliorem uſum conſtitutæ. Periculum igitur eſt ne damnentur Sacerdotes, quod tam ſegniter dimicant pro bonis ſuis. Sed aliud eſt habere divitias, aliud congerendis opibus invigilare. Nec habere ſimplex eſt, alius ſic habet, ut magnam felicitatis partem, alius habet tanquam non habeat. Verum hæc extra cauſam mihi dicuntur pro *Moria*, cum illa nec bella, nec opes Sacerdotum damnet ſimpliciter, ſed quod his intenti, nihil aliud habeant Sacerdote dignum.

Sed hactenus levicula tractavit *Pius*, nunc venietur ad vitalia. *Moria* damnat indulgentias Pontificias, & hoc eſt unum ex improbatis *Lutheri* dogmatibus, ut patet ex Bulla *Leonis* decimi. Hîc vero tenetur *Eraſmus* medius, hinc liquebit uter noſtrum ſit mendax. Primum reſpondeo, ſi mihi defendendum eſt quicquid dicit *Moria*, multa illa loquitur paganice de Diis, multa laudat vituperanda, ut adulationem & ebrietatem, denique ſeipſam. Sed age non recuſo cum *Moria* hac in parte periclitari. Tantum hoc præfabor, Theologos nulla in parte minus iniquos eſſe *Luthero*, quam in damnatis indulgentiis, adeo ut *Pariſienſes* hunc articulum prætermiſerint: tantum qui præfatur, ait illum multa falſa ſcribere de indulgentiis, quæ ſint illa non explicans. At ipſe audivi *Carmelitam* Theologum *Lovanienſem*, qui *Leonis* Bullam emulgavit, ita loquentem apud populum, *De indulgentiis nec nos multum curamus*. Nec eſt contra auctoritatem Pontificis, quod eſt pro veritate & ſalute gregis *Chriſti*. Si nihil valent indulgentiæ, & talibus fucis decipitur populus, quæſo utrum Pontificii commodi habenda eſt ratio, an conſulendum tot hominum ſaluti? Quid Theologi ſentiant de indulgentiis, quales ſæpe vidimus proponi, ſatis in aperto eſt. At hæ indulgentiæ, quarum meminerunt Decretales, & vetera Diplomata, nihil aliud erant, quam relaxatio pœnitentiæ ab hominibus indictæ, quam ipſam tamen volunt eſſe moderatam, nec indici niſi ob neceſſarias cauſas, velut ad exſtruendam Baſilicam ubi nulla eſſet. Poſt exſtiterunt, qui relaxant Purgatorii pœnam, qui præcipiunt Angelis Dei, ut animas pretio redemptas devehant in cœlum. *Dominicani* quidam hæc nimis adulanter & impudenter, ac prope dixerim blaſpheme jactantes apud populum, excitarunt *Lutherum*, ut proponeret aliquot propoſitiones diſputandas. Quibus ſic reſpondit *Prieras*, ut exarſerit incendium. Et ante *Moriam* a compluribus reclamatum eſt condonationibus Pontificiis, ſaltem ex parte. Sed nihil horum attigit *Moria*. Tantum inceſſit fictas condonationes, fictas autem appellat, vel ſurreptitias nec recte conceſſas, vel ſecus quam oportet acceptas. Pontifex enim eas tradit confeſſis & contritis, vulgus putat dato nummo partam innocentiam, cum de mutanda vita non cogitet. Hoc ſentire *Moriam* totus orationis tenor arguit: ipſa etiam verba, quæ ad calumniam decerpta refert *Pius*. Ait enim: *Hîc mihi puta negotiator aliquis, aut miles, abjecto ex tot rapinis unico nummulo, univerſam vitæ lernam ſemel expurgatam putat, totque perjuria, tot libidines, tot ebrietates, tot rixas, tot cædes & impoſturas, tot perfidias, tot proditiones exiſtimat velut ex pacto redimi, & ita redimi, ut jam liceat ad novum ſcelerum orbem de integro reverti.* Hæc *Moria*. Quibus perſpicuum eſt a *Moria* non damnari ſimpliciter indulgentias, ſed eos qui ſecus proponunt aut accipiunt quam oportet. Unde hîc fruſtra triumphat *Albertus*, quaſi convicerit *Eraſmum* cum *Luthero* conſentire in dogmate improbato. Nam *Lutherus* non ſolum aliter, verum etiam aliud loquitur de condonationibus quam *Moria*.

A Divis diverſis diverſa peti idque certis regionibus non pertinet ad negotium fidei. Nec hoc tamen ſimpliciter carpit *Moria*, ſed quod ab illis petant non ſalutaria, verum affectibus accommoda. Abſit autem ut uſquam vel joco vel ſerio taxetur cultus Deiparæ Virginis, ſed hoc notatur quod vulgus hominum pene plus illi tribuit quam Filio, & ſi quorumdam ſuperſtitionem reſpicias, *pene* adverbium redundat.

Ne anathemata quidem damnat *Moria*, ſed jocatur inter illa nullum eſſe poſitum ab eo qui e ſtulto factus ſit ſapiens. Et ad hoc ludicrum ſerio reſpondit *Pius*.

Sed ingentem invidiam mihi movet ex concluſione *Moriæ*, quæ dicit omnem Chriſtianorum vitam iſtiuſmodi delirationibus undique ſcatere. Quid apertius? Quid adhuc requirimus teſtes? Audiſtis blaſphemiam, omnem Divorum cultum appellat delirationem. Imo præter meritum *Moria* ſtruitur calumnia. Qui hoc animo currunt ad regionem quampiam, quaſi Divus ille non poſſit idem præſtare alibi, qui plus tribuunt matri quam filio, qui petunt a Divis non petenda, his *Moria* tribuit delirationem. Nec ad hæc tamen proprie pertinet concluſio, ſed ad alia multa quæ præceſſerunt, de ſuperſtitioſo cultu Divorum, de magicis preculis, aliiſque ſimilibus: ea diſſimulat noſter *Pius*, non ne in immenſum creſcat volumen, quam cauſam ille ſubinde prætexit, ſed ut ſit locus calumniæ.

Quæſo per Muſas, nonne hactenus recenſuit nobis ex *Moria* præclaras hæreſes? Supereſt blaſphemia in *Chriſtum:* quia *Moria* dicit *Chriſtum* delectatum ſtultis, & odiſſe ſapientes. Si prius hîc diſtinxiſſet ſtultos hujus mundi a ſtultis apud Deum, & ſapientes hujus mundi a ſapientibus apud Deum, fateretur ſententiam eſſe maxime Chriſtianam: & tamen hunc locum ingreſſura *Moria*, deprecatur verborum invidiam. Rurſus citatura Scripturarum teſtimonia detorta, præfatur ſe citaturam ἰδίῳ πρὸς ἴδιος. Hîc ſi quis dicit non eſſe jocandum verbis ſacræ Scripturæ, fateor inepte factum, ſed quod a multis fit citra calumniam. Cæterum ad hunc locum abunde reſpondi *Martino Dorpio*, quæ Epiſtola cum ſit adjuncta *Moriæ*, demiror quare *Pius* gravatus ſit legere priuſquam iſta ſcriberet. Quanquam quid opus illis, cum *Moria* ipſa diligenter depellat omnem calumniam. Proinde exaggerationes illæ de ſpecu *Platonico*, de *Juliano* & *Porphyrio*, nihil aliud revera ſunt, quam frigidæ calumniæ, mihique perſuadeo *Pium* ſibi diſplicuiſſe cum iſta ſcriberet, aut quod magis ſuſpicor ab aliis ſcripta legeret. Nec illi ſuccenſeo, ſed miſeret me hominis, qui tantum operæ poſuerit in negotio nec liberali, nec amœno, nec docto, nec utili, nec pio.

Concludam igitur *Pium* nihil adhuc omnino probaſſe quæ toties tam multa, tam atrocia, tam magnifice promiſerat. Sed *Moria* utcunque donat, ſi quid ſtulte dixit. Nunc pollicetur horrenda ſe demonſtraturum e libris meis, homo ſemper in proponendo ferox, nunc etiam in concludendo, in probando dormitans ac dilutus. Vide an non hæc ſint inſignia mendacia quæ pollicetur, nullum eſſe fere libellum meum, quo non detraham ceremoniis, ac ſacris Patrum traditionibus, Monachorum inſtitutis, quo non expungam ſuſpiciendum Theologorum Ordinem, Sacerdotes non inceſſam, Præſulum ac Pontificum dignitatem non dilacerem, ſacramentis quibuſdam fidem & auctoritatem non detraham, conſuetudines ab Eccleſia receptas non condemnem, bona opera merito non deſtituam, Religionis dogmatibus aut Eccleſiæ inſtitutis, Divorumque cultui, ac Deiparæ Virginis venerationi non detraham, votorum ſuſceptionem non damnem, Scripturaſque non-

Pollicitatio ferox.

Digitized by Google

nullas ex canonicis in dubium revocem. Quid hac pollicitatione magnificentius, quorum si unum doceat, fatebor esse vera omnia. Quanquam plena tædii res est disputare cum homine, qui nec Theologiam didicit, nec in Litteris sacris prisciisque Doctoribus versatus sit, nec unquam, ut apparet, serio de vera pietate cogitarit, postremo qui truncatim, depravate, confuse citet, ut qui mea non legerit, quod utcunque inficiatur ille, res ipsa verissimum esse clamitat.

JEJUNIUM.

PRimum assumit a me damnari jejunia ab Ecclesiæ proceribus indicta, & ciborum quorumdam abstinentiam. Ubi? In *Methodo*. Recita: *Sabbatum hominis causa constitutum est, non homo sabbati gratia conditus. Atqui hæc erant a Deo præcepta, tamen non vult observari, quoties charitatis officium est præstandum. Quid igitur dicent homunculi obscuri, qui ob interdictum esum carnium, aut his frigidiores constitutiunculas postulant, ut totus homo veniat in capitis periculum?* Ita *Methodus*. Quid hæc ad decreta Ecclesiæ? An Pontifices sunt obscuri homunculi? An hoc unquam instituit Pontifex, aut voluit Ecclesia, ut ob privatas hominum constitutiones homo totus veniat in periculum vitæ? Sequitur, *quia sic visum est hominibus, fortassis stultis aut superstitiosis, certe nulla publica auctoritate praditis*. Hæc non in Ecclesiæ consuetudinem, sed in *Cartusianos* dicta, cum ipsa loquitur res, tum marginis annotatio commonstrat. Refert ad hæc *Pius* quæ sequuntur: *Non quod intrat in os polluit hominem, & tu exigis a Christiano, ut ingenti valetudinis dispendio vescatur piscibus? Imo præ te non ducis pro Christiano, qui corporis habitu compulsus quocunque die quocunque cibo vescens, gratias agit Deo?* Hactenus *Methodus*. Dic mihi censor φιλαίτιε. Exigit hoc a quoquam Ecclesia, ut quis ingenti valetudinis dispendio vescatur piscibus? Non opinor, sed hoc tamen exigunt quidam homunculi superstitiosi. Ad hæc cum ajo, *corporis habitu compulsus*, nonne damno eos, qui citra necessitatem transgrediuntur Ecclesiæ consuetudines?

1 In Epistola ad Episcopum *Basileensem* palam & atrociter insector eos, qui citra necessitatem contemnunt Ecclesiasticam in cibis observationem: ratiocinor tamen pro temporum horum moribus fortassis expedire, ut nemo adstringatur ad ullum cibi genus. Id si fieret, puto quam minimum decessurum pietati Christianæ, multum autem accessurum concordiæ Christianorum. Refert & hæc: *Delectus ciborum, odium inimici, & bella, quæ Judæis licebant, Christianis jam non licent.* An non hic sermo testatur, me loqui de observationibus Judaïcis? Quin igitur abstinemus a suibus & anguillis? Judæi credebant sibi licere bellare contra quoslibet alienigenas, id nobis non licet. Rursus ex Epistola, cum addo, *ob idque genus observatiunculas, videmus homines affligi, denique mori, sibique Christianos videri, cum sint Judæi*. Utrum hic damnatur abstinentia carnium, an potius eorum superstitio, qui ob hæc affligunt proximum atque etiam mori sinunt, & interim sibi videntur pii, cum sint Judæi, hoc est, superstitiosi? Judaïcus ciborum delectus nobis interdictus est, & tamen ab eo minimum abest vulgus Christianorum. Bellare Judæorum more Christianis non licet, & tamen sceleratius bellamus quam bellabant Judæi. Hoc sensi, hoc expressi verbis, non uno in loco, & tamen hic *Pius* multum vidit impietatis.

Nec a me scriptum est nostrum onus in ciborum delectu ac jejuniis esse durius quam Judæorum, sed videri. Nec hoc inficiantur Theologi, verum commenti sunt onus Christianorum præceptis quidem esse gravius, sed aucta gratia levius. Atqui hoc commentum fefellit *Petrum*, cum Gentes liberas observatione Legis diceret, censeretque non esse imponendum onus grave fratribus, quod nec ipsi, nec patres ipsorum portare potuissent. Nec *Augustinus* hæc vidit scribens *Januario* Epistolam CVIII. *Primum itaque*, inquit, *tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum* Jesum Christum, *sicut ipse in Evangelio loquitur, levi jugo suo nos subdidisse. Unde sacramentis numero pauciſſimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.* Audis hic non agi de gratia, sed de præscriptionibus. Jam annotans in *Matthæi* caput undecimum, non taxo 3 constitutiones, Conciliorum auctoritate proditas, & Christianorum omnium usu receptas, sed hominum immodicas præscriptiones noto, non Conciliorum, sed Episcoporum, Principum, Priorum, & Decanorum, atque etiam Pontificum peculiares, quales sunt constitutiones Cameræ. Si in his nihil est nimium, nihil iniquum, frustra notavit *Erasmus*. *Julius Roma* constituerat, ut, cui contigisset Episcopatus, deponeret officium. Quid si nullum habeat? Deponendum est, inquit, hoc est, emendum quod mox deponas. Quis non intelligat hoc esse iniquum? Jam observatio jejuniorum, ac ciborum, dierumque festorum, magna ex parte pendet ab Episcopis, aut privatorum hominum consuetudine. Congerit *Pius* loca quædam ex Anno- 4 tationibus in Novum Testamentum, nec indicat caput, satis habet dicere, in eodem opere. Quod tamen non tam ipsi reor imputandum, quam congestoribus, quos piguit designare librum & caput. Qui damnat superstitionem inter Christianos, non damnat Ecclesiæ constitutiones. An non magna superstitio, cum adulterium & ebrietas habeatur pro lusu, hominem ob gustatum ovum aut carunculam rapi in carcerem pro hæretico, cui fortasse causa gravis fuit vescendi?

Locus autem qui est ad *Colossenses* II. secus ab eo 5 refertur quam habetur in codice meo. Verba mea sic habent: *Et utinam his quoque temporibus non idem facerent Sacerdotes quidam, omissis his quæ propius ad pietatem pertinent*. Cum ajo *quosdam*, utique non damno Ecclesiam, cum addo *omissis his*, non simpliciter damno ciborum quorumdam abstinentiam, sed præposterum judicium. Porro hæc verba, *Abjecti est animi, ut patiatur quis sese veluti bubalum duci naribus, præceptis hominum*, &c. nec in prima, nec in postrema Editione reperio. Unde desumpserit nescio. Quanquam quacunque occasione dictum est, verissime dictum est. Non enim est ingenue Christiani, præscriptis quorumlibet hominum circumduci, nec unquam ad spiritus libertatem assurgere. *Depravate citat.*

Ex his male & depravate citatis colligit aliquot impudentes ac mendaces propositiones. Quarum prima est: *Delectum ciborum, quem hodie vulgus observat, & utinam observet, non esse institutum a* Christo. Hoc reor fuisse verum, si intelligas, ore *Christi*. 1

Secunda hæc: *Improbata potius quam probata: & hanc arbitror esse veram, etiamsi* Paulum Christo *adjungas, utcunque interpretamur illorum dicta: verum his interpretationibus non esset opus, nisi* Christus *&* Paulus *viderentur improbare ciborum delectum*. 2

Tertia: *Ex ciborum delectu per occasionem, & quorumdam hominum Judaïcam superstitionem, multos provenire morbos, atque etiam mortem*, nemo non fatebitur esse verum. 3

Quarta: *Ad hanc observationem homines nullo pacto teneri*, plane falsum est, cum eos objurgem qui temere vescebantur cibis vetitis. Nec id uno in loco a me factum est. 4 *Mendacium.*

Quinta: *Qui citra necessitatem vescuntur carnibus diebus nefastis, peccare tantum in legem humanam*, verum arbitror submota distinctione, mediati & immediati. Qui solvit jejunium, peccat bifariam, qui vescitur ab homine vetitis, semel peccat, & tamen hoc gravius punitur. Hac occasione mihi dictum est illud. 5

Sexta: quod colligo convenire, *ut liceat Christianis vesci quocunque cibo voluerint, nec quod ad hoc attinet, ullum esse debere dierum discrimen*, falsum est. Tantum argumentor hoc temporum statu videri utilius, ut eam obligationem Episcopi vertant in exhortationem, nihil autem præscribo aut definio. Hæc eo impudentius occinit *Pius*, quod ad hanc calumniam non indiligenter respondi *Bedda*. Vult autem videri legisse meas *Supputationes*, unde decerpit interdum calumniandi materiam. Cætera non vidit. 6

Post hæc probat jejunium esse institutum a *Christo*.

At

Digitized by Google

At ego de ciborum delectu loquebar, non de jejunio. Spatietur igitur in suo campo quantum volet, nihil ad me. Sic autem perpetuo ratiocinatur, quasi natura cohæreant ciborum delectus & jejunium.

Jam quis nescit a *Christo* commendari jejunium? etiam ab Apostolis? Atqui cum de contemptu divitiarum ac profanæ ditionis agitur, docet nos multum interesse inter *commendare* & *præcipere*, eam distinctionem oportuit & hîc succurrere *Pio*. Quanquam jejunium ubique probamus, modo Christianum. Sed tot dies jejunio fuisse præscriptos debebat ostendere, & hîc homines per homines obligari sub pœna gehennæ: ad hæc in jejuniis superstitionem, anxietatem, trepidationem, fiduciam, præposterum judicium oportuit probare a *Christo* inductum: nam hæc sola taxat *Erasmus*, Christiana jejunia laudat locis innumeris.

Ubi multa congessit in laudem jejunii, quod nemo non probat, mihi ceu victor insultavit. *Quid garris*, inquit, *homines non peccare, nisi in legem humanam, etiamsi citra necessitatem præscriptis diebus non jejunarent, & cibis vetitis vescantur?* Putat me legem humanam vocare, quæ sensu humano, nullo afflatu divino sancita sit. Imo legem humanam appello, quoties homo præcipit homini, quod non expressum est in his litteris, de quarum auctoritate non est fas cuiquam ambigere. Quicquid viri pii bono animo agunt, probabile est non abesse Spiritum, sed eum afflatum Spiritus, quo scripserunt Apostoli, non est necesse ut credamus omnibus adesse, qui condunt legem. Omitto quod omnia fere testimonia, quæ refert, docent commendatum esse jejunium, præceptum esse non probant. Neque enim quodvis exemplum aut quævis exhortatio obligat ad pœnam gehennæ. Sed ut sint aliqua jejunia ab Apostolis instituta, num hæc omnia quæ nunc exiguntur? Nam ego de nostris jejuniis loquor. *Christus* sæpius præcepit vigiliam quam jejunium, & tamen vigilias Ecclesia sustulit, jejunia ceu rem divinitus institutam urgemus.

Audi aliud lemma. *Constat*, inquit, *frustra aliquid præcipi aut constitui, quod nunquam sit peragendum.* Quid audio? Nemo jejunaret nisi essent præscripti dies? Quis præscripsit dies Apostolis ultro ac pene quotidie jejunantibus? Jubemur orare, & tamen Ecclesia non præcipit, quid, quantum, & quibus diebus sit orandum, nisi forte satis esse putamus orare diebus Dominicis. Præcipiuntur eleemosynæ, nec tamen præscribuntur dies. Præcipitur amor Dei, nec tempus præscribitur in præcepto. Episcopis præcipitur studium Scripturarum, nec præstituitur tempus. Cui non præscribitur certum tempus, id præstandum est quoties datur opportunitas.

Quid ais, inquit, *si Apostoli post ipsum assumptum hæc sanxerunt? quid si Paulo post Apostolos?* Si dubitat *Pius* an hoc sit factum, cur triumphat quasi evicerit? Nec statim obligat omnes ad pœnam gehennæ, si quid fecerunt aut instituerunt Apostoli. Multo autem aliud est exemplo suo commendare hortarive ad quippiam, aliud sub pœna gehennæ præcipere. *Christus* commendavit jejunium, sed ubi præcipit? Sed hæc mihi dicuntur extra causam.

Rursus mihi vide disputatoris acumen. In Epistola ad Episcopum *Basilcensem* disputo, num expediat pro temporis hujus ratione jejuniorum rigidam exactionem vertere in exhortationem, præsertim quod attinet ad ciborum discrimina: iste ait censere me utrumque esse antiquandum atque abolendum. Imo ratiocinor illic probabiliter, si fiant quæ admoneo fore, ut & plures & religiosius jejunent quam nunc jejunatur. Reliquas hominis nænias prætereo.

De Quadragesima meminerunt Prisci, de reliquorum dierum præscriptione non legimus: jejunium diei Veneris & Sabbati divus *Augustinus* commemorat inter ea, quæ consuetudo invexit, non publica constitutio præscripsit. Alioqui fuisset eadem apud omnes observatio, nunc aliud fiebat *Romæ*, aliud *Mediolani*, aliud alibi. Imo in eadem urbe alii jejunabant, alii bis reficiebantur. Hîc *Augustinus* suadet nos sequi quod facit Episcopus. Nusquam autem dicit quod asseverat *Pius*, abstinentiam carnium natura conjunctam cum jejunio. Quod si libet auscultare monita divi *Hieronymi*, & similiter hortantem ad parsimoniam, victus carnisque moderationem, in primis esset abstinendum a vino, quod nominatim excipit *Hieronymus* in jejunio, præterea a conditis myrobalanis, ab ovis, a palmulis, a ficis, a cochleis, a colubris, denique a piscibus bene nutrientibus, ab ostreis, murenis, siluris, salmone, & similibus.

Jam perinde quasi perorarit exspatiatur in Epilogum, depravatius recitans mea, quæ prius depravate proposuerat. *Mendacium.* *Superstitionem esse prædicas*, inquit, *sacra jejunia.* Hoc *Erasmo* ne per somnum quidem in mentem venit, sed ut in eo libello, ita multis aliis locis taxo superstitionem hominum circa jejunium, veluti cum exigunt ab his, a quibus Ecclesia non vult exigi, cum contra mentem Ecclesiæ jejunant cum pernicie valetudinis, & hoc ipsum impeditur ad quod est institutum jejunium, cum in die jejunii & effusius indulgent deliciis, & magis onerant ventrem quam diebus cæteris, cum in hoc tantum jejunant, ut jejunent, negligentes ea, quorum gratia indictum est jejunium, cum jejunant a cibis, nec jejunant a temulentia, turpiloquio, alea, obtrectatione, odio, invidia, avaritia, cum perfectam sanctimoniam putant jejunasse tantum: hæc aliaque, quibus obnoxia est maxima vulgi pars, appello superstitionem. Christiana jejunia nec joco nec serio damno usquam. Nec illos inter superstitiosos numero, qui ad macerandum corpus suum abstinent a cibis lautioribus, a vino, a stratis mollibus, a somno largiore. Sed quid hoc ad generalem obligationem, qua, ut nunc sunt mores, nulli magis anguntur quam quibus minime est opus. Proinde quæ hîc multa congerit *Pius*, quoniam putri innituntur fundamento, corruunt omnia.

Assumit & illud quasi damnem constitutionem Ecclesiæ de jejuniis, & huic rursus putri fundamento superstruit malam fabricam.

Tandem fatetur non liquere, an Quadragesimale jejunium sit institutum a *Christo*, an ab Apostolis, cum hoc toties affirmarit ante.

Exponit nobis quomodo sit intelligendum, *quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Dominus, inquit, non permisit illic vesci cibis in Lege vetitis. Esto, propter scandalum: sed suorum animos præparavit ad eam observationem negligendam. Exemplo est *Petrus*, qui cum Gentibus vescebatur quibuslibet, argumento est *Paulus*, qui nusquam non avocat a delectu ciborum ad studium pietatis. Denique quæro an hoc dictum confirmet præscriptiones ciborum. Nequaquam, certe magis dehortatur quam hortatur. Nec aliud a me dictum est. *Judæi*, inquit, *abstinebant velut ab immundis*, quasi non sint plurimi Christiani, qui simili animo abstineant, non ob aliud nisi quia præscriptum est ab hominibus. Quo nomine *Judæi* venia sunt digniores.

Concludit esse falsum, neminem ex Lege Evangelica obligatum unquam jejunare. Hoc a me nusquam est dictum. Sed his & illis diebus nemo tenetur ex præscripto *Christi*, quod ipse toties citavit ex *Augustino*. Delectus ciborum nullo pacto probari potest ex Evangelio, nec ex Apostolicis Litteris; de idolothytis carnibus, aliud argumentum est, nec huc pertinens.

Pergit ratiocinari contra illud quod citavi. *Regnum Dei non est esca & potus*, ergo non peccaret qui se ingurgitaret immodice, qui biberet usque ad vomitum. Sed idem contingit in piscibus, idem in potu aquæ, si quis immodice bibens lædat corporis valetudinem. *Paulus* omne ciborum genus probat, modo sobrie, & ad necessitatem corporis, cum gratiarum actione, crapulam & ebrietatem in nullo genere probat.

Jam dudum desiit loqui *Pius*, id indicat tota mutata phrasis. Ait me revocare sectam *Epicuri*, cum ubique prædicem sobrietatem. Ait me hoc didicisse ex *Joviniano*, quem nunquam legi. Quod scribo, ex *Paulo* didici, *Jovinianus* tamen non loquutus est adversus dele- *Convicia sollida.*

Digitized by Google

ctum ciborum ab Ecclesia præscriptum, cum nulla adhuc fuerit præscriptio universalis, sed damnabat eos, qui sua sponte a delicatioribus cibis abstinebant.

De Monachis.

A jejuniis ipse rerum tenor deduxit hominem ad Monachos semper jejunos, & hinc congruenter ad ceremonias.

In vita divi *Hieronymi* scripsi Monachorum genus, quod habebat illa ætas, longe fuisse diversum ab hoc, quod hodie videmus. Et hic nos docet ex Epistola *Hieronymi* ad *Eustochium*, ante *Hieronymum* in *Ægypto Syriæque* solitudinibus fuisse multa Monachorum examina. Quis hoc negat? Doceat fuisse tales, qualibus nunc mundus undique plenus est. Quanquam illic non loquor de universo Monachismo, sed de eo, quem amplexus est *Hieronymus*, illum nego fuisse hujus generis. Verum largiamur de omnibus dictum, an tum erant tot vestium, colorum, cingulorum, & calceorum discrimina? Num erat regula per Pontificem approbata? Num constitutiones innumeræ? Num vincula votorum insolubilia? Num servitus, flagra, carceres, denique occidendi jus, quod habent *Franciscani* citra periculum irregularitatis? Num tot anathemata Pontificum, tot exemptiones, tot privilegia, tot indulta? Monachi tum vocabantur, non ob vota, sed ob secessum. Fugiebant persecutorum sævitiam, in his erant quidam, qui vivebant in sodalitio sub Patribus ac Decanis, nec objurgationibus, verberibus, vinculis, ac minis continebantur in officio, sed exemplo, consolatione, ac fraternis monitis. Id cum ipse declarat titulus, quo Patres dicebantur, tum ipsa *Hieronymi* verba, qui eam vitam confœderationem appellat: *Et cum tardiorem*, inquit, *deprehenderint, non increpant, sed dissimulato quod norunt eum sæpius visitant, & prius incipientes, provocant magis orare quam cogunt.* Et hic est locus, quem pro se citat *Pius*. Intelligit prudens Lector, quam multa commemorare possim, in quibus horum temporum Monachi dissideant a priscis. Nec damno tamen hujus ætatis Monachos. De Virginibus enim olim liberis, nunc cancellis inclusis subjicio, non quod damnem publicam seculi consuetudinem, sed quod doleam huc denique delapsam Christianorum pietatem, ut Virginum integritas claustris ferreis & repagulis murorum sit extorquenda. Quid igitur hic offendit *Pium*? Quod dixerim Monachorum institutum esse novitium? Istud a me nusquam est dictum: cum genus dico, circumstantias noto: nisi forsitan ille detritus in *Aristotele* genus intelligit, quod sub se continet species. Quemadmodum nuper *Dominicanus* quidam asseverabat me nulla ratione posse defendi, quod alicubi notem sordidum Sacrificulorum genus, de indoctis & ad quæstum modo sacrificantibus loquens. *Universos*, inquit, *complectitur, cum ait genus.* Detur illi venia, qui nihil didicerat, nisi genus & speciem. Sed *Pius* legit apud *Maronem*, *quod genus hominum*, &c. Ubi qualitas intelligitur, non species dialectica. Omnes qui secesserant olim dicebantur Monachi, & omnis secessus dicebatur Monasterium, & monasticam vitam appellabant solitariam. Ita secessit *Augustinus*, nec tamen factus est Monachus, certe quales nunc sunt. Sic alii complures, qui genus hoc vitæ mutarunt in diversum, non facturi si votis solennibus fuissent adstricti, quemadmodum nunc sunt. Cui beatus *Antonius* vovit obedientiam? cui *Hieronymus*, aut *Basilius*? cui *Hilarion*? cui *Ruffinus* homo prædives, & tamen Monachus? Ne *Hieronymus* quidem erat pauper, nisi Barbari diruissent illius patriam. Nec omnes in *Ægypto* aut *Syria* vivebant in commune. Liquet hoc ex vita *Hilarionis* invisentis Monachorum habitacula. Quorum aliquot nisi habuissent propria, non narraretur fabula de parco & liberali. Habebant hortos, vineta, agros, unde colligebant censum qui volebant. Sed quid opus est hæc prisca referre: nec *Benedictus*, nec *Franciscus* instituit tale Monachorum genus, quale nunc est. Nec *Cartusiani* tales initio fuerunt instituti, quales nunc sunt. Quod dico non ignorant ipsi. Hoc igitur loco, nec negata est Monachorum antiquitas, nec taxatum institutum. Sed obediebant, inquit, illi Patribus, fateor, sed volentes: servabant vota cœnobitæ, esto, sed sponte: erant sordidati, sed volentes: abire volentem neminem vi retinebant. Qui secesserant tempore persecutionis, ea sedata redibant domum. Si parentum pietas aliave causa gravis revocabat, ipsi Patres hortabantur ut discederent. Quid autem de Anachoretis? quo de genere fortasse fuit *Hieronymus* & *Ruffinus*, cui vovebant? cui obediebant? cujus arbitrio tradiderunt suas possessiones? Et tamen hi erant Monachi ex probato genere. Nam tertium genus damnat *Hieronymus*. Mulieres, quibus *Augustinus* scripsit regulam, quam nunc usurpant viri, si nollent obtemperare, de contubernio ejiciebantur. Hæc erat extrema pœna. Licebat prodire ad balnea, sed binis aut ternis, tantum abest ut ferreis cancellis constringerentur. Quare quæ hic congerit *Pius* in me vel convicia, vel argumenta, quoniam nihil ad rem faciunt, prætereo. Non invideo Monachis antiquitatem, quam si libebat poterant vel ab *Adam* repetere, qui in paradiso vixit solus, caste, sub præscripto Dei Abbatis.

Eadem erat pœna priscis *Cartusianis*. Sacræ Virgines vovebant solenniter. Non inficior, sed castitatem duntaxat. Cæterum vivebant ubi volebant, dispensabant arbitrio suo quod possidebant. Sed quis legit ex his, quæ post votum nupserant, pertractam in vincula? Quis illarum dirempta matrimonia? Et tamen *Ambrosius* queritur plurimas ab Ecclesiæ gremio recessisse.

Fingit me miro odio invidiaque flagrare in Monachos. Ad id probandum adfert depravata verba mea ex argumento Epistolæ *Hieronymianæ* ad *Eustochium*. Sic enim habent mea: *Et sicut est boni præceptoris officium non solum indicat formam quam oporteat sequi, verum etiam prodit & aperit technas ac fucos Virginum, Monachorum, ac Clericorum, qui sub prætextu castimoniæ ventri & avaritiæ serviebant. Lusit autem in his depingendis paulo liberius, quam delicata quorumdam aures ferre possunt. Unde alibi scribit, hunc libellum* Romæ, *nam illic scripsit, fuisse lapidatum.* Quid hic est ob quod fremat *Pius*? *Non scripsit*, inquit, *illa in Virgines & Monachos Ecclesiasticos, sed in Hæreticos.* Verum quisquis eam legerit Epistolam, sentiet *Hieronymum* taxare mores Virginum Ecclesiasticarum, ac Monachorum, sed improborum. Nisi forte nullæ tum erant Virgines, quarum vita degenerabat a professione. Unde non queo satis mirari quid hic *Pio* venerit in mentem, nisi quod suspicor hæc ab illo ne lecta quidem esse. *Mendacium.*

Ventum est tandem ad seriam Monachorum propugnationem, refertque quædam ex libris meis quam potest brevissime, ut ait, sed calumniosissime, atque etiam molestе frequenter non indicans loca quo possint inspici. Nonnunquam etiam ut perperam ad illum delata sunt, frequenter truncatim, ubi quæ præcedunt aut sequuntur submovent calumniatorem. Denique fit nonnunquam ut ipse non intelligat locum. Quid autem molestius quam talibus næniis respondere, præsertim cum ad pleraque jam editis libris responderim. Si non vacabat ipsi meas Apologias legere, saltem oportuit hoc muneris delegare suis operis, quas non paucas habuit. Primum igitur loca rescram, quæ ille velut evidentissime impia decerpsit, ut ex his fragmentis coagmentatis *Mosaicum* opus calumniæ contexeret.

L. O C A.

1 E *Supputationibus* citat: *Quid sonat factitia religio quam fucatam & commentitiam, quales erant religiones gentium ab hominibus excogitatæ?* Inepte colligit hinc, me Monachismum appellare rem factitiam, sed noto vocem a *Bedda* usurpatam, qui varia Monachorum genera vocat *religiones factitias.* Nam hoc pacto ille claudit suam censuram in *Luca* paraphrasim 68. *Qui enim sacrarum religionum factitiarum lacerat statum, Hæreticorum, in superioribus locis contra* Fabrum *expressorum, discipulus est, non* Christi. Ita *Bedda.* Sic autem colligo, si absurdum esset dicere pietates factitias, absurdum est dicere religiones factitias, cum pietas idem sit quod religio. Et ista verba jactat esse tam evidentia, ut non desiderent *Carpit non intellecta.*

con-

Digitized by Google

confutatorem. Quî tandem evidentia infelix, quæ ipſe qui carpit non intelligit? *Vis*, inquit, *Monachiſmum rem eſſe factitiam religionibus Gentilium ſimilem, inſtitutumque illius non eſſe pietatem, ſed hiſtrionicam & ludicram quamdam artem, e medio tollendam.* Quo magis hæc exaggerat verbis *Pius*, quo reſpondet accuratius, hoc magis iis qui noſtra legunt ridiculus eſt, non aliter quam in Eunucho *Terentiana Laches* irrumpens in ædes *Thaïdis*. Sed ille ſoli *Pythia* movit cachinnos, hic ſe toti orbi propinat deridendum. Non iraſcor *Pio*, ſed illius vicem erubeſco, cujus nomine talia produntur excuſis libris: illis indignor, qui homini credulo, &, ut apparet, gloriæ cupido, verba non intellecta protruſerunt in manum. Et hic eſt qui ſingulas operum meorum voces & ſyllabas expendit confertque ad unguem. Hic eſt qui negat opus legere meas Apologias. Atqui ſi eas legiſſet, non ſe propinaſſet ad hunc modum eruditis omnibus deridendum.

Non intelligit quod carpit.

2 Indidem decerpit hæc: *Cum una Chriſtianorum ſit Religio, dicere religiones varias non multum abeſt a blaſphemia.* Et hoc eſt vere ſcindere *Chriſti* tunicam inconſutilem. Nunc dicunt qui Religioſi vocantur, *nos Religioſi:* & ſi quis percontetur de eo qui Monachiſmum profeſſus non ſit, *eſt ne Religioſus? non eſt*, inquiunt: hîc contumelioſi in proximum, illic arrogantes. Si eſt una fides, unum baptiſma, unus Spiritus, una Eccleſia, unus Deus, qui hæc velit ſeparare, nonne eſſet blaſphemus & ſcinderet *Chriſti* tunicam inconſutilem? At hæc omnia complectitur Chriſtiana Religio. Sed per *Religiones* intelligunt vivendi formas, ſcio; ſed quis Veterum auſus eſt dicere *Religiones*, de conſortio Chriſtianorum loquens? *Eccleſias* dixit *Paulus*, *plures fides* non dixit. Donemus ut ipſi ſe vocent *Religioſos*, quemadmodum dicunt ſe *mundo mortuos*, cur alios negant eſſe? Quanquam quid hæc faciunt ad ſtatum Monachorum, cum de voce modo perperam uſurpata ſit diſceptatio?

3 Ex Epiſtola ad *Volzium* hæc detruncavit: *Illi vivunt in otio & aliena liberalitate ſaginantur, in commune poſſidentes quod illis citra ſudorem obvenit. Nihil interim dicam de vitioſis.* Contuli Monachos cum civibus, ſignificans non tam multum intereſſe quam iſti volunt. *Monachi vivunt in otio & aliena liberalitate ſaginantur, in commune poſſidentes quod citra ſudorem illis obvenit, nihil enim interim dicam de vitioſis.* Sed inibi ſequitur, quod omiſit *Pius*: *Iſti*, hoc eſt, cives, *quod ſua pepererunt induſtria, pro ſuis quiſque facultatibus impertiunt egentibus.* Non damno Monachos quod aliena liberalitate ſplendidius vivunt quam ipſi cives, ſed alteros cum alteris confero. *At negas*, inquit, *te loqui de vitioſis*, fateor. *Ergo de probis*, non inficior, ut nunc quidem ſunt homines, ſed probos cum probis confero. Nam ſi de vitioſis ſenſiſſem, non dixiſſem *ſaginantur*, ſed *laſciviunt, inguini & Veneri indulgent. Sed orant*, inquit, *Monachi.* Verum orant & pii Laïci, etiam cum non orant, dum uxorem ac liberos induſtria alunt ſua, dum recte familiam inſtituunt, dum ſuum fraudant genium, ut aliquid impartiant egenis. Talem civem confero cum Monacho. Similiter civitatem bene moratam, obtemperantem Epiſcopis & Magiſtratibus, in qua juxta *Ariſtotelem* mutua charitas faciat uſum rerum omnium communem, confero magno Monaſterio. Confero, inquam, non æquo, neque dico nihil intereſſe, ſed non adeo multum. Porro rationes, quibus nunc quidam exaggerant illa vota, quæ baptiſmo quoque præferunt, Monachorum dogmata ſunt, non articuli fidei. Nec ad rem faciunt quæ per locum communem multa commemorat de mirabili vita priſcorum Monachorum, & mundanorum malitia, quandoquidem ut illud Monachorum genus jam olim deſiit, ita mundi ſtatus nunc longe alius eſt quam tum erat. Nulla ſævit Ethnicorum perſecutio, non paganico faſtu paganiciſque deliciis tument aulici. Citius liceat inter Laïcos eſſe vere pium, quam inter Monachos. Ego horum temporum Monachos & Laïcos confero, non vitæ genera.

4 Ex Epiſtola ad Abbatem *Volzium* citat, quæ ſunt in *Enchiridio*, pudenda incogitantia, cum is ſermo non competat in Abbatem. Sunt autem hujuſmodi: *Hæc hac extemporali ſcriptiuncula pro mea virili, ut ſanctum tuum propoſitum promoverem, id quod eo feci maturius, quod nonnihil metuerem, ne in iſtud ſuperſtitioſum Monachorum genus incideres*, &c. Quid autem piaculi eſt ſi amicum admoneo, ne ſibi inexploratus temere ſemet in vitæ genus conjiciat, unde poſt fruſtra conetur explicari? *Deterret*, inquit Pius, *a ſuſcipiendo Monachiſmo.* Falſum eſt, a præcipitando deterreo. Declarant hoc *Enchiridii* verba quæ ſequuntur: *Ad quod equidem ut te non adhortor, ita nec dehortor quidem.* Quid igitur admoneo? Ne ſe præcipitet in gregem improborum aut ſuperſtitioſorum Monachorum, quos inibi depingo, cum ajo, *qui partim quæſtui ſervientes ſuo, partim ingenii zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, circumeunt mare & aridam. Et ſicubi nacti fuerint hominem a vitiis ad meliorem vitam jam reſipiſcentem, eum illico improbiſſimis hortamentis, minis, blanditiis in Monachatum conantur detrudere, perinde quaſi extra cucullam Chriſtianiſmus non ſit. Deinde ubi ſcrupulis meris & inextricabilibus ſpinis pectus illius expleverint, ad humanas quaſdam traditiunculas adſtringunt.* Si *Pius* negat uſquam tales eſſe Monachos, illico confutabitur exemplorum myriadibus. Sin ſunt heu nimium multi, recte monui amicum ut tales fugiat, & ſi placet cœnobium, vere piis ſemet adjungat. Sequitur enim: *In quibuſcunque vero deprehenderis verum imaginem* Chriſti, *cum his te copula.* Vides Lector, quid ſit ex locis decerptis calumniam ſtruere:

Adfertur ex præfatione ad *Volzium*: *Quæſo te quid aliud eſt civitas, quam magnum Monaſterium?* Et rurſus: *Cur ſic arctamus* Chriſti *profeſſionem, quam ille latiſſime voluit patere?* Ac mox: *Jam non eſt quod metuant, ne non propagetur* Eſſenorum *genus, in tanta ingeniorum varietate, qua fit, ut nihil ſit unquam tam abſurdum, quod non expetatur a multis.* Hîc Pius, *Deteſtaris*, inquit, *inſtitutum veterum ſolennium, cum ais, cur ſic arctamus profeſſionem, quam ille latiſſime voluit patere?* Quam male meriti ſunt de nomine *Pii*, qui tam indoctas nænias illi ſuggeſſerunt? Num ibi deteſtor inſtitutum Monachorum? Imo taxo quoſdam arrogantes Monachos, qui cæteros vix habent pro Chriſtianis. Sic habent mea: *Et tamen hi ob cultum neſcio quem tantum arrogant ſibi ſanctimoniæ, ut cæteros præ ſe non habeant pro Chriſtianis. Cur ſic arctamus* Chriſti *profeſſionem, quam ille latiſſime voluit patere?* Hîc quorumdam Monachorum faſtus retunditur, non damnatur inſtitutum. Nam pii Monachi ſe nulli Laïco præferunt, ſed omnes pie viventes in *Chriſto* venerantur, ac ſibi præponunt. *Eſſenos* appello ſuperſtitioſos præter impurum cœlibatum nihil habentes ſanctimoniæ, at qui tales ſunt maxime inſidiantur adoleſcentulis.

Indidem refert: *Nuſquam deerunt adoleſcentes rerum imperiti, quos in naſſam illectent* &c. Quæ hîc refert, in ſuperſtitioſos Monachos dicta ſunt, qui ob id indignantur oſtendi quibus in rebus ſita ſit vera pietas, ne pauciores thynni confluant ad vivaria. Illos per ironiam placo: *Si nihil quærunt niſi turbam qualiumcunque Monachorum, ſemper erunt quos illiciant malis artibus.* Quid hoc ad pios Monachos, qui talia deteſtantur?

Sed pergit contexere ſua fragmenta ab operis ſuppeditata ex *Enchiridii* canone quinto. Nam illi *Pio* non indicaverunt locum: *Quod vigilias, quod jejunia, quod ſilentia, quod preculas, quod reliquas id genus obſervationes non prætereunt, nihil moror, in ſpiritu non credam eos ambulare, niſi videro fructus ſpiritus.* Quid illis verbis indico? non ſtatim eos ambulare ſpiritu, qui jejunant, aut preculas præſcriptas abſolvunt, ſi abſint fructus ſpiritus. Qui? gaudium, pax, &c. imo ſi adſint fructus carnis, quos ibi commemoro, quid hoc ſermone verius?

Attexit his, quod ex intervallo ſequitur: *Non ego nunc loquor de his Monachis*, &c. Sed omiſit quæ inibi dicuntur: *Quos ipſos tamen offendi non oportet hoc ſermone, qui vitia notat, non homines.* Ac mox: *Neque clam me eſt inter eos eſſe plurimos, qui literis & ingenio adjuti, ſpiritus myſteria deguſtarunt.* Hæc verba declarant me non de univerſis loqui, ſed de multis, qui in arctiſſima etiam religione vel ob imperitiam, vel ob ſimplicitatem, vel

Falſo citat.

ob

ob ſuperſtitionem, plus tribuant externis ceremoniis, quam veræ pietati. Invenies enim illic plurimos, qui mori malint, quam mutare veſtem, aut veſci carnibus: ſed non ita multos, qui non moliantur vindictam provocati, qui non obtrectent quos oderint, qui benefaciant male merentibus, &c. Optarim hæc omnia a me falſo dici, eoſque qui hæc calumniantur habere cauſam meliorem.

9 Ex *Principe Chriſtiano* profert: *Et fortaſſis expediret Reipublicæ Monaſteriorum eſſe modum.* Qui dicit *fortaſſe*, non aſſeverat: nec dico ſimpliciter *expedire*, ſed *expedire Reipublicæ*: nam Principi ſcribo, non Epiſcopo. Quid autem pietati decederet, ſi eſſet Monaſteriorum modus, præſertim cum tam pauca ſint in quibus viget regularis diſciplina? De his enim potiſſimum loquor. Sequitur enim continenter, *præſertim quorum vita parum probata fuerit, & otioſam & ignavam tranſigant vitam.* Hæc *Pius* omiſit, quia non faciebant ad calumniam. *Sed optandum eſt*, inquit, *ut ubique canatur Domino.* Si omnes canant, quis alet eos? Si totum corpus lingua, ubi manus & pedes? Omitto nunc dicere qualis ſit multorum cantus, quamque Deo gratus. *Sed* Hieronymus, ut ait, *optat ut omnes ſint cœlibes.* Nam *cœlibes*, quiſquis hæc ſuggeſſit, dixit pro *continentibus*, ut intelligas hæc non eſſe *Pii* verba. Cœlibes ubique quam plurimos invenias, continentes perquam paucos. An qui ſuadet modum, ne gravetur Reſpublica, damnat inſtitutum Monachorum? Quotidie exſtruuntur nova Monaſteria, religio degenerat, turba malorum Monachorum creſcit. Quid hæc ad *Libanium*, qui *Juliano* ſuaſit, ne Monachis eſſet immunitas a militia? Ubi hoc ſuadet *Eraſmus?* Quanquam ipſi nolunt eſſe immunes, & *Pius* vult eos acrius bellare pro ſuis facultatibus quam Laïcos.

10 His attexit emblema ex Annotationibus, nec locum indicat. Eſt autem in *Matth.* cap. XXIII. *Velut hodie apud nos habentur, qui diverſis ac novis cultuum formis & coloribus ſanctimoniam apud vulgus profitentur*, &c. *Confers*, inquit, *Monachos Phariſæis a* Chriſto *notatis.* Confero, ſed hypocritas. Sic enim habet locus: *Velut hodie apud nos habentur, qui diverſis ac novis cultuum formis & coloribus ſanctimoniam apud vulgus profitentur, cum non omnes ſuo reſpondeant ornatui.* Hanc clauſulam omiſit *Pius*, quod excluderet calumniam. Nimirum hoc eſt artificium Chriſtianæ charitatis, quæ impulit ægrotum ad hoc opus ſuſcipiendum. Quanquam hic ſermo non proprie hæret in Monachos.

11 Sed inibi ſequuntur horrenda verba: *Atque utinam hoc hiſtrionum genus non adeo paſſim eſſet apud Chriſtianos*, &c. Sed rurſus inibi ſequitur: *Non quod non oporteat pietatem etiam cultus aut amictus ſimplicitate munditiaque profiteri, ſed quod ſuperſtitionem & oſtentationem ubique oporteat abeſſe.* Hæc omiſit *Pius*, quod nihil facerent ad calumniam. Quid hîc igitur reprehendo, niſi circumforaneos hypocritas, qui nuſquam non ſunt obvii, præſertim apud noſtrates, a quorum commercio cordatiſſimi quique libenter abſtinent. Quis non intelligit hanc eſſe amicam ac blandam admonitionem, cum nihil aliud ſit, quam rhapſodia mendaciorum?

12 Profert ex Annotationibus in *Hieronymum*, nec indicat locum, quod cum faciat nimium ſæpe, non tamen interpretor id a *Pio* factum callide, ne deprehenderetur, ſed magis ſuſpicor collectorum negligentia commiſſum, quos tamen ab illo monitos oportuit. Quid autem illic dico? *Duo Theologi erant, quorum alter nunc Epiſcopus eſt, alter profeſſor hujus religionis, quæ baptiſmi profeſſionem pene reddidit irreligioſam.* Primum objicit, quod non auſus ſim edere nomen religionis. Quin potius laudat modeſtiam meam? Quid autem erat opus edere? Certe periphraſis non cadit in ordinem Prædicatorum, qui maxima ex parte ſunt boni ſocii, & vix alii minus adſtricti. Si divinare libuit, de *Cartuſiano* erat conjectura probabilior. Hîc *Pius* meus campum nactus ſcilicet exſpatiatur in laudem Cherubici ac Seraphici Ordinis. Fingat me ſenſiſſe de *Dominicano*, quod falſum eſt, an ideo damno Ordinem, quod dico quemdam ex eo ſodalitio mihi fuiſſe infenſum? Non invideo *Pio* voluminis magnitudinem, quam unice videtur affectaſſe, verum id fieri poterat citra mei calumniam.

Diſtinguit bonos Monachos a malis, quaſi non idem faciam ducentis locis. Verum id quidam non ferunt, volunt omnes videri pios & ſanctos. Supereſt ut peroret, omnia verbis exaggerans, cum nihil hactenus attulerit quo evincat me damnare Monachorum inſtitutum. At ego plura loca proferam e ſcriptis meis, quibus magnifice prædico Monachorum inſtitutum. Ea ſatius fuerat in unum congerere ſi voluiſſet illorum inſtitutis conciliare gratiam.

Audi nunc dilemma plumbeum: *Si probas*, inquit, *cur tot maledictis inſectaris? Sin improbas, quomodo te dicis illud probare?* Inſtitutum nuſquam improbo, mores plurimorum non probo. Quin tali dilemmate urget parentem ſubinde objurgantem liberos? *Si odiſti, cur alis? Sin amas, cur toties verberas?* Ita triumphant *Pii* copiis belle defenſi Monachi.

Poſt defenſos Monachos, congruenter ingreſſus encomium ceremoniarum, aſſumit ſatis impudenter, nec tamen non ſuo more, me in univerſum damnare ceremonias, cum ad ravim ubique clamem me non damnare ceremonias ab Eccleſia conſtitutas, ſed hominum ſuperſtitioſas tantum, aut homines his fidentes, & in his conquieſcentes. Hac de re toties reſpondi calumniatoribus, ut ſupervacaneum ſit eadem repetere. Quanquam quæ tandem Chriſtiana ſinceritas eſt, ex verbulis fruſtulatim decerptis proximo tam invidioſam calumniam ſtruere, nec dignari quæ calumniam excludunt inſpicere, nec apologiam legere. Sententiam manifeſto falſam collegit ex his locis. *Mendacium.*

LOCA.

IN *Methodo* ſcripſi: *Evolve Teſtamentum omne novum, nihil uſquam reperies præceptum quod ad ceremonias pertineat.* Urget autem me mea definitione, quicquid externe geritur ad cultum divinum pertinens aut ad religionem eſſe ceremoniam. *Hanc*, inquit, *definitionem ſi connectas cum verbis* Methodi, *nonne palam eſt ab* Eraſmo *damnari univerſos Eccleſiæ ritus?* Nequaquam, vir præclare; neque enim ſtatim damnatur, quod in Evangelio non præſcribitur, quanquam *Chriſtus* quæ ſunt optima maximeque ad pietatem facientia præcepit. *Sed* Chriſtus, ait *Pius*, *inſtituit Baptiſmum & Euchariſtiam, quæ ſunt ceremoniæ, ergo mentitur* Methodus. Nequaquam, ſed ut donemus ſacramenta recte dici ceremonias, quod ritibus externis peraguntur, *Ariſtoteles* docuit verba eſſe interpretanda ſecundum materiam ſubjectam. Non loquitur *Methodus* de ſacramentis, de quibus dubitare nefas eſt. Nec hoc ſuſpicari debuit *Pius*, me eſſe tam veſanum, ut negem quod ſole clarius eſt, quodque tot Operum meorum locis approbo. Porro de quibus ſentiam ipſe ſermonis tenor palam arguit. Sequitur enim continenter: *Ubi de cibis aut veſte verbum ullum, ubi de inedia aut ſimilibus ulla mentio?*

Quod autem hîc attexuit *Pius* longo ſequitur intervallo: *Et nos ad hæc omnia pene ſurdi pluſquam Judaïcis conſtitutionibus oneramus* Chriſti *ſanguine liberos.* Hic locus, ut antea commonſtratum eſt, cœpit a ſuperſtitione quorumdam peculiari, qui ob eſcam carnium aut jejunium adigunt fratrem ad capitis periculum, homines periculoſe ſuperſtitioſi. De conſtitutionibus publica Eccleſiæ auctoritate traditis nulla ibi mentio.

2 Alter locus refertur ex Scholiis meis in primum *Hieronymi* Tomum, quem hactenus invenire non potui, niſi quod corrupte refertur, *ad unum* pro *ad vivum*, & *voluimus* pro *volumus*. Verba mea ſic habent: *Nos magnam partem orbis terrarum perdidimus, dum omnes ceremonias ad vivum exigi volumus.* Non dubito quin hoc dictum ſit de Græcis ſchiſmaticis, *Moſchobitis*, & *Bohemis*, & ſi qui ſunt hujus generis alii, qui quod in fermentatis & lacte conſecrent, quod ſub utraque ſpecie ſumant Euchariſtiam, aut aliud hujuſmodi, reſecti ſunt ab Eccleſia Romana. Verum qui mavult ali-

Digitized by Google

aliquid remitti de ſimilibus ceremoniis, quam ſcindi concordiam Eccleſiæ, num is damnat omnes ceremonias?

3 Tertium adfert ex Epiſtola ad Epiſcopum *Baſileenſem: Quod ſi pietas non periclitatur ex ceremoniis, cur* Paulus *tanto ardore ubique pugnat adverſus ceremonias* Moſaïcæ *Legis?* Hîc docet nos *Pius* dialecticam, male ex particulari colligi univerſalem, aut ex particulari particularem. Damnavit *Moſaïcas*, ergo damnavit omnes? Damnavit *Moſaïcas*, ergo damnavit Eccleſiaſticas? Non dico, vir acutiſſime, quod damnarit noſtras, ſed quod adverſus illas contra *Chriſti* gratiam invaleſcentes pugnarit. Quomodo autem *Paulus* damnaret has noſtras, quas non noverat? Superſtitioſi *Judæi* præſcribebant Gentibus ceremonias, tanquam ad ſalutem neceſſarias. Quis audivit ætate *Pauli*, eo die jejunandum eſt ſub pœna gehennæ? abſtinendum eſt ab ovis & carnibus ſub pœna gehennæ?

4 Sequitur ex intervallo: *Si nullus obſiſtat hujuſmodi ceremoniis, actum plane fuerit de libertate Evangelica.* Et hîc omiſſa ſunt verba, quæ excludebant calumniam. Scripſeram, *hujuſmodi ceremoniis ſemper in majus gliſcentibus.* Quare *Paulus* pugnat adverſus ceremonias *Judaïcas*? An quod eſſent natura malæ? Nequaquam, ſed quod per hominum ſuperſtitionem obſcurabant Evangelii gratiam. Quod ſi idem fit hodie per Eccleſiaſticas ceremonias ac ſimpliciter humanas, non dico eas abolendas, ſed contrahendas. Quod ſi in his obſecundemus quorumdam ſuperſtitioſis affectibus, nullus erit ceremoniarum modus neque finis. Eoque addo, *ſemper in majus gliſcentibus.* Quod ſi recte laudatur *Chriſtus*, qui ſuave jugum imponens nobis pauciſſimis ceremoniis, eiſque facillimis collegit Eccleſiam: quid abſurdi ſit, ſi Dominum imitantes ſervi moderatis ceremoniis onerent gregem Dominicum? Quanquam ibi non ago de ceremoniis, ſed de hominum ſuperſtitione, qui ob has violant præcepta Dei maxima, qui has violatas puniunt acrius quam adulterium, aut calumniam. Verba mea quæ ſunt in medio ſic habent: *Hæc ſi immodice adhibeantur, obruunt Evangelicam libertatem, his fidere, ut fere vulgus hominum ſolet, peſtis eſt veræ pietatis. Ex his obtrectare fratri, venenum eſt Evangelicæ Religionis.* Ac mox: *Non probo contumaciam iſtorum, qui palam & inſultantes, velut in ludibrium publica conſuetudinis, carnes ederunt, ſed hactenus damno, ut docendos, admonendos, & ſi res poſcat, etiam increpandos exiſtimem, non ut parricidii reos deferendos apud magiſtratus.* Hæc ſcribo in eos, qui tum *Baſilea* cœperunt palam veſci ovis & carnibus in Quadrageſima. Adverſus ceremoniarum violatores temerarios tota illa pugnat Epiſtola, & ex hac decerpunt fragmenta depravata, quibus perſuadeant me damnare univerſas ceremonias Eccleſiaſticas. Nullum illiberalius reprehendendi genus, quam ex verbulis hinc & illinc decerptis ac depravatis, inſuper prava interpretatione corruptis cuiquam intendere tam atroces calumnias. Sed tales quotquot ſunt, & nos omnes judicabit Dominus. Mihi hujuſmodi libelli ad nihil aliud proficere videntur, quam ad ſcindendam Chriſtianorum concordiam. Satanas πολυτεχνότατος eſt, nunquam nocentior quam cum obrepit ſub umbra pietatis.

5 Quod quinto loco refertur, *juxta* Pauli *ſententiam dicimus, ceremonias ad tempus inſtitutas eſſe*, nondum reperi. Hoc invenio: *Clamat* Paulus *Legis ceremonias ad tempus inſtitutas, ad Evangelii vigorem oportere antiquari.* Dices, quid hoc ad noſtras ceremonias? Huc nimirum, ut ceremoniæ ab hominibus inductæ cedant quoties harum occaſione periclitatur Evangelii pietas.

6 Quod citatur ex Epiſtola ad *Volzium*, *Si mediocris Religionis peſtis lateret in ceremoniis*, Paulus *non tam acriter in omnibus ſuis Epiſtolis in eas deſtomacharetur*, jam dilutum eſt. Latet in illis peſtis non ex ipſarum natura, ſed ex hominum vel ſuperſtitione, vel hypocriſi, quemadmodum *Paulus* dixit, *Littera occidit*, & *ſcientia inflat*, non damnans litteram Legis aut ſcientiam, ſed hominum vitia.

7 Septimo loco quod adfert ex Annotationibus, eſt in Epiſtolæ ad *Titum* caput primum: *Vides, ut* Paulus *in nullos incandeſcat acrius, quam in eos qui* Moſaïcis *ceremoniis* Chriſtum *tendebant abolere, & hoc prætextu tyrannidem in plebem Chriſtianam occupabant.* Eſt ne hîc quicquam impium? Dicet, alludis ad Eccleſiaſticas ceremonias. Si qui nunc ſunt tales inter Chriſtianos, quales erant Pſeudapoſtoli, digniores ſunt qui male audiant, quam illi. Hæc ſunt illa horribilia loca per operas conductas undique defracta, ex quibus nullo confutante liquet me abolere omnes, ſingulas, & univerſas ceremonias Eccleſiaſticas. At *Pius* inter ceremonias ponit etiam, quod *Chriſtus* fuit ligatus funibus, & cæſus flagris, multaque ſimilia. Et quoniam adſcendente *Jeſu* Angeli duo apparuerunt in veſtibus albis, concludit efficaciter, liquido falſum eſſe quod indico, *Chriſtum* in novo Teſtamento nihil inſtituiſſe ceremoniarum: ὅτως περαίνονται οἱ τῶν Ἀριστοτελικῶν παῖδες. Quanquam fatetur ſe in his teſtimoniis referendis fuiſſe moroſiorem. Fuit ut eſt ubique moroſiſſimus. Plurimum enim ad rem pertinebant. Et cum *Auguſtinus* doceat pauciſſimis ac facillimis ceremoniis *Chriſtum* ſuam Eccleſiam collegiſſe, *Pius* aſſeverat Evangelica Lege plurimas fuiſſe inſtitutas. Sed non diſtinguit inter typos, res geſtas, & ceremonias ad obſervandum præſcriptas. Idem tamen improbat commentitias & hypocriticas ceremonias, videlicet mecum ſentiens, niſi quod addere debebat immodicas, & hominum vitio veræ pietati peſtiferas. Sed quod ſemel dicit *Pius*, ego locis compluribus inculco. At nihilo ſecius hoſtis ceremoniarum eſt *Eraſmus*, defenſor *Pius*.

DE FESTIS.

POſteaquam mira perſpicuitate docuit a me damnari omnes ceremonias, eadem perſpicuitate docet a me non probari dies feſtos.

Adduxit ex Scholiis in *Hieronymum*, nec deſignat locum, cum ſint quatuor volumina, nec idem ordo in utraque Editione, *Tempore* Pauli *feſtos dies neſciebat Eccleſia*, &c. Fatetur idem *Pius*, eo quod Chriſtiani nec haberent templa, nec licuiſſet feſtos dies novis ritibus celebrare. Loquor enim de feſtis ab Eccleſia præſcriptis. At paulatim Eccleſia ſibi feſtos dies ſolenniter celebrandos inſtituit. Non inficior, verum id tempore *Pauli* factum, mihi non videtur probabile. Sed demus eſſe falſum, num ideo improbantur dies feſti?

Durius eſt quod producit ex Annotationibus in novum Teſtamentum, nec indicat locum ſuo more. Eſt autem locus in Epiſtolam ad *Corinth.* priorem cap. XVI. Illic cum *Paulus* dicit, *Manebo Epheſi uſque ad Pentecoſten*, tantum dubito an ſentiat feſtum diem, an ſpatium temporis, id eſt, uſque ad quinquageſimum diem, quemadmodum, ut ibidem doceo, exponunt *Ambroſius* & *Theophylactus*. Lectori tamen liberum relinquo judicium.

Sed addo, *nullus Veterum, quantum memini, facit ullam feſti mentionem.* Hîc ſcilicet erant producendi centum Auctores qui loquuntur de feſtis. At ego ſcripſi, *nullus veterum Interpretum*, ſentiens de his qui hunc *Pauli* locum interpretantur: ita citantur mea ad calumniam. Hic velut œſtro percitus vociferatur, hîc flagellat, hîc tantum non inſanit, cum non intelligat quid dicam. Quis eſt tam brutus, ut neſciat *Hieronymum*, *Auguſtinum*, & *Ambroſium* loqui de diebus feſtis? Quantus campus hîc patet *Alberto*, ubi decurrat, ſed *extra oleas*, ut habet proverbium. Appellat me, ſi *Paulus* celebravit feſtum Pentecoſtes *Epheſi*, utrum celebravit *Judæorum* an Chriſtianorum? Non *Judæorum*, ergo Chriſtianorum. Reſpondeo, Primum aſſumit *Pius* ut confeſſum, de quo ambigo. Nec me movet quod obiter *Ambroſius* meminit de die feſto, cum hunc enarrans locum, aliud adferat commentum. Sed ſi celebravit Pentecoſten, celebravit *Judæorum* feſtum. At *Epheſii*, inquit, non erant *Judæi*, imo per totam *Aſiam* erant Synagogæ *Judæorum*. Sed quid opus eſt fateri quod celebrarit, cum tantum ſcribat ſe ad eum uſque diem velle manere. Porro cum *Auguſtinus* dubitet, an dies Dominicus cæteraque feſta, præcipue duo, ſint inſtituta ab Apoſtolis, an publica totius Eccleſiæ auctoritate, quid periculi eſt ſi

Digitized by Google

ego dubitem an tempore *Pauli* Christianis indictum fuerit festum Pentecostes.

DE CANTU.

Mendacium. PErgit: *Detestata*, inquit, *festorum observatione, ipsum quoque morem decantandi laudes divinas quamplurimis in locis insectaris.* Quis credat hæc tam manifeste calumniosa vel scripta vel lecta a *Pio*? Ubi detestor dies festos Christianorum? Ubi insector cantum Ecclesiasticum?

1 In Annotationibus scripsi. Ubi? Quære. Non enim indicat. Est autem in primæ *Corinth.* XIV. Ubi nihil aliud ago quam ut damnem vel quorumdam morem, qui nihil aliud quam canunt, cum *Paulus* jubeat adesse Prophetam, quem præfert omnibus: vel cantum ineptum, quo verba obscurantur, cum in hoc repertus sit cantus, hoc est, modulata pronunciatio, ut verba efficacius influant in mentes hominum. Et ipse *Augustinus* fatetur suo tempore quosdam Episcopos non recepisse cantum ullum, sed tantum recitationem. Quod si tam Angelicum est Monachos semper in templis canere, cur *Paulus* invitat ad charisma præstantius, hoc est, ad enarrandam Scripturam? Cur Monachi jubentur operari manibus? Cur *Gregorius* in Decretis indignatur quod Presbyteri, quorum officium erat exponere Evangelium, canunt in templis? Cur *Benedictus* & *Franciscus* id non præceperunt in Regulis? præsertim cum nunc vulgus canentium voces non intelligat? Ad hæc cum *Augustinus* fateatur se peccare, si magis capiatur cantu, quam sensu verborum, quid dicendum est de populo, ad quem præter vocum strepitum nihil pervenit? Quid sibi vult *Paulus*, cum adfert similitudinem cymbali tinnientis sine fructu?

Falsocitat. 2 Sed inibi dico: *Sanctius esset prospicere liberis & uxori, quam audire in templo cantiunculas non intellectas.* Hæc verba sunt vani suggestoris, non mea. Sic loquor: *Quodque gravius est, ad hac adstringuntur Sacerdotes arctioribus pene vinculis quam ad ea quæ præcepit* Christus, *ad hac audienda cogitur populus depulsus ab opera, qua liberos alit & uxorem, qua re quid sanctius?* Hæc potissimum ad *Anglos* pertinent, nam illic tum agebam, apud quos cum sit perpetua vocum modulatio, quæ non sinit intelligi verba, tamen denunciatur populo, ut audiant cantiones matutinas & horarum omnium sub pœna gehennæ. Jam utrum est sanctius, labore manuum subvenire liberis fame periclitantibus, an totum diem audire cantum non intellectum, ac proinde inutilem? Tollis igitur, inquiet, cantum? Non. Quin inibi dico: *Habeant sane templa solennes cantus, sed moderatos.*

Pius damnat in templis Musicam πολύφωνον, ego noto vel immodicam, vel templis indignam. *Sed damnas*, inquit, *quod receptum est.* Idem facit *Pius*, nam in sacellello Pontificis auditur talis vocum garritus, concio fere nunquam. Talis auditur & in aula Cæsaris aliorumque Regum. Non veretur hæc damnare *Pius*. At quod damno non est universaliter receptum, sed irrepsit in mores hominum, ut alia multa.

Falsocitat. 3 Quin & illud suis verbis non meis refert: *Principem quoque*, inquit, *Christianum instituens, illi suadere conaris quod præstaret ipsum propriis muniis insistere, quam in audiendis Sacerdotum cantionibus occupari.* Additus est solœcismus. Quis enim dixit, *conatur suadere*? Sed quid sibi vult *Pius*, Principi suadendum, ut potius audiat cantiones Sacerdotis, quam obeat propria munia? Itane audire cantiones per se heroïcum opus est? præsertim tales quales audire solent Principes? Si de orando, aut de concione audienda dixisset, nonnullam veri faciem habuisset quod adfert. Nunc a me nihil tale dictum est, sed notavi Principes aulicos, qui jam ex more dicunt preces horarias more Sacerdotum, ad quas non obligantur, & hoc prætextu submovent volentes adire. Sed finge me loqui de precando aut audienda concione, si periclitetur publica tranquillitas, aut opprimantur innocentes, utrum Princeps debet opitulari quibus ex professo debet auxilium, an audire concionem illis neglectis? Pono jam, quod utrumque præstare non possit. Pharisæus die sabbati, quo Deus præcepit otium, succurrit in monte lapso in foveam, & Princeps ob concionem aut missam non succurrit patriæ? Jam ut etiam facetus videatur *Pius*, fingit me vehementer offendi cantu Ecclesiastico, rogatque quid potius vellem ibi audiri? Mimorum ne aut histrionum comœdias agentium strepitus, &c. Quid his jocis insulsius? Quid auditur in cœlesti templo? nulla vox, sed affectus piorum spirituum. Audiatur recitator, sed adsit Propheta qui interpretetur: pronuncietur canticum, modo religiose, sed præcipuas obtineat vox Prophetæ, & tacita mentis precatio.

DE CEREIS.

HIc superat seipsum artifex, stupescit quo ore id scripserim, *Hieronymum* videri in hac fuisse opinione, ut putaret superstitiosum accendere cereos in honorem Martyrum luce. Recitentur igitur verba *Hieronymi* e libro, quem scripsit adversus *Vigilantium*: *Cereos*, inquit, *non clara luce accendimus, sicus frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne caci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus vere possumus dicere*, Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, *hac pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Hactenus *Hieronymus*. Negat cereos accendi in honorem Martyrum, seculares aut religiosas fœminas, quæ hoc faciunt in Martyrum honorem, appellat simplices, habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam. Quid his *Hieronymi* verbis dilucidius? Sed mox addit *Hieronymus* correptos Apostolos murmurantes de jactura unguenti. Respondeo: hoc factum est peculiare, mysteriique plenum, nec trahendum ad exemplum. *Et quicunque*, inquit, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo*, Unusquisque in suo sensu abundet. His verbis quid aliud defenditur, quam in re non necessaria pius affectus, licet superstitiosior, sitque cuique liberum seu velit accendere, seu nolit? Quemadmodum indicat ibidem in Orientis Ecclesiis ex more accendi luminaria, cum recitatur Evangelium, ex quo colligitur in Occidentis Ecclesiis id non solere fieri.

Et hic insultat *Pius*, *Heus tu*, inquit, *illa legisti, & ais* Hieronymum *censuisse non accendendos cereos*, &c. Et mox, *non audisti ipsum prorsus asserentem contrarium?* Non dixi, *Hieronymum* hoc censere, sed videri in hac fuisse opinione, ut putaret superstitiosum. Si prorsus dicit contrarium, secum ipse pugnat. Et tamen adeo non damno modicum cereorum usum, ut illic excusem *Hieronymum* his verbis: *Verum apparet eam consuetudinem eo seculo magis toleratam fuisse quam comprobatam, & multa commutat alas.* His verbis *Hieronymum* tueor, ne videatur pugnantia loqui, & moderatem cereorum usum probo. Quem igitur locum habent tot hominis rixæ, convicia, insultationes, quibus totum hoc opus explevit ἐφόδιον.

Cereus, inquit, *accensus habet vei mystica significationem.* Adhibeat igitur qui volet, quod externum est, sed omnes studeant exhibere quod mysticum est, alioqui cereos accendere per se superstitiosum est.

Post hæc nescio quis ex *Pii* rhapsodis attexuit fragmentum nihil ad rem pertinens de Eucharistia, & stylus est fratralis. Sic ingreditur: *Ais præterea colligi ex illo dicto* Hieronymi, *quare non ingrediuntur Ecclesias*, &c. *Unumquemque qui voluisset olim domi sue corpus* Christi *sumere solitum.* Ubi sunt illa verba *Hieronymi*, ubi hoc colligit *Erasmus*?

Olim panem consecratum a Sacerdote traditum ab his qui voluissent domum licuisse deferri, atque ibi sumere planissimum est ex *Chrysostomo* & *Tertulliano*. Verum ait me loqui de synaxi, quæ tantum fit pane benedicto, non a Sacerdote consecrato. Quod si verum est, quid queritur? Constat enim talem synaxim a multis privatim sæpius in die fieri solitam. Sed quid hoc ad sacramentum Eucharistiæ? Quisquis hanc appendicem affuit, plane deliravit, nec ulla responsione dignus est.

DE

DE TEMPLORUM ORNATU.

CItat ex Dialogo *peregrinationis ergo*. Hîc protinus liquet quibus operis sit usus *Pius*, qui nec titulum recte citare potuerint. Sed quid ait *Erasmus* in Dialogo *de peregrinatione religionis ergo*? Audi Lector plusquam sycophanticam citationem. Dicit illic quispiam: *Verum nonnunquam serio mihi venit in mentem, quo colore possint excusari a crimine, qui tantum opum insumunt templis exstruendis, ornandis, locupletandis, ut omnino nullus sit modus.* Quid hîc aliud reprehenditur, quam immodica impendia in ornatum templorum? Sed verba quæ mox sequuntur omisit suggestor ille: *Fateor in sacris vestibus, in vasis templi, deberi cultui solenni suam dignitatem, volo & structuram habere majestatem suam.* Hæc prætermisit ille suggestor, & prioribus attexuit quod sequitur: *Sed quorsum attinent tot baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ? Quorsum organorum immensi sumptus? Nec unicis interim contenti sumus. Quorsum musicus ille tinnitus magno censu conducendus? cum interim fratres & sorores nostræ, vivaque* Christi *templa fame contabescant.* Audis baptisteria aurea ac sumptus prodigiose immodicos, audis Christianos fame pereuntes negligi, audis concedi templis suam dignitatem atque etiam majestatem, & tamen hunc ipsum sermonem temperat qui in colloquio sequitur, ita differens: *In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat. Verum quoniam hoc vitium ex immodica quadam pietate nascitur, favorem promeretur, præsertim quoties in mentem venit diversus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista fere donantur a potentibus ac Monarchis deterius peritura in aleam ac bellum. Et si quid hinc alienes, primum habetur pro sacrilegio: deinde manus contrahunt suas qui dare solent, insuper & invitantur ad rapinam. Igitur harum magis illis custodes sunt quam domini. Denique malim videre templum sacra supellectile luxurians, quam ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora quam templis.*

Trun-catim citat.

In *Convivio religioso* quid dicitur? *Unde non videntur mihi a peccato capitali excusari posse qui sumptibus immodicis aut construunt aut ornant monasteria seu templa, cum interim tot* Christi *viva templa fame periclitentur.* Et hic suggestor, pro eo quod erat scriptum *vix excusari posse*, suppositit, *non excusari posse.* Euge hoc est scribere fraterne. Sed quid hîc aliud notatur quam impendia immodica, neglecta proximorum extrema egestate. Atque hîc mihi *Pius* conspuit faciem. *Hæc*, inquit, *vox non tua est, sed a scelestissimo* Juda *proditore Domini accepta*, &c. Si hæc tam amarulenta scripsit *Pius*, precor illi Domin misericordiam. Sed cum suggestore malo litigare. Si viveret, quid audire meruerit, vides Lector. Hæc erat vox Apostolorum, sed alius erat animus *Judæ*, cui non erat curæ de egenis, sed fur erat. Mihi vero quid decedit ob impendia templorum? Sed cujus erat illa vox objurgans Pharisæos, quod neglectis parentibus docerent filios implere *Corban*? Cujus est illa vox, *Dicite Pontifices, in templo quid facit aurum?* Ethnici, inquiet, Poëtæ. Verum, sed a Christianis Doctoribus comprobata. Fatetur fuisse sanctos viros, qui damnarint opes in templis, quorum de numero fuit divus *Hieronymus*. Sed idem, ut ait, laudat *Nepotianum*, quod curarit ornatum Basilicæ, sed quibus verbis? *Erat ergo*, inquit, *sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, si vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes ceremonias pia sollicitudo disposita.* Ubi hîc mentio candelabrorum aureorum, gemmarum civitatis pretia æquantium? Hîc respondet *Pius*, dicta sanctorum, cum disputant, non esse magni facienda. Quantam aperuit fenestram provocandi ab auctoritate veterum Doctorum? Verum adversus luxuriam opum in templis non disputant, sed asseverant. Quanquam quid hoc ad me, qui ne supervacaneas quidem opes in templis damno simpliciter, modo hac occasione non negligantur egeni. *Sed omnis*, inquit, *latria præferenda est eleemosyna.* Quid igitur clamat *Christus* in Pharisæos, qui docebant conjiciendum in gazophylacium fraudatis parentibus? Non erat illa latria? Et templa seu monasteria ditare plusquam regiis opibus, latria est? Sabbati religio an non erat latria, & tamen *Christus* non reprehendit hoc violari ob bovem aut asinum in puteum delapsum, & ingenti voce clamat, sabbatum propter hominem esse, non hominem propter sabbatum. Qua vero gratia sunt exstructa templa, nonne ut eo conveniant Christiani? *Sed legimus*, inquit, *Non ædificabis mihi domum.* Et *domus mea domus orandi vocabitur.* Sed *Paulus* clamat, *Deus non in manufactis habitat.* Et *Hieronymus* non admittit exemplum *Hierosolymitani* templi prædivitis, nisi simul recipiamus & reliquum Judaïsmum. Fingamus eum casum, ut periclitetur proximus, nec aliunde speret opem, utrum facies, an opitulaberis membro *Christi*, an eam pecuniam conferes in ornamentum templi non necessarium? De hoc enim nos agimus. Fatetur *Pius* opitulandum periclitantibus. Sed ubi jam est illa latria, longe præferenda eleemosynis? Ego in tali casu proximi vitam necessariis etiam impendiis arbitror præferendam. Proximus si pereat restitui non potest, templo potest succurri, & absque templis constat latria. Docet idem quod ego, & tamen ego blasphemus usurpo vocem *Judæ*, ille pius defendit Ecclesiam. At idem docet, nos in templa non posse tantum opum conferre, quin plura debeantur. Et quidam acuti confirmant, etiamsi centum hominum millia periclitarentur fame, non esse fas quicquam detrahere donariis templorum. Templa primum instituta sunt propter homines, ut illic commodius exercerent opera latriæ, quæ tamen suæ quisque domi potest exercere. Hîc vero *Pius* non dubitat mysticam ipsius Domini unctionem conferre cum ambitione quorumdam magnatum, qui structuris immodice sumptuosis nomen suum commendant posteritati. Dominus noluit hoc exemplum transire ad multos, *Pauperes*, inquiens, *semper vobiscum habetis, me autem non semper habebitis.* Abiit & in membris suis ornari vult, & in spiritu adorari. Nec est latriæ opus extruere templa præter modum sumptuosa, verum latriæ proprium opus in animis geritur. Quod si latriæ opus est quicquid externe geritur ad honorem Dei, omnis piorum actio erit latria, juxta illud *Pauli* 1 *Cor.* decimo, *Omnia in gloriam Dei facite.* Qui ornat templum, ornat in honorem Dei, & qui sublevat proximum affectu pietatis, in cujus honorem hoc facit? *Christus* non dixit, quicquid templis impenderitis, mihi impenderitis, sed *quod uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Sed juxta *Pium* ornare templum non necessariis est latria, opitulari proximo non est præcepti, sed consilii, nisi urgeat extrema necessitas. Quis Angelus hoc docuit, beneficentiam in proximum egentem esse consilii, cum vix aliud magis præcipiatur? De continentia Dominus dixit, *Qui potest capere capiat.* De eleemosyna dixit, *Omni petenti te tribue.* *Joannes* clamat, *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua super illum, quomodo charitas Dei est in eo?* Dicit, inquies, *necessitatem*, dicat, at non dicit *extremam.* Quanquam Græce est χρείαν ἔχοντα, hoc est, *egentem* sive *opus habentem.* Et si esset *necessitatis* verbum, sæpenumero *necessarium* dicimus quo magnopere est opus. Extrema necessitas fingi potest in disputando, re dijudicari non potest. At hîc demum juxta istos præcepti fit eleemosyna, quam ita dandam docent, ut liceat reposcere, si quando egeno detur reponendi facultas. Ut finiam, opulentum templum *Salomonis*, quod figuram habebat Ecclesiæ spiritualibus divitiis ornatæ, inepte nobis objicitur. Nec ad rem faciunt Auctores, qui docent opus mulieris in ipsum Dominum prælatum vulgaribus eleemosynis. Nec structura templi latria est proprie. Multi construunt ad sui nominis gloriam. Verum ut pia sit mens, nihil est aliud quam actus externus spectans ad cultum Dei. Propius autem ad latriam pertinet sacra lectio, genuum flexio,

Falsas quod citat.

Act. 17.

1 Joan 3.

Digitized by Google

aliaque hujus generis, quæ tamen nemo non interrumperet, si proximus gravi necessitate premeretur. Sed hæc mihi extra causam dicuntur. Non taxavi nisi immodicas impensas in templa, idque neglectis proximis fame sitique periclitantibus: in quo casu cum *Pius* fateatur eleemosynam esse præferendam, nimirum mecum sentiens, tamen prolixa disputatione mecum litigat, quasi detraham ornatui templorum, cum eo ipso loco quem citat concedam illis cum dignitatem tum etiam majestatem. Quid autem absurdius, quam existimare templa parum ornata, nisi gemmis & auro multorum Regum æquent opes? Omitto nunc loquacissimas hominis querimonias, convicia, colaphos, & alapas, sic ubique mecum agentis, quasi totos ingenii nervos huc intenderim, ut omnes Ecclesiæ ritus abolean, cum eos innumeris in locis ingenue probem, damnem nusquam: licet aliquoties taxem in his vel superstitionem, vel fiduciam, vel hypocrisim.

DE FUNERUM POMPA.

EX *funere* citat terribilem locum, meque admonet ut auscultem verba mea, præfatus horribiliter quod illic omnia derideam. Certe non illa derideo, quod *Cornelius*, initio febris obrepentis, mature Parocho confessus sit, & acceperit corpus Domini, quod moriens ab eodem domi acceperit, quod spe resurrectionis non fuerit sollicitus de sepultura, quod salutis fiduciam maluerit in *Christi* passione ac Dei misericordia, quam in Pontificum diplomatibus emptitiis collocare. Sed audiamus verba mea: *Mox injecta mentio de sonitu campanarum, de tricenariis & anniversariis, de diplomate & remissione peccatorum emenda.* Hæc dicuntur de Parocho, quales plerique sunt, qui morituro nihil attulit solatii de bonitate *Christi*, de spe vitæ cœlestis, sed ad suum quæstum attentus, agit de pompa & loco sepulturæ, deinde de sonitu campanarum, tricenariis, diplomate, & communione meritorum, quæ omnia vendunt fere Parochi præsertim morituris. Aliud esset si hæc ex pietate Christianis omnibus impenderentur. Sed quid respondet *Cornelius*? *Mi pastor, nihilo pejus habebo, etiamsi nulla sonet campana. Si me vel uno funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Nec est animus vel cujusquam preces commercari, vel quemquam meritis suis spoliare. Satis meritorum exuberat* Christo, *& confido totius Ecclesia preces ac merita mihi, si modo vivum sim membrum, profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est: Alterum est peccatorum meorum, quod princeps pastorum Dominus* Jesus *abolevit, affigens illud cruci: Alterum, quod ipse suo sacrosancto sanguine scripsit & obsignavit, quo nos certos reddidit de salute æterna, si totam fiduciam nostram in ipsum transferamus. Absit enim ut instructus meritis ac diplomatibus provocem Dominum meum, ut in judicium veniat cum servo, certus quod in conspectu ejus non justificabitur omnis vivens. Ego ab illius justitia appello ad ejusdem misericordiam, quoniam immensa est & ineffabilis.* Hæc *Cornelius*. Quis unquam audivit orationem magis impiam? Sed taxo, ut ait, remissionem peccatorum, quam impartit Ecclesia. Qui convenit, cum *Cornelius* Parocho confessus sit & absolutus? Sed *Cornelius* loquitur de Bullis venalibus, quas quidam quæstus gratia cœperant omnibus morientibus obtrudere, & harum fiduciam ingerere. Non tamen ea diplomata prorsus damno, sed de his tantum fieri mentionem taxo, cum essent alia potiora. Scio quid dicant in Scholis Theologi de thesauris Ecclesiæ & horum dispensatore Romano Pontifice, neque nescio quid iidem dicant in privatis colloquiis, sed hanc Camarinam non moveo. Quod *Pius* meminit de eleemosynis, non omisit *Cornelius*, ad hunc loquens modum ei qui rogabat, nunquid moriens legasset monasteriis aut egenis: *Ego pro mea portione dispensavi facultatulas meas, nunc ut earum possessionem aliis trado, ita trado & dispensationem. Et confido meos sanctius dispensaturos, quam ipse feci.* Hinc apparet, *Cornelium* quantum potuit in vita pauperibus impartisse. Fatentur & Monachi, tutius esse in vita dare eleemosynas, quam testamento legare. Hic si velim commemorare quæstus impudentissimos Sacerdotum quorumdam ac Monachorum, & morientes palam derisos, satis liqueret hæc non temere in colloquio fuisse dicta. Certe quæ differit *Pius* de honore funerum, de precibus pro mortuis, nihil ad me pertinent, ad explendum tamen volumen illa faciunt. Denique non est necesse ut defendam quicquid dixit *Cornelius*, uti nec omnia damno quæ dixit fecitve *Georgius*. Geminum exemplar mortis propono, simplicis & operosæ, judicium Lectori relinquens.

CAMPANÆ.

POst hæc defenduntur campanæ, nusquam a me damnatæ. Tantum noto Parochum quæstui intentum, qui morituro strepitum ac bombos earum vendere voluit, qui si tantum prosunt, omnibus Christianis impendi oportuit. Dein si vox campanarum invitat ad orandum pro defunctis, cur in exsequiis divitum sonant campanæ quindecim, cum ad id sufficiat una? Cæterum cum induxerim exemplum minime ambitiose morientis, qui strepitum illum plurimarum campanarum neglexerit emere, quo divitum exsequiæ solent honorari, quem oro locum hic habebant insulsi joci, quibus orditur. *Nunquid*, inquit, *& campanarum sonitus tibi obstrepuit, vel inter legentem impedivit, ut nec illis tantum peperceris? Tranquilliores profecto fuissent aures tuæ, si* Ismaëlitarum *terras incoluisses, quam Christianorum. Nunquid, delicate* Desideri, *campanarum usus præter rationem est inductus*, &c. Quid his nugis delirantius? Et hujusmodi facetiis semet oblectavit moriturus.

DE CULTU DIVORUM.

ET hic orditur a magno mendacio suggestor ille. Nec in *Enchiridio* nec usquam vel joco vel serio carpo venerationem sanctæ crucis, Deiparæ Virginis, aut imaginis *Christi*, sed quorumdam vulgarium in his superstitionem noto. Eoque non retulit locum, videlicet redarguturum quod dicit, sed clausulam modo. Ea est: *Pudet me referre, quanta superstitione plerique istorum observent has ceremoniolas ab hominibus institutas*, &c. Primum audis quorumdam superstitionem notatam, non ipsum cultum. Sed illud non ferunt aures piæ quod adfertur ex Annotationibus in Epistolæ ad *Hebræos* cap. XI. cum hodie repertum sit ex supernaturali Philosophia ligneam, statuam eadem adoratione adorari, qua adoratur æterna Trias. Hic bis errat *Pius*: primum enim putat me sentire quamvis imaginem adorandam latria, cum loquar de imagine sanctæ Triadis. Deinde putat me probare sermonem quem recito, cum improbem *Scoti* commentum qui hoc docet, quod eadem sit actio per medium ad finem tendentis, ut qui per imaginem Deum adoret, non bis adoret, sed aliter quam is qui citra signum. Improbo autem, non quod existimem nullo sensu esse verum quod dicit, sed quod verba male sonent piis auribus. Id cum fateatur, cum neget ullum signum eadem adoratione adorari, qua signatum, quid est quod rixatur mecum, cur tot convicia in me congerit non intellectum? Si *Scotus* hoc non docet, dicat me hactenus esse vanum. Si docet, adversus illum litiget, non mecum, qui *Scoti* verba taxo ut offensiva piarum aurium. Christianus esset in totum abstinere a talibus verbis, adorare signum ligneum aut pictam imaginem. Satis erat dicere, per occasionem imaginis nos adorare Deum, aut venerari Divos. Neque huc pertinet, si Reges sua insignia volunt adorari. Deus ac Divi non aguntur humanis affectibus. Principes multa faciunt hominum more.

Quid laudis debetur iis, qui virum nobilem eruditis deridendum propinarunt? Et hoc fundamento nixus ingreditur prolixam disputationem, quam illi Monachus aut Theologus quispiam suppeditavit, quod & ipsa phrasis arguit, & distinctionum argumentorumque subtilitas. Eam, opinor, adversus *Zuinglianos* imaginum demolitores paraverat Theologus. Hanc totam in me torquet, cum iisdem utatur argumentis, quibus ego soleo adversus εἰκονομάχους. Nusquam damno venerationem

Mendacium.

Carpit non intellecta.

Digitized by Google

tionem imaginum nisi superstitiosam, & tamen morosus nugator sic mecum agit, quasi suspirans damnem ritum Christianorum in venerandis imaginibus, non solum ut vanum & superstitiosum, verum etiam ut sacrilegum. Quem non misereat hujus tantæ deliratio-
A nis? Quodam loco sic me appellat: *Non enim tu* Erasme *primus imaginum insectator, nec nova audimus his temporibus, quod imagines non sunt colenda, nam hæc controversia prisco tempore ab Hæreticis fuit inducta.* Fingat id quod non est, me hoc alicubi docuisse, cur mavult nobis commemorare Priscos quam *Zuinglium*, *Oecolampadium*, aliosque complures? Sed vir prudens maluit delitigare cum *Erasmo*, quam *Germania* calamos in
B se provocare, hoc est, maluit facere unum hæreticum quam confutare multos, si tamen hæc pars ad fidem catholicam pertinet.

VENERATIO RELIQUIARUM.

CItant ex Scholiis in *Hieronymum*, sed ut solent depravate: *Nunc Sanctorum strophiolum aut calceos ostentamus, sacrilegiique genus habetur, parum reverenter astrectare Sanctorum reliquias, puta cingulum* Annæ, Georgii *pectinem, aut calceum* Thomæ. *Hæc quoque venerabundi exosculamur*, &c. O terribilem locum, sed non intellectum! *Hieronymus* ibi, sicut & alibi, notat mulierc-
C ularum superstitionem, quæ gestabant lignum crucis. Ego hinc argumentor, si gestare signum crucis est superstitiosum, quid dicendum de nobis, qui viles, aut etiam fictas Sanctorum reliquias, non tantum veneramur, quod esset pio affectui condonandum, sed ostentamus & obtrudimus ad quæstum? Si nos pie facimus, etiam sordida ostentantes, *Hieronymus* impie vocat superstitionem quod faciebant mulieres. Verum callida fratralitas hoc dissimulavit, jamdudum enim non multum hîc est *Alberti*, sed facta permutatione, illi *Alberto* cucullam donarunt, ille eis sui nominis lenocinium commodavit.

Carpis non intellecta.

Ex Colloquio *de peregrinatione religionis ergo* referunt: *Quid sibi volunt hæ pecudes? Ut osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem opera pariguntur osculandum sputum, & alia corporis excrementa.* Hæc
D ibi. Si par est, ut quicquid in colloquiis sub quacunque persona joco seriove dicitur, meo tuear periculo, dura mihi lex præscribitur, præsertim cum illic faciam loquentes, pios, impios, doctos, indoctos, stultos, & sapientes. In Colloquio, *Gratiani* hæc verba sunt, cui tum eram comes itineris, in Dialogo dictus *OGYGIUS*. *Gratianus* autem non abhorrebat a dogmatibus *Wiclephi*. Quanquam quod illic facio loquentem non usque adeo absurdum est. Non enim damnabat, si quis talia pio affectu veneraretur. Hic autem disputator num probat, ut sordidas corporum reliquias exosculemur? Quid autem refert, utrum exos-
E culeris sputum Sanctorum, aut mictum, an strophiolum pituita sordidum, aut calceum pedore putrem, ac fortasse commictum? Sed quid illic dicit *Ogygius*? *Miserebat*, inquit, *me seniculi mendici, datoque nummulo consolatus sum tristem.* Hæc est persona *Erasmi*, nomine *Ogygii*. Cui respondet *Menedemus*: *Si calcei saleaque servarentur, ut argumentum frugalis vitæ, non improbarem. Caterum impudens est, soleas, calceos, & subligaria osculanda obtrudere.* Audis calumniator non damnari pios affectus hæc venerantium, sed aliis obtrudentium
F ceu res adorandas? Nam osculari adorationis genus est. Huic respondet *Ogygius*, hoc est, *Erasmus: Præstabat ista non fieri, ne quid dissimulem.* Quæ præstabat non fieri? Non venerari Sanctorum reliquias? Non hoc dicit *Ogygius*, sed has tales reliquias sordidas impudenter obtrudere, præsertim ad quæstum, interdum & confictas. Quanquam ne id quidem illic insectatur *Ogygius*, sed addit: *Verum ex hisce rebus, qua subito corrigi non possunt, soleo si quid inest boni decerpere*: & reliquis beati *Thomæ* laudibus illud adjungit, quod mortui calceus aleret mendicorum conventiculum. Ab hoc tam putri fundamento, transit rixator ad probandum Sanctorum reliquias venerari decenter ab Ecclesia inductum, quasi docuerim impium esse quicquam honoris deferre Sanctorum reliquiis. Non igitur est ratio vel stolidis argumentis, vel furiosis horum conviciis respondere, quibus dicor *Eunomium* jam diu flammis absumptum ab Orco revocare, & *Vigilantium* e barathri faucibus excitare, dum eorum insana & impia placita, tot jam seculis abolita, tueri contendo. Quam hæc sapiunt fraternalem stupiditatem. Quando hæc scriberet *Pius*, si fuisset mens sana in corpore sano? Audet dicere quod nullus impendat reliquiis plus honoris, quam debetur, cum ego viderim strophiola illa lacera, & mucci vestigia servantia, fortassis & sudoris axillaris aut pudendorum, a Monachis iisdem ritibus adorari quibus adoratur corpus *Christi*. Ut omittam innumeras fabulas de superstitione vulgi. Sed *Pius* semper inter pios vixit, nihil harum rerum vidit aut audivit. Ne curæ quidem fuit, opinor, aliis rebus intento.

CULTUS DIVORUM.

UT persuadeant me detestari cultum Divorum, citant fragmentum ex *Enchiridio*, in summa ad hunc modum: *Quot res sunt, quas vel timemus, vel cupimus, totidem illis Divos præfecimus, qui & ipsi in diversis nationibus diversi sunt.* In *Enchiridio* manifeste probo cultum Divorum, sed superstitiosum improbo, quo vulgus nostratium est infectissimum. At rixator meus negat eam sententiam a quoquam Patrum assertam, nec a gravi Scriptore proditam. Eoque clarum est, a me solo maledicendi studio confictam esse. Audi contra stolidissime blatero quisquis es, qui nec mea verba, nec tuam ipsius vocem intelligis. Quis dixit a gravibus viris proditum, quod dico fieri superstitione multitudinis imperitæ? Porro quo clarius sit, me illic non de Christiano cultu, sed superstitioso & Ethnico loqui, commonstrabo loci tenorem. In Canone quarto, nam illi locum dissimulant, polyporum more caliginem offundentes, ne deprehendantur, doceo in omni actione Christiana *Christum* pro scopo habendum. Tandem hæc exempla propono: *Sumis cibum ut valeas corpore, sed ideo valere vis corpore, ut sanctis studiis sanctisque vigiliis sufficias, scopum attigisti. Curas autem valetudinem, ne fias deformior, ne libidini non sufficias, a* Christo *excidisti, alium Deum tibi faciens.* Hic continenter sequitur: *Sunt qui certos Divos certis quibusdam ceremoniis colunt. Alius* Christophorum *certis salutat diebus, sed non nisi conspecta ejus imagine. Quo tandem spectans? Nempe huc, quod sibi persuaserit, sese eo die a mala morte tutum fore.* Hæc in *Enchiridio*. Jam hoc ipsum superstitiosum est, sibi ex *Christophori* conspecta figura polliceri, quod nec ex *Christi* corpore conspecto debebant polliceri, nisi corrigerent vitam. Nec illud vacat superstitione, quod malam mortem appellant, non quæ accidit in affectu peccandi, sed subitam & improvisam. Latet hîc tertia superstitio, quod vulgus imperitum non hæc corporum commoda petit a *Christo* per Divos intercessores, sed ab ipsis Divis velut auctoribus. Dicent, non ista facit Ecclesia. Fateor, nec Ecclesia distribuit singulis Divis singula munia, sed hoc facit imperitæ multitudinis superstitio, dissimulant quidam Sacerdotes, quibus quæstus dulcior est *Christi* gloria. Supereſt quarta superstitio, quod hæc externa petunt a Divis, non respicientes ad *Christum*, sed ad carnis affectus. Quod si taxandus est, qui longævam vitam petit a *Christo*, ut diutius fruatur hujus mundi deliciis, multo justius taxandus, qui eam simili animo petit a *Christophoro* aut *Barbara*. Ne quis autem existimet hæc esse detorta rhetorico artificio, sequitur ibidem: *Qua quidem pietas nisi a respectu commodorum ad* Christum *referatur, adeo Christiana non est, ut non ita multum absit a superstitione eorum, qui quondam* Herculi *decimam bonorum partem vovebant, ut ditescerent, aut* Æsculapio *gallum, ut a morbo revalescerent*, &c. Et mox redeo ad cultum *Christi*: *Oras Deum ne tibi mors accidat præmatura, & non oras potius ut tibi mentem meliorem largiatur, ut quocunque loco te mors oppresserit non offendat imparatum. Tu non cogitas de mutanda vita, & Deum rogas, ne moriaris. Quid igitur oras? Nimirum, ut quam diutissime pecces*, &c. Vides calumniator impu-

dentissime, quod hic superstitiosum affectum vulgi leni verbo appello pietatem, sed admoneo ut ubique spectent ad *Christum*. Num hoc est detestari aut deridere cultum Divorum? eadem opera derideo cultum Dei. Ex his arbitror satis liquere nihil esse stolidius hujusmodi sycophantiis, quæ ex schedis non intellectis, aut ex Monachorum fabulis struuntur. Verum id erit magis perspicuum ex his, quæ illic subjiciuntur. Ea sic habent: *Reclamabitur hoc loco protinus a quibusdam religiosulis, qui quæstum existimant pietatem, & ut idem ait, per dulces quasdam benedictiones seducunt corda simplicium, ventri suo servientes, non* Jesu Christo. *Ergo ne, inquient, tu vetas cultum Sanctorum, in quibus Deus honoratur? Ego vero non tam damno eos, qui hæc simplici quadam superstitione faciunt, quam qui emolumentum suum sequuti, ea qua tolerabilia fortasse sunt, pro summa & absoluta pietate efferunt, & suo commodo fovent imperitiam plebis, quam ne ego quidem omnino contemno, verum non feram ut media pro summis, minima pro maximis habeantur. Laudubo quod a* Rocho *suo petunt incolumem vitam, si vitam eam consecrant* Christo, &c. Hæc *Erasmus* in *Enchiridio*. Surda aspis, an non audis hic clementer tolerari Sanctorum invocationem, etiam quæ non vacat omnino superstitione, tantum abest ut pius rectusque Divorum cultus damnetur? Præcipuus autem Divorum cultus est imitatio, sed cum delectu.

Recurritur ad *Colloquia*, opus in hoc paratum, ut illecebra voluptatis pueri veluti per lusum discant Latine. Sed mos gerundus cerebrosis. Quid habet *Naufragium?* Pinguntur illic varii vulgarium hominum affectus, quorum suos quisque prodere solet in tali discrimine. Nec statim probo quicquid ibi gestum est, ut rursus nec improbo. Si probo omnia, commemoratur illic confessio sacramentalis. Si improbo omnia, damnata est invocatio Dei. Sed ne ad omnes istorum nænias respondentes multum temporis perdamus in nugis, præsertim cum in liturgia Virginis & approbemus Divorum cultum, & ostendamus quibus modis quam optime coli debeant, proponunt argumenta *Lutheranorum* libris prodita, & mihi dicunt. His forte scapulas tibi prurientes scabere volui. Quis non agnoscat hanc esse facetiam pediculosorum? Sed hoc erat consilium, *Lutheranos* in ordinem nostrum non provocabimus, ne audiamus quæ nolimus. Sed in *Erasmum* debacchantes, non mediocrem etiam gratiam ab illis inibimus. Verum nihil agitis fuci. Jam nimium novit mundus scurriles technas vestras, eoque declinatis ad interitum plane perituri, ni mores vestros ad pristinam sinceritatem revocetis. Hanc igitur disputationem, quoniam nullum ibi verbum ad me pertinens, prætereo.

VENERATIO VIRGINIS DEIPARÆ.

HIc serio clamatur, ô cœlum, ô terra, ô maria *Neptuni!* Profertur e *Naufragio* fragmentum ad calumniam. Quam magnifice sentiam de sacratissima Virgine, declarat *Paan* meus, & *Obsecratio*, jam toties excusa; præterea *Liturgia* cum concione, quam edidi adversus obtrectatores Virginis, semperque favi sententiæ; quæ liberat eam ab omni peccato; etiam originali, quanquam hoc proprie non dicitur peccatum, nisi in protoplastis. Sed audiamus *Naufragium*: *Nautæ*, inquit, *cantantes*, Salve Regina, *implorabant matrem Virginem, appellantes eam Stellam maris, Reginam cœli, Dominam mundi, Portam salutis, aliisque titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ Litteræ.* Rides, inquit *Pius*. Imo etiam derideo, at non sanctissimam Virginem, sed stolidos nautas, quibus in præsenti discrimine *Christus* non veniebat in mentem, sed tantum Mater: nec illum rogant ut apud Filium intercedat, sed ut Filium suum ostendat post hanc vitam, & titulis illi novis blandiuntur, quasi mulier talibus blandimentis deliniatur. Addit autem, *aliisque titulis*, eos probabile est fuisse superstitiosiores, quos eo non recitat. Quis autem negat beatam Virginem esse dignam honorificentissimis titulis, sed tamen non omnes illi æque congruunt. Si mare est hic mundus in quo navigamus dum in corpore vivimus, si stella cynosura aut helice, a qua non oportet oculos dimovere, si portus vita æterna est, *Christus* est potius stella maris, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Quod si a *Christo* deflectimus, Apostolis dictum est, *Vos estis lux mundi.* Et *Paulus* dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego* Jesu Christi. Neque nescio tamen hæc omnia commoda interpretatione posse defendi, sed eadem commoditate defendi possunt & illæ preces, quæ suspenduntur in Templis, quæ excuduntur a Typographis, in quibus a beata Virgine petunt quicquid peti poterat a Deo, odium peccatorum, veram confessionem, sinceram ac stabilem charitatem, spem, denique vitam æternam. Nam dat quadantenus, quæ genuit illum qui hæc omnia largitur. Rursus dat quodam modo, cujus interventu sunt impetrata. Sed non tutum est longius a cynosura divinarum Litterarum, ô viri præclari, recedere. Et periculum est ne istæ commodæ interpretationes inducant nobis pro religione superstitionem, præsertim cum videamus imperitam multitudinem huc adeo proclivem. Comminiscatur affectus humanus sexcentos titulos, nullus est Matri gratior, quam quo maxime glorificatur Filius. Sed in *Naufragio* respondet quidam: *Quid illi cum mari, qua nunquam, opinor, navigavit?* Ad hæc alter: *Olim* Venus *agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari. Ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini virgo mater.* Et alius: *Ludis*, inquit. Ironia igitur est. In quos? Non in Virginem, sed in nautas, qui prius *Venerem* invocare soliti, nunc invocant *Mariam.* Id quidem tolerabilius, sed haud multum protectum est, si simili animo invocant, quod vulgus nautarum solet. Nullum enim hominum genus superstitiosius. Quis autem præfecit Deiparam Virginem mari, nisi pius, sed superstitiosus affectus? *Christus* dixit: *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Postremo Dialogus ille facit quosdam ipsi mari blandientes, quemadmodum nautæ blandiebantur virgini *Mariæ. O clementissimum mare, ô generosissimum mare, ô ditissimum mare, ô formosissimum mare, mitesce, serva.* Nec ista finguntur, re vera fiunt. Hæc traducere est stabilire Christianam pietatem, non lædere Virginis dignitatem. Et sicut isti vociferantur quoties occurrit, quod videatur detrahere majestati Pontificis externæ, cum veram illius dignitatem adjuvet; item quoties reperiunt, quod externo cultui matris aliquid adimat, cum tota gloria matris sit in filio: ita qui ex animo diligunt Dominum *Jesum*, interdum incandescunt, cum vident per imperitos conniventibus Episcopis & Sacerdotibus sub fuco pietatis obscurari *Christi* gloriam. Quanquam ad hanc calumniam jamdudum respondi Monachis *Hispanensibus*, quod hic rixator dissimulat. Ex Annotationibus in cap. *Matth.* duodecimum decerpit fragmenta quædam ad calumniam. Sed si quis legat totam Annotationem, videbit malitiosum hujus calumniatoris artificium. Sic enim ingredior: *Utinam autem populus Christianorum universus sic esset deditus cultui beatissimæ* Mariæ, *ut totis studiis virtutes illius æmularetur. Cæterum aut hodie vulgus pio quodam favore plus satis illi tribuit, aut parum illi tribuit* Chrysostomus *hunc explanans locum.* Hic clamat me abuti testimoniis sanctorum Patrum ad contumeliam Virginis. Imo cito illic verba *Chrysostomi. Considera igitur*, inquit, *tam matris quam fratrum importunitatem. Nam cum debuissent intrare, atque simul cum turbis audire, aut saltem exspectare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam ac ostentatione commoti foras eum in præsentia omnium evocaverunt.* Sed *Aldina*, inquit, Editio parebat matri: nimirum correcta, quod factum est in plerisque Doctoribus Ecclesiæ. Sed Græca secus habent. Jam *Theophylactus*, qui non temere discedit a *Chrysostomi* vestigiis, ita scribit in hunc ipsum locum: *Humanum quiddam volebat ostendere mater, quod in filium potestatem haberet: nihil enim magnum adhuc de eo intelligebat, propter hoc ipso adhuc loquente volebat ad se illum attrahere, quasi ambi-*

Digitized by Google

bitiosula, tanto filio sibi subdito. Ac mox: *Non injuria afficiens matrem hac dixit, sed corrigens mentem ejus gloria avidam & humanam.* Et paulo post: *Igitur correcte vana gloria morbo, iterum obedit matri.* Cito ibidem ex *Chrysostomo* in *Joannem*: *Et fortasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres ejus.* Hic rixator dicit a me prætermissum adverbium *fortasse.* Fieri potest ut omissum fuerit in scheda delatoris, in meis Annotationibus non est omissum. Ac mox: *Siquidem nondum debitam de ipso opinionem habebant, sed vere matrum* Maria *jure se omnia filio præceptura censebat, eum tanquam Dominum colere ac reverari fas esset.* Et *Theophylactus* dicit matrem increpitam sive objurgatam a *Christo.* Ad hæc quæ adfero de opinione *Augustini*, qui *Mariæ* tribuit diffidentiam in morte, sed leviorem quam discipulis: an non manifeste docco annotans in *Lucæ* cap. II. citans ibidem *Origenem*, qui palam *Mariæ* tribuit peccatum aliquod actionis. Nec *Theophylactus* tacet de scandalo *Mariæ* in morte filii. Quod si constat hæc scripsisse ac sensisse sacros Auctores, ubi est ille blasphemus, qui impiam & insanam opinionem fulcire conatur sanctorum virorum testimoniis? Et hîc exclamat furiose, *O mores, ô leges, ô zelus, ô pietas, quonam abiistis? Quid fieri potest, ut ab his principibus & Ecclesia proceribus surdis auribus dissimulanter prætereantur?* Libet & mihi exclamare, O *Æsculapi*, ô *Hippocrates*, ô potens medicina, quo abiistis, ubi cessatis, ut tam putida capita sic delirent impune. Docui me nusquam irridere divam Virginem, sed hominum superstitionem. In quos igitur iste delirus provocat Ecclesiæ proceres? in *Chrysostomum*, *Augustinum*, *Theophylactum*, & *Origenem*. Ego in eo ipso loco, quem citat, illorum sententiæ nusquam subscribo, sed aperte testor, me hac in re non interponere meam sententiam, ac profiteor mihi magis probari sententiam illorum, qui *Mariam* faciunt immunem ab omni peccato. Et posset aliquis gloriæ affectus aut aliqua diffidentia consistere citra peccatum, quemadmodum & error, aut ignorantia, sed non apud illos, qui statim a conceptione, *Mariæ* tribuunt plenissimam revelationem ac fidem de Divinitate *Christi.* Quam opinionem si mordicus tenere placet, facilis erit exitus, si dicerent *Chrysostomum* cum cæteris in hoc fuisse lapsos, quemadmodum in multis aliis. Nam quod ad originis peccatum attinet, omnes vetusti solum *Christum* eximunt ab omni peccato, nec hodie desunt, qui in templis suis publice doceant illam non fuisse immunem a peccato originis, cum ego contrarium sentiam in libris meis. Sed redeo ad *Colloquia*, ex quibus joco dicta viri graves reprehendunt serio. In *Ichthyophagia* dicit quispiam: *Quam multi sunt, qui magis fidunt præsidio Virginis matris, aut* Christophori, *quam ipsius* Christi? *Matrem colunt imaginibus, candelis, & cantiunculis.* Christum *impia vita offendunt, & Virginem se credunt habere propitiam, quod illi sub noctem cantiunculam non intellectam canunt, Salve Regina.* Dic mihi miserande rixator, quid hîc est impium? Nulli sunt tales? Utinam non sint. An probandos eos credis, qui fiducia cantiunculæ putant se habere matrem propitiam, cum tota vita fortiter offendant *Christum?* Miror cur hunc locum citandum putarint. Carpo morem, ut ait, quo concionatores implorant pro *Christo* beatam Virginem, appellantes eam *fontem gratiæ.* Imo non carpo, sed modestissime admoneo, quod magis congruat & Scripturarum auctoritati, & priscæ Ecclesiæ consuetudini. *Verum olim*, inquit, *celebrandus erat* Christus, *nunc illo satis noto convenit celebrare matrem*: quasi desit locus celebrandæ matri, aut quasi *Christus* non propemodum fuerit antiquatus in mentibus hominum per homines Judaïcos. At in fine, inquit, addunt, *Ora pro nobis peccatoribus.* Id fortasse fit apud *Italos*, apud nos tacite quisque salutat Virginem. Sed si est fons gratiæ, quid opus est illi dicere, *Ora pro nobis?* Non est probabile eam consuetudinem a gravibus viris inductam, sed ab inepto quopiam, qui quod didicerat apud Poëtas propositioni succedere invocationem, pro Musa supposuit *Mariam.* Audivi quemdam *Franciscanum*, qui per totam Quadragesimam initio concionis tribus nominibus prædicabat laudes Virginis. Pium opus, sed nunc non erat his locus. Subest autem & tacita adulatio, quod sexus fœmineus gaudet affectu quodam humano audire laudes fœminæ potius quam *Christi.* Verum hic affectus sic erat castigandus, ut commemoratis laudibus hortaretur ad imitandum, & increparet eos, qui gloriantur de sublimitate Virginis, cum impia vita dedecorent & ipsam & filium.

Furis nulla de causa.

Prodit hîc Epistola beatæ Virginis ad *Glaucoplutum*, videlicet indigna matre *Christi.* Scilicet periculum est, ne quis existimet eam serio scriptam a beata Virgine. Lusus est, sed in eos qui publice damnant invocationem Divorum, & imagines omnes ejecerunt e templis. Dicent, non erat agendum joco. Respondeo, hoc esse paulo melius, quam talibus argumentis & conviciis agere serio, qualibus agit iste propugnator Ecclesiæ. *Germani* qui Græce norunt intelligunt per *Glaucoplutum* designari *Zuinglium.* Nec illic induco veram *Christi* matrem, sed imaginem cui cognomen a lapide. Nec enim scribit e cœlo, sed ex æde lapidea. Hanc autem imaginem plurimi sic colunt, quasi sentiret. Sed quid ad illum scribit saxea Virgo? *Quod* Lutherum *sequutus strenue suades, supervacuneum esse invocare Divos, a me quidem isto nomine bonam magnamque initi gratiam, scito,* &c. O blasphemiam! probat Virgo quod damnarit invocationem Sanctorum. Quanquam invocatio Sanctorum non est articulus fidei. Sed quid sequitur? Commemoratur intolerabilis superstitio hominum omnia expostulantium a Virgine, quasi possit imperare Filio cum Patre regnanti, nec illi fas sit quicquam negare præcipienti, cum nondum sit emancipatus. Atque id docuit *Bedda* ter Theologus, propterea quod in Ecclesia canitur, *Monstra te esse matrem*, hoc est, auctoritate materna impera Filio, ut audiat preces nostras. Sed Filius in convivio nuptiali non fert imperium matris de vino, quod tamen homo providere poterat. Et *Augustinus* dicit, *quod in me facit miracula tu non genuisse*, & tamen cum a regnante cum Patre petimus donum fidei, bonam mentem, vitam æternam, veniam criminum, quæ solus largitur Deus, volunt matri jus esse, præcipere Deo filio. Sequitur enim in Colloquio: *Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur pingiturque in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quicquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti*, &c. Sunt hæc ludicra, fateor, sed non minus ludicra sunt quæ docet *Bedda.* Si Virgo potest imperare filio Deo, quid opus est esse nos Deo supplices? In has superstitiones, in has blasphemias erat exclamandum, O mores, ô leges! A *Christo* pendet salus nostra, cui & ipsa Virgo debet suam salutem. In *Christo* jubemur gloriari, non in beata Virgine. De invocatione dicetur alias. Jam omitto istorum argumenta, quæ nihil adversum me faciunt, in quibus mire diluti sunt, cum in proponendo & conviciando sint sæviissimi.

Tandem admonet, si qui sint tam vecordes, ut plus tribuant Matri quam Filio, eos ab Ecclesiasticis esse corripiendos. Verum hoc ipsum quod ab illis fieri vult, ego facio, & dicor blasphemus. *Facis*, inquit, *sed joco.* Sed alibi facio serio. Cæterum ut epilogo rem colligam, non derideo Virginem, sed hominum prodigiosam superstitionem, & *Christo* suam gloriam asséro, nec mentior *Chrysostomum* & *Augustinum* illi tribuere affectum humanum, sed bona fide illorum verba retuli. Nec illis tamen assentior, sed aliis relinquo judicium, ipse propensior in eam partem, quæ plus tribuit Virgini, cujus honori faveo, licet hominum superstitioni non faveam. Hæc cum sint manifestissima, conclusiones, corollaria, convicia, quæ congeruntur hîc in me, condono male sano cerebro, precorque suggestoribus illis mentem meliorem. Omitto item multa ab istis non intellecta.

Ventum erat ad probandum sacratissimam Virginem fuisse immunem a peccato originis, & hîc interfatur Typographus, hactenus hoc præclarum opus ab *Alberto*

berto auctore fuisse recognitum, quod sequitur ab ipso morte prævento recognosci non potuisse, sed exemplar a familiaribus descriptum fuisse traditum. Sed nihil agitur hoc fuco. Ne priorem quidem librum, quem ad me misit, scripserat suo Marte, tantum abest, ut credamus hoc opus ab ipso fuisse perfectum. Si descripsit sua manu, miramur laborem: si recognovit ab aliis congesta, mirum cur tot solœcismos reliquerit.

CANONIZATIO SANCTORUM.

AD id non arbitror operæpretium respondere, tantum enim indico quosdam haberi pro Divis, qui non fuerunt a Romano Pontifice relati in canonem. Hic me notat velut improprie loquentem, quod urbis nomine designarim civitatem *Senensem*, ut re vera feci. Gravis lapsus in fide catholica.

SCHOLASTICA THEOLOGIA.

NUsquam fuit in citando diligentior, vel ut ipse gaudet loqui morosior, sperans fore ut omnes Theologos in me concitet, cum tot locis probem Scholasticam Theologiam sobrie Dialectices ac Philosophiæ admixtu temperatam, ut supervacaneum sit ad hujus querimonias respondere.

1 Quid hoc ad bonos Theologos, si *Hieronymum* & huic similes Auctores summulariis quibusdam & consarcinatoribus antepono? Quibus nec ipsi Theologi *Parisienses* multum tribuunt.

2 In Scholiis II. Tomi quid aliud queror quam in Scholastica Theologia plus satis adhiberi humanæ Philosophiæ? *Thomam* notans, sed præcipue *Scotum*. Id esse rectum ex eo liquet, quod jam pleræque Scholæ nec *Thomæ* sese addicunt, nec *Scoto*, sed ad magis sobriam Scripturarum tractationem sese conferunt.

3 In Scholio III. Tomi, ex occasione verborum *Hieronymi* taxo Theologum nihil crepantem nisi *Aristotelem*. Quid hoc ad universos? Porro hæreses pleraque ex Philosophia natas non solus dixit *Hieronymus*. At ne ea quidem res damnat omnem Philosophiam. Alioqui damnandæ essent & sacræ Litteræ. Quin & ipsa mea verba declarant me quosdam notare Theologos, non omnes. *At modo isti quidam Theologi*, quanquam *modo*, pro *nunc*, non est vox mea, sed sic libuit istis omnia mea depravare.

4 Verissimum est quod dico, sed non omnes Theologi amplectuntur Theologiam *Aristotelicis* legibus contaminatam vel potius obrutam.

5 Si in libris Scholasticorum Theologorum, puta *Scoti*, *Alberti Magni*, & similium, nulla sunt humana commenta, perperam loquutus sum.

6 Quid piaculi, si sensi *Platonicam* quoque Philosophiam admiscendam, ut divinis mysteriis accommodatiorem?

7 1 *Timoth.* I. *Paulus* admonet filium suum, ut devitet *mataeologiam*. Hac occasione moneo nostri temporis Theologos, ita tractent Theologiam ne incidant in mataeologiam, atque inibi commemoro quæstiones innumeras & inutiles, aut noxias, aut certe difficultate remorantes a magis necessariis.

8 Post hæc noto quosdam *Franciscanos*, qui totam vitam in *Scoti* subtilitatibus consumunt, quæ res damnatur etiam a probatissimis illius Ordinis viris.

9 Quis est Theologus, qui non damnat nonnullas *Scoti* subtilitates? Aut quæ Schola non hodie componit sese ad disputationes magis sobrias?

10 Ne hîc reprehenditur Scholastica Theologia simpliciter, sed prurigo quædam perpetuaque disputandi scabies, quod sophistarum est.

11 Locum ex Præfatione in *Hilarium* suggestor non intellectum perperam descripserat, hunc in modum: *Atque hac in re adeo modum nescire quidam, ut, posteaquam nihil non definierant de rebus divinis, nova etiam in his qua nihil aliud sunt quam hominum theotita commenti sunt, qua atroces tumultus excitarunt orbi.* Sic illi citant. Locus autem revera sic habet: *Novam etiam in his qui nihil aliud sunt quam homines θεότητα commenti sunt, quæ quidem plus quæstionum & atrociores tumultus excitavit orbi, quam olim* Arianorum *impietas.* Sed pudet Rabinos alicubi non habere quod respondeant. Vides quantum interfit inter mea verba & illorum citationem. Mira vero gravitas, ab indoctis delatoribus accipere locos perperam descriptos & non intellectos, & hinc tam atrociter rixari cum proximo. Sed quid hîc pecco, si Doctores admoneo, non esse necesse ad omnes omnium quæstiunculas respondere? Si nulli sunt qui movent quæstiones curiosas & supervacaneas, si nulli sunt qui definiunt non definienda, frustra monui. Sed heu talium nimis magna turba est. Si quis exempla requirit, legat annotationem meam in prioris ad *Timoth.* cap. primum.

Falso citat non intellecta.

In *Enchiridio* nihil dictum est in Theologiam, sed in 12
Theologiæ corruptores, & in superstitiosos quosdam
Monachos, qui constitutionibus suis obruunt Christianorum libertatem. Taxare vitia, non est lædere professionem, sed juvare.

Thomam, inquit, & *Scotum* tracto ac si pecudes ac 13
moriones essent. Imo sic me tractat *Pius*, nec Theologus, nec Sacerdos. Hoc male habet hominem, quod *Moria* ludens optat ut in suum corpus demigret anima *Scoti*. *Thomam* multis locis honorifice tracto, licet alicubi ab eo dissentiens.

Ex his locis decurtatis ac perperam intellectis, assumit pro confesso, me simpliciter damnare totam Theologiam Scholasticam, mihi mire invisum esse nomen *Aristotelis*, me esse in hac sententia ut existimem totam Philosophiam semovendam a studio Theologico, cum in scriptis meis pugnem adversus eos qui hoc sentiunt, cum in *Methodo*, quam subinde citat, doceam, liberales disciplinas sobrie adhibendas ad Theologiam, sequutus divum *Augustinum*: qui tamen de octo libris Physicorum non meminit, quibus multum tribuit *Pius*, utpote valde talium peritus. Quanquam illos nusquam improbo. Et hôme falsus objicit mihi *Plautum* & *Diomedem*, quasi nunquam viderim *Aristotelem*, aut in scriptis meis non sæpius citem *Aristotelem* quam ipse *Pius*, qui multos annos in conviviis fuit Peripateticus. Alicubi cum ajo, *Quæso te per* Aristotelis *manes*, regerit locum, *Quæso te*, inquiens, *per* Luciani *manes*: quasi scriptis omnibus non ingenue profitear *Christum*. Objicit mihi quod *Aristotelem* appellarim blasphemum. Quî potui, cum *Aristoteles Christum* præcesserit? Sed *Averroëm* appello blasphemum, qui post *Christum* natus, exsecratur illius doctrinam. Novi tamen *Franciscanos*, qui *Averroëm* ad verbum edidicerint. Fingit nobis duplicem Theologiam: priscorum placidam quidem, sed inermem: recentiorum clypeatam & galeatam: illam ad exhortandum utilem, sed inter credentes: hanc idoneam ad revincendos Ethnicos & Hæreticos. Imo priscis illis assidua pugna fuit cum Ethnicis & Hæreticis. Nostri tantum in Scholis σκιαμαχεῖν, & scribunt articulos. Quid facerent adversus Ethnicos argumentantes ex fundamentis Scholasticis *Thomistarum* & *Scotistarum*, realium & nominalium? Magis pugnant fasciculis quam scripturis. Sed homo mitis, ne non sit otium discendo *Averroï*, fatetur in Scripturis divinis esse plurima minus ad fidei substantiam facientia. Veluti Regum gesta, & Prophetarum dicta, aliaque similia, quibus ignoratis nihilo secius possis esse Theologus. Quam vocem malim ab alterius ore prodisse quam a meo. Si quid tale delatum fuisset e lucubrationibus meis, quantopere clamasset me detrahere Scripturis, in quibus, ut ipse docuit alibi, nullus apiculus vacat mysterio. Colligit tamen perfectum Theologum fore, qui liberales disciplinas cum exacta Scripturarum cognitione conjunxerit. Idem ego prior docui. Cur ergo mecum litigat?

Fatetur a quibusdam Theologis tractari quæstiones sophisticas, sed negat ob id reprehendendam methodum. Mecum sentit, & mecum rixatur veluti cum adversario. Dicet, oportuit hoc expressius dicere, te non simpliciter reprehendere Theologiam Scholasticam, sed quorumdam Theologorum mores. Id centum locis expressius dico, sed ea loca non sunt delata ad *Pium* a collectoribus.

Restat durissimus locus, quem illi sero suggesserunt

φαρ-

Digitized by Google

φαρμακολόγοι. Is est in Annotationibus in novum Testamentum. Bella citatio! Dicere poterat in *Matthæi* cap. VII. Sed metuit deprehendi polypus. Locum hactenus invenire non potui, proinde nec est quod apte respondeam. Verba, quæ citat, sic habent: *Utinam aliquando expergiscatur* Christus, *& hoc Judaismo atque hac tyrannide liberet populum suum, nisi forte ideo nos redemit, ut hujusmodi portentis serviamus*, &c. Hæc vult dicta in universum ordinem Theologicum. Quis autem non sentiat hæc in superstitiosos ac tyrannicos Monachos esse dicta? Et tamen quasi constet hæc in universos hoc animo dicta, ut totum ordinem Theologicum e rebus humanis funditus submoveam, tragicis in me verbis detonat. *Quibus verbis*, inquit, *exulceratissimum in eos animum impotensque odium nimis patefeci-sti. Quid enim atrocius, quid immanius in hostes truculentissimos, in pestes humani generis dici optarique posset, quam universum quod insectaris genus aboleri & e medio tolli: & tu ipsum Theologorum genus, innocuum, verendum tum professionis dignitate, tum vitæ innocentia, pessundari optas, quod tamen te & ornavit, & in collegium suum cooptavit. Quod si non vererer te offendere, dicerem, forte magis eorum humanitate facilitateque, quam tuis meritis. Sed tibi hoc peculiare, magis eos insectari, inter quos nomen dedisti. Optas, ut Theologorum ordo perdatur a* Christo, *ut scilicet Hæreticis licentiosius debacchandi adsit facultas.* Hujusmodi multa delirantissime vociferatur in totius ordinis Theologici subversorem. Quanto morbo tenebatur cum hæc scriberet. Ignoscat illi Dominus, eosque corrigat qui huc perpulerunt ægrotum. Si *Pius* Theologiam non didicit, saltem inter Rhetoras versatus est. Quæ res me provocare potuit ad hunc immanem conatum, ut universum ordinem Theologicum e medio sublatum vellem? Jam ut voluerim, quæ spes perficiendi? Postremo quî convenit ut eum ordinem, cujus juvandis studiis tantum vigiliarum impenderim, funditus exstinctum vellem? Non arbitror quemquam esse Theologum qui hæc credat, quæ blandiens Theologis tam atrociter asseverat *Pius*. An is cupit exstinctum ordinem, qui dat operam, ut ordo melius habeat.

De Auctoritate Scripturarum.

HIc nihil adfert *Pius* ad quod non abunde responsum sit, & *Stunicis*, & *Beddeis*, & Monachis *Hispanienſibus*, tantum attraxit materiam rixandi cum *Erasmo*, dissimulans quos auctores in his sim secutus, & quibus argumentis sim usus. Hæc erant illi repetenda & confutanda, priusquam descenderet ad illa mendacissima convicia ac morosa jurgia, quibus inclementer flagellat *Erasmum*. *Hieronymus* pronunciat alicubi, alicubi dubitat de secunda Epistola *Petri*, de Epistola *Jacobi*, de Epistola ad *Hebræos*, de duabus Epistolis *Joannis*. Sane quod ad auctorem attinet, duos posteriores libros *Esdræ* vocat somnia, fabulam *Beli* & *Draconis* irridet, *Susannæ* historiam notat ut fictitiam, aliaque multa distinxit obeliscis & asteriscis, vir tantus tantæque auctoritatis. Nunc omnia leguntur promiscue. Sed ubi expresse pronunciavit Synodus, omnia illa esse paris auctoritatis? esse eorum quorum titulis feruntur? Quid si Patres in hoc indulserunt piorum affectibus? Quid si quædam ut hagiographa receperunt? Quid autem nunc in templis non legitur? Jam in his, quæ sunt Spiritu Sancto prodita, non est idem ordo per omnia. In quibusdam Spiritus evidentius explicat sua mysteria, in quibusdam obscurius & involutius. Proinde cum Theologi disputant de præcipuis articulis fidei, non multa proferunt ex *Ecclesiastico*, aut ex *Apocalypsi*, sed ex *Paulo* plurima.

SYMBOLUM.

DE Symbolo Apostolorum quid opus est toties respondere? Tribuo illi gravitatem & spiritum Apostolicum. Non dubito quin Apostoli illa docuerint, tantum dubito an ab illis scripto sit proditum. Id quod multis de causis non est verisimile, cum non idem olim fuerit apud omnes, quod evidentissime docui. Quis autem auderet addere, demere, aut mutare quicquam in scripto totius Apostolici Senatus auctoritate prodito, cum id plusquam sacrilegium sit audere in Evangelio, quod unus aliquis conscripsit?

Hoc autem quod ob auctoritatem summam dicitur Apostolicum, in *Nicena* Synodo fuisse proditum, certe probabilibus argumentis docet *Laurentius Valla* in *Antidoto* ad *Nicolaum Quintum*, commonstrans in Decretis dist. 5. cap. *Canones*, legendum esse, *sub hoc etiam sancti Patres in Concilio* Niceno *de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem Evangelicam & Apostolicam secundo, post Apostolos Symbolum tradiderunt.* Aitque se scripturam hanc comperisse in vetusto codice *Isidori*. Ut intelligas in prima Synodo *Nicena*, quæ fuit secunda post Concilium Apostolorum, fuisse conditum Symbolum quod nunc dicitur Apostolorum? Putatque *Nicenam* illam Synodum non condidisse Symbolum, nisi usque ad hanc clausulam, *& regni ejus non erit finis.* Quod supereſt adjectum in Synodo *Constantinopolitana*, in qua damnatus *Macedonius*, adimens Spiritui Sancto divinam naturam. Sed quod erat Symbolum in Concilio *Niceno* conditum? Quod canitur in Missa? Ibi pronunciatur de Spiritu Sancto, *quod simul cum Patre adoratur & glorificatur.* Quid igitur opus erat alia Synodo adversus *Macedonium? Athanasii* Symbolum ab his diversum est. Rursus in libro priscorum Canonum refertur diversum, cui Editioni si pondus esse volumus, valeant simul omnes constitutiones, quæ illic Apostolico nomine referuntur. Valeant pariter ordinationes Ecclesiæ, quæ sub nomine *Petri* feruntur. Sed de *Laurentii* opinione nolim contendere, illud plurimis maximisque argumentis liquet, Symbolum quod Apostolorum vocatur, non fuisse scripto proditum ab Apostolis. Multo minus singuli articuli a singulis illorum proditi sunt. Verum hoc dicit *Augustinus*, & hunc sequutus est *Joannes Gerson*. Atqui comperi attentius contemplans, eos sermones nihil habere *Augustini*. In libro ad Catechumenos non appellat hoc Symbolum Apostolorum, sed ait a sanctis Patribus e Scripturis collectum. Hæc aliaque cum libris editis respondero, hic aut non legit illa, aut quod sceleratius est, dissimulat, veteremque calumniarum cantionem nobis recinit, quo locus sit atrocibus conviciis, quibus hîc mire videtur gaudere, quisquis est rixator. Sed fateor, ut ait, me dubitaturum de auctore Epistolæ ad *Hebræos*. Non nego, sed addo, *donec expressum super hac re Ecclesiæ judicium videro.* Si dicat Spiritum auctorem, respondebo illum sophistam agere, nam ego de homine auctore loquor. Sic dubitamus de auctore libri *Job*, & librorum *Regum*, nec ob id vacillat illorum auctoritas. Dubitamus de auctore Evangelii secundum *Marcum*. Nihilo secius est illius sacrosancta apud omnes auctoritas. Postremo quid est quod tumultuemur de auctore, cum Apostolorum scripta non ob hoc habeant tantam auctoritatem, quod ab illis profecta sint, sed quod Ecclesiæ consensu comprobata. De *Apocalypsi* jam plus decies respondi. Commemoro illic diversorum sententias, sed ingenue fateor me submittere sensum meum judicio Ecclesiæ, cujus auctoritas nisi me moveret, plane confirmarem illud opus non esse *Joannis* Evangelistæ. Nunc recipio eo animo quo recepit universalis Ecclesia. *Sed non debebant*, inquit, *illa commemorari propter infirmos.* At multo magis libri, unde illa decerpsi, non debebant toties excudi, vulgoque publicari. Mihi visum est utile admonere Lectorem, ob quosdam qui nihil Veterum legentes tantum habent in ore duo verba, Ecclesiam & Spiritum Sanctum, & hoc colore quicquid in templis legitur caniturve, licet mendosum & vitiatum, volunt haberi pro Scriptura irrefragabili. Et utinam veteres Ecclesiæ præsules ac principes aliquanto magis vigilassent initio, non torqueremur tot difficultatibus litteræ.

Nusquam dormitat unquam *Pius* in calumniandi artificio. De *Eusebio* loquens dico, *Citat* Cajum *quemdam auctorem orthodoxum*: & hoc *Pius* ita refert, *Citasque* Cajum, *ut ais*, *auctorem orthodoxum*. Imo non

Digitized by Google

ego cito, vir mirifice, sed *Eusebius* gravis auctor: nec *Erasmus* ait eum orthodoxum, sed *Eusebius*. Frivolum esset talia persequi, sed nusquam non utitur simili candore, homo simplex, purus ab omni odio gloriaque.

Reliqua indigna sunt quæ recitentur, quibus hanc addit clausulam. *Hæc sufficiant ex multis, quæ de Scripturis, quas in dubium vocas, scripsisti.* An vocat ipsas Scripturas in dubium, qui ambigit de auctore homine? Sic eum, opinor, docuit *Aristoteles* concludere.

De Auctoribus Scripturarum.

MAlim in pistrino molere quam respondere morosо *Thrasoni*, ex delatis fragmentis calumniosissime pronuncianti. Alicubi tribuo *Paulo* piam in disputando vafritiem, verum, sed eidem tribuo sanctam superbiam. Quod ad gloriam *Pauli* dicitur, hic artifex torquet in contumeliam. *Paulus* sæpe mutat vocem suam, ut omnes pertrahat ad *Christum*, & aliud dicit, aliud tacet, aliud proponit, aliud tradit. Hæc cum in laudem sæpe commonstrent *Origenes* & *Chrysostomus*, cumque his *Hieronymus*, rixator meus interpretatur blasphemiam, sic colligens vir *Aristotelicus*. *Cum* Paulus *ex divini Spiritus bucca, cujus tantummodo præco est, eloquatur, divinum Spiritum, vafrum, lubricum, mendacem, tortorem Scripturarum, dissimulatoremque esse, quod tamen vel duntaxat cogitare blasphemum est.* Quis non videat hunc rixatorem ad calumniandum insano gloriæ studio impulsum fuisse.

De titulo aræ apud *Athenienses* cito auctorem *Hieronymum*. Quin igitur cum illo litigat? qui plus ausus est dicere, testimonia Scripturarum, quæ suis locis non pugnant, apud *Paulum* pugnare. An statim mendax est qui simulat? Qui aliud dicit, aliud agit? An sceleratus est quisquis fallit? Cum *Paulus*, ne provocaret pseudapostolos, dicit, *Alius dicit, ego sum Cephæ, ego sum Apollo, ego sum Pauli*, an non aliud sentit, aliud loquitur? Cum apud *Corinthios* se facit insipientem, nonne aliud sentit quam loquitur? Rursum cum ait, *etsi imperitus sermone*, nonne *Hieronymus* exponit dissimulanter dictum, cum esset in argumentando summus artifex? Qui utitur ironia, nonne aliud loquitur quam sentit? Qui utitur hyperbole, nonne aliud dicit quam sentit? Qui Scripturam accommodat ad præsentem causam, nonne aliquo modo torquet? Rursus, qui dicit, quæ scit ab auditoribus in alium sensum accipienda ad tempus, nonne fallit? Cum diceret *Christus, Solvite templum hoc, & ego in triduo erigam illud*, volebat hoc dictum non intellectum inhærere pectoribus Apostolorum, ut postea recordantes intelligerent. Sed hæc omnia *Pius* vertit in mendacia, & si quid mendacio turpius. Verum quid molestius quam respondere loquacibus, impudentibus, & indoctis næniis, præsertim cum jam responsum sit? Porro quod ait me Apostolis in Scripturis tribuere oblivionem, impudens mendacium est. Ostendo *Hieronymum* recitare quorumdam opinionem, qui putarunt Evangelistam lapsu memoriæ posuisse nomen pro nomine, nec eam ut impiam rejicit. Ostendo *Augustinum* videri simile quiddam tribuere Evangelistis in ordine rerum gestarum. Ego illis non tribuo, tantum ajo, etiamsi quid esset simile, præsertim in his unde non pendet summa veritatis Evangelicæ, non protinus apud me quidem vacillaturam totius Scripturæ auctoritatem. Impudentius etiam mendacium est, quod, ut ait, scripsi *Christum* ignorasse diem judicii, quemadmodum alii ignorant homines. Sed in Paraphrasi quia non erat commodum explicare sub persona *Christi*, recito verba Evangelistæ eo sensu quo ille scripsit. Sed in Annotationibus expono trifariam eum locum. Ad utrumque exstat dilucida mea responsio adversus sycophantias *Bedda*: saltem vitandus erat illi commonstratus lapis, ad quem ille tam turpiter impegit. Sed *Pius* cum gravetur ea legere, non veretur tam periculosa mendacia ex hominum fabulis impingere in proximum. Dominus illi ignoscat omnia peccata. Si viveret, tractaretur pro merito.

Mendacium.

Mendacium.

DE TRIADE SACRA.

AD has calumnias plus decies respondi *Leo*, *Stunica*, *Bedda*, *Tyrologo*, *Hispanis*, & annotans in Epistolam *Joannis*. Ad hæc omnia suidus hic morosissimus nugator, ex fragmentis per amanuenses delatis, nec intellectis, facit me patronum ac propugnatorem *Ariana* hæreseos, tantisque conviciis in me debacchatur, ut, si viveret, auditurus fuerit se digna.

In tertium *Hieronymi* Tomum dico, *Arianorum tumultum, schisma seu factionem fuisse verius quam hæresim.* Non nego fuisse hæresim. Sed initio cum Imperator esset *Arianus*, Pontifex *Arianus*, cum in Concilio, quo probatum fuit *Arianorum* dogma, plures sederent Episcopi, quam in quo damnatum fuit, tum erat factio verius quam hæresis. Hæresis erat apud Deum, apud homines ambigebatur, nondum audita publica Ecclesiæ voce.

Altero loco non loquor de *Arianis*, sed *Origenistis* ætate *Hieronymi* pullulantibus: quo tempore singuli fere prodebant fidem suam Symbolis, quibus nihil esset actum nisi Principum auctoritas adfuisset, tandem Ecclesias adimens Episcopis *Arianis*, ne privata quidem conciliabula illis concedens. Hæc si referuntur evidenter in Ecclesiastica Historia, quid mecum litigat *Pius*?

Si quo pacto favissem vesaniæ *Arianorum*, cur innumeris locis detestarer illorum dogma, vivideque atque expresse profiterer, quod qui non profiteantur inter Christianos habendi non sint? Ea loca recensui in Apologia ad Monachos *Hispanos*. Verum *Pius* negat referre legisse mea. Quantum autem referat mox apparebit.

In Scholiis noto argumentum, quo utitur *Hieronymus* disputans, non esse satis efficax adversus pertinaces *Arianos*. Fatebantur illi Filium esse Deum, & magnum Deum, & illum *Pauli* locum, *Qui est super omnia benedictus*, de Filio interpretabantur. *Sed cur*, inquit, *hæc mones, nisi studes revocare hæresim* Arianam? Imo ideo moneo, ne Doctores pugnent cum Hæreticis ejusmodi telis, quæ facile repellantur. Hoc est confirmare Ecclesiæ dogmata, non impugnare. De testimonio triplici tam accurate respondi, nec id semel, ut sit ineptum illa repetere.

Sed quis ferat, quod in Præfatione in *Hilarium* in hunc modum scribo: *Quin huc audaciæ prorumpimus, ut non vereamur Filio præscribere, quibus modis debuerit honorare matrem suam. Audemus autem Spiritum Sanctum appellare Deum, quod Veteres ausi non sunt.* Hîc certe erubesceret *Pius*, etiamsi fuisset impudentissimus, modo viveret. Quid turpius quam ad eumdem lapidem impingere, in quem impegerant Monachi *Hispanienses*? Non illic defendo *Arianos* contra *Hilarium*, sed ostendo Priscorum religionem in pronunciando de divinis Personis. Et *Pius* mihi percollit os, dicens: *Prolixa oratione pro* Arianis *stas adversus sententiam & volumen illius auctoris, qui a te recognitus & castigatus emittebatur. Legat*, inquit, *locum oratione perpetua, cujus nos summam retulimus, quem laboris non pigebit: & propensum studium tuum in* Arianis *defendendis omni luce clarius perspiciet.* Clausulam addit, *Sed tantum de his quæ pro* Ariano *dogmate protulisti.* Ad quæ respondendi ut operam luerifaciam, eadem hîc referam quæ in Apologia Monachis *Hispanensibus* respondi.

Citat non intellecta.

Ex his, quæ superius tradita sunt, ultro liquet quam hæc sint impudenter detorta ad calumniam. Quæ congerunt, suis locis non alio spectant, quam ut declarent religiosum timorem Veterum in loquendo de rebus ineffabilibus, & recentiorum quorumdam irreligiosam temeritatem. Si *Hilarius* in duodecim libris alicubi pronunciat Spiritum adorandum, si tribuit illi nomen Dei, fatebor me lapsum memoria, quandoquidem de re nulla est controversia. Et ne memoriæ lapsus possit objici, interjeceram, *quod sciam:* quæ duo verba prætermissa sunt ab istis, quia non faciebant ad calumniam. Agnoscis Lector Christianam charitatem, quod tamen istis imputari nolim, sed libro sycophantico, unde hæc decerpta fuisse res ipsa loquitur. Rursus

Digitized by Google

ſus ſi cognomen Dei ſic in Libris Canonicis aperte additur Spiritui Sancto, quemadmodum in Evangelio & Epiſtolis Patri crebro, Filio raro, fatebor me lapſum memoria. Verum quod vetuſtiores minus auſi ſunt pronunciare de rebus divinis, religioni tribuo, hoc eſt, reverentiæ myſteriorum ineffabilium. Exſpectabant enim accuratiorem Scripturarum excuſſionem & auctoritatem Eccleſiæ. Id declarant quæ ibi ſequuntur: *Poſteriores, diligentius excuſſis ſacris Voluminibus, ac majorum auctoritate freti, non verentur Filium Dei appellare verum Deum, & ad illum ſuas preces dirigere.*

In eamdem ſententiam loquor præfans in *Hilarium*: *Divus* Hilarius *in calce libri duodecimi nihil audet de Spiritu Sancto pronunciare, niſi quod Spiritus Dei eſt, nec hoc auſurus niſi legiſſet apud* Paulum: *non audet creaturam dicere, quia nuſquam legerat in ſacris Litteris. Hæc profeſſio non ſatis eſſet hoc ſeculo, quia plura nos docuit Veterum neceſſaria diligentia, ſed citra neceſſitatem nos longius evehimur.*

Et aliquanto poſt, ſunt hæc mea verba, quæ truncatim recitarunt: *In quibus ut aliquoties Filio tribuitur Dei cognomen, ita Spiritui Sancto nuſquam aperte.* Sequuntur enim hæc: *Etiamſi poſt orthodoxorum curioſitas idoneis argumentis comperit e ſacris Litteris in Spiritum Sanctum competere quicquid Filio tribuebatur.* Vides Lector ſanctæ inquiſitionis artificium, de qua male ſentit *Eraſmus*. Quare non addiderunt hanc particulam? Quoniam prorſus excludebat calumniam. Ergo non inquirebant verum, ſed affectabant ſtudio, quod falſo criminarentur. Hac nimirum arte contexit ſuos centones malitioſa calumnia.

Simili techna truncatim retulerunt & illum locum: *Pater frequentiſſime vocatur Deus, Filius aliquoties, Spiritus Sanctus nunquam.* Sequitur enim: *Atque hæc dixerim, non ut in dubium vocem, quod nobis ex divinis Litteris Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas, ſed ut oſtendam quanta fuerit Antiquis religio pronunciandi de rebus divinis.* Cujus autem artis hoc eſſe videtur, ut ex eadem pagina colligas probationem hæreticæ ſententiæ, in qua tam multa ſunt quæ pugnant adverſus eamdem ſententiam? Non hæc eſt apicularum ſedulitas, non charitatis ſinceritas, quæ non ſuſpicatur malum, ſed ars araneorum, qui ex ſalubribus floſculis exſugunt venenum, imo, ut verius dicam, ſalutiferum ſuccum ſibi vertunt in venenum: & ſi fas eſt ingenue verum proloqui, illius ars eſt, cui apud Græcos nomen eſt a calumniando.

Non dubito quin omnibus perſpicua ſit iſtorum inſignis impudentia. Sed audi quiddam his etiam multo ſceleratius. Recentiorum quorumdam de rebus divinis pronunciandi temeritatem his taxo verbis: *Nos huc audacia prorupimus, ut non vereamur Filio præſcribere, quibus modis debuerit honorare matrem ſuam. Audemus Spiritum Sanctum appellare Deum, quod Veteres auſi non ſunt.* Hæc *Eraſmus*. Quis ferat horum verborum blaſphemiam? Sed audi Lector nimium impudens artificium. Hic ſermo inde ſumpſit initium. Dicebam Priſcos illos, qui religione quadam parcius pronunciabant de Triade ſacra, ſanctius eam coluiſſe quam nos, qui certiora de illa tenemus. Et hîc obiter taxo quorumdam irreligioſam audaciam, qui dum probare contendunt, Virginem matrem ſine labe peccati originalis fuiſſe conceptam, utuntur hoc lemmate: *Debebat ſummum honorem matri, & hoc igitur ut ſic conciperetur debuit præſtare, & quod debuit potuit, igitur fecit.* Similis audaciæ eſt, quod quidam docent etiam *Chriſtum* in cœlo ſedentem eſſe ſub imperio matris, & ideo Eccleſiam canere, *Monſtra te eſſe matrem*, hoc eſt, præcipe Filio, ut faciat quod petimus. Verum hoc, ut opinor, non admodum movet iſtos, illud movet quod adjicio, *Audemus Spiritum Sanctum appellare Deum, quod Veteres auſi non ſunt*, &c.

Temerarium volo videri quod præceſſit, & hoc ſubjicio veluti ſimilis temeritatis exemplum. O voces exſecrandas! Quis hæc perferat? Quis non exſecretur tam impudentem calumniandi malitiam? Vix arbitror Satanam ſimile quicquam auſurum. Quam malitioſa techna contexuerunt voces horrendas homines mundo mortui? Verum ſermo pius erat, ſi totus fuiſſet recitatus. Sequitur enim continenter: *Sed iidem non verentur illum ſubinde noſtris ſceleribus ex animi noſtri templo deturbare, perinde quaſi crederemus Spiritum Sanctum nihil aliud eſſe, quam nomen inane, quemadmodum plerique Veterum, qui ſumma pietate colebant Filium, tamen ipſum non audebant dicere verebantur*, &c. Quid hîc reprehenditur a me? Num illud quod audemus Spiritum Sanctum appellare Deum? Minime. Nam id probo in eadem Præfatione. Verum illud vitio datur, quod cum plenius inſtructi ſimus de natura Spiritus Sancti Filiique, tamen in cultu ſimus inferiores his qui minus erant inſtructi, cum potius cum acceſſione cognitionis accedere debuerit veneratio majeſtatis. Quod dico, tam perſpicuum eſt, ut vel cæco, quod ajunt, pateat. Quid igitur cogitarunt, qui hæc deferunt ad ſuſpicionem hæreſeos *Ariana*? Verbo expediam, niſi plane ſtipites ſunt, aut putabant neminem fore qui mea legeret, aut ipſos judices habebant pro ſtipitibus.

Si quis ad iſtum modum voces e *Paulinis* Epiſtolis decerptas verteret in calumniam, 1 *Corinth.* VIII. dicit: *Sunt Dii multi & Domini multi*, hoc eſt contra primum Decalogi præceptum. Ad *Romanos* III. ſcribit: *Faciamus mala, ut eveniant bona*, hoc eſt contra rectam doctrinam. Item 1 *Corinth.* XV. de ſe & cæteris Chriſtianis ita loquitur: *Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, hoc eſt contra illud Evangelicum, *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Hæc qui moliatur, inquam, nonne faceret rem omnium judicio abſurdiſſimam? Nemo tam impudens, ut id non fateatur. Atqui in his, quæ ſupra demonſtravimus, quædam ſunt, quæ nihilo plus quam hæc habent vel mentis vel frontis.

Quod ſi cavillantur de verbo *audemus*, quod videtur in malam ſonare partem, objiciam eis illud ex canone ſacrificii, *Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere*, Pater noſter, &c. Hæc ſi non gravatus fuiſſet legere *Pius*, haudquaquam ſibi tantum probrum conciliaſſet, dum amicum tam ſtolida calumnia petit. Si quis ita loquatur, *audemus Deum appellare Patrem rerum omnium conditorem, mundi gubernatorem, audemus Filium ejus appellare redemptorem, audemus Spiritum Sanctum appellare chariſmatum largitorem*, nec quicquam addat, nonne ſermo videbitur impius? At ſi addas, *& tamen filii negligimus præcepta parentis, creatura creatorem contemnimus, erga redemptorem ingrati ultro relabimur in poteſtatem Satanæ, Spiritus munificentiam impura vita a nobis alienamus*, nonne jam pius eſt? At talis erat ſermo, quem non intellectum carpit *Albertus* miſere delirans atrocibus conviciis.

Hinc perſpicuum eſt quid ſit non legere quæ reprehendis, quid ſit e ſchedis operarum ſtruere periculoſam calumniam, quid ſit e fruſtulis undecunque defractis criminationis rhapſodiam texere. Ridiculum eſt autem eum hortari Lectorem, ut inſpiciat perpetuum loci tenorem, quem ipſe non dignatus eſt legere, quem ſi legiſſet, puduiſſet, opinor, hominem talia convicia in proximum immerentem evomere. Interim dubitat *Pius* an ex animo ſentiam cum *Ario*, an oſtentandi ingenii gratia voluerim malam tueri cauſam, quod tamen non præſto mirifice conans. Quid hic nugator merebatur audire, ſi viveret? Sed elapſus eſt ex unguibus meis, utinam & e judicio divino. Numeravi illi tot loca, in quibus dilucide, vivide, fervide profiteor de ſancta Triade quod ſancta profitetur Eccleſia. Et hîc ambigit utrum ex animo, an oſtentandi ingenii gratia defendam *Arianos*. Verum quo minus id potuerim quod conor, imputat neglecto *Ariſtoteli*, quaſi ſolus ille legiſſet *Ariſtotelem*, qui nunquam erat Philoſophus, ut ajunt qui noverunt hominem, niſi in conviviis, aut quaſi nos in lucubrationibus noſtris non frequentius citemus *Ariſtotelem*, quam iſte qui tot annos *Ariſtotelem* habuit in ore. Sed *Ariſtoteles*, ſi ſuperis placet, expediet nos ex hoc labyrintho? Atqui divus *Hieronymus* diſputans adverſus *Luciferianos* autumat hanc hæreſim per *Ariſtotelis* Philoſophiam fuiſſe confirmatam. *Accedat*, inquit, *ad hoc, quod* Ariana

Digitized by Google

hæresis magis cum sapientia seculari facit, & argumenta A *terum rivos de* Aristotelis *fontibus mutuatur. Hieronymus* putat ob hoc ipsum *Arianos* fuisse invictos, quod *Aristotelicis* præsidiis essent instructi, & *Pius* iisdem præsidiis nos involutos expediet. Videamus tamen quomodo nos per *Aristotelem* suum expediat *Pius*. *Quicunque*, inquit, *verus Deus est, natura Deus est.* Posset aliquis objicere, Filius dicitur *vitis vera*, ergo naturaliter vitis. Sed nolo sophisticari, dono. *Sed Filium Scriptura appellat verum Deum. Non igitur creatus.* Quid si negem minorem, quomodo evincet? Non ago nunc de re, sed cum *Aristotelico*. Si non probat, quid colligit? Poterat adferre illud *Joannis*, *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum:* & valebit: B si recipimus *Augustini* constructionem, *Ut cognoscant te & quem misisti Jesum Christum, esse solum verum Deum.* Sed ubi interim Spiritus Sanctus? Quorsum autem admiscuit illa *Pius*, si tantum diceretur Deus eo pacto, quo dicuntur *Dii multi & Domini multi*. Quis ea prædicavit de *Christo*, quæ *Paulus* dixit de Dæmonibus gentium. Citandus erat ille locus, quem citat *Christus* in Evangelio, *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.* Quo loco sese tuetur Dominus adversus Judæorum calumniam, quod se dixerat Filium Dei. Sed hîc *Pius* versabatur in aliena arena. Pergit Aristotelicus: *Si Filius est ejusdem naturæ cum Patre, igitur idem individuum.* Subjiciam, *Petrus* est ejusdem naturæ cum *Joanne*, igi- C tur est idem individuum. Filium idem esse cum Patre, lego apud orthodoxos, idem esse individuum, non lego: eamdem esse naturam individuam fateor. Tres Personas realiter inter se distinctas, unum appellare individuum, an liceat nescio, nisi addas essentia. Nam Personæ inter se numero differunt. Sequitur: *Sed natura divina cum sit simplicissima, plurimis individuis communis esse non valet.* Et hîc Theologus aliquis adjecit: *& ita unita est, quod in plura individua distributa esse non possit.* Agnoscis διάλεκτον Lector. Ac mox: *Verus igitur Deus ita est unus, quod repugnat plures esse. Sicut enim quod est natura id quod est, repugnat esse id quod est participatione: ita quod natura unum est, repugnat esse plu-* D *rificatum*, &c. Eat nunc qui volet, & asseveret hæc omnia ab *Alberto* scripta. Jam ne explicatus est nodus præsidio *Aristotelis*? imo non est explicatus, quia nusquam in Scripturis *Christus* appellatur *verus Deus*. Quod si factum esset, *Ariani* dedissent manus. Sed quod *Pius Aristotelicus* frustra conatus est, jam pridem libris editis præstitit *Erasmus* Grammaticus. Nam hoc titulo nonnunquam illudit mihi, qui non videtur ullum divinæ Scripturæ volumen unquam evolvisse. Nam id est quod scripsi, pertinaciam *Arianorum* per Scripturas non posse evidenter retundi, nisi accederet ratiocinatio. Eamque demonstravi sumendam a simplicissima simplicitate naturæ divinæ. Scriptura citra controversiam appellat Filium Dei E unigenitum, *Joannis* primo: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre.* Rursum cap. III. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Non est igitur Filius per gratiam, quemadmodum sancti cæteri. Per naturam ergo: si natura, natus est ex substantia Patris. At ea cum sit simplicissime simplex, non potest partitione communicari: eadem igitur numero sit oportet in Patre & Filio. Sed hæc *Pius* non legit, sed præstabat ista legere, ne & me præter meritum incesseret, & se doctis deridendum propinaret. Sed quid opus erat *Aristotele* ad demonstrandam divinæ naturæ simplicitatem, quasi non melius id discatur ex *Platone*. Jam cum F argumentatio *Pii* nitatur huic fundamento, quod Scriptura prædicet Filium verum Deum, nec id possint doceri pertinaciores, vacillat & reliqua structura.

Cum lego *Pii* querimonias quamlibet levi de re tragicas, videor mihi rem habere cum muliere morosa, rixosaque, nihil non rapiente ad jurgandi materiam. Scripsi alicubi *Hieronymum* esse violentum, parumque pudentem, sæpe varium, parumque sibi constantem. Quod scripsi verum est, & probavi, pluribusque argumentis probare possim, si res urgeret, & si in bona causa graver illius auctoritate. Hîc mihi faciem conspuit *Pius*. *Tu inquam hæc de divo* Hieronymo *profers, eradi-* *tissimo atque sanctissimo, cui nec dignus esses vel matulam præbere.* Quis hæc non rideat? An *Hieronymus* homo deliciis effœminatus habuit formosum puerum, qui ad digituli crepitum porrigeret ipsi matulam?

Sed extra jocum, quisquis dissentit ab auctore, aut in eo notat aliquid, illico postulat haberi præstantior? *Aulus Gellius* reprehendit aliquid in *Cicerone*. Nemo tamen illi conspuit os, quasi se *M. Tullio* anteponat. De loco triplicis testimonii profiteor me satis respondisse, legat qui volet: *Pius* noluit illa legere, quia maluit cum *Erasmo* rixari. Docet nos dici quædam unum natura, quædam accidente. *Petrus*, inquit, & *Joannes* unum sunt, quod uterque sit homo. *Alexander* & *Bucephalus* unum non sunt, nisi uterque esset albus. Ut donemus sic aliquos loqui, an ea ratio quæ *Petrum* facit hominem, est unum individuum, vel numero eadem cum ratione quæ *Joannem* facit hominem? Etiamne anima utriusque idem est individuum? Nam anima humana forma est hominis. Quis autem dixit equum album idem cum homine albo? Et albedinem equi numero esse eamdem cum albedine hominis? An has subtilitates didicit ex *Aristotele*? Cur non explicuit illum locum apud *Joannem* XVII. *ut sint unum sicut & nos.* An omnes pii sunt unum natura individua, sicuti sunt tres Personæ? Cum in *Actis* dicitur, *& erat eis cor unum & anima una*, quid significatur nisi consensus animorum? Sed desino ludere in mortuum. Impingit quod improbem dogma *Joannis* Evangelistæ de Divinitate Filii. Suspicor *Pium* existimare *dogma* a *docendo*, cum sit Græca vox deducta παρὰ τὸ δοκεῖν, quod est *opinari*. Quis appellat divinam Scripturam dogmata? De eorum dogmatibus loquor, qui ediderunt multa Symbola, in quibus sit interdum, ut, dum omnes rimas obturare conantur hæreticis, ipsi labantur in foveam a tergo patentem. Quod demonstravimus accidisse *Hilario*, demonstraturi si libeat & aliis magnis Ecclesiæ Doctoribus usu venisse. Ut autem declaret Priscos Spiritui Sancto tribuisse nomen Dei, producit *Chrysostomum*, *Didymum*, *Ambrosium*, quorum ætate jam pronunciatum erat adversus *Macedonium*. *Qui sunt*, inquit, *inniquieres? Origenes* & *Tertullianus*. Absit autem ut senserim nullum fuisse qui hoc faceret, de libris editis loquor. Certe *Hilarius* toto opere *de Trinitate* hoc non facit. Transit *Pius* ad argumenta, quibus doceat *Christum* esse verum Deum. Ea recipio. At ego de aperta appellatione loquebar. Sed piget diutius agere cum eo, qui mea non legit, sed ex schedis amanuensium sumit occasionem rixandi, quasi non alii prius hac de re satis risati sint cum *Erasmo* ingenti suo dedecore.

De Sacerdotum et Episcoporum Auctoritate.

HIc primum illud schedarum auctoribus imputan- 1
dum est, quod *Pius* Sacerdotes appellat pro Presbyteris. Non enim memini quemquam ætate *Hieronymi* vocasse Sacerdotem, qui non esset Episcopus. Sed ut illi gratiam faciamus errati, quanquam tam sævus objurgator nullam meretur veniam, cum *Hieronymus* tot locis confirmet, Scripturis comprobet, ætate *Pauli* eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos, velut in Epistola ad *Oceanum*, in Epistola ad *Evagrium*, in Commentariis super Epistolæ ad *Titum* cap. I. aliisque locis compluribus: quid est quod hac de re mecum agit *Pius*?

Sed in Scholiis alibi dico, nimirum in Epistolam ad 2
Evagrium, *Non puto* Hieronymus *Episcopum quovis Presbytero præstantiorem, nisi quod habet jus ordinandi.* Quid hîc peccat *Erasmus*? Non ipse hoc putat, sed indicat quid visum sit *Hieronymo*. Quod si *Pius* inficietur hæc ab *Hieronymo* scripta, proferendæ sunt tabulæ ac testes. In Epistola ad *Evagrium* hæc sunt illius verba: *Quod autem unus e Presbyteris electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens* Christi *Ecclesiam rumperet. Nam &* Alexandriæ *a* Marco *Evangelista usque ad* Heraclam *&* Dionysium *Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant,*

quo-

Digitized by Google

quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverunt, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Nec altera Romanæ *urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est.* Et mox: *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe.* His verbis *Hieronymus* declarat, *Romanum* Episcopum suis Presbyteris nihilo superiorem esse, quam quemvis Episcopum in oppido frigido. Et si *Roma* secus fiat, magis observandum quod fit in toto orbe Christiano, quam quod in una urbe. Sequitur: *Episcopus cujuscunque loci, ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii: potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum facit. Caterum omnes Apostolorum successores sunt.* Hic vir sanctus ingenue fatetur, Episcopum *Romanum* non esse cæteris Episcopis sublimiorem sacerdotio, sed tantum opibus.

Presbyteros autem in quacunque Ecclesia vult esse pares Episcopis suis, excepta dignitate & concesso ordinandi jure. Idem in Epistolæ ad *Titum* cap. 1. *Hæc*, inquit, *propterea, ut ostenderemus apud Veteres eosdem fuisse Presbyteros ques & Episcopos: paulatim ut dissensionum plantationes evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sciant ergo Presbyteri se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos. Ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispensationis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*, &c. Quid his verbis sibi velit *Hieronymus*, judicent alii. Ipse adeo non interpono meum judicium, ut hunc locum in antidoto coner excusare, id quod accuratius etiam facio in Editione posteriore. Sed talia non suppeditarunt pharmacologi, magno *Pii* dedecore.

3 Quid commisi, si ex occasione Scripturæ divinæ admoneo Episcopos, ut, dum honorem exigunt affatim a suis, vicissim meminerint quid debeant gregi Dominico.

4 Citant & illud, *Ubi receptum est, ut Episcopi ditionem profanam gerant?* Addita nota percontationis reddiderunt absolutam sententiam, quasi senserim nusquam esse receptum, cum nusquam fere non sit receptissimum, in *Gallia*, in utraque *Germania*, in *Italia*, in *Hispania*. Ipsa rei absurditas poterat hominem admonere, me non hoc sensisse. Locum nondum reperi, sed conjicio me scripsisse, *Ubi receptum est*, &c. *curandum ut sint docti piique pastores*, aut simile quippiam. Male sit iftis ebriis suggestoribus, qui nobis tantum facessunt negotii. Et tamen hoc errore deceptus miserandus ille senex furit in me vociferans, *O vocem pestiferam, seditiosam, blasphemam, plenam scandali & tumultus*, &c. Parco defuncto, libenter in totum excusaturus si queam, sed non erat viri prudentis, cacatis schedis fratrum ac famulorum, tam virulenter in proximum debacchari. Qua fronte quærerem ubi sit receptum, cum nusquam fere non sit receptum? Et hic scilicet disputat adversus *Erasmum* quasi sentiat non convenire Sacerdotibus aut Monachis, ut habeant possessiones. Aliud est habere possessiones, aliud profanas ditiones, quas nunc habent etiam Abbates & Canonici. Si viveret *Pius*, deplorarem illius infelicitatem, nunc precor ut Dominus illi suam impartiat misericordiam.

Furit sine causa.

5 De sepultura propemodum convenit inter *Albertum* & me. Nollet cadavera sepeliri intra templi parietes. Nunc in quibusdam civitatibus vix ullus est dies, quin in templo sit funus. Putat congruentius, si Sacerdotes nihil acciperent pro sepultura. Quod autem ait, nemini jus esse sepeliendi quemquam in alieno, proferens nobis exemplum *Abrahæ*, qui locum emit sepulchro. Respondeo, cœmiteria esse publica destinata sepeliendis mortuis, quemadmodum templa patent omnibus ad orandum. Nihil igitur huc pertinet exemplum *Abrahæ*.

6 Sextus locus est in Annotationibus super Epistolæ 1. ad *Timotheum* cap. v. Verba mea sic habent: *Annotandus hic locus his, qui tantis clamoribus, tantaque tyrannide, decimas & plusquam decimas extorquent a pauperrimis quoque laicis, nec intelligunt legem vetare*, ne quis obliget os bovi, *sed* trituranti, *hoc est, docenti, monenti, exhortanti, sacrificanti, ac cæteris sacerdotalibus officiis fungenti. Quid autem hoc ad istos quosdam, qui non solum in otio, sed Sardanapalicis deliciis vitam omnem transigunt? Quanquam aliud est laborare ore non infrenato, aliud explere scrinia sanguine pauperum.* Hic *Pius* sic mecum agit quasi doceam decimas non esse dandas Sacerdotibus, & in hunc campum exspatiatur, veluti mecum dimicans, cum dimicet cum umbra. Admoneo quosdam Sacerdotes, qui nimis violenti rigidique sunt in exigendis decimis, ne his quidem contenti, nec sinunt hac in parte laicorum quietas esse conscientias, exigentes & annui quæstus decimas, qui frequenter incertus est. Id potissimum fit apud *Anglos*. Deinde qui miseros spoliant, quibus oportebat pastorem de suis facultatibus opitulari. Ad hæc qui ex decimis alunt libidinem ac luxum suum. Postremo qui nusquam meminerunt officii sui, nec docent, nec admonent, nec consolantur, nec tuentur, nec prælucent gregi suo. Eam annotationem hac clausula finio: *Atque hæc dixerim, non quo laici segniores sint ad beneficentiam erga Sacerdotes suos, quibus si boni sunt nulla par gratia rependi potest, sed ut nos vicissim nostri meminerimus officii.* Quod hic verbum est, quod negat Sacerdotibus deberi decimas?

Refertur hoc, nec indicatur locus, est autem in 7
prioris ad *Corinth.* cap. IX. *At hodie quantum est onus ferre quosdam tyrannos verius quam Episcopos, quorum ut quisque maximus est, ita populo gravissimus imminet*, &c. quosdam noto, non omnes.

Refertur & illud ex Annotationibus in Epistolæ ad 8
Corinth. II. cap. VI. *Illud annotandum, quo se demittat tantus Apostolus, etiam apud illos qui peccaverant, cum nunc longe dissimiles huic, miro supercilio nil nisi mandata, excommunicationes, & anathemata crepent*, &c. Non damno auctoritatem Episcoporum in protervos & intractabiles, sed eos qui nihil aliud crepant, nec bene docentes, nec bene viventes, nec paterne monentes. Talium heu nimium magna turba est.

Citatur & illud ex Annotationibus in posterioris ad 9
Timotheum cap. IV. *O supellectilem Apostolicam, penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot haud dubie sacros. Nunc quantum caballorum, quantum bombardarum, quantum aliarum rerum, quas referre non libet?* &c. Ut *Erasmus* hæc taceat, tamen ad quorumdam immodicum luxum fastumque jam olim suspirat orbis.

Decimus locus est in *Matth.* cap. XVII. ubi excutio 10
commentum *Hieronymi*, & commode interpretor non contra Clericos, sed pro Clericis. Legat locum cui libet, & ita comperiet.

Adfert ex Annotationibus in *Petri* prioris cap. V. Præ- 11
ceptum Apostolorum principis in omnibus omnium Episcoporum aulis vel aureis litteris oportebat inscribi. *Pascite*, inquit, *gregem, non opprimite, non expilate, idque non coacte, velut ex officio, sed ex sincero affectu, tanquam patres, neque turpis lucri gratia, quasi præsentiens Ecclesia pestem hinc orituram, denique non dominantes more Regum, sed exemplo pascite, benefactis vincite.* Quid hic offendit *Pium*? Nil opinor. Sed durum est quod sequitur: *Nunc Episcoporum vulgus nihil audit ab assentatoribus doctis, nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atque hinc fastus quorumdam plusquam regius, sævitia plusquam tyrannica*, &c. In priore parte non Episcopos noto, sed doctos adulatores, cujusmodi sunt nonnulli juris Pontificii consulti. In altera, quorumdam fastum taxo, at non omnium.

Quod adfertur ex Colloquio Ianii & salsamentarii, 12
secum habet pharmacum. Subditur enim: *Debetur Episcopis suus honos, quis negat? præsertim si agant quod dicuntur: sed impium est honores soli Deo debitos homini tribuere.* Hoc ad Pontifices non pertinet, sed ad populum adulantem.

Decimus tertius locus est indignus qui recitetur. Est 13
autem in Annotationibus super Epistolæ ad *Titum* cap. primum. Quid hic offendit *Pium*? Quod admoneo Episcopos officii sui? Sed dicit, *Nimium sæpe id facis.* Sed sæpius occasionem præbent sacræ Litteræ. Nimium acriter. Acriora scribit *Hieronymus* in Virgines, Monachos, Clericos, & Episcopos. Atrociora recitantur

Digitized by Google

in Decretis Pontificum in Episcopos tyrannos, avaros, simoniacos, &c. *Sed quia neminem nominas*, inquit, *gravius offendis totum ordinem.* Aliam regulam præscribit *Hieronymus*, Generalis sermo ad nullius contumeliam pertinet. Qui dicit quidam, excludit reliquos. *Sed qui dicit vulgus*, inquit, *sentit plerosque.* Utinam liceret quamplurimos excipere. Qui citra nomenclaturam notat vitia, malos admonet, bonos commendat. Sed *Hieronymus* veretur quicquam dicere in Clericos aut Episcopos. Schema est, cum eos multis in locis libere acerbeque taxet. *Paulus*, inquit, *non vult facile recipi accusationem adversum seniorem.* Ego neminem in jus voco. Sed idem monet, *Seniorem coram omnibus argue.* Nec attingo nisi nota vulgo. Si libido detrahendi me teneret, *Pius* novit quæ prædicare possim de quibusdam præsertim *Romanis.* Nec concionor apud populum, sed scribo litteratis, scribo futuris Sacerdotibus & Episcopis. Prolixam disputationem, in qua suo more assumit palam falsa, me detrahere Sacerdotum ordini, me spoliare eos decimis, me velle eos esse obnoxios tributis Principum, hinc non persequar.

PRIMATUS PETRI.

ORditur hîc materiam pene inexplicabilem & infinitos habentem sinus, nec usquam vehementius rapitur suo ἐνθουσιασμῷ, quam ubi agitur de majestate Pontificis, quod argumentum si voluisset exacte tractare, debebat refellere rationes illorum, qui libris editis ex professo disputant, atque adeo pronunciant, non tantum adversus mores Pontificum *Romanorum*, sed etiam adversus ipsam potestatem, quam ex Evangelii litteris sibi usurpant. Debebat exponere quid sint claves illæ, quas *Christus Petro* promittit, quid sit regnum cœlorum, quod crebro ponitur pro Ecclesia militante, aut prædicatione Evangelii. Nunc quædam ex meis frustula truncatim decerpit, eaque perversa interpretatione exaggerat. Hinc conviciis laxat frena, cum toties appellem Pontificem Ecclesiæ principem, *Christi* summum vicarium, ea potestate præditum, qua nulla in terris major, interdum illa quoque excusans quæ Pontificis nomine fiunt, vel inscii, vel inviti. Si quid per occasionem Scripturarum admoneo, non pertinet ad legitimam potestatem, sed ad potestatis abusum, quem ipsum magis imputandum reor iis, qui sub titulo Pontificis suum agunt negotium, quam ipsi Pontifici. Aut in hoc annoto locum, ut Lector diligentius inspiciat. Nam de potestate Pontificis & horum locorum interpretatione non solum inter se variant Doctores, verum etiam ipsi a seipsis dissentiunt, interdum & pugnantia loquuntur. Quamobrem cum toties ad hujusmodi calumnias responderim, non est animus denuo ad tam loquaces nænias respondere. De conviciis, quæ hîc affatim in me congerit, sive *Pius*, sive quisquis est alius, precor ut illi Dominus condonet tam effrenem maledicentiam. Siquidem præ impotentia animi septa transiliens, exaggerat sæviş verbis, quod in *Methodo* scripserim *Christum Proteum*, & *Paulum Chamæleontem quemdam*, cum utrumque dictum sit sensu summopere pio. Nec illi suffecit vocem hanc *quemdam* additam esse, qua significavi sermonis tropum, nec, *ut ita loquar*, quibus verbis mitigo verborum invidiam. *Tu tamen*, inquit, *ea tam callide disponis, ut videri velis illa omnia ad* Christi *gloriam contexere.* Dic mihi quisquis es infelix sycophanta, an tibi videor illa in *Christi* infamiam contexere? Hoc animo si sum aut unquam fui, hodie me perdat Dominus *Jesus*, & ad inferos detrudat, qui novit hominum corda.

Si tam inviderem *Romano* Pontifici, quam me fingit iste, nec ingenium, nec oratio, nec materia deesset. Sed absit ut detraham quem ut vicarium *Christi* veneror, absit ut his temporibus exulceratissimis oleum addam camino, licet huc odiose provocet *Pius.*

In hac disputatione multa sunt frivola, quæ vix absque risu legere potui, quædam probe dicta. Quod genus illud: admonet nos, ut ante omnia scriptoris sententiam discussuri dispiciamus quid illic agat auctor, quid moliatur, quid sibi velit, disputet an definiat, cum adversario pugnet an doceat, &c. Verum hoc quomodo possunt, qui ex schedis miseris instituunt disputationem?

Addit quod *Hieronymus* locis compluribus secum ipse pugnat, idque non solum disputans, verum etiam docens. Recte *Pius.* Cæterum hoc a me dictum aliquanto modestius, videbatur illi gravis blasphemia, mihique conspuit os: *Tu ne hæc in* Hieronymum, *indignus qui illi porrigas mutulam?*

Tantum dixeram illum alicubi parum sibi constare. Nunc quoniam *Pius* aliquantulum gravabatur auctoritate *Hieronymi*, placuit adagium, responsionis ad hominem, non ad rem.

Sic colligit, *Si* Petrus *gerit typum Ecclesiæ, cuivis Christiano traditæ sunt claves.* Dixi universæ Ecclesiæ traditas, hoc est, columbæ, quod Theologi non negant, nec ob id adimo Pontifici suam externam jurisdictionem.

Objurgat me quod citarim verba *Origenis*, nec mihi credit. Atqui cum indicarim Homiliæ numerum, cur piguit inspicere locum? Nam illic *Origenes* palam interpretatur laudatam *Petri* fidem, & traditas claves ad singulos pios pertinere. Quod tamen a me nusquam probatum est.

Si uni Pontifici totus orbis debet cedere, quod docet *Pius*, quid opus est Conciliis particularibus & universalibus? exstincto Pontifice, quid tum est Ecclesia? Respondet *Pius*, nil nisi truncum cadaver, cum juncta sit vivo & immortali capiti *Christo.*

Negat casum quem quidam posuit, eventurum ut Pontifex universos deduceret ad inferos. Et tamen is qui ponit, fatetur fieri posse, ut Pontifex sit hypocrita, hæreticus, impius, & tyrannus. *Sed si id eveniret*, inquit, *tum* Christus *vel illum e medio tolleret, vel gregi commonstraret remedia.* Quomodo tolleret? Fulmine? Jam olim desierunt miracula. Per Turcam, aut Principes? impium est. Per schismaticos, quod nunc ex parte videmus factum? magis impium. Verum id ne fiat, magna ex parte situm est in ipsis Pontificibus, quos admonere, juvare est. Nec mihi tamen probati sunt, qui ob mores impios adimunt Episcopis legitimam auctoritatem. Quanquam Pontifex *Romanus* erat qui scripsit, *Cujus vita despicitur, restat ut & ejus doctrina contemnatur.*

Illud festivum, quod ut doceat dominii potestatisque nomina competere in Pontifices, profert illud: *Vos me vocatis Magister & Domine.* Et, *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Cur ex *Hieronymo* citatur in Decretis relatum, sciant se esse patres, non dominos? Tandem docet quomodo sit accipienda domini, patris, & magistri appellatio, sed quod docet, multo ante illum docui. Cum dominium voco, tyrannicum intelligo: cum potestatem, violentam intelligo: cum patrem, totam fiduciam in eo collocatam intelligo: cum magistrum, fastum & arrogantiam intelligo. Hæc si legisset *Pius*, non tot verba incassum effudisset. Aliud est honoris gratia tribuere domini nomen, aliud est appetere tyrannicam dominationem. Quid autem est aliud quam tyrannis, potestas immodice usurpata, præter illas dotes quibus oportet ornatum esse Pontificem? De nullo Pontifice pronuncio, sed quid de quibusdam totus orbis ac *Roma* prædicarit, clarius est quam ut sit referendum. Fateor non esse temere judicandum de Præsulibus, sed utinam nihil ab eis fiat quod excusari non possit.

An protinus evertit *Petri* cathedræ auctoritatem, qui deplorat aliquando existere Pontifices, qui sub umbra religionis tyrannidem exercent? *Erasmus* nusquam dixit, ὁ φιλαίτιος, Ecclesiasticam potestatem esse tyrannidem, sed tales exoriri nonnunquam *Romanos* Pontifices. Quod utinam accidat rarius. *Lutherus* longe alia prædicat de Pontifice *Romano*, & infinitis partibus atrociora, sed ea non legit *Pius*, & commodius simul ac tutius putat cum *Erasmo* jurgari. *Parcat*, inquit, *tibi summus Deus* Erasme. Imo parcat summus Deus Pontificibus, qui tanto scandalo sunt interdum Ecclesiæ *Christi.*

Nihil indignor urbi, nec ibi quicquam venatus sum, imo illa me complexa est humanius quam pro meritis meis.

Digitized by Google

meis. Sed urget me, num quando viderim *Romæ* quemquam piratam factum Episcopum? Omitto quid viderim, audeat ipse negare nonnunquam ad summas dignitates evehi, si non piratas, certe homicidas, veneficos, simoniacos, ac vitiis aliis non hîc referendis obnoxios. Exponat nobis quid est quod stomachatur *Hieronymus* a gregibus exoletorum admitti ad Episcopi dignitatem.

Illud leviculum, quod hac disputatione *Pius* neophytum accipit pro juvene, cum sit nuper renatus baptismo, quamlibet senex. Jam quid habet impietatis ille locus, quem citat & repetit ex *Ichthyophagia*? *An* Clemens *impie faceret, si* Bohemis, Moschobitis, Rutenis, *& aliis quadam ob Ecclesiæ concordiam nonnihil de suo jure concedens remitteret? Hoc est, sineret* Bohemos *sub utraque specie sumere Eucharistiam, remitteret aliquid de ratione præteritorum Ecclesiæ fructuum, non exigeret ad assem annatas?* Hæc exempli causa proposuerim. Et hæc *Pius* existimat scripta adversus *Romani* Pontificis auctoritatem, nec putat quicquam atrocius dici posse in Pontificem. Infelix hominis judicium! De *annatis* nihil dicam, omnes sciunt quomodo natæ sint, & quibus conditionibus admissæ. Pecuniæ sunt pecuniæ, utinam transeant in pios usus. Bene facit quod hæc stomachatur in *Erasmum*, si simili modo debaccharetur in alios quosdam, excitasset egregiam Camarinam.

Verum non queo conjectare quid his argumentis moliatur *Pius*. Si conatur asserere Pontificis auctoritatem, hoc jam olim ab aliis multo doctius factum est quam hic facit. Sin refellere *Germaniæ* sectas, illorum scripturæ & rationes erant bona fide recitandæ, bonisque nervis refellendæ. Sin glorioſum putavit rixari cum *Erasmo*, legisse debuit, quid alii objecerint, quid ego responderim, atque ita cominus congredi. Nunc neque prodest Ecclesiæ, neque justo Marte mecum congreditur, sed aliorum sycophantarum nænias postrema recinit Echo. Sin illud conatur persuadere, *Erasmum* male sentire de potestate *Romani* Pontificis, cum id sit falsissimum, præstabat excerpere loca, in quibus magnifice prædico de illo, & adversus hostes tueor, quam excorpere verbula, quæ malitiosa interpretatione detorqueantur in contrariam partem. Nam sunt fortasse qui nonnihil tribuant *Erasmo*. Quis autem non perspiciat, quid sibi velint, qui tanto zelo digladiantur pro externa Pontificis majestate, internam ambagibus quibusdam conantur excludere. *Olim*, inquit, *id faciebat Christus*, sed non est necesse omnia, quæ *Christus* docuit, fecit, aut probavit, imitari: quo de genere sunt, paupertas, mansuetudo, doctrina, recusatum hujus mundi regnum. Consilia ait pertinere tantum ad Monachos professos, summam potestatem ab ipso fonte *Christo* proprie traditam *Romano* Pontifici, licet Apostolis dictum sit, *Accipite Spiritum Sanctum*, licet *Paulus* se prædicet Apostolum non ab homine, neque per hominem: eoque neque posse destitui nisi a *Christo*, ne objurgari quidem nisi a maximis principibus. Omnes Episcopos & Reges esse illius oves. Hæc in immensum exaggerare, magis lædit *Romani* Pontificis auctoritatem quam confirmat.

Constitutiones Humanæ.

AD hujusmodi querimonias jam plus decies respondi. Difficillimum autem est ad fragmenta undique frustulatim decerpta respondere, præsertim detorta, nec indicatis locis. Quod si talibus frustulis urgeor, plura sunt loca, quæ dilucide commonstrant me plurimum tribuere constitutionibus, præsertim sanctorum Patrum auctoritate inductis, & publico Christiani gregis consensu comprobatis. Si quid per occasionem dicitur in scriptis meis, non dicitur nisi in quasdam particulares Abbatum, Episcoporum, aut Pontificum constitutiones, vel quod iniquæ sint, vel quod ad quæstum & tyrannidem detorqueantur, si bonæ sunt. Id cum innumeris locis clamem inculcemque, tamen *Pius* ad omnia surdus jaculatur in me ceu lapillos decerpta frustula, nec id bona fide, nec sine conviciis, quibus jam pridem aures mihi occalluerunt

A

B

C

D

E

F

Primum quod citat ex *Methodo*, calumnioſe & impudenter citat hunc in modum: *Constituta in Ecclesia ejusmodi videri possunt, ut certe hæc pure constituta sit integritas Christianæ Religionis.* A me sic scriptum est: *At quædam videri possunt hujusmodi, ut citra hæc pulchre constatura sit integritas Christianæ Religionis.*. Nonne bella citatio? Nec ibi loquor de constitutionibus Ecclesiasticis, sed de quibusdam dogmatibus Scholasticorum. Post disputationem enim de legibus, sic ordior: *Neque secus sentiendum de dogmatibus Scholasticis.* Nec causari potest sermonis mei obscuritatem. Mox enim subjicio exemplum de confessione sacramentali, quam præcipit Ecclesia, saltem semel in anno: *Dogmata Scholastica cogunt nos profiteri eam esse institutam a* Christo, *ut nunc habetur.* Rursus nihil hîc assevero, sed ajo *videri possunt.* Eat nunc *Pius*, & gladium per aërem ventilet. Scio illum deceptum scheda famulorum, verum hæc excusatio tali viro indigna est, præsertim tam atrociter imperanti. 1 *Depravate citat, & nihil ad rem.*

Secundo loco quid aliud doceo quam hîc nos docet *Pius*? Pro ratione temporum esse quædam instituta, quæ in lactente Ecclesia non erant præscripta, veluti de delectu ciborum. 2

In *Pietate puerili*, puer loquitur, non *Erasmus*. Sed quid mali dicit? *Neque vero protinus arbitror esse piaculum, quod admittitur adversus constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imo vix arbitror crimen capitale, cui non sit adjuncta malitia, hoc est, perversa voluntas*, &c. Quando mihi res est cum homine Latino, quid aliud loquuntur hæc pueri verba, nisi non quamvis hominum constitutionem obligare ad atrox crimen? Hoc enim appellat *piaculum*, & id significat adverbium *protinus*, quod excludit proloquium universale. Sequitur *Imo*, corrigentis vox, ut intelligas plus esse *piaculum*, quam *crimen capitale.* Sentit autem homicidium, aut incestum posse accidere sine crimine, si absit malitiosa voluntas. 3

Quartum rursum mendose refertur ex *Methodo*, *Ubi friget charitas, nulla quamlibet multæ leges sufficiunt: ubi fervet, nulla opus est lege.* De lege cogente loquor, qua quid opus, ubi charitas plus ultro facit, quam humana lex auderet exigere? Hic clamat: *Ubi non servantur leges, ibi non est charitas.* Quis dixit a perfectis non esse servandas leges? ajo illis non esse opus. 4

In *Convivio religioso*, qui divinat allegoriam nihil asseverat. *Rex*, inquit, *intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus solo divini Spiritus impetu ducitur. Porro qui sit hujusmodi, hunc non convenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo Domino, cujus Spiritu agitur, relinquendus est.* Scio quid judicetur de spiritualibus, quorum affectum tamen *Gerson* non vult contemni. Omitto quæ *Paulus* scribit, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et, *Spiritualis omnia dijudicat, & a nemine dijudicatur*, aliaque similia. An non olim qui in cœnobio diu confirmatæ pietatis speciem de se dedissent, suo arbitrio relinquebantur secedentes? 5

Rursus ex *Methodo* assuitur tessella, sed depravata, operarum vitio, sed magno *Pii* dedecore: *Non probo quod humanis constitutionibus tota pene humana vita onerator, & quod his nimium tribuitur, pietati minimum, quod his freti simplices studium veræ Religionis negligunt*, &c. Quid hîc impie dictum? In priore parte taxo immodicas hominum constitutiones, in posteriore reprehendo quod multo plus tribuitur ceremoniis quam studio veræ pietatis. 6 *Depravate citat.*

Decerpitur ex *Supputationibus*, nec dignantur indicare locum, nec dubito quin depravate referant. Proinde non est quod respondeam. 7

Profertur ex Epistola ad Abbatem *Volzium: Noli contaminare cœlestem illam disciplinam* Christi *humanis decretis.* Quidni hîc vociferetur *Pius*, ô blasphemas voces? At qui locum inspexerit, videbit pie dictum. Distinguo illic ordines legum. Primum tribuo litteris Evangelicis, quæ nihil habent nisi quod sapiat cœlestem spiritum. Summam illam auctoritatem nolo contaminari legibus humanis, hoc est, ut idem valeant, quanquam & illis suam tribuo auctoritatem. Piget referre 8

Digitized by Google

ferre cætera fruſtulatim congeſta, præſertim cum nihil illic ſit, ad quod non crebro reſponderim.

9 In caput *Matthæi* undecimum, unde detorquet quædam defracta ad calumniam, quanquam nihil impium ſenſi, mallem me circumſpectius fuiſſe loquutum. Sed tum aliorum animos ex meo metiens, non potui divinare tales exoritutos, quales hiſce videmus temporibus. Utinam Pontifices & Epiſcopi ſervarent tam multas veterum Patrum conſtitutiones, quæ exſtant in Decretis ac Decretalibus, quæ nunc velut abrogatæ ne in mentem quidem veniunt cuiquam.

VOTA.

1 EX libro *de matrimonio Chriſtiano* profertur hoc: *Profuerit admonere Chriſtianos omnes, ut a votis non neceſſariis, aut etiam inutilibus abſtineant. Si cui cordi eſt* Hieroſolymam *aut* Compoſtellam *viſere, morem gerat animo ſuo, votum interponere non eſt neceſſe*, &c. Cum mundus plenus ſit ſuperſtitione ſimilium votorum, atque hinc ſimplicium conſcientiæ turbentur, & quorundam accreſcat quæſtus, quid mali ſit ſi admoneantur Chriſtiani?

Quærit a me *Pius*, quod ſit votum non neceſſarium aut inutile. Atqui inibi pono exemplum. Ire *Hieroſolymam* nulli neceſſe eſt qui non vovit, cum poſſit *Chriſti* veſtigia melius in Evangelicis litteris viſere. Eſt etiam inutile, ſi domi relinquit uxorem & liberos, quibus ipſo præſente eſt opus, nec fortaſſis inutile tantum, verum & pernicioſum.

2. Quod dixi de votis *Judæorum* nemo negat eſſe verum, & tamen hinc multi ſumunt argumentum.

3 Sequitur de votis vulgaribus, quæ mea ſententia non ſuſcipere tutiſſimum eſt, aut temere ſuſcepta pro nullis haberi. Rogabit hîc rurſus me, quæ ſint temere ſuſcepta. Reſpondeo, omnia non neceſſaria, omnia inutilia temere ſuſcipi, multo magis inutilia & pernicioſa. Temere ſuſcipiuntur & illa, quæ leviter & inter pocula, quæ metu, quæ ſuperſtitione ſuſcipiuntur. Quot adoleſcentes, quot mulieres ex voto currunt *Romam*, quotuſquiſque aut quotaquæque non rediit deterior. Et tamen hæc dicuntur vota. Verum de hoc votorum genere non admodum contendit *Pius*.

VOTUM CONTINENTIÆ.

4 ADfert & hoc fragmentum: *Plurimum conduceret ad expediendam cauſam matrimonii, ſi ſtatuerit Eccleſia votum caſtitatis irritum eſſe, niſi cum auctoritate Præſulis ſuſcipiatur, quem oportet in hac re eſſe difficillimum*, &c. Quid hîc aliud agitur quam ne conjugati voveant continentiam ſine auctoritate Præſulis, quem in ſuſcipiendis talibus votis nolo eſſe facilem. Et tamen addo, *ſi ſtatuerit Eccleſia*. Hoc certe poteſt Eccleſia. An non idem ſentiunt Theologi *Pariſienſes*, vel ob ætatem ſuſpectam, vel ob hominum imbecillitatem?

5 Sequitur: *Deinde inter votum ſimplex & ſolenne non eſſet tantum diſcrimen, ut alterum ſi præcedat, faciat dimidiatum conjugium; alterum etiam ſi ſequatur, ſolvat ratum matrimonium, ſed utrumque pari pœna dignum eſſet.* Adde hîc quod præceſſit, *ſi ſtatuerit Eccleſia*. Id ſi non poteſt Eccleſia, de hoc diſputandum erat *Pio*. Ego puto poſſe, non aſſevero. *Sed jam*, inquit, *ſecus ſtatuit*. Scio, ſed Eccleſia multa ſtatuit, præſertim circa matrimonium, quæ poſt pro temporum ratione mutavit.

6 Sequitur illud: *Præterea contemplandum, quæ nunc ſit diſciplina in pleriſque Monaſteriis tum virorum, tum virginum, quantaque paucitas vere monaſtice viventium.* Miror cur hanc Camarinam moverit *Pius*, melius quieturam.

7 *Ad hæc, audio quoſdam ita loquentes, nec patrum, nec maritorum auctoritas obſiſtere poteſt ei, qui afflatu Sancti Spiritus totum ſe dedicavit Deo. Quid igitur in baptiſmo eſt actum? An dimidium hominis dedicatum eſt Deo, dimidium Diabolo? Nam ſi afflamur divino Spiritu, nullus deberet obſiſtere. Atqui palam eſt quod multos afflavit ſpiritus ſtultitiæ, temeritatis, phreneſeos, ambitionis, avaritiæ, libidinis, & luxus. Certe eos, qui clam aut invitis parentibus, quibus lex divina jubet obediri, dedunt ſe in id vitæ genus, unde non queant ſemet in poſterum extricare, veriſimilius eſt malo afflari Spiritu.* Quid in his damnat *Pius*? Negat multos eſſe qui afflati ſpiritu ſtultitiæ, &c. conjiciunt ſeſe in Monaſteria? Non, opinor, eſt tam impudens. Sed impie dictum putat, eos malo afflari Spiritu, qui inſciis aut invitis parentibus dedunt ſeſe in Monaſterium. Hoc a me dictum non eſt, ſed *veriſimilius eſſe* multos ex his malo afflari Spiritu: præceſſit enim *multos*, unde hæ pendent particulæ. Filius adoleſcens nondum emancipatus, ſi bono ſpiritu afflaretur, ſaltem hoc honoris haberet parentibus Chriſtianis, ut aut cum illorum bona gratia fieret Monachus, aut exſpectaret tempus emancipationis, præſertim ſi parentes egeant illius obſequiis. Falſe igitur & calumnioſe colligit *Pius* in genere, eos qui peculiari modo ſe dedicent Deo, ſpiritu ſtultitiæ aut phreneſeos, aut afflatu Dæmonis huc adduci potius quam boni ſpiritus. Quod autem dixi vota temere ſuſcepta eſſe pro nullis ducenda, præterquam quod loquor de votis vulgaribus, non excludo Eccleſiæ auctoritatem. Hoc iſte detorquet ad vota ſolennia, excluſa Eccleſiæ auctoritate. Quid autem mali eſſet, ſi hoc quoque ſtatueret Eccleſia, ut filii vix puberes & nondum emancipati non profiterentur Monachiſmum ſine conſenſu, vel impetrato, vel ſaltem rogato, parentum? *Bedda* vult *Chriſium* matri debuiſſe obedientiam in negotio Evangelico, quod Pater illi delegarat, & nos quibuſvis adoleſcentulis aut puellis concedimus abdere ſeſe in Monaſterium inſciis & invitis parentibus, piis & Chriſtianis. Qui tam manifeſto falſa aſſumit, quid faciet verboſa diſputatione, ſibi fingens umbras quibuſcum pugnet? Quid eſt igitur quod ad multiloquam illius ac monachalem concionem reſpondeam, quæ tota putri nititur fundamento? Si ſuſcepit vota monaſtica defendenda, oportuit cum *Lutheri* argumentis congredi. Si mecum pugnat, debebat mea legere, & omnia refellere, quæ non probaret, non ex fruſtulis mala fide relatis ac ſiniſtra interpretatione depravatis fumos offundere Lectori.

Ut autem doceat matrimonium ratum cedere debere profeſſioni monaſticæ, adducit ſimile de traditione poſſeſſionis, aliaque frigida Monachorum commenta. Sed hæc eſt una peſtis Theologiæ, ex humanis legibus interpretari divinas. Nihil perit agro, ſi reſcindatur pactum etiam poſt traditam poſſeſſionem: ſed læditur ſponſa ſpoliata marito, cui ſe dicarat. *Poteſt*, inquit, *alteri nubere*. At non citra fabulas hominum, nec quivis placet ſponſus, is qui placuit adimitur.

Addit in contractu matrimonii tacite excipi caſum, quo ſe totum dedicaret Deo. Præſtaret hunc caſum exprimi, quando vulgus hoc mirificum dogma ignorat. Æquius fortaſſis erat iſtiuſmodi caſus ſubaudiri in profeſſione Monachiſmi, niſi parentibus fuerit opus meo ſubſidio, aut niſi aliquid melius oſtendat charitas.

Quantam vero feneſtram aperiunt, cum ajunt filios quamvis tenera ætate poſſe contrahere matrimonium invitis parentibus.

Plus, inquit, *debent filii Deo Patri ſpirituum, quam parentibus.* Fateor, ſed ille Pater ſpirituum juſſit ſimpliciter obediri parentibus, niſi a *Chriſto* revocent. Sed non eſt impietas non profiteri Monachiſmum, & poteſt filius eadem aut majora præſtare vivens apud parentes, quemadmodum olim faciebant ſacræ virgines, ac Monachi complures, ob hoc ipſum a laudatis viris laudatæ, quod a parentum contubernio non diſcederent.

Si qua, inquit, *parentes urgeat neceſſitas, permittitur ut filius exeat eiſque ſuppeditet.* Audio, ſed ægre, ſed cum cuculla, ſed onerato conſtitutionibus, ſed nihil habenti, & ab opere manuum vulgarique quæſtu ſemoto ob religionem.

Poſtremo an filius toto pectore ſe cupiat dedicare Deo, incertum eſt: illud certiſſimum eſt, Deum velle ut liberi obtemperent inſervjantque parentibus.

Nec multum ad rem faciunt quæ citant ex Epiſtola *Hieronymi*, quam adoleſcens ac pene puer ſcripſit rhetorico ſpiritu: multo minus illa, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et, *Veni ſeparare hominem ab homine*, &c. Et, *Sunt eunuchi qui ſe caſtrarunt*, &c. Chriſtianis omnibus tollenda

Digitized by Google

da crux est. Ea constat non Monachismi professione, sed mortificanda carne. Et Eunuchi propter regnum Dei possunt esse sine Monachismo.

Nec taxo Ecclesiam, quæ distinguit *votum solenne* & *simplex*, sed admoneo posse statui, ut non sit tantum discrimen. Nam ista verba, *votum solenne*, *votum simplex*, hominum verba sunt, non Scripturæ. Nec tamen *Pius* dissolvit nodos meos, nec mirum, quia non erant in schedis. *Votum*, inquit, *solenne suscipitur cum matura deliberatione*, *simplex non item*. Imo simplex sæpe suscipitur cum eadem deliberatione qua solenne, ut Fratrum qui dicuntur *Collationarii*. Votum simplex non parit tantum scandali, quia non fit coram multis testibus. Imo sæpe non est minus votum quam solenne. Et votum solenne quod vocant, fit in antro deserti Monasterii, nec temere modo plerunque, sed dolo malo suscipitur. Hæc aliaque multa erant *Pio* discutienda. Quod si cupiebat argumentum a Monacho quopiam suppeditatum litteris prodere, poterat id citra mei calumniam. Cætera non est operæpretium commemorare. Quid enim hoc ad fidem, si quis in colloquiis notat eos, qui putant se revalituros a morbo, si tegantur cuculla *Francisci*? Aut si quis dixit, se nolle cum Divis paciscí? Nullus enim cogitur vovere Divis. Aut si quis dicat, *Hierosolymis* nihil ostendi certi, cum multa incerta ostenderentur ætate *Hieronymi*.

Virginitas Et Coelibatus.

1 ADfertur ex *Methodo*: *Non omnes capiunt hoc verbum*, Christus *hoc selectis discipulis dixit*, *a quibus tamen non exegit ad quod invitavit*, &c.

Quærit a me *Pius*, unde mihi constet, quod non exegerit. Sequutus sum Veterum omnium interpretationem. Sed unde ipsi constat, quod exegerit? Quia servarunt? Unde id constat? Quia non legimus? Quid si hîc illis reginamus quod nobis solent occinere? *Non sequitur non esse factum*, *quia non est scriptum*. *Multa fecit* Jesus, &c. Sed donemus constare. Quid prohibet servari quod exactum non est, sed commendatum?

2 Citatur ex *Supputationibus*, nec indicatur locus: *Non satis intelligo quid sibi velit hoc* Augustini *votum*, *quo*, *si liceret*, *optavit*, *ut omnes caste viverent*, *nisi forte conjugatis non patet cœlum*, &c. Nihil hîc est pugnans cum fide catholica. Respondebo simul atque locum fuero nactus.

3 Indidem: *Probabile est*, *quod si* Hieronymus *novisset matrimonium unum esse de septem Ecclesiæ sacramentis*, *parcius extulisset virginitatem*, *reverentiusque fuisset loquutus de matrimonio*. Quid hîc offendit *Pium*? Quod suspicer *Hieronymum* non posuisse matrimonium inter sacræ rei signa? Quis sic insaniat? Sed suspicor illum non posuisse inter sacramenta proprie dicta Ecclesiæ. Nec hoc dico, quod *Augustinus* & *Hieronymus* vel damnarint matrimonium, vel anteposuerint virginitati. Quis tam impudens? Sed *Hieronymus* fervido quodam affectu sic interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis etiam viris videretur lædere matrimonium. Sit hoc vanum, si non in scriptis illius inveniuntur eadem verba, quæ sunt apud *Tertullianum* hoc nomine damnatum: *Quale bonum est*, *quod comparatione deterioris laudatur? Et si non tangere mulierem bonum est*, *malum est igitur tangere*. *Inter bonum & malum nihil medium*. Et hujus generis alia multa, quæ viri illius egregiis meritis, eruditioni singulari, & vitæ sanctimoniæ condonata sunt verius quam probata. Et tamen hæc in Scholiis excuso quantum possum, tantum abest ut exaggerem. Non igitur nego virginitatem Evangelicam dignam esse summis laudibus. Sed matrimonio quoque suum honorem servandum admoneo, non ob aliud, nisi ut qui in eo versantur, hoc sanctius & castius vivant, si noverint hoc vitæ genus multum habere dignitatis ac religionis.

4 Jam si *Augustinus* scripsit librum *de triplici bono conjugii*, ut mederetur locis in *Hieronymi* libris ad matrimonii contumeliam, certe in speciem spectantibus, num ideo sequitur, utrumque aut damnare virginitatem, aut eam præferre matrimonio? Quid opus erat hoc docere nos, quod uterque consentit in utroque, & matrimonium esse sanctum, & virginitatem esse præstantiorem?

In Præfatione ad Abbatem *Volzium* quid dico? *Jam vero quod ad castitatis votum attinet*, *non ausim explicare*, *quantulum interfit inter cœlibatum & castum matrimonium*.

Quid hîc musso, quod non ausim explicare? Inter matrimonium, quale ibi depingo, & inter cœlibatum vulgarem non tantum esse discriminis, quantum vulgo quidam videri volunt Monachi, qui se putant Angelos, cum conjugatos vix habeant pro Christianis. An non hoc satis dilucide? nec minus tamen vere. Conatur *Pius* nos docere, non protinus esse plus dignitatis in his quæ sunt sacramenta proprie dicta, quam in his quæ sacramenta non sunt. Nec hoc unquam a me somniatum est; sed hac certe parte præstabat matrimonium. Quod non tacuisset *Jovinianus*, si tum cognitum fuisset, matrimonium unum e septem esse. Quid hinc sequitur *Aristotelice*? Matrimonium simpliciter esse præstantius virginitate? Nequaquam, sed probabile esse nec *Hieronymum*, nec *Jovinianum* numerasse matrimonium inter sacramenta proprie dicta.

Cur igitur videtur hoc falso dictum, Deum aliqua ex parte habuisse plus honoris matrimonio quam virginitati, si voluit illud esse sacramentum, hanc noluit? At non consequitur ideo simpliciter esse præstantius.

Quin & illud verissimum est, Ecclesiam initio impendio favisse virginitati, ut pene obscurarit matrimonii dignitatem. Sit hoc falsum, nisi *Romani* Pontifices docuerunt coïtum non posse fieri sine peccato, & qui noctu cognovisset uxorem, abstinebat eo die ab ingressu templi. Reliqua prætermitto.

Jam cum *Paulus* admonet conjugatos, ut redeant in idipsum ne tentet eos Satanas, nonne quodammodo temperat immodicum castimoniæ studium? Nam hoc *Pius* impie dictum putat. Rogat qui submovissent Christianos a matrimonio, ni *Paulus* approbasset? Numero respondeo, hæretici prohibentes nubere. Sicuti recidissemus in Judaïsmum, nisi idem strenue reclamasset. Veniat nunc *Pius* cum suis detortis sequelis & jurgiis, nihil ad rem facientibus.

In priorem ad *Corinth.* Epistolam capite VII. ut dirimam controversiam, quæ est inter *Augustinum* & *Hieronymum*, admoneo in his verbis, *Bonum est mulierem non tangere*, *bonum* non accipi ut opponatur vitio, quod volebat *Hieronymus*, & assentitur hactenus *Augustinus*, sed pro commodo. Potest autem aliquid esse pro tempore incommodum, quod vitium non sit. Imo eadem res huic potest esse commoda, alteri incommoda. Quin eadem res eidem homini hodie potest esse commoda, quæ cras sit incommoda. Sed adjicio: *Ætate* Pauli, *cum inter innumeros Ethnicos essent perpauci Christiani*, *fortasse commodius erat abstinere a matrimonio: nunc mutatis sæculis*, *haud scio an magis expediat*, *sanctum connubium & immaculatum thorum sancte pureque colere etiam Sacerdotibus*, *si qui non continent*, *quando horum tam ingens ubique numerus est*, *rursus tanta raritas caste viventium*, & cætera. Non asservero, sed ajo *fortasse*. Non dico melius esse, hoc est, perfectius, sed *commodius*, hoc est, his temporibus expedientius.

At in vetere, inquit, *Lege abstinebant ab uxoribus triduum*, *operaturi sacris*. Quid hoc ad tot examina Sacerdotum ac Monachorum, qui nec docent, nec sacrificant, nec dant operam sacris Litteris, nec sobrie nec caste vivunt? At *Pius* arbitratur plures esse pudicos quam incontinentes. Det Dominus ut hîc mentiatur *Erasmus*. Hanc foveam non ingrediar altius, prudens Lector intelligit quid sileam.

Non asservero *Paulo* fuisse uxorem, sed recito quid Veteres de hac re senserint. Nec cito *Clementem* Martyrem, qui successit *Petro*, tantum dico *Clementem*. Dicas hominem calumniis natum. Futilis autem *Pii* ratio est, ideo *mulieris* vocabulum non posse intelligi de uxore, quod addatur *sororem*, cum *sorores* olim appellarint Christianas, quemadmodum *fratres* omnes Christianos. Quod autem dedecus fuisset, si Apostoli uxores suas jam caste viventes passi fuissent ministrare Evangelio?

Digitized by Google

In Epistola ad Episcopum *Basileensem*, non contendo cœlibatum Sacerdotum abrogandum, tantum dico quod fortasse sentiendum & de conjugio Sacerdotum. Quod si Ecclesia permittat incontinentibus conjugium, quid hoc ad *Pium*? Locus in prioris ad *Timoth.* capite III. nihil habet nisi deplorationem collapsæ sobrietatis in Monachis ac Sacerdotibus. Det Dominus omnes sic resipiscere, ut hæc omnia nobis frustra dicta sint.

Locum ex *Supputationibus* corrupte retulit, ut pleraque. *Gratia quidem*, inquam, *Dei præsto est omnibus ad consequendam salutem. An præsto sit in omnibus*, Bedda *viderit. Certe* Paulo *præsto non fuit, ter Dominum roganti. Pius* putat me loqui de *Pauli* incontinentia, cum existimem accipiendum de afflictionibus externis. *Bedda* putat continentiæ donum præsto futurum quicunque petierit. Hoc refello, non semper accipit qui petit. Nam *Paulo* negatum est quod petebat. Vide quid sit disputare ex fragmentis. Verum quod sequitur non ausim proferre. Est enim horrendum. Ad febricitantem scribens ita loquor: *Nescio qua fronte* Augustinus *continentiam extollat, cum ipse duas concubinas habuerit, & extollat virginitatem* Hieronymus, *quam tamen non servavit, ut ipse testatur ad* Pammachium. Verba mea sic habent: *Quo ore divus* Hieronymus *instituit virgines, qui ipse non fuit virgo? Qua fronte divus* Augustinus *docet alios continentiam, qui duas habuit concubinas?* An non hîc merito vapulat *Erasmus*? ô detestandum sacrilegium! Infamo tantos viros, idque falso crimine. Geminum malum. Non ego infamo, vir admirande, sed scheda fefellit te, ut in proximum deliranter stomacharere. Derideo illic stultam *Pantalabi* ratiocinationem, qui scripserat, Qui essent virginitatis *Christi* imitatores? Qui denique essent luxuriæ vituperatores, de Monachis loquens, quos omnes vult esse castos & puros, significans nullum fore libidinis vituperatorem, aut *Christi* virginis imitatorem, si non essent Monachi. Hanc collectionem derideo, demonstrans virginitatem posse prædicari & ab his qui non sunt virgines. Adduco *Hieronymum*, qui plura scripsit & de laude virginitatis, & de institutione virginum. Item *Augustinum*, qui virgo non fuit. Potuit igitur laudari virginitas & vituperari libido, quam ille vocat luxuriam, etiam ab his qui non erant nec Monachi, nec virgines. Miror autem quare schediastes ille non adjecerit, quod inibi continenter sequitur: *Qua fiducia* Petrus *hortatur ad puritatem, qui uxorem habuit? Qua auctoritate* Paulus *prædicat virginitatem, cui uxorem fuisse probabile est?* Quæ tandem hîc est infamia? Si infamo *Hieronymum* & *Augustinum*, multo sceleratius est quod infamo *Petrum* & *Paulum*. Sed hoc imputandum collectoribus, qui fragmentum ad calumniam suppeditarunt. Tantum de libello infamiæ, nunc de crimine falsi. Ait ea quæ objeci esse falsissima. Quanquam non objeci, sed commemoravi. De *Augustino* nullus potest inficiari: sed *Pius* excusat, quasi vero ego accusarim: excuso & ipse in Præfatione, quam præfixi Operibus *Augustini*. *Hieronymum* vult fuisse virginem, ac probabiliter tergiversatur, quasi modestiæ causa negarit se habere, quod habebat, & probari poterat commentum, nisi *Hieronymus* idem aliis locis fuisset testatus se lapsum in adolescentia. De *Petro* confessum est, quod uxorem habuerit, & probabile est ab usu conjugii abstinuisse post acceptum Spiritum Sanctum, sed ex consensu: alioqui si illa petisset debitum, non erat integrum *Petro* negare. De *Paulo* nihil assevero, tantum ajo probabile esse. Sed hîc *Pius* impingit in eumdem lapidem, in quem alios impegisse jam editis libellis ostendi, quos tamen *Pio* non libuit inspicere, cum libuerit omnia calumniari. Ad *Eustochium Hieronymus* scribit librum *de custodia virginitatis*. In eo sic loquitur: *Virginitatem non tantum efferimus, sed servamus*. Quid quæris, inquit *Pius*, majus ne testimonium aut expressius adferri potest? O miserandam deliriationem! Imo *Hieronymus* hoc tropo dixit *servamus*, quo *Virgilius* dixit, *atque solo proceras erigit alnos*. Qui servat non statim habet quod servat, ut pastor alieni gregis, aut depositarius. Quid gratiæ debetur istis, qui virum imaginibus ac litteris nobilem in hanc arenam, cui non erat idoneus, mendacibus schedis & futilibus argumentis protruserunt, ac denobilitatum involverunt cuculkæ. Κλύζει θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. *Oportuit*, inquit, *hæc consopiri*. Si voluissent esse consopita, ipsi non prodidissent editis libris. Quis autem nescit *Augustinum* habuisse concubinas ante baptismum?

Carpit non intellecta.

Impingit ad lapidem commonstratum.

Jam non arbitror necesse, ut ad omnes loquacissimæ disputationis partes respondeam, multo minus ad convicia & mendacia, quibus nimium, & frequenter, & libenter utitur, præsertim cum ad omnia fere jam toties responsum sit.

Calumniatur quod dixerim *Paulum* suadere viduis adolescentioribus ut nubant. *Non suadet*, inquit, *simpliciter, sed si non continent*. Nec ego dixi illum simpliciter suadere, alioqui suasisset omnibus. Ne Dominus quidem simpliciter dixit beatos Eunuchos, sed qui se castrassent propter regnum Dei. Regnum Dei interpretor Evangelii prædicationem. Neque enim cœlibatus, aut virginitas, per se virtus est, si non spectet ad *Christum*. Citius dixeris matrimonium per se bonum, quod ut ad naturæ propagationem est necessarium, ita in paradiso est ore Dei consecratum, & ore *Christi* confirmatum. Certe incontinenti cœlibatus bonum non est, non igitur simpliciter bonum. Quod enim simpliciter bonum est, semper & ubique bonum est. Ut non mœchari simpliciter bonum est, amare Deum simpliciter bonum est.

Si *Hieronymus*, qui conjugium dixit malum, excusatur, quod aliquot locis ingenue prædicat honorabile matrimonium, cur ego non excusor, qui nusquam dixi virginitatem malam, sed tot locis eam magnifice prædico?

Et si ideo videor infensus virginitati, quod aliquoties effero matrimonium, credamus omnes esse infensos matrimonio, qui impense laudant virginitatem. Imo quemadmodum Prisci prædicarunt virginitatem aut cœlibatum, ut in eo genere sanctius viveretur: ita ego prædico matrimonium, ut conjugati sciant quam religiosum institutum profiteantur, in quo peccare sit gravissimi criminis.

Impudentissime colligit, me sensisse, quod *Paulus* præcipiat, ut Episcopi habeant uxores, quia monuerit, ut Episcopus recte temperet uxorem & liberos. Nam fieri potuit, ut illam duxerit antequam fieret Episcopus, quæ Episcopo non adimitur præcepto. Quanquam Græci existimant permitti, ut Episcopo & multo magis Presbytero liceat uxorem ducere, sed unicam. Nec *Chrysostomus* periclitari dictus est mihi, quod sit anxius: sed si nullum fuisset periculum, non rejecisset illorum opinionem, qui putabant Episcopo permittendum habere plures uxores.

Jam quod fortiter negat ab exordio Christianæ Religionis unquam auditum quod Sacerdos duxerit uxorem: comperiet esse falsum, si quis legat omnia Diplomata *Romanorum* Pontificum, aut Summam *Antonini*. Verum hîc tergiversabitur. At quid dicit de Græcis? *Non receperunt*, inquit, *hanc legem*. Itaque nec divina lex est, si potuit rejici. Si est humana, potest tolli per Ecclesiam. Quin & *Germani* clamitant se nunquam unanimi consensu probasse hanc constitutionem, sed fuisse obtrusam reclamantibus. Sed ubi nunc est illud in Scholis πολυθρύλλητον, minime consequi non esse factum, quia non est scriptum. Denique quod nulla vetat lex, etiamsi factum non fuit, fieri potuit. Quanquam id quidem ad me nihil attinet. Postremo Dominus non simpliciter hortatur, ut quis relinquat patrem, matrem, aut uxorem, nisi obsistant Evangelio.

Milites, inquit, *vetantur in bellum uxores secum ducere*. Quid tum? Multo minus igitur licet Clericis ducere uxores. Si tropis urgemur, quivis Christianus miles est *Christi*, cujus sacramentis adstrictus est in baptismo, nulli igitur Christiano licet ducere uxorem. Cæsar vetuit ne milites haberent uxores in castris, at non vetuit, ne ducerent uxores. Postremo quid refert si non habeant uxores, si habeant concubinas?

Objicitur & illud *Roman.* XII. *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam*, &c. quasi hoc non sit omnibus Christianis dictum.

Sanctis,

Digitized by Google

Sancti, inquit, *Patres negant eos digne hostias offerre posse, qui operi serviunt conjugali*. Sit ita sane. Ne serviant igitur operi conjugali, dum operantur sacris. Aliud est servire operi conjugali, aliud habere conjugem. *Nemo*, inquit, *potest duobus Dominis servire*. Id cum de Mammona & Deo dictum sit, magis sequitur Sacerdotibus interdictas divitias quam uxores.

Si, inquit, *divinus Spiritus Ecclesiæ adspiraret, utique statueret quod suades*. Si Ecclesia potest mutare, quid peccat qui monet? Quod si semper exspectandus afflatus Spiritus, quorsum opus est Synodis? Hæc carptim perstringere visum est, ut ostenderem quam *Pius* hîc non versetur in sua arena, quamque præter causam tot B conviciis debacchetur in *Erasmum*.

MATRIMONIUM.

AD hanc calumniam cum accurate multis respondero, non est quod eadem hîc commemorando Lectorem obtundam. Qui volet, legat Annotationes in cap. in priorem ad *Corinth.* VII. Nam *Pius* mea aut non legit, aut certe non meminit.

Primum exprobrat inconstantiam, Theologo dedecorosam, quasi Rhetori sit decora. *Quid enim*, inquit, *in Doctore turpius, quam in docendo inconstantia? Quid magis ineptum, quam quod sese redarguat.* Ὦ δείνωσις. Sed ubi C hæc tam fœda inconstantia? Alicubi fateor me matrimonium ponere inter sacramenta proprie dicta, verum est. Alibi dico probabile, *Dionysium*, *Hieronymum* non idem sensisse. Quis non miretur hanc prodigiosam inconstantiam? Uter nostrum hîc ineptit?

Rejicit hoc argumentum: *Si ea ætate cognitum fuisset matrimonium fuisse unum e sacramentis proprie dictis*, Jovinianus *illius propugnator non siluisset. Jovinianus*, inquit, *vidit esse invalidum*. Facit ergo *Jovinianum* valde modestum, qui nullis argumentis uti voluerit, nisi solidis. Sed quomodo docet ratiocinationem esse elumbem, Matrimonium est sacramentum, virginitas non est, igitur præstantius. Imo nervosa est argumentatio, si dicas, ergo in hac parte præstantius. Quod si *Jovinianus* hoc argumento destitutus, ausus est matrimonium D æquare virginitati, quanto magis id fuisset ausus, adjutus argumento irrefutabili?

Objicit frequenter sanctiones Ecclesiæ, & Spiritum Sanctum, sed illa debebat solvere, quo pacto Ecclesia mutarit suas constitutiones etiam de matrimonio, quo sensu Jureconsulti doceant Pontificem habere jus interpretandi Scripturam divinam, arctandi, dilatandi? Ad hæc aliaque multa respondendum erat *Pio*. Quanquam ego nihil definio, tantum disputo. Calumniosa sunt illa verba Pii, *vis*, *& censes*, *& contendis*. In meis scriptis tale nihil reperitur.

Nolo Scripturam accommodari ad nostros mores, quod utinam nulli faciant Pontifices, sed si Scriptura regula est infallibilis, cur ea dilatatur & arctatur? Cur E non manet in suo vigore nativo? Cur Pontificum de matrimonio decreta secum pugnant? Sed præstat ista non refricare, decebat tamen *Pium* hæc dissolvere, virum undiquaque doctum, cui prodigiosum videtur quod *Erasmus* citet aliquid ex legibus Cæsaris, quasi non sit multo mirabilius quod *Pius* tractat divinas Litteras.

Sed non permittit hic nisi adulto, & qui parentum potestatem exierit, ducere uxorem, insciis aut invitis parentibus: isthuc ipsum est quod queror, puellas vix decem annos natas, arte lenarum, nubere puero quindecim annorum, & habetur pro legitimo matrimonio. Et in quibusdam regionibus non emancipantur, nisi post F annum vigesimum primum. Excipit *Pius* maturam integramque deliberationem. Non valet igitur matrimonium, quod ab ebriis inter pocula & amplexus per verba de futuro aut de præsenti contractum est. Quod si temulentia, si stimuli lenarum, si complexus ac præsens voluptas, aut amor puerilis, non sinit integram esse deliberationem, ubi est illud dogma de consensu & verbis de præsenti & futuro?

CONFESSIO.

HOc argumentum videtur tractare non serio, cum a nobis tot modis responsum sit multis: prius autem illa argumenta mea erant diluenda, mox quod asseverat confirmandum.

Olim fuisse publicam nemo negat. De secreta quando & per quos fuerit instituta ambigo. Cum autem dico secreta, loquor de hac, quæ nunc est in usu cum suis circumstantiis.

Nec damno Theologos omnes, sed indico quosdam in disputando commiscere publicam cum privata. Quod facit *Gratianus* in rhapsodia Decretorum. Ne id quidem falsum, interdum confessionem dici, ipsam expiationem præscriptam suscipere: sic confitebantur, & quicunque ambiebant baptismum. Quisquis enim petit ablui, fatetur se habere sordes.

Qui confitetur hanc confessionem a Spiritu Sancto institutam per Ecclesiam, non multum aberrat ab eo, quod Theologi jam olim diversis modis persuadere conantur, sed nec inter se consentientes in probationibus, nec citra sudorem.

Ait confessionem esse partem sacramenti. Sed nullum sacramentum potest institui ab hominibus. Assumit quod erat probandum, si quidem ageret cum dissentiente. Qui negant confessionem a *Christo* institutam, iidem negant esse partem sacramenti, sed potius sacramentale quiddam ad absolutionem conferens. Quod genus multa constituerunt homines circa materiam sacramentorum.

Non contendo, sed admoneo *Jacobum* loqui de mutuis offensis. Ejus interpretationis cito auctorem *Beddam*, qui fere sua hausit e commentariis Veterum, præsertim *Augustini*. Huic certe loco non multum fidunt Theologi, qui maxime satagunt in asserenda confessione.

Omitto quæ refert vulgata de leprosis, quibus dictum est, *Ostendite vos Sacerdoti*, deque clavibus, quibus fundamentis nec ipsi Theologi satis fidunt, si quando serio disputant.

Quod genus argumentationis sit nescio, cum ita colligit: *Cum pœnitentia sit sacramentum, idque ab Ecclesia decretum sit, igitur confessio est a* Christo *instituta*, *nec est Theologorum inventum*. Id enim non consequitur, nec a me dictum est. Fateor ab Ecclesia declaratum pœnitentiæ sacramentum, at id Theologorum fuisse commentum nunquam dixi. Ne confessionem quidem hanc dico a Theologis repertam, sed a Monachis arctatam.

Illud confirmandum erat, non posse remitti quæ nesciuntur singulatim & nominatim, cum remittantur ipsi confitenti ignorata, cum in baptismo remittantur omnia circa confessionem, cum homo possit inimico condonare & quæ novit, & quæ ignorat. Non dico argumentum esse malum, sed egere fulturis.

De Purgatorii pœnis relaxandis, optarem Pontificem multo plus posse quam quidam illi tribuunt. *Si*, quod ait *Pius*, *relaxat per modum suffragii, non potestate, falso narrant de Bullis, quibus præcipitur Angelis Dei*, &c.

Illud argumentum mihi visum est parum rhetoricum: *Christo tanquam homini data est omnis potestas in cœlo & in terra. Non igitur mirum, si Pontifici data est potestas demoliendi omnes inferorum portas*. Si solus Deus remittit peccata, *Christus* non remittit ut homo. Datam autem dicit, non quod antea *Christus* non habuerit, juxta hypostaseos unitatem, sed quod tunc mundo declaratum sit. Quemadmodum oramus Patrem, ut adveniat regnum illius. Hîc insigniter perfricta fronte dicit me in toto Colloquio *de confessione militari* deridere confessionem sacramentalem, cum illic derideatur stolidus miles inutiliter confitens.

Satius erat *Pium* hoc argumentum non attingere, quam dissimulatis tot objectionibus vulgaria quædam concionari. Si digna lectu attulisset, habuisset me, quem fingit adversarium, faventem.

FIDES ET OPERA.

VIde ut hîc sui similis, protinus insigni mendacio rem aggreditur, dicens me fidem omnem & auctoritatem operibus detrahere, quod ne *Lutherus* quidem facit. *Mendacium.*

Scripsit *Erasmus*: *Nemo* Christi *gratiæ particeps effici potest, nisi in ipso fiduciam habeat*. Ubi hoc scripsit? In

Digitized by Google

Annotationibus. Theologica vero citatio! Quî possim ad hoc respondere, qui nesciam qua dictum sit occasione?

Sed accipiamus *Christi* gratiam justificantem, dat ne *Christus* cuiquam hanc diffidenti? Et tamen *Pius* ait hoc quod scripsi esse falsissimum, profertur *Saulus* prostratus. Audio, sed erat ne justificatus antequam crederet? Quanquam ibi non loquebar de paucis exemplis, in quibus Deus singulari modo voluit ostendere potentiam suam, sed de generali justificatione. Nonne priusquam datur baptismus, exigitur fides? Verum in his quoque exemplis num data est gratia justificans sine fide? Imo *Paulus* legis peritus fidebat *Messiæ*, licet nondum agnosceret *Jesum*: non errabat in fiducia, sed in persona: per vocationem autem illam aucta est illi fides, ut gratiam Evangelicam consequeretur. Idem dicere possum de *Matthæo*, nam *Judæus* erat, deque cæteris Apostolis a *Christo* vocatis. Habebant fidem utcunque confusam ac generalem in *Christum*, hoc est, in *Messiam*: vocatione data est fides certior, per quam justificati sunt. Gentes autem, quæ vocatæ sunt ad Evangelium, per quid justificatæ sunt? nonne per fidem? Nam qui non crediderunt, perierunt. Familia Centurionis accepit Spiritum Sanctum ante baptismum. Nemo negat, sed num acceperunt diffidentes? Sed Deus jam ante baptismum purificaverat corda eorum. Et quoscunque vocavit *Christus*, aut habebant fidem generalem, aut eam largitus est. Nam hoc erat vocare, dare cor docile & obsequens. Ex his colligit nos debere semper studiosis operibus incumbere, etiamsi non simus in statu gratiæ, aut etiam fidei: quid hoc ad nos? Quanquam eamdem opinionem tueor in secundo *Hyperaspiste*, saltem ut probabilem. Nam a Theologis variè disputatur. Proinde quod hic calumniatur de gratia vocante sive præparante, sophisticum est. Etiamsi illam gratiam nihil aliud arbitror esse quam fidei rudimenta, hoc est, docilitatem ad fidei dogmata. Jam an gratia sit sine fide, fides sine gratia, nunc non excutio, cum ipsa fides sit gratia, hoc est, Dei donum.

2 In *Supputationibus* ajo, *Judæorum & Gentium ad baptisma venientium corda purificabat fides, utique sola.* Etiamsi dixissem, post baptismum nos justificari sola fide, poterat habere pium sensum: *solum* enim dicitur quod est præcipuum, & vox *sola* non excludit quæ suapte natura cohærent.

In adultis, inquit, *requiruntur opera.* Quis hoc negat? Sunt enim fructus fidei per charitatem operantis, eoque Dei sunt magis quam nostra: nam fides Dei donum est, & pro modo fidei abundant bona opera.

Jam an sincera fides consistat in pravis operibus, alii viderint. De tali fide nunquam sum loquutus: nec usquam legi illam dici sinceram, vividam, & perfectam, ut hic ait, sed mortuam appellat *Jacobus*. Quæ vero adfert ex *Paulo*, *Si linguis hominum loquar, & si fidem habuero*, &c. jam multis modis dissoluta sunt.

3 Adfertur ex Annotationibus, quod apud *Matthæum* judex profert opera charitatis, quæ tamen ipsi nesciebant se fecisse. Hîc verbose, sed parum subtiliter, non *Pius*, sed crassior aliquis declamat: *Quî fieri poterat ut pii nesciant per oblivionem se fecisse quæ fecerant?* solvit nodum: *sciebant*, inquit, *se fecisse, sed nesciebant se impendisse Christo.* Bella solutio! Quomodo erant pii, si non meminerant *Christum* dixisse, *quod uni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis?* Tolerabilius erat illos oblitos fuisse, quid ipsi fecissent, quam quid *Christus* docuisset. Quis autem est tam stupidus, ut non intelligat hunc *Christi* sermonem habere tropum? Qui erant a sinistris jactabant sua benefacta, ea *Christus* nesciebat. His qui ad dextram erant, *Christus* commemorat ipsorum benefacta, quæ ipsi nesciunt, subjiciens oculis & hypocritarum falsam justitiam, qua se venditant hominibus, & piorum modestiam, qui sua bona opera extenuant, ea *Christo* judicanda relinquentes. Audisti stolidam argumentationem, nunc audi pariter stolidam conclusionem: *Quæ induxisti*, inquit, *ut operibus auctoritatem detraheres, cum soli fidei omnem vim ad vitam æternam consequendam attribuis.* Hoc tam impudens mendacium repetit: *In sola,* *Mendacium.* inquit, *fide omnem fiduciam & dignitatem collocans, & ab operibus omnem necessitatem detrahens.* Satis erat improbum mendacium, etiamsi non addidisset *omnem*. Quisquis talia fuggessit *Pio*, dignus est qui fœnum edat. Imo non detraho quicquam operibus ex fide venientibus, sed admoneo quosdam, qui vestem cinericeam, nodosos cingulos, & calceos fenestratos vendunt aliis Christianis, pollicentes eis quod *Christus* promisit ipsi toto pectore fidentibus.

Sed in *Enchiridio* scripsi, quod Deus contemnat opera *Abrahæ*. Hîc ingreditur latissimum campum de laude bonorum operum, quasi nos damnemus bona opera. Nec tamen nos loquimur nisi de operibus *Mosaicis*, quibus similia sunt opera præscripta ab hominibus. Alioqui credere Deo, & amare Deum ac proximum, opera sunt. Et subvenire proximo opus est; at non *Mosaicum*. *Paulus* itaque disputans adversus Judaïcam fiduciam operum *Mosaicorum*, contemnit opera *Abrahæ*, non damnat: contemnit autem, hoc est, non vocat in rationem justificationis. Si mihi non facit gratiam illius verbi, *contemnit*, quo modo concessit *Hieronymo* quod matrimonium dixit malum ad collationem virginitatis. 4

Sed quoniam quisquis hæc fuggessit *Pio*, stolidus fuit & arrogans, non conabor illius insulsas nænias repetere. Quis dixit Dominum aversari opera piorum? Sed quemadmodum apud *Esaiam* abominatur victimas *Judæorum*, qui vacui charitate ceremonialia quædam jactabant, & ex his sibi mirificam quamdam justitiam arrogabant: ita Deus aversatur vestes, cingulos, calceos, & psalmos non intellectos eorum, qui cum spiritu careant his fumis se venditant populo. Hîc vero locus erat declamandi de Priscorum precibus & hymnis, quasi quisquam vituperet precationem, aut Psalmos pie decantatos. Sed illi qui pie canebant, orabantve, num vendebant sua bona opera? 5

Quod *Christus* docuit suos, ut, cum omnia feciſſent, dicerent, *Servi inutiles sumus*, ait ad modestiæ disciplinam pertinere. Non inficior, sed docuit ne *Christus* suos mentiri? Id si absurdum est, in aliquo sensu verum sit oportet. Inutiles erant, quod ex se nihil fecerant boni: præmium illis debebatur, quia bono Deo visum est sua dona in illis coronare, ut ait *Augustinus*. Nostræ autem justitiæ, quatenus nostræ sunt, vere sunt pannus menstruatæ. 6

Adfertur ex Paulo, *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Cum *Bedda* diceret omnes quamvis spirituales obnoxios constitutionibus humanis, rogabam ut interpretaretur nobis *Pauli* verba, quæ contrarium dicere videntur, nec hoc loco tantum, sed aliis aliquot, ut, *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, &, *Justo non est lex posita.* 7

Loquitur, inquis, de Lege *Mosaïca*, hoc est, de circumcisione, delectu ciborum, de jejuniis, & hujusmodi. Sit ita sane. Sed ne ii quidem tenebantur lege, qui non ducebantur spiritu, de Gentibus loquor. Et hic Apostoli sermo locum habet de similibus Christianorum constitutionibus, quas non dico negligendas a spiritualibus, sed ajo illos non esse sub lege. Sub lege sunt, quos lex urget, non facturos, nisi esset præscriptum. Qui spirituales sunt, aut ultro faciunt, & plus faciunt quam lex exigit: aut ob scandalum vitandum faciunt, quæ alioqui non erat necesse facere. Nam ceremoniæ quædam repertæ sunt ob infirmos, quibus non obligatur perfectus, vel quia non eget, vel quia charitas vocat ad potiora: servat tamen ea quantum potest, ne scandalo sit infirmis. Eat nunc iste, & ad satietatem disputet de variis legibus & obligationibus, & colligat quæ nunquam somniavi.

JUS BELLI.

NE repetam ea quæ toties respondimus ad istiusmodi querelam, fateor me quædam odiosius scripsisse ad Christianos a furiis bellorum deterrendos, cum viderem ex his bellis, quæ nos compluribus annis vidimus, maximam malorum partem exoriri Reipublicæ Christianæ. Clamandum est autem non solum adversus ea quæ nullo pacto geri possunt absque scelere, verum etiam adversus illa quæ vix unquam sine multis sceleribus

Digitized by Google

bus suscipiuntur. Verum cum serio disputo, sit ne bellum aliquo pacto licitum Christianis, fateor concedendum, si vel ingens urget necessitas, vel insignis invitat utilitas, eaque honesta.

Verum hîc objicitur inconstantia: eam mihi patiar objici, modo fateantur mihi cum *Hieronymo* & *Augustino* esse communem. *Hieronymus* dehortans Clericos ab amore divitiarum, expresse dicit non esse fas Clericis quicquam possidere præter Dominum. Et adhortans ad mansuetudinem Christianam, pronunciat Judæis licuisse bellare, Christianis non item: si urgeretur de dogmate, aliud pronunciaret. Has hyperbolas in Scripturis habemus frequenter obvias. Hanc veniam si mihi cum aliis sacris Doctoribus largiantur, non potest illis obscurum esse quid de bello sentiam, cum & in *Principe Christiano*, & in libello *de bello suscipiendo adversus Turcas*, doceam bellandi rationem, haudquaquam facturus si damnarem omne bellum.

Ajo totam Philosophiam Christianam, hoc est, Evangelicas & Apostolicas Litteras, deterrere a bello. Quid mirum, cum semper hortentur ad mutuam concordiam, & amorem etiam inimicorum? Quod si omnes Christiani tales essent, quales eos voluit *Christus*, nullum esset inter illos bellum, ne rixa quidem.

Nusquam, inquit, *prohibetur bellum in Litteris Evangelicis. Christus* ait: *Si quis te percusserit in maxillam dextram*, &c. Et *Paulus* ait: *Non vos vindicetis charissimi, sed date locum iræ. Hæc*, inquit, *sunt consilia.* Latissima rima. Sed quid peccat, cui cuperet omnes Christianos observare consilia omnia?

Sed Christus, inquit, *redarguit percussorem.* Verum, sed non repercussit, quemadmodum nec *Paulus* Pontificem.

Sed bellavit *Michaël* cum Dracone, bellemus & nos cum Satana & vitiis.

Bellarunt Christiani Principes, fateor, sed non ut Christiani, idem jus habebant si essent Ethnici.

Ubicunque divus *Hieronymus* aperte pronunciat, Christianis non esse fas belligerari, interpretatur illum loqui de bellis vel injustis, vel ob leves causas susceptis, quin itidem interpretatur mea verba?

Ajo ne cum Turcis quidem temere suscipiendum bellum: temere suscipi puto, cum provocantur potentiores, aut contra fœdera.

Expedit, inquit, *illos spoliare possessionibus & vita, & ad catholicam fidem armis cogere.* Si hactenus bene successit pergamus.

Mendacium. Sed in Epistola ad *Volzium* simpliciter dehortor a bello adversus *Turcas*. Ut numero respondeam, falsum est. Nihil aliud illic doceo, quam consultius esse prius epistolis ac libellis sollicitare *Turcas* ad nostram Religionem, quam armis impetere. Tum si impetendi sunt, ut moribus nostris ante correctis id fiat.

Rogat, quomodo vim repellemus absque vi? Respondeo, quomodo repulerunt Apostoli?

Ait etiam Episcopis licere bellum gerere. Ut liceat, mihi videtur indecorum. Atque id mihi persuasit *Ambrosius*, qui scripsit arma Sacerdotis esse preces & lachrymas. Sed quidam, ait, habent ditionem profanam, sed iidem habent suos præfectos. Ne profani quidem Principes semper intersunt bello. Hæc sufficient meo patri lectori, qui videtur esse juvenis exercens sese in argumento Theologico, sub *Pii* nomine.

JUS JURANDUM.

HIc minimum est inter nos dissidii, verba Domini & *Jacobi* negare non possumus. Exitus quæstionis a me quæsitus est, quod idem hic conatur.

Illud commentum videtur suffrigidum, quod *Moses* concesserit Judæis quamvis levi de causa jurare, modo jurarent per Deum, cum in *Exodo* præcipiat, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, hoc est, temere & citra necessitatem. Proinde non tantum vetare videtur perjurium, verum etiam jurandi facilitatem.

Nec satis firmum etiam illud, quod Dominus non simpliciter vetuerit jurare, sed jurare per cœlum, aut caput alterius, permiserit autem jurare per Deum. Id si verum esset, tollenda esset publica consuetudo, qua hodie jurant per librum Evangelicum, aut per crucis imaginem. Nam *Matth.* XXIII. redarguens Pharisæorum stultam de jurando doctrinam, dicit: *Qui juraverit in templo, jurat per illud, & per eum qui habitat in illo. Et qui jurat per cœlum, jurat per thronum Dei, & per eum qui sedet super eum.* Quod si licitum erat jurare per Deum, & nihil refert utrum jures per ipsum Deum, an per cœlum, aut templum: videtur non aliquas jurandi formas vetuisse, sed ipsum jusjurandum.

MENDACIUM.

ME patrocinari mendacio revera mendacium est. Sed interdum mendacii vocem usurpo largius, pro simulatione, nec id citra consuetudinem Latini sermonis, qua mendax speculum vocamus: & *faciem mentita Lycisca*, dixit *Virgilius*, pro imitata falso. Ita qui vultu præfert hilaritatem, cum sit animo mœsto, quodammodo mentitur gaudium: quemadmodum vultus & oculi loqui dicuntur, ita recte dicuntur mentiri. Rursus qui promittit se præstaturum quod pollicetur, dicit, non mentiar: & omnis homo mendax dicitur, non quod nemo non mentiatur, sed quod solus Deus præstare possit omnia quæ promittit. Ita veritas accipitur pro simplicitate: *ubi non vere vivitur*, ait *Terentius*. Sic usurpant *Augustinus* & *Hieronymus* mendacium, decertantes de simulatione *Petri* & *Pauli*. Porro mendacium proprie acceptum, cum falsum profertur animo fallendi, esse prorsus sine vitio, nusquam a me scriptum est neque dictum est: propterea rectius feciset hic quisquis est, si disputaturus acriter adversus mendacium, non infamasset proximum mendacio: & si tam pius est quam videri vult, poterat illud insulsum dicterium omittere, me ab oratoribus edoctum putare, licere mentiri quotiescunque commodum est. Excusatius autem orator mentitur ut succurrat reo, quam hic Theologus non in uno tribunali, sed coram totius orbis theatro tam detestabile mendacium impingit amicus amico.

Nec *Plato* docet utendum mendacio, quod proprie verbis committitur fallendi causa, sed fuco & simulatione: agit enim de fictis fondibus arte simulatis ne populus succenseret magistratui, deque similibus fucis, quibus imponitur crassæ multitudini, ad ipsius tamen commodum, quemadmodum parentes fallunt pueros, medici ægrotos. Quid autem peccat *Erasmus* in Scholiis, si per occasionem indicat dogma *Platonis*? Finge *Platonem* sensisse de mendacio, quod verbis studio fallit, an statim probatur quod ad explicandum locum refertur? Sed addo, *vulgus enim crassum non ducitur veris.* Fortassis *vera* vult opponi mendaciis. At *vera* dicuntur quæ simplicia nudaque sunt. Itaque crassæ multitudini opus est promissis temporariis, figuris, allegoriis, parabolis, & crassioribus quibusdam dogmatibus, ut paulatim proficiat ad sublimiora. Quemadmodum *Paulus* inter infirmos non judicavit se quicquam scire, nisi *Jesum Christum*, eumque crucifixum. Sequitur in Scholio: *Alioqui quorsum erat opus tot ceremoniis in Lege* Mosaïca: *quæ* Hieronymus *ob id scribit tradita ne in Deorum cultum prolaberentur?* Hîc colligunt, *Si populus non ducitur veris, & ceremoniis erat opus, falsa sunt igitur ceremoniæ.* Ad hoc respondebo, si prius ipsi expedierint, quare figuris Legis opponatur Evangelica veritas. Neque enim hæc veritas facit, ut illa sint mendacia, sed ut adumbrata. Umbræ vero collatæ ad vera corpora, quodammodo veræ non sunt. Sequitur in Scholiis: *Porro quæ scribit* Augustinus *de mendacio, quæque traduntur a nostri temporis Theologis, partim ejusmodi sunt, ut etiamsi maxime sint vera, a communi sensu vehementer abhorreant.* Hæc verba mea videntur ne probare mendacium? Nequaquam. Sed eos casus quos ponunt, veluti si unico quamvis innoxio mendacio possis servare corpora & animas totius humani generis, non esse committendum malum quamvis leve, ob quamvis magnum bonum, non esse faciendum: hisque similia. Hæc non dico esse falsa, sed ajo a communi sensu abhorrere. Nec hîc reprehensor a me dissentit, & *Augustinus* putat in simili casu charitatem non reformidaturam leviculam culpam.

At in *Methodo* ſcripſi: *Cum legamus*, Perdes omnes qui loquuntur mendacium, *quoſdam tamen probos viros mendacioſos legimus, ut* Abraham *&* Judith, &c. Sic enim referunt mea qui deteſtantur mendacium, quamvis innoxium, tum a me non ſit ſcriptum *mendacioſos*, ſed *mendacio uſos*. Dicent eſſe lapſum Typographorum, ſed nimium ſæpe labuntur in recitandis meis, probabilius eſt eſſe vitium eorum qui *Pio* fuerunt a ſchedis ſycophanticis, quorum negligentiam oportuit præſtare dominum.

Jam cum ipſe non neget, *Judith*, *Rhaab*, & alios quoſdam in Scripturis laudatos, fuiſſe uſos mendacio, quo pacto ego ſum mendacii patronus, ipſe deteſtator? Dicent, hæc eo tendunt, ut perſuadeas licere mentiri. Imo eo tendunt, ut doceam non omne mendacium eſſe crimen capitale. *Abraham* excuſat a mendacio, quod juxta conſuetudinem Hebræorum etiam propinqua cognatione juncta diceretur ſoror. Verum hîc ipſe *Pius* docet ſermonem accommodandum ad intellectum illius cui loquimur, velut qui Ethnico jurat *Jovem* lapidem, tenetur jurejurando: ſed *Abraham* ſtudio fallebat *Ægyptium*, ſciens illum ſororem intellecturum pro germana. Vix itaque ſatis *Abraham* excuſatus eſt a mendacio.

Ex his fruſtulis colligit meus rixator me ſentire, non ſolum licere mentiri, pro re & pro tempore, abſque peccato, verum & expedire. Quæ fuit hæreſis *Priſcillianiſtarum*, fuit & *Origeniſtarum*. Imo retuli quid *Plato* ſentiret, ipſe nuſquam dixi mendacium proprie dictum abeſſe ab omni vitio: ſed dubito an ubi magnum imminet diſcrimen, aut ſumma invitet utilitas, negligi debeat innoxium mendacium ac leve, ne hîc quidem definiens quicquam.

Hic vero ingreditur campum, quam inutile ſit mendacium, & me fingit mendacii patronum. *Quis eſt*, inquit, *tam ſtupidus, ut dicat allegorias eſſe mendacia*? Quis hoc dixit ſtupide? Significavi typos & umbras veteris Teſtamenti datas craſſo populo Judaïco, ut proficeret paulatim ad Evangelicam veritatem. Veritas, ut oſtendi, non ſemper opponitur mendacio.

Facit me reſpondentem, plurimos fuiſſe probatiſſimos viros, qui in Scripturis fuerint mendaces. Quis hoc unquam ſomniavit? Adeo ne idem ſunt, *mendacio uti*, & *mendacem eſſe*? Sed ſcheda fefellit illum, quæ habebat *mendacioſum*. Præclara vero purgatio in eo, qui intendit tot hæreſeos crimina, idque tam petulanter.

Accipio rationem, quam adfert de oratione, *quæ proprium eſt inſtrumentum a natura datum ad ſignificandos affectus animi*. Debebat addere, aut *ad commodius ſignificandos*.

Quid ſi quis ſcripto fallat, non erit mendacium? Dicet, ſcripturæ idem pollent quod voces. Quid ſi idem mutus? Quid ſi quis vera dicendo fallat, ut *Davus* ille, nonne abutitur organo naturali?

Diſtinguendum erat *Pio* fallendi verbum. Neque enim quiſquis fallit nocere vult: pater fallit filium ut diſcat litteras, promittens illi gladium, cum deſtinarit ei meliora. Ita Deus lactavit craſſum populum terrenis promiſſis, ut tandem adduceret ad cognitionem ſpiritualium.

Qui hæc ſcribit objicit mihi inconſtantiam, ipſe profecto conſtantiſſimus. Nam ut a mendaciis exorſus eſt, ita in toto progreſſu fortiter mentitur, & calumnioſo Opus finit mendacio.

PERORATIO.

Cum totum Opus tot perperam citatis, perperam intellectis, impudenter detortis, manifeſte falſis, tot petulantibus conviciis, tot inſulſis dicteriis ſcateat, negat ſe contradicendi ſtudio, aut minus benevolo animo ſcripſiſſe quicquam, &c.

Deinde vult nobis eſſe perſuaſum, ſi quid hîc intemperantius dictum occurrerit, id præter animi ſententiam caſu excidiſſe. Sed caſus quî videri poteſt quod perpetuum eſt?

Nec offendit, quod nimius fuerit in recitandis meis, ſed quod multa recitarit falſata, multa mutila, multa non indicatis locis, ut poſſent inſpici, denique multa ne intellecta quidem: pro his erat petenda venia.

Recte facit quod agit gratias Deo, cujus ope tam mirificum Opus abſolverit: ſed ingrate facit, qui non agat gratias *Hiſpano* dictionis expolitori, Operis collectioni præfectis, Theologis ac Monachis materiam ſuppeditantibus.

Ego vero lubens accipio quod precatur, ut mihi det Deus ſemper optima quæque ſentire ac docere, ac commodiſſima proloqui, cumque his exoptatam felicitatem. At ego viciſſim precor *Pio*, ut Dominum experiatur æquiorem clementioremque judicem, quam ipſe ſe mihi præſtitit.

Jam βάτραχοι etiam, ſi ſuperis placet, ad palinodiam invitant. Quid autem me vellent recantare? Ea quæ objicit *Pius*? Me ſublatum velle ordinem Theologicum? Me ſpoliare Sacerdotes ſuis poſſeſſionibus? Me damnare Monachorum inſtitutum? Me abrogare Scripturarum auctoritatem? Me damnare ceremonias Eccleſiaſticas omneſque conſtitutiones? Tueri *Arianorum* dogma? Revocare dogma *Priſcillianiſtarum* & *Epicureorum*, aliaque his abſurdiora? Nunquam cogitavi quod ille interpretatur. Et hactenus nihil omnium probavit, quæ toties fortiter & atrociter objecit. Novum palinodiæ genus, ſi hominibus calumniandi morbo delirantibus morem gerens, ipſe mei fiam ſycophanta. Quin ipſi canunt palinodiam, qui nobis referunt exemplum Diaboli, palam & impudenter hujuſmodi calumnias impingentes immerenti, & ex factis tam illiberalibus aut venantur famam, aut ſibi promittunt vindictam & victoriam, perinde quaſi *Chriſtus* eſſet mortuus, nec ullam haberet Eccleſiæ ſuæ curam.

FINIS.

Ex innumeris locis aliquot inſignia commonſtrabit hic INDEX, *unde liqueat, quantum tribuendum ſit* PII *non piis calumniis.*

MEndacium, col. 1126. 1127. 1128. 1129. 1131. 1132. 1136. 1144. 1146. 1148. 1152. 1160. 1171. 1190. 1191. 1193.
Et in Indice ſub nomine *Eraſmi* poſuit magnam congeriem inſignium mendaciorum.
Adulanter & vane, col. 1129.
Carpit odioſe non intellecta, col. 1129. 1132. 1148. 1149. 1155. 1160. 1161. 1185.
Non intelligit proprias voces, col. 1130.
Impingit ad lapidem commonſtratum, col. 1187.
Ἀπροσδιόνυσα, col. 1130.
Repetit evidenter a me refutata, col. 1131. quod & alias non raro facit.
Hyperbolæ vaniſſimæ, col. 1136.
Subſannat amarulente abſque cauſa, col. 1131.
Pollicetur ferociter, quæ nuſquam præſtat, col. 1142.
Depravate citat, col. 1144. 1182.
Convicia ſtolida, col. 1146.
Falſo citat, col. 1149. 1155. 1157. 1167. 1172.
Truncatim citat, col. 1157.
Furit nulla de cauſa, col. 1165. 1177.

Jam Opus eſſe multorum opera conflatum congeſtumque, vel ipſa phraſis varietas arguit: quoties ibi legitur, *ita quod* pro *ita ut*. *Pluries* pro *frequenter*. *Indecere* pro *indecens eſſe*. *Moroſus eſſe* pro *immorari*. *Succeſſive* pro *paulatim*. *Virtualiter* pro *re ipſa*. *Plurificare* pro *multiplicare*, & hujus generis alia permulta.

In Reſponſionibus ad Scholia *Pii*, primus numerus ſignat paginam, ſecundus faciem paginæ, locum ipſum indicat littera addita.

AD

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
EPISTOLA APOLOGETICA
DE INTERDICTO ESU CARNIUM,
deque ſimilibus hominum conſtitutionibus.

Ad Reverendum in Chriſto Patrem & illuſtrem Principem,
CHRISTOPHORUM EPISCOPUM BASILEENSEM.

Ornatiſſimo Patri ac Domino D. Chriſtophoro, Epiſcopo Baſileenſi, Eraſmus Roterodamus S. D.

VIx oratione conſequi queam, reverende Præſul, quam male habeant animum meum hi tumultus, nuper per neſcio quos excitati in hac urbe, quam ego ſane tranquillam ac pacatam huc adveniens reperi. Olim multum turbarum invexit aper ille *Calydonius*. At hoc tumultus nobis invexit, ut audio, porcellus domeſticus. Res per ſe non eſt capitalis, fateor, ſed animus ille contumax videtur ad quodvis facinus eſſe paratus, ſi modo res ſic habet, quemadmodum ad me ſermone multorum eſt delata. Legimus apud Græcos, Magiſtratus ſupplicium de puero quodam ſumpſiſſe, cui ludus erat, avium oculos, ubicunque nanciſci poſſet, configere, quod ex gratuita peccandi libidine conjectarent eum fore civem perniciosum & ſanguinarium. Legimus & alteri cuidam gravem multam dictam, quod a Magiſtratu rogatus ex more, num haberet uxorem ex animi ſui ſententia, ludens reſpondit: *Habeo ſane, ſed herele non ex animi tui ſententia.* Id ſi in convivio ſodalis reſpondiſſet ſodali, jocus erat lepidus, verum non in loco dictus, animum levem & publicæ poteſtatis negligentem præ ſe ferebat. Proinde pœnam meruit, non dictum ipſum, ſed dicti circumſtantia. Res quædam impotens eſt conſuetudo longo uſu confirmata, quæ tametſi fuerit abſurda, tamen poſteaquam ſemel occupavit, ægre poteſt abſque rerum humanarum tumultu convelli, nec aliter fere poteſt abrogari, quam irrepſit. Nunc jejunium & delectus ciborum ejuſmodi ſunt, ut, ſi quis recte utatur, adminicula ſint ad veram pietatem. Primum ſobrietas ac moderatio cibi reddit animum expeditiorem ac liberiorem ad vacandum iis, quæ propius faciunt ad veram pietatem. Deinde ſicut in peccando corpus miniſter & inſtigator fuit ſceleris, & ſocius impiæ voluptatis, ita par eſt ut in pœnitentia conſors ſit doloris & cruciatus, animæque reſipiſcenti ſubſerviat. Valet igitur jejunium ac ciborum delectus ad duas quaſdam res. Primum ad domandam corporis laſciviam, ne ferociat adverſus ſpiritum. Quemadmodum enim equis ferocientibus ac minus jam obtemperantibus ſeſſori pabulum ſubducitur, proque avena datur fœnum, ita carni ob ſucci ac ſpirituum abundantiam rebellanti ſpiritui recte ſubducitur alimonia, & ejuſmodi ciborum genus ſuppeditatur, unde quam minime recalcitret animo ſeſſori ſuo. Nam quemadmodum cibus ſubtractus minuit corporis luxuriem, ita ſunt eſcæ quædam, quæ ſic alunt corpus, ut vivat, non ut laſciviat. Deinde conducit ad placandam iram divinam noſtris ſceleribus provocatam, nimirum cum videt nos de nobis ipſis pœnam ſumere, ille remittit vindictam ſuam. Nulla vero pœna propius ad unumquemque pertinet, quam cum & animus affligitur odio commiſſi, & corpus abſtinentia rerum ſuavium cruciatur. Atque hanc viam placandi Numinis compluribus in locis nobis oſtendit Scriptura veteris Inſtrumenti. Et *Chriſtus* ipſe nos docuit, eſſe quoddam Dæmoniorum genus, quod non ejicitur, niſi per jejunium ac deprecationem. Quanquam autem illud & a Prophetis erat prædictum fore, ut neomeniæ, ſabbata, jejunia, ciborum delectus, cæteræque Legis umbræ ad emicantem Evangelii lucem evaneſcerent, tamen recens illa ac tota ſpirans novum Evangelici ſpiritus muſtum *Chriſti* Eccleſia, poſt ſublatum in cœlos ſponſum, nihil prius amplexa eſt, quam jejunium ac deprecationem. Ac tum quidem omnes & quotidie jejunabant, cum nullo præcepto ad jejunium adigerentur. Et plerique Chriſtianorum, non ſolum a carnibus, verum etiam ab omnium animantium eſu temperantes, leguminibus oleribuſque victitabant, cum per *Chriſtum* & Apoſtolos liberum eſſet cuique quibus vellet veſci. Poſtremo receptam jam & a tacitis orbis ſuffragiis comprobatam conſuetudinem, primum aliorum Epiſcoporum, mox & *Romani* Pontificis auctoritas confirmavit, quod jam (ut opinor) refrigeſcente populi charitate, plerique quæ carnis erant, amplecterentur. Acceſſit igitur auctoritas Epiſcoporum, veluti calcar exſtimulandis animis imbecillium, jam ad deteriora prolabentibus. Acceſſit conſtitutio, quæ licentiam ceu cancellis quibuſdam coërceret, ne latius in omne flagitium effunderet ſeſe.

Jejunium igitur ac ciborum delectus non poſſunt in totum hoc nomine damnari, quod nihil omnino conducunt ad pietatem, ſi quemadmodum oportet adhibeantur. Adhæc magna quædam res eſt ordo, ſine quo non conſtat inter mortales concordia. Hanc aut æqualitas alit, aut ſuus cuique datus locus, ſua cuique data functio. Velut in corpore, inter manus, oculos, pedes, aures, æqualitas eſt. Inter oculos, ventrem, ac pedes, non æqualitas, ſed ordo concordiam alit. Qua ſublata, quæſo quid bonæ rei relinquitur inter Chriſtianos, hoc eſt, quemadmodum *Paulus* Apoſtolus docet, ejuſdem corporis membra? Non mediocrem igitur peſtem invexit Reipublicæ quiſquis turbavit ordinem, præſertim ſi id fiat non per occaſionem aut neceſſitatem, ſed temeraria contumacia, etiam in his rebus, quæ neglectæ ſuapte natura nihil habent mali. Quemadmodum uſus Eccleſiaſticus habet, ne in Quadrageſima canatur *Alleluja*. Atqui laudare Deum quocunque tempore pium eſt, & pro his vocibus Eccleſia ſubſtituit alias idem ferme pollentes. Et tamen ſi quis contemptor publicæ conſuetudinis Parochus ſuo in templo decantet *Alleluja*, cæteroſque non canentes irrideat, nonne rem fuſtuario dignam omnium judicio committere videbitur? Aut in his poſtremis Quadrageſimæ diebus, ſi quis Parochus non per errorem, ſed data opera, juberet in ſuo templo ſonare nolas æreas, cum receptum ſit ligneis crepitaculis ciere populum, nonne videbitur in *Anticyras* relegandus? Quid commeruit, inquiet aliquis? In re nihil eſt flagitii, fateor, ſed in contemptu publicæ conſuetudinis, in turbato rerum ordine multum eſt flagitii. Et hoc indignior eſt venia delinquentis malitia, quod nullo incommodo ſervari poterat publica conſuetudo. Quanto magis idem ſentiendum eſt in hac re, cujus exemplum nobis a Prophetis, a *Joanne* Baptiſta, a *Chriſto*, & Apoſtolis manavit, quæ nobis longiſſima retro majorum conſuetudine commendata eſt, quæ Patrum auctoritate commendata, quæ præcipuum habet momentum, & ad placandum Deum noſtris ſceleribus offenſum, & ad ſpiritum ſermoni divino, ſacris precibus, divinis hymnis, cæteriſque piis vereque Chriſtianis ſtudiis præparandum. Quod ſi quid eſſet uſu receptum, quod pro re nata ob cauſas idoneas præſtaret antiquari, id ita paulatim fieri conveniret, ut tumultus excluderetur. *Chriſtus* tametſi volebat *Moſaïcæ* Legis umbras Evangelicæ luci proditæ cedere, tamen ipſe, ne cui præberet offendiculum, nihil omnium præteriit quæ Lex præſcripſerat. Nec unquam palam docuit eas ceremonias, quæ *Judæi* religioſius obſervabant, quam ut damnari paterentur, eſſe ſpernendas. Imo nec frivolas illas traditiunculas, quas Phariſæi de ſuo Legis oneribus addebant, inciviliter damnavit. Illud reprehendit tantum, quod harum ſuperſtitione violarent feria Legis præcepta, quod ipſi negligerent conſtitutiones ſuas, quibus onerabant populum. Nec Diſcipulis ſic

Digitized by Google

patrocinatur, ut dicat licere quavis de causa violare sabbatum, sed necessitatem excusat, & *David* ac Sacerdotum exemplo Discipulorum innocentiam tuetur. Quin & *Paulus* ipse fortissimus Euangelicæ libertatis assertor, tamen *Judæis* factus est *Judæus*, detonso capillitio, votum in se recipiens, nudipedalia observans, sesequе cum cæteris in templo purificans. Idem cum sciat idolum nihil esse, & idolothytum nihil esse, tamen mavult non vesci carnibus in æternum, quam committere, ut frater infirmus esu suo offendatur. Mavult ad tempus obsequi *Judæorum* invictæ superstitioni, quam alienatis infirmis Evangelii jacturam admittere. Mavult in totum abstinere ab esu carnium, quam infirmis præbere speciem consentientis idololatrarum impiæ superstitioni. Idem vult servum Christianum Ethnico domino, etiam morosо, dicto audientem esse, vult uxorem Christianam Ethnico marito morigeram esse, vult initiatos *Christo* Magistratibus Ethnicis per omnia satisfacere, sive vectigal exigant, sive tributum, sive honorem, ne quod offendiculum daretur Evangelio; daretur autem, si *Christi* professio seditiosa videretur. Non ignorabat *Paulus* libertatem Evangelicam, sed ad Evangelii negotium expediebat scientiam cedere charitati. Nam & hi, quemadmodum audio, prætexunt libertatem Evangelicam, cujus *Lutherum* vindicem faciunt & assertorem, in quibus non solum desidero spiritum vere Evangelicum, qui sobrius est, mitis, ac modesta simplicitate præditus, verum etiam prudentiam. Si *Lutheri* causæ male volunt, prudenter agunt, sin favent, non poterant alia via magis officere. Si hoc agunt, ut populus Christianus asseratur in libertatem pristinam, istorum temeritas nihil aliud quam jugum conduplicat, huc adigens Magistratus ac Principes, ut sævis Edictis servitutem exasperent. Sed qui se tuentur colore libertatis Evangelicæ, primum illa præstare deberent, quorum studio hæc ceu leviora cum venia negligi poterant. Qui totis viribus studet juvandis proximis, qui injurias illatas adeo non retaliat ut pro maleficio referat beneficium, qui perpetuo sobrius est, & jejunanti similis, cujus & animus, & habitus, & oratio castitatem spirat, quique totus est in his rebus moliendis, quæ magnam aliquam ac publicam utilitatem polliceri videantur, huic fortasse condonabitur, si in ceremoniis observandis, quæ vulgo & infirmis magis congruunt, minus superstitiosus videatur. Verum quorum omnis vita luxui voluptatibusque servit, quorum oratio ferox & impudica, quorum animus adeo non mitis, ut pro levi convicio parati sint pugnum aut etiam pugionem impingere, hi impudenter concionantur de libertate Evangelica, cum tales sint, ut Judaïcis cancellis adhuc coërceri debeant, donec proficiant ad Evangelici spiritus vigorem.

Proinde ut horum temeritas merito displicet bonis & cordatis omnibus, ita sunt in quibus iisdem doleat *Christi* gregem nimium involvi Judaïcis ceremoniis, & opprimi vel auctoritate vel indiligentia procerum quorumdam Ecclesiasticorum, qua de re queritur & *Augustinus* in Epistolis suis, clamitans Judæorum conditionem tolerabiliorem esse propemodum, quam Christianorum. Tantum hujusmodi superstitionum Judaïcarum jam tum inundaverat in publicam Christianorum consuetudinem. Populus ipse fere sibi hujusmodi servitutem accersit, ut *cæcias*, quod ajunt, *nubes*. Sed Præsulum erat, consulere libertati gregis, quam accepit a *Christo* & Apostolis. Nunc sæpe addimus onus oneri, & laqueos laqueis adjicimus, tantum abest, ut expediamus animas populi, quo magis illum obnoxium habeamus nostræ tyrannidi, nostroque quæstui verius, quam illius saluti servientes. *Paulus* non judicat inter diem & diem, sed omnem diem pro sacro habet, nec ullum opus profanum judicat, quod adhibetur Evangelicæ charitati. Post hæc majores probabili sane de causa diem Dominicum festum esse voluerunt, quo populus omnis conveniret ad audiendum sermonem Evangelicum. Mox indictæ feriæ ab operis cerdonicis, cum aliquoties sanctius esset opera manuaria prospicere liberis & uxori fame periclitantibus, quam audire cantiunculas Sacerdotum in templo non intellectas. Non quod damnandos censeam solennes Hymnos, quibus Ecclesiasticus chorus canit laudes Deo suo, sed quemadmodum *Christus* docet, non hominem conditum esse propter sabbatum, sed contra sabbatum institutum propter hominem, ita censeam hæc quoque cedere debere, quoties proximi necessitas exigit officium charitatis. Verum populus a quibus debebat hæc discere, ab iisdem frequenter cogitur ad diversa. Nec hoc satis erat, quot festis diebus post oneratus est populus, & indies magis ac magis oneratur. Nam apud quosdam pene solenne est, ut quisque Episcopus diem festum velut peculiare quoddam sui monumentum adjiciat. Idque fit nonnunquam levissimis de causis. Et fortasse qui quondam habuerit in deliciis puellam nomine *Barbaram*, hac gratia vult *Barbaræ* diem esse feriatam. Alii mater fuit nomine *Catarinæ*, hoc satis est causæ visum, ut huic sacer dies populum arceat ab opere. Alii nomen est *Guilhelmus*, eoque magno studio hoc agitur, ut *Guilhelmo* sint feriæ peculiares. Sint enim hæc exempli gratia duntaxat dicta. Maluimus enim fictis exemplis uti, quam quemquam offendere. Sunt & privatim nonnullis peculiares affectus Ordinum, aut Nationum, Urbiumve. Veluti dum *Prædicatores* qui vocantur, favent impense suo *Dominico*, *Minoritæ* suo *Francisco*, Pictores *Lucæ*, Medici *Cosmo* & *Damiano*, Calcearii *Crispino*, milites *Martino*, Galli *Claudio*, Lutetii *Genevefæ*, Oxonienses *Werenfrido*. Hujus generis est & illorum studium, qui *Christum* ac Divos superstitiose coli volunt per partes, quibus non satis est, quod *Christi* mortem toties renovamus commemoratione quotidiana, quod sanctæ cruci duo dies festi dati sunt, nisi effuso cruori, quem ajunt multis in locis servari, nisi clavis, nisi spineæ coronæ, nisi præputio, quod adorant alicubi, nisi lacti virginis matris, quod multis locis ostentant, suus dies festus consecretur. Quod si quid erit hujus generis, quod pie coli posse videbitur, satis erat in templis duntaxat diem festum celebrari, ad quem liceat accedere divitibus, aut quibus alioqui commodum est, non cogantur tenues, quorum manus alunt numerosam familiam. Atqui hi quidem affectus tametsi fortassis reprehendendi non sunt, tamen non oportuit Episcoporum prudentiam tantum illis tribuere, ut singulis statim suæ feriæ, sua sacra, suusque cultus peculiaris dedicaretur. Quid hoc est aliud, quam tenuem populum ad famem adigere, cum eripitur hoc, quo solo suam alit familiam? Imo, ut nunc sunt mores, ab honestis sanctisque laboribus ad otium & luxum invitare? Quibus enim diebus plus peccatur luxu, temulentia, libidine, alea, rixis, pugnis, homicidiis, quam festis diebus? Et quam hîc sumus præpostero judicio. Si quis toto die festo fuit ebrius, & scorto adhæsit, si lusit aleam, nemo facessit homini negotium: si calceum consuit, ut hæreticus defertur. Non hæc dico, quod velim a laïcis contemni dies festos, sed quod Ecclesiæ pastores mihi videantur recte facturi, si hujusmodi dies festos, exceptis Dominicis, & paucis eximiis, omnino tollant. Et in his ipsis, quos relinquunt, permittant tenui plebeculæ, post sacrum & concionem, si res urgeat, opificio suo succurrere liberis & familiæ, aut aliquid etiam parare, quod in pauperes erogent. Nunc sæpenumero, cum post menstruam pluviam obtingit dies serenus, agricola cogitur sinere demessam segetem in agris putrescere, quam favente cœlo poterat in horreum convehere, idque ob hujusmodi dies festos, quos nobis non Veterum auctoritas, sed affectus quidam humanus invexit, ne quid addam durius. Hæc primum obrepunt honesti specie, deinde copiosius inundant: mox usu confirmata tyrannidem occupant, ut jam tolli sine tumultu vix queant. Quo minus est Episcopis ad hæc primum irrepentia connivendum. Nam in totum quæ juris humani sunt, quemadmodum in morbis remedia, ita sunt ad præsentem rerum ac temporum statum attemperanda. Quæ quondam pium erat instituere, post prorе nata, proque mutata temporum ac morum qualitate, magis pium fuerit abrogare. Quod tamen haudquaquam oportet fieri temeritate populi, sed auctoritate majorum, quo vitetur tumultus: & ita mutetur publica consuetudo,

Digitized by Google

do, ut non ſcindatur concordia. Id ne fiat, Epiſcoporum vigilantia providendum eſt, quos non oportet pertinacius ad juſtas populi querimonias obſurdeſcere.

Fortaſſis idem ſentiendum de conjugio Sacerdotum. Olim Sacerdotum ut erat magna paucitas, ita erat ſumma pietas. Ii quo liberius vacarent ſanctis ſtudiis, ultro ſeſe caſtrabant. Atque adeo priſcis illis tantus erat amor caſtitatis, ut quidam ægre permiſerint Chriſtiano matrimonium, ſi baptiſmus deprehendiſſet cœlibem, ægrius etiam digamiam. Jam quod plauſibile viſum eſt in Epiſcopis ac Presbyteris, tranſlatum eſt ad Diaconos, tandem & ad Hypodiaconos. Conſuetudinem ultro receptam confirmavit Pontificum auctoritas. Interim crevit Sacerdotum numerus, ac decrevit pietas. Quot examina Sacerdotum alunt Monaſteria, quot Collegia? ac præter hos etiam innumerabilis eſt ubique Sacerdotum multitudo. Et inter hos quanta raritas eorum, qui caſte vivunt? De his loquor, qui domi palam alunt concubinas uxorum loco. Nec enim attingo nunc ſecretiorum libidinum myſteria. Tantum ea loquor, quæ vulgo quoque notiſſima ſunt. Et hæc cum ſciamus, tamen in admittendo ad ſacrum ordinem facillimi ſumus, in relaxanda cœlibatus conſtitutione difficillimi, cum contra *Paulus* docuerit, nemini facile manum imponendam, & non uno in loco diligenter præſcripſerit, quales oporteat eſſe Sacerdotes, quales Diaconos; de cœlibatu neque *Chriſtus* neque Apoſtoli legem aliquam in ſacris Litteris præfixerunt. Olim nocturnas ad Martyrum monumenta vigilias, publica Chriſtianorum conſuetudine receptas, idque ſeculis aliquot, abrogavit Eccleſia. Jejunium in veſperam uſque prorogari ſolitum, in meridiem tranſtulit. Aliaque permulta pro cauſis emergentibus variavit. Cur hîc humanam conſtitutionem urgemus tam obſtinate, præſertim cum tot cauſæ ſuadeant mutationem. Primum enim magna Sacerdotum pars vivit cum mala fama, parumque requieta conſcientia tractat illa ſacroſancta myſteria. Deinde perit magna ex parte fructus illorum, propterea quod ob vitam dedecoroſam a populo contemnitur illorum doctrina. Quod ſi his, qui ſe non continent, concederetur matrimonium, & ipſi viverent quietius, & populo cum auctoritate prædicarent verbum Dei, & liberos ſuos liberaliter educandos curarent, nec alteri alteris viciſſim eſſent probro. Hæc non eo ſpectant, ut Sacerdotibus auctor aut patronus eſſe ſtudeam, qui nuper citra Pontificum auctoritatem cœperunt eſſe mariti: ſed ut Eccleſiæ proceres admoneam, diſpiciant, an expediat veterem conſtitutionem ad præſentem utilitatem accommodari. Interim & Epiſcopos admonitos velim, ne tam temere quoslibet & inexploratos recipiant in Sacerdotalem ordinem. Cæteros item admonendos cenſeo, etiam atque etiam excutiant ſeipſos, num idonei ſint muneri gerendo quod ſuſcipiunt, ne lucri cauſa, ne otii gratia tantæ profeſſionis onus ſuſcipiant, & ſibi damnationem, & Eccleſiæ probrum accerſentes. Porro qui jam initiati ſunt, etiamſi Pontifices aperiant feneſtram ad conjugium, tamen illud conſuluerim, ut ne leviter aut temere ſemet involvant matrimonio, fiatque ut jam duplici pœnitentia diſcrucientur, & ſacerdotii, & conjugii. Bona pars continentiæ eſt, ex animo velle continere. Nihil magis optandum, quam ut Sacerdos immunis a conjugio, liber, ac totus ſerviat Domino ſuo. Sed ſi fruſtra tentatis remediis omnibus vinci non poteſt carnis rebellio, ſupereſt ut cum una caſte vivat, ad remedium habens uxorem, non ad voluptatem: illud interim conans pro viribus, ut imbecillitatem carnis, cui conceſſa eſt uxor, reliqua vitæ integritate piiſque ſtudiis compenſet. Sic enim omnes intelligent uxorem neceſſitati quæſitam, non voluptati. Neque dubito, quin plerique ſint Epiſcopi, qui perſpiciant hæc ita habere, quemadmodum dicimus: ſed vereor, ne hîc quoque quæſtus obſtet, quo minus id ſequamur, quod videmus optimum eſſe. Si Epiſcopi tentent mutare, fortaſſe reclament Officiales, qui plus ſentiunt redituum ex concubinis Sacerdotum, quam ſenſuri ſint ex uxoribus. At non æquum eſt, ut quæſtus apud nos tantum valeat, ut ob eum in re tanti momenti minus ſincere conſulatur. Hujus generis permulta ſunt, ſed hæc duo exempli gratia poſita ſunto.

Nunc ad jejunia redeo. Si quis adeo firmus ſit, ut perpetua ſobrietate ſibi temperet, huic non admodum opus ſit indictis jejuniis, niſi pro tempore hujuſmodi victima placanda ſit ira Dei. Sed ob rudes, inquies, & craſſos certi dies præſcribuntur. Sit hoc ſane tolerabile. Præſcribitur unica refectio, præſcribitur & cibi genus. Nec hoc ſatis. Intentatur æterna damnatio conſuetudinis humanæ violatori. Sic enim Parochi quidam denunciant populo jejunium, haud ſcio an ex Pontificum ſententia. Ne id quidem ſatis. Veluti parricida, pene dixerim, rapitur ad ſupplicium, qui pro piſcium carnibus guſtarit carnes ſuillas. Jam dixi ſeditioſam temeritatem ubique gravi dignam ſupplicio. Non hujus generis cauſam ago, ſed alioqui judicium hoc mihi non ſolum incivile videtur, verum etiam præpoſterum. Indictum erat jejunium. Hoc erat ejus rei caput. Acceſſorium erat talibus aut talibus veſci cibis. Nunc paſſim cœnatur, & nemo movet tragœdiam. Guſtavit aliquis carnes, clamant omnes: ô cœlum, ô terra, ô maria *Neptuni!* Nutat Eccleſiæ ſtatus, inundant hæreſes. Ut cœnes, nulla opus eſt venia: ut fas ſit veſci carnibus aut ovis, emendum eſt *Romani* Pontificis diploma. Ita quod ſpecie propius accedit ad Judaïſmum, & omnino tale, ut merito quis admiretur hoc tantopere receptum a Chriſtianis, qui circumciſionem cæteraſque Judæorum ceremonias exſecramur, tenemus mordicus. Ciborum delectum maximi facimus: id quod propius accedit ad Evangelicæ pietatis ſtudia, ſinimus antiquari. Cum enim precatio Chriſtianorum ſit peculiaris hoſtia, & hujus ſodalis comeſque ſit jejunium, quod in Evangelicis & Apoſtolicis Litteris hæc duo ferme copulantur, deprecatio & jejunium, (nam jejunio purgatur animus, ac roboratur, ut pura, ut ardens, ut alacris ſit deprecatio) tamen in ciborum delectu longe tenaciores ſumus humanæ conſtitutionis, quam in jejunio. Quanquam & jejuniis multo crebrioribus onerantur Chriſtiani, quam unquam Judæi. De ciborum generibus dixit Dominus *Jeſus: Quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Et *Paulus* a præceptore non diſſentiens: *Regnum*, inquit, *Dei non eſt eſca & potus.* Cæterum in ciborum delectu, quanto noſtrum onus videtur durius quam illorum. Illis licuit ex omni piſcium, quadrupedum, ac volatilium genere ſaluberrimis quibuſque veſci. Nobis in bonam anni partem omnium carnium eſus interdicitur. Et vide quæſo, quam hîc fuerit curioſa vel conſuetudo, vel majorum auctoritas. Certis temporibus præter carnium eſum nihil interdicitur alicubi, extis ac pingui veſci licet. Atque hîc ſane non paucæ quæſtiones exſiſtunt, quouſque porrigatur carnis vocabulum. Habet enim mare quædam animantia terreſtribus non diſſimilia, ut phocas & canes, habet & amphibia, ut caſtor. Quin & de cochleis, teſtudinibus, ranis, & colubris diſputatur. Rurſum aliis diebus ovorum & lactariorum eſus permittitur, aliis lactariorum duntaxat. Sunt in quibus & hæc tetigiſſe nefas ſit. Sunt in quibus interdicitur, quicquid aliquando vixit, ut jam ſpongiæ veniant in quæſtionem, quæ quibuſdam ſentiunt. Et reperiuntur qui nihil ſibi permittunt præter panem & aquam. Ut demus hæc non adſpernanda, tamen quis non videat, quam frigeant ſi conferantur ad Evangelica præcepta, quorum oportuit primam eſſe curam. Deinde conſiderandum, an hoc congruat Evangelicæ libertati, quam tanta contentione defendit *Paulus*, hæc ab omnibus tam moroſe tamque rigide exigere. Nunc videamus, quam hîc quoque verum ſit, quod ſcripſit *Paulus* Apoſtolus: *Exercitatio corporalis ad modicum utilis eſt, pietas ad omnia valet.* Nullis diebus operoſiores ſunt culinæ quam piſculentis, nec unquam apparatus major, aut ſumptus gravior. Ita fit, ut tenues eſuriant, divites vivant etiam delicatius. Quis non malit ſilurum, quem, opinor, vulgo ſturionem vocant, aut troctam, aut murenam, quam ſuillam fumo duratam, aut vervecinam? Atque in his etiam ea quæ a carnium vocabulo ſeparantur, ſunt quæ plus addant alimoniæ, quam caro bubula, aut ovilla, veluti teſtudines, cochleæ, & colubri. Magis

etiam irritant libidinem. Atque hæc reperias etiam in oleribus & arborum fœtibus. Quid prodeſt abſtinere a carnibus ovillis, ſi ventrem diſtendas erucis, palmulis, ficis, & uvis paſſis, tuberibus, carduis, & bulbis, quæ genitalia magis accendunt tentigine, quam pullaſtræ? Condita myrobalanus vegetius reddit corpus, quam bubula. Nec horum quicquam interdicitur. His rebus fit, ut qui tenui ſunt fortuna, graventur hujuſmodi conſtitutionibus, cum minimum egeant qui divites ſunt, ad delicias invitentur. Dixerit aliquis, hoc noſtro vitio fit. Fateor. Et ideo fortaſſe tollendum, ubi viderimus ex eo plus naſci mali quam boni. Neque multo plus fructus videtur provenire ex jejunio. Nam qui tenues ſunt, aut imbecillo corpore, ægre ferunt diutinam inediam. Contra qui valent, ventrem onerant tridui commeatu, ut jam a prandio nulli rei ſint idonei, præterquam ſomno. Et tamen jejunium in hoc potiſſimum adhibetur, ut ſpiritus minus gravetur onere corporis. Ut ne commemorem interim valetudines, morbos, ætatum imbecillitatem, inopiam, corporum peculiarem quamdam naturam, ut nonnullis etiam ſanis inedia paucarum horarum letalis ſit, nonnullis quilibet piſcis, quod aliis ſcorpius, aut lepus marinus, aut vipera. Jam in regionibus, quæ laborant inopia piſcium, interdicere carnium eſum, quid eſt aliud, quam famem indicere? In tanta regionum, corporum, valetudinis, & ætatis inæqualitate, ſatis apparet quam multos gravet lex, omnibus, ut putant, æqualis. Sunt corpora quæ laſciviant, etiamſi fœno paſcantur. Sunt quæ vix vivant, etiamſi perdicibus & phaſianis avibus alantur. Si juberet edictum, ut in his diebus opulenti frugaliter vivant, & quod ſuis menſis detrahant, mitterent ad menſulas pauperum, tum fieret æqualitas, & Evangelicum quiddam ſaperet conſtitutio. Nunc paſſim fit quod ait *Paulus*, *Alius eſurit, alius ebrius eſt*. Opulentis mutatum cibi genus voluptati eſt, & faſtidii remedium, nec ullo tempore magis deliciantur, quam cum abſtinent ab eſu carnium. At interim tenuis agricola, rapam crudam, aut porrum arrodens, hoc obſonium addit atro ac furfuraceo pani, proque mulſo divitum, ſerum lactis ſubacre bibit, aut aquam e lacuna, interim perpetuis ſudoribus uxorem, parvos liberos, reliquamque familiam ægre ſuſtentans. Denique eo rediere mores hominum, ut iſta tantum gravent eos, quorum gratia non admodum ſunt inſtituta, nihil pertineant ad eos, ad quos maxime pertinebant. Dixerit aliquis, ſi quis gravabitur hiſce rebus, eſt unde ſublevetur. Unde? Redimat a *Romano* Pontifice jus veſcendi. Pulchre dixti. Atqui nec omnibus vacat, nec omnibus ſuppetit pecunia, qua jus ejuſmodi redimant. Atque hîc rurſum fit, ut divitibus, quibus maxime opus erat interdicto carnium, quibus maxime opus erat jejunio, fere ſit relaxata conſtitutio, tenues & inopes ſolos premat grave jugum. Quin & illud interim demiror, jus hujuſmodi conſtitutiones relaxandi ſoli *Romano* Pontifici relinqui. Sic enim exiſtimat vulgus. Quod mea quidem ſententia magis conveniebat tradi Parochis, qui nunc in Epiſcoporum vices ſucceſſerunt, quod ad labores attinet. Nam hi cujuſque ſtatum, valetudinem, opes, atque animum etiam noſſe poſſunt, præſertim cum hæc non ſint admodum magni momenti, quod ad pietatem attinet. Concreditur illis diſputatio ſermonis Evangelici, concreditur poteſtas adminiſtrandi ſacramenta Eccleſiaſtica, jus audiendi confeſſiones, & ab enormibus etiam flagitiis abſolvendi, licet illis etiam cum capitis ſui periculo adeſſe peſte laborantibus, aut alioqui morbo fœdo & abominando, & iiſdem negatur auctoritas indulgendi veniam veſcendi cibis, quos aliquorum poſtulat imbecillitas. Si parum idoneus eſt, qui hæc levia diſpenſet, nimirum culpa penes Epiſcopos eſt, qui tali crediderunt gregem *Chriſti*. Sin eſt idoneus, cui graviora quoque committantur, aliquid monſtri ſubſit oportet, cur hæc leviora non eidem committantur.

Sed hîc rurſus audire videor quæſtum quorumdam obmurmurare parantem. Atque utinam hæc ærugo prorſus eradatur ex Eccleſia *Chriſti*, quæ non patitur uſquam quicquam eſſe ſanctum ac ſincerum. Hæc enim facit, ut conſtitutiones ad pietatem inſtitutæ prope nihil aliud ſint, quam laquei captandis pecuniis accommodi. Quorſum enim attinebat, tot tam rigidas conſtitutiones prodere de electione Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Eccleſiæ procerum, ſi nunc paſſim data pecunia, vel violatur, vel excluditur electio? Narrant *Dionyſium Syracuſanum* Tyrannum plurimas leges dediſſe ſuis, atque his provulgatis data opera connixiſſe, donec omnibus ſecure quod erat conſtitutum negligentibus, haberet multos obnoxios. Ita leges illi caſſium erant vice, quibus captabat prædam. Abſit autem ut *Chriſti* vicarii ſimili conſilio, vel novis populum conſtitutionibus onerent, vel Veterum decretis abutantur. Omnino opus eſt majorum conſtitutionibus, & incidit frequenter, ut ob peculiares cauſas expediat etiam laxari publicæ legis rigorem, modo ne id fiat paſſim, modo ne per ſordidos negociatores, modo nullo judicio, ſed magno compendio. Magnifice referret ad ſinceritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi nulla juris relaxatio eſſet venalis, & his committeretur, qui poſſint hominem noſſe, cui ſit publicæ conſtitutionis gratia. Nunc ad impetrandam hanc fere nihil opus, niſi nomine & pecunia. Si cauſa juſta eſt, cur exigitur pecunia? Sin minus, quid facit relaxatio? Quin in nonnullis poteram fortaſſis & hoc uti dilemmate, Si cauſa eſt idonea, quid opus eſt relaxatione? Si non eſt, quid prodeſt relaxatio? *Romanus* Pontifex indicit jejunium, at hac, opinor, lege non vult obſtringi pueros, admodum ſenes, valetudinarios, ægrotos, breviter, omnes qui non niſi magno ſuo malo ſint jejunaturi. Hîc igitur ubi certa ac manifeſta cauſa intercedit, nihil opus eſt laxare legem, ſed interpretari potius. In dubia cauſa, quem potius conſulas, quam Parochum tuum, aut ordinarium Epiſcopum? Si refugis illius judicium cui cognitus es, prodis inſinceram conſcientiam. Sin vel ſimultas, vel inſcitia, vel aliud quippiam intercedit, quo minus ille juſtam relaxationem indulgeat, tum pateat Archiepiſcopi aut *Romani* Pontificis aſylum.

Ipſe diſputationis progreſſus nos admonet, optime Præſul, ut paucis conſideremus, quam arcte nos adſtringant hujuſmodi conſtitutiones, quæ humani juris ſunt, qualia ſatis convenit eſſe præſcripta Pontificum de jejuniis, delectu ciborum, ac Sacerdotum conjugio, nam de cæteris nihil diſputo. Eſt aliquis qui patrem ſenem, ægrotum, egentem recuſet opibus & obſequio ſublevare, cum ſit unde id faciat, huic Epiſcopus præcipit, ut adſit parenti, docens honorem in præcepto divino ſubſidium intelligi, non apertionem capitis, aut ceſſionem de via. Is ſi recuſet obedire, dubium non eſt quin ſe gehennæ reddat obnoxium. Rurſum ſi cui ſimultas eſt cum proximo, & qui læſit reſipuit, orat veniam, paratus etiam ſarcire injuriam. Si qui læſus eſt, Epiſcopo præcipienti, ut remittat vindictam redeatque in gratiam cum proximo, recuſet obtemperare, dubitari non poteſt, quin ob hanc inobedientiam ſe reddat obnoxium gehennæ. Cur ita? Quia quod præcipit Epiſcopus, juxta doctrinam Evangelicam præcipit, & magis ingerit *Chriſti* præceptum, quam proferat ſuum. Sed an in hiſce rebus, de quibus nunc agimus, idem fiat diſpiciamus. Dicam enim quicquid dicturus ſum, non ut aſſeverans, ſed ut inquirens, apud Præſulem ut integerrimum, ita longe doctiſſimum. Conſtat hujuſmodi pleraque, de quibus nunc eſt ſermo, primum invecta conſuetudine, quæ quos obliget, in quibus, & quatenus, quando, quam diu, prolixius ſit hîc diſſerere. Primum illud videtur certe probabile, conſuetudinem non arctius alligare quemquam, quam voluerint ii, qui conſuetudinis fuerunt auctores. Sit interim ſemper exceptum offendiculum & contemptus. An credendum eſt, quod ii qui primum ultro facultates ſuas depoſuerunt ad pedes Apoſtolorum, hoc animo depoſuerunt, ut qui non deponerent, eſſent æternis pœnis obnoxii? Aut qui primum cœperunt abſtinere ab uſu carnium, hoc animo principes eſſe voluerunt hujus conſuetudinis, ut qui poſt non idem facerent, adſtringerentur æterno exitio? Imo magis opinor hanc fuiſſe mentem illorum, atque etiam ora-

orationem, ut si quem vidissent imbecilliore corpore, qui provocatus ipsorum exemplo conatus sit idem facere, monuerint verbis: Chariſſime frater, ego qui sum rebelli corpore, merito carnem meam subigo jejuniis, tibi corpusculum est & imbecilium, & spiritui satis morigerum, cujus valetudo curanda sit potius, quam coërcenda lascivia. Quare sumptis moderate & cum gratiarum actione cibis idoneis, cura valetudinem corpusculi tui, quo possit alacrius servire spiritui suo. Sic *Paulus* admonet *Timotheum* suum, ut modico utatur vino, propter stomachi imbecillitatem & frequentes valetudines. Jam an consuetudo præter voluntatem eorum qui fuerunt auctores, alliget ad crimen, quemadmodum qui monet errantem, tametsi non in hoc admonet, ut gravetur culpa qui monetur, tamen qui monitus de re flagitiosa non resipiscit, gravius peccat quam antea, non est hujus loci discutere. Illud videndum, an in his rebus quæ per se licitæ tantum humana constitutione fiunt illicitæ, Episcopis aut Pontificibus *Romanis*, cum receptam consuetudinem comprobarent, hic fuerit animus, ut qui nullo malitioso contemptu, sed per infirmitatem aut negligentiam non observarent, addicerent gehennæ. Deus non est adeo morosus aut irritabilis, ut ob quamlibet culpam conjiciat in gehennam, quos suo sanguine redemit. Novit infirmitatem sui plasmatis, multaque dissimulat in nobis, prius quam amputet a corpore Filii sui. Sed quisquis admittit crimen capitale, ex membro *Christi* fit membrum Diaboli, ex hærede vitæ cœlestis fit hæres gehennæ. Porro cum Episcopi locum teneant ejus, qui quærit omnes salvos facere, & perdere neminem, qui paterna viscera gerunt erga gregem suum, denique qui & ipsi sunt homines obnoxii infirmitatibus, & plerisque in rebus egentes misericordia Dei, quî consentaneum est, quod hoc animo fuerint, ut suis constitutionibus mere humanis voluerint fratres ac filios suos obligare suppliciis æternis, præsertim cum non ignorent vel ex suis ipsorum animis mentes hominum pronas ad peccandum, & qui ipso interdicto frequenter irritari soleant ad peccandi libidinem. Profani Principes, qui ferrum gestant, ac metu supplicii sque ex professo coërcent multitudinis licentiam, nollent tamen, etiamsi possent, eum esse rigorem legum, quas instituunt, ut violator illico capite plecteretur. Atque hi nihil aliud occidere possunt quam corpus. Et Episcopi, quorum est gladio sermonis divini servare homines, ob cibum aut potum, cujus potestatem nobis fecit *Christus*, postulant suæ constitutionis neglectorem totum abire in gehennam, præsertim cum ipsis in manu sit, non injicere hunc laqueum, nec in hoc discrimen adducere? Jam majora sunt vincula charitatis Evangelicæ, quam cognationis, spiritus, quam carnis, Dei, quam naturæ. Sed quis pater unquam tam crudelis fuit in filios suos, ut, si interdixisset illis potionem vini, ne quando immodice bibentes sibi contraherent febrim, postularet suum interdictum tantum valere, ut, si negligerent, capite pœnas darent, præsertim cum & citra noxam vinum ab illis bibi posset, si modice bibatur. Nimirum temperaret ab edicto suo, si sciret filios suos fore tanto periculo obnoxios, malletque illos in febres, quam in capitis periculum venire. Præterea non arbitror quemquam esse, quin fateatur plus tribuendum legibus quas instituit Deus, quam iis quas condant homines. Sed veteris Testamenti leges a Deo proditæ non omnes adstringebant olim ad culpam letalem, imo, si credimus magni nominis Theologis, quædam ne ad ullam quidem culpam. Quod genus arbitror esse, si quis contigisset morticinum: & hoc postulabit clementioris Testamenti dispensator, non auctor, ut quibuslibet suis constitutionibus adstringat suos ad pœnam ignis æterni? Veniam ad Apostolorum auctoritatem, quibus tantum semper tribuit consensus totius orbis Christiani. At ego sane non ausim affirmare, quod quicquid hi præceperint, hoc animo præceperint, ut transgressorem quemlibet vellent esse obnoxium gehennæ. *Paulus* multis locis interdicit avaritiam, libidinem, iram, contentionem, invidiam, nominatim addens: *Scimus quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et tamen Theologi fatentur, non omnem iram esse peccatum capitale. Nec omnem invidiam fortasse. Rursus idem severiter edixit, ne mulieres loquantur in Ecclesia, ne sexus insolentior sibi vindicaret auctoritatem apud maritos. Et tamen non arbitror *Paulum* illud hoc animo præcepisse, ut, si qua per infirmitatem muliebrem aliquid fuisset in Ecclesia loquuta discendi studio, continuo fieret obnoxia gehennæ. Hæc sic propono, ut tamen sit integrum suum cuique judicium. Postremo fortassis & in Evangelicis præceptis reperire liceat, quæ non statim quemlibet obstringant peccato letali. Videmus religiosorum Ordinum patres illud palam testari de suis constitutionibus, quas ob convictus concordiam & æqualitatem necessario addunt præceptis Evangelicis, quod iis nolunt adstringi quemquam nec ad venialem culpam. Quo magis admiror quosdam ejusdem generis, qui citius patiantur fratrem vel emori, vel morbo discruciari, qui sit morte gravior, quam carnium esum indulgeant. Non hic repetam, quod quidam non incelebres Theologi asseverarunt, *nullum Prælatum mortalem subditum suo præcepto adstringere posse ad peccatum capitale, nisi quod præcipit, pendeat a lege divina.* Hoc axioma equidem in præsentia nec refello, nec approbo, tantum illud obiter quæram, utrum omnes hujusmodi constitutiones obligent ad æternam pœnam, an aliquot duntaxat. Si omnes, profecto grave est jugum Christianorum, cum tot exstent Pontificum constitutiones: sin aliquot, scire cupiam, qua nota distinguant quæ obligent, quæ non; cum additur, *præcipimus ac mandamus.* At *Romæ* quotannis hujusmodi constitutiones eduntur novæ, *ne sponsus sponsæ munus aliquod donet ultra pretium duodecim ducatorum.* Sit enim hoc exempli causa propositum. Quæro si quis absque malitia donaret munus tredecim ducatorum, an peccet letaliter? Respondebis, opinor, non videri. Atqui in his, & aliis rebus etiam levioribus, præter gravem culpam semper additur pœna excommunicationis latæ sententiæ. Et sunt Theologi, qui negant quemquam excommunicari posse, nisi ob admissum quod sit apud Deum capitale. Sed hanc disputationem, an possit Episcopus aut Pontifex subditos quacunque in re adstringere ad capitalem pœnam, omittam in præsentia. Illud rogabo, an probabile sit Pontificis hunc esse animum, ut, si possit etiam, velit ad hunc modum onerare suos. *Paulus* indignatur, quod aliquis judicat fratrem suum in cibo aut potu: & ego ob cibum aut potum detrudam fratrem meum in gehennam? Jam in aliis qui sit Pontificum animus, relinquamus interim in medio. Certe in jejunio palam est, illum non omnes suo præcepto voluisse adstringere. Proinde, cur iniqui judices in proximum aliter interpretamur legem Pontificis, quam pro ipsius animo? Nec enim consentaneum est, illum voluisse quemquam obstringere ad jejunium, aut esum piscium, qui hoc facturus sit insigni valetudinis aut vitæ dispendio. Itaque non obligat infantes, non admodum senes, non ægrotos, non inopia laborantes, non denique cæteros, qui ob aliam quampiam causam non ferunt inediam, multo minus de esu carnium. Hi si vescuntur, utique vesci videntur ex ejus sententia, qui legem condidit. Dices, sed interim aperitur fenestra malis, qui hoc prætextu vescentur, cum non sit idonea causa. Hoc periculum, si spectaret ad homicidium, aut aliquod grave malum, audirem. Nunc tolerabilius arbitror, ut sexcenti vescantur carnibus citra necessitatem, quam ut unus hac superstitione periclitetur de vita. Proinde mihi non displicet mos apud *Italos*, juxta quem etiam in Quadragesima publice in macellis venduntur carnes vitulorum, hœdorum, & agnorum, sed a paucioribus, ne quid desit ægrotis, aut iis qui ægre carent esu carnium. Nec quisquam notat ementem aut vescentem, etiamsi nihil morbi præ se ferat. Sunt enim causæ, quas ex vultu non possis deprehendere. Et Christianæ charitatis est, in meliorem interpretari partem, quicquid recte fieri potest. Temulentia,

Digitized by Google

tia, obtrectatio, turpiloquium vere arguunt improbum, juxta canonem Evangelicum. Siquidem hæc vere mala, cum prodeunt ab ore, declarant corruptum cordis fontem, unde illa *Mephitis* exhalatur. Et tamen his leviter offendimur, aut etiam applaudimus. Vescentem carnibus sic exsecramur, quasi desierit esse Christianus: cum Evangelium vetet judicare quemquam in his quæ per se mala non sunt, & *Paulus* nolit quemquam judicari in cibo & potu. Ergo qui vescitur carnibus ex causa gravi, ne peccat quidem adversus legem, cum nihil admittat adversus mentem ejus qui legem condidit. Qui vescitur citra necessitatem, si peccat, tantum peccat in legem humanam. Cæterum qui condemnat fratrem suum, qui obtrectat, qui defert ac traducit, peccat & adversus Evangelicam doctrinam & Apostoli *Pauli* præceptum: ac mea sententia gravius delinquit, quam si totum decennium carnibus vesceretur. Appellant *Lutheranos* & Hæreticos, qui carnibus vescuntur. Jam hoc est non vitulorum, sed fratris carnem arrodere. Utrum quæso sceleratius? Et tamen ad id, quod vetat auctoritas Evangelica, quod vetat *Paulus* Apostolus, nemo commovetur: ad hæc, quæ præter Evangelicam doctrinam invexit humana consuetudo, sic inhorrescimus, quasi semel collapsura sit tota Christiana Religio.

Verum hîc interim obstrepit geminus scrupulus, alter qui pertinere videtur ad ordinem, alter ad offendiculum proximi. Ordini fatemur plurimum esse tribuendum, adeo ut præstet etiam tyrannidem aliquam perpeti, quam ordine turbato miscere res mortalium, & *Paulus* vitari jubet *Christianum ἀτάκτως*, hoc est, *inordinate*, versantem. Atque idem, ne cui simus offendiculo, præcipit abstinere non solum a re mala, verum etiam ab omni specie mala. Verum ut constet ordo, & per ordinem tranquillitas, expedit, ut proceribus sua constet auctoritas, ac populus his non secus obediat ac Dei vicariis. Fatemur hæc esse verissima. Et *Petrus* Apostolus damnat eos, qui suis cupiditatibus servientes contemnunt glorias, hoc est, eximios viros publica potestate præditos, cum illic sermo sit de Magistratibus ac Principibus, ni fallor, Ethnicis: quanto magis oportet Pontificum auctoritatem sanctam & inviolatam esse. Qui si boni sunt, obtemperandum est tanquam amicis Dei. Sin mali, sed tamen ea quæ recta sunt docent, obtemperandum est doctrinæ, quam tradunt. Si neque boni sunt, neque bona docent, tamen aliquousque ferendos censeo, ne turbato rerum ordine gravior pestis exoriatur. Hoc ego consilii populo Christiano dederim. Porro si illorum impietas eo processerit, ut Divis atque hominibus sit intolerabilis, id quod avertat *Christus*: ipse novit hujusmodi flagella nectere, quibus ejiciat e templo suo, quos nolit illic agere. Nam quemadmodum non sine consilio Pontificum electio translata est a populo ad paucos, ita non placet revocari exempla, quibus multitudo suos Episcopos ob quodvis crimen exigebat. Siquidem *Brixium* ob suspicionem stupri cum lotrice populi tumultu depulsum legimus. Cæterum quemadmodum *Paulus* præcipit uxoribus, ut per omnia morem gerant ac revereantur maritos suos tanquam dominos, ac vicissim admonet, ut mariti moderate ac civiliter utantur auctoritate in uxores, cogitentque socias esse, & pares in *Christo*, cohæredes regni cœlestis, alteram sui portionem, utque illarum infirmitati semet accommodent cum judicio: ita monendi sunt Ecclesiæ primores, ne vel auctoritate sua abutantur in populum, neve populi simplicem obedientiam vertant in suam tyrannidem. Oves sunt, sed *Christi* potius, quam Episcoporum. Oves sunt, sed pro his ovibus summus ille Pastor pretiosum sanguinem suum fudit. Oves sunt, sed adeo charæ Domino suo, ut unam erraticam, anxia sollicitudine quæsitam, ac tandem inventam, humeris suis revexerit ad caulas suas. Oves sunt, sed rationales, & hac parte pares Episcopis: nonnunquam etiam plus sapiunt, quam Episcopi quidam: denique ex his ovibus fiunt pastores. Non populus propter Episcopos, sed Episcopi populi causa sunt instituti. Unde tametsi Episcopus ad singulos e plebe collatus præcellit, duplicique, ut inquit *Paulus*, honore dignus est: tamen major esse ratio debet totius populi, quam unius Episcopi. Et si quis adderet, major etiam dignitas, hujus oratio non prorsus abhorreret ab oratione *Christi*. Rogat enim in Evangelio Dominus *Jesus*, uter videatur major, qui ministrat, an qui accumbit. *Nonne*, inquit, *qui accumbit*? Sed populus sunt illi filii sponsi, qui ut honorabiles discumbunt ad mensam Evangelicam. Primores Ecclesiæ sunt ministri, qui adstant & obambulant, circumspectantes ne quid cui desit in eo convivio. Et quod cuique convenire viderint, id depromunt e divite penu sponsi *Christi*. Quod si *Christus*, qui sine controversia fuit omni comparatione major, se ministrum appellat, & ministrum gessit usque ad pedum lotionem, quid oportet facere Pontifices, qui juxta divi *Hieronymi* sententiam patres sunt, non domini, quibus dispensatio mysteriorum Dei credita est, non auctoritas: qui & ipsi labi possunt, & ignorant multa. Imperet igitur Episcopus populo, sed ut pater filiis, sed ut maritus sponsæ dilectæ. Neque putet sibi quidvis licere in gregem suum, de quo redditurus est summo veroque Pastori rationem. Atque illud etiam meminerit, auctoritatem non solum tuendam esse severitate jubendi, supercilio, minis, ac vindicta, quibus rebus ne Tyranni quidem suam satis tueri solent, sed multo magis vitæ sanctimonia, modestia, mansuetudine, sacra doctrina, paternis monitis, amicis exhortationibus. *Paulus* in puniendo eum, qui patris uxorem habebat, exerit auctoritatem Apostolicam: sed quoties idem demittit sese, blandiens, rogans, obsecrans, exhortans, obtestans, adjurans? Suspicienda quædam res est, perpetua vitæ sinceritas. Incredibilem populi favorem conciliat Evangelicus animus, contemptor opum, contemptor honorum, contemptor voluptatum, avidus bene merendi de omnibus, paratus vel vitæ discrimen subire pro grege sibi credito. Magnam admirationem conciliat sibi pectus divinis Litteris refertum: lingua non minus sancta quam diserta, depromens ex opulento penuario nova & vetera. His rebus potissimum & paratur & defenditur Episcoporum auctoritas, multoque rectius ac tutius, quam his verbis, *ordinamus, decernimus, statuimus, præcipimus, volumus, ac mandamus.* Hæc faciunt, ut populus ultro plus præstet, quam exigatur, magisque commoveatur exhortatione paterna, quam ullis quamlibet regalibus minis. An non videmus, quoties exoritur aliquis qualicunque opinione sanctimoniæ commendatus, ac speciem aliquam Evangelici Doctoris præbens, quanto studio populus pendeat ab illius ore, quam ex animo faveat? Quid si videret vere paternum animum, qualem habebat *Paulus* aut *Petrus*, quid non faceret populus? *Paulum* non secus ac *Jesum Christum* exceperunt Discipuli, parati vel oculos suos eruere, ac dare illi, si postulasset.

His igitur rationibus optime constabit ordo, constabit auctoritas, constabit pax & concordia, si pars utraque vicissim certet officio. Alioqui tyrannica pax est, quoties populus oppressus vi, quiescit corpore, sed animo obmurmurat, ac male precatur. Neque statim clamitent detrahi Præsulum auctoritati, si populi libertati simul & quieti consulitur. Primum illud pertinet ad Præsulum auctoritatem, ut populus de ipsis quam optime sentiat. At parum bene sentire videtur, qui judicat eos hoc animo esse, ut velint suos quamplurimis constitutionum laqueis irretitos esse, modo ipsi suo arbitratu imperent. Is demum bene sentit de Pontifice, qui judicat illum hoc esse animo, ut gregem suum cupiat quam maxime liberum in *Christo*, & expeditum scrupulis & captionibus. Neque enim ille detrahit auctoritati Regis, qui nolit illi quicquam licere, contra æquum ac bonum, contra publicas leges, contra consuetudines ac privilegia civium, contra jusjurandum quo suscepit principatum. Imo totam auctoritatem detrahit, qui hoc sentit de Rege, quod Tyrannis dignum est potius, quam legitimo Principe. Proinde si Rex non postulat, ut suo edicto quemquam obstringat ad pœnam pecuniariam, aut corporalem, nisi

sit

sit æqua, justa, rationabilis, rite lata, & tantis populi suffragiis comprobata: denique non postulat, ut omnis constitutio reddat obnoxium periculo capitis, nonne Episcopis animum plane tyrannicum tribuere videtur, qui suspicatur hanc esse mentem, ut quibuslibet constitutionibus velint suos obnoxios esse gehennæ? At Principum sæpe minaces sunt, & atrociore pœna deterrent verius quam puniunt, qualis fertur illa duodecim Tabularum de dissecando corpore ejus, qui pluribus creditoribus deberet, nec esset solvendo. Ac veteres illi multitudinem imperitam & Philosophiæ rationibus intractabilem, *Jovis* fulmine sævientis in fontes, Dirarum ultricium, *Rhadamanthi*, terribilium apud inferos suppliciorum figmentis, deterrebant a maleficiis. Ut hujusmodi fuci nonnihil concedamus Principibus profanis, non arbitror in Episcopis esse recipiendum, qui profitentur doctrinam Evangelicæ veritatis. Sed qui præcipit, injicit laqueum, qui exhortatur, sic avocat ad meliora, ut non adimat libertatem. Dicet aliquis, dilutam esse exhortationem, propter intractabiles opus esse præcepto. Mihi contra videtur. Sæpe plus impetrat exhortatio paterna, quam tyrannica exactio. Sit hoc vanum, nisi quotidie experimur in uxoribus ac liberis, & nisi suo malo verum esse docuit *Hieroboam*, cui male cessit sævum ac minax juvenum consilium. Si populus conspexerit vere Sacerdotem & Episcopum, non erit inefficax exhortatio. Sin vita palam impia, mores impuri, inscitia crassa, avaritia insatiabilis, sævitia barbarica prorsus alienavit animos plebis, quid proficietur præceptis? Qui non parebunt, gravius peccabunt ob contumaciam: qui parebunt metu, nihil promerebuntur, aut certe quam minimum, quod non præstet præceptum, qui vi coactus præstat. Et fortasse culpam conduplicabit hypocrisis. In nobis igitur potissimum situm, ut apud populum pondus habeat exhortatio quamvis blanda & placida. Itaque probe quidem faciunt, qui consulunt procerum auctoritati, sed male consulunt, qui eam non aliter quam minis ac terroribus sartam tectam esse volunt. Sed interim æquum, ut gregis quoque libertati, quantum æquitas postulat, consulatur. Est & huic sua quædam auctoritas, nec ea sane levis. Nonne consuetudo derogat & abrogat legem, adeo ut lex non mereatur nomen legis, nisi fuerit utentium tacitis suffragiis comprobata? Quæ res abrogavit proximi Concilii *Lateranensis*, quod sub *Julio* secundo cœptum, sub *Leone* decimo perfectum est, tot constitutiones? Nonne tacita populi suffragia, sine calculis abrogantia quod erat decretum? Hæc nimirum est vox populi, quæ eadem Dei dicitur, hæc est auctoritas liberæ multitudinis, cujus æquum est haberi rationem, quoties non aberrat a regula pietatis. Proinde recte consulet, qui sic moderabitur consilium, ut prospiciat utrique parti.

Nunc scrupulo scandali quantum tribuendum sit, paucis dispiciamus. Princeps noster *Jesus Christus* alias nonnihil tribuit vitando scandalo, rursus alias negligit offensos Pharisæos. E conjugata nasci voluit, circumcisus est, observavit a Lege præscriptas ceremonias, jejunavit, ne quid illi posset impingi, quod probabilem haberet speciem impietatis, aut injustitiæ. Cæterum non desiit prædicare Patrem suum, non desiit docere cœlestem Philosophiam, non desiit benefacere omnibus, non veritus est hominem sanare sabbato, quanquam his rebus urerentur Pharisæi. Scandalo fuit & *Herodi*, quem contempsit, vicissim ab ipso contemptus. Et alicubi monitus de offensis Pharisæis, quid respondit? *Sinite*, inquit, *illos, cæci sunt duces cæcorum.* Ad hujus exemplum & Apostoli multa dederunt infirmitati Judæorum, ne qua res impediret Evangelii cursum. At non usquequaque indulgent offensis omnium. Nullis enim Judæorum clamoribus huc perpelli potuerunt, ut Gentes adigerent ad circumcisionem. Hoc modo ad tempus datum est invincibili Judæorum pertinaciæ, quod jubentur Ethnici abstinere a stupro, sanguine suffocato, idolothytis. *Paulus* tondet cæsariem, exercet nudipedalia, purificatur in Templo, quo mitiget quorumdam animos ad seditionem spectantes. Sed hæc facit, ubicunque licet reclamans. Fatetur licere vesci quibuslibet, sed incidit ubi non expediat uti jure tuo. Evangelicam porrigit libertatem, sed charitas omnia metiens utilitate proximi, nonnunquam volens decedit de jure suo, non usquequaque, neque perpetuo, sed interim obluctans pro viribus infirmitati eorum qui temere offenduntur, donec & illi proficiant ad robur Evangelicum, nec amplius offendantur his rebus, quæ per se neque bonæ sunt, neque malæ. *Paulus* in cibis aliquando Judæis fiebat Judæus, ut Judæos lucrifaceret. Rursus Ethnicis Ethnicus, ut illos lucrifaceret. Sed absurdum fuerit, si quis nunc quoque Judæis fieret Judæus, abstinens a cibis apud illos vetitis, ne Judæos alienet. Imo *Paulus* objurgat *Petrum*, quod cum jam eousque propagata foret doctrina *Christi*, ut æquum esset Judæos edoctos ac monitos abjicere superstitiosam infirmitatem, adhuc ne Judæos offenderet, subduceret sese a convivio, & offendiculum vitans, incidit in aliud gravius. Erat illa Evangelii velut infantia. Judæis sic penitus erat infixa Legis religio tradita a majoribus, longoque usu confirmata, ut hic affectus ad tempus esset ignoscendus ac tolerandus, quod ex honesta causa natus esset, & subito revelli non posset ex animis hominum. Deinde hæc offensa grave periculum secum trahebat. Judæorum natio tenax avitæ consuetudinis alienabatur ab Evangelio. Ethnici sic abhorrebant ab onere Legis, ut multi citius a *Christo* sustinuerint resilire, quam Judaïsmum admittere. Et cum nihil sit exsecrabilius idololatria, qui vescebatur idolothytis, tum temporis probabilem suspicionem præbebat assentientis illorum superstitioni, quibuscum vescebatur. Et tamen hîc *Paulus* clamat Legem jam antiquatam esse. Clamat idolum nihil esse, & idolothytum nihil esse. Objurgat eum, qui sciens offendit fratrem esu suo. Sed rursum objurgat eum, qui judicat alienam conscientiam in cibo aut potu, qui male loquitur de fratre ob cibum, pro quo ille gratias agit benigno Domino, qui omnia creavit in usus hominum. Irridet illorum stultam sapientiam, qui ut magnum quiddam docentes, dicebant, *Ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris.* Quemadmodum Judaïcus ciborum delectus, auctore *Paulo*, contemni cœpit Evangelio satis jam provulgato, sic a simili videtur idolothytum contemnendum, ubi satis jam innotuit Christianos puro animo vesci quibuslibet cibis ad corporis necessitatem, gratias agentes ei, qui suis cultoribus omnia paravit quæ sunt in hoc mundo, cum ipse sit omnium Dominus, qui nihil voluit puris impurum esse. Proinde si cessat idonea causa scandali, & si regnum Dei non est esca & potus, & si ciborum abstinentia plerosque invitat ad luxum ac delicias, tenues autem inclementer gravat, videndum est, an pro constitutionibus hujusmodi sit tantopere digladiandum. Illic pro tempore consulebatur nascenti Evangelio. Dabatur aliquid affectibus ex priori vita relictis. Et dabatur ad tempus ex charitate, non ex jure. Nec dabatur in omnibus, nec perpetuo, nec sine reclamatione. At nunc unde offendiculum, ex his rebus, quarum usum non interdicit Evangelium? Imo quarum interdictores damnant Apostolicæ Litteræ, *Prohibentes*, inquit, *cibos, quos Deus creavit ad vescendum, & prohibentes nubere.* Denique quousque videntur scandali proferendi limites? *Paulus* abstinet ab idolothyto, sed admonitus, hoc esse immolatum idolis. At idem vescitur quibuslibet, nihil interrogans propter conscientiam. Atque hîc levi incommodo vitatur offendiculum. Etenim qui temperat pro tempore a carnibus immolatitiis, habet ad manum alias carnes quibus vescatur. Abstinet a tauro immolato *Neptuno*, & vescitur perdice, aut capo, nulli Deo immolato. Ne id quidem facit, nisi per occasionem. Abstinet a carne suilla, & vescitur ficedula. Abstinet ab anguillis, & vescitur acipensere. Nunc cum plerisque diebus omnium carnium esus sit interdictus, num æquum censes, ut ego ob infirmitatem ac superstitionem hujus aut illius de salute vitaque pericliter, cum jam omnes Christianos illud edoctos esse oporteat, ne ex rebus hujusmodi judicent

Digitized by Google

proximum? Quod si Christianæ charitatis videtur sic indulgere idiotarum aut superstitiosorum imbecillitati, ut hac de causa velimus eum, qui firmus est, in valetudinis aut vitæ venire discrimen, cur non idem facimus in his rebus, quæ justum ac manifestum habent scandalum? Sunt Ecclesiæ proceres, qui cum abundent Ecclesiastico censu usque ad Regum opulentiam, tamen nec docent populum, & palam impie vivunt, offenduntur idiotæ. Hic nihil datur populi scandalo, sed ab infirmis tanta firmitas exigitur, ut jubeantur credere, ni malint esse hæretici, quicquid per illos agitur, sive cum absolvunt damnantve, sive cum benedicunt aut maledicunt, sive cum largiuntur indulgentias aut retinent, tantumdem valere, ac si per Apostolum *Paulum*, *Andream*, aut *Jacobum* fuisset actum. Attamen hoc scandalum natum est ex re per se mala, & adeo non vitatur incommodo ejus unde sumitur, ut si nullum esset offendiculum apud homines, tamen vitandum erat, quod offendit oculos Dei. Ad hæc cum omnis obtrectatio speciem habeat summi mali, tamen hîc negligimus offendiculum infirmorum, ac fortiter animo nostro morem gerimus. In his rebus tantum, quæ hujus generis sunt, ut qui interdicunt, egeant patrocinio, ne videantur facere adversus doctrinam Evangelicam, tantum valet scandali vocabulum, ut ob stultam superstitionem velimus periclitari fratrem, cui cibus est necessarius. An non hoc est transgredi præcepta Dei, propter traditiones hominum?

Jam dudum dicit, scio, tua pietas, eximie Præsul. Quorsum ista tam multa? An ut damnem ciborum delectum, quem comprobat usus Ecclesiasticus? Ut ingenue dicam, cupiam omnia quæ sunt hujus generis, aut certe talium exactionem prorsus e medio sublatam, modo veræ pietatis studiis accrescat, quod decesserit ceremoniis, & hoc addatur Christianismo, quod Judaïsmo detractum fuerit. Quod si vulgus idiotarum absque hujusmodi observatiunculis prorsus in officio contineri nequit, nolim Christianam libertatem hujusmodi multis gravari; nolim sic adstringi conscientias, ut se credant capitale facinus admittere, si vescantur, nisi perversus & contumax animus accesserit; nolim præposteto judicio tantum his tribui, quæ per se pene nullius momenti sunt, neglectis iis, sine quibus non constat Evangelica pietas. Sed tamen hæc posteaquam publica consuetudine fixa radices egerunt, nolim seditiose contemni, sed vel paulatim aboleri, vel auctoritate majorum tolli, sed ita tolli, ut interim populus ad meliora vocetur. Sed objiciet hîc mihi quispiam, si non multum conducunt hujusmodi ceremoniæ, certe nihil obsunt, & hactenus prosunt ad pietatem, quod & admonent veræ pietatis, & ad hæc infirmis sunt pædagogi, quemadmodum Lex *Mosaica* Judæis. Et videmus quanta sit Christianorum etiam imbecillitas. Interdictus carnium esus admonet & docet omnem luxum, & quicquid luxum consequi solet, esse fugiendum. Indictum jejunium admonet ac docet ab omnibus vitiis esse temperandum. Nam id demum Deo gratum est jejunium. Hæc si placet ratio, circumcidamur eadem opera, quando circumcisio & temperat titillationes voluptatum in coïtu, & admonet cor ab omnibus crassis affectibus esse circumcidendum. Mactemus victimas, ea res monet brutos animorum affectus esse domandos. Verum ut admoneamur hujusmodi figuris, satis est nobis, hæc religiose fuisse quondam observata a Judæis. Quod si pietas non periclitatur ex ceremoniis, cur *Paulus* tanto ardore ubique pugnat adversus ceremonias *Mosaïcæ* Legis? Hæc si immodice adhibeantur, obruunt Evangelicam libertatem. His fidere, ut fere vulgus hominum solet, pestis est veræ pietatis. Ex his obtrectare fratri, venenum est Evangelicæ Religionis. Hæc nimirum videbat *Paulus*, cum acriter belligeraretur adversus irrumpere conantem Judaïsmum. Imo si vacet, docere possim, gravissimas quasque rei Christianæ pestes ex ceremoniis nobis scatere. Non probo contumaciam istorum, qui palam & insultantes, velut in ludibrium publicæ consuetudinis, carnes ederunt. Sed hactenus damno, ut docendos, admonendos, & si res poscat etiam increpandos existimem, non ut parricidii reos deferendos ad Magistratus, & rem negligendam magis, quam exagitandam, vel ob hoc, ne ex hac scintilla concitata majus nascatur incendium, & odium adversus Clerum, jam plus satis exacerbatum. Mihi displicet quicquid spectat ad seditionem. Attamen, si nullus obsistat hujusmodi ceremoniis semper in majus glisscentibus, actum plane fuerit de libertate Evangelica, sed a nullis potius obsisti convenit, quam a proceribus Ecclesiæ. Sic paulatim irrepsit consuetudo, quæ nobis diem Veneris piisculentum reddidit. Deinde ubi hoc successit, ademptus est & Sabbati dies. Nunc & Mercurii dies periclitatur. Et ob id genus observatiunculas videmus tot homines affligi, periclitari, denique mori, multos sibi stulte placere sibique Christianos videri, cum sint Judæi, & harum rerum fiducia ea negligere, quæ veræ sint pietatis. Et Evangelica charitas docet afflictis opitulari. Evangelica libertas non debet hujusmodi præter modum inductis a seriis studiis avocari. Atque hactenus quidem in genere dictum sit de rebus hujusmodi, non ut patrociner contumacibus & insolentibus, sed ut excussis causæ circumstantiis dispiciat tua prudentia, ne plus minusve fiat, quam res ipsa postulet.

Nunc meam ipsius causam paucis agam, non quod ulli bono fuerim offendiculo. Quod enim feci, non veritus fuissem ipso *Christo* accumbente facere. Si quidem eram in eo statu, ut quivis citius judicasset miseratione dignum, quam reprehensione, sed tamen non committam, ut apud eos, quibus res, ut habet, ignota est, quisquam meum exemplum suæ prætexat licentiæ, meaque necessitate suam defendat temeritatem. Primum ego nullum hortatus sum, ut citra necessitatem carnibus vesceretur, imo potius docui publicæ consuetudini serviendum. Ipse sic affectus sum erga carnes, ut, si liceat vitam ac salutem tueri cicere ac lupino, nec pisces nec carnes sim desideraturus. Porro cum ob imbecillam corporis valetudinem & naturale quoddam odium piscium pene singulis Quadragesimis soleam periclitari, tamen frequenter ad carnium præsidia vocantibus Medicis nunquam obtemperavi, nisi semel in *Italia*, Medico jam dies aliquot mortem minitante, ni parerem: cui tamen hactenus parui diebus paucis, ut jus carnium ovorum vitellis temperatum sumerem, ab ipsis carnibus abstinerem, quas etiamsi animus appetisset, non recipiebat stomachus, tanta erat imbecillitas. Et nunc dies aliquot in Quadragesima, idque jussu Medici, nec sine venia Pontificis, a quo jam complures annos diploma paratum est, quo nunquam antehac sum usus, quod ad carnes attinet. Jam finge me hoc absque Medici auctoritate fecisse. Quis Medicus rectius novit hoc corpusculum quam ego? Finge absque diplomate fecisse, nonne quovis diplomate melius excusat necessitas? Primum expende senectutem, perpetuam pene corpusculi hujus valetudinem: expende laborem itineris, labores studiorum, in quibus supra vires & corporis & animi versor assidue. Adhæc me viginti ferme dies pituita, imo non pituita, sed mera pestis ad mortem usque afflixit. Eadem ex intervallo recurrens, gravius etiam ac diutius nos habuit. Sub Quadragesimam nos calculus cum mira quadam totius corporis affectione corripuit. Hoc malum cum sit atrocissimum & præsentis periculi, nec enim majore vitæ discrimine nituntur gravidæ, alternis pene diebus mihi recurrebat. Sic ut misera fœcunditate uno die conciperem, altero niterer, tertio parerem. Hîc quis sanus non diceret me esse mei ipsius homicidam, si carnibus abstinuissem? Qui *Erasmum* imitari volunt, totum imitentur, & ignoscetur. Nunc quid validis, otiosis, temulentis, ad ludibrium, non ad necessitatem edentibus, cum exemplo *Erasmi*? Restat unus scrupulus de scandalo. Suadet illud Christiana charitas, fateor, ut ubique quoad licet imbecillium offendiculo consulatur. Audio *Paulum* paratum, vel in æternum abstinere ab esu carnium potius, quam ut cum offendiculo proximi vesca-

veſcatur. Sed idem, ut ante dictum eſt, objurgat ex cibo potuve judicantes fratrem, & interim peſtilentiſſimos commemorat, qui prohiberent veſci cibis, quos Deus paraſſet in uſum hominum. *Cur tu*, inquit, *judicas ſervum alienum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Et cur judicer ab aliena conſcientia in eo, pro quo ego gratias ago? Qui veſcitur, non veſcentem non ſpernat, qui non veſcitur, veſcentem non judicet.* Itaque *Pauli* judicio infirmior eſt, qui non veſcitur. Et is gravius peccat, qui judicat ſe meliorem, cui magis debebat cedere. Et tamen hujus infirmitati, ſi ex cauſa probabili fuerit offenſus, ſi corrigi non poſſit, ad tempus cedit charitas omnibus ſeſe attemperans. At non uſquequaque. Eſt enim in quo monendus ac docendus eſt infirmus. Eſt in quo reprehendendus. Eſt in quo ſpernendus. Alioqui perpetuo obſequio nihil aliud, quam alere morbum imbecillium, rectiſſima via eſt ad exſtinguendum omnem pietatem Evangelicam. Et tamen *Paulus* illic agit de imbecillitate propemodum invincibili, quod ex majorum traditione longaque conſuetudine ſic alte inſederit animis hominum, ut ſubito reſelli non queat. Sic Judæi legem, in qua nati fuerunt & educati, & in ejus religioſa obſervatione conſenuerant, non ferebant abrogari. Sic aliquis ex Gentibus converſus, ſi vidiſſet Chriſtianum accumbentem in convivio, quo ſimulacharis immolatæ carnes proponebantur, non potuit non ſuſpicari illum conſentire ſuperſtitioni eorum quibus cum agitabat profanum convivium. Et tamen *Paulus* ſtrenue clamat interim, idolum nihil eſſe, & fas eſſe veſci, quicquid in macello proponitur. Clamat Legis ceremonias ad tempus inſtitutas ad Evangelii vigorem oportere antiquari. Denique *Petro* reſtitit in faciem, quod nondum inane Judæorum offendiculum audiret contemnere. Erat igitur aliud offendiculi genus, de quo *Paulus* ait, cujus occaſio præbebatur ex vitæ ſuperioris inolita conſuetudine. Nos ipſi gignimus & accerſimus nobis offendiculorum hujuſmodi materiam, cum videamus, quanta peſtis veræ pietatis hinc nata ſit vitæ mortalium. *Paulus* tolerat infirmos hac ſpe, ut proficiant ad firmitatem. Nos toti inclinamus in hæc, negligentes eorum, quæ ſola vere pios faciunt. Cæterum ut ad meam cauſam redeam, utcunque res habet, de ratione offendiculi, nec hîc quiſquam in me deſiderabit, opinor, charitatem cedere cupientem infirmitati proximi. Diploma Pontificis velut antidotum oppoſui hujuſmodi offenſis. Nec enim video in quem alium uſum mihi ſane valeat. Deinde quantum licuit, ſecreto ſum uſus carnibus. Imo uſque ad manifeſtum vitæ periculum in totum abſtinui, ſæpe contempto Medico. Quid ſupereſt, niſi ut ob ſuperſtitioſam infirmitatem, ne dicam perverſam temeritatem quorundam, nihil non calumniantium, etiam moriar? Impius ſit, opinor, qui hoc exigat: & ipſe paricida ſim, ſi obtemperem. Chriſtianæ charitatis eſt, commode interpretari, quicquid animo recto fieri poteſt. Nec illud oportuit neſciſſe Chriſtiane doctos, jejunium & piſces non eſſe præſcriptos morbo, ſed carnis luxuriæ periclitantibus. Quod ſi quis adhuc adeo ſuperſtitioſus eſt, ſi qui veſcitur, hunc admonuerit hiſce verbis: Frater ne quid offendat te noſtrum exemplum, coactus facio quod facio: utinam eſſem felicior, ego tuo robori gratulor: tu noli meam imbecillitatem calumniari: ſatis, ut opinor, ſuam liberarit conſcientiam.

Sed ut finiam, quemadmodum acriter arguendos arbitror iſtos, qui ſeditioſa temeritate violant publicam conſuetudinem, præſertim eam, quæ non pugnet cum vera pietate: ita mihi Parochi & Concionatores recte facturi videntur, ſi ex auctoritate Præſulum ſic jejunium denuncient populo. Oportebat quidem omnem Chriſtianorum vitam perpetua ſobrietate jejunium quoddam eſſe, non ſolum a cibis, verum multo magis ab omni luxu, a cunctis voluptatibus hujus mundi, a cupiditatibus carnis, quæ militant adverſus ſpiritum. Sed tamen adhortatur vos auctoritas Eccleſiaſtica, & conſuetudo majorum, ut qui poſſunt per corporis valetudinem, ætatem, aut rei familiaris copiam, jejunio præparent animos ſuos diei feſto. Sed Chriſtianum ſit jejunium veſtrum, ſi gratum eſſe vultis *Jeſu Chriſto*, ſit perfectum & abſolutum. Minima jejunii portio eſt abſtinentia ciborum. Ingratum eſt Deo jejunium, quo ſcinditur pax & concordia. Qui jejunant, gratias agant Domino pro robore corporis, quod inedia redditur aptius rebus divinis. Qui non jejunant, gratias agant Domino, qui ſua benignitate variam ciborum copiam ſuppeditat refocillandæ imbecillitati corporum noſtrorum. Qui jejunant, non hoc nomine ſibi placeant, quaſi rem magnam agant, niſi majora adjecerint. Qui non jejunant, tanto magis adnitantur piis ſtudiis, ut, quod ob corporis imbecillitatem præſtare non poſſunt, aliis ſtudiis penſent ac ſarciant. Qui non abſtinet, ne turbet publicam conſuetudinem, vitans offendiculum infirmorum, quantum commode poteſt. Qui abſtinet, caveat ne contra doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam judicet proximum ſuum, ex eo quod natura ſit anceps, & recte ſecuſve fieri poſſit. Levius peccat, qui totam vitam ceenat abſque neceſſitate, quam qui ob cibum ac potum obtrectat ac mordet proximum, quem juxta divinum præceptum non ſecus amare debebat, quam ſeipſum. Hujuſmodi monita quoniam vehementer ad rem faciunt, identidem ſunt inculcanda. Quin & illud ob infirmas ac meticuloſas conſcientias declarari cupiam, quæ conſtitutiones, quos obligent, & quos non obligent: aut quatenus obligent, aut non obligent. Nec opinor in his, quæ ab hominibus ſtatui poſſunt, limites uſque adeo anguſtos præſcribi mea ſententia. Sit hîc levis & indulgens paterna charitas. Cæterum adverſus livorem, adverſus obtrectationem, adverſus homicidia ac bella, cæteraſque certas ac veras Chriſtianæ pietatis peſtes ſæviat Epiſcoporum auctoritas. Hæc viſum eſt ad te ſcribere, clariſſime vir, & integerrime Præſul, non ut docerem doctiſſimum, aut ut meam cauſam agam apud tuam celſitudinem, cui noti ſunt & mei labores in ſtudiis publicæ utilitatis gratis ſuſcepti, & animus hic meus, nullius rei minus appetens, quam cibi aut potus, & corporis imbecillitas, quam aggravat etiam ſenectus, & hic præſens morbus nimium hærens & urgens: ſed ut per te vel placeam, vel ſanem alios, ſi quos forte vel offendit factum meum, vel exemplum ad licentiam pertraxit. Quod autem hæc liberius a me diſſerta ſunt, nihil aliud in cauſa fuit, niſi quod optime ſentirem de tua ſingulari prudentia ac manſuetudine. Cum enim cogitarem generis tui nobilitatem, & moribus integerrimis, & eruditione non vulgari, denique prudentia ſingulari, cæteriſque dotibus Epiſcopo decoris, non verebar ne quid raperetur in ſuſpicionem liberius dictum de Præſulum officio. Bene valeat tua celſitudo, ſanctiſſime Præſul. *Baſileæ* poſtridie Paſchæ. ANNO M D XXII.

DE-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI DE LIBERO ARBITRIO

ΔΙΑΤΡΙΒΗ SIVE COLLATIO.

INTER difficultates, quæ non paucæ occurrunt in divinis Litteris, vix ullus Labyrinthus inexplicabilior, quam de *Libero Arbitrio*. Nam hæc materia jam olim Philosophorum, deinde Theologorum etiam, tum veterum, tum recentium ingenia mirum in modum exercuit, sed majore, sicut opinor, negotio quam fructu. Nuper autem renovata est per *Carolstadium* & *Eccium*, sed moderatiore conflictatione: mox autem vehementius exagitata per *Martinum Lutherum*, cujus exstat de *Libero Arbitrio* assertio. Cui tametsi jam non ab uno responsum est, tamen quando ita visum est amicis, experiar & ipse, num ex nostra quoque conflictatiuncula veritas reddi possit dilucidior. Hîc scio quosdam protinus obturatis auribus reclamaturos ἄνω ποταμῶν, *Erasmus* audet cum *Luthero* congredi, hoc est, cum elephanto musca? Ad quos placandos, si tantillum silentii licebit impetrare, nihil aliud præfabor in præsentia, quam id quod res est, me nunquam jurasse in verba *Lutheri*. Proinde nemini videri debebat indignum, sicubi palam dissentirem ab illo, nimirum, ut nihil aliud, homo ab homine, tantum abest, ut nefas sit de illius aliquo dogmate ambigere, multo minus, si quis veritatis eliciendæ studio, moderata disputatione cum illo congrediatur. Certe *Lutherum* ipsum non arbitror indigne laturum, sicubi quis ab ipso dissentiat, cum ipse sibi permittat, non solum ab omnium Ecclesiæ Doctorum, verum etiam ab omnium Gymnasiorum, Conciliorum, Pontificum decretis appellare, quod cum ipse palam & ingenue profiteatur, mihi non debet apud illius amicos esse fraudi, si repeto. Proinde ne quis hanc pugnam interpretetur, qualis solet esse inter commissos gladiatores, cum unico illius dogmate conflictabor, non in aliud, nisi ut, si fieri queat, hac collisione Scripturarum & argumentorum fiat evidentior veritas, cujus indagatio semper fuit honestissima studiosis. Res sine conviciis agetur, sive quia sic magis decet Christianos, sive quia sic certius invenitur veritas, quæ sæpenumero nimium altercando amittitur. Equidem non ignorabam, quam non essem ad hanc appositus palæstram: certe vix alius quisquam minus exercitatus, ut qui semper arcano quodam naturæ sensu abhorruerim a pugnis: eoque semper habui prius in liberioribus Musarum campis ludere, quam ferro cominus congredi. Et adeo non delector assertionibus, ut facile in Scepticorum sententiam pedibus discessurus sim, ubicunque per divinarum Scripturarum inviolabilem auctoritatem & Ecclesiæ decreta liceat, quibus meum sensum ubique libens submitto, sive assequor quod præscribit, sive non assequor. Atque hoc ingenium mihi malo, quam quo video quosdam esse præditos, ut impotenter addicti sententiæ nihil ferant, quod ab ea discrepet: sed quicquid legunt in Scripturis, detorquent ad assertionem opinionis, cui se semel manciparunt: sicuti juvenes, qui puellam amant immoderatius, quocunque se vertunt, imaginantur se videre quod amant. Imo, ut, quod est similius, conferam, quemadmodum inter eos inter quos incruduit pugna, quicquid forte ad manum est, sive cantarus sit, sive discus, in telum vertitur. Apud sic affectos, quod obsecro potest esse sincerum judicium? aut quis ex hujusmodi disputationibus fructus, nisi ut uterque ab altero consputus discedat? Semper autem erunt quamplurimi tales, quales describit *Petrus* Apostolus, *indocti & instabiles, qui depravant Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* 2 Pet. III.

Itaque quod ad sensum meum attinet, fateor de *Libero Arbitrio* multa variaque tradi a Veteribus, de quibus nondum habeo certam persuasionem, nisi quod arbitror esse aliquam Liberi Arbitrii vim. Legi quidem *Martini Lutheri* assertionem, & integer legi, nisi quod illic favorem quemdam in illum mihi sumpsi, non aliter quam cognitor favere solet gravato reo. Et quanquam ille rem omnibus præsidiis magnoque spiritu versat agitque, mihi tamen, ut ingenue fatear, nondum persuasit. Quod si quis vel ingenii tarditati, vel imperitiæ velit adscribere, cum hoc non contendam, modo tardioribus etiam permittant, vel discendi gratia, congredi cum his quibus Dei donum uberius contingit: præsertim cum *Lutherus* minimum tribuat eruditioni, plurimum Spiritui, qui nonnunquam instillat quædam humilioribus, quæ σοφοῖς illis negat. Hæc ad illos, qui fortiter clamant, *Luthero* plus esse eruditionis in minimo digitulo, quam *Erasmo* in toto corpore, quod ego sane nunc non refellam. Ab istis, quamlibet iniquis, tamen illud, opinor, impetrabo, ut si per me conceditur in hac disputatione *Luthero*, ne quo pacto gravetur præjudicio Doctorum, Conciliorum, Academiarum, Pontificum, & Cæsaris, ne meam causam deteriorem faciat quorumdam in judicando temeritas. Etiamsi visus sum mihi, quod illic *Lutherus* tractat, percepisse: attamen fieri potest, ut me mea fallat opinio, eoque disputatorem agam, non judicem: inquisitorem, non dogmatisten, paratus a quocunque discere, si quid adferatur rectius aut compertius. Quanquam illud libenter persuaserim mediocribus ingeniis, in hujus generis quæstionibus non adeo pertinaciter contendere, quæ citius lædant Christianam concordiam, quam adjuvent pietatem. Sunt enim in divinis Litteris adyta quædam, in quæ Deus noluit nos altius penetrare, & si penetrare conemur, quo fuerimus altius ingressi, hoc magis ac magis caligamus, quo vel sic agnosceremus & divinæ sapientiæ majestatem impervestigabilem, & humanæ mentis imbecillitatem. Quemadmodum de specu quodam *Corycio* narrat *Pomponius Mela*, qui primum jucunda quadam amœnitate allectat ac ducit ad se, donec altius ingressos, tandem horror quidam ac majestas Numinis illic inhabitantis submoveat. Huc igitur ubi ventum erit, mea sententia, consultius ac religiosius etiam fuerit clamare cum *Paulo: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus!* Rom. XI. Et cum Esaia: *Quis audivit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit:* Esai. XL. quam definire quod humanæ mentis excedit modum. Multa servantur ei tempori, cum jam non videbimus per speculum & in ænigmate, sed revelata facie Domini, gloriam contemplabimur.

Ergo meo quidem judicio, quod ad *Liberum Arbitrium* attinet, quæ didicimus e sacris Litteris, si in via pietatis sumus, ut alacriter proficiamus ad meliora, relictorum obliti: si peccatis involuti, ut totis viribus enitamur, adeamus remedium pœnitentiæ, ac Domini misericordiam modis omnibus ambiamus, sine qua nec voluntas humana est efficax, nec conatus: & si quid mali est, nobis imputemus: si quid boni, totum adscribamus divinæ benignitati, cui debemus & hoc ipsum quod sumus, cæterum quicquid nobis accidit in hac vita, sive lætum, sive triste, ad nostram salutem ab illo credamus immitti, nec ulli posse fieri injuriam a Deo natura justo, etiam si qua nobis videntur accidere indignis. Nemini desperandum esse veniam a Deo natura clementissimo. Hæc, inquam, tenere, meo judicio, satis erat ad Christianam pietatem, nec erat irreligiosa curiositate irrumpendum ad illa retrusa, ne dicam supervacanea: An Deus contingenter præsciat aliquid? Utrum nostra voluntas aliquid agat in his quæ per-

Digitized by Google

pertinent ad æternam ſalutem? An tantum patiatur ab agente gratia? An quicquid facimus, ſive boni, ſive mali, mera neceſſitate faciamus, vel patiamur potius? Sunt quædam quæ Deus omnino voluit nobis eſſe ignota, ſicut diem mortis, & diem extremi judicii. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, Actorum* I. & *Marci* XIII. *De die autem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Quædam voluit nos ſcrutari, ſic ut ipſum in myſtico ſilentio veneremur. Proinde multa ſunt loca in divinis Voluminibus, in quibus cum multi divinarint, nullus tamen ambiguitatem plane reſecuit: velut de diſtinctione Perſonarum: de conglutinatione naturæ re divinæ & humanæ in *Chriſto:* de peccato nunquam mittendo. *Deut.* XXX. Quædam voluit nobis eſſe notiſſima, quod genus ſunt, bene vivendi præcepta. Videlicet hic eſt *Rom.* X. ſermo Dei, qui neque petendus eſt e ſublimi conſcenſo cœlo, neque e longinquo importandus tranſmiſſo mari, ſed prope adeſt in ore noſtro & in corde noſtro. Hæc omnibus ediſcenda ſunt, cætera rectius Deo committuntur, & religioſius adorantur incognita, quam diſcutiuntur imperveſtigabilia. Quot examina quæſtionum vel contentionum potius nobis peperit Perſonarum diſtinctio, ratio principii, diſtinctio nativitatis & proceſſionis? Quas turbas concitavit in orbe digladiatio de conceptione θεοτόκου Virginis? Quæſo quid hactenus his operoſis quæſtionibus profectum eſt, niſi quod magno concordiæ diſpendio minus amamus, dum plus ſatis volumus ſapere? Jam ſunt quædam ejus generis, ut, etiamſi vera eſſent & ſciri poſſent, non expediret tamen ea proſtituere promiſcuis auribus. Fortaſſe verum eſt, quod ſolent garrire Sophiſtæ, Deum ſecundum naturam ſuam non minus eſſe in antro ſcarabei, ne quid dicam obſcœnius, quod iſtos tamen non pudet dicere, quam in cœlo, & tamen hoc inutiliter diſputaretur apud multitudinem. Et tres eſſe Deos, ut vere dici poſſit juxta rationem Dialecticæ, certe apud multitudinem imperitam magno cum offendiculo diceretur. Si mihi conſtaret, quod ſecus habet hanc confeſſionem, qua nunc utimur, nec fuiſſe inſtitutam a *Chriſto*, nec ab hominibus potuiſſe inſtitui, & ob hoc non exigendam a quoquam: item non requiri ſatisfactionem pro commiſſis: vererer tamen eam opinionem publicare, quod videam pleroſque mortales mire propenſos ad flagitia, quos nunc utcunque cohibet, aut certe moderatur confitendi neceſſitas. Sunt quidam corporum morbi, qui minore malo tolerantur, quam tolluntur, veluti ſi quis in calido ſanguine trucidatorum infantum lavet, ut lepra careat. Ita ſunt quidam errores, quos minore pernicie diſſimules, quam convellas. *Paulus* novit diſcrimen inter ea quæ licent & ea quæ expediunt. Licet verum dicere, verum non expedit apud quoſlibet, nec quovis tempore, nec quovis modo. Si mihi conſtaret in Synodo quippiam perperam fuiſſe conſtitutum aut definitum, liceret quidem verum profiteri, at non expediret, ne malis præberetur anſa contemnendi Patrum auctoritatem, etiam in his quæ pie ſancteque ſtatuiſſent; mallemque dicere, ſic illis tum pro ratione temporum probabiliter viſum fuiſſe, quod tamen præſens utilitas ſuadet abrogari. Fingamus igitur in aliquo ſenſu verum eſſe, quod docuit *Wicleφus*, *Lutherus* aſſeruit, *Quicquid fit a nobis, non libero arbitrio, ſed mera neceſſitate fieri:* quid inutilius quam hoc paradoxon evulgari mundo? Rurſum fingamus eſſe verum juxta ſenſum aliquem quod alicubi ſcribit *Auguſtinus*, *Deum & bona & mala operari in nobis, & ſua bona opera remunerare in nobis, & ſua mala opera punire in nobis*: quantam feneſtram hæc vulgo prodita vox innumeris mortalibus aperiret ad impietatem? præſertim in tanta mortalium tarditate, ſocordia, malitia, & ad omne impietatis genus irrevocabili pronitate? Quis infirmus ſuſtinebit perpetuam ac laborioſam pugnam adverſus carnem ſuam? Quis malus ſtudebit corrigere vitam ſuam? Quis inducere poterit animum, ut Deum illum amet ex toto corde, qui Tartarum fecerit æternis cruciatibus ferventem, ut illic ſua malefacta puniat in miſeris, quaſi ſuppliciis hominum delectetur? Sic enim interpretabuntur plerique. Sunt enim ferme mortalium ingenia craſſa & carnalia, prona ad incredulitatem, proclivia ad ſcelera, propenſa ad blaſphemiam, ut non ſit opus oleum addere camino. Itaque *Paulus* tanquam prudens diſpenſator ſermonis divini, frequenter adhibita in conſilium charitate, mavult id ſequi, quod expedit proximo, quam quod ex ſeſe licet: & habet ſapientiam, quam loquitur inter perfectos, inter infirmos nihil judicat ſe ſcire, niſi *Jeſum Chriſtum*, & hunc crucifixum. Habet Scriptura ſacra linguam ſuam, ſemet ad noſtrum ſenſum attemperans. Illic enim iraſcitur Deus, dolet, indignatur, furit, comminatur, odit, rurſus miſereſcit, pœnitet, mutat ſententiam, non quod hujuſmodi mutationes cadant in naturam Dei, ſed quod ſic loqui conveniebat infirmitati tarditatique noſtræ. Eadem prudentia decet illos, opinor, qui diſpenſandi ſermonis divini partes ſuſceperunt. Quædam ob hoc ipſum noxia ſunt, quod apta non ſint, quemadmodum vinum febricitanti. Proinde tales materias fortaſſis tractare licuerat in colloquiis eruditorum, aut etiam in Scholis Theologicis, quanquam ne hîc quidem expedire putarim, ni ſobrie fiat; cæterum hoc genus fabulas agere in theatro promiſcuæ multitudinis, mihi videtur non ſolum inutile, verum etiam perniciоſum. Malim igitur hoc eſſe perſuaſum in hujuſmodi labyrinthis non eſſe terendam ætatem aut ingenium, quam *Lutheri* dogma vel refellere, vel aſſerere. Hæc verboſius præfatus merito videar, niſi pene magis ad rem pertinerent, quam ipſa diſputatio.

Jam quando *Lutherus* non recipit auctoritatem ullius ſcriptoris, quantumvis approbati, ſed tantum audit Scripturas canonicas, ſane quam libens amplectar hoc laboris compendium. Cum enim tum apud Græcos, tum apud Latinos innumeri ſint, qui vel ex profeſſo, vel per occaſionem tractant de *Libero Arbitrio*, non mediocris negotii fuerit ex omnibus colligere, quid quiſque pro *Libero Arbitrio*, aut contra *Liberum Arbitrium* dixerit, & in explicandis ſingulorum dictorum ſenſibus, aut diluendis confirmandiſve illorum argumentis, prolixam ac moleſtam operam ſumere, apud *Lutherum* & hujus amicos etiam inanem, præſertim cum illi non ſolum inter ſeſe varient, verum etiam ipſi ſibi non ſatis conſtent aliquoties. Et tamen illud interim Lectorem admonitum velim, ſi Scripturæ divinæ teſtimoniis ac ſolidis rationibus videbimur cum *Luthero* paria facere, ut tum denique ſibi ponat ob oculos tam numeroſam ſeriem eruditiſſimorum virorum, quos in hunc uſque diem tot ſeculorum conſenſus approbavit: quorum pleroſque, præter admirabilem ſacrarum Litterarum peritiam, vitæ quoque pietas commendat: quidam etiam doctrinæ *Chriſti*, quam ſcriptis defenderant, ſanguine ſuo teſtimonium reddiderunt, quales ſunt apud Græcos, *Origenes*, *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Cyrillus*, *Joannes Damaſcenus*, *Theophylactus:* apud Latinos, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Hilarius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, ne recenſeam interim *Thomas*, *Scotos*, *Durandos*, *Capreolos*, *Gabrieles*, *Ægidios*, *Gregorios*, *Alexandros:* quorum in argumentando vim & argutiam non arbitror cuiquam eſſe prorſus contemnendam: utque interim ſemoveam tot Academiarum, Conciliorum, ac ſummorum Pontificum auctoritatem. A temporibus Apoſtolorum ad hunc uſque diem, nullus adhuc Scriptor exſtitit, qui in totum tolleret vim *Liberi Arbitrii*, præter unum *Manichæum* & *Joannem Wiclevum*. Nam *Laurentii Vallæ*, qui propemodum videtur cum his ſentire, auctoritas non multum habet apud Theologos ponderis. *Manichæi* vero dogma cum jam olim magno totius orbis conſenſu exploſum ſit & exſibilatum, tamen haud ſcio an minus inutile ſit ad pietatem, quam *Wiclevi*. Ille enim bona malaque opera refert ad duas in homine naturas, ſic tamen, ut opera bona debeamus Deo propter conditionem, & interim adverſus poteſtatem tenebrarum relinquit cauſas implorandi opem conditoris, qua provecti levius peccamus, & facilius operamur bonum. *Wiclevus* autem omnia referens ad meram neceſſitatem, quid relinquit vel precibus noſtris, vel conatui?

Digitized by Google

Igitur ut ad id, quod institueram, revertar. Si Lector viderit meæ disputationis apparatum ex æquo pugnare cum parte diversa, tum illud secum expendat, utrum plus tribuendum esse judicet tot eruditorum, tot orthodoxorum, tot sanctorum, tot martyrum, tot veterum ac recentium Theologorum, tot Academiarum, tot Conciliorum, tot Episcoporum & summorum Pontificum præjudiciis, an unius aut alterius privato judicio. Non quod, ut fit in humanis consessibus, ex numero suffragiorum, aut ex dignitate dicentium metiar sententiam. Scio frequenter usu venire, ut major pars vincat meliorem: scio non semper esse optima, quæ plurimis probantur: scio nunquam defuturum in indagatione veri, quod superiorum adjiciatur industriæ. Fateor par esse, ut sola divinæ Scripturæ auctoritas superet omnia mortalium omnium suffragia. Verum hîc de Scripturis non est controversia. Utraque pars eamdem Scripturam amplectitur & veneratur: de sensu Scripturæ pugna est. In cujus interpretatione si quid tribuitur ingenio & eruditioni: quid Græcorum ingeniis acutius, aut perspicacius? Quid in Litteris sacris exercitatius? Nec Latinis defuit ingenium, nec Litterarum sacrarum peritia, qui si naturæ felicitate cesserunt Græcis, certe monumentis illorum adjuti, potuerunt Græcorum industriam æquare. Quod si in hoc judicio magis spectatur vitæ sanctimonia, quam eruditio, vides quales viros habeat hæc pars, quæ statuit *Liberum Arbitrium*. Faceslat odiosa, quod ajunt Jureconsulti, comparatio. Nolim enim quosdam illius novi Evangelii præcones cum veteribus illis conferre. Hîc audio. Quid opus est interprete, ubi dilucida est Scriptura? Si tam dilucida est, cur tot seculis viri tam excellentes hîc cæcutierunt, idque in re tanti momenti, ut ipsi volunt videri? Si Scriptura nihil habet caliginis, quid opus erat Apostolorum temporibus prophetia? Hoc erat donum Spiritus. Sed haud scio, an quemadmodum sanationes & linguæ cessarunt, ita cessarit & hoc charisma. Quod si non cessavit, quærendum est, in quos derivatum sit. Si in quoslibet, incerta erit omnis interpretatio. Si in nullos, cum & hodie tot obscuritates torqueant doctos, nulla erit interpretatio certa. Si in eos qui successerunt in locum Apostolorum, reclamabunt multis jam seculis multos succedere in locum Apostolorum, qui nihil habent spiritus Apostolici. Et tamen de illis, si cætera paria sint, probabilius præsumitur, quod Deus his infundit Spiritum, quibus tribuit ordinem, quemadmodum verisimilius credimus baptizato datam gratiam, quam non baptizato. Sed donemus, sicuti re vera donandum est, fieri posse, ut unicuipiam humili & idiotæ revelet Spiritus, quod multis eruditis non revelavit, quandoquidem hoc nomine *Christus* gratias agit Patri, quod quæ celasset sapientes & prudentes, hoc est, Scribas, Pharisæos, & Philosophos, revelasset *νηπίοις*, hoc est, simplicibus, & juxta mundum stultis. Et fortasse talis stultus fuit *Dominicus*, talis *Franciscus*, si licuisset illis suum sequi spiritum. Sed si *Paulus* suo seculo, quo vigebat donum hoc Spiritus, jubet probari spiritus, an ex Deo sint, quid oportet fieri hoc seculo carnali? Unde igitur explorabimus spiritus? Ex eruditione? Utrinque Rabini sunt. Ex vita? Utrinque peccatores. In altera totus sanctorum chorus, qui statuunt *Liberum Arbitrium*. Verum ajunt, sed homines erant. At ego jam homines confero cum hominibus, non homines cum Deo. Audio: Quid multitudo facit ad sensum spiritus? Respondeo: Quid facit paucitas? Audio: Quid facit mitra ad intellectum Scripturæ divinæ? Respondeo: Quid facit sagum, aut cucullа? Audio: Quid cognitio Philosophiæ ad cognitionem sacrarum Litterarum? Respondeo: Quid facit insciția? Audio: Quid facit ad intellectum Scripturæ congregata Synodus, in qua fieri potest, ut nullus habeat Spiritum? Respondeo: Quid faciunt conventicula privata paucorum, in quibus verisimilius est neminem esse, qui habeat Spiritum? *Paulus* clamat: *An experimentum quæritis inhabitantis in me Christi?* Non credebatur Apostolis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ: nunc quilibet sibi postulat credi, quod affirmet se habere Spiritum Evangelicum. Apostoli quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant donum linguarum: ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum juxta communem opinionem adferant pene *παραδοξότερα*, nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Atque utinam quidam absque miraculis præstarent sinceritatem ac simplicitatem morum Apostolicorum, qui nobis tardiusculis essent miraculorum vice. Non hæc propriis dixerim in *Lutherum*, quem de facie non novi, ac scripta hominis legens, varie afficior, verum in alios quosdam mihi propius notos, qui si quid controversiæ incidit de sensu Scripturæ, nobis veterum orthodoxorum interpretationem adferentibus, statim occinunt, homines erant. Rogantibus quonam argumento sciri possit quæ sit vera interpretatio Scripturæ, cum utrinque sint homines, respondent, indicio Spiritus. Si roges, cur illis, quorum aliquot etiam miraculis editis inclaruere mundo, defuerit Spiritus potius quam ipsis: sic respondent, quasi mille trecentis annis nullum fuerit Evangelium in mundo. Si requiras ab illis vitam Spiritu dignam, respondent, se fide justos esse, non operibus. Si requiras miracula, dicunt jam olim cessasse, nec opus esse jam in tanta luce Scripturarum. Hîc si neges hac in parte esse dilucidam Scripturam, in qua tot summi viri caligarint, circulus ad caput redierit. Jam ut demus eum, qui Spiritum habet, certum esse de sensu Scripturæ, quomodo mihi constabit, quod ille sibi sumit? Quid faciam, ubi multi diversos sensus adferunt, quorum unusquisque se jurat habere Spiritum? Ad hæc cum Spiritus non iisdem suggerat omnia, labi fallique potest alicubi etiam is, qui habet Spiritum. Hæc adversus illos, qui tam facile rejiciunt Veterum interpretationem in sacris Libris, ac suam nobis sic opponunt, velut ex oraculo proditam. Postremo ut domus *Christi* Spiritum passurum fuisse, populum suum errare in levioribus, unde non magnopere pendet hominum salus: qui credi potest illum annis plus mille trecentis dissimulasse errorem Ecclesiæ suæ, nec ex tot sanctissimis viris dignum habuisse quemquam, cui hoc inspiraret, quod isti contendunt esse totius Evangelicæ doctrinæ caput?

Verum hîc, ut aliquando finiam, quid alii sibi arrogent, ipsi viderint: ego mihi nec doctrinam arrogo, nec sanctimoniam, nec fido spiritui meo: simplici tamen sedulitate proferam in medium, quæ movent animum meum. Si quis docere conabitur, sciens non reluctabor veritati. Sin civiliter & absque conviciis conferenti verius quam disputanti malint maledicere, quis non desiderabit in eis spiritum Evangelicum, quem semper habent in ore? *Paulus* clamat: *Infirmum in fide suscipite.* Rom. XIV. Et *Christus* linum fumigans non exstinguit. Et *Petrus* Apostolus, *Sitis*, inquit, *semper parati ad satisfaciendum omnibus postulantibus a vobis rationem, de ea quæ in vobis est spe, cum mansuetudine & reverentia.* Esaiæ XIV. Matth. XII. Quod si respondebunt, *Erasmum* velut utrem vetulum non esse capacem musti spiritus, quod ipsi proponant orbi: si sibi tantopere fidunt, saltem eo loco nos habeant, quo *Christus* habuit *Nicodemum*, Apostoli *Gamalielem*. Illum licet crassum, sed discendi avidum, non repulit Dominus: hunc suspendentem sententiam, donec exitus rei doceret, quo spiritu gereretur, Discipuli non sunt adspernati. Absolvi dimidium hujus libri, in quo si persuadeo quod proposui, satius esse de rebus hujusmodi non contendere superstitiosius, præsertim apud vulgum, nihil opus est argumentatione, ad quam nunc accingor, optans, ut superet ubique veritas, quæ fortassis ex collatione Scripturarum, velut ignis ex collisione silicum, emicabit. Principio negari non potest, in sacris Litteris plurima esse loca, quæ plane statuere videntur *Liberum hominis Arbitrium*. Rursus in iisdem esse nonnulla, quæ videntur in totum tollere. Constat autem Scripturam secum pugnare non posse, cum ab eodem Spiritu tota proficiscatur. Prius igitur recensebimus ea, quæ nostra confirmant: mox ea, quæ ex adverso stare videntur, diluere conabimur. Porro *Liberum Arbitrium* hoc loco sentimus vim humanæ voluntatis, qua se possit homo applicare ad

2 Cor. XIII.

Digitized by Google

ad ea quæ perducunt ad æternam ſalutem, aut ab iiſdem avertere. Ab his qui ſtatuunt *Liberum Arbitrium* illud in primis proferri ſolet, quod legitur in libro, cui titulus *Eccleſiaſticus*, ſive *Sapientia Sirach*, capite xv. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: Si volueris mandata conſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſervare. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Non puto quemquam excepturum hîc adverſus auctoritatem hujus operis, quod, ut indicat *Hieronymus*, olim apud Hebræos non habitum ſit in canone, cum Eccleſia *Chriſti* magno conſenſu receperit in ſuum canonem: neque cauſam video, cur Hebræi librum hunc a ſuo canone judicarint excludendum, cum *Parabolas Solomonis* & *Canticum amatorium* receperint. Etenim quod duos poſteriores libros *Eſdræ*, Hiſtoriam apud *Danielem* de *Zuſanna*, ac *Belo* dracone, *Judith*, *Heſter*, aliaque nonnulla non receperunt in canonem, ſed inter hagiographa numerarint, quid illos moverit, facile divinat, qui libros eos attentius legerit. Cæterum in hoc opere tale nihil obſtrepit Lectori. Hic itaque locus declarat, *Adam* noſtri generis principem ſic fuiſſe conditum, ut rationem haberet incorruptam, quæ dignoſceret quid expetendum, quid fugiendum: ſed addita eſt voluntas, incorrupta quidem & illa, ſed libera tamen, ut, ſi vellet, poſſet ſeſe a bono avertere, & ad malum deflectere. Eodem in ſtatu conditi ſunt Angeli, priuſquam *Lucifer* cum ſuis ſodalibus deficeret a conditore ſuo. In his qui collapſi ſunt, ſic penitus corrupta eſt voluntas, ut ſeſe non poſſint ad meliora recipere: in his qui perſtiterunt, ſic eſt confirmata bona voluntas, ut jam ne poſſit quidem ſeſe ad impietatem deflectere. In homine ſic erat recta liberaque voluntas, ut abſque nova gratia potuerit in innocentia perſeverare, ſic tamen, ut abſque præſidio novæ gratiæ non potuerit aſſequi felicitatem immortalis vitæ, quam ſuis pollicitus eſt Dominus *Jeſus*.

Hæc tametſi non poſſunt omnia apertis Scripturarum teſtimoniis convinci, tamen a Patribus orthodoxis non improbabiliter differta ſunt. Cæterum in *Eva* non ſolum voluntas corrupta videtur, verum etiam ratio, ſive intellectus, unde ſcatent fontes omnium bonorum ac malorum. Videtur enim illi perſuaſiſſe Serpens vanas fuiſſe minas, quibus interdixerat Dominus, ne quid contingerent de ligno vitæ. In *Adam* magis videtur corrupta voluntas ob immodicum quemdam amorem erga ſponſam ſuam, cujus animo maluit indulgere, quam præcepto Dei: quanquam & in hoc arbitror corruptam fuiſſe rationem, ex qua naſcitur voluntas. Ea vis animi, qua judicamus, quam non refert ſive νῦν, id eſt, *mentem* aut *intellectum*, ſive λόγον, id eſt, *rationem*, dicere malis, per peccatum obſcurata eſt, non exſtincta, voluntas, qua eligimus aut refugimus, hactenus depravata fuit, ut ſuis naturalibus præſidiis non poſſet ſeſe revocare ad meliorem frugem, ſed amiſſa libertate cogebatur ſervire peccato, cui ſe volens ſemel addixerat. Sed per Dei gratiam, condonato peccato, hactenus facta eſt libera, ut juxta ſententiam *Pelagianorum* abſque præſidio novæ gratiæ poſſet adipiſci vitam æternam: ſic tamen, ut ſalutem ſuam Deo ferret acceptam, qui & condidit & reſtituit liberum arbitrium: ſecundum orthodoxos, ſic poſſet ope divinæ gratiæ ſemper adjuvantis conatum hominis perſeverare in recto ſtatu, ut tamen non careret proclivitate ad malum ex ſemel inoliti peccati veſtigiis. Quemadmodum autem progenitorum peccatum in poſteros derivatum eſt, ita & ad peccandum proclivitas tranſiit in omnes, quam gratia peccatum abolens, hactenus mitigat, ut vinci poſſit, non exſtirpari. Non quod hoc non poſſit gratia, ſed quia nobis non expediebat. Quemadmodum autem in his qui gratia carent (de peculiari loquor) ratio fuit obſcurata, non exſtincta, ita probabile eſt in iiſdem voluntatis vim non prorſus exſtinctam fuiſſe, ſed ad honeſta inefficacem eſſe factam. Quod oculus eſt corpori, hoc ratio eſt animo. Ea partim illuſtratur luce nativa, quæ inſita eſt omnibus, licet non pari menſura, de quo meminit Pſalmus: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* partim præceptis divinis ac litteris ſacris, quemadmodum dicit Pſaltes noſter: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Unde naſcitur nobis triplex legis genus: lex naturæ, lex operum, lex fidei, ut *Paulinis* utar verbis. Lex naturæ penitus inſculpta mentibus omnium, tam apud *Scythas* quam apud *Græcos*, dictat iniquum eſſe, ſi quis alteri faciat, quod ſibi nolit fieri. Et Philoſophi ſine luce fidei, ſine adminiculo divinæ Scripturæ, ex rebus conditis cognoverunt ſempiternam Dei virtutem ac divinitatem, ac de bene vivendo multa præcepta reliquerunt, vehementer congruentia cum præceptis Evangelicis, multiſque verbis ad virtutem adhortantur, deteſtantes turpitudinem. Et in his probabile eſt fuiſſe voluntatem aliquo modo propenſam ad honeſta, ſed inefficacem ad ſalutem æternam, niſi per fidem accederet gratia. Lex autem operum imperat & comminatur pœnam. Ea peccatum congeminat, & gignit mortem, non quod mala ſit, ſed quod ea præcipiat, quæ ſine gratia præſtare non poſſumus. Lex fidei, cum magis ardua præcipiat quam lex operum, tamen addita copioſa gratia, quæ per ſe ſunt impoſſibilia, reddit etiam dulcia, non modo facilia. Fides igitur medetur rationi læſæ per peccatum, charitas provehit voluntatem invalidam. Lex quodammodo operum erat: *Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Rurſum per *Moſen* lex operum lata eſt: Ne quem occidas, ſi occideris, occideris: ne commiſeris adulterium, ſi commiſeris, lapidaberis. Sed quid dicit lex fidei, quæ jubet diligere inimicos, quæ jubet tollere crucem quotidie, quæ jubet contemnere vitam? *Nolite timere puſillus grex, veſtrum eſt enim regnum cœlorum.* Et: *Confidite, quia ego vici mundum.* Et: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Hanc legem expreſſerunt Apoſtoli, cum cæſi virgis pro nomine *Jeſu*, gaudentes abirent a conſpectu conſilii. Hinc *Paulus*: *Omnia poſſum in eo, qui me corroborat.* Nimirum hoc eſt, quod dicit *Eccleſiaſticus*: *Et adjecit mandata & præcepta ſua.* Quibus? Primum duobus illis generis humani principibus per ſeipſum: poſt Judaïcæ genti per *Moſen* & Prophetas. Lex oſtendit quid velit Deus, proponit pœnam ni pareas, proponit præmium ſi pareas. Cæterum eligendi poteſtatem illorum relinquit voluntati, quam illis condidit liberam & utroque volubilem. Et ideo ſi volueris mandata conſervare, conſervabunt te. Et rurſum: *Ad quod volueris, porrige manum tuam.* Si latuiſſet hominem boni malique diſcrimen ac voluntas Dei, non poterat imputari, ſi perperam elegiſſet. Si voluntas non fuiſſet libera, non potuiſſet imputari peccatum, quod peccatum eſſe deſinit, ſi non fuerit voluntarium, niſi cum error, aut voluntatis obligatio ex peccato nata eſt. Ita per vim ſtupratæ non imputatur quod eſt paſſa. Quanquam autem hic locus, quem adduximus ex *Eccleſiaſtico*, peculiariter quadrare videtur in primos illos progenitores, tamen aliqua ratione ad univerſam poſteritatem *Adæ* pertinet: non pertineret autem, ſi nulla eſſet in nobis liberi arbitrii vis. Quanquam enim arbitrii libertas per peccatum vulnus accepit, non tamen exſtincta eſt: & quanquam contraxit claudicationem, ut ante gratiam propenſiores ſimus ad malum quam ad bonum, tamen exciſa non eſt, niſi quod enormitas criminum & aſſuetudo peccandi, velut in naturam verſa, ſic offuſcat nonnunquam mentis judicium, ſic obruit arbitrii libertatem, ut illud exſtinctum, hæc penitus adempta videatur.

Porro quantum valeat in nobis liberum arbitrium poſt peccatum & ante gratiam, mire variant & veterum & recentiorum ſententiæ, dum alius aliud ſpectat. Qui vitabant deſperationem ac ſecuritatem, ſed ad ſpem & conatum acuere volebant homines, plus tribuebant libero arbitrio. *Pelagius* docuit ſemel liberata ſanataque per gratiam hominis voluntate, non opus eſſe nova gratia, ſed liberi arbitrii præſidiis pertingi poſſe ad ſalutem æternam, ſic tamen, ut hominis ſalus

Pſal. IV. *Pſal.* CXVIII. *Geneſ.* III. *Exod.* XX. *Deut.* V. *Luc.* XII. *Joan.* XVI. *Matth.* XVIII. *Phil.* IV. *Eccleſ.* XV.

Digitized by Google

debeatur Deo, ſine cujus gratia voluntas hominis non erat efficaciter libera ad bonum, & hæc ipſa vis animi, quo homo cognitum bonum amplectitur, avertens ſe ab eo quod diverſum eſt, beneficium eſt conditoris, qui potuiſſet pro homine ranam producere. Qui *Scoti* placitis addicti ſunt, proniores ſunt in favorem liberi arbitrii, cujus tantam vim eſſe credunt, ut homo nondum accepta gratia, quæ peccatum abolet, naturæ viribus exercere poſſet opera moraliter, ut vocant, bona, quibus non *de condigno*, ſed *de congruo* promereantur *gratiam gratum facientem*, ſic enim illi loquuntur. Ab his alii ex diametro, quod ajunt, diſſentientes contendunt omnia illa opera, quantumvis moraliter bona, fuiſſe Deo deteſtabilia, non minus quam ſcelerate facta, quod genus ſunt adulterium & homicidium, quod non proficiſcerentur ex fide & charitate in Deum. Horum opinio videtur inclementior, præſertim cum Philoſophi quidam ut habuerunt aliquam de Deo cognitionem, ita fieri potuit ut fiduciam quoque nonnullam & charitatem habuerint erga Deum, nec omnia fecerint ob inanem gloriam, ſed amore virtutis & honeſti, quod docent amplectendum non ob aliud niſi quia honeſtum eſt. Nam qui pro ſalute patriæ ſemet objicit periculis ob inanem gloriam, facit opus ex genere bonum, an moraliter bonum, neſcio. Sanctus *Auguſtinus*, & qui hunc ſequuntur, conſiderantes quanta ſit pernicies veræ pietatis hominem fidere ſuis viribus, propenſiores ſunt in favorem gratiæ, quam ubique *Paulus* inculcat. Eoque negat hominem obnoxium peccato poſſe ſeſe reflectere ad vitæ correctionem, aut quicquam poſſe facere, quod conferat ad ſalutem, niſi gratuito Dei dono ſtimuletur divinitus, ut velit ea, quæ conducunt ad vitam æternam: hanc gratiam alii *prævenientem* vocant, *Auguſtinus operantem*. Nam & fides, quæ janua eſt ſalutis, gratuitum Dei donum eſt. Huic additam charitatem per uberius donum Spiritus, appellat gratiam *cooperantem*, quod ſemper adſit conantibus, donec aſſequantur quod expetunt, ſed ita tamen, ut cum ſimul idem opus operentur liberum arbitrium & gratia, gratia tamen dux ſit operis, non comes. Quanquam hanc quoque ſententiam dividunt quidam, dicentes: ſi conſideres opus juxta naturam ſuam, potiorem cauſam eſſe voluntatem hominis: ſin juxta quod promeretur, gratiam eſſe potiorem. Porro fides quæ præſtat ut velimus ſalutifera, & charitas quæ præſtat ne fruſtra velimus, non tam tempore diſtincta ſunt quam natura: poſſunt tamen utraque temporariis acceſſibus augeri. Itaque cum gratia ſignificet beneficium gratis datum, tres aut, ſi mavis, quatuor gratias ponere licebit. Unam natura inſitam, & per peccatum vitiatam, ut diximus, non exſtinctam, quam quidam vocant influxum naturalem. Hæc omnium communis manet, etiam perſeverantibus in peccato: liberum eſt enim illis loqui, tacere, ſedere, ſurgere, ſublevare pauperem, legere libros ſacros, audire concionem, ſic tamen ut iſta, ſecundum opinionem quorumdam, nihil conducant ad vitam æternam. Nec deſunt tamen, qui conſiderata immenſa Dei bonitate dicant, hactenus hominem proficere hujuſmodi benefactis, ut præparetur ad gratiam, ac Dei miſericordiam erga ſe provocet. Quanquam ſunt qui negent hæc etiam fieri poſſe ſine gratia peculiari. Hæc gratia quoniam eſt omnium communis, non dicitur gratia, cum re vera ſit, quemadmodum majora miracula quotidie Deus edit, gignendis rebus, conſervandis, & gubernandis, quam ſi ſanaret leproſum, aut liberaret dæmoniacum. Et tamen hæc ideo non vocantur miracula, quod ex æquo quotidie præſtantur omnibus. Altera eſt gratia peculiaris, qua Deus ex ſua miſericordia peccatorem nihil promeritum ſtimulat ad reſipiſcentiam, ſic tamen ut nondum infundat gratiam illam ſupremam, quæ abolet peccatum, ac Deo gratum facit hominem. Itaque peccator adjutus ſecunda gratia, quam diximus operantem, diſplicet ſibi, tametſi nondum exſuit affectum peccandi, tamen eleemoſynis, precibus, intentus ſacris ſtudiis, audiendis concionibus, interpellandis piis hominibus ut pro ſe Deum orent, aliiſque factis moraliter, ut vocant, bonis, ſummæ illius gratiæ velut candidatum quemdam agit. Exiſtimant autem gratiam, quam nunc ſecundam facimus, per Dei bonitatem nulli mortalium deeſſe, quod divina benignitas ſingulis in hac vita ſuppeditet idoneas occaſiones, per quas poſſint reſipiſcere, ſi quod reliquum eſt in ipſorum arbitrio, pro viribus accommodent ad opem Numinis, velut invitantis, non compellentis ad meliora. Hoc autem putant eſſe in noſtro arbitrio, ut voluntatem noſtram applicemus ad gratiam, aut avertamus ab ea, quemadmodum in nobis eſt ad illatum lumen aperire oculos, ac rurſum claudere. Quoniam autem immenſa Dei charitas erga genus humanum non patitur hominem fruſtrari, etiam illa gratia, quam gratum facientem vocant, ſi totis viribus eam ambierit, ſit ut nemo peccator debeat eſſe ſecurus, nemo rurſus debeat deſperare: fit item illud, ut nemo pereat, niſi ſuo vitio. Eſt igitur gratia naturalis, eſt gratia exſtimulans, licet imperfecta: eſt gratia, quæ voluntatem reddit efficacem, quam cooperantem diximus, quæ quod cœptum eſt prevehit: eſt gratia, quæ perducit uſque ad finem. Has tres putant eamdem eſſe gratiam, licet ab iis quæ operantur in nobis, diverſis cognominibus appellentur. Prima exſtimulat, ſecunda prohibet, tertia conſummat. Ergo qui longiſſime fugiunt a *Pelagio*, plurimum tribuunt gratiæ, libero arbitrio pene nihil, nec tamen in totum tollunt: negant hominem poſſe velle bonum ſine gratia peculiari, negant poſſe incipere, negant poſſe progredi, negant poſſe perficere ſine principali perpetuoque gratiæ divinæ præſidio. Horum ſententia ſatis videtur probabilis, quod relinquat homini ſtudium & conatus, & tamen non relinquit, quod ſuis adſcribat viribus. Sed durior eſt iſtorum opinio, qui contendunt liberum arbitrium ad nihil valere niſi ad peccandum, ſolam gratiam in nobis operari bonum opus non per liberum arbitrium aut cum libero arbitrio, ſed in libero arbitrio, ut noſtra voluntas hic nihilo plus agat, quam agit cera, dum manu plaſtæ fingitur in quamcunque viſum eſt artifici ſpeciem. Hi mihi ſic fugere videntur meritorum & operum humanorum fiduciam, ut præter cauſam quod dici ſolet. Duriſſima videtur omnium ſententia, qui dicunt liberum arbitrium inane nomen eſſe, nec quicquam valere aut valuiſſe, vel in Angelis, vel in *Adam*, vel in nobis, nec ante gratiam, nec poſt gratiam, ſed Deum tam mala quam bona operari in nobis, omniaque quæ fiunt eſſe meræ neceſſitatis. Itaque cum his duabus poſtremis mihi potiſſimum erit conflictatio.

Hæc paulo loquacius nobis repetita ſunt, quo Lector imperitior, nam eraſſulis ſcribimus craſſuli, reliquam argumentationem facilius percipiat, eoque locum ex *Eccleſiaſtico* primum retulimus, quo originem ac vim liberi arbitrii planiſſime videatur depingere. Nunc expeditiore curſu reliqua Scripturarum teſtimonia perſequemur. Id faciemus ſi prius admonuerimus hunc locum ſecus haberi in Editione *Aldina* quam hodie habeat Eccleſiaſticus uſus Latinorum. Non enim in Græcis additur, *conſervabunt te*: quanquam eamdem particulam nec *Auguſtinus* addit, aliquoties adducens hunc locum, & ποιῆται ſcriptum opinor pro ποιῇται. Quemadmodum igitur in paradiſo propoſuerat electionem vitæ ac mortis, ſi parueritis præcepto meo, vivetis, ſin minus, moriemini. Cavete malum, eligite quod bonum eſt. Itidem *Geneſis* capite IV. Deus loquitur *Cain*: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te eris appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Proponit præmium, ſi velit eligere quod pium eſt, proponit pœnam, ſi malit ſequi diverſum. Et oſtendit animi motus ad turpia vinci poſſe, nec adferre neceſſitatem peccandi. Cum his locis congruit, quod Dominus loquitur ad *Moſen*: *Poſui ante faciem tuam vitam vitæ & mortis. Elige quod bonum eſt, & incede cum eo.* Quid poterat apertius dici? Deus oſtendit quid bonum, quid malum, oſtendit utriuſque diverſa præmia, mortem & vitam: eligendi libertatem relinquit homini. Ridicule ſiquidem dice-

Digitized by Google

diceretur, *eligo*, cui non adesset potestas semet huc vel illuc applicandi, perinde quasi quis in bivio consistenti dicat, vides duplicem viam, utram voles ingreditor, cum altera tantum pateret. Rursum *Deuteronomii* capite XXX. *Deus. XXX.* *Considera quid hodie proposuerim, in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius, & cæremonias, atque judicia, & vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingrederis possidendam. Si autem aversum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris Deos alienos, & servieris eis, prædico tibi hodie quod pereas, & parvo tempore moreris in terra, ad quam* Jordane *transmisso ingredieris possidendam. Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, & benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum.* Hic rursus audis *proponendi* verbum, audis *eligendi* verbum, audis *avertendi* verbum, quæ intempestive dicerentur, si voluntas hominis non esset libera ad bonum, sed tantum ad malum. Alioqui perinde fuerit, ac si quis homini sic alligato, ut non possit brachium nisi in lævum porrigere, diceret: ecce habes ad dextram vinum optimum, habes ad lævam toxicum, utro velis, porrige manum. Nec dissonat ab his, quod apud *Esaiam* *Esai. I.* loquitur idem Dominus: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terra comedetis: si vero nolueritis, neque audieritis me, gladius vos consumet.* Si non est homini ullo pacto libera voluntas ad bonum, aut si, ut quidam ajunt, nec ad bonum nec ad malum, quid sibi volunt hæc verba, *si volueritis, si nolueritis?* magis hîc congruebat, *si voluero, si noluero.* Atque hujusmodi multa cum peccatoribus dicantur, non video quomodo vitari possit, quin his quoque tribuamus voluntatem aliquo modo liberam ad electionem boni, nisi malumus hanc cogitationem aut animi motum dicere, quam voluntatem, quod voluntas certa sit, & ex judicio nascatur. Sic autem loquitur apud eumdem Prophetam capite XXI. *Si quæritis, quærite: convertimini & venite.* Quorsum attinet hortari, ut convertantur & veniant, qui nulla ex parte suæ potestatis sunt? Nonne perinde fuerit, ac si quis dicat vinculis adstricto, quem nolit solvere, move te isthinc, veni, ac sequere me? Item apud eumdem Prophetam capite XLIII. *Congregamini & venite. Et convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ.* Rursum capite LII. *Consurge consurge, excutere de pulvere, solve vincula colli tui.* Itidem *Hieremias* capite XV. *Si converteris, convertam te, & si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Cum ait *separaveris*, libertatem indicat eligendi. Evidentius etiam *Zacharias* & arbitrii liberi conatum indicat, & gratiam conanti *Zach. I.* paratam: *Convertimini*, inquit, *ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus. Ezechielis* capite XVIII. sic loquitur Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus est, & fecerit judicium*, &c. Ac mox: *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Item: *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem.* In hoc capite toties repetitur, *averterit se, fecit, operatus est*, in bonam partem & in malam. Et ubi sunt qui negant hominem quicquam agere, sed pati tantum ab operante gratia? *Projicite*, inquit, *a vobis omnes iniquitates.* Et: *Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem peccatoris, revertimini & venite.* Deplorat pius Dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis? Si ille non vult mortem, utique nostræ voluntati imputandum, si perimus. Cæterum quid imputes illi, qui nihil potest agere neque boni neque mali? His qui nullo modo suæ voluntatis compotes sunt, frustra canit hanc cantionem Psaltes ille mysticus: *Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* Sed quor- *Psal. XXXVI.* sum attinet hujus generis aliquot recensere loca, cum tota divina Scriptura plena sit hujusmodi hortamentis? *Jobel. II. Jona III. Esai. XLVI.* *Convertimini in toto corde vestro. Convertatur vir a via sua mala. Prævaricatores redite ad cor.* Et: *Convertatur unusquisque a via sua mala, & pœnitebit me mali, quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum.* Et: *Si non audieritis me ut ambuletis in lege mea.* Cum fere nihil aliud sonet Scriptura quam conversionem, quam studium, quam conatum ad meliora. Hæc omnia frigeant oportet semel inducta necessitate vel benefaciendi, vel male.

Neque minus frigebunt illæ tot pollicitationes, tot minæ, tot expostulationes, tot exprobrationes, tot obtestationes, tot benedictiones ac maledictiones facto ad eos qui se verterunt ad meliora, aut qui converti recusarunt. *Quacunque hora ingemuerit peccator. Video quod populus iste duræ cervicis sit. Popule meus quid feci?* Item: *Judicia mea projecerunt.* Et: *Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset. Qui vult videre dies bonos, prohibeat linguam suam a malo.* Cum audis *qui vult*, audis liberam voluntatem. Hæc cum nusquam *Exod. XXIII. Mich. VI.* non occurrant, nonne statim succurrit Lectori, quid polliceris ex conditione, quod in tua unius voluntate situm est? Quid expostulas, cum quicquid a me fit, *Psal. LXXX.* seu boni, seu mali, tu geras in me velim nolim? Quid *Psal. XXXIII.* exprobras, cum in me non sit tueri quod dederas, nec excludere malum quod immittis? Quid obtestaris, cum totum ex te pendeat, & res ex tua geratur sententia? Quid benedicis, quasi functus sim meo officio, cum tuum sit quicquid gestum est? Quid maledicis, cum necessitate peccarim? Quorsum autem attinent tot examina præceptorum, si non est cuiquam ullo pacto in manu servare quod præceptum est? Sunt enim qui negant hominem quantumvis justificatum dono fidei & charitatis, ullum Dei præceptum implere posse, sed omnia bona opera, quoniam in carne fiunt, ad damnationem profectura fuisse, ni Deus ob meritum fidei ignosceret illa per suam misericordiam. Atqui sermo, quem per *Mosen* loquitur Dominus *Deuteronom.* capite XXX. declarat non solum in nobis situm quod præcipitur, verum etiam in proclivi, cum ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad cœlum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris & dicas, quis e nobis poterit mare transire, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire quod præceptum est? sed juxta est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum.* Et tamen illic loquitur de præcepto omnium maximo, *ut revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua.* Et quid sibi vult hoc, *si tamen audieris, si custodieris, si revertaris*, si nihil horum ullo pacto situm est in nostra potestate? Non adnitar in hujusmodi recitandis esse copiosus, cum utriusque Testamenti libri talibus undique referti sint, ut qui talia studet conquirere, nihil aliud quam, quod dici solet, per mare quærat aquas. Itaque bona sacræ Scripturæ pars, ut dixi, videbitur frigere, si ultimam aut penultimam opinionem receperis. Reperiuntur autem in divinis Libris quædam loca, quæ contingentiam ac mutabilitatem etiam quamdam Deo tribuere videntur. Quod genus est illud quod legimus *Hieremiæ* capite XVIII. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod loquutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei: si fecerit malum in oculis meis, & non audierit vocem meam, & ego pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum ut facerem ei.* Neque vero nescimus hîc Scripturam sacram hominum more loqui, quod & alias non raro facit, cum in Deum nulla cadat mutabilitas. Sed ex irato propitius fieri dicitur, cum nos ad meliora resipiscentes dignatur sua gratia: rursus ex propitio iratus, cum ad deteriora relapsos punit & affligit. Rursum IV. *Regum* capite XX. audit *Ezechias*, *Morieris tu, & non vives.* Ac mox post lachrymas audit per eumdem Prophetam: *Audivi orationem tuam & vidi lachrymas, & conservavi te*, & cætera. Itidem II. *Regum* capite XII., *David* per *Nathan* audit a Domino: *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*, & cætera. Mox ubi dixerat, *Peccavi Domino*, audit mitiorem sententiam: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* In his atque hujusmodi locis, quemadmodum tropus sermonis excludit mutabilitatem a Deo,

Digitized by Google

ita vitari non potest, quin intelligamus in nobis esse voluntatem huc & illuc flexilem: quæ si necessitate flectitur ad malum, cur imputatur peccatum: si necessitate flectitur ad bonum, cur Deus ex irato fit propitius, cum nihilo plus illic debeatur nobis gratiæ? Atque hactenus quidem ex veteri Testamento, de quo fortasse causetur aliquis, nisi hæc essent ex eorum genere, quæ non solum obliterata non sunt per lucem Evangelicam, verum etiam plus vigoris acceperunt.

Veniamus igitur ad novi Testamenti libros. Ac primum occurrit locus ex Evangelio, quo *Christus* deplorans exci-
Matth. XXIII. dium urbis *Hierosolymorum*, ita loquitur: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties volui congregare te, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?* Si cuncta fiunt necessitate, nonne merito *Hierosolyma* poterat respondere deploranti Domino, Quid inanibus lachrymis te maceras? Si tu nolebas nos auscultare Prophetis, cur eos misisti? Cur nobis imputas quod tua voluntate, nostra necessitate factum est? Tu volebas nos congregare, & idem in nobis nolebas, cum hoc ipsum operatus sis in nobis, quod noluerimus. Atqui in verbis Domini non accusatur in Judæis necessitas, sed prava ac rebellis voluntas. Ego volui congregare, tu noluisti.
Matth. XIX. Rursus alibi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Qua fronte diceretur, *si vis*, cui voluntas libera
Ibidem non est? Item: *Si vis perfectus esse, vade & vende*, & cætera. Item *Lucæ* IX. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* In præcepto tam difficili, tamen audis mentionem voluntatis nostræ. Ac mox: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Nonne frigent omnia præclara præcepta *Christi*, si nihil tribuitur humanæ voluntati?
Matth. V. *Ego autem dico vobis. Ego autem dico vobis*, &c. Et: *Joan.* XIV. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Quanta apud *Joannem* inculcatio mandatorum? Quam male conjunctio *Joan.* XV. *si* congruit meræ necessitati? *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint. Si vis perfectus esse.* Jam ubi toties est operum bonorum & malorum mentio, ubi mentio mercedis, ibi non intelligo, quo pacto locus sit meræ necessitati. Neque natura, neque necessitas habet meritum. Sic autem Dominus noster *Jesus* loquitur *Matth.* V. *Gaudete & exsultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Quid sibi vult parabola de operariis conductis in vineam? An operarii sunt qui nihil operantur? Datur denarius ex pacto velut operæ præmium. Dicet aliquis, merces dicitur quod a Deo quodammodo debetur, qui suam fidem obstrinxit homini, si crediderit promissis ipsius. Atqui hoc ipsum credere, opus est in quo nonnulla functio est liberi arbitrii, cum sese applicat ad credendum, aut avertit. Cur collaudatur servus qui Domini sortem sua auxerit industria? Cur damnatur ignavus & cessator, si nihil ibi nostrum est? Rursum capite XXV. cum invitat omnes ad consortium æterni regni, non commemorat necessitatem, sed ipsorum benefacta, dedistis cibum, dedistis potum, collegistis hospitem, vestistis nudum, &c. Rursus, hœdis, qui a sinistris sunt, exprobrat non necessitatem, sed voluntariam operum omissionem. Vidistis esurientem, data est benefaciendi occasio, non dedistis cibum, &c.

Jam nonne omnes Evangelicæ quoque litteræ plenæ sunt exhortationibus: *Venite ad me qui onerati estis, vigilate, orate, petite, quærite, pulsate, videte, cavete?* Quid sibi volunt tot parabolæ, de custodiendo verbo Dei, de occurrendo sponso, de nocturno suffossore, de domo fundanda super petram? Nimirum ad studium, ad conatum, ad industriam nos excitant, ne pereamus negligentes Dei gratiam. Hæc aut frigida videntur, aut supervacanea, si cuncta referantur ad necessitatem. Idem dicendum est de minis Evangelicis: *Va vobis Scriba, va vobis hypocrita, va tibi Corozaim.*
Marc. IX. Frigebunt & exprobrationes illæ: *O generatio incredula & perversa, quam diu ero vobiscum, quam diu vos patiar, serpentes, progenies viperarum, quomodo fugietis a judicio*
Matth. VII. *gehennæ? Ex fructibus*, inquit Dominus, *eorum cognoscetis eos.* Fructus opera dicit, ea nostra vocat; at ea nostra non sunt, si cuncta geruntur necessitate. Orat in cruce: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* *Luc.* XXIII. Quanto justius excusasset eos, quia non est illis libera voluntas, nec possunt si velint aliter facere. Rursus *Joan.* *Johannes: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui* V. *credunt in nomine ipsius.* Quomodo datur potestas ut filii Dei fiant, qui nondum sunt, si nostræ voluntatis nulla est libertas? Cum quidam offensi verbis Domini, *Joan.* discessissent ab eo, dixit proximis Discipulis: *Nunquid* VI. *& vos vultis abire?* Si illi non discesserant sua sponte, sed necessitate, cur cæteros interrogat, num & ipsi velint? Sed non erimus molesti Lectori recensendis hujusmodi locis omnibus, quorum ut non est numerus, ita sua sponte facile cuique occurrunt. Dispiciamus an & apud *Paulum*, strenuum assertorem gratiæ, & perpetuum expugnatorem operum legis, reperire liceat, quod statuat liberum arbitrium. Atque in primis occurrit locus in Epistola ad *Romanos* capite II. *An divitias*, inquit, *bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quomodo imputatur contemptus præcepti, ubi non est libera voluntas? aut quomodo Deus invitat ad pœnitentiam, qui auctor est impœnitentiæ? aut quomodo justa est damnatio, ubi judex cogit ad maleficium? Et tamen *Paulus* paulo ante dixerat: *Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Audis actionem, audis judicium secundum veritatem. Ubi mera necessitas? Ubi voluntas nihil aliud quam patiens? Vide vero cui malum illorum imputet *Paulus*: *Secundum autem duritiem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Et hic audis justum Dei judicium, audis opera digna supplicio. Quod si Deus sua tantum bona opera, quæ per nos operatur, imputaret nobis ad gloriam & honorem & immortalitatem, plausibilis esset benignitas. (quanquam & hic admiscet Apostolus secundum patientiam boni operis, & rursum quærentibus vitam æternam) Cæterum qua justitia infligitur ira, indignatio, tribulatio, angustia, homini velut operanti malum, qui nihil operatur sponte, sed omnia facit necessitate? Jam qui consistunt illæ *Pauli* collationes de currentibus in stadio, de brabeo, de corona, si nihil est tribuendum nostro conatui? Ad *Corinth.* capite IX. *An nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brabeum, sic currite ut comprehendatis* &c. Ac mox: *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Corona non datur nisi certantibus, & præmii loco datur, tanquam hunc honorem promeritis. Rursum ad *Timotheum* prima capite VI. *Certa*, inquit, *bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* Ubi certamen est, ibi conatus voluntarius, ibi periculum est, ne, si cesses, perdas præmium. Non itidem fit ubi mera necessitate eveniunt omnia. Rursum ad eumdem Epistolæ secundæ capite II. *Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitime certaverit.* Ac paulo superius: *Labora sicut bonus miles Christi.* Meminit & agricolæ laborantis: certanti datur corona, militanti salarium: agricola fructum percipit. Item ejusdem Epistolæ capite IV. *Bonum*, inquit, *certamen certavi: cursum consummavi. In reliquum reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.* Mihi difficile videtur certamen, coronam, justum judicem, reddendi, certandi verbum conjungere cum omnium rerum mera necessitate, cum voluntate nihil agente, sed tantum patiente. *Jacobus* item hominum peccata non tribuit necessitati, ac Deo in nobis operanti, sed ipsorum depravatæ concupiscentiæ: *Deus*, inquit, *neminem tentat, sed unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde con-* *Jacob.* I. *cupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Malefacta hominum *Paulus* vocat opera carnis, non opera Dei, videlicet hoc appellans carnem, quod *Jacobus* vocat con- *Actor.* cupiscentiam. Et in *Actis* audit *Ananias: Cur tentavit* V. *Satanas cor tuum? Paulus* item ad *Ephesios* capite II. mala opera tribuit Spiritui hujus aëris, qui operatur in filiis diffidentiæ. *Quæ communicatio Christo cum Belial? Aut* *Matth.* *facite*, XII.

Digitized by Google

facite, inquit, *arborem bonam, & fructus ejus bonos, aut facite arborem malam, & fructus ejus similiter malos.* Qua igitur fronte quidam Deo, quo nihil potest esse melius, tribuunt fructus pessimos? Quanquam autem humana concupiscentia sollicitatur a Satana, aut rebus extrariis, aut alioqui per occasionem rei quæ est in homine, tamen sollicitatio non adfert peccandi necessitatem, si velimus obniti implorato divino præsidio: quemadmodum Spiritus *Christi* provocans nos ad bene agendum, non adfert necessitatem, sed opem. Consentit cum *Jacobo Ecclesiasticus* cap. xv. *Nemini mandavit Deus impie agere, & nemini dedit spatium peccandi.* At qui cogit, plus facit quam si mandet. Sed evidentius est, quod scribit *Paulus* 2 ad *Timotheum* 11. *Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem.* Quomodo emundat se, qui nihil agit omnino? Scio hîc subesse tropum, sed in præsentia mihi satis est, quod hic sermo multum dissonat ab his, qui volunt omnia tribuere meræ necessitati. Concinit huic illud 1 *Joan.* v. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Admittam hîc tropum, si vicissim illi nobis in aliis locis permittent tropi præsidium. Et tamen nimis impudens fuerit tropus, si quis interpretetur, *sanctificat se*, id est, velit nolit sanctificatur a Deo. *Abjiciamus*, inquit *Paulus*, *opera tenebrarum.* Et: *Exspoliantes veterem hominem cum actibus suis.* Quomodo jubemur abjicere & exsuere, si nihil agimus? Item ad *Romanos* VII. *Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Hîc *Paulus* videtur fateri, esse in hominis potestate, velle quod bonum est, atqui hoc ipsum velle benefacere, bonum est opus, alioqui nec velle malum erit in malis. Cæterum extra controversiam est, voluisse occidere, malum esse. Rursum 1. ad *Corinth.* XIV. *Spiritus*, inquit, *Prophetarum Prophetis subjectus est.* Si quos agit Spiritus Sanctus, sic agit, ut sit illis liberum, si velint, obticescere: multo magis hominis voluntas ex sese sui juris est. Nam hi, quos agit spiritus phanaticus, nec tacere possunt si velint, & sæpe non intelligunt ipsi quid loquantur. Eodem pertinet illud quod admonet Timoth: *Noli negligere gratiam, quæ in te est.* Declarat enim in nobis esse, avertere animum a gratia data. Item alibi: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* Significat se non defuisse gratiæ divinæ. Quomodo non defuit, qui nihil egit? *Petrus* Epistol. II. cap. 1. *Vos autem*, inquit, *omnem curam subinferentes ministrate in fide vestra virtutem*, &c. Ac mox: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram & electionem faciatis.* Vult nostram sollicitudinem jungi gratiæ divinæ, ut per gradus virtutum perveniamus ad perfectionem.

Rom. XIII. Coloss. III.

1 Tim. IV.

2 Corinth. XII.

Sed jam dudum vereor, ne cui videar in his congerendis immodicus, cum nusquam non occurrant in divinis Voluminibus. Cum enim scribat *Paulus* II. ad *Timotheum* capite III. *Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum* &c. Nihil horum videtur habere locum, ubi mera & inevitabili necessitate geruntur omnia. Quorsum pertinent tot encomia sanctorum apud *Ecclesiasticum* capite XLIV. & sequentibus aliquot, si nihil debetur industriæ nostræ? Quid sibi vult ubique laudata obedientia, si ad bona simul & mala opera tale sumus instrumentum Deo, quale securis est fabro? At tale instrumentum sumus omnes, si verum est dogma *Wyclevi*. Omnia & ante gratiam, & post gratiam, bona pariter ac mala, quin & media, mera necessitate geri: quam sententiam approbat *Lutherus*. Quod ne quis a me confictum causetur, ipsius verba subscribam ex Assertionibus: *Unde*, inquit, *& hunc articulum necesse est revocare. Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia, ut* Wyclevi *articulus* Constantiæ *condemnatus recte docet, de necessitate absolute eveniunt.* Hactenus *Lutheri* verba recitavimus. Multa loca prudens prætereo, quæ sunt in *Actis* & in *Apocalypsi*, ne molestus sim Lectori. Hæc tam multa non sine causa moverunt eruditos ac sanctos viros, ne in totum tollerent liberum arbitrium. Tantum abest ut spiritu Satanæ fuerint instigati, sibique damnationem accersierint, fidentes operibus suis.

Nunc tempus est, ut ex adverso recensеamus aliquot Scripturarum testimonia, quæ videntur prorsus tollere liberum arbitrium. Ea sane nonnulla sunt obvia nobis in sacris Voluminibus, sed in his duo præcipua sunt, ac cæteris evidentiora, quorum utrumque sic tractat *Paulus* Apostolus, ut prima specie nihil omnino tribuere videatur vel operibus nostris vel liberi arbitrii viribus. Alter locus est *Exodi* capite IX. & tractatur a *Paulo* Epistolæ ad *Romanos* capite IX. *Induravitque Dominus cor Pharaonis, & non audivit eos.* Et rursus: *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Paulus* sic explicat, adducens similem locum, qui est *Exodi* XXXII. *Mosi* enim dixit: *Misereber cuicunque misereor, & commiserabor quemcunque commiserer. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Alter est apud *Malachiam* capite I. & tractatur apud *Paulum* capite IX. *Nonne frater erat Jacob, dicit Dominus? Et dilexi Jacob, Esau autem odio habui, Paulus* sic explicat, *Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quoniam autem absurdum videtur, ut Deus, qui non solum justus est, verum etiam bonus, induravisse dicatur cor hominis, ut per illius malitiam, suam illustraret potentiam: *Origenes* libro περὶ ἀρχῶν tertio sic explicat nodum, ut fateatur occasionem indurationis datam a Deo, culpam tamen in *Pharaonem* rejiciat, qui sua malitia factus sit obstinatior per hæc, per quæ debebat ad pœnitentiam adduci, quemadmodum ex eodem imbre terra culta producit fructum optimum, inculta spinas ac tribulos: & quemadmodum ex eodem sole cera liquescit, limus durescit: ita lenitas Dei, quæ tolerat peccantem, alios adducit ad pœnitentiam, alios reddit obstinatiores in malitia. Miseretur ergo eorum, qui Dei bonitatem agnoscentes resipiscunt. Indurantur autem qui dilati ad pœnitentiam, neglecta Dei bonitate, proficiunt ad deteriora. Tropum autem, quo dicitur fecisse, qui dedit occasionem, probat primum ex consuetudine sermonis popularis, quo vulgo pater dicit filio, *ego te perdidi*: quod errantem non statim punierit. Usus est simili tropo *Esaias* capite LXIII. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, induristi cor nostrum, ne timeremus te?* Hunc locum juxta sententiam *Origenis* interpretatur *Hieronymus*. Indurat Deus, cum non statim castigat peccantem, & miseretur, cum mox per afflictiones ad pœnitentiam invitat. Sic apud *Oseæ* loquitur iratus: *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ.* Rursus misericorditer castigat in Psalmo LXXXVIII. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Eodem tropo dixit *Hieremias* capite XX. *Seduxisti me Domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & invaluisti.* Seducere dicitur qui non statim revocat ab errore, quod ipsum existimat *Origenes* interim conducere ad perfectiorem sanitatem, quemadmodum periti Chirurgi malunt tardius obducere cicatricem vulneri, quo magis educta per hiatum vulneris sanie, succedat perpetua sanitas. Annotat & illud *Origenes*, quod ait Dominus: *In hoc ipsum excitavi te*, non *in hoc ipsum feci te.* Alioqui *Pharao* non fuisset impius, si talem condidisset Deus, *qui contemplatus est omnia opera sua, & erant valde bona.* Nunc utroque vertibili voluntate conditus, suapte sponte deflexit ad malum, dum suo animo maluit obsequi, quam Dei jussis obtemperare. Hac autem *Pharaonis* malitia Deus abusus est in suam gloriam, & ad salutem populi sui, quo magis perspicuum esset, homines frustra conari, qui Dei voluntati resistunt: quemadmodum prudens Rex aut paterfamilias sævitia quorumdam, quos odit tamen, ad puniendos improbos abutitur. Nec tamen ideo vis fit nostræ voluntati, si rerum eventus in manu Dei est, aut si ille conatus hominum pro suo arca-

Oseæ IV.

no

Rom. vi. no consilio alio vertit, quam illi destinarant. Quemadmodum igitur malorum conatus vertit in bonum piorum, ita bonorum conatus non assequuntur quod expetunt, nisi adjuti gratuito Dei favore. Nimirum hoc est quod subjicit *Paulus*: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Prævenit Dei misericordia voluntatem nostram, comitatur eamdem in conando, dat felicem eventum. Et tamen interim volumus, currimus, assequimur, sic tamen ut hoc ipsum quod nostrum est adscribamus Deo, cujus sumus toti.

Satis autem explicant nodum de præscientia, quod non imponat necessitatem voluntati nostræ, sed mea sententia vix alius felicius quam *Laurentius Valla*. Nec enim præscientia causa est eorum quæ eveniunt; cum & nobis contingat multa præscire, quæ non ideo eveniunt, quia præscimus, sed ideo præscimus, quod sint eventura. Quemadmodum non ideo fit eclipsis solis, quod eam Astrologi futuram prædixerint, sed ideo futuram prædixerunt, quod esset futura. Cæterum de voluntate ac destinatione Dei difficilior est quæstio. Vult enim Deus eadem quæ præscit. Nam aliquo modo velit oportet, qui quod præscit futurum, tamen non impedit, cum ipsi sit in manu. Et hoc est quod subjicit *Paulus: Voluntati ejus quis resistit*, si miseretur cui vult, si indurat quem vult? Etenim si esset Rex, qui quicquid vellet, efficeret, neque quisquam posset obsistere, facere diceretur quicquid vellet. Ita Dei voluntas, quoniam est principalis causa omnium quæ fiunt, videtur nostræ voluntati necessitatem inducere. Nec hanc quæstionem explicat *Paulus*, sed objurgat disputantem: *O homo tu quis es, qui respondes Deo?* Verum objurgat impie obmurmurantem, veluti si herus dicat servo responsatori, Quid tua refert, quare sic jubeam, tu fac quod jubeo? aliud responsurus, si servus prudens ac benevolus modeste cupiat a domino discere, quare velit hoc fieri, quod in speciem videretur inutile. Voluit Deus male perire *Pharaonem*, & juste voluit, & bonum erat illum perire: nec tamen ille coactus est Dei voluntate, ut pertinaciter esset impius. Veluti si dominus sciens pravum ingenium servi committeret illi munus, in quo daretur occasio peccandi, quo deprehensus lueret pœnas in exemplum aliorum, præscit illum peccaturum & usurum ingenio suo, & vult eum perire, & vult eum aliquo pacto peccare, nec tamen excusatur servus, qui suapte malitia peccavit. Jam enim antea commeritus est, ut omnibus prodita ipsius malitia det pœnas. Verum unde sumes initium meritorum, ubi est perpetua necessitas, & ubi nunquam fuit libera voluntas?

Quod autem de rerum eventu diximus, quia Deus frequenter alio vertit quod agitur, quam destinarant homines, ut in plerisque verum est, ita non est perpetuo verum: & frequentius accidit in malis quam in bonis. Judæi crucifigentes Dominum, destinarant illum in totum abolere: hoc impium illorum consilium Deus vertit in gloriam Filii sui, & in salutem totius mundi. Sed *Cornelius* ille Centurio, qui bonis operibus ambiebat favorem Numinis, assequutus est quod volebat. Et *Paulus* consummato cursu assequutus est coronam, quam ambiebat. Hîc non excutiam, an Deus, qui est sine controversia primaria & summa causa omnium quæ fiunt, quædam sic agat per causas secundarias, ut ipse interea nihil agat: an sic agat omnia, ut secundariæ causæ tantum cooperentur causæ principali, tametsi non sunt alioqui necessariæ. Certe dubitari non potest, quin Deus, si velit, possit omnium secundariarum causarum naturalem effectum in diversum vertere. Videlicet efficere potest, ut refrigeret & humectet ignis, ut duret & exsiccet aqua, ut obscuret sol, ut rigeant flumina, ut fluant rupes, ut servet venenum, ut interimat cibus. Quemadmodum ignis fornacis *Babylonicæ* tres pueros refocillavit, & idem *Chaldæos* exussit. Id quoties facit Deus, miraculum dicitur. Hac ratione potest adimere gustum palato, judicium oculis, ingenii, memoriæ, voluntatisque vires obstupefacere, & ad id quod ipsi visum fuerit cogere. Quemadmodum fecit in *Balaam*, qui venerat ut malediceret, nec potuit: aliud loquebatur lingua, aliud volebat animus. Cæterum quod in paucis fit, non pertinet ad generalem sententiam. Et tamen in his quicquid Deus vult, ex justis causis vult, licet nobis aliquoties incognitis. Huic voluntati nemo potest resistere, sed ordinatæ voluntati, sive, ut Scholæ vocant, voluntati signi, nimium sæpe resistitur. An non restitit *Hierosolyma*, quæ noluit congregari, cum Deus voluerit?

Sed dixerit aliquis: Interim duplici nomine necessitas est in rerum eventis, quod nec præscientia Dei falli possit, nec voluntas impediri. Non omnis necessitas excludit liberam voluntatem, quemadmodum Deus Pater necessario gignit Filium, & tamen volens ac libere gignit, quia non coactus. Potest & in humanis rebus aliqua poni necessitas, quæ tamen non excludat libertatem nostræ voluntatis. Præsciebat Deus, & quod præsciebat aliquo modo volebat, fore ut *Judas* proderet Dominum. Itaque si spectes Dei præscientiam infallibilem, & voluntatem immutabilem, necessario eventurum est, ut *Judas* prodat Dominum, & tamen *Judas* poterat mutare voluntatem suam, aut certe poterat non suscipere voluntatem impiam. Dices: Quid si mutasset? Non fuisset falsa Dei præscientia, nec impedita voluntas, cum hoc ipsum præsciturus fuerit ac voliturus, quod esset mutaturus voluntatem. In his qui rem Scholastica subtilitate discutiunt, recipiunt necessitatem consequentiæ, consequentis necessitatem rejiciunt. Nam his verbis solent explicare quod sentiunt. Fatentur enim necessario consequi, quod *Judas* proditurus fuerit Dominum, si hoc ab æterno voluntate efficaci voluit Deus: at negant consequi, quod ideo necessario proditurus sit, cum ex sua prava voluntate susceperit impium negotium. Sed non est hujus instituti, hoc genus argutias persequi. Jam quod dictum est, *Induravit Dominus cor Pharaonis*, potest eodem accipi sensu, quo accipitur illud *Pauli*, *Tradidit illos in reprobum sensum*: ut idem opus sit peccatum, & pœna peccati. Sed quos tradit Deus in reprobum sensum, utique tradit ob merita præcedentia, veluti *Pharaonem*, quod tot signis provocatus, noluerit dimittere populum: Philosophos, quod cum Dei divinitatem nossent, coluerint lapides & ligna. Verum ubi mera perpetuaque necessitas est, nulla possunt esse merita, neque bona, neque mala. Ad hæc, negari non potest, quin ad omnem actum concurrat operatio divina, cum omnis actio res quædam sit, atque etiam bonum quoddam sit, velut adulteram complecti, aut hoc ipsum velle. Cæterum actus malitia non proficiscitur a Deo, sed a nostra voluntate, nisi quod Deus, ut dictum est, dici posset aliquo sensu malitiam voluntatis operari in nobis, quod eam sinat ire quo velit, nec revocet per suam gratiam. Ita perdidisse dicitur hominem, qui cum servare posset, passus est perire. Sed hisce de rebus satis, quod ad hunc locum attinet.

Exod. vii. Rom. ix.

Nunc ad alterum de *Esau* & *Jacob*, de quibus nondum natis oraculo responsum est: *Major serviet minori*, ut habetur *Geneseos* xxv. Sed hæc vox non proprie pertinet ad hominis salutem: potest enim Deus velle, ut homo, velit nolit, servus sit, aut pauper, ut tamen non rejiciatur ab æterna salute. Cæterum quod attexit ex *Malachiæ* capite i. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: si litteram urgeas, Deus nec amat quemadmodum nos amamus, nec odit quemquam, cum in hunc non cadant affectus hujusmodi. Præterea, quod cœperam dicere, videtur illic loqui Propheta non de odio quo damnamur in æternum, sed de afflictione temporaria: veluti dicitur ira ac furor Dei. Reprehenduntur illic, qui volebant exstruere *Idumæam*, quam Deus volebat manere dirutam. Porro quod attinet ad tropologiam, nec omnes Gentes dilexit Deus, nec omnes Judæos odit, sed ex utraque gente quosdam elegerat, ut hoc testimonium apud *Paulum* non admodum pugnet ad probandam necessitatem, sed potius ad retundendam arrogantiam Judæorum, qui credebant sibi proprie deberi gratiam Evangelicam, quod essent posteritas *Abrahæ*, & Gentes abominabantur, nec recipi patiebantur ad Evangelicæ gratiæ consortium. Id paulo

lo post explicans dicit: *Quos & vocavit, non solum ex Judæis* &c. Quoniam autem Deus quos odit aut diligit, ex justis causis odit aut diligit, non magis officit libertati arbitrii odium & amor, quo prosequitur nascituros, quam quo natos. Nondum natos odit, quia certo præscit illos gesturos odio digna: natos odit, quia committunt odio digna. Judæi, qui erant populus dilectus, rejecti sunt: & Gentes, qui non erant populus, receptæ sunt. Quare Judæi reciși sunt ab olea? quia noluerunt credere. Quare insitæ Gentes? quia obedierunt Evangelio. Hanc causam adfert ipse *Paulus: Propter incredulitatem*, inquit, *fracti sunt*, utique quia credere noluerunt. Et exsectis facit spem ut B rursus inserantur, si relicta incredulitate voluerint credere: & insitis injicit metum, ne excidantur, si averterint sese a gratia Dei. *Tu*, inquit, *fide stas, noli altum sapere, sed time.* Ac mox: *Ut non sitis vobismet ipsis sapientes.* Hæc nimirum arguunt *Paulum* hoc illic agere, ut reprimat Gentium simul & Judæorum arrogantiam.

Tertius locus est *Esaiæ* XLV. *Væ qui contradicit factori suo, testa de samiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? & opus tuum absque manibus est?* Sed evidentius apud *Hieremiam* cap. XVIII. *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israël? Ecce, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Hæc testimonia magis pugnant apud *Paulum*, quam apud Prophetas, unde decerpta sunt. *Paulus* enim ita recenset: C
Rom. IX. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* &c. Uterque locus Prophetæ objurgat populum obmurmurantem Domino, quod affligeretur ad emendationem. Horum impias voces retundit Propheta, quemadmodum *Paulus* retudit hanc impiam responsationem: *O homo tu quis es.* In his autem non aliter debemus nos submittere Deo, quam figuli manibus obtemperat lutum udum. Verum hoc non adimit in totum liberum arbitrium, nec excludit voluntatem nostram voluntati D divinæ cooperantem ad salutem æternam. Etenim apud *Hieremiam* mox sequitur cohortatio ad pœnitentiam, quem locum ante retulimus. Ea frustra fit, si ex necessitate fiunt omnia. Porro, quod hîc *Pauli* sermo non pertinet ad excludendam in totum liberi arbitrii vim, sed ad retundendam impiam murmurationem Judæorum adversus Deum, qui ob pervicacem incredulitatem rejiciebantur a gratia Evangelii, Gentibus ob credulitatem receptis, satis explicat secunda Epistola ad *Timoth.* capite II. *In magna autem*, inquiens, *domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam vero in contumeliam. Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem* E *sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Hujusmodi vero similitudines docendi gratia sic adhibentur in Litteris sacris, ut tamen non quadrent per omnia. Alioqui quid stultius, quam si quis dicat matulæ Samiæ: Si te ipsam expurgaris, eris vas utile & honorificum: verum hoc recte dicitur testæ rationali, quæ monita potest sese accommodare ad voluntatem Domini. Præterea, sit sane simpliciter homo Deo, quod lutum est in manu figuli, qualecunque vas fingitur, nulli imputabitur, nisi figulo, præsertim si talis sit figulus, qui lutum etiam ipsum suo arbitrio crearit ac temperarit. Hîc vas, quod ideo nihil commeruit, F quia sui juris non est, conjicitur in ignem æternum. Ad id igitur interpretemur parabolam, cujus docendi gratia adhibita est. Quod si velimus omnes ejus partes superstitiose ad id quod propositum est accommodare, cogemur multa ridicula dicere. Figulus hic facit vas in contumeliam, sed ex meritis præcedentibus, quemadmodum rejecit Judæos quosdam, sed ob incredulitatem. Rursus ex Gentibus facit vas honorificum ob credulitatem. Jam qui nos urgent sacræ Scripturæ verbis, ac similitudinem de figulo & massa volunt simpliciter accipi, cur non concedunt nobis, ut alterum locum, *Si quis se emundaverit*, simpliciter accipiamus? Et ita *Paulus* reperietur sibi contradicere. In priore loco totum ponit in manu Dei, hîc totum ponit in manu hominis. Et tamen uterque locus sanus est, quanquam aliud hic, aliud agit ille. Prior occludit os obmurmurantis Deo, posterior invitat ad industriam, ac deterret a securitate aut desperatione. Non dissimilis huic locus est *Esaiæ* cap. X. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur?* Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est. Hæc dicta sunt adversus impium Regem, cujus sævitia Deus abusus fuerat ad castigandum populum suum. At is ea, quæ gerebantur divino permissu, tribuebat suæ sapientiæ suisque viribus, cum fuisset organum iræ divinæ. Organum erat, sed vivum & rationale. Quale si esset securis & serra, non absurde dicerentur & ipsæ aliquid agere una cum fabro. Servi sunt instrumenta viva dominorum, ut docet *Aristoteles*, qualia forent secures, serræ, ligones, aratrum, si per se moveri possent, quemadmodum tripodes ac lebetes, quos sic fabricatus erat *Vulcanus*, ut sua sponte venirent in certamen. Herus præscribit, suppeditat ea quibus est opus, neque quicquam possit efficere servus absque domino, & tamen nemo dicat servum nihil agere, domini jussis obsequentem. Porro similitudo adhibita non valet ad tollendam arbitrii libertatem, sed ad retundendam arrogantiam Regis impii, non Deo, sed suo robori suæque sapientiæ tribuentis quod gesserat. Neque vero difficile diluitur quod adducit *Origenes* ex *Ezechiele: Auferam cor lapideum ab eis, & immittam eis cor carneum.* Simili figura posset dicere præceptor discipulo soloeciſſanti: Eximam tibi linguam istam barbaricam, & inseram Romanam: nihilo secius tamen a discipulo requirit industriam, tametsi citra præceptoris operam non posset discipulus mutare linguam. Quid est *cor lapideum?* Cor indocile & obstinatum in malitia. Quid est *cor carneum?* Cor docile & obsequens gratiæ divinæ. Qui statuunt liberum arbitrium, nihilo secius fatentur animum malis obstinatum, non posse ad veram pœnitentiam emollescere, nisi adjutrice gratia cœlesti. Qui docilem reddit, exigit & tuum conatum, ut doctus evadas. *David* orat: *Cor mundum crea in me Deus.* Et *Paulus* dicit: *Qui se emundaverit. Ezechiel* dicit: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Contra, *David* clamat: *Et spiritum rectum innova in visceribus meis. David* orat: *Et omnes iniquitates meas dele.* Contra *Joannes: Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. David* orat: *Libera me de sanguinibus Deus.* Propheta reclamat: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Et *Paulus*: *Abjiciamus opera tenebrarum.* Item Petrus: *Deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes* &c. *Paulus* ad *Philipp.* II. *Cum metu*, inquit, *& tremore vestram salutem operamini.* Atque idem prioris ad *Corinthios* XII. *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Hujus generis plusquam sexcenta loca sunt in divinis Litteris. Si nihil operatur homo, cur dicit: *Operamini?* Si quid agit homo, cur dicit: *Deus operatur omnia in omnibus?* Quorum altera si quis ad suum commodum detorqueat, nihil agit homo. Altera si quis ad suam causam urgeat, totum facit homo. Quod si nihil agit homo, nullus est locus meritis. Ubi non est locus meritis, ibi nec suppliciis, nec præmiis locus est. Si totum agit homo, non est locus gratiæ, cujus mentionem toties inculcat *Paulus.* Non secum pugnat Spiritus Sanctus, cujus afflatu proditæ sunt Canonicæ Litteræ. Utraque pars amplectitur & agnoscit inviolabilem Scripturæ majestatem. Sed interpretatio quærenda quæ nodum explicet. Qui tollunt liberum arbitrium, sic interpretabuntur: *Ad quod velis, extende manum*, id est, gratia extendet manum tuam ad quod ipsa velit. *Facite vobis cor novum*, id est, gratia Dei faciet in vobis cor novum. *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se*, id est, gratia sanctificat ipsum. Et, *abjiciamus opera tenebrarum*, id est, gratia abjiciat. Toties occinitur hæc cantio in divinis

2 Tom. II. Ezech. XXXVI. Psal. L. Ezech. XVIII. 1 Joan. III. Esaiæ LII. Rom. XIII. 1 Petri II.

Digitized by Google

Litteris: *Fecit justitiam, operatus est iniquitatem.* Id quoties occurrit, exponemus, Deus fecit & operatus est in illo justitiam & iniquitatem. Jam si proferam hîc veterum orthodoxorum, aut etiam Conciliorum interpretationem, mox reclamabitur, homines erant. Atqui in interpretatione tam violenta tortaque non licebit mihi dicere; *Lutherus* homo est? Sane penes istos victoria est, si ipsis licet, utcunque causæ commodum est, interpretari Scripturas, nobis nec Veterum interpretationem sequi licebit, nec nostram adferre in medium. Et hæc Scriptura dilucidior est, quam ut egeat interprete, *extende manum ad quod voles*, id est, gratia extendet manum tuam, ad quod ipsa volet, quod probatissimi Doctores interpretati sunt, somnium erit, non enim dicam quod alii non tacuerunt, instinctus Satanæ. Atqui hæc loca, quæ videntur inter se pugnare, facile rediguntur in concordiam, si nostræ voluntatis conatum cum auxilio divinæ gratiæ copulemus. In comparatione figuli & securis, mordicus urgent nos verbis simpliciter intellectis, quoniam ita commodum est causæ ipsorum, hîc parum pudenter recedunt a verbis divinæ Scripturæ, videlicet non multo verecundius interpretantes, quam si quis dicat *Petrum* scribere, & alius interpretetur, non ipse scribit, sed alius scribit in ædibus ejus.

Nunc experiamur, quantum habeant roboris, quæ *Martinus Lutherus* adducit ad subruendam liberi arbitrii potestatem. Adducit enim ex *Geneseos* capite VI. & VIII. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Hoc loco Scriptura non accipit carnem simpliciter pro impio affectu, quemadmodum aliquoties usurpat *Paulus*, cum opera carnis jubet mortificari, sed pro infirmitate naturæ proclivis ad peccandum. Quemadmodum *Corinthios* carnales appellat, quod nondum essent capaces solidioris doctrinæ, velut infantes etiamnum in *Christo*. Et *Hieronymus* in *Quæstionibus Hebraicis* indicat, apud Hebræos aliud haberi quam nos legimus, nimirum ita: *Non judicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quia carnes sunt.* Quæ verba non severitatem Dei, sed clementiam sonant. *Carnes* enim appellat infirmæ conditionis, & ad malum proclives: spiritum autem vocat indignationem. Negat itaque se velle illos æternis suppliciis servare, sed velle misericorditer hîc pœnas de illis sumere. Et tamen hoc dictum non pertinet ad universum genus hominum, sed tantum ad illius ætatis homines nefandis vitiis corruptissimos. Et ideo dicit, *in hominibus istis.* Nec tamen simpliciter ad universos illius ætatis homines pertinebat, quandoquidem laudatur *Noë* ut vir justus & Deo gratus. Eodem modo dissolvi potest, quod adfertur ex ejusdem operis capite VIII. *Sensus enim & cogitatio cordis humani prona sunt ad malum ab adolescentia sua.* Et capite VI. *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore.* Proclivitas autem ad malum, quæ est in plerisque hominibus, non adimit in totum libertatem arbitrii, etiamsi vinci in totum non potest, sine auxilio gratiæ divinæ. Quod si nulla pars resipiscentiæ pendet ab arbitrio, sed omnia necessitate quadam geruntur a Deo, cur inibi datum est hominibus spatium pœnitendi? *Eruntque dies illius centum & viginti annorum.* Nam *Hieronymus* in *Quæstionibus Hebraicis* hunc locum referri vult non ad spatium humanæ vitæ, sed ad tempus diluvii, quod indultum est, ut interim, si vellent, resipiscerent: si nollent, digni viderentur ultione divina, qui lenitatem Domini contempsissent. Porro quod adducit ex Esaiæ capite XL. *Suscepit de manu Domini pro omnibus peccatis suis*, *Hieronymus* de divina vindicta interpretatur, non de gratia reddita pro malefactis. *Rom. V.* Quanquam enim *Paulus* dicit: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia*: non tamen consequitur ex hoc, quod ante gratiam gratum facientem non possit homo, adjutus auxilio Dei, per opera moraliter bona, sese præparare favori divino, quemadmodum legimus de *Cornelio* Centurione nondum baptizato, ac nondum afflato Spiritu Sancto: *Precationes & eleemosyna tua adscenderunt in memoriam apud Deum.* *Actor. X.* Si omnia opera mala sunt quæ fiunt ante gratiam illam summam, an opera mala conciliant nobis favorem Dei? Jam quod adfert ex *Esaia* capite eodem: *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & flos ejus decidit. Quia spiritus Domini sufflavit in illud, verbum autem Domini manet in æternum:* mihi videtur violentius trahi ad gratiam & liberum arbitrium. Siquidem hoc loco *spiritum* accipit *Hieronymus* pro indignatione divina, *carnem* pro infirma hominis conditione, quæ nihil valet adversus Deum: *florem* pro gloria, quæ nascitur ex felicitate rerum corporalium. *Judæi* gloriabantur in templo, in præputio, in victimis: Græci gloriabantur in sapientia sua. Verum per Evangelium revelata ira Dei de cœlo, exsiccata est omnis illa gloria. Nec tamen omnis affectus hominis est caro, sed est qui dicitur anima, est qui dicitur spiritus, quo nitimur ad honesta, quam partem animi, rationem vocant, aut ἡγεμονικὸν, id est, principalem, nisi forte in Philosophis nullus finit ad honesta nixus, qui docuerunt millies oppetendam mortem citius, quam admittendam turpitudinem, etiamsi sciremus futurum ut & ignorarent homines, & Deus ignosceret. Quanquam sæpe corrupta ratio male judicat. *Nescitis*, inquit Dominus, *cujus spiritus sitis.* *Luc. IX.* Errore quærebant vindictam, quod ad preces *Heliæ* descendisset olim ignis de cœlo, qui absumpsit Pentecontarchos cum suo comitatu. Esse autem & in bonis spiritum humanum diversum a spiritu Dei, declarat *Paulus* ad *Romanos* VIII. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Quod si quis contendat, id quod est in hominis natura præstantissimum, nihil aliud esse quam carnem, hoc est, affectum impium: huic facile assentiar, si quod asseverat, sacræ Scripturæ testimoniis docebat. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Porro *Joannes* docet eos, qui credunt Evangelio, ex Deo nasci, ac fieri filios Dei, atque adeo Deos. Et *Paulus* distinguit hominem carnalem, qui non sapit ea quæ Dei sunt, a spirituali, qui omnia dijudicat. Rursus alias vocat novam creaturam in *Christo*. Si totus homo etiam renatus per fidem nihil aliud est quam caro, ubi spiritus e spiritu natus? ubi filius Dei? ubi nova creatura? Super his doceri velim. Interim abutar Veterum auctoritate, qui semina quædam honesti tradunt insita mentibus hominum, quibus aliquo modo vident & expetunt honesta, sed additos affectus crassiores, qui sollicitant ad diversa.

Porro voluntas huc aut illo versatilis dicitur arbitrium, quæ tametsi ob relictam in nobis peccati proclivitatem fortasse propensior est ad malum quam ad bonum, tamen nemo cogitur ad malum, nisi consentiat. Rursus quod recitat ex *Hieremia* cap. X. *Scio, Domine, quoniam non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos:* magis ad rerum lætarum & tristium eventus pertinet quam ad potestatem liberi arbitrii. Frequenter enim cum maxime cavent homines, ne quid incurrant mali, maxime malis involvuntur. Nec ob id adimitur libertas voluntatis, vel his qui patiuntur, quia malum venturum non prævideram: vel his qui inferunt, quia non eodem animo affligunt inimicos, quo Deus per illos hoc facit, nimirum ut castiget. Quod si maxime torqueas ad liberum arbitrium, nemo non fatetur, absque Dei gratia neminem posse rectum vitæ cursum tenere, & quotidie oramus: *Dirige Domine Deus in conspectu tuo viam meam*, nihilo secius tamen interim annitimur & ipsi pro viribus. Oramus: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua.* Qui petit auxilium, non deponit conatum. Iterum *Proverbiorum* XVI. *Hominis est præparare cor, Domini autem est gubernare linguam.* Et hoc ad eventa rerum pertinet, quæ possunt accidere aut non accidere, citra dispendium salutis æternæ. Quomodo autem est hominis præparare cor, cum *Lutherus* affirmet omnia necessitate geri? Ad idem eodem in loco dicit: *Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tua.* Audis *opera tua*, audis *cogitationes tuas*, quorum neutrum dici potest, si Deus in nobis operatur *Psal. V.* *Psal. CXVIII.*

Digitized by Google

tur omnia & bona & mala. *Initium vitæ bonæ, misericordia & veritas*, &c. Aliaque inibi multa leguntur, quæ faciunt pro his qui ſtatuunt liberum arbitrium. Quod autem citat ex eodem capite, *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium ad diem malum*, Deus non condidit ullam naturam ex ſe malam, & tamen ſic ſua ineffabili ſapientia temperat omnia, ut mala quoque vertat in bonum noſtrum & in gloriam ſuam. Nec enim *Luciferum* condidit malum, ſed ſua ſponte deficientem reſervat æternis ſuppliciis, & per hujus malitiam exercet pios, punit impios. Neque multo magis urget, quod refert ex capite xx. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Non ſtatim cogit, qui inclinat: & tamen nemo negat, ut dixi, Deum poſſe vim facere cogitationi hominis, extundere quod volebat, & aliam voluntatem inſerere, quin & mentem ipſam poteſt adimere. Nec ideo tamen non manet in nobis regulariter liberum arbitrium. Quod ſi *Solomon* ſentit hîc, quod interpretatur *Lutherus*, cum omnia corda ſint in manu Domini, cur hoc ceu peculiare pronunciat de corde Regis? Hic locus magis conſentit cum eo quod legimus *Job* xxxiv. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Item *Eſaiæ* iii. *Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Cum Deus propitius populo ſuo, inclinat animum Regis ad bona, non adfert illius voluntati neceſſitatem. Cæterum ad malum inclinare dicitur, cum offenſus populi peccatis, non revocat animum ſtulti Principis ad rapinas, ad bella, ad tyrannidem propenſum, ſed ſinit illum ſuis affectibus præcipitem agi, quo per illius malitiam caſtiget populum. Quod ſi quando fieret, ut Deus Regem ita commeritum impelleret ad malitiam, nihil eſt neceſſe peculiarem caſum trahere ad ſententiam generalem. Hujuſmodi teſtimoniorum, cujuſmodi *Lutherus* profert e *Proverbiis*, ingens acervus undiquaque colligi poterat, ſed magis faceret ad copiam quam ad victoriam. Tale genus argumentorum Rhetores ſolent in mediam aciem conjicere. Sunt enim hujuſmodi pleraque, ut adhibita commoda interpretatione, vel a libero arbitrio ſtare, vel contra liberum arbitrium pugnare queant. Illud telum *Lutherus* exiſtimat Achilleum & inevitabile, quod *Chriſtus* in Evangelio *Joannis* xv. ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Atqui mea ſententia poteſt ad hoc non uno modo reſponderi. Primum, vulgo nihil agere dicitur, qui non aſſequitur id quod expetit, & tamen frequenter aliquouſque promovit, qui conatur. In hoc ſenſu veriſſimum eſt, nos ſine *Chriſto* nihil poſſe facere: loquitur enim illic de fructu Evangelico, qui non contingit niſi manentibus in vite, qui eſt *Chriſtus Jeſus*. Hoc tropo dixit *Paulus*: *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quod minimi momenti eſt, ac per ſe inutile, nihil appellat. Item 1 ad *Corinth.* cap. xiii. *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* Et mox: *nihil mihi prodeſt.* Rurſus ad *Romanos* capite iv. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint.* Rurſus ex *Oſea*, *non populum* vocat, populum contemptum & rejectum. Simili figura dictum eſt in *Pſalmis*: *Ego ſum vermis, & non homo.* Alioqui ſi quis urgeat hac voce *nihil*, ne peccare quidem licebit ſine *Chriſto*. Nam *Chriſtum* hîc opinor dici gratiam ejus, niſi confugiant ad illud jam exploſum, peccatum eſſe nihil. Et hoc in aliquo ſenſu verum eſt, quandoquidem nec ſumus, nec vivimus, nec movemur ſine *Chriſto*. Atqui iſti donant nonnunquam liberum arbitrium abſque gratia valere ad peccandum. Donarat hoc *Lutherus* ipſe in principio ſuæ aſſertionis. Eodem pertinet quod ait *Joannes* Baptiſta: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.* Nec ideo conſequitur nullam eſſe vim aut uſum liberi arbitrii. Quod ignis calefacit, e cœlo venit, quod nos juxta naturæ ſenſum expetimus utilia & refugimus noxia, e cœlo eſt, quod poſt lapſum impellitur voluntas ad meliora ſtudia, e cœlo eſt, quod lachrymis, eleemoſynis, precibus aſſequimur gratiam, quæ nos Deo gratos reddit, e cœlo eſt. Nec interim nihil agit noſtra voluntas, quanquam non aſſequutura quod conatur, niſi adjutrice gratia: ſed quoniam minimum hoc eſt, quod per nos agitur, totum Deo tranſcribitur, quemadmodum navita, qui navim in portum deduxit e gravi tempeſtate incolumem, non dicit, ego ſervavi navim, ſed Deus ſervavit: & tamen illius ars & induſtria non fuit otioſa. Similiter agricola convehens uberem proventum ex agris in horrea, non dicit, ego dedi tam copioſam annonam, ſed Deus dedit: & tamen interim quis dicat agricolam nihil egiſſe ad proventum frugum? Sic & vulgo loquuntur: Deus dedit tibi pulchros liberos, cum ad hos gignendos non defuerit opera patris. Et Deus reſtituit me ſanitati, cum nonnihil adjuvarit Medicus: quemadmodum dicimus, Rex devicit hoſtes, cum tamen duces & milites navarint bonam operam. Nihil provenit abſque cœleſti pluvia, & tamen terra bona producit fructum, terra mala nihil adfert boni fructus. Sed quoniam humana opera nihil efficit, niſi acceſſerit favor divinus, ſumma tribuitur divino beneficio. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Nec tamen interim in ædificando ceſſat cura fabrorum, nec in cuſtodiendo vigilantia excubitorum. Jam, non enim *vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*: prima ſpecie videtur tollere liberum arbitrium, ſed re vera adimit nobis ſollicitudinem anxiam præmeditandi, quid ſimus dicturi in negotio *Chriſti*: alioquin peccarent concionatores, qui ſe ſtudio præparant ad ſacram concionem. Nec omnibus hoc exſpectandum, ſi quando Diſcipulis rudibus Spiritus infudit quod dicerent, quemadmodum infudit & Linguarum donum. Et ſi quando infudit, tamen in dicendo voluntas eorum conſentiebat afflatui Spiritus, ſimulque agebat cum agente. Atque hoc ſane eſt liberi arbitrii. Niſi forte recipiemus ſic Deum loquutum per os Apoſtolorum, quemadmodum loquebatur *Balaamo* per os aſinæ. Sed magis urget quod eſt apud *Joannem* vi. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Trahendi verbum videtur ſonare neceſſitatem, & excludere voluntatis libertatem. Verum hic tractus non eſt violentus, ſed facit ut velis, quod tamen potes nolle, quemadmodum oſtendimus puero malum, & accurrit, oſtendimus ovi ramum ſalicis virentem, & ſequitur: ita Deus pulſat animam noſtram ſua gratia, & volentes amplectimur. Sic accipiendum & illud quod habetur apud eumdem capite xiv. *Nemo venit ad Patrem niſi per me.* Sicut Pater glorificat Filium, Filius Patrem, ita Pater trahit ad Filium, Filius ad Patrem. Sic autem trahimur, ut mox volentes curramus. Sic legis in *Cantico*: *Trahe me poſt te, curremus* &c.

Ex *Paulinis* Epiſtolis aliquot loca colligi poſſunt, quæ videntur omnem liberi arbitrii vim ſubvertere: quod genus eſt illud 2 *Corinth.* iii. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.* Verum hîc duobus modis ſuccurri poteſt libero arbitrio. Primum enim quidam orthodoxi Patres tres gradus faciunt operis humani: primus eſt cogitare, ſecundus velle, tertius perficere. Atque in primo quidem ac tertio nullum locum tribuunt libero arbitrio quicquam operandi. Animus enim a ſola gratia impellitur, ut cogitet bonum, & a ſola gratia peragitur, ut perficiat quod cogitavit. Cæterum in medio, hoc eſt, in conſenſu, ſimul agit gratia & humana voluntas: ſic tamen, ut principalis cauſa ſit gratia, minus principalis noſtra voluntas. Quoniam autem ſumma rei tribuitur illi, qui totum contulit ad perficiendum, non eſt quod homo ex bono opere ſibi quicquam aſſerat, cum hoc ipſum, ut poſſit conſentire & cooperari gratiæ divinæ, Dei munus ſit. Deinde hæc præpoſitio, *ex*, ſonat originem ac fontem, eoque *Paulus* diſtincte refert a nobis quaſi ex nobis, ἀφ' ἑαυτῶν ὡς ἐξ ἑαυτῶν, id eſt, *ex nobis ipſis*. Hæc dici poterant etiam ab illo qui donaret, hominem naturæ viribus efficaciter velle bonum, quandoqui-

2 Cor. iii. Pſal. xxi. *Pſalmi* cxxvi. *Matth.* x. Cant. 1.

dem nec eas vires habet ex sese. Quis enim negat omne bonum a Deo velut a fonte proficisci? Atque id frequenter inculcat *Paulus*, ut adimat nobis arrogantiam ac fiduciam nostri, quod & alibi facit: *Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Gloriam audis, quam retundit hoc dicto. Idem audisset servus, qui Domino lucrum ex usura partum adnumerat, si sibi vindicasset laudem bene collocatæ operæ. Quid habes quod non accepisti? Et tamen ob strenue navatam operam collaudatur a Domino. Eamdem cantionem canit *Jacobus* 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens.* Item *Paulus* ad *Ephesios* 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et hæc eo pertinent, ne quid arrogemus nobis, sed omnia referamus accepta gratiæ divinæ, qui nos aversos vocavit, qui per fidem purificavit, qui hoc ipsum donavit, ut nostra voluntas possit esse συνεργὸς illius gratiæ, quanquam hæc vel ad omnia satis abunde sit sola, nec opus habeat ullo humanæ voluntatis auxilio. Cæterum quod est ad *Philipp.* cap. 11. *Deus enim operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate:* non excludit liberum arbitrium: cum enim ait, *pro bona voluntate*, si referas ad hominem, ut interpretatur *Ambrosius*, intelligis bonam voluntatem simul agere cum agente gratia. Ac mox inibi præcedit: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Unde colligis & Deum operari in nobis, & voluntatem ac sollicitudinem nostram simul adniti cum Deo. Eam interpretationem ne quis putet rejiciendam, præcedit, ut dictum est, hunc locum, *vestram ipsorum salutem operamini*, ἐργάζεσθε, quod verius significat *operari*, quam verbum ἐνεργεῖν, quod Deo tribuitur, ὁ ἐνεργῶν· ἐνεργεῖ vero proprie, quod agit & impellit. Sed ut idem polleant ἐργάζεσθαι καὶ ἐνεργεῖν, certe locus hic docet & hominem operari & Deum. Quid autem operatur & homo, si idem est nostra voluntas Deo, quod argilla figulo? *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Hoc Apostolis dictum est. Et tamen in *Actis Petrus* legitur loquutus: *Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ad eos.* Quomodo cohærebunt hæc inter se contraria, tu non loqueris, sed Spiritus, & *Petrus* loquutus est plenus Spiritu Sancto, nisi quod Spiritus sic loquitur in Apostolis, ut simul & ipsi loquantur obtemperantes Spiritui, & tamen verum est, eos non loqui, non quod nihil agant, sed quod ipsi non sint principales sermonis auctores. Itidem de *Stephano* legimus: *Et non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur:* & tamen ipse loquitur apud concilium. Ita *Paulus: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Et tamen justus apud eumdem ex fide vivit. Quomodo igitur vivens non vivit? quia Spiritui Dei fert acceptum quod vivit. Et ad *Corinth.* 1. capite xv. *Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Si nihil egerat *Paulus*, cur ante dixerat, se fecisse: *Sed abundantius*, inquit, *illis omnibus laboravi.* Si verum erat quod dixerat, cur hîc corrigit quasi perperam dictum? Nimirum hoc spectabat correctio, non ut intelligeretur nihil egisse, sed ne videretur suis viribus adscribere, quod auxiliante Dei gratia gesserat. Igitur insolentiæ suspicionem excludit ea correctio, non operis societatem. Non enim vult Deus ut homo sibi quicquam tribuat, etiamsi quid esset quod merito posset sibi tribuere. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* An non rem egregiam præstiterit, qui servarit omnia præcepta Dei? Qualis an omnino quisquam reperiatur nescio. Et tamen qui hoc præstiterint, jubentur dicere, *servi inutiles sumus.* Non negantur feciisse, sed docentur vitare periculosam arrogantiam. Aliud loquitur homo, aliud loquitur Deus. Homo dicit, servus sum, & servus inutilis. Quid Dominus? *Euge serve bone & fidelis.* Et: *Jam non dico vos servos, sed amicos.* Eosdem pro servis fratres appellat. Et qui se vocant servos inutiles, Deus appellat filios suos: atque hi ipsi qui se nunc prædicant servos inutiles, audiunt a Domino: *Venite benedicti Patris mei:* & audiunt commemorari sua beneficia, quæ ipsi se fecisse nesciebant. Arbitror autem præcipuam esse clavem ad divinæ Scripturæ intelligentiam, si spectemus quid eo in loco agatur: hoc animadverso, conveniet ex parabolis aut exemplis illud excerpere, quod ad institutum pertinet. In parabola de œconomo, qui submovendus ab officio fraude mutat codicillos debitoris Domini, quam multa sunt, quæ nihil faciunt ad sensum parabolæ? hoc tantum excerpitur, magno cuique studio conandum esse, ut dotes a Deo acceptas largissime effundat juvandis proximis, antequam mors occupet. Itidem in parabola, quam modo attigimus: *Quis vestrum habens servum Luc. XVII. arantem, aut pascentem boves, qui regresso de agro dicat illi statim, transi & recumbe, & non dicit, para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes: nunquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto.* Hujus parabolæ summa est, ut simpliciter obedientes jussis divinis strenue suo fungerentur officio, nec hinc quicquam laudis sibi vindicarent. Alioqui Dominus ipse dissidet ab hac parabola, qui se gessit pro ministro, cum Discipulis concesserit honorem discumbentium. Et gratias agit, cum ait: *Euge serve bone.* Et: *Venite benedicti.* Itaque non subjicit, ita & vos cum feceritis omnia, Dominus nulla gratia dignos judicabit, & pro servis inutilibus habebit: sed ait, *vos dicite, servi inutiles sumus.* Sic *Paulus*, qui plus omnibus laborarat, appellat se minimum Apostolorum, & indignum Apostoli nomine. Similiter apud *Matthæum* capite x. *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro?* Spectandum est in primis quid illic agat Dominus, non enim voluit docere *Diomedem*, quod ajunt, omnium rerum necessitatem, sed eo tendit hoc exemplum, ut eximat Discipulis metum hominum, quod intelligerent se Deo curæ esse, nec ab hominibus lædi posse, nisi illius permissu, illum vero non permissurum, nisi sic expediret ipsis & Evangelio: alioqui *Paulus* 1. ad *Corinth* IX. *Numquid*, inquit, *de bubus cura est Deo?* Videtur autem & in hoc, quod sequitur apud Evangelistam, hyperbole subesse: *Vestri autem capilli capitis Matth. omnes numerati sunt.* Tot capilli quotidie defluunt in x. terram, an & hi vocabuntur ad rationem? Quid igitur agebat hyperbole? Nimirum illud quod sequitur: *Nolite ergo timere.* Quemadmodum igitur his tropis eximitur metus hominum, & confirmatur fiducia erga Deum, sine cujus providentia nihil omnino fit: ita quos supra recensuimus, non hoc agunt ut tollant liberum arbitrium, sed ut deterreant nos ab arrogantia, quam odit Dominus. Tutius est totum transcribere Domino, benignus est, nec solum reddet nobis quod nostrum est, verum etiam, quod ipsius est, jubebit esse nostrum. Filius ille prodigus quomodo dicitur prodegisse portionem suæ substantiæ, si nulla portio fuit in illius manu? Quod habebat acceperat a patre. Et nos fatemur omnes naturæ dotes esse dona Dei. Habebat portionem suam etiam tum, cum esset in manu patris, & habebat tutius. Quid igitur est effiagitata portione divertere a patre? Nimirum est naturæ dotes arrogare tibi, easque non applicare ad implenda præcepta Dei, sed ad explendas carnis concupiscentias. Quid est fames? Est afflictio qua Deus exstimulat mentem peccatoris, ut agnoscat & oderit seipsum, tangaturque desiderio relicti patris. Quid est filius secum loquens, confessionem ac reditum meditans? Est voluntas hominis applicans sese ad gratiam exstimulantem, quam, ut diximus, vocant prævenientem. Quid est pater occurrens filio? Est gratia Dei, quæ provehit voluntatem nostram, ut perficiamus quod volumus. Hæc interpretatio, si meum esset commentum, certe probabilior esset, quam istorum, qui, quo convincant hominis voluntatem nihil agere, *porrige manum ad quod vales*, interpretantur, gratia porrigit manum tuam ad quod ipsa volet. Nunc cum sit ab orthodoxis Patribus tradita, non video quare debeat contemni. Eodem pertinet quod vidua paupercula duo minuta, hoc

1 Corinth. IV.
Matth. X.
Actor. IV.
Actor. VI.
Galat. II.
Rom. I.
Abacuc. II.
Luc. XVII.
Luc. XIX.
Joan. XIII.
Matth. XV.

hoc est, totam substantiam suam, mittit in gazophylacium. Rogo quid meritorum potest arrogare sibi, si quicquid hoc est, quod homo potest intellectu naturali & voluntatis libertate, totum debet ei, a quo vires eas accepit? Et tamen Deus hoc ipsum nobis imputat pro meritis, quod non avertimus animum nostrum ab ipsius gratia, quod naturæ vires ad simplicem obedientiam appellimus. Hoc certe tantum valet, ut falsum non sit, hominem aliquid agere, & tamen omnium quæ facit summam Deo velut auctori tribuat, unde profectum est, ut potuerit suum conatum cum Dei
1 Cor. XIII. gratia conjungere. Ita *Paulus*: *Gratia*, inquit, *Dei sum id quod sum.* Agnoscit auctorem. Sed cum audis, *Gratia ejus in me vacua non fuit*: agnoscis humanam voluntatem simul adnitentem auxilio divino. Idem indicat cum ait: *Non ego, sed gratia Dei, qua mihi adest.* Nam Græcis est, ἡ σὺν ἐμοὶ. Et Hebræus ille sapientiæ prædicator optat sibi adsistere divinam sapientiam, ut secum sit, ac secum laboret. Adsistit tanquam moderatrix & adjutrix, quemadmodum architectus adsistit ministro, præscribit quid sit agendum, ostendit agendi rationem, si quid ille perperam facere coeperit, revocat, si quid ille deficit, succurrit, opus adscribitur architecto, sine cujus ope nihil poterat effici, & tamen nemo dixit ministrum ac discipulum nihil egisse. Quod architectus est discipulo, hoc gratia est voluntati nostræ. Ita *Paulus* ad *Romanos* capite VIII. *Similiter & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Nemo vocat infirmum, qui nihil potest, sed cui vires non sufficiunt peragendo quod conatur: nec adjutor dicitur, qui totum solus facit. Tota Scriptura clamat adjutorium, opem, auxilium, subsidium. Quis autem adjuvare dicitur nisi aliquid agentem? Neque enim figulus adjuvat lutum ut fiat vas, nec faber securim ut fiat scamnum. Itaque qui sic colligunt, nihil potest homo nisi auxiliante gratia Dei, igitur nulla sunt hominis opera bona: his opponemus collectionem magis, ut arbitror, probabilem, homo nihil non potest auxiliante Dei gratia, igitur omnia opera hominis possunt esse bona. Quot igitur sunt in Scripturis divinis loca, quæ meminerunt auxilii, tot sunt quæ statuunt liberum arbitrium: atque ea sunt innumerabilia. Itaque vicero si res æstimetur ex testimoniorum numero.

Hactenus ex divinis libris loca contulimus, quæ statuunt liberum arbitrium, & ex adverso, quæ videntur in totum tollere. Quoniam autem Spiritus Sanctus, quo auctore prodita sunt hæc, non potest pugnare secum, cogimur velimus nolimus aliquam sententiæ moderationem quærere. Cæterum ut ex eadem Scriptura alii aliam sumerent opinionem, in causa fuit, quod alius alio spectaret, & ad suum quemque scopum interpretabatur quod legebat. Qui secum reputabant, quanta esset in hominibus ad studium pietatis socordia, deinde quantum esset malum desperatio salutis: dum his malis mederi student, incauti in aliud incidere malum, ac plus satis tribuerunt libero hominis arbitrio. Rursus alii perpendentes quanta sit pestis veræ pietatis, hominem suis viribus ac meritis fidere, quam intolerabilis quorumdam arrogantia, qui sua benefacta jactant, atque etiam ad mensuram ac pondus vendunt aliis, quemadmodum venditur oleum & sapo: dum hoc malum magno studio vitant, aut dimidiarunt liberum arbitrium, sic ut ad bonum opus nihil prorsus ageret, aut in totum jugularunt inducta rerum omnium absoluta necessitate. Nimirum istis visum est vehementer aptum ad Christianæ mentis simplicem obedientiam, ut totus homo pendeat a nutu Dei, in illius promissis spem omnem ac fiduciam ponat, & agnoscens quam ipse ex sese sit miserabilis, miretur & amet illius immensam misericordiam, quæ nobis gratis tanta largitur, illius voluntati se totum submittat, sive servare velit, sive perdere: nihil laudis ex benefactis sibi arroget, sed totam gloriam adscribat illius gratiæ, cogitans hominem nihil aliud esse, quam vivum organum divini Spiritus, quod ipse sibi purgavit consecravitque sua gratuita bonitate, quod pro sua inscrutabili sapientia moderatur ac temperat: nihil hic esse quod quisquam suis arroget viribus, & tamen certa fiducia ab illo speret præmium æternæ vitæ, non quia suis benefactis promeruerit, sed quod ejus bonitati visum sit promittere ipsi fidentibus: hominis partes esse, assidue precari Deum ut impartiat & augeat in nobis Spiritum suum, agere gratias, si quid per nos bene gestum est, illius potentiam in omnibus adorare, sapientiam ubique mirari, bonitatem ubique amare. Hæc oratio apud me quoque vehementer plausibilis est, congruit enim Scripturis divinis, respondet eorum professioni, qui semel mortui mundo, per baptismum simul sepulti sunt cum *Christo*, ut mortificata carne posthac vivant & agantur spiritu *Jesu*, in cujus corpus insiti sunt per fidem. Pia nimirum & favorabilis sententia, quæ nobis omnem adimit arrogantiam, quæ in *Christum* transfert omnem gloriam simul & fiduciam, quæ nobis metum hominum ac Dæmonum excutit, ac nostris ipsorum præsidiis diffisos, in Deo fortes reddit & animosos. His libenter applaudimus usque ad hyperbolas. Cum enim audio, adeo nullum esse hominis meritum, ut omnia quamvis piorum hominum opera, peccata sint: cum audio nostram voluntatem nihilo plus agere, quam agat argilla in manu figuli: cum audio cuncta quæ facimus aut volumus, ad absolutam referri necessitatem, multis scrupis offenditur animus. Primum: quomodo toties legis sanctos plenos operibus bonis fecisse justitiam, ambulasse rectos coram Deo, non declinasse ad dextram nec ad sinistram, si quicquid agunt etiam eximie pii, peccatum est, & tale peccatum, ut ni subveniret Dei misericordia, demersurum esset in Tartarum eum pro quo mortuus est *Christus*? Quomodo toties auditur præmium, ubi prorsus nullum est meritum? Qua fronte collaudatur obedientia eorum qui parent jussis divinis, damnatur inobedientia qui non parent? Cur toties fit in sacris Litteris judicii mentio, si nulla est omnino meritorum expensio? Aut cur cogimur sisti ad tribunal judicis, si nihil ex nostro arbitrio, sed ex mera necessitate gesta sunt in nobis omnia? Obstrepit & illa cogitatio, quorsum opus tot monitis, tot præceptis, tot minis, tot exhortationibus, tot expostulationibus, si nos nihil agimus, sed Deus pro sua immutabili voluntate operatur in nobis omnia, & velle & perficere? Vult nos assidue precari, vult advigilare, certare, contendere ad bravium æternæ vitæ. Cur assidue rogari vult, quod ipse jam decrevit dare aut non dare, nec mutare potest sua decreta, cum sit immutabilis ipse? Cur jubet nos tot laboribus expetere, quod ipse gratis largiri decrevit? Affligimur, ejicimur, exsibilamur, excruciamur, occidimur, sic certat in nobis Dei gratia, sic vincit, sic triumphat. Tam atrocia patitur Martyr, & tamen nihil illi tribuitur meriti, imo peccare dicitur exponens corpus suum tormentis spe vitæ cœlestis. Sed cur misericordissimus Deus sic voluit in Martyribus operari? Crudelis enim videatur homo, si quod gratis largiri decrevisset amico, non daret, nisi usque ad desperationem exercitato. Verum ad hanc divini consilii caliginem ubi ventum erit, fortasse jubebimur adorare quod assequi fas non est, ut dicat mens humana, Dominus est, potest quicquid vult: & quoniam natura optimus est, non potest non esse optimum quicquid voluerit. Jam & illud satis plausibiliter dicitur, quod Deus sua dona coronat in nobis, ac suum beneficium jubet nostrum esse præmium, & quod in nobis operatus est, ex sua gratuita bonitate id sibi fidentibus veluti debitum dignatur imputare ad assequendam immortalitatem. Sed nescio quomodo sibi constent, qui sic in piis exaggerant Dei misericordiam, ut in aliis pene faciant illum crudelem. Benignitatem sua bona nobis imputantis utcunque ferunt aures piæ. Cæterum difficile explicatur quomodo justitiæ sit (non enim jam dico misericordiæ) alios, in quibus non dignatus est operari bona, æternis addicere suppliciis, cum ipsi per se nihil possint efficere boni, ut quibus aut nullum est liberum arbitrium, aut si est, ad nihil aliud valet quam ad peccandum. Si Rex quispiam donaret ingens præmium ei qui nihil egisset in bello, cum cæteri qui gnaviter se

Digitized by Google

gessissent, nihil ferrent præter solitum salarium, fortasse posset obmurmurantibus militibus respondere: Quæ vobis injuria fit, si mihi libet in hunc esse gratuito liberalem? At justus & clemens quî posset videri, si ducem, quem machinis, copiis, pecuniis, & omnibus præsidiis affatim instruxisset ad bellum, pro re bene gesta magnifice coronaret, & alterum, quem nullis instructum præsidiis inermem bello objecisset, ob rem infeliciter gestam afficeret supplicio? Nonne moriens ille jure diceret Regi: Cur in me punis quod tua culpa commissum est? si similiter instruxisses, similiter vicissem. Rursus si herus servum nihil commeritum manumitteret, haberet fortasse quod aliis servis obmurmurantibus responderet: Nihil vobis decedit, si in hunc sum benignior, habetis dimensum vestrum. Atqui nemo non judicaret crudelem & iniquum dominum, qui servum loris cæderet, vel quod minus esset procero corpore, vel naso porrectiore, vel alioqui parum elegante forma. Nonne is jure obmurmuraret domino cædenti: Cur do pœnas ob id quod in manu mea non est? Atque hoc justius etiam diceret, si domino esset in manu mutare vitium corporis in servo, quemadmodum Deo in manu est mutare voluntatem nostram, aut si dominus hoc ipsum, quo offenditur, vitium addidisset servo, veluti si truncasset nasum aut faciem cicatricibus fœdasset, quemadmodum Deus, juxta quorumdam opinionem, etiam mala omnia operatur in nobis. Rursus, quod ad præcepta attinet, si dominus servo compedibus adstricto in pristino multa præscriberet, abi illuc, fac hoc, curre, recurre, dira minitans ni pareat, nec interim solveret illum, jamque non parenti virgas expediret, nonne videatur servus jure dominum vocare vel insanum, vel crudelem, si loris occideret quod non fecisset ea, quæ non erant in ipsius potestate? Porro quod isti fidem & charitatem in Deum in immensum exaggerant, æquis auribus ferimus, arbitrantes vitam Christianorum tot undique sceleribus contaminatam non aliunde proficisci, quam ex fide nostra frigida & somniculosa, qua verbotenus credimus Deo, quæque natet in summis labiis, cum juxta *Paulum*, *corde credatur ad justitiam*. Nec admodum digladiabor cum his, qui ad fidem velut ad fontem caputque referunt omnia, etiamsi mihi fides ex charitate, charitas ex fide vicissim nasci alique videtur: certe charitas alit fidem, quemadmodum in lucerna lumen alitur oleo: libentius enim illi fidimus, quem vehementer amamus. Nec desunt, qui fidem initium volunt esse salutis potius, quam summam. Sed de his non contendimus.

Rom. x.

Cæterum hîc cavendum erat, ne dum toti sumus in amplificandis fidei laudibus, subvertamus libertatem arbitrii, qua sublata, non video quo pacto possit explicari quæstio de justitia, deque misericordia Dei. Ex hujusmodi angustiis cum sese non explicarent Veteres, quidam duos Deos facere coacti sunt: alterum veteris Testamenti, quem tantum volebant esse justum, non etiam bonum: alterum novi Testamenti, quem tantum volebant esse bonum, non justum: quorum impium commentum satis explodit *Tertullianus*. *Manichæus*, ut diximus, duas in homine naturas somniavit: alteram quæ non posset non peccare, alteram quæ non posset non benefacere. *Pelagius* dum metuit justitiæ Dei, plus satis tribuit libero arbitrio: a quo non ita multum absunt, qui tantum tribuunt voluntati hominis, ut ex naturæ viribus per opera moraliter bona mereri possint gratiam illam supremam, qua justificamur. Hi mihi videntur hominem ostensa bona spe salutis adipiscendæ ad conandum invitare voluisse. Quemadmodum *Cornelius* precibus & eleemosynis meruit doceri a *Petro*, Eunuchus a *Philippo*, divus *Augustinus* dum sedulo quærit *Christum* in *Paulinis* Epistolis, meruit invenire. Hîc illos, qui non ferunt quicquam boni hominem posse, quod non debeat Deo, sic placare possumus, ut dicamus, nihilo secius totum opus deberi Deo, sine quo nihil efficeremus, & quod adfert momenti liberum arbitrium, perpusillum esse, & hoc ipsum esse divini muneris, ut possimus animum ad ea quæ sunt salutis afflectere, aut gratiæ συνεργεῖν. *Augustinus* ex colluctatione cum *Pelagio* factus est iniquior libero arbitrio, quam fuerat antea. Contra *Lutherus* ante nonnihil tribuens libero arbitrio, huc provectus est calore defensionis, ut in totum tolleret. Atqui reprehenditur apud Græcos *Lycurgus*, opinor, quod odio temulentiæ vites incidi jusserit, cum admotis propius fontibus sic posset excludere temulentiam, ut tamen non periret usus vini. Poterat enim, mea sententia, sic statui liberum arbitrium, ut tamen vitaretur illa fiducia meritorum nostrorum, cæteraque incommoda, quæ vitat *Luthgrus*, simulque ea incommoda, quæ nos supra recensuimus, nec perirent ea commoda, quæ miratur *Lutherus*. Hoc mihi videtur præstare illorum sententia, qui tractum, quo primum exstimulatur animus, totum tribuunt gratiæ: tantum in cursu tribuunt nonnihil hominis voluntati, quæ se non subduxerit gratiæ Dei. Cum autem rerum omnium tres sint partes, initium, progressus, & summa, duas extremas tribuunt gratiæ, tantum in progressu fatentur aliquid agere liberum arbitrium, sic tamen, ut ad idem opus individuum simul concurrant duæ causæ, gratia Dei, & hominis voluntas: sic tamen, ut gratia sit causa principalis, voluntas secundaria, quæ sine principali nihil possit, cum principalis sibi sufficiat. Quemadmodum nativa vis ignis urit, & tamen principalis causa Deus est, qui simul per ignem agit, quæ vel sola sufficeret, & sine qua nihil ageret ignis, si se subduceret illa. Hac temperatura fit, ut homo totam salutem suam divinæ gratiæ ferre debeat acceptam, cum perpusillum sit quod hîc agit liberum arbitrium, & hoc ipsum quod agere potest, sit divinæ gratiæ, qui primum condidit liberum arbitrium, deinde liberavit etiam ac sanavit. Atque ita placantur, si modo placabiles sunt hi, qui non ferunt homini quicquam esse boni, quod Deo non debeat. Debet & hoc, sed aliter alioque titulo. Quemadmodum hæreditas ex æquo obveniens liberis, non vocatur quidem benignitas, quia per communem legem contingit omnibus. Si quid præter commune jus donatum est huic aut illi, liberalitas dicitur, tamen hæreditatis etiam nomine liberi debeant parentibus. Conabimur & parabolis exprimere, quod dicimus: Oculus hominis quamvis sanus nihil videt in tenebris, excæcatus ne in luce quidem: ita voluntas quamvis libera nihil tamen potest, si se subducat gratia: & tamen infusa luce, potest occludere qui sanos habet oculos, ut non videat, potest & oculos avertere, ut desinat videre, quod videre poterat. Plus autem debet, qui oculos habebat excæcatos vitio quopiam. Primum debet conditori, deinde medico. Ante peccatum utcunque sanus erat oculus, peccato vitiatur oculus. Quid hîc sibi potest arrogare, qui videt? Est tamen quod sibi imputet, si prudens claudat aut avertat oculos. Accipe parabolam alteram: Pater infantem nondum ingredi potentem, collapsum erigit, utcunque adnitentem, & pomum ex adverso positum ostendit: gestit puer accurrere, sed ob imbecillitatem membrorum mox denuo collapsurus esset, ni pater manu porrecta fulciret, regeretque gressum illius. Itaque patre duce pervenit ad pomum, quod pater volens dat illi in manum, veluti cursus præmium. Erigere se non poterat infans, nisi pater sustulisset: non vidisset pomum, nisi pater ostendisset: non poterat progredi, nisi pater invalidos gradus perpetuo adjuvisset: non poterat attingere pomum, nisi pater dedisset in manu. Quid hîc sibi vindicabit infans? Et tamen egit nonnihil. Nec habet tamen, quod de suis viribus glorietur, cum se totum debeat patri. Ponamus enim hoc interim esse quod est in Deo. Quid igitur hîc agit infans? Erigenti utcunque adnititur, & ad illius moderationem gressus infirmos, ut potest, accommodat. Poterat pater trahere nolentem, & poterat reluctari puerilis animus, spreto pomo, poterat pater dare pomum absque cursu, sed sic dare maluit, quia sic magis expedit puero. Facile patiar, ut aliquanto minus debeatur industriæ nostræ ad consequendum vitam æternam, quam pueri ad patris manum cur-

Digitized by Google

currentis. Hic cum videamus minimum esse tributum libero arbitrio, tamen quibusdam hoc ipsum videtur esse plus satis: solam enim gratiam volunt in nobis agere, nostram mentem in omnibus nihil aliud quam pati, velut organum divini Spiritus, ut nullo pacto bonum possit dici nostrum, nisi quatenus divina benignitas gratis hoc nobis imputat: gratiam enim non tam operari in nobis per liberum arbitrium quam in libero arbitrio, quemadmodum figulus operatur in argilla, non per argillam. Unde igitur coronæ præmiique mentio? Deus, inquiunt, sua dona coronat in nobis, ac suum beneficium jubet esse nostrum præmium, & quod in nobis operatus est, imputare dignatur ad consortium regni cœlestis. Hic non video, quomodo statuant voluntatem liberam, quæ nihil agat. Nam si dicerent, sic agi a gratia, ut acta simul ageret, facilior esset explicatio. Quemadmodum juxta Physicos corpus nostrum principium motus habet ab anima, nec omnino moveri posset absque anima, & tamen non solum movetur ipsum, verum etiam movet alia, & tanquam socius operis vocatur ad societatem gloriæ. Quod si Deus sic operatur in nobis; quemadmodum figulus in argilla, quid potest nobis imputari vel in bonum, vel in malum? Non enim libet in hanc vocare quæstionem animam *Jesu Christi*, quæ nimirum & ipsa fuit organum divini Spiritus. Et si carnis infirmitas obstat quo minus mereatur homo, exhorruit & ille mortem, & non vult fieri voluntatem suam, sed Patris. Et tamen hanc fatentur esse fontem meritorum, qui cæteris Sanctis omnibus detrahunt omne meritum boni operis. Cæterum qui negant ullum omnino liberum arbitrium esse, sed absoluta necessitate fieri omnia, fatentur Deum in omnibus operari, non solum opera bona, verum etiam mala. Unde consequi videtur, ut, quemadmodum homo nulla ratione dici potest auctor bonorum operum, ita nullo modo dici possit auctor malorum. Hæc sententia cum palam videatur Deo tribuere crudelitatem & injustitiam, a quo sermone vehementer abhorrent aures religiosæ, (Deus enim non esset, si quicquam in illum competeret, vel vitii, vel imperfecti) tamen habent hi quoque quod in causa tam non plausibili respondeant. Deus est, non potest non optimum & pulcherrimum esse quod facit, si spectes decorum universi, etiam illa quæ per se mala sunt, hic bona sunt, & illustrant gloriam Dei, nec est ullius creaturæ judicare consilium Creatoris, sed sese totam illi per omnia subjicere, adeo ut si videatur Deo hunc aut illum damnare, non debeat obmurmurare, sed amplecti quicquid illi placuerit, illud semel persuasum habens, omnia per illum optime geri, nec posse aliter geri quam optime. Alioqui quis ferat hominem, si dicat Deo, Cur me non feciſti Angelum? Nonne Deus huic merito respondeat: Impudens, si te feciſſem ranam, quid habebas quod quereris? Item si rana expostularet cum Deo, Cur me non feciſti pavonem, versicoloribus pennis conspicuum? Nonne huic jure diceret: Ingrata, poteram te fungum aut bulbum facere: nunc salis, bibis, & cantas. Rursus, si dicat basiliscus aut vipera, cur me condidiſti animal omnibus invisum, omnibus letiferum, potius quam ovem? Quid responderet Deus? Fortasse diceret: Mihi sic visum est, & sic congruebat decoro & ordini universitatis. Nec tibi tamen facta est injuria, non magis quam muscis, culicibus, reliquisque insectis, quorum unumquodque sic finxi, ut ingens etiam miraculum præbeant contemplantibus. Nec ideo non est mirandum ac pulchrum animal araneus, si dissimilis est elephanto, imo plus miraculorum est in araneo quam in elephanto. Non tibi sat est, quod in tuo genere perfectum es animal? Neque tibi datum est venenum ut occidas, sed ut his armis te tuosque fœtus tueare, quemadmodum bubus addita sunt cornua, leonibus ungues, lupo dentes, calces equis. Habet animantium unumquodque suam utilitatem. Equus bajulus est, bos arator, asinus & canis opera juvant, ovis ad pastum ac vestitum hominis adfert utilitatem, tu præstas usum ad pharmaca.

Sed desinamus ratiocinari cum his quæ ratione carent. De homine nobis instituta disputatio, quem Deus condidit ad imaginem & similitudinem suam, & cujus gratia condidit omnia. Cum vero videamus quosdam nasci corporibus feliciſſimis, ingeniis optimis, ac velut ad virtutem natis, rursus alios corporibus monstrosis, alios morbis horrendis obnoxios, alios animis tam stupidis, ut minimum absint a brutis animantibus, quosdam ipsis etiam brutis brutiores, alios ingeniis tam propensis ad flagitia, ut ad hæc videantur vi fatorum rapi, quosdam plane dementes ac dæmoniacos, quibus modis hic explicabimus quæstionem de justitia ac misericordia Dei? An dicemus cum *Paulo*, *O altitudo* &c. sic arbitror melius quam impia temeritate judicare de Dei consiliis, quæ sunt homini imperveſtigabilia. Verum longe difficilius sit explicare, quare Deus in aliis immortali gloria coronet sua benefacta, in aliis sua malefacta puniat æternis suppliciis. Hoc tamen paradoxon ut tueantur, multis auxiliaribus paradoxis est opus, quo tuta sit acies adversus alteram partem. Exaggerant in immensum peccatum originale, quo sic volunt corruptas esse præstantissimas etiam humanæ naturæ vires, ut ex sese nihil possit, nisi ignorare & odisse Deum: ac ne per fidei quidem gratiam justificatus ullum opus possit efficere, quod non sit peccatum: atque illam ipsam proclivitatem ad peccandum, in nobis ex peccato primorum parentum relictam, volunt esse peccatum, & eamdem invincibilem esse, adeo ut nullum sit Dei præceptum, quod homo etiam per fidem justificatus possit implere, sed tot Dei præcepta non alio spectare, quam ut amplificetur Dei gratia salutem largiens absque respectu meritorum. Verum interim isti mihi videntur alibi contrahere Dei misericordiam, ut alibi dilatent, perinde ac si quis apponat convivis perpareum prandium, quo splendidior videatur in cœna, & quodammodo Pictores imitetur, qui cum lucem mentiri volunt in pictura, obscurant umbris, quæ proxima sunt. Primum enim pene crudelem faciunt Deum, qui ob peccatum alienum sic sæviat in universum hominum genus, præsertim cum qui commiserant respuerint, ac tam graves dederint pœnas quam diu vixerunt. Deinde cum ajunt etiam illos, qui per fidem justificati sunt, nihil aliud quam peccare, adeo ut amando Deum & fidendo Deo reddamur digni odio Dei, nonne vehementer hic faciunt parcam Dei gratiam, quæ sic justificat hominem per fidem, ut tamen adhuc nihil aliud sit quam ipsum peccatum? Præterea dum Deus tot præceptis onerat hominem, quæ ad nihil aliud valent, quam ut magis oderit Deum, graviusque damnetur, nonne faciunt eum ipso *Dionysio Siciliæ* Tyranno inclementiorem, qui multas leges studio prodidit, quas sufpicabatur pleroſque, si nullas instaret, non servaturos, ac primum connivebat, mox ubi vidit omnes propemodum aliquando peccasse, cœpit eos vocare ad pœnam. Ita reddidit sibi omnes obnoxios. Et tamen hujus leges erant hujusmodi, ut facile possent servari, si quis voluisset. Non nunc excutio causas, quibus docent omnia Dei præcepta nobis esse impossibilia, nec enim hoc instituimus, tantum obiter ostendere volui, istos nimio studio dilatandæ gratiæ in ratione salutis, eamdem in aliis obscurare: quædam non video quomodo consistant. Jugulato libero arbitrio docent hominem jam agi Spiritu *Christi*, cujus natura non patitur consortium peccati. Et tamen iidem dicunt hominem etiam acceptа gratia nihil aliud quam peccare. Id genus hyperbolis delectatus videtur *Lutherus*, ut aliorum hyperbolas veluti malum nodum, quod dici solet, malo cuneo propelleret. Quorumdam temeritas ad hyperbolem processerat, qui vendebant merita, non solum sua, verum etiam omnium Sanctorum. At qualia tandem opera? Cantiones, murmura Psalmorum, pisces, inedias, vestes, titulos. Hunc clavum clavo sic pepulit *Lutherus*, ut diceret nulla esse omnino merita Sanctorum, sed omnia quamlibet piorum hominum facta fuisse peccata, damnationem æternam allatura, ni fides & Dei misericordia succurrisset. Itidem altera pars lucu-

Gen. 1.

Digitized by Google

culentum quæstum faciebat ex confessionibus & satisfactionibus, quibus mire irretiverant hominum conscientias: item ex Purgatorio, de quo paradoxa quædam tradiderant. Hoc vitium sic corrigit pars diversa, ut confessionem dicant commentum esse Satanæ: qui modestissime, negant exigendam: pro peccatis non esse opus ulla satisfactione, cum *Christus* pro peccatis omnium pœnas resolverit: denique nullum esse Purgatorium. Item pars una dicit, etiam Priorculorum constitutiones obligare ad pœnam gehennæ, nec dubitat promittere vitam æternam, si quis obedierit: diversa pars sic huic medetur hyperbolæ, ut dicat omnes Pontificum, Conciliorum, Episcoporum constitutiones esse hæreticas & antichristianas. Sic una pars extulerat Pontificis potestatem πάνυ ὑπερβολικῶς, altera sic prædicat de Pontifice, ut non ausim referre. Rursus una pars dicit, Monachorum & Sacerdotum vota obstringere hominem ad pœnam gehennæ & in perpetuum, altera dicit talia vota esse prorsus impia, nec esse suscipienda, nec, si susceperis, servanda. Ex talium igitur hyperbolarum collisione nascuntur hæc fulmina ac tonitrua, quæ nunc concutiunt orbem. Quod si pars utraque pergat mordicus tueri suas hyperbolas, video talem pugnam inter illos futuram, qualis fuit inter *Achillem* & *Hectorem*, quos, quoniam erant pariter feroces, sola mors potuit dividere. Ac vulgo quidem ajunt, baculum curvum ut rectum facias, in diversam partem inflectendum esse: id fortasse consultum fuerit in corrigendis moribus, in dogmatibus an ferendum sit nescio. In exhortando aut dehortando video nonnunquam esse locum hyperbolis, velut, ut addas homini timido fiduciam, apte dixeris, ne metue, Deus omnia loquetur & faciet in te. Et ad retundendam hominis impiam insolentiam, utiliter fortasse dixeris, hominem nihil aliud esse quam peccatum: & adversus eos, qui sua dogmata postulant æquari Scripturis Canonicis, utiliter dixeris, hominem nihil aliud esse quam mendacium. Verum ubi in disquisitione veri proponuntur ἀξιώματα, non arbitror utendum hujusmodi paradoxis, quæ non multum absunt ab ænigmatibus, mihi quidem in his placet moderatio. *Pelagius* libero arbitrio visus est tribuere plus satis, *Scotus* tribuit affatim. *Lutherus* primum mutilabat tantum amputato dextro brachio: mox nec hoc contentus, prorsus jugulavit liberum arbitrium, & e medio sustulit. Mihi placet illorum sententia, qui nonnihil tribuunt libero arbitrio, sed gratiæ plurimum. Nec enim sic erat vitanda *Scylla* arrogantiæ, ut feraris in *Charybdim* desperationis aut socordiæ: neque sic medendum membro luxato, ut in diversam partem detorqueas, sed in suum locum erat reponendum: nec sic erat a fronte pugnandum cum hoste, ut a tergo vulnus accipias incautus. Hac moderatione fiet, ut sit aliquod opus bonum, licet imperfectum, sed unde nihil sibi possit arrogare homo: erit aliquod meritum, sed cujus summa debeatur Deo. Abunde multum est infirmitatis, vitiorum, scelerum, in vita mortalium, ut, si se quisque velit contemplari, facile deponat cristas, etiamsi non asseveremus hominem quamvis justificatum nihil aliud esse quam peccatum, præsertim cum *Christus* appellet renascentiam, *Paulus* novam creaturam.

Cur, inquies, datur aliquid libero arbitrio? Ut sit quod merito imputetur impiis, qui gratiæ Dei volentes defuerint, ut excludatur a Deo crudelitatis & injustitiæ calumnia, ut excludatur a nobis desperatio, ut excludatur securitas, ut exstimulemur ad conandum. Ob has causas ab omnibus fere statuitur liberum arbitrium, sed inefficax absque perpetua Dei gratia, ne quid arrogemus nobis. Dicat aliquis, ad quid valet liberum arbitrium, si nihil efficiat? Respondeo, ad quid valet totus homo, si sic in illo agit Deus, quemadmodum figulus agit in luto, & quemadmodum agere poterat in silice? Proinde si satis jam demonstratum est, hanc materiam esse talem, ut non expediat ad pietatem altius eam scrutari quam oportet, præsertim apud idiotas. Si docuimus hanc opinionem pluribus & evidentioribus testimoniis Scripturarum fulciri, quam alteram. Si constat Scripturam Sacram in plerisque locis vel obscuram esse tropis, vel secum etiam pugnare prima quidem specie, eaque gratia, velimus nolimus, alicubi recedendum a verbis & litteris, ac interpretatione moderandam esse sententiam. Denique si declaratum est quot incommoda, non dicam absurda, consequantur, si semel funditus tollatur liberum arbitrium, si palam est factum hac, quam dixi, sententia recepta, nihil perire eorum quæ *Lutherus* pie quidem & Christiane disseruit, de summa charitate in Deum, de abjicienda fiducia meritorum, operum, & virium nostrarum, de tota fiducia transferenda in Deum, & illius promissa: jam velim illud expendat Lector, num æquum censeat, damnata sententia tot Ecclesiæ Doctorum, quam tot jam seculorum ac gentium consensus approbavit, recipere paradoxa quædam, ob quæ nunc tumultuatur orbis Christianus. Ea si vera sunt, ingenue fateor ingenii mei tarditatem, qui non assequar: certe sciens non reluctor veritati, & ex animo faveo libertati vere Evangelicæ, ac detestor quicquid adversatur Evangelio. Nec hîc ago personam judicis, ut dixi, sed disputatoris, & tamen vere possum illud affirmare, me in disputando eam servasse religionem, quæ olim in causis capitalibus a juratis judicibus exigebatur. Nec me licet senem, vel pudebit, vel pigebit a juvene discere, si quis cum Evangelica mansuetudine doceat evidentiora. Hîc audiam, sat scio, Discat *Erasmus Christum*, & valere jubeat humanam prudentiam: hæc nullus intelligit, nisi qui Spiritum habet Dei. Si nondum intelligo quid sit *Christus*, nimirum hactenus procul aberratum est a scopo. Quanquam illud lubens didicero, quem spiritum habuerint tot Doctores ac populi Christiani, nam probabile est populum idem sensisse quod docebant Episcopi, annis jam mille trecentis, qui hoc non intellexerunt. CONTULI, penes alios esto judicium.

FINIS

Tomi noni partis Prioris.

DESI-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google